THE LIBRARY
DUQUESNE UNIVERSITY
...VANIA
r
BR95
M36
1765x
Sp Coll

DOMINICI

# MACRI

# HIEROLEXICON.

# DOMINICI
# MACRI
# HIEROLEXICON.

THE LIBRARY
DUQUESNE UNIVERSITY
PITTSBURGH, PENNSYLVANIA

# DOMINICI MACRI MELITENSIS

Equitis Aurati, &c. ac Sacræ Congregationis Indicis Conſultoris,

# HIEROLEXICON,

*SIVE*

## SACRUM DICTIONARIUM

IN QUO ECCLESIASTICÆ VOCES, EARUMQUE Etymologiæ, Origines, Symbola, Cæremoniæ, Dubia, Vocabula barbara, atque Sac. Scripturæ, & SS. Patrum phraſes obſcuræ elucidantur.

*OPUS FIGURIS ORNATUM, ET A CAROLO MACRO Auctoris Fratre, Bibliothecæ Alexandrinæ in Archigymnaſio Urbis Præfecto, maxime locupletatum.*

ACCEDIT INDEX CRITICUS, AC SYLLABUS GRÆCARUM Vocum, de quibus agitur; necnon CONTRADICTIONES APPARENTES Sacræ Scripturæ, ab eodem DOMINICO conciliatæ,

*EDITIO OMNIUM RECENTISSIMA*

CUM ADDITIONIBUS ET ILLUSTRATIONIBUS STEPHANI SCIUGLIAGA IN GARMOGLIESI.

VENETIIS, MDCCLXV.
EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.
*SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.*

Pertinet ad usum Fr. Nicolai Cassamo, filii Conn
Cong. S. Philip. Ultradit. nunc Ulter. anno 1801.

r220.3
M174
L

Sp. Coll

# PROMULSIO OPERIS.

QUOD nil cultius, ac glorioſius Religioni miniſterio exiſtat in terris, nil emicet in Orbe clarius; Natura dictante enodatur, quæ a Mundi exordio externis ſignis Creatorem venerari ſidereis axiomatibus a ſummo Cœlorum mortales aſtruit. Quin & ipſamet Divina Majeſtas cæremoniarum copiam in Levitici libro dictaverat: ideo ſacroſancta Mater Eccleſia divinitus afflata, altiſſima myſteria, piiſſimaque ſignificata externis cæremoniis condidit, ut iis ad Summi Monarchæ obſequium mortalium mentes dirigantur; & ut Tridentinæ Synodi effatis utar: *Cum natura* ( inquit ) *humana ea ſit, ut non facile queat ſine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem ſuſtolli, proterea pia mater Eccleſia ritus quoſdam, ut ſcilicet, quædam ſubmiſſa voce, alia vero clariore in Miſſa pronunciarentur, inſtituit: cæremonias item adhibuit, ut myſticas benedictiones, lumina, thymiamata, veſtes, aliaque id genus multa, ex Apoſtolica diſciplina, & traditione, quo & Majeſtas tanti Sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc viſibilia religionis, & pietatis ſigna ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur. a*

*a* Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 5.

Quibus tamen nedum Fidelium corda ad divinum obſequium excitantur, verum & duriſſima Adverſariorum pectora laceſſuntur. Quid, quæſo, Valentis perfidi in Arianiſmo Imperatoris lenivit animum, nonne ejus ſtupor in Sacris cæremoniis a Divo Baſilio rite ac pie adminiſtratis? *b* Quid, inquam, ad pœnitentiam reduxerat ſatellites a Juſtina Auguſta, eodem Arianiſmo infecta, in Divi Ambroſii trucidationem intra veneranda thalami penetralia miſſos, an non hic Sacer obſequii Ritus ab eis inſpectus? *c* Exaltet ſiquidem Iſrael magnalia Dei, quia in clangoribus, ac vociferationibus Jerichuntina mænia corruere dedit eis. At nos divinos favores commemoramus, per quos abſque Chriſtianorum ſtrepitu, aut vociferatione, ſed unico verbo *Amen* fiducialiter pronuntiato, innumerabiles fidei hoſtes corruere *d*: non clangoribus, ſed devotis, Eccleſiaſticiſque cantibus duriſſimum in Manichæiſmo Auguſti-

*b* Baron. an. 370. numer. 44.

*c* D. Ambr. epiſt. 32. ad Marcellam Sororem

*d* Vide hic in fine dictionis *Amen*.

ni

13480 DEC 21 1940

ni cor expugnatum ſiquidem fuit, & pro catholica fide inexpugnabile propugnaculum renovatum eſt; en ipſiuſmet in ſuis Confeſſionibus verba: *Voces illæ* ( de cantu Eccleſiaſtico ſuæ converſionis inſtrumento loquens) *influebant in auribus meis, & eloquebatur veritas pietatis in cor meum, & ex eo æſtuabat affectius pietatis, & corruebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis. e*

e D. Aug. lib. 9. Confeſſ. cap. 6. & 21.

Quid ergo Synagoga, divina protectione viduata, de antiquis altiſque portentis pro ſe gloriatur, forſan de Ægyptiorum in Erythræo mari ſubmerſione? En quod abſque tanta aquarum copia, idem Deus ſolis aquæ benedictæ guttis aſperſis in pilulis plumbeis Catholicorum hoſtes proſternere fecit. *f* Vaſtus ſane aperiretur mihi campus, ſi cæremoniarum exempla, corda & vires infidelium deprimentia, liceret congerere.

*f* Vide hic in dict. *Aqua Benedicta.*

At dum *mente, anima, & viribus* coli jubet Deus; tota, ſcilicet, *mente*, quoad pretium, & indefinitam exiſtimationem: *Ex tota anima*, ideſt, affectu ſuper omnia intenſo. *Ex omnibus viribus*, nempe, prompte, ac ſolicite; iſtis tamen actibus triplex mortalium genus adverſatur vitiis. Primi enim ſunt, qui erronea mente Catholica dogmata pertinaciter negantes ſectarii fiunt, divinique cultus, & cæremoniarum irriſores; ſuperſtitioſas adinventiones eas eſſe, & irritamenta potius in Dei conſpectu, quam meritorias aſſerentes. Nec mirum ſi dedecus Novatorum inſtituti, quod a deſperatione principium ſumpſerat, aliis armis, quam ſolis calumniis tueri nequeat; at Hæreticorum aries fortiſſimum fidei murum infringere, non poteſt, nam: *Veritas quæſtionibus ventilata clareſcit, ſpecies aromatica piſtillorum tunſione fragraſcit, Eccleſia oppreſſione malorum creſcit. g* Audiant ergo calumniarum fabricatores, quod; *Apud nos inconvulſis radicibus vivat antiquitas, cui decreta Patrum ſanxere reverentiam. h* Audiant inquam, & excogitent, an nervoſam, triplicatamque Tertulliani funem rumpere facile poſſint, qui ſic ait: *In ſumma ſi conſtat id verius, quod prius; id prius, quod ab initio; id ab initio, quod ab Apoſtolis: pariter utique conſtabit, id eſſe ab Apoſtolis traditum, quod apud Eccleſias Apoſtolorum fuerat ſancitum. i* Si ergo Orientalis, Occidentaliſque Eccleſiæ, licet diu, & per tot ſæcula inter ſe diviſæ, eaſdem prorſus cæremonias jugiter obſervent, quomodo negari poſſet eas non fuiſſe ab initio & ab Apoſtolis inſtitutas? Itaque jure optimo cæremoniarum impugnatores in Tridentina. Synodo *k* damnantur, ubi habetur: *Si quis dixerit, cæremonias, veſtes, & externa ſigna, quibus in Miſſarum celebratione Eccleſia utitur, irritabilia impietatis eſſe magis, quam officia pietatis, anathema eſt.*

g Petr. Cellen. lib. 5. epiſt. 4.
h Can. Contra Statuta 25. qu. 1.
i Tertull. lib. 4. adverſ. Marcion. c. 5.
k Concil. Trid. ſeſſ. 21. Can. 7.

Secunda vitioſorum hominum ſpecies eſt irreverentium, & improborum Chriſtianorum, qui tantum ex majorum inſtituto, frivola quadam aſſuefactione labiis ſolummodo Deum honorant, quorum confabulandi potius gratia, quam orandi eſt ad Eccleſias acceſſus: quos ſane cum Jacobo Apoſtolo monendos cenſeo: *Si quis putat ſe religioſum eſſe*, ( ideſt pium Chriſtianum ) *non refrænans lin-*

*guam*

*guam ſuum, hujus vana eſt Religio*: *l* quod præſertim in Eccleſia exigitur, in qua decet ſanctitudo, & devotio, in qua erit *cultus juſtitiæ ſilentium*. *m Ceſſent* (clamat Gregorius Papa) *vana, & multo fortius fœda, & profana colloquia, Ceſſent confabulationes qualibet. Sint poſtremo quæcumque alia, quæ divinum poſſunt turbare Officium, aut oculos divinæ Majeſtatis offendere, ab ipſis prorſus extranea: ne ubi peccatorum eſt venia poſtulanda, ibi peccandi detur occaſio, aut deprehendatur peccata committi &c.* *n* Merito igitur ſanctus Damaſus Papa *o* ab Eccleſia hujuſmodi vaniloquos expelli ſancivit. Sed quid de his dicendum, quorum arrogantiæ terminus in abutendis ſacris habitibus in bacchanalibus, & ſcenis excurrit? Certe eadem pœna commererentur puniri, qua Comicus ille, qui in eadem ſcena, ubi pluviali Eccleſiaſtico indutus recitabat, ibi repente expiravit. *p*

*l* Iacobi epiſt. cap. 1.

*m* Iſa. c. 31.

*n* Can. Decet Domum Domini de immun. Eccleſiæ in ſexto.

*o* Apud Baron. anno 382. n. 20.

*p* Petr. Damian. lib. 1. epiſt. 8. ad Eugenium II.

Tertium denique genus Eccleſiaſticorum eſt, qui negligentia labefactati, mente diſtracti, & cæremoniis parum, aut nihil intenti; in Choro, vel in Altari inconſiderate orant: (quidquid in hoc Theologi aliqui recentiores aſſerant) certe dediſcere haud debemus, quod Monachus ille mulctatus fuerat, quia in Choro ad verba ſalutifera: ET VERBUM CARO FACTUM EST, genuflectere negligens, quem Dæmon, poſt alapæ percuſſionem, ſic arguerit: *Si, Verbum Dæmon factum eſt, diceretur; utique omnes nos infernales ſpiritus uſque ad terram proſtraremur.* Vel conſiderare ſufficeret, quod propter negligentiam inclinationis capitis ad *Gloria Patri*, arcte in purgatorio quidam detinebatur; aut ſi id, quod de ſancto Severino beatus Petrus Damiani refert, credere oporteret, nempe, quod propter anticipatam Officii recitationem, ut expeditius populorum negotiis incumberet, ideo in eiſdem cruciatibus delictum hoc Severinus purgabat. Hæc & ſimilia formidanda exempla novis quorumdam doctrinis omnino adverſantur. Nec fas eſſet aſſerere, quod ſi Deus de rebus leviter neglectis puniret, pœna hæc ultra debitum eſſet: nam licet culpæ leves videantur, fiunt tamen graves ob reliqua mala, quæ ſecum trahunt. Negligentia enim ſacros Ritus in primis debilitat, ut recte Tertullianus *q* advertit: *Omnino* (inquiens) *res Chriſtiana ſancta antiquitate ſtat, nec ruinoſa rectius reparabitur*. Negligentia inſuper ordinem pervertit, & confuſionem parit. *At ſi* (ajebat ille *r*) *a Choro, a navigio, ab exercitu ordinem ſuſtuleris, confuſionem induxeris inamœnam, remque perdideris; ſic Templorum ſacra myſteria, niſi ordinem & diſciplinam habuerint, nec decora eſſe poſſunt, nec utilia ſatis, & religioſa*. Quaſi diceret: Quid ſi excubitor, & ſpeculator, qui vigilat in exercitu, dormiret tantiſper? Aut nauta, qui ad carbaſa, ſeu gubernaculum invigilat, ordinem parum negligeret? Hæ tamen tranſgreſſiones licet revera leves eſſent; quia vero modica illius negligentia confuſionem ex inimica aggreſſione, & navis ruinam iſtius omiſſio cauſarent; hinc valde puniendi eſſent: ſic rituum obſervantiæ, ex negligentiis leviter commiſſis, relaxatio gignitur irreparabilis. *Non ergo ſolum fragilitati conſulitur huma-*

*q* Tertull. contra Marcion. c. 3.

*r* Creſolius in Myſtagog. lib. 3. cap. 20.

*ma-*

*manæ*, *ſed etiam ſacris miniſteriorum Dei providetur ſolicitudine*, conclamabant Concilii Toletani Patres *ſ*. Zelo igitur tantæ venerabilis Obſervantiæ pro Eccleſiaſticis hoc opus non modico labore aggreſſus ſum, ut Sacrorum Rituum ſplendor per Etymologias, Hiſtorias, Myſteriorum ſignificatus, modoſque exercendi divinum cultum collimando, rectius operetur. Eccleſiaſticis enim inquit Dominus, *Vobis datum eſt noſſe myſterium Regni Dei, cæteris autem in parabolis. Eſt namque duplex genus hominum* (inquit Bleſenſis) *t Pediſequum, & quoddam Deividum. Pediſequum hominum genus eſt, qui Deum non poſſunt cognoſcere per intelligentiam Scripturarum, ſed veſtigia ejus quoquomodo indagant; per viſibilia enim hujus mundi inviſibilia conſpiciunt Dei. Huic genus hominum prædicta non proponuntur, ſed Deivido, qui, ſcilicet, Deum videt per intelligentiam Scripturarum*. Et alibi idem: *u Deividos dicimus Miniſtros Eccleſiæ, quibus credita ſunt eloquia Dei, quibus dictum eſt: Vobis datum eſt noſſe myſteria &c.*

*ſ* 7. quæſt. 1. Can. Nihil contra.

*t* Petr. Bleſen. ſerm. 8.

*u* Idem Bleſenſ. ſerm. 38.

Hujus igitur operis intentio alia non eſt, niſi, quod in Eccleſiaſtico ſacra miniſtrando; *Adſit* (ut Hieronymus ajebat *x*) *omnis congregatio ſanctarum cogitationum, ut quid ſit Pontifex, quid unctio, quid indumentum ejus, conferens intra Sacrarium cordis ſui poſſit advertere*. Tandem tibi Lector præbeo in hoc opere æternum illud VALE, quod eſt: *Omnium habere notitiam, & penitus in nullo peccare, quod divinitatis eſt magis, quam mortalitatis*. *y* Et ſic, *Vade, Vale, Cave ne titubes, mandataque frangas*. *z*.

*x* 8. quæſt. 1. can. licet ergo.

*y* In Pandectarum Præfat.

*z* Horatius epiſtol. ad Vinnium Anſelium.

AUCTO-

# AUCTORIS VITA

## A Marco Argolo breviter deſcripta.

O Quantum Eruditorum, aut moleſtia ipſorum, aut quies operit, & ſubtrahit famæ, ut eorum ingenii fœcunditas poſteritati ſterileſcat, memoriæque pereat infructuoſa! Ἄκαρποι, namque moriendo ſua aliis cedere coguntur; ſed qui eruditionum ſcripta poſteritati relinquunt, hæreditant potiùs poſt obitum, quàm hæredes conſtituant, dum æternum nomen acquirunt: talis ſiquidem gloriæ Dominici Macri extat memoria, nedum ex ejus ſcriptis, ſed (quod dignius eſt) ex integerrima ipſius vita, ac pietate, ut meritò de eo, id quod de Lycurgo ajebat ille, *a* fateri liceret, quò, nempè, *Nil lege ulla in alios ſanxit, cujus non ipſe primus in ſe documenta daret.* Unde non incongruè viſum eſt hujus Authoris hìc vitam præferre, ut antequam pius Lector eruditionum copia informetur, Auctoris ejus quoque vitæ ædificetur exemplis.

*a* Juſtin. Hiſt. lib. 3.

Igitur de anno MDCIV. Quinto Kal. Aprilis in Inſula, cui ab Apum melle nomen inditum fuerat, ortum habuit Dominicus Macrus Aloyſii & Suſannæ jugalium filius, in Civitate Vallettæ, & in Parochiali fonte Sanctæ Mariæ Portus Salutis IV. Nonas ejuſdem menſis & anni baptizatus eſt; divinoque deinde timore, ac litteris inſtructus, ad decimum ſextum ſuæ ætatis annum, nempè IV. Nonas Septembris anno MDCXX. à bonæ memoriæ Balthaſare Cagliareſio Melivetano, ac piiſſimo Epiſcopo in quadam Epiſcopali Villa, de illius nomine *Monte Cagliareſe* appellata, minoribus Eccleſiæ ordinibus initiatus fuit: at quia fortè in eo loco ſuperpellicium, ut indueretur ad ſuſcipiendos ordines, Dominicus non repererat, contigit, ut idem Epiſcopus uſum alterius ejus Rochetti concedere debuiſſet, & in ea ordinatione de Præſulis vertice ſuper Juvenis caput ceciderat mitra, ex quo actu idem Epiſcopus talem Juvenem Epiſcopalem dignitatem conſecuturum fore vaticinatus eſt: quod reverà præſagium verificatum fuiſſet, ſi ex parte ſuſcipientis non obſtitiſſet voluntas, ut referam inferiùs. Degebat tunc Panormi Julius Caſaurius maternus Juvenis Avunculus, ibi primarius Juris Lector, qui proceſſu temporis in Belgio Cardinalis Hiſpaniarum Infantis Generalis Auditor extitit, ad quem Avunculum, dum Panormi lecturæ Cathedram tenebat, à Genitore ſtudendi cauſa Dominicus directus fuit; quod tamen ſtudii libamen cùm minimè Juveni arrideret, obtenta per epiſtolam Patris licentia, Romam ad Philoſophiæ ſtudia ſe contulit, ubi illis nondum peractis, occaſione obſequii erga Alexandrum Cardinalem Urſinum, tunc Maronitarum Protectorem, ſpecimen ſuæ idoneitatis oſtendit; ideòque præfatus Cardinalis, annuente tunc Urbano Octavo Pontifice, ad Antiochenum Patriarcham dirigendum Dominicum diſpoſuit. Negotii autem emergentia hæc erat; Patriarcha ex doloſa nonnullorum relatione, quòd malè ejus Diœceſani Romæ tractarentur, renuebat proinde ſtudendi cauſa ad Collegium Maronitarum ampliùs illos dirigere. Igitur Dominicus XIX. ſuæ ætatis anno, nempè, pridie idus Septembris MDCXXIII. Roma Melitam verſùs ſolverat, ut ibi navigii tranſitum ad Orientem expectaret: ſed vix ſuperatis Charybdis, Scyllæ, aliorumque marium fluctibus, ad patriam perductus, ibique fluctuationes majores Domeſticorum, ſcilicet, per tot menſes, in quibus dum navis tranſitum expectabat, patienter ſuſtinere coactus eſt; nam propter inopinatum ejus adventum, ſtu-

diis adhuc minimè peractis, non modicè indignati erant ejus parentes; quorum exprobrationes eò magis in eum augebantur quotidiè, præſertim quia rationem hujus immaturi adventus inveſtigare nequiverant: quinimò torquebat eos non modica ingentis mali ſuſpicio, quia per totum illud tempus nonniſi cum Mahumetanis de rebus, regionibuſque Orientalium continuò confabulari reperiebatur; ex eis enim Agarenis itineris ordinem, locorum nomina internoſcere, ac turcica veſtimenta emere opus habebat Dominicus, de quibus latebris malè apprehenſis inceſſanter dum conviciabatur ille, ſumma nihilominus patientia, ac hilaritate cuncta ſuſtinendo, variis æquivocis parentum indignationem mitigare ſatagebat. At quando de tranſitu navigii ad Orientem certior factus eſt, ſtatim Patrem rogavit, ut ſecum extra domum iret, & in via veniam, & benedictionem poſtulans, cauſam ſui diſceſſus ei patefecit, quem etiam precatus eſt, ut penes Genitricem, & domeſticos excuſaret, ſi ad evitandos fœminiles ejulatus, licentiam ſui diſceſſus non popoſcerat, in quorum igitur piis precationibus per Patrem ſe commendans, vale dixit. Vix tamen in orientalem terram è navi deſcenderat, ut ſtatim in ſui necis infortunium inciderit, dum enim noctu campeſtre agebat iter, in quemdam Æthiopum militem occurrerat, qui ira motus, gladium evaginavit, ut Dominicum occideret; ſed innocens de cauſa tanti motus aggreſſorem blandè interrogavit: quia non fuiſſet ab eo ſalutatus, reſpondit: protinus ſe excuſavit Dominicus, ſe non parùm cæcutire præſertim in noctis caligine; intelligebat namque de cæcitatis ignorantia in moribus regionis, de quo uſu deinde inſtructus, quòd, ſcilicet, ſimiles milites, ſi in campeſtri via priùs non ſalutentur, ſtatim de inimicitia ſuſpicantur; itaque excuſatione mitigatus miles ille, & de via interrogatus, ſe humaniter præbuit. Alia vice ob ſimilem morum regionis ignorantiam periclitatus eſt mortem; extat ſiquidem non mediocris zelotypia Orientalium erga eorum mulieres, ut nec propriis fratribus eas confident, quin & nuptiarum feſtivitates, ac comeſſationes uterque ſexus ſeparatim celebrat: quod neſciens Dominicus, die quadam curioſitatis gratia inſpicere voluit, caſu in mulierum manſionem ingreſſus erat, quod ægrè ferentes viri, armis, & fuſtibus illum aggreſſi ſunt: quare ut periculum evitaret, ſtatim advenam eſſe, ac proinde illius ritus ignarum faſſus eſt; & ad Gubernatorem loci conductum, accuſaverunt eſſe Chriſtianum latinum, atque Turcicarum regionum ſpeculatorem. Interrogatus verò à Gubernatore, qua de cauſa ad Turcicum imperium acceſſerat? Reſpondit ſe eſſe medicum, ac proinde medendi Orientalium modum addiſcere cupidum acceſſiſſe (ſciebat enim quanti æſtimantur Phyſici in illis partibus.) Nec reverà ille mentitus erat, quia jam Romæ phyſicæ ſtuduerat. Unus autem ex principalibus ibi aſſiſtentibus rogavit illum, ut vellet ejus natam febre laborantem curare, acceſſit ad ægrotantem Dominicus, at quia ibi ipſi Medici propriis manibus pharmaca componunt, ipſe quandam herbam in agro caſu repertam miſcuit cum terra S. Pauli, quam ſecum ferebat ex Crypta ejuſdem Sancti, quæ in Melita maxima veneratione colitur, *Gratia S. Pauli* vulgariter nuncupata, & ægrotanti ad bibendum porrexit, ac Deo jubente, puella ſtatim convaluit, & ita fictus Medicus perſecutionis periculum evaſerat. Similem effectum hujus *Gratiæ S. Pauli*, dum in illis partibus morabatur, expertus eſt. Mater enim ejus, quæ in Melita pro incolumitate filii Deum rogare nunquam ceſſabat, dum quadam nocte in oratione dormitaret, filium morbo laborare ſomniaverat, & à Divo Apoſtolo interea curari: quando verò in Melitam rediit Dominicus, Mater ei ſomnium retulerat, quod verè eveniſſe confirmavit filius, inquiens, ſe febre decubuiſſe, qua poſtea in quartanam converſa, non alio antidoto, quam ejuſdem S. Pauli terra convaluiſſe. Multa quidem in hac Orientali peregrinatione ſcitu di-

ra digna occurrerent referre, ſed brevitatis gratia omittuntur, de quibus tamen non pauca tum in ejus Itinerarii tractatu bis Viterbii impreſſo, in quo nempè, de Turcarum moribus, de locorum originibus, quos in ejus tranſitu vidit, ac aliis, ſatis eruditè referuntur: tum etiam in hoc præſenti volumine in dictione *Maronitæ*, dict. *Græci*, ac alibi de eorum ritibus, ac moribus ab ipſomet viſis, diſertè agit. Fœliciter igitur cum Maronitarum Patriarcha completo negotio, ut in mandatis habuerat, navem conſcendit, quæ per Melitam erat tranſitura. At interea ejus Matri pro filii incolumitate precatrici inceſſanti accidit, ut quadam die dum illa ad imaginem Divi Sacræ Virginis Sponſi eadem intentione preces lacrymanter, ut ei ſolitum erat, funderet, ceciderit imago illa appenſa: tunc ſtatim devota mulier ad Maritum lætabunda cucurrit, dicens, ad ſe acceſſiſſe D. Joſephi imaginem, in ſignum annunciationis adventus filii; quam tamen Maritus de levi, atque fœminili crudelitate arguens; avertat, inquit, Deus, quòd filius noſter in hac valida maris tempeſtate navigare contingat; (erat enim tunc magna tempeſtas) at illa fiducialiter non dubitare reſpondit, quod qui tale fœlice nuntium ei attulerat, fore ut à cunctis periculis illum liberaret. Rectè: poſt horam Parentes de adventu filii certiores facti ſunt. In Melitam igitur reverſus Dominicus, à Magno Magiſtro, ejuſque Concilio decretum favorabile obtinuit, ut in futurum omnes Maronitæ in eorum tranſitu per eam inſulam, expenſis communis ærarii victu, hoſpitio, veſtimentis, ac viaticò providerentur. Romam accedens, & ad oſculum Pontificis pedum admiſſus, atque benignè ſuſceptus, retulit ejus bonum commiſſionis ſucceſſum penes Patriarcham Antiochenum. In Urbe deinde longo annorum curriculo ſtudia Philoſophiæ, ac Theologiæ, cæterarumque liberalium artium, præſertim linguæ græcæ, & orientalium profeſſus eſt, & ſacerdotio ordinatus, ad patriam redivit, ex qua iterùm pro interpretatione verſionis Bibliæ in Arabicam linguam à bo: me: Cardinali Palleotto vocatus, Romam venit, qua occaſione contradictionum Apparentium ejuſdem Sacræ Scripturæ opuſculum compoſuit, quod tertiò impreſſum, & auctum in calce hujus Operis nunc prodit.

Fuit autem in concionando valdè gratus, & per cunctas Civitates, in quibus hoc munere functus eſt, varia devotionis exercitia cum animarum fructu erexerat; utpotè, Agonizantium Confraternitates, D. Philippi Nerii Sacerdotum Congregationes, Eccleſiaſticorum in Sacris Rubricis Academias, ac hujuſmodi varia: tanto enim ardebat Divinæ legis zelo obſervantiæ, ut nunquam ſufferre potuerit de die feſtivo opera ſervilia exerceri, pro qua re videns ſemel quendam ſervum in publica via pro ignis pabulo in die ſolemnis feſtivitatis frangere ligna, ſtatim ardore commotus ejus dominum adivit, illumque de publico ſcandalo ex ejus juſſione commiſſo redarguit.

In quadam Civitate viderat de nocte meretrices quaſdam, quæ prætextu poſtulandi eleemoſynam, viros in via tentabant ad fornicandum, quas peccandi occaſiones apud Superiores loci prohiberi curavit. In Civitate Melitæ, Victorioſa nuncupata, in qua reperitur Hebræorum carcer, obtinuerat, ut ad ſpem illorum converſionis, in quolibet ſabbato eis concionari poſſet; ſed impeditus ab hoc exercitio per quendam virum potentem, pecunia (ut fama erat) ab illis corruptum, cui Dominicus dixerat, Tu quidem validus es Hebræorum protector, ſed vigor iſte tuus non diu duraturus erit: & rectè non poſt multum tempus vita ille ceſſit. Nec minor erat ei Rubricarum obſervantiæ ardor, ut quoties reperiebatur in aliqua ſolemnitate, ſi aliquem Altaris Miniſtrum in notabili cæremonia errare vidiſſet, peracta ſolemnitate, vel cæremoniarum Directorem, vel errantem de commiſſo errore admonebat. Sequentibus recentiorum opinionem, quod, nimirùm, abſque pec-

 cati

cati ſcrupulo poſſet Sacerdos antè Matutinum celebrare Miſſam; reſpondere ſolebat, quod hoc nonnulli Sancti Eccleſiæ Doctores ſub mortali obſervari cogunt, & ubi eſt dubium mortalis commiſſionis, tutius eſt ſequi ſtrictiorem opinionem: & eiſdem inſtantibus, quod ob varia negotia occurrentia excuſari debuiſſent Sacerdotes, reſpondebat, talem excuſationem non ſufficere, quia ob dubium futuri negotii, poſſet Matutinum recitari in veſperis, & nocte præcedenti, atque ipsum nunquam celebraſſe ante Matutinum fatebatur. Quin etiam quando privatim perſolvebat horas canonicas, ſemper eas diviſim recitabat, ſicut in Choro fieri ſolet.

Omnem verò ejus ſpem ſemper in Cœlicolis reponebat, & præſertim in Sancto Melitæ Protectore Paulo, & dum in ea Inſula de anno MDCXLIX. erant tanta annonæ penuria, itaut in piæ Converſionis ejuſdem Apoſtoli frumentum non ampliùs, quàm pro integra hebdomada reperiri vociferaretur, in eo autem die Dominicus de manè concionabatur in Cathedrali Eccleſia ſub ejuſdem Sancti titulo conſecrata, de cujus protectionis confidentia orabat ad populum, ab eodem Apoſtolo naufragante in fide Chriſtiana inſtitutum, atque ex præteritarum, crebrarumque in cunctis neceſſitatibus ſubventionum comprobatione, Inſulanos ſpem firmam habere hortabatur; unde aſſeveranter, & fiducialiter promiſerat in ea concione Dominicus, quòd non tranſiret ſanctus, ac tam Melitenſibus devotus ille dies ſine aliqua frumenti ſubventione; & ita quidem accidit. Nam ad Veſperas illius diei, præter ſpem humani adjumenti, ingens navis frumento onuſta ad aliam regionem directa, in Melitenſem portum vi ventorum ingredi compulſa eſt, in quo penuriæ tempore, quia non reperiebatur panis, ſiliquam ille pauperibus diſtribuebat. Multoties verò Romam variis occaſionibus adire coactus fuit: de anno MDCL. à Melitenſi Epiſcopo de quodam Eccleſiaſtico beneficio proviſus, atque pro eodem beneficio ab Apoſtolico proviſo citatus, ad Urbem rediit; ubi ab Eminentiſſimis Cardinalibus Congregationis de Propaganda fide ad officium Segretarii ejuſdem Congregationis Innocentio Papæ X. renunciatus fuit; tunc enim illud officium non erat prælatitium; ſed Pontifex pro illa ſuccumbentia aliquem de Eccleſiaſtico dominio velle reſpondit: nihilò tamen ſeciùs per ejus Palatii Auditorem bis vacantium tunc Diœceſum notam ei obtulit, ut de vacantibus Epiſcopatibus unum ad ejus placitum Dominicus eligeret, de qua tamen oblatione retulit ipſe gratias, inquiens, ſe ad tantum onus ſubeundum non eſſe habilem. At Eminentiſſimus Franciſcus Maria Cardinalis Brancatius Eruditorum infatigabilis promotor, habita de Dominico notitia, canonicatu Cathedralis Viterbienſis Eccleſiæ, ubi Antiſtes tunc exiſtebat de Anno MDCLIV. eum providit, quem canonicatum, ut lites, in quibus ille implicitus erat, evitaret, libenter acceptavit; ac intereà idem Cardinalis illius conſultationibus in rebus gravibus, & in proviſionibus beneficiorum continuò utebatur: quare non raro ab amicis Dominicus impulſus erat, ut dum pro aliis ab eodem Proviſore beneficia obtinebat, deberet ſanè pro ſe ipſo aliquam pinguem proviſionem impetrare, de qua re ſubſannans ille, ſe ſufficienter proviſum fuiſſe reſpondere ſolebat. Ad penetralia ejuſdem Cardinalis liberum habebat aditum, quorum colloquia ſemper non niſi de variis, ac ſacris eruditionibus fuerant, & licèt aliquando inter ſeſe locis diſtarent, nunquam de eiſdem materiis adinvicem ſcribere intermittebant. Tempore peſtis idem Dominus Cardinalis regimen Clauſtralium Monialium Sanctæ Roſæ Viterbienſis ei commiſit, ubi ad mœſtitiæ levamen inter alia exercitia, explicationem Hymnorum Breviarii Romani vulgariter expoſuit, qui tractatus ſub Auctoris nomine anagrammatico *Nicodemo Grima*, id eſt, *Domenico Magri* bis Viterbii impreſſus fuit.

De anno MDCLXI. Romæ graviſſima febre infirmatus eſt, quem idem Dominus

minus Cardinalis penes ſe maxima charitate, ac liberalitate curari juſſerat; ad quem in extremis laborantem pro commendatione illius animæ acceſſerant Religioſi viri, quorum nocturnas, diurnaſque fatigationes conſpiciens Dominicus, qui intermiſſive deperditam loquelam reaſſumebat, tunc eis ſæpe de inceſſanti fatigatione gratias agens, ne tam inceſſanter laborarent eos rogabat, quia pro illa vice ſe non moriturum certo ſciebat: quod ita ſane evenit; convaluit enim, & ad Alexandri Papæ VII. pedes admiſſus, gratias illi retulit de conceſſione indulgentiæ in mortis articulo ei largita: ſubridens proinde Pontifex, inquit: Lætamur te propriæ valetudinis divinatorem fuiſſe; itaque ſupervixit poſtea ultra decennium; in quo temporis ſpatio ab ejus centenario Genitore, ut ejus acceſſu illum ante obitum conſolaretur, exoptatus, obedivit filius, & ad Melitam tranſmeavit: unde eidem Cardinali longiſſimam epiſtolam eruditionibus, & auctoritatibus refertam de virtute potionis, quam vulgo *Kafè* vocant, direxit, quæ hodie bis impreſſa circumfertur, addita in ejus fine *Periocha de victus & exercitii ratione* (maxime in ſenectute) *obſervanda ad S. D. N. Paulum III. Pont. Max.* ex Andreæ a Lucana Segobien. Doctoris Medici *manuſcriptis decerpta*.

In Conclavi, in quo renunciatus eſt Pont. Max. recens S. D. N. CLEMENS X. fuit a Conclaviſtis præfati Cardinalis Brancatii, ubi ad fallendum illud longum temporis tædium, Academiam variarum eruditionum excitaverat, quæ EE. Purpuratorum præſentia decorata erat, atque in ea Quadrageſimam Conclaviſtis ipſe concionatus eſt; pro qua re Eruditiſſimus Franciſcus Griſendi tale Epigramma compoſuerat:

*Fama refert, & fama ſimul mihi gaudia præſtat;*
*Quod bona, quodque etiam tu bene verba facis.*
*Si Domini eloquium pandis, tantummodo noſcit*
*Eloquium Domini pandere Dominicus.*
*Porta anguſta poli eſt; igitur quis Ductor eunti*
*Nunc erit anguſta ad limina? MACRUS erit.*
*Dum loqueris, dulci quiſquis dependet ab ore;*
*Namque Melitenſis mellea verba parit.*
*Quiſque tuæ celebrat ſophiæ miracula; nempe*
*Sub docto famulus Principe doctus ades.*
*En tua lingua homini docta bene prædicat arte,*
*En etiam bene te prædicat omnis homo.*

Tandem die 4. Auguſti de anno 1671. ægrotaverat, & in ea infirma ſemeſtri ſuperviventia, carnem in diebus ab Eccleſia prohibitis guſtare nnnquam voluit, ſemperque ſumma patientia, ac hilaritate cunctas morbi afflictiones divinæ voluntati unitus ſuſtinebat. Febribus jugiter aggreſſus, currentem divini officii recitationem per alium libenter audiebat, ac ingenti animi ardore ad ſpiritualem lecturam porrigebat aures continuo uſque ad ejus obitum, quem vitæ periodum ſalutaribus animæ præſidiis munitus, maxima cum circumſtantium ædificatione, ac amicorum dolore IV. Non. Martias terminavit, & in Eccleſia Cathedrali Viterbii humatus eſt, ad cujus effigiem in Bibliotheca ejuſdem Capituli depictam, hoc Elogium appoſitum fuit.

O MACER ILLUSTRIS! GRATIS TAM DIVES ALUMNIS,
EN OPERUM SERIES TOTO CIRCUMSONAT ARCTO.
OMNIS TE PROCERUM COETUS, TE PURPURA, ET OMNIS
BIBLIOTHECA COLIT, VULTUMQUE REPONIT AMICUM.

*Ad ejus Monumentum.*

## DOMINICO MACRO MELITENSI,

Equiti Aurato, Comiti Palatino, Protonot. Apoſtolico, Cathedr. Eccl.
Viterbien. Canonico Theol. Sacrarumque Inquiſitionis,
& Indicis Congregationum Conſultori.

*Qui*
*XIX. Ætatis ejus anno pro S. Sedis negotiis in Orientem miſſus,*
*Itinerarium edidit.*
*Romam pro Arabica Sac. Scripturæ translatione denuo accitus,*
*Perutiles ejuſdem Contradictiones Apparentes collegit, ac conciliavit.*
*Eccleſiæ Ritus ſtudioſiſſimus, cujus Opera teſtantur.*
*In Sacris Profaniſque Scriptoribus germanæ lectionis cupidus,*
*LATINI LATINII fragmenta, variis in Bibliothecis diſperſa,*
*Magno labore, ac ſtudio perquiſita,*
*Litterariæ Reipub. una cum illius epiſtolis obtulit rediviva.*
*Multa alia Opuſcula ſparſim compoſuit.*
*Cautione Sapientiam, Humilitate Doctrinam, Silentio Facundiam*
*Obtexit.*
*Pietate Deo, ſynceritate Hominibus, omnibuſque beneficentia complacuit.*
*Cunctis S. R. E. Purpuratis bene viſus,*
*Ampliſſimoque Sapientum Mecœnati,*
*FRANCISCO MARIÆ Card. BRANCATIO ſumme charus.*
*Obiit Viterbii IV. Non. Mart. An. Dom. MDCLXXII. Æt. Suæ An LXVIII.*
*Carolus in Archigym. Almæ Urbis Sapientiæ Bibliothecæ Alexandr.*
*Præfectus, & Joſeph J. V. D. Germani Fratres. M. M. lap. Poſuere.*

P. JA-

# P. JACOBI LUBRANI
## E SOCIETATE JESU,
### IN Laudem Auctoris
## ODE

*OPIMA Macri nomina doctior*
*Duc in triumphum Calliope novum;*
*Det Fama bigas, & curuli*
*Anteat famulata plauſu.*
*Audire Pindum jam videor ſuis*
*Altè canorum rupibus evehi;*
*Feſtoque reſpondere cantu*
*Saxa notis, etymiſque vocum*
*Inciſa. Sacri lux Onomaſtici*
*Emerſit umbris. Nulla Aboriginum*
*Commenta Patrum, nulla Grajo*
*Sphinx, Latiove recalva vultu*
*Fallit legentes: ſcilicet horrido*
*Inculta ſi quid barbaries ſtylo*
*Chartis inuſſit: ſi quid ætas*
*Implicuit rudis obſoleto*
*Sermonis uſu: ſi quid inertibus*
*Scripſere normis Myſtologi abſonum,*
*Obſcurum, inauditumque terſis*
*Ingeniis, patet evoluto*
*Impune ſenſu. Zoile lividum*
*Exerte dentem ringeris? o pudet*
*Roſis characterum lituris*
*Quiſquilias, Apinaſque putri*
*Crepare bucca, & grammatica novas*
*Ex fæce furtim promere voculas.*
*Supina ne ſtertant vel Acci*
*Carmina, vel gravioris Enni;*
*Ne potus olim quæ Cato tuſſiit*
*Semeſa, tandem diſpereant, in hoc*
*Deſudat anceps ſyllabarum*
*Hæc Marathon male feriatis.*
*Abite Momorum otia. Quid juvat*
*Fregiſſe glandem, & litterula brevi*
*Monſtrum recudiſſe, atque hiatu in-*
*genti acidas vomuiſſe bullas?*
*Divinorum arcana voluminum*

*Diſcenda ſolers pietas docet,*
*Cœleſtis indagare Stoæ*
*Prima ſuis elementa formis:*
*Quid ſenticoſa* * *Tullius Africa*
*Oblique acutis rictibus egerat:*
*Quid Gothica preſſi notarint*
*Illuvie Chronici labores.*
*Sepulta pigro biblia pulvere*
*Jam viva comit Gratia. Stat Venus,*
*Honoſque ſopitis in umbra*
*Rebus,* * *Anaſtaſiique pandet*
*Minerva peplum candida. Novimus*
*Sylveſtrium deſerta vocabula*
*Aſceticis cantata ſpelun-*
*carum adytis, nemorumque Myſtis.*
*Reducta ſpes eſt mentibus abditos.*
*Nili ſuſurros, atque Arabum gryphos,*
*Rituſque, & interciſa certis*
*Verba loqui Solymæa punctis.*
*Quæcunque Romæ ſanxerit arbitræ*
* *Cortina, inoffenſo legimus pede.*
*In plana reductæ reſidunt*
*Jam ſalebræ, facilemque curſum.*
*Impexa librorum emicat omnium*
*Labore Macri ſyntheſis. O potens*
*Supra Oedipos! o multiformis*
*Phoſphore non obiture linguæ!*
*Obliviosæ non ego te feram*
*Pallere Lethen. Nominis & tui*
*Dicere videx, & Theori*
*Eloquii meritus triumphos.*
*Te prima doctæ gloria Purpuræ,*
* *Brancatiorum gloria faſcium,*
*Orbique Præſul ſat regendo*
*Sæpe oculis leget eruditis.*
*Non ille, quamquam pro fide Romula*
*Legum verendarum arbitriis vacat,*
*Te negliget, prudens in omnes*
*Palladis invigilare curas.*
*Te litterati ſedulus otii*
*Volvet* πάρεργον, *cum Latiis modum*
*Subſelliis ponit, ſuiſque*
*Totus amat ceciniſſe Muſis.*
*Quo nitor audax? non humilis decet*
*Heroa cantus, quem Polyhymnia*
*Summa coronandum thiara*
*Dulce canet meliore plectro.*

* Tertullianus.

* Bibliothecarius.

* Congregatio Rit.

* Franciſ. Maria Cardinal. Brancat.

BE-

# BENEVOLO LECTORI
## STEPHANUS SCIUGLIAGA
### In Garmogliesi
## S.

QUum primum id muneris ſuſcepi, ut hujus Typographiæ Balleonianæ negotia, ampliſſimaſque res gererem; in eo potiſſimum mihi elaborandum eſſe cognovi, ut Editiones librorum, quoad fieri poſſet, limatæ, ac emendatæ prodirent: quod partim diligentia, partim tempore, & perfici poſſe ſentio, & me perfecturum haud deſpero. At in ea tempora incidi, quibus maximo litterariæ rei, & ſtudioſorum hominum detrimento, turpis quædam conſuetudo inter Bibliopolas invaluit; additionibus, quæcumque eæ ſint, tenebras potius quam lucem primigenis Scriptorum Libris ea mente offundere, ut emptores novitatis ſpecie deceptos, ad nova exemplaria comparanda alliciant: in quo, neque honeſtatem laudare poſſum, neque utilitatem ſatis deprehendere. Hac tamen lege vivendum eſt, donec, vel honeſtas vincat Bibliopolarum avaritiam, vel impudentia eorum, qui victum ſcriptitando quæritant, contemptu & ſibilis coerceatur. Quis enim ferat primigenia Clariſſimorum Hominum exemplaria, auſibus avari calami, ea eruditione impune infici, qua rotundis quadrata permiſceantur, primuſque Auctoris ſcopus in tranſverſa trahatur? Verum enim vero, cum novam hanc Hierolexici Dominici Macri editionem meditarer, ſenſi neceſſum eſſe ſcenæ ſervire, & novo additamento aliquo illam exornare. Quapropter operis curam viro cuidam demandavi, qui ſe, tum ad hæc, tum ad majora aptum paratumque profitebatur. Spes tamen me fefellit; cum ſciolus ille, ne quidem latine ſcribere noſſet. Variam porro & multiplicem vocabulorum congeriem, multigenis figuris, ex Lexicis cujuſcunque generis effoſſam, vulgari ſermone concinnaverat. At cum, nec editionem differre, & procraſtinare poſſem, nec vulgaria Latinis immiſcere placeret, neque a primigeno auctoris propoſito aberrantem eruditionem in Hierolexicon intrudere, aptum videretur, farcimen illud conſarcinatori ſuo reliqui, & nullus dubito, centonem illum conductitio calamo latine redditum litterarias nundinas aliquando aucturum. Verum ne editio iſta, ſine uſitato additionum fuco prodiret, id oneris mihi ſuſcipiendum eſſe, duxi; ita tamen, ut neque conſuetudini deeſſem, neque Tibi, Benevole Lector, nubem pro Junone, ut ajunt, amplectendam offerrem. Omnis enim in eo fui, ne quid a Macri propoſito alienum inferrem, ſed, vel ab ipſo contracte dicta, fuſius illuſtrarem, vel ea tantummodo adderem, quæ ad inſtitutum facere videbantur. Singula vero, quæ a me vel addita, vel illuſtrata ſunt aſteriſco diſtinxi, ut cuique laboris ſui laus integra maneret. Multa equidem extra aream addi poterant, ſed mihi juſto volumine opus erat, ne Tibi, Humaniſſime Lector, vel Libri pretio gravis, vel inani vocabulorum, ad profana potius, quam ad ſacra pertinentium, copia moleſtus evaderem. Æquum itaque Te mihi præſta. Vale.

NOI

# NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del *P. F. Filippo Roſa Lanzi* Inquiſitor General del Santo Officio di Venezia, nel Libro intitolato *Illuſtrationes, & additiones MSS. Hierolexico Dominici Macri inſerendæ &c. cura, ſtudio & labore Stephani Sciugliaga*, non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi concediamo Licenza agl' Eredi Baglioni Stampator di Venezia, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 13. Settembre 1764.

( Angelo Contarini Proc. Rif.

( Alviſe Vallareſſo Rif.

( Franceſco Moroſini S°. K. Proc. Rif.

Regiſtrato in Libro a Carte 215. al Num. 1266.

*Davidde Marcheſini Seg.*

INDEX

# INDEX
## CRITICUS
## AUCTORUM, SEU CODICUM,
### Qui in hoc Opere notantur.

R. Abraham Aben-Ezra. Vide *Theraphin*.
Abrahamus Bzovius. Vide *Manſur*.
Acta Apoſtolica, cap. 15. Vide *Suffocatus*.
Ado Viennenſis a Baronio colligitur. V. *Placoton*. Sed defenditur ab Auctore. V. *Platonia*.
Adrianus, ſeu Franciſcus Junius. Vide *Cippas*. *Diœceniſmus*. *Dominica Orthodoxiæ*. *Exocatocœli*. *Protonotarius*.
S. Agnetis paſſio. V. *Superdico*.
S. Agobardus Abbas. V. *Saccatum vinum*.
Alba ſpina. V. *Viaticum*.
Albertus Canalis. V. *Francia*.
Albertus Caſtellanus. V. *Anchona*.
Albertus Krantzius. V. *Palmarum feſtum*.
Albinus, ſive Alcuinus. V. *Gloria in Excelſis Deo* &c.
Aldhelmus. V. *Cruciola*. *Fibramen*. *Inormis*. *Taborum*.
Aloyſius Lipomanus. V. *Primicerius*.
Alphonſus Ciacconus. V. *Draconarius*.
Alphonſus Toſtatus. V. *Satrapa*. *Scenopegia*. *Evangelium*. *Suffocatus*.
Amalarius Trevirenſis. V. *Compegi*.
D. Ambroſius. V. *Benedictio*. *Dignitoſus*. *Gyrum*. *Hoſanna*. *Libera*.
Ambroſius Calepinus. V. *Aſcopera*. *Aſprum*. *Chryſocolla*. *Conniventia*. *Helix*. *Hero-Hoſanna*. *Laniſta*. *Liſta*. *Manico*. *Nympha*. *Nyſus*. *Obrizum*. *Opinoſus*. *Pancreſta*. *Penula*. *Poſtumo*. *Praſinus*. *Spoliarium*. *Strigoſitas*. *Subverbuſtus*. *Suffocatus*. *Superdico*. *Teſtitrahus*. *Thallophorus*. *Thirſi*. *Trica*. *Trogulus*. *Tzacon*.
*Voratrinus*. *Zeta*. *Zetarius*. *Zizania*. Anaſt. Biblioth. Vide *Antarta*. *Antipemtum*. *Clamaterius*. *Cypſinus*. *Enophotius*. *Exafoci*. *Faſtella*. *Lithoparius*. *Machinor*. *Mauſoleum*. *Palergium*. *Panaclyſtus*. *Paſchnion*. *Sclarium expoſitionis*. *Sphæriſterium*. *Tracala*. *Triafata*. *Trimma*. Princis loco Principis. V. *Velum*. *Umbilicus*. *Vetarea*.
Andreas Alciatus. V. *Agapæ*. *Peræquator*.
M. Angelus Accariſius. V. *Archigerontes*. *Calo*. *Limenarcha*.
Angelus de Nuce. V. *Synelites*.
Angelus Rocca. V. *Birrus*.
D. Anſelmus. V. *Paratio*. *Penula*.
Antiochus. V. *Cauſon*.
Antonius Auguſtinus. V. *Ergaſterium*. Antonius Boſius Melitenſis, quem Romanum ejus Operum impreſſores falſo fuiſſe aſſerunt. V. *Cœmeterium*.
Antonius Dadinus. V. *Gyrum*. *Paſtellus*. *Surtaria*. *Tenor*. *Trepedica*.
Antonius Salmaſius. V. *Periodeutis*. *Seu*.
Arnobius. V. *Lancino*. *Salapitta*.
Appion Gramaticus. V. *Sabbatum*.
Arnoldus de Villanova. V. *Inquiſitio*.
Audomarus Talaeus. V. *Strigoſitas*.
D. Auguſtinus. V. *Cœleſtis*. *Carago*. *Confeſſio*. *Epiurus*. *Hierodion*. *Homouſion*. *Hymnus*. *Jejunium*. *Minutalarius*. *Montanus*. *Pariatio*. *Piurus*. *Prinus*. *Piſticus*. *Polytheja*. *Propolarius*. *Propolium*. *Sacellum*. *Subito*. *Suffocatus*. *Theopropria*. *Typhus*. *Verboſinor*. *Vigilia*. *Vinhauria*.
B. Aldus. V. *Homologus*.
Bartholomæus Caſſaneus. V. *Cancellarius*.

Bar-

Bartholomæus Gavantus. V. *Stola*.
S. Baſilius. V. *Viaticum*.
Beda. V. *Octava*. *Peregrinor*. Ejus Interpres. V. *Familia*. *Tebeth*.
Bernardinus Morellus. V. *Symbolum*.
Benedictinorum Regula. V. *Mixtum*. *Sympætes*. *Temporius*.
Benvenutus Imolenſis. V. *Nicolaitæ*.
Bibliæ Sacræ Arabicus, Græcus, & Syriacus Textus. V. *Penula*. Eccleſiaſt. cap. 24. V. *Dyriox*.
Bibliothecæ Sanctorum PP. Auctor. V. *Suffocatus*.
Bigonius. V. *Farinarium*.
S. Bonifacius. V. *Caragus*.
Boninus Mombritius. V. *Togala*.
Bracarenſe Concilium. V. *Granus*.
D. Birgittæ vita. V. *Grunna*.
Bullar. Caſinenſe. V. *Teloneum*.
Burcardus Vormatienſis. V. *Suffocatus*.

CÆſar Cardin. Baronius. V. *Alabaſtrum*. *Camelus*. *Candaces*. *Catatumba*. *Cœmeterium*. (Idem male intellectus. V. *Eulogia*.) *Fidicula*. *Herma*. *Hermogeniani*. *Hypante*. *Iconomachus*. *Mitra*. *Palmatinæ*. *Pariſim*. *Penula*. *Pedibulum*. *Pſachnion*. *Scholaces*. *Suffocatus*.
S. Cæſariæ Regula. V. *Vibrinus*.
Cæſarius Heiſterbarhenſis. V. *Levator*.
Camaldulenſium Regula. V. *Mixtum*. Eorum Chronica. V. *Diſcapia*.
Camillus Peregrinus. V. *Arcatura*.
Caninus. V. *Camelus*.
Canones. V. *Diptychum*. *Mollities*.
Carolus Guyetus. V. *Annotinum paſcha*.
Caroli Magni Conſtitutiones. V. *Copula*.
Carolus Sigonius. V. *Fidiculæ*. *Tracala*.
Carulephi Vita. V. *Fabana*.
Catellianus Cotta. V. *Camelus*. *Coſma*. *Epitimium*.
Cedrenus. V. *Dialogus*.
Cencius Camerarius. V. *Fialarius*.
Chriſtianus Lupus. V. *Paſtellus*.
Chriſtophorus Marcellus. V. *Pallium*.
Chronica Cameracen. Eccleſiæ. V. *Diſcapia*.
Chronica Caſinenſis. V. *Katapapa*. *Synelites*.
Cicero. V. *Laguncula*. *Caprarius*.
Claudius Salmatius, V. *Albula*.
Codex de Vet. Jur. Enuclean. V. *Paratitlum*.
Codex ejuſdem Juſtiniani. V. *Septimum*.
Codex in L. unica de Piſtoribus. V. *Mancipium*.
Codex in L. unica de ſtatu Urb. Rom. V. *Græcitas*.
Codex Theodoſianus. V. Theodoſianus Codex.
Cæremoniarum Magiſtri. V. *Amen*. *Tunicella*. *Velum*.
Concilium Antiochenum. V. *Hyperberetæus*.
Concil. Aurelianen. V. *Suffocatus*.
Concil. Bracan. I. V. *Granus*.
Concil. Conſtantinop. Quintum. V. *Meſalium*.
Concil. Illiberitan. V. *Superpoſitio*.
Conclaviſtæ recentiores. V. *Cornuta*.
Cornelius a Lapide. V. *Piſticus*.
S. Cyprianus. V. *Clydomenus*. *Delibratus*. *Mollities*. *Pejerarium*. *Stantes*. *Strator*. *Subciſſivus*.
S. Cyrillus Hieroſol. V. *Suffocatus*.

DAniel Propheta. V. *Sigma*. *Somnialia*.
S. Damaſus. V. *Cantus*.
R. David Kimki. V. *Theraphim*.
David de Pomis. V. *Papa*. *Paradiſus*.
Decretalium lib. 5. de regul. jur. V. *Quæſtio*.
Deſiderius Eraſmus. V. *Montani*. *Tricæ*.
Dionyſius Carthuſianus. V. *Lithoſtrotos*. *Peregrinor*. *Scrutum*. *Theraphim*.

EPiphanius Anachoreta. V. *Montani*.
Eugenii Papæ Bulla. V. *Majoriſſa*.
Euſebius Cæſarienſis Apocryphus, & Arii propugnator. V. *Suffocatus*.
Euſebius Emiſſenus, ejus ſcripta. V. *Halabarches*. *Extaticum*.

FErdinandus Ughellius. V. *Exarchatus*.
Flavius Blondus. V. *Judex*. *Papa*. *Secundicerius*.
Flodoardus. V. *Eſox*. *Lancino*. *Pigneram*.
Floravantes Martinellus. V. *Schola Græcorum*.
Franciſcus Junius. V. Adrianus Junius.
Franciſcus Lucas. V. *Piſticus*.
Franciſcus Petrarcha. V. *Zarabottana*.
Franciſcus Quareſmius. V. *Laura*.
Franciſcus Card. Tolet. V. *Jejunium*.
Fran-

Franciſcus Maria Torrigius. V. *Argaſterium. Cappa. Sanguitta.*
Franciſcus Turrianus. V. *Benedictio beatica. Suffocatus.*
Franciſcus Card. Zabarella. V. *Cancellarius.*
Fœlix Fœlicius. V. *Zizania.*
Fœlix Nicolius. V. Hieronymus Romanus.
Fulbertus Carnotenſis. V. *Falcaſtrum.*
Fulgentius. V. *Entaticus.*

Gabriel Prateolus. V. *Lolliardi.*
Georgius Venetus. V. *Paradiſus.*
Gerardus Jo: Voſſius. V. Joannes Voſſius.
S. Gildæ Vita. V. *Lanna. Prorſus.*
Gloſſa Bibliæ ordinaria. V. *Peregrinor.*
Gloſſator Canonum. V. *Annulus, Apocriſarius, Cardinalis, Carena, Cœmeterium, Chriſma, Confeſſio, Corporale, Crimen, Degrandinor, Dextera, Diœceſis, Diptycum, Dogmatizo, Dogma, Ergaſterium. Fabulæ. Fidiculæ. Gageria. Garena. Gazophylacium. Goliardus. Heptateuchon. Judicium peregrinum. Miſſa. Mollities. Nicolaitæ. Neophytus. Nobiliſſimus. Ordo. Origeniani. Papa. Paſtellus. Perſonatus. Plegaria. Prædium. Protonotarius. Quæſtio. Quinquageſima. Reddo. Regia. Sacellum. Siclus. Simultas. Subtilitas. Titulus. Velum profeſſionis. Viaticum.*
Gloſſator Juris Civil. in l. 1. Cod. de excuſ. art. V. *Petalergos. Sajo. Siliqua.*
Gordianus. V. *Francia.*
Græci Scriptores. V. *Dialogus.* Græcus Ritus. V. *Epiphania. Sticarium. Suffocatus. Viaticum.*
Grammaticorum recentiorum error. V. *Paſcha.*
Gratianus Monachus. V. *Capitulum. Coepiſcopus. Palea. Papa. Phylacteria. Præfatio. Subdiaconus.*
D. Gregorius Papa. V. *Aſceterium. Caraxo. Colatum. Conduma. Elogium. Eulogia. Haſtula. Heptateuchum. Jaſtula. Oratorium. Polyptycum. Sabanum. Sparta. Teſtamenti pagina. Thia. Typhus.*
Gregorius Papa III. V. *Suffocatus.*
Gregorius Turonenſis. V. *Concides. Condium. Epilepticus morbus. Pignera.*
Gulielmus Budæus. V. *Hero. Lacus.*
Gulielmus Durandus. V. *Cœmeterium. Collecta. Laudes. Threnus.*
Gulielmus Tyrius. V. *Mega hetæriarcha.*
Gulielmus Xilander. V. *Aſpaticum.*

Hæretici Recentiores. V. In Proluſione Operis, §. At dum *mente, Adgeviculer. Ætiani. Figura. Globuli. Litania. Pœnitentiarius presbyter. Sandalia. Sellare. Suſurrium. Theophorus. Tractatum. Trophæophorus. Veſtes Sacræ.*
Haymon. V. *Penula.*
Henricus Spelmanus. V. *Samitus. Taborum.*
Henricus Caniſius. V. *Grunna.*
Henricus Stephanus. V. *Dioryx. Revadio. Spatalium.*
Hermolaus Barbarus. V. *Zeta.*
D. Hieronymus. V. *Camelus. Colimpha. Curatio. Diaconus. Gehenna. Gloria Patri &c. Golgotha. Herodion. Labena. Penula. Phariſæus. Publicanus. Spathiſter. Troſſulus.*
Hieronymus Dandinus. V. *Nolarium.*
Hieronymus Fabri. V. *Cubiculum. Exarchatus. Pallium.*
Hieronymus Herculanus. V. *Chriſtianus. Semixius.*
Hieronymus Romanus, ſive Fœlix Nicolius. V. *Matutinum.*
Hieronymus Rubeus. V. *Exarchatus.*
Hilarius. V. *Hoſanna.*
Honorius. V. *Synelites.*
Honufrius Panvinus. V. *Campana. Zophorus.*
Hugo Cardinalis. V. *Lithoſtrotos. Paraſceve. Peregrinor.*
Hugo Menardus. V. *Suffocatus.*

Jacobus Albertus. V. *Homologus.*
Jacobus Billius. V. *Pœnitentiarius presbyter.*
Jacobus Cujacius. V. *Halabarches. Zeta.*
Jacobus Dalecampius. V. *Cantabrum.*
Jacobus Pamelius. V. *Chriſtianus. Cippus. Erogo. Febricitas. Pallium. Pejerarium. Pendere ſententiam. Spatalium. Thamnus.*
Jacobus Sirmondus. V. *Cervula. Homunciopiſtæ. Pſachnion.*

Jaco-

Jacobus Thuanus. V. *Haliæetûs.*
Janſenius. V. *Palmarum feſtum.*
Joachim Abbas. V. *Firmaculum.*
Joannes Andreas. V. *Cauterium.*
Joannes Balæus. V. *Globuli.*
Joannes Beleth. V. *Threnus.*
Joannes Bollandus. V. *Pedibulum.*
Joannes Bapt. Paulinus. V. *Schola Græcorum.*
Joannes Card. Bona. V. *Completorium.*
Joannes Caſſianus. V. *Jejunium. Mænidia. Menazontes. Paracaragmum. Theoreticus.*
D. Joannes Chryſ. V. *Penula. Synoris.*
Joannes Citrius. V. *Archidiaconus.*
Joannes Dalleus. V. *Theophorus.*
D. Joannes Damaſcen. V. *Antityphon.*
Joannes Diaconus. V. *Epitimium. Heptateuchum. Niblatus.*
Joannes Druſius. V. *Gehenna.*
Joannes Frontonus. V. *Duplex.*
Joannes Garzias. V. *Gramalla.*
Joannes Glandorpius. V. *Tracala.*
Joannes Heſturgus. V. *Piſticus.*
Joannes Ludovicus de la Cerda. V. *Gannatura. Gutteria. Indentor. Iuſloro. Interibitis. Paxillo. Præfectini. Thymelicus. Trepedica.*
Joannes Mabbilon. V. *Nymphæum.*
Joannes Meurſius. V. *Acupictile. Boja. Monobambylum. Panagia. Solea. Taborum.*
Joannes *Nauclerus.* V. *Communio.*
Joannes Picus Mirandulanus. V. *Sadducæus.*
Joannes Sariberienſis. V. *Nocticula.*
Joannes Spondanus. V. *Thamus.*
Joannes Stephanus Menochius. V. *Linguata.*
Joannes Voſius. V. *Colliſtrigalis. Diſconfitura. Marcharizatus. Marritio. Sæcularitas. Spatalium. Trepedica.*
Joſeph Maria Suareſius. V. *Tracala.*
Joſeph Scaliger. V. *Onocrotalus.*
Joſeph Vicecomes. V. *Narthex.*
Iſaacius Caſaubonus. V. *Albula. Antidoron. Biothanatus. Litania.*
Iſacius Aubertus. V. *Aſteriſcus.*
Iſidorus. V. *Bardariotæ. Cupha. Dorſenus. Epiurus. Hydraulus. Notorium. Nibita. Norax. Pazamarium. Phagoliodorus. Tegularia. Ticinyna.*
D. Juliani Acta. V. *Ciſtelium.*
Julius Papa Primus. V. *Thyphus.*
Ivo Carnotenſis. V. *Eunuchizo. Ptoohotrophium.*
Juſtinianus Imp. V. *Homologus. Græcitas.*
Juſtus Lipſius. V. *Laniſta. Majuma.*

LAmpridius. V. *Penula.*
Latinus Latinius. V. *Thamnus.*
Laurentius Surius. V. *Cantabrum. Ceraunobola. Communio. Primicerius. Surtaria.*
Laurentius Valla. V. *Fidiculæ.*
Leo Alatius. V. *Schinus.*
Leo Oſtienſis. V. *Ambo.*
Leo Papa primus. V. *Regenerandus.*
Lex de obligat. votor. & l. univerſo. V. *Obriziati.*
Lex Salica. V. *Collocare ſolem. Vertebolum.*
Lex in ff. ver. tom. 1. lib. 19. tit. 2. l. 34. ſive 31. V. *Hero.*
Lex ſi quis ſervus, de manumiſſ. V. *Impans.*
Lex ſi contigerit, qualiter quis ſe defendere debet. V. *Confabulatus.*
Lex Viſigothorum. V. *Novecupulum.*
Lex Divus, ff. de bon. Dam. V. *Ventralis.*
Liturgiæ S. Marci Interpres. V. *Aſpaticum.*
Lucas Holſtenius. V. *Puduclo.*
Lucifer Calaritanus Epiſc. V. *Coamens. Græcolonus. Monela.*
Ludovicus Cælius Rhodiginus. V. *Mitra. Zeta.*
Ludovicus Gomeſius. V. *Cancellarius.*
Ludovicus Paramus. V. *Inquiſitio.*
Luitprandus. V. *Drungarius. Tzacon.*

MAgdeburgenſes. V. *Reliquiæ. Suffocatus.*
Magiſter in ejus regula monaſtica. V. *Manuariolum.*
Magiſtri Cæremoniarum. V. Cæremoniarum Magiſtri.
Marculphus Monachus. V. *Elitigatus.*
Marcus Vitruvius. V. *Hero.*
Marcus Vvelſerus. V. *Euva.*
Martini Papæ I. Bulla. V. *Theatrapus.*
Martinus Luterus. V. *Suffocatus.*
Martyrologium Roman. vetus. V. *Synoris.*
Matthæus Pariſius. V. *Corradium. Opirus. Trogulus. Vvarda.*

Mat-

Matthæus Raderus. V. *Buricus*.
D. Maximi Vita. V. *Endotys*.
Melchior Canus. V. *Pœnitentiarius preſbyter*.
Michael Juſtinianus. V. *Schinus*.
Micrologus. V. *Gloria in excelſis Deo*.
Minutius Fœlix. V. *Suffocatus*.
Modeſtinus. V. *Epitimium*.

NIcetas. V. *Paradiſus*.
Nicolaus Lyranus. V. *Hypocrita*. *Peregrinor*. *Quaternio*. *Theraphim*.
Nicolaus Salderus. V. *Necorus*.
Nicolaus Pagaomenus. V. *Schinus*.
Nonnus. V. *Congener Chriſti*.

ODericus Rinaldus. V. *Cœnobium*. *Conceptio B. M. V.* *Ordo*.
Ordo Officii. V. *Octava*. *Hymnus*. *Reſponſorium*. *Symbolum*.
Ordo Romanus. V. *Heptaticum*.
Origenes. V. *Camelus*. Qui duos Origenes extitiſſe malè crediderunt. V. *Adamantius*. Ejus opus malè traductum. V. *Periarchon*. Terminus ipſius à recentioribus Hæreticis malè interpretatus. V. *Figura*. *Spathiſter*. A Græcis corruptus. V. *Suffocatus*.

D. Pachomius. V. *Pavulæ*.
Palea, in dict. *Palea*.
Palladii Interpres. V. *Grutaria*.
Pandulphus Cardinalis Piſanus. V. *Secundicerius*.
Paralipomenon; lib. 2. cap. 2. V. *Arceuthinus*.
Paris de Graſſis. V. *Cœnobium*.
D. Paulinus. V. *Diatreta*.
Paulus Diaconus à Baronio correctus. V. *Placoton*. Sed defenditur ab Auctore. V. *Platonia*. *Scritoboni*. *Strator*. *Tubracus*.
Paulus Jovius. V. *Eſox*.
Petrus Bleſenſis. V. *Scufa*. *Sudarium*.
Petrus Bulingerius. V. *Confeſſio*. *Regia*.
Petrus Caniſius. V. *Grunna*.
Petrus Chryſol. V. *Heptaliſmus*. *Septemplico*.
Petrus Damianus. V. *Echina*. *Manico*. *Noo*. *Sinſtris*.
Petrus Lombardus. V. *Acolutus*. *Symbolum*.
Pharanzes Interpres. V. *Monobambylum*.
Philaſtrius. V. *Herodiani*.
Philippus Labbè. V. *Palea*.
Philo Hebræus. V. *Paradiſus*.
Pictorum error. V. *Clavatum*.
Plinius. V. *Eſox*. *Gabbara*. *Horo*. Ejus textus mendoſus, ubi *Uva* pro *Vulva*, atque *Pancratium* pro *Panchreſtos*. V. *Panchreſta*. *Stacte*. *Synelites*. *Zeta*.
Plutarchus. V. *Sabbatum*. *Scenopegia*.
Polidorus Virgilius. V. *Bulla*. *Campana*. *Canonizatio*. *Hida*. *Horæ Canonicæ*. *Papa*.
Pompejus Ugonius. V. *Scalægemoniæ*.
Poſtillator Canonum. V. *Nicolaitæ*. *Paradiſus*.
Præconium Paſchale. V. *Paſcha*.
Prudentius. V. *Dittochæum*. Ejus Correctores: V. *Hymniſta*. Prudentius perperam à Lipſio objurgatus. V. *Laniſta*. Prudentii codex mendoſus. V. *Nama*. *Seps*. *Virginal*.
Pſellius. V. *Paradiſus*.

QUintilianus. V. *Fidiculæ*.

RAbbini. V. *Camellus*.
Radulphus Flaviacen. V. *Breviarium*. *Capitulum*.
D. Raymundi Nonnati lectiones. V. *Cardinalis*.
Regula Monachalis. V. *Puduclo*.
D. Remigii Rhemenſis Epiſc. Teſtamentum. V. *Pedatura*.
Rhenanus. V. *Autumna*. *Cantabrum*. *Paganus*. *Verna*.
Robertus Cardin. Bellarminus. V. *Herma*.
Robertus Canalis. V. *Francia*.
Robertus Greygton. V. *Monobambilum*.
Robertus, ſive Rupertus Stephanus. V. *Cyprus*. *Dioryx*.
Robertus Valturius. V. *Zarabotana*.
Robertus Mendex Silva. V. *Rumigerulus*.
Rogerius Anglicanus hiſtoricus. V. *Protoſebaſtus*.
Reſviedus. V. *Langus*.
Ruffinus. V. *Periarchon*.

Sa-

SAlomon Svveigerus. V. *Epigonation*.
Schelmonis Jarbi Rabbinus. V. *Theraphim*.
Scriptores in genere. V. *Reliquiæ*.
D. Sebaſtiani Martyris Acta. V. *Cliothærium*.
Sebaſtianus Salelles. V. *Neophytus*.
Sex. Pompejus Feſtus. V. *Tracala*.
Sidonius Apollinaris. V. *Defruto*. *Trebax*.
Sigibertus. V. *Palmarum feſtum*. *Papa*.
Sigiſmundus Gelenius. V. *Schinus*.
Simon Metaphraſtes. *V. Primicerius*.
Smaragdus Abbas. V. *Sympaſtes*. *Veſperæ*.
Sozomenus. V. *Alleluja*. *Pœnitentiarius presbyter*.
S. Stephanus Papa IV. V. *Sartaria*. Strabo. V. *Stacte*.

TErtullianus. V. *Crepidulum*. *Delibratus*. Epulis, in dict. *Voratrinus*. *Effrico*. *Exautoratio*. *Febricitas*. *Gabbatha*. *Illiberi*. *Inuxora*. *Libacunculum*. *Oppaſſus*. *Paredrus*. Cruditando, pro eructando. *V. Ortygometra*. Ejus Interpretes. V. *Salapetta*. *Subciſſivus*. *Rupex*, *Suffocatus*. *Voratrinus*.
D. Theodoræ Virgin, & Mart. Acta. V. *Togala*.
Theodoſianus Codex, V. *Encauſtum*. *Strator*.
Theophylactus. V. *Gehenna*. *Penula*.
Theophylus Raynault. V. *Dominica mediana*.
Theophraſtus. V. *Penula*.
Theſaurus Linguæ latinæ. V. *Anquina*. *Poſthumo*.
Thomas Stilianus. V. *Verſus leoninus*.
Thomas a Vio Card. Cajetanus. V. *Palmarum feſtum*. *Quaternio*.
Troilus Malvetius. V. *Canonizatio*.
Typographorum error. V. *Conceptio*. *B. M. V. Hymnus*.

B. Veronicæ Vita. V. *Tragmata*.
B. Victor Uticenſis Epiſc. V. *Mappalia*.
Vigilius Tapſenſis Epiſcop. V. *Confeſſor*.
Vincentius Bellovacenſis. V. *Togala*.
Ulpianus. V. *Epiſtomium*. *Ermodicum*. *Exautoratio*. *Opiſthographum*.
Ulyſſes Aldrovandus. V. *Chryſocolla*. *Tetrao*.
Vocabularii Eccleſiaſtici Auctor. V. *Abyſſus*. *Agoniſma*. *Alipta*. *Anaglypha*. *Annulus*. *Apocryphus*. *Areopagus*. *Armilauſia*. *Bahem*. *Biothanatus*. *Boanerges*. *Catomis*. *Pagoliodorus*. *Onocrotalus*. *Ortygometra*. *Rheuma*. *Sicera*. *Symbolum*.
Vvernerus Rolevvink. V. *Papa*.
Vulgaris Romanorum Traditio, quòd Ædes DD. Columnarum fuiſſent Balnea Conſtantini Magni. V. *Conſtantis Imperatoris Palatium*.
Vvolſius. V. *Protoſebaſtus*.

ZAchariæ Papæ epiſtola. V. *Suffocatus*.
Zozimus Comes. V. *Tracala*.



HIE-

# HIEROLEXICON,

## SIVE

# SACRUM DICTIONARIUM.

## A

A Eſt nota comminatoria in Sacra Scriptura, & apud ejus Expoſitores, ut exempli gratia: [ Diſpone domui tuæ &c. Iſaiæ cap. 28. Adhuc quadraginta dies &c. Jonæ cap. 3. ] ubi littera A, præpoſita, a Græcis ἀπειλὴ, ideſt, comminatio vocatur. FR. Vide latius lib. 3. Biblioth. Sanctæ Sixti Senenſis. A, eſt etiam nota imperfectionis. Vide *Ephron*. Item ſignum abſolutionis. Vide *Pandecta*.

Ab. FR. dicitur quintus menſis hebræorum. Sherlogi Diatriba antiq. hebraic. lib. 2. diſſ. 4. ſect. 5. num. 29.

Abactus. FR. qui gregem abigit, vel patrem gregis. Gloſſ. in rubricam Gratian. poſt Can. Nullus introducitur, 4. quæſt. 4. §. Inſcriptio.

Abascantus, vox græca ἀβάσκαντος ſignificat ſcripturam, vel breve, quod ad collum appenſum ferebatur, & proprie rem abſque malignitate, ſeu invidia ſonat: hac voce uſus eſt Tertull. in opprobrium Valentinianorum hæreticorum, [ Hi nimirum ( inquiens ) cum animæ de corporibus exceſſerint, & per ſingula tabulata cœlorum de recepto deſpici cœperint, & interrogari arcana illa hæreticorum ſacramenta, tunc confitendum apud veras poteſtates, & veros homines, Taletos, ſcilicet, & Abaſcantos, & Acinetos Valentini: adverſ. Gnoſt. cap. 10. ] Ubi per *Taletos*, & *Acinetos* fabuloſa numina Valentinianorum intelligit, qui felicitatem, ac beatitudinem in certis numericis proportionibus reponebant, quas *Æones*, ideſt, ſæcula appellabant; nam αἰών græce ſæculum ſignificat. Harum Valentinianorum divinitatum idem Tertullianus longum catalogum texuit, quem videre licet penes Pamelium in ejus annot. ad d. Tertull. & nos brevitatis gratia relinquimus. Vide *Bulla*.

Abaudio. Inobedio, & audire renuo. [ Nec præceptum veſtrorum Tyrannorum principum exaudio, imo abaudio. In vita S. Nicephori mart. 9. Febr. ]

Abbas. Dignitas Monaſtica, quæ etiam hodie eſt inter Clericos ſæculares, ab hebraica voce, *Abba*, ideſt, Pater. Antiquitus magna ſolemnitate anniverſarium Abbatis penes Monachos celebrabatur: [ Una autem die anniverſaria, quando ordinatus eſt Abbas Monaſterii, de quo ſupra diximus, miſit Abbas unum de Fratribus ad Paphnutium, ut invitaret eum ad anniverſarium Abbatis. In vita S. Euphroſynæ. ] Uſus mitræ quo tempore inter Abbates habuiſſet principium, de hoc varii varia ſcripſere; aliqui volunt tempore Urbani II. Papæ de anno 1091. S. Petro Cluniacenſi Abbati primo conceſſam fuiſſe mitram; qui tamen ob humilitatem ea uti noluit. Alii multo ante, nimirum, S. Juſtinæ Patavinæ Abbati a Leone Nono Pontifice de anno 1040. conceſſam tradunt, quando, ſcilicet, ille Pontifex a ſua Montis Gargani peregrinatione rediiſſet, tunc in tranſitu Caſinenſis Monaſterii, ibique in Dominica Palmarum Sacrum Pontificaliter celebrans, ejuſdem loci Abbati, & ſucceſſoribus ſandaliis, dalmatica, chirothecisque in ſolemnibus celebrationibus induendi facultatem conceſſit, ut Auctor eſt Leo Oſtien. lib. 2. cap. 83. FR. Antiquior tamen hæc facultas in Bullar. Caſſ. tom. 1. conſt. 2. num. 2. reperitur, ibi enim legitur, quod IV. Kalendas Maji anno DXLIII. Theodorus Papa ad inſtantiam Rotharith Longobardorum Regis, & Gudibergæ Reginæ hoc privilegium Bobienſi Abb. confirmavit, quod antea ab Honorio I. conceſſum fuerat: ||. Nonnulli tamen

existimant Abbatialem Mitræ uſum anno milleſimo cœpiſſe, cum a Silveſtro II. Placentino Sancti Savini Abbati indultum fuiſſet; nihilominus hoc verum eſt, quod Bleſſenſis Petrus, qui floruerat anno 1200. valde admirabatur, Vvilelmum in Sicilia Monachorum Abbatem Pontificalia indumenta uſurpaſſe: [ Retulit mihi (inquiens epiſt. 90.) quidam Nuntius veſter, qualiter Dominus Papa vos Mitra proprii capitis, & aliis ornamentis Epiſcopalibus inſignivit. De benedictione gaudeo, ſed inſignia Epiſcopalis eminentiæ in Abbate nec approbo, nec accepto. Mitra enim, & anulus, ſandalia in alio, quam in Epiſcopo quædam ſuperba elatio eſt. ] Ex quibus aperte colligitur Pontificalia indumenta non fuiſſe illo ævo omnibus Abbatibus communia. Uti tamen debent baculo Abbates pendente velo, ad diſtinctionem Epiſcoporum. FR. Singulare eſt etiam Ciſtercienſis Abbatis indultum, qui ex conceſſione Innocentii Octavi ſub die 9. Aprilis 1489. poteſt ſacros Ordines conferre, Subdiaconatus, ſcilicet, & Diaconatus. Abbas Sancti Pauli Romæ ex privilegiis Innocentii Tertii ſub 13. Junii 1203. Honorii Tertii ſub 15. Maji 1218. Gregorii Noni 25. Februarii 1236. quando ordinatur Sacerdos a Papa, habet facultatem canendi Miſſam Pontificaliter in Patriarchico Altari ejuſdem Baſilicæ. Abbas non poteſt eſſe ex Preſbytero, vel Diacono ſæcularis Eccleſiæ. D. Greg. in Regiſt. lib. 3. cap. 11. ||. Abbates, qui habent uſum Mitræ ex conſuetudine a Sancta Sede approbata, ut graves adſtruunt Doctores, poſſunt nedum ſacras res, in quibus ſacra unctio non adhibetur, benedicere; ſed & calices, patenas, & Altaria portatila conſecrare. Quin cum licentia Ordinarii, & cum ſpeciali privilegio Apoſtolico poſſunt conferre Confirmationis Sacramentum. In collatione tamen minorum Ordinum ſac. Concilii Congreg. 23. Novembris 1641. facultatem tantum ad eorum ſubditos limitavit, addiditque ſuſpenſionis pœnam ordinantibus, & dimiſſoriales concedentibus. Diana part. 7. tract. 11. reſolut. 42. FR. Hæc tamen Abbatum facultas ordinandi a VII. Synodo conceſſa, ab Innocentio Tertio in cap. 11. de ætat. & qualit. ordin. confirmata fuit, atque de ea fit mentio in cap. 1. diſtinct. 19. in prima decret. parte; ibique Gloſs. ||. Limitantur etiam Abbatum facultates quoad benedictionem paramentorum, & ſimilia, nempe illa tantum, quæ propriis eorum Eccleſiis inſervire debent. Sac. Rituum Congreg. decretum a Gavanto ſub die 24. Auguſti 1609. relatum, quod ad inſtantiam Spoletani Epiſcopi innovatum ſub 30. Septembris 1628. Imo eadem Congregat. 28. Auguſti 1629. conſuetudinem, a Tamburino tom. 1. diſp. 22. quæſt. 2. n. 1. adductam, penitus derogavit. Abbates, qui habent uſum Baculi, & Mitræ, non poſſunt Eccleſias profanatas reconciliare, niſi cum aqua ab Epiſcopo benedicta. Idem Tambur. diſp. 23. quæſt. 10. In ſacris ſolemnibus haud debent in Altari habere ſeptem candelas accenſas, cum hoc ſolum Epiſcopis conceſſum ſit. Sac. Congreg. Rit. 29. Januarii 1628. Vide *Candela*. Eademque denuo die 27. Septembris 1659. coram fel. mem. Alexandro Papa VII. habita ad inſtantiam bo. mem. Card. Brancatii, & ſeptima jam dicta candela eis ablata, & minute Pontificaliter celebrandi modus præſcriptus fuit, pluribus abuſibus ablatis. FR. Eruditiſſima quidem præfati quondam Domini mei Cardinalis Eminentia pie, ac laudabiliter in mellifluis Div. Bernardi verbis fundavit inſtantiam, qui ep. 42. ad Henericum Senonen. Archiep. ſic Monachos Abbates objurgat: [ Verum aperte indicant quidam horum quid cogitent, dum multo labore, ac pretio Apoſtolicis adeptis privilegiis, per ipſa ſibi vendicant inſignia Pontificalia, utentes & ipſi more Pontificum, mitra, anulo, atque ſandaliis: ſanè ſi attenditur rerum dignitas, hanc Monachi abhorret profeſſio; ſi miniſterium, ſolis liquet congruere Pontificibus &c. ] Abbates exempti, qui habent uſum mitræ &c. Mitris tantummodo aurifriſiatis, non tamen aureas, vel argenteas laminas, aut gemmas habentibus uti poſſunt. Non exempti vero ſimplicibus, & albis planis utantur, de privil. in ſexto, cap. 6. Quoad eorum præcedentiam, dicendum eſt eos habere locum poſt Epiſcopos tam in ſeſſionibus, quàm in ſubſcriptionibus; licet Vener. Beda in hiſtor. Angl. lib. 3. cap. 4. referat, nimirum: [ Habere autem ſolet ipſa Inſula Rectorem ſemper Abbatem Presbyterum, cujus juri & omnis Provincia, & ipſi Epiſcopi ordine inſtituto debeant eſſe ſubjecti. ] Hoc tamen privilegium S. Columbani Abbatis ſucceſſores habere meruerunt, ex eo quia Britanniæ Apoſtolus ille fuerat. Vide *Baculus*. In Canone Miſſæ non fit mentio de Abbate. Vide *Canon Miſſæ*.

* Abbates. Sic dicti a Græco vocabulo Ἀββᾶ, quod *patrem* ſignificat; & *Hegumeni*, hoc eſt *Præſides*, & *Archimandritæ* a *mandra*, *ovili*; quod eſſent ſacrorum in Eccleſia gregum, ideſt Monachorum, cuſtodes vel doctores. || Abbates, tum propter divinorum officiorum adminiſtrationem, tum diſciplinæ exercitium, plerique e Preſbyterorum erant ordine; eorumque poteſtas inſignis admodum erat. Quamvis enim abſoluta & ſine limitibus non eſſet, raro tamen vel numquam ab inferioribus in controverſiam vocabatur; quandoquidem ex obſervatione *Hieronymi*, Ep. 22. ad Euſtoch. *prima apud eos confœderatio erat, obedidire majoribus, & quidquid juſſiſſent facere*. Et ſi quis ab Officii ſui præſcripto dedita opera deflexiſſet, penes *Abbates* poteſtas erat pœnas tum ſpirituales, tum corporales infligendi. Pœnæ ſpirituales cenſuræ erant eccleſiaſticæ, Euchariſtiæ & Sacrorum omnium interdictio. Id ex diverſis *Caſſiani*

ſiani locis apparet, ubi narrat, *Inſtitut.* l. 2. c. 16. Monachos ab *Abbate* Eccleſia expulſos, reliquiſque cum ipſis precari interdictum, uſquedum in terram, ſubmiſſe acta pœnitentia, proſtratos, *Abbas*, delicti veniam impertiendo, univerſis fratribus publice reconciliaſſet. Speciatim de *Paphnutio*, Abbate in *Scethi* tradit, *Collat.* 2. c. 5. quod nomen Monachi cujuſdam ex diptychis Eccleſiæ deleverit, ab eoque vix potuerit obtineri, ut in oblatione pro iis, qui in domino quieſcunt, fieri ſolita ejus injiceretur mentio, eo quod Satana inſtigante ipſe ſe interfeciſſet, qui velut Angelus lucis ipſi viſus perſuaſerit, ut ſe ipſum in puteum præcipitem daret. *Socrates*, l. 4. c. 23. de ſimili poteſtate in *Arſenio* loquitur, qua ipſum hoc diſcrimine uti conſueviſſe perhibet, ut juniores Monachos, qui deliquiſſent, a communione minime ſepararet, ſed eos, qui provecta eſſent ætate: dixiſſe enim, juniorem Eccleſia pulſum contumacem fieri, ſeniorem vero cito excommunicationis dolorem ſentire, & emendari. Corporales pœnas *Caſſianus* duas haſce fuiſſe narrat, *Collat.* 2. cap. 16. plagas & expulſionem; & crimina, ob quæ infligi hæ ſolitæ fuerint, enumerat. *Palladius* etiam, *Hiſt. Lauſiac.* cap. 6. flagelli Monachorum mentionem facit, *in monte Nitria*, inquiens, *una eſt maxima Eccleſia, & in ipſa Eccleſia ſunt tres palmæ, ex quibus unaquaque habet flagellum ſuſpenſum. Eſt enim unum quidem ad caſtigandos Monachos, qui delinquunt: alterum vero ad puniendos latrones, ſi quando inciderint: tertium vero ad corrigendos eos, qui forte veniunt, & in aliqua delicta incidunt. Adeo ut quicunque convincuntur meruiſſe, ut dent pœnas, palmam amplectantur, & tergo plagas præfinitas accipiant, & ſic dimittantur.* || Abbates magnæ erant exiſtimationis in Eccleſia. Sæpius enim ad Concilia invitabantur, & ſedendi ac ſuffragii ferendi habebant privilegium. Ita (ut ex codice Bibliothecæ Vaticanæ refert *Antonius Scipio* Monachus *Caſſinenſis*) SS. Patriarcha *Benedictus* a *Bonifacio* II. ad Synodum *Romæ* anno DXXXI. celebratam evocatus eſt, eo majorem Synodo auctoritatem præſentia ſua conciliaturus. Idem privilegium ipſis in Concilio *Conſtantinopolitano* ſub *Flaviano* ann. CCCCXLVIII. conceſſum legimus, ubi vigintitres Archimandritæ una cum triginta Epiſcopis condemnationi *Eutychis* ſubſcripſerunt, uti ex iſtius Concilii fragmentis Concilio *Chalcedonenſi*, Act. 1. inſertis liquet. || Quamvis autem talis poteſtas, & privilegia *Abbatibus* eſſent donata, tamen & ipſi, & eorum Monaſteria, iis temporibus, locorum Epiſcopis per leges cum eccleſiaſticas, tum civiles, ſubjiciebantur. Quod ad leges eccleſiaſticas attinet, duos habemus hujus argumenti canones in *Chalcedonenſi* Concilio, *Can.* 4. *Tom.* 4. quorum prior omnes Monachos, tam in civitate quam in agris degentes, Epiſcopo ſuo ſubjectos eſſe, nec ulli negotio ſacro, vel civili, extra Monaſterium ſuum ſeſe immiſcere jubet: niſi venia, urgente aliqua neceſſitate, ipſis conceſſa fuerit. Et ſi quis obſequium denegaret, poſterior canon excommunicationem minatur. Eadem mandata legi poſſunt in Concilio *Aurelianenſi* I. c. 19. *Abbates pro humilitate religionis in epiſcoporum poteſtate conſiſtant; & ſi quid extra regulam fecerint, ab epiſcopis corrigantur.* Eadem in *Agathenſi*, Can. 38. *Ilerdenſi*, c. 3. & aliis, quæ *Abbates*, non minus quam Monachos, Epiſcoporum curæ & diſciplinæ ſubjiciunt. Per leges civiles porro in codice *Juſtiniani* ita ſancitum eſt: *Monaſteria degunt, ſeu cenſentur ſub Epiſcopis territoriorum ſuorum, & Abbatum quidem curam gerunt Epiſcopi*; l. 1. *tit.* 3. *de epiſcop. leg.* 40. Et in quadam ipſius Novella electio *Abbatum* in poteſtate Epiſcopi ponitur, *Novel.* 5. cap. 9. Et alia quadam lege, *Conc. Chalced. can.* 4. *& Conc. Agath.* c. 58. cautum eſt, ne qua nova cella, aut Monachorum congregatiunculæ inſtituantur, niſi conſentiente Epiſcopo, ad cujus juriſdictionem pertineant. || *Beda* quodam in loco, *Hiſtor.* l. 3. c. 4. de *Huya* inſula, deque Monaſteriis in ea a *Columba* extructis loquens, *habere ſolet*, inquit, *ipſa inſula rectorem ſemper Abbatem presbyterum, cujus juri & omnis provincia & ipſi etiam Epiſcopi ordine inuſitato debeant eſſe ſubjecti, juxta exemplum primi Doctoris illius, qui non Epiſcopus, ſed presbyter extitit & Monachus.* Sane hujuſmodi juriſdictio non leve negotium iis, quæ ſuperiori §. dicta ſunt, faceſſeret, ſed nihil inde incommodi. *Beda* enim de parva quadam *Scotiæ* parte, regione videlicet *Pictorum* ſeptentrionalium, quos *Columba* ad fidem *Chriſti*, temporibus Regis *Bridii*, convertit, ſermonem habens, ait, inſulam *Huyam* a Rege in poſſeſſionem Monaſterii extruendi ei datam; unde iſta ſeptentrionalium *Pictorum* provincia iſtius Monaſterii *Abbati* ſubjecta eſſe cœpit. Hanc vero ſubjectionem in rebus ſpiritualibus conſtitiſſe *Beda* non dicit. Videtur itaque fuiſſe civilis quadam in Epiſcopos juriſdictio, quæ cum ſuperiore Epiſcoporum poteſtate in ſpiritualibus bene poterat convenire.

Abbatiali menſæ debita recognitio. Vide *Cœnaticum*.

Abbatissa, inter Moniales ſuperior eſt Ordinis Monaſtici, quæ ex decreto ſac. Conc. Trident. debet habere annos quadraginta, ſeſſ. 25. de regul. cap. 7. Nequit ſub pœna excommunicationis, ſeu aliarum cenſurarum ſubditis præcipere, c. nova, de pœnis, & remiſſ. Ideo nec in virtute ſanctæ Obedientiæ, AA. penes Dianam. Poteſt tamen ad inſtar aliorum regul. Superiorum ſubditis facultatem concedere alienandi, & remunerandi uſque ad ſummam decem ſcutorum eo fine, ſcilicet, quo notat Dian. Quod vero limitat Suarez, ſumm.

tom. 2. lib. 7. cap. 19. num. 44. Quando, nimirum, non obſtet conſuetudo in contrarium, vel Prælati prohibitio. Dicitur Antiſtita. Vide *Antiſto*. Etiam *Epiſcopia*, vide ſuo loco, dicitur Archimandriſſa. Vide *Archimandrita*, *Hegumenus*, *Majoriſſa*, *Velum Prælationis*.

ABBATIOLA. FR. membrum, ſeu villa juriſdictionis Abbatiæ. Aimon. lib. 5. cap. 24.

ABBATIZO, munus, & exercitium Abbatiale exerceo: [ Abbas Claravallenſis, eo quod contra ſtatuta Ordinis Ciſtercienſis privilegium impetravit perpetuo abbatizandi, ignominioſe depoſitus eſt. Pariſ. an. 1257.

ABBREVIATIO SCRIBARUM. Vide *Abbreviator Signum*.

ABBREVIATOR, ſunt ſeptuaginta duo miniſtri in Cancellaria Apoſtolica conſtituti, qui hoc nomine appellantur, *a ſummariis ſupplicationum*; nam extendunt, & incumbunt ad Bullarum pictacia: ex quibus duodecim dicuntur, *de parco majori*, ſuntque Prælati, quorum habitus eſt violaceus; alii viginti duo vocantur, *de parco minori*; reliqui omnes appellantur *Examinatores*; invigilant enim in collatione Bullarum: poſſunt eſſe laici, & uxorati. Vide *Hypomimniſcon*, *Applumbarius*, *Bulla*, *Protonotarius*. Abbreviator, in dict. *Breve*, *Exceptor*.

ABBREVIATUS. Vide *Breviatus*.

ABDEROLOGUS, garrulus, loquax, ita Tatianus Syrus de Demetrio Abderita ait: ( Quid dicemus? Niſi juxta communem Abderologus eſt homo iſte Abderis natus. ) Erat Antiquorum Adagium *ἀβδηρόλογος*, pro garrulo, & mendace; nam Abdera erat Thraciæ Civitas, quæ inventrix multarum fabularum fuit, & concinne Arnobius lib. 5. adverſ. Gent. inquit: [ Abdera, Abdera, quam fias mortalibus irridenda, talis ſi apud te fabula conflata. ]

* ABDICATIO. Doctrina Hæreticorum de *abdicatione* omnium rerum, ab Eccleſia rejecta. Fuere veteri in Eccleſia Hæretici, qui majoris perfectionis ſpecie nihil in hoc mundo tamquam proprium poſſidendum eſſe prædicabant, ſed omnibus omnino renuntiandum, omniaque debere eſſe communia; definitivam contra divites ſententiam pronuntiantes, Regnum Cœlorum non intraturos, niſi poſſeſſionibus ſuis renuntiarent. *Apotactitas* ipſi ſe vocabant, eo quod mundo renuntiaſſe videri volebant; & *Apoſtolicos*, quia Apoſtolos imitari præ ſe ferebant; & *Encratitas* ab oſtentatione temperantiæ & abſtinentiæ præ ceteris hominibus: ſuamque in communionem, teſte *Auguſtino*, *de hæreſ.* c. 40. conjugibus utentes, reſque proprias poſſidentes non recipiebant, dictitantes, nullam ſpem ſalutis eos habere, qui utebantur rebus, quibus ipſi carebant. Doctrinam hanc ut hæreticam damnavit Concilium *Gangrenſe*, *in præfat. Tom.* 2. *Concil.* ejuſque Auctores ac defenſores anathematis fulmine perculit. Quin & leges imperiales, *Cod. Theod.* l. 16. *tit.* 5. *de hæret. leg.* 7. adſtipulantur, ſubjicientes hoſce *Apotactitas* omnibus civilibus pœnis, quæ Hæreticis infligi ſolebant; ſi bonorum publicationem excipias, utpote quæ nihil illis ſignificabat, cum ipſorum crimen in perverſa rebus omnibus renuntiandi ratione conſiſteret, quæ nihil eis relinquebat, quod auferri poſſet. || Muneris *abdicatio*, in quibuſdam caſibus, Clericis permittebatur. Eſto per eccleſiaſticas leges cautum eſſet, ne Clericus alicui Eccleſiæ addictus ſtationem deſerere, aliove migrare auderet; integrum tamen erát ei ſuo ſe munere *abdicare*, ſi res Eccleſiæ, vel alia idonea cauſa ita exigeret: cujuſmodi *abdicationum* exempla frequenter in actis Præſulum Sanctiſſimorum, & nonnunquam in Conciliorum generalium permiſſionibus reperiuntur. Earum porro duplex erát cauſa. Prima quidem, ſi quis Epiſcopus per obſtinatos, ac abalienatos populi animos munus ſuum ſe obire non poſſe, & onus ſibi intolerabile fieri ſentiret, tunc ſi *abdicare* cuperet, *abdicatio* in controverſiam non vocabatur. Ita *Gregorius Nazianzenus* Epiſcopatui *Coſtantinopolitano* renuntiavit, quod populus contra ipſum tamquam peregrinum tumultuari & murmurare inciperet: conſentiente, & renuntiationem approbante Concilio generali *Conſtantinopolitano*, quemádmodum non ſolum *Theodoretus*, l. 5. c. 8. *Socrates*, l. 5. c. 7. perhibent, ſed ipſe etiam pluribus in locis, *Orat.* 32. item *Carm. de vita ſua*, teſtatur. Ita *Theodoretus*, l. 2. c. 31. *Meletium* celebrem *Antiochiæ* Epiſcopum, cum *Sebaſte* in *Armenia* eſſet Epiſcopus, cum refractariis perverſi gregis ſui ingeniis ita conflictatum eſſe narrat, ut eis relictis alio migraverit, ibique in otio vitam egerit. Ita *Theodorus Lector*, *lib.* 1. de *Martyrio* Epiſcopo *Antiocheno* memoriæ prodidit, quod cum populum ac clerum turbis ac ſeditionibus delectari animadvertiſſet, *Petro Fullone* intruſo, Epiſcopatui coram univerſa Eccleſia renuntiarit hiſce verbis: *Clero contumaci*, *& populo immorigero*, *& eccleſiæ contaminatæ renuntio, ſervata mihi Sacerdotii dignitate*. Alia cauſa erat, ſi quis Epiſcopus caritate ductus munere ſe *abdicaret*, vel ad *abdicandum* promptum ſe exhiberet, ad inveteratum aliquod Schiſma hoc modo ſanandum. Sic *Chryſoſtomus Hom.* 11. *in Epheſ.* populo ſuo dicit, ſi quam de ſe habebant ſuſpicionem, quaſi non ſit legitime creatus Antiſtes, paratum ſe eſſe cedere regendi munus, cui voluerint, modo id faciat ad Eccleſiæ unitatem. Sic *Aurelius* Epiſcopus *Carthaginis*, & *Auguſtinus* cum reliquis Epiſcopis *Africanis* ſub collationis *Carthaginenſis* exordium *Donatiſtis* obtulerunt, ut pro ſchiſmate tollendo, ubicumque in eadem civitate duo, unus ex Catholicis, ex *Donatiſtis* alter, eſſent Epiſcopi, ambo, *Collat. Carthag. die* 1. c. 16. de medio ſecederent, & novum

eligi paterentur. *Quid enim*, inquiebant, *dubitemus Redemptori noſtro ſacrificium iſtius humilitatis offerre? An vero ille de Cœlis in membra humana deſcendit, ut membra ejus eſſemus; & nos, ne ipſa ejus membra crudeli diviſione lanientur, de cathedris deſcendere formidamus? .... Epiſcopi propter chriſtianos populos ordinamur. Quod ergo chriſtianis populis ad chriſtianam pacem prodeſt, hoc de noſtro Epiſcopatu faciamus. Si ſervi utiles ſumus, cur Domini æternis lucris pro noſtris temporalibus ſublimitatibus invidemus? Epiſcopalis dignitas fructuoſior nobis erit, ſi gregem Chriſti magis depoſita collegerit, quam retenta diſperſerit. Nam qua fronte in futuro ſæculo promiſſum a Chriſto ſperabimus honorem, ſi chriſtianam in hoc ſæculo noſter honos impedit unitatem?* Patet itaque, fuiſſe caſus quoſdam, in quibus ipſi etiam epiſcopali officio renuntiare, & otio ac quieti ſe dare licitum fuerit: quando in his, & reliquis caſibus omnibus, præcipua regula fuit, id agere, quod in rem Eccleſiæ ac populi ædificationem maxime conduceret; & privatum commodum utilitati publicæ devovere.

ABECEDARIUS PSALMUS. Vide *Pſalmus*.

ABELIANI, ſeu *Abelonii*, Hæreticorum ſecta. FR. ab Abel denominari affectabant Adami filio, quem imitari aſſerebant, dum continentes in utroque ſexu vivebant, nec debitum matrimoniale reddentes, omnia conjugatorum paria marem, & fœminam adoptabant, illoſque hæredes, & ſucceſſores declarabant: de his mentionem fecit D. Auguſtin. in epiſt. ad Quodvultdeum.

ABHORRICATIO, horror internus. [In Monaſticis regulis, de Magiſtro, cap. 8. ]

ABIATICUS, ſeu *Aviaticus*, nepos ex parte filii, aut filiæ, nimirum, filius filii, aut filiæ, cujus ethymon eſt nomen *Avus*; aliquando eſt ſubſtantivum, & aliquando adjectivum, & tunc rem Avo pertinentem ſignificat, ut *hæreditas aviatica*, ſeu *abiatica*. FR. de quo vocabulo fit mentio in legib. de feudis, lib. 3. de beneficiis, & in Bullario Caſinen. tom. 2. conſtit. 52. ſcribitur etiam *Habiaticus*.

ABJECTUS, qui promiſſiones non obſervat. Vide *Placitum*.

ABIGEUS FR. fur, qui gregem ſeducendo furatur. [Qua de re maximus apud Græcos Orator Demoſthenes, ſic ait: Quantitas diſcernit furem ab abigeo; nam qui ſuem unum ſurripuerit, ut fur coercebitur, qui gregem, ut abigeus, can. Aut facta, de pœnit. diſt. 1. ] Vide etiam ff. de abigeis lib. 1. Dicuntur item Abacti. Gloſſ. in c. Abacti, 4. quæſt. 4.

ABIGO, *as*. FR. ſeduco. [Te per Arianos abigavit coluber, ille. Lucifer Calarit. lib. de non parcen. ]

ABJURO. Vide *Purgator*, *Purgo*.

ABOCELLUS, ſemicæcus. [Non parcas pauperi, ne munera exoculent te, & faciant ſenem abocellum. Bleſen. ſer. 43. ] & alibi idem Eccleſiaſticis Judicibus ait: [Noli ſequi retributiones, ne faciant te ſenem abocellum, ſerm. 18. ]

*Hierolexico Macri.*

ABOLESCO. FR. in ſignificatione tranſitiva, & activa. [Utique continentiam indicens, & compeſcens concubitum, ſeminarium generis aboleſcit. Tertull. de exhort. caſt. cap. 6. ] ubi *aboleſcit*, eſt loco aboleſacit, vel abolet.

* ABORTIO. Uſus poculi *abortionis* condemnatus erat, ac punitus uti homicidium. Uſum medicamentorum ad abigendum fœtum pro ſpecie cædis habitum, adeoque ut talem puniendum, definitum eſt in Concilio *Ancyrano*, c. 21. & in Canonibus *Baſilii*, quorum unus ſic habet, *Can. 2. Quæ de induſtria fœtum corrupit, cædis pœnas luat. Formati autem vel informis ſubtilitas a nobis non attenditur: hic enim non ſolum quod naſciturum fuit, vindicatur, ſed etiam ipſa, quæ ſibi inſidias paravit: quoniam ut plurimum ejuſmodi inceptis una quoque mulieres intereunt.* Alter autem canon ita, *Can. 8. Quæ abortum cientia præbent medicamenta, ſunt & ipſæ homicidæ, ſicut & quæ fœtus necantia venena accipiunt.* Sic quoque Concilium *Trullanum*, c. 91. *Eas, quæ dant abortionem facientia medicamenta, & quæ fœtus necantia venena accipiunt, homicidæ pœnis ſubjicimus.* Concilium *Ilerdenſe* eos, qui conceptos ex adulterio fœtus certis potionibus deſtruunt, c. 2. in eadem claſſe cum eis collocat, qui infantes jam editos in lucem necant; ſeptemque annorum pœnitentiam utriſque conſtituit, utpote adulterio jungentibus homicidium. Privati Scriptores inter Veteres uno ore cædem hoc eſſe declarant. *Nobis*, inquit *Tertullianus*, Apologet. c. 9. *homicidio ſemel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc ſanguis in hominem delibatur, diſſolvere non licet. Homicidii feſtinatio eſt, prohibere naſci: Nec refert, natam quis eripiat animam, an naſcentem diſturbet: Homo eſt & qui eſt futurus, & fructus omnis jam in ſemine eſt.* Dicit hoc, objectioni reſpondens Ethnicorum, qui Chriſtianos ſanguinem infantis in ſacris ſuis myſteriis bibere calumniabantur. *Minucius*, p. 91. c. 30. n. 2. incuſationem retorquet in Paganos, quando ait: *Vos video procreatos filios nunc feris & canibus exponere, nunc adſtrangulatos miſero mortis genere elidere. Sunt, quæ in ipſis viſceribus medicaminibus epotis originem futuri hominis extinguant, & parricidium faciant, antequam pariant. Quomodo*, inquit *Athenagoras, Legat.* p. 38. ſcribens pro Chriſtianis, *qui ne ab aliis quidem fieri, ne quid inde ſceleris & piaculi in nos redundet, videre ſuſtinemus, homicidium committemus ipſi? Et qui mulieres medicamentis abortivis utentes, homines occidere, & rationem reddituras Deo dicimus, qua ratione jam natos & perfectos homines nos jugulabimus?* De hoc crimine in mulieribus *Hieronymus* loquens, *Ep. 22. ad Euſtoch. de virginit.* c. 5. ita illud deſcribit: *Aliæ præbibunt ſterilitatem & nec-*

*dum ſati homicidium faciunt*. Crimen id erat, quod vetus lex *Romana*, *Digeſt.* l. 48. *tit.* 8. *ad legem Corneliam de Sicariis leg.* 8. exilio, & nonnunquam ſupplicio, *Digeſt.* l. 43. *tit.* 19. *leg.* 39. multabat, quemadmodum *Cicero* in Oratione pro *Cluentio Avito*, ſcripſit, *Mileſiam* quamdam mulierem, quum eſſet in *Aſia*, quod ab hæredibus ſecundis accepta pecunia partum ſibi medicamentis ipſa abegiſſet, rei capitalis eſſe damnatam. Adeo certum eſt, hoc genus homicidii pro atroci crimine ab omnibus Scriptoribus habitum, & ſeveriſſime per Canones tamquam voluntariam cædem punitum.

ABRA, famula, vox græca ἄβρα. [ Prætereunte ejus abra cum laterna. In vita S. Gudulæ; ] de quo vocabulo ſæpe fit mentio in S. Scriptura, [ Cum Abra mea, Judith. 8. ] FR. [ Vocavit Abram ſuam. Abræ ſuæ aſcoperam, Judith. cap. 18. Ipſa, & Abra ejus. Abram ſuam liberam, ibidem cap. 10. ] Aliqui tamen falso exiſtimarunt fuiſſe nomen proprium.

ABRAHAMICUS. FR. patronymicum nomen ab Abrahamo: [ Hæc Abrahamicus ille ſenex, vere Oſius, ideſt, ſanctus, & ſenſit, & ſcripſit. Sanctus Athanaſius adverſ. Arian. orat. 1. ] de Oſio Corduben. Epiſc. ſcribens.

ABRAXAS, hoc vocabulo Baſilides hæreſiarcha appellatus eſt, qui CCCLXV. Cœlos aſſerebat græcis characteribus ἄβραξας, in quibus ſecundum arithmeticam conſiderationem numerus totius anni dierum continebatur. FR. hæc refert D. Auguſt. in lib. unic. ad Quodvultdeum. Fortaſse ab Ægyptiis, & Græcis illi didicerant, qui nomen Nili fluminis in ejus characteribus ſymbolicè numerum anni dierum comprehendi affirmabant; hoc pacto ΝΕΙ̃ΛΟΣ, ideſt N. continens 50. E. 5. I. 10. Λ. 30. O. 70. Σ. 200. qui numeri ſimul collecti faciunt ſummam 365. Divus Hieronym. cenſuit, Abraxas ſignificare mithram, ideſt, ſolem, qui dies anni menſurat. Vide D. Auguſt. de Civit. Dei.

* ABRENUNTIATIO. In Baptiſmo *abrenuntiatio* diaboli; hujus *abrenuntiationis* formula, ejuſque ſenſus proferuntur. Inter ea, quæ a baptizandis proxime ante baptiſmum neceſſario & abſolute requirebantur, primum omnium erat formalis & ſolemnis *abrenuntiatio* diaboli, quam palam coram concione facere tenebantur. *Abrenuntiationis* hujus formulam ab Auctore *Conſtitutionum* traditam habemus, *Conſtit. Apoſt.* l. 7. c. 41. his verbis: *Renuntio Satanæ, & operibus ejus, & pompis ejus, & angelis ejus, & inventis ejus, ac omnibus, quæ ſub eo ſunt*. Nonnulli rem magis circumſcripte breviuſque exprimunt, uti *Cyprianus*, *Ep.* 7. *al.* 13. *ad Rogatian.* qui id vocat renuntiare ſæculo, & interdum diabolum & ſæculum conjungit, ut quum de lapſis quemdam, qui ad ſacrificandum in Capitolio iverat, rogat: *Stare illic potuit Dei ſervus, & loqui & renuntiare Chriſto, qui jam Diabolo renuntiarat & ſæculo?* Cypr. *de lapſis*. Atque in *Ambroſio*, *de initiatis* cap. 2. ita habemus: *Ingreſſus es regenerationis Sacrarium, repete, quid interrogatus ſis; recognoſce, quid reſponderis. Renuntiaſti diabolo & operibus ejus, mundo & luxuriæ ejus ac voluptatibus*. Similiter *Hieronymus*, *Comm. in Matth.* 25. diabolum & mundum conjungit: *Renuntio tibi, diabole, & pompæ tuæ & vitiis tuis, & mundo tuo, qui in maligno poſitus eſt*. Aliquando etiam *ſpectacula* diſerte in hac renuntiandi formula memorantur, uti in illa *Salviani*, ubi Chriſtianos, *Romanorum* ludos ſpectandi ſibi ſumentes libertatem, hunc in modum adloquitur, *de provident.* l. 6. *Quæ eſt in Baptiſmo ſalutari Chriſtianorum prima confeſſio? Quæ ſcilicet, niſi ut renuntiare ſe diabolo cum pompis ejus atque ſpectaculis, & operibus proteſtentur? Ergo ſpectacula & pompæ, etiam juxta noſtram profeſſionem, opera ſunt diaboli. Quomodo, o Chriſtiane, ſpectacula poſt baptiſmum ſequeris, quæ opus eſſe diaboli confiteris? Renuntiaſti ſemel diabolo & ſpectaculis ejus, ac per hoc neceſſe eſt, prudens & ſciens, dum ad ſpectacula remeas, ad diabolum te redire cognoſcas. Utrique enim rei ſimul renuntiaſti, & unum utrumque eſſe dixiſti. Si ad unum reverteris, ad utrumque remeaſti*. Argumento eodem utitur *Tertullianus*, ut Chriſtianos a *Romanis* ſpectaculis retineat, *Quum aquam ingreſſi*, inquiens, *Chriſtianam Fidem in legis ſuæ verba profitemur, renuntiaſſe nos diabolo & pompæ & angelis ejus, ore noſtro conteſtamur*. Ad eorum autem turpitudinem eo magis detegendam, idololatriæ etiam illa incuſat; *de ſpectac.* c. 4. Ait enim: *Quid erit ſummum ac præcipuum, in quo diabolus & pompæ & angeli ejus cenſeantur, quam idololatria? .... Igitur ſi ex idololatria univerſam ſpectaculorum paraturam conſtare conſtiterit, indubitate præjudicatum erit, etiam ad ſpectacula pertinere renuntiationis noſtræ teſtimonium in lavacro, quæ diabolo & pompæ & angelis ejus ſint mancipata, ſcilicet per idololatriam*. Eodem modo contra omnia officia, & honores ſæculares, *de coron. milit.* c. 3. argumentatur, quibus fungi nemo poterat, quin in Superſtitioſorum rituum, & cerimoniarum partem veniret; cujuſmodi erant officia flaminum, & multa alia; ubi qui coronam ſive ſertum floreum geſtabant, vel ludos quoſdam publicos populo exhibebant, quemadmodum officii ratio ab eis exigebat idololatriæ crimine ſe obſtringebant, etiamſi a craſſiori actu, incenſa & ſacrificia offerendi idolis, abſtinerent. Atque ita Concilium *Illiberitanum*, c. 3. flamines, qui publicos ludos populo exhibuerint (quod *munus dare* vocat) etiamſi a ſacrificiis abſtinuerint, per omnem vitam Eccleſia ejici, & nonniſi morti proximos ad Eccleſiæ communionem admitti jubet. Unde perſpicuum eſt, ſuperſtitioſæ Gentilitatis temporibus omnia iſta officia, quæ homines ad exhibendos populo ludos publicos & ſpectacula obligarint, renuntiationi in pompas & ope-

ra

ra diaboli fuiſſe incluſa, eo quod idololatriæ vitiis eſſent obnoxia. Verum *Salviani* ætate omnis iſta idololatria jam deſierat, neque amplius in idolorum honorem iſtiuſmodi pompæ ac ſpectacula exhibebantur: nihilominus tamen tantum adhuc vanitatis, laſciviæ, & impietatis in ſe habebant, ut de illis tamquam diabolicis, turpibus, & homine Chriſtiano indignis juſtæ fierent querelæ, eiſque adnumerarentur, quibus Chriſtianus quilibet in baptiſmo credebatur renuntiaſſe. *Cyrillus Hieroſolymitanus*, qui, poſtquam idololatria magna ex parte deſtructa erat, ſcripſit, adhuc impietatis, & crudelitatis ſpectacula iſta incuſat, *Catecheſes Myſtagog.* 1. n. 4. & catechumenis ſuis hanc profeſſionis ſuæ in baptiſmo faciendæ partem exponens, pompis diaboli accenſet. || Quotquot de Baptiſmo ſcripſere, ſcripſere aliquid etiam de *abrenuntiationis* antiquitate. Nonnulli quidem ex ipſa apoſtolica inſtitutione & praxi eam derivant. Ita enim locum illum *Pauli*, 1. Tim. 6. 12. *Apprehende vitam æternam, ad quam & vocatus es, & profeſſus præclaram illam profeſſionem in conſpectu multorum teſtium*, interpretantur. Ita Auctores commentationum ſub nominibus *Ambroſii*, & *Hieronymi*. Alii renuntiationem iſtam non ex hoc vel alio expreſſo Scripturæ teſtimonio, ſed ex antiqua traditione deducunt. Ita *Tertullianus*, & *Baſilius*, quorum primus, *de coron. milit.* c. 3. eam multis aliis ritibus & cerimoniis eccleſiaſticis accenſet, quæ quidem in nulla ſcriptura diſerte determinatæ, ex traditione tamen profectæ, & conſuetudine corroboratæ ſint. *Baſilius*, *de Spirit. Sancto* c. 27. illis myſticis ritibus eam adnumerat, qui in Eccleſia non e doctrina ſcripto prodita, ſed ex Apoſtolorum traditione in myſterio recepti ſint. Non improbabilis *Eſtii*, in 1. Petri 3. 21. conjectura eſt, qui formulam renuntiationis, factam per interrogationes & reſponſiones, adeo antiquam in Eccleſia fuiſſe exiſtimat, ut *Petrus* Apoſtolus ad eam reſpexiſſe merito cenſendus ſit, quando Baptiſmum vocat, *bonæ conſcientiæ interrogationem erga Deum*, id quod ad rem nullam æque commode, atque ad hanc communem conſuetudinem reſpondendi in Baptiſmo, *Abrenuntiaſne diabolo? Abrenuntio; Credisne in Deum? Credo*, referri poteſt. || Obſervandum de hac *abrenuntiatione*, quod, quum primum Baptiſteria ædificata fuerunt, peculiaris & proprius in illis locus huic rei adſignatus fuerit. Nam plerumque duo diſtincta habebant conclavia [ uti in Eccleſiarum deſcriptione oſtendetur ] primum quidem προαύλιον οἶκον, hoc eſt porticum ſeu veſtibulum, in quo Catechumeni renuntiabant ſatanæ, fidemque profitebantur; & deinde ἐσώτερον οἶκον, interiorem domum, ubi ceremonia baptiſmi peragebatur. In horum primum Catechumeni introducti, & occidentem verſus poſiti, Satanæ cum quibuſdam geſtibus & ritibus, indignationem aliquam exprimentibus [ dum videlicet manus ſuas vel protendebant, vel complicabant, vel collidebant, nonnumquam etiam exſufflabant, vel in ipſum tamquam præſentem exſpuebant ] renuntiare jubebantur. Qui ritus omnes totidem averſationis eorum erant indicia. *Cyrillus Hieroſolymitanus* in ſua *Catecheſi myſtagogica ad illuminatos*, 1. n. 2. hanc hujus actionis partem ita deſcribit: *Primum ingreſſi eſtis in porticum domus baptiſterii, & ſtantes verſus occidentem, mandari vobis audiſtis, ut protenſa manu, tamquam præſenti Satanæ renuntiaretis*. Deinde, qua de cauſa verſus occaſum ſteterint diabolo renuntiantes, explicat: *Solis occaſus, quum apparentium tenebrarum ſit locus, diabolus autem quum ſit tenebræ*, robur in illis ſuum habet. *Idcirco ſymbolice occaſum ſpectantes, caliginoſo illi tenebrarum principi renuntiatis*. Ad hanc conſuetudinem alludit *Hieronymus*, quando ait, *in Amos* c. 6. 14. *In myſteriis* [ baptiſmi celebrationem intelligit ] *primum renuntiamus ei, qui in Occidente eſt, nobiſque moritur cum peccatis: & ſic verſi ad Orientem, pactum inimus cum Sole juſtitiæ, & ei ſervituros nos eſſe promittimus*. Simili modo *Ambroſius*, *de initiatis* c. 2. ad quemdam recens baptizatum verba faciens, *ingreſſus*, inquit, *ut adverſarium tuum cerneres, cui renuntiandum mox putares, ad orientem converteris. Quis enim renuntiat diabolo, ad Chriſtum convertitur*. Unde obſervante *Gregorio Nazianzeno*, *Orat.* 40. *de bapt.* non tantum verbis, ſed ipſa rerum ſpecie, habitu, & geſtu diabolo renuntiabant. Nam nudi & diſcalceati ſiſtebantur ad Occidentem proſpectantes, manuſque verſus illam plagam protrundentes. Præterea nonnunquam manus collidebant, adverſariumque ſuum inſufflabant, vel in illum exſpuebant, deteſtationem illius ſignificantes, quemadmodum Auctor, qui ſub nomine *Dionyſii* latere voluit, *de Hierarch. Eccleſ.* c. 3. rem deſcribit. || Ex quo etiam hanc *abrenuntiationem* ter factam eſſe condiſcimus. Alio enim loco univerſam ſic deſcribit ceremoniam, *Id. Ibid. Sacerdos baptizandum ſiſtit ad Occidentem proſpectantem, manuſque verſus illam plagam protundentem;* ) in Græco eſt τὰς χεῖρας ἀπωθοῦντα, quod ſignificat, manus, d- teſtationem ſignificandi gratia, collidere ) *deinde ſatanam ter inflare jubet, atque inſuper abrenuntiationis verba proferre: eique ter abrenuntiationis ſolemnibus verbis propoſitis, quum eamdem toties conceptis verbis pronuntiavit, ipſum ad Orientem transfert, & in Cœlum intuentem, manuſque attollentem Chriſto, cunctiſque ſacris a Deo traditis eloquiis jubet adſentire*. Hanc triplicem renuntiationem *Vicecomes*, de rit. bapt. l. 2. c. 20. putat eſſe factam, ſive quod tres ſint, quibus homines in baptiſmo renuntient, diabolus, pompæ ejus, & mundus; ſive ad ſignificandum tres Divinitatis Perſonas, a quibus adoptentur filii, dum ſatanæ renuntient; ſive quod in civili adoptione, & manumiſ-

ſione ſervorum domini juri ſuo ter renuntiare ſoliti ſint, quod ipſum ex *Aulo Gellio*, & *Sigonio* oſtendit. Verum quum Veteres hac de re ſileant, de hiſce rationibus penes prudentem lectorem judicium ſit.

Absagi, populi. FR. de quibus Anaſtaſius egit, & videre eſt hic in dict. *Zichachorium*: habitant ad Caucaſi radices, à quibus ſcatet *Aſari* flumen, quod per Armeniam deinde tranſit, ut auctor eſt Plin. lib. 6. cap. 4. & 9.

Absalom. FR. Pax patris interpretatur. D. Greg. in procem. 7. Pſalm. Pœnit.

Absconsa, laterna a *Latendo* dicta. ] Tunc accenſa candela in abſconſa unus eorum in dormitorio debet circuire lectos omnium. Lanfranc. in decret. cap. 4. ] Vide *Bacchæ*.

Absida, & *Apſis*, ea lateralis in Eccleſia pars poſt Altare hemiſpherica. Paulin epiſt. 12. ad Sever. Gregor. Turonen. in vita Gregor. Legen. Epiſc. Auguſt. epiſt. 203. Hanc Iſidorus, lib. 5. cap. 8. Originum de partibus ædificiorum, ſic explicat: [ Abſidia græco ſermone, latinè interpretatur Luciada. ] Walfridus Strabo de reb. Eccleſ. cap. 6. ait, quòd Abſidia dicitur: [ Eo quod lumine accepto per arcum reſplendeat, ] ſed utrum Abſidam, vel Apſidem dici debeat, videant Eruditi; nam quidam diverſimode dicendum exiſtimant. Ejus ſynonyma. Vide *Concha*, *Tribuna*, *Parapſis*. Cujus tamen etymon a dictione græca ἀψὶς, provenit, quæ proprie arcum ſignificat. Aliquando etiam pro Epiſcopali Sede accipitur, quæ in medio ejuſdem tribunæ collocari ſolet; inde *Tribunal* a Tribuna, ſeu vice verſa. Vide *Tribuna*. In cujus ſenſu hæc apud Eccleſiaſticos Scriptores habentur: [ Dicebam ego, quibus poteram, qui nos in apſidem honoratiores, & graviores aſcenderant. Auguſt. ad Albin. ] Abſis gradata dicebatur Pontificalis Sedes, utpote eminentior ob multitudinem graduum: [ Tranſit honor hujus ſæculi, tranſit ambitio. In futuro Chriſti judicio nec abſidiæ gradatæ, nec cathedræ velatæ, &c. Idem Auguſt. epiſt. 203. ad Max. ] Vide hic *Cathedra*: Solebat enim velari Epiſcopi thronus, ut ſcribit S. Pacianus contra quendam hæreticum Epiſcopum, & intruſum, inquiens: [ An Novatianus, quem abſentem epiſtola Epiſcopum finxit, quem conſecrante nullo, linteata ſedes excepit, epiſt. 11. ad Symphor. ] Dicebatur Sedes Epiſcopalis etiam *Exedra*, quæ vox quidem græca eſt ἐξέδρα. FR. Quod tamen vocabulum diverſæ ſignificationis apud antiquos erat; nam Vitruvius in Quinto, ait, Exedras collocari in tribus porticibus, ſpecioſas habentes ſedes, in quibus Philoſophi, Rhetoreſque ſedentes diſputabant, & Cic. in 3. de Oratore inquit: [ Tunc dedita opera quieſcentibus aliis in eam jam exedram veniſſe, in qua Craſſus poſito lectulo requieviſſet. ] Ac idem in primo de Nat. Deor. inquit: [ Oſtendi enim ſedentem in exedra, & cum C. Vellio diſputantem. ] Atque D. Hieronymus ad Euſtoch. inquit: [ Si quis cœperit ægrotare, transferatur ad exedram latiorem, & tanto ſenium miniſterio conſoveatur, ut nec delicias urbium, nec matris quærat affectum. ] Et Vitruvius denuo habet in 7. [ Periſtyliis, aut exedris, aut cæteris hujuſmodi locis, quo ſol & luna poſſit radios ſuos immittere. ] In hoc ſenſu ſolet intelligi Vulpianus in l. Si vero plures, poſt princip. ff. de his, qui dejec. & effud. licet Gloſſator ibi exedram pro feneſtra intellexerit, ubi aliqui cum diphthongo, alii vero abſque eo in ſecunda ſyllaba ſcribunt; nam vocabulum ab *hærendo* deduci exiſtimant, ut in dict. *Exedra* dicetur, ac aliqui mutata dictione vocabulum barbarum repoſuerunt: Alexander tamen ab Alexandro lib. 5. genial. cap. 11. putat hoc in loco *exedram*, non ſedem, ſed cubiculum deſignare, columnis fultum, & epiſtyliis, pluribus exciſis ſpatiis, quibus proſpectus in viam erat. Alii *Exedras* pro ſtallis in Choro, ubi Canonici, & pſallentes ſedent, ſæpe intellexerunt. At nonnulli aſſerunt nec feneſtras, nec cubiculum, nec ſedem Epiſcopalem, aut ſtalla Canonicalia, ut recentiores ſignificare crediderunt. Nam *Exedræ* extra Eccleſiam erant, ut ex can. Præcipiendum, 13. quæſt. 2. demonſtrant, in quo canone ſic diſponitur: [ Prohibendum eſt etiam ſecundum majorum inſtituta, ut in Eccleſia nullatenus ſepeliantur (ideſt cadavera) ſed in atrio, vel in porticu, aut in exedris Eccleſiæ. Intra Eccleſias vero, aut prope Altare, ubi Corpus, & Sanguis Domini conficitur, nullatenus ſepeliantur, ] ubi Gloſſa: [ Exedra dicuntur quædam voltæ, quæ exterius adhærent parietibus Eccleſiæ. ] Sed hic canon, licet intelligat de ſedilibus lapideis fortaſſe, quæ ſolent extra Eccleſiam collocari, non tamen excludit, quod intra eam alia ſedilia non poſſent inveniri.

Absolutio, eſt deprecatio brevis in fine Pſalmorum cujuſcunque nocturni ante lectionum recitationes; ita dicta, quia tunc terminabatur nocturnum; & quando erant tria nocturna in Officio, tunc pſallentes ter diſcedebant a Choro ad quieſcendum; & ideo tribus abſolutionibus dividitur Matutinum. *Abſolutio* enim terminum, & finem denotat. Vel talis *Abſolutio* ita dicta, quia in ea a Domino munditia cordis ad recte lectiones percipiendas poſtulatur, ex Hugone in Spec. cap. 3. Abſolutiones vero in horis canonicis poſitæ dicuntur, ſcilicet, ad Primam, duæ ſunt; una, quæ *Abſolutio Capituli* dicitur; altera vero *Abſolutio lectionatica*, ſeu *brevis*, quia finita Prima, ſolebant congregari in Capitulo Monachi, ubi audiebant aliquam Sacræ Scripturæ brevem lectionem, poſt quam Auditores a Capitulo diſcedebant, obtenta Superioris benedictione, quod quidem hodie in Choro fit, & *Lectio brevis* dicitur, eſtque tamen illius antiquæ, & longioris lectionis particula. *Abſolutio* tandem dicitur illa, quæ profertur circa

ca cadaver, vel tumulum, in qua a Deo infernalis pœnæ abſolutiones pro defunctis precantur. Dubitabatur olim in hac functione, quando incenſandum erat cadaver, vel tumulus, an thus debuiſſet more ſolito prius benedici; ſed nunc per Rubricam Miſſalis ab Urbano Octavo recognitam declaratur fieri juxta morem cum benedictione, *Ab illo benedicaris, &c.* Nam illa thuris fumigatio ad depellendos dæmones adhiberi vult Durandus, lib. 1. cap. *9.* Quin ad deſignandum rogationes, quæ in thure denotantur, pro defunctis eſſe proficuas; ac tandem cum Baronio, anni. 38. num 312. dicimus, quod in honorificentiæ debitum illis fit, qui in ſignum fidei præceſſerunt.

Abspes, abſque ſpe, deſperatus, ſpe deſtitutus. [ Abſpes etiam vitæ, ut vix habitum in corpore ſentirem remanere. In vita S. Onuphrii, cap. 10.

Abstentus, vox D. Cypriano familiaris, quæ juxta Pamelii expoſitionem, excommunicatum ſignificat. Sed veriſimilius Latino Latinio ab Eccleſiaſticis functionibus ſuſpenſum intelligendum videtur. [ Accipiat ſententiam, quam prior dicit, ut abſtentum a nobis ſciat, ep. 38. ] *Abſtineo* enim, & *Abſtineor* pro ſuſpendere, & ſuſpendi a Sacris, & *Abſtenſio* ipſammet ſuſpenſionis cenſuram ſæpe apud eundem Auctorem denotat. Ac in regulis Patrum, cap. 5. §. 2. habetur: [ Dignè correptus tandiu abſtineatur, quandiu, vel culpæ qualitas popoſcerit, vel ſe pœnitendo humiliaverit. ] FR. in codicibus Floriacenſe, & Corbenſe correctis, in eodem ſignificatu *Abſtinere* pro ſuſpendere legitur.

✝ Abstinentia. Magna ſemper de eſca & potu fuit Eccleſiæ cum diverſis Sectis contentio. Multi Hæretici, ut *Manichæi*, *Priſcillianiſtæ*, & alii, magis ſpirituales & puriores ſe eſſe opinabantur, eo quod a vino & carne, tamquam rebus immundis, & illicitis, abſtinerent; & ex hoc capite Eccleſiam tamquam impuram & carnalem increpabant, quia hominibus juſtum & moderatum eorum uſum concedebat. Si quis igitur Clericus vel judicio ſuo hæreticorum errores hac in re approbaret, vel praxi ſua, dum univerſalem *abſtinentiam* exerceret, ſuſpicione apud Eccleſiam laboraret, quod ab eorum ſtaret partibus; graviſſimis cenſuris ſeſe reddebat obnoxium. Canones Apoſtolici hanc in rem ita ſtatuunt, *Can.* 51. *al.* 43. *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut omnino ex numero Clericorum, a carne & vino, non propter exercitationem, verum propter deteſtationem abſtinuerit, oblitus, quod omnia ſint bona; vel corrigat ſe, vel deponatur, atque ex Eccleſia ejiciatur. Itidem & laicus.* Alius Canon ſimul hujus cenſuræ rationem reddit, *Can.* 53. *al.* 45. ita decernens: *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus in diebus feſtis non ſumit carnem aut vinum abominans, & non propter exercitationem, deponatur; ut qui cauteriatam habeat ſuam conſcientiam, multiſque ſit cauſa ſcandali.* Concilium *Ancyranum*, c. 14. eumdem errorem damnat, ſimilemque pœnam denuntiat: *Qui in Clero ſunt, presbyteros, vel diaconos a carnibus abſtinentes,* viſum eſt eas *attingere, & ſic, ut velint, ab eis abſtinere. Si autem nolint olera, quæ cum carnibus apponuntur, comedere, & canoni non cedant, ab ordine ceſſare.* Et in Concilio primo *Bracarenſi*, c. 32. regulam invenimus hujuſmodi: *Placuit, ut quicumque in Clero cibo carnium non utuntur, pro amputanda ſuſpicione Priſcillianæ hæreſis, vel olera cocta cum carnibus prægustare cogantur. Quod ſi contempſerint, ſecundum quod de his talibus Sancti Patres antiquitus ſtatuerunt, neceſſe eſt, eos, pro ſuſpicione hæreſis hujus, officio excommunicatos omnibus modis removeri.* || *Abſtinentia* & jejuniis, tamquam accommodata ad baptiſmum recipiendum præparatione, per viginti dies Catechumeni exercebantur. *Baptizandi* ( ita Concilium *Carthaginenſe* quartum, c. 84. ) *nomen ſuum dent, & diu ſub abſtinentia vini & carnium, ac manus impoſitione crebra examinati baptiſmum recipiant.* Similiter *Auguſtinus, de fide & oper.* c. 6. abſtinentiam, jejunium, & exorciſmos conjungit, ſpeciatim *abſtinentiæ* ab uſu conjugii, durante hoc præparationis ad baptiſmum tempore, faciens mentionem. Ita *Socrates*, l. 7. c. 30. *Burgundiones* ab Epiſcopo quodam *Gallicano* baptiſmum petentes, ſeptem dies prius jejunare juſſos, & ſic baptiſmo donatos eſſe, memoriæ prodidit. Et quum impoſtor quidam *Judæus*, qui *Arianorum* & *Macedonianorum* baptiſmum ſuſceperat, tandem ad *Paulum Novatianorum* Epiſcopum acceſſiſſet, eumque, ut ſe baptizaret, obſecraſſet, idem Auctor, l. 7. c. 17. obſervat, *Paulum* ei ſe baptiſmum daturum negaſſe, priuſquam rudimentis fidei eſſet inſtitutus, & complures ad hæc dies *jejuniis* vacaſſet. Hæc jejunia etiam *Juſtino Martyri, Apolog.* 2. & *Tertulliano, de baptiſ.* c. 20. de hominum præparatione ad baptiſmum loquentibus, memorantur. Qui plura hac de re cupit, *Cyrilli* Catecheſes, *Catech.* 1. n. 5. & *Gregorii Nazianzeni* Orationem de Baptiſmo, *Orat.* 40. *de bapt.* conſulat, qui precationibus & *jejuniis* chameunias, gemitus & lacrymas addunt, tamquam vera animi pœnitentis ſigna, antequam quis ad ſigillum remiſſionis peccatorum, a Deo per Eccleſiæ ſuæ Miniſtrum in Baptiſmo recipiendum, accedat.

Abstultus, uſurpatus, ac indebite ablatus, ſeu detentus. Vox quidem barbara: [ Excepto Ducatu Denteleni, qui ab Auſtraſiis iniquiter abſtultus fuerat. In vita S. Sigeberti Franc. Reg. ]

Abundantia. FR. pro exceſſu, nam ubi nos legimus in Pſalm. [ Ego dixi in exceſſu meo, omnis homo mendax, ] legit D. Ambroſ. [ Ego dixi in abundantia mea, can. Imitare, 6. quæſtion. 1. ]

Abutor, pro non uti, & abſtineri. ] Eſt autem & ſancta ſuperbia, & humilitas iniqua; nam & juſtificatur ſuperbia, quæ huic mundo ſuperbit, & contemnit hoc

ſæ-

ſæculum, omnibuſque magnis ejus, & dulcibus, & ſpecioſis abutitur, intenta cœleſtibus rebus. Paul. c. 21.] Idemque in altera epiſtola *Abuſio* pro abſtinentia ponit, dum Victricium laudat, qui a rebus licitis ſe abſtinebat; ſic [ Tua ſanctitas non ſolum de abuſione licitorum, & abſtinentia commodorum uſibilium Chriſtianæ paupertatis divitem gloriam tenet, epiſt. 27.

Abyssus, a græca voce βυσσὸς, fundum, & ἀ particula privativa, ideſt, abſque fundo. FR. errat tamen Auctor Vocabularii Eccleſiaſtici, dum hanc dictionem ſignificare, ait, *abſque baſe*, & *abſque byſſo*, ideſt, ſine lucis candore; nam a S. Baſilio, qui græcus fuerat, contradicitur, dum *Abyſſum* ita definit: [ Abyſſus copioſa aqua, ad cujus fundum non facile penetrari poteſt deorſum verſus. ] Idem S. Auguſt. ſuper Pſalm. 41. affirmat, ubi: [ Abyſſus ( ait ) eſt profunditas impenetrabilis, incomprehenſibilis, &c. quæ penetrari uſque ad fundum non poteſt. ] Inde *Abyſſus* dicitur in Evangelio damnatorum locus, ubi rogaverunt Chriſtum dæmones expulſi: [ Ne imperaret illis, ut in abyſſum irent. Luc. 8. 31. ]. Metaphorice deinde capitur pro re incomprenſibili, ut [ Judicia Dei abyſſus multa. Pſalm. 35. ] Vide *Hypobrychium*.

Acacia, græce, Ἀκακία, innocentia. ] Hanc corruptibilem habeam ſemper induere in domo Domini, quam acacia pollicetur. Tertull. de cultu fœm. cap. 6. ] Sumitur pro involucro pergameno, quod loco ſceptri ferebat Byzantinus Imperator, adinſtar antiqui codicis, pulvere fartum, in memoriam ejus mortalitatis cum cæteris hominibus communis, quo utebatur, quando ſolemniter, & imperialiter inductus incedebat; inde hujus generis ſceptrum *Acacia*, ſeu *Innocentia* dicebatur, nam mortis recordatio una ex noviſſimis eſt, quæ innocentiam cordis in homine conſervat.

Acantica. Vide *Cactus*, *Schinus*.

Acathistus Hymnus, ſolemniſſima vigilia in Sabbato quintæ hebdomadæ Quadrageſimæ in honorem B. Virginis, quam Eccleſia græca obſervabat, ob memoriam diverſarum liberationum ab invaſionibus Barbarorum, quas eadem Deipara pro Civitate Conſtantinopolitana interceſſerat apud Deum; quæ vigilia Ἀκάθιςος dicebatur, quod *ſine ſeſſione ſonat*; nam tota illa nocte ſtando celebrabatur, dum in honorem ipſius Deiparæ hymnos, ac laudes inceſſanter canebantur; quod colligitur ex quibuſdam Bibliothecæ Bavaricæ verbis apud P. Gretſerum hujus tenoris: [ Civitas vero illæſa permanens, interceſſione Deiparæ quotannis ex illo tempore hymnum gratiarum agendarum cauſa concinit, diem illum Acathiſton, quaſi ſeſſionis expertem nominans. ] FR. Hic corrigendus eſt Franciſcus Junius, qui cenſuit hanc vigiliam inſtitutam fuiſſe in itineris memoriam Mariæ Virginis, una cum ejus Divo Sponſo Joſepho, ad Betlehem; ex Græcorum namque Triodio aliter apparet.

Acatus, navis genus, quæ velis, & non remis utitur, ut ipſa græca dictio, ἀκατος, declarat. [ Quamobrem pontice nauclere, ſi nunquam furtivas merces, vel illicitas in acatos tuas recepiſti. Tertull. lib. 5. adverſ. Marcion. c. 1. ] Aliquando pro vaſe cavo ad cymbæ ſimilitudinem, & pro calciamine ejuſdem figuræ accipitur.

Acca, hodie in Syria Civitas, antiquitus Ptolomais dicta. Vide *Siclus*.

Accaron, Civit. & *Accaronitæ*, incolæ. FR. de quibus in Sac. Scriptura ſterilis, & ſteriles interpretatur D. Gregor. lib. 3. in 1. Reg. cap. 5. & 7.

Accensator. FR. Qui in emphyteuſim, ſeu in cenſum alicui dat immobilia; adhuc enim in Siciliæ, & in Melitæ Inſulis *cenſus* dicitur. [ Qua lege omnes cuſtodes aſtringantur, ut donato accenſator, venditor, honorem perdat, can. Non liceat Papæ, 12. q. 2. ]

Acceptor, accipiter, avis rapax. [ Qui acceptorem de arbore furaverit, in leg. ſalica, titul. 7. §. 1. ] Reperitur etiam ejus adjectivum *Acceptoricius*, ad denotandum quodlibet rapacitatis animal: [ Qui canem acceptoricium occiderit. ]

Acceptum, apoca. [ Quindecim ei libras, accepto ab eodem ſuſcepto, dare modis omnibus debeatis. D. Gregor. lib. 6. cap. 35. ] ideſt, accepto chirographo de argento ſuſcepto. Vide Latinum in Greg. ad calcem. Oper.

Accidior, negligens ſum, & accidioſus. [ Si ille dormire vult, hic accidiatur. Petr. Damian. lib. 2. epiſt. 3.) accidia, & acedia etiam dicitur pigritiæ vitium apud Caſſianum, ex græco ἀκηδία.

Acclamationes, Patrum antiquorum in Conciliis. Vide *Kyrie eleiſon*, *Polychronion*.

Accomodo. FR. pro conſentire. [ Devote ſi tibi accommodare non deneget. S. Gregor. in Regiſt. lib. 7. cap. 44. Noſtrum in his accommodamus conſenſum. Idem, lib. 6. epiſt. 60.

Accubita, cœnaculum erat, ubi Romanus Pontifex in aliquibus feſtivitatibus ſolemnibus epulum Clero dabat: hujus loci fit mentio apud Anaſtaſ. Biblioth. in Leone IV. qui hoc ædificium a Leone III. ejus anteceſſore erectum reſtauraverat, cujus veſtigia una cum tribuna in muſivo depicta adhuc extant a latere poſteriori Domus Pœnitentiariæ Lateranenſis Baſilicæ, ex diligentia Eminentiſſimi Cardinalis Barberini ſacrarum Antiquitatum vigilantiſſimi reſtauratoris, ac græci, latinique priſci ritus ſtudioſiſſimi, & litteratorum Mœcenatis perdurant. De præfato igitur cœnaculo, ſeu accubitibus Ordo Romanus refert, quod in Paſchæ feſtivitate, antequam Pontifex a caterva famularetur ad Veſperarum celebrationem in Lateranenſi Baſilica, [ Deſcendebant Primates Eccleſiæ ad accubita, invitante Notario Vicedomini, & bibebant ter. ] In Aula Conſtantinopolitana etiam reperiebatur locus appellatus *Novemdecim accubita*, ex Luitphrand. lib. 6. hiſt. cap. 3.

Accubitor. Vide *Concubitor*. *Paracimomenus*.

ACCUSATIO, & ACCUSATORES. Magna in accipiendis contra Epiſcopos & Clericos *accuſationibus* cura adhibebatur. Ea quippe vetuſtis temporibus clericalis dignitatis & exiſtimationis ratio habebatur, ut malitioſi cujuſvis plebej & falſi *accuſatoris* calumniis ac obtrectationibus eam exponi, haud æquum eſſe judicaretur. Sed primum in omnibus *accuſationibus*, ſpeciatim contra Epiſcopos, duorum aut trium teſtium teſtimonia, ex præſcripto Apoſtoli, requirebantur. Quocirca quum Synodus *Antiochena* ex unius tantum teſtimonio *Euſtachium* Epiſcopum *Antiochenum* damnaſſet, Hiſtoricus, *Theod. hiſt.* l. 1. c. 21. id ipſum culpat, tamquam agendi modum contrarium regulæ apoſtolicæ, *Adverſus presbyterum accuſationem ne recipito, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus*. Deinde in horum teſtium exiſtimationem inquirendum erat prius, quam eorum teſtimonium admitteretur. Hæretico adverſus Epiſcopum teſtimonium dicere non licebat, quemadmodum ex canonibus, qui vulgo Apoſtolis tribuuntur, colligi poteſt, quorum aliquis utrumque conjungit, *Can. Apoſt.* c. 74. *In teſtimonium adverſus Epiſcopum hæreticus ne admittatur: ſed nec unus ſolus fidelis. In ore enim duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum*. Hujus legis privilegium *Athanaſius* pro ſe adlegabat, *Apol. ad Conſtant. tom.* 1. quum accuſatus eſſet, quod *Macarius* presbyter ejus, ipſo permittente, calicem confregiſſet. Urgebat, *accuſatores* ſuos eſſe *Meletianos*, quibus, utpote ſchiſmaticis & Eccleſiæ hoſtibus, fidem haberi haud liceret. A Concilio *Carthaginenſi* ſecundo non hæretici tantum, ſed alii quique criminibus, publicam offenſionem habentibus, irretiti, c. 6. *tom.* 2. *Concil.* adverſus majores natu quoſcumque in Eccleſia teſtimonium dare prohiberentur. Concilium generale *Conſtantinopolitanum* primum cauſas diſtinguit, de quibus *accuſatio* adverſus Epiſcopum fieri poſſit. Poterat enim quis privatam habere querelam, quod nimirum detrimento aliquo, vel injuria ab ipſo adfectus eſſet: quo in caſu *accuſatio*, nulla dignitatis, vel religionis *accuſatoris* habita ratione, audienda erat. Oportebat enim Epiſcopi conſcientiam eſſe omnibus modis liberam, & eum, qui injuriam ſibi factam eſſe dicebat, cujuſcumque eſſet religionis, jus ſuum conſequi. Si autem eſſet crimen mere eccleſiaſticum, quod Epiſcopo intendebatur, tunc examinari perſonas *accuſatorum* oportebat; ut hæreticis non liceret orthodoxos Epiſcopos, *Conc. Conſtant.* 2. c. 6. pro rebus eccleſiaſticis accuſare. Præterea ſi aliqui eorum ab Eccleſia ob aliquas cauſas prius condemnati & ejecti vel excommunicati eſſent, ſive ex clero, ſive ex laicorum ordine; nec eis licebat Epiſcopum accuſare, priuſquam proprium crimen abſterſiſſent. Similiter & ii, qui prius rei facti, accuſatique erant ad Epiſcopi vel aliorum clericorum *accuſationem* non erant admittendi, niſi prius ſe objectorum ſibi criminum inſontes oſtendiſſent. Concilium *Chalcedonenſe*, c. 21. addit, *Clericos vel laicos, epiſcopos aut clericos accuſantes, non indiſcriminatim, nec citra inquiſitionem ad accuſationem recipi debere, niſi eorum exiſtimatio prius examinata fuerit*. Tantam hac in re adhibebant ſollicitudinem, ut ne exiſtimationem clericorum improbis conſiliis, vel ſceleratis conſpirationibus profligatiſſimorum quorumdam hominum, quos malitia ſua ad eos *accuſandos* induceret, exponi paterentur. Denique ſi qua falſa ſive publice, ſive privatim fieret *accuſatio*, in delinquentem ſevere vindicabantur. *Si quis clericus*, inquit Canon quidam Apoſtolicus, c. 47. *epiſcopum contumelia adfecerit, deponatur; Scriptum enim eſt: principi populi tui non maledices*. Et Canon quidam Concilii *Illiberitani*, c. 75. dicit, *Si quis epiſcopum, vel presbyterum, aut diaconum falſis criminibus appetierit, & probare non potuerit, nec in finem dandam ei communionem*. Quæ uſitata pœna erat, quam iſtud Concilium grandibus & publice notis ſceleribus infligebat; quam ob cauſam nonnulli Eccleſias *Hiſpanicas Novatianiſmi* inſimulavere, ſed injuria, uti oſtendetur, quando de Eccleſiæ diſciplina agetur. Hic obſervaſſe ſufficiat, hoc in maximis criminibus poſuiſſe; ſiquidem iſtiuſmodi *accuſatoribus* externam Eccleſiæ pacem in ipſo mortis articulo concedere recuſarunt. || Calumniam & falſam *accuſationem*, qua fraudulenti delatores ſub ſpecie juris, & legitimæ rationis poſſeſſores ſuis bonis ſpoliare ſtudent, ut ſpeciem furti ac rapinæ interdum lex accipit, & ſub hoc titulo proſcribit. Quemadmodum videre eſt ex lege *Valentiniani*, & *Gratiani*, in codice *Theodoſiano*, l. 9. tit. 1. *de accuſation.* leg. 11. ubi jubetur, eum, qui alterum ex hoc capite incuſaverit, eadem adfici pœna, cui alterum ſubjicere ſtuduerit, ſi falſus *accuſator* eſſe deprehenſus ſit, &, quod intenderit, non probaverit. Extant præterea in eodem codice duo, treſve integri tituli, l. 9. *tit.* 39. It. l. 10. *de petitionibus & delatoribus*, in quibus iſtiuſmodi *accuſatores* & petitores, *humanæ vitæ malum & humani generis inimici* vocantur, jubenturque bonorum publicatione puniri & gladio. Lex etiam Eccleſiaſtica ſeveram eis injungit pœnam. Concilium *Illiberitanum*, c. 73. hoc modo decernit: *Delator ſi quis extiterit fidelis, & per delationem ejus aliquis fuerit proſcriptus vel interfectus, placuit eum nec in fine accipere communionem. Si levior cauſa fuerit* (pecuniaria vel alia hujuſmodi) *intra quinquennium accipere poterit communionem. Si catechumenus fuerit, poſt quinquennii tempora admittatur ad baptiſmum*. Iſtiuſmodi calumniam *Auguſtinus*, *Ep.* 54. *ad Macedon.* quoque inter ſpecies rapinæ & oppreſſionis refert. Et Auctor *Conſtitutionum Apoſtolicarum*, l. 4. c. 6. Epiſcopum inſtruens, quoſnam a communione debeat rejicere, inter alios etiam nominat militem calumniatorem, non contentum ſtipen-

pen-

pendiis, ſed pauperes concutientem. || Præceptum Dei eſt, ut alterius fama ab injuria, quæ per falſos rumores bonæ illius exiſtimationi infertur, ſarta tecta conſervetur. Immittitur hæc injuria interdum publice per falſum teſtimonium; tuncque calumniæ additur perjurium, & nonnunquam furtum & homicidium; uti in cauſa *Nabothi*, qui lapidibus obrutus interiit, falſo accuſatus, quod Deo maledixiſſet, & Regi. Hujus criminis magnitudo modo conſideranda eſt, ut injuria, quæ hominum infertur exiſtimationi; quæ cum omnibus longe carior ſit, quam *divitiæ multæ*; leges diligentiſſime cavent, ut quiſque quiete eam poſſideat, debitiſque ſubjiciatur pœnis quicumque ejus deſtructionem falſis machinationibus molitur. *Aulus Gellius* narrat, *Noct. Attic.* l. 20. c. 1. pœnam falſi teſtimonii inter veteres *Romanos*, ex lege duodecim Tabularum fuiſſe, ut, qui illud dixiſſet, e ſaxo *Tarpejo* dejiceretur: putatque, ſi pœna illa perduraſſet, *Romanæ* Reipublicæ admodum profuturam fuiſſe; juſta enim ſeveritate homines ab hoc crimine potuiſſet deterrere. Poſtea per legem *Remmiam*, *Digeſt.* l. 48. *tit.* 16. *Senatus Conſult. Turpilian. leg.* 1. falſis teſtibus ſive calumniatoribus in fronte inurebatur *K*, qua nota *Kalumnia* ſignificabatur. Unde e contra, *Digeſt.* l. 22. *tit.* 5. *de teſtibus*, *leg.* 13. viros honeſtos lex *homines integræ frontis* appellat. Lex iſta, & pœna ſæpe memoratur *Romanis* Scriptoribus, *Tullio*, Orat. 2. pro Roſcio, *Plinio Panegyr.* & aliis. Et quamquam lex Chriſtiana eam abolevit, ut & illam cruris ſuffringendi, & alias quaſdam; falſa tamen *accuſatio* & calumnia congruis pœnis, infamia, exilio, & per legem talionis ejuſdem mali, quod aliis intenderat falſus *accuſator*, perpeſſione adhuc corrigebatur; quemadmodum e diverſis legibus, *Cod. Theod.* l. 9. *tit.* 39. *de calumniatoribus leg.* 1. *Cod. Juſtin.* l. 9. *tit.* 46. de *calumniatoribus leg.* 7. in utroque codice apparet, maxime ex iis, quæ *accuſatorem* eamdem pœnam ſubire jubent, cui alterum falſa ſua *accuſatione* ſubjicere adlaborarit, ſi *accuſationem* non probaverit. Neque leges Eccleſiaſticæ ſuo in genere minus ſeveræ erant contra iſtiuſmodi machinatores. Falſus teſtis quacumque in cauſa quinquennii pœnitentiæ per canonem quemdam Concilii *Illiberitani*, c. 74. ſubjiciendus erat. Et hoc quodem, ſi falſum teſtimonium in cauſa mortis non eſſet. Hoc enim in caſu, quum eſſet crimen homicidii, criminoſus a communione ad horam uſque mortis ſubmovendus erat. Concilium *Agathenſe*, c. 37. generalem pœnitentiam iſtis denuntiat, ſine termini definitione, qui arbitrio relictus erat Epiſcopi, cujus erat, de ſinceritate reſipiſcentiæ eorum judicare. Concilium autem *Arelatenſe* primum, c. 14 per omnem vitam eos pœnitere jubet: Et *Arelatenſe* ſecundum, c. 24. eorum pœnam in tantum moderatur, ut Epiſcopo de pœnitentia & ſatisfactione eorum definire permittat. || Nedum cædes, quæ ipſo actu patrabantur, cenſuris erant obnoxiæ, ſed omnes etiam actiones, quæ directe & proxime ad cædem tendebant; ut falſum teſtimonium contra alienam vitam. Nam ut *Lactantius*, l. 6. c. 20. rem ſcite exprimit, *nihil diſtat, utrum ferro, an verbo potius occidas:* Occiſio enim eſt utrobique, & divinæ legis hominum vitam invadere prohibentis, nec ullam exceptionem admittentis violatio. Propterea lex civilis, *Cod. Theod.* l. 9. *tit.* 1. *de accuſationibus*, *leg.* 11. It. *leg.* 19. pœnam talionis falſis *accuſatoribus* conſtituit. *Qui alterius caput & ſanguinem in judicium devocaverit, ſciat, ſibi impendere congruam pœnam, ſi quod intenderit, non probaverit.* Et iterum: *Quiſquis ille eſt, qui crimen intendit, in judicium veniat .... nec impunitam fore noverit licentiam mentiendi, quum calumniantes ad vindictam poſcat ſimilitudo ſupplicii.* Neque quiſpiam alteri crimen intendere poterat prius, quam ipſe ſe adſtinxiſſet ea conditione, quam lex, *Cod. Theod.* l. 9. *tit.* 1. *de accuſationibus leg.* 14. vocat *vinculum inſcriptionis*, ad ſubeundam pœnam talionis, ſi *accuſationem* in judicio non evinxiſſet. Jam vero licet lex eccleſiaſtica pœnam talionis falſum teſtimonium contra alicujus vitam dicentibus infligere non poſſet; quum tamen omne falſum teſtimonium crimen eſſet excommunicatione luendum (quemadmodum ſupra pluribus oſtenſum eſt) jure colligere poſſumus, iſtiuſmodi teſtimonium contra alienam vitam ab Eccleſia in graviſſimis calumniæ pariter & homicidii ſpeciebus fuiſſe poſitum, adeoque auctores ſuos omnibus pœnis ſubjeciſſe, quæ hiſce criminibus quocumque in gradu debebantur. *Vid. Conc. Illiberit. c.* 84.

Accusator Falsus, tribus modis deteg tur. Vide *Prævaricator*, *Colludium*, *Inludium*, *Tergiverſator*, & ibi diverſitates pœnarum ei præſcribuntur.

Acoemetae, Monachi nonnulli Byzantini, ita vocati, quia per totam noctem, ac diem continuo in variis claſſibus diviſi ad canendas divinas laudes occupabantur, ita ut una claſſis alteri ſuccederet, a voce græca Ἀκοίμητοι, quæ vigilantes ſonat, appellari: & acute D. Gregor. Nazianz. ἀκοίμητον conſcientiæ vermem dixit, quæ nunquam quieſcit; ſic Græci vocant ἀκοίμητα, lumina continuo ad Sanctiſſimum ardentia. Relati igitur Monachi etiam *Studitæ*, dicebantur a quodam nobiliſſimo viro nomine *Studio*, illius Monaſterii fundatore, multique deinde Sancti hujus loci alumni *Studitæ* appellati ſunt; ac ſane locus ille Doctorum, Sanctorumque Præſulum græcæ Eccleſiæ ſeminarium fuit, ex quo etiam pro Apoſtolica Sede acerrimi defenſores extitere, præſertim contra Acacium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, qui cum depoſitus, & excommunicatus fuiſſet in Concilio Romano ſub Felice III. ac nollet ſententiæ ſuccumbere; ad ejus Pal-

lium Pontificale, & ad pectus ipſius, cum Pontificaliter ille incederet, zelo motus quidam hujus Monaſterii alumnus, præfatam ſententiam affixit. Metaphraſtes in vita Marcelli Acœmetarum Archimandritæ ſcribit Alexandrum Abbatem hujus Inſtituti fuiſſe Auctorem, quod deinde in variis Orientis partibus dilatatum fuit. FR. hos alumnos, qui Byzantii eruditionum cauſa alebantur, Doctores Oecumenicos appellat Zonaras in Leone, tom. 5. pag. mihi 85. Item *Acœmetæ* latine *Inſomnes*, ſeu *Vigiles* ſignificat, quare Evagrius in hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 19. hunc titulum habet, *De Cyrillo Monachorum, qui inſomnes vocantur, Præfecto &c.* In textu vero ſcribit: [Cyrillus, qui Monachis quos ἀκοιμήτους vocant &c.] ac idem habet in cap. ſequenti.

ACEPHALI, hæreticorum ſecta, Ἀκέφαλοι, ideſt, *ſine capite*, non enim caput, ſeu hæreſiarcham habebant. FR. dicuntur *Acephali* etiam Clerici, qui Superiorem cognoſcere nolunt, can. 8. diſt. 93. *A.* Item *Acephalum* dicitur Concilium, ſeu Conciliabulum, abſque Pontificis Romani facultate congregatum, cum ſit ille totius militantis Eccleſiæ caput. Hæretici itaque illi *Hæſitantes*, ideſt, dubioſi dicti fuerunt poſt Chalcedonenſe Concilium, Cyrillum Alexandrinum, & Joannem Antiochenum Patriarchas non ſectantes. FR. dicuntur etiam *Acephalitæ* prædicti hæretici. Nullus enim eorum reperitur auctor, ex quo orti ſunt. Ii trium Chalcedonenſium Capitulorum impugnatores, duarum in Chriſto ſubſtantiarum proprietatem negant, & unam in ejus perſona naturam prædicant, 24. quæſt. 3. canon. 39. Item *Acephalum Concilium* dicitur conciliabulum abſque ſuperioris licentia convocatum, can. ſubmittitur, diſt. 21.

ACERRA, incenſi navicula. [ Quam quidem, & ipſum proinde examinatorem Chriſtianorum adhiberi ut focalium, & acerram oportebat. Tertull. adverſ. Gentil. cap. 9. ] Diripiebant, ſuiſque ornamentis ſpoliabant, multas quidem amulas ſacras, ſive vaſa hiſtorial.a, & aſpergilla ex puro auro, quampluri-mos etiam calices, & acerras. Agatias, lib. 3. ] quæ *Pyxis* etiam dicitur. [ Pyxidem, qua thus habetur, in manu ferens. Ordo Rom. ] ubi qui illam Pontifici porrigit, Cuſtos, vel Princeps Eccleſiæ appellatur; miniſterium namque hoc ad Eccleſiæ illius Titularem ſpectabat: hodie tamen ad Decanum pertinet, & quando non celebrat Papa, tunc primi Presbyteri hoc munus erit. Ejus ſynon. Vide *Colimpha*, *Chelandium*, *Hannapus*, *Incenſorium*, *Pyxis*.

ACETABULUM, ſcutula, vaſis genus. [ Acetabulum argenteum pondo centum triginta ſiclorum. In teſtam S. Remig. num. 7. ]

ACERVUS MERCURII. FR. phraſis quidem intellectu difficilis. [ Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii, ſic qui tribuit inſipienti honorem. Proverb. cap. 26. ] pro cujus intelligentia ſciendum eſt, Phornutum de Natur. Deor. cap. 1. de Mercurio, hæc ſcripſiſſe. [ In viis collocatur, ac triviis, & Dux dicitur, &c. deinde lapides accumulant Mercurii, quiſque ex prætereuntibus unum adjiciens, ſive id tanquam utile quiddam, ac commune ob ipſum faciens, ut via purgetur, ſive teſtans Mercurium, aut ut ei honorem ſignificet, ſi nihil habeat aliud, quod ei offerat, ſive ut Mercurii collocationem prætereuntibus faciat manifeſtiorem, ut innuat ex parvis partibus proferendam conſtitui orationem. ] Similem actum faciunt Mahometani peregrini ad ſepulchrum ſuperſtitioſum eorum Pſeudoprophetæ; ibi enim ad puteum, nempe, in quo abſconditus fuerat Sergius Monachus apoſtata, & hæreticus ex ſecta Baſilidis, ſeu Manichæi; nam illi hæretici dicebant non Chriſtum, ſed Simonem Cyrenæum crucifixum fuiſſe, quem angariaverunt Judæi, ut Chriſti crucem tolleret. Auguſt. lib. ad Quodvultdeum, & de fide contra Manichæos. Quod idem aſſerit Alcoranus ab ipſo Sergio conſarcinatus. In hoc, inquam, puteo latebat iniquus ille Monachus, dum ibi prope Mahometus prædicabat, quando columba, quæ ſæpe ad aurem ejus granum frumenti capeſſere roſtro erat aſſueta, dimiſſa fuit. Poſt tale apparens miraculum, ne id cognoſceretur ex opera humana patratum, juſſerat falſus ille Propheta, ut unuſquiſque illius multitudinis, quæ ſeducebatur, projiceret lapidem in puteo, ne deceret amplius (ut ajebat) quemquam tali puteo, unde Spiritus Sanctus in columbæ ſpecie prodierat, uti, vel ingredi; & ſic miſer ille apoſtata mahometico dolo lapidibus obrutus fuerat: quare uſque ad hæc tempora Mahometani peregrini ex ſuperſtitioſa illa veneratione lapidem projicere ſolent, & vocatur puteus ille *bir ſemſem*, quod ſonat arabice *puteus reſonans*. Similiter plebs Terræ Guadagnoli prope Polum in Diœceſi Tiburtina, ſolet ante ingreſſum illius Terræ injicere lapidem in acervum, ubi traditur quendam viarum craſſatorem humatum fuiſſe. Igitur ex Phornuti fabula de Mercurio aliqui Salomonis phraſim intelligunt, quod ſicut fruſtraneus eſt lapidis jactus in Mercurii culmen: [ Sic qui tribuit inſipienti honorem. ] Aliquis tamen mihi in hoc moralis ſenſus occurrit de inſipientibus, qui gloriæ tributum a poſteris exigunt, ſeſe tanquam librorum auctores divulgando, cum revera non niſi Deſcriptores ſint aliorum Auctorum: iſti (inquam) nil aliud faciunt, quam mittere lapides in acervum Mercurii, ſcientiarum numinis, ac fruſtraneos libros inutiliter in bibliothecis coacervant. Poteſt hæc Salomonis phraſis trahi ad alium ſenſum, ex eo, nimirum, quod de lapidibus ſcribit Orpheus, qui in hymno de Mercurio, cum ad ſtudia homines adhortaretur, ſpeluncam Mercurii ait, eſſe omnium bonorum, & commodorum plenam, cujus verſus, juxta Natalis Comitis verſionem, lib. 5. cap. 5. Mythol. circa finem, ſic interpretantur.

*At quecumque virum ducit prudentia cordis:*
*Mercurii ingredier ſpeluncam, plurima ubi ille*
*De-*

*Depoſuit bona, ſtat quorum prægrandis acervus,*
*Ambabus valet hic manibus ſibi ſumere, & illa*
*Ferre domum: valet hic vitare incommoda cuncta.*

Hunc fortaſse Orphei de lapidibus Mercurii grandem acervum, & ſcientiarum cumulum inſinuare Salomon voluit, ſcilicet, ad honorabilem ſtudiorum cumulum mittendum non eſſe ſtultum, qui eſt tanquam lapis inſenſatus. Nam ſtudio, & labore acquiritur ibi ſcientia: quod idem Poeta, Perdriero interprete, ſubjungit circa finem hymni: [ Ego vero mihi obtemperantibus, theſauros meos deſpondeo, longe divite auro præſtantiores, demonſtraturus hominem ſtrenuum, & patientem laborum, qui inſtituatur, & peritos interroget. Siquidem abſque labore, & ſudore copioſo, Saturno genitus artes non concedit; veluti ad occaſum equi per æthera ſplendentem reſpirantes curru Phœbum perducunt. ] Ideſt, negligentes toto cœlo diverſo, & quantum diſtat ortus ab occidente, inverſo ordine ad comparationem ſtudiorum proficiunt; quod de vera ſapientia etiam Rex ille ſapiens affirmavit, dum ait: [ Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut Sol, & ſtultus ut Luna mutatur. Eccleſ. 27. Nam: In facie prudentis lucet ſapientia, oculi ſtultorum in finibus terræ. Proverb. 17. ] In finibus terræ, ait, ideſt, ad occaſum, quia [ Sic unus & ſtulti & meus occaſus erit. Eccl. 2. Stultus enim in tenebris ambulat. Ibidem. ] Et quod cecinit Orpheus de bivio, & trivio Mercurii ſapientiam largiente, a Salomone ſuratus eſt, ubi de inſipiente peccatore ſic loquitur, terram ingrediente duabus viis. Eccleſ. 2.

ACHARIS. Ἄχαρις græce, ſonat ſine gratia, inſipidus, ingratus. [ Homo acharis, quaſi fabula una. Eccl. cap. 20. ] FR. unde dicitur *Achariſtus*, beneficii accepti ingratus, & immemor: *Achariſtia* ingratitudo, & *Achariſtia medicamenta* dixit Celſus, ideſt, ingrata, vel etſi ſalutifera, ingrata tamen ſunt ſenſibus, ut ajebat Cicero, quod: [ Nulla remedia, quæ vulneribus adhibentur, tam faciunt dolorem, quam quæ ſunt ſalutaria. ]

ACHEROPOETA, appellabatur mirabilis Imago illa Salvatoris, Ἀχειροποίητος græce, quod nos *Non manufactam* dicimus, quæ Romam translata magna veneratione conſervabatur. [ Stephanus procedens in Litania cum ſanctiſſima Imagine Jeſu Chriſti, quæ Acheropœta nuncupatur. Anaſtaſ. in Steph. III. ] In vetuſtis Baſilicæ Lateranenſis monumentis habetur hanc venerabilem Iconam a Divo Luca inchoatam, & ab Angelis perfecte abſolutam fuiſſe, quod confirmatur ex Joanne Lateranenſe Diacono apud Honuphrium Panvinum in opuſculo M. S. in quo de hac Baſilica egit, cujus hæc ſunt verba: [ Super hoc Altare eſt imago Salvatoris mirabiliter ſuper quadam tabula depicta, quam Lucas Evangeliſta deſignavit, ſed virtus Domini Angelico perfecit opificio, ] & Angelicus Doctor in 3. par. quæſt. 25. ait: [ Unde & B. Lucas dicitur depinxiſſe Chriſti imaginem, quæ Romæ habetur. ] Ex M. S. Cæremoniali Benedicti Sancti Petri Canonici in Angelica Sancti Auguſtini de Urbe Bibliotheca conſervato legitur, quod in die Paſchæ, antequam Papa ad Baſilicam Sanctæ Mariæ Majoris pro ſolemni Miſſa celebranda transferebatur, Capellam S. Salvatoris ingrediebatur, ubi album Pluviale deponebat, & una cum Diaconibus, & Cardinalibus paratis, ſuſcipiebat ſacra paramenta uſque ad Dalmaticam, ac mox hanc figuram Salvatoris detegebat, ejus pedes oſculando, & alta voce dicebat; [ Surrexit Dominus de ſepulchro, Alleluja, ] ac ſe ponebat in ſede; deinde Diaconorum Prior oſculabatur eoſdem figuratos pedes, & ad Papam accedens pro ſuſceptione Pacis Papa proferebat, Surrexit Dominus vere, tunc Prior, [ Et apparuit Simoni, ] reſpondebat. Idem Diaconus, Cantorum Primicerius, Baſilicæ Prior, & cæteri in dicta relatione nominati, faciebant. Quo finito, Pontifex induebatur Planeta, & pallio, cum Mitra in capite, & ad dictam Marianam Baſilicam perequitabat. In vigilia vero Aſſumptionis Deiparæ ejuſdem Redemptoris Iconem, herba ocymo, & aqua ad pedes lavabat Pontifex, ac illum proceſſionaliter ad eandem Baſilicam propriis ſuis manibus deferebat. Qui cœremoniæ uſus, uſque ad Beati Pii Papæ V. tempora ( ut Sebaſtianus Fabrinus in tractatu de Jubilæo Anni Sancti 1600. cap. 18. teſtatur ) duravit. De ſignificatu hujus lotionis dicetur infra in dict. *Aqua benedicta*. Creditur eſſe hunc eundem Iconem, qui nunc in Sancta Sanctorum conſervatur, ubi non poſſunt fœminæ habere ingreſſum, & antiquitus ſolus Papa ingrediebatur ad celebrandum. FR. Identitatem hujus imaginis Acheropœtæ conatur probare Benedictus Millinus in tractat. de Oratorio Sancti Laurentii, cui apologetice, & erudite reſpondet Franciſcus Griſendus. Cauſa hujus æquivoci fuiſſe puto, quia Baſilica ipſa Lateranenſis, non S. Joannis, ut modo appellatur, ſed S. Salvatoris dicebatur, & S. Joannis Eccleſia erat ſolum illa, quæ Baptiſterium Conſtantini dicitur. Vide hic *Conſtantinianæ Eccleſia*.

ACINETUS. Vide *Abaſcantus*.

ACOLUTHUS, ſeu *Acolythus*, unus ex quatuor Ordinibus Minoribus: ex græco verbo κολύω, ideſt, prohibeo, & ex negativa particula ἀ. componitur nomen *Acolythus*, quod *non prohibitus* ſonat. FR. *Acolythus* græce, latine *comes*, ſive *miniſter* intelligitur; ita Valentinus Forſterus de juriſdict. Rom. par. 2. tit. de Eccleſiaſticis functionibus, num. 30. || Cum non omnino a ſacro miniſterio excluſus ſit, debet enim & ſacra vaſa præparare, imo antiquitus ſuſtinebat patenam involutam, ſicut modo Subdiaconus facit. [ Accipit Archidiaconus, a Subdiacono, patenam involutam, quam Acolythus tenuit involutam, & oſculatam dat uni ex Diaconibus tenendam, ad confractionem in ea faciendam. Microl. de Eccl. Obſervat. cap. 18. Acolythus infra Canonem pa-

pa-

patenam involutam tenet. Gem. de Antiq. Ritu Miſſæ, lib. 1. c. 48. ] Eodem quoque tempore geſtabat fiſtulam in manu, per quam attrahebat populus tunc temporis Chriſti ſanguinem. [ Acolythum patenam, & fiſtulam habentem. ] Acolythorum officium eſt ferendi etiam cereos accenſos in celebratione Miſsæ. Alii & melius etymon deducunt a verbo græco ἀκολυθέω, quod ſequi ſignificat; nam ejus officium eſt cum cereo accenſo Diaconum ſequi, quando ad canendum Euangelium incedit; at juxta hanc ſignificationem deberet ſcribi *Acoluthus*. Quod munus nonniſi ab ordinato in hoc gradu exercendum erit, ut Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 17. de reformat. diſponit, ubi vehementer in hoc inculcantur Ordinarii; & ideo Sac. Congregat. prohibet Laicos, & Novitios Regularium a tali exercitio, quando carent hoc ordine; quin & Nicephorus, lib. 8. hiſt. cap. 18. ait, quod ejus ævo incurrebat in irregularitatem, qui non ordinatus hoc munere fungi audebat. Refert Codinus, Præfectum Barangium, ideſt, militum, Byzantinæ Cohortis imperialis appellatum fuiſſe *Acoluthum*. FR. Petrus tamen Lombardus diſt. 24. lib. 4. docet hanc vocem ſignificare *Ceroferarium*; ſed potius officium, quam etymon Acolythi explicavit. Romæ tria genera Acolythorum reperiebantur; *Palatini*, qui nimirum inſerviebant Pontifici; *Stationarii*, qui aſſiſtebant in Eccleſiis, ubi ſtationes celebrabantur; *Regionarii*, qui adminiſtrabant cum Diaconibus in Urbis Regionibus. Vide *Ambo*, *Anagnoſta*, *Archiacoluthus*, *Ceroferarius*, *Corbicularius*. Acolythus antiquitus patenam in Miſſa ſuſtinebat. Vide *Patena*.

Acra, vox germanica *Acker*, territorium arabile, & ad cultivationem aptum ſignificat. [ Jugerum terræ concedimus præterea eis Pinchecrofort cum duabus acris. In vita S. Alb. Abb. ] FR. [ Cum ejuſdem Villæ Dominus viginti acras terræ frugiferæ velit ad uſus Sacerdotis conferre, lib. 3. tit. 48. cap. 3. decretal. ] Ubi Gloſſa notat, quod *Acra* ſit menſura terræ juxta vulgare Anglorum; ideo Alexander Tertius Anglico termino utitur in citat. cap. Decretal. nam Eboracenſi Archiepiſcopo ſcripſerat.

Acrimonia. FR. excommunicatio. [ Qui vero præmiſſas inhibitiones animo petulanti contempſerint, præter proceſſum ordinarium, & deputandorum ab ipſis, divinæ ultionis, & noſtræ poterunt acrimoniam formidare, donec ſuum confeſſi reatum, a ſimilibus firmato propoſito deliberaverint abſtinere, tit. 23. cap. 1. in 6. ] & ibi Gloſſa inquit [ *Acrimoniam*, ideſt, acrem pœnam, & dicitur quaſi acris monitio, vel, ideſt, pœnam excommunicationis, quaſi a gremio Eccleſiæ expellentem. ] Sed potius *Acrimonia* dicenda eſt ab *Acriſia* ideſt, *abſque & extra judicium*, ut hic immediate ſequitur.

Acrisia, nomen græcum κρίσις, quod judicium ſonat, cui præpoſita negativa particula α, ſignificat abſque judicio; & proprie de judicio erroneo dicitur, ut duobus illis Diſcipulis ad Emmaus euntibus evenit, haud diſcernentibus fuiſſe Salvatorem Mundi, qui cum ipſis aſſociatus in via fuerat, peregrinum eſſe exiſtimantibus. [ Hoſpitalitatis fuit meritum, quod duo Diſcipuli euntes in Emmaus acriſia ſublata in fractione panis Dominum cognoverunt. Bleſen. epiſt. 29. ] Itaque erroneum judicium ſignificat.

Acrostichia. FR. [ Alius quidem pſalmos David canat, populus vero initia verſuum, quæ dicuntur Acroſtichia, ſuccinat. Conſtit Apoſt. lib. 2. cap. 57. ] Ἀκροστιχὶς enim initium verſuum ſignificat. Cœl. Rhodig. Antiq. lect. lib. 13. cap. 39.

* Acta Apostolorum. Per quinquaginta dies Pentecoſtales ſolita legis in Eccleſia. Certas lectiones certis temporibus ac ſolemnitatibus adſignatas fuiſſe, ut aliæ earum loco legi non poſſent, teſtis eſt *Auguſtinus*, *Expoſit. in 1. Joan. in præfat. Tom. 9.* Speciatim in feſtivitate Paſchali per quatuor dies ſibi ſuccedentes hiſtoriam Reſurrectionis Chriſti, *Serm. 139. de tempore*, ex quatuor Evangeliis recitari; omnibus autem diebus inter Paſcha & Pentecoſtem, *Tract. 6. in Joan.* Actus Apoſtolorum legi narrat. Id frequenter etiam memoratur *Chryſoſtomo*, qui integro ſermone, *Hom. 63. Cur in Pentecoſte Acta legantur*, hujus rei rationes recenſet. Addit etiam, *Idem ibid.* in die Paſchatis ea legi, quæ Reſurrectionem *Chriſti* condoceant, & in ſingulis Feſtis, quæ in ſingulis acciderint. Inde quærendum reſtare dicit, cur *Acta Apoſtolorum*, quæ miraculorum poſt Pentecoſten ab eis patratorum hiſtoriam contineant, non potius poſt, quam ante Pentecoſten legantur. Ad quod reſpondet, miracula apoſtolica in hoc libro perſcripta, demonſtrationem eſſe Reſurrectionis Servatoris noſtri: Quod igitur Dominicæ Reſurrectionis maxime fidem faciat, hoc ſtatim poſt Crucem, & Reſurrectionem Patres legi ſtatuiſſe, ut homines manifeſtam & indubitatam Reſurrectionis probationem haberent. Ut adeo, licet lectiones in aliis feſtivitatibus recitari ſolitæ ad ea pertinuerint, quæ in iſtis fuerunt patrata, peculiari tamen de cauſa *Acta Apoſtolorum*, hiſtoriam rerum poſt Pentecoſten geſtarum complexa, ante Pentecoſten lecta ſint, quia tempori Dominicam Reſurrectionem proxime excipienti magis conveniebant. Quam ob cauſam generalis regula per totam Eccleſiam facta eſt, ut *Acta Apoſtolor.* hoc tempore legerentur, uti *Chryſoſtomus* non tantum hic, ſed multis etiam in locis, *Hom. 47. & 48.* teſtatur. Eumdem ordinem inter *Egyptios* obſervatum eſſe, auctor eſt *Caſſianus*, l. 2. c. 6. Atque ita in Eccleſiis *Gallicanis* obtinuiſſe, ex antiquo *Lectionario Gallicano* apparet. Nam ſingulis propemodum diebus inter Paſcha & Pentecoſten, exceptis diebus Rogationum & paucis aliis, duæ lectiones legi jubentur ex Apocalypſi, & *Actibus Apoſtolorum*. Obtinuit quoque idem mos in Eccleſiis *Hiſpaniarum* ex præſcripto Concilii Toletani quarti, cap. 16. inſlicta

ᶜta excommunicationis pœna non obſequentibus.

Acta, littus maris arenoſum. [ Quæ non in acta, nec in littoribus, ſed in Atlantici maris profundum feruntur. S. Ambroſ. lib. 5. Examer. cap. 11. ] ubi de monſtruoſis cetis loquitur; græce enim ἀκτὴ, littus ſignificat. FR. Virgil. Eneid. 5.

In ſola ſecretæ Troades acta
Amiſſum Anchiſen flebant. Servius, ibid.

Unde *Attica*, ſeu *Atthis* regio ab ἀκτὴ, ideſt, littore dicta fuit: ſcribit enim lib. 6. Strabo hanc regionem magna ex parte littoralem eſſe, quod Plinius etiam lib. 4. cap. 7. ſic confirmat: [ In ea prima Attica antiquitus Acta vocata. ]

Actio missae, Canon Miſſæ, S. Dionyſius de Hierar. Eccl. cap. 1. inde *Infra actionem* dicitur totum id, quod infra canonem eſt, cujus partes explicabuntur minute in ſuis locis. Vide *Canon Miſſæ*.

Actionarius, Exactor, & Uſurarius. [ Ab Actionariis publicis mutuo accipiunt, & gravia commoda pro eodem beneficio perſolvunt. S. Greg. in Regiſt. lib. 1. cap. 42. ] FR. Differt autem *Auctionarius* ab *Actionario*; nam primus uſurarium, & negotiatorem denotat; ſecundus vero, de quo in Bullar. Caſinen. tom. 2. conſtit. 2. 10. 12. 13. 15. & clarius ibid. conſt. 3. 17. 20. ſignificat actorem, agentem, ac negotiorum geſtorem. Locum igitur D. Greg. ſupra *Actionariis*, alii corrigunt *Auctionariis* ab augendo; ita enim uſurarii dicendi ſunt, quia ſortem principalem lucrando augent.

Actor, idem ac Actionarius, ſupra in ſecunda ſignificatione, [ Si quis erga Epiſcopum, vel Actorem Eccleſiæ quemlibet querelam habere crediderit. ] In Capitul. Ludovici Imp. cap. 12.

Actores Templi. Vide *Exorciſta*.

Actuosa, Epithetum Eccleſiæ ab Ambroſio attributum, de interpell. David. FR. Calepinus autem in dict. *Actin*, ideſt, radius ſolis, *Actinoſa* pro *actuoſa*, citatum locum Ambroſii legit in hoc ſenſu, *Actinoſa* Eccleſia dicta, ideſt, radiata, ſeu illuminata potius, quam luminoſa, ut frater meus expreſſerat, cum ipſemet etiam fateatur, hanc dictionem ab ἀκτιν vocabulo provenire: ergo non *actuoſa*, ſed *actinoſa* dicenda cum Calepino. Nota, quod D. Ambroſ. in Pſalmum 41. ſic ait: *Hæc eſt actinoſa, quæ Græce ἀτινώδης dicitur, quod fide operibuſque reſplendeat &c*.

Acuanitæ. FR. hæretici, quorum ſeductor Acuas Manetis diſcipulus fuerat; qui cum Manichæis conveniebant. Baron. ann. 277. num. 42.

Acupictile, Phrygium opus, quod acu pingitur, Italice *Ricamo* dicitur, in Lege Francorum, lib. 5. cap. 75. ubi mendoſe *Acubicule*, & Meurſius *Acubitula* a greco ἀκούβιτον punxit. Sed *Acupictile* dicendum, ut ex textus ſenſu clare apparet, ubi ſic habetur: [ Fœminæ in die Dominica opera textilia non faciant, nec capulent veſtitus, vel acupictile fiat. ] FR. contra hanc legem militat Recentiorum opinio, qui tenent penicillo, & acu pingere in die feſto non eſſe prohibitum.

Acus. FR. portam intellexerunt aliqui, ubi Chriſtus Matthæi 19. & Lucæ 18. dixerat, [ Camelum facilius eſſe per foramen acus tranſire &c. ] Pro cujus rei difficultate nonnulli foramen acus dixerunt poſterulam fuiſſe in Jeruſalem. Ita Paſchaſius Rathbertus, lib. 8. in c. 19. Matth. Vide *Camelus*.

Acutus, clavus, aculeus, ſeu ligni cuſpis. Colligitur ex Palladii verbis: [ Sicuti impoſſibile eſt navim fabricari ſine acutis, lib. 5. num. 48.

Acyrologia, vox græca ἀκυρολογία, impropriam locutionem ſignificat; [ Iſtiuſmodi nugis, & acyrologiis omnis ejus ſcatet oratio. D. Hieron. lib. 2. adverſ. Ruf.

Adam. Vide *Ambro. Cinerum dies. Formentum, Golgotha. Inconcilio. Innuptus. Kabala*. Qua hora creatus fuerit. Vide *Hora Canonica*, §. *ſexta vero hora*. Item vide *Arctoplaſtus*. In quo hebdomadæ die peccaverit. Vide *Pſalmus*. Ejus generationes. Vide *Sabbatum Henoch*. Quando ejus lapſum celebrat Eccleſia. Vide *Septuageſima*. Primus prævaricator. Vide *Prævaricator*.

Adamantius, ſic appellatus fuit Origenes, ob ejus argumenta, ut ſcribit Photius in Biblioth. cujus hæc ſunt verba: [ Origenem Adamantium cognominatum ex eo tradunt, quod rationes, quas collegerat, adamantinis quibuſdam quaſi vinculis non abſimiles viderentur. ] Inde ſumpta occaſione aliqui Scriptores crediderunt, duos fuiſſe Origenes: tales fuere D. Auguſt. Sophronius Jeroſolymitanus Epiſc. S. Epiphanium ſecuti. FR. Sophronii opinio adducitur a Photio in ejus Bibliot. tit. 231. |||| : At Photius cauſam æquivocationis oſtendit; nimirum ex verbis Conſtantinopolitani Concilii V. appellati, c. 9. ubi condemnatur Origenes his notis: [ Anathema & Origeni, qui Adamantius. ] Ex quo infertur, Patres in illo Concilio, præter Adamantium, alium Origenem Catholicum cognoviſſe.

Adamatica Arbor, ſcilicet illa, quæ in terreſtri Paradiſo erat, cujus fructus Adam contra divinum præceptum guſtaverat. [ Ante Zachæus aſcendit arborem, quam crucem Dominator aſcenderet: hinc eſt, quod dicitur ei, feſtinans deſcende; ſi ſapis, feſtinans deſcende ante Dominum de Adamatica arbore, ut poſt Crucem Dominicæ paſſionis aſcendas, Petr. Chryſol. ſerm. 54. ]

Adamiani, Hæretici. FR. ita appellati, quia [ Adæ nuditatem imitantur. Unde & nudi erant, nudi inter ſe mares, & fœminæ conveniunt, nudi lectiones audiunt, & celebrant ſacramenta, & ex hoc paradiſum arbitrantur Eccleſiam, 24. quæſt. 3. can. 39. & D. Auguſt. de Civit. Dei, cap. 23. & lib. 1. in Gen. contra Manich. ]

Adar. FR. duodecimus Hebræorum menſis Vide Auctores citatos in dict. *Elul*.

Adarescild. FR. dictio Longobarda, quæ ſigni-

gnificat aggreſſionem, factam in aliquo vico, l. ſi homines, & ibi Gloſ. de aggreſſione in Vico facta, & l. relatum, eod. tit.

Adelingus, de familia nobili, dictio Longobarda. [ Omnes Reges illi fuerunt Adelingi, ideſt, de nobili proſapia, quæ apud illos dicitur Adelinga. Gotofred. Viterb. in Chron. ] A Saxonica voce *Aden*, ideſt, nobilis, & *Ling*, imago, ſeu filius. [ Rex vero Edovardus Edgarum filium eorum ſecum retinuit, & quia cogitabat hæredem eum facere, nominavit *Adel.ng*, quem nos dicimus Domicellum. In legibus S. Odoardi Regis, & Conf. M. S.

Adcognito, manifeſto, ſeu promulgo. Exemplar Dominationi veſtræ tranſmitto, ut jubeatis venire fideles veſtros, dicentes, quia eis adcognitare vultis. Hincmar. in epiſtol. ]

Adelfatum, fraternitas, ab ἀδελφός, græce frater. [ Ii enim omnes etiam fruentur rurſus iis, quæ ſibi adſunt, præfecturis, & œconomiis, & miniſteriis, ac muneribus, & officiis, quæ illa adſunt, quæ dicuntur adelphata. Balſam. can. 37. in Trul. ] Recentiores Græci Congregationes, & Confraternitates ſæcularium *Adelphaton* vocant. In donatione m. s. facta Monaſterio Caſinenſi a Tertullo, ubi fit mentio de ejus fratre Fauſtino, hæc habentur: [ Una cum Fauſtino noſtro ex adelpho chariſſimo. ]

Adelfiani. Vide *Euchetæ. Precatores*.

Adextero, aſſocio, & ad dexteram alicujus ſimul eo, de quo verbo ſæpe in ſuo Cæremoniali m. s. Cencius Camerar. & *Adextratores*, idem appellat Papalis Mitræ delatores, quia ipſi ad Papæ dexteram incedebant, quando equitabat ad viſitandam aliquam Eccleſiam. Reperiebatur etiam *Adextrariorum Schola*. Vide *Dextera. Dextero*.

Adfatimo, & *Adfatimus*. Vide *Afatomia*.

Adgeniculor, genuflector. [ Presbyteris advolvi, charis Dei adgeniculari. Tert. c. 9. de pœnit. ] En quam inſana ſit Hæreticorum noſtri temporis ſubſannatio, qui noſtras genuflexiones ad pedes Chriſti Vicarii exhibitas derident, ſi tam ab antiquo omnibus etiam Sacerdotibus præſtita fuerat, ut ex relatis Tertulliani verbis manifeſtatur, ubi fit mentio de publicis Pœnitentibus, qui ad Eccleſiæ fores, ad Sacerdotum pedes proſtrabantur. [ Charis Dei, ] de illis, ſcilicet, loquitur Tertullianus, qui in tormentis fidem Chriſtianam confeſſi fuerant, & tanquam martyres habebantur, de quibus S. Cyprianus, [ Deo charos domo privas, Epiſt. ad Demetr. ] dixerat. Itaque de proſtratione, quam exhibebat D. Epiphanio populus, refert D. Hieronymus: [ Pedes deoſculans, & fimbriam vellens, in Epiſt. ad Pammach. ] FR. Quin & S. Jo: Chryſoſt. homil. 14. in epiſt. ad Timoth. populum ad hanc erga Religioſos venerabilem exhibitionem hortatur: [ Accede ( inquiens ) tange ſacros pedes; longe enim honorabilius eſt illorum pedes, quam aliorum caput tangere. ] Hæc eadem reverentia a Patribus vocalibus S. Dominici devote obſervatur; ſtatim enim ac electus eſt eorum Generalis, dum ſuam poſſeſſionem capit in ſeſſione ejus ſtalli ad Chorum, omnes pedes ejus oſculantur: |||: De hoc antiquiſſimo ritu habetur etiam in actibus S. Suſannæ M. ubi agitur de adventu Maximi, his verbis: [ Qui oſculatis Caji pedibus, de Suſanna aperuit Diocletiani concilium. ] Nec præ ſuperbia ( ut calumniantur Novatores ) verum humilitatis cauſa figuratas cruces in calceamentis Romani Pontifices gerunt, ut, nimirum, advertantur Chriſtiani, non Pontificales pedes venerari, ſed ſalutiferum illud ſignum: de quo uſu inveterato agam diffuſius in verbo *Sandalia*, ibique curioſiſſimam, ac antiquiſſimam hujus generis figuram demonſtrabo.

Adhoc, in antiquis Codicibus pro *Adhuc* ſæpe invenitur. [ Quod enim adhuc ſis poſt tanta funera tua ſuperbiens: Lucifer Caralit. lib. 2. de Regib. Apoſtat. ]

Adhogamentum. FR. dictio Longobarda, ſignificat perſonalem, aut realem obligationem. Bull. Caſin. tom. 2. conſt. 177. 239. n. 2. Dicitur etiam *Adhoamentum*, ibid. conſt. 172. n. 5.

Adhon. Vide *Adonidis planctus*.

Adiaphorum, græca vox Ἀδιάφορον. res ad bonum, vel ad malum indifferens, ut ſunt divitiæ. [ Quæ extrinſecus ſint, & Philoſophis quoque Mundi adiaphora. Sanctus Hieronymus, epiſt. 34.

Adjocatio, jocandi actus, luſio. [ Et plauſis, & adjocatione cum pueris, vexillum, & ſignum puerorum arripiens, jucundabatur. In vita S. Caroli Comitis. ]

Adiurno, in judicium ad præfixum diem voco, ſeu intimo, ex quo derivatur nomen *adiurnatus*, ideſt, citatus ad diem &c. hoc a voce gallica *adiourner* deſumitur [ Pro nimia reclamatione, quæ ad nos venit de hominibus Eccleſiaſticis, qui non erant adiurnati, in cap. Caroli Magni, lib. 1. cap. 151. ]

Adiurnatus Vide *Adiurno*.

Admallo, in judicium voco, ad agitandas lites. [ Eo quod propter ſimplicitatem ſuam, cauſas ſuas minime poſſit proſequi, vel admallare. Marculph. lib. 1. formular. cap. 21. ] Reperiuntur etiam verba *Mallo*, & *Remallo*. Item nomina *Mallus*, quod locus judicii, & *Mallenſes*, quod litigantes, ſeu ad judicium citatos ſignificant. [ In craſtinum vero mallenſibus undique ad ſeniorem confluentibus jubet reum adduci. In vita S. Geraldi, lib. 1. cap. 19. ] Recte Mallenſes, qui obſtinationis mallio percutiendo, & ſe ipſos, & adverſarios offendunt. Vid. *Vitium litigioſi*. FR. Ex legibus Longobard. lib. 2. tit. 52. l. 1. 2. & 3. Item tit. 52. l. 11. [ Advocati eorum in mallo publico ad præſentiam Comitis veniant, & ibi legitimus terminus &c. ] Hinc *Mallum*, & *Placitum* idem ſonant, nempe, locum judicii. Ibidem lib. 27. tit. 56. & l. 1. tit. 47. [ Nullus ad Mallum, vel ad Placitum, &c. ] Vide

Voſſium de vitiis ſerm. [ In placito heroici Judicis Beneventani. Chron. Caſinen. cap. 39. lib. 1. In placito Marſorum Comitum, ibidem lib. 2. cap. 4. & c. 16. In placito Marchionis Andreæ. In placito Termulenſi. Et lib. 3. cap. 41. Cumque ad placitum res producta fuiſſet. ] Item *Implacitare*, litigare, judicio experiri ſignificat. [ Ordinavit, quod nullus in Curia Regis implacitaret, niſi in gallico. Robertus Holkot in lib. ſap. cap. 2. ] Italice *Piatire*, & *Piatro*; Hiſpanice *Pleitar*, & *Pleyto* dicitur. Vide *Mallare. Mallum. Implacito. Placitum.*

Admentum, ſagittæ genus. ] Hæc & ſimilia admenta hæreticorum. Tertull. de Scorp. cap. 1. ] a nimia violentia ita dicitur, quia chorda in arcu uſque ad mentum trahitur.

Adminiculator, officium in Eccleſia Romana antiquum pro defenſione viduarum, pupillorum, aliorumque hujuſmodi deſtitutorum erectum; ſicut hodie pauperum Advocati faciunt [ Stephanum Adminiculatorem, ] quam poſt Cardinales Primicerium: & Secundicerium nominat Luitprandus lib. 6. hiſt. cap. 6. Vide *Defenſor, Conclamator*.

Admiratus. Vide, *Amiras*,

Admodio, modifico, corrigo, emendo aliquod imperfectum. [ Me autem pœnitet incaute, & minus inculto ſenſu, vel impolito ſermone ſtylum exaraſſe; unde offenſam ſanctæ animæ veſtræ potueram incurrere, niſi veſtra bonitas admodiaſſet. Palladius Epiſcop. ad Deſider. ]

Admodum, Salvianus loco *Propemodum*, ſeu *Pene* abutitur. [ Jubet Deus, ut cuncti egentibus ſua tribuant; cuncti admodum aliena pervadunt. De Providentia, lib. 3. ]

* Admonitio. Conſuevit Eccleſia ante excommunicationis pronunciationem rerum admonere. *Admonitio* hæc bis terve ſeparatis temporibus repeti ſolebat, ſecundum illud Apoſtoli, *Tit.* 3. *Hæreticum hominem poſt unam & alteram admonitionem repelle*. Hanc agendi rationem *Ambroſius*, *de offic.* l. 2. c. 27. ita repræſentat: *Cum dolore amputatur etiam, quæ putruit pars corporis, & diu tractatur, ſi poteſt ſanari medicamentis: ſi non poteſt tunc a medico abſcinditur. Sic Epiſcopi adfectus boni eſt, ut oportet, ſanare infirmos, ſerpentia auferre ulcera, adurere aliqua, non abſcindere. Poſtremo, quod ſanari non poteſt, cum dolore abſcindere.* Simili modo *Proſper*, *de rit. contempl.* l. 2. c. 7. *Qui diu portati, & ſalubriter objurgati, corrigi noluerint, tamquam putres corporis partes debent ferro excommunicationis abſcindi*. Ita pariter *Syneſius*, *Epiſt.* 58. ſuum agendi modum contra *Andronicum*, crudelem *Ptolemaidis* Præfectum, qui poteſtate ſua ad vexandum & opprimendum populum abutebatur, deſcribit. Primum quidem admonendo, & dehortando: Quum vero nihil proficeret, hominiſque furor magis magiſque inflammaretur, & inemendabilis fieret, adeo ut ſceleſtiſſima voce diceret, fruſtra ſpem in Eccleſia collocari, neque quemquam ex *Andronici* manibus eripi poſſe, non ſi pedem ipſum Chriſti manibus teneret: *Syneſius* inane & irritum videns, amplius monere hominem; eum tamquam membrum inſanabile ſolemni anathemate ab Eccleſia ſegregavit, ne illius contagione, quod ſincerum erat, corrumperetur.

Admonitor, Magiſter Cæremoniarum, eo quod omne id, quod agendum ſit, admonere debet; ita in ordinationibus Conciliorum non raro appellatur.

Adnumiasta, ille erat, cui incumbebat milites in libello ſignare, quæ nota *Adnumium* dicebatur.

Adnumium. Vide *Adnumiaſta*.

Adonai, hebraica vox quæ Dominum meum ſignificat, ab *Adon*, ideſt, Dominus; qui titulus ita eſt in ſacris Scripturis Deo attributus, ut nunquam aliis creaturis detur; & Hebræi quando incidunt in nomen Dei ineffabile *Iehova*, ejus loco pronunciant *Adonai*. Vide D. Thomam, par. 1. quæſt. 13. art. 11. & hinc *Tetragrammaton*.

Adonidis Planctus. Vide *Aſtarthe. Palambona. Thammus*. FR. *Adhon* hebraice ulmum ſignificat, ac græce ſuavitatem denotat. Fulgentius, lib. 3. Mythol.

Adoptiva, quæ dicatur. Vide *Agapitæ ſorores*.

Adoratio, tribus modis dicitur, *Latria*, *Dulia*, & *Hyperdulia*. Vide *Dulia*.

Adorea, gloria, adoratio. [ Pulchris patientiæ adoreis albicantem vere dignum, ut Dominus habitaret templum. In vita S. Genulphi Epiſcopi.

Adplane, plene, complete. [ Cumque ad diverſa ſtudia, quibus ſæculi poteſtates ſtudere ſolent, adplane in omnibus diſciplinis politus eſſet. In vita S. Leodegarii Epiſc. ]

Adrhamo, dejurando ſpondeo. [ Unde tale ſacramento per ſuam feſtucam viſus eſt adrhamire. In lege Salica, cap. 30. tit. 39. ] A voce gallica *Arramir*, quæ promiſſionem jurandi, ſeu fidejuſſionem ſignificat. In formulis antiquis reperitur etiam nomen *Adrhamitus*. [ Ipſe homo ſacramentum intra ipſam caſam Dei, vel ipſius Abbatis habuiſſe adrhamitum.

Adrhamitus. Vide *Adrhamo*.

Adriaticum Mare, per Clavum Chriſti mitigatum fuit. Vide *Clavatum*.

Adsalio, aggredior. ( Me malo ordine adſalivit, & livoravit. Form. Rom. De verbo *Livoro*. Vide ſuo loco. [ Quaſi nos nulla manente cauſa in via adſaliſſetis, & graviter livoraſſetis. In formul. Marculphi Monachi, lib. 1. cap. 29.

Adtractus, acquiſitus, aſſecutus. [ De comparato, vel de quolibet adtracto. Marcul. in antiq. char.

Advena. Vide *Allophylus. Philiſthæi. Tranſvena*.

Adventus, ſacrum tempus ante Nativitatis Chriſti feſtum, ab ipſomet Apoſtolorum Principe inſtitutum, ut docet Durandus, lib. 3. cap. 2. Quod incipit a proximiori Dominica S. Andreæ feſto. Antiqui Chriſtiani in hoc tempore, ſicut hodie aliquæ Religio-

giones, & Eccleſia Orientalis obſervant, ab eſu carnium, & lacticinorum abſtinere ſolebant, licet non jejunarent. Græci vero incipiunt Adventum a die 14. Novembris, quod etiam antiquitus penes Latinos obſervabatur; ideoque S. Martini Quadrageſima appellabatur, ut Baronius notavit. In Concil. Matiſconen. ſtabilitum fuit jejunium per hoc tempus in feria ſecunda, quarta, & ſexta. Quod in Gallia primo a Ruperto Epiſcopo Turonenſi introductum fuerat, ut in ejus hiſtor. lib. 10. cap. 31. liquet. Deinde ex devotione Chriſtianorum particularium quotidie in hoc tempore jejunabatur; & Odoric. Rinal. in Annal Eccl. anno 1270. num. 21. refert, quod Urbanus V. ſui Pontificatus initio omnibus Clericis in Curia exiſtentibus hoc quotidianum jejunium obſervari juſſerat, & biduo etiam ante quartam feriam Cinerum jejunium celebrari ſtatuerat. Hoc temporis ſpatium aliqua peculiari mœſtitia ob memoriam ſecundi Adventus Chriſti in die Judicii veneratur, propterea in Miſſa non dicitur *Gloria in excelſis Deo*, nec *Te Deum* in Matutino, licet de anno 1140. in Rituali M. S. Petri Canonici Vaticanæ Baſilicæ in Bibliotheca Angelica conſervato, habeatur, quod in Dominicis Adventus *Gloria in excelſis*, & *Te Deum*, ſolitum fuiſſet recitari. Diaconus, & Subdiaconus planetis plicatis parantur. Vide *Caſula*. At propter memoriam alterius, ac ſalutiferi Adventus Chriſti, ſcilicet, Incarnationis, aliquod lætitiæ ſignum hoc tempore admiſcet Eccleſia; & ideo non relinquitur *Alleluja*: quæ lætitia præcipue in Dominica tertia ejuſdem Adventus oſtenditur, permittendo nempe, Diacono, Subdiaconoque tunicellis indui, & Cardinalibus a violaceis coloribus feriari, & roſaceis veſtiri; imo antiquitus in hac Dominica ipſemet Pontifex ſolemniter celebrare ſolebat. Item *Dominica vacans* dicebatur quarta Adventus in Sacramentario S. Gregorii; nam cum officio præcedentis Sabbati continuabatur, in quo ordinationes celebrabantur. Microlog. de Eccleſiaſt. obſerv. cap. 29. ubi eandem rationem reddit de omnibus Dominicis poſt quatuor Tempora: [ Hæ autem Dominicæ ( inquiens) antiquitus ab officio vacabant, quia celebratio ordinationum juxta decreta Sanctorum Patrum tam ſero fiebat, ut potius Dominicæ, quam Sabbato adſcriberetur, ] Qui ritus ab omnibus hujus materiæ Scriptoribus confirmatur, ac ob eamdem rationem, idem D. Greg. *Dominicam vacantem* ſecundam Quadrageſimæ appellavit; celebrabantur enim ordinationes noctu circa principium ſequentis Dominicæ diei, ut Dioſcoro Alexandrino Patriarchæ ſcribit D. Leo Papa, inquiens: [ Ut non paſſim diebus omnibus ſacerdotalis, vel levitica ordinatio celebretur, ſed poſt diem Sabbati ejus noctis, quæ in prima Sabbati luceſcit, exordia deligantur, epiſt. 81. cap. 1. ] Ideo uſque ad præſens in Miſſa illius Dominicæ ſolemus repetere Euangelium Sabbati, ſumendo Introitum, Graduale, & Communio feriæ quartæ. Itaque hoc pacto antiquitus, ordinationibus celebratis, in Dominica continuabatur officium, & Sabbati jejunium. Hodie vero ob difficultatem continuationis jejunii uſque ad Dominicam, ut notat Durand. lib. 6. cap. 39. ordinationes de mane in Sabbato habentur. Ideo poſſe Epiſcopum in Dominica quatuor Tempora ſequente ſacros Ordines conferre affirmant communiter Canoniſtæ, ſi continuare ei libuerit Sabbati jejunium. Vel *Dominica vacans* ex eo dicebatur, quia in ea Papa a ſtationibus vacabat, jam ob præcedentes ordinationes defeſſus; conſtat enim ex geſtis Pontificum, ſolitas ab eo ordinationes in menſe Decembris habitas fuiſſe. Alii denique exiſtimarunt, fuiſſe dictam *Vacantem* Dominicam illam, quia tunc Pontifex, relictis aliis occupationibus, ſolum in largiendis eleemoſynis incumbebat. Vide *Sabbatum vacans* in dict. *Sabbatum*. Propter hanc fixam vocationem, ſi vigilia Nativitatis in hac Dominica occurrerit, nona lectio non legitur de homilia Dominicæ, neque Euangelium ejuſdem dicitur in fine Miſſæ, ut fit in aliis omnibus anni Dominicis, quia in præcedenti Sabbato jam dicta fuere. Quare in Adventu conſuetæ commemorationes in Officio non dicantur, Vide *Commemoratio*. Quare appelletur *Hebdomada de excepto*. Vide *Hebdomada de excepto*. In Hiſpania cooperiuntur Imagines. Vide *Icona*.

ADVERSARIA, commentaria alicujus textus, ſeu ſcripturæ, quia hæ notæ fiebant in eo libro, ex parte oppoſita textui. De la Cerda, cap. 80. num. 2. Qui Auctor ideo ſuum librum *Adverſaria ſacra* appellavit, quorum eruditionibus magna ex parte hi noſtri labores elucent.

ADVERSARIUS. Vide *Gaſachio*.

* ADULATIO. Calumniæ & falſæ accuſationi alienis bonis inhianti, per confictorum criminum imputationem, opponitur *adulatio*. Opponitur quidem nomine, non re; diverſi agendi ratione, ſed eadem alienas convaſandi ſubſtantias intentione. Vitio hoc nonnulli in rem ſuam abutebantur, adhibitiſque fraudulentis verſutis artibus morientium hominum, a quorum latere non avellebantur, hæredes inſtitui ſtudebant, non ſine gravi eorum damno, ad quos juſto titulo defunctorum bona devolvi debuiſſent. Ad amoliendam hanc fraudem *Valentinianus* lata lege, *Cod. Theod.* l. 16. *tit.* 2. *de epiſc. & cler. leg.* 20. ſtatuit, ut Eccleſiaſtici, vel qui Continentium ſe nomine nuncupari vellent ( ab eis enim potiſſimum fraus hæc committebatur ) moribundarum viduarum ac pupillorum domos ne adirent, ut eorum poſſeſſiones aut ullam illarum partem teſtamento ſibi acquirerent. Quod ſi feciſſent, ab adfinibus vel propinquis deferendos eſſe ad judicium ſanxit, nec quidquam eorum, quæ ita fraudulenter ſub prætextu religionis ab ejuſmodi perſonis vel donatione vel teſtamento obtinuiſſent, adepturos; ſed legitimos hæredes ſibi ea omnia vindicandi, & legata iſta

abolendi licentiam habituros eſſe; vel certe publico Ærario ea inferri oportere. Duæ etiam leges extant *Theodoſii*, *ibid.* leg. 27. in eamdem ſententiam. Et Patres adeo non conqueruntur de harum legum ſeveritate, ut de fraude potius, avaritia, & rapacitate conquerantur eorum, qui piis Imperatoribus occaſionem iſtiuſmodi leges ferendi dederunt. *Ambroſius* ait, *Serm. 7. de cleric. Nemo hos invaſionis arguit, violentiæ nullus accuſat? Quaſi non interdum majorem prædam a viduis blandimenta eliciant, quam tormenta. Non intereſt apud Deum, utrum vi, an circumventione quis res alienas occupat, dummodo quoquo pacto tenet alienum.* Similem in modum *Hieronymus*, *Ep. 2. ad Nepotian.* inquit, *Pudet dicere, Sacerdotes idolorum, mimi, & aurigæ, & ſcorta hæreditates capiunt, ſolis Clericis, ac Monachis hac lege prohibetur. Et non prohibetur a perſecutoribus, ſed a Principibus Chriſtianis. Nec de lege conqueror; ſed doleo, cur meruerimus hanc legem. .... Provida ſeveraque legis cautio: & tamen nec ſic refrænatur avaritia. Per fideicommiſſa legibus illudimus: Et quaſi majora ſint Imperatorum ſcita, quam Chriſti, leges timemus, & Evangelia contemnimus.* Ex his Sanctorum Patrum querelis manifeſtum eſt, hanc fraudulentam rationem facultates viduarum blanditiis, & aſſentationibus captandi (unde iſtiuſmodi hypocritæ vulgo *captatores* & *hæredipetæ* dicti) non minus furtum creditum fuiſſe, quam quod aperta violentia & oppreſſione committitur. Turpe genus furti hoc erat inter ipſos Ethnicos. *Juvenalis*, *Sat.* 5. 6. 10. ſæpe illud aſperioribus verbis perſtringit. Idem *Martialis*, *Plinius*, *Lucianus*, & plures alii faciunt. Unde eo minus mirandum, quod leges chriſtianæ illud proſcribant, Patreſque tam acriter deteſtentur.

Adulter. Vide *Mœchus*.

* Adulterium Canones *Baſilii*, qui ſeptem annorum pœnitentiam fornicationi aſſignant, quindecim præſcribunt *adulterio*, c. 58. & nonnunquam numerum duplicant, c. 7. Concilium *Ancyranum*, c. 20. ſeptem, *Illiberitanum* vero quinque annis pœnitentiam illos agere jubet, c. 69. qui ſemel in *adulterium* lapſi ſint: decem annis, c. 64. qui denuo illud commiſerint: Si quis vero per totam vitam in hoc peccato perſeveraverit, ei nec in fine dandam eſſe communionem ſtatuit. In cauſa Clericorum lex hæc fuit etiam ſeverior. Nam per regulam ejuſdem Concilii *Illiber.* c. 18. epiſcopo, presbytero, vel diacono, ſi de *adulterio* convictus eſſet, propter nefarium crimen nec in fine danda erat communio. Et per alium canonem, ibid. c. 65. clerico, qui uxorem ſuam *adulterii* ream eſſe cognoverat, neque vero ſtatim repudiarat, itidem in fine neganda erat communio, ne ab his (uti canon loquitur) qui exemplum bonæ converſationis eſſe debebant, viderentur magiſteria ſcelerum procedere. Et Concilium *Neocæſareenſe*, c. 8. canonem habet ejuſdem fere cum iſto decreto argumenti, quod, ſi cujus laici uxor adulterata eſſe convicta ſit, is in ſacrum miniſterium cooptari nequeat: Si autem poſtea, quam ille cooptatus ſit, adulterata ſit, quod eam ſub pœna abdicationis muneris clericalis dimittere debeat. Lex civilis tam ſub ethnicis quam chriſtianis Imperatoribus id crimen capitale declarat. Et *Conſtans*, *Conſtantini* filius, ſpeciatim eamdem pœnam *adulteris* conſtituit, quam parricidis, videlicet, ut vel vivi comburerentur, vel culleo inſuti cum ſerpente, ſimia, gallo gallinaceo, & cane in mare præcipitarentur. *Manifeſtis probationibus*, inquit Codex *Theod.* l. 11. *tit.* 36. *leg.* 4. *adulterio probato fruſtratoria provocatio minime admittatur: cum pari ſimilique ratione ſacrilegos nuptiarum, tamquam manifeſtos parricidas, inſuere culleo vivos, vel exurere, judicantem oporteat.* Et hoc unum de criminibus erat, quibus Imperatores in celebritate paſchali nec indulgentiam tribuere, *Idem Cod.* l. 9. *tit.* 38. *de indulgentiis criminum leg.* 3. 4. 6. 7. 8. nec appellationem ad ſe a judice in reorum gratiam permittere volebant, quemadmodum non ſolum ex hac *Conſtantis* lege, ſed e diverſis etiam aliis, *ibidem* l. 11. *tit.* 36. *quorum appellationes non recipiantur*, *leg.* 1. apparet. Nec præter rem erit ex lege quadam *Theodoſii*, *Id.* l. 9. *tit.* 9. *ad legem Juliam de adulteris*, *leg.* 5. obſervare, quod ſi quis Chriſtianus Judæam duxiſſet, vel Judæo nupſiſſet Chriſtiana, idem fuerit, ac ſi *adulterium* commiſiſſent, feceritque partem delinquentem eidem pœnæ obnoxiam; quia ad minimum ſpirituale erat *adulterium*, quo membra *Chriſti* inſolentiæ ac poteſtati infenſiſſimorum ejus hoſtium ſacrilega ratione proſtituebantur. Et ſane nihil eſt, quod Veteres generatim damnaverunt ſeverius, *Ambroſ. de Abrahamo* l. 1. c. 9. *Auguſt. ep.* 234. *ad Ruſticum*, & *Concil. Laodic.* c. 10. quam Chriſtianorum cum Judæis, vel Ethnicis, vel Hæreticis, vel quibuſcumque aliis alienæ religionis perſonis matrimonium; non quod ſenſu ſtricto & proprio *adulterium*, ſed quod contra Apoſtoli regulam (quæ fœminas *nubere in domino* jubet) adeoque periculoſum fidei eſſet, dum tentationi religionem ſuam mutandi, aut fidem pervertendo & corrumpendo, aut prorſus eam deſerendo, ipſi ſe exponerent. Vide *Mœchia*.

* Adulti. Duo hominum ſunt genera, quibus olim conferebatur, & etiamnum confertur Baptiſmus, *adulti*, & *infantes*. *Adulti* priſcis temporibus præcipuum baptizatorum corpus conſtituebant. Hi communiter ex Judaiſmo, & Gentilitatis ſuperſtitione convertebantur; ſed antequam ad baptiſmum admitti poſſent, aliquod tempus in ordine Catechumenorum tranſigendum eis erat, ut prævia inſtitutione ad profeſſionem fidei ac vitæ chriſtianæ

per

per ſe ipſos edendam idonei redderentur. Nam ſine ejuſmodi profeſſione, ſuis ipſorum verbis edita, ad privilegium baptiſmi admitti non ſolebant. Tria porro, accedente baptiſmi recipiendi momento, neceſſario & abſolute ab ipſis requirebantur, videlicet formalis & ſolemnis abrenuntiatio diaboli; ſponſio ſeu ſtipulatio, ſeſe ſub Chriſto obedienter ac fideliter futuros; & profeſſio fidei uſitatis ſymboli verbis edicta. Quamquam enim iſta jam ante, durante inſtitutionis tempore, ab ipſis quodam modo requirebantur, nunc tamen ſolemniorem & magis publicam eorum profeſſionem facere coram concione debebant. Ad duplicem hanc profeſſionem *Tertullianus*, *de cor. milit. c.* 3. videtur reſpicere, quando ait: *Aquam* (baptiſmum recipiendi gratia) *adituri, ibidem, ſed & aliquando prius in Eccleſia, ſub Antiſtitis manu conteſtamur, nos renuntiare diabolo, & pompæ & angelis ejus.* || Quidquid ad renuntiationem ſpectat. V. *Abrenuntiatio.* || Quod poſt abrenuntiationem ab hominibus in baptiſmo requirebatur, ſponſio erat ſeu ſtipulatio obedientiæ erga Chriſtum, quod *Græci* vocant συντάσσεσθαι Χριςῷ, *Chriſto adſcribi*. Hæc neceſſaria ſemper obligationis eorum pars erat antequam ad regenerationis ceremoniam admitterentur. *Auguſtini* quidem tempore nonnulli immunitatem quamdam hac in re adfectabant; fidei in Chriſtum, non vero univerſalis obedientiæ, profeſſionem facere parati; & tamen baptiſmum expetere haud erubeſcebant. Hos contra excellentiſſimum librum *de fide, & operibus* ſcripſit, bona opera non minus quam fidem ei, qui chriſtianus eſſe velit, neceſſaria eſſe oſtendens; ubi omnibus objectionibus & argumentis, quæ illi e Scriptura proferebant, reſpondet. Inter alia notum illum *Pauli* ſermonem, 1. *Cor.* 3. 11. urgebant: *Fundamentum aliud nemo poteſt ſtatuere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. Quod ſi quis ſuperædificet ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam: cujuſcumque opus manifeſtum fiet: dies enim id declarabit: nam per ignem revelabitur: & cujuſcumque opus, quale ſit, ignis probabit. Si cujus opus manſerit, quod ſuperædificaverit, mercedem accipiet. Si cujus opus exuſtum fuerit, damnum faciet:* ipſe vero *ſervabitur, ita tamen ut per ignem*. Quam perverſe hæc verba interpretarentur, *Auguſtinus* his verbis *de fid. & oper.* c. 15. indicat: *Quod quidam ita intelligendum putant, ut illi videantur ædificare ſuper hoc fundamentum aurum, argentum, lapides pretioſos, qui fidei, quæ in Chriſto eſt, bona opera adjiciunt: Illi autem fœnum, ligna, ſtipulam, qui quum eamdem fidem habeant, male operantur. Unde arbitrantur per quaſdam pœnas ignis eos poſſe purgari ad ſalutem percipiendam merito fundamenti.* Quibus hunc in modum idem *Auguſtinus, ibid.* reſpondet: *Hoc*

*Hierolexico Macri.*

*ſi ita eſt, fatemur iſtos laudabili caritate conari, ut omnes indiſcrete admittantur ad baptiſmum, non ſolum adulteri & adulteræ, contra ſententiam domini falſas nuptias prætendentes, verum etiam publicæ meretrices in turpiſſima profeſſione perſeverantes, quas certe nulla etiam negligentiſſima Eccleſia conſuevit admittere, niſi ab illa primitus proſtitutione liberatas.* Porro urgebant, hanc pravorum hominum rejectionem a baptiſmo eſſe zizaniorum ante tempus evulſionem. Ad quam objectionem *Auguſtinus*, *de fid. & oper.* c. 17. hiſce verbis: *Quando tales ad baptiſmum non admittimus, non ante tempus zizania evellere conamur; ſed nolumus inſuper, ſicut diabolus zizania ſeminare: nec ad Chriſtum volentes venire prohibemus; ſed eos ad Chriſtum venire nolle ipſa ſua confeſſione convincimus: nec vetamus Chriſto credere; ſed demonſtramus, eos nolle Chriſto credere, qui vel adulterium dicunt non eſſe, quod ille adulterium dicit eſſe; vel credunt, adulteros ejus membra poſſe eſſe, quos per Apoſtolum dicit, regnum Dei non poſſidere: & ſanæ doctrinæ adverſari, quæ eſt ſecundum Evangelium gloriæ beati Dei.* Hinc licet iſti homines novam eſſe doctrinam criminarentur, qua meretrices, & hiſtriones, & quilibet alii publicæ turpitudinis profeſſores non admittebantur ad baptiſmum, reſpondet tamen ipſis, *quod antiquum & robuſtum morem ſancta Eccleſia retineat, ex illa ſcilicet liquidiſſima veritate venientem, qua certum habeat, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt;* de fid. & oper. c. 18. Et hanc fuiſſe antiquam regulam, ſecundum quam Eccleſia hoc in negotio egerit, ex omnibus Scriptoribus, qui de baptiſmo ſunt loquuti, apparet. *Juſtinus Martyr*, qui ceremonias baptiſmi ſimpliciſſime deſcribit, hiſce ſolum eum tribui dicit, qui fidei ſuæ profeſſioni promiſſum addiderint, ad religionis chriſtianæ regulas ſe ſe, mores ac vitam compoſituros; *Apolog.* 2. Hinc erat uſitata illa verborum formula in profeſſione fidei ipſorum, συντάττομαί σοι Χριςὲ, *tuorum militum numero adſcribor, Chriſte, legibus tuis moderandus*. Quæ adſcriptio ἀπόταξιν illam, ſive renuntiationem in diabolum, cujus ſervitium, ad eligendum novum dominum, deſerebant, proxime inſequebatur; quemadmodum frequenter in *Chryſoſtomo*, Hom. 21. ad pop. Antioch. *Baſilio*, Hom. 13. exhort. ad baptiſm. *Cyrillo Alexandrino*, in Jo. 11. *Conſtitutionibus Apoſtolicis*, l. 7. c. 41. & plurimis Scriptoribus *Græcis*, quorum verba cum unam eamdemque formam habeant, nihil attinet hic interponere. *Latini* communiter *promiſſum, pactum*, & *votum* nominant; quæ vocabula ad omnes hujus chriſtianæ obligationis partes, tam ad renuntiationem in diabolum, quam ad profeſſionem fidei ac obedientiæ in *Chriſtum* ſine diſcrimine applicant, utpote quæ

mutuo inter ſe, & aptiſſime cohærent. Quiſquis enim diabolo renuntiat & mundo, is ſe hoc ipſo militem & ſervum *Chriſto* adſcriptum profitetur. Unde *Ambroſius* de abrenuntiatione loquens, *de Sacram.* l. 1. c. 2. vocat illam, promiſſum, cautionem, & chirographum Deo datum, quod in Cœlo teneatur: quia hoc promiſſum coram miniſtro *Chriſti*, & angelis ejus, hujus rei teſtibus, factum ſit. Quam ob cauſam alio loco, *idem de initiat.* c. 2. vocem renuntiantis non in tumulo mortuorum, ſed in libro viventium teneri dicit. *Auguſtinus*, *de ſymbolo* l. 2. c. 1. profeſſionem ait in curiam prolatam angelicam, & nomina profitentium in libro excipi vitæ non a quolibet homine, ſed a ſuperiore cœlitus poteſtate. *Hieronymus*, *Comm. in Amos* 6. 14. pactum initum cum ſole juſtitiæ nuncupat, quo ei ſervituros nos eſſe promittimus. Atque ita quidem de hac ceremonia loquitur, ut actum a renuntiatione diſtinctum eſſe oſtendat, licet utraque ceremonia ad eumdem finem tendat, quia diverſi ritus in illis exprimendis adhibebantur. Nam diabolo renuntiabant ad Occidentem proſpectantes ex rationibus ſymbolicis, de quibus ſupra; *Chriſto* autem ſe adſcribebant verſi in Orientem, tamquam emblema lucis, quam a ſole juſtitiæ recipiebant, dum ejus dominio ſe ſe ſubmittebant. || Hæc conſuetudo, qua in orientem ſe vertebant, obedientiam Chriſto promittentes, *Ambroſio* quoque, & *Cyrillo Hieroſolymitano* memoratur; cui illi duas adſignant rationes. Quarum alteram diſcipulis ſuis narrant *Cyrillus*, *Catech. myſtagog*, 1. n. 6. inquiens, *Quum ſatanæ renuntiaveris; & omne cum illo pactum reſcideris; veteres, inquam, pactiones cum inferno: aperitur tibi paradiſus Dei, quem ipſe ad Orientem plantavit: Unde propter mandati violationem primus parens noſter pulſus eſt in exilium. Et hujus rei ſymbolum eſt, quum ab occaſu converteris ad ortum, quæ lucis eſt regio.* Altera ratio erat, quod ſol oriens ſymbolum eſſet ſolis juſtitiæ, ad quem jam a Satanæ poteſtate convertebantur. *Ad orientem converteris*, inquit *Ambroſius*, *de initiat.* c. 2. *qui enim renuntiat diabolo, ad Chriſtum convertitur*. Quibus verbis ille cum *Hieronymo* perſpicue indicat, quod collocatio eorum Orientem verſus ſymbolum fuerit converſionis a diabolo ad Chriſtum, hoc eſt, a tenebris ad lucem, a cultu idolorum ad cultum ejus, qui ſol eſt juſtitiæ, & origo lucis. || Cum hac obedientiæ ſtipulatione profeſſio etiam fidei a baptizando exigebatur. Hæc profeſſio iiſdem verbis Symboli, quod in Eccleſia qualibet in Catechumenorum inſtitutionem adhibebatur, edenda erat. Primum quidem id Catechiſtis privatim, & deinde publice in Eccleſia, quando nomina ſua baptiſmo dederant, recitare debebant. Præterea ſolemnem profeſſionem tempore baptiſmi facere, & ad diverſas quæſtiones, quas eis Eccleſiæ miniſter proponebat, ſecundum diverſas ſymboli, ſummam chriſtianæ fidei continentis, partes, diſtincte reſpondere jubebantur. Erant quidem *Auguſtini* tempore, qui quemadmodum & profeſſionem obedientiæ ex voto baptiſmali eludere, ita & fidei profeſſionem diminuere, ad hunc unum ſolum articulum, *credo filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum*, reducere volebant. In cujus rei gratiam ad exemplum provocabant *Philippi*, eunuchum ad hanc brevem confeſſionem baptizantis, *Aug. de fid. & oper.* c. 9. & ad illud *Pauli* 1. *Cor.* 2. 2. *Non ſtatui quicquam ſcire inter vos niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* Numquam tamen hoc ſuum conſilium in effectum deducere audebant; ſed quæſtiones facere pergebant de aliis etiam articulis, ut Eccleſia adſolebat, de Spiritu Sancto, de remiſſione peccatorum, de reſurrectione mortuorum, de Incarnatione Chriſti, de paſſione ejus & morte in cruce, de ſepultura & reſurrectione in die tertia, de aſcenſione illius & ſeſſione ad dexteram Patris; quæ interrogationes omnes ita neceſſariæ credebantur, ut ne quidem in baptiſmo *Clinicorum*, qui lecto decumbentes & ægroti baptizabantur, eas prætermitteret Eccleſia. Nam, ſi loqui poſſent, ipſi per ſe ad cuncta reſpondebant, uti *Auguſtinus*, *ibid.* auctor eſt, etiamſi ea memoriæ mandare non valuiſſent; Quod ſi ſermonis uſus eis ablatus eſſet, ſponſores pro ipſis reſpondebant, uti pro infantibus ſolebant. Ut adeo Baptizandi hac vel illa ratione integrum Symbolum recitaverint, & ſingulis ejus partibus aſſenſum præbuerint. Et hæc jam ab Apoſtolorum temporibus, imo ipſis adhuc viventibus, ſemper Eccleſiæ praxis fuit. Quamquam enim nullus alius articulus in Eunuchi baptiſmo memoratur, niſi quo *Jeſum Chriſtum filium Dei eſſe* profeſſus eſt, tamen, ut *Auguſtinus* eodem loco loquitur, *in eo quod ait* (Scriptura), *baptizavit eum Philippus, intelligi voluit, impleta eſſe omnia, quæ licet taceantur in Scripturis gratia brevitatis, tamen ſerie traditionis ſcimus* (in baptiſmo) *implenda*. Et ſane in omnibus, quæ de baptiſmo Veteres ſcripſere, expreſſa hujus conſuetudinis mentio habetur, qua Baptizandi ſe chriſtianæ religionis doctrinas, vel generatim in Scripturis traditas, vel ſummatim in articulis Symboli comprehenſas, credere profeſſi ſint. *Juſtinus Martyr*, *Apol.* 2. dicit, homines, antequam regenerentur, perſuaſos eſſe oportere & credere, vera eſſe, quæ ab Antiſtitibus traduntur & dicuntur; ac recipere, ſe ita poſſe ac velle vivere. *Cyprianus*, *Ep.* 70. *ad epiſc. Numid.* ſpeciatim ſymboli uſum in baptiſmo, & interrogationes commemorat, quæ de ſpecialioribus ejus articulis fieri ſolebant. Exempli cauſa: Num credant vitam æternam, & remiſſionem peccatorum in Eccleſia? Et alio in loco, *Ep.* 69. *ad Magnum*, cum de his, tum de articulis de Patre, Filio, & Spiritu Sancto loquitur, tamquam interrogationibus in baptiſmo tam Eccle-

ſiæ Catholicæ, quam *Novatianorum* uſitatis. Tametſi enim ſenſu quorumdam articulorum differebant, eadem tamen interrogationum forma conveniebant, eodemque Symbolo utentes baptizabant. *Tertullianus* quoque, *de baptiſm.* c. 6. ex articulo de Patre, Filio, & Spiritu Sancto, ac de Eccleſia in baptiſmo interrogationes factas eſſe affirmat. Et *Euſebius*, *Ep. ad Cæſar. ap. Socrat.* l. 6. c. 8. quando verba Symboli Eccleſiæ *Cæſareenſis* recitat, Symbolum illud eſſe dicit, quod ipſe didicerit, quum primis fidei rudimentis inſtructus, & ſalutari lavacro tinctus eſt. Eumdem uſum in pleriſque Eccleſiis Orientalibus obtinuit Symbolum *Nicænum*, quamprimum compoſitum fuit; hanc enim fidei formulam in baptiſmi adminiſtratione ordinarie recitatam, pluribus teſtimoniis evincitur; *Concil. Conſtantinop.* ſub *Menna* act. 5. Tom. 5. Concil. *Conc. Epheſ.* act. 6. Tom. 3. Conc. *Conc. Chalced.* act. 2. Tom. 4. Conc. *Evagr.* l. 3. c. 4. *Epiphan.* ancorat. num. 120. || Erant quædam circumſtantiæ & ceremoniæ hujus confeſſionis, quæ cum ad actionis ſolemnitatem nonnihil conferrent, non abs re fuerit eas recenſere. Primo, quod publice coram multis teſtibus fiebat; & id quidem ex apoſtolica praxi, a qua recedendi raro indulgebatur venia. *Ephrem Syrus*, *de pœnit.* c. 5. eam ab exemplo deducit *Timothei*, qui *confeſſus erat*, 1. *Tim.* 6. 12. *bonam confeſſionem coram multis teſtibus*: quod ille de profeſſione fidei, quam in baptiſmo fecerat, interpretatur. Et *Leo Magnus* Summus Pontifex, *Serm.* 4. *de Nat. Domini*, eodem reſpicere videtur, quando homines baptizatos ad conſtantiam fidei adhortans, *Permanete*, inquit, *ſtabiles in fide, quam confeſſi eſtis coram multis teſtibus, & in qua renati per aquam & Spiritum Sanctum, accepiſtis chariſma ſalutis & ſignaculum vitæ æternæ*. Moris fuiſſe *Romæ* narrat *Auguſtinus*, *Confeſſ.* l. 8. c. 2. ut hæc confeſſio publice de loco eminentiore in conſpectu populi ederetur: Interdum vero in verecundorum hominum gratiam, qui in tanta frequentia non ſine trepidatione verba facere potuerint, presbyteros confeſſionem eorum privatim audiſſe: Atque hoc eos *Victorino*, celebri Rhetori, quum ad *Chriſti* caſtra tranſiiſſet, obtuliſſe; illum autem maluiſſe ſalutem ſuam in conſpectu multitudinis profiteri, dicentem, non fuiſſe ſalutem, quam docuiſſet in Rhetorica, & tamen eam ſe publice profeſſum eſſe: multo minus igitur manſuetum gregem *Chriſti* vereri ſe debere, pronuntiantem verbum divinum, qui non veritus ſit in verbis ſuis turbas inſanas Gentilium. || Alia circumſtantia, quæ actus iſtius ſolemnitati aliquid addebat, ſtatus geſtuſque corporis erat, quando non tantum vultum in Orientem vertebant, ſed & manus oculoſque in Cœlum attollebant, quaſi ad *Chriſtum*, quocum ut novo Domino ſuo, in ſolio gloriæ ſuæ ſedente, fœdus jam inibant, protinus evolaturi. Quemadmodum enim diabolo renuntiabant manus in eum protrudentes vel collidentes, ad ipſum provocandum; ita e contrario hanc ſuam confeſſionem fœduſque cum *Chriſto* faciebant, demiſſe ſupplicantium adhibentes habitum, manibuſque ad Solem juſtitiæ ſublatis, ipſum excipere parati. Ita Auctor ſub nomine *Dionyſii*, *de eccleſ. hierarch.* c. 2. rem deſcribit; *Sacerdos catechumenum abrenuntiationis verbis recitatis ad Orientem transfert, & in Cœlum intuentem, manuſque attolentem Chriſto, cunctiſque ſacris a Deo traditis eloquiis jubet aſſentire*. || Hæc confeſſio, majoris ſolemnitatis cauſa, ter repetita eſſe creditur, quemadmodum abrenuntiationem Satanæ ter factam eſſe, antea dictum eſt. *Cyrillus Alexandrinus*, l. 12. *in Joann.* 21. *docentur*, inquit, *Eccleſia*, *tertio querendam eſſe confeſſionem in Chriſtum ab iis, qui eum diligere ſibi propoſuerint, dum ad ſanctum baptiſmum accedunt*. Et hoc fieri dicit ad exemplum *Petri*, quem *Chriſtus* ter rogavit: *Simon, fili Jonæ, diligis me*? Et *Petrus* ter reſpondit: *Etiam Domine, tu noſti, quod amem te*. Et *Ambroſius*, *de Spir. Sancto* l. 2. c. 11. ait: *Ideo in myſteriis* (hoc eſt in baptiſmo) *interrogatio trina defertur*, & confirmatio trina celebratur, *nec poteſt quis niſi trina confeſſione purgari*. *Unde & ipſe Petrus in Evangelio tertio interrogatur, utrum diligat Dominum; ut trina reſponſione vincula, quæ Dominum negando ligavit, abſolveret*. Verum per hanc trinam confeſſionem non ſemper trina Symboli recitatio intelligenda. *Ambroſius* enim alio in loco; *de Sacram.* l. 2. cap. 7. hanc trinam confeſſionem potius de trina reſponſione *Credo*, ad diverſas Symboli partes facta, interpretatur. *Interrogatus es*, inquit, *Credis in Deum Patrem Omnipotentem? Dixiſti, credo, & merſiſti, hoc eſt, ſepultus es. Iterum interrogatus es: Credis in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & in Crucem ejus? Dixiſti: credo, & merſiſti. Tertio interrogatus es: Credis & in Spiritum Sanctum? Dixiſti: credo; tertio merſiſti, ut multiplicem lapſum ſuperioris ætatis abſolveret trina confeſſio*. Ex quibus verbis planum eſt, triplicem confeſſionem nihil amplius, quam triplicem reſponſionem *Credo* ad diverſas Symboli partes indicare. Sed forte diverſæ in diverſis locis conſuetudines obtinuerunt; nam *Cyrillus* aliquid plus intelligere videtur, quando haſce reſponſiones, non ſolam confeſſionem trium Perſonarum divinarum, ſed triplicem confeſſionem *Chriſti* nuncupat; quod, quantum ſenſum ejus aſſequi licet, trinam Symboli recitationem inferre videtur. || Alia adhuc circumſtantia erat, quæ, ſi vera, multum momenti ad univerſam actionem conferebat. Baptizandus videlicet fidei profeſſioni a ſe factæ manu ſua, ſi id faciendi facultatem haberet, in libris ſeu monumentis Eccleſiæ ſubſcribebat. Fuiſſe hanc certam

& univerſalem praxin certo nequit affirmari: quædam tamen hujus conſuetudinis veſtigia in antiquis quibuſdam monumentis, & Scriptorum adluſiones ad hujuſmodi conſuetudinem videntur exiſtere. *Gregorius Nazianzenus* eo reſpicere creditur, quando homines ad perſiſtendum in fide, quam in baptiſmo profeſſi ſunt, adhortans, *Orat.* 40. *de baptiſ.* ait: *Si alio modo inſcriptus es, quam vera doctrina expoſcit, veni, ac traſcribere. Ego horum non inſcius atque ineptus ſum Scriptor, ſcribens ea, quæ mihi inſcripta ſunt, & docens, quæ didici, atque a prima ætate ad hanc uſque canitiem ſervari. Meum ſit periculum, meum quoque præmium, qui animæ tuæ ſum diſpenſator, ac per baptiſmum te perficio. Sin autem ita te habes, ac pulcris litteris notatus atque inuſtus es, quæ ſcripta ſunt, ſerva in obnoxiis mutationi temporibus, de re minime mutabili immutabilis manens. Pilatum in meliorem partem imitare, male ſcribentem recte conſcriptus. Dic iis, qui ſe a ſententia deducere ſtudent: Quod ſcripſi, ſcripſi. Ambroſius* quoque ad hunc morem alludere videtur, quando apud initiatos ſive baptizatos loquens, *de Sacram.* l. 1. c. 2. ait: *Chirographum tuum tenetur, non in terra, ſed in Cœlo.* Et alibi, *de initiat.* c. 2. *Tenetur vox tua, non in tumulo mortuorum, ſed in libro viventium;* quia videlicet præſentibus hominibus, & Angelis datum ſit. Et *Auguſtinus*, *de Symb. ad Catechum.* l. 2. c. 1. *Nomina profitentium*, inquit, *in libro excipiuntur vitæ non a quolibet homine, ſed a ſuperiore cœlitus poteſtate.* Verumtamen *Chryſoſtomus* locum habet, qui his omnibus adverſari videtur. Nam diſcrimen ſtatuens, *Hom.* 21. *ad popul. Antiochen. Tom.* 1. inter dominos terreſtres, qui ſervos emunt, & *Chriſtum* nos ſervos ſuos adſciſcentem, ait: *Chriſtus non teſtes a nobis, non chirographa exigit, ſed ſola contentus eſt voce: & ſi dicas ex animo: Abrenuntio tibi, ſatana, & pompæ tuæ.* Unde concludendum eſt, ſive hanc conſuetudinem non ita univerſalem fuiſſe, utpote *Chryſoſtomo* ignotam; ſive laudata ſuperius teſtimonia tantum roboris non habere, quantum prima fronte præſeferunt. *Ambroſius* enim, & *Auguſtinus*, quando de ſcriptis in libro vitæ loquuntur, intelligi poſſunt, tamquam ſenſu dumtaxat loquentes figurato, quod ipſorum nomina in Cœlo ſcripta ſint. Primæ tamen opinioni *Vicecomes* non tantum confidenter adhæret, ſed Baptizandos ſigillum etiam ſuæ ſubſcriptioni addidiſſe, *de ritib. bapt.* l. 2. c. 27. & confeſſionem ſuam jurejurando confirmaſſe teſtatur. Verum hujus rei nullum idoneum teſtimonium invenire eſt: quamobrem ei longius non immorandum; ſed ſtudioſo lectori relinquendum, ut id teneat, quod curatiore diſquiſitione adhibita vel verum, vel veroſimilius ſibi viſum fuerit. || Verum ex iis, quæ dicta ſunt, facile perſpici poteſt, conſilium Eccleſiæ in omnibus hiſce ceremoniis, quas in univerſo hoc negotio adhibebat, eo tantum ſpectaſſe, ut homines Religionis Chriſtianæ, nullos ad ſui communionem ſine hac formali & ſolemni profeſſione admittentis, naturam & indolem recte perciperent, & intelligerent obligationem, qua in fide & obſequio *Chriſti*, quemadmodum ſolemniter promiſerant, ſuaque ſubſcriptione confirmarant, perſeverare tenerentur. Res hæc maximam obligandi vim habebat, quæ per omnem vitam eorum animis ſe ſe inſinuabat. Quem in finem *Chryſoſtomus* auditoribus ſuis hæc frequenter inculcat, eoſque ut ea ſibi nullo non tempore in memoriam revocent, & velut baculum & optimam armaturam contra quaſvis tentationes adhibeant, monet. Homilia ad populum *Antiochenum* in hunc locum expatiatur, invehens primum acriter in omnes *Romanorum* ludos, theatra, circenſes, dierum obſervationem, præſagia, & omina, quæ omnia pompam ſatanicam eſſe dicit. Hiſce incantamenta jungit & ligaturas. Nam Chriſtiani quidam aurea *Alexandri Macedonis* numiſmata capiti, vel pedibus ad curandos morbos circumligare non verebantur. Cum quibus hac de re, *Hom.* 21. *ad pop. Antioch.* ita expoſtulat: *Dic mihi, hæ ne ſunt exſpectationes noſtræ, ut poſt crucem, & mortem dominicam in gentilis regis imagine ſpem ſalutis habeamus? Ignoras, quanta Crux perfecit? Mortem diſſolvit, peccatum extinxit, orcum inanem reddidit, diaboli ſolvit potentiam, & ad corporis ſanitatem præſtandam non eſt fide digna? Totum orbem exſuſcitavit, & tu in ipſa non confidis? Et quid pati dignus non eſſes? Non ligaturas vero tantum, ſed etiam excantamenta tibi circumducis, vetulas ebrias & titubantes domum ducemus. Nec confunderis, nec erubeſcis, poſt tantam ad hæc trepidans diſciplinam: & quod gravius eſt errore, quando hæc admonemus & diſſuademus, putantes ſe excuſari, dicunt, quod chriſtiana eſt mulier hæc incantans, & nihil aliud loquitur, quam Dei nomen. Propterea namque potiſſimum ipſam odi, & averſor, quod Dei nomine ad contumeliam abutitur, quod ſe dicens eſſe chriſtianam, gentilium opera facit. Etenim & dæmones Dei nomen fatebantur, ſed tamen erant dæmones, & ita Chriſto dicebant: Scimus te, quis ſis, Sanctus Dei; & tamen ipſos increpavit, & ejecit. Propterea quippe vobis ſupplico, ut abſitis fallacia puri, & tamquam baculum hoc verbum habeatis, Et ſicut ſine calceamentis, vel veſtimentis veſtrum nemo in forum deſcendere eligeret: ita ſine verbo hoc numquam in forum prodeas, ſed cum es januæ veſtibula transgreſſurus, hoc prius loquere verbum: Abrenuntio tibi, ſatan, & pompæ tuæ, & cultui tuo; & conjungor tibi, Chriſte. Ne umquam abſque hac voce exeas: hæc erit tibi baculus, hæc armatura, hæc turris inexpugnabilis. Cum hoc*

*verbo & crucem in fronte imprime: ſic enim non tantum homo occurrens, verum nec ipſe diabolus te quidquam lædere poterit, cum his te cernens armis ubique apparentem.* In hunc modum *Chryſoſtomus* homines admonet, ut ſolemnis profeſſionis fidei, & ſtipulationis in baptiſmate, qua ſatanæ renuntiarint, *Chriſto* que ſe adſcripſerint, tamquam optimi antidoti adverſus peccatum & periculum quotidie recordentur. Quibus tum ille, tum *Ephrem Syrus* hanc multum momenti habentem conſiderationem ſubjungunt, quando hic, *de abrenunt. bapt.* inquit: *Hanc renuntiationem Angeli in hora baptiſmatis ſcribunt: hæc a nobis omnibus Chriſtianis confeſſio exigetur judicii tempore. Scriptum enim eſt: Quia ex verbis tuis juſtificaberis; & rurſum dominus dicit: Ex ore tuo te judico, ſerve nequam:* Ille autem (*Chryſoſt.*) ait: *Hoc igitur dicamus: Abrenuntio tibi, ſatana, tamquam in illa die hujus vocis rationem reddituri, & ipſam cuſtodiamus, ut ſalvum tunc reddamus depoſitum.* Quemadmodum igitur nihil poterat eſſe utilius, quam hæc diſciplinæ eccleſiaſticæ pars, qua iſtiuſmodi publicæ confeſſiones & promiſſa ab omnibus, antequam ad Chriſti dominium tranſirent, requirebantur; (uti domini, qui ſervos emebant, *Idem ibid.* eos, qui vendebantur, prius interrogare ſolebant, an ſervire ipſis velint) ita nihil poterat eſſe magis neceſſarium, quam ut promiſsa animis hominum numquam non inculcarentur, ut intimo obligationis, qua tenebantur, ſenſu ſemper percellerentur, a qua re adeo totius vitæ ipſorum ratio, & ſempiterna eorum ſalus in die judicii pendebat.

ADUMBRO, obſcuro. [Ut etſi bono alio comparatur, & alio adumbratur; nihilominus remaneat in boni nomine. Tertull. de Exhor. caſt. cap. 3.] ac idem alibi: [Petulantiam a modeſtia adumbratam, de Spect. cap. 9.]

ADVOCATIA. FR. genus feudi. [Advocatia Imperii, Chron. Caſin. lib. 4. cap. 35. Boniſac. in hiſt. Tarviſ. & in Comment. de feudis Venetis, pag. 65. & 71. leges feudales de pace tuenda, §. quicunque Advocatiam.]

ADVOCATIO, penes Tertullianum, non raro conſolationem ſignificat, quod a verbo græco παράκλησις trahitur, quod ſimul conſolationem, & advocationem ſignificat. [Itaque talibus & advocatio, & riſus promittitur, lib. de pœniten. cap. 11.] Eodem ſenſu uſus eſt verbo *Advoco*, ut lib. 3. adverſ. Marc. c. 14. ubi legimus: *Advocate languentes.* In Jure Canonico *Jus advocationis* dicitur, quod nos Juſpatronatus appellamus, & *Advocatus* is etiam dicitur, ad quem ſpectat præſentare, vel nominare, ſcilicet, patronus ipſe. Vide de Advocatis in aliis ſignificationibus in verbo *Defenſor. Conclamator. Adminiculator. Mamburgium. Paraclitus. Scholaſticus. Tanganus.*

* ADYTA. Univerſum Sanctuarii ſpatium (quo altare, presbyterium, diaconicum, & chorus comprehendebatur) cancellorum beneficio concluſum omnibus, præter Clericos, tempore divini officii fuiſſe inacceſſum, auctor eſt *Euſebius*, l. 10. c. 4. Concilium *Laodicenum*, c. 44. canonem, ſpeciatim feminis interdicentem, ne ad θυσιαστήριον ingrediantur, habet. Et alius quidam ejuſdem Concilii, c. 19. canon generalioribus verbis ſolis ἱερατικοῖς ibidem communicare permittit. Quo in canone per τὺς ἱερατικὺς nonnulli omnes omnino clericos inferiores æque ac ſuperiores; alii autem ſuperiores tantum, Sacerdotes nimirum ac Diaconos, intelligi; omnes vero inferiorum ordinum clericos, Subdiaconos, Lectores, ceteros ab hac parte non minus quam populum excluſos fuiſſe, exiſtimant. Quomodocumque res ſe habeat, inter omnes convenit, populum iſta ætate locum ibi nullum habuiſſe. *Ambroſius* permittere nolebant, ut ipſe Imperator in hac parte communicaret, ſed ipſum abſcedere jubebat, ſtatim ac ad altare dona obtuliſſet; *Theodoret.* l. 4. c. 18. Quæ conſuetudo per aliquot ſæcula poſt continuata eſt. Sicut ex iis apparet, quæ *Theodoſius* junior ipſe de ſe dicit, *Edit. Theod. ad calcem Conc. Eph.* in Actis Concilii *Epheſini*, *Ad ſacra altaria, inquiens, munerum tantum offerendorum cauſa accedimus: & quum circumſeptum ſacrorum adytum ingreſſi ſumus, ſtatim egredimur; nec quidquam ex propinqua Divinitate nobis arrogamus.* Praxi huic conſonat decretum Concilii *Trullani*, c. 69. *Nulli omnium liceat, qui quidem ſit in laicorum numero, intra ſepta ſacri altaris ingredi, nequaquam tamen ab eo prohibita poteſtate & auctoritate imperiali, quandoquidem voluerit Creatori dona offerre, ex antiquiſſima traditione.* Atque hinc iſta Eccleſiæ pars ἄβατα καὶ ἄδυτα a *Theodoreto*, l. 5. cap. 18. *Euſebio*, aliiſque Græcis Scriptoribus, & Latinis *adyta*, hoc eſt, *inacceſſa*, dicta eſt, quia huc accedere populo non licebat. Quamquam notandum eſt, pro diverſa temporum ac locorum ratione diverſas conditiones hac in re obtinuiſſe. Nam antiquiſſima conſuetudo fuit, ut tam viri, quam mulieres ad altare venirent, ibique communicarent, quemadmodum Sæculo tertio moris fuiſſe videtur, tempore, quo vixit *Dionyſius Alexandrinus*, qui de viris, *Dionyſ. apud Euſeb.* l. 7. c. 9. & mulieribus, *idem ep. ad Baſilid.* c. 2. ad ſacram menſam accedentibus loquitur. Idem quoque privilegium populo *Galliarum* Sæculo ſexto indultum erat. Concilium enim *Turonicum* ſecundum, an. DLXVII. Sancta Sanctorum, c. 2. laicis, & feminis ad orandum & communicandum oblationis tempore patere jubet; quamquam aliis temporibus, ſi quod aliud officium præter communionem perageretur, in chorum cantorum, ſeu intra cancellos Sanctuarii ingredi ipſis haud licuit. Ex quibus etiam diſcitur,

quæ

quæ pars eccleſiæ hoc ævo in *Gallia* dicta ſit *chorus*, nempe quæ proxime intra cancellos Sanctuarii erat, ubi inferiorum Ordinum Clerici tempore oblationis conſiſtebant.

ÆDIFEX. Faber murarius, ſeu Architectus. [ Ante enim fuit deliberandum ex ſimilitudine prudentiſſimi ædificis illius, qui prius ſumptus operis cum viribus ſuis ſupputat. Idem Tertull. de Idol. cap. 12. ] FR. putarem hic potius de fabricæ domino ſenſum eſſe, eo modo, quo de eodem Chriſtus Lucæ 14. dixerat: [ Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius ſedens computat ſumptus, qui neceſſarii ſunt, ſi habeat ad perficiendum, ne poſtquam poſuerit fundamentum, & non potuerit perficere &c. ] Non enim ad Fabrum, aut Architectum *operis ſumptus*, ſed ad dominum fabricæ cum ſuis viribus ſpectat ſupputare. Unde ædifex qui ædificat, nempe, & ædificare facit proprie dicitur, licet promiſcue de utroque poſſit intelligi, ſicut fabricatoris nomen utrique adaptatur: ſed Tertulliani ſenſus hic ad parabolam Chriſti adductam alludit, nempe, de eo, qui propriis ſumptibus ædificare facit.

ÆGINUM TALENTUM. Vide *Talentum*.

ÆGYPTII, quid ſignificare intendebant per ſphingis ſimulacrum. Vide *Sphinx*. Quid per Serapin. Vide *Sporteolus*. *Seraphim*. Ægyptiaci dies. Vide *Strena*. Primi ad tondendas Monialium comas. Vide *Tonſura*.

ÆNEA. FR. dicebatur Jeroſolymis quædam Eccleſia, fortaſse quid æneas valvas, aut tectum habebat. [ Præterea pervenit ad me, quia in ea Eccleſia, quæ ænea dicitur, ſæpe in Jeroſolymorum Urbe veſtræ Eccleſiæ jurgia naſcuntur. S. Gregor. lib. 9. cap. 40. ad Iſacium Jeroſolym. Epiſc.

ÆNEUS SERPENS. Vide *Noheſtan*.

ÆNIOLUS. FR. Lebes, ænulum, ſeu æneolum. [ Ænioli ferventibus aquis deſuper pendebant. In vita S. Aldegundis Abb.

ÆONES. Vide *Abaſcantus*.

ÆPHONOTROPHIUM, Cantorum Collegium. [ Fecit ad S. Stephanum æphonotrophium, ubi Primicerius, & Cantores manerent. In Greg. Magno Petrus Mallius in ſua hiſt. ſac. ] a voce græca Εὐφωνοτροφεῖον, quæ locum, ubi Cantores aluntur, ſignificat; ideo recte ſcribendum erit per EU, in principio, ideſt, *Euphonotrophium*.

ÆQUALENTIA. FR. hæreditaria inter fratres æquali portione diviſio. Marculph. lib. 11. cap. 14.

ÆQUIVOCOR, ideſt, habere æquale, ac ſimile vocabulum, quod in ſenſu ſcholaſtico potius *univocor*, diceretur. [ Nec parvipendendum patrocinium hujus pœnitentis (ſcilicet, Mariæ Magdalenæ) quia ſicut æquivocatur Beatæ Virgini in vocabulo, ſic etiam confertur ei quodammodo in exemplo. Petr. Bleſen. ſerm. 23. ] Sic etiam *æquivocationem* idem dixerat pro nomine univoco. [ Æquivocationi veſtræ toto corde gratulor, nec reor hoc accidiſſe ſine diſpenſatione divina, ut nobis eſſet uniformitas nominis, quos a pueritia fecerat uniformes identitas voluntatum, epiſt. 77. ] Reperitur etiam in hac ſignificatione ejus adjectivum *æquivocus*. [ Itaque poſtquam Ludovicus ab æquivoco filio ſuo reſtitutus eſt in Regnum. Flod. l. 2. hiſt. Remen. cap. 20. ] De æquivoco filio dixerat, quia Ludovicus etiam ſicut & pater vocabatur. Quod clarius VVarnefridus, cum ſingulos Caroli magni liberos recenſuerit: [ Secundus (inquit) Pipinus fratri, atque avo æquivocus; ] conſtat enim ejus avum vocatum fuiſſe Pipinum, ſicut & frater ex Himiltruda genitus. FR. [ Moxque palam Domini Papæ Benedicti VII. qui ſic vocabatur, ex numero præcedentium æquivocorum obnixe petit auxilium. In Chronica Ditmari Epiſcop. lib. 3. ] Vide *Anagogia*.

AER. Vide *Velum*.

Æra, vox familiaris ſacris Conciliis, & Eccleſiaſticis Scriptoribus, ad denotandum annorum computum. De origine hujus nominis eſt quæſtio inter Etymologos. Aliqui exiſtimarunt a voce Æs derivari, cum in ære ſignato nota currentis anni imprimebatur. Alii probabilius cenſent hanc dictionem compoſitam eſſe ex litteris A. ER. A. ideſt, Annus erat Auguſti; nam hujus Imperatoris tempore cœperat hic annorum computus. At Cardinalis Baronius in Not. ad Martyrol. Roman adhærens Dioni Caſſio, opinatur ab ære collato hoc vocabulum ſortitum fuiſſe; nam Auguſti temporibus ex Hiſpania tam ingens copia monetarum collecta fuerat, quæ nedum pro triumpho, ſed & ad reſarcienda Romana mœnia, ac ædificia fuerat ſufficiens, atque ab hac copioſa nationis Hiſpanicæ contributione cœperat *Æra* denominari annorum computus ob hoc memorabile factum; ideoque nota hæc in Hiſpanicis Conciliis frequenter reperitur. FR. quæ triginta octo annis ante Chriſti adventum incœperat, in Conſulatu, ſcilicet, Apii Claudii, & Norbanis Flacci: hinc eſt, quod quando in Toletano Concilio contra Priſcillianiſtas congregato, habetur celebratum fuiſſe anno 438 non niſi anno Chriſtiano 400. intelligendum eſt. Qui calculandi modus ceſſavit in Regnis Hiſpaniæ, in Aragonia, ſcilicet, anno 1358. in Caſtella 1383. ac in Luſitania tandem anno 1415. Æra autem Chriſti cœpit apponi anno 527. ut ibi notat Baronius in Annal. quando, nimirum, poſt Juſtinianum Imperatorem faſti Conſulares defecerant: primuſque fuit Dionyſius Exiguus, qui privatim a Nativitate Domini annos cœperat numerare, hoc eſt, eodem anno, quo ſupra 527. & poſt Juſtinianum, qui obiit anno 525. numerabantur anni ab Incarnatione; ita Dominicus Mazzochius in ſupplemento Civitatis Caſtellanæ. Paulus vero Diaconus multo prius ab Incarnatione ſuum computum, lib. 17. notaverat, ideſt, ab anno 492. qui ibi ſic ait: [ Ceſſante jam Romanæ

Urbis Imperio, utilius, aptiuſque mihi videtur, ab annis Dominicæ Incarnationis ſupputationis lineam deducere. ] Notat Gloſſa in extrav. cap. unico, de Summa Trinit. Pontificis datam ab Incarnatione immemorabiliter in uſu eſſe, congeſta per. Gloſſ. in Clement. de Summa Trinit. §. Ex tempore; ſed Bononienſis Academia poſtea introduxerat a Nativitate ſubſcriptionem, fortaſse ea inducta ratione, quod computus ab Incarnatione, novem menſes poſtponit Chriſti ætati, ut notant Baldus in l. nuptæ, §. Senatores, ff. de Senator. Aretin. conſil. 71. viſa ad finem. In calculatione vero a Nativitate, unica tantum dies, in qua natus eſt Chriſtus, excluditur, l. a Caligato, C. de nuptiis: |||| : Hoc tamen vocabulum in neutro genere, & plurali numero apud D. Ambroſium debitum contractum ſignificat; [ Et gravis æra contraxit; de Joſeph, cap. 5. ] ubi de Protoplaſte loquitur. Item pretium ſonat aliquando: ſic idem Doctor Judam Magdalenæ murmurantem argute irridet; [ Trecentorum( inquiens ) æra crucis inſigne declarat, lib. 6. in Lucam, cap. 8. ] Alludit ad primam litteram dictionis *Trecentorum*, quæ ad modum crucis formatur. Vide *Aureus numerus*, *Epacta*, *Indictio*. Æra Mahumetanorum. Vide *Hegira*. Æra planta qualis ſit. Vide *Zizania*.

ÆRATUS ORBIS. FR. ſcutum. [ Rex locutus; Licet pectus meum lorica vix deſerat, & aſſidue manum orbis æratus includat, necnon latus muniat ferri præſidium. Ennodius in vita B. Epiphanii Ticinen. Epiſc.

ÆREOLA moneta. Vide *Talentum*.

ÆROMANTIA, Vide *Hydromantia*.

ÆSTIMARIA. FR. juridica æſtimatio. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſt. 36. n. 6.

ÆSTIVALES. Vide *Bota*. Æſtus maris. Vide *Ledo*. Æſtiva cœna. Vide *Thamnus*.

* ÆTAS. Cum nonnumquam de *ætatis* prærogativa inter Epiſcopos ſuboriretur diſceptatio, diverſæ a Patribus *Africanis* in hanc rem leges latæ fuere. Primo quidem, ut *matricula*, ſeu *archivus* tum in Eccleſia Primatis, tum in Metropoli Provinciæ adſervaretur, *Concil. Milevit.* c. 86. ut Epiſcopi conſecrationis ſuæ tempus demonſtrare inde poſſent. Secundum, quilibet Epiſcopus epiſtola ordinationis ab Ordinante ſubſcripta, annoque & die conſecrationis ipſius ſignata, *idem* c. 14. inſtructus eſſe debebat. Tertio, omnes Epiſcopi locum occupare debebant ſecundum *ætatem* ( ab ordinationis, non a nativitatis tempore computandam ) atque ita ſedere, ſuffragia ferre, & nomina ſua in Concilio ſubſcribere: quæ lex non in *Africa* tantum, *id.* c. 13. ſed in omnibus reliquis Eccleſiis a diverſis fuit ſtabilita Conciliis, *Conc. Bracar.* I. c. 24. *Tolet.* IV. c. 4. & Civili Legi, *Cod. Juſtin.* l. 1. *tit.* 4. c. 29. a *Juſtiniano* Imperatore inſerta: Sed omnium accuratiſſime in *Africa* obſervata, ubi Primatus ad ſeniorem ſolebat devolvi, ne illius neglectio confuſionem inter eos pareret. Adeo ut *Auguſtinus*, Ep. 217. ad Victorin. *Victorinum* ( qui Primatem *Numidiæ* ſe vendicabat ) eam dumtaxat ob cauſam reprehenderet, quod in *Tractoria*, ſeu epiſtola ſua citatoria ad Concilium Provinciale nomina Epiſcoporum *Numidiæ* confuſe ſcripſerit, *Auguſtini* nomen multis aliis, *ætate* ipſum ſuperantibus, anteponendo: quæ res, *Auguſtino* quidem judicante, iſtis injurioſa erat, ipſi autem invidioſa. Adeo circumſpecte providebat, ne quid faceret, quod adverſus hanc legem pugnare videretur, veritus, ne qua in Eccleſiarum gubernatione ſuboriretur confuſio. || Moris erat in *Africa* ( ubi Primatus Metropolitanorum ſemper migrabat ad Epiſcopum ſeniorem, ita ut hic mortuo Primati ſuccederet, in quacumque diœceſi ſedem ſuam haberet ) Epiſcopum delinquentem punire, privando eum *ætatis* prærogativa, & jure Primatus, ita ut omni ejus aliquando adipiſcendi ſpe dejiceretur. Hoc ab *Auguſtino Ep.* 261. diſcimus, qui exemplum exhibet in quodam *Priſco*, Provinciæ *Cæſarienſis* Epiſcopo, qui hoc modo punitus ſit quique, ut ait *Auguſtinus loc. cit.* clamare potuiſſet: ( ſi quid argumentum *Antonii*, alterius Epiſcopi in *Africa* puniti, valuiſſet ) *Aut ad Primatum locus, ſicut ceteris, & mihi patere debuit; aut Epiſcopatus mihi remanere non debuit.* || Pœna erat ejuſdem prorſus generis, cujus, tamquam omnibus Clericorum ordinibus generatim infligi ſolitæ, Concilium *Trullanum*, c. 7. meminit. Quæ in eo conſiſtebat, ut *ætatis* prærogativa punirentur, & ad infimam ſedem, ſive gradum inter reliquos ſui ordinis Clericos dejicerentur. Hæc plerumque ambitioſorum & arrogantium pœna erat. Concilium de illis loquitur Diaconis, qui quum in honorificentiore aliquo eſſent officio eccleſiaſtico, Presbyterorum locum occupare, & ante eos ſedere audebant; contra quos parabolam adlegat Servatoris: *Quando invitatus fueris ad nuptias*, 7. Auctor *Conſtitutionum Apoſtolicarum* ejuſdem pœnæ meminit, tamquam ſuo tempore etiam inter ipſos laicos uſitatæ. Nam ſi quis honoratus in congregationem veniret, peregrinus ſcilicet; & aliquis monitus a Diacono, ut honoratum illum ſedere ſineret, loco ſedere renueret; movendus & poſt omnes amandandus erat in Eccleſia; *Conſt. Apoſt.* l. 2. c. 58. Eamdem conſuetudinem obſervatam inter Monachos diſcimus in regulis *SS. Pachomii*, & *Benedicti* propter leviores offenſiones. Et in Concilio *Niceno* ſecundo, c. 5. ſimilis regula ad corrigendos Clericos extat, in qua definitur, ut ſi quis arroganter elatus inſurgat adverſus alios, ad infimum ſui ordinis gradum detrudatur, ad diſcendam in ſtatione ſua animi ſubmiſſionem.

ÆTERNITAS, quare ab hominibus mereatur in præmium, ſive in pœnam. Vide *Infernum*. Æterna,

ri cupiunt homines in terra. Vide *Sepulchrum*.

ÆTHIOPS. Vide *Blembus*, *Campana*, *Confeſſio*, *Hebdomada major*, *Monophyſitæ*, *Sabbatum*, *Henoch*. Æthiopes adhuc antiquum ritum præbendi infantibus lac, & mel obſervant in baptiſmo. Vide *Baptiſmus*.

ÆTIANI. FR. Hæretici ab Ætio appellati, aſpernantes oblationes, & ſacrificia pro defunctis, 24. qu. 3. cap. 39. (a noſtri ſæculi Novatoribus denuo excitatus error:) atque ab Eunomio Ætii diſcipulo *Eunomiani* deinde vocati ſunt, Socratis hiſt. Eccl. lib. 2. cap. 28. Theodorici hiſt. Eccl. lib. 2. cap. 24. Sozomeni hiſt. Eccl. lib. 6. cap. 26. & 27. Nec a prædictis Novatoribus pœnitentiam negantibus valde differebant; nam aſſerebant, in fide viventes, pœnitentia haud indigere, cum eſſent impeccabiles. Diſſimilitudines autem in divinis ſomniabantur, Patris a Filio, atque ab hoc Spiritus Sancti. Ibidem. Vide *Anomæi*, *Trinitas*.

ÆVOSUS, antiquus, vetuſtus. [ Vir meus Æmilius vetulus ſit, ac in ævoſo ejus corpore frigidus extet circum præcordia ſanguis. Hincmar. in Remigio.

AFA, vox græca Ἀφὴ, quæ pulverem ſignificat. [ Ægyptium video in Afa volutantem. In vita SS. Propertii, & Felicis. ] Palæſtricam artem alludit; nam luctatores oleo uncti in arena involvuntur, ne facile ab adverſario amplexari, & proſterni valeant. Hic autem de dæmone fabulatur in forma Ægyptii apparente.

AFATOMIA. FR. Donatio, ſeu, forma tradendi poſſeſſionem. In lege Salica, tit. 48. Dicitur etiam *Affatimia*. [ Ideo penſantes cauſam conſanguinitatis, dono vobis per hanc affatimiam, pro omni portione in pago illo, centena illa. Marclf. in ſuo Formul. ] Reperiuntur in eadem ſignificatione *Adfatimo* verbum, & *Adfatimus* adjectivum.

AFFIRMATIO. Vide *Diffinitio*.

AFFINITAS ſpiritualis contrahitur inter Confeſſarium, & pœnitentem. Vide *Pœnitentialis*.

AFFICTUS. FR. Locatio, conductio: [ Affictuum, & penſionum poſſeſſio poterat tibi reſtitui, de reſt. ſpol. cap. 19.

AFFRONTATIO, confinium, ſeu conterminatio; nam termini quaſi frontibus inter ſeſe objiciuntur: [ Quantum iſtæ affrontationes includunt, atque terminant. In vita B. Oldegerii Epiſcopi.

AFRICA, quando ab Arabis capta. Vide *Taxatus*.

AGALMA, vox græca Ἄγαλμα, de qua fit mentio in ſecundo Concilio Nicæno, ſtaturam alicujus animalis ſignificat, ad differentiam imaginis rationalis, quæ dicitur *Icona*, Vide ſuo loco. FR. Idem vocabulum, ſed diverſæ ſignificationis, in vita S. Giſleni legitur. [ Corpus in ſindone mundo diligentiſſime involutum, & ſub agalmatis clave firmiſſime obſeratum, in eadem urna deponitur. ] Aliqui arcam intellexerunt, ſed græce rem lætitiam, & conſolationem afferentem ſonat.

AGAMUS, græci vox Ἄγαμος, ideſt, Cœlebs; γάμος enim nuptiæ dicuntur; unde *Agamus* ſine nuptiis, ideſt, innuptus. [ Primus Adam monogamus, ſecundus agamus. Qui bigamiam probant, exhibeant tertium Adamum bigamum. D. Hieron. contra Jovin. ] Quare cœlebs fœmina, quæ Deo ſe dedicabat, ut eſt Monialis, & ſimilis, *Agama* appellabatur. *De Monogamo*, Vide ſuo loco.

AGAPE, ſacra convivia erant, quæ in primitiva Eccleſia fiebant, græca vox Ἀγάπη, ideſt, Amor, & Charitas, nam frequentabantur amoris & charitatis gratia, quæ tripliciter fiebant, ſcilicet, occaſione nuptiarum, in quibus invitabatur ipſemet Epiſcopus, dicebanturque *Agapæ connubiales*. Alia celebrabantur in feſtivitatibus Sanctorum Martyrum, & appellabantur *Agapæ natalitiæ*, quæ erant in Eccleſia. Alia tandem convivia in exequiis præbebantur, & *Agapæ funerales* nominabantur. Vide *Cœniſcia*. De his admonuit Clericos S. Clemens, inquiens, [ Qui in exequiis mortuorum ad convivium funebre invitati eſtis, ordine & timore Dei epulamini, ut poſſitis preces pro defunctis exhibere Deo, lib. 8. Conſt. Apoſt. cap. 44. ] Mos erat invitandi præter Clericos, etiam pauperes. amicos, & affines, ut obſervavit Origenes in Job, lib. 10. FR. Ex Concil. Gangrenſi in Gratiani decreto, diſt. 42. cap. 1. habetur, [ Si quis deſpicit eos, qui fideliter agapes, ideſt, convivia pauperum exhibent, & propter honorem Domini convocant fratres, & noluerit communicare hujuſcemodi convocationibus, parvipendens, quod geritur, anathema ſit; ] Alciatus vero, lib. Prætermiſſorum, 1. in dict. Agapes, male opinatur *Lapinas* hic legendum, & non Apapes. [ Ad convivium, quod agape dicitur, & Euangeliſta δοχὴν appellavit. Conſt. Apoſt. cap. 28. lib. 2. ] ubi pro omnibus Eccleſiæ gradibus quomodo dividendæ ſint portiones diſponit: |||| : Ac Sanctus Paulinus Aletio ſcribens, ejus magnificentiam in funeralibus agapis pro Rufina uxore in Baſilica Vaticana celebratis, valde commendat; ſic enim ait: [ Patronos animarum noſtrarum pauperes, qui tota Noma ſtipem meritant, multitudinem in Aulam Apoſtoli congregaſti. Pulcro equidem tanto operis tui ſpectaculo paſcor. Videre enim mihi videor tota illa religioſa miſeranda plebis examina, illos pietatis divinæ alumnos tantis influere penitus agminibus in ampliſſimam glorioſi Petri Baſilicam, ut pro januis atrii, & pro gradibus campi ſpatia coarctentur, epiſt. 81. ] Solebant celebrari etim poſt ſanctiſſimam Communionem, [ Antiquitus mos erat poſt communionem divinorum myſteriorum coepulationes, & compotationes fieri, divitibus epulas ſuppeditantibus, ac præterea pauperiores invitantibus. Zonar. in can. 74. Trull. ] De Agapis ſolemnibus pro Eccleſiarum dedicationibus D. Gregorius loquitur, lib. 1. epiſt. 14. ubi Petro Subdiacono neceſſaria pro ſimilibus conviviis ad dedicatio-

nem

nem cujuſdam Oratorii committit. Abuſiones deinde ex hiſce conviviis in Eccleſiis exortæ, prohibitæ fuere a SS. Præſulibus, præcipue in Conciliis Laodicenſ. cap. 28. FR. In decret Gratian. diſt. 42. cap. 3. habetur: [ Non oportet miniſtros Altaris, vel quoslibet Clericos ad agapem vocatos partes tollere propter injuriam, quæ ex hac occaſione Eccleſiaſtico ordini poterit deputari. Laodicen. Concil. Item in eodem decret. Gratiani notatur ex Carthaginenſe Concilio IV. quod: [ Nulli Epiſcopi, vel Clerici in Eccleſia conviventur, niſi forte tranſeuntes hoſpitiorum neceſſitate illic reficiantur: populi ab hujuſmodi conviviis ( quantum fieri poteſt ) prohibeantur, diſt. 42. c. 5. ]: |||: Conſtantinopol. VI. cap. 74. ubi Charitates appellantur, & penitus ſuppreſſæ a S. Ambroſio, ejuſque exemplo a D. Auguſtino, qui ab Eccleſia Africana eas expellere curavit, cum deperdita jam proſpiceretur cana illa Chriſtianorum ſimplicitas. Cui reformatori, ut ſuavius tales moderaret abuſus, Aurelius Carthaginenſis Epiſcopus ſcripſerat, ſcilicet; [ Magis docendo, quam jubendo, magis monendo, quam minando, ep. 64. ] Hæc agapeja immoderata convivia ob nimiam, licentioſamque diſſuetudinem in Chriſtianis reprehendit etiam Tertullianus, [ Apud te ( inquiens ) agape in cacabis fervet, fides in culinis calet, ſpes in ferculis jacet, lib. de jejun. adverſ. Pſych. cap. 17. ] FR. [ Non oportet in Baſilicis, ſeu in Eccleſiis agapem facere, & intus manducare, vel accubitus ſternere non licet, ] ſunt verba Canonis, 4. diſt. 43.: |||: Tempore autem præfati Tertulliani, cum nimirum adhuc non erant agapes a Conciliis prohibitæ: ideo ipſemet piorum hæc Chriſtianorum convivia laudavit, quæ tamen non erant immoderata, ſicut illa, de quibus ſuperius reprehenderat, quare de moderatis ſic ait: [ Cœna noſtra de nomine rationem ſui oſtendit. Vocatur Ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos eſt. Quotieſcunque ſumptibus conſtet, lucrum eſt pietatis nomine facere ſumptum. Siquidem inopes quoque refrigerio iſto juvamus. Nihil vilitatis, nihil immodeſtiæ. In Apolog. cap. 34. ] Catechumeni vero ad hæc convivia non admittebantur, nam adhuc habiles non erant ad communionem, ſic nec Pœnitentes publici, qui eam recipere nequibant. In Orientali tamen Eccleſia, uſque ad præſens, hæ agapes durant, ubi feſtivitatum, & funeralium occaſione ſæpe interſuit, quamvis non inter Eccleſias, ſed penes ipſa ſub dio, vel in privatis domibus, juxta id, quod D. Gregorius, lib. 9. epiſt. 71. Anglicis noviter ad fidem converſis præſcripſerat; permittendo eis, ſcilicet, ut non longe ab Eccleſiis, in tuguriis, virentibus frondibus fabricatis, talia convivia recolerentur. Itaque inter alia convivia, in quibus ibi præſens fueram, ſumptuoſiſſimum illud erat non minus, ac devotiſſimum Montis Libani, quando de anno 1624. pro ſanctæ Sedis Apoſtolicæ negotii ad Patriarcham acceſſeram; ibi enim in feſtivitate Patriarchalis Eccleſiæ, quæ ſub titulo Deiparæ Aſſumptionis eſt, convivium celebratum fuit, in quo interfuerunt Epiſcopi non pauci, magna Clericorum caterva, & innumerabilis populorum concurſus: non enim in hoc venerabili Cœnobio, excepto hoc ſolum die, carnes manducare, nec unquam animalia mactare licet, quod pro hac die extra clauſuram permititur. At Patriarcha cum cæteris Monachis, & Epiſcopis ejuſdem Ordinis ſeorſim comederunt; eorum enim regula, quæ eſt D. Antonii Abbatis, nunquam carnes manducare permittit. Unde Maronitæ Monachi, licet ad prælatitias dignitates aſcendant, obſervant nihilominus hanc carnium abſtinentiam, ſicut & reliquas Antonianas conſtitutiones. In ruralibus Inſulæ Melitenſis Eccleſiis,quum aliquod feſtum celebratur,ſolent poſt Veſperarum ſolemnitatem, buccellas una cum fructibus populo diſtribuere; Græci vero placentas, & ſubcinericios panes diſtribuunt, at in exequiis dant granum frumenti coctum, & benedictum, quod condimentis, ut bellariorum, & id generis adulcare ſolent, quæ, Κόλυβα ideſt, Coliva, latine bellaria vocamus. FR. græce tamen κωλίφιον, & Coliphium latine ipſum panem ſubcinericium dicitur. Plaut. Coliphia mihi ne incocta detis: & Juvenal. ſat. 2.

Luctantur paucæ, comedunt coliphia paucæ. Item Martial. l. 7. epig. 66.

Quum Coliphia ſexdecim comedit: || ||: Eſculentum hoc frumenti cocti originem duxit ex capitali in Chriſtianos Juliani Apoſtatæ odio: dum ipſi Conſtantinopolis Quadrageſimam obſervabant, juſſerat ille, ut publice comeſtibilia vendentes, non niſi contaminata, & Idolis imolata exponerent, ad cogendos, ſcilicet, Chriſtianos, ut aut illa comederent, aut fame perirent: verum in viſione a Sancto Theodoro admoniti, ut loco panis coquerent frumentum, quod actum fuit per integram hebdomadam, ſolicite egenis ditiores ſubveniendo, & hoc pacto imperialis intentio fruſtrata, edictum revocavit: ob hanc igitur tanti facti memoriam continuarunt deinde Conſtantinop. fideles in gratiarum actionem illius S. Martyris, ad anniverſarium ejuſdem, ea coquere, atque amygdalis, uvis paſſis, nucibus a corticibus dimembratis, granis mali punici, foliiſque apii breviter tritis hoc granum commiſcere ſolebant, quæ compoſitio ſymbolice varias Sanctorum virtutes denotat, & pauperibus elargiri ſolet: narrat omne id Nectarius Epiſcopus a Baronio in annum 362. relatus. Qui ritus a Græcis in Melita introductus, obſervatur ibi ſolum in funeralibus, & *Coccia* etiam vocatur; Moſchi tamen appellant *Cothia* panem illum benedictum, quem in Eccleſia pro mortuorum ſuffragio diſpenſant. FR. Caſalius in aliquibus Galliæ, & Hiſpaniæ locis *Agapes* adhuc in uſu eſſe ait, & colligitur ex lapide S. Ilde-

Ildephonſi Altaris in Eccleſia Hiſpanorum S. Jacobi Romæ. Vide *Doche*.

* Agapæ. Vetuſta erat conſuetudo, ex praxi Apoſtolica derivata, ut omnes communicantes, qui poſſent, ad Eccleſiam oblationes deferrent, quarum pars major in commune convivium cedebat. Convivium hoc a natura & circumſtantiis dicebatur *Agape*, *caritas*, Ignat. *ep. ad Smyrn.* n. 8. quia ad mutuam caritatem fovendam, & ad pauperes reſocillandos fiebat. *Chryſoſtomus* hanc hujus conſuetudinis affert rationem, *Hom.* 27. *in* 1. *Cor.* ab Apoſtolorum praxi eam derivans. Loquens enim in verba *Pauli*, 1. Cor. 11. 17. *Hoc autem præcipio: non laudans, quod non in melius, ſed in deterius convenitis*; ait: *Sicut in tribus millibus, quæ ab initio crediderunt, omnes communiter inibant convivia, & poſſidebant omnia communia: ita etiam tunc fiebat, quando Paulus hæc ſcripſit, ſed non adeo exacte & accurate. Quidam autem veluti effluxus communionis illius remanſit, & ad poſteros deſcendit: & quoniam contingebat*, ut alii *quidem eſſent pauperes, alii vero divites, ſua quidem omnia non proferebant in medium? ſtatis autem diebus menſas faciebant communes, & peracta Synaxi, poſt Sacramentorum communionem, omnes commune inibant convivium; divitibus quidem cibos adferentibus, pauperibus autem, & qui nihil habebant, etiam vocatis, & omnibus communiter veſcentibus*. Alio loco, *Hom.* 22. *Oportet hæreſes eſſe*, &c. idem repetit; *Ab hac lege & conſuetudine* (habendi omnia communia) *inolevit in Eccleſiis conſuetudo quædam admirabilis. Fideles enim omnes in conventibus ſuis, poſtquam audiſſent doctrinas, poſt preces, poſt Sacramentorum communionem, ſoluta concione non mox domum concedebant, ſed divites & abundantiores alimenta & edulia a domibus ſuis adferentes, pauperes vocabant, communeſque faciebant menſas, communia prandia, communia convivia in ipſa Eccleſia. Atque ita a communione menſæ & pietate loci undequaque ad caritatem accendebantur, non abſque ſumma voluptate, utilitateque maxima: pauperes enim tum fruebantur conſolatione non mediocri: divites vero fructum benevolentiæ & ab his, quos paſcebant, & a Deo, propter quem illos paſcebant, adſequebantur: ſicque tandem domum redibant*. Eadem hac de re habet *Hieronymus*, in 1. Cor. 11. eadem & *Theodoretus*, *Oecumenius*, *Theophylactus*, & alii in hunc Apoſtoli locum. Antiqui, & recentiores interpretes diſſident de circumſtantia temporis, quo communia hæc convivia Apoſtolorum ætate celebrarentur. Veteres, uti ſupra ex *Chryſoſtomo* & reliquis obſervatum eſt, generatim hæc convivia non niſi poſt ſacram Communionem, finita univerſa concionandi orandique ceremonia, diſpenſatiſque oblationum reliquiis, inſtituta eſſe dicunt. Multi ex recentioribus ſecus exiſtimant, ajentes, probabile eſſe, Apoſtolorum diebus temporibuſque proxime inſequutis hoc convivium ante Communionem inſtitutum, in imitationem inſtitutionis Servatoris noſtri, qui Sacramentum poſt cœnam celebravit, quomodo & *Paulus* uſus Eccleſiæ *Corinthiacæ* vituperans, eos reprehendit, quod, ſi ad edendam cœnam dominicam conveniant, ceteris non expectatis, unuſquiſque propriam cœnam præoccupet, adeo, ut hic quidem eſuriat, ille vero ebrius ſit. Quæ omnia profecto fieri debuerant ante celebrationem Euchariſtiæ, quæ numquam adminiſtrata ſit, uſquedum univerſa Eccleſia eſſet congregata, Ita *Eſtius*, *in* 1. *Cor.* 11. qui pro ſua ſententia citat *SS. Auguſtinum*, & *Thomam*, *Haimonem*, *Sedulium*, *Hervæum*, *Lyranum*, *Cajetanum*, alioſque. Probabiliſſimum omnium eſt, non obſervatam ſemper certam hac in re regulam, ſed habitum ſacrum illud convivium aliquando ante, aliquando poſt Communionem. || Perſecutionis tempore, quando, ad celebrandam in religioſis conventibus Euchariſtiam, ſummo mane ante lucem coibant Chriſtiani, convivium ante Communionem cum eorum conventuum ratione convenire haud poterat. Hinc Sæculo ſecundo ineunte Euchariſtiam ante receptam, & convivium poſtea inſtitutum fuiſſe legimus. Ita enim rem repræſentat *Plinius*, l. 10. *epiſt.* 97. prout a Chriſtianis quibuſdam apoſtatis ſub hujus Sæculi initium audierat. Quum enim ſe ex eorum ore didiciſſe dixiſſet, quod ſtato die ante lucem conveniant, carmenque *Chriſti*, quaſi Deo, dicant, ſeque obſtringant ſacramento, addit: *Quibus peractis morem ſibi diſcedendi fuiſſe, adfirmabant, rurſumque coeundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen & innoxium*. Hic Communionem primo loco, & *agapen* aliquanto poſt factam eſſe manifeſtum eſt. Atque ita *Tertullianus*, qui omnium accuratiſſime convivia hæc deſcribit, *Cœna noſtra*, inquit, cap. 39. *de nomine rationem ſui oſtendit: vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos eſt. Quantiſcumque ſumptibus conſtet, lucrum eſt, pietatis nomine facere ſumptum. Siquidem inopes quoque refrigerio iſto juvamus .... Nihil vilitatis, nihil immodeſtiæ admittit. Non prius diſcumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur. Editur, quantum eſurientes capiunt. Bibitur, quantum pudicis eſt utile. Ita ſaturantur, ut qui meminerint, etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe. Ita fabulantur, ut qui ſciant, Dominum audire. Poſt aquam manualem & lumina, ut quiſque de Scripturis ſanctis, vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium Deo canere: hinc probatur, quomodo biberit. Æque oratio convivium dirimit: inde diſceditur, non in catervas cæſionum, neque in claſſes diſcurſationum, nec in eruptiones laſciviarum, ſed ad eamdem curam modeſtiæ & pudicitiæ, ut*

qui

*qui non tam cœnam cœnaverint, quam diſciplinam*. Ut hæc elegantiſſima deſcriptio eſt horum ſanctorum conviviorum, quorum fundamentum erat caritas, exordium & finis oratio, in quibus hymni & religioſa colloquia condiebant cibos, & modeſtia ac temperantia conſpiciebatur in omnibus: Ita ſpecialior moris accendendi lumina, Deumque de nocte adorandi mentio, poſt, non ante Communionem tempore *Tertulliani* celebrata fuiſſe oſtendit; quandoquidem Communionem recipere ſolebant mane, & ſemper quidem jejuni, ipſis etiam diebus, quando ad tertiam uſque horam pomeridianam eam differebant, velut diebus ſtationariis, vel ad ſextam veſpertinam. Regula enim erat in Eccleſia *Africana*, ut Euchariſtia ſemper reciperetur a jejunis, excepto uno die, qui erat quintus hebdomadis, Paſcha proxime antecedentis, dictus communiter *Cœna Domini*, quia is dies erat, quo *Chriſtus* Dominus ultimam cœnam ſuam cœnaverat, & poſt cœnam Euchariſtiam inſtituerat; in cujus imitationem Eccleſiis *Africanis* mos erat celebrandi Euchariſtiam poſt cœnam hoc ipſo die, quemadmodum ex Concilio *Carthaginenſi* III. & *Auguſtino* diſcimus. Concilium *Carthaginenſe*, c. 29. expreſſum canonem habet in hanc ſententiam: *Ut Sacramenta Altaris nonniſi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniverſario, quo cœna Domini celebratur*. Et proinde præcipit, ut, ſi aliquorum pomeridiano tempore defunctorum commendatio facienda ſit, ſolis precibus, non celebratione Euchariſtiæ, id fiat, ſi illi, qui faciant, jam pranſi inveniantur. *Auguſtinus*, qui huic Concilio interfuit, decretum hoc adfirmat univerſæ Eccleſiæ conſuetudini convenire, quam ex Apoſtolorum inſtitutione derivandam eſſe exiſtimat. *Liquido apparet*, inquit, *Ep.* 118. *ad Januar.* c. 6. 7. *quando primum acceperunt diſcipuli Corpus & Sanguinem Domini, non eos accepiſſe jejunos. Numquid tamen propterea calumniandum eſt univerſa Eccleſia, quod a jejunis ſemper accipiatur. Et hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os chriſtiani prius Dominicum Corpus intraret, quam exteri cibi. Nam ideo per univerſum orbem mos iſte ſervatur. Neque enim quia poſt cibos dedit Dominus, propterea pranſi aut cœnati fratres ad illud Sacramentum accipiendum convenire debent, aut ſicut faciebant, quos Apoſtolus arguit & emendat*, menſis ſuis iſta miſcere. *Namque Salvator, quo vehementius commendaret myſterii illius altitudinem, ultimum voluit infigere cordibus & memoriæ diſcipulorum, a quibus ad paſſionem digreſſurus erat. Et ideo non præcepit, quo deinceps ordine ſumerent, ut Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſervaret hunc locum, Nam ſi hoc ille monuiſſet, ut poſt cibos alios ſemper acciperetur, credo, quod eum morem nemo variaſſet. Cum vero ait Apoſtolus, de hoc Sacramento loquens*, „Propter quod, „fratres, cum conveneritis ad manducandum, in„vicem expectate: Si quis eſurit, domi mandu„cet, ut non ad judicium conveniatis“: *Statim ſubtexuit:* „Cetera autem, cum venero, ordi„nabo“. *Unde intelligi datur, quia multum erat, ut in epiſtola totum illum agendi ordinem inſinuaret, quem univerſa per orbem ſervat Eccleſia, ab ipſo ordinatum eſſe, quod nulla morum diverſitate variatur*. Hæc *Auguſtinus* de more accipiendi Euchariſtiam ante cibos. Subjungit autem: *Sed nonnullos probabilis quædam ratio delectavit, uno certo die per annum, quo ipſam cœnam Dominus dedit, tamquam ad inſigniorem commemorationem, poſt cibos offerri, & accipi liceat Corpus & Sanguinem Domini. Honeſtius autem arbitror & hora fieri, ut qui etiam jejunaverit, poſt refectionem, quæ hora nona fit, ad oblationem poſſit accurrere. Quapropter neminem cogimus dominica illa cœna prandere, ſed nulli etiam contradicere audemus; hoc tamen non arbitror inſtitutum, niſi quia plures, & prope omnes in pleriſque locis eo die cœnare conſueverunt. Chryſoſtomus* etiam ſæpe loquitur de conſuetudine accipiendi ore jejuno Euchariſtiam, *Hom.* 27. *in* 1. *Cor. Tu prius*, inquit, *quam quidem communices, jejunas, ut quomodocumque dignus appareas*. Et alio in loco, *Epiſt.* 125. *ad Cyprianum*, ſe ipſum a quadam vindicat obtrectatione, qua adverſarii eum onerabant, quaſi hanc regulam violaret. *Ajunt*, inquit, *me poſt epulas quibuſdam Communionem impertiiſſe. Hoc ſi feci, de Epiſcoporum libro nomen meum expungatur, nec in orthodoxæ fidei volumine ſcribatur, quoniam ecce, ſi quicquam ejuſmodi perpetravi, Chriſtus a regno ſuo me abjiciat. Quod ſi mihi obſtinata mente id objicere pergunt, Paulum etiam de dignitatis gradu dejiciant, qui cœnatus univerſam domum baptizavit. Domino item ipſi auctoritatem abrogent, qui ſacroſancto epulo Apoſtolos a cœna donavit*. Hæc oſtendunt, fuiſſe Eccleſiæ morem, Euchariſtiam ante cibum adminiſtrare, tametſi ſimul innuant, quod, ſi aliter factum eſſet, non fuerit venia indignum. *Gregorius Nazianzenus*, *Orat.* 40. *de bapt.* ad hanc conſuetudinem quoque reſpicit, quando docens, non neceſſe eſſe, omnem *Chriſti* actionem imitatione exprimi, inter alia ait: *Chriſtus Paſchatis myſterium diſcipulis in cœnaculo tradidit, & a cœna, & unico ante Paſſionem die: nos in templis, & ante cœnam, & poſt Reſurrectionem*. Idem dicit *Baſilius*, *Hom.* 1. *de jejunio*, & ex Scriptoribus *Græcis* multi alii. Et inter *Latinos* diverſi Canones in Conciliis *Bracarenſi* I. c. 16. *Matiſconenſi* II. c. 6. & *Toletano* VII. c. 2. in eamdem ſententiam reperiuntur. Quorum quidam *Africanam* conſuetudinem communicandi poſt cibum feria quinta ante Paſcha permittunt; alii autem propter *Priſcillianiſta-*

*niſtarum* errorem interdicunt. Hinc *Socrates*, l. 5. c. 22. tamquam rem ſingnlarem notat in Eccleſiis *Ægypti* & *Thebaidis*, quod diebus ſabbati ſub veſperam, poſtquam epulati ſint, oblatione facta Euchariſtiam celebrent. Quod in Concilio *Trullano*, c. 29. prohibetur, ipſa quinta feria hebdomadis majoris non excepta. Canon ſic habet: *Carthaginenſis Synodi canon dicit, ut Sancta altaris non niſi a ſobriis hominibus peragantur, excepto uno die in anno, in quo Cœna Domini peragitur; tunc fortaſſe propter aliquas in iis locis occaſiones Eccleſiæ utiles, Sanctis illis Patribus hac diſpenſatione uſis. Cum nihil ergo nos inducat, ut accuratam obſervationem relinquamus, ſtatuimus, apoſtolicas ac paternas traditiones ſequentes, non oportere in Quadrageſima poſtrema ſeptimana quinta feria jejunium ſolvere, & totam Quadrageſimam injuria afficere*. Ex quibus omnibus apparet, Veteres generatim conſueviſſe Euchariſtiam celebrare jejunos; & conſequenter has communes cœnas, ſive *agapas*, poſt, non ante Communionem inſtitutas fuiſſe. || Hanc innocentem convivandi conſuetudinem, tamquam facinoribus obnoxiam, nonnulli calumniabantur, atque infamabant. *Celſo* præcipuum criminationis caput fuiſſe, a Chriſtianis clancularios conventus haberi, eamque criminationem eo ſpectaſſe, ut calumniaretur has *agapas*, Origenes, *contra Celſum* l. 1. auctor eſt. Quod *Tertullianus* etiam notavit in eo *Apologetici* capite, c. 39. ubi eleganter contra hanc calumniam hujuſmodi convivia deſcribit. Alii hæc convivia deteſtandæ impuritatis incuſabant. Cui calumniæ *Minucius Felix*, *Octav.* p. 92. reſpondit. *Nos convivia non tantum pudica colimus, ſed & ſobria: nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus: ſed gravitate halaritatem temperamus, caſto ſermone, corpore caſtiore, plerique inviolati corporis virginitate perpetua fruuntur potius, quam gloriantur*. Alii addebant horrendam illam fabulam de *Atreis* & *Thyeſteis* dapibus, hoc eſt more edendi carnem bibendique ſanguinem humanum. Quæ memoratur, & refellitur ab omnibus Apologetis, *Athenagora*, *legat.* p. 34. *Theophylo*, *ad Autolic.* l. 3. *Tertulliano*, *apolog.* c. 7. *Minucio*, *octav.* c. 9. n. 7. *Origene*, *contra Celſum* l. 6. *Juſtino Martyre*, *apolog.* 1. & multis aliis. Cauſa hujus calumniæ a multis veterum impuris *Carpocratianorum*, Epiphan. *hereſ. Gnoſtic.* n. 5. Euſeb. l. 4. c. 7. Auguſt. *de hæreſ.* c. 36. 37. aliorumque hæreticorum ritibus tribuitur, tacite ſaltem & indirecte; dum iſtius criminis eos accuſant, cujus Pagani Chriſtianos inſimulabant generatim. *Euſebius* aliam ejus rei reddit rationem. *Capti ſunt*, inquit l. 5. c. 1. *quidam noſtrorum ſervi, qui gentiles erant (Præſes enim nos omnes publice requiri juſſerat) qui dæmonis impulſu, cum tormenta reformidarent, quæ Sanctos perpeti videbant, militibus ad hoc ipſum eos incitantibus Thyeſteas quaſdam cœnas, & inceſtos Oedipi concubitus, & alia, quæ nec proloqui nobis, nec cogitare fas eſt, ac ne credere quidem ſuſtinemus, apud homines umquam geſta fuiſſe, adverſus nos mentiti ſunt*. Quæ omnia paſſim Gentilium nonnulli Chriſtianis affingebant, ut magis magiſque eos traducere, omniumque odio exponere poſſent. Non deerant tamen ex ipſis Gentilibus alii, qui hujuſmodi conviviorum indolem, & innocentiam dignoſcentes, adeo ſe affici ſentiebant, ut exclamarent aliquando, *Vide, ut invicem ſe diligant!* Quemadmodum *Tertullianus*, *Apolog.* c. 39. loquens de Chriſtianorum caritate, & ſtipem conferendi ſtudio obſervat. Quid? *Julianus* ipſe, infenſiſſimus Chriſtianorum hoſtis, non poterat ſibi temperare, quin hujus conſuetudinis utilitati teſtimonium perhiberet, quam ille invidis oculis intuebatur; quippe quæ Religionem Chriſtianam potiſſimum ſuſtentari, gentilium autem ſuperſtitiones ſubrui credebat. Ita enim in epiſtola quadam gentilium ſacerdotes ad liberalitatem provocat exemplo chriſtianarum *agaparum*: *Religionis*, inquit, *argumentum eſt, ſi propinquos omnes ad pietatem erga Deos capeſſendam alliciat* (Sacerdos); *humanitatis, ſi vel ex modico libenter pauperibus impertiat, prolixeque communicet, ac quamplurimos ſua complecti liberalitate ſtudeat. Et ad hanc partem majore quadam attentione opus eſt, unde remedii aliquid afferatur, quia nefandi Galilæi* (quo nomine plerumque vocat Chriſtianos) *animadverſo, pauperes Sacerdotibus neglectui eſſe, in id humanitatis genus incubuerunt, & factionem ſuam hac officii ſpecie corroborarunt. Nam velut, qui pueros placenta aliqua decipiunt, quam cum bis terve illis dederint, & ad ſe ſequendos hac arte pellexerint, demum ab ædibus procul abſtractos, & in navem impoſitos diſtrahunt, ut quod brevem jucunditatem attulit, id acerbum in omni vita ſentiatur: ſic iſti ab ea, quam vocant, agape, & convivio, menſarumque miniſterio incipientes, fideles gentiles ad Deorum contemptum, impietatemque perducunt*. Hæc perfectiſſima eſt iſtorum conviviorum vindicatio ab omnibus maculis, quibus ea priſtini Gentiles conſperſerunt, nec non amplum eorum utilitatis teſtimonium ex ore adverſarii; qui proinde ea in inanium deorum ſuum cultum, ad chriſtianæ inſtitutionis imitationem, introducere nitebatur. Utinam laudabili huic & innocenti conſuetudini ſequioribus temporibus nihil aliud objectari potuiſſet, quam quod *Julianus*, acerrimus rei chriſtianæ inimicus, contra eam effutiit. Manſiſſet illa utique, & in hodiernum uſque diem utiliter & glorioſe maneret. Sed o tempora! o mores! Quod ſancte ſalubriterque ex Apoſtolorum praxi fuit inſtitutum, ſancte ſalubriterque ab Apoſtolorum ſucceſſoribus fuit interdictum. || Ut res optimæ hominum culpa ſæpe in vitia degenerant, ita lau-

datæ hic *agaparum* conſuetudini uſu venit. Ii enim poſterioribus ſæculis in hæc convivia abuſus & corruptiones ſenſim irrepſerunt, ut lege lata ea omnino prohibere neceſſum fuerit. Synodus Laodicena, c. 28. decretum edidit in hæc verba: *Non oportet in Baſilicis ſeu Eccleſiis ſic dictas facere agapas, & in domo Dei manducare, & accubitus ſternere*. Concilium item *Carthaginenſe III.* c. 30. vetat, Clericos convivari in Eccleſia, niſi forte peregrinantes, deficientibus hoſpitiis aliis, illic reficiendi ſint: populi etiam ab hujuſmodi conviviis, quantum fieri poſſit, prohiberi jubentur. Verum enim vero conſuetudo prodierat longius, quam ut uno tempore omnino abrogari poſſet: propterea ex Auguſtini reſponſione ad *Fauſtum* Manichæum patet, adhuc ea ætate in Eccleſia illam fuiſſe obſervatam. Quando enim *Fauſtus* duo adverſus iſtas *agapas* opponit; 1. *quod ſint ſemen epularum gentilium, in agapas verſarum; 2. quod Catholici in memoriis Martyrum ſe inebrient*: primam *Auguſtinus* incuſationem, tamquam meram calumniam rejicit, *contra Fauſt.* l. 20. c. 20. his verbis: *Nec ſacrificia eorum vertimus in agapas . . . Agapæ enim noſtræ pauperes paſcunt ſive frugibus, ſive carnibus &c.* Secundam autem incuſationem ex parte concedit, ut rectam, nimirum, quod populi has *agapas* in Eccleſia celebrent, & quod nonnulla minus recte & decenter ab eis inibi fiant; ſed hæc ab Eccleſia Catholica non approbari dicit. *Qui*, inquit *ibid.* c. 21. *ſe in memoriis Martyrum inebriant, quomodo a nobis approbari poſſunt, cum eos, etiamſi in domibus ſuis id faciant, ſana doctrina condemnet? Sed aliud eſt, quod docemus; aliud, quod ſuſtinemus; aliud, quod præcipere jubemur; aliud, quod emendare præcipimur, & donec emendemus, tolerare compellimur*. Idem *Auguſtinus*, Confeſſ. l. 6. c. 2. *Mediolani* omnis generis convivia in Eccleſiis ab *Ambroſio* feliciter interdicta fuiſſe memorat; & in epiſtola ad *Aurelium*, *ep.* 64. Epiſcopum *Carthaginenſem* totus eſt in monendo, ut licentioſa hæc conſuetudo coerceatur, ſperans fore, ut exemplo *Ambroſii* penitus extinguatur. In *Gallia* item a Concilio *Aurelianenſi II.* c. 12. prohibita eſt an. DXLI. Attamen his omnibus non obſtantibus, quædam hujus conſuetudinis reliquiæ ſæculo ſeptimo ſuperfuere; quandoquidem ſynodus *Trullana*, c. 74. Canonem *Laodicenum* contra convivandi morem in eccleſia ſub pœna excommunicationis repetere ac confirmare neceſſe habuit. Adeo difficile erat, veteris conſuetudinis abuſus extirpare, quin & ipſa conſuetudo, in origine ſua innocens, & rei chriſtianæ adeo utilis, deſtrueretur. V. *Feſti dies Martyrum*.

AGAPETÆ SORORES, vox græca Ἀγαπηταὶ, ideſt, in charitate ſorores, ſeu ſorores ſpirituales. Hieronymus tamen eas vocat *Adoptivas ſorores*, epiſt. 27. ad Euſtoch. ſic etiam Pallad. in Dialogo, & *Sorores devotæ* ab aliis nominantur, quæ conſuevere homines timoratæ conſcientiæ in contubernio ſpirituali retinere; at temporis proceſſu talis charitas in vitium degeneravit, idcirco præfatus D. Hieronymus loc. cit. [ Novum concubinatus genus ] appellavit, ac zelo ardens, exclamat: [ Unde in Eccleſias Agapetarum peſtis introiit. ] In Conſtantinopolitana namque Urbe, cum Clericis ſub eodem tecto prætextu rectæ charitatis vivebant; quæ petra ſcandali per Divum Joannem Chryſoſtomum initio poſſeſſionis ejus curæ remota fuit, & a SS. PP. ac ſacris Conciliis prohibita, & condemnata fuit.

AGARENUS, Vide *Saracenus*.

S. AGATHÆ MISSA, quare incipiat *Gaudeamus omnes*. Vide *Introitus*.

AGELLUM. FR. parvus ager. [ Si quis ſane Clericorum agella, vel vineolas ſibi ſeculi probabitur, 3. decretal. tit. 25. cap. 5.

AGENDA, ſacra, quæ pro defunctis celebrantur. [ In Agenda plurimorum defunctorum. Graduale D. Greg. M. S. in Angel. Biblioth. S. Auguſtini de Urbe conſervato. Agenda veſpertina, vel matutina. In lectionar. S. Hieronymi. Per omne Sabbatum a Presbytero loci illius, agendæ illorum ſolemniter celebrantur. Beda in vita S. Auguſtini Angliæ Apoſtoli. ] Dicitur *Agenda* inſuper tam Sacrum, quam Officium pro defunctis, quia in iis agitur, & effectuatur teſtatoris mens, ſic ab executione illius mentis *Exequiæ* dicuntur. FR. [ Sed ne Mauri quondam Epiſcopi Anniverſitas, ſeu Agenda celebretur. Anaſt. Biblioth. in Leone II. Si quis Presbyter inconſulto Epiſcopo Agendam in quolibet loco noluerit celebrare. Capitular. Caroli Magni, tit. 224. Tandem luctuoſa oratione finita, Agendam incœpi. S. Petrus Cluniacen. Abb. Epiſtolar. lib. 2. ep. 17. in Bibl. Cluniacen.

* AGER. Antiquos *agrorum* limites removere ejuſmodi crimen erat, ut apud ipſos veteres *Romanos*, tamquam capitalis noxa, puniretur. *Numa Pompilius* fundos *Romanos* certis lapidibus notabat, qui vocabantur *lapides ſacri*, eo quod *Jovi* conſecrati eſſent; quorum occultatio aut translatio pro tanto crimine habebatur, ut, qui in eo deprehenſus eſſet, ſacrilegi inſtar, *Calv. Lexic. juridic.* voce *Fines*, impune occidi poſſet. Lex Divina maledictionem huic crimini denuntiat, *Maledictus*, inquiens, *qui movit terminum proximi ſui, & dicet totus populus, Amen*: Deut. 27. 17. *Conſtantinus* Imperator id in iſtis criminalibus actionibus ponit, in quas extra ordinem animadvertendum ſit, quemadmodum *Pithæus, adnot. in collat. leg. Moſ. & Rom. tit.* 13. obſervavit ex vetuſta adnotatione in ſententias *Pauli*, celebris illius Jureconſulti, dicentis, *in eum, qui per vim terminos dejecerit, vel amoverit, extra ordinem animadvertitur*. Lex Eccleſiaſtica ſemper hoc damnavit, tamquam crimen, cui lex divina maledictionem inflixerit. Hoc nomine etiam omnes ambitioſi illi Epiſcopi ſu-

cenſuram vocati, qui diœceſium ſuarum limitibus non contenti, aliorum Epiſcoporum territorium invadebant, & loca quædam ex eorum tractu juriſdictioni ſuæ ſubmittere conabantur. Hac de re extat epiſtola *Innocentii* Summi Pontificis ad *Florentium* Epiſcopum, *Ep. 8. ad Flor. Tom. 2. Concil.* ſcribentis: *Non ſemel, ſed aliquoties clamat Scriptura ſacra divina, transferri non oportere terminos a patribus conſtitutos: Quia nefas eſt, ſi, quod alter ſemper poſſederit, alter invadat: quod tuam bonitatem frater & Coepiſcopus noſter Urſus aſſerit perpetraſſe .... Quod ſi verum eſt, non leviter te culpam incurriſſe cognoſcas.*

Agger. Vide *Chomatum*.

Aggressio. Vide *Interpriſa*.

Agiasmus. Vide *Aqua benedicta*.

Agiosimandrum. Vide *Campana*.

Agisulfus Longobard. Rex, quando cum Romanis compoſitus fuerit. Vide *Introitus*.

S. Agnes. Vide *Superdico*.

* ΑΓΙΑ ἁγίοις, *ideſt* Sancta Sanctis. Diaconus ita exclamabat, nonnunquam Epiſcopus, antequam Sacra Euchariſtia celebraretur. Ritus hujus meminit *Cyrillus Hieroſolymitanus*, Catech. myſt. 5. §. 16. *Poſtea Sacerdos dicit: Sancta Sanctis. Sancta ſcilicet ea, quæ in ara propoſita ſunt, adventu Spiritus Sancti ſanctificata. Sancti & vos, cum ſitis Sancto Spiritu donati, atque ita Sancta Sanctis conveniunt.* Meminit & *Chryſoſtomus*, *hom. 17. in Hebr.* cultum eccleſiaſticum comparans cum *olympiis* certaminibus, in quibus præco ſtet magna ac alta voce clamans, ac dicens: „ Num quis eum „ accuſet, ſit ne ſervus, aut fur, aut malis mori- „ bus. “ *Stat ergo nunc quoque*, inquit, *qui eſt apud nos præco, non unumquemque capite tenens, & adducens, ſed omnes ſimul interno capite detinens, non alios ipſis adhibet accuſatores; ſed ipſos ſibi ipſis. Non enim dicit: Numquis eum accuſat? Sed quid? Numquis ſe ipſum accuſat? Nam quando dicit, Sancta Sanctis, hoc dicit: Si quis non eſt ſanctus, non accedat: Non ſolum, inquit, a peccatis purus; ſed etiam ſanctus. Sanctum enim non facit ſolum liberatio a peccatis; ſed etiam præſentia Spiritus, & bonorum operum copia. Non ſolum, inquit, volo vos a cano eſſe liberatos, ſed albos eſſe, & ſpecioſos.*

Agniferus. FR. Epitheton Præcurſoris Domini. [ In honorem, & gloriam Omnipotentis Dei, & Glorioſæ ſemper Virginis Mariæ, necnon Agniferi Præcurſoris D. Jo. Baptiſtæ. In præfatione Miſſalis Hieroſolym. Equitum Argentorati 1405. impreſſi, qui in Commenda Friſburgenſi conſervabatur, hodie tamen in ampliſſima D. mei Card. Brancatii Bibliotheca conſervatur. ] Agniferus Baptiſta ex eo dicitur, quia in pictura fert ſecum Agnum in ſignum illius immaculati, quem monſtravit, ut mox dicetur. D. Joannis manus, quæ Agnum Dei indicaverat, antiquitus Antiochiæ conſervabatur, ubi quotannis in die Exaltationis S. Crucis populo admirabili Prodigio exponebatur; nam quando hæc ſacra manus aperta cernebatur, annum fertilem indicabat, & e contrario, ſi clauſa inveniebatur, ſterilitatem præſagiebat. Quæ reliquia Rhodianis Equitibus a Bajazetto Turcarum Tyranno dono miſſa, hodie in Conventuali Eccleſia Melitæ magna veneratione aſſervatur: de quo miraculo in Menæo Græco ad 7. Januar. fit mentio. An liceat hunc Domini Præcurſorem cum Agno ad latus depingere. Vide *Agnus Dei*.

Agnoetæ, Ἀγνοῆται, hæretici ita dicti, quia aſſerebant Chriſtum ignorantem ſe eſſe confeſſum, dum diem judicii finalis neſcire dixerat. FR. de his habetur 24. q. 3. c. 39. ubi *Agnotiæ* juxta ſonum græcæ vocis, & *Gnoitæ* dicuntur. Quos hæreticos ex Neſtorianis prodiiſſe D. Greg. in Regiſt. lib. 8. ep. 43. teſtatur.

Agnus. Vide *Velum*.

Agnus Dei, precatio in Miſſa a Sergio Papa ordinata. FR. ita Albinus Flaccus, & Vualfrid. cap. 22. || || Quæ tamen in Divi Petri Liturgia antiquior reperitur. Fortaſse Auctor in hoc ideo Sergius communiter exiſtimatur, quia ter Agnus Dei in Miſſa proferri ſtatuit, cum antea ſemel tantum diceretur. Baron. ann. 701. Ter quoque *Miſerere nobis* in fine repetebatur; at ob continua ſchiſmata, & Eccleſiæ tribulationes, Joannes quidem XXII. edixerat, ut in tertia, ac ultima voce *Dona nobis pacem* diceretur. Tamen uſque ad præſens omnium Eccleſiarum Mater Lateranen. Baſilica retinet adhuc canum ritum, ubi nedum ejus Presbyteri id obſervant, tertia vice *Miſerere nobis* pronunciando; ſed & exteri Sacerdotes ibi celebrantes: Eccleſia enim hæc cœleſtis patriæ eſt ſymbolum, & inde ab omnibus tribulationibus immunis cenſetur. Alb. de oſt. Miſſ. Dur. cap. 53. Innoc. III. lib. de miſt. Miſſæ. Pacem enim non expectat, dum ſumme fruitur. Omiſſio *Agnus Dei* in Sabbati Sancti Miſſa, ſilentium trium SS. Mulierum, quæ fuerant ad monumentum Redemptoris, ac ejus non adhuc divulgatam in Mundum peccatorum redemptionem denotat. Durand. lib. 6. cap. 85. In prolatione *Agnus Dei*, qui ſunt in Choro debent genuflecti. Vide *Genuflexio*. In ritu Ambroſiano ſolum in Miſſis pro defunctis dicitur. Numiſmata ſacra ex cera confecta, propter Agni figuram in ſymbolum Chriſti patientis, etiam ſolent vocari *Agnus Dei*, quorum uſum cum tali figura impugnant aliqui, allegantes ſextam Synodum, in qua prohibetur Chriſtum depingi ſub figura Agni, quod confirmatum fuit ab Adriano Papa. FR. ſcilicet, in can. ſextam Synodum, de conſecr. diſt. 3. Hanc objectionem etiam tangit Vincentius Bonardus in opuſculo de hiſce *Agnus Dei*: ſed non reſpondet ad objecta, ſolum hoc utitur ad probandum, fuiſſe, nimirum, illo ævo

talia

talia numiſmata. Quare ad objectionem ſatisfacimus, primo Surii auctoritate, qui in notis ad hanc Synodum, hæc verba profert: [ Demptis tamen quibuſdam, qui putantur ſuppoſititii, vel Græcorum temeritate depravati. ] Et Baronius ad annum 681. oſtendit Theodorum Conſtantinopolitanum Patriarcham Monotelitam hanc ſextam Synodum adulteraſſe. Franciſcus Turianus in Explic. l. 7. Clementis Romani de vita Chriſtiana, hæc habet: [ Illos vero 103. canones, qui ſextæ Synodi fuerunt &c. Patres non ediderunt, ſed alii poſt 24. annos, ut Theophanes Taraſii Conſtantinopolit. Patriarchæ Syncellus, & Anaſtaſius Biblioth. eum ſequutus, Hincmarus quoque Archiep. Rhemenſis, qui floruerat tempore Nicolai I. teſtantur, nullos canones ſextam Synodum præter ſex feciſſe. ] At quomodo res ſe habuerit, vide in can. Habeo, diſt. 16. & ibi Gloſſ. vide etiam ad ann. 692. apud Baronium, n. 1. & ſeqq. & hic quoque in dict. *Pentectes*. Canon igitur prædictæ Synodi, in quo Agni pictura prohibetur, nedum contaminationis ſuſpectus eſt, ſed apparenter falſus, cum in ordine ſit 82. & præfati PP. non niſi ſex canones condidere, ut ſupra oſtenſum fuit. Secunda reſponſio eſt, quod, nempe, etiamſi pro hagiographo talis canon concedatur, quid ejus verba importent, mox videbimus. In hac itaque ſexta Synodo, quæ fuit Concilii Conſtantinop. III. ſub Agathone Papa, & Conſtantino Orientis Imper. IV. quod aſſeritur a Leone II. Romano Pontifice fuiſſe in parte confirmatum, & a Clemente IV. in parte etiam acceptum, can. Clementis, diſt. 16. talis eſt ejus diſpoſitio, in can. 82. [ Igitur per nonnullas venerabilium imaginum picturas Agnus Dei qui digito Præcurſoris monſtratur, depingitur, qui ad gratiæ figuram aſſumptus eſt, verum a nobis per legem Chriſtum Deum noſtrum præmonſtrans. Antiquas ergo figuras, & umbras, ut veritatis ſigna, & characteres Eccleſiæ traditos amplectentes, gratiam, & veritatem præponamus, eum, ut legis ſupplementum, ſuſcipientes. Ut ergo, quod perfectum eſt, vel oculorum expreſſionibus, omnium oculis ſubjiciatur, ejus, qui tollit peccata mundi, Chriſti Dei noſtri inſtar hominis characterem, etiam in imaginibus deinceps pro vero Agno ſtatui αἰγνηλῶϑαι (quod legendum eſt ἀγνας ηλῶϑαι) jubemus, ut per ipſum verbi Dei humilitatem mente comprehendentes, ad memoriam quoque ejus in carne converſationis, paſſionis, & Salvatoris mortis deducamur, ejuſque, quæ ex eo facta eſt mundo, redemptionis. ] Ubi nil de numiſmatibus cereis Agnus Dei. Imo in quadam Theodori epiſtola penes Baronium ann. 814. ibi ad confuſionem Græcorum, qui Imagines ſacras negabant, inter alia argumenta pro ſe dictum canonem affert, additque Chryſoſtomi verba, inquiens: [ Vox Chryſoſtomi eſt, Ego ex cera amo picturam pietatis ergo factam. ] Et Petrus Valerianus, lib. 10. prædictum canonem latine in ſenſu affirmativo traduxit. Tertio reſpondetur per Adrianum Papam in epiſt. ad Tharaſium Patriarcham, diſt. 3. can. Sextam Synodum, & clarius apud Baronium ad ann. 875. fol. 370. litt. A. & ſeqq. impreſſ. Vaticanæ, Canonem præfatum amplectitur Papa Adrianus, ubi dicitur: [ Etiam in imaginibus &c. ] per quam particulam, cum ex ſui natura conjunctiva, & ampliativa, non vero taxativa, & excluſiva ea ſit; ideo non intelligitur excludi Agnum Dei depictum. Quarto dicimus non eſſe ibi ſermonem de hujuſmodi *Agnus Dei* ex cera &c. ſed de illis ad latus Præcurſoris depictis. Nec ſane credibile eſſet, Synodum talia ſacra numiſmata prohibuiſſe, in quibus ſemper, & ab antiqno magna devotio extitit; legimus enim apud Zucchium in hiſtoria Moguntiæ, Gregorium Magnum Theodolindæ Regis Agiulfi uxori bina numiſmata ſacra Agnus Dei miſiſſe auro alligata, quæ adhuc in ea Civitate conſervantur. Paſchalem item primum, qui regnavit ann. 817. ideſt, poſt ſæculum circiter ipſius Adriani, non tam recenter juſſiſſe tales figuras Agni Dei formari, ſicut adhuc in muſivo effigiatæ videntur in Tranſtiberina S. Cæciliæ Eccleſia, & in Sacello S. Praxedis ſui Cardinalatus titulo, ubi Jeſu Chriſti Columna colitur, in qua alligatus, & flagellatus fuerat. Refert prædictus Bonardus, ſextam Synodum ideo hoc prohibuiſſe, ne cogerentur fideles judaizare; ſed tale periculum in illo ſæculo extitiſſe, nullibi legitur; bene tamen hoc periculum in primitiva Eccleſia fuiſſe noſcimus. Nec majus eſſet motivum, Chriſtum ſub typo Agni, quam Spiritum Sanctum ſub figura Columbæ prohibere dipingi; vel idem ſcrupulum eſſet Agnum dipingere, ac in Miſſa proferre *Agnus Dei qui tollis &c.* Quandoquidem utroque modo deciperentur idiotæ: ſicuti cuidam rudi ſemel accidit, qui dum non poterat addiſcere aliquam partem ſalutationis Angelicæ, fuit inſtructus vulgari ſermone recitare hanc precem, nempe, *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere mei*: elapſo vero anno non amplius dicebat *Agnus*, ſed *Aries Dei*, ſtulte obſtinando, quod poſt annum non poterat amplius dici *Agnus*, ſed *Aries* potius, dum anniculus jam erat. Quo vero ad ritum conſueverant numiſmata hæc ſacra diſtribui antiquitus, ut Amalarius ſcribit, infra Octavam Paſchæ, ac varie in variis temporibus conſecrabantur, ut habetur penes dictos Bonardum, Tobiam Coronam, Joſepum Pamphilum, Honuphrium Panvinum, & Joſephum Mariam Suareſium, qui omnes de hac materia egerunt. |||| Sed hodie Papa ſolet hæc numiſmata cerea primo anno ſui Pontificatus benedicere, deinde in quolibet ſeptennio ad Octavam Paſchæ. Rev. tamen Sacriſta auxilio Clericorum, & Religioſorum ea ante annum præparat, ac Pontifex in feria tertia Paſchæ indutus amictu, alba, cingulo, ſtola, & mitra aquam benedicit, infundens balſamum, & chriſma, dicitque aliquas preces in

Cœremoniali præſcriptas, deinde linteo præcinctus, cum Cardinalibus ſimiliter aſſiſtentibus, immergit illa in aqua benedicta, ac extracta, extenduntur ſupra munda mantilia, ut exſiccentur, ibique Papa ea denuo benedicit. Poſtea in capſis reponuntur, & conſervantur uſque ad Sabbatum in Albis, quo die, dicto in Miſſa *Agnus Dei*, & peracta communione, tunc Subdiaconus accedit ad ferendum pollubrum his numiſmatibus refertum, præcedente Cruce, & ad portam Sacelli Pontificii perveniens, alta voce hæc verba intonat: [ Pater Sancte, iſti ſunt Agni novelli, qui annuntiaverunt vobis Alleluja; modo veniunt ad fontes, repleti ſunt charitate, Alleluja. ] Eadem verba replicat in medio Sacelli, & tertio tandem ante ſolium Pontificium: quæ poſtmodum Papa Cardinalibus primo diſtribuit, qui intra eorum mitras ea recipiunt, & ſucceſſive donantur Epiſcopis, aliiſque Prælatis. FR. Has cœremonias S. Gregorium inſtituiſſe narrat Vvalfridus, cap. 22. quarum ſignificationes exponit Albinus Flaccus, de divin. Offic. |||| Virtutes vero hujus Agnus Dei in his verſibus referuntur, quos una cum tribus ſimilibus numiſmatibus Græcorum Imperatori dono miſit Urbanus V.

Balſamus, & munda cera cum chriſmatis unda,
Conficiunt Agnum; quod munus do tibi magnum.
Peccatum frangit, ut Chriſti ſanguis, & angit.
Prægnans ſervatur ſimul, & partus liberatur.
Dona defert dignis, virtutem deſtruit ignis.
Portatus munde, de fluctibus eripit undæ.

In ſacris ſolummodo conſtituti poſſunt ea tangere. Azor cap. 9. quæſt. 31. eaque coloribus ornare ſub pœna excommunicationis, ex Conſt. Greg. XIII. de anno 1572. prohibetur. Imo nec vendi ex decreto Cardin. Vicarii a Ricciullo relato, lib. 1. Lucubr. Eccleſ. cap. 9. num. 8. Vide *Numiſma ſacrum*.

AGON, græca vox ἀγὼν, quæ conflictus actum, locum, & aliquando ejus ſpectatorem ſignificat. [ Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, 1. Cor. 9. ] Sic etiam dicebatur luctator *Agoniſta*, & *Agonotheta*. Nos *Agonizantes* vocamus conſtitutos in ultimo conflictu ſeparationis animæ a corpore, pro quibus piæ Sodalitates utriuſque ſexus introductæ ſunt, in eorum ſpirituale auxilium, quæ pietas eſſet ab omnibus amplectenda; dum illo tandem auxilio omnes indigebimus. Antiquitus Miſſa, quæ nunc *Defunctorum* dicitur, in agoniæ ſtatu dicebatur. Vide *Offertorium*.

AGONISTICI, hæreticalis ramus Donatiſticæ ſectæ in Africa, qui pervagantes ad Caſtella, & loca per diverſas nundinas, fingendo ſe juſtitiæ miniſtros eſſe, varia ſcelera committebant. [ Præcones per vicina loca, & per omnes nundinas miſit Circumcelliones Agoniſticos nuncupans. Optat. Milev. lib. 3. ] Vocati fuerunt Montenſes, præcipue Romæ, quia eorum Eccleſia erat in montibus: Item dicti ſunt Circuitores, Coropitæ, Catropitæ, Catopiſci, & Cotopitæ. FR. Sed hæc duo poſtrema nomina potius a Scotopiſcis corrupta ſunt, qui ſectæ Bonoſianæ erant. Vide *Bonoſiani* |||| Circumcelliones etiam *Monachi errantes* dicebantur. Iſid. lib. 2. de Eccleſ. Vide *Circelliones*.

AGONISMA. FR. vox græca ἀγώνισμα, palmam, & præmium in conflictu acquiſitum, haud quidem conflictum ſignificat, ut exiſtimavit Vocabul. Eccleſ. Auctor; poteſt tamen per translationem intelligi Triumphus, & Victoria.

AGONOTHETES, græca vox Ἀγωνιθέτης, Præſidentem, & Judicem Athletarum ſignificans. [ Agonothetes Deus vivus eſt; Xyſtarches Spiritus Sanctus. Tertull. in epiſt. ad Martyres. ] & alibi idem; [ Contra de nobis dicitur, ſic currite, ut comprehendatis: non eſt invidus Agonotheta noſter nec alterius palmam alteri parat ignominia: omnes athletas ſuos deſiderat coronari. ] FR. dicitur etiam latine Agonotheta; ita Spartianus in Adriano Cæſare, de eo inquit: [ Multa in Athenienſes contulit, & pro Agnontheta reſedit. ]

AGRARIUM, ſcilicet, tributum de agris ſolvendum. [ De colonis, vel ſervis Eccleſiæ qualiter ſerviant, vel qualia tributa reddant, hoc eſt, agrarium, provideat hoc Judex. In conſtit. Bavariæ, cap. 1. tit. 3. ] Hoc tamen nomen penes Græcos imperatoriam navem ſignificat. [ Remiges, qui in eo dromio ex agrario Imperatoris erant. Conſt. de admin. Imp. cap. 51.

AGRIMENSOR. FR. Geometra, qui campos menſurat, & dividit. [ De finibus quæſtionem, agrimenſoris definitione, illam proſpeximus finiendam. De Præſcriptionibus, cap. 9.

AGUITANIA. FR. pro Aquitania Galliæ provincia. In privileg. Caroli Magni penes Torrigium de Vatican. Crypt. in ſecunda impreſſ. pag. 507. & ſeqq.

AGYRTÆ, Circulatores, Circumforanei, Mendici, & ſimiles vulgivagi: vox græca, Ἀγύρται, quæ formatur a verbo ἀγύρω, quod congregare, & adunare ſignificat. [ Viles enim de plebe homines agyrtæ: Aſterius Amaſeæ Epiſcop. homil. in feſto Kalen. FR. Calepinus etiam præſtigiatores ſignificare docet.

AHORI, immatura morte extincti, græca vox ἄωροι; quæ immature, & ante tempus ſignificat. [ Itaque invocantur Ahori, & Bioæthanati. Tertull. de anim. cap. 57. ] De Bioæthanatis. Vide ſuo loco, in quo etiam ſenſu. Vide. *Orama*.

* ΑἼΘΡΙΟΝ. Atrium, *ſive* area ante Eccleſiam. Antiquitus veſtibulum inter & eccleſiam ſpatioſa erat *area*, *Euſebio* l. 10. c. 4. αἴθριον, & *Paulino Silentiario* in deſcriptione *Sanctæ Sophiæ*, part. 2. verſ. 174. αὐλὴ dicta; Latini *atrium*, & *impluvium* vocant, quia locus erat apertus & patens ſine ullo tecto; ſi a quatuor ſpatiis illius lateribus diſceſ-

ſeris,

ſeris, utpote quæ aliquibus porticibus (ςοαῖς *Euſebius* appellat) quæ columnis undique attollebantur, circumſepta erant: unde quemadmodum *Dufreſnius, com. in Paul. Silent.* obſervat, hoc ſpatium recentioribus Auctoribus τετράςυλον & *quadriporticus* dicitur. Hoc in loco prima claſſis Pœnitentium ſtabat ſecundum *Euſebium*, l. 10. c. 4. qui illum iis, quibus nondum licuerit ultra in Eccleſiam progredi, congruentem manſionem præbuiſſe, diſertis verbis affirmat. Ideſt, ſtabant illi vel in *atrio*, vel porticibus, ut Fidelium in Eccleſiam ingredientium preces expeterent. Vel ſi forte graviorum criminum rei eſſent, inde etiam expellebantur, & in *area* ſub dio expectare cogebantur, ſtabantque ibi aeris inclementiæ expoſiti; quæ pars ipſorum pœnitentiæ erat. Hoc *Tertullianus*, *de pudicit.* c. 4. innuere videtur de monſtruoſis quibuſdam peccatoribus loquens: *Reliquas autem libidinum furias .... non modo limine, verum omni Eccleſiæ tecto ſubmovemus; quia non ſunt delicta, ſed monſtra.*

**Ala**. FR. tabella, in qua juxta Græcorum ritum erat forma ordinationum ſcripta, quæ incipit: Divina gratia &c. [ Patriarcha vere manu ſiniſtra alam accipiens legit. In Archieratico, part. 7. ]

**Alabarches**. Vide *Halabarches*.

**Alabarum**. Vide *Labarum*.

**Alabastrum**, in Matth. cap. 26. non ſignificat marmoris genus; hoc enim non frangitur, ſicut Magdalenæ alabaſtrum: quare S. Epiphanius putat fuiſſe vitreum vas ſine anſis, nam ἀλάβαςροι ſonat græce ſine anſis: anſas ipſi vocant λαβὰς; unde particula negativa ἀ præpoſita, non anſatum ſignificat. Confirmatur ex græco Rituali, ubi dum agit de Chriſmatis Sacramento, ait, [ Primus Sacerdos unguentum illud geſtans in alabaſtro, ideſt, vaſe vitreo minime anſato. ] FR. confirmatur ulterius ex verſione ejuſdem S. Epiphanii, qui græce urceolum vitreum habet. Quare exiſtimanda eſt manifeſte apocripha traditio illa a Baronio ex Svida relata ad ann. 32. num. 29. quod Magdalenæ vas ex alabaſtro Imperatori Conſtantino Magno traditum fuiſſet, & poſitum deinde in Conſtantinopolitano foro; dum clare ex Marco habemus fractum illud fuiſſe, cujus fractionis ſignificatum explicat, Gloſſ. in cap. Quantumlibet, diſt. 1. de pœnitentia, ubi ſic ait: [ Fractio alabaſtri ſignificat fractionem Corporis Chriſti in cruce per paſſionem, cujus odor totam domum, ideſt, Eccleſiam univerſalem implens, mortuos vivificat, quia fama paſſionis per totum Orbem diffuſa, peccatores credentes juſtificat. ] Hoc nomen varie ſcribitur, ſcilicet, *Alabaſtrus*. Vulpian. in l. argumento, §. mundus, ff. de aur. & argento legato. Item *Alabaſtrum*. Martial.

Quot Coſmi redolent alabaſtra, forique Deorum.

Item Alabaſtrites. Plin. lib. 36. cap. 8. [ Hunc alii lapidem alabaſtriten vocant, quem cavant ad vaſa unguentaria, quoniam optime ſervare incorrupta dicitur. ] & cap. 10. lib. 37. Idem [ Alabaſtrites naſcitur in Alabaſtro Ægypti, & in Syriæ Damaſco ] Alabaſtron Civitas in Ægypto, deinde *Arſinoe*, & poſtea jam *Memphis* dicta, ut teſtatur idem Plin. cap. 9. lib. 5. Reperitur etiam flumen in Græcia Alabaſtros vocatum, ibidem cap. 3. Item latine lapis prædictus dicitur etiam *Alabaſter*, [ Quibus etiam Alabaſter plenus unguenti putreſcere videtur, ut etiam refert Nonius Cic. in Academ. 2. ] Itaque pro lapideo Magdalenæ alabaſtro facerent tum Plinii, tum Ciceronis auctoritates, quum antiqui pro unguenti conſervatione uterentur, ſicut peccatrix illa eo uſa eſt, nardo pleno; unde idem Plinius, cap. 2. lib. 13. ait bene nardum in alabaſtro conſervari. Vide *Piſticus*.

**Alalagmus**, ἀλαλαγμός, vox lætitiæ, quo vocabulo Origenes, homil. 7. in Joan. utitur ad ſignificandam acclamationem Militum, ut ea animoſitate, & vigore in conflictu confirmentur, a græco verbo Ἀλαλάζω, quod fremere, & ſtridere ſonat, adinſtar Turcarum, in terrorem adverſariorum. FR. *Elelegmus* fortaſse ſcribendum eſt potius. Nam Eleleis erat mulier bacchans. Ovid. 4. faſt.

Nunc feror, ut Bacchi furiis Eleleides actæ,
Quæque ſub Idæo tympana colle movent.

Et Eleleus unum ex Bacchi cognominibus ab ἐλελίζω, & non ἀλαλάζω, græco verbo fit quod vociferari ſignificat. Calepinus in dict. *Eleleis*, & *Eleleus*. Ejus antitheſis. Vide *Ololygmus*.

**Alani**. FR. ſunt feroces illi populi Europæ devaſtatores, qui deinde cum Gothis conjuncti, ac eorum reliquiæ in Catalaunia reductæ: ab eis regio illa tale nomen habuit, ideſt, *Gothalani*, & corrupte *Catalauni*. Blon. decad. 1. lib. 7. Originalem Alanorum regionem in Dacia collocat Julius Capitolinus: in Scythia ad Imaum Ptolomeus, in appendicibus Caucaſi montis ex parte Orientalis oceani Anaſtaſius Vide *Zichachorium*. De Gothis fuſe Jo. Ludov. Vives in præfat. ad Comment. in D. Auguſtin. de Civit. Dei.

**Alapa**. Vide *Salapitta*.

**Alare**, verbum nauticum. Vide *Ololygmus*.

**Alastor**. Arrogans, & ſuperbus, græca vox Ἀλάςωρ. [ Etiam catelli, o Alaſtor, comedunt micas, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. Aſterius Epiſc. hom. de divite, & Laz. ita illum ſuperbum Epulonem appellans. Item penes Græcos Reum proprie ſignificat, apud Plutarchum furia eſt; ideo Del Rio agens de variis malignorum ſpirituum nominibus, utitur hoc vocabulo *Alaſtor*, ad ſignificandum dæmonem in deſtructionem, & vindictam paratum.

**Alba**, ſacrum indumentum, vocatum etiam *Camiſia*, *Poderis*, a græco vocabulo ποδήρης, quia ad pedes uſque extenditur. Item dicitur Tunica linea, Supparum, linea Dalmatica, eo quia ex lino albo con-

confici debet. Græci tamen ex ſerico vario colore, fereque cœleſti utuntur, & præcipue eorum Epiſcopi. Vide *Sticharium*. Quo colore ex antiquis Romæ muſivis picturis apparet etiam Papam uſum fuiſſe; ſed revera erat hæc tunicella ab alba diſtincta, quæ albæ ſuperinduebatur, ut ſuo loco dicemus. Ante amictum Ambroſiani, & Maronitæ, albam induunt. De alba nigri coloris habetur in Sacerdotale Alberti Caſtellani, ubi in die Paraſceve talia diſponit: [ Parantur etiam quatuor Sacerdotes, vel duo ad minus induti camiſiis nigris cum amictu & cingulo ejuſdem coloris. ] Antiquitus adſuebantur textilia fruſta in manicis, in pectore, humeris, & fimbriis albæ, quem uſum adhuc retinent Regularium Eccleſiæ, & Pontificia Cappella, quod etiam ponitur in amictu a Regularibus. S. Bonifacii Ferentinatis Epiſcopi alba, in Cathedrali Viterbien. aſſervata, habet hæc fruſtra attalica, ac etiam in ejuſdem amictu ſimiliter, in quo gothicis litteris, minutiſque margaritis pulchre *Tetragrammaton* efformatur, nomen illud, ſcilicet, Dei ineffabile, alludens ad id, quod ſummus Judæorum Sacerdos in fronte gerebat. Quo ad varia ejus myſteria. [ Poderis vulgo alba dicta, perſeverantiam ſignificat, Alcuin. de divin. offic. ] Alludit ad veſtem candidam, qua deluſus fuerat Chriſtus in conſpectu Herodis. D. Thom. quæſt. 40. art. 7. & Innoc. III. lib. 1. de myſt. miſſæ, cap. 51. [ Hanc veſtem (ait) in veteri Sacerdotio ſtrictam fuiſſe deſcribitur, propter ſpiritum ſervitutis in timore, in novo larga eſt propter ſpiritum adoptionis. ] FR. An Poderis ſit idem, ac Polyris. Vide *Polyris*. Etiam apud Gentiles reperiebatur tunica, *Alba* appellata, ut apud Trebellium Pollionem in vita Claudii Imper. inter alia, quæ idem Claudio, antequam ille imperaſſet, Valerianus ejus anteceſſor ſubminiſtrabat Albam ſubſericam unam. Poll. in vita Claudii, ubi extat epiſt. Valerian. ad Zozim. Item Alba gemma ſic appellata. Vide *Albula*.

Albaveræ, candidiſſimæ gemmæ circulis aureis devinctæ, [ Rete totum gemmis albaveris, & bullis aureis. Anaſtaſ. Bibliothecar. in Benedict. III. ] Ab albedine ita dictæ. Vide *Albula*.

Alberanum, pergamena charta ab albedine ita appellata. [ Alberanum verbis ſequentibus inſcriptum invenerunt. In vita S. Jacobi Epiſc. Trantaſien. ] Hodie tamen per Alberanum ſcriptura partium conventionis communiter intelligitur.

Albergare. FR. Hoſpitare ſingificat, dicitur etiam Arripregare. Bull. Caſinen. tom. 2. conſt. 60. & 68.

Albelrgaria. FR. Solutio ex pacto debita pro comeſſationibus. [ Aliis, quæ pro ſua voluntate transferre præſumunt, fodrum, albergarias, regium, & ſimilia, tanquam a propriis ruſticis ab Eccleſiis extorquentibus, de Jurepatron. cap. Præterea quoniam. Vide *Collecta Cenſus*. Fodrum eſt collecta quædam ab Eccleſiarum patronis impoſita, quæ in Lombardia frequentabatur. Gloſſ. in d. cap. præterea. Regium eſt Regibus debitum. Gloſſ. ibidem. Item Albergaria eſt obligatio hoſpitandi milites. Sigon. de Regno Italiæ lib. 7. In Bullario tamen Caſin. tom. 2. conſt. 6. quodlibet diverſorium intelligitur. Reperiuntur etiam in eodem ſignificatu *Aribergare, Aribergari, Aribergaria, & Arripergare.* ] Bull. Caſin. tom. 2. conſt. 68. & 71. Sed verba ſunt corrupta ab *Albergare, & Albergaria.* Vide *Pandochæum.*

Albergia, idem vocabulum ut ſupra, quod Diverſorium, ſeu Refectorium in ſtatutis Equitum Hieroſol. ſignificat. FR. quæ refectoria ſunt ſeptem in Melitenſi Conventu, ſeparatim pro ſeptem nationibus, quas ſeptem linguas vocant. Prima pro Provincialibus Galliæ; ſecunda Alverniæ, & Delphinatus; tertia Franciæ dicitur, in qua Aquitani, & Campani Galliarum ingrediuntur; quarta Germaniæ, quam ex gratia Poloni participant; quinta Italiæ; ſexta Aragoniæ, cui Catalani & Balearici aſſociantur; ſeptima Caſtellæ, & Luſitaniæ ſimul. In prædictis Albergiis unaquæque Lingua, ſeu Natio, nedum ad comedendum, ſed ad reliqua eorum negotia conſultandi congregatur. Sic etiam habent Cappellas in Eccleſia Conventuali ſeparatas, in quibus accedunt ſegregatæ hæ Nationes ad præſtanda eorum vota pro electione M. Magiſtri in Conclavi.

Albula, quædam gemma a colore ita appellata, fortaſſe Beryllus. [ Tres annulos transmiſi, duos cum hyacinthis, & unum cum albula. S. Greg. in Reg. lib. 12. ep. 7. ] Vide *Albavera*. FR. apud Ælium Lamprid. hæc gemma *Alba* dicitur: [ Piſum cum aureis &c. fabam cum electris, orizam cum albis exhibens. Albas præterea in vicem piperis, piſcibus, & tuberibus conſperſit. In Eliogabalo. ] Ubi Caſaubonus has albas gemmas margaritas fuiſſe exiſtimat, & pro ſe Tertullianum adducit, dicentem: [ Rubentis maris grana candentia. ] quæ verba non ſuffragant. Item Salmaſius ibid. contra ſeipſum, Anaſt. Biblioth. in Nicolao I. adducit, ajentem: [ Patenam puriſſimam cum diverſis lapidibus albis, praſinis, & hyacinthinis. ] Margaritæ enim nequeunt lapides appellari. De gemmis candidis, quæ multæ reperiuntur. Vide Plin. lib. 37. cap. 10.

Album. Vide *Aſprum*.

Album Prætoris. FR. [ Adinſtar edicti in albo prætoris. Clem. de judiciis, c. 1. ] Locus erat dealbatus, ubi edicta prætoris affixa erant. Gloſſ. ibidem.

Alchimistæ. FR. [ Spondent, quod non exhibent, pauperes Alchimiſtæ. Extrav. comm. de crimine falſi. ]

Alchimitus. FR. [ Et non alias alchimitum fornacis ignem vulgum ignorantem eludant. Extrav. comm. de crimine falſi.

Aldermannus, vox Saxonica Senatorem ſignificans. In vita S. Inæ Saxoniæ Regis: [ Ego Ina Dei gratia Saxonum Rex exhortatione Epiſcopi mei, & Aldermannorum meorum. ] Senem proprie ſignificat.

Al-

Aldia. FR. Mulier ſubdita. [ Tradimus cum omnibus &c. ſervis, & ancillis, Aldiis, & Aldiabus, colonis, & coloniabus. In quodam privil. Caroli M. apud Torrigium de Vatic. Cryptis, impreſſ. 2. pag. 507.] Ubi idem Torrig. notat *Aldium*, & *Aldiam* in conditione differre a ſervis, ſeu mancipiis, & colonis, vult tamen eoſdem eſſe ac clientes, & comites, italice *Maſſari*, & *Socciti* dicti. Vide quæ nos in dict. *Caripanus* notavimus. Vide etiam l. Aldiones. Qua lege Aldiones, & Aldiæ vivere debent, l. ſi Aldia de furtis, & Bull. Caſin. tom. 2. conſt. 49.

Aldiana. Vide *Aldius*. FR. Item reperitur. *Aldiantia*, & *Aldialis*. Bull. Caſin. tom. 2. conſt. 20.

Aldius, & *Aldio*, ſervus factus liber, cum hypotheca aliqua ſervitutis erga dominum, cujus filius *Aldio*, & filia *Aldia*, & *Aldiana* dicebantur: omnia hæc nomina in donatione Henrici I. pro Navarræ Eccleſia leguntur. [ Cum ſervis, & ancillis, aldionibus, & aldianis. Baron. an. 1014. ] FR. Tu vero Lector, an Torrigius; ſeu hic F. meus melius hanc vocem explicaverit, judica, & conſule præter adductas auctoritates, l. ſi quis per murum, de furtis, l. Aldiones, & Bull. Caſinen. paſſim. Vide *Illadiones*. Dicitur etiam *Aldiaricia*, & *Aldiaricius*. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſt. 5.

* Alea. Luſus *aleæ* occaſio fraudis, & ruinæ familiarum, aliorumque vitiorum origo. *Aleæ* luſum cordatus quiſque nullo non tempore deteſtatus eſt, tamquam artem pernicioſiſſimam, qua homines ad fraudem, & fallaciam abutantur, ſuaſque perſæpe diruant familias, eaſque ad egeſtatem & inopiam reducant. Vetuſtæ *Romanorum* leges exilio, aliiſque pœnis in *aleatores* animadverterunt, *Taylor duct. dubit.* l. 4. c. 1. eoſque damnarant; eo quod luſus hujuſmodi hominum animos ad multa grandia & atrocia vitia inclinet, ad avaritiam videlicet, perjurium, mendacium, execrandi ac jurandi aſſiduitatem, iram ac odium, rixam & cædem luxuriam & omnis generis intemperantiam. Concilium *Illiberitanum*, c. 79. generatim omnes luſores a communione ſeparat. *Si quis fidelis alea, id eſt, tabula luſerit, placuit eum abſtinere: Et ſi emendatus ceſſaverit, poſt annum poterit communione reconciliari*. Canonem hunc nonnulli de *talis* intelligendum eſſe putant, quibus ludere nefas viſum ſit, quia effigies deorum gentilium pro numeris habuerint, iique invocari ſoliti ſint, ut feliciſſimus eveniret jactus. Sed ſi id verum eſſet, gravior profecto pœna illis, tamquam idololatris, ab hoc Concilio inflicta fuiſſet. Rationi itaque magis conſentaneum eſt, laudatum Concilium luſum *Aleæ* prohibuiſſe, ut temporis diſpendium, rei familiaris jacturam & perniciem, atque apertam fraudis, avaritiæ, omniumque ſupramemoratorum flagitiorum originem; & ſub hac notione eos condemnaſſe, qui lucri & quæſtus faciendi, non animi relaxandi cauſa, ei ſe tradidiſſent. Unde *Ambroſius*, *de Tobia* c. 11. lucrum, *alea* & teſſeris acquiſitum, haud melius quam furtum & extortam uſuram eſſe, hominesque, ludis iſtis ſeſe dedentes, inter feras vivere atque verſari pronuntiat. Et *Justinianus* lege lata ſanxit, *Eod. Juſtin.* l. 3. tit. 43. *de aleatoribus leg.* 1. ut victus in *alea* luſu non poſſet conveniri: & ſi ſolviſſet, haberet repetitionem tam ipſe, quam heredes ejus adverſus victorem & ejus heredes, idque perpetuo, & etiam poſt triginta annos: Quod ſi vel ipſe, vel ejus heredes repetere neglexiſſent; liceret cuicumque volenti, & præcipue civitatis, in qua id factum, Primati vel Defenſori repetere, & in opera civitatis id expendere. Et in ludis, qui permiſſi erant, *ibid.* ditioribus ad ſingulos congreſſus aut vices non plus, quam unum aſſem ſeu numiſma deponere ac ludere; ceteris longe minori pecunia, pro rei ſcilicet ſuæ familiaris ratione, permittebatur. Sapientiſſime id quidem. *Dum enim*, conqueritur *Hieronymus*, ep. 12. ad Gaudentium, *poſita luditur arca*, *ſtat pauper nudus atque eſuriens ante fores*, *Chriſtuſque in paupere moritur*. Quid? Quod ſæpenumero propria ipſorum caro & ſanguis, familiæ & propinqui, una nocte tali ſtoliditate penitus deſtruantur. Et qualis quæſo pœna in illos poteſt exiſtimari juſto gravior? *Si quis ſuorum, & maxime domeſticorum, curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior*. 1. Timoth. 5. 8. Jure optimo itaque leges civiles & eccleſiaſticæ contra hujuſmodi luſum tam ſeveram ſententiam pronuntiant.

|| Quemadmodum vita Clerici perpetuum altaris miniſterium erat, & ipſe animum in jugi divinarum ac cœleſtium rerum exercitatione occupatum habere debebat; ita ſumma in eo requirebatur ac diligentiſſima cura tempus bene diſtribuendi, utiliterque collocandi, quo vocationis ſuæ fini, & ſpiritualibus negotiis, quibus quotidie diſtinebatur, optime conveniret. Hanc ob cauſam *aleam*, temporis nimium prodigam, & præclaris quibuſvis conatibus, ac ingenuo publicæ utilitati inſerviendi ſtudio inimicam, Clerici ſub pœna abrogationis officii vitare jubebantur. Ita enim *Canones Apoſtolici*, c. 42. decernunt: *Epiſcopus, vel presbyter, vel diaconus aleis vacans, vel ceſſet, vel deponatur*. Et proxime ſequenti Canone, *ibid.* c. 43. additur: *Subdiaconus, aut Lector, aut Cantor, ſimilia faciens, aut deſinat, aut communione privetur*. Et lege Juſtinianea, *Juſtin. Novell.* 123. c. 10. illi, qui ad tabulas luſiſſe deprehenſi fuerint, tribus annis a miniſterio prohiberi, & in monaſterium ad agendam pœnitentiam intrudi jubentur. Fuerint forte, qui harum legum ſeveritatem mirabuntur, quod ad tabulas ludere ſub iſtiuſmodi pœnæ denuntiatione interdixerint: ſed mirari deſinent, ſi eumdem luſum laicis quoque ſub pœna ſegregationis a communione, ut ſupra oſtenſum eſt, interdictum fuiſſe, animo ad-

verterint. Et ſane idoneam talis legis ſanciendæ rationem habuit Eccleſia: Cum enim iſte luſus tum veteri, tum nova lege civili, *Digeſt.* l. 11. *tit.* 5. *de aleatoribus*, *Cod. Juſtin.* l. 3. *tit.* 43. *de aleatoribus*, inter *Romanos*, & multas alias nationes eſſet prohibitus; profecto muneri ſuo defuiſſet Eccleſia, niſi ipſa quoque, decori ac honeſti ſemper ſtudioſa, per ſuas itidem leges laicis, & multo magis Clericis eum interdixiſſet, ut offendicula & obtrectationes, quæ adverſus ipſam jactari poterant, præfocaret.

ALEXANDER PAPA VII. Vide *Birrus*. *Calix*.

* ALEXANDER *Carbonarius*: Quomodo Epiſcopus *Comanæ* electus. Rem enarrat *Gregorius Nyſſenus*, Tom. 3. *Alexander* Philoſophus ethnicus, vir admodum eruditus, religionem chriſtianam amplexus, ut celebritatem fugeret, & ſtudia ſua philoſophica occultius proſequeretur, ex profunda animi ſubmiſſione carbonarium negotium exercere cœpit, nomen inde *Carbonarii* ſortitus. Accidit autem Epiſcopatu *Comanæ* vocante, ut cives ad *Gregorium Thaumaturgum* legationem mitterent, ut ad ſe veniret, & Eccleſiæ Epiſcopum conſtitueret. Cum autem in multas partes ſuffragiis ſcinderentur, quidam cavillans & irridens *Alexandrum Carbonarium* propoſuit. Sed irriſorem eventus fefellit; imo erudivit. *Gregorio* enim per ſpecialem Dei revelationem *Alexander* tamquam extraordinariæ virtutis vir repræſentatus, qui, ut deſpectui haberetur, contemptiore iſto vitæ genere ſe occultaſſet; & poſt diligentem inquiſitionem talis inventus, qualis repræſentatus fuerat, ab univerſa Eccleſia Epiſcopus concorditer electus, & a *Gregorio* ſtatim ordinatus fuit.

ALEXANDRUM MAGNUM ſub aquis in profundum maris fuiſſe, Hieronymo incredibile videtur. Vide *Colimpha*.

ALIAS. FR. pro *Alio*, frequenter apud Cypr. præcipue de Stell. & Mag. [ Deluſum ſe Herodes conqueritur, cum Magos alias comperit divertiſſe. ] Idem de Ablut. ped. [ Et quaſi extaſis teneat eos, vel mens alias rapta.

* ALIENATIO. Reditus vel bona eccleſiaſtica nonniſi extraordinaria urgente neceſſitate, alienabantur. Bona, & reditus, Eccleſiæ ſemel dati, ut Deo dicati ſemper habiti fuere; adeoque cultui ejus tantumodo impendi, nec in ullum alium uſum converti debuere, niſi quis extraordinarius caritatis titulus ſimpliciter id exigeret. Exempli cauſa, ſi captivi redimendi, vel pauperes famis tempore alendi eſſent, nec aliunde eis ſuppeteret auxilium; tunc ipſa ſacra vaſa, & Eccleſiæ ſupellectilem vendere moris erat, ut vivis Dei templis, quæ ædium manufactarum ornamentis anteponi debebant, conſuleretur. Ita *Ambroſius* Eccleſiæ *Mediolanenſis* vaſa ſacra conflavit, ut captivos redimeret. Quod cum *Ariani* invidioſe reprehenderent, elegantiſſimam pro ſe apologiam, *de offic.* l. 2. c. 28. in qua hæc inter cetera: *Nonne melius conflat Sacerdos pro alimonia pauperum, ſi alia ſubſidia deſint; quam ut ſacrilegus contaminet & aſportet hoſtis? Nonne dicturus eſt Dominus: Cur paſſus es tot inopes fame mori? Certe habebas aurum, unde miniſtraſſes alimoniam. Cur tot captivi deducti in commercium, nec redempti, ab hoſte occiſi ſunt? Melius fuerat, ut vaſe viventium ſervares, quam metallorum. His non poteſt reſponſum afferri. Quid enim dices? Timui, ne Templo Dei ornatus deeſſet. Reſpondebit: Aurum Sacramenta non quærunt: neque auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus Sacramentorum redemptio captivorum eſt. Et vere illa ſunt vaſa pretioſa, quæ redimunt animas a morte.* Eumdem in modum *S. Auguſtinus* Poſſidon. vit. Aug. c. 24. *de varis dominicis propter captivos, & quamplurimos indigentes, frangi & conflari jubebat, & indigentibus diſpenſari.* Idem fecit, teſte *Socrate*, l. 7. c. 21. *Acacius* Amidæ Epiſcopus, ut e *Romanorum* militum manibus ſeptem millia *Perſarum* captivorum redimeret. Simile caritatis exemplum famis tempore habemus in *Cyrillo Hieroſolymitano*, cujus apud *Theodorum* l. 2. c. 27. & *Sozomenum* l. 4. c. 25. fit mentio; nec non in Epiſcopo quodam *Carthaginenſi*, nomine *Deogratias*, quem ſummis laudibus exornat *Victor Uticenſis*, *de perſec. Vand.* l. 1. *biblioth.* PP. *tom.* 7. Hic enim vaſa ſacra vendidit, ut milites *Romanos* a *Vandalis* in bello captos, redimeret. Hoc, tantum abeſt, ut ſacrilegium vel injuſta *alienatio* haberetur, ut leges adverſus ſacrilegium latæ caſum hunc tantummodo exciperent. Sicut ex lege *Juſtiniani* videre eſt, *Cod. Juſtin.* l. 1. *tit.* 2. *de ſacroſanct. Eccleſ. leg.* 21. quæ ita habet: *Sancimus, nemini licere ſacratiſſima atque arcana vaſa, vel veſtes, cæteraque donaria, quæ ad divinam religionem neceſſaria ſunt ... vel ad venditionem, vel ad hypothecam, vel ad pignus trahere ... excepta cauſa captivitatis & famis in locis, quibus hoc contigerit. Nam ſi neceſſitas fuerit in redemptione captivorum, tunc & venditionem præfatarum rerum divinarum, & hypothecam, & pignorationes fieri concedimus, quoniam non abſurdum eſt, animas hominum quibuſcumque vaſis, vel veſtimentis præferri.* Clericorum pauperatas ejuſdem generis erat: idcirco ſi annui Eccleſiæ reditus ad eos alendos non ſufficerent, nec aliunde eis provideri poſſet; tunc Canones quidam, *Conc. Carthag. V.* c. 4. Epiſcopo certa Eccleſiæ bona *alienandi* copiam faciebant, ut hoc modo præſentiſſima vitæ ſubſidia illis compararentur. || *Alienatio* hæc fiebat communi Epiſcopi, ejuſque Clericorum conſenſu, Metropolitano, vel quibuſdam Epiſcopis provincialibus approbantibus. Ne qua vero fraus in ullo ejuſmodi caſu admitteretur, iidem Canones ſpeciatim præcipiebant, ut, ſi neceſſitas Epiſcopum ad hanc viam extraordinariam ineundam adigeret, Clericos primum ſuos,

tum etiam Metropolitanum, aliosque comprovinciales Epiſcopos conſuleret, ut num idonea eſſet ſic agendi cauſa, judicarent. Concilium quartum *Carthaginenſe*, c. 32. *irrita erit*, inquit, *donatio Epiſcoporum, vel venditio, vel commutatio rei eccleſiaſticæ abſque conniventia & ſubſcriptione Clericorum*. Et Concilium item *Carthaginenſe* quintum, c. 4. ait: *Si aliqua neceſſitas cogit, hanc inſinuandam eſſe Primati provinciæ ipſius, ut cum ſtatuto numero Epiſcoporum, utrum faciendum ſit, arbitretur*. Et Concilium *Agathenſe*, c. 7. *Quod ſi neceſſitas certa compulerit, ut pro Eccleſiæ neceſſitate aut utilitate, vel in uſufructu, vel in directa venditione aliquid diſtrahatur; apud duos treſve Comprovinciales, vel vicinos Epiſcopos cauſa, qua neceſſe ſit vendi, primitus comprobetur*. Talis erat legum eccleſiaſticarum ratio, quamdiu Epiſcopi, eorumque Clerici communi redituum eccleſiaſticorum jure gaudebant. Nihil *alienari* poterat, niſi utraque parte conſentiente, & Metropolitano ac Epiſcoporum provincialium Synodo comprobante. Ut adeo ſumma diligentia præcautum atque proviſum fuerit, ne vel neceſſitatis, vel caritatis obtentu bona & reditus Eccleſiæ diſtraherentur.

ALIENIGENA. FR. ſumitur nonnunquam pro hæretico, can. cave. 28. q. 1.

ALIPTA, græca vox ἀλείπτης, qui oleo Athletas ungebat; & per tranſlationem hoc vocabulo uſus eſt eleganter Nazianzenus, quando tali epitheto Sanctos Confeſſores celebravit, qui pro fide variis tormentis cruciati fuerint, ac tandem vivi evaſerant, quorum exemplo, & exhortatione cæteri fideles ad martyria ſuſtinenda confortabantur, animoque induebantur: [ Hanc Athletarum noſtrorum plerique ſuperarunt, alii ad mortem uſque dimicantes, ideo videlicet, relicti, ut victoriæ ſuæ eſſent ſuperſtites, nec in ipſo certamine animam efflarent, ſed aliis virtutis aliptæ, vivi Martyres, ſpirantes columnæ, tacitaque præconia relinquerentur. Orat. in laud. S. Baſilii. ] FR. hoc encomiaſtico epitheto a Græcis Andreas Cretenſis Archiep. celebratus eſt, propter compoſitionem illius magni canonis, quo peccatores ad pœnitentiam confortavit, & ad ſuperandos ſpirituales conflictus exhortatus eſt. Ideoque in feria v. poſt Dominicam v. Quadrag. ut Rituale Græcorum præſcribit, legebatur, & *Triodium* dicebatur. Aberrat ergo Vocabularii Eccleſ. Auctor, qui hoc nomen *Plagarum ſanatorem* interpretatus eſt. Vide *Dominica Orthodoxiæ*, In quo ſenſu Vopiſcus in Saturnino dixerat [ Qui ſe Chriſti Epiſcopi dicunt. Nemo illic Archiſynagogus Judæorum, nemo Samarites, nemo Chriſtianorum preſbyter, non Mathematicus, non Aruſpes, non Aliptes.

ALITYNUS. Vide *Alythinus*.

ALLEGATIO. Vide *Proſecutio*.

ALLEGO, pro eligere: [ Nulli is, quem Deus allegiſſet, cuique manus per Catholicos Epiſcopos fuiſſet impoſita. Lucifer Caralit. Epiſc. pro D. Athanaſio.]

ALLEGORIA, græca vox ἀλληγορία, ſenſum diverſum ſignificat, nempe, dum aliter ac ſonat verbum intelligendum illud eſt, ſic exempli cauſa in Exodo, ſanguis ſuper utrumque poſtem, & in ſuperliminaribus poſitus, liberationem fidelium a diaboli ſervitute per ſanguinem Chriſti veri agni immaculati ſignificat. Vide *Anagogia*.

ALLELUJA, hebraica vox, quæ *Laudate Deum*, ſeu *Laus Deo* ſignificat: nam *Allelu*, laudate cum jubilo; & *Iah* eſt unum ex Dei nominibus, quod *Qui erit* ſonat. Tempore Damaſi Papæ in latina Eccleſia introductum fuit ex Jeroſolymitana, & non ex græca Eccleſia, ſicut aliqui perperam exiſtimant, id Gregorio Magno attribuentes, qui tamen ab iſta calumnia lib. 7. ep. 63. ſe defendit, contra nonnullos dicentes ipſum in Romanam Eccleſiam græcanicos ritus introduxiſſe: licet verum ſit, quod ipſe nedum quidem tempore Paſchali, ſed per totum annum cantari decreviſſet, ut refert Baronius ad ann. 384. n. 27. & non ſemel in anno, ut Sozomen. lib. 7. hiſt. Eccl. c. 19. errando dixerat; imo in funeralibus quoque *Alleluja* canebatur, ut ex epiſt. D. Hieronymi ad Oceanum miſſa liquet: ubi de exequiis Fabiolæ ſcribens, ait: [ Sonabant pſalmi, & aurata tecta Templorum in ſublimi quatiebat Alleluja. ] Quod retinent in funeralibus adhuc Græci. Unde & in funeralibus Agapiti Papæ in Urbe Conſtantinopolitana celebratis ex quodam m. s. Biblioth. Vatic. n. 1538. conſervato, habentur hæc verba: [ Aderant diverſarum provinciarum numeroſiſſimi Epiſcopi, & Sacerdotum, Monachorumque chori pene Urbem impleverunt. Tota ad funus ejus Byzantium turba convenit: ſacrilegium putabat, qui non tali Pontifici ultimum reddidiſſet officium: ſonabant pſalmi, & excelſa tecta domorum reboans in ſublime Alleluja quatiebat. ] Celebratur hic Pontifex præcipue propter depoſitionem a Patriarchatu Antimi hæretici, in cujus loco propriis manibus conſecraverat Mennam, cum anno 536. ad Juſtinianum Imperatorem pro pacis tractatu cum Theodorico Italiæ Rege iviſſet. Itaque hunc ſolum Pontificem ſuis manibus Patriarcham conſecraſſe legimus. In Officio Gothico, ſeu Mozarabico adinſtar Græcorum ritus habetur in exequiis *Alleluja*. Idem Gallicanam Eccleſiam obſervare ait Baron. ad ann. 590. Nunc vero latinus ritus in ſignum mœſtitiæ ſimile canticum omittit, de conſecr. diſt. 1. & Concil. Tolet. XIV. can. 10. ſicut & jam ex Alexandri II. juſſu non dicitur a Septuageſima uſque ad Sabbatum ſanctum; nam in hoc tempore mœſta primi Protoplaſti memoria incipit, c. hi duo de conſecr. diſt. 1. Vide *Septuageſima*. Eumdem Pontificem bis replicari ad Veſperas præcedentis Sabbati Dominicæ Septuag. ordinaſſe. Baron. ad ann. 1073. refert. Item nec dicebatur in Circumciſionis

ſionis die. Vide *Circumciſio Domini*. Quando Alleluja omittitur, in antiphonis habentibus Allel. in fine, ejus loco dicendum eſt, *In æternum*, Jo. Belet. de divin. off. cap. 79. Quod tamen non obſervatur in Officio privato. [ In Africanis autem regionibus ( Iſidorus ait ) quod omni tempore, ſed tantum Dominicis diebus, & quinquaginta poſt Domini Reſurrectionem Alleluja cantatur pro ſignificatione Reſurrectionis, & lætitiæ, lib. de divin. offic. c. 13. ] ſeu, ut erudite Beda, ad denotandum communem fidelium conſenſum confeſſionis Chriſtianæ in hac vita, & in futuro pacem, atque concordiam. Vide *Laus tibi Domine &c.* Quare Eccleſiæ, & Nationes totius univerſi, quæ linguis tam variis Creatorem celebrant in officiis, ac ritibus diverſis, hanc hebraicam vocem nihilominus tenaciter conſervant. [ Quod ideo fit ( ſubjungit Beda ) ut per talis conſonantiam devotionis, omnis admoneatur Eccleſia, quia & nunc in una fidei confeſſione, & dilectione Chriſti conſiſtere debeat, & ad illam in futuro patriam feſtinare, in qua nulla eſt diverſitas linguarum, homil. in 1. Dom. poſt Pentecoſt. ] Tandem hebraice canitur, ut in Miſſa adhibeantur tres illæ linguæ, Hebraicæ, ſcilicet, Græcæ, & Latinæ, quibus ſcriptus fuit titulus in Cruce Domini, Gen. de antiq. tit. Miſſæ lib. 1. c. 91. Non additur *Alleluja* in antiphonis B. M. Officii, quod canitur in choro tempore Paſchali, Congregat. Rit. 28. Mart. 1626. Benedictini Monachi antiquitus tantum tempore Quadrageſ. omittebant Alleluja. Hodie tamen ritui Romano in hoc conformantur. *Allelujaticum melos* appellavit B. Victor. Africanus lib. 1. de perſecutione Vandalica: [ Lector unus pulpito ſiſtens Allelujaticum melos canebat. ] Prima die Januarii ex decreto Concil. Tolet. cap. 10. non canebatur *Alleluja*; nam in hoc die jejunabat Eccleſia, ac celebrabat Litanias, ut Gentilibus ſeſe opponeret, qui tunc ad crapulas, & oblectamenta incumbebant. Ex eadem cauſa fortaſſe non canunt Græci *Alleluja* in bacchanalium hebdomada ex Triodii diſpoſitione, exceptis fer. III. & VI. In Sabbato ſancto, celebrante Pontificaliter Epiſcopo, Subdiaconus peracta epiſtola, ante oſculum manus, dicit [ Reverendiſſime Pater annuncio vobis gaudium magnum, quod eſt Alleluja. ] Inde Epiſcopus juxta rubricam ter intonat Alleluja, Cæremon. Epiſc. lib. 2. cap. 27. In tribus antiph. III. Noct. & ſignanter in Apoſtolorum nocturno tertio additur *Alleluja*, ad denotandum tertium Evangelicæ gratiæ ſtatum, ita Amalarius cap. 59. de Ord. Antiph. Quare in Dom. III. Adventus dicatur Alleluja. Vide *Adventus*. Scribit Sanctus Epiphanius, ubi de vita, & moribus Prophetarum agit, quod primus ad canendum *Alleluja* fuerat Aggæus Proph. quando, nempe, completam viderat ſtructuram novi Templi. In primitivis Eccleſiæ temporibus non ſolum hoc jubilationis canticum intra Eccleſias, ſed extra in ſæcularium ore etiam audiebatur, ac de feſtivis nautis Sidonius lib. 2. epiſt. ſic cecinit:

Curvorum hinc chorus heliciariorum,
Reſponſantibus Alleluja ripis,
Ad Chriſtum levat amicum Celeuſma.

Ubi *Celeuſma* nauticum canticum ſubaudit: ac de Agricolis: [ Arator ſtivam tenens Alleluja decantat. ] D. Hieron. epiſt. ad Marcell. inquit: Britanni anno 492. nuda fide armati, a Germano Epiſcopo ita inſtructi, non aliis armis parati, ſed ſola triplici prolatione cantici *Alleluja* profuderant, & ſuperaverant inimicorum exercitum. Polyd. lib. 3. Ante nolarum uſum ſolitum erat Monachos hoc Cantici ſigno ad chorum pro divinis precibus conclamari. [ Poſt Alleluja cantatum, quo ſigno vocabantur ad collectam, nulli reſidere licitum erat. Hieron. ep. 27. ad Euſtoc. ] FR. Franciſcus Alvarez in ſuo Itinerario cap. 41. refert monaſterium in Æthiopia inveniri hoc titulo *Alleluja*, nuncupatum, quia in diverſorio illo Eremita quidam non modicæ ſanctitatis audiverat ab Angelis hoc canticum: inde Superiorem Monaſterii illius, quod tunc de novo erigebatur, ut illud *Alleluja* appellaret rogavit.

* Alleluja. Uſus ejus in quibuſdam divini cultus partibus. Frequens in antiquis Scriptoribus mentio moris canendi *allelujah*; ſed non eadem ſemper hujuſce vocabuli intelligentia. Interdum enim ſimplicem hujus ſingularis vocis, quæ *latine* ſignificat *laudate dominum*, pronuntiationem ( in imitationem cœleſtium exercituum, canentium iterumque iterumque dicentium *allelujah*, Apoc. 19. ) intelligunt; interdum vero quemdam e Pſalmis, qui vocabantur *Pſalmi Allelujatici*, Auguſt. in Pſ. 105. quia vocabulum *allelujah* in fronte ſibi præfixum habent. Communius tamen vocabulum *allelujah* uſurpatur pro ipſa ejus frequenti ac ſolemni certis diebus, & in ſpecialioribus divini cultus partibus recitatione; cum ſit quædam invitatio, ſive mutua ad collaudandum Dominum excitatio. Hinc, uti obſervat *Auguſtinus*, *epiſt.* 178. ſemper *Hebraica* lingua illud decantatum; quia hæc nota ejus ſignificatio erat. *Sciendum eſt*, inquit, *Amen & Halleluja, quod nec Latino, nec Barbaro licet in ſuam linguam transferre, Hebræo cunctas gentes vocabulo decantare*. Et alibi, *hom.* 16. *Nunc ergo, fratres cariſſimi, exhortamur vos, ut laudetis Deum: & hoc eſt, quod nos omnes dicimus, Alleluja, laudate Deum*. Olim varia de temporibus, quibus decantandum eſſet *alleluja*, interceſſit diſputatio. *Auguſtinus*, *ep.* 119. *ad Januar.* c. 17. quibuſdam in Eccleſiis nonniſi die Paſchatis, & per ſubſequentes dies quinquaginta; alibi autem aliis etiam diebus cantari dicit. *Vigilantius* ( Hieron. contr. Vigilant. c. 1. ) acriter contra *Hieronymum* contendebat, numquam niſi in Paſcha eſſe cantandum. Atque hac in re putat *Sozomenus*, l. 7. c. 19. *Vigilantium* ſecutum eſſe conſuetudinem Eccleſiæ *Romanæ*,

*næ*, ubi nonniſi ſemel per annum, idque primo feſtivitatis paſchalis die cani conſueviſſe narrat. Verum hallucinatur *Sozomenus*, ut videre eſt apud Cardinales *Bona*, de pſalmod. c. 16. §. 7. n. 4. & *Baronium*, *an.* 384. n. 28. Id porro certum eſt, olim (quod & nunc obſervatur) in illis Eccleſiis, in quibus frequentiſſimus ejus uſus fuit, certis quibuſdam anni temporibus penitus intermiſſum fuiſſe. Nam jejunii quadrageſimalis diebus numquam canebatur, teſte *Auguſtino in Pſ.* 110. qui dicit, eſſe hoc tempus triſtitiæ, adeoque ab ineunte Quadrageſima ad Paſcha uſque ſemper omitti: cum antiqua Eccleſiæ traditio certis tantummodo anni temporibus cantari juſſerit. Concilium *Toletanum* quartum, c. 10. non tantum in jejunio quadrageſimali, ſed aliis etiam jejuniorum diebus, ſpeciatim Kalendis Januarii, quibus jejunium in Eccleſia *Hiſpanica* agebatur; quia Gentiles eas multis ſuperſtitioſis ritibus celebrabant, decantari illud vetat. In eodem Concilio *allelujah* ſub appellatione *laudum* memoratur, c. 11. & poſt Evangelii lectionem cani præcipitur; quod *Bona*, rer. liturg. l. 2. c. 6. & *Mabillonio,* de liturg. Gallic. l. 1. c. 4. n. 12. obſervantibus, factum eſt ad ritum *Mozarabicum*: nam in aliis Eccleſiis inter Epiſtolam & Evangelium cantari conſuevit. In exequiis quoque defunctorum cantatum fuit, quemadmodum *Hieronymus* narrat, *Ep.* 30. cap. 4. in epitaphio *Fabiolæ*, ubi pſalmos dicit ſonuiſſe, & aurata tecta templorum reboans in ſublime quaſſiſſe *allelujah*. Auctor, qui ſub nomine *Dionyſii* ſcripſit, *de hierarch. eccleſ.* c. 4. §. 12. de eo etiam loquitur, tamquam in conſecratione chriſmatis uſurpato. *Auguſtinus*, *epiſtol.* 119. *ad Januar.* c. 15. ait: *Omnibus diebus dominicis ad altare ſtantes oramus, quod ſignum eſt Reſurrectionis; & alleluja canitur, quod ſignificat, actionem noſtram futuram non eſſe, niſi laudare Deum, ſicut ſcriptum eſt: Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te*. In Concilio *Turonenſi* ſecundo c. 19. poſt pſalmos dici jubetur, ad horam ſextam; ideſt, in meridie, & ad horam duodecimam, ideſt in precibus veſpertinis. Utrum vero brevius *allelujah* intelligatur, an aliquis e pſalmis *allelujaticis*, de quibus *Auguſtinus*, facile definiri non poteſt. *Iſidorus*, *de offic.* l. 1. c. 13. in *Hiſpania* præter dies jejuniorum & Quadrageſimæ, omni tempore *alleluja* cani aſſerit, quamvis in Eccleſiis *Africanis* mos alius obtineat. *Hieronymus*, *ep.* 18. *ad Marcellam*, in privatis divini cultus exercitiis in uſu eſſe dicit; aratorem quippe ſtivam retinentem *alleluja* decantare: & hoc ſignum, *id. ep.* 27. *epitaph. Paulæ*, eſſe, quo Monachi ad conventus Eccleſiaſticos vocentur: nam unum circuire cantantem *alleluja*, quo audito omnes ad ſolemnes conventus undique accurrant. Imo vero *Sidonius Apollinaris*, l. 2. *ep.* 10. videtur innuere, helciarios ſive remiges eo tamquam ſigno ſive celeuſmate uti, quo ſe mutuo ad officium adhortentur, ipſiſque ac ripis reſpondentibus reſonare *Alleluja*;

*Curvorum hinc chorus helciariorum,*
*Reſponſantibus alleluja ripis,*
*Ad Chriſtum levat amnicum celeuſma,*
*Sic ſic pſallite nautæ, vel viator*.

Alliamentum. Alliatum condimentum, [ & pro varietate guſtus noſtrorum quoque condimentorum alliamenta delectant ]. Hieron. epiſt. 151.

Alloces. Intervalla digitorum in pedibus. ] Dum liciis olei liquore delibutis, digitorum articulos, & palmarum pollices obvolverant, ſimulque pedum alloces truciter adnecterentur. Aldhelm. c. 19. de S. Baſilica. ] græca quidem vox ἄλοκες, quæ ſulcos ſignificat.

Allodium. FR. prædium, l. ut Epiſcopis de prohibitis nuptiis. Vide *Alodis*.

Allophylus. Exoticus, Peregrinus, ſeu Alienigena. Ἀλλόφυλος, diverſæ nationis. Uſus eſt hac voce Hieron. in epiſt. S. Paulæ. Tertullianus vero Philiſthæos, aliaſque infidelium nationes ita vocavit: [ Nam temporibus Machabæorum Sabbatis pugnando fortiter fecerunt, & hoſtes allophylos expugnarunt, adverſ. Jud. c. 4. ] FR. *Allophylli* dicuntur etiam *Gargangi*, l. omnes gargangi; de Advenis. Allophyli populi. Vide *Philiſthæi*.

Alma Redemptoris. Antiph. in honorem B. V. compoſita ab Hermanno Contracto, qui floruit anno 1054. Durand. lib. 4. c. 22. & Romæ in Eccleſia E. M. V. illam primo cecinit. Quando Offic. in B. M. Purificatione transfertur, prædicta Antiph. continuatur etiam per totam Octavam: hoc fiet, ubi cum Octava celebrabitur; Octava enim eſt ejuſdem feſti continuatio. Ita Sac. Rit. Congr. 1606. in Officio pro Carmel. Diſcalc. approbato. In ſubjuncta oratione, quæ dicitur poſt Nativitatem, omittitur clauſula conſueta, Qui tecum vivit &c. ad denotandum Chriſtum non in ſinu Æterni Patris, ſed in brachiis maternis tunc exiſtere. *Alma* penes Hebræos inter cætera Virginem, & latine Sanctam, felicemque ſignificat.

Almitas. Sanctitas, ac Beatitudo. [ Erat ſiquidem carne nobilis; ſed nobilior moribus, plenus Dei ſapientia, ſed opere non vacuus, pulchra facie, ſed ditior almitate. In vita S. Adelhardi. ] Legitur etiam *Almificus*; id eſt, ſanctificans, quod ex ſequentibus verbis colligitur: [ Dum hic igitur almifica converſatione decertat, placuit ſupernæ pietati virtutem ſui militis evidentibus oſtendere ſignis. Flodoard. lib. 1. hiſt. Remen. cap. 3.

Almutium, ſeu *Almutia*, inſigne indumentum Canonici, ſeu Beneficiati in aliquibus Cathedralibus, & Collegiatis; corrupta vox ab *Armo*, ideſt, humero, quamvis *Armus* de animalibus, & *Humerus* de homine dicatur; ſed aliquando armus in homine dictus fuit: inde *Armutium* potius dicendum, ex eo

eo quod ſuper armos feratur. Molanus tamen lib. 3. de Canon. cap. 5. & 8. putat a Theuthonicis ita nominatum; lingua enim eorum *Ulde-mutſen*, Pileum ſeniorum ſonat. Almutii uſus antiquiſſimus a quinque jam ſæculis eſt, quod ex hiſt. Tornacenſi colligitur, in qua fit mentio antiquiſſimæ picturæ cujuſdam Litberti Canonicorum Decani cum almutio ſuper humeros: floruit hic anno 1050. FR. Erat almutium nigrum etiam Cardinalium inſigne, vide per me addita in dict. *Clocca*, ubi falſi teſtes contra Alexandrum III. aſſerebant illum ex Conclavi exiviſſe in habitu Cardinalitio, & inter alia cum *nigro almutio*, quod evenerat de anno 1159. |||| Fertur itaque almutium ſuper humeros, adinſtar Græcorum Monachorum, quando detegunt caput. FR. Sed Advocati Conſiſtoriales, Auditores Rotæ, & ſimiles in Cappella Papali, geſtant illud in utroque humero || Antiquitus Canonici tempore divini officii ejus capucio caput tegebant, quod colligitur ex Concil. Baſilien. [ Et Eccleſias ingrediuntur non capucia, ſed almutias, vel byreta tenentes in capite. ] Sic etiam perſpicitur in ſepulcralibus lapidibus, præcipue Romæ. Imo uſque ad præſens in Gallia eſt in uſu hæc cæremonia. Quare moris eſſe in aliquibus locis ait Jo:Connatus hiſt. Torn. tom.3. c. 51. quod quando novellus Sacerdos eſt primam Miſſam celebraturus, tunc accedit ad Altare cum almutio in capite. Hodie tamen Cæremoniale Epiſc. lib. 1, c. 18. præſcribit, quod: [ Qui ſolent geſtare almutium, cum aſſurgunt, a ſcapulis ad brachia dimittant.

Aloarius. FR. Alicujus facti approbator, Galli *Alover* dicunt.

Alodis, & *Alodium*, hæreditas ab antenatis poſſeſſa. [ Tam de alode, quam de comparato. Marculſ. lib. 2. c. 7. ] Clarius tamen Hincmarus penes Flodoardum: [ Cupiens cavere, ne cenſus ipſe deperiret, & villa in alodem verteretur. ] Aliqui putant eſſe Belgicam vocem *Al-out*, quæ ea lingua per longum tempus poſſeſſum ſonat; ſed proprie ſignificat liberam poſſeſſionem ſine recognitione feudi, quæ alienabilis eſt, abſque laudemii ſolutione, quod *Lod* Galli dicunt; Juris enim periti *bona allodialia* vocant, illa, quæ ſunt Principi hæreditaria, ſeu emptio libera ab ipſomet facta, ad diſtinctionem feudalium. Vide *Allodium*.

Alogus, græca vox ἄλογος, equus, ideſt, ſine diſcurſu. [ Concedimus omnia indumenta, ſed & dignitatem regiorum alogorum. In Conſtantini donat. ] In rigore quodlibet animal ſignificaret. FR. Unde *Alogator* Equitum Præfectus, ut *Protalogator* Equitum Dux dicitur |||| Dicti etiam fuere *Alogi*, ſeu *Allogi*, ideſt, *ſine verbo*, hæretici, qui verbum Divinum negabant, ideo nec Evangelium Joannis admittebant, nec Apocalypſim, lib. 24. quæſt.3. cap. 39.

Altare, ſeu *Altarium*, ædificium lapideum incruento ſacrificio deſtinatum, ita dictum quaſi *Alta Ara*, ſeu *Area*. Dicitur etiam *Ara*. Sed in rubricis *Ara* proprie ſacratum, & portatile altare ſignificat. [ Aram quidem vocatam dixerunt, quod incenſæ victimæ arderent, alii a precationibus, quas Græci aras vocant. Valaf. de exord. Eccleſ. cap. 6. ] ſeu [ Ara dicitur quaſi arida; quæ enim cremantur, areſiunt in cineres. Bleſſ. ſerm. 4. ] FR. *Altare* ab altitudine dictum, & penes Antiquos differentia erat inter *Altare*, & *Aram*: nam illud in ſuperficie erat ſacratum, hæc vero per omnia latera. Calep. in dict. Altare |||| Significat Chriſtum, ideo debet erigi in eminentiori Eccleſiæ parte. Gem. lib. 1. de rit. miſſ. cap. 122. Valaf. de reb. Eccleſ. cap. 6. Beda lib. de tabernac. Rupert. de divin. off. cap. 30. Antea ad ſignificandam unitatem Chriſti, unicum erat in Eccleſiis Altare: id colligiturex SS. PP. præcipue ex S, Ignatio Martyre in epiſt. ad Philadelph. ideo Euſebius in Encomio pro Paulino Tyri Epiſcopo lib. 10. hiſt. Eccleſ. cap. 4. *Unigenitum Altare* appellavit. Laudabilis tamen mos eſt erigendi plura Altaria in qualibet Eccleſia; nam tredecim in una erant tempore S. Gregorii, ut habetur ex ejus epiſt. 50. lib. 50. ad Pallad. Epiſc. Altare debet eſſe lapideum, can. Altaria ſi non fuerint lapidea, de Conſecrat. diſt. 1. Denudatio Altaris in Fer. v. Cœn. Dom. nuditatem Chriſti in paſſione denotat. Alcuin. de divin. off. Ordo Romanus de quadam myſterioſa cæremonia, quæ fiebat in fer vi. Paraſceve, mentionem facit, ſcilicet, ad illa verba Evangelii paſſionis [ Partiti ſunt veſtimenta mea; ] tunc duo Diaconi auferebant Altaris mappam, in quo ſic denudato conſumebatur Euchariſtia a ſepulchro delata. Canus ille abuſus, quo a Sacerdotibus implorabatur divina vindicta, de quo Greg. Turon. de glor. Martyr. lib. 1. cap. 79. derogatus fuit in Concil. Tolet. XII. can. quicunque 26. quæſt. 1. Denudabantur enim Altaria, extinguebantur luminaria ac tandem deſerebantur divina Officia. In Eccleſia Ambroſiana denudantur Altaria in fer. 6. paraſceves; cooperiuntur parietes velis ſanguinei coloris. In prædicta feria v. lavantur Altaria hyſſopi herba, vino, & aqua; hyſſopus enim eſt ſymbolum unctiones Magdalenæ Chriſto exhibitæ, vinum, & aqua, ſanguinem, & aquam de latere Crucifixi emanatum ſignificat; & ideo Rupertus exiſtimat meliorem obſervantiam eſſe illorum, qui diem mortis Chriſti imitantes, Altaria lavant in feria vi. Romæ tamen in Baſilica Vaticana, & Dominicani obſervant hoc in feria v. In Eccleſia græca Patriarcha ſolus hanc cæremoniam facit, & Metropolitani in eorum Eccleſiis, lavantes Altaria prius cum aqua benedicta, poſtea cum aqua roſacea ex præſcriptione Euchologii. Aſperſio autem Altaris, quæ aqua benedicta fit in Dominicis per annum, baptiſmum Salvatoris repræſentat; quæ tamen relinquenda eſt quando expoſitum ibi erit Euchariſtiæ Sacramentum; ſic pariter nec Cruce ſignatur Altare in principio

cipio Evangelii Joannis in fine Miſſæ, cum ipſemet Auctor benedictionum ibi adiit. Gavant. par. 4. tit. 19. in Rubr. Miſſ. Semper Altare oſculatur Sacerdos antequam populum ſalutet, ſeu pacem tribuat; pax enim a Christo Domino in Altari effigiato ſumenda eſt. In Altari, ubi Epiſcopus Diœceſanus celebravit, pro illa die nemini celebrare licebit abſque ejus licentia, ut Sac. Concilia definivere; quod eſſet grave peccatum ſecundum Canoniſtas, licet aliqui tantum intelligant, quando, ſcilicet, Diœceſanus ſolemniter celebraſſet. Hanc obſervationem Græci extendunt etiam quoad ſimplices Sacerdotes, ita ut in eodem die ad unicum Altare duo Presbyteri nequeant Sacrum facere; quod approbatum per diverſas ordinationes Pontificias cenſetur, quæ Latinos Epiſcopos admonent, ne Græcos in eorum ritu impediant. In majoribus Altaribus quatuor Baſilicarum Urbis Patriarchalium nemini licet præter Papam celebrare, quod ſolus Jacobus quidam S. Pauli Abbas ex privil. Bonif. VIII. ſub anno 1301. in epiſt. 98. hanc facultatem pro Altari majori ejuſdem Baſilicæ habuerat, & illi Abbates hac facultate gaudent, qui Sacerdotii ordinem a Pontifice ſuſceperint, ut dictum eſt in verbo *Abbas*. Et pro qualibet vice Cardinales ſpeciali breve habilitantur, ſi ſuper unum ex præfatis Altaribus celebrare velint. Imo antiquitus in Sabbato quatuor temporum Decembris, quando Pontifex celebrabat in Altari S. Petri pro conferendis ſacris ordinibus, ab hoc ad aliud Altare deducebatur: [ Deſcendit Pontifex ab Altari (ſcilicet majori) & vadit ad S. Andream, ibi facit conſecrationem, facta conſecratione revertitur ad Altare, quia in hoc Altare nulla conſecratio debet fieri, niſi de Romano Pontifice. Benedic. Can. S. Petr. Cæremonial. M. S. in Biblioth. Sanct. Auguſt. de Urbe. ] Expoſitio Sanctiſſimi non deberet fieri niſi in Altari Majori, quia [ Maxime decens eſt, ut in Altari, ubi Sanctiſs. Sacrament. ſitum eſt, Miſſæ non celebrentur. Cæremon. Epiſcop. lib. 2. c. 12. ] Quod non de privatis, ſed de ſolemnibus ſacris intelligendum, ut in Romæ Collegiatis, aliiſque Eccleſiis per univerſum obſervantibus diligenter attenditur. In Altaribus pro Defunctis privilegiatis eorum Miſſa non eſt celebranda in duplicibus. Sac. Congreg. Rit. 24. Aprilis 1627. Prius mos erat illud Altare circuire, ubi Sanctorum Reliquiæ requieſcunt. [ Poſtquam ſacra Martyrum loca venerabiliter circuivit. In vita Sancti Fulgen. Baſilicam Sancti Galli ingreſſus, cum orando Altaria circuiret. In act. S. Othon. ] FR. In Melitæ Conventuali Eccleſia, magna veneratione loco B. M. V. *Philermi* nuncupata conſervatur, quæ opus Divi Lucæ creditur, ac de illa traditur, quod in Rhodo inſula, ubi prius erat, in quodam, ſcilicet, monte non longe ab Urbe, cum quidam Juvenis ardens Puellæ amore, qua nullibi frui poterat propter parentum cuſtodiam, eam admonuiſſet, ut matrem deciperet, ac ſecum hoc Templum devotionis prætextu peteret, dumque ibi Mater oraſſet, ejus licentiam poſtularet, ut ſola Altare illud devote circuiret, ibique ab ipſo Amante expectaretur. Quod ſane ita executum fuit. At Mater cum diu in Eccleſia expectaſſet, tandem ad poſteriorem Altaris partem acceſſit inquirens filiam, quam in proci amplexibus, ambos tamen extinctos adinvenit. Inde imago hæc B. M. & mons ille *Philermos*, id eſt, *Amoris infelicis*, a Græcis appellati ſunt || Itaque antiquitus, ad exercendam devotionem hanc, Altaria a muro erant ſeparata, ut in vetuſtis Eccleſiis aſpicitur, atque tenaciſſima cani ritus Graja natio, uſque ad præſens, ſic ſeparata adhuc erigit Altaria: quod revera tanta reverentia colit, ut ad illud accedere nuſquam Laicis permiſſum ſit. Quocirca jure Latinos reprehendit Balſamon, qui nedum Laicis quidem viris, ſed etiam fœminis hoc permittunt. An non ille magis ſtuperet, ſi depravatos noſtri ſæculi mores admiraretur? Siquidem hodierna muliebris inverecundia tam audax effecta, ut ad latus quoque ſacrificantis ſedere non ſolum, ſed & cornicari delectetur, ubi nimirum, cum timore, & tremore cœleſtes ipſimet Spiritus aſſiſtunt. Quod tamen Eccleſiaſticorum negligentiæ merito imputetur, dum immemores Sancti Ambroſiani Zeli ſe oſtendunt, per quem imperatoria ipſa Majeſtas a presbyterio excluſa fuerat. Sed redeundo, unde jam digreſſi ſumus; myſterioſa erat cæremonia illa, quæ in nocte Natalis Domini fiebat: tribus nempe velis cooperiebatur Altare, id eſt, rubro, albo, & nigro; nigrum velum auferebatur in fine primi nocturni, & ſignificabat obſcuritatem temporis ante legem: album velum in fine ſecundi nocturni, & id in ſignum erat temporis legalis: rubrum in fine tertii, & ultimi nocturni, atque legis gratiæ ſymbolum erat: Jo. Belet. in rat. div. offic. cap. 69. Durand. lib. 1. cap. 3. Eadem cæremonia iterabatur ad matutinum Paſchæ poſt quamlibet lectionem, cum non niſi unicum nocturnum tunc habeatur. In Hiſpania per totum quadrageſimale tempus extenditur velum ante majorem aram, dum in ferialibus recitantur horæ, & canitur Miſſa, nec retrahitur, niſi quando canitur Evangelium, in elevatione Hoſtiæ, & Calicis, & ad poſtremam ſuper populum orationem. At in feria iv. majoris hebdom. penitus aufertur ad illa verba Evangelii: [ Et velum templi ſciſſum eſt. ] Diximus ſupra, Altare debere eſſe lapideum, ex eo quod lapidem angularem Chriſtum ſignificet, ex decreto S. Silveſtri Papæ, ante cujus tempora ob continuas Eccleſiæ perſecutiones ex ligno erat formatum, licet idem Sanctus in Baſilica Lateranenſi collocaſſet ligneum Altare illud, in quo Apoſtolorum Princeps celebraverat; cautumque eſt a Succeſſoribus, ne ulli liceret, niſi ſoli Pontifici Romano,

no, ibi celebrare. Si non erit Altare omnino lapideum, ſufficeret altariolum, ſeu lapis ſacratus, quod Ordo Rom. *Tabulam itinerariam* appellat. Bonifacius VIII. cap. ult. de privileg. & cap. 12. in 6. *Viaticum*, & Balſamum *Antimenſium* ad Concil. 6. can. 1. ſive 31. vocant. Hæc poſtrema vox græca eſt ἀντιμίνσιον, ideſt, vice menſæ. [ Antimenſia non in omnibus menſis poni neceſſe eſt, verum in iis tantum, de quibus neſcitur, an ſacratæ ſint, an non. Antimenſia enim locum obtinent Altarium, quæ ideo conſecrata ſunt Antimenſia. Ubi ſcitur Altaria conſecrata eſſe, non opus eſt Antimenſiis. Man. Patr. in reſp. ] FR. Quæ tamen apud Græcos ex tela erant confecta, ex illa, ſcilicet, quæ cooperiebat Altare in die conſecrationis Eccleſiæ, & ſuper quam continuo per octavam celebrabatur; deinde Epiſcopus in partes dividebat, Preſbyteris diſtribuens, ut in defectu conſecrationis Altarium antimenſiis uterentur. Quorum conſecrandi forma præſcribitur in Euchologio græco. Sed aliquando pro corporalibus accipiuntur, vide *Corporale*. Altariolum igitur Latinorum ab Epiſcopo conſecratum, erit lapideum cum Martyrum reliquiis, ſine quo celebrare nemo poteſt, niſi Pontifex diſpenſet, qui inter alia privilegia Miſſionariis Propagandæ Fidei, in caſu neceſſitatis abſque tale Altariolo ſacra conficere indulget. Debet ulterius hoc portatile Altare habere commodum ſpatium pro capacitate ſaltem Calicis, & Hoſtiæ, aliter eſſet peccatum mortale, ſecundum Paludanum in 4. diſt. 13. qu. 2. art. 3. concl. 1. Ang. Verbo Altare, Navarr. in Manual. cap. 25. num. 3. Alii tamen hanc opinionem limitant, affirmantes ſufficere, ſi capacitatem haberet ad ſuſtinendas majores partes Hoſtiæ, & Calicis. Syl. Verbo Altare, Tolet. lib. 2. cap. 2. num. 6. Azor. par. 1. lib. 10. cap. 27. quæſt. 7. Suar. tom. 3. diſt. 8. ſect. 5. Præterea quæritur, utrum Reliquiæ de eſſentia, an de præcepto imponendæ ſint: utraque opinio ſuos habet fautores. Verum advertendum eſt, ſi ex diſpenſatione Apoſtolica Reliquiæ non fuerint ibi appoſitæ, celebrans oſculando ante Introitum Altare, deberet tunc omittere illa verba: *Quorum Reliquiæ hic ſunt*; & tunc oſculatur, quando dicit: *Indulgere digneris*. Gavant. par. 2. tit. 4. in Rub. Miſſ. Cum hoc Altare portatile ſit ſymbolum unitatis perſonalitatis Chriſti; ideo illud in duas partes diviſum in modum libri Sacro inſervire nequit. Vaſquez tom. 3. diſp. 233. cap. 2. num. 16. Fagund. lib. 1. cap. 22. num. 9. Ob eandem rationem ablato ſigillo Reliquiarum conſecratio depreditur. Si Eccleſia conſecrata rueret, quamvis perderet conſecrationem, non tamen ammitterent conſecrationem Altaria ſtabilia, & multo minus portatilia. At ſi Eccleſia remanet polluta ob emiſſionem ſanguinis, aut humani ſeminis tunc & Altare fixum pollutum exiſtimatur; ſecus vero portatile, cum illud, & non iſtud ſit Eccleſiæ pars. Et e contra, ſi ſanguis ſuper portatile ſpargeretur, tunc cum eo tota Eccleſia polluta remaneret, in qua valet dici, vere effuſionem accidiſſe. FR. Sed can. Si motum, de conſecr. diſt. 1. diverſimode diſponit, ubi ſic dicitur: [ Si motum fuerit Altare, denuo conſecretur Eccleſia; ſi parietes mutantur, & non Altare, ſalibus tantum exorcizetur, &c. & can. de fabrica ibidem (inquit): Atque in Eccleſiis combuſtis cum tabula conſecrata, ideſt, Altari portatile licet celebrare, can. concedimus ibidem ]]]. Antiquitus ſicuti nos celebramus anniverſarium Dedicationis Eccleſiæ, ita etiam ſolemnizabatur Altaris anniverſarium, quod colligitur ex Auguſt. ſerm. 252. de tempore. Cuilibet Altari aſſiſtit Angelus. Sophronius c. 4. Prati ſpirit. Pridie quam pateretur S. Lucianus, ob Altaris carentiam ſupra proprium pectus conſecravit. Et Theodoretus Cyri Epiſcopus ob eandem neceſſitatem, & ad inſtantiam cujuſdam Sancti Anachoretæ ſupra Diaconorum manus Sacrum confecit, de quo in vita Patrum hæc habentur: [ Cum autem longo tempore deſideraſſet videre offerri ſpirituale, & myſticum Sacrificium, rogavit, ut divini doni illic fieret oblatio: Ego libenter paravi, & juſſi Sacramenta offerri; pagus enim haud longe aberat, & pro Altari uſus Diaconorum manibus, myſticum, divinum, & ſalutare obtuli Sacrificium. ] In quodam M. S. Pontificali antiquo *Metallum* Altare lapideum appellatur, ex eo quia hæc vox ſe extendit ad omne id, quod e viſceribus terræ excavatur, cujus orationis verba ſunt: [ Supplices tibi Domine Deus Pater preces effundimus, ut metalli hujus expolitam materiam ſupernis ſacrificiis imbuendam &c. ] FR. An non potuerat eſſe ex reali, ac ſolido metallo Altare illud? Sed quia hic neſcitur ubi, & quale hoc M. S. cæremoniale ſit, ut ex contextu poſſet fortaſſe colligi materiæ qualitas, ideo in ſola conjectura ſiſto. Altare aliquando ſignificat Eccleſiam, ſeu decimas. Gloſſ. in lib. 3. tit. 25. c. 3. decretalium. Vide *Protheſis*, *Inaltaro*.

Altarista, particularis Canonicus Baſilicæ Vaticanæ, cui incumbit curam habere majoris Altaris ejuſdem Eccleſiæ, & conſervare pallia ei ab Apoſtolico Subdiacono tradita, illaque in vigilia Apoſt. Petri, & Pauli ad Altare illud ſuperimponere, ubi depoſita Apoſtolorum Principum corpora requieſcunt; quæ pallia poſtmodum Archiepiſcopis conceduntur. Vide *Pallium*. Idem *Altariſta*, fidem facit Epiſcopis ad limina ſacra venientibus in quolibet triennio, ſeu pro Ultramontanis Præſulibus in quolibet luſtro, ad quem etiam ter in hebdomada ad minus cuncta illius Eccleſiæ Altaria ſpectat inviſere. Imo facultatem habet ab Urbano V. & Innocentio VI. conceſſam, quod poſſit eandem Baſilicam cum aqua ab Epiſcopo benedicta reconciliare, quando per effuſionem ſanguinis, ſeu pollutionem ea violata fuerit. Ex nonnullis M. S. in Ar-

chi-

chivio ejuſdem Eccleſiæ conſervatis apparet, quod de anno 1482. vocabatur *Altarius Canonicus*. FR. Hic ſucceſſit in loco Aſſiſiorum, ut dicemus in dict. *Aſſiſii*. Altaris pallium. Vide *Antipetaſma*, *Chorus*, *Sacra menſa*, *Superaltare*.

Altaragium. Vide *Alteragium*.

Altatus, ſublevatus, & in altum ſubvectus, [ Jam ver decedit æſtati, & per lineas ſol altatus extremas, in axem ſcythicum porrigitur. Sidon. lib. 2. ep. c. 2. ] deſcribit, ſcilicet, ſolſtitium æſtivum.

Alteragium, oblatio ſuper Altare poſita. [ Aſſignabatur ſexta pars illius exiſtimationis in obventionibus alteragiorum Matth. Pariſ. in vita Guliel. Abb.] Alii vero probabilius *Altaragium* legunt.

Alternitas. Alternativa. [ Qui unica fervens in eum amoris charitate gaudebat, & dolebat mutua animi alternitate. In vita S. Adelardi Abb. ] FR. Eadem phraſi uſus eſt Accius apud Nonnium, atque *Viciſſitas* pro viciſſitudine dixit.

Altegrada. FR. Volucris Epitheton. [ Ut beſtia magis; quam avis licet pennata, brevi capite, protracta cervice, cætera altegrada. Tertull. de Veland. Virg. ] Alii *Altergradiam* legunt. Quam aliqui Fulicam, alii Ciconiam, alii Ibim putant. Hæc avis, ſeu beſtia credit ſe eſſe tutam a venatoribus, ſi caput abſcondat: quod applicat Tertullianus ad illos, qui in Eccleſia loquuntur, & palmæ manu faciem abſcondunt, putantes nullum eos videre.

Altipeta, quidquid ex ſui natura petit in altum. [ Levitas enim omnis altipeta eſt Paulin. epiſt. 21. ad Amand. ] FR. eodem modo Cic. Altivolans ait lib. 2. de Div. [ Servat genus Altivolantium, ] & Plinius c. 19. lib. 10. *Altivolum* dixit. Sed *Altivolans*, & *Altivolus* de omni volucre prædicatur. Altipeta vero habet generalius prædicatum; nam etiam res inanimatas, ac leves comprehendit; ut ex Paulino ſupra citato liquet.

Alveus. Vide *Curia Romana*.

Alytarches. FR. græca vox ἀλυτάρχης, præſidens ad ſpectacula: Sacerdos erat Antiochiæ, cujus officium *Alytarchia* dicebatur, Codex Theodoſ. lib. 10. tit. 1.

Alythinus. FR. Solidus, indiſſolubilis, a græco λύω, *ſolvo*, præpoſita particula α, privativa: [ Simulque, & vela ſerica alythina quatuor. Anaſt. Bibl. in Zacharia Papa. Item ibi ipſam fecit veſtem de fundato alythino, habentem in circuitu periclyſin de olovero, Idem in Paſchali I. ]

Ama, *Amula*, *Hama*, *Hamula*, italice *Ampollina*, vas ad uſum Altaris Sacrificii. FR. Urceolus, quem notabimus in dict. *Orzoli*, Græci Acratophorum vocant |||| . In oratorio amulas ſuperauratas. Anaſt. in Greg. Amam unam ex argento. Idem in Benedict. III. Amulas Sacras, ſive vaſa hiſtorialia, & aſpergilla ex puro auro. Agathias in vita Juſtiniani Imper. Archidiaconus amulam Pontificis cum vino ſumit de Subdiacono, & refundit ſuper colum in calice Ord. Rom. ] Ex hoc vocabulo Græci fortaſſe ἄναμα, vocant vinum pro Sacrificio deſtinatum, compoſita vox ex ἀνὰ, *in* ſignificans, & ἄμα, ideſt, *Urceolus*, ac ſi in urceolo poſitum dicerent.

Amagabari. FR. Pedites milites, arabica vox *Meghabbar*, quæ pulvere plenum, pulverulentum ſignificat; unde Hiſpani, qui multa arabica vocabula retinent, *Amagabar* dixerunt peditem militem ex pulvere, quem progrediendo in ſe exuſcitat. Sic exercitum fugientem, Virg. 12. Æneid. deſcripſit, inquiens:

——— Verſique viciſſim

Pulverulenta fuga Rutuli dant terga per agros.

Itaque de Ranzerio Regis Aragoniæ Petri genitore, refert Nicephorus Gregora lib. 7. c. 153. habuiſſe in ſuo exercitu; [ Mille amagabaros, quos Latini pedites vocant. ] Quo vocabulo uſus etiam eſt Jo. Villanus.

Amahaloth. Quid hebraice ſignificet. Vide *Pſalmus*.

Amalecita. FR. de quo vocabulo ſæpe in Sacra Scriptura: Amalech, *populus lambens* interpretatur a D. Gregor. hom. 36. in cap. 54. Lucæ.

Amaro. Amarum aliquid reddere, vel ſapere. [ Amarat enim nimietas, quod poterat condire menſura. Chryſol. ſerm. 125. ] Item *Amarico*, in eodem ſignificatu. [ Quia amaricaverunt me ipſi, & patres eorum. Lucifer. Caralitan. lib. de non parc. in Deum delinq. ] FR. Item *Amareſco*. Palladius. [ Amygdalus ſi rodatur, amareſcit. ] Item *Amaricor*. [ Facit amaricari ventrem. Apocalyp. cap. 1. ] Et *Amaricatus*. Ibidem [ Amaricatus eſt venter meus. ] Eumque a me triſtem, amaricatumque repuli. D. Gregor. in Regiſt. lib. 12. epiſt. 30. Item *Amarior* comparativum. [ Inveni amariorem morte. Eccleſ. cap. 7. n. 27. ]

Amartigenia, & *Hamartigenia*, ἁμαρτιγγένεια græca vox, quæ peccatorum originem ſignificat: ſic intitulavit quandam ſuam compoſitionem Prudentius, ut Vincent. Belovacenſ. in ſpeculo hiſtoriali ex Gennadio de Prudentio ait: [ Compoſuit & libellos, quos græca appellatione prætitulavit Apotheoſis, Sychomachia, Hamartigenia, ideſt, de divinitate, de compugnantia, de origine peccatorum. ]

Ambar, ambarum. FR. Græci teſte Aetio ἄμβαρ etiam vocant, Itali *Ambracane*, odoramenti genus, vide Avell. lib. 1. c. 27. || || . Revulſoque Sarcophagi operculo mirifice virtutis ambare ſuaviter redolentis viri faciem demonſtrans. In Actis S. Sebaſt. Mart.

Ambasciator, & *Ambaſſiator*, legatus Principis, ex voce Longobarda *Ambaſcia*, quæ iter ad operandum ſignificat, ut colligitur ex conſtitutionibus Burgundiæ: [ Quicunque aſinum alienum, extra domini voluntatem præſumpſerit, aut per unam diem in ambaſcia ſua. ] *Ambaſſiator*, & *Ambaſciator*, frequentiſſime penes Eccl. Scriptores reperiuntur.

Ambigena, perſona utriuſque ſexus, hermaphroditus.

tus. [ Ambigena non generat teſte Hippocrate. Bleſenſ. epiſt. 90. ]

Ambitus. FR. Quamvis Quintilianus affirmet hanc vocem pro ambitione aliquando accipi, Sulpitius tamen in ſua hiſt. lib. 2. cap. 48. illa uſus eſt in ſenſu gloriæ ſolemnis pompæ, quæ in Crucis inventione celebrata fuerat, ſic inquiens: [ Crux reperta, dignoque ambitu conſecrata. ] ideſt, dignoque honore, & pompa.

Ambo *Ambon*, vel *Umbo*, pulpitum. [ Obſecrans, ſupplicans, expoſtulans, in pavimento ipſius veſtigii provolutus, quo nihil horum ſuper ambonem contra Catholicam Dei Eccleſiam prædicaret. Anaſt. Biblioth. Collectan. in Epiſt. S. Maximi Abb. ad Petrum Illuſtrem a Sirmondo edita. Diaconus ſtat in ambone. Liturg. S. Chryſoſt. ] FR. Fl. Blondus in ſua Roma inclinata lib. 1. decad. 2. ubi de Leone Papa III. loquitur, qui cum vellet a calumniis impoſitis ſe defendere, ſic inquit: [ Quo audito Pontifex Leo ambonem conſcendens, dixit ſe prædeceſſorum ſuorum veſtigiis incedentem, objectis poſtridie reſponſurum. ] Et eadem decad. 2. lib. 7. de Gregor. VIII. ex Comitum nobiliſſima familia Rom. agens: [ Ubi ambone conſcenſo orationem habuit || || Etymon Valfridus de exordio rerum Eccl. ſic deducit: [ Ambo ab ambiendo dicitur, quia intrantem ambit. ] Sed multo melius explicatur ab Honuphrio Panvino de Eccl. vocibus verb. *Ambo*, qui deducit hoc nomen a verbo græco ἀμβάνω, ideſt *aſcendo*. FR. Mihi tamen Valaſi opinio magis arridet; nam umbo pars etiam togæ dicitur, ex eo quia ambit, ut oſtendam in dict. *Umbo*: ergo ſicut pars illa veſtis Umbo ab ambiendo denominatur, ita hic etiam erit dicendum. Quod ſi ab aſcendendo deducitur, etymon potius hoc ſcalis pulpiti, quam ipſo pulpito applicari deberet, ſicut gradus a gradiendo. Quare idem eſſet, ac ſi diceremus a verbo *Ambo*, derivari latinum verbum *Ambulo*, quæ verba græce, ac latine motum, & non quietem ſonant; at *Ambo* contrarium ſignificat. Imo Ulpianus per *Ambones* calices intellexerat. Vide Calepinum dict. *Ambones*. Inſuper verbum ἀμβά ω, apud græcos accedere, & ingredere proprie ſignificat, quod barbarice hodie ἔμβω Græci dicunt. Etiam Arabes *Mambar* Cathedram vocant, & in illo Evangelii loco, ubi nos legimus, *Super Cathedram Moyſi ſederunt, &c.* ſuper *Mambar* illi habent, præponendo litteram M, juxta eorum grammaticam, quæ docet in loci, & inſtrumenti ſignificatione, litteram M, præponi M ſicut *Achaat* ſedit; *Machaat*, locum ſedendi dicunt || || [ Ambo (inquit D. Hieron. in theor.) figuram lapidis ſancti monumenti deſignat, quem Angelus cum evolviſſet ex oſtio monumenti, proclamabat reſurrectionem Domini. ] Dicitur *Pulpitum*. Vide *Pulpitor*. Item *Analogium*. Bellarminus lib. 2. de Miſſa c. 16, & Valaf. loco cit. inquit: [ Analogium, quod in eo verbum Dei legatur, & annunciețur, λόγος enim græce verbum, vel ratio dicitur. ] Ac de Diacono Evangelium legente, dicitur: [ Acolytorum officium eſt ante Diaconum ferre cereum accenſum cum ceroferario uſque ad Analogium, & tenere debent, dum legitur Evangelium. Steph. de Sacr. Altar. c. 4. ] Græci tamen recentes ἀναλόγιον, pluteum illud, & repoſitorium, in quo ponitur liber ſuſtentandus, dum legitur (Italice *Legio*) intelligunt. *Pulpitum* item vocat D. Cypr. lib. 2. ep. 5. Et *Tribunal* idem lib. 4. epiſt. 5. Ac *Dicterium* Baſilius Seleuc. Atque *Lectorium*, & *Lampium*, S. Iſid. Tandem *Lectricium* Rupertus. Vide *Lectricium*. Vide etiam *Bema*. FR. Item *Suggeſtus* dicitur. Vide *Suggeſtus*. Inſuper & *Pyrgus*, quia eſt ad modum turris, unde corrupto vocabulo Italice *Pergamo*. In quodam antiquo pulpito Eccleſiæ Metropolit. Ravennæ hæc inſcriptio legitur: [ Servus Chriſti Agnellus Epiſcopus pyrgum fecit, ] ut teſtatur Hieronym. Faber in ſuis Sac. mem. Raven. par. 1. pag. 4. || || At communiter Eccleſiaſtici Scriptores *Lectorium* vocant. FR. In hiſt. Caſin. Leon. Oſtien. lib. 3. c. 20. hæc habentur: [ Sed & gradum, &c. in ammonis modum. ] Legendum *in Ambonis modum*. Reliqua ſynonima. Vide *Bema*. *Pulpitum*. *Thymele* in dict. *Thymelicus*.

* Ambo. Sive *Pulpitum*; locus erat lectoribus & cantoribus clericiſque in *Miſſa Catechumenorum* miniſtrantibus aſſignatus. Nomen habebat, non, uti *VValafridus Strabo* ſibi perſuaſit, ab *ambiendo*, quod, qui in eo ſint, ambiat, ſed ab ἀναβαίνειν, ab *aſcendendo*, quia locus erat editus, ad quem per gradus aſcendebatur. Nomen enim primitivum eſt ἄμβων, quod, quemadmodum obſervat *Habertus*, in antiquis *Græcis* Scriptoribus *Æſchylo* & *Euſtathio* acclivitates & faſtigia montium ſignificat; & hinc factum eſt, ut hunc locum editiorem in Eccleſia denotet. *Sozomenus*, l. 8. c. 5. nomen βήματος ex eadem ratione ei tribuit. Ut autem ab altero *bemate*, quod erat Sanctuarium ſeu Altare diſtinguat, βῆμα γνωςῶν, *bema lectorum* vocat, cum alterum illud *bema* magis proprie Epiſcoporum eſſet ac Preſbyterorum. Apud *Cyprianum*, ep. 33. & 34. *pulpitum* dicitur & *Tribunal* Eccleſiæ, ejuſque uſus ita ab eo explanatur, ut idem ſit, ac menſa lectorum. Hic enim lectores ſtabant legentes Evangelia & Epiſtolas, ut ex iis diſcimus, quæ de *Celerino* & *Aurelio* duobus notiſſimis Confeſſoribus narrat, quos Lectores ordinarat, ut, qui Evangelium *Chriſti* coram tortoribus erant confeſſi, id etiam de *pulpito*, ſeu tribunali Eccleſiæ lectitarent. Hic locus etiam erat Cantorum, ut ex canone Concilii *Laodiceni* patet, c. 15. ubi dicitur, *non oportere præter Canonicos Cantores*, qui ἄμβωνα, *ſuggeſtum aſcendunt, & ex membrana legunt, aliquos alios canere in Eccleſia*. Hic etiam Diptycha legebantur, quemadmodum ex quodam Concilii *Conſtantinopolitani*

ni

*ni* ſub *Menna* habiti loco, *Conc. Conſt. V. act.* 5. apparet, ubi populus exclamabat: τὰ δίπτυχα τῷ ἄμβωνι, *Diptycha amboni imponantur*. Epiſcopos quoque & Presbyteros ex *ambone* ſermones ſuos ad populum habuiſſe certum eſt; ſed proprius eorum concionandi locus, altare ne fuerit, an pulpitum lectorum, incertum. De Altari intelligendum eſſe autumant nonnulli, idque ex Prudentio, *hymn. de Hippolit.* & Sidonio Apollinari, *carm.* 16. *ad Fauſtum*, conjiciunt. Qua in ſententia eſt etiam Sirmondus, *Tom.* 1. *Concil. Gallia*, qui ait, Epiſcopos olim non ex pulpito, ſed in gradibus Altaris concionatos eſſe, & morem hunc *Childeberti* Regis tempore in *Gallia* adhuc viguiſſe. Alii e contra de ſuggeſtu ſeu pulpito Lectorum interpretantur, ut *Sozomenus*, l. 8. c. 5. & *Socrates*, l. 6. c. 5. qui tamquam ſingulare quidpiam in *Chryſoſtomo* notare videntur, quod verba facturus aſcendere in *ambonem* conſueverit; ſed hoc eum feciſſe dicunt, quo facilius ab omnibus audiretur. Non igitur hinc certo concludendum, *ambonem* ordinarium concionandi locum ſemper fuiſſe. Quamquam *Auguſtinus* ſermones ſuos ad populum ex *ambone* videtur habuiſſe, locum enim concionandi quandoque *exedram*, Aug. *de civ. dei* l. 22. c. 8. quandoque *apſidem*, *ep.* 125. vocat. Quæ ideo adnotantur; quia vocabula hæc variam inter Veteres ſignificationem obtinuere, dum modo *ambonem*, forte ab orbiculata ejus figura, modo tranſverſarias alas, & exteriora Eccleſiæ ædificia, denotarunt. Nonnulli *apſidem* pro *ambone* accipiunt in eo Concilii tertii *Carthaginenſis* canone, quo, qui publicum & vulgatiſſimum crimen admiſiſſent, ante *apſidem*, c. 32. pœnitentiam agere jubentur. Sed *Dufreſnius* alio ſenſu id nominis accipit, *Obſerv. in ep.* 12. *Paulini Nolani*, pro veſtibulo nimirum Eccleſiæ.

AMBOLEUM. Vide *Amictus*.

AMBOLOGIUM. Vide *Amictus*.

AMBRO, devorator. [ Quam teres vertigo cœli in modum rotantis fundibuli circumgyrat rudis poſſeſſor lucis ambronibus, & labris lurconibus vetitam deguſtans alimoniam in gaſtrimargiæ voraginem crudeliter cecidiſſet. Aldhel. lib. 3. de Virg. cap. 5. ] Item de noſtro Protoplaſte idem cecinit.

Dum vitium ligni malum decerperat ambro. FR. *Ambrones* Galliæ populi, qui ſubita inundatione maris quum ſedes ſuas amiſiſſent, rapinis ſe alere cœperunt; hos cum Cimbris, Teutoniciſque Marius delevit. Hinc factum eſt, ut rapaces, ac devoratores ambrones dicantur; ita Feſtus, de quibus etiam Livius in Epitom. lib. 68. & Plutar. in vita Marii. Strabo vero, lib. 4. ait Ambrones ad Oſtium Rhodani fluminis extitiſſe, qui a transeuntibus flumen illud, vectigalia exigebant; a Maſſilienſibus victi, ex quibus victores immenſas opes compararunt. Ex hac fortaſſe exigentia, & rapacitate pro devoratoribus uſurpantur. Plinius vero *Ambalatres*, lib. 4. c. 19. illos vocat, & in Aquitaniæ Provincia collocat. Vide *Veratrinus*.

AMBROSIANUM. In Regula Sancti Benedicti ſignificat hymnum *Te Deum*, a Divo Ambroſio in parte compoſitum, ubi loquendo de Matutino dicitur: [ Inde ſequatur Ambroſianum. ] Et clarius in vita Sancti Caroli Comitis [ Hymnum Ambroſianum Te Deum laudamus cum ipſo antiphonatim decantare cœpit. ] De Ambroſiano vero ritu. Vide *Agnus Dei*, *Alba*, *Altare*, *Amen*, *Amictus*, *Baptiſmus*, *Benedictio*, *Breviarium*. Crotala in dict. *Campana*, *Candela*, *Cantharus*, *Cantus*, *Chriſtophoria*, *Cinerum dies*, *Confractorium*, *Continentia*, *Corporale*, *Diaconiſſa*, *Dominica nova*, *Dominus vobiſcum*, *Emboliſmus*, *Epiſtolella*, *Feria*, *Feſtum*. Pſalmellus in dict. *Graduale*. Authentica in dict. *Hebdomada major*, *Hebdomada de excepto*, *Hebdomada*, *Jejunium*. Ingreſſa in dict. *Introitus*, *Kyrie Eleiſon*, *Lectio*, *Litania*, *Lucernarium*, *Miſſa*, *Oblatio*, *Officium Ambroſianum*, *Oleum Sanctum*, *Paraſceve*, *Paſſio*, *Pſallenda*, *Sabbatum*. Sabbatum in traditione Symboli dicebatur Sabbatum ante Dominicam Palmarum, & quare. Vide *Scrutinium*, *Tranſitorium*. Lucernarium in dict. *Veſpera*.

* S. AMBROSIUS. An Auctor ſit Cantici, *Te Deum laudamus*, aliorumque Hymnorum, qui ejus nomine circumferuntur. Canticum *Te Deum Ambroſio* & *Auguſtino* junctim vulgo adſcribitur; ab aliis *Ambroſio* ſoli tribuitur, quia hic hymnos in uſum Eccleſiæ ſcripſiſſe noſcitur. Mabillonius *in analect. Veter. Tom.* 1. & Spondanus *an.* 488. n. 9. multa hac de re erudite & critice ſcripſerunt.

AMBULACRUM, Vide *Embolus*, *Imbolus*, *Lobium*, *Oriolum*.

AMBULATORES, ideſt, Viſitatores. Vide *Periodeuta*.

AMBULATRES. Vide *Ambro*.

AMEN. Hebraica vox, in veritate, ſeu veraciter denotat, qua clauſula in fine precum Sacerdoti populus reſpondebat, in ſignum confirmationis, & comprobationis. [ Ubi ſic ad ſimilitudinem cœleſtis tonitrui Amen reboat. Hieronym. lib. 2. cap. 2. ] Ad clerici reſponſionem in Miſſa, *Sed libera nos a malo*, Celebrans concludit, *Amen*, quod ſignificat incertitudinem in hac vita quam habemus eſſe liberos a peccatis. [ Ideo finit dicendo Amen ad indicium certitudinis: ſed quia quandiu hic ſumus, ad certitudinem non pervenimus; ideo tacite dicitur, & ſubmiſſe a Sacerdote. Bonavent. in c. 11. Lucæ. ] Idemque intelligendum ad confeſſionem ejuſdem, quando Clericus explicit *Miſereatur*, & in fine *Suſcipiat*, Celebrans *Amen* reſpondit. *Amen* reſpondebant in communione fideles ad verba Sacerdotis. Unde Ambroſius inquit: [ Ergo non otioſe cum accipis, tu dicis, Amen, jam in ſpiritu confiteris, quod accipias Corpus Chriſti: dicit tibi Sacerdos, Corpus Chriſti, & tu dicis,

Amen, hoc eſt, verum: quod confitetur lingua, teneat affectus. De Sacrament. lib. 4. c. 4. ] quod eſt in uſu ritus Ambroſiani. Invehitur contra Chriſtianorum plauſum in theatris Tertullianus, inquiens: [ Ex ore, quo Amen in Sanctum protuleris, gladiatori teſtimonium reddere, lib. de ſpectaculis. ] Tam abominabile erat ad ſpectacula intereſſe, ut in aliquibus Eccleſiis, cum ſolitis abrenuntiationibus in baptiſmo faciendis, hæc etiam adderetur: *Et ſpectaculis*. Ita Salvian. de prov. Dei cap. 6. Refert mirabile factum idem Tertullianus de quadam fœmina, quæ dum in ſpectaculo aderat, a Dæmone aggreſſa, & obſeſſa fuerat: & interrogatus in exorciſmo malignus ſpiritus, quare auſus fuiſſet Chriſtianam extorquere? Reſpondit: [ Juſtiſſime feci, in meo enim eam inveni, lib. de ſpectaculis c. 26. ] In die Paſchæ celebrans ſolemniter Papa, ad illa verba ante Dominicalem orationem poſita: *Per omnia ſæcula ſæculorum*, Chorus non debet reſpondere *Amen* juxta ſolitum: [ In hac die poſtquam Papa dicit: Per omnia ſæcula ſæculorum ante Pater noſter, non reſpondetur Amen; ſed Papa continuat, Oremus, præceptis. Cærem. Rom. lib. 2. ſect. 2. c. 1. ] De hac myſtica ſignificatione apud nullum legi; puto tamen hoc in ſignum lætitiæ fieri; nam lego in Innocent. III. illud *Amen* trium planctum mulierum ad monumentum pro Chriſto ſignificare. [ Quod mulieres lamentabantur flentes Dominum. Chorus quaſi lamentando reſpondet Amen, de miſt. Miſſæ, c. 12. ] In Apocalypſi pro ſubſtantivo nomine accipitur, & ſignificat veritatem ipſam eſſentialiter, ideſt, Deum: [ Hæc dicit Amen, c. 3. ] ideſt, ipſamet eſſentialis veritas. Sigibertus Dagoberti Galliæ Regis Filius, dum a S. Amando baptizaretur, ad omnes preces clara voce reſpondebat *Amen*, cum non haberet infans, quam xi. dies ætatis ſuæ; quod prodigium a diverſis etiam Scriptoribus illius ſæculi refertur, & ſignanter a Sigiberto in Chron. ad ann. 633. In deteſtabili Talmud. notantur tres ſpecies vitioſorum *Amen*. Primum, quod appellatur *Amen pupillum*, & eſt quando, ſcilicet, aliquis reſpondet ad orationes, quas non intelligit. Secundum *Amen ſubreptitium*, & eſt quando reſpondetur extra tempus. Tertium *Amen ſectile*, quando, nempe, reſpondetur mente diſtracta, & quaſi diviſa. Ingenioſa eſt conſideratio illa Abbatis Joachimi in c. 1. Apocalyp. ubi ait, quod ſemper Deus in principio periodi incipit cum hac dictione, *Amen*, ut clare in multis Sacræ Scripturæ locis patet; at nos mortales ſemper in fine Amen pronunciamus. Et ratio eſt, quia Auctor veritatis, imo veritas metipſa eſt Deus. Nos vero veritatis pediſequi, & diſcipuli ſumus. Nequeo tandem percipere quonam pacto, aut fundamento, aliqui cæremoniarum Romæ Directores, dum ſolemniter induitur Epiſcopus, ad quamlibet orationem, *Amen*, reſpondere faciant. Hoc enim diametraliter Rubricis Pontificalis, Miſſaliſque opponitur, quæ præſcribunt, nonniſi in ultima oratione eſſe pronuntiandum, & praxis ipſa in Miſſis privatis tam Epiſcoporum, quam aliorum Celebrantium hoc idem docet. FR. in Sacris Scripturis *Amen* aliquando ſignificat, *ſic fiet*. [ Et reſpondit Banajas filius Jojadæ Regis, dicens, Amen, 3. Reg. c. 1. ] Quandoque nominaliter ſumitur. [ Hæc dicit Amen teſtis fidelis. Apocalyp. ] Quandoque verbaliter, ut 3. Reg. ſup. Quandoque adverbialiter pro *vere*, ſicut in Evangeliis: [ Amen amen dico vobis. ] Ita Dionyſ. Carthuſ. in lib. 3. Reg. cap. 1. art. 1. Vide Gloſſ. in can. Hoc quoque, de conſecr. diſt. 1. Vide *Selah*.

* AMENTIA. Qui *amentiam* ſimulabant, ne idolis ſacrificare cogerentur, quo loco habiti. Perſecutionis tempore, quo Gentilium furor in Chriſtianos debacchabatur, eoſque ad aras, ut diis ſacrificarent, per vim trahebat, nonnulli ſuppliciorum metu perterriti, ut & pœnas & ſacrificii ſcelus declinarent, *amentiam* fingebant. Significabant ſiquidem ſe velle & ad aras accedere, & ſacrificia offerre, & abjurationi fidei ſubſcribere. Sed cum ad rem veniendum erat, periculum evadebant, mente captos, & rationis uſu deſtitutos ſe ſimulantes; quo viſo Magiſtratus eos, tamquam ſui impotes, effugere ſinebant: quemadmodum *David* non abſimili artificio *Achiſo* illuſit, cum eum vellet interficere. Hujuſmodi ſimulatio & colluſio ab Eccleſia ſpectabatur ut ſubtilior quædam & artificioſior religionis abnegandæ ratio. Unde per regulas pœnitentiales *Petri Alexandrini*, *can.* 5. tales, etiamſi nec ipſi ſacrificaſſent, nec alios pro ſe ſubmiſiſſent, ſex menſium pœnitentiæ ſubjiciebantur, eo quod religionem ſuam quodammodo abnegaſſent, animique ſui abjectione idololatriam honorare viſi eſſent.

AMENTO, ligare, ſtringere, ſignificat. [ Cui famulatam videns Phariſæorum cupiditatem, amentavit hanc ſententiam. Tertull. lib. 4. adverſ. Marcion. c. 33. Alii tamen melius hoc verbum fulminare intelligunt, quod magis textui conformatur, deſumpta metaphora ex ſagitta, quæ eo violentius paratur ad arcus chordam, quæ *amentum* dicitur, quando ipſamet chorda ad mentum protrahitur. FR. Tertull. phraſi Ciceroniana uſus eſt. Cic. enim de Oratore, [ Amentatas haſtas ab illo accipere, eaſque oratoris viribus, lacertiſque torquere, ] metaphorice dixit, pro argumentis aliunde petitis, quaſi tela, quibus utitur Orator.

AMERCIAMENTUM. Vide *Marciamentum*.

AMICTUS, dicitur etiam *Ambolagium*, *Anabolagium*, *Anagolagium*, & *Humerale*, indumentum ſacrum eſt, a D. Hieronymo *Anaboleum* appellatum. In Theat. rer. Eccl. a græco verbo ἀναβάλλομαι, ideſt, induor. Antiquitus ponebatur ſupra caput, eodem modo, quo a Religioſis hodie obſervatur, perplicando

ſando illum ſuper planetam. [ Caput amictu cooperimus, dum pro ſpe cœleſtium Deo ſervimus. Gem. de ant. rit. miſ. c. 201. ] Quoad ejus ſignificata. [ Amictus eſt primum veſtimentum noſtrum, quo collum undique cingimus, in collo eſt namque vox; ideoque per collum loquendi uſus exprimitur. Per amictum intelligimus cuſtodiam vocis. Amal. de Eccl. off. lib. 2. c. 17. Sacerdos in officio altaris, capitis ſui, ſcilicet, Chriſti, cujus membrum eſt, perſonam gerit, qui amictu caput ſuum obnubit, donec ſuper os caſula illum involvat. Veniens enim ad ſalvationem Mundi Dei filius, Angelus magni conſilii, nube amictus eſt, dum divinitatem ſuam, quæ eſt caput, & principium, in noſtra carne abſcondit. Hoc ergo carnis latibulum prima veſtis Sacerdotis, ideſt, amictus ſignificat. Rap. lib. 1. de divin. offic. c. 10. ] Præterea velum, quo in paſſionis nocte milites Redemptoris faciem velabant, & ſpineam coronam ejus capiti impoſitam deſignat. D. Thom. 3. part. q. 8. art. 5. Maronitæ, Græci, & Ambroſiani ſuper albam induunt amictum, & quamvis hodie Græci amplius non utantur hujuſmodi indumento; ſatis tamen colligitur ex quadam Soletinorum Archidiaconi Epiſtola ad Epiſcopum Molphetæ directa, in qua minutatim Græcorum ſacra veſtimenta refert, & ibi etiam mentionem facit de amictu inter Græcos olim uſitato. Amictus, aliaque ſacra, ſeu benedicta indumenta ad profanum uſum converti nequeunt, ſed ea conſumpta comburantur, ejuſque cineres projiciantur in ſacrario; nec poſſunt pretio commutari, niſi in caſu neceſſitatis, aliis Eccleſiis. Facund. lib. 3. c. 22. & 23. Communior opinio, & magis approbata cenſet peccare mortaliter Sacerdotem, ſi abſque amictu, vel aliquo ſacro indumento celebraret, quamvis aliqui cingulum exceptuent, quod antiquitus in aliquibus Eccleſiis non erat benedictum; ideoque cogente neceſſitate poſſet uti non benedicto; neceſſitas tamen cenſenda eſſet in urgentia præcepti audiendi Sacrum, ſeu Viaticum conferendi, quo caſu ſtola pro manipulo, ſeu hoc pro illa indui diſpenſatur, dummodo tamen non fiat in contemptum. Poſſet etiam Sacerdos, ad evitandam ſibi mortem comminatam, abſque aliquo ex Sacris indumentis, non quidem omnibus, celebrare; ſine omnibus enim id fieri non poſſet, etiamſi periculum vitæ immineret. Facundez l. c. in Romana Eccleſia prius Amictus Levitæ Cardinalis ſtrictior erat, latior vero Cardinalis Presbyteri, ita colligitur ex Davantriæ Cæremoniali m. s. qui vixerat ad ann. 1325.

Amicus. Vide *Spudiaſtes*.

Amiras, vox Arabica *Amir*. Dominatorem ſignificat, & *Amiræus*, ideſt, Prætor. [ In Regno Saracenorum quatuor Prætores ſtatuit, qui Amiræi vocabantur. Sigiber. in Chron. ] Hodie tamen titulus *Amir* pro Duce, & Principe uſurpant Arabes; inde latine *Admiratus*, *Amiratus*, *Admiralius*, & Italice *Amiraglio*. Hiſpanice *Almirante* dicitur, at penes aliquos Scriptores Græcos corrupte *Amirumnis* legitur, quod deberet ſecundum vim arabici vocabuli *Amir-almunim* ſcribi, ideſt, caput, ſeu princeps credentium; Epitheton per multa tempora a Mahometi deſcendentibus, & ſucceſſoribus uſurpatum, qui deinde *Kalipi* cognominati ſunt, ideſt, ejuſdem Vicarii, & hæreditarii ſucceſſores. Vox igitur *Amiralius* Arabico-græca eſt, nempe, *Amir* Arabica, & ἅλιος, maritimus. Inde Admiralium Generalem maris, ac Ducem vocamus. Chronica Caſinen. lib. 3. c. 44. Vide Frecciam de feudis. Vide hic *Cadmus*.

Amma, quamvis græce ἀμὰς dicatur, eſt tamen Orientalium vocabulum *Amme*, quod matrem ſignificat, ſicut Abbas quoque orientalis vox eſt: ita adinſtar nominis Abbatis, *Amma* ſpiritualem matrem apud Eccleſiaſticos Scriptores ſonat. [ Vos eſtis fatuæ; nam hæc & yeſtra, & mea eſt amma. Pelag. lib. 18.

Ammianus Alexandrinus, ex Bajulo fit eximius Philoſophus. Vide *Saccas*.

Ammonites. FR. de quo vocabulo ſæpe in Sac. Scriptura: populus mœroris interpretatur a Div. Gregor. in 1. Reg. cap. 11. expoſit. lib. 5. cap. 1.

Amodo, pro *modo*, *breviter*; de quo ſæpe in Sac. paginis.

Amoeno. FR. oblector, & oblecto, verbum Cypriano, Sidonio, Ennodio, Salviano, & Petro Chryſologo familiare.

Amond. FR. Servus manumiſſus, l. Si quis ſervum, la 1. §. 8. Longob. de manumiſſionib. & in Bullar. Caſin.

Amor Argenti, ideſt, avaritia. Vide *Phylargiria*, & *Phylargirus*.

Amor Proprius. Vide *Philautia*.

Amortizatio, gallicum vocab. *Amortiſſement*, quod translationem bonorum in Eccleſiaſticorum poteſtatem ſignificat. Et Canoniſtæ: *In manus mortuas* dicunt. Vide *Manus mortua*.

Amphibalum, *Amphibolum*, & *Amphimallum*, vox græca ἀπφίμαλλον, tunicam hirſutam, & piloſam ſignificat. [ Nec mora Sanctus paupere non vidente intra amphibalum ſibi tunicam latenter eduxit. Sulp. in vita S. Mart. ] Veſtis proprie erat ex parte interiori, exteriorique hirſuta, ac ex verbis teſtamenti S. Remigii peculiarem Epiſcoporum veſtem colligitur fuiſſe, cujus hæc formalia verba ſunt: [ Futuro Epiſcopo amphibalum album paſchale relinquo. ] Ejuſdem opinionis fuit Marianus Victorius D. Hieronymi Commentator, in epiſt. 28. qui ait Gauſapinam tunicam utrinque villoſam fuiſſe: & confirmatur; nam eadem veſtis habebat caputium. [ Lacrymarum ei gratia in Sacro non deerat officio, ut amphibali ſummitas, quo caput tegebatur, ex profuſione eadem madida videretur. In vita Sancti Bonifacii Epiſc. ] Sed an de amictu loquatur, dubium eſt. FR. *Amphimallum* an ſit idem, ac *Amphiba-*

*phibalum*, pro affirmativa ſententia dici poſſet primo, quod propter affinitatem pronunciationis B. cum M. ex *Amphimallum* corrupte pronuntiatum ſit poſtea *Amphibalum*. Secundo, quia utraque veſtis villoſa erat. Sed clare ex Plinio habemus *Amphimallum*, nempe, ex uno tantum latere villoſum fuiſſe, & quæ ex altero latere erat hirſuta *Heteromallum* dicebatur: at *Gauſapina* tunica a Hieronymo ſupra memorata, ſeu *Gauſapa*, non erat eadem cum *Amphimallo*, ſed quidem ſimilis, quæ Romæ temporibus Plinii patris cœperat introduci, cujus hæc ſunt verba: [ Patris mei memoria cœpere amphimalla noſtra, ſicut etiam villoſa ventralia. Nam tunica lati clavi in modum gauſapæ texi nunc primum incipit, lib. 8. cap. 48. An deinde hæc veſtis ab una ex inſignibus Cretæ Civitatibus, *Amphimalla* appellata; teſte Plin. lib. 4. cap. 12. vel ex græca propoſitione *Amphi*. & *Mallos*, ideſt, utraque lana dicatur, ſpeculatoribus judicandum relinquo. Ulterius etiam clare conſtat *Gauſapas*, ſeu *Gauſapinas* veſtes diverſas fuiſſe. [ Antiquis enim totus e ſtramento erat, qualiter etiam nunc in caſtris cauſapæ. Plin. lib. 8. cap. 48. ] & Martial. lib. 14. epiſt. 29. ea utebatur extra domum, & in theatro Pompeii ob defenſionem aeris; & jocoſe lib. 7. epig. 59. dixerat:

Menſe vel Auguſto ſumere gauſapinas?

Et de *gauſapa villoſa*, vel *mantile*, lib. 14. epigr. 138 Item de *penula gauſapina*, ibidem epigr. 145. Erat. etiam *Gauſape quadratum*, idem ibidem, epigr. 152. Item *Cubicularia gauſapina*, idem ibidem epigr. 147. Et *gauſapatum* gauſapina indutum. Senec. epiſt. 54. [ Mitto me in mari, quomodo pſychrolutrem ) ideſt cum frigida aqua corpus ſuum lavat ) decet gauſapatus. [ Vide hic: *Cocula*, *Endromis*; præterea conſule Bayſium de re veſtiar. ac Ferrarium de re veſt. lib. 2. cap. 14.

AMPHIDROMIUS dies; apud Gentiles qualis erat. Vide *Baptiſmus*, §. ſolebant Gentiles.

AMPHITAPA, *ἀμφιτάπης*. FR. erat etiam veſtis genus, l. veſtis, §. veſtimenta, de aur. & arg. l. Varro tamen in Mario indicat fuiſſe culcitram, dum ait: [ Alterum bene acceptum dormire ſub amphitapa bene molli. ] Et Lucilius, Satyr. 3.

Pſile, atque amphitapæ villis ingentibus molles &c.

In aliquibus pandectis legitur *Amphitapha*, & *Amſitapa*, ſed corrupte, Marcellus ait. Vide de *Gramalla*.

AMPHITHEATRI portæ. Vide *Sanavivaria*.

AMPHITHYRON, januæ velum, Italice *portiera*. Evagrius, lib. 6. cap. 22. ait, Choſroam Gregorio Antiocheno Epiſcopo dediſſe *Amphithyron unicum*; *ἀμφίθυρον* autem proprie locum ambarum portarum ſignificat: erat igitur velum, quod ex utroque latere aperiebatur, ut comprobat Symonetta Græcus Auctor de eodem velo loquens, dum ait: [ Unicum, quod utrinque aperiretur, lib. 5. cap. 14. ] Eodem modo Chryſoſtomus appellavit velum illud, quod trahebatur ante portam Sanctuarii tempore conſecrationis. Vide *Velum*, *Velothyrum*.

AMPULLA, Vide *Urceolus*.

AMULA, Vide *Ama*.

* AMULETA. Ad curandos morbos adhiberi vetita *amuleta*, carmina, & characteres magici. Uſus *amuletorum*, carminum, ac characterum magicorum ad curandos morbos, & pericula tum a ſe ipſis, tum a terræ fructibus avertenda, erat incantationis ſpecies, quam multi rudes ac ſuperſtitioſi Chriſtiani ex Gentilium errorum reliquiis adamabant. *Conſtantinus* enim ſub converſionis ſuæ initia Paganis ad tempus permiſerat, ut non tantum augures ſuos publice conſulerent, ſed ſuffragia etiam, hoc eſt, *amuleta* & carmina magica, tamquam remedia, *Cod. Theodoſ.* l. 9. *tit.* 16. *de malefic. leg.* 3. adhiberent corporibus humanis, nec non avertendis a meſſe & vindemia imbribus ac grandinibus; quemadmodum ex ipſa lege liquido patet, in qua alias magiæ ſpecies morte puniri juſſit. Qua ex indulgentia erga Paganos accidit fortaſſe, ut multi Chriſtianorum, qui maculam aliquam ex Paganiſmo in religionem ſuam invexerant, anſam arriperent opinandi, non adeo malum eſſe iſtiuſmodi uſum, Utcumque autem fuerit, certum & exploratum eſt, multos Chriſtianos in hanc praxim propenſos fuiſſe, & idcirco carminibus magicis & *amuletis* uſos, quæ *περιάμματα* & *φυλακτήρια*, *ligaturas*, & *ſervatoria* vocabant, ſe per illa cuſtodiri a malis & morbos averti exiſtimantes. Iſta phylacteria, uti nominabant, *amuleta* erant ex filis contexta, & verba quædam e Scripturis ſacris, vel alios magicos characteres inſcriptos habentia, quæ ſine ulla naturali virtute remedia adverſus morbos credebantur. Quocirca Eccleſia ſeveras leges edidit ad hanc ſuperſtitionem ex hominum mentibus eliminandam. Concilium *Laodicenum*, *can.* 36. Clericos damnat facientes iſtiuſmodi *amuleta*, quæ ſint potius ipſarum animarum vincula; omneſque, qui eis utantur, ejici ex Eccleſia jubet. *Chryſoſtomus* ſæpe eorum cum quadam indignatione meminit. In illud Pſalmi: *exultabo in ſalutari tuo*; ait, *in Pſ.* 9. *Ita nos quoque quæramus omnino ſervari, omnino a malis liberari, ſed per Deum. Hoc autem dico propter eos, qui in morbis utuntur incantationibus, & alias exquirunt impoſturas, & præſtigias ad ſuam levandam ægritudinem. Hoc enim non eſt ſervari, ſed perire.* Alio in loco, *hom.* 6. *contr. Judæos*, hortans Chriſtianos, ne ad Judæos currant, qui hujuſmodi incantantionibus morbos curare dicantur, in hunc modum loquitur: *Chriſtiani propter hoc vocamur, & ſumus, ut Chriſto pareamus, non ut ad hoſtes curramus, Quod ſi quis prætexat curationes aliquas, dicatque tibi. Pollicentur remedium, & ideo ad illos curro: pate-*

*pateſacito illorum impoſturas, incantationes, amuleta, veneficia. Neque enim alio modo videntur mederi, neque enim vere medentur, abſit. Quin ego quidem illud longe mirabilius dicam, etiamſi vere ſanaret, ſatius tamen eſſet emori, quam ad Chriſti hoſtes accurrere, atque ita ſanari. Quid enim prodeſt curare corpus, anima pereunte? Quid autem lucri, ſi quid ſolatii nanciſcamur, mox conjiciendi in ignem æternum!* Exemplum ibi *Jobi* proponit, & *Lazari*, & viri illius, qui triginta octo annos habens in infirmitate ſua, ſingulis annis cucurrerat ad piſcinam *Bethſaide*, qui nunquam confugerint ad vates, non adierint incautatores, non alligarint *amuleta*: ſed expectarint divinam opem: Et *Lazarum* maluiſſe dicit ſui immori malis, quam quidquam vetitarum artium tentare. Hoc genus quoddam Martyrum, *id. hom. 8. in Coloſſ.* eſſe exiſtimat, ſi quis mori, aut infantem ſuum videre mortuum malit, quam *amuletis* uti. Etſi enim propria manu corpus non ſacrificet, uti *Abraham* filium ſuum, mente tamen ſacrificium Deo offerre eum dicit. *Amuleta*, inquit, *etſi de iis millies philoſophentur, qui ex iis rem faciunt, dicentes, Deum invocamus, & nihil amplius facimus, Chriſtiana & fidelis eſt mulier, & quæ ſunt ejuſmodi, ea res eſt idololatria. Es fidelis? Signa te, dic, hæc arma habeo ſola, hoc medicamentum: aliud autem neſcio. Dic mihi, ſi quis acceſſerit medicus, & medicinæ dimiſſis medicamentis incantet, eum ne dicemus medicum? Nequaquam. Medicinæ enim non videmus medicamenta. Ita nec hic Chriſtianiſmi.* Addit, quaſdam aniculas applicare incantationibus ſuis nomina fluviorum. alias autem cineres, fuliginem, & ſales, & exclamare, oculum rapuiſſe infantem, & ſexcenta iſtiuſmodi ridicula, & pudenda alia, quæ Chriſtianos riſui, & ſubſannationi exponant Gentilium, quorum multi ſapientiores ſint, quam ut iſtiuſmodi impoſturis aurem præbeant. Tandem rem omnem concludens affirmat, quod ſi quiſpiam *amuletum*, vel incantationem, vel iſtius artis aliquid aliud feciſſe fuerit deprehenſus, futurum ſit, ut non pareat: ideſt, quod iſtiuſmodi homo ſeveritati cenſuræ Eccleſiaſticæ ſubjacebit. Alibi, *id. hom. 73. in Matth.* de feminis queritur, quod phylacteria ex Evangeliis faciant, geſtentque collo dependentia. Similes querelæ apud Baſilium, *in pſalm.* 45. & Epiphanium, *hæreſ.* 15. *de Scribis*, occurrunt. Ex quibus videre eſt, ſuperſtitioſam hanc artem, morborum curationes citra medicamentorum uſum quærendi, in multorum Chriſtianorum mentibus altas radices egiſſe. || Eccleſia quidem ſæpius ſine medicamentis morbos curabat; ſed eadem id faciebat ratione, qua dæmones ejiciebat, multaque patrabat miracula in hominum utilitatem per *Chriſti* poteſtatem, ejuſque nominis invocationem, Hoc diſcrimen inter hæreticos erat & Eccleſiam. Hæretici incantationibus plerumque utebantur, ſpeciatim *Baſilidiani*, qui imagines ſuas circumferebant, quibus inſcripta erant nomina *Abraxas*, &c. Eccleſia e contra, inquit *Irenæus* l. 2. c. 57. *non facit aliquid incantationibus, nec reliqua prava curioſitate; ſed munde, & pure, & manifeſte orationes dirigens ad Dominum, qui omnia fecit, & nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti invocans, virtutes ſecundum utilitates hominum, ſed non ad ſeductionem perficit.* Auguſtinus, *tractat. 7. in Jo.* queritur, quod nonnulli ex ſatanæ inſtrumentis, qui haſce artes profiteantur, ipſius *Chriſti* nomen uſurpent, ut eo facilius Chriſtianos decipiant. *Fingunt* inquit, *ſpiritus mali umbras quaſdam honori ſibimetipſis, ut ſic decipiant eos, qui ſequuntur Chriſtum. Uſque adeo, ut illi ipſi, qui ſeducunt per ligaturas, per præcantationes, per machinamenta inimici, miſceant præcantationibus ſuis nomen Chriſti, quia jam non poſſunt ſeducere Chriſtianos, ut dent venenum, addunt mellis aliquantum, ut per id, quod dulce eſt, lateat quod amarum eſt, & bibatur ad perniciem.* De quorum deceptione ſuos admonet, ne quærant alibi *Chriſtum*, quam ubi ſe ipſis voluerit prædicari *Chriſtus*, & ſubjungit: *Non, quando nobis dolet caput, curramus ad præcantatores, ad ſortilegos, & remedia vanitatis. Fratres mei, non vos plangam? Quotidie invenio iſta. Et quid faciam? Nondum perſuadeo Chriſtianis, in Chriſto ſpem eſſe ponendam. Ecce ſi, cui factum eſt remedium, moriatur. Quam multi enim cum remediis mortui ſunt, & quam multi ſine remediis revixerunt. Qua fronte exiit anima ad Deum? Perdidit ſignum Chriſti, accepit ſignum diaboli.* Alio in loco, *Aug. ſerm.* 215. *de tempore*, hæc habet: *Quoties aliqua infirmitas ſupervenerit, Corpus & Sanguinem Chriſti iſte, qui ægrotat, accipiat, & inde corpuſculum ſuum ungat, ut illud, quod ſcriptum eſt, impleatur in eo: infirmatur aliquis, inducat Presbyteros, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & allevabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Videte fratres, quia qui in infirmitate ad Eccleſiam cucurrerit, & corporis ſanitatem recipere, & peccatorum indulgentiam merebitur obtinere. Cum ergo duplicia bona poſſint in Eccleſia inveniri, quare per præcantatores, per fontes, & arbores, & diabolica phylacteria, per characteres, & aruſpices, & divinos, vel ſortilegos multiplicia ſibi mala miſeri homines conantur inferre?* Multas alias iſtiuſmodi ſuperſtitiones memorat, quæ ex Paganiſmo remanſerant, qualis erat turpiſſima conſuetudo, de hinnicula vel cervula obſervata; mos exclamandi, cum luna obſcuraretur, quo a maleficiis ſeſe defenſare poſſe credebant; obſervatio feriæ quintæ in honorem *Jovis*; de quibus omnibus, *ibid.* concludit: *Quoſcumque tales eſſe cognoveritis, duriſſime caſtigate.*

*te. Et ſi ſe emendare noluerint, nec ad colloquium nec ad convivium veſtrum eos venire permittite*. Sunt qui hanc homiliam potius *Caſarii* Eccleſiæ *Arelatenſis* Epiſcopi eſſe exiſtimant. Quod ſi ita eſt, dicendum erit, crimen hoc apud nonnullos in *Gallia* tunc temporis obtinuiſſe, uti ſequioribus ſeculis revera obtinuit. In Capitulis enim *Caroli* Magni *Capit. Aquiſgran.* l. 1. c. 64. legitur: *Calculatores, incantatores, tempeſtarii, vel obligatores* (hoc eſt, phylacteria facientes collo circumliganda) *ubicumque ſint, vel emendentur, vel damnnetur*, Hoſce etiam notat, & damnat Concilium *Romanum, can.* 12. ſub *Gregorio* ſecundo an. DCCXXI. *Si quis*, inquiens, *hariolos, haruſpices, vel incantatores obſervaverit, aut phylacteriis uſus fuerit, anathema ſit*. Et in Concilio *Trullano, can.* 61. ſimile decretum legitur: *Qui vatibus ſe ipſos tradiderunt, vel qui hecatontarchæ vel centuriones dicuntur, vel aliis ejuſmodi, ut ab iis diſcant, ſi quid ſibi revelari velint; convenienter iis, quæ de ipſis a Patribus conſtituta ſunt, ſexennii canoni ſubjiciantur*. Eamdem pœnam diverſis aliis ſuperſtitionis adjutoribus infligi jubet idem Concilium; ſubjungit enim: *Ipſi*, ibid. *eos quoque ſubjici oportet, qui urſos vel ejuſmodi animalia ad ludum, & ſimplicium noxam circumferunt, & fortunam, ac fatum, & genealogiam, & quorumdam ejuſmodi verborum multitudinem ex fallaciæ, impoſturæque nugis proferunt: eoſque, qui nubium expulſores, & incantatores, & amuletorum præbitores, & vates appellantur. Eos autem, qui in iis perſiſtunt, & non ab ejuſmodi pernicioſis gentilibuſque ſtudiis avertuntur, & aufugiunt, Eccleſia omnino exturbandos decernimus, ſicut & ſacri canones dicunt: Quæ enim eſt luci cum tenebris communicatio?* (*ut ait Apoſtolus*) *Vel quæ templo Dei cum idolis conſenſio? Vel quæ fideli cum infideli pars eſt? Quæ autem Chriſti eſt cum Belial concordia ac conventio?* Ex his manifeſtum eſt, fuiſſe adhuc reliquias quaſdam gentilis ſuperſtitionis, & idololatriæ inter Chriſtianos, in uſu phylacteriorum, & divinationis, aliarumque iſtiuſmodi obſervationum. Difficile autem ad hariolandum eſt, quinam intelligendi ſint per ἑκατοντάρχας, ſive *centuriones*, qui vatibus hic junguntur, & vetantur conſuli. Extat in Codice *Theodoſiano*, l. 16. *tit.* 10. *de paganis leg.* 20. quædam lex *Honorii*, quæ huic canoni nonnihil lucis poteſt affundere. Ex hujus enim legis verbis colligere licet, Chiliarchas, & Centenarios millenis, & centenis plebis ita diſtributis præfuiſſe, ad inſtruendam ſcilicet pompam gentilitiam: utpote junctos *Fredianis*, & *Dendrophoris*, qui deorum imagines humeris ſuis portabant in pompis. Præerant hi certis corporibus ſive ſocietatibus; & alia in lege, *Id.* l. 14. *tit.* 7. *de collegiatis leg.* 2. appellantur *Collegiati* & *Vituriarii* (ſive *Didumarii*) hoc eſt, Officiales *Apollinis Didumæi*; & *Nemeſiaci*, ideſt, Officiales Deæ *Nemeſis* (quæ & bona fortuna, & fatorum diſpenſatrix appellabatur); & *Signiferi*, & *Cantabrarii*, & *Corporati*, qui ſingularum urbium ſigna, in eiſque deorum imagines ferebant in pompis, feſtis, & ludicris gentilitiis; Et hi, ut refert *Commodianus, inſtruct.* poſtea chriſtianus, divinos ſe, & prophetas agebant, fataque hominum explicabant. Alios etiam in hæc collegia cooptabant, tamquam principes in hiſce pompis, qui *Chiliarchæ*, & *Hecatontarchæ* vocitati. Quæ omnia cum canone *Trullano* congruunt, qui hecatontarchas vatibus jungit, eoſque traducit ut fatorum expoſitores, de fortuna, fato & genealogia multa loquentes ad decipiendam multitudinem. Qui urſos, & alia animalia circumferebant, ex *Balzamonis* ſententia, *in can.* 61. *Conc. Trull.* impoſtores erant, qui in capite, & totius animalis corpore tincturas appendentes, & pilos ex ipſo tondentes, eos una cum tincturis diſtribuebant, tamquam remedia & *amuleta*, quæ in morbis, & faſcinantibus oculis aliquid conferre poſſent. Concilium itaque omne hoc incantamentorum, *amuletorum*que genus prohibet & damnat, tamquam gentilitiæ ſuperſtitionis reliquias, quæ apud rudiores & abjectiores Chriſtianos adhuc obtinebant. Vide *Periapta*.

AMUSTHIA, quædam textura, Italice *Saja* appellata, lana, linoque contexta; vox gallica *Amoitte*, ex qua pro Monialibus infirmis conficiebantur induſia. [Non obſtante, quod propter infectionem ægritudinis totus panus involvens ſuum corpus, & tunicæ, & amuſthiæ. In vita B. Coletæ.

ANABASIS. Vide *Cerealis*.

ANABATHRA. Thronus, ubi Imperator Conſtantinop. ſedebat, græca vox Ἀνάβαθρα, quæ ſignifiat Aſcenſorium. [Rurſumque ad anabathram veniens, ſedet Imperator. Codin. de offic. aul. Conſtantinop.

ANABATISTÆ, ſeu *Anabaptiſmi*. FR. Hæretici, qui nonniſi adultis Baptiſmi Sacramentum conferunt; neceſſarium enim exiſtimant, baptizandum proprio ore fidem confiteri debere. Hunc tamen errorem, qui Eunomianorum, & Donatiniſtarum quoque erat, jam Africanum Concilium damnaverat. Primus hujus hæreſiæ Auctor Hilarius Diaconus fuit. Hi in dubium revocant hiſtoriam, & Magorum adorationem. Vide Baron. ad ann. 362. num. 24. Vide *Anomiani*.

ANACARA, Italice *Naccara*, crepitaculi, ſeu tympani genus, quod ex una tantum parte eſt pelle coopertum, ex alia vero in convexitatem deſinit, inſervitque equitatui militiæ, ac præcipue Orientalibus, & Theutonicis. [Tympanis, anacaris, & aliis ſimilibus inſtrumentis horribiliter reſonabant. In vita Ludov.] FR. Alii *Anacana* dixere: hodie *Maccaris* appellari ait Meurſius, fortaſse non ipſius, ſed typographi error eſt, cum debuerit N, pro

pro M, interpungere. Curopalata refert, quod ante prandium per Civitatem progrediebatur Græcus Imperator cum tubis, & anacaris, ut populus ad recurſum commoneretur, ſed hæc ſigna in poſtmeridiano egreſſu non dabantur. [ Ne ( ut inquit idem Auctor) quis ebrius incompoſite, & temere ad Imperarorem accederet, cap. 5. ]

Anachoresis, Ἀναχώρησις, ſeceſſus, dilatio, & ab aliis ſeparatio. [ Alii anachoreſim neceſſariam, ideſt, remotionem, & Eremi ſecreta cenſuerunt, Caſſian. coll. 2. cap. 2. ] At ſi aliquis objiciat aliquem ex Patribus poſt peractam pœnitentiam, & longam anachoreſim, propter religionem ſuam raptum fuiſſe ad Epiſcopatum. Fulbert. Carnoten. epiſt. 61.

Anachoreta. Ἀναχωρέτης, qui in anachoretæ ſtatu degit. Differt autem ab Eremita; nam, ut ait Iſidorus, [ Genus eſt Eremitarum, qui procul ab hominibus recedentes, deſerta loca, & vaſtas ſolitudines ſequi, atque habitare perhibentur, ad imitationem, ſcilicet, Eliæ, & Jo: Baptiſtæ. Genus eſt Anachoretarum, qui jam cœnobiali converſatione perfecti, includunt ſemetipſos in cellis, procul ab hominum conſpectu remotis, nulli præbentes acceſſum, ſed in ſola contemplatione divina viventes, lib. 1. de Eccleſ. off. cap. 15. ] Maronitæ Arabico vocabulo *Hhabis* anachoretam, ideſt, carceratum dicunt; nam Arabice carcer, *Hhabs* vocatur. FR. de Monachis Anachoretis egit Baronius, an. 328. num. 26.

* Anachoretæ; Certum Monachorum genus. Primum genus Monachorum, *Anachoretarum* nomine illuſtre fuit, eo quod hominum ſocietatem fugientes, privatis in cellulis in ſolitudine viverent. Tales fuere *Paullus*, *Antonius*, *Hilarion*, primi vitæ monaſticæ in *Egypto*, & *Paleſtina* conſtitutores, quorum deinde ceteri Monachi exemplum imitati. Horum nonnulli in cavernis, ἐν σπηλαίοις, victitabant, uti, *Chryſoſtomo* perhibente, *hom. 17. ad pop. Antioch.* Monachi montis *Caſii* prope *Antiochiam*; alii in parvis tentoriis, ſive cellulis, quas *Evagrius* l. 1. c. 21. οἰκίσκους, & *Chryſoſtomus* σκηνὰς nuncupat. Si horum plures in eadem ſolitudine, alii ab aliis paulum disjuncti, viverent, omnes communi nomine *Laura* dicebantur, quæ *Evagrio*, *ibid.* auctore a *Cœnobio* hac in re diſcrepabat, ut *Laura* multas complecteretur cellulas, alias ab aliis diviſas, ubi ſinguli Monachi ſibi quiſque proſpiciebant, *Cœnobium* autem unum tantum eſſet habitaculum, ubi Monachi in ſocietate viventes omnia habebant communia. *Epiphanius* ( *hæreſ.* 69. n. 1. ) *Lauram* dicit fuiſſe nomen Plateæ, ſive vici *Alexandriæ*, ubi Eccleſia quædam conſtituta fuerit; & probabile omnino eſt, nomen inde ſumptum eſſe ad ſignificandam cellularum in ſolitudine quamdam multitudinem, quæ quaſi certo quodam diſtrictu conjunctæ, ita tamen diviſæ erant, ut multa ſeparata domicilia efficerent: cum contra Cœnobium ſingulari cuidam domui, multos ſimul Monachos continenti eſſet ſimilius.

* 'ANA'KTOPA. Palatia, & Aulæ *Romanæ*, in Eccleſias Chriſtianas converſæ. Eccleſiæ dicuntur *Baſilicæ*, quod idem eſt ac, *Magni Regis Palatia*. Nomen hoc frequenter occurrit apud Ambroſium, *ep. 33. ad Marcellinam de tradendis baſilicis*, Auguſtinum, *de diverſ. ſerm.* 12. Hieronymum, *ep. 7. ad Lætam*, Sidonium Apollinarem, l. 5. *ep.* 17. alioſque ſeculi quarti, & quinti Scriptores, ante quod tempus vix in ullo Chriſtiano ſcriptore illud invenias. Antiquitus enim apud Romanos *Baſilicæ* appellabantur ædes publicæ, porticibus & ambulationibus magnifice extructæ, ubi Principes, & Magiſtratus cauſas audiebant & decidebant; aliaque publici uſus ædificia, velut Curia, & publicæ mercatorum tabernæ. *Conſtantino* autem Imperatore Chriſtianam Religionem amplexo, multæ earum Eccleſiæ fuerunt conceſſæ, in aliumque uſum, ad Chriſtianorum videlicet conventus inibi agendos, adhibitæ; uti ex loco *Auſonii* liquet, *grat. act. o pro Conſulatu*, quando in gratiarum actione ad *Gratianum* Imperatorem pro ſuo Conſulatu, ait: *Baſilica olim negotiis plena, nunc votis pro tua ſalute ſuſceptis*. Quibus verbis profecto ſignificare voluit, palatia, & aulas Romanas in chriſtianas Eccleſias eſſe converſas. Et hinc, credibile eſt, nomen *Baſilicæ* generale aliquod eccleſiarum nomen poſterioribus temporibus factum; tametſi Durantus, *de rit. Eccleſ.* l. 1. c. 1. n. 9. & Cardinalis Bona, *rer. liturg.* l. 1. c. 19. 4. alias hujus appellationis cauſas afferant, nimirum, quia ibi Regi omnium Deo cultus & ſacrificia offerantur; vel quia tantum ampliores & anguſtiores Eccleſiæ hoc nomine inſigniuntur.

Anadema. FR. Ἀνάδημα, Faſcia, ſeu corona, Lexicon Scapulæ: ab ἀναδέω, corono, cingo, circumligo, exorno. Idem ſic ait Διαβδέω, corono, cingo, circumligo; unde *Diadema* dicimus. In verbo διαδέω. [ Quemadmodum cum qui in cavea multa vulnera accepit, ac ſanguine conſperſus eſt, poſt anademate capiti addito. Chryſ. hom. 2. ] Vide *Diadema*.

Anaglypha, ἀνάγλυφα, ſuperſculpta, ſeu vaſa cum ſculptura parum relevata, quod ſculpturæ genus ab Italis *di baſſo rilievo* dicitur. [ Anaglypha græce, latine cælaturæ: cælata autem ſunt vaſa aurea, vel argentea, ſignis eminentioribus extra, intuſque expreſſa. [ Hæc alio nomine ſculpa vocantur anaglypha vaſa dicta. Eucher. lib. 3. Reg. cap. 17. ] Ac alibi. [ Ut emeres ſpeciem argenti anaglyphi. Anaſt. Biblioth. in vita S. Jo: Alexandr. cap. 27. ] Ambroſius uſurarios, qui ad eorum capitale, lucrum ſuperaddunt. [ Anaglyphos uſurarum, lib. de Tob. cap. 13. ] vocavit. FR. quare vocabularii Eccleſiaſtici Auctor aberrat, dum exiſtimat tali vocabulo ſculptorem nominari, cujus error clare ex

eadem Sac. Scriptura convincitur, ubi habetur: [ Et in ingreſſu Oraculi fecit oſtia, &c. Et anaglypha valde prominentia, 3. Reg. cap. 6. ] || || componitur hoc nomen ab ἀνὰ, *ſuper*, & γλύφω, *cœlo*, *ſculpo*.

ANAGLYPHITICUM. FR. cælaturæ opus. Sidon. lib. 9. ep. 13.

Geruli caput plicantes
Anaglyphitico metallo,
Epulas ſuperbiores
Humeris fuerant onuſtis.

ANAGNOSTES, Α'ναγνώςης, Lector; unus ex quatuor minoribus Ordinibus? At cum de hoc ſolo Ordine minori in Euchologio expreſse habeatur, aliqui proinde dubitarunt, an Oſtiariatus, Exorcizatus, Acolythatuſque ordines fuerint apud Græcos; non enim hodie hos tres ordines conferunt explicite. At non eſt dubium in cana Græcorum Eccleſia prædictos fuiſſe. Nam de Oſtiario ſic loquitur Sanctus Dionyſius: [ Miniſtrorum hi quidem ad januas templi clauſas conſiſtunt, alii vero aliud quid proprii muneris exequuntur, de Eccleſ. Hierar. cap. 3. ] De Exorciſtis Div. Ignatius Martyr: [ Saluto Lectores, Cantores, Oſtiarios, Exorciſtas. Epiſt. ad Antiochenos. ] De eiſdem Laodicen. Concilium; [ Non debere exorcizandi munus aſſumere ab Epiſcopis non provectos, can. 26. ] Imo Recentiores Græci ſub *Deputati*, ſeu *Ceroferarii* nomine Acolytum intelligunt. Ulterius tamquam obſoletum eſſe inter Græcos Acolyti officium admiratur Symon Theſſalonicenſis, inquiens: [ Sunt & alia Deputati, & Ceroferarii officia, quæ ante ordinationem Lectoris celebrantur, quæ ſane, neſcio, cur non exercentur. In Eccleſia vero Theſſalonicenſium paulo ante in uſu erant, & in antiquis Ritualium exemplaribus ſcripta reperiebantur. ] Romæ in Eccleſia Sancti Athanaſii Græcorum Collegii expertus ſum hæc antiqua ritualia in praxi ab Epiſcopis illius ritus obſervari, ac eoſdem Epiſcopos egomet vidi acolythi ordinem a Subdiaconatu ſeparatim conferre. Apud Ethnicos Scriptores reperitur hoc vocabulum *Anagnoſti*, Lectorem menſæ denotantem. [ Nemo in convivio ejus aliud acroama audivit, quam anagnoſtem. Cic. ad Att. ep. 16. ] FR. de numero Anagnoſtarum fuiſſe Julianum Apoſtatam teſtatur Theodoretus lib. 3. Vide *Lector*. Item Lectura, confabulatio, ſeu recitatio, *Anagnoſma* dicebatur.

ANAGNOSTICUM, ἀναγνωςικὸν, Scriptura, Epiſtola, lectura, vel lectio. [ Item in Anagnoſtico ante longum tempus, dulciſſima mihi veſtra Excellentia, Neapolitano quodam juvene veniente, mandare curaverat. D. Gregor. in Regiſt. lib. 7. cap. 126.

ANAGOGIA, ἀναγωγία, derivatur a verbo ἀνάγω, ideſt, ſurſum duco, itaque *Anagogia* latine ſonat ſurſum ductio, Rhetoricorum figura eſt, quando, ſcilicet, præter dictionis ſignificatum apparentem, aliud quid ſignificat. Ut, exempli gratia, *Jeruſalem* non ſolum quidem illam terrenam Civitatem; ſed etiam cœleſtem in Scripturis Sacris intelligimus, qui ſenſus *Anagogicus* dicitur. Senſus igitur Scripturæ quadrupliciter aſſignari ſolet, nempe, *Litteralis*, *Allegoricus*, *Tropologicus*, & *Anagogicus*, qui a Lyrano hoc diſticho comprehenduntur.

Littera geſta docet: quid credas Allegoria,
Moralis quid agas, quid ſperes Anagogia.

Itaque illud nomen *Jeruſalem* ſecundum litteralem ſenſum Judææ Civitatem; ſecundum *Allegoriam* Eccleſiam; ſecundum *Tropologiam*, ideſt, moralitatem, fidelem animam denotat; tandem ſecundum *Anagogiam*, mens noſtra ſublevatur ad cœleſtem patriam contemplandam. In epiſt. ad Galatas cap. 4. omnes quatuor hos ſenſus Doctor Gentium eleganter inſinuavit, ſic inquiens: [ Abraham duos filios habuit unum de ancilla, & unum de libera: ] En ſenſum *Litteralem*, ubi nudam hiſtoriam exponit. [ Hæc duo teſtamenta, ] Vide *Allegoricum*, dum in duobus Abrahami filiis, utrumque teſtamentum alluſive demonſtrat, [ Sed quomodo tunc is, qui ſecundum ſpiritum, ita & nunc. ] Vide *Tropologicum* ſenſum, cum per hos ambos liberos colluctationem ſpiritus, & carnis ſubaudiat: [ Illa autem, quæ ſurſum eſt Jeruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra. ] En tandem *Anagogicum*. De his figuris vide ſparſim hic in ſuis locis.

ANAGOLAGIUM. Vide *Amictus*.

ANALECTA. FR. aliquando librum Collectaneorum ſignificat, Lexicon Græco-latinum Budæi Tuſani, & Conſtantini excuſum a Joanne Criſpino 1562.

ANALICIUS, mucro; de quo vide apud Matthæum Pariſium.

ANALOGIUM. Vide *Ambo*.

ANALPHABETUS. FR. Illiteratus; epithetum Juſtiniano Imperatori attributum, ac ſi neque alphabetum didiciſſet. Ex Suida Baronius ad ann. 529. n. 2. Vide *Bulla*.

ANANEHEL. FR. de quo in Sac. Scrip. Gratia Dei interpretatur a D. Gregorio lib. 25. moral. c. 8. in cap. 34. Job.

ANAPHORA, Α'ναφορὰ. Elevatio; a diverſis SS. PP. pro Sacrificio Miſſæ accipitur, & ſignanter a D. Baſilio, In hoc enim Sacrificio ad elevandam mentem admonemur per illa verba *Surſum corda*. Anaſt. Sinaita in orat. de Synaxi. Deinde quia ad thronum divinæ miſericordiæ hæc oblatio ſublimatur; & quia tandem in Miſſa elevatur Salvatoris noſtri corpus, & ſanguis. De qua cæremonia ab Hæreticis irridemur, & tamen hæc actio prædicta fuit a Pſalmiſta. [ Erit firmamentum in terra in ſummis montium. Pſal. 71. ] Quod a Rabbinis Sacrificium Miſſæ intelligitur. Legunt enim ex Hebræo. [ Erit placenta in capita Sacerdotum. ] Inſuper ſi cum aliis intelligimus dictum vocabulum ſignificare *auxilium*, ſeu *ſubſidium*, nulla certe pro vivis, ac defun-

deſunctis poſſemus experiri majora auxilia, & ſubſidia quam per Miſſæ Sacrificium. FR. *Anaphora* rigoroſe oblationem ſignificat. [ Porro in præfatis ſanctis Eccleſiis cum ipſa ſancta patina ſane tam anaphoram, ideſt, oblationem exaltant. Humbertus Cardinalis in Appendice tom. XI. Baronii.

ANARCHOS: Ἄναρχος ſine principio. [ Dedit etiam creaturæ infirmitatem, ne anarchon, ne increatum, & divinæ conſortem ſubſtantiæ crederemus, S. Ambroſ. lib. 1. Hexam. cap. 3.

ANARGYRI, ἀνάργυροι, Abſque argento, a Græcis ita appellati ſunt Sancti Coſma & Damianus, quia abſque argento, ac ulla mercede, ſed ſola charitate moti, medebant infirmos; quin & alii Sancti Medici, cum hoc titulo encomiati in S. Chryſoſtomi Liturgia commemorantur.

ANASTASISMUS, ἀναςασισμὸς, dies reſurrectionis. Vide *Dominica*.

ANASTASIS, ἀνάςασις, Reſurrectio. [ Anaſtaſis Dominica chirographatur: ] Scripſit Adelmus, de reſurrectione Domini loquens. FR. Baronius ad ann. 159. ait, quod S. Pius Papa I. decreverat celebrari Paſcha die Dominico, quod fecerat ad corrigendas aliquas Eccleſias, quæ judaizabant, ut ex Euſebio in Chronicon colligit: ſed quia Auctor hic a Gelaſio inter apocriphos reputatur, ſuſpecta erit ejus atteſtatio, & eo magis, quia idem Pius in can. noſſe. de conſecrat. dict. 3. affirmat non fuiſſe inſtitutorem hujus ſolemnitatis in die Dominico, nam ait ibi? [ Omnes eadem ſervare debere, quia & nos ſervamus, nec debetis a capite quoquomodo diſcedere. ] Ex quo confirmatur, ante Pium Romæ ſemper die Dominico Paſcha obſervari ſolitum fuiſſe. Ad dubium vero Baronii de miraculo Hermetis Pii fratris, quod, ſcilicet, Angelus eidem Hermeti apparuerat, ac inſtruxerat, ut die Dominico Paſcha celebrari debuiſſet, de quo idem Cardinalis videtur dubitare, nam Paſcha die Dominico ante Pium, tempore, ſcilicet, Clementis celebrabatur. Reſpondetur, quod Pius in d. can. non narrat hanc viſionem in ejus Pontificatu Hermeti accidiſſe, ſed tempore tranſacto, inquiens: [ Iſtis enim temporibus Hermes Doctor fidei, & Scripturæ effulſit inter nos. ] Atque Clemens vixerat in Pontificatu uſque ad an. 102. Pius vero Eccleſiam rexerat ab anno 158. itaque anni 56. intercellerant, quare non eſt mirum, ſi Pius fratris ejus miraculum narret, quod fortaſſe tempore Clementis acciderat. Ratio ergo decreti a Pio promulgati non propter judaizantes fuit, ſed propter eos, qui in feria V. Cœnæ Domini Paſcha celebrare ſolebant, ita Gloſſa in d. can. noſſe. Vide hic *Hermes*, ubi dubitatur, an fuerit Pii frater, & & ad confirmationem ſupradictorum, Vide *Dominica nova*.

ANASTASIUS. FR. filium reſurrectionis ſignificat. Petr. Damian. Serm. de S. Anaſt. Monacho & Mart.

ANASTROPHON, ἀναςροφὴ, inverſio, revolutio, & ſignificat proprie periodi tranſlationem; quando ultimo loco dicitur id, quod deberetur in principio pronunciari; [ Ut anaſtrophon locorum cauſa ſequentium factum. In vita S. Deicol. Abb.

ANATHEMA, Oblatio Diis facta, quæ ſuſpendebatur in Templo, vox græca, ἀνάθημα. [ Anathema id dicitur, quod Deo eſt dicatum, atque deſtinatum, & in communem uſum amplius non convertitur. Juſt. Martyr. ad qu. 121. ] In hoc ſenſu legitur Judith ſpolia Holofernis dedicaſſe. [ Porro Judith univerſa vaſa bellica Holofernis, quæ dedit illi populus, & conopæum, quod ipſa ſuſtulerat de cubili ipſius, obtulit in anathema oblivionis. c. 16. ] FR. S. Jo. Chryſoſt. hom. 16. in epiſt. ad Rom. & S. Andreas Cæſareæ Cappadociæ Epiſc. in cap. 21. Apocalypſis, docent nomen *Anathematis* intelligi in bonum, & malum ſenſum, ut dicemus in dict. *Devotamentum*. Divus autem Gregorius lib. 21. moral. c. 4. in c. 31. Job inquit, quod *Anathema* ſit idem ac alienatio. Nicæta lib. 20. fragment. Theſauri Orthodoxi, *Anathematiſmum* vocat abjurationem illam Hebræorum, quæ ab eis *Chorma* dicitur: [ Et percuſſerunt ſimul Chananæum, qui habitabat in Sephat, & interfecit eum, vocatumque eſt nomen Urbis Chorma, ideſt, Anathema. Judic. 1. ] Conſule Abulenſem in lib. 1. Reg. & in Numer. cap. 1. ||: Itaque ex eo quia nefas erat oblationem illam tangere, ſeu in aliud uſurpari; inde excommunicatus *Anathema* dictus fuit, cum ſit a fidelibus evitandus, & abominandus; ſeu ſicut oblationes illæ ſuſpendebantur in Templo, ita pariter, qui vitandi erant, eorum nomina in tabella ſcripta erant ad Eccleſiæ columnas, ſeu ad alia publica loca ſuſpenſa. Alii tamen melius hanc vocem deducunt a dictione græca ἀνάθεμα per ε, ſcripta, quæ abominabilem, execrandumque ſignificat, in quo ſenſu ſunt Apoſtoli verba: [ Cupio Anathema eſſe pro fratribus meis ] FR. Gloſſ. in extrav. de ſent. excom. c. 1. ait ab *Ana*, & *Thema* eſſe dictionem hanc compoſitam. *Anathema* eſt major excommunicatio. Can. Engeltrudam. 3. quæſt. 4. & ibi Gloſſa, & can. Nemo Epiſcoporum. 11. quæſt. 3. [ Cum Portuenſis Epiſcopus ſub excommunicatione hoc prohibuerit, & alter ſub pœna anathematis idem decreverit obſervandum. tit. de locat. & conducto. cap. 1. Anathema nihil aliud ſignificat, quam a Deo ſeparationem. can. certum eſt. 24. qu. 3. ] *Anathema*, & *Cathema*, idem eſt. Vide *Catathema*. *Marantha*.

* ANATHEMATA. Ornamenta Eccleſiarum. Etſi vox hæc *anathema* ut plurimum homines per excommunicationem a cœtu fidelium ſeparatos & ſegregatos ſignificet, interdum tamen denotat res etiam Deo datas, ejuſque honori ac cultui dicatas. Quo ſenſu omnia vaſa ſacra, & inſtrumenta Eccleſiæ, & omnia donaria atque ornamenta, ad illam pertinentia,

tia, appellantur *anathemata*, quod a communi uſu ſegregata, & divino cultui conſecrata erant. Nonnulli e *Græcis* Scriptoribus diſtinguunt inter ἀνάθηματα, & ἀνάθέματα, quemadmodum apud Chryſoſtomum, *hom.* 16. *in Rom.* Heſychium, *Lexic.* Zonaram, *in can.* 3. *Concil. in templo Sophiæ*, & Balſamonem, *ad eund. can.* videre eſt, qui, illud ornamenta Eccleſiæ, ſeu res Deo devotas; hoc autem res execrandas & deteſtabiles, exitioque deſtinatas denotare exiſtimant. Alii vero non ita accurate hanc diſtinctionem obſervant, ſed vocabulo ad utrumque, res videlicet Deo dicatas, & res exitio deſtinatas, ſignificandum, promiſcue utuntur: Quemadmodum ex Theodoreto, *in cap.* 13. *Iſaiæ*, Cyrillo Alexandrino, l. 5. *de adorat.* Juſtino Martyre, *reſp.* 121. *ad orthodoxos*, aliiſque Scriptoribus demonſtrant. Hic vero utrumque vocabulum pro donariis & ornamentis templorum uſurpatur. Quo ſenſu ἀναθήματα *Luc.* 21. 5. *donaria & ornamenta* dicuntur. Atque ita *Euſebius*, hemiſphærium eccleſiæ *Hieroſolymitanæ*, & duodecim, quæ illud cingebant, columnas deſcribens, dicit, columnarum capita maximis crateribus argenteis fuiſſe ornata, quos Imperator tamquam ἀνάθημα κάλλιςον, *pulcherrimum donarium*, Deo ſuo, *Euſeb. vit. Conſtant.* l. 3. c. 38. dicaverit. Et paulo poſt iterum ait, *ibid.* cap. 40. dici non poſſe, quot quantiſque ornamentis ac donariis (ἀναθημάτων) partim ex auro & argento, partim ex gemmis templum illud diverſimode honeſtaverit. Atque ita cuncta pretioſa vaſa, ac inſtrumenta altaris, pretioſa veſtis, quam induebat Epiſcopus, baptiſmi miniſterium peracturus, quæ aureis filis contexta, & uti *Theodoretus* l. 2. c. 27. ac *Sozomenus* l. 4. c. 25. fidem faciunt, de donariis a *Conſtantino* Eccleſiæ *Hieroſolymorum* dono datis erat; hæc inquam, & omnia reliqua hujus generis ornamenta Eccleſiæ, & quidquid ad magnificentiam & ſplendorem fabricæ ipſius faciebat, inter *anathemata* Eccleſiæ numerabantur. Sed ſenſu ſtrictiore *anathemata* ſpeciatim ea donaria denotant, quæ a columnis pendebant, omnium oculis expoſita, tamquam magnæ alicujus gratiæ, quam quis a Deo conſecutus fuerat, monimenta. Ad quam rem alludens *Socrates* l. 4. c. 24. vocabulum *anathematis* pro ſententia contra impie loquentes adhiberi putat, quod hominis cujuſdam condemnatio, velut in columna publice propoſita, omnium oculis ac notitiæ ſubjiciatur. *Hieronymus* etiam conſuetudinem hanc præ oculis habet, quando, *ep.* 27. *ad Euſtoch. in epitaph. Paulæ*, de hominum donis, quæ funalibus, hoc eſt, funibus aureis pendeant, vel aureis candelabris ſive lampadibus impoſita ſint (utrumque enim funale ſignificat) *ep.* 13. *ad Paulin.* loquitur. Quamvis autem homines admoneat, ut potius veris *Chriſti* templis (pauperibus nimirum) dona ſua offerant; hoc ipſum tamen aliam *anathematа*, ſeu (ut cum Latinis Scriptoribus, *Sid. Apoll.* l. 4. *ep.* 18. *Paulin. natal.* 6. *Felicis*, aliis vocat) *donaria* ſua offerendi rationem in uſu fuiſſe indicat, nimirum ſuſpendendi ea in templis materialibus. || Porro inter hæc certum erat genus donariorum, quæ ἐκτυπώματα vocabantur, quia beneficii quocumque modo exhibiti, atque accepti, ſymbolica quædam erant monumenta, ſive hieroglyphicæ repræſentationes. Quo primum tempore offerri, atque appendi in Eccleſiis cœpta ſint, non facile dictu eſt. Probabiliter Sæculo quinto medio id factum eſt, quia *Theodoretus* omnium primus eorum meminit. In octavo enim ſermone ad Gentiles de Martyribus ſic ait: *Quod votorum compotes fiant, qui fideliter petunt, palam teſtantur illorum donaria, curationem indicantia. Alii enim oculorum, alii pedum, alii manuum ſimulacra ſuſpendunt, ex argento aurove confecta. Hæc autem morborum depulſionem indicant, cui teſtandæ ab iis poſita ſunt, qui ſanitatem receperunt.* Sunt qui putant, in hoc Chriſtianos Gentilium æmulos extitiſſe. Solebant enim illi aliquo metu, vel periculo defuncti prætericorum malorum inſignia, ac monumenta illis diis conſecrare, a quibus ſe liberatos putabant. Ita naufragi *Iſidi*, vel *Neptuno* tabulam, quæ naufragii ſui imaginem exprimebat; Gladiatores arma *Herculi*; Servi & captivi in libertatem adſerti catenam *Laribus* appendebant, uti apud *Juvenalem*, & *Horatium* pluribus in locis videre eſt. Ita 1. *Reg.* 6. legitur, quod *Philiſtæi* ab *Iſraelitarum* Deo, ut ſperabant, ex malis ſuis propediem liberandi, murium & mariſcarum imagines illi Deo voverint, a quo ſalutem expectabant.

ANATHEMABILIS, abominabilis, deteſtabilis. [ Ut anathemabilis Manichæus ſomniatus eſt Arnob. in pſalm. 120.

ANATHEMATISMUS, ἀναθεματισμος, abominatio, & deteſtatio. Nicæta lib. 2. ſup. cit. Theſaur. Orth. FR. Anaſtaſ. Biblioth. Collect. in exil. S. Martini Papæ & Mart. a Sirmundo in 8. edit. pag. 103. [ Propter anathematiſmum in novos factum hæreticos.

ANATHEMATIZO, græce ἀναθεματίζω, abominor, deteſto. FR. & *Anathematizator* deteſtator. can. nullus anathematizatorum, & can. omnes 3. quæſt. 4. Vide *Excommunico. Noto.*

ANAVIVAZON. Aſcendens, a græco verbo ἀναβιβάζω. Aſtrologi ita appellant planetam, ſub quo aliquis vel concipitur, vel naſcitur. [ Proceſſerit jam in notitiam, quando voluit, quando potuit, quando hora fatalis advenit, fortaſſe enim anavivazon ei obſtat. Tertull. lib. 1. adverſ. Marc. cap. 18.

ANAVOLÆUM, ἀναβόλαιον, ſuccinctorium. Vide *Rebrachiatoria. Epigonation.*

ANAX. FR. Vas, ſeu poculum, germanica vox *Anapein*.

*pem*, quæ idem ſignificat. [ Quatuor ex his per fugam lapſi pateram, & urceum, qui anax dicitur, in patriam deferunt. Greg. Turon. de Mirac. lib. 2. cap. 8. ] Quare corrigendus eſſet textus Greg. Magni in Regiſt. lib. 4. epiſt. 40. ubi ait: [ Unam vero anatem cum duobus parvulis atticis pro veſtri amoris gratia tranſmittere præſumpſi. ] Donum, nempe, Theodoro Medico miſſum, itaque *Anacem*, & non *Anatem* legendum, ſic etiam apud Anaſt. Biblioth. in Greg. IV. ubi habetur: [ Vela modica ubi ſupra de olovero decem habens unumquodque eorum anates. ] Lege, *Anaces*.

Anchona. FR. Corrupte pro *Icona* Albertus Caſtellanus in ejus Sacerdotali tit. de benedictione imaginis cap. 8. ubi ſic habet: [ Ut Anchonam hanc in qua glorioſiſſimæ Imagines &c. antequam quicumque ob devotionem, ad ipſam adorandam, ſe devote inclinaverit &c.

Anchoratus, liber S. Epiphanii Conſtantiæ, ſive Salaminæ in Cypro Civitatis Epiſc. ita inſcriptus, eo quia ceu anchora ſtabiliebat fideles, ne a falſorum dogmatum undis traſportarentur.

Anderineum, deambulacrum, ſeu tranſitus de uno ad alium locum. Antonius Petri in ſuo m. c. de Joanne XXIII. ſcribens, ait. [ Die Lunæ decima quinta dicti menſis Junii 1411. D. N. Papa Joannes XXIII. fecit incipere murare; & fieri facere murum, & anderineum de palatio Apoſtolico, uſque ad Caſtrum S. Angeli per multos Magiſtros.

Andigo. FR. Obligo, promitto, in legibus Longobardorum frequenter: & ſignanter l. ſi libertas. de ſucceſſionibus.

Androna, græca vox ἀνδρών locus in Eccleſia pro viris deſtinatus. [ Dum quendam pauperem in anguſtis andronarum receſſibus a Veſpillonibus inveniri mortuum contigiſſet. Jo: Diacon. in vita S. Greg. lib. 2. cap. 29. ] Locus iſte erat ex meridionali parte, cum antiquiſſimus ſit mos ſeparatim in Eccleſia viros, & mulieres orare, quod rigoroſiſſime ab omnibus ſectis in Oriente obſervatur, ubi mulieres in parte remotiore, ac ſtrictim per cancellos ſeparatæ, cum earum janua peculiari ſeponuntur. Ratio vero, & ſignificatus hujus uſus ab Amalario lib. 3. de Eccleſ. off. cap. 2. traditur, inquiens: [ Maſculi ſtant in auſtrali parte, & fœminæ in boreali, ut oſtendatur per fortiorem ſexum firmiores Sanctos ſemper conſtitui in majoribus tentationibus æſtus hujuſmodi: & per fragiliorem ſexum infirmiores Sanctos aptiori loco, ſicut dicit Apoſtolus: Fidelis Deus, qui non permittit vos tentari ſupra id, quod poteſtis. ] FR. Ritus hic etiam penes Hebræos erat; ut colligitur ex Ezechiele cap. 8. num. 14. [ Et introduxit me per oſtium portæ Domus Domini, quod reſpiciebat ad Aquilonem: & ecce ibi mulieres ſedebant plangentes Adonidem. ] Ideo per Synecdochen in Jeremiæ cap. 1. habetur: [ Ab Aquilone pandetur omne malum ] ibi enim continens pro contento intelligit; nam ut lib. Eccleſiaſtici cap. 25. dicitur: ] Omnis malitia, & nequitia mulieris, ] & [ Brevis omnis malitia ſuper malitiam mulieris. ibidem. ] Vide *Tranſenna*.

Anemonen. Vide *Othone*.

Aneta, FR. Anſer. [ Si quis anſerem domeſticam, vel anetam furaverit. l. Salica tit. 7. ] Vide *Auca*.

Angario, cogo, græce ἀγγαρεύω, Perſica vox, *Angari* enim Tabelliones regii Perſica lingua dicuntur, & quia concedebatur eis brachium regium ad ſumendos ubique ſupra, naves, & cogendos etiam ſubditos vehi, auxiliari, & ſimilia, ideo ab iſtis *Angaris*, *Angaria* dicta fuit ipſa coactio. [ Et quicumque te angariaverit mille paſſus, vade cum illo alia duo. Matth. 3. Hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus. Idem cap. 27. ] Ac lepide Æſchylus in tragœd. ἄγγαρον πῦρ ignem illum vocavit, quo ſolent litorales turres pro ſigno uti, & in inſtanti occurrentia nuntiare, ac ſi curſorem ignem diceret. Eadem phraſi Barchlajus in ſua Argenide etiam uſus eſt, *Angaros ignes* dicens.

Angaria, publica impoſitio, quam alii *Engeriam* dixerunt. FR. Bullar. Caſin. tom. 2. conſt. 60. & alibi, l. ut ſervi, de defenſione Aldorum. Adnot. in hiſt. Longobard. lib. 3. cap. 16. [ Hoc eſt, neque angariis Presbyteri, aut Diacones, neque aliquibus fatigantur indictionibus can. quia 10. qu. 3. ] Item *Parangaria*. Gloſſ. in can. nullus Epiſcopus gravamen. 1. quæſt. 1. Differt tamen aliquando *Angaria* a *Parangaria*; nam illa eſt obſequium perſonale, & propriis expenſis exequendum; *Parangaria* vero eſt in perſona, quæ ſervit cum aliorum expenſis. Gloſs. in can. non minus de Immunit. Eccleſ. Angaria proprie gravamen ſignificat. can. quam ſit 8. quæſt. 2. ubi habetur: [ Et monaſteria Eccleſiaſticis conditionibus, ſeu angariis, vel quibuslibet obſequiis ſæcularibus &c. ] Et inferius: [ A cunctis gravaminibus &c. ] *Angaria* ſignificat etiam penſionem. Vide *Calcaria*.

Angelmundi. Vide *Ginginia*.

Angelus, ἄγγελος, Nuntius, ſeu miſſus: hoc nomine vocatus etiam fuit *Mercurius* a Græcis, cum putaretur eſſe Jovis Nuncius; item *Iris*, quæ ſerenitatis, & *Aurora*, quæ ſolis nunciæ ſunt. FR. Concilium Laodicenum can. 35. per *Angelos* Dæmones fortaſſe intelligit, dum prohibet eorum adorationem; ſeu ſi de cœleſtibus loquitur, noluerat forſan, ut eo cultu adorarentur, quo hæretici, Angelici dicti, eos venerabantur, de quibus mox dicetur. In Apocalypſi per Angelum Epiſcopus intelligitur. can. Epiſcopo ſcribit Joannes 9. quæſt. 3. ex Beda. Item *Angelus faciei*, de quo Iſaias cap. 63. Aliqui illum intelligunt, qui in forma nubis, & igneæ columnæ populum Iſraeliticum præcedebat. Dicitur faciei, quia repræſentabat divinum vultum tanquam ejus Vicarius. Angelorum Synonyma. Vide *Deifer*. *Egrigorus*. *Pratubans*. *Volatile*. *Seraphim*.

* Ad-

* Angeli *Eccleſiæ*; Nomen Epiſcopis datum. Appellationem hanc ab Apoſtolo *Paulo* 1. Cor. 11. 10. ad deſignandos Epiſcopos uſurpatam eſſe graviſſimi Auctores exiſtimant; dicit enim .... *propter Angelos*; hoc eſt *Epiſcopos*, ait Scriptor ille, qui ſub nomine *Ambroſii* deliteſcit, *com.* 1. *Cor.* 11. 10. Sic idem Scriptor illa verba *Joannis*, Apoc. 1. 20. intelligit; *Septem illæ ſtellæ*, id. ibid. *Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum*. Quæ & Auguſtini, *ep.* 162. eſt interpretatio, & Epiphanii, *hær.* 25. *Nicoleit.* n. 3. qui dicit per *Angelos* hic non eſſe intelligendos *Angelos* cœleſtes, ſed harum ſeptem Eccleſiarum Epiſcopos. Hinc ſequentibus Sæculis Epiſcopi vocabantur *Angeli Eccleſiæ*: quemadmodum *Socrates*, l. 4. c. 23. *Serapionem*, qui apud *Thumitas* erat Epiſcopus, *Thumitarum Eccleſiæ Angelum* appellat: & Auctor *brevium notarum* (*Hier.* 1. *Timot.* 3.) in *Timotheum*, ſub nomine *Hieronymi*, quemvis Epiſcopum *Dei omnipotentis Angelum* eſſe dicit.

Angelici, hæretici ita appellabantur ob eorum rigoroſam, oſtentatamque continentiam, ſeu a loco *Angelina* nominato, ſeu tandem a peculiari cultu Angelorum. FR. [ Angelici hæretici, ita vocati, quia Angelos colunt: Apoſtolici hoc ſibi nomen ita ſumpſerunt, quod nihil poſſidentes proprium, nequaquam recipiant illos, qui aliquo in hoc mundo utantur. 24. quæſt. 3. can. 39. ] Vide *Apoſtatici*.

Angeloptes, Ἀγγελόπτης. FR. Epitheton S. Joannis Ravennatis Archiepiſcopi, ob continuas Angelorum apparitiones ſibi a Deo conceſſas, vox compoſita ex *Angelo* & *Optes*, quarum poſtrema a verbo græco ὄπτω, ideſt, *video*, derivatur, & ſonat latine *Videns Angelum*.

Angistrum, Hamus. Vide *Cupha*.

Anglicana Ecclesia. Vide *Kyrie eleiſon*.

Anglicus, monetæ Anglicanæ ſpecies. [ Filum argenteum duos Anglicos valentem, pro munere tibi apportabis. In vita S. Donatiani Epiſc.

Anglia, appellata eſt Saxonia. Vide *Saxonia tranſmarina*.

Angliae Regum proſapia, unde oriunda. Vide *Foreſtarius*.

Animae Agitatio. Vide *Sigillarius*.

Animadversus, necatus. [ Qui quibuſdam in locis animadverſi cœleſtes coronas de Domini clarificatione ſumpſerunt. Cypr. lib. 4. epiſt. ad Floren. & alibi.

Animatio. Vide *Enthymeſis*.

Animetta, palla eſt, quæ calicem tegit, ita dicta, quia quaſi anima in Corporale plicato includitur, & conſervatur. Joſeph. Vicecomes lib. 7. cap. 5. Ideo græcus Auctor *Pſychian* vocat, a ψυχὴ, ideſt, anima. Vide *Corporale*. *Palla*.

Anitergium, panniculus ad tergendum aliquid. [ Materias congerebat, quibus ad requiſita naturæ neceſſaria fratribus anitergia miniſtrabat. Petr. Damia. libr. 1. epiſtol. 9. ad Nicolaum II.

Annale, in Gallia ita feſtum primæ claſſis, ac ſecundæ claſſis *Semiannale*, dicitur.

Annisus, ſubſtantivum nomen. FR. conamen ſignificat: [ Tuæ executionis anniſu noxia commenta non ſentiant. can. 2. diſt. 87.

Anniversitas, Anniverſarium Eccleſiæ, ſeu Epiſcopi, vel etiam Defunctorum. Vide *Agenda*. *Miſſa Defunctorum*.

Anno Domini. Vide *Aera*. Annus climatericus. Vide *Climatericus*.

Annono. De alimonia providere ad diuturnum tempus ſignificat. [ Unuſquiſque autem ſe annotabat, prout poterat, & volebat. In vita S. Mariæ Ægypt. ] Ubi de Monachis, qui tempore quadrageſimæ ad ſolutionem ſe abdicabant, pro quo temporis ſpatio ſecum ferebant neceſſariam victus proviſionem.

Annotationes, quid ſint. Vide *Leges* §. motu proprio.

Annotinum Pascha; dicebatur reſpectu Neophytorum, qui poſt annum ſequentem eorum baptiſmi, ſcilicet, in die Paſchæ, ad Eccleſiam cum oblationibus accedebant, magnaque ſolemnitate anniverſarium eorum baptiſmi celebrabant. [ Romani annotinum Paſcha, quaſi anniverſarium Paſcha dicunt, quia antiquitus apud illos, qui in priori paſcha baptizati erant, in ſequenti anno eodem die convenere, ſuæque generationis anniverſarium diem cum oblationibus ſolemniter celebrabant. Microl. de Eccleſ. Obſervat. cap. 56. ] Hoc tamen *Annotinum* ratione Octavæ poſt Dominicam in Albis agebatur; ſic in nonnullis m. s. Sacramentariis reperitur poſt dictam Dominicam ſpecialiter Miſſa aſſignata, cujus titulus eſt *Miſſa in Paſcha annotinum*. Quod advertenter Eruditiſſimus Carolus Guyetus in ſua Heterologia hoc feſtum celebrari ſolitum fuiſſe ſcripſit in ea anni ſequentis die, qua mobilis Paſchæ tranſacti occurrerat.

Annulus, ſeu *Anulus*: Epiſcoporum, Animarumque Paſtorum ſacrum ornamentum, quem tamquam Sponſi ſuarum Eccleſiarum geſtant. Optat. Milevit. lib. 1. contra Parmen. & Gemin. inquit; [ Pontifex ergo anulum portat, ut ſe ſponſum Eccleſiæ agnoſcat, & pro illa animam, ſi neceſſe fuerit, ſicut Chriſtus, ponat, myſteria Scripturæ a perfidis ſigillet, ſecreta Eccleſiæ reſignet, de Antiq. Rit. Miſſ. lib. 1. cap. 216. ] Aureum eſſe debet, gemmaque pretioſa ornatum, ſine figura, ſeu celatura aliqua. Duran. lib. 2. cap. 9. Solet in dextero indice ferri; quia, ut idem ſcribit Auctor, cum ſilentii ſit ſymbolum index, conſequenter ſub ſigillo ſecreti divina myſteria propalare non debet, niſi merentibus, ac dignis. Aliud ſymbolum in hoc ornato indice Canoniſtæ aſſignant, nimirum, quod cœleſtibus doctrinis ſalutis viam ovibus ſuis ſpiritualis Paſtor indicare teneatur. In Pontificali vero

cele-

celebratione ponitur anulus in anulari digito. Cærem. epiſc. lib. 1. cap. 7. in quo digito continuo ferri invaluit hodie uſus. Igitur quo ad reliqua anuli ſignificata; [ Prælati ( ait Hugo a S. Victore ) quaſi annuli obſignare ſtudeant fideles imagine Chriſti; nam requiret ipſe Dominus animas de manu eorum. ] Et Hugo Card. [ Unde Prælatus debet eſſe annulus alios ſignando exemplo ſuo, & debet eſſe rotundus propter æternorum contemplationem. ] At ſane ponderatione dignæ ſunt profundiſſimæ ſignificationes illæ anuli, quas Innocent. III. refert in ejuſdem anuli traditione Fulconi Corbienſi Abbati, cui ſic ſcribit: [ Inter cæteros ornatus Prælatis Eccleſiarum conceditur anulus, qui eſt ſignaculum fidei, juxta quod pater filio revertenti dare annulum in manu præcepit, ut, videlicet, Eccleſiam ſibi commiſſam Prælatus ipſius intemerata fide cuſtodiat, ad quam fideliter obſervandam per viſibilem ſpeciem jugiter admonetur. ] Symbolum eſt ulterius anulus militiæ, libertatis, poteſtatiſque, qui etiam in conſecratione Virginum, benedictus eis conceditur. Pontif. Epiſcop. Atque Abbatibus quando benedicuntur, Galliæ Regi quando ungitur a Rhemenſi Epiſcopo traditur; item ſponſis in conjunctione matrimonialis Sacramenti, ac in anulari ſiniſtræ manus ponitur. can. fœminæ. 30. quæſt. 5. Ut erga ſponſum admoneatur ſponſa affectum cordis præſtare, ſiquidem in eo anulari digito venula quædam extat, quæ cordi conterminatur. [ Unde & quarto anulus idem inſeritur, quod in eo vena quædam, ut fertur, ſanguinis ad cor uſque perveniat. Iſid. lib. 2. de Off. cap. 19. ] Doctorum anulus ſacer non eſt, benedictione enim caret. *Annulus piſcatoris* eſt, quo Romanus Pontifex in cera rubra brevia ſignat, ita vocatus a figura D. Petri in actu piſcationis, & eſt unum ex tribus Papæ ſigillis. Aliud *Bulla* dicitur, quo in Cancellaria Apoſtolicæ plumbeæ Bullæ ſignantur; habet ex una parte amborum Apoſtolorum capita, quibus interpoſita eſt Crux; ex altera vero parte ponitur regnantis Pontificis nomen. Tertium ſigillum dicitur *Signum*, in quo aliqua Sacræ Scripturæ ſententia inciditur. Vide *Bulla*. Prohibetur Protonotariis non participantibus, & Doctoribus celebrare cum anulo. Sac. Congregat. Rit. 11. Febr. 1623. Item & Cathedralium Canonicis, eadem Congreg. 20. Novembr. 1628. ſub quo nomine intelliguntur etiam Canonicales Dignitates. Gavant. part. 2. tit. 1. in Rubric. Miſſ. FR. Penes Ethnicos omnibus dignitatibus prohibitus erat. Inde cecinit 4. Faſt. Ovid.

Anulus in digitis, nullus in ſacris. :||: Quando Pontifex dat novo Cardinali titulum, ponit ei anulum ſapphiro gemmatum, pro quo quingenta ſcuta ſolvit, quæ a Gregorio XIII. aſſignata fuere Collegio Germanico de Urbe, poſtea vero a Sixto V. derogata, tandem Congregationi de Propaganda fide per ſpecialem Bullam Gregorii XV. applicata ſunt. FR. Annulus non nunquam fibulam ſignificat, ſic intelligenda, ait Baronius, verba epiſt. Joannis cap. 2. ajentis: [Si introierit in conventum veſtrum vir aureum anulum habens in veſte candida. Baron. ad ann. 34. ] Erat ergo Anſula, qua infibulabatur candida veſtis, adducitque pro ſe Cardinalis Joſephi hebr. locum, ubi ait: [ Miſit ei virtutis ergo fibulam auream, quod geſtamen ſolis cognatis Regis concedebatur. lib. 13. antiq. cap. 8. ] Cui adderem Virgilii verſum 1. Æneid.

Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.

Idem confirmatur ex primo Machab. c. 10. ubi habetur: [ Et miſit ei fibulam auream, ſicut conſuetudo eſt dari cognatis Regum. ] Hic etiam obiter notandum, vocem *Candida* in Joann. epiſt. ſupra cit. non ſignificare album colorem, ſed reſplendentem, ideo græca lectio habet λαμπρος. Et latine *Ferrum candens*, ideſt, ignitum, & reſplendens; unde *Candidatos* pro illuſtribus dicimus, & *Candidatæ veſtis* ignei, & purpurei coloris, ut ſupra Virgilius intelligendus potius eſt, & clare Horatius lib. 2. ſat. 6.

——————— rubro ubi cocco

Tincta ſuper lectos canderet veſtis eburnos.

*Annulus fidei* eſt ſponſalitius: [ Et poſtquam arris ſponſam ſibi ſponſus per digitum fidei annulo inſignitam deſponderit. 30. quæſt. 5. can. noſtrates. ] Ubi advertendum eſt Gloſſam per vocem *Ligaturam* intelligere anulum; ſed anulus non ponitur in capite, ut ibi expreſſe. [ Noſtrates tam mares, quam fœminæ non ligaturam auream, vel argenteam, aut ex quolibet metallo compoſitam in capitibus deferunt, ſed poſt ſponſalia. ] Hæc igitur ligatura eſt vitta, de qua in can. fœminæ ejuſdem quæſt. quæ *Anadema*, *Vinculum*, *Vitta*, *Semimitra*, *Redimiculum* latine, græce Μίτρα dicitur. Vide *Mitra* in ſignificatu ligaminis. Item dicebatur *Crocuphantium*, *Anaclypterium*, quæ inſerviebant ad ſuſtentandum velum ſponſale, de quo in cit. can. Noſtrates, ait. [ Sicque demum benedictionem, & velamen cœleſte ſuſcipiant. ] Quia deponendo terreſtre velum ſponſa recipiebat ſacramentaliter myſticum, & cœleſte velum, quæ cæremonia habetur in ſubſequenti canone ibi: quod, ſcilicet, materiale velum ſponſæ a parentibus, vel paranymphis ei auferebatur ex capite. Igitur ligamen illud *Cupha* Hebræi vocant, ut Elias Theſb. in Ruth. 3. & Lyranus ibidem explicant. Vide Franc. Balduinum lib. 6. Optati Milev. Atque inde nuptiæ dictæ ſunt, ut habetur 30. quæſt. 5. can. nec illud: ubi ſic habetur. [ Inde enim & nuptiæ dictæ ſunt, quod pudoris gratia ſe puellæ obnuberent. ] Vide Mavorres in dict. *Maphorium*. Annulus ergo tam in ſponſalibus, quam in conjugio clare a vitta ſeu ligamine diſtinguitur in dic. can. fœminæ. 30. quæſt. 5. :||: Annulus etiam Imperatori traditur in

ejus coronatione. Vide *Inſula*. Annuli gemma, Vide *Umbo*.

Annunciatio Deiparæ. Vide *Cheritiſmus*. *Evangeliſmus*. *Feſtum*. Utrum veniente hoc feſto in feria vi. paraſceves teneantur Fideles aſſiſtere ad cæremonias illius diei. Vide *Paraſceve*. Quid ſignificent verba Gabrielis annunciantis, [ Spiritus Sanctus ſuperveniet in te. ] Vide *Spiritus Sanctus*.

* Annunciatio. De Feſto *Annuntiationis* Beatæ Mariæ Virginis. Quo tempore Feſtum hoc in Eccleſia celebrari cœperit, certo definiri non poteſt. *Athanaſii* tempore cognitum fuiſſe autumant nonnulli, quia in ſermone quodam, *de S. Deipara*, qui nomine *Athanaſii* circumfertur, feſti hujus mentio habetur. Alii originem ejus adhuc altius repetunt, nimirum a *Gregorii Thaumaturgi* ætate, quia extant ſermones illius, *in annunc. S. Dei genitricis ſerm.* 3. in eamdem ſolemnitatem. Sed optimi Critici, *Du Pin Bibl. Tom.* 1. & 2. *Bellarmin.* & *Labbeus*, ſermones hos vel repudiant ut ſpurios, vel ſaltem in dubiis habent. Scripti ſunt vel a *Maximo*, vel a *Proclo Conſtantinopolitano* (cujus redolent ſtylum) vel ab alio quopiam Auctore, qui profecto & *Athanaſio* & *Gregorio* eſt recentior, poſt ſubnatam nimirum hæreſin *Monothelitarum*, quia ibi data opera *Neſtorii* & *Monothelitarum* errores exagitantur. Ex hujuſmodi itaque ſermonibus hujus feſti antiquitas demonſtrari haud poteſt. Neque hiſce temporibus dies ille feſtus eſſe potuit per antiquas Eccleſiæ regulas, quæ omnes feſtivitates in Quadrageſima prohibuerant, præter Sabbatum, & diem Dominicam, quemadmodum ex Concilio *Laodiceno can.* 51. videre eſt. Ante tempus autem Concilii *Trullani* celebrari jam cœperat. Concilium enim illud præfatam *Laodicenſem* prohibitionem renovans, diem *Annunciationis* excipit. *In omnibus*, inquit, *Concil. Trull. can.* 52. *ſanctæ Quadrageſimæ jejunii diebus, præterquam Sabbato, & Dominica, & ſancto Anunciationis die, ſacrum præſanctificatorum miniſterium*. Ex quibus nota hoc tempore feſtivitas hæc fuiſſe intelligitur. Quapropter originem ejus probabiliter ex Sæculo ſeptimo arceſſere licebit, quando ſermones in eam haberi cœpiſſe deprehenditur.

Anoexium. V. Encænia.

Anomeoi. FR. ſic appellabantur puri Ariani, Græce ἀνόμοιος, id eſt, diſſimilis; quia Verbum divinum a Patre diſſimile aſſerebant. At Semiariani, quamvis negarent conſubſtantialitatem; in Divinis tamen conſimilitudinem admittebant. Itaque *Anomœi*, (qui & *Ætii*, ſeu *Ætiani* dicti ſunt. Vide *Ætiani*) Verbum Divinum *Anomœuſion* appellabant a nomine Græco ἀνομοιούσιος, id eſt, in ſubſtantia diſſimilis. Sed ab Eunomio Sozomenus lib. 4. cap. 13. & 28. ac lib. 6. cap. 26. eos proveniſſe, aſſerit, quos ideo *Eunomianos* appellat, item & *Anabaptiſmi*, quia unica immerſione baptizabant. Vide *Eunomiani*. *Anabaptiſta*.

Anomoniani. Hæretici, id eſt, abſque lege, vel regula, quia ita vivebant; particula enim α, ut ſæpe diximus, negationem ſignificat; νόμος vero normam ſonat, & legem.

Anquina. [ Funis in navi eſt, qua ad malum antenna conſtringitur. Iſid. lib. 19. etym. c. 14. ] Quare perperam in Theſauro ling. Lat. *Ancora* ſcribitur, & recte, ut apud Nonnium, *Anquina* legendum eſt, ita exigit Lucilii verſus *Anquina ſoluta*, non *Ancora ſoluta*, ut mendoſe aliqui putant. FR. locus Iſidori lib. 19. etym. cap. 14. in nonnullis codicibus *Anguina* pro Anquina habet; ſed error prorſus non eſt, nam *Anguina* ſeu *Anguina* eſt morbus, quo fauces anguntur & ſtrangulantur; Italice *Scaranzia*. & medici barbare *Squinanciam* dicunt. Plaut. Moſt. ſcena 3. act. 1. [ Vellem me in anginam verti, & huic aniculæ fauceis præoccuparem ] Anguinam dixit & Lucilius lib. 3. ſat.

Inſperato abiit, quam una anguina abſtulit hora. Quare translative funis, quæ collum mali in navi ſtringit, *Anguina*, vel *Anquina* utroque modo a ſtrangulando, & ſtringendo dici poteſt. Nam *Angueo*, & *Anqueo* pro coerceo, ango, & ſtringo veteres dixere.

Anstrutio, fidelis miniſter. [ Propterea per præſens præceptum decernimus, & jubemus, ut deinceps memoratus ille in numero Anſtrutiorum computetur. Marculf. lib. 18. cap. 18. ] Ejus derivatio ex vocabulo *Truſtis* eſt, quod fidelitatem, ſeu vaſſallagium ſignificat. Vide *Arimaria*.

Antarta, Adverſarius, Perſecutor, Tyrannus, & aliquando Rebellis intelligitur: Græca vox ἀνταρτής. [ O Alexander antarta Chriſtianorum. In vita S. Martinæ. ] Itaque mendoſe aliqui *Intartam* legunt; ex hoc nomine formatur verbum *Antartizo* ex vi græcæ ſignificationis, & non *Intartizo*, ut corrupte apud Anaſtaſium Bibl. in Deus dedit Papa legitur, ſcilicet. [ Hujus temporibus Mezentius, qui erat in Sicilia cum exercitu orientali, qui intartizavit, & arripuit regnum. ] FR. Camillus vero Peregrinus de Principib. Longobard. tit. Fines Ducatus Benevent. ad merid. pag. 33. hæc habet: [ Exemplum referam Anaſtaſii Bibliotech. in Deus dedit, ut ea e mendo expurgem, & explanem, Eleutherius, inquit, Patricius, & Cubicularius egreſſus Roma, venit Neapolim, quæ tenebatur a Joanne Compſino intarta ) ſcribo intarta ut habet Abbo Floriacenſis quæ vox ab aliis non intellecta ſonat rebellem, unde apud eundem Anaſtaſium in Theodoro Intartizare. ) Qui Eleutherius pugnando ingreſſus eſt Neapolim, & interfecit Tyrannum. Vide Feſtum, in verbo *Antarium*, & ibi Scaliger. & Gloſſas quoque editas ab Henrico Stephano.

Antecessivus, Logicæ terminus apud Tertullianum, & ſignificat univerſalitatem, quo ipſe demonſtrat

nomen mulieris generale eſſe tam virgini, quam compreſſæ. [ Subjectum igitur eſt generali ſpeciale, quia generale prius eſt, & ſubjectivum anteceſſive. Tertull. de Virgin. Vel. cap. 4.

Antecessor, hoc titulo Spiritum Sanctum vocat Tertullianus, quo non prioritatem temporis, vel naturæ ſignificat in divinis, ſed auctoritatem, ac doctrinam reſpectu creaturarum. [ Non enim ab ſe loquitur, ſed quia mandatur a Chriſto. Hic ſolus Anteceſſor, qui ſolus poſt Chriſtum. de Virg. Veland. cap. 2. ] Ita etiam idem *Anteceſſores* vocavit Apoſtolos, ideſt, magiſterio, & auctoritate præditos: ac Juſtinianus Imp. Legiſperitos *Anteceſſores* appellat. FR. eodemque pacto in nonnullis Academiis *Anteceſſores* dicuntur Lectores jubilati.

Antelius, Idolum ad domorum fores expoſitum, græca vox Ἀντήλιος, ideſt, *ante ſolem* poſitus. [ Antelios Dæmones oſtiorum præſides legimus. Tertull. de Idololat. cap. 5.

* Antelucanæ *Congregationes* a gentilium perſecutionum ſeveritate originem ſuam traxiſſe noſcuntur. Quum enim Chriſtiani die dominica ad cultum divinum publice convenire metuerent, conventus ſuos noctu agere cogebantur, ſummo mane ad devitandam inimicorum ſuorum obſervationem in unum coeuntes. Patet hoc ex teſtimonio *Plinii*, lib. 10. *ep.* 97. qui narrat a quibuſdam apoſtatis ſe accepiſſe, hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ vel erroris, quod in more haberent ſtato die ante lucem convenire, carmenque *Chriſto*, quaſi Deo, pangere ſecum invicem. Hinc eſt, quod paganus ille apud *Minucium Felicem*, *de idol. vanit.* haud infrequenter nocturnas congregationes eis objectat, latebroſam & lucifugam nationem, in publico mutam, in angulis garrulam eos appellans. Celſus, *Origen. contra Celſum* l. 1. rem eamdem exprobrat, quando ab illis συνθήκας κρύβδην, *clancularios conventus* haberi, criminatur. Et *Tertullianus*, *ad uxor.* l. 2. c. 4. feminis chriſtianis incommoda oſtenſurus, quæ ex nuptiis, cum viris ethnicis in ipſas redundatura ſint, has congregationes nocturnas in animum eis revocat. *Quis*, (maritus) inquit, *nocturnis convocationibus*, *ſi ita oportuerit*, *a latere ſuo eximi* (uxorem) *libenter feret?* Et *Prudentius* paſſionem deſcribens S. *Laurentii* Martyris, Præſidem ethnicum, *hymn.* 2. *de S. Laur.* introducit, audiſſe ſe narrantem, quod Chriſtiani ſacrificent argenteis vaſis, cereoſque auro fixos habeant in nocturnis *congregationibus*. Atque hinc forte fluxit vera origo lampadum, olei, & facum in uſum iſtiuſmodi conventuum tempore perſecutionis. || Jam vero licet neceſſitas primam hiſce *congregationibus* originem dederit; Eccleſia tamen ſequentibus Sæculis eas continuare conſultum ducebat (de die dominico ad reliquos omnes dies eas transferens) partim ut devotionis ſpiritum foveret in Aſcetis, ſive illis, qui ſeveriori vitæ rationi ſe tradiderant; partim ut *ſecularis vitæ homines ante lucem ſurgentes*, ut ait Caſſianus (*collat.* 21. c. 26.) *antequam familiaribus ac neceſſariis mundi hujus actibus ſe implicarent*, *cunctorum actuum ſuorum*, *operationumque primitias*, *ad Eccleſiam concurrentes*, *divino ſtuderent conſecrare conſpectui*; partim etiam ut Fideles contra *Arianorum* tentationem ac impoſturas præmunirentur. *Ariani* enim in ſuis conventibus pſalmos decantantes, & clauſulas quaſdam juxta ipſorum dogma compoſitas adjicientes, hæreſin amplificare ſummo ſtudio adlaborabant; uti ex iis apparet, quæ de ipſis *Socrates* l. 6. c. 8. & *Sozomenus* l. 8. c. 8. narrant, & quæ de *Theodorico* Rege *Gothorum* ſpeciatim dicit *Sidonius Apollinaris*, l. 1. *ep.* 2. nimirum quod tanto ardore cauſæ *Arianæ* ſervierit, ut *antelucanos* eorum cœtus minimo comitatu frequentarit. Quum igitur tot ac tantæ fovendarum hujuſmodi *congregationum* eſſent rationes, paſſim SS. Patres earum continuationem urgebant. Chryſoſtomus, *hom.* 30. *in* 1. *Cor.* viduas ac virgines laudat, quod noctu & interdiu Eccleſiam frequentent, pſallantque in hiſce *congregationibus*. Homines in nocte, *Id. comment. in pſ.* 133. ad ſancta accedere, ibique preces ſuas fundere oportere dicit. Alio in loco, *Id. hom.* 4. *de verbis Iſaiæ*, de *Antiochiæ* urbis magnificentia loquens, *Quid mihi*, inquit, *narras ædificiorum ſtructuras*, *quid columnas? Hæc una cum præſenti vita diruuntur. Eccleſiam ingredere*, *ut civitatis videas claritudinem. Ingreditor, inquam, vide pauperes a medio noctis uſque ad lucem perſeverantes: vide ſacra pervigilia diem cum nocte copulantia*. Et dignum notatu eſt, quod de eo narrat *Socrates*, l. 6. c. 7. quod, cum *Conſtantinopoli* eſſet Epiſcopus, precationes, quæ in nocturnis hymnis fieri ſolent, amplificaverit, eo quidem conſilio, ut *Arianorum* hac in re ſtudium obſcuraretur. Verum repetendis illis omnibus, quæ de hiſce matutinis *congregationibus* ſcripta ſunt, non eſt immorandum. Qui plura avet, conſulat Epiphanium, *expoſit. fid.* n. 23. Hieronymum, *ep. ad Lætam*, Hilarium, *in Pſ.* 44. alioſque. Id unum advertendum eſt, *congregationes* has primum urgente neceſſitate inſtitutas, mox laudabili fervore continuatas; demum labentibus Sæculis partim refrigeſcente caritate ſenſim defeciſſe, partim irrepentibus corruptelis omnino interdictas fuiſſe, earumque continuationem apud Regulares, ſeu clauſtralis vitæ profeſſores perſtitiſſe.

Antesto. FR. Impedio, objicio. in l. Longobard. l. ſi ſervuus de furtis, in quo ſenſu Cic. de Inu. inquit: [ Omnibus corporum viribus anteſteterunt. ] Et Gell. lib. 12. cap. 4. [ Qua in re quanto univerſi me unum anteſtatis.

Anthrax, tumor, carbunculus, bubo, a græco vocabulo ἄνθραξ, quod carbonem donotat. [ Cum hæc fierent, divino quodam conſilio enatus eſt ei anthrax

thrax in glande. Pallad. in Lauſiac. cap. 39. ] De ſenſuali luxuriæ dedito loquitur, ut liquet ex ſequentibus verbis; [ Et tempore ſemeſtri, uſque adeo ægrotavit, ut ejus virilia membra computruerint.

* ANTHROPOLATRÆ. Odioſo hoc nomine ab *Apollinariſtis* traducebantur Catholici, eo quod *Chriſtum* verum *hominem* eſſe, & animam rationalem ac corpus ejuſdem nobiſcum naturæ habere propugnarent, quod e contra negabat *Apollinaris*. Convicii hujus meminit *Gregorius Nazianzenus*, & acriter ad illud reſpondet, *Apollinariſtis* demonſtrando, eos multo magis *Sarcolatrarum* nomen mereri. Nam ſi *Chriſtus* humanam naturam non habeat, eos ſolam ejus *carnem* adorare exiſtimandum eſt. *Tu quidem, optime vir, tamquam* Sarcolatra ( *ſiquidem ego* Anthropolatra *ſum* ) &c. Greg. Nazianz. *orat.* 51.

ANTHROPOMORPHITAE, Ἀνθρωπομορφῖται. Hæretici ita appellati, quia in Chriſto puram humanam naturam confitentes, divinam omnino negabant. *Anthropiani* etiam dicebantur. FR. Item ab *Audeo* eorum hæreſiarcha *Audiani* denominati, quos Auguſtinus *Vadianos* vocat. [ Anthropomorphitæ dicti pro eo, quod ſimplicitate ruſtica Deum habere humana membra, quæ in divinis ſcripta ſunt, arbitrantur ἄνθρωπος græce, latine homo interpretatur. 24. quæſt. 3. can. quidam autem. ] Quorum errores Gregorius Papa lib. 32. moral. cap 6. in cap. 40. Job refert.

ANTHROPOPATHOS, ἀνθρωποπάθος. FR. figura Rhetoricæ, quando, ſcilicet, tribuitur Deo id, quod hominibus convenit. Gloſſ. in cap. forus. de verborum ſignificat.

ANTICHRISTUS, Ἀντίχριςος, futurus in fine Mundi ſeductor populorum, de quo Apocalyp. cap. 13. n. 18. ubi D. Joannes per cabaliſticos numeros ejus proprium nomen his verbis indicat, [ Numerus ejus ſexcenti ſexaginta ſex. ] Scripſerat enim græco idiomate, cujus characteres formant numerum 666. & ideo non eſt per combinationem poſſibile ejus verum nomen divinare, licet Irenæus, & Hippolytus τειταν, ideſt, Gygantem: Ticinius λαμπέτις, ideſt, Illuſtrem: Areta, λατεῖνος, ideſt Obſcurum; & Primarius, ἄντεμος, ideſt, Contrarium vocant; in his enim nominibus notæ arithmeticæ ſummam 666. facientes, continentur. Major Sanctorum Patrum: & Sacræ Scripturæ Expoſitorum opinio exiſtimat ex Hebræis de tribu Dan eum naſciturum. Ex Sibyllinis monitis habetur; quod lini virtute ille extinguendus erit, ideſt, ( ut interpretatur ab Auctoribus ) per apologeticos libros, quorum chartæ ex lini materia conficiuntur, & præcipue a Religioſis illius ſæculi. Demum Antichriſti nomen paſſim a Sacri Scriptoribus contra Eccleſiæ perſecutores applicatur. FR. Quid autem prædicaturus ſit, vide can. pervenit. de conſecrar. diſt. 3. & ibi Gloſſa.

ANTICIMENON, græce ἀντικείμενον, oppoſitio, repugnantia, titulus libri S. Bertarii Caſinen. Abb. nam in eo quæſtiones, & controverſiæ utriuſque teſtamenti continentur, de quo Leo Oſtien. lib. 1. cap. 32. Petrus Diacon. de viris Illuſtr. Caſinen. Quod opus recenter ſtudio, ac diligentia Canonici Jo: Bapt. Marii una cum ejuſdem eruditiſſimis Annotationibus emanavit, quod tamen ſub Anonymi Auctoris titulo Coloniæ Agrippinæ de anno 1533. impreſſum fuiſſe idem Commentator narrat. Vide *Apologia*.

ANTICRISIS, ἀντίκρισις. FR. pro contradictione, vel contradictorio judicio accipitur, Ulpian. l. 4. §. cum præter: ff. ne vis fiat ei, qui in poſſeſs. miſſus eſt.

ANTIDICOMARITAE. FR. Hæretici, ſed *Antidicomarianitæ*, ex græco vocabulo Ἀντιδικομαριανῖται ſcribendum eſt potius; nam hi aſſerebant poſt partum incarnati Verbi Mariam cum Joſepho carnaliter conveniſſe; vocabulum ergo *Mariæ Adverſarios* ſignificat, de quibus hæreticis habetur in 24. quæſt. 3. cap. 39.

ANTIDORON, græca vox ἀντίδωρον, Panis benedictus, ex cujus parte in medio ſituata, quæ Cruce obſignata eſt ( ſecundum græcorum ritum ) aufertur a Sacerdote pro conſecrationis materia, reſiduum vero populo poſt Miſſam diſtribuitur. FR. in lateribus hujus panis hæc verba ſunt impreſſa *Jeſus Chriſtus vicit*. :||: *Antidoron* dicitur, nam δῶρον, latine *donum* ſignificat, ideſt, *loco muneris*; qui enim ad recipiendam Euchariſtiam indiſpoſiti reperiuntur, participes efficiuntur hujus panis benedicti. FR. obſervant tamen Græci, quod ſi aliquis jejunus non invenitur, pro craſtino die ad illum ſuſcipiendum conſervat, vel alicui jejunanti ad ſuſcipiendum tradit. S. Germanus in myſticæ Liturgiæ explicatione hunc panem, ait, eſſe figuram Deiparæ corporis, quod, qui veri Chriſti corporis non ſunt participes effecti, Mariæ tamen figurate guſtant. :||: Itaque fuit Caſauboni error, qui hunc panem Κατάκλαςον appellari dixit; hæc namque erat alia panis ſpecies, & benedicebatur ad veſperas feſtivitatum, ex quibus pro qualibet pentade quatuor ſibi aſſumebat Sacerdos, & quintam populo diſtribuebat,

ANTIGRAPHUS, græce Ἀντιγραφος, ideſt, qui contra ſcribit. [ Deputatis ut diximus Honorato Diacono ſedis noſtræ, & Sebaſtiano glorioſo antigrapho, S. Greg. in regiſtr. lib. 2. cap. 46. ] Idem Pontifex Ariſtobulo Imperiali antigrapho inter alia hæc ſcripſerat; [ Præterea ſi prolixam epiſtolam ad interpretandum accipere fortaſſe contigerit, rogo non verbum ex verbo, ſed ſenſum ex ſenſu transferre, quia plerumque dum proprietas verborum attenditur, ſenſus virtus amittitur. Idem lib. 1. indict. 9. cap. 28. ] FR. Antigraphus potius deſcriptorem, Italice *Copiſta* interpretandum puto; nam, ut lexicon græcolatinum habet in dict. ἀντὶ, nedum ſignificat contra, ſed etiam Antiqui pro æquali uſurpa-

probant. Itaque Antigraphus *æqualiter ſcriptor* interpretandus eſſet, qui nempe æque, & conformiter ſcribit, quod clare ex citato textu D. Gregorii colligitur; dum Antigraphum rogat, ut non de verbo ad verbum tranſcribat, ſeu transferat, ſed ſenſum attendat in deſcribendo, & *Antigraphum* idem, quod originalis ſcripturæ copia, denotat, & nos Italice etiam dicimus *la Controſcritta*, deſumpta metaphora a ſpeculo, quod figuram contrapoſiti originalis in ſe continet, quæ *ἀντίτυπος*, ideſt contra, vel æqualis figura vocatur. Vide *Appar.*

ANTIMENSIUM. Vide *Altare*.

ANTINOMUS, græca vox ἀντίνομος, ideſt legi contrarius, quo titulo hæretici Joannis Agricolæ ſectatores appellati ſunt. Rainald. in Annal. Eccl. an. 1529. qui docuit inutilem eſſe divinam legem, ad cujus obſervantiam Evangelici homines non tenebantur.

ANTIOCHIÆ varia Epitheta. Vide *Theopolis*.

ANTIPELARGESIS, græca vox ἀντιπελάργησις compenſatio, retributio; quo vocabulo S. Baſilius hom. 6. in Hexam. uſus eſt.

ANTIPEMPTUM. [ Fecit aquæ manus antipemptor deauratas. Anaſt. Bibl. in Leone III. ] corrupte tamen, legendum *Antipente*, ex græco ἀντὶ, *oppoſitum*, & πέντε, *quinque*, ideſt, quinque vaſis alia quinque oppoſita fecit.

ANTIPETASMA, græca vox ἀντιπέτασμα, Pallium Altaris, in quo antiquitus Cruces effigiare ſolebant.

ANTIPHATUM, donatio ſponſi ſponſæ facta intuitu violationis, a græca voce ἀντίφατον, ab ἀντὶ, ideſt, pro, atque φατὸς, fama, ſcilicet, honeſtatis, & vocatur, vulgo *dotarium*, ſeu *antidotarium*. FR. fortaſſe ex verbo græco ἀντιφωνῶ σοι, ſpondeo, promitto, *Suidas*, vel ex dictione ἀντίφερνα, ideſt, antenuptialis, l. ult. C. de donationibus ante nuptias. l. ex morte C. de pactis, de qua Hotom. in obſervat. ad vet. nuptiar. tit. c. 7. cætera vero bona mulieris παράφερνα dicebantur. l. ſi ego. ff. de jure dotis, latine *Receptitia*, ideſt, extra dotem dicuntur. l. maritus. ff. ad l. falcidiam. Vide *Hypobolon*. Juriſconſulti tamen maximam differentiam agnoſcunt inter bona *dotalia*, *paraphernalia*, & *receptitia*.

ANTIPHONA, græca vox Ἀντιφώνη reciproca vociferatio, ſecundum vero pſalmodiæ rubricam verba illa intelliguntur, quæ in pſalmi principio intonantur, ad quorum tonum uterque Chorus proſequitur. [ Ignatius Antiochiæ Syriæ tertius poſt Apoſtolum Petrum Epiſcopus vidit Angelorum viſionem, quomodo antiphonas Sanctæ Trinitati dicebant, & hymnos; iſque modum viſionis Antiochenæ tradidiſſe probatur Eccleſiæ, & ex hoc ad cunctas tranſivit Eccleſias. Valaf. de reb. Eccleſ. cap. 25. ] Theodoretus, & Suidas hujus alternatæ cantionis primos inventores Flavianum, & Diodorum Monachos fuiſſe, aſſerunt, qui Conſtantii Imp. tempore vixerant; ſed iſti fortaſſe reciprocum cantum in pſalmodiam introduxerant, ut ex Theodoreti verbis colligitur, ſic ajentis; [ Hi enim primi pſallentium choro in duas partes diviſo, hymnos Davidicos alternis canendo inſtituerunt. ] Monachi enim, ut refert Caſſianus lib. 1. de inſtit. cœnob. cap. 5. ſolebant in medio Chori ſedere, magnaque devotione, & attentione unum ex eis totum pſalmum legentem audire. Itaque [ Ambroſius Epiſcopus ritum canendi antiphonas in Eccleſia primus ad Latinos tranſtulit a Græcis, apud quos hic ritus jam inoleverat ex inſtituto S. Ignatii Antiocheni Epiſcopi. Sigiber. in Chron. cap. 12. ] Quod etiam D. Aug. lib. 9. Confeſſionum cap. 6. & 7. clare affirmat, additque S. Ambroſium ad ſimilitudinem Orientalis Eccleſiæ ad fidelium conſolationem, qui tunc Juſtinæ Valentiniani Imp. matris Arianæ ſectæ fautricis perſecutione vexabantur, hujuſmodi reciprocum cantum inſtituiſſe. Quod deinde Damaſi Papæ decreto confirmatum fuit, ex qua Pontificis Conſtitutione, inadvertenter aliqui pro primo inſtitutore Damaſum faciunt, quod ex Ambroſiano inſtituto fuiſſe, ſupra manifeſtavimus. Quo vero ad ſignificationem reciproci iſtius cantus Gregorius hom. 3. in Ezech. ait: [ Ideo pſalmos alterna modulatione cantamus, quia amor ſi non ſit mutuus, jucundus eſſe non poteſt. ] Idemque ſentit Amalarius lib. 4. cap. 4. Antiphonæ in ſolemnibus feſtivitatibus duplicantur, quia charitas tunc magis debet ferveſcere, at in aliis diebus principium tantum antiphonæ canitur ante pſalmum, in cujus fine integre replicatur; nam charitas, ait Hugo a S. Victore, in hac vita incipit, & in futura perfectionatur. Ab uno ſolo initiatur antiphona, quæ a canentibus reaſſumitur, quia charitas, quæ a Chriſto tanquam fonte ſcatet, in ejus membris, nempe, fidelibus diramatur; ideo tempore Paſchali in matutino paucæ antiphonæ recitantur, quia tunc ſupponitur abundantius augeri in nobis charitatem, ob memoriam recentem effuſi Agni ſanguinis, ut nobis vera tribueretur pax. Andegavenſis Eccleſia in aliquibus ſolemnitatibus ante Miſſæ Evangelium canebat antiphonam ad *Benedictus* illius diei aſſignatam, quæ *Ante Evangelium* dicebatur. Septem illæ Antiphonæ, quas tempore Adventus ad *Magnificat* ante ſeptem dies Nativitatis Domini Univerſalis Eccleſia incipit canere, dicuntur *majores*. At in Eccleſia Pariſien. ſunt novem, ut in ſuo Paraſcevaſtico præl. 4. Theoph. Raynaud teſtatur, qui ait ter replicari, excepta ſexta *Antiph.* quæ in honorem S. Thomæ Apoſtoli dicitur, nempe, in principio, & in fine cantici *Magnificat*, tertio poſt *Gloria Patri*, atque nona Beatæ Mariæ Virgini eſt dedicata. In Hiſpania autem ex ſingulari privilegio Gregorii XIII. hæ ſeptem *Antiph.* incipiunt a die 16. Decembr. nam ad 17. vacant propter ſolemnem celebrationem expectationis virgina-

lis partus, quæ ibi maxima veneratione colitur. Ideo igitur duplicantur hæ *Antiphonæ*, quia denotant reiteratas Sanctorum in limbo Patrum preces, ideoque, ac propter portentum incipiunt cum nota, O, ut ait Durandus. [ Per illud, O, voluit cantor intimare verba ſequentia pertinere ad aliquam mirabilem viſionem, quæ plus pertinet ad mentis ruminationem, quam ad concionatoris narrationem. lib. 6. cap. 15. ] Extraordinaria ſiquidem erat cæremonia illa a Pariſio de Graſſis in ſuis Diariis relata, nempe, quod quando in Sabbato præcedenti Dominicæ III. Adventus Papa in Baſilica Vaticana canebat ſolemnes Veſperas, tunc dicebantur *Antiphonæ* ad Laudes; ac ſuggerendo Primicerius intonationem Pontifici illius primæ Antiph. *Juſt.&c.* tunc Papa a Camerario ſumebat auream monetam, & in ore Primicerii illam imponebat. Advertendum tandem, quod dum per Octavam Paſchæ ad horas Canonicas canitur *Hæc dies &c.* omnes debent ſe erigere, ſic praxis omnium Urbis Baſilicarum aſtruit. FR. *Antiphona*, quæ in principio tertii Nocturni B. Mariæ canitur, aliquam difficultatem continet in illis verbis: *Cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo mundo*. Nam revera Beata Virgo nec oretenus unquam cum hæreticis diſputaverat, nec eorum falſa dogmata ſcriptis confutaverat. Attamen hoc verificari in B. Virgine, Vega cap. 12. in Apocalyp. comm. 1. ſect. 2. num. 9. oſtendit, quia ipſa eſt vexillum veræ fidei; nam major hæreſum pars contra myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Verbi incarnati decertat. At nos Catholici, qui in profeſſione fidei ſub vexillo Deiparæ inconcuſſe militamus, per eam nobis vera, & pura Trinitatis, & Incarnationis revelatio explicatur. Poteſt etiam encomium hujus Antiphonæ in Virgine verificari, quia ipſam myſteria, & acta Redemptoris, in quibus Apoſtoli non interfuerant, eos docuiſſe pie credimus, ut ſunt Annunciatio, Nativitas Salvatoris, Magorum adoratio, & ſimilia. Sed potior ratio eſt, quam Baronius in annal. 233. adducit, quia ſub ejus invocatione, & patrocinio Eccleſiæ Doctores hæreſes cunctas interemerunt, ut de SS. Gregorio Thaumaturgo, Cyrillo Alexandrino, Dominico, & aliis legitur. Eſt etiam alia difficultas in illa ejuſdem Virginis Antiphona, quæ inter conſuetas officii commemorationes habetur, ſuper verba, *Intercede pro devoto fæmineo ſexu*, ac ſi ſexus alius devotus non eſſet? Reſpondetur tamen, hoc nomen *Devotus* hic non ſignificare piam, ſeu teneri cordis erga Deum perſonam, ſed quæ Deo ſe devovit, ut ſunt Moniales, & ſimiles; quæ Antiphona deſumpta eſt ex D. Aug. in ſerm. 21. Annunciationis. Cujus mens fuerat diſtinguere Clerum, & Moniales a Populo, juxta Eccleſiæ univerſalis conſuetudinem in Feria ſexta Paraſceve, ubi de eiſdem habentur diſtinctæ orationes: in hoc etiam ſenſu D. Agatha dixerat: *Soror mea Lucia Deo devota*: quia voto perpetuæ Virginitatis ſe Deo dedicaverat. Ita pariter in Concil. Tolet. can. 16. habetur: [ Devotam peccantem non recipiendam in Eccleſia. ] De hac voce *Devota* in eodem ſenſu. Vide *Agapetæ Sorores*. *Devota*:||: Item dicitur Antiphona Introitus Miſſæ. Vide *Introitus*. Dicitur etiam Antiphona Invitatoria. Vide *Invitatorium*. Vide *Reginæ Cæli*. In quo differat Reſponſorium ab Antiphona. Vide Rabanum in dict. *Reſponſorium*.

Antiphonarium, volumen, in quo Antiphonæ totius anni continentur, a S. Gregorio in Rom. Eccleſia ordinatum fuiſſe Bernus cap. 1. refert, & ab eruditiſſimo Eliſgaro Presbytero in Gallicana Eccleſia introductum teſtatur Amalarius.

Antiphonatim, adverbium, quod alternatim ſignificat. [ Hymnum Ambroſianum Te Deum laudamus cum ipſo antiphonatim decantare cœpit. In vita S. Caroli Comitis.

Antiphrygium, ἀντιφρύγιον. Vide *Mitra*.

Antipolis, appellata fuit Tranſtyberis Romæ Regio, ejuſque incolæ *Antipolitani*. Vide *Eſox*.

Antiquarius, deſcriptor librorum, de quo in dictione *Antigraphus*: ita Ambroſius, Aug. & Hieronymus, qui etiam Sanctus *antiquariam artem* tranſcriptoris profeſſionem appellavit, ac ita librarii dicti ſunt ante typographiæ inventionem, [ Qui videt litteras in codice optime ſcripto, & non novit legere, laudat quidem antiquarii manum. Aug. Ser. 44. de verb. Dom. ] Vide *Archiata*.

Antiquus. Vide *Olitanus*.

Antiſpiritus, Dæmonium. [ Hoc modo ſuper culmen templi Chriſtus erat in ſpiritu ſciens, quod antiſpiritus affectaret, & hoſti ſe de vana gloria pulſaturo opportunitatem parabat. D. Cypr. de Jejun. & Tentat. Chriſti. ] Vide *Dæmon*.

Antiſta, Vide *Abbatiſſa*.

Antiſtatum. Vide *Antiſto*. *Epiſcopium*.

Antiſtes. Vide *Epiſcopus*. *Antiſto*.

Antiſto, antecello, de quo frequenter Tertullianus. Sed accepiſti homo os ad devorandum, atque potandum, cur non potius ad prædicandum Deum, ut etiam hominibus antiſtes, lib. de Reſurrect. car. ] & clarius idem cap. 3. [ Nos autem puto multis paſſeribus antiſtamus. ] FR. in eodem ſenſu Cato cap. 156. dixit. [ Braſſica eſt, quæ omnibus oleribus antiſtat. ] Dicitur etiam *Anteſto*. Ex quo verbo *Antiſtes*, ideſt, Epiſcopus deducitur, ut notat Gloſſ. in Clement. de ſepulturis cap. 2. reperitur *Antiſtes*, *Antiſtita*, & *Antiſtatum*, ideſt, ſuperior, ſuperiora, & ſuperioritas.

Antitrinitarii. FR. hæretici, qui pullularunt circa annum 1570. tres perſonas divinas non ſubſiſtere in ſeſe, ſed tantum in unica perſonalitate aſſerentes.

Antitypon; ἀντίτυπος, a Clemente lib. 7. cap. 26. & ab aliis Græcis Patribus Euchariſtia ſignificatur.

Da-

Damaſcenus vero lib. 4. Orthod. fid. cap. 14. exiſtimavit denotare panem, & vinum ante conſecrationem: quam explicationem rejicit Eminentiſs. Card. Beſſarion; itaque ſecundum Turrianum non ſignificat figuram, ſed veritatem ipſam tectam, in quo ſenſu S. Cyrillus Hieroſol. appellavit Baptiſmi Sacramentum *Antitypon*, non quia ſit mortis Chriſti figura, ſed quia realiter ea ræpreſentatur. *Antitypon* igitur Euchariſtia dicitur, nempe, figura vicaria, quia veritas figuram expulit, & ejus locum obtinuit; ſeu quia eſt figura cæleſtis, & æterni convivii, in quo ſenſu explicari poſſent Damaſceni verba loc. cit. ut ex S. Maximi Dionyſii diſcipuli explicatione comprobatur inquientis [ Sancta munera ſuperiorum, & veriorum ſunt ſymbola. ] Tandem dici poteſt, quod Euchariſtia ſit figura ſacrificii Chriſti in Cruce, ſed haud diverſa a figurato, in quo ſenſu Chryſoſtomus ait: [ Hoc ſacrificium typus illius eſt; eundem enim ſemper offerimus, non modo quidem alium, modo vero alium: ſed ſemper eumdem. Hom. 17. in Epiſt. ad Hebr. ] Alii deinde dixere, quod idem eſſet *Antitypon*, ac *Iſotypon* apud Baſilium, quia præpoſitio ἀντὶ aliquando æqualitatem ſignificat, ut ſæpe ſupra dictum fuit.

Antithia, græce ἀντίθεια, erga Deum contrarietas. Theophylactus in cap. 18. Lucæ.

Anulus, Vide *Annulus*.

Apalareus, & *Apalarea*, diſcus, vox græco-barbara. Ἄβλαρος enim cocleare ſignificat, alii exiſtimant ſignificare umbraculum, a græco ἀπὸ τῦ ἡλίυ, cujus beneficio a ſolis radiis tegimur. [ Pro vera benedictionis cauſa direximus vobis apalareum unum. In epiſt. Pontif. a Gretſero edit. Hic poſuit in apſida Baſilicæ ſupraſcriptæ ſuper ſedem apalaream argenteam penſantem libras centum viginti. Anaſt. Bibl. in Sergio. ] FR. apud Iſidorum in ejus Gloſſ. *Ablaros*, & *Applare* reperitur, de quo vocacabulo Turnebus lib. 27. Adverſar. cap. 10. & lib. 28. cap. 5.

Aparibus, hoc titulo ſæpe D. Greg. in Regiſt. in principio Epiſtolarum utitur, perſonis in communi ſcribens. Vide *Parilitas*.

Apellitæ. FR. Hæreticorum ſecta, a quodam *Apelle* ita dicti; Angelum quendam Dei ſuperiorem aſſerentes, quem *Deum Igneum* appellabant, Iſraelitarum Legiſlatorem, & Chriſtum non in veritate eſſe Deum, ſed hominem in phantaſia apparuiſſe. 24. quæſt. 3. cap. 39.

Apertularius, Vide *Directarius*.

Apex. FR. ſumitur pro vertice capitis, & ornamento ejus, quo Flamines utebantur; aliquando tamen pro mitra. Vide *Mitra*. Intelligitur etiam pro ſophiſticis Juriſtarum allegationibus, ſeu eorumdem ſubtilitatibus. [ Apices juris non attenduntur, ubi agitur de ſalute animæ. Archid. in cap. ſcriptum 6. quæſt. 3. Decius in c. cum dilecto ad fin. Gloſſ. in verbo procuratricem, de confir. util. vel inutil. Bald. in l. 5. in 2. col. verb. & ſi tu quæris. C. de confeſſis, ac alii apud Cottam in ſuis Memorial. Juris, verb. Apices Juris. Apices juris in foro conſcientiæ non excuſant. Ibid. ] Cujus contrarium. Vide *de Plano* in lit. P. & ſynonymum. Vide *Subtilitas*. Aliquando pro extremitatibus accipitur, ſic pro epiſtolarum extremitatibus, ubi ſigillo ſignari ſolet, ſeu de pendulo ſigillo in bullis Pontificiis appenſo dicitur: [ Numquam Apoſtolicæ Sedis modus fuit abſque ſignatis apicibus undequaque legationem ſuſcipere: 97. diſt. can. 3. in extrav. com. de elect. cap. 1. ]

Aphoplista, vox barbaro-græca ἀφοπλιςής. [ Aphopliſtas vocant eos, qui privatis hominibus arma habere non concedunt, ne rapinas, aut cædes faciant. Julium. Ante. conſtit. 15.

Aphthartodocitæ, Hæreticorum Secta, qui dicebant Chriſti carnem eſſe incorruptibilem, & ab omnibus paſſionibus penitus liberam, ut ex Etymologia nominis Ἀφθαρτοδοκῖται colligitur, qui etiam denominati ſunt *Phantaſiaſtæ*. FR. Phantaſiaſtes cum Apellitis convenire videntur, qui Chriſtum humanitatis phantaſticam habuiſſe figuram aſſerebant, de quibus vide *Apellitæ*.

Apiculare. FR. Apum alvearium, de quo in Longobardorum legibus.

Apocalypsis, ita liber viſionum D. Jo: Evang. appellatur; in hoc enim libro futuri Eccleſiæ eventus continentur. Multæ revelationes, ſeu Apocalypſes antiquitus circumferebantur, ſed omnes apocryphæ cenſentur, ideſt, S. Petri, quem librum Euſebius damnatum fuiſſe refert in Chron. lib. 3. cap. 14. Sozomenus tamen lib. 7. cap. 16. affirmat illum in Palæſtina feria 6. in Paraſceve legi fuiſſe ſolitum. FR. Ἀποκάλυψις, latine revelatio dicitur, a verbo græco ἀποκαλύπτω, ideſt; *revelo*. Id vero, quod Euſebii auctoritate aſſeritur, non revelat, quia, ut in Catalogo Eccleſiaſticorum ſcriptorum Bellarminus teſtatur, Euſebiana opera in Concilio Lateranen. apocrypha declarata fuiſſe: quamvis Baronius an. 302. n. 11. & ſeqq. doceat multis rationibus uſquequo ſequendus ſit iſte Auctor: :||: Item circumferebantur alii libri Apocalypſis, ſcilicet, *S. Pauli*, ut teſtantur Nicephorus, Sozomenus, & Euſebius l. 3. cap. 3. Item *Apocalypſis Adami*, de qua Epiphanius. Item *Apocalypſis Eſdræ* ex Nicephoro. Item *Eliæ*, Baron. An. 44. n. 49. Tandem Gratianus in Decretal. tres refert, nempe *D. Thomæ*, *D. Stephani*, *& Moyſis*, de poſtremo loquitur etiam Caſſiodorus. Vide *Epopſia*. Quomodo per notas arithmeticas in Apocalypſi Antichriſti nomen deſcribitur. Vide *Antichriſtus*.

Apocarteresis, mors ex inedia, vel laqueo accelerata, a verbo græco ἀποκαρτερέω. [ Hypocrita, ut apocartereſi probat ſe Marcionitam. Tertull. lib. 1. Contr. Marc. Lycurgus apocartereſim optavit, quod leges ejus Lacones emendaſſent. Idem in lib. 1. adverſ.

adverſ. Gent. cap. 46. ] Vide *Ahori*. *Biothanatus*. *Orama*.

Apocha, græca vox ἀποχὴ, cautio. [ Validas contra te apochas invenerunt, invitas ſecuritates illis dedit calamitas tua. Caſſiod. ] Vide *De ſuſcepto*, *Suſceptum*. *Teſtamenti pagina*.

Apocrisarius, Miniſter Papæ apud Imperatorem, vox græca Α᾽ποκρισάριος, ideſt, Reſponſalis, ideo in Regiſtro a D. Gregorio *Reſponſalis* vocatur, ita etiam negotia ejus. ] Reſponſa Apocriſarii vocantur, qui Sanctiſſimarum Eccleſiarum negotia curant. Juſtin. Novel. 6. ] Alio nomine Legati Sedis Apoſtolicæ dicuntur, qui tunc apud Græcum Imperatorem reſidebant, ac tales fuere ante Pontificatum Gregorius Magnus, Vigilius, Paſchalis, Sabinianus, Bonifacius, & alii Pontifices, qui titulo Diaconatus graduati erant. [ Quod permanere in Palatio juxta antiquam conſuetudinem Apoſtolicæ Sedis Diaconum veſtra ſerenitas non invenit, non hoc meæ negligentiæ, ſed graviſſimæ neceſſitatis fuit. S. Gregorius epiſt. 43. ad Focam Imp. lib. 11. indict. 6. ] Quos deinde (ut paſſim) ad pontificalem apicem illis temporibus Orientalium Imperatorum favor dirigebat. FR. *Apocriſarii* mittebantur etiam ad Patriarchas: [ Martinus Papa Primus, ejus Apocriſarii, quos ad Paulum Patriarcham miſerat, cum illum, ut reſipiſceret, urgerent, Conſtantii juſſu in diverſas inſulas relegati ſunt, quod cum audiſſet Pontifex, Synodum 105. Epiſcoporum Romæ congregavit. Blondus decad. 1. lib. 9. ] Nimis quidem frivola videtur definitio Gloſſatoris in 1. quæſt. 7. c. convenientibus, qui deducit hoc nomen ab *Apos*, id eſt, græce Nuntius, & *Chryſos*, aurum; quaſi deaurati Nuntii, quod præter impropriam applicationem, nullibi etiam invenitur, Nuntium, ſeu Miſſum græce Apos vocari, bene tamen Α᾽πόςολος, *Miſſus*, & ἀποςολὴ, *Miſſio*. Melius Gloſſator in cap. ſignificaſti, de electione, & electi poteſt. ubi ſic: [ Apocriſarii dicuntur Nuntii Papæ, quaſi Secretarii, nam Cryſis quandoque ſecretum, quandoque aurum, quandoque judicium ſignificat. ] Inde hunc verſum tradit.

Aurum judicium, ſecretum dat Criſis iſta.

Unde *Criſis* dicitur judicium, quod Medici faciunt ex aliquo ſigno ægroti. Etymologia ſupra a meo fratre tradita non eſt impropria, quia ἀπόκρισις, præter alia ſignificata, etim reſponſum denotat. Adriani Junii Lexicon græc. in eodem verbo: & ſic *Apocriſarii* bene Reſponſales dici poſſent. :||: Cœpit hoc munus a Conſtantini Magni temporibus exerceri. Hincmar. epiſt. 3. cap. 13. & 14. Et tunc per Epiſcopos hæc delegatio exercebatur; at proceſſu temporis ad Diaconos Cardinales pervenit, nam Presbyteri ad reſidentiam eorum titulorum aſtringebantur, ut in dict. *Cardinalis* demonſtrabitur. Itaque D. Gregorius Epiſcopo Leandro ſcribens, in præfatione, quod ad effectum hujus legationis Diaconus Cardinalis ordinatus fuiſſet, conqueritur. FR. Hodie tamen Prælati mittuntur, quos *Nuntios* appellant, & fere cum titulo Patriarchatus, vel Archiepiſcopatus in partibus infidelium. Inde valde dubito, quod vox *Diaconus* hic non ſit Sacri Ordinis titulus, ſed potius legationis; Διάκονος enim græce, latine *Miniſter* dicitur, & Miniſtros Papæ, ſeu Principum Legatos, & Nuntios vocamus, Vide *Delegatos*. :||: Aliqui Apocriſiarium, pro Apocriſario ſcribunt. [ Habes Thomam apocriſiarium. Cœnob. Maſſil. cap. 88. ] In regio Galliæ Palatio Dignitas cum titulo Apocriſarii reperiebatur quæ alio titulo Regius Cappellanus, & Cuſtos dicebatur qui nedum Clericorum Palatii præfecturam exercebat, ſed & omnia Eccleſiaſtica negotia deferebat Regi, ut Hincmarus ſcribit. FR. In quodam privilegio a Carolo Calvo Monaſterio Glanenſi conceſſo Archicapellanus dicitur. [ Venerabilis Vir Ebroinus Epiſcopus, Sacrique Palatii noſtri Archicappellanus adiens culminis noſtri ſerenitatem deprecatus eſt. ] Hic Ebroinus in Concilio Vienen. celeb. an. 892. Archiepiſcopo Senonenſi præcedit; nam hæc dignitas erat Metropolitanis ſuperior, ad quam ſpectabant cauſæ Eccleſiaſticæ totius regni, & ideo ab Hincmaro *Reſponſalis negotiorum Eccleſiaſticorum*: *Magiſter Eccleſiaſticorum* a Beato Servato Lupo, & *a Deo electus Pater*, *& Magiſter* a Frotario Tullenſe Epiſcopo vocatur, quam dignitatem amovibilem fuiſſe ex epiſtola 97. B. Servati Lupi colligitur; ſed advertendum eſt illum Ebroinum recentiorem fuiſſe ab illo, de quo Baronius ad an. 668. num. 6. & ſeqq. an. 671. an. 685. num. 11. & ſeqq. & An. 687. num. 6. in quo obiit. Item *Apocriſarius Orientalium Sedium*. can. Actione 22. qu. 4. dicebatur.

* Apocrisarius. *Apocriſarii*, ſeu *Reſponſales*, erant quidam delegati Eccleſiarum extranearum, & Epicoporum nomini in Civitate imperatoria degentes, quorum id erat officii, ut tamquam Procuratores Eccleſiaſticas cauſas ad eos, a quibus mandata accipiebant, attinentes in aula Imperatoris tractarent. Eorum munus *Conſtantini* tempore, vel certe non multo poſt, inſtitutum videtur, tunc enim, Imperatoribus chriſtianam religionem amplexis, peregrinæ Eccleſiæ cauſas ſuas in aula imperatoria promovendi ampliorem, quam antea, nactæ fuerant occaſionem. Sed quomodocumque res ſe habeat, tempore *Juſtiniani* illud lege quadam ſtabilitum deprehendimus. Nam in *Novella* 6. c. 2. ipſe definit, ut Epiſcoporum nullus diu a ſua Eccleſia abſit: ſi vero aliquando eccleſiaſtica inciderit neceſſitas cauſam aliquam in aula perſequendi, vel per eccleſiarum ſuarum *Apocriſarios*, quorum ſit res eccleſiæ adminiſtrare, vel per œconomos, vel per aliquos clericos petitiones ad Imperium dirigat. Ex hac quidem lege non apparet, *Apocriſarios* de clero fuiſſe; id tamen facile ex aliis Scriptoribus colligi poteſt. *Liberatus* enim (*breviar*. c. 12.) *Anatolium* Diaconum

num *Alexandrinum* Conſtantinopoli *Dioſcori* fuiſſe *Apocriſarium* affirmat, quo pacto commodam occaſionem nactus ſit, ut, mortuo *Flaviano*, Conſtantinopolis Epiſcopus eligeretur. Et *Evagrius*, l. 4. c. 38. idem de *Eutychio* obſervat, quod cum Epiſcopi *Amaſenorum* eſſet *Apocriſarius*, ſtatim poſt *Mennam* ad regiæ civitatis Epiſcopatum evectus ſit. Quod aperte indicare videtur, fuiſſe eum antea de clero, ſiquidem per ſaltum promotum eum eſſe non conſtat. Porro hic obſervandum fuerit, in horum *Apocriſariorum Eccleſiæ* ſimilitudinem pleraque Monaſteria ſuos itidem habuiſſe *Apocriſarios*, quorum non erat in civitate regia habitare (quemadmodum illis) ſed ad Epiſcopum, cujus juriſdictioni ſuberant, accedere, ibique coram eo, procuratorum more, Monaſterii cauſam agere. Hoc ex alia *Juſtiniani* Novella, *nov.* 79. c. 1. patet, quæ in hujuſcemodi caſibus Aſcetas per *Apocriſarios*, ſeu *Reſponſales* ſuos reſpondere jubet. Et hi nonnumquam etiam de Clericorum erant numero, quemadmodum ex Concilii generalis quinti Actis liquet, ubi *Theonas*, *act.* 1. ſemetipſum Presbyterum & *Apocriſarium Monaſterii montis Sinai* appellat. Interpres latinus *Ambaſiatorem* eum vocat, quod licet non ſit adeo accommodum, quodam tamen modo rem exprimit. Succeſſu enim temporis Imperatores *Apocriſariorum* nomen legatis ſuis tribuerunt, immo quemvis legatum hoc nomine vocarunt. Quod neceſſario hic adnotandum, & diſtinguendum, ne civilis & eccleſiaſtica nominis *Apocriſarii* ſignificatio confundatur.

Apocrypha Virgo. Vide *Apocryphus*.

Apocryphus, græce ἀπόκρυφος occultus, a verbo ἀποκρύπτω, celo, occulto; cujus antitheſis *Hagiographus* eſt. Libri ergo, qui canonici non ſunt, *Apocryphi*, ſeu occulti dicuntur. Nam, ut docet Origenes in epiſtola ad Julianum Africanum, ſimiles compoſitiones occultæ tenebantur, ne eſſent authenticæ, ſic Chryſoſtomi interpres in hom. 4. in Matth. *Secretioribus libris* vertit, quod D. Th. in Catena *Apocryphis libris* legit. FR. Unde *Apocryphæ* dicuntur *Virgines*, quia in cameris ſolent abſcondi, & ſecreto morari. Jo. de Fan. Inde eſt, quod Virgo in hebræo dicitur *Ngalmah*, græce *Apocrypha*, latine *Secreta*. Gloſſ. in cap. 2. diſt. 15. :||: Apocryhi vocabulum aliquando intelligitur de illo libro, qui authenticus non eſt, non tamen prohibitus, ſed de ſuppoſititio Auctore dubitatur. Aliquando vero rigoroſe accipitur pro libro, ſcilicet, qui falſa, ac noſtræ fidei contraria continet. FR. Quo ſenſu ait Gloſſ. in cit. cap. 2. diſt. 15. [ Scilicet, cujus Auctor ignoratur: non tamen ab Eccleſia recipitur, ſed reprobatur, quaſi dicat non in Eccleſia, ſed remote ab ea, ac ſecrete eſt legendus. ] Auctor Vocabular. Eccl. male excogitavit *Apocryphum* ſignificare *obſcurum*; quamvis enim obſcurum, & ſecretum improprie aſſimilentur, non tamen ſunt ſynonyma; nam ſecretum poteſt revelari, & patefieri, at obſcurum non ſic.

Apodiatio. Vide *Peribolus*.

Apodipnon. Vide *Completorium*.

Apollinaristæ. FR. Hæretici, qui nomen trahunt ab Apollinare, qui docebat Chriſtum carnem, & non animam in incarnatione ſumpſiſſe. 24. qu. 3. can. 39. Vide *Dimœrita*. *Oeconomia*.

Apologia, ἀπολογία, defenſiva reſponſio, inde *apologeticus liber* dicitur ille, in quo Sanctæ Eccleſiæ defenſio continetur. S. Gregorius in ejus Sacramentario *Apologeticas* vocat aliquas orationes, quia in eis precibus propriæ culpæ, & imperfectiones confitentur; in divino enim tribunali nulla eſt major defenſio, quam propriæ conſcientiæ accuſatio, & reum ſe confiteri. Eadem ratione D. Ambroſius tractatui, in quo Prophetæ peccatum manifeſtat. *De Apologia David* titulum poſuit. FR. ſic diſt. 76. cap. ſcire debet. §. Item in Apologia David. Vide *Anticimenon*. *Hoplotheca*. *Prologus galeatus*.

Apophoreta. Arca, fortaſse ex græco verbo ἀποφέρω, quod ferre, & portare ſignificat. [ Oſsa evellens e cineribus nuperrime defunctorum hominum, ſic impoſitis in diverſis apophoretis, venditabat apud plurimos pro Sanctorum Martyrum, & Confeſſorum reliquiis. Radulph. lib. 4. cap. 3. ] FR. An potius Feretrum, & Sandapilam ſignificet? Cum ex allegatis Radulphi verbis, tum etiam ex epiſt. 39. D. Ambroſii tale quid manifeſtari videatur, qui Sanctus Præſul Bononia rediens Martyrum corpora Vitalis & Agricolæ transferens, ait: [ Nam ſecum referre conſueverunt; ita nos ex convivio Bononienſi apophoreta gratiæ, & ſanctitatis plena nobis reſervare curavimus. ] Inducor primo ad affirmandum hoc; nam *Feretrum* nedum baram, capulum, catalitium, ſeu ſandapilam ſignificat, ſed etiam, ut ait Calepinus in hoc verbo, *Feretrum* dicebatur, in quo fercula &c. geſtabantur: eodem modo Ambroſius ſynonymice ad convivium, & ad cadavera ferenda inſervire nomen *Apophoreta* ſupra oſtendit. Inducor ſecundo, quia etiam ex etymologia ſupra allegata a verbo ἀποφέρω, tollo, aufero, Libanius ἀποφέρει δὲ ἡ νόσος τὸν ἄνθρωπον, ideſt, *ægritudo hominem aufert*. Sic etiam dixerat Plinius lib. 24. cap. 5. de cedri ſucco. [ Defuncta corpora ævis ſervat, viventia corrumpit; mira differentia, cum vitam auferat ſpirantibus, defunctis pro vita ſit. ] Itaque hoc nomen a ferendo etymon habet.

Aporia, & *Aporiatio*. Vide *Aporio*.

Aporio, græce ἀπορέω, depauperari ſignificat; apud græcos tamen ſemper eſt in ſenſu tranſitivo, & latini etiam in paſſivo utuntur. [ In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur: aporiamur, ſed non deſtituimur 2. Cor. 4. ] Et in ſignificatione activa. [ Lupus autem, ut amoveat te a defenſione, pedes tuos perforabit, ideſt, domeſticos

*Hierolexicon Macri.*

ſticos tuos, qui ad negotia tua diſcurrent, aggredietur, & eorum alios aporiabit, ideſt, pauperabit. Bleſen. ſer. 41. ] Dicitur *Aporia* etiam nomen, ἀπορία, & ſignificat penuriam, derelictionem, & in eodem ſenſu *Aporiatio*. [ Quoniam quidem ipſe de aporiatione conceptus, atque prolatus. Tertullian. lib. de perſcriptione adverſ. Hæreſ. cap. 49.

APOSPHRAGISMUS, græca vox ἀποσφραγισμὸς, ſigilli impreſſionem denotat. [Præcipiat Epiſcopus oſtium retruſionis cellulæ apoſphragiſmo ſuo ſigillare. In Regul. ſolit. cap. 15.

APOSTATA. Rebellis, deſertor, ex græca voce ἀποςάτης. FR. Quod tripliciter accipitur, vel ob infidelitatem, quando, nempe, aliquis fidei deſertor evaſerit, vel ob inobedientiam, & transgreſſionem præceptorum Dei, vel tandem ob fugam Regularis a ſua Religione. Gloſs. in cap. ex litterarum, de Apoſtatis. Et in can. placuit. diſt. 50. inquit: [ Apoſtatæ dicuntur retro abeuntes a fide, religione, vel Clericatu. 26. quæſt. ult. c. non obſervetis. ] In ſecundo ſenſu D. Gregorius intelligit verba Ezechielis a Deo prolata. [ Mitto te ad gentes apoſtatrices. In Ezech. lib. 1. hom. 9. ] Reliqua Apoſtatæ Synonyma. Vide *Deſertor. Rebellis*, *Satan*. Lapſus in dict. *Stantes*. Fœmina autem deſertrix fidei &c. *Apoſtatrix* dicitur.

* APOSTATÆ. Apud Veteres, qui de eccleſiaſtica ſcripſere diſciplina, perſæpe multi memorantur pſeudochriſtiani, qui in antiquatam religionem & ſuperſtitioſas ceremonias Judæorum inclinabant. Horum quidem tres ordines ſeu gradus ſunt diſtinguendi. Alii, religione chriſtiana prorſus deſerta, ad Judæos tranſibant: alii ceremonias Judaicas, & quaſdam eorum doctrinas chriſtianæ religioni admiſcebant: alii ita ſe illis accommodabant, ut multas eorum illicitas conſuetudines ſequerentur, quamvis formalem religionis ipſorum profeſſionem haud facerent. E primi ordinis defectoribus fuit *Aquila*, Bibliorum interpres, qui primum quidem chriſtianus, teſte Epiphanio, *de pond. & menſ.* n. 15. mox propter ſtudium aſtrologiæ Eccleſia ejectus ad Judæos tranſiit, novamque Bibliorum verſionem, non ſine plurimis depravationibus, in odium Chriſtianorum adornavit. Iſtiuſmodi multi erant tempore *Barchochebi* celebris illius impoſtoris, & judaicæ defectionis ducis & principis, qui plurimos Chriſtianorum, graviſſimis intentatis ſuppliciis, *Chriſtum* abnegare, & maledictis inceſſere compulit, ut auctor eſt Juſtinus Martyr, *apolog.* 2. Jam vero licet leges imperiales Judæis religionis ſuæ libertatem, aliaque privilegia ſub Imperatoribus Chriſtianis per longum temporis ſpatium indulgerent; ſevere tamen Chriſtianis omnibus ad eos tranſire interdixere, graviſſimas omnibus iſtis defectoribus pœnas infligentes. *Conſtantinus* judicum arbitrio reliquit, *Cod. Theod.* l. 16. *tit.* 8. *de Judæis leg.* 1. ut eos morte, aut aliis meritis pœnis afficerent. *Conſtantius* Conſtantini filius, *ibid. leg.* 7. facultates eorum fiſco adjudicari juſſit; & *Valentinianus* junior, *ibid.* l. 16. *tit.* 7. *de apoſtatis leg.* 3. inteſtatos eſſe eos ſtatuit, negata illis, aliiſque omnibus *apoſtatis* licentia de facultatibus ſuis per teſtamentum diſponendi. Quibus Reipublicæ legibus Eccleſia quoque ſe conformavit. Non enim ſolum iſtiuſmodi defectores anathemate percuſſit, ſed & privilegium dicendi in judiciis ſuis, teſtimonium eis denegavit. *Non poteſt*, inquit Concilium *Toletanum* quartum, c. 63. *erga homines eſſe fidelis, qui Deo extiterit infidelis. Judæi ergo, qui dudum chriſtiani effecti ſunt, & nunc Chriſti fidem prævaricati ſunt, ad teſtimonium dicendum admitti non debent, quamvis eſſe ſe chriſtianos adnuncient. Qui ſicut in fide Chriſti ſuſpecti ſunt, ita in teſtimonio humano dubii habentur. Infirmari ergo oportet eorum teſtimonium, qui in fide, falſi docentur, nec eis eſſe credendum, qui veritatis a ſe fidem abjecerunt.* || Erant & alii qui religionem chriſtianam non penitus rejiciebant, ſed novam religionem conflabant, alteram cum altera commiſcentes. Iſtiuſmodi varia & miſcellanea hæreſis erat *Cerinthianorum*, *Nazaræorum*, *Ebionæorum*, *Mandrorum*, *Elceſæorum*, & *Samſæorum*, qui circumciſionem, aliosque legis judaicæ ritus obſervabant una cum illis, quos ex chriſtiana retinebant religione, quemadmodum ex *Auguſtino* videre eſt, *de hæreſ.* c. 8. 9. 10. 32. Medii ſeu herciſcundi judæos inter & chriſtianos fuere *Cœlicolæ*, ita nuncupati, quod Cœlum tantummodo, hoc eſt Deum cœli colerent; de quibus, ut infra notabitur, frequens in Codice *Theodoſiano* mentio. Hi circumciſionem & baptiſmum conjungebant; idola cum Judæis & Chriſtianis rejiciebant; verum in hoc cum judæis ſolis conveniebant, quod doctrinam de Trinitate in Deitate reſpuentes, Deum in una perſona adorarent. Qua ratione *Sabelliani* etiam, & *Paulani*, *Praxeani*, *Theodotiani*, *Ariani*, ac *Photiniani*, qui vel divinitatem *Chriſti* negabant, vel tres Divinas Perſonas confundebant, plerumque a Veteribus accuſantur, tamquam hac in re ad Judaiſmum reſilientes, dum veram doctrinam de Trinitate heterodoxis ſuis novationibus ſubverterent. Speciatim ex *Baronio*, *ad an.* 265. n. 2. obſervatur de *Paulo Samoſateno*, veram cauſam, cur *Chriſti* divinitatem negarit, fuiſſe eam, ut *Zenobiæ* Reginæ, quæ fuerit judæa proſelyta, blandiretur. Credidiſſe enim *Paulum*, ſi *Chriſtum* merum hominem eſſe doceret, fieri poſſe, ut utramque religionem reconciliaret, & auferret parietem integerimum, judæos & chriſtianos ſeparantem, cum nihil magis judæorum animos offenderet, quam quod *Chriſtus* a diſcipulis ſuis

Deus

Deus eſſe crederetur. Alia ſecta erat eorum, qui ipſi ſe vocabant *Hypſiſtarios*, hoc eſt, cultores ſuperni Dei, quem in una tantum perſona adorabant, uti Judæi: quorum ſabbata obſervabant, & a nonnullis cibis tamquam impuris abſtinebant, circumciſionem autem aſpernabantur, quemadmodum *Gregorius* Nazianzenus, *orat.* 19. *in funere patris*, cujus pater huic ſectæ aliquando addictus fuerat, enarrat. Jam certum eſt, Eccleſiam nullam umquam admiſiſſe de hiſce miſcellis & confuſaneis doctrinis, ac ſectis hybridis, ſed omnes ac ſingulas velut hæreticas damnaſſe, & communione ſua expuliſſe. Et leges imperiales admodum ſeveræ fuerunt contra *Cœlicolas*; ſiquidem tres leges *Honorii* directe contra illos latæ extant in Codice *Theodoſiano*. In prima lege eos in eadem cum Donatiſtis, Manichæis, Priſcillianiſtis, & Paganis claſſe collocat, jubens omnia, quæ in hæreticos generalium legum auctoritate decreta ſint, adverſus illos in executionem deduci; ita quidem ut ædificia in primis *Cœlicolarum*, in quibus novæ iſtius ſectæ conventus habeantur, *Cod. Theod.* l. 16. *tit.* 5. *de hæret. leg.* 43. Eccleſiis vindicentur. In ſecunda lege, *ibid. leg.* 44. eos vocat judæorum novam atque inuſitatam ſectam, quæ Catholicæ Eccleſiæ Sacramenta audeat turbare, ut fecerant *Donatiſtæ*. In tertia lege, *ibid.* l. 16. *tit.* 8. de *Jud. Cœlic. & Samaritanis leg.* 19. dicit, *Cœlicolarum* nomen inauditum quodammodo novum crimen ſuperſtitionis vindicaſſe, ipſiſque denuntiat, ut niſi intra anni ſpatium ad Dei cultum venerationemque chriſtianam converſi fuerint, ut his legibus, quibus hæreticos adſtringi præceperat, ſe quoque noverint adtinendos. *Auguſtinus* quoque, *ep.* 143. *ad Eleuſium*, horum *Cœlicolarum* meminit, eoſque dicit cum *Donatiſtis* in rebaptizandis Catholicis convenire. Intelligere autem ipſum ſectam, quæ a Chriſtiana ad Judaicam religionem deflexerit, manifeſtum eſt ex titulo *Majorum*, quem miniſtris ſuis tribuebant; dicit enim loc. cit. *jam miſeramus ad Majorem Cœlicolarum, quem audieramus novi apud eos baptiſmi inſtitutorem inſtituiſſe*, &c. Hoc etiam nomine Magiſtri Judaici frequenter nuncupantur in Codice *Theodoſiano*, l. 16. *tit.* 8. *de Judæis leg.* 1. Ut adeo conſtet liquido, hanc *Cœlicolarum* Sectam, Chriſtiana & Judaica Religione commixtam, & ut talem tam per civiles leges punitam, quam per leges eccleſiaſticas a Fidelium communione fuiſſe rejectam. || Præter ſupra memoratos erant quidam Chriſtiani, qui licet nec ad Judæorum tranſirent religionem, neque in præcipuis quibuſdam dogmatibus idem cum ipſis ſentirent, in quibuſdam tamen minoris notæ ritibus ac conſuetudinibus illis ſeſe accommodare non detrectabant; ut in obſervandis diebus feſtis & jejuniis, in matrimoniis cum illis contrahendis, in recipiendis eorum eulogiis, in conſulendis illis de phylacteriis & amuletis ad curandos morbos, aliiſque hujuſmodi: quæ omnia proinde ſub pœna cenſuræ eccleſiaſticæ prohibentur. Concilium *Laodicenum*, c. 29. Chriſtianis interdicit judaizare, otiando in Sabbato, eoſque, qui inventi fuerint ſic judaizantes, anathema eſſe pronuntiat. Vetat ſimiliter, *ibid. can.* 37. Chriſtianos cum Judæis dies feſtos agere, & munera feſtiva ab illis accipere, aut azyma, quia id eſſet eorum impietati communicare, in eamdem ſententiam canonem quemdam inter ſic dictos *apoſtolicos*, cap. 70. invenimus, qui cum Judæis jejunare vetat, vel feſtos dies agere, vel accipere eorum feſti xenia, exempli gratia, azyma, vel quid hujuſmodi; clericis quidem denuntians muneris abdicationem, laicis autem ſegregationem. Et per alium ex iiſdem Canonibus, *can. apoſt.* 72. oleum ad ſynagogam Judæorum deferre, aut in feſtis eorum lucernas accendere, idem crimen eſt, ac ſi Gentilium templis aut feſtis id fieret, & utrumque excommunicatione puniri jubetur: Ita Epiſcopus, Presbyter, & Diaconus, qui Paſcha ante verum æquinoctium, *ibid. can.* 8. cum Judæis celebraſſe deprehenſus fuerit, depoſitionis pœna condemnatur. Concilium *Illiberitanum*, c. 49. Chriſtianos jubet admoneri, ut non patiantur fructus ſuos a Judæis benedici; eos autem, qui nihilominus id faciendum curaverint, penitus ex Eccleſia ejici: quia contumelioſum hoc ſit benedictioni in Eccleſia uſitatæ, quaſi eam infirmam, minuſque efficacem credant. Idem Concilium, *can.* 50. tam clericis, quam laicis cibum cum judæis ſumere interdicit, eoſque, qui id faciant, a communione jubet abſtinere. Et hujus quidem interdicti rationem Concilium *Agathenſe*, can. 40. affert, quando ait: *Cum apud Chriſtianos cibis communibus non utantur* (Judæi), *indignnm eſt atque ſacrilegum, eorum cibos a Chriſtianis ſumi: cum ea, quæ Apoſtolo permittente nos ſumimus, ab illis judicentur immunda; ac ſi inferiores incipiant eſſe Chriſtiani, quam Judæi, ſi nos, quæ ab illis apponuntur, utamur, illi vero a nobis oblata contemnant.* Qui canon iiſdem verbis repetitur in Concilio *Venetico*, *can.* 12. & in Concilio *Epaonenſi*, *can.* 15. Ex Concilio etiam *Toletano* quarto apparet, Eccleſias *Hiſpanicas* ab iſtiuſmodi judaizantibus Chriſtianis maxime fuiſſe infeſtatas; aliis quidem Judæis in perfidia ſua faventibus; aliis vero recta ad eos deficientibus, & circumciſioni ſe ſubmittentibus; aliis denique indifferenter cum illis in manifeſtum animæ ſuæ detrimentum converſantibus. Contra quod poſterius judaizandi genus canon quadrageſimus ſextus hujus Concilii data opera conditus eſt, aliique ſex vel ſeptem, alius poſt alium, *Conc. Tolet. IV. can.*

*can.* 46. *& ſeq.* quos longum eſſet hic recenſere. Concilium *Arvernenſe*, c. 6. Chriſtianum, qui matrimonio ſibi jungat judæam, vel Chriſtianam quæ nubat judæo, a cœtu fidelium ſeparari jubet. Et Concilium *Aurelianenſe* tertium, *can.* 13. talia matrimonia ſub eadem pœna prohibet, jubens alterum ab altero ſeparari. *Chryſoſtomus* in eos invehitur, *hom.* 1. *contra Judæos*, qui curioſitate ducti ſynagogas judæorum adeunt, idemque eſſe dicit, ac ſi idolorum templa inviſerent. *Si quis*, inquit, *viderit te, qui ſcientiam habes, ad ſynagogam abire, tubas ſpectare, nonne conſcientia ejus, cum infirmus ſit, extruetur ad rerum judaicarum admirationem? Etiamſi nullum ibi idolum ſit: tamen dæmones locum incolunt. Quod non de ea ſolum ſynagoga dico, quæ hic eſt; ſed & illa in Daphne, ubi barathrum deterius, quod Matronæ vocant. Nam multos fideles illuc aſcendere audivi, & juxta locum dormire. Sed abſit, illos umquam ut fideles appellem. Mihi Matronæ, & Apollinis templum pari ratione impurum eſt. Quod ſi me quiſpiam audaciæ condemnet, eum ego viciſſim extremæ inſaniæ condemnabo. Nam dic mihi, ubi dæmones habitent; nonne impietatis ille locus, etiamſi nulla ibi ſtatua ſit? Ubi Chriſti interfectores congrediuntur, ubi crux exturbatur, ubi Deus blaſphematur, ubi Pater ignoratur, ubi Filius contumeliis afficitur, ubi Spiritus gratia rejicitur.* In primis autem eos luget, *Idem ibid.* qui partim ſpectatum prodibant, partim etiam una celebrabant eorum jejunia & ferias, feſtos dies tubarum, tabernaculorum, & jejunium magni diei expiationis, quæ ſolemnitates omnes in menſem *Tirſi* ſive Septembrem incidebant, quando ſermones ſuos adverſus Judæos habuit. Notat etiam quorumdam, *ibid.* malitiam, qui alios Hebræorum ſynagogas intrare, ibique jusjurandum de negotiis ſibi controverſis dare cogebant, juſjurandum, quod ibi daretur, magis formidandum eſſe, temere falſoque ſibi perſuadentes. Ob hanc pluresque alias rationes, quas ibi fuſe perſequitur, iſtiuſmodi omnes vocat χριςιανὲς ἐξ ἡμισείας, *chriſtianos ſemiſſes*. Duos alios integros ſermones, *Id. hom.* 52. *in eos, qui Paſcha jejunant*, *& hom.* 53. *in eos, qui jejunant cum Judæis*, habet in eos, qui cum Judæis jejunabant, eorumque frequentabant ſynagogas: in quorum poſteriore his eos verbis compellat: *Non audiſti in priori tractatu, quam clare fuerit oratione demonſtratum, ipſas animas judæorum, & loca, in quibus congregantur, a dæmonibus habitari? Quomodo igitur, quæſo, audes, agitatis cum dæmonibus choreis, ad Apoſtolorum cœtum redire? Qui fieri poteſt, ut, cum abieris, & cum illis communicaveris, qui Chriſti ſanguinem effuderunt, non horreas venire, & ſacræ menſæ communicare, ac pretioſi ſanguinis particeps fieri? Non horres, non times, cum talia ſcelera perpetres. Non menſam ipſam revereris? His ego verbis vos allocutus ſum, his vos illos, & illi ſuas uxores alloquentur. Ædificate alter alterum. Ac ſi quidem ſit catechumenus is, qui ejuſmodi morbo laborat, a veſtibulo templi arceatur: ſin fidelis ac myſteriis initiatus, a ſacra menſa repellatur. Neque enim exhortatione ac conſilio indigent cuncta, ſed ſunt, quæ brevi & celerrima ſolent ſectione curari. Et quemadmodum inter vulnera, quæ tolerabiliora ſunt, lenioribus cedunt medicamentis, quæ vero putrefacta ſunt & incurabilia, quæque reliquum corpus depaſcuntur, acumine ferri, flammaque indigent: ſic nimirum & inter peccata, erga quædam prolixiori cohortatione opus eſt, cætera durioribus ſunt reprehenſionibus caſtiganda. Propterea juſſit quoque Paulus non in omnibus cohortatione uti, ſed & increpare dure, ſic dicens: quam ob cauſam increpa illos dure: ut cum ob priora fuerint pudore ſuffuſi, ſeque ipſos condemnarint, non amplius detrimentum ex iniqui jejunii obſervatione patiantur. Quas ob res ego quoque a cohortatione deinceps abſtinens obteſtor, & clamo: Si quis non amat Dominum Jeſum Chriſtum, ſit anathema. Quonam autem majori argumento, a ſe non amari Dominum poteſt ullus oſtendere, quam ſi feſtis illorum communicet, a quibus ille fuit occiſus. Hos non ego percuſſi anathemate, ſed Paulus: immo vero non jam Paulus, ſed Chriſtus, qui per illum loquitur.* In commentario in verba *Pauli* ad Titum, *increpa ipſos dure, ut ſint ſani in fide*, iterum hac de re ita loquitur: *Quod ſi hi, qui cibos obſervant*, Hom. 3. in Tit. *jam non ſani ſunt, ſed valde infirmi; quid de illis dicemus, qui cum illis una jejunant, ſimul ſabbata celebrant, ad loca illis dedicata conveniunt, eum ſcilicet, qui in Daphne eſt, atque ad ſpeluncam, quæ Matronæ dicitur, & eum locum Ciliciæ, qui Saturni appellatur?* In homilia ſexta adverſus Judæos, vehementiſſime eos increpat, qui ad Synagogas abibant ob incantationes & amuleta ad curandos morbos, in quibus Judæi peculiarem ſibi artem præ reliquis arrogabant. Verum hac de re ſuperius V. *Amuleta*. Hoc unum addidiſſe ſufficiat, Judæos ſemper in more habuiſſe hanc artem multum jactare, ut quæ ad ipſos derivaſſet ex quibuſdam apocryphis *Salomonis* Regis ſcriptis, cujuſmodi eſt *liber incantationum* ad pellendos morbos, & *liber exorciſmorum*, ſive *conjurationum* ad dæmones fugandos, quorum uterque *Joſepho* memoratur, *Antiquit.* l. 8. c. 2. qui artem iſtam magnifice extollit, tamquam inter ipſos adhuc ſuperſtitem, hiſce verbis: *Incantationes* (Salomon) *compoſuit, quibus morbi*

*pel-*

*pelluntur; & conjurationum modos ſcriptos reliquit, quibus cedentes dæmones ita fugantur, ut in poſterum numquam reverti audeant: atque hoc ſanationis genus uſque plurimum apud noſtros pollet. Vidi enim ex popularibus meis quemdam Eleazarum, in præſentia Veſpaſiani, & filiorum, & Tribunorum, reliquorumque militum, multos arreptitios percurantem. Modus vero curationis erat hic. Admoto naribus dæmoniaci annulo, ſub cujus ſigillo incluſa erat radicis ſpecies a Salomone indicatæ ad ejus olfactum per naſum extrahebatur dæmonium: & collapſo mox homine, adjurabat id, ne amplius rediret, Salomonis interim mentionem faciens, & incantationes ab ipſo inventas recitans.* Horum librorum etiam meminit Origenes, *tract.* 35. *in Matth.* dicitque, ex Chriſtianis quoſdam adjurare dæmonia ad formulas ex apocryphis, & Hebræis libris acceptas, & ſimiles eis, quæ a *Salomone* ſcriptæ dicantur; quod illicitum, & Judaicum eſſe, nec ſecundum poteſtatem a *Chriſto* diſcipulis ſuis datam fieri declarat. Ex quibus omnibus apparet, quod, quemadmodum Judæi hanc poteſtatem maxime ſibi arrogarint, ita multi Chriſtiani tam ſtolidæ mentis fuerint, ut clam eos conſulerent (palam enim id facere, narrante *Chryſoſtomo*, erubeſcebant) rati eorum incantationes plus efficacitatis habere, quam Eccleſiæ benedictiones & exorciſmos. Quod duplex crimen erat; primum, incantationibus uti; alterum, eas ab inimicis *Chriſti* cum pernicioſiſſimo religionis chriſtianæ ſcandalo quærere, & acceptare. Quicumque igitur hujus criminis convicti erant, ſeveriſſimam Eccleſiæ cenſuram neceſſario ſubibant. || Aliud genus *Apoſtatarum* illi erant, qui ſponte ſua, poſteaquam aliquamdiu fidem chriſtianam erant profeſſi, ad Paganiſmum deficiebant. Hi a *lapſis* in hoc diſcrepabant, quod illi (vulgo vocitati *lapſi*) per vim, & ex metu perſecutionis deficerent; hi autem nemine impellente, ſed ex propria electione & arbitrio: ex faſtidio nimirum religionis, & amore Paganiſmi, quem Religioni *Chriſti*, cum in ea pacifice perſeverare poſſent, anteferebant: Illi ad Eccleſiam redire ſolebant, ſtatim ac, deferbeſcente perſecutionis æſtu, opportunam nanciſcebantur occaſionem; hi plerumque per omne vitæ tempus Eccleſiæ communionem fugiebant. Leges Imperiales talibus *Civium Romanorum* privilegium denegant, eoſque poteſtate privant de facultatibus ſuis per teſtamentum decernendi; quemadmodum videre eſt ex duabus legibus *Theodoſii* Magni, *Cod. Theodoſ.* l. 16. *tit.* 7. *de Apoſtat. leg.* 1. & 2. quas inſecuti Imperatores confirmarunt. In primis *Valentinianus* junior non tantum poteſtatem condendi teſtamenti eis eripuit, ſed beneficium etiam ab aliis vi teſtamenti relictum accipere interdixit, *ibid. leg.* 4. 5. 6. 7. Nemini eos hæredes ſuos ſcribere licebat; nec hi ulli in hæreditate ſuccedere poterant. Ab omnium conſortio ſegregandi erant; teſtimonium eorum in lege non habebatur ratum; infames erant & nullius exiſtimationis inter homines inter quos vivere illis permittebatur, ut pœne majori ipſis eſſet, verſari inter homines, & communibus hominum carere privilegiis. Immo vero numquam in ſtatum priſtinum reverti illis dabatur, etiamſi pœnitentia ducti redirent; pœnitentia enim eorum crimina obliterare non poterat, quia fidem Deo datam polluerant. Hæc eorum conditio erat in temporalibus per leges civiles. Quoad ſpiritualia, non minus ſevere per quoſdam Eccleſiæ canones cum illis agebatur. Concilium *Illiberitanum*, canon. 1. omnibus iſtiuſmodi *apoſtatis* communionem ad finem uſque vitæ denegat, quia crimen duplicarint, ſe non tantum ab Eccleſia ſeparando, ſed etiam idololatria polluendo. E contrario minores illi *apoſtatæ*, qui religioſis conventibus, *ibid. can.* 46. longo tempore ſolum ſe ſubtraxiſſent, non autem idololatraſſent; ſi poſtea ad Eccleſiam reverterentur, poſt decem annorum pœnitentiam admitti denuo ad communionem poterant. *Cyprianus* teſtis eſt, *ep.* 52. *ad Antonian.* apud Anteceſſores ſuos in *Africa* quoſdam de Epiſcopis communionem negaſſe trium magnorum criminum reis, nempe *apoſtatis*, adulteris, & homicidis. Qui rigor licet ipſius ætate aliquantulum eſſet imminutus, illi tamen, qui in idololatriam relabebantur, per totam vitam jubebantur pœnitere. Quod etiam ſancitum legimus a *Siricio* Summo Pontifice, qui apoſtatis *ep.* 1. *ad Himerium*, quamdiu vivant, agendam pœnitentiam, nec reconciliationem, niſi in hora mortis, impertiendam eſſe dicit. Et hæc indulgentia eis eo tantum tribuebatur, ut redirent, ſeque pœnitentiæ ſubmitterent voluntarie, dum viverent; antequam aliqua neceſſitate, vel infirmitate ducti id facere cogerentur. Si enim in *apoſtaſia* ad extremum perſeverarent, & tantum imminentis mortis metu reconciliari cuperent, tunc, *Cypr. ubi ſupra*, ut fidem facit *Cyprianus*, indigni habebantur, qui hoc ſolatium acciperent; eo quod non pœnitentia, ſed ingruentis mortis formido reconciliationis deſiderium in eis excitaret. Simile in Concilio *Arelatenſi* primo, *can.* 23. habetur decretum, nempe quod hujuſmodi *apoſtatæ* neque in infirmitate ad communionem ſint recipiendi, niſi revaluerint, & egerint fructus dignos pœnitentiæ. Cujus ſeveritatis vera ratio erat, ut homines deterrerentur ab inani in morte præſeferendæ pœnitentiæ fiducia. Si enim a martyrio diſceſſeris (quod Cyprianus, *de lapſis*, admittit) tales *apoſtatas* tempus deficiebat

& occaſio operibus in morte commonſtrandi, criminis ſui ſe vere pœnitere; ideoque Eccleſia pacem eis negabat, infallibili Dei judicio eos in totum relinquendo.

APOSTATICI, Hæretici. Vide *Angelici*.

APOSTATO, as. FR. [ Hi, qui poſt ſanctam religionis profeſſionem apoſtatant. can. hi, qui poſt diſt. 50. Apoſtatavit ab his omnibus, & factus eſt Epiſcopo ſuo quaſi clavus in oculum. Fulbert. epiſt. 34.

APOSTATRIX. Vide *Apoſtata*.

APOSTOLÆUM, Eccleſia erat prope Chalcedonem, SS. Petro, & Paulo dicata. Vide *Prophetæum*.

APOSTOLATUS, aliquando non Diſcipulorum Chriſti dignitas, ſed Pontificatum, & Papatum ſignificat. [ Pene totus nobis orbis undique ad limina, ſeu Sedem Apoſtolicam confluens refercbat, abſentibus quoque idipſum noſtro ſcribentibus apoſtolatui. Nicol. in epiſt. ] Etiam pro Epiſcopali dignitate accipitur. [ Decurſis litteris Apoſtolatus tui. Steph. Presbyt. ad Amantium Epiſcopum.

APOSTOLICANS. FR. Sic legitur in quodam privilegio Caſimiri Dalmatiæ, & Croatiæ Regis pro S. Joannis Evangeliſtæ Monaſterio Inſulæ Zun. [ Anno Incarnationis Jeſu Chriſti omnium dominantis 1059. abeunte, indict. decima elabente, Beatiſſimo Papa Nicolao univerſaliter apoſtolicante.

APOSTOLICUS, hæc vox ita abſolute pro Pontifice Romano ſumitur, de qua ſæpe in Eccleſiaſticis hiſtoriis, & Eccleſia in Litaniis pro eodem ſic intercedit: *Ut Domnum Apoſtolicum &c.* quod in Sede vacante, una cum oratione, ſeu commemoratione pro Papa relinquitur. De Papa Benedicto Petrus Damian. loquens, ait: [ Apoſtolicus igitur iſte, quem diximus, dum adjuvaret beatum virum, affectuoſe dilexit. In vita S. Odilæ. c. 19. ] Sæpe etiam rem papatui ſpectantem connotat, ut de Pontificiis habitibus Anaſtaſius. [ Cum Apoſtolicis infulis celebrantem, in Adriano II. ] Antiquitus omnes Epiſcopi hujuſmodi titulo exornabantur. [ Ille Rex viris Apoſtolicis Patribus noſtris. Marculf. lib. 1. c. 2. ] FR. [ Ab hac enim Sancta Sede, & a Sanctis Apoſtolicis tueri, & defendi, & liberari Epiſcopi juſſi ſunt. can. quilibet. 8. quæſt. 5. ] Apoſtolici vocabantur quidam Hæretici. Vide *Angelici*.

* APOSTOLICI. Hæretici fuere, qui ſe *Apoſtolicos* nominarunt, eo quod ſe unos eſſe gloriabantur, qui vitam ad exemplum *Apoſtolorum* inſtituerent; & *Apotactitas*, quod majorem, quam reliqui homines, hujus ſæculi abrenuntiationem præ ſe ferrent. Auguſtinus, *de hæreſ.* c. 40. de illis hæc habet: *Apoſtolici, qui ſe iſto nomine arrogantiſſime vocaverunt, eo quod in ſuam communionem non reciperent utentes conjugibus, & res proprias poſſidentes, quales habet Catholica Eccleſia .....: ſed ideo iſti hæretici ſunt, quoniam ſe ab Eccleſia ſeparantes, nullam ſpem putant eos habere, qui utuntur his rebus, quibus ipſi carent. Encratitis iſti ſimiles ſunt, nam & Apotactitæ appellantur.*

APOSTOLUS, Ἀπόστολος, Miſſus, Nuntius, ab Athenienſibus ita vocabantur hi, quos tanquam Provinciarum Viſitatores ad neceſſitatibus ſubditorum conſulendum Reſpub. mittebat: ſic quoque pro animarum ſalute Apoſtoli in univerſum Mundum a Redemptore noſtro miſſi fuerant. Epiphanius hæreſi 30. ait Hebræos Apoſtolos etiam habuiſſe, qui ab eis magna veneratione poſt ſummum Sacerdotem habebantur, & Baronius ad ann. 32. putat, quod pecuniarum collectores fuiſſent pro Templi ſuſtentatione, atque in obſervatione Moſaicæ legis tanquam Legati juriſdictionem haberent; de quorum numero creditur fuiſſe Saulum, Paulum poſtea dictum, qui obtinuit epiſtolas a Principibus Sacerdotum, ut ſi inveniſſet Chriſtianos, quos Hebræi hæreticos, & legis deſtructores exiſtimabant, vinctos duceret in Jeruſalem. Unde non abſque myſterio ejus ad Galatas epiſt. his verbis incipit: [ Paulus Apoſtolus, non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum. ] Ac ſi diceret, jam non amplius Apoſtolus ſum a Synagoga deputatus, ſed Jeſu Chriſti delegatus. Hæc poteſtativa dignitas in Hebraiſmo uſque ad Theodoſii Imperatoris tempora extitit, qui eiſdem in C. de Judæis, titulum, & poteſtatem hujus apoſtolatus publico edicto prohibuit. Aliquando pro Apoſtolo delegatus ſæcularis intelligitur: Luitprandus enim refert, Regis Bulgariæ Oratorem in Aula imperiali Conſtantinopolitana ex privilegio ſpeciali inter reliquos Oratores, præcedentiam obtinuiſſe, propter ſui Regis cum Imperatore affinitatem; nam ejus filiam duxerat in uxorem. [ Scripta juramento confirmata ſunt, ut omnium gentium Apoſtolis Bulgarorum Apoſtoli præponantur. ] In eadem Conſtantinopolitana Eccleſia vocabatur *Doctor Apoſtoli* quædam dignitas, ad quam in publicis concionibus Pauli Apoſtoli epiſtolas explicare ſpectabat. Romæ vero *Sub Apoſtolis* appellabatur Aula Lateranenſis Palatii ex pictura Apoſtolorum in ejus pariete effigiata, ideo Anaſtaſius Biblioth. refert Nicolaum I. Synodum habuiſſe *Sub Apoſtolis*. FR. *Sub Apoſtolis* Aulam ipſam Lateranenſem Eccleſiam intelligo ex Panvino, qui ait Aulam Dei hanc Eccleſiam vocatam fuiſſe. Vide hic *Lateranenſis Eccleſia*, ſub Apoſtolis dicebatur, vel quia ibi exiſtebant Apoſtolorum Principum capita, vel quia mos erat capita eorundem Principum in Conciliis collocare, ut in Concil. Florentino factum fuiſſe referunt Severinus Binius. tom. 8. Concilior. pag. marg. 424. verſ. ſuper altare. Et pag. marg. 418. verſ. cæterum. Victorellus in addit. ad Ciacon. tom. 2. col. 1155. lit. A. & lit. E. Item in foro Eccleſ. dicuntur *Apoſtoli* expeditiones quædam, quæ quintuplicis ſpeciei ſunt, nempe, *Apoſtoli Conventionales, Teſtimoniales, Declaratorii, Refutatorii*, & *Reverentiales*. Gloſſ. in lib. 2. tit. 15. in ſexto, :||:

Sed

Sed ad relatorum Salvatoris noſtri Apoſtolorum propoſitum nos redeuntes dicimus, quod ejus feſtum in cano ævo ad Kalendas Majas celebrabatur. [ Feſtivitas Sanctorum Jacobi, & Philippi, & omnium Apoſtolorum, Microlog. cap. 55. ] Hæc tamen feſtivitas penes Græcos celebratur die 30. Junii, ideſt, poſt Apoſtolornm Petri, & Pauli ſolemnitatem. FR. In Miſſali citato in dict. *Agniferus* reperitur ſub die 16. Julii commemoratoria Miſſa, quando Apoſtoli ad prædicandum per Orbem diviſi ſunt ſub hoc titulo *Diviſio Apoſtolorum*. Apoſtolos Dionyſius Areop. *Initiatores* vocat. [ Divinos noſtros in ſacris Initiatores, de Eccleſ. Hierar. ] Vide *Diſcentes*. In Bullar. Caſinen. tom. 2. Conſtit. 195. num. 2. habetur. [ In commemoratione omnium Sanctorum, & ſolemnitate omnium Apoſtolorum. ] Item *Apoſtolus* dicitur Epiſtola in Miſſa. Vide *Epiſtola*. SS. Apoſtolorum antiquæ picturæ cum volumine in manu, quid ſignificent. Vide *Rotula*.

APOTELESMA, græce ἀποτέλεσμα, Aſtrologorum judicium juxta coſtellationem, & planetarum aſpectum, de quo vocabulo Gregorius Nazianz. Vide *Anavivazon*. Vide etiam *Aſtrologorum termini*.

APOTHEOSIS, græca vox ἀποθέωσις, Deificatio, quo titulo librum inſcripſerat Prudentius poeta chriſtianus, defenſionem Divinitatis contra Infideles continentem. Vide *Amartigenia*.

APPANAGIUM. FR. vox gallica, firmamentum panis denotat, ſeu penſio, quæ pro minoribus filiis relinquitur.

APPAR, tranſumptum, ſeu copia Scripturæ. [ Apparem ipſius donationis per eundem Eucherium adſcribi faciens ipſe Chriſtianiſſimus Rex Francorum. Anaſt. in Steph. III. ] Vide *Antigraphus*.

APPERSONO. FR. Concedere, vel perſonaliter tradere poſſeſſionem alicui in aliquo officio, vel dignitate. [ Gylibertum de Cymaii præſentaverunt poſtulantes, ut prædictam Eccleſiam ei concederet, & eum apperſonaret. Matth. Pariſ. in vit. Abb.

APPETITUS. FR. [ Aurelius Epiſc. dixit, ſervata forma diſciplinæ non extimabitur appetitus, can. ſi quiſquam. 11. quæſt. 1. ] Ibi Gloſſa Appetitus, ideſt, injuria laceſſitus exponit.

APPODIATUS, innixus. [ Per ſummitatem cujuſdam ſcalæ brachio Crucis appodiatæ. In Epiſt. Jo: Papæ ex Chron. Boem. cap. 10. ] Unde *Podium* dicitur, quod Itali *Poggio* vocant, & *Pogium*. Vide *Pogium*. FR.

An quoniam podii meliore in parte ſedentes.

Prudentius lib. 2. contra Symmachum de Veſtalibus loquens.

APPLUMBARIUS, Officialis Palatii Apoſt. qui ſigilla plumbea in Bullis apponere curam habet.

APSIS. Vide *Abſida*. *Parapſis*.

APULIA, vocabulum a Tertulliano uſitatum, quod ſecundum eruditiſſimi Latinii explicationem in obſervationibus præfati Auctoris obtectum locum, & a pluvia ſecurum ſignificat, eo modo, quo latine *Compluvia*, & *Sympluvia*: ſic *Apluvia*, apud Africanos Scriptores dicitur, additque *Apuliam* Regni Neapolitani provinciam inde appellari ob aquarum, & pluviarum penuriam, ſed Pamelius oriri a græco vocabulo ἀπύλη docet, & ſignificat extra portas, vel columnas. FR. La Cerda vero extra portum in additione Calepini ſignificare aſtruit: verba Cypriani ſunt hæc; [ Quod Deus etiam extra cameras, & gradus, & apulias oculos habet lib. de ſpect. ] Sed cum Latinii opinione concurrendum potius exiſtimo, nam ab Horat. lib. epod. *Siticuloſa Apulia* dicitur.

APYRUS, Vide *Opyrus*.

AQUA BAPTISMALIS. Vide *Baptiſmus*.

AQUA FALLAX, ſeu *Mendax*. Vide *Baptiſmus*.

AQUA BENEDICTA, a S. Matthæo Apoſtolo inſtituta ita Clemens Papa in conſtitut. apoſt. lib. 8. cap. 35. Alexander Papa Primus hanc cæremoniam confirmavit can. Aqua ſale de conſecr. diſt. 3. Hoc ſacramentale elementum unionem Chriſti hypoſtaticam ſignificat; Sal enim infuſum eſt Sapientiæ increatæ myſterium, aqua vero humanæ naturæ ſymbolum, humana enim natura [ Ut aqua dilabitur. 2. Reg. 14. 14. ] In illa autem aqua, quæ pro benedicendis Eccleſiis fit, miſcetur vinum, & cinis, alluſive ad vinum, & cinerem vitulæ rubræ, quibus Moyſes jubente Deo inſtrumenta Tabernaculi benedixerat. Benedicitur populus aqua benedicta in Eccleſia latina diebus Dominicis, in memoriam lavacri regenerantis, quod in ſola Paſchæ Dominica conferebatur. Ruper. lib. 7. cap. 30. commemoraturque etiam Chriſti Baptiſmus, ideo trina aſperſione benedicitur Altare, quod tamen non fit quando eſt Sanctiſſimum expoſitum, ut Gavantus admonet. Græci vero in qualibet prima menſis Dominica renovant aquam benedictam, & populum aſpergunt, quam cæremoniam Ἁγιασμὸν, ideſt, *benedictionem*, aut *ſanctificationem* vocant, & deſiſtunt in duobus menſibus, Januarii, ſcilicet, ob ſolemnem benedictionem Epiphaniæ, in qua Baptiſmum Chriſti celebrant, & Septembris, in quo hanc benedictionem transferunt ad decimamquartam diem ejuſdem, propter feſtum Exaltationis Sanctæ Crucis, & ſolent in aſperſione aquæ benedictæ loco aſpergilli uti frondibus ocymi; nam, ut ajunt, ſuper telluris ſpatium, ubi Crux Chriſti erat ſepulta, ocymum oleſcebat, ideo Βασιλικὸς, ideſt, *Regia*, vocatur hæc herba, quia evulſa fuit juſſu D. Helenæ Crucis inventricis. Nos vero in benedicendis Eccleſiis, & in purificandis Altaribus in feria v. hebdomadæ majoris hyſſopo utimur, tum quia in veteri teſtamento eandem herbam in benedictionibus adhibebant, tum etiam quia hac planta monemur noſtras conſcientias purificare; nam, ut Ambroſius inquit: [ Hyſſopus herba humilis eſt, & in petris naſcens: humilitas Chriſti ſignificatur

per

per hanc herbam. Et D. Auguſt. in pſal. 50. Aſperges me hyſſopo, humilitas Chriſti te mundabit. In Epiſt. ad Hebr. cap. 9. ] atque Ivo Carnot. [ Quod autem hyſſopus huic aſperſioni miſcetur, hoc ſignificatur, quia in fide mortis Chriſti peccata mundantur, unde Apoſtolus: Fide mundans corda eorum, quia cum ſit herba humilis firmiter hæret in petra. Serm. de Sacram. Neoph. ] Hac igitur aqua in Eccleſiæ ingreſſu luſtramur, ut mundo corde ante Divinam Majeſtatem preces noſtras effundamus. Quo vero ad virtutes ejus, ex benedictionis verbis ſatis colligitur, valere, nempe, ad fugandos dæmones, morboſque pellendos &c. quæ a Baronio in Annal. diffuſe demonſtrantur. FR. ſcilicet anno 44. num. 60. & 88. an. 57. num. 110. an. 63. num. 164. an. 132. num. 13. & 14. an. 389. num. 108. an. 537. num. 11. & ſeqq. an. 855. num. 24. & ſeqq. :||: Sed ejus principalis effectus eſt delere venialia *ex opere operantis*, ut docet Angelicus Doctor, quem multi Auctores ſequuntur a Suarez citati, quamvis non deſint, qui teneant per aquam benedictam *ex opere operato* deleri venialia. Cæterum quoad valorem hujus elementi benedicti contra viſibiles inimicos aliqua exempla ex multis referam. Leo VI. Græcorum Imperator in ſuo tractatu de belli apparatu hac aqua ante aggreſſionem inimicorum Duces monet exercitum aſpergere; & noſtris temporibus contra hæreticos milites in loricis ſuperſtitioſa quædam verba ferentes, ne offenderentur, validæ fuere Catholicorum plumbeæ glandes in aqua benedicta prius immerſæ. De Fructuoſo Tudertino Epiſcopo etiam legitur, hac benedicta aqua Gothi militis fractam tibiam ſanaſſe, dum reliqui ejus ſectatores Arriani hujus ſancti Elementi virtutem, adinſtar noſtri ſæculi novatorum, ridiculam exiſtimabant. FR. Gulielmus Bibliot. a Turrigio de Cryptis Vaticanis impreſſ. ſecunda pag. 118. relatus, narrat Stephanum Sextum Papam ob magnam locuſtarum copiam campos, & vineas Romanas infeſtantium, hanc piam aſperſionem ordinaſſe, & ubi aqua iſta pervenerat, nec ullum ſimile animal poſtea viſum fuiſſe, ex quo miraculo conſuevere poſtea fideles ſuos campos, poſſeſſioneſque hac aqua benedicta luſtrare. :||: Eſt quæſtio inter Auctores, an aqua non benedicta cum benedicta admixta eandem benedictionem participet. Pro affirmativa adducitur Alexandri Papæ III. ſententia in can. quod in dubiis, de conſec. Eccl. Quod tamen intelligendum eſt cum D. Thoma in 4. diſt. 12. q. 1. art. 1. dummodo, nempe, non benedicta aqua ſit minoris quantitatis; bene tamen eadem unio iteratis vicibus novæ ſemper aquæ fieri poſſet, dummodo ſemper ſit minoris quantitatis. Laym. lib. 5. tract. 9. cap. 15. de Sacr. Ordinis. Vide *Benedictio*. Et idem dicendum de Oleis Sanctis. Reliquas ex originalis digreſſiones, quæ hic deſunt, propriis ſuis locis aptabimus præſertim in dict. *Aquarii*, *Aſpergillum*.

AQUA BAPTISMALIS. Vide *Baptiſmus*. §. Quo vero ad ejus materiam.

AQUA IN SACRAMENTO. Vide *Conſecratio*.

* AQUA: Vino mixta in Euchariſtia. Vetuſtiſſimum Eccleſiæ morem fuiſſe, vinum *aqua* mixtum in Altaris Sacrificio adhibere, nemo eſt, qui ambigat. *Cyprianus* pro utriuſque uſu contendit, utpote neceſſario, *epiſt. 63. ad Cæcilium*, additque rationes, cur ita fieri debeat. *Videmus*, inquit, *in aqua populum intelligi, in vino vero oſtendi ſanguinem Chriſti. Quando autem in calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur, & credentium plebs ſanguini ejus, in quem credit, copulatur & conjungitur. Quæ copulatio & conjunctio aquæ & vini ſic miſcetur in calice Domini, ut commixtio illa non poſſit ab invicem ſeparari..... Sic autem in ſanctificando calice Domini offerri aqua ſola non poteſt* (loquitur hic de Hæreticis *Aquariis*, de quibus poſtea) *quomodo nec vinum ſolum poteſt: nam ſi vinum tantum quis offerat, Sanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis: ſi vero aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto; quando autem utrumque miſcetur, & adunatione confuſa ſibi invicem copulatur, tunc Sacramentum ſpirituale & cæleſte perficitur*. Concilium *Carthaginenſe* tertium eamdem *aquæ* neceſſitatem agnovit; ſtatuit enim c. 24. *ut in Sacramentis Corporis & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, panis, & vinum aqua mixtum*. Et S. *Auguſtinus*, qui huic Concilio interfuit, idem ſenſiſſe cenſendus eſt; alibi enim, *de doctr. Chriſt.* l. 4. c. 21. memoratam *Cypriani* epiſtolam citat; & approbat. *Gennadius*, *de eccl. dogm.* c. 75. duas hujus conſuetudinis rationes affert, alteram ab exemplo *Chriſti*, alteram ab egreſſo ſanguine & *aqua* de latere ejus petitam. Quæ ultima ratio ab *Ambroſio* quoque (vel quiſquis librum *de Sacramentis* ſub ejus nomine, l. 5. c. 5. ſcripſit) nec non a *Martino* Eccleſiæ *Bracarenſis* Antiſtite, *Mart. Bracar.* collect. can. c. 55. in collectione Canonum Græcorum, adducitur. *Julius* Papa in epiſtola ad Ægyptios, *ep. Gratian. de conſecr. diſt. 2. c. 7.* Cypriani inſiſtit rationibus, quod id fiat ad oſtendendam *Chriſti* cum populo ſuo unionem. Et Concilium *Bracarenſe* tertium, *can. 1.* verba *Cypriani* recitat, corrigens diverſos alios errores & abuſus, qui in hujus Sacramenti adminiſtrationem irrepſerant: *Audivimus quoſdam ſchiſmatica ambitione detentos lac pro vino in divinis ſacrificiis dedicare: alios quoque intinctam Euchariſtiam populis pro complemento communionis porrigere: quoſdam etiam expreſſum vinum in Sacramento dominici calicis offerre...... Ideo nulli deinceps licitum ſit, aliud in Sacrificiis divinis offerre, niſi juxta antiquo-*

*tiquorum Conciliorum ſententiam, panem tantum, & calicem vino & aqua permixtum*. Concilium *Antiſſiodorenſe*, c. 8. in quoſdam animadvertit, qui mel & *aquam* miſcentes offerebant: *non licet*, inquiens, *in Altario in Sacrificio divino mellitum, quod mulſum appellatur, nec ullum aliud poculum, extra vinum cum aqua mixtum, offerre*. Auctor commentationum in *Marcum* Evangeliſtam ſub nomine *Hieronymi*, c. 14. aliam reddit rationem mixtionis *aquæ* cum vino, quando ait: *Accepit Jeſus panem..... formans ſanguinem ſuum in calicem vino & aqua mixtum, ut alio purgemur a culpis, alio redimamur a pœnis*. *Armenii* in mero vino conſecrabant; ſed hoc errori eis vertitur a *Theophylacto, comm. in Jo:* 19. & una cum *Hydroparaſtatis*, & *Aquariis* damnantur in Concilio *Trullano, can.* 32. quod auctoritatem Liturgiæ *Jacobi* Apoſtoli & *Baſilii* contra illos producit. Quibus addi poſſunt Liturgiæ ſub nominibus *Marci*, & *Chryſoſtomi*, tum Patres omnes, qui hujuſce conſuetudinis miſcendæ *aquæ* cum vino verba fecerunt, *Juſtinus Martyr*, apolog. *Irenæus* l. 4. c. 57. *Gregorius Niſſenus*, orat. catechet. c. 37. *Theodoretus*, dialog. 1. *Proclus*, de tradit. div. Liturg. *Damaſcenus* l. 4. c. 14. aliique ſexcenti. Verum enim vero, cum hac de re expreſſum mandatum in inſtitutione non extet, non obſtante hoc generali Eccleſiæ conſenſu, a Theologis omnibus conſtanter aſſeritur, hujuſmodi *aquæ* cum vino commixtionem non eſſe de eſſentia Sacramenti, ſed ſolum neceſſariam, ut Scholaſtici loquuntur neceſſitate præcepti.

AQUÆMANILE, & *Aquimanile*. Guttus, vas aquarium pro lavandis manibus, de quo ſæpe in Ord. Rom. de Subdiaconatu, ac Iſidorus hæc in eodem propoſito habet; [ Hi igitur cum ordinantur ſicut Sacerdotes, & Levitæ manus impoſitionem non ſuſcipiunt, ſed patenam tantum, & Calicem de manu Epiſcopi, & ab Archidiacono ſcyphum aquæ cum aquæmanile, & manutergio. lib. 2. de Eccleſ. Off. cap. 10. ] Græci vero in Subdiaconatus ordinatione poſt impoſitionem manuum cum ſolita forma ab Epiſcopo facta ſcyphum, aquæmanile, & manutergium accipiunt, cui Epiſcopo deinceps in lotione manus, Subdiaconus jam ordinatus in prima ordinis executione miniſtrat. Vide *Hydromiſta*.

AQUÆ VIDUÆ, Vide *Viduæ aquæ*.

AQUA FORTIS, vulgare nomen, Vide *Chryſulca*.

AQUA IN CALICE. Vide *Aquarii*.

AQUARUM MIRACULA. Vide *Epiphania*.

AQUAGIUM, Aquæductus, ſeu Canalis. [ Semper quippe quaſi aliquod aquagium manabant ex eis lacrymæ. In vita S. Adelardi Abb. ] Vide *Doccia, Dogus*.

AQUALICULUS. FR. Ventriculus. Cornutus ait, quod proprie ſignificat porci ventriculum, ſed per tranſlationem etiam hominis ventriculus intelligitur. Hinc Perſius Satyr. 1.

—— —— nugaris quum tibi calve
Pinguis aqualiculus propenſo ſeſquipede extat.

[ Ne putent ſanctæ portioni miſcere cibum, qui per aqualiculos digeſtus in ſeceſſum diffunditur. can. tribus de conſecrat. diſt. 2. ]

AQUANUS, aqueus. [ Carne terrenam ſanguine aquanam. Tertull. de Car. Chriſt. cap. 9.

AQUARII. FR. hæretici, ita appellati; quia ſolam aquam in calice offerebant. 24. quæſt. 3. can. 39. ::|: Quæ hæreſis jam extincta, excitata denuo fuit in ſecundo ſæculo ob timorem, ne ab odore meri in communione ſanguinis Chriſti, Chriſtianos ſe eſſe agnoſcerentur, & ideo aquam puram in calice offerebant, cui errori remedium adhibuit Africanum Concilium. His contrarii ſunt Armeni, quippe qui Monothelitarum errore infecti, vinum ſine ulla aquæ gutta in calice offerunt; nam oblatio vini, & aquæ in calice præter alia ſignificata unionem hypoſtaticam in Chriſto Divinæ, & humanæ naturæ denotat, quam Monothelitæ negabant. Guttas vero aquæ vino mixtas ideo nos ponimus in calice, quia pie credimus, ut notat Cyprianus epiſt. 36. hoc idem & Chriſtum in ultima cœna feciſſe, quod a Conciliis Sexto Conſtantinop. can. 32. Carthaginenſe Tertio can. 24. Bracarenſe can. 1. Florentino de Sacram. Euchar. Tridentino ſeſſ. 22. cap. 7. confirmatur, & ſic tenent SS. Patres, præſertim Irenæus lib. 4. cap. 19. & Juſtinus Martyr Apologia 2. contra Arianos. Quoad ſignificata, præter hypoſtaſim in Chriſto, etiam hæc mixtio unitatem fidelium cum Chriſto denotat, & ideo prius benedicitur aqua. [ Quando autem in calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credit, copulatur, & conjungitur. Cypr. epiſt. 63. ] Parva ponitur quantitas, quia pauci ſunt electi. Durand. lib. 4. cap. 30. in Miſſa defunctorum non benedicitur aqua prædicta, ſicut nec etiam benedictio datur populo in aqua figurato, quia tunc illa aqua Purgatorii animas repræſentat, quæ, ut jam electæ, non indigent benedictione. Græci præter aquam, quam ponant in calice in Miſſæ principio, quæ denotat aquam ex latere Chriſti emanatam, infundunt etiam poſt conſecrationem aliquas guttas aquæ calidæ ante communionem, ad ſignificandum, ut eruditiſſimus Simon Theſſalonicenſis notavit, quod ſcilicet, etiam in Corpore Chriſti jam mortui remanſerat Divinitatis calor, ſeu ut idem ſubjungit, [ Ut labiis admotis, & ſanguini communicantes, ita afficiamur, quaſi e vivifico illo latere biberemus. ] Qui vero ex officio hoc facere tenebatur *Camiſatus* dicebatur, fortaſſe a Camiſia, quæ eſt alba, ſeu ſuperpelliceum clericale indumentum. [ Camiſati ferendis ab Altare carbonibus, & ſacris lebetibus calefaciendis occupati ſunt, ut illic more ſolito aqua fervens ſacris calici-

calicibus tempeſtive infundatur. Citrinus a Novar. citatus lib. 5. cap. 8. ſacror. elector. ] Vide *Camiſatus*, *Oblatio*. Aquarii hæretici. Vide *Hydroparaſtæ*.

* AQUARII. Nonnulli ex antiquis hæreticis ſpecie abſtinentiæ, ac temperantiæ in Altaris Sacrificio vino abſtinebant, & in *aqua* ſola conſecrabant. Erant illi e diſcipulis *Ebionis*, ab uſu aquæ *Hydroparaſtatæ* & *Aquarii*, a perpetua a carnibus & vino abſtinentia *Encratitæ* vulgo vocitati. Hiſce nominibus eos appellant communiter & damnant Sancti Patres. Auguſtinus, *de hæreſ.* cap. 64. eos vocat *Aquarios*; Epiphanius, *hæreſ.*46. *Encratitas*; *Encratitas*, & *Hydroparaſtatas* Theodoretus, *de fabulis hæretic.* l. 1. c. 20. qui aſſerit, eos a *Tatiano* originem traxiſſe, Chryſoſtomus, *hom.*83.*in Matth.* pernicioſam vocat hæreſin eorum, qui *aqua* in Myſteriis utantur, cum tamen Dominus ad hanc hæreſin radicitus evellendam, quando hoc Myſterium tradidit, vinum tradiderit. Idem in Philaſtrio, *de hæreſ.* c. 77. videre eſt, idem in Irenæo, l. 5. c. 1. in Clemente Alexandrino, *Strom.* l. 1. *Pædag.* l. 2. c. 2. & in Concilio Trullano, c. 32. Obſervandum autem eſt, præter memoratos aliud fuiſſe genus *Aquariorum*, qui uſum vini non rejecerint tamquam in ſe, vel in Euchariſtia ſimpliciter illicitum: nam in officio ſuo veſpertino vino in Euchariſtiæ conſecratione utebantur; non autem in conventibus ſuis matutinis, metuentes, ne vini odore Gentilibus proderentur. Longam de hiſce narrationem habet Cyprianus, *ep.* 63. *ad Cæcilium*, in epiſtola quadam contra ipſos potiſſimum ſcripta.

AQUARITIA, liquidorum menſura, de qua ſæpe Cencius Camerarius in ſuo M. S. Rituali, qui etiam aliam minorem menſuram refert *Aquariolam* appellatam.

AQUILA, Bibliæ interpres ex Chriſtiano fit Hebræus, & quare, Vide *Phariſæus*.

AQUILEJENSIS SEDIS Privilegia. Vide *Patriarcha*.

AQUILUS, ideſt, Dæmon. Vide *Dæmon*.

AQUIMOLUM, & *Aquimola*, molendinum aquæ, in privileg. vel conceſſione Jo: XIX. ad favorem Eccleſiæ, ſeu Epiſcopatus Sylvæ Candidæ ſub anno 1026. FR. potius Jo: XX. nam ſecundum Baron. Jo: XIX. obiit 1009. & Jo: XX. cœpit regnare anno 1024. & obiit 1033. Sed error calculandi Pontificum tempora etiam apud antiquos ſcriptores non raro accidit, ac de nomine Joannis præcipue XIX. & XX. quomodo inter hiſtoricos irrepſerit. Vide Ciacconum.

AQUITANIA. Vide *Aguitania*.

AQUITANICUM PALLIUM. Vide *Bigerriga*.

ARA. Vide *Altare*, *Thymelius*.

ARABICI. FR. hæretici a regione, unde inſurrexere, ita appellati, aſſerentes animam rationalem eſſe mortalem; ſed reſurrecturam in die judicii una cum corpore. 24. quæſt. 3. can. 39. Arabes quando Africam cepere. Vide *Taxatus*. Arabica aliqua vocabula retinent Itali, & innumerabilia Hiſpani. Vide *Verſus Leoninus*.

ARAMEI, ſive *Arimi* populi. Vide *Syri*.

ARATRI PARS. Vide *Plonum*.

ARBALISTA, Baliſta. [ Tapeta & culcitras ſuſpenderant, ne funda, & arbaliſtis forſitan percuterentur intrinſecus. In vita Beati Caroli Comitis.

ARBERGARE, & *Arbergaria*. Vide *Albergare*.

ARBITRIUM, Vide *Propoſitum*. *Autexuſion*. *Liberum arbitrium*.

ARBOR, terreſtris Paradiſi. Vide *Adamitica*.

ARCA. Vide *Corbona*.

ARCARIUS, Theſaurarius, ſeu Depoſitarius. [ Hic ultra conſuetudinem Arcarius Eccleſiæ Romanæ efficitur. In vita S. Agathonis Papæ. ] FR. [ Salutat vos Eraſtus Arcarius Civitatis. Rom. 16. Et per ſemetipſum cauſam arcariæ diſputavit emittens, videlicet, de ſuſcepta manu ſua obumbrata. Anaſt. ] ideſt, Chirographum cautionis manu propria ſcriptum.

ARCATURA. FR. palorum ſepem ſignificat in publicum, privatumque commodum ſtructam ad arcendam, & conſtringendam fluminis aquam. Camill. Peregrin. de Princip. Longobar. tit. Caſtigationes in Falconem Beneventan. pag. 154. Sed ex verbis Falconis arcuatum pontis ſignificare videtur, qui ſic ait: [ Ad frangendam, ut ita dicam, arcaturam ivit. Cumque Comeſtabulus ſic frangentes eos flumen Sabbati vidiſſet. In Chron. an. 1115.

ARCELLULA, ideſt, parva arca. [ Qui dum diverſa reſpicerent, ait, in hanc arcellulam ſolitus erat pater meus numiſmata auri congerere. Greg. Turon. lib. 2. cap. 4. ] Apud Anaſt. Biblioth. reperitur *Arcella* in eadem ſignificatione.

ARCESSIO, FR. ſignificat mortem. [ Ut ſi quis poſt arceſſionem meam abs te pacem petierit, des in nomine meo. S. Cyprian. epiſt. 22. ] Aliqui legunt *Arceſſitum*. Et alii fortaſſe melius *Acceſſitum*.

ARCEUTHINUS, ἀρκεύθινος, Juniperinus. [ Sed & ligna cedrina mitte mihi, & arceuthina, & pinea de Libano, 2. Paral. cap. 2. ] Significat juniperi lignum, a voce græca ἄρκευθος, ideſt, *Juniperus*. Nec mirum eſt; nam Vitruvius lib. 2. cap. 9. hoc lignum optimum ad fabricandum eſſe aſtruit, & Plinius refert ex eodem ligno in Hiſpania Dianæ templum conſtructum fuiſſe. Ideo corrigendi ſunt Codices in quibus mendoſe *Arcentina* legitur. Hebræa tamen lectio habet *Algumin*, ideſt, *Abies*.

ARCHÆUS. Stultus, ſimplex, & ineptus, vocabulum græcum ἀρχαῖος, de quo Hieronymi Dial. 1. in Pelag. Vide *Baburrus*.

ARCHIACOLUTHUS, Ἀρχιακόλουθος, Acolythorum caput. [ Stephanus archiacoluthus cum omnibus acolythis, & regionariis. Luitpr. lib. 6. hiſt. c. 6. ] In Eccleſia Metropolitana Capuæ erat Canonicalis digni-

dignitas, ad quam in feſto SS. Innocentium ordinare officium ſpectabat, ita Michael Monachus in Sanctuar. illius Civitatis.

Archiater, & *Archiatros:* Ἀρχιάτρος, Protomedicus. [ Adfuit Reovalis Archiater. Greg. Turon. cap. 15. lib. 10. ] FR. [ Quia B. Petri Apoſtoli Vicarius æſtimatur, prohibetis Archiatrum ejus afferri medicinam. Ennodius Ticinen. Epiſc. in Apologet. ] Appellat Pontificem Petri Vicarium, qui revera Chriſti eſt, ſed hoc Ennodius ex aſſertione Schiſmaticorum loquitur, nam ex ſequentibus ejus verbis, ſatis videtur illum pro Chriſti Vicario prædicare, dum ait: [ Non nos B. Petrum, ſicut dicitis, a Domino cum Sedis privilegiis, vel ſucceſſores ejus peccandi judicamus licentiam ſuſcepiſſe. Ille perennem meritorum dotem cum hæreditate innocentiæ miſit ad poſteros: quod illi conceſſum eſt pro actuum luce, ad illos pertinet, quos par converſationis ſplendor illuminat. ] Ubi Petri Succeſſores, & hæredes Pontifices appellat, & pari modo a Deo illuminari probat.

Archicantor. [ Jo: Archicantor Baſilicæ Vaticanæ. & S. Martini Abbas, tanquam delegatus apoſt. ad Synodum Anglicanam ab Agathone Papa an. 679. miſſus, Britannos cantum juxta Vaticanum ritum docuit. Beda lib. 4. cap. 18. ] Vide *Archiparaphoniſta. Præcentor. Baculus. Cantor. Primicerius.*

Archiclavus, Eccleſiaſtica Dignitas. Regentem, ſeu Gubernatorem Eccleſiæ, vel Monaſterii denotat, de qua dignitate ſæpe in antiquis ſcripturis, ubi Archidiaconalem præcedere videtur, legitur enim hoc ordine in ſubſcriptionibus. [ Signum Arnulfi Archiepiſcopi, ſignum Guarcilonis Archiclavi, ſignum Jonæ Archidiaconi. ] FR. Legitur etiam *Archiclavis* ſumptâ metaphora a Gubernatore navis, qui clavum, ſeu temonem regit, qui navis gubernator, & regens eſt, ſic de Summo Pontifice Ennodius Ticinen. Epiſc. in Apologetico dixit. [ Deo gratias, qui hanc providentiam indidit ei, cui rerum humanarum ſumma commiſit. Spes certa quietis eſt, & ſalutis, perfecta in gubernatores ſapientia. Puppis cujus Magiſter ad clavi regimen intellectus dote præparatur, ubique ſtationem, ubique portum habet in fluctibus.

Archidiaconus, Ἀρχιδιάκονος: canonicalis dignitas, ideſt, Diaconorum caput, cujus maxima erat auctoritas, ut ſacri teſtantur canones. Sæpe oculus Epiſcopi dicitur, cujus actionum teſtis erat. [ Inter quos, videlicet, adverſarios unus eſt nomine Lyſiardus, olim quidem Archidiaconus, qui cum eſſe deberet oculus Epiſcopi ſui, diſpenſator pauperum, catechizator inſipientium, apoſtatavit ab his omnibus, & factus eſt Epiſcopo ſuo quaſi clavus in oculum, prædo pauperibus, dux erroris inſipientibus. Fulbert. Epiſt. 34. ] Archidiaconus Eccleſiæ Romanæ ſedebat coram Pontifice. Baron. ann. 1097. Imo Vicarius ejuſdem erat in Eccleſiaſticis cauſis, nam non ſolum eas Clericorum regionalium, ubi non reſidebat proprius, Diaconus regionalis judicabat, ſed etiam ob non bene adminiſtratam juſtitiam a Diaconibus regionalibus in gradu appellationis ad eum recurrebatur, ut ex Ordine Romano cap. 7. de Offic. Archid. & 25. diſt. can. perlectis liquet. Item exercebat de jure officium Datarii, ut eodem cap. 7. colligitur. Vide *Circumluſtrator*. Sed hoc an abuſive, vel de jure ageretur, Vide can. dictum eſt. diſt. 94. & ibi Gloſſa. Archidiaconus vero Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ induebatur ſacerdotali caſula in die Crucis Exaltationis, ut Curopalata notavit; quia tunc Archidiaconi officium Sacerdotis ex ordine *Exocatacœlorum* exercebat. Vide *Exocatacœli*. FR. Antiquitus ex gradu eorumdem Diaconorum Archidiaconus eligebatur. D. Hieronym. Epiſt. 83. ad Evagrium in 2. Eſdr. cap. 11. num. 22. Item Archidiaconus appellatur *Epiſcopus Levitarum*. :||: Qui ad Sacerdotium deveniens, Archidiaconatum dimittebat, quod uſque ad præſens in græca Eccleſia obſervatur; ideo S. Gregorius Salonitanum Epiſcopum reprenderat; qui ſuum Archidiaconum Sacerdotem fieri cogebat, ut ea dignitate illum ſpoliaret, dum is nec ad renuntiandum gradum ſuum, nec Sacerdotium ſumendum inclinabat. In ſede Epiſcopali vacante ad Archidiaconum capitularis Vicariatus ſpectat. Zerol. in praxi Epiſcop. part. 1. Archidiac. & ideo ab Oſtienſi *Vicarius natus* appellatur; & ex eo quia de jure Archidiaconus Epiſcopi Vicarius erat. cap. 7. de offic. Archid. ideo ei Archipresbyter ſubordinatus erat, ut habetur in cap. 2. de offic. Archipresbyt. ideoque in multis Cathedralibus omnes dignitates Archidiaconus præcedit. Hujus dignitatis prærogativa arrogantiam nutrivit, ut ea præditi, Sacerdotis gradum tamquam eis inferiorem ſuſcipere recuſabant; unde Hieronymus ajebat [ Injuriam putat, ſi presbyter ordinetur. In Ezech. ] Quare Urb. II. & Alex. III. temporibus hujuſmodi dignitas derogata fuit; cœpitque *Diaconorum prioratus* appellari. Fallitur Jo: Citrius, dum lib. 5. Jur. Orient. Reſp. 1. aſſerit Archidiaconatus titulum antiquiori Diacono ſolitum fuiſſe tradi, conſtat enim per electionem hoc fieri conſueviſſe; ſic de Alexandro legimus. [ Qui cum adoleſcens eſſet, Choro Diaconorum præfuit Theodor. lib. 1. hiſtoriar. c. 16. ] Et clarius de hac Archidiaconi electione. [ Quemadmodum ſi exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de ſe, quem induſtrium noverint, & Archidiaconum nuncupent, Hieronym. Epiſt. 55. ad Evagrium. ] Quod habetur in can. legimus diſt. 93. FR. Archidiacones erant Oeconomi Eccleſiæ, & Epiſcopatus Vicedomini; unde a Gregor. Papa Anatolius Diac. conſtituitur Vicedominus, diſt. 89. can. Diaconum. Et quoad Oeconomiam S. Stephanus Diacon. Protomart. fuit Primitivæ Eccleſiæ Oeconomus. Vide *Oeconomus*. Item de S. Cornelio Papa in lib. de Ro-

Romanis Pontificibus habetur, quod omnia bona Eccleſiæ Archidiacono Stephano tradidiſſet; qui Stephanus deinde jam Papa, ante ſuum martyrium, omnia vaſa Eccleſiæ, & pecuniæ arcam Xiſto Archidiacono dederat. Idem poſtea ſanctus Xiſtus jam Papa, & futurus martyr Archidiacono Laurentio theſauros Eccleſiæ commendavit. Ad Archidiaconum ſpectat Cereum Paſchale, & Agnos Dei benedicere. Vide *Cereus Paſchalis*. Antiquitus erat officium Magiſtri Cæremoniarum. Vide *Cæremoniarum Magiſter*. *Protodiaconus*.

* Archidiaconus. Quamquam *Archidiaconi* poſterioribus ſæculis ut plurimum de Presbyterorum fuerunt ordine, antiquitus tamen nonniſi Diaconi erant: quod ex iis Scriptoribus evidenter patet, qui primum de *Archidiaconis* verba fecerunt. Hieronymus, *ep.* 85. *ad Evagrium*. *& ep.* 4. *ad Ruſtic.* auctor eſt, *Archidiaconum* ex Diaconis electum, & principem Diaconum in quavis Eccleſia fuiſſe, perinde ac Archipresbyter princeps fuit Presbyter; & in ſingulis Eccleſiis unum tantummodo extitiſſe. *Cæcilianum* Optatus, l. 1. *Archidiaconum Carthaginenſem* appellat; erat tamen Diaconus ſolum, antequam Epiſcopus conſecraretur. Unde factum, ut ipſe *Cæcilianus* diceret, ut ſi ipſe non legitime eſſet ordinatus Epiſcopus, quemadmodum arbitrabantur *Donatiſtæ*, tamquam Diaconum tantummodo ſe tractarent. Certum eſt, S. Martyrem *Laurentium* Archidiaconum *Romanum* nonniſi Diaconum fuiſſe principem, ſeu primum e ſeptem viris, qui ſtabant proximi ad Altare, & miniſtrabant, uti Prudentius, *hymn. de S. Laurent.* v. 36, 37. loquitur; *Hic primus e ſeptem viris, qui ſtant ad aram proximi*. Ex quibus teſtimoniis perſpicuum eſt, hiſce temporibus *Archidiaconum* ſemper unum ex Diaconorum ordine fuiſſe. || Enim vero quomodo *Archidiaconus* ad hunc honorem perveniret, & qua ratione officium hoc ei demandaretur, inter ſe non conveniunt eruditi viri. Autumant nonnulli, *Salmaſ. de Primat.* initio eum nonniſi ſeniorem Diaconum fuiſſe, etiamſi labente tempore hoc officium electivum evaſiſſe concedant. Putant alii, *Habert. Pontifical. obſer.* 6. illud ſemper electivum fuiſſe, & potuiſſe pro ſuo arbitrio Epiſcopum, de Diaconis quempiam nominare, quem idoneum ad hoc officium judicaret. Ita cum *Athanaſio* factum fuiſſe ex iis quodammodo intelligitur, quæ de ipſo refert *Theodoretus* l. 1. c. 26. quod licet ætate eſſet junior, ordinis tamen Diaconorum princeps factus ſit. Quod quidem eum ab Epiſcopo electum, atque iis, qui ætate præibant, prælatum fuiſſe indicat. *Hieronymus*, loco ſupra citato, in conſtituendo *Archidiacono* non ætatis rationem habitam, ſed de ceteris eum electum fuiſſe, perſpicue adſerit: tantummodo eligendi poteſtatem Diaconis videtur tribuere. Sed vero ſi quid ſuffragii hac in re habuerunt, ſub Epiſcopi directione id habuiſſe cenſendi ſunt; quippe qui per Concilium *Agathenſe*, c. 23. jubetur *Archidiaconum* ſibi eligere, & ſeniorem ordinarie ceteris præferre, ſi huic officio vere idoneus fuerit: ſin minus, alium eligere debeat, quem ad munia eccleſiaſtica obeunda, provinciamque ſibi concreditam recte adminiſtrandam omnium maxime idoneum judicaverit. || Quod ad officium *Archidiaconi* attinet, proximus ſemper Epiſcopi erat miniſter & pediſſequus: *A latere Pontificis non receſſit*, ut *Hieronymi* phraſi, *comm. in Ezech.* c. 48. loquamur, ſemper ad ſubveniendum ei paratus. Speciatim ad Altare, Epiſcopo Sacris operante, ſolita Diaconi officia peragebat. Auctori *Conſtitutionum* dicitur ὁ παρεςὼς τῷ Ἀρχιερεῖ *Diaconus qui Epiſcopo adſiſtebat*, atque incipiente Euchariſtiæ celebratione proclamabat: *Nemo contra aliquem, nemo in ſimulatione accedat*, Conſt. Apoſt: l. 2. c. 57. Illius erat calicem miniſtrare, ubi Epiſcopus Altaris Sacrificium celebrans Euchariſticum cibum diſtribuerat, quemadmodum de S. *Laurentio* Archidiacono *Romano* narrat *Ambroſius*, de offic. l. 1. c. 41. Ipſius etiam tamquam Vicarii Epiſcopi erat ea, quæ ad Clericos inferiores ſpectabant, eorumque miniſteria, in Eccleſia diſponere: exempli cauſa, quis ad orandum hortari, quis januas cuſtodire, quis in templo obambulare, & plebis mores obſervare, quis Lectorum, Acolythorum, Hypodiaconorum, quo tempore, quo loco & ſtatione, officium perficere deberet. Hæc enim non præciſe ordinata, ſed in Epiſcopi arbitrio poſita erant, ut pro lubitu inſtitueret; id quod plerumque per *Archidiaconum* faciebat: cujus inde mandata & juſſa in quibuſdam antiquioribus Conciliis *ordinationes*, & *ordinatio Eccleſiæ* quandoque appellantur, *Vid. Conc. Agath.* c. 23. *Iſidor. Hiſpal. ap. Grat. diſt.* 25. c. 1. §. 11. Unde appellationem *Ordinarius*, quæ poſterioribus temporibus *Archidiaconis* adſignata eſt, ortam eſſe exiſtimari poteſt. || Epiſcopo in diſpenſandis Eccleſiæ reditibus operam ſuam jungebat *Archidiaconus*, & ſub Epiſcopo præcipuam gerebat curam pauperum, orphanorum, viduarum, &c. quibus omnibus ſuæ cuique portiones ab ipſo adſignabantur, & per manus Diaconorum, qui ei ſuberant, deferebantur. Concilium *Carthaginenſe* quartum, c. 17. hujus *Archidiaconalis* muneris mentionem injicit, dum præcipit: *Ut Epiſcopus gubernationem viduarum, pupillorum, ac peregrinorum non per ſe ipſum, ſed per Archidiaconum, aut per Arohipresbyterum agat*. Hoc intuitu *Prudentius* officia S. *Laurentii* Romani *Archidiaconi* deſcribens, inter alia theſauri eccleſiaſtici claves, *hymn. de S. Laur.* v. 39. & curam diſpenſandarum populo oblationum ei adſignat. Et hanc ob cauſam tum ipſe, tum Ambroſius,

ſius, *de offic.* l. 2. c. 28. aliique, *Auguſt. ſerm.* 111. *de diverſis*, Martyrii ejus Scriptores perhibent, Præfectum ethnicum ei imperaſse, ut theſauros fidei ſuæ concreditos ſibi extraderet: quod cum ſe facturum promiſiſſet, poſtridie pauperibus, claudis, cæcis, infirmis adductis, dixiſse fertur, has eſse divitias, quas cuſtodiendas accepiſset; hiſce enim opes Eccleſiæ ſe expendiſse. Hinc Paulinus, *de mirac.* S. *Martini* l. 4. Archidiaconum *arcæ cuſtodem* nuncupat: quia etſi reliqui Diaconi diſtribuere pecunias, & ſuam cuique portionem reddere debebant, ipſe tamen præcipuus eorum adminiſter erat & director, ab eoque tamquam eccleſiaſtici theſauri cuſtode juſsa accipiebant. Hac de cauſa *Donatiſtæ* inter alia *Cæcilianum* criminabantur, dictitantes prohibuiſſe eum, *Aug. Brevic. Collat.* 3. c. 14. quominus Diaconi Martyribus in cuſtodia detentis victum adferrent. Quam criminationem hoc ipſo fundatam fuiſse oportet, quod ex officio, tamquam *Archidiaconus*, Martyribus alimenta ſuppeditare debuit; quod eum non tantum neglexiſſe, ſed etiam ne ab iis, qui imperio ejus ſuberant, miniſtrarentur, auctoritate ſua interdixiſse cauſabantur. || Alia *Archidiaconalis* officii pars erat, Epiſcopi loco nonnumquam concionari. Quemadmodum enim Diaconus quiſque, conſentiente Epiſcopo, concionandi habebat auctoritatem, ita *Archidiaconus*, omnium Diaconorum primus, frequenter ad hoc officium ſeligebatur, ſi quidem verba *Hieronymi*, Comm. in Ezech. c. 48. *Primus Miniſtrorum per ſingula concionatur in populos*, ita fas eſt intelligere. Vocabulum enim *ſingula* tam ad tempora, quam ad loca referri poteſt. Quod ſi vero quis exiſtimet, *concionari* hoc loco nihil amplius ſignificare, quam prædicare, & κηρύσσειν, hoc eſt officium ſacri Præconis in congregatione exercere, non eſt refragandum; dicendum tamen, quod *Hieronymus* loquens de re quapiam, qua *Archidiaconi* populi gratiam & ſtudium ſibi conciliarint, potius officium concionandi, quam aliud quidpiam intelligere videatur. || *Archidiaconus* poteſtate etiam donatus erat reliquos Diaconos, & inferiores Eccleſiæ Clericos puniendi. Ita certe in quibuſdam Eccleſiis obtinuiſſe, ex loco quodam in Actis Concilii *Chalcedonenſis* liquido apparet, ubi *Ibas* Epiſcopus *Edeſſæ* de *Mara* Eccleſiæ ſuæ Diacono loquens, eum, *Conc. Chalc. Act.* 10. excommunicatum eſse dicit non a ſe, ſed ab *Archidiacono* ſuo, qui propter crimen in Presbyterum quemdam admiſsum ſacra communione ei interdixerat. || An vero *Archidiaconus* ullam in Presbyteros poteſtatem habuerit, in utramque partem diſputatur. *Cujacius*, & alii a *Baluzio* citati, *Baluz. not. ad Gratian. diſt.* 25. c. 1. non dubitant adfirmare, ipſum Archipresbyterum in omnibus Eccleſiis *Archidiacono* ſubjectum fuiſse. Enim vero ne ullum quidem iſtiuſmodi poteſtatis veſtigium in ullo antiquo Scriptore, vel Concilio invenire eſt; ſed omnis hujus erroris origo corruptioni cuidam in *Gratiani* Decreto debetur. *Gratianus* ſiquidem, *diſt.* 25. c. 1. *ex epiſt. Iſidor. Hiſpal. ad Ludifred.* citat verba, quæ ſequuntur, quaſi ex *Iſidoro* Hiſpalenſi; *Archipresbyter vero ſe eſſe ſub Archidiacono, ejuſque præceptis, ſicut Epiſcopi ſui, ſciat obedire*. Verba eadem citant alii ex Concilio *Toletano*, rati inde probari poſse, *Archidiaconos* in Archipresbyteros poteſtatem exercuiſse. Sed ex *Baluzii*, & *Romanorum* Correctorum teſtimonio iſtiuſmodi verba in *Iſidori* epiſtola nuſquam inventa ſunt; eaque in ullo genuino Concilii *Toletani* decreto extare negat *Garſias Loaiſa*. Non negaverim tamen, *Gratiani* ætate ſic fuiſse, quemadmodum ipſe dicit; tunc enim temporis *Archidiaconos* e Presbyterorum ordine electos fuiſse probabile eſt: quamquam quo demum tempore id fieri cœperit, non ita facile definiri poteſt. Hoc certum omnino eſt, ſæculis aliquot ante *Gratianum* conſuetudinem jam fuiſse immutatam. Nam Sæculo nono ad minimum aliqui *Archidiaconi* de Presbyterorum erant ordine; quemadmodum ex *Hincmari* Capitulis. *Hincm. Capit. Archidiaconibus Presbyteris data T.* 8. *Conc.* ad Guntharium, & Odelhardum, duos ex ipſius Archidiaconis, quos Presbyteros appellat, apparet. Satis itaque idonea cauſa ſuppetit arbitrandi, tempore *Gratiani* Archidiaconos univerſos ex Presbyterorum collegio fuiſse. Unde mirum non eſt, quod *Gratianus* dicat, eos poteſtatem habuiſse in Archipresbyteros, vox enim *Archipresbyteri*, iſtius ævi lingua, nihil amplius quam *Decanos rurales* ſignificat, in quos *Archidiaconi* poteſtate gaudebant, & in hunc uſque diem multis in Eccleſiis gaudent. || Sed ut ad primitivæ Eccleſiæ *Archidiaconos* redeamus, unum adhuc eſt, de quo diſputari poteſt: Utrum videlicet *Archidiaconorum* poteſtas ſuper omnem Diœceſin olim ſe extenderit, an in Eccleſia civitatis, ſeu matre fuerit concluſa. Medio ævo ſine controverſia in univerſam Diœceſin habuerunt poteſtatem. Nam *Iſidorus Hiſpalenſis*, qui Sæculo nono ineunte vixit, ubi de *Archidiaconi* officio agit, *ſollicitudo quoque*, inquit, (*ep. ad Ludifred. & ap. Gratian. diſtinct.* 25. c. 1.) *Parochitanorum* (al. *Parochiarum*) hoc eſt Diaconorum & inferiorum Clericorum, *& ordinatio, & jurgia ad ejus pertinent curam: Pro reparandis diœceſanis Baſilicis ipſe ſuggerit Sacerdoti: ipſe inquirit Parochias cum juſſione Epiſcopi, & ornamenta vel res Baſilicarum Parochitanorum* (al. *Parochiarum*) *& libertatum eccleſiaſticarum Epiſcopo idem refert*. *Habertus* autem, *in Ponific. part.* 9. *obſervat.* 6. Archidiaconos eamdem poteſtatem jam ſæculis aliquot ante habuiſse contendit; idque probaturus locum adfert

ſert e Concilio *Chalcedonenſi*, *Act.* 10. ubi in libello quodam a Presbyteris *Edeſſenis* adverſus *Ibam* ipſorum Epiſcopum exhibito, *Abraamius* Diaconus Eccleſiæ in omnibus latinis ejus verſionibus vocatur *Diaconus Apantita*, qua appellatione putat *Habertus* univerſalem Eccleſiæ Inſpectorem deſignari. En ejus verba: *Sollicitudo & ordinatio Parœciarum ad Archidiaconum ſpectat, ait Iſidorus, quod maxime in Diaconum Apantitam cadit, de quo in Actis Concilii Chalcedonenſis in libello Samuelis & aliorum Presbyterorum Edeſſæ .... Abraamius Diaconus Occurſor noſtræ Eccleſiæ.* Aſt duæ contra hanc *Haberti* opinionem militant rationes. I. Quod *Abraamius* non erat *Archidiaconus*, ſed privatus tantum Eccleſiæ Diaconus: nam eodem loco alterius cujuſdam *Archidiaconi* habetur mentio, qui cum *Ibas* in eo eſſet, ut *Abraamium* ordinaret Epiſcopum *Patenæ*, interpellarit, atque impedierit, quominus id faceret, eo quod *Abraamius* artis magicæ nomine cenſuram eccleſiaſticam ſubiiſset, neque ullam Eccleſiæ ſatisfactionem præſtitiſset. Et quamquam *Ibas* Archidiaconum munere dejiciendi occaſionem arripuiſse dicitur, tamen ne verbo quidem indicatur, quod *Ibas Abraamium* in iſtius locum ſurrogaverit; quod ſi feciſset, aliud ſine dubio accuſationis caput contra eum coram Concilio ſuppeditaſset. II. Textus *Græcus* authenticus in editione *Labbei* non habet Γιάκονος ἀπαντιτὴς, ut *Habertus* legit, ſed tantum Γιάκονος ἀπ' αὐτῆς τῆς ἡμετέρης ἐκκλησίας, *Diaconus ipſius Eccleſiæ noſtræ Edeſſæ*, & quamvis ἀπαντιτὴς in margine poſitum ſit, non tamen pro variante lectione, ſed tantum Editoris conjectura id habendum eſt, quæ quidem non ſatis idoneum fundamentum eſt, quo ejuſmodi adſertum ſuperſtruatur, niſi aliud quoddam argumentum, ſeu teſtimonium in medium proferatur. Quocirca de poteſtate *Archidiaconorum*, quam antiquis temporibus habuerint, nihil definiendum; ſed prudentis lectoris ampliori inveſtigationi relinquendum. || Alterius nominis meminit *Valeſius*, quod *Archidiaconis* interdum datum eſſe putat, nimirum nomen *Cor-Epiſcopi*; quam in rem verba cujuſdam *Joannis Abbatis* in libro de tranſportatione Reliquiarum S. *Glodeſindis* citat; *Jo: Abbas ap. Valeſ. Not. in Theodoret.* l. 1. c. 26. Verba ſunt hæc: *Hujus rei novitas dum ad notitiam ſupra memorati Pontificis perveniſſet, morarum impatiens mox in craſtinum ad hoc inſpiciendum Sacrorum Miniſtros cum Archidiacono Majore, quem Cor-Epiſcopi dicunt, Pontifex direxit.* Hoc primo intuitu quaſi corruptio quædam nominis *Chorepiſcopi* videri poteſt; atque inde inferri, veterum Chorepiſcoporum poteſtatem poſterioribus temporibus in *Archidiaconorum* abiiſse poteſtatem. At enim vero ſi animo advertamus, omnes Diaconos priſcis temporibus appellatos fuiſse Epiſcopi oculos, ipſius aures, os, & cor (quemadmodum ſuo loco videbitur) probabile eſt, *Archidiaconum* his titulis ſpeciatim fuiſse inſignitum; adeoque *Cor Epiſcopi* vocatum; quod ad ſignificandam ejus mentem & voluntatem populo adhibitus fuerit. Quemadmodum *Oculus Epiſcopi* non tantum in antiquis Scriptoribus, *Iſid. Pelus.* l. 1. *ep.* 29. ſed in *Decretalibus* etiam, l. 1. *tit.* 23. c. 7. §. 4. & Concilio *Tridentino*, *Seſſ.* 24. c. 12. *de Reformatione*, nominatur, quia erat Epiſcopi oculus ad Diœceſin ſub eo inſpectandam.

Archiepiscopus, Ἀρχιεπίσκοπος, cui totius provinciæ cura incumbebat, 9. q. 3. c. 2. & ſeqq. Dicitur etiam *Metropolita*, & *Metropolitanus*, quia in provinciæ *Metropoli* reſidebat, quam Latini *Civitatem* provinciæ *primariam* appellabant, unde & *Primas* Archiepiſcopus dictus eſt, item & *Patriarcha*. Balſamon, & alii. Sed multiplicatis jam in eadem provincia Metropolitis; Primas deinde dictus eſt, qui cæteris Comprovincialibus præ eſt. FR. Ad conſtituendum Archiepiſcopum in aliqua provincia debet decem, vel undecim Civitates, & unum Regem, decem, vel undecim Epiſcopos ſuffraganeos habere, & tunc provincia dicitur. can. Scitote 6. quæſt. 3. Canones etiam, & Auctores Epiſcopum, qui Metropolitano non ſubeſt Archiepiſcopum appellant, quæ conſuetudo etiam apud Græcos reperitur; Balſamon & alii. Maronitæ *Motràn*, ideſt, Metropolitam, ex vulgi abuſu etiam Epiſcopos Metropolitis ſubjectos vocant. Vide *Autocephali*. Archiepiſcopus ab alio Archiepiſcopo debet ordinari. can. perdenda 24. quæſt. 1.

Archierosina. FR. Pontificalis dignitas, vox græca ἀρχιερωσύνη: nam *Archiereus*, ἀρχιερεὺς, Pontificem ſignificat, ab ἀρχός, ideſt, *Princeps*, & ἱεροσύνη, *miniſterium*, ac ſi *Primus miniſtrans* diceretur. [ In conſequenda archieroſyna ille ſit potior, qui patriæ plura præſtiterit, nec tamen a templorum cultu obſervatione Chriſtianitatis abſceſſerit. Cod. Theod. lib. 12. tit. 1.

Archigallus, primus inter Eunuchos cuſtodes ad regium fœminarum conſeptum, Principiſque libidinoſum ſeminarium. [ Et tamen calicem non dico venerarium, in quo mors aliqua ructarit; ſed fictricis, & archigalli, vel gladiatoris, vel carnificis ſpiritu infectum. Tertull. de Reſurrect. carn. cap. 16.] FR. quo vocabulo etiam uſus eſt Julius Firmicus. Matheſ. lib. 3.

Archigerontes, l. 6. Cod. de Epiſc. aud. Ubi jubetur, quod hi officiales ſint Chriſtiani. FR. ſignificant Principes ſenum. Alciat. in C. de Epiſc. & Cler. ab ἀρχός, & γέροντες, unde γεροντοκομεῖον, gerontocomion, ſenum hoſpitale. Vide ſuo loco. :||: Accurſius tamen exiſtimavit Archypresbyteros fuiſſe, qui pro confeſſionibus ad metalla damnatorum audiendis deputati erant, at ſi Archipreſbyteri

byteri fuiſſent, non erat neceſſe in eo Codice conditionem religionis ponere; nam eo ipſo, quod Archipreſbyteri eſſent, Chriſtianos fuiſſe omnino ſupponendum erat. Alii Præfectos imperialis menſæ eos exiſtimarunt, ſed Decanos ſenum famularum palatii deſtinatarum, ex vocabuli ſignificatu, ſatis fuiſſe colligitur.

ARCHILEVITA. Vide *Archidiaconus*.

ARCHIMANDRITA, Ἀρχιμανδρίτης, Princeps ovium. FR. Gloſſ. in c. diſpenſationes 1. q.7. Inter Latinos eccleſ. dignitas adhuc Meſſanæ viget, quæ prius Monachorum Baſilienſium erat, nunc vero in comendam a Catholico Rege Clericis ſecularibus conceditur, & eſt maximi honoris, ac proventus. Aliquando tamen tribuitur Archiepiſcopo hic titulus. [ Qualiter Beatus Archimandrita Severus ejus ſepulturæ fuiſſet divinitus deſtinatus. In vita S.Severi Archiepiſc. Ravennaten. quæ M.S. conſervatur in Bibliotheca S. Mariæ Vallicellæ de Urbe. Hoc prohibent dilecti Dei Epiſcopi, & Archimandritæ. In Novell. Juſtinian. 5. ] Abbatiſſa Monialium etiam *Archimandriſſa* dicitur: in Conſtitut. Caroli Magni.* Vide *Mandra*. *Mandrita*. In Capella Pontificia a Protonotariis præceditur. Vide *Protonotarius*.

ARCHIMARGIRUS, Annonæ, ſeu Coquinæ præfectus. [ Earum Archimargirus defeciſſe ſtipendium victus promit. In vita S. Vincentii Presbyt. ] Vox quidem corrupta, cum Archimagirus ſecundum græcam dictionem ἀρχιμάγειρος legi debuiſſet, id eſt principalis coquus: FR. Hoc nomine LXX. in c. 36. Gen. *Putipharem* nominant, qui Joſephum emerat; ubi Vulgata *Princeps exercitus* habet, quia in rigoroſo græco ſenſu *Archimargirus Principem occiſorum* ſonat, ideo eadem vulgata *Principem exercitus* habet, & LXX. *Principem coquorum* interpretarunt. Utraque tamen lectio in hoc convenit, quod tam ille, quam iſte occiſorum Princeps eſt; hominum ille, & hic animalium. Lectio autem hebraica cum vulgata concordat.

ARCHIMIMUS, ἀρχίμιμος. FR. Principalis comicus, ſeu Comœdiarum director. [ In Africa SS. Maſculæ Archimimi &c. Martyrol. Rom. 29. Martii. Vide *Tribunus*; *Thymelicus*.

ARCHIOENOCHUS, Major a poculis miniſter, ex græco vocab. ἀρχιοινόχους, quo D. Hieronymus in Geneſ. utitur, & in hoc ſenſu pariter explicat. FR. dicitur etiam ἀρχιοινοφόρος, nam οἰνοφόρος, *Vinifer* græce intelligitur, item & ἀρχιοινοχόος a voce οἰνοχόος, quod idem eſt, ac *pocillator*.

ARCHIOTA, vox græca ἀρχειώτης, Archimiſta. [ Hi quoque, qui cuſtodes ædium, vel archiotæ. Dig. lib. 50. tit. 4. lib. 18. §. 10. ] FR. græce ſignificat propriæ *Antiquarium*, quia in Archivio ſcripturæ antiquatæ conſervantur. Valentinianus Imp. ſeptem Antiquarios, ac peritiſſimos tranſcriptores in ejus Bibliotheca conſtituerat, quatuor, nempe, Græcos, & tres Latinos, ut colligitur ex Theodoſiano Codice l.2. de ſtud. librar. Urb.Ro. De eiſdem mentionem facit D. Greg. c. 4. Dial. Vide *Antiquarius*. *Chartophylax*. *Scriniarius*.

ARCHIPARAPHONISTA, principalis Cantor, cui oblationis tempore in ſacrificio aquam præbere incumbebat; nam Cantores propter occupationem canendi, non erant aſtricti ſicuti reliqui aſtantes ad offerendum panem, & vinum; ideo a vicino fonte aquam ferebant. [ Deinde deſcendit Subdiaconus ſequens ſcholam, & accipit fontem de manu Archiparaphoniſtæ, & defert Archidiacono, & ille ex amula infundit, faciens crucem in calice. Ord. Rom. ] Etymon græcum ἀρχιπαραφωνιστής, quod in rigore *Primum acclamatorem* ſignificat, qui in Cæremonialibus antiquis *Præcentor* vocatur, quia ad ipſum pertinebat Miſſæ introitum intonare, quod incipiebat per ſignum egreſſionis Papæ a Sacrario; is enim ad januam attendens, cum Pontifex a Sacrario egrederetur, ſtatim reliquis miniſtris alta voce *Accedite* dicebat; quæ cæremonialis praxis in Andegavenſi Eccleſia adhuc durat, ubi *Præcantor* ante introitum, eodem verbo ingreſſum Chori denuntiat, & in aliquibus feſtivitatibus proceſſionaliter aquam pro ſacrificio ex Sacriſtia defert in vaſculo abſconſo ſub velo ab humeris pendente, præcedente Subdiacono, ſicut Ordo Rom. præſcribit. Vide *Archicantor*. *Paraphoniſta*. *Schola Cantorum*.

ARCHIPHYLAX, greca vox ἀρχιφύλαξ, primarius Cuſtos; ſic appellabatur in Monte Carmelo Generalis totius Ordinis Carmelitanorum, qui titulus penes eoſdem anno 1121. ceſſavit, quando, nempe, Aimerichus Antiochenus Patriarcha in terra ſancta generale Capitulum congregavit, ubi ad generalatum B. Bertoldus Latinus nominatus fuit, & tunc relicto cano titulo totius Ordinis Antiſtites ad uſum occidentalium Generales Priores nominari cœperunt, a Bertoldo, nempe, primo eorum Latino Generali. Ejus Synonyma. Vide in dict. *Theſaurarius*.

ARCHIPRESBYTER, Ἀρχιπρεσβύτερος, qui a Græcis *Protopapas* vocatur. [ Sunt Archipresbyteri in Epiſcopiis Canonicorum curam gerentes. Valaf. de rebus Eccleſ. c. 31. ] Unaquæque ex tribus Patriarchalibus Romæ baſilicis ſuum Archipresbyterum Cardinalem habet, & horum Vicarii ſunt Prælati, quibus ex decreto Apoſtolicæ Viſitationis, juſſu Alexandri VII. medietas proventus Canonicalis Archipresbyteri aſſignatur. In Ritualibus antiquis, & Diariis hi tres Archipresbyteri *Priores* vocantur, ſic etiam tria Ordinum capita in ſacro Collegio dicebantur, nimirum, *Prior Epiſcoporum*, *Prior Presbyterorum*, & *Prior Diaconorum*, quos alio nomine horum ordinum *Decanos* nunc dicimus. Quilibet ex his purpuratis Archipresbyteris excepto Vaticanæ Baſilicæ in Anni Sancti principio portas Sanctas eorum titulorum aperit: Pontifex vero Por-

F 2 tam

tam in S. Petri Eccleſia poſitam aperit, ac quartam ad S. Paulum Cardinalis Oſtienſis reſerat. Archibresbyter dicitur etiam *Archiſacerdos*. *Protopresbyter*. *Protopapas*.

ARCHISTERIUM, Manſio, ſeu Monaſterium primarium, græce ἀρχιςήριον. [Ad interius Archiſterium propter aſperitatem itineris ire non poterant, in vita S. Antonii c. 53.] Exiſtimant aliqui *Aſceterium* dicendum, nam græce ἀσκητήριον locum ad aliquod exercitium deſtinatum ſignificat; in Monaſteriis enim Religioſorum virtualia opera, ac meritoria exercentur. Aliquando tamen per Synecdochen pars pro toto accipitur, & ſic *Archiſterium* Sedem epiſcopalem denotat, cum ſit primariæ Eccleſiæ in Diœceſi manſio, quod colligitur ex S. Severi Ravennæ Archiep. vita, quæ M.S. in Biblioth. Vallicellana de Urbe conſervatur, ubi ſic. [Quod uxuratus ad Archiſterium Ravennæ acceſſerit,] fortaſſe ædes Pontificis intelligit, quæ tamquam principalis Præſulis manſio conſideratur.

ARCHISTRATEGUS, Ἀρχιςράτηγος, Princeps militiæ, ita Græci Archangelum Michaelem vocant, cujus feſtivitatem illi ad diem ſextum Septemb. ex Emmanuelis Imperatoris conſtitutione, & Menologio celebrant: quare perperam aliqui exiſtimarunt hunc titulum fuiſſe aliquod Aulæ Conſtantinopolitanæ officium, de quo vocabulo Curopalata loquitur; nam idem Auctor vexillum in quo erat S. Michaelis effigies, *Archiſtrategon* appellavit. Vide *Protoſtrator*.

ARCHISUBDIACONUS, antiquum in Eccleſia Romana Officium, de quo ſæpe Ord. Rom. [Archiſubdiaconus levat calicem, & dat eum Archidiacono.]

ARCHISYNAGOGUS, Ἀρχισυνάγωγος. FR. fuit ita appellatus Alex. Severus Imper. quia Hebræos protegebat. Baron. Ann. 224. n. 9. Vide *Synagoga*.

ARCHITRICLINUS, Ἀρχιτρίκλινος, Præfectus convivii, ideſt, trium clinaminum, ſeu lectorum Præfectus, in quibus declinantes Antiqui comedebant. Locus ubi duo declinatoria erant *Biclinium*, ubi tres *Triclinium*, ubi quatuor *Tetraclinium*, & ubi ſex *Hexaclinium* dicebatur. Affirmat D. Gaudentius, quod Hebræorum mos erat Triclinum in nuptiis conſtituere ad evitandas rixas, clamores, & immodeſtias, quod etiam ſentit Baronius de hoc Architriclino, ſeu Triclinarcha ſcribens: de hoc etiam Architriclino loquutus eſt Sapiens, quando dixerat; [Rectorem te poſuerunt? noli extolli, Proverb. c. 32.] Ordo hujus cœnaculi hoc pacto conſtituebatur, ad tria, nempe, latera quadratæ menſæ tria accubitoria ponebantur, relinquendo quartum menſæ proſpectum, ad inſerviendum liberum; ideo triclinium communiter cœnaculum appellatum fuit, & quia, ut Varro a Gellio lib. 13. c. 11. adductus, convivantes, nec minus trium, nec plus quam novem excedere monebat, alluſive, ſcilicet, & ſuperſtitioſe denotando tres Charites, vel novem Muſas Quando autem novem erant invitati, tunc terni in quolibet ex tribus lectis acclinabantur. FR. Dicitur etiam *Sympoſiarcha* a Græcis, a Latinis vero *Magiſter Convivii*, *Rex Menſæ*, *Modiperator*, *Arbiter*, *Dictator*, & *Convivii Dominus*. Aliqui etiam exiſtimant ad Architriclinum referri *Cœnæ Patrem*, & *Parochum*, vocabula, apud Horat. lib. 2. Satyr. 8. de Naſidieno cœnante.

In primis lucanus aper leni fuit auſtro,
Captus, ut ajebat cœnæ pater.

Et ibidem.

Tum Parochi faciem, nil ſic metuentis, ut acres
Potores.

Quo vero ad Triclinii locum, & menſam. Vide Cic. lib. 13. ad Atticum in fine epiſt. De his etiam hæc habet Macrob. [Domus ornata fuit, triclinia lectis eburneis ſtrata fuerunt, duobus tricliniis Pontifices cubuerunt, in tertio triclinio mulieres, lib. 2. Satur. cap. 23.] & Horatius 1. Serm. Satyr. 4.

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.

Vide Baronium An. 34. n. 40.

ARCHIVISTA. Vide *Antiquarius*, *Archiota*, *Bibliothecarius*, *Chartophylax*, *Cancellarius*.

ARCHIVUM. Vide *Arcibum*, *Chartophylacium*, *Chartacium*, *Fenolium*, *Scrinium*.

ARCHONIUM. FR. Acervus, Congeries, Cumulus. Nam ubi vulgata in Ruth. cap. 3. num. 7. legit, [Iſſetque ad dormiendum juxta acervum manipulorum,] legunt alii: *Juxta archonium*, & ad poſtillam Hugo Card. [Archonium eſt acervus gelinarum in imo latus, & in ſummo acutus.] Vide *Gelina*.

ARCHONTICA, ἀρχοντικά. [Officia autem Eccleſiaſtica dicuntur archontica, can. 7. in Trull.

ARCHONTIACI, ſeu *Arcontici*. Hæret. ci Ἀρχοντικοὶ, ideſt, Principes, quia univerſitatem, quam Deus condidit, opera eſſe Archangelorum defendebant. FR. 24. quæſt. 3. can. 39.

ARCIBUM, Archivum. [Tanta Sereniſſimi Ludovici Auguſti auctoritate, quæ Senonis in arcibo Eccleſiæ Epiſcopii ſervatur fultus, apud incertum Auctorem.] Item in eadem ſignificatione invenitur *Arcipes*, quod ex ſequentibus colligitur. [Dignum eſt, ut geſta ex hoc conſcripta tibi tradantur, ut in arcipibus publicis memoranda ſerventur. Marculf. lib. 2. form. c. 28.] FR. In antiquis formularibus reperitur quoque *Arcipes publici* :||: Dicitur etiam *Archivum* a græco ἀρχαῖον, quod ſcripturarum conſervatorium ſignificat. Romanum autem Archivum quam copioſum fuiſſet, ex eo colligi poſſet, quod cum Chindaſvindus Hiſpaniæ Rex (*Tajonem* ſcribit Baronius ad ann. 649. num. 81. & ſeq. *Tagionem*, ut Torrigius in Crypt. Vatic. 2. impreſſ. pag. 182. ex lapid. monum. habet:) Cæſarauguſtanum Epiſcopum ad quærendas primam, & ſecundam Moralium S. Gregorii partes Romam miſiſſet, & ob magnam copiam librorum Archivii Lateranenſis impoſſibile fuit Præſuli illas reperire; quod per re-

cur-

curſum ad auxilia ſupernaturalia in Baſilica S. Petri miraculoſe eas tandem invenit, de quare diſerte citati Auctores. Ingenioſe ſiquidem beatus Martyr Ignatius ep. 9. de Jeſu, & ejus Cruce talia prodit [ Jeſus mihi pro Archivis eſt, quem nolle audire manifeſta pernicies eſt. Illibatum mihi eſt Archivum Crux ejus ] Archivum dixerat pro teſtimoniali, & authentico. Vide *Cartophylacium*.

ARCTURUS, ἀρκτῦρος, FR. eſt ſignum cœleſte ex ſeptem ſtellis compactum, de quo in c. 9. Job, ſic habetur: [ Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas &c. ] Ubi Greg. Papa ſic exponit [ Arcturus, quod ſeptem ſtellis componitur, Oriones, quippe, in ipſo pondere temporis hiemalis, ſuo quoque ortu tempeſtates excitant, & maria, terraſque perturbant. l. 9. Moral. cap. 6. in cap. 9. Job. Hyades juveneſcente verno ad Cœli faciem prodeunt, & cum jam Sol caloris ſui vires exerit, oſtenduntur. Illius quippe ſigni initiis inhærent, quod ſapientes ſæculi Taurum vocant, & quo augeri Sol incipit, atque ad extendenda diei ſpatia ferventior exurgit &c. Ibid.

ARCUATUS morbus. Vide *Aurugo*.

ARCUS triumphalis. Vide *Manus*.

AREA, & Arenaria, Vide *Cœmeterium*.

ARENARIUS. FR. qui in arenam ad pugnandum deſcendit. Gloſ. in can. ſi teſtes. 4. qu. 2. & 3. §. ſi res exigit. Vide *Aſceterium*.

AREOPAGUS, Ἀρεόπαγος, Athenarum vicus a templo Martis ita appellatus. Seneca cap. 3. de tranquil. ſeu quia credebatur ibi hastam ſuam Martem plantaſse, ut Hellaricus refert. In hoc celebre Athenarum Collegio reſidebant Judices integritate, & fama celebres, qui ad hunc magiſtratum poſt rigoroſiſſimum idoneitatis examen admittebantur. Nocturno autem tempore, & in obſcuro (ne aſpectu reorum commoverentur) cum maximo ſilentio, & in ſcriptis eorum propriam ſententiam ferebant, inde dicebatur adagium illud, *Areopagita taciturnior*, & *Areopagita triſtior* ad denotandum hominem cautum in loquendo, & tetrum in meditando; & ad exaggerandam veram in aliquo rectitudinem abſolute ajebant *Areopagita eſt*. Hoc Tribunal anno ab Orbe condito 3649. ex Euſebii Chronica per Solonem erectum fuiſſe conſtat. Erant quidem Sacerdotes Idolorum, ad quorum juriſdictionem cauſæ religionis, & cultus ſpectabant, horumque fuit Dionyſius ab Apoſtolo ad fidem illuminatus, quem Græci Θεόσοφον, *Theoſophum*, id eſt, divinum ſapientem vocant. Hic Divus antea Athenienſis Epiſcopus deinde Galliarum Apoſtolus extiterat, ubi tandem prodigioſe martyrio triumphavit, cui in Epiſcopatu Athenienſe Publius Martyr ſucceſſerat, qui antea Melitæ Princeps, ab eodem Apoſtolo Paulo, & ad fidem converſus, & ejuſdem Inſulæ Protoepiſcopus ordinatus eſt, ut Apoſtolorum Acta, & Baronius Ann. 58. num. 173. in annot. ad Martyrol. 21. Januar. & alii affirmant. FR. Perperam Eccleſiaſtici Vocabularii Auctor hoc nomen *Areopagi* Martis viſum ſignificare exiſtimavit.

ARETINUS. FR. Integer, a Græco nomine ἀρετή, quod integritatem ſignificat. [ Cuſtodiens illud, quod Dominus in Aretino paropſide tinxit panem. In vita S. Cæſarii lib. 1.

ARGA. Vilis homo, vox theutonica *Arg*. Alii a græca etymologia ἀργός, ideſt, piger, deducunt. [ Inutilem dixeris, & vulgari verbo arga vocaveris. Paul. Diac. lib. 1. de geſt. Longobar. c. 24. l. 6. c. 24.

ARGASTERIUM. FR. Officina, in qua ars aliqua exercetur; ſic in quodam lapide S. Nicolai in Carcere de Urbe, ubi incipit *Ego Romanus presbyter*, quam inſcriptionem integre affert in ſuo tractatu de Crypt. Vatican. edit. ſecunda pag. 321. Franc. M. Torrigius. *Argaſteria* IV. &c. quod idem Auctor *Ergaſteria* corrigit, ſed utrumque recte dici poteſt; nam *Argates*, & *Ergates* operarius dicitur. Vide *Ergaſterium*.

ARGENTEI, triginta pro quibus Prævaricator Juda ejus Magiſtrum Jeſum prodiderat. Quantum valebant. Vide *Siclus*.

ARGUMENTARIUS, Cani venatico ſolet epithetum hoc applicari, & præcipue cani leporario.

ARGUMENTOSUS; FR. ingenioſus, accipitur aliquando in bonam partem, ut de S. Cæcilia canit Eccleſia: [ Quaſi apis argumentoſa Domino deſerviſti. ]: || : Aliquando in malam partem pro cavilloſo, & fraudulento. [ Vocatur a nobis prope ſimultatis amator, atque argumentoſus. Luit. in legat.

ARIANI. Vide *Arriani*.

ARIES. Dicitur Teſtitrhaus, Lanicutis Reciprocicornis. Vide *Teſtitrahus*.

ARIMANIA, Dominatio, facultas, vaſſalagium: [ Veniens ibi in palatio noſtro una cum arimania ſua in manu noſtra truſtem, & fidelitatem nobis viſus eſt conjuraſſe. Marculf. lib. 1. formul. c. 18. ] *Truſtis* autem fidelitatem, & vaſſallagium cum juramento promiſſum ſignificat.

ARIMANNA. FR. Hera, Domina. l. Reminiſcimur de præſcriptionibus.

ARIMANNUS. FR. Dominus. l. de ſervo fugitivo. de furtis. Legitur in eodem ſenſu *Aritmannus*.

ARIMI, ſeu *Arameni* populi. Vide *Syri*.

ARIOLI. Vide *Hydromantia*.

ARIMINENSES. Vide *Tracala*.

ARIPPENUS. Menſura agraria. [ Statutum fuerat, ut poſſeſſor de propria terra unam amphoram vini per aripennum redderet. Greg. Turon. lib. 5. cap. 28. ] Ab aliquibus *Aripennis* appellatur, gallice *Arpent*.

ARIPERGARE. Vide *Albergare*.

ARISCADA. FR. pœna, mulcta. l. de his, de Epiſcopis, & Clericis.

ARISTATON. FR. Culcitra, qua cadavera cooperiuntur. [ Si quis Ariſtatonem, ideſt, ſtapulum ſuper mortuum capulaverit, aut mortuum inde ſpoliaverit. In lege Salica tit. 57. §. 3.

ARITHMETICA. Vide *Aſſumatus*. *Numerarius*. Nume-

meri accipiuntur aliquando pro litteris. Vide *Litteratura*. Arithmeticis Characterib. a D. Jo. Evang. nomen Antichriſti deſcribitur. Vide *Antichriſtus*. *Aureus numerus*.

Aritmus, ἀειθμός, numerus, unde *Arithmeticam* numerandi ſcientiam dicimus. [ In Arithmis cum divertiſſet Iſrael apud Sethim, abeunt libidinatum apud filias Mohab. Tertull. lib. adverſ. Gnoſt. c. 3. ] *In arithimis*, ideſt, in libro numeri, titulus quarti libri Thoræ, ſeu Pentateuchi.

Aritmannarium. FR. genus impoſitionis. [ Ab omnibus ſimiliter Albergariis, Aritmannariis, Angariis &c. Bullar. Caſin. tom. 2. conſtit. 218.

Aritmannus. Vide *Arimannus*.

Arma Sacerdotalia, ideſt, paramenta ſacra. [ Hora vero diei tertia arma ſibi deferantur ſacerdotalia, quæ induet extra chorum. In quodam M. S. Codice Rotaldi Abbatis. ] Vide *Flamminicatus*. Jurare ad arma ſacra, in dict. *Juramentum*.

Armagedon. FR. Hebraicum vocabulum. [ Et congregabit illos in locum, qui vocatur hebraice Armagedon. Apocalyp. cap. 16. n. 16. ] Aliqui Interpretes exiſtimant provenire hoc vocabulum ab *Armon*, quod hebraice Palatium, ſeu amplam manſionem ſignificat, & *Gedon*, ideſt, Congregatio; arbitrantes inſuper hoc de Valle Joſaphat intelligi, ac voluerunt proinde, quod in Mundi fine ibi judicium tremendum, & univerſale a Deo exercendum ſit; ſed ex vi hujus verbi non videtur Deum in ea Valle aſtringi ad judicandum; bene tamen in *Armagedone*, ideſt, in ſpatioſiſſimo ſitu omnibus præteritis, præſentibus, ac futuris uſque ad illum diem hominum generationibus capaciſſimo. Interim, qui copioſam eruditionem ſuper hoc verbum deſiderat, legat Ludovicum Alcaſar Societatis Jeſu in Apocalypſim, qui affert diverſas notationes, & præcipue in Nota 4.

Armariolum. Tabernaculum, in quo Corpus Chriſti conſervatur. Vide *Cophinum*.

Armarium. FR. In Inſtituto Ciſtercienſium, Bibliothecam ſignificat, quæ erat inter Eccleſiam, & Capituli aulam. [ Quod ſi aliquis neceſſe habuerit divertere alicubi, librum ſuum in Armario reponat. Par. 1. cap. 71.

Armarius, dicebatur Monachus Oeconomus Monaſterii, [ Sergius namque Armarius Monaſterii. In vita S. Petri Abb. ] Hodie tamen a comeſtibilibus cuſtodiendis *Cellerarius* dicitur. Vide *Cellerarius*.

Armenia. Lazul, dicta. Vide *Chryſocolla*. Armenorum ritus. Vide *Evangeliſmus*. *Jejunium*. *Patena*. *Hydroparaſta*. *Staurolatra*. In eorum Eccleſiis quo muſicali inſtrumento utantur. Vide *Batillus*.

Armifactor. Faber, qui ferrea arma fabricat. [ Et quia Marianus armifactor erat. In vita S. Deogratias Epiſc.

Armilausa, Monachorum ſcapulare, quod ab armis, ſcapulis, & humeris pendet, & vulgariter *Patientia* dicitur; ſed librariorum inſcitia tranſcurata fuit littera C; nam *Armiclauſa* ſcribendum eſſe Iſidorus docet. [ Armilauſa vulgo dicta, quod ante, & retro diviſa, atque aperta eſt, in armos tantum clauſa, quaſi armiclauſa, C. littera ablata, lib. 19. Orig. cap. 21. ] FR. Auctor Eccleſiaſtici Vocabularii ſuo more erroneus veſtem brevem ſignificare aſſerit. Vide *Scapulare*.

Armillæ. Vide *Viria*. *Viriola*.

Arnaldistæ, hæretici. Vide *Gazarii*.

Arnaldus. Vide *Filius arnaldus*.

Arnulphorum terra. FR. Spoleti Ducatus, ab Arnulphis Ducibus ita appellatus. [ Igitur gravia nocumenta, quæ nonnullis Civitatibus, Terris, Caſtris intra Patrimonium B. Petri in Tuſcia, Comitatum Sabinæ, & terram Arnulphorum conſtitutis eidem Eccleſiæ Rom. ſubjectis &c. Extrav. de majorit. & obed. cap. unico.

Arquitis, Toxophorus, Sagittiferus, Sagittarius. [ Funduntur populi, præcedunt arquites pueri. In traslat. S. Marcelli Papæ & Martyr.

Arquatus Morbus. Vide *Aurugo*.

Arreragium. In ſtatutis Equitum Melitenſium ſignificat contractum, & antiquatum debitum, ſeu adminiſtrationis reſiduum, quod ad commune Ærarium pertineat.

Arriani, ſive *Ariani*. FR. Hæretici Arii Alexandrini presbyteri ſequaces, qui Verbum Divinum Patri non eſſe æquale aſſerebant, nec in Divinis eandem ſubſtantiam admittebant. 24. qu. 3. can. 39. Vide in Proluſione Operis. Vide *Anomæi*: *Duliani*. *Gloria Patri &c.* *Scriniarius*. *Styllita*. *Thalia*.

Arrigare. FR. ab arra deductum, obligare, promittere, & donare ſignificat. l. ſi libertus, de ſucceſſionibus.

Arripergare. Vide *Albergare*.

Artaba. Perſica frumenti menſura. [ Et impendebantur in eos per dies ſingulos ſimilæ artabæ duodecim. Daniel cap. 14. nu. 2. ] FR. Ab *Artabazo* Pharadicis filio Parthorum Duce, vel ab Artabano Hyſtaſpis filio, & Xerſis Patruo, hoc menſuræ nomen deductum. [ Ita hujus regionis potentia tertiam Aſiæ partem æquiparat, & ejus principatus ( quam Satrapiam Perſæ vocant ) omnium principiorum longe eſt optimus, adeo ut Tritæchmæ Artabazi filio, qui pro Rege tributum hoc exigebat, ( legunt alii, quem Rex huic tractui præfecerat ) ſingulis diebus ſingulæ argenti plenæ artabæ ponderentur. Eſt autem artaba menſura Perſica capacior, quam Atticus Medimnus, tribus Chœnicibus Atticis. Herodot. l. 1.

Arteriæ pulſatio. Vide *Diacopton*.

Articularis Morbus. Vide *Gutteria*.

Artipex. Vide *Bonauſus*.

Artigraphus, ſcriptor. Vox latino-græca.

Artophonion. Vide *Pyxis*.

Artos. Vide *Fermentatum*.

Artotyritæ, Hæretici, græca vox Ἀρτοτυρῖται, nempe, ἄρτος quod panem, & τυρὸς caſeum ſignificat. FR. [ Ab oblatione vocati, panem enim, & caſeum offerunt, dicentes a primis hominibus oblationem a fructibus terræ, & a fructibus ovium fuiſſe celebratam. 24. qu. 3. cap. 39.

Artuatim, adverb. membratim. [ Is cum compeiiſſet Iſidem uxorem inceſtis fratris cupiditatibus eſſe corruptam, occidit Oſirim, artuatimque laceravit. Jul. Firmicus cap. 2.

Artus. FR. nodi in corpore, ſed tranſlate pro Epiſcopis ab Eccleſiaſticis Scriptoribus accipitur. Gloſſ. in can. Advocavit. 24. qu. 1. [ Artus dicuntur Epiſcopi, qui viriliter ſuſtinent Eccleſiam.

Arura ἄρουρα, agraria menſura Ægyptiorum [ Aruræ autem erant ei trecentæ uberes, & valde optimæ. Evagr. in vita S. Anton. c. 2. Inſtantem annum ſignificantes quartam aruræ partem pingunt. Eſt autem arura terræ menſura centum complectens cubitos. Herapol. lib. 1. c. 5.

Asbestos, ἄσβεστος, græce inextinguibilis, a verbo σβέννυμι, quod extinguo ſignificat, eſt lapis genus ita vocatus. [ Asbeſton, Arcadiæ lapidem, propterea ſic vocari, quod accenſus ſemel jam non poſſit extingui. S. Aug. lib. 21. de Civit. Dei c. 5. ] FR. Plinius vero lib. 31. c. 10. in Arcadiæ montibus naſci ſcribit coloris ferrei.

Asceta. Monachus, vel Gladiator. Vide *Aſceterium*.

Asceterium, ἀσκητήριον, Monaſterium: a verbo græco, ἀσκέω, exerceo, laboro, diſco &c. [ Ad Monaſteria, & Aſceteria, ideſt, loca, in quibus ſe exercent, prompto, & alacri venirent animo, Metaphr. in vita S. Martini. ] Significat etiam Palæſtram, & *Aſceta*, ἀσκητής, tam Monachus, quam Athleta ſubauditur, nam ille luctam ſpiritualem, & hic corporalem exercent. Collegium Funerariorum, in quibus octo Moniales, & tres Acolythi ad ſepeliendos mortuos ſe exercebant, quod ab Anaſtaſio Imperatore fuerat fundatum, etiam *Aſceterium* dicebatur; ut ex confirmatione ejuſdem a Juſtiniano facta, ſic habetur: [ Redditum funeribus deſtinatum a Divæ memoriæ Anaſtaſio Imperatore confirmavit, & funeribus deputavit, & dedit ſingulis cadaveribus, ſive Singulis lecticis unum Aſceterium, ideſt, octo Sanctimoniales, & tres Acolythos. Julian. Anteceſſ. Novell. 13. ] Vide *Metanœa*.

Asceticon, ἀσκητικὸν, exercitium, ſic appellatus fuit quidam Meſſalianorum hæreticorum liber, quem Concil. Epheſinum damnavit; horum errores in voce *Precatores* referentur.

Ascetria, ἀσκήτρια, Monialis, a verbo græco ἀσκέω, quod exerceri ſignificat. [ Omnibus autem, qui in ſæcularibus verſantur, & iis maximè qui ſcenice tractant viris, ac mulieribus, atque etiam his qui præſunt interdicimus, ne Monachi habitu, vel Aſcetriæ utantur. Balſam. in can. 63. Tertull. ] Quare in ep. 54. lib. 11. D. Gregorii mendoſe *Aſſiſtriam* habetur. FR. *Aſcetria* aliquid aliud a Moniali diſtinctum videtur ſignificare, quia illam D. Gregorius a Diaconiſſa, & Monacha, quam Monaſtriam vocat, diſtinguit inquiens: [ Si quis contra aliquem Clericum, Monachum, aut Diaconiſſam, aut Monaſtriam, aut Aſcetriam habet actionem, &c. can. de perſona. 11. q. 1. ubi Gloſſ. habet, Aſcetriam, ideſt, incluſam. In Indice Critico d. D. Gregor. Papa notatur *Aſceterium*, ſed debebat imprimi *Aſcetria*.

Ascitæ, Hæretici. [ Aſcitæ ab utre ſic appellati ſunt, ἀσκὸς enim græce, latine uter dicitur, quem perhibentur inflatum, & opertum circuire bacchantes, tanquam ipſi ſint Evangelici utres novi, vino novo repleti. Aug. lib. 6. de hæreſ.

Asclipidotum. Vide *Socordium*.

Ascopera, uter, ex græca voce ἀσκὸς fit ἀσκοπήρα. [ Impoſuit Abræ ſuæ aſcoperam vini. Judith c. 11.] FR. Quare non bene intellexit Calepinus hoc vocabulum, licet ſit compoſitum ex ἀσκὸς, quod uter ſonet, & πήρα græce ſacculum ſignificans, non ideo ſaccus eſt, ut ipſe aſſerit, ſed uter ad modum ſacci, ad diſtinctionem conceptaculi, quod *uter*, *uterus* & *uterum* etiam dicitur. Inſuper *Aſcopera* ſynonimum eſt culeus, vel culleus. [ Niſi culleis mihi deportaretur oleum, cras faxo culleo deportare in pergula; dixit Plautus in Pſeud. Scena 2. act. 1. ] Inde de Nerone c. 4. ait Suetonius, quod inter probra in eum ſcripta, hoc fuit unum, nempe, in collo ſtatuæ ipſius [ Aſcopera ligata, ſimulque titulus; Ego quid potui? ſed tu culeum meruiſti. ] Igitur *Aſcopera*, & *Culeus* ſunt hic manifeſte ſynonyma, quibus alluditur pœna, quam Nero ob matricidium meruerat, nam patricidæ in culeo cum cane, ſimia, gallo, & ſerpente incluſi in mari projiciebantur; unde affabre Juvenalis inquit:

——— Quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni?
Cujus ſupplicio non debuit una parari
Simia, nec ſerpens unus, nec culeus unus.

Ex dictis ergo fit duplex contra Calepinum illatio, prima, ſcilicet, ex Juditha, & Suetonio, quod in ſacris, profaniſque ſcripturis idem ſit *Uter*, & *Aſcopera*. Secunda, quod ſynonyma ſint *Uter Aſcopera*, *& Culeus*, *vel Culleus*.

Ascus. FR. Cymba. [ Si quis navem, vel aſcum de intro clavem furaverit. In lege Salica tit. 23. §. 3.

Asinarii, dicti ſunt Chriſtiani. Vide Baron. an. 42. n. 33. an. 201. n. 21. & 22.

Asino, verbum, FR. ſignificat ſuper aſinum iter facere. [ Aſinando, equitando, ambulando. Luitpr. in legat.

Asiongabar. FR. Civitas, quæ Beronica, Veronica, ſeu Berenice dicitur. Vide *Hæmoroiſſa*.

Asisa. Vide *Aſſiſa*.

Asomatos, ἀσώματος, incorporeus, impalpabilis.

Asotia, ἀσωτία, luxuria, laſcivia, intemperantia, ita dicta a verbo ἀσωτεύομαι, luxu diffluo, ſumpto ab

ab Aſoſtorum populo, quod eſſet luxu & comeſſationibus infamis. De his Cicero agit 3. de Finibus: [ Nolim enim mihi fingere Aſotas, ut ſoletis, qui in menſas vomant, & de conviviis auferantur. ]

ASPATICUM, ἀσπατικὸν ſalutatorium, manſio, diverſorium Eccleſiæ contiguum, ſeu Sacrarium, in quo Epiſcopus ſacris indumentis veſtiebatur pro ſolemnibus celebrationibus, ibique a Clericis obſequio, & ejus manuum oſculatione ſalutabatur. Ideo *Salutatorium* locus hic appellatus eſt: Vide ſuo loco. [ Poſtquam Theodoſius venit ad templi ambitum, non ingreſſus eſt in divinum Templum, accedens autem ad Ambroſium Pontificem in aſpatico, eum rogavit. Theod. lib. 5. hiſt. cap. 18. ] At quia in eadem manſione hoſpitabantur Peregrini ( ut in verbo *Salutatorium* dicetur ) ideo *Metatorium* dictum fuit, quod Xilander ſuper illa verba Cedreni: [ Per dexteram partem ivit in metatorium ] in ejus ad dictum Auctorem notis n. 235. non intelligere hujus vocabuli ſignificatum fatetur. FR. Hoc quippe non eſt novum in Gulielmo Xilandro, nam uti hæretico, in multis impoſtore, ac a piis Catholicorum monumentis averſo, ideo ejus ſcripta in Indice prohibitorum librorum interdicta ſunt. *Metatorium* igitur eſt ſpatium in agro dimenſum, ſeu area ad conſtructionem deſignata, inde Metatores dicti ſunt exercitus Præcurſores, & Prædromi, qui italice *Forieri* dicuntur: hinc Vegetius inquit: [ Metatores in caſtris dicuntur, qui præcedentes, locum caſtris idoneum eligunt. lib. 2. cap. 7. ] Et Optatus Milevitan. ait: [ Nam cum miſſos ante venturos milites metatores, ( ut fieri ſolet ) mitterentur. lib. 3. ] Ubi notat Franc. Baldoinus: [ Et in iis aſcribit, quos in Codice conſtitutionum dicitur potius fuiſſe menſorum lib. 1. & 5. de metat. Metata dicuntur in jure civili hoſpitia, quæ provinciales præbere jubentur militibus, & metatores ipſi hoſpites, qui excipiuntur lib. 9. C. de metat. Sed Optatus ita vocat eos, qui præmittuntur, ut hoſpitia prius deſignent in commentario Suidæ dict. μετάτω. ] Sic eodem pacto *Menſor*, *Metator*, *Metatorium*, & *Menſorium* hic diverſorii, & manſionis locus appellatur, & nos *Præparatorium* dicemus; æque igitur manſio pro militibus, vel peregrinis hoſpitandis eodem vocabulo appellata fuit, & quia ſynonimice eadem manſio Præparatorium erat, hinc pro Sacrario, in quo inſtrumenta ad ſacra conficienda, & ipſe celebrans ad rite celebrandum præparantur, *Præparatorium*, *Menſorium*, & *Metatorium* promiſcue appellabatur :||: Sidonius Apollinaris lib. 8. cap. 11. [ Huic quodam tempore Burdegaliam inviſens, Metatoriam paginam quaſi cum muſa prævia miſi. ] De prævia epiſtola dixit. FR. De præcedentibus lacrymis S. Victor Uticenſis dixerat: [ Quod jam homo Dei metantibus lacrymis miſerat Legatum in Cœlo. De perſecut. Vandalica. lib. 3. ] ac de gaudio præcurſo idem Sanctus lib. 2. [ Fit ſtrepitus gaudio metante irrevocabilis populorum ] :||: *Metatus*, hoc eſt diverſorium, ſeu Hoſpitale. [ Velociter ad metatum vadit, invenitque infirmum febre plenum. Greg. Turon. lib. 6. cap. 7. Mundabuntur enim longo tempore ſacrificii domus, ſanctitatis hoſpitium metatus Metatoris Chriſti. Chryſol. Serm. 91. ] Item græce *Diaconicum*, vel *Diaconion*, id eſt, miniſtratorium dicitur: [ Poſt dictam Tertiam, & Sextam, vadit ſanctiſſimus Patriarcha in metatorium, ſive Diaconicum, & exit ad ſanctum Altare. Eucholog. Græcum. Quoniam non oportet inſacratos miniſtros licentiam habere in ſecretarium, quod Græci Diaconion appellant; ingredi, & contingere vaſa dominica. Concil. Agath. can. 66. ] FR. In Liturgia, quæ circumfertur ſub nomine S. Marci, habetur, quod Sacerdos in fine Miſſæ dicat: [ Sit nomen Domini benedictum &c. Sacerdos orat in Diaconico. ] Ubi ejus Interp. male adjunxit hæc verba: [ Hoc eſt ſacro Armario, ſeu Sacriſtia. ] Parum de Græcorum ritu informatus: nam Græci Sacerdotes in fine Miſſæ antequam populum benedicant, deſcendunt de Altari & ad ſacrarium ſemoti orant; non autem ad Sacriſtiam eunt, ut male Interpres intellexerat. Apud Græcos *Diaconion* intelligitur etiam liber, in quo continentur preces a Diacono in Miſſa, & in Horis canonicis cantandæ, vel adminiſtrationis liber. Igitur *Aſpaticum*, *Metatorium*, *Metatus*, *Diaconicum*, ſeu *Diaconion*, & *Salutatorium*, promiſcue pro Sacrario & Hoſpitali peregrinorum, & infirmorum accipitur. *Metator* vero ſignificat Præcurſorem, ut ſupra viſum eſt, & in præallegata Chryſologi verba *Metatoris Chriſti*, de ejus Præcurſore Joanne Baptiſta intelligitur. Vide *Meta* in ſignificatione termini.

ASPERGILLUM, aſperſorium, quo aqua benedicta porrigitur, vel aſpergitur. [ Aſpergilla ex puro auro, quamplurimos etiam calices, & acerras, & quæcunque myſticis cæremoniis peragendis erant conſecrata, ſpoliantes, propriis ſuis poſſeſſionibus aſcribebant. Agathia lib. 2. ſeu 3. hiſt. ] De Hyſſopo, & Ocymo, quando illis loco aſpergilli utendum ſit, diximus ſupra in dict. *Aqua benedicta*. Aſpergillo non porrigitur aqua benedicta Superiori, vel Eccleſiæ Titulari, ſed illud oſculando in manu ipſius traditur: ſic etiam indecens eſt, ubi adeſt in ingreſſu Eccleſiæ Clericus, vel Sacerdos, quod aliquis ſæcularis porrigat aſpergillum Magnatibus, cujus rei Hiſpani rigoroſi obſervatores ſe oſtendunt. Cæterum. Vide *Aqua benedicta*. *Spargillum*.

ASPERGO. FR. pro diffamo. [ De Leone Fratre, & Coepiſcopo noſtro ſiniſter rumor aſperſerat. 2. qu. 5. can. Habet.

ASPRATUS, res quæ ſcabit, & erodit. [ Si quid intus metrica produxerit, non minus forti, & aſprata lima poliri. Sidon. l. 4. Epiſt. 8. ] Apud eundem *Aſpredo*, & *Aſpritudo* pro aſperitate invenitur.

As-

ASPRUM, Album; græce ἄσπρον unde *Aſprum veſtimentum* album ſignificat. In Græcia moneta quædam *Aſprum* dicitur propter argenti albedinem, quod nomen apud Turcas hodie remanſit, æquivaletque monetæ Etruſcæ, quæ *gratia* vocatur, id eſt, ſex Romæ quadrantes. [ Dedit ei ex vectigalibus frumenti aſprorum quinquaginta millia. Phranz. lib. 3. cap. 29. FR. Penes Latinos *Aſper*, & *Aſprum* dicebatur. Perſius:

—— — — —— Quid aſper utile nummus habet?

Et Suetonius in Nerone: [ Exigitque ingenti faſtidio, & acerbitate nummum aſprum. ] In quo vocabulo Calepinus denormat, inquiens: [ Aſper nummus dici putatur qui recenter cuſus, ſignatuſque eſt, quod pluſculum aſperitatis habeat, quam ille, qui jam manibus tritus eſt ] An non manifeſtetur ex Perſio ſupra vilem nummum fuiſſe? & ex Suetonio, quod faſtidio ingenti, & acerbitate nequierat ille alium nummum, quam vilem aſprum exigere? *Aſper* igitur nummus ideo ſic dicitur, quia ex Thracia incuſus proveniebat, Græci enim *Thraces*, id eſt, *Aſpros* appellabant, & res aſpra τραχὺς, & θρασὺς temerarius, ferox, nude Θρήκη, Thracia dicitur. Cæterum poteſt etiam aſprum anologice ex aldebine dici, ut Ariſtoteles ait lactem cum ſaccharo convenire in albedine; unde æque dicimus album ut lac, vel ut ſaccharum? ſic per albos Traces, eo modo, quo per nigros Æthiopes, vel Libycos interiores intelligimus. Vide *Diaſprum*. Ejus anthiteſis. Vide Aquilus in dict. *Dæmon*.

ASSARTUM, Campus dicitur a gallico vocabulo *Eſſarter*, quod arbores cædere ſignificat, ſic *Aſſartum* ubi jam cæſis plantis, ſeminarium liberum ſit. [ Aſſartis factis in illis boſcis poſt illud tempus. Matth. Pariſius an. 1215.

ASSERTULA, levis aſſertio. [ Vide etiam ne tuæ aſſertulæ inediali nuditate laborent. Fulb. Carnot. epiſt. 79.

ASSESSOR. Vide *Paredrus*.

ASSIDÆI. FR. Hæc non fuit ſecta inter Hebræos, ut aliqui autumant; ſed ita appellabantur Moſaicæ legis obſervatores, ad diſtinctionem Apoſtatarum. Vox enim *Caſſidim* hebraice ſonat juſtos, ac pios.

ASSIDUATUS, habituatus. [ Flagello Domini pulvis excutitur, quem ad deformationem animæ iniquitas aſſiduata congeſſit. Petr. Bleſen. Epiſt. 31.

ASSIS, moneta. Vide *Dipondium*.

ASSISA, vel *Aſiſa*, & *Aſiſia*, ſtatutum, præfixum tempus, redditus, tributum, a gallico vocabulo *Aſſis*. Unde *Aſſiſores* tributorum exactores dicuntur. In Melita hoc vocabulum adhuc durat in ſignificatione taxæ, ſeu gabellæ Principi ſolvendæ. FR. [ Eodem anno Rex fecit generaliter acclamari, ut legalis aſiſa panis ſub pœna colliſtrigiali obſervaretur. Matth. Pariſ. ad an. 1203. Secundum Aſſiſiam, quæ conſuevit fieri. In extrav. commun. de decimis.

ASSISTENTES in Miſſa. Vide *Miniſtri Altaris*.

ASSISIUS. FR. Beneficiatus. ] Abſentes canonicos, & Aſſiſios revoces ad reſidendum in Eccleſia. De Præbendis, & dignit. cap. cum ad hoc, de Cler. non reſidentibus. ] Ubi Gloſſ. [ Aſſiſios vocat beneficiatos &c. Dicuntur Aſſiſii, quaſi aſſidui: in multis Eccleſiis ſunt plures tales, qui manſionarii dicuntur. ] Et Antonius Nebriſcen. in ſuo Vocabulario. [ Aſſiſii dicuntur vulgo Manſionarii, eo quod aſſidue miniſtrent Eccleſiæ, ſunt beneficiati, & non Canonici. ] Hoc officium Canonico Altarario, vel Altariſtæ in Baſilica Vaticana a Sixto IV. translatum fuit, qui inter alias obligationes, ſingulis diebus, vel ſaltem qualibet hebdomada viſitare Altaria ejuſdem Baſilicæ tenetur, ut ex Bulla ejuſdem Pontificis apud Tocrigium de Cryptis Vatic. impreſs. ſecunda pag. 529. apparet.

ASSUMENTUM, junctura panni, ſeu alterius textilis, quæ in additionem alicujus veſtis conſuitur: [Nemo aſſumentum panni rudis aſſuit veſtimento veteri. Marci cap. 2.

ASSUMMATUS, computationis numericæ in ſummam debitorum ad ſexaginta marcas aſſummata. Pariſ. in 1. Vitis Abb. ] Vide *Arithemetica*.

ASSUMO, FR. Eligo. *Aſſumptus*, electus. *Aſſumptor*, elector. De electione in ſexto cap. 17.

ASSUMPTIO DEIPARÆ. Vide *Panagia*. *Pauſatio*.

ASSUMPTOR. FR. Elector. de Elect. in ſexto c. 17.

ASSURGO. Audeo, præſumo, frequenter in Regiſt. S. Gregorii: [ Sed quoniam hoc facere non aſſurgit lib. 10. c. 24. Cauſam Clerici ſui, aut noluiſſet, aut non aſſurgeret definire, l. 8. c. 25.

ASTARTE. FR. Sidoniorum Dea. [ Colebat Salomon Aſtarthen Deam Sidoniorum, 3.Reg.11.n.5.& 13.] Hæc juxta Antiquorum fabulas, Venus erat, & ſimul Libitina, illa luxuriæ, at hæc defunctorum Dea, ut ſignificarent, quod libidinis intemperantia accelerat mortem. Vide *Salambona*. *Thammus*.

ASTERISCUS, ſtellulam denotat, quæ interpungitur pro ſigno in Biblia ſacra, & in aliis Codicibus, ad ſignificandum, quod ibi aliquid traductionis, ſeu explicationis deficiat, atque in margine textus ad ſupplementum contra ſignatur. Ad inſtar enim ſtellæ claritudinem ingerit textili verbo alias obſcuro; ideo *Signum radians* a Hieronymo vocatur. Græce autem ἀστερίσκος nedum hoc ſignum, ſed etiam aurea, vel alterius metalli ſtellula ſignificat, quæ ponitur ſuper patenam ad ſacra dona tegenda cum puſilla Cruce in vertice, quod fit, ut velum, quo patena cooperitur, elevatum ſuſtenteur, ne Euchariſtiæ Sacramentum in patena poſitum tegat; hac enim cæremonia ſtella felicis ominis denotatur, quæ Magos ad Regum Regem duxit, ſuperſtetitque, ubi ille erat; quod ex verbis Sacerdotis, dum ponit hanc ſtellam ſuper patenam, colligitur; ſic enim ait, [ Et veniens ſtella aſtitit ſuper, ubi erat puer poſitus. ] Devius igitur in obſervationibus

ad

ad Euchologium fuerat Iſacius Haubertus, quando Aſteriſcum, quo ſacra dona cooperiuntur, velum fuiſſe ſtella ornatum aſſeruerat. Eſt præterea aliud ſignum Aſteriſco contrarium, & *Obeliſcus* dicitur, ad formam acus, qui a Græcis ὀβελός dicitur, a quo provenit denominativum ὀβελίσκος, quo ſigno notatum ſignificatur eſſe in textu ſuperfluum. FR. Hujuſmodi ſignum a Quintiliano *Virgula cenſoria* appellatur. De hujuſmodi ſigno D. Gregorius inquit: [ Sed is, qui loca aliqua eſſe hæretica ſigno contra poſito oſtendit. In Regiſt. l. 5. epiſt. 14. ] Ac utroque ſigno ad Auguſtinum ita Hieronymus ſcripſerat: [ Et ubicunque virgulæ, ideſt, obliſci ſunt, ſignificatur, quod ſeptuaginta plus dixerint, quam habetur in Hebræo, ubicunque autem aſteriſci, ideſt, ſtellulæ prælucentes, ex Theodotionis editione ab Origene additum eſt. ] Vocem autem hanc ita prægnantem reddidit ſenſus, ut ſub eadem nomenclatura ingentes illæ Ægyptiorum pyramides concipiantur, & *Obeliſci* vocentur, quorum multi Romæ a Sixto V. erecti non ſine admiratione ex integro lapide conſpiciuntur variis hieroglyphicis effigiati, & ſignanter obeliſcus Agonalis plateæ Innocentii X. juſſu erectus; in eo ſiquidem ad honorem Numinis Triformis ſculta fuiſſe hierogliphica Athanaſius Kirker Societatis Jeſu explicat, quod Symbolum eſſet Sanctiſſimæ Triadis.

Astrolabium. FR. licet hæc vox ( quæ græce aſtrorum menſuram ſignificat ) denotare ſolet aſtronomicum inſtrumentum, quo poſitio ſtellarum dignoſcitur; tamen in Canonibus pro aſpectu ſyderum ab Aſtrologis contemplato accipitur, ſeu figura poſitionum planetarum, ex qua ſuperſtitioſe divinatur. [ Sed ut inſpectatione aſtrolabii furtum cujuſdam Eccleſiæ poſſet recuperari, 5. decretal. tit. 21. c. 3.

Astrologiæ termini, & pertinentia. Vide *Anavivazon. Apoteleſma. Aſtrolabium. Aureus numerus. Epacta. Coluri. Collyra. Genethliacus.* Propter Aſtrologiæ ſtudium Aquila ab Eccleſia expulſus eſt, & Judæus efficitur. Vide *Phariſæus. Theraphim.* Judiciaria hæreſis eſt. Vide *Zodia.* Quid ſit Arturus, Oriona, Hyades, & Taurus. Vide *Arcturus.*

Astrologus. Vide *Remediator.*

Astronomia. Vide *Miſſa Natalis Domini.*

Astutus. Vide *Trebax.*

Asur. FR. de quo vocabulo ſæpe in ſac. Script. hebraice ligatum ſignificat. Calep. Paſſerat. in dict. *Evinctus.* Arabes autem *Iſyr* dicunt, hoc eſt, Mancipium.

* Asyla. Prima hujus Privilegii origo in Civilem Remp. tempore *Conſtantini* invecta, teſtante *Baronio* ann. 324. n. 61. Solum altare & interior Eccleſia primum, deinde exteriora quoque hoc privilegio donata. Publicis debitoribus, hæreticis, apoſtatis, homicidis, adulteris & ſimilium criminum reis denegabantur. Modeſtæ pietatis ſubſidia delinquentibus ab Eccleſia oblata, cum delinquentibus quodammodo animos adderant, decurſu temporis moderata ſunt, & multis in locis vel omnino ſublata, vel prudentia & pietate circumſcripta.

Asyndetus, ex græco ἀσυνδετος, disjunctus, diſtinctus. *Mercurius Aſyndetus.* Sidonius, & de eodem vocabulo Polycarpus in acta S. Sebaſtiani.

Asynodus, adject. nomen; rem disjunctam, & alienam ſignificat apud Hieronym. contra Ruffinum l. 2. cujus Antitheſis eſt *Synodus.*

* Ατέλεια λειτουργημάτων. Exaratio Clericorum a civilibus & perſonalibus muneribus, Cod. Theod. lib. 16. tit. 2.

Atergo. Vide *Opiſthographum.*

Athanasii adjutor in traductione latina ejus ſymboli. Vide *Symbolum.*

Athenæ. Vide *Linguata.*

Athenogeron, ἀθηνογέρων, ſenex ſtudens. [ Neque athenogeronta meum ſcutica, & plagis litteras docere contendo. D. Hieron. l. 3. adverſ. Ruf. ] Componitur ab Ἀθηνῆ, quod græce Minervam ſignificat, & γέρων, quod ſenem ſonat.

Athera, Eſculentum ferculum frumento, & lacte compoſitum, græce ἀθήρα, de quo Caſſianus Collat. 15. cap. 11. Plinius tamen ἀθάρα, vocat, ac Ægyptiacum vocabulum eſſe aſſerit. Alii ex græco ἀθὴρ, id eſt, ariſta. FR. Sed ariſtam hordei, non frumenti ἀθὴρ, ex Galeni auctoritate eſſe docet Ruellius lib. 1. cap. 2. Ideo potius potio hordeacea, quem galactopotatio eſſet dicenda, quam etiam Plinius ex hordei farina componi affirmat, nec lactis ingredientem refert; ſic enim lib. 22. cap. 25. inquit: [ Olyram &c. Hac decocta fit medicamentum, quod Ægyptii atheram vocant, infantibus utiliſſimum; ſed & adultos illinunt eo. Farina ex hordeo &c.

Atheus, ἄθεος, abſque Deo, ſic appellatur impius, qui nec credit adeſſe Deum, nec ſpem futuræ vitæ habet. Atheiſtæ tamen ſunt diverſæ ſpeciei: aliqui, nempe, qui omnem divinitatem negant, & de his Pſalmiſta; [ Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus, pſalm. 10. ] explicat Hilarius ibi. [ In corde, nam ſi velit verbis oris hoc eloqui, ſtultum eſſe, ſicuti eſt, publici aſſenſus judicio arguitur. ] Alii ſunt, qui mendacia numina colunt. Alii, qui verum Deum adorant, ſed ſuperſtitioſo ritu, ut ſunt Hebræi & Mahumetani. Alii denique fideliter credunt, factis autem negant, ut ſunt improbi Chriſtiani. In Eccleſiæ Catholicæ exordio a Gentilibus Athei vocabantur Chriſtiani, non enim Deo vero nomen indiderant, ideoque ſine Deo habebantur: unde Juſtin. Mart. inquit: [ Atheos quidem, & ſine Deo, impioſque nos non eſſe, qui conditorem hujus mundi colimus. Apolog. 2. ] Cum autem rebus, & perſonis ad contradiſtinctionem nomina imponantur, Deum ſiquidem non habea-

bentem alium præter ſeipſum, inde nequit niſi ineſſabilibus attributis nominari, & ſane nulla humana ſapientia ad inſtar Attali Matyris divinitus inſpirati, tam recte potuiſſet affari, qui de Dei ſui nomine interrogatus, ſic ſtupende reſpondit: [ Qui plures ſunt, nominibus diſcernuntur: qui unus eſt, non indiget nomine.

Athisca, Crater, poculum. [ Libatoria argentea duo millia quadraginta, athiſcæ argenteæ triginta, lib. 3. Eſdr. cap. 2.

Athleta. Vide *Arenarius*, *Aſceterium*.

Atomus. Vide *Inſubſtantivus*.

Atriarius, ſeu *Atrienſis*, atrii, & porticus cuſtos, & mundator.

Atrium. Vide *Cœmeterium*. Atrii velum. Vide *Velum*.

Attachiatus, nomen, ligatus. Et *Attachior*, verbum, ligor, a gallico vocabulo *Attacher*. Inde *Attachiantes*, Satellites dicuntur.

Attacus, ἄτταχος; eſt locuſtæ ſpecies, modicis alis, qui & *attelabus* ab aliquibus dicitur, de quo in Levit. c. 11. ſic habetur; *Quidquid autem ambulat quidem ſuper quatuor pedes, ſed habet longiora retro crura, per quæ ſalit ſuper terram, comedere debetis, ut eſt brucchus in genere ſuo, & attacus*. FR. de hac ave Horatius in epodon ſic inquit:

Non attagen jonicus

Jucundior.] de eadem Suidas, Ariſtophanes, Plin. lib. 10. cap. 46. Gellius lib. 7. c. 16. Dicitur etiam *Attagen*, & *Attagena*: Italice *Francolino*.

Attagen, & *Attagena*. Vide *Attacus*.

Attalus, pergamenæ chartæ introductor. Vide *Pergamena*.

Attamino, guſto. S. Ambroſius, & Caſſianus in collat. 21. c. 26. gallice *Entamor* dicitur. FR. etiam Arabes; *Atham*, guſtare, & cibare dicunt.

Attegia, tectum, tegmen, [ ut attegias feneſtras, & vicini Dormitorii tabulas aggreſſus diriperet, earum ignibus ſibi prandium præpararet. Jo. Diacon. in vita S. Greg. Papæ.] Proprie Tugurium ſignificat.

Attica Regio. Vide *Acta*.

Atticum Talentum. Vide *Talentum*.

Attitulo, titulum impono. [ Ex his præcipue libris, quos Periarchon attitulavit. Ruff. in Apolog. pro Origene.] Vide *Periarchon*.

Attributa Divina. Vide *Opera*.

Avaritia, & *Avarus*. Vide *Philargyria*, & *Philargyrus*.

Auca, Anſer, volucris aquaticus domeſticus, & ſylveſtris, nomen gallicum *Auca*. [ Oves quadraginta, aucæ octodecim. In Codice M. S. Fuldenſium traditionum, & Marculf. lib. 1. formul. cap. 1.] Vide *Aneta*.

Audiani, hæretici. Vide *Anthropomorphita*.

Audientes, publici pœnitentes. Vide *Hyemantes*.

Audientia, apud Prudentium, ſenſum auditus ſignificat. [ Surdis reddere audientiam.] Aliquando auditorium ſonat. Vide *Auditorium*.

Audientia Litterarum. FR. Secretaria, ſeu Cancellaria. [ Factæ in audientia litterarum noſtrarum, Extrav. comm. de dolo, & contumacia.] Vide *Zeta*.

Audientialis Charta. FR. Cedulam citationis ad comparandum ſignificat, in formulario Marculfi.

Audientium Doctor. FR. qui catechumenos inſtruebat. [ Optatum inter lectores Doctorum Audientium conſtituimus. Cypr. epiſt. 24.] Officium erat magnæ æſtimationis, quod Origenes, Pantenus, Clemens, Dionyſius, aliique graviſſimi viri Alexandriæ exercuerunt. Vide *Zetarius*.

Auditio, pars in Eccleſiæ ſpatio. Vide *Eccleſia*, *Narthex*.

Auditores Rotæ. Vide *Rota*. Sunt Subdiaconi Apoſtolici. Vide *Subdiaconus*.

Auditorium, Monialium loquutorium, ubi ſæpe inania verba expenduntur, ideo Auſcultatrices deputantur: dicitur etiam *Salutatorium*. Vide ſuo loco. FR. etiam locum in Palatio ad audientiam deſtinatum ſignificat. [ Sicut Canonici Curienſes in noſtro Auditorio retulerunt. cap. veritas. De dolo, & & contumacia] Ibique Gloſſa. [ Auditorium eſt locus, ubi cauſæ tractantur.

Auditus, FR. informatio. [ Et in judicio Epiſcoporum dejiciatur auditus, can. ſi quis Epiſcopus 10. qu. 3.] Auditus ſenſus. Vide *Audientia*.

Ave Maria, Utrum dicatur in principio Veſperarum omnium defunctorum. Vide *Veſpera*. Quis inſtituit illam recitandam ante concionem. Vide *Concionator*. *Salutatio Angelica*.

* Ave Maria. Primum a S. Vincentio Ferrerio ante ſacras conciones recitata.

Aventer, Avide. [ Raptim ſubduceris, anclantibus anguſtiis, & contubernio noſtro aventer inſertus fallis dementiſſimo receſſu inclementiam canicularem. Sidonius lib. 2. epiſt. 2.] Ubi de amici diſceſſu conqueritur, quem in diebus canicularibus Sidonius avide hoſpitaverat.

Averia, fortunæ bona, quæ Itali *l'avere*, Galli *Amir*, Hiſpani *Azienda* dicunt.

Averius, aurigarius equus. Galli *Ovurier* operarium equum appellant, de quo Paris in vitis Abb.

Averrunco, Erunco, Extirpo, Evello, a verbo *Runco, as*, compoſitum. [ Procul ut dicitur, averruncentur amentiæ. Arnob. lib. 3. Namque hæc mala, quibus uror, terreor, geſtio averruncare clementia. Ibid.] FR. Priſci etiam hoc verbo uſi ſunt. [ Placuit ad averruncandam Deum iram victimas cædi. Livius 8. ab Urb.] & *Averruncaſſo*, pro eodem Lucilius lib. 26. [ Dii maluerint meliora, atque amentiam averruncaſſint tuam.] Unde *Deum*, *Averruncum* habebant Romani, qui mala expellebat, Herculem, nempe, a Græcis *Alexicacum* appellatum, & malorum expulſorem ſonat, ac ejus Templum magnæ venerationis in Melita colebatur. [ Alexi-

lexicacus vero Hercules hoc eſt expellens mala, ut interpretatur Macrobius &c. Herculis Alexicaci Heſychius meminit, qui in Melita colebatur, unde etiam Melitis vocabatur. Greg. Gyral. lib. de Diis gentium. Syntag. 10.

Averta. Budæus in Annot. poſter. Lora latiora fuiſſe putat, quæ per terga equi jugalis excurrunt ſub alis ejus ſuccincta: in græco textu ille fundatur, quem translat. ὑπομάχαλον. FR. Accurſius vero *Avertam* Equorum pectorale putat, ita dictum, quod averſum collocetur; ſicut *Poſtilena* a Plauto incurvum illud corium dicitur, eo quod *poſt ſellam* ſit. Alciatus ait ornamentum equini capitis eſse, in quo habenæ figuntur, & id quoque ab avertendo, quod equi per eam vertantur ad ſeſsoris libitum. :||: Sed cum in eodem textu a Budæo traducto ſexaginta librarum fuiſse ponderis dicatur; ideo inveriſimile aliquod ex dictis equinis ornamentis videtur intelligi poſse; quare Panciroli opinio magis arridet, qui in ſuo Theſauro docet bulgas eſse, quas equitans ad jumenti clunes alligare ſolet; quare prædicto vocabulo uſus eſt græcus textus.

Augures. Vide *Hydromantia*.

Augustalia Præcepta. FR. privilegia dicuntur. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſtit. 65.

Augustiniani Religioſi. Vide *Baculus*.

Augustinus Sanctus. Vide *Doctor Lybicus*. Ejus converſionis cauſa. Vide in promulſione Operis. Communiter habetur fuiſse illum a D. Ambroſio baptizatum. Vide *Te Deum laudamus*. B. Valerii Succeſſor. Vide *Inthronizo*.

Augustus. Vide *Porphyrogenitus*. *Nobiliſſimus*. *Imperator*.

Aviaticus. Vide *Abiaticus*.

Aula Lateranensis, quare *ſub Apoſtolis* dicebatur. Vide *Apoſtolus*. Item Aula Dei. Vide *Lateranenſis Eccleſia*.

Aulicus. Vide *Loliatus*. *Zizania*. Aulicis negabatur Pax in Miſſa, quare. Vide *Pax*. Vide *Herlininus miles*.

Aura levatitia. Vide *Tempeſtarii*.

Auroclavatus, Vide *Chryſoclavus*.

Aureus Numerus, de quo in rubricis, ita dicitur, quia Athenis numerus occurrens in quolibet anno aureis litteris ſcribebatur, & circulum lunarem XIX. annorum ſignificat, inſervitque ad inveniendam Epactam anni currentis, ut in d. *Epacta* dicetur. Regula vero, qua faciliter aureus numerus inveniatur, talis eſt. Fit additio unius numeri ad annos Chriſti currentes, quod per 19. dividatur, & id, quod indiviſibile remanet, erit numerus aureus; exempli gratia huic anno 1676. ſcribatur 1677. quæ combinatio 1677. diviſa per 19. ejus quotiens erit 8.

19 1677

809 177

6. A

Quare diviſum, reſiduum erit 6. poſitum ad lit. A. & hoc aſſignatur pro numero Aureo anni 1676. Quando vero peracta diviſione, nil reſidui remanet, tunc in illo anno aureus numerus erit 19. Cur autem addenda ſit unitas ad numerum annorum currentium, ratio eſt, quia in anno Nativitatis Chriſti aureus numerus erat 1. Concilium Nicænum ad inveniendum faciliter diem paſchalem acceptavit hunc aureum numerum, quem, ἐννεαδεκατηρίς, ideſt, decem novale appellavit. [ Hunc circulum Enneadecateris nuncuparunt. Ambroſ. Epiſt. ad Æmil. ] Erant, qui putant Euſebium Pamphilum Aurei numeri inventorem fuiſſe; compoſuit tamen in Circulum Paſchalem commentarium.

Auricabeones. FR. ſunt Longobardorum leges, ab eiſdem ita appellatæ. Adnotat in hiſt. Longobard. lib. 4. cap. 44. & Gloſſ. Iſidori. At leges Gothorum *Beilagines* dicuntur. Ibidem.

Auricalcum. Vide *Octoneus*.

Auriculare, pulvinar. Senenſes *Origliere* Galli *Oreillier* vocant, ex eo quia auris ibi quieſcat. [ Nam pro conſolatione attulerunt ei quoddam auriculare. in vita B. Coletæ. ] Vide *Capitale*. *Pulvillus*.

Aurilegulus, is, qui in arena aurum colligit, non vero ex cuniculis, leg. 2. C. de metal. & met. Vide *Balluca*.

Auriphrygium. Vide *Mitra*.

Aurora. Vide *Leucothea*. Quando incipere intelligitur. Vide *Miſſa*. §. Aurora.

Aurugo, morbus regius, ictericus, & arquatus, italice *Zafara* dicitur, & eſt quando fel per membra diſpergitur, & ita appellatur ex auri colore, quem patiens in corporis cute, & in oculis præſertim præſefert. [ Fames ſi orta fuerit in terra, & peſtilentia, ærugo, & aurugo. 2. Paralip. c. 6. ] Græca lectio ἴκτερος, habet, quod felleus humor ſignificat. Gloſſ. Iſid. lib. 4. cap. 8. FR. *Icterus* etiam Avis marina eſt, quæ & *Charadrius*, quam, ut Plinius lib. 30. c. 11. exiſtimat, a Latinis *Galgalus* dicitur & ideo *Icterus* dicitur, teſte Æliano, nam eam aſpicientes, qui icterico morbo laborant, ſanantur. De Charadrio fit mentio in Levit. c. 11.

Auruginο, icterico morbo laboro. [ Qui redundantia fellis auruginant, amareſcunt omnia. Tertull. de anima. cap. 17. ] Ab aurugine ita dicitur.

Aurum. Vide *Balluca*. *Obryzum*. *Ophir*.

Auspicia. FR. Exordia litis, Gloſs. de cauſa poſſeſs. & prop. cap. 5.

Australis Eccleſiæ latus quid ſignificat. Vide *Introitus*.

Ausus. FR. audacia. [ Donec peracta pro auſibus, vel errore a me definita tibimet pœnitentia. can. Miror. 17. q. 4.

Autexusion, græce αὐτεξούσιον, liberum arbitrium [ Hæc erit vis divinæ gratiæ, potentior utique natura, habens in nobis ſubjacentem ſibi liberam arbitrii poteſtatem, quod autexuſion dicitur

citur. Tertullian. libr. de Anima cap. 21.

AUTHENTICA. Vide *Hebdomada major*.

AUTOGRAPHUM, αὐτόγραφον, propria manu ſcriptum. Unde autographa vocantur originalia, manu ipſius Auctoris exarata. Antigrapha vero reſcripta dicuntur. Apud ſacros Auctores iſtæ voces occurrunt, dum de alicujus Hagiographi autographo mentio habenda.

AUTOMATA, αὐτόματα, inſtrumenta ita fabrefacta, ut per ſe moveri videantur, qualia ſunt horologia, hydraulica, & alia ſimilia. Nam *automaton* dicitur ſpontaneum, ſeu ultroneum, & etiam fortuitum: & ideo fortuito evenientia, automata vocantur.

AUTONOMUS, αὐτόνομος, qui ſuis legibus vivit, & nullius imperio ſubeſt. Tales ſunt illi qui ſunt liberi, ut civitates liberæ, vel Reſpublicæ.

AUTOPATHIA, αὐτοπάθεια, innatam paſſionem ſignificat, ab αὐτὸς, ipſe, & πάθος, paſſio: quaſi natura talis individui ſit ipſa paſſio. Paſſiones nimis radicatæ autopathiæ dicuntur, quaſi innatæ, & in ipſam naturam tranſiiſſe videantur.

AUTOPHOROS, αὐτόφωρος. Vox iſta ſonat deprehenſum, manifeſtum; & a Juriſperitis fur in ipſo furto deprehenſus, autophoros appellatur. Item *autophoros* dicitur etiam de quibuslibet aliis in ſelere deprehenſis.

AUTOCEPHALI, Archiepiſcopi dicuntur ſuperiores Patriarchas non habentes, ſicuti eſt Cypri Archiepiſcopus ex Concilii Epheſini decreto, quia fortaſſe Sancti Barnabæ Apoſtoli illius Cathedræ fundatoris intuitu a juriſdictione Antiochenæ Eccleſiæ Cypria Metropolis exempta fuerat; & ex Balſamonis atteſtatione eadem prærogativa gaudet Bulgarorum Archiepiſcopus. Igitur, hoc vocabulum græcum eſt αὐτοκέφαλος, ex quo deinde *Autocephalia* formatur, ideſt, dimembratio ex capite. [ Hujus temporibus Eccleſia Ravennatum, quæ ſe ab Eccleſia ſegregaverat cauſa autocephaliæ, denuo ſe priſtinæ Sedi Apoſtolicæ ſubjugavit. Anaſt. in Damaſo.

AUTOCHEANI. FR. Hæretici, qui aſſerebant Chriſtum eſſe Deum per ſe, haud a Patre procedentem.

AUTUMNA, Autumni ſpatium; [ Revolvuntur hyemes, & æſtates, & verna, & autumna. Tertullianus de reſur. carnis cap. 12. ] Rhenano autem inuſitatæ viſæ ſunt voces *Autumna* & *Verna*, ſed in S. Cypriano legitur. [ Nec ſic vena de temperie ſua læta ſunt, nec adeo arboreis fœtibus autumana fœcunda ſunt: ] quibus adjectivis ſubſtantiva ſubaudiuntur, ſcilicet, tempora. FR. Ovid. eleg. 2. l. 3. Triſt. [ Quam verna de nive vernat aqua. ] Et Suetonius in Nerone: [ Et tamen non defuerunt, qui per longum tempus vernis, æſtivisque floribus tumulum ejus ornarent. cap. 57. ] Et pro autumnali adjectivo *Autumnus, a, um*, dicitur. Gell. lib. 19. cap. 7. ſic ait: [ Molli quodam tempeſtatis autumnæ die. ] Vide *Verna*.

AXIOMATICUS, græce ἀξιωματικὸς, dignitate clarus. Adrian. Jun. Lexicon. Græcolat. [ Plerique in equo, cujus ſeſſione Sanctiſſimus Papa Nicolaus ad Sanctum Petrum pergens uſus fuerat, eum cum Pontificali pallio impoſitum, præcedentibus axiomaticis, & ſubſequente reliqua turba, in Urbem redire, Patriarchiumque ſubire, conſpexerant. Anaſt. Biblioth. in Adriano. Cunctis Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, aliiſque Axiomaticis aurum erogabat. Jo. Diac. in vita S. Gregorii lib. 2. c. 25. ] Vide *Dignitoſus*.

AXUNGIA. Calciamenti fibula, quaſi *Axi-jungia*, quia axes auriculares calcei adjungit, & ſtringit, quæ *axillæ*, id eſt, puſillæ alæ dicuntur; ideo aliis placet *Axiungiam* legere. [ Et calciamenta, in quibus non axiunga deerat. In vita S. Bern. 20. Aug. apud Surium. ] Poſſet etiam hic intelligi de adipe, quo calcei unguntur.

* Ἄξιος. Dignus. Acclamatio in electione Epiſcoporum uſitata.

AZUL. Vide *Chryſocolla*. *Praſinus*.

AZYMA, & *Azymus*. Vide *Lautia*. *Zyma*. FR. Azymus a voce græca ἄζυμος provenit, quæ abſque fermento ſignificat. :||: Prima dies Azymorum dicebatur *Sabbatum ſecunda primum*. Vide *Sabbatum*. Azymorum dies, an fuerit quando paſſus eſt Chriſtus. Vide *Pentecoſtes*.

AZYMITÆ, Chriſtiani Latini ritus ita ex contemptu a Græcis appellabantur, quia in azymo conſecramus. [ Ceſſate ſubſannando azymitas vocare. Leo IX. in epiſt. cap. 20. ] FR. Et ejuſdem Pontificis legatus Humbertus Cardinalis Sylvæ Candidæ Epiſc. idem habet apud Baronium in Appendice tom. 11. Item S. Algerius in tract. de Sacram. lib. 2. cap. 10. in Biblioth. SS. Patrum tom. 6. col. 520. lit. B. Edit. Pariſ. de ann. 1585. hæc habet: [ Utrum ergo ex azymo, an ex fermentato pane Corpus Chriſti confici debeat, inter Latinos & Græcos magna concertatio eſt, in tantum, ut illi iſtos Azymitas, & iſti illos Fermentarios quaſi cujuslibet hæreſis notent vocabulo: cum tamen, ut multis bonis Catholicis videtur, non ſit contra fidem Chriſtianam, ſeu azymum, ſeu fermentatum ſanctificetur: ] De Fermentariis. Vide *Fermentum*.

# B

BABURRUS, ſtultus, ineptus. Iſid. lib. 10. Etym. Vide *Archaus*.

BABYLONIUM TALENTUM. Vide *Talentum*.

BACCA. Anſa, catenæ annulus, [ Statimque in ejus vocibus orante B. Euphronio Epiſcopo de muro Civitatis contra Baſilicam, diſſolutæ ſunt manus ejus, & omnes baccæ catenarum confractæ ceciderunt. Greg. Turon. lib. 1. c. 23. ] FR. [ Deſcendente mox catenarum baccæ franguntur. In vita S. Germani.

BAC-

**Baccalaureus**, gradus, titulusque in ſtudiorum Univerſitatibus, & præſertim inter Religioſos uſitatus, a baccis laureis, quibus ſtudentes graduati coronabantur: ideo *Laureati* etiam dicuntur. FR. Sed Rhenano magis placet *Bacularios* appellari, a baculo in ſignum gradus tradito; fortaſſe quia ſicut ait Gellius lib. 15. cap. 27. teſtamentum (ideſt, teſtimoniale) emancipationis familiæ, æs, & libra adhibebatur; ſic a ſchola diſcipulus emancipatus tradebatur ei baculus, ſub quo erat ſubjectus, in ſignum etiam poteſtatis docendi alios, ac corrigendi :||: Ideo fortaſſis a Juſtiniano in proœm. *Lyta* dicitur, a græco vocabulo λυτὴς, quod *Solubilem* ſignificat, ex verbo λύω, quod *Solvere* denotat, nam a Magiſtri diſciplina ſolvitur; hinc *Licentiando* Hiſpanice dicitur, quo vocabulo *Licentiati* Trident. Concil. utitur. FR. Baccalaureus *Subdoctor* etiam dicitur. Item *Proſcholus*, Scaliger in Auſonium lib. 1. cap. 15. Sed hoc nomen potius Pædagogum ſignificat. [ Nobis apud Mediolanum conſtitutis, tam pauper, ut Proſcholus eſſet Grammatici. Aug. Serm. 23. de verb. Apoſt. ] Qui a D. Gregorio *Collector* appellatur. [ Quidam qui in magna Civitate Alexandrina medicinali arte erat imbutus, collectorem ſe apud ſophiſtam ſuum habuiſſe perhibuit ſummæ pravitatis puerum. In Regiſt. lib. 11. Ep. 46. ] a colligendo pueros fortaſſe.

**Baccauda**. Vide *Bagauda*.

**Bacca**, laterna, quæ in extremo portus promontorio collocatur, ibique fax accenditur, ut index ſit pro ingreſſu navigantium tempore nocturno, & *Pharus* dicitur. [ Bacchas lingua ſolebant vocare, prorſus erigi vetuit. In vita B. Caroli Comitis. ] Flandri *Bake* eam vocant. FR. An a Baccho potius *Baccha* dicatur? Nam feſta hujus Numinis Gentiles noctu cum facibus celebrabant, ſeu quia Bacchus ſol credebatur; hinc Virgilius 1. Georg.

——— Vos o clariſſima mundi
Lumina labentem cœlo quæ ducitis annum
Liber, & alma Ceres.

Lunam enim Cererem exiſtimabant. Et Orpheus in Hymnis:

Primus it in lucem, ac Dionyſus dicitur idem.
Immenſum circa cœlum quod volvitur alte.

Ac idem in carminibus.

Sol clarus Dionyſum, quem cognomine dicunt.

Et Eumolphus in Bacchicis carminibus.

Flammiferos inter radios Dionyſus Olympi,

Itaque ſicut fax cœli diurna Bacchus nominabatur, ſic portuoſa fax etiam *Bacca* appellata fuit. Vide *Abſconſa*.

**Bacchalia**. Vide *Carnis privium*. *Cervula*. *Charivarium*. *Circumciſio Domini*. *Crobylus*. *Fugalia*. *Homophagia*. *Maſca*.

**Bacchus**. Vide *Nyſus*. Idem ac Oſiris. Vide *Helucus*.

**Bacellus**, baculus, ſcipio, cui ſenes innituntur. [ At ille moratus, adrepto bacello, adminiculante puero, ſanctum ingreſſus eſt locum. Greg. Turon. lib. 2. Mirac. cap. 22.

**Bacones**, Porcinarii, qui porcinam carnem ſale condiunt, Germani *Bacons* Lardum dicunt.

**Bacuceus**, vel *Bacucus*, Fanaticus. [ Alios ita eorum corda, quos ceperant inani quodam tumore vidimus infeciſſe, quos etiam bacuceos vulgus appellat, ut ſe ipſos ultra ſui proceritatem corporis erigentes. Caſſiod. Coll. 7. c. 32. ] A verbo *βακίω*, *inebrior*; vel potius *βακχέω*, *inſanire*, *bacchare*, quod immoderatis geſtibus agebatur.

**Baculo**, *as*, baculo cedo, verbero, vapulo. [ Ligavit fortem, & vaſa ejus diripuit, baculavit eum, qui habebat mortis imperium. Petr. Bleſen. Ser. 1.

**Baculus Episcopalis**, qui *Cabuta* dicitur. [ Argenteam cabutam figuratam. Flodoard. lib. 5. cap. 8. ] Item *Gambuca* etiam appellatur. Faciat crucem cum gambuca in limine ſuperiori, & inferiori. Durand. de conſecrat. Eccleſ. ] Item *Ferula* etiam dicitur. [ Ad Domini Leonis Papæ pedes ipſiuſque Imperatoris idem Benedictus (ſcilicet Antipapa) concite procidens pallium ſibi abſtulit, quod ſimul cum Pontificali ferula, quam manu geſtabat, Domino Leoni reddidit. Luitpran. lib. 6. hiſt. c. 11. Leo Apoſtolicus coadunata multorum Epiſcoporum ſynodo, eundem Benedictum Romanæ Sedis invaſorem judicio omnium ab invaſo gradu depoſuit, & Pontificale pallium, quod ſibi impoſuerat, abſcidit, ferulamque Paſtoralem confregit. Appendicum Notator Reginonis ad ann. 964. ] Item dicitur *Virga Paſtoralis*, atque *Croccea*, ideſt, baculus ſubalaris, ſic in quadam Bulla Martini V. ad favorem Eccleſiæ Maceratenſis, quam *Crozzia*, & *Stampella* italice dicunt. FR. etiam latine nomen *Croccia* uſurpatum fuit. Quod ſine baculorum ſuſtentaculo, quæ crocciæ dicuntur vulgariter, non poterat ambulare. In vita B. Finæ Virg. ] Vide *Fulcinatorium* :||: Hodie Epiſcopi, & Abbates græci baculo ejuſdem formæ utuntur in Pontificalibus, qua ſolet dipingi pro S. Antonii Abbatis inſigne, nempe, ad modum T. majuſculi. Vide *Protopapas*. Latini vero Epiſcopi baculum Paſtoralem in vertice curvatum (ut mox dicemus) geſtant. Maronitarum autem Epiſcopi in ſummitate baculi globum aliquando chryſtallinum, & ſæpe gemmatum cum cruce ſuperpoſita ferunt, quæ forma etiam a Latinis antiquitus gerebatur. [ Hic baculus ex oſſe, & ligno efficitur, chryſtallina, vel deaurata ſpherula conjungitur, in ſupremo capite inſignitur, in extremo ferro acuitur. Iſid. c. 219. ] Ac eodem modo S. Gregorii baculus fuerat, ut in ſubjecta figura oſtenditur. Abbates non poſſunt uti baculo paſtorali abſque velo, ut dictum eſt in dict. Abbas. Græci vero Abbates baculo utuntur, ab Epiſcopali diverſo, eo modo, quo ſupra diximus in forma T. Antiqui Monachi Ægyptii baculum ferebant ad imitationem Eliſei Prophetæ, de quo ſic Caſſianus: [ Cujus geſtatio ſpiritualiter mo-

monet, numquam debere eos inter tot oblatrationum vitiorum canes, & inviſibiles nequitiarum ſpiritualium beſtias inermes incedere, lib. 1. de Inſtit. Renunç. cap. 9.] De hoc etiam mentionem facit Iſidorus Peluſiota Epiſt. 92. lib. 5. Ad quorum imitationem etiam Eremitani Ordinis S. Auguſtini ſimilem baculum, teſte Jordano de Saxonia lib. 1. ferre ſolebant, qui juxta Gregorii IX. conſtitutionem, quæ incipit *Dudum oportuit*, quinque palmorum eſſe debebat. Deinde Innocentius VI. & Alexander IV. eis indulſerant, ne in poſterum baculum ferre tenerentur. FR. Maronitæ tam Eccleſiaſtici, quam ſæculares, ex eo quia ſtantes in Eccleſia orant, ſubaxillari baculo ibi ſuſtentantur :||: In Oriente ab Epiſcopis, & aliquibus Sacerdotibus, teſte Baronio ad An. 44. n. 88. baculus Paſtoralis ferebatur. Aliam ſpeciem baculorum, ſeu virgarum. Vide *Teni*. In Conventuali Melitenſium Eccleſia quatuor Cantores in diebus ſolemnibus pluvialibus induti aſſiſtunt in Choro cum baculis argenteis ad formam baculorum peregrinantium, ſed craſſioribus; quod etiam in Gallia obſervatur. In Siciliæ ac Melitæ Cathedralibus reperitur canonicalis dignitas, quam *Ciantar* vocant a voce gallica *Chanter*, ideſt, Cantor, qui fert baculum, ſeu potius virgam argenteam. FR. Quod a Stephano IV. inſtitutum erat. [ Fecit Xenodochium S. Gregorii juxta gradus S. Petri, & ſtatuit tres Cantores cum Primicerio, qui jugiter officiarent Miſſam ad Altare S. Petri, indutus pluviali, mitra, & virga, & ſtaret juxta Altare, & pro beneficio haberent, ſicut in privilegio ejus legitur. In M. S. Benedicti Vaticani Canonici a Turrigio in ejus Crypt. Vaticanis allato pag. 189. impreſſ. ſecunda] :||: [ Dum Evangelium legitur, baculi de manibus deponuntur, quia prædicante Evangelio legalis obſervantia deponebatur. Secundum hunc morem Cantores in officio Miſſæ baculos tenere noſcuntur. Gem. lib. 1. cap. 24.] Paſtoralis autem baculi inſtitutum, ab Eccleſiæ primordio fuiſſe conſtat; adhuc enim baculum S. Saturnini Apoſtolorum Diſcipuli Toloſæ conſervatur, cum hac inſcriptione.

> Curva trahit, quos virga regit, pars ultima pungit.

In Valentia Civitate Hiſpaniarum S. Auguſtini eburatus baculus, teſte Gavanto, oſtenditur. FR. Sed Baronius An. 504. ex Sigiberto, & Mariano Scoto ait baculum S. Auguſtini una cum ejus corpore in Sardiniam translatum, quod corpus tandem denuo Papiam delatum fuiſſe, idem ad Ann. 25. num. 1. & ſeqq. refert. Alios antiquos baculos reperiri traditur, nempe, Bononiæ S. Iſidori, in Patriarchali Aquilejenſi Eccleſia S. Hermagoræ D. Marci diſcipuli. Uſus autem baculi, ut Philoſtratus lib. 3. teſtatur, antiquitus Epiſcopis, & aliquibus orientalibus Sacerdotibus communis erat, qui mitra etiam, & anulo utebantur. In Miſſis defunctorum baculus non adhibetur. Cærem. Epiſt. lib. 2. cap. 11. Baculo non utitur Summus Pontifex. FR. Gregorius IX. ait: [ Licet Romanus Pontifex non utatur baculo Paſtorali, tum propter hiſtoriam (alias melius Poſtillator ibi corrigit. Secundum Hoſtienſem) tum propter myſticam rationem; tu tamen ad ſimilitudinem aliorum Pontificum poteris eo uti, lib. 1. decretal. tit. 15. de Sac. Unct. cap. unico: §. licet.] Ubi Gloſſa ſubdit: [ Propter hiſtoriam, Martialis unus de Diſcipulis Petri, quem poſuit Dominus inter Diſcipulos, cum dixit, niſi efficiamini ſicut parvulus iſte, non intrabitis in regnum Cœlorum &c. quem poſtea Petrus cum alio, ſcilicet, Matthæo ad prædicandum miſit in Germaniam, cum iret, mortuus eſt, & rediit collega ad Petrum, & Petrus ait: Accipe baculum, & tangens eum, dic, in nomine Domini ſurgat, & prædicet, & ivit, & die XL. a tempore mortis tetigit eum, & reſurrexit, & prædicavit, & ita Petrus removit a ſe baculum, & dedit ſubditis.] Idem refert Baronius Ann. 74. n. 15. Atque Angelicus Doctor ſic ait: [ Dicendum, quod Rom. Pontifex non utatur baculo, quia Petrus dedit ipſum ad reſuſcitandum quendam Diſcipulum ſuum, qui poſtea factus eſt Epiſcopus Trevirenſis, & ideo in Diœceſi Trevirenſi Papa baculum portat, & non in aliis locis, vel etiam in ſignum, quod non habet coarctatam poteſtatem quod curvatio baculi ſignificat. In Supplem. 3. par. q. 40. art. 7. ad 8. reſponſ.] :||: Et ideo Patriarcha Conſtantinopolitanus in ſignum ſubjectionis, quando conſecratur, recipit baculum ab Heracleæ Metropolitano, ſub quo Byzantii Epiſcopatus erat antiquitus ſubjectus. Durandus in Rationali c. 15. lib. 16. ait, quod Innocentius Papa III. ſcripſit in Eccleſiæ ſpeculo, quod B. Petrus miſit baculum ſuum Euchario, ſive Frontoni primo Trevirorum Epiſcopo, quem una cum Valerio & Materno ad prædicandum Evangelium genti Theutonicæ deſtinavit, cui ſucceſſit in Epiſcopatu Maternus, qui per baculum Petri de morte fuerat ſuſcitatus, quem baculum uſque hodie cum magna veneratione ſervat Treviren. Eccleſia: & ideo Papa in illa Diœceſi utitur baculo, & non alibi.] Sed contrarium, tum ex hiſtoria Benedicti Antipapæ in hac dict. allata §. Ferula, tum ex ſubjecta figura S. Gregorii Magni apparet, quæ ex monumentis Alphonſi Ciacconi a D. Laurentio de Mariis Romano mihi donata fuit. FR. Aliam picturam Gelaſii Papæ II. cum baculo paſtorali apponemus in dict. *Mitra*. Tandem baculi ſignificationes exprimi ſolent per hos verſus.

> Attrahe, ſuſtenta, ſtimula, morbida, lenta. Seu:
> Attrahe per primum, medio rege, punge per imum;
> Attrahe peccantes, rege juſtos, punge vagantes.

Gloſſ. in d. c. Cum veniſſet de Sac. Unctione. :||: Alia myſteria etiam in paſtorali baculo contemplantur, nempe, [ Epiſcopi Paſtores gregis Dominici ſunt,

ſunt, ut Moyſes, & Apoſtoli fuerunt; ideo baculum in cuſtodia præferunt: per baculum, quo infirmi ſuſtentantur, auctoritas doctrinæ deſignatur; per virgam, quā improbi emendantur, poteſtas regiminis figuratur. Baculum ergo Pontifices portant, ut infirmos in fide per doctrinam erigant: virgam bajulant, ut per poteſtatem inquietos corrigant, quæ virga, vel baculus eſt recurvus, ut aberrantes a grege, docendo ad pœnitentiam trahat; in extremo eſt acutus, ut rebelles excommunicando retrudat, hæreticos velut lupos ab ovili Chriſti poteſtative exterreat. Gem. de Antiq. tit. Miſſæ lib. 1. cap. 218. ] Vide etiam Iſidorum dicto cap. 219. Baculus Decanorum Monaſterii. Vide *Canibuta*. *Fulcinatorium*. *Narthex*. *Potentia*.



Bad. Vide *Ephod*.

Baduinus. Ruſticus, ex Arabico *Badui*, ideſt, Villicus.

Badus, & *Batus*, Hebræorum menſura, de qua ſæpe in ſac. Scrip. & continebat 72. Sextarios, ut docet Budæus de Aſſe; erat decima Cori pars, ideſt, quatuor modii, ſeu ſex, ut alii exiſtimant, quod eſſet Tumulus Apuliæ, qui correſpondet eidem antiquo græco: itaque 120. libr. grani continet *Batus*.

Baguada. Facinoroſus, rebellis. [ Aut quid aliud etiam nunc agitur, quam tunc actum eſt, ideſt, ut qui adhuc Baguadæ non ſunt, eſſe cogantur. Salian. de Guber. lib. 5. ] Apud Divum Hieronymum *Bacauda* legitur; ſic etiam habet Euſebius, inquiens: [ Diocletianus conſortem Regni Herculeum Maximianum aſſumit, qui ruſticorum multitudine oppreſſus, quæ factioni ſuæ Bacaudarum nomen indiderat, pacem Gallis reddit. In Chron. ] In ejus etiam Græco textu Βεκαύδαι habetur, ex quo vocabulo formatur nomen *Bacaudicus*, & apud Eumenium: [ Latrocinio Bacaudicæ rebellionis obſeſſa. ] Cenſent Salvian. & alii ex dict. hebraica *Baguadim* hanc vocem derivari.

Bahes, ſeu *Bain*. [ Coronam auream, & bahem, quam miſiſtis, accepimus, 1. Macab. cap. 13. ] Vocabulum valde obſcurum. FR. Ex Joſepho Antiquit. Judaic. lib. 13. cap 8. habetur exemplar epiſtolæ Demetrii Nicanoris, de qua in Machab. loc. cit. cujus verba ſunt ex epiſtola ejuſdem Demetrii. Sic itaque Joſephus ait de Jonatha Symonis fratre, quod a Demetrio per litteras accitus: [ ille non intermiſſa oppugnatione cum ſenioribus populi, & Sacerdotibus aurum, & argentum, veſtem, aliaque xenia deferens, venit ad Demetrium, & hac munificentia mitigavit Regis animum &c. ] & inferius refert Demetrii diploma, ubi inter alia hæc continebantur: [ Remitto quidquid ſolebant ante me Reges accipere a ſacrificantibus Hieroſolymis, aliaque tributa pro fructu terræ, atque arborum, præterea ſalinarum vectigal, & aurum coronarium, neque quicquam eorum exigetur in poſterum. ] Cum quo ſacra Scriptura loco citato concordat, dicens: [ Et elegit Simon viros, & miſit ad Demetrium regem, ut faceret remiſſionem regioni &c. ] & mox in epiſtola Demetrii: [ Rex Demetrius Simoni Summo Sacerdoti &c. Coronam auream, & bahem, quam miſiſtis, accepimus, & parati ſumus facere vobiſcum pacem magnam, & ſcribere præpoſitis Regis dimittere, quæ indulſimus. ] Et poſt aliqua verba ſequitur: [ Remittimus quoque ignorantias, & peccata uſque in hodiernum diem, & coronam, quam debebatis, & ſi quid aliud erat tributum in Hieruſalem, jam non ſit tributum &c. ] Sed ſuſpendunt adhuc animum Ciceronis verba in primis, qui in orat. pro l. agraria inquit; [ Quod ad quemque pervenerit ex præda, ex manubiis, ex auro coronario. ] Et Plinius [ Æs Cypri coronarium lib. 33. cap. 9. ] dixit. Sed Gellius omne plane dubium enodat lib. 5. cap. 6. inquiens: [ Triumphales coronæ ſunt aureæ, quæ Imperatoribus ob honorem triumphi mittuntur; id vulgo dicitur Aurum coronarium. ] Itaque Corona aureum coronarium dicitur, & *Bahem* xenia, ſeu munera, quæ Demetrio Regi de Hebræis triumphanti Machabæi miſerant. Arabice *Mehbe* dicitur, ideſt, *Munus*, atque Chaldaica lectio habet *Schibuto*, ideſt, miſſio. Cæterum *Behem* pollicem manus appellant etiam Arabes. Vocabularii Eccleſiaſtici Auctor hoc vocabulum græcum exiſtimat, & inepte

inepte columnam interpretatur; nam eſſet extra materiæ ſenſum de qua in epiſtola Demetrii prædicta agitur. Cedrenus *Bajon* vocat donum Imperatori tribui ſolitum, de quo etiam Luitprandus l. 3. cap. 5. Meurſius in Gloſſ. Græco-barb. & in citato Machabæorum capite de auro coronario. LXX. *Bain* vertunt ex Hieronymi lectione, quam ſecutus eſt Lyranus ibidem. Multæ item analogiæ ſunt inter *Bajon*, & *Donum*. *Bajon* enim ſignificat palmam, ut infra in dict. *Baja*, atque palma denotat præmium, donum, triumphum, & ipſam arborem: daſtylus autem manus digitum, & fructum palmæ; & *Bahem*, ut ſupra vidimus, pollex manus arabice dicitur. Item Manus arcum triumphalem ſignificat, ut in dict. *Manus* dicemus, & alia ſimilia. De *Auro coronario*, & de *Argento chryſargyro* ſcripſit Baron. Ann. 330. num. 36. 37. & 38. Synonymum Bahem. Vide *Fodrum*.

**Baja**, græca vox Βαΐς, ramus palmarum. [ Cubile eis de foliis palmarum, quas bajas vocant, contextum erat. S. Hieronymus contra Jovin. cap. 9. ] Græci Dominicam Palmarum Βαϊοφόρον ἑορτὴν, ideſt, *palmiferum feſtum*, ſed Βαΐον dicunt. Vide *Dominica Palmarum*. *Palmarum feſtum*. FR. Aliqui perperam damnant Meurſium, quia *Bajum* dixerat *donum* ſignificare; putantes hoc vocabulum nonniſi palmæ ramum denotare: ſed Meurſius minime erraverat; nam in dict. *Bahem* diximus *Bain*, & *Bajon* græce, latine *Bajum* tam donum, quam palmam importare, hinc Cedreni, & Luitprandi auctoritatm poſitam in originali ſub hoc vocabulo *Baja* in ſignificatu muneris, tranſpoſuimus in dict. *Bahem*, nam Auctor ibi fatetur vocem illam non percepiſſe; ideo æquivocaverat &c.

**Bain**, & *Bajon*. Vide *Bahes*.

**Baira**. FR. Barium Apuliæ Civitas. [ Tandem ingreſſus navem, Bairam civitatem Sancti Nicolai pervenit. Altorferius Monachus in Hiſtor. de Guelphis Princip. in cap. de Hermerico Duce, qui factus eſt Monachus apud Caniſium.

**Baithosæi**. Vide *Sadducæi*.

**Bajulus**, morum director, cui filii Principum committuntur. [ Regibus noſtris maturos, ac prudentes, atque ſobrios bajulos ſingulis conſtituite. Hincmar. Epiſt. 11. cap. 11. FR. italice, ac hiſpanice *Ajo* dicitur :||: & *Bailia* directio intelligitur. [ In teſtamento relictus ſub bailia Urbani IV. Anonym. de inveſtit. Epiſcop. Reg. Theuton. ] Orator Venetus in Conſtantinop. Civitate ex antiquo uſu dicitur *Ballius*, ideſt, negotiorum director: FR. ſeu potius ex gerulo, qui onera gerit, *Bajulus*, ideſt, Orator diceretur. Cicero enim 2. de Orat. inquit: Remigem aliquem, aut Bajulum nobis Oratorem deſcripſeras. ] Tempore græci dominii Venetus Orator *Mpailus* vocabatur. [ Magiſtratus vero, qui certis temporibus eo mittuntur, Venetorum Mpailus, ſive Curator Piſanorum, & Genuenſium Poteſtas appellatur. Nicephor. Gregora. Hiſt. Rom. lib. 4. ] Vide *Balivus*. Bajulus, ideſt, gerulus. Vide *Saccas*. *Sagmarius*. *Oniferus*.

**Balaam**. FR. nomen ſimoniaci Prophetæ in Sac. Pagina ſignificat vanum populum, ſeu præcipitantem eos: [ Sed & nomen ipſius Balaam, qui vanus populus, ſeu præcipitans eos interpretatur, ex Beda in Decreto 2. quæſt. 7. can. ſecuti ſunt. ] At D. Hieronymus de nominibus Hebr. vetuſtatem populi ait ſignificare.

**Baldachinum**. Conopeum, ſeu umbella, quæ ad tegendum tabernaculum, & Altare, & ejuſdem Sacramentum per viam una cum Sacerdote illud ferente, inſervit. Item ad thronum Epiſcopi, & Principis abſoluti dominii, ac in aulis magnatum, & in eorum pro audientia camera ponitur. Item feretra clarorum virorum Baldachino condecorabantur: [ Feretrum copertum fuit Baldachino, quod Eccleſiæ reliquerunt. In M. S. Annalibus Colomarienſibus - Anno 1276. ] FR. Idem mos erat in Civitatibus Italiæ: de Senenſe enim, & Bononienſe Urbe narrat Cherubinus Ghirardaccius in ſua Hiſt. Bononien. ad an. 1260. his verbis. [ Mori parimente Guglielmo Guidozagni famoſo Cavaliero ec. e fuori della Città nella Chieſa ec. con gran pompa funerale, e col Baldachino fu ſepolto, ſecondo che era in quei tempi coſtume farſi a ſimili uomini letterati, e famoſi. In due modi, ed in varj tempi s' uſava il Baldachino ai morti. Alle volte ſi portava il corpo all' uſcir di caſa vicino alla ſepoltura. Altre volte s' usò in queſto modo. Ponevaſi il corpo in mezzo della ſtrada ſopro un' alto Catafalco tutto di nero addobbato, e ſopra il capo ſi poneva un Baldachino ] :||: Nomen hoc originaliter ſericum textile ſignificat, & varie in Codicibus *Baldachinum*, *Baldekinum*, *Baidequinum*, & *Baldicum* ſcribitur. [ Rex veſte deaurata facta de pretioſiſſimo Baldakino. Matth. Pariſ. in Henr. III. ] Veſtis ergo, & non tegumentum in primævo ſignificatu erat, de quo ſupra. [ Baldicum aulæum pretioſum paganici operis. Tom. 1. hiſt. Germanicarum. ] FR. Dum ergo paganicum, ſericum textile erat, dicendum, quod fortaſſe ſicut hujuſmodi textile ex ſerico *Damaſcum* a Damaſci Civitate vulgo vocatur, ſic *Baldaquinum*, a Baldaquino Damaſci Regulo, quem Balduinus Gothifredi Bulionis frater, & in Regno Hieroſolymorum ſucceſſor vicerat, ut Blondus dacad. 2. lib. 5. ad an. 1130. refert: ex ſericis ergo inter ejus ſpolia repertis nomen hoc inditum fuiſſe cenſendum eſt, ſeu potius *Baldachinum* a Baldaco, ex quo ad Damaſci Civitatem ſericum mittebatur. Vide *Sameria*. *Faſtigium*. *Mappula*. *Pendens*. Baldachinum pro proceſſione quando defertur Euchariſtia, ſemper debet eſſe album. Vide *Velum*.

**Balista**. Inſtrumentum bellicum. Vide *Arbaliſta*. *Diaſphendon*.

Balivus, idem ac Bailus ſupra. FR. Curator, Adminiſtrator. Inter Equites Melitenſes, & S. Stephani Florentinos dignitas eſt. At quia in Italiæ preſertim in Neapolitano Regno pro Curſore, & Mandatario uſurpatur; ideo in dicto Regno obtinuerunt a Concilio Conventus ipſi Melitenſes Equites, ut *Priores*, & non *Balivi* vocentur. Italice *Balio* dicitur, quod commune eſt cum curſoribus: ideoque Equites S. Stephani Florentiæ variant corripiendo ultimam ſyllabam, ac ultimam litteram demendo *Balì* pronunciant, ut a *Balio*, ideſt curſore diſtinguantur. Dicitur etiam *Ballivia* hæc dignitas. cap. 10. de offic. Archidiaconi.

Ballematium, ſaltationis genus, a græco verbo βαλλίζω, *tripudio* deductum. [ Dicta autem cymbala, quia cum ballematiis ſimul percutiuntur. Ita enim Græci cymbala ballematica. Iſid. lib. 3. Ethym. cap. 22. ] Reperitur græce, & latine etiam verbum *Balo* in eadem ſignificatione: [ Sacerdotes admoneant viros, & mulieres, qui feſtis diebus ad Eccleſiam conveniunt, ne balando, & turpia verba decantando choros teneant, & ducant. Romana Synod. ſub Lothario cap. 31. ] Item *Balatio* ipſa ſaltatio. Illas vero balationes, & ſaltationes, canticaque turpia, & luxurioſa, In capitulis Caroli Magni lib. 6. cap. 19.

Balluca. FR. Auri fragmenta, & ejus arena, quæ in cancis colligitur. Theodoſianus Codex lib. 10. tit. 19. Ubi quantitatem ærario publico a metallorum foſſoribus ſolvendam limitans, ſic ait; Quatuordecim uncias Ballucæ pro ſingulis libris. ] In textu græco pro *Balluca* χρυσαμνος legitur; nam χρυσός, aurum, ἄμνος (corrupte pro ἄμμος) arenam ſignificat, & ſic *Chriſammos* legendum eſſet. Vide *Aurilegulus*.

Balneo, lavare, madefacere ſignificat; verbum barbarum, quo uſus eſt Gulielmus in ſuo tractatu de terra ſancta apud Caniſium in Promptuario eccleſiaſtico. [ Irrigatur hic hortus quodam fonte parvo in ipſo exiſtente, in quo Virginem Mariam puerum Jeſum balneaſſe aſſerunt Chriſtiani.

Balneum, vile genus potus Monachorum, & Pœnitentium [ Soli menſæ aſſidunt nudæ paxamatium ſibi apponentes, balneaque tunc vitro permodico non bibentes, ſed ſorbillantes. Luitprand. in legat. ] Vide *Paxamatium*.

Balatio, & *Balo*. Vide *Ballematium*.

Balsamum, Chriſma intelligitur aliquando. Vide *Chriſma*.

Balteus. Vide *Cingulum*.

Banausus. Artifex, qui igne in ejus exercitio utitur, græce Βάναυσος, cujus ſignificatio ad omnes deinde artes mecchanicas translata fuit. [ Ut taceam de iis, quos Græci Banauſos vocant. Hieron. lib. 1. adver. Pelag. ] A quo formatur nomen *Banauſia*, quod prodigalitatem ſignificat, de quo vitio agit D. Thom. 2. 2. quæſt. 135. ar. 1. ad 2. quando, ſcilicet, aliquis de opere ſuo citra valorem ſolutionem exigit, vel prodigaliter emptor illud ſolvit.

Bancalium. [ Bancalia ſunt panni, qui ſuper ſedes, vel bancas in Choro ponuntur. Durand. in rational. ] Vide *Dorſale*.

Bancus, ſcamnum. [ Dum iter pergens, in quadam Eccleſia hoſpitatus fuiſſet, & feſſus ſuper bancum quieſceret. Siffridus presbyter, lib. 1. Epiſt. ] Facit etiam mentionem de hoc vocabulo Pontificale Rom. de ordinatione Sacerd. ubi ſic habetur. [ Presbyteri vero ordinati, retro Pontificem, vel hinc, & inde, ubi magis commodum erit, in terra genuflexi habeant libros coram ſe ſuper ſcabellis, vel bancis ordinatis.

Banderasius, ſeu *Branderaſius*. FR. Vexillarius, ſignifer: ſic enim antiquitus Romæ vocabantur regionarii primates, hodie vulgo *Caporioni* appellati. [ Nam Romæ datus ſingulo ſemeſtri a Pontifice, Senatorius dicebatur, & Urbis cuſtodiæ totius adminiſtrationis Banderaſii gerebant curam, ea regiminis forma inchoaverant &c. Dicti ſunt Banderaſii a vexillis gallico, vel potius germanico verbo Bandis, longe prius in Italia appellatis ab Urbano IV. Blond. decad. 2. lib. 10. in Greg. IX. Totamque Reipub. adminiſtrationem, & curam Banderaſii tunc gerebant. Platina in eod. Greg. ] Vide Bandoforus, Banderarius. Bandularius in dict. *Bandum*. Bandones in dict. *Banerium*. Vide *Brandeum*. *Regionarius*.

Bandum, Vexillum. [ Dedit ſigna ſua, & banda S. Silveſtro. Conſtant. in donatione. ] Et clarius Suidas: [ Bandum Romani vocant Vexillum militare: ] FR. [ Miſit ad eum primiores bandorum, Presbyteroſque, ac Diaconos, & Reverendos ſignorum Cuſtodes. In Collect. Anaſt. Biblioth. per Sirmondum in 8. edit. pag. 188. ] :||: Inde *Bandoforus*, & *Banderarius*. Cencius Camerarius *Bandularium* vocat. In Melita equeſtris Vexillarius *Bandoliero* adhuc vocatur. Vide *Tufa*.

Banerium, Vexillum. [ Rex hoc audito ſtatim banerium ſuum ſuper turrim Eccleſiæ Spirenſis conſtituit. Albert. Argent. an. 1349. ] Unde Vexillarii ab aliquibus ſcriptoribus *Bandones* dicuntur.

Banlegua. FR. exilium per diſtantiam unius leucæ.

Bannio, & *Bannior*, publice in exilium mitto, vel mittor. [ Ut nullus ad placitum banniatur, in Conſtit. Caroli Magni. ] FR. [ Inſuper etiam Sancta Synodus decrevit, ut nulla judiciaria poteſtas licentiam habeat ſua auctoritate Chriſtianos ad placitum bannire in ſupradictis diebus &c. can. Piacita, 15. q. 4.

Bannum, & *Bannus*, edictum, & edicti pœna. [ A Junioribus Eccleſiæ juſſit bannos exigi, pro eo, quod in exercitu non ambulaſſent. Greg. Turonen. lib. 5. cap. 26. Mandat illi ex auctoritate Dei, & Sanctæ Mariæ, & Sancti Remigii, & ſua epiſcopali, nec non ex banno Regis. Flodoard. lib. 3. c. 26. Si quis per hanc Sancti Concilii definitionem inventus

tus fuerit corrupiſſe bannum ab Epiſcopo impoſitum, quadraginta dierum caſtigatione corripiatur tantum in pane, ſale, & aqua. Clem. I. Epiſt. ad Jacob.] FR. [Conſuevit recipere annuatim, inſuper & comeſtiones, banna, placita, forisfacta, de præſcript. c. ad audientiam.] Ubi Gloſſa; [Bannum, ideſt, jus dicendi bannum, vel edictum.] Sæpe in Annot. Hiſt. Longobard. in c. 20. l. ſi quis pro faida, de faidoſis. l. de his, qui, de eo qui fraudulenter alienaverit. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſt. 70.

Banus. FR. Dignitas erat in Dalmatia, & Croatia, cui gubernium totius provinciæ incumbebat, ac ſæpe Regis fratribus, ac liberis committebatur, & Ducatus titulo æquiparabatur, cujus ſubſtitutus *Vicebanus* dicebatur. Ita Jo: Lucius in tract. de Tragur. In Borno interioris Libyæ regno *Banu* nummos ſignificat.

Baphium, βαφεῖον. FR. officina, in qua purpurinus color ſerico, & lanæ dabatur. l. 2. & l. Privatæ, C. de Murileg. Græce enim βαφὴ tincturam ſignificat. ***Procuratorem Baphiorum*** vocabantur hujus officinæ Præſidentes, ex his fuerat Dorotheus eunuchus, qui in Civitate Tyri ad hanc officinam Præſidens erat, dein Antiochenus Sacerdos ordinatus, ac tandem imperante Juliano Apoſtata ad diem 5. Junii Martyrii palmam obtinere meruit, quo tempore ſericum non extrahebatur per aquam ferventem, ut modo fit; ſed opificio pectinus, ac fuſi.

Baptismalis, appellativum ad res hujus Sacramenti concernentes; ſic *Dies Baptiſmales* dicebatur tota Paſchæ octava, in qua Neophyti in albis indulti ad divina officia intromittebantur. Baptiſmalis Eccleſia. V. de *Parochia*.

Baptismus, græce Βαπτισμὸς, lavacrum, immerſio; antiquitus enim in memoriam triduanæ Chriſti ſepulturæ triplici immerſione baptiſmus conferebatur, quem ritum Eccleſia Græca, & Ambroſiana adhuc retinet. [Alii trinam immerſionem volunt in ſimilitudinem triduanæ ſepulturæ, ut in canonibus Apoſtolorum ſtatutum habemus, & Romanorum conſuetudo obſervat. Alii unam propter divinitatis unitatem contendunt, ut in Concilio Toletano pleniſſime habetur. Valaf. de rebus Eccleſiæ. cap. 26.] Quæ unica immerſio in Hiſpania primo fuerat introducta, ne coincideretur cum hæreſi illorum, qui tres ſubſtantias in tribus perſonis divinis affirmabant; ideo de hac immerſionis diverſitate Leander Hiſpalenſis Epiſcopus interrogatus, reſpondit: [Quia in una fide nihil officit Eccleſiæ conſuetudo diverſa. Nos autem, quod tertio mergimus, triduanæ ſepulturæ ſacramenta ſignificamus, ut dum tertio ab aquis infans educitur, reſurrectio triduani temporis exprimatur, lib. 1. ep. 4.] FR. Rationem cur inter Latinos deſierit cæremonia baptizandi per immerſionem, puta fuiſſe ob varias inconvenientias, quarum prima ex can. pervenit 30. qu. 1. colligitur; ubi narratur, quod Hiſpali in Hiſpaniæ tempore Deusdedit Papæ propter multitudinem populorum, parentes infantes eorum nudos poſt immerſionem neſciebant recognoſcere: idemque accidiſſe Iſauriæ Epheſiorum, Hieroſolymis, & in aliis Eccleſiis, temporibus Julii, Innocentii, & Cœleſtini Pontificum, ibidem refertur; ideo conjuges in pœnitentiam ſeparari cogebantur a copula. Secunda ratio, quia multoties, ut alibi dicemus, Infantes ſacrum lavacrum ſtercorabant, vel urinando illud fœdabant. Tertia denique cauſa fuit, ne amplius pueri baptizandi in aqua immergerentur, ob periculum, puta, ne Sacer Miniſter in irregularitatem incurreret, quia aquæ rigiditate in ea immerſione, maxime hyberno tempore, expirare periclitabantur tenelli infantes :||: Romana Eccleſia in duobus tantum anni temporibus Sacramentum hoc adminiſtrabat, in utroque, ſcilicet, Sabbato Dominicæ Reſurrectionis, & Pentecoſtes præcedente: at in mortis periculo omni tempore conferebatur. [Quia vero ſecundum Apoſtolum in morte Salvatoris baptizamur, & ipſe Dominus intraturos regnum Cœlorum ex aqua, & Spiritu Sancto renaſci debere præmonſtrat; congrue a Præſulibus Romanorum hæc duo tempora ſola ad celebrationem præfixa ſunt baptizatis, ideſt, Paſcha, & Pentecoſtes, quorum uno paſſio Domini, & reſurrectio, altero adventus celebratur Spiritus Sancti. Valaf. de reb. Eccleſ. cap. 26.] Sic D. Auguſtinus in Paſchæ feſtivitate baptizatus fuerat, una cum ejus amico Alipio, filioque ejus naturali Adeodato ætatis XV. annorum, de cujus ingenii acumine ejus pater dixerat. [Horrori mihi erat illud ingenium, lib. 9. Confeſſ. cap. 6.] In die vero Paſchæ, dum Summus Pontifex ad S. Mariam Majorem iter capiebat, Scriba ei omnium Baptizatorum numerum referebat in via. [Die Reſurrectionis Dominicæ procedente Pontifice ad Sanctam Mariam cum Ordinibus ſuis; Notarius ſtat in in loco, qui dicitur Merulanus, & ſalutato Pontifice, dicit; In nomine Domini Jeſu Chriſti baptizati ſunt externa nocte in Sancta Genitrice Dei Maria infantes maſculi numero tot, fœminæ tot. Ord. Rom.] Merulanus erat locus inter Lateranenſe, & Sanctam Mariam majorem, ubi nunc eſt S. Matthæi templum. Igitur in die Sabbati Sancti ante benedictionem fontis Pontifex dabat primo Cardinali Preſbytero benedictionem, dicens: *Ite baptizate omnes gentes:* tunc Presbyteri Cardinales ad ſuas peculiares titulares Eccleſias equitabant, ad benedicendas fontes pro baptiſmo exercendo, ut Cencius Camerar. in ſuo M. S. Cæremoniali refert. Priſcis temporibus poſt Baptiſmum, tam Adultis, quam Infantibus conferebatur Euchariſtiæ Sacramentum, qui etiam coronabantur. [Elevant baptizatos ad Altare, eiſque dant myſticam Euchariſtiam, & ſertis coronat eos Sacerdos. Sever. Alex. lib. de Sacram. c. 20. Illud autem de parvulis providendum eſt, ut poſtquam baptizati fuerint, ullum cibum accipiant, neque lactentur ſine ſumma neceſſitate ante-

tequam communicent Sacramento Corporis Chriſti. Alcuinus.] Et de abuſu introducto idem conqueritur, quod propter periculum in infantibus Sanguinem Chriſti rejiciendi, eis dabatur non conſecratum vinum, quod fiebat ad evitandum in circumſtantibus ſcandalum: qui tamen Auctor in ſimili periculo nullum potabile talibus infantibus porrigendum eſſe conſulit. In quodam graduali M. S. quod in Biblioth. Angelica de Urbe reperitur, ſummopere inculcatur hæc Euchariſtiæ contributio his D. Greg. verbis: [Illud autem de parvulis providendum eſt, ut poſtquam baptizati fuerint, nullum cibum accipiant, nec ablactentur, antequam communicent Sacramento Corporis Chriſti.] Imo Adulti quotidie per totam Paſchæ Octavam Euchariſtia reficiebantur, ut in eodem Graduali præſcribitur. [In omnibus diebus ſeptimanæ Paſchæ ad Miſſas præcedant, & offerant pro ipſis, & communicent.] Poſt eandem communionem, tanquam recenter in ſpiritu genitis, porrigebatur inſuper eis lac, & vinum. [Porro autem miſcetur lac vino dulci. Hier. in Iſaja. cap. 55. In quo opinor ſignificari, quod dulcior ſit libertas gratiæ in lacte miſericordiæ, quam in vino juſtitiæ legis auſteritas. D. Paulinus, Epiſt. 4. ad Sever.] Alii tamen dare eis ſolebant lac, & mel, de quo ritu Tertullianus de coron. milit. cap. 4. hæc ſcripſerat: [Inde ſuſcepti lactis, & mellis concordiam prægustamus.] Et Hieron. adverſ. Lucif. [Veluti in lavacro ter caput mergitare, deinde egreſſos lactis, & mellis prægustare concordiam ad infantiæ ſignificationem.] In quo ſenſu intelligenda ſunt verba in actis Sanctæ Suſannæ, ubi cum ſit mentio de baptiſmo a Sancto Pontifice Cajo adminiſtrato, talia habentur. [Obtulit pro illis ſacrificium in eadem domo, & conſecravit corpus, & ſanguinem Domini Jeſu Chriſti, & lac, & mel, & fontem; participavitque cum omnibus myſterium Dei.] De hoc fortaſſe alluſionem habuit D. Agnes in illis verbis ab Ambroſio, Ser. 90. regiſtratis. [Lac, & mel ex ore ejus ſumpſi.] Vide *Infante*. Quod etiam uſque ad præſens Æthiopes obſervant. Induebantur baptizati veſtibus albis per totam Paſchalem Octavam, quæ ideo *in Albis* dicitur, & D. Paulinus, Epiſt. 12. ad Sever. ſic cecinit:

> Inde parens ſacro ducit de fonte Sacerdos
> Infantes niveos corpore, corde, habitu.

FR. Et Prudentius lib. 1. contra Symmachum.

> ——— Concilium ſenum geſtire Catonum
> Candidiore toga niveum pietatis amictum
> Sumere, & exuvias deponere Pontificales.
> Jamque ruit paucis Tarpeja in rupe relictis
> Ad ſincera virum penetralia Nazareorum. :||:

Ex illa miraculoſa apparitione a Baronio anno 419. num. 106. relata; quando, ſcilicet, ſupra veſtes baptizatorum cruces apparuerunt, uſus penes Moſchos obtinuit, ut baptizatis imponatur ex auro, ſeu alio metallo Crux ad collum pendens, quæ, ut refert Jo. Corona, ſive Stephanus Menochius in ejus Storeis, tom. 1. cap. 95. non debet deſcendere infra pectus, ac defertur per totum vitæ tempus; ita ut ſi abſque ea quis inveniatur in morte, ſacra ejus corpori ſepultura non conceditur. Imo cum Moſchi ſint tam luxurioſi; non tamen audent carnalitatis peccatum committere, dum ſecum Crucem ferunt. Eſt quæſtio inter Scriptores, an per *Siliquas decem*, quæ baptizatis dabantur, moneta, vel fructus intelligatur, de quo vide eundem Jo. Coronam, ſeu Stephanum Menochium loc. cit. cap. 9. Hæc de variis ritibus in hoc Sacramento. Quo vero ad ejus materiam, *Aquæ mortuæ* dicebantur illæ, quibus Cherinthi Hæreſiarchæ ſequaces, e vita abſque baptiſmo deceſſos baptizare intendebant; baptizando; ſcilicet, aliquem vivum loco defuncti; contra quos Apoſtolus 1. Corint. 15. inquit: [Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt?] Alii vero eoſdem mortuos baptizabant, quod in Concilio Carthaginenſi IX. damnatum fuit, & Nazianzenus ait; [An tu etiam expectas, dum mortuus abluaris; non jam miſericordiam tuam magis, quam odium movens? Orat. 11.] Idem & Marcionitæ faciebant, teſte D. Jo. Chryſoſtomo in 1. Cor. hom. 40. FR. *Aqua fallax*, & *Aqua mendax* appellatur Baptiſmus Arianorum a S. Victore Uticenſe, lib. 3. de perſecut. Vandalorum: quia divinitatem Verbi negantes, non recte in nomine Sanctiſſimæ Triadis Sacramentum conficiebant: ſed hoc intelligendum de Arianis Thracibus, qui Eunomiani dicebantur. Baron. Ann. 419. n. 109. Nam SS. Patres baptiſmum reliquorum Arianorum non reprobabant. Idem Baron. An. 506. n. 15. & An. 601. n. 25. Reprobata etiam fuit baptizandi forma Montaniſtarum, & Bonoſianorum. Baron. ibidem. Item *Aquas viduas* Tertullianus, lib. de Baptiſmo appellavit Gentilium lavacrum, quod gratia regenerationis carebat, inquiens; [Nationes extraneæ ab omni intellectu ſpiritualium poteſtatum, eadem fiducia Idolis ſuis ſubminiſtrant, ſed viduis aquis mentiuntur.] Eodem modo baptiſmus Agarenorum exiſtimandus eſt, de quo Baron. An. 1148. n. 46. :||; Aquæ vero miracula pro hoc Sacramento in Paſcha celebrando divinitus comprobabantur; narrat enim Lilybenſis Epiſcopus Paſchaſius in Epiſt. ad Leonem Papam, quod in nocte Paſchæ, tempore baptizandi, ex ſe ſponte ſacra fons replebatur aqua, ac Catechumenorum peracto baptiſmo, denuo in inſtanti ſiccabatur. Idem accidiſſe in Lucania, Caſſiodorus, lib. 8. c. 35. teſtatur, ac de alio fonte in Luſitania fidem facit Greg. Turonen. lib. 2. c. 24. de glor. martyr. Ac in Lyciæ Villa Soraba appellata idem miraculum quotannis aſpiciebatur Joanne Moſco teſte, ſic ajente: [In eo Baptiſterium eſt, quod in ſanctis Epiphaniis ſudat, qui ſudor per tres horas continuis incrementis augetur, & poſt baptiſma peractum decreſcere

ſcere incipit, & tribus aliis horis ſenſim deficit, c. 214. ita ut de anno 417. dum celebraretur Paſcha die 25. Martii per errorem in Occidente, tunc in fonte aqua non apparuerat, ſed in die 22. Aprilis, quæ erat vera Paſchalis dies. Baron. in eodem anno. Simile miraculum narrat Sigibertus in Chronica accidiſſe de anno 573. quando inter Gallos, & Hiſpanos orta fuit quæſtio de vera die Paſchæ. Cæterum quo ad myſteria hujus Sacramenti, Tertullianus baptizatos *Piſces* appellavit, de quo vocabulo diſerte Jo. Corona, ſive Stephanus Menochius, tom. 1. c. 23. egit. Sed exiſtimo diverſo myſterio Tertullianum hoc vocabulo uſum fuiſſe; nam græce Ἰχθὺς, quamvis piſcem ſignificet, eodem tamen nomine hic Doctor Chriſtum vocavit; hi enim characteres ſejunctim ſequentia vocabula formant, nempe I, Ἰησοῦς, Jeſus: X, Χειςὸς, Chriſtus: Θ, Θεῦ, Dei; Υ, Υἱός, Filius: Σ, Σωτὴρ, Salvator. Baptizati candido lino induebantur ob ſignificatum, ut ait D. Hieronymus: [ Præceptis Dei lavandi ſumus, & cum parati ad indumentum Chriſti tunicas pelliceas depoſuerimus, tunc induemur veſte linea, nihil in ſe mortis habente, ſed tota candida, ut de baptiſmo conſurgentes cingamus lumbos veritatis. Ep. 128. ad Fabiol. ] Per ſeptem dies ferebatur, ad ſignificanda ſeptem Spiritus Sancti dona. Fortun. lib. 4. de Eccleſ. Off. cap. 24. qui c. 25. addit, quod peractis his ſeptem diebus hujuſmodi veſtes prope baptiſterum deponebantur, ſic inquiens. [ Et hodie revertuntur ad fontes, ut exuant ſe albis. ] Velum etiam ponebatur in capite, de quo Alcuinus. [ Myſtico tegitur velamine, ut intelligat, ſe diadema regni, & Sacerdotii dignitatem portare, de divin. Off. ] In quo velo erat filum purpureum, Dominicæ paſſionis hyeroglíphicum. Durand. lib. 6. de Divin. Off. Hoc velum *Chriſmale* dicebatur. Vide ſuo loco, quia baptizati caput tegebat, quod chriſmate unctum erat a Sacerdote. Ulterius myrto, ſeu palmis coronabantur, ut ex Æthiopico Rituali, & Severo Alexandrino colligitur. Item accenſus cereus baptizato dabatur, ut ſignificaretur, illius animam Chriſti ſponſam effici. [ Et ſponſales lampades nobis donate. Cyrill. Hieroſ. Patriar. ad Baptiz. ] Quem geſtabant accenſum per illam totam hebdomadam in divinis officiis. [ Angelicæ caſtitatis habitu, & luminibus claritatis ſanctis aſſiſtere ſacrificiis ſolent. Alcuin. in Epiſt. ad Carolum Magnum. ] Calceamentorum in adultis baptizatis ſignificatum exponit Rupertus inquiens: [ Proculdubio calceamenta accipit in pedibus, calceamenta namque de mortuis animalibus fiunt, & hæc manifeſte Dominicæ mortis inſignia ſunt. lib. 6. cap. 7. ] FR. Quando baptizat Epiſcopus, non debet ſaliva tangere baptizandi labia, ut Parochis Rituale præſcribit; ſed tantum nares illius. [ Propter gloriam muneris, & operis non os tangit Epiſcopus, ſed tantum nares, ut bonum odorem accipiant pietatis æternæ. De conſecrat. diſt. 4. can. 67. ] Solebant Gentiles die quinto a nativitate infantibus curſim circum focum nomen imponere, qui dies *Amphidromius* dicebatur, quæ ſuperſtitio adhuc inter aliquos rudes Melitenſes viget, ſolent enim in die Nativitatis S. Joannis agere crepundia ex cucurbitis verrucoſis, quæ ab Italis *Cedroli*, ſive *Cedruoli* dicuntur. Quas etiam Cic. de Clar. *Cetrulos* appellat. Hæ ſiquidem pomis adornatæ a pueris Melitenſibus, & ſericis fruſtillis involutæ tanquam infantuli, per flammas curſim ad manus projiciuntur, & dant nomen Jo. Baptiſtæ. :||: Patrinorum ritus cenſetur ab Apoſtolis introductus, nam Dionyſius Areopagita, qui Apoſtolorum diſcipulus extiterat, eos, ἀναδόχυς, quaſi *Fidejuſſores*, Juſtinus *Offerentes*, Tertullianus *Sponſores*, Auguſtinus *Fidei Doctores* ( nam ſpirituales filios Chriſtiana doctrina inſtruere tenentur ) Naziazenus *Initiatores*, Orat. 40. Concilia *Compatres*, atque Hyginus Papa *Patrinos* vocant, & in quodam Pariſienſi Concilio, & alibi *Patroni* dicuntur, ideſt, defenſores. Parabant lautum convivium Patrini ſacris Miniſtris, quod prohibitum, ſeu potius limitatum fuit deinde in Concilio Moguntino II. can. 16. De aliis nonnullis hujus Sacramenti cæremoniis. Vide *Vertex*. *Chriſma*. *Conſecutio*. *Illuminatio*. Pontifex antiquitus tres infantes baptizabat in Sabbato Sancto. Vide *Brachialia*. *Teleioſis*. Adultis ante baptiſmum, jejunium trium dierum ſine ullo cibo, vel potu imponebatur. Vide *Biduanum*.

* BAPTISMUS. Ab inſigni ſuo effectu vocatus *Indulgentia* & *abſolutio regeneratio*, & *unctio*. Gregor. Naz. orat. 40. de Bapt. *illuminatio*. Juſtin. apol. 2. *ſalus*. Auguſt. de pace verit. l. 1. a natura & ſubſtantia ſua dictus *Myſterium*, *Sacramentum*, *ſignaculum Domini*. Naz. loc. cit.

BAPTISTERIUM. Fons, in quo baptizatur, a S. Dionyſio dicitur *Mater adoptionis*. In eo enim regeneratur Chriſtianus. Ab aliis *Fons Sacer*, & *Sacrarium regenerationis* vocatur. Vide etiam *Concha*, *Antitypon*. FR. Manifeſtavit autem Deus divina ſua ultione, quam venerabilis ſit fons iſte baptiſmi; nam ut in S. Marcelli Papæ actis penes Surium, tom. 1. 16. Januar. legitur, Carpaſius Imperialis Vicarius, cum exequiſſet Sanctorum necem in domo S. Cyriaci, quam ab Imperatore impetraverat, & fontem baptiſmi a S. Marcello Papa conſecratum in balneum vertiſſet; exiens de balneo cum ſociis ſtatim corruit extinctus. :||: Antiquitus in qualibet civitate majori Eccleſiæ propinqua erat cappella Baptiſterii. FR. [ Baſilicæ appendix piſcina forinſecus, ſive ſi græcari mavis Baptiſterium ab oriente connectitur. Sidonius Appollinaris. lib. 2. Epiſt. 2. ] :||: Sic Romæ prope Lateranenſem Eccleſiam adhuc extat antiquum Baptiſterii ſacellum, in quo Magnum Conſtantinum baptizatum fuiſſe traditur. Florentiæ juxta Cathedralem Eccleſiam eſt fontis baptiſmalis cap-

cappella, & ſic per omnes Tuſciæ Civitates ſimilia adnexa Cathedralibus extant adhuc ſacella. FR. Metropolitana Ravennatis Eccleſia adnexam etiam habet Cappellam ſub titulo S. Joannis in Fonte. : || : Quod propter Epiſcoporum commodum erigebatur, qui in primævis ſæculis ipſimet hoc Sacramentum adminiſtrare ſolebant. Inde Edeſſæ Clerum Photio Patriarchæ ſupplicem libellum porrexiſſe legimus, ut reſtitutionem eorum Epiſcopi, ad Catechumenos in die Paſchæ baptizandos, impetrarent: ſic Francorum Legati ad Juſtinianum Imperatorem pro Datii Mediolanenſis Epiſcopi reſtitutione directi fuere, cui inter alias narrationes, hanc adduxerant, ſcilicet, [ Immenſa populi multitudo ſine baptiſmo moritur. ] Sic etiam pro Blandi Hortani Epiſcopi liberatione ad Ravennæ Exarchum ſcripſerat D. Greg. lib. 1. epiſt. 32. his verbis: [ Eccleſia ſine Rectore, & populus quaſi ſine Paſtore, grex deperit, & ibidem infantes ſine baptiſmate moriuntur. ] Igitur baptizandi munus ſolius Epiſcopi fuerat, & extra Matricem Eccleſiam baptiſterium erigebatur, quia per baptiſmum unuſquiſque ad ſacroſanctam Eccleſiam inſinuatur. Greg. Turon. lib. 5. c. 11. Durand. lib. 1. c. 19. Quod deinde Clodovei Francorum Regis temporibus intra Eccleſiam ad lævam illius decretum fuit conſtitui. Greg. Turon. de mirac. S. Martini, lib. 2. c. 21. Baptiſteria item ponebantur in loco profundo, ubi per gradus deſcendebatur, ut videtur in prædicto Laterani fonte, ad denotandum Chriſti ſepulchrum, cujus typus eſt Baptiſmus, Apoſtolo dictante: [ Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum. Ad Rom. 6. ] In primitiva Eccleſia in fluminibus baptizabatur, ut ex Apoſtolicis Actis, & ſacris hiſtoriis colligitur; hinc Tertullianus, lib. de Baptiſmo, c. 1. inquit: Neque quicquam refert inter eos, quos Joannes baptizavit in Jordane, & Petrus Tybere tinxit. ] Quidam Chriſtiani Boſræ Provinciæ, quæ ad ſinum Perſicum extat, ad diem Dominicum in Jordane ſuperſtitioſe, & abſque debita forma rebaptizantur, quibus Diſcalceati Carmelitæ, Apoſtolicique Miſſionarii oſtenderunt eorum errores, eoſque ad Catholicum ritum reduxerunt. Ambroſianus ritus benedictiones fontis in Sabbato Sancto, & Pentecoſte non permittit in Parochialibus Eccleſiis fieri; ſed in Metropolitana Eccleſia tantum, a qua deinde Parochi proceſſionaliter ad ſuas Eccleſias eam deferunt, & comiſcent, aliam addendo aquam; ſic etiam per Mediolanenſem totam Diœceſim obſervatur, deferendo, ſcilicet, omnes Parochi hoc ſacratum elementum ad ſua baptiſteria ex Matricis Eccleſiæ fonte. Vide *Concha*. *Illuminatorius*.

Baptizans, Vide *Immerſor*. Baptizans dicitur Artifex Trinitatis. [ Nobis vero nullus de poſtibus frontium valebat evellere, quod in uno baptiſmate Artifex Trinitatis dignatus eſt titulare. S. Victor Africanus, lib. 3. de perſec. Vandal.

Baptizo. Vide *Tinguo*.

Bara. Vide *Guanilo*.

Baraloti, Bononiæ Hæretici. Vide *Obedientes*.

Barangi. Officiales, qui cuſtodiebant claves portarum civitatis, ubi morabatur Imperator. Catacuzen. lib. 1. c. 1. Vocabulum Anglicum eſt illius ævi, teſte Curopalata; nam cuſtodes illi Angli erant etiam cameræ imperialis Cuſtodes, ferentes ſecurim; ideo *Securigeri*, & *Barangi* dicebantur. In hiſtoria Annæ Comnenæ hos *Barangos* ex inſula Thulæ, quæ hodie Island appellatur, ſolitum erat deferre. Eorum Præfectus dicebatur Acoluthus. Vide *Acoluthus*.

Barbacanum, antemurale: etiam nunc ſic antemuralia aggere refecta *Barbacani* nomen ſervant. Lepide quidem Hiſpaniæ Rex Gubernatori ſuo, qui Civitatem inimicis ceſſerat, hiſpanice dixerat: [ Perdiſte mi Villa, y guardaſte la barbacana; ] æquivoce ad canam Gubernatoris barbam alludens.

Barbanus, Patruus: vox Longobarda. [ Tunc Korloman germanus ejus obviam veniens Carolo Regi barbano ſuo. Andr. Presbyt. in hiſt. Longobard. ] Sic hodie *Barbam* Patruum in multis Lombardiæ locis vocant. FR. Vide l. ſi. vir. de raptu. l. ſi quis ex parentibus, qualiter quis ſe defenderit &c.

Barbaricinus. FR. Africanus ex Barbaria, vulgo dicta, cum Africa a Vandalis occuparetur; ex ea enim regione multi Sardiniam fugientes, ibique habitantes *Barbaricini* appellati ſunt, [ Scripſerunt enim mihi, quod eo pacto cum Barbaricinis facere pacem diſponitis, ut eoſdem Barbaricinos ad Chriſti ſervitutem adducatis. D. Greg. lib. 3. Epiſt. 14. ad Zabardam Sardiniæ Ducem; ] ad quos convertendos idem Papa miſerat Cyriacum Epiſcopum. Baron. An. 594. nu. 9. Ac monetæ ab eiſdem in Sicilia, & Sardinia adductæ *Barbarinæ* appellatæ fuere. [ Mille ſolidos barbarinorum. Gofrid. Vindoc. lib. 1. Epiſt. 20. ] de quibus D. Antonius Florent. Archiepiſc. in vita S. Gregorii Magni tom. 2. tit. 12. cap. 3. §. 5. & idem D. Greg. lib. 3. epiſt. 23. 26. & 27. & lib. 9. ep. 67.

Barbaricum, græce Βαρβαρικὸν, Armamentarium. [ Fabricarum inſignia, & barbaricorum. In Zenonis Imp. reſcripto. l. 1. C. de propoſ. arg. in reb. ] FR. Opifices armorum *Barbaricarii* dicebantur, & Milites armati. Vide *Barbutus*.

Barberina Moneta. Vide *Barbaricinus*.

Barbator. Barbitonſor. [ Regis enim curiam ſequuntur aſſidue hiſtriones, candidatrices, aleatores, dulcorarii, nebulatores, mimi, barbatores. Petr. Bleſen. ep. 14.

Barbatoria, vocabulum penes Greg. Turon. fortaſſe velum ſignificat, quod Moniales ſub mentum ligare ſolent, quod ſubjugulum dicitur; Belgici *Barbettam* vocant. Turonenſis enim Gregorius hoc vocabulo utitur, dum mulierum vanitatem reprehendit. Vide *Bavara*. In lexico græco verb. *πωγωνοφορία*, latine *Barbatoria* vertit. Aliqui inſtrumentum ad radendos pilos eſſe exiſtimant, quo fœminæ etiam utuntur.

Barbatus. Religioſus, qui ex inſtituto barbam nutrit. [ Frater quidam ex his, quos barbatos dicimus. In vita S. Erminoldi. ] FR. dicitur etiam miles: [ Si quis cum militibus, vel privatis barbatis etiam ſceleſtam inierit factionem, can. ſi quis, 6. qu. 1. ] & eſt idem ac *Barbutus* infra.

Barbirasium. FR. qui barbam raſam ferunt: [ Eccleſiarum plane quoque Rectores, quibus potiſſimum hujus rei cura debuiſſet incumbere, tanto mundanæ vertiginis quotidie rotantur impulſu, ut eos a ſæcularibus barbiraſium quidem dividit, ſed actio non diſcernit, nec ſacrarum meditantur eloquia ſcripturarum, ſed ſcita legum, & forenſe litigium. Petr. Damian. lib. 1. ep. 15.

Barbota. FR. navis genus, ita dicta ab ejus roſtro ferrato. [ Targias multas, & galeas cum barbotis, & navibus aliis Chriſticolæ rapuerunt. Matth. Pariſ. An. 1219.

Barbutus. FR. Eques armatus, idem ac *Barbatus* ſupra. [ Quam ob rem Archiepiſcopus Joannem Aulegium Vicecomitem cum barbutis quinque millibus ( ſic enim tunc bene armatos equites appellabant ) in Etruriam miſit. Blond. decad. 2. lib. 10. in Clemente Papa VI. ] Quo vocabulo uſi ſunt Corius, & Jo. Villanus. Vide *Barbaricum*. *Bardariota*.

Barcanio. FR. tergiverſor, ex Gallico vocabulo *Barguigner*, quo abundant fœminæ: [ Quia & fœminæ barcaniare ſolent. In conſtit. Caroli Magni tit. 28.

Barcus, & *Bargus*. Arbor. In l. Salica tit. 69. §. 1. Quare etiam nunc in Italia arbuſta, & viridaria *Barco* appellantur.

Bardariotæ, milites Prætoriani, græce Βαρδαριῶται: quorum Præfectus *Primivirgius* dicebatur, quia quando Imperator equitabat, hi milites virgas in manibus ferebant ad arcendam populi impetum; colligitur ex Iſidoro, cujus textus his verbis corrigendus. [ Primivirgius clavarius, quod primus eſt militiæ in virgis. ] FR. Fortaſſe iidem erant, ac Barbuti ſupra in dict. *Barbutus*. De Primivirgio. Vide ſuo loco.

Bardesanistæ. FR. Hæretici, a Bardeſane antea acerrimo fidei defenſore, deinde in Valentinianam hæreſim lapſo, ita denominati. Baron. An. 195. nu. 16. & ſeqq.

Barducium, teli genus. [ Baſilius enim inſequutus imperatorio barducio petiit. Cedren.

Bardus. FR. græce βραδὺς, tardus, ineptus, ſtultus, otioſus, vagabundus. [ Nimis audacem, nimiſque bardum. Cic. pro Cecin. ] Dicitur etiam *Bardiacus*. Martial. lib. 4. epigr. 4

Laſſi bardiaci os, quod evocat.

Et Juvenal. Sat. 9.

Bardiacus judex datur hæc punire volenti :||:

In ſenſu comparativo uſus eſt Tertullianus. [ Pictor te bardior non eſt. Adverſ. Hermog. ] FR. Dicitur etiam *Baro*. [ Nos Barones ſtupemus. Cice. lib. 2. de Finibus. Ille baro reputabat quæſiturum. Idem Epiſt. ult. lib. 9. ] Quare Itali *Barones* vocant otioſos, & vagabundos. Item Bardus apud Gallos vates erat, & poeta: unde Lucanus cecinit.

Plurima ſecuri fudiſti carmina Bardi.

Et in eodem ſenſu apud Amianum Marcellin. lib. 15. ex Athenæo lib. 6. Unde perperam Calepinus Philoſophos intelligit. Item iſti Poetæ, qui fortia virorum illuſtrium facta heroicis diſpoſita carminibus, cum dulcibus lyræ modulis decantabant, etiam *Barones* dicebantur. [ Apud Petronem, & reliquos Barones te in maxima gratia poſui. Cic. ad Atticum lib. 5. ] Itaque qui laudabantur carminibus heroicis, etiam *Heroces*, & *Barones* dicti ſunt, & nomen Baronis nobile evaſit deinde.

Barillus, & *Barilus*, doliolum, cadus, vas vinarium ex ligno; Italice *Barile* dicitur. [ Miſit barillos lapidibus, & ſabulone repletos. Matth. Pariſ. in vitis Abb. ] FR. [ Monſtravit quod ei objectum fuit, quod in Eccleſia Deoven. canonicum non habuiſſet ingreſſum, quia promiſiſſet unicuique parochianorum quinque barillos vini remittere, cap. 10. de teſtibus, & atteſtat. ] Item *Baryllus* eſt inſtrumentum libratorium aquæ. Vide *Hydroſcopion*.

Bar-jona. FR. hoc vocabulo a Chriſto Domino appellatus eſt Apoſtolorum Princeps. Matth. cap. 16. quod nomen ex duabus vocibus Chaldaicis formatur, nimirum ex *Bar*, hoc eſt, filius, & *jauna*, Columba; unde fit *Bar-jauna*, ſcilicet, Filius columbæ. Vide *Trinomius*.

Barium, Apuliæ Civit. Vide *Baira*.

Barmbraccus. FR. Canis venaticus, Italice *Bracco* dicitur. [ Qui occiderit canem acceptoricium, vel bracconem, quem barmbraccum vocant. ] Friſon. tit. 4. §. 3.

Baro. Vide *Bardus*. *Catipanaus*, *Sagibaro*.

Baroncellus. FR. Dynaſta, ſæpe de hoc titulo in Diplomatibus Pontificum. Vide *Catipanus*.

Barrati, ita appellati fuerunt Religioſi Carmelitæ, & eorum Cœnobium *Barratorum* Pariſiis per aliquot tempus nominatum fuit, quod Gallice *Le Convent des Barees* dicebatur, quæ denominatio originem habuit hoc pacto. Cum Saraceni, occupata jam Terra Sancta, cappam candidam his Religioſis prohibuiſſent, nam color hic pro nobilitatis ſigno inter illos habetur; coacti ideo fuere Carmelitæ quædam pallia variegata ad uſum orientalium deferre, & cum tali habitu in occidentem demigrando, *Barrati* appellati ſunt, ubi proceſſu temporis album indumentum reaſſumpſerunt, teſte Trithemio lib. de laudib. Carmelit. cap. 6. qui auctorum opinionem, aſſerentium album pallium eis ab Honorio IV. conceſſum fuiſſe, confutat; fortaſſe error invaſerat, quia hujus Pontificis conſenſu reaſſumptum fuerat album pallium.

Baryllum, græce Βαρύλλιον, inſtrumentum ad librandas aquas. Vide *Barillus*. *Hydroſcopion*.

Basiliæ, græce Βασιλεῖαι, libri regum. [ Habes ter-

 ter-

tertium Baſiliarum. Tertull. lib. 4. adverſ. Marcion. cap. 21. ] Vide *Vaſileus*.

Basilica, græce Βασιλικὴ, ideſt, regia, erat diverſorium apud Gentiles ad negotia peragenda. [ Fremitu judiciorum Baſilicæ reſonant. Senec. lib. 3. de Ira. c. 33. ] FR. Erat etiam locus ad jus dicendum. [ Sedebant Judices centum, & octoginta ( tot enim quatuor conſiliis conſcribuntur ) ingens utrinque Advocatorum, & numeroſa ſubſellia, aſtantium corona, latiſſimum judicium multiplici circulo ambibat. Ad hoc ſtipatum tribunal, atque etiam ex ſuperiore Baſilicæ parte, qua fœminæ, qua viri, & audiendi, quod erat difficile, & viſendi ſtudio imminebant. Plin. Jun. lib. 6. Ep. 33. ] :||: Quas Chriſtiani poſtea in templorum uſum converterunt. [ Baſilicæ prius vocabantur Regum habitacula, unde & nomen habent: nunc autem ideo Baſilicæ divina templa nominantur; quia ibi Regi omnium Deo cultus, & ſacrificia offeruntur. Iſid. lib. 5. orig. Baſilicæ olim negotiis plenæ, nunc votis pro tua ſalute ſuſceptis &c. Auſon. in Grat. act. pro ſuo conſulatu. ] FR. Dicitur etiam *Baſilica*, quæ Templum etiam Gentilium prius erat, & poſtea Deo vero conſacrata. [ Veni ergo piiſſime Domine, & ad conſecrationem operis tui plenus illabere, vice humani per baptiſma pectoris purgentur hæc templa turpi hactenus dedicata patrocinio. Ennodius in dedicatione Baſilicæ Apoſtolorum, ubi templum fuit Idolorum. Dict. Sac. 2. ] Et D. Aug. de Civit. c. 7. Templum Vaticanum *Baſilicam ampliſſimam* appellavit. Vide etiam Gloſſ. in extrav. de pœnit. & remiſs. c. 1. Item Vaticana Baſilica dicitur *Baſilica Major*. Vide *Vaticana Baſilica* :||: Romæ principaliores Baſilicæ ſunt quatuor, quæ Patriarchales appellantur Lateranenſis, ſcilicet, Vaticana S. Pauli, & Sanctæ Mariæ Majoris. FR. *Baſilica* dicitur legum Codex, cujus Leo Philoſophus ( teſte Balſamone ) Auctor fuerat.

Basilicanus. FR. Eccleſiæ Cuſtos. Gloſſ. in can. Perlectis diſt. 25.

Basilicaris, ad Baſilicam pertinens. [ Quos ex voto baſilicari dictioni ſubdiderat. Greg. Turon. l. 1. mirac. c. 91. ] ſic etiam *Baſilicaris Diaconus* dicebatur.

* Βασιλικαὶ πύλαι. Portæ ſpecioſæ ac Regiæ in navem Eccleſiæ, introitum præbentes.

Basilicus, herba. Vide *Aqua benedicta*.

Basilidiani. FR. hæretici Baſilidis ſequaces, qui inter alias blaſphemias, Chriſtum non paſſum fuiſſe ajebant 24. q. 3. can. 39. & 1. qu. 1. can. Marcion, & Baſilides. Ac loco Chriſti Simonem Cyrenæum paſſum fuiſſe aſſerebant. Baronius An. 120. n. 8. Quem errorem ſequutus eſt Machometes. Vide *Abraxas*.

Bassinum, Polubrum, ex gallico vocabulo *Baſſin*. [ Coram Papa flexis genibus teneat baſſinum argenteum, in quo ſunt cineres. In Cæremonial. M. S. Davantriæ; ] ubi de die cinerum agit. Vide *Batiolum*.

Bassus, & *Baſſallus*. Vide *Vaſſus*.

Bastagia, ſarcina, onus. [ Jubemus eos non ad ſolicitudinem Baſtagiæ, non ad functionem naviculariam devocandos, l. ſoluta de Cohort. ] Quare in Theodoſiano Codice legendum eſt *Vaſtagia*, & non *Vaſtaga*. [ Item, Baſtagma, βάσταγμα, onus, geſtamen, ſarcina, latine interpretatur.

Bastagiarius, qui curam habet deferendi ſarcinas. [ Æternam finimus legem, ne unquam Baſtagiariis militiam deſerere liceat. l. æternam 8. de murileg. ] In Sicilia, & in Regno Neapolitano *Baſtaſo*, & *Vaſtaſo* vocant Bajulum, qui onera portat.

Bastarius, in Palatio Apoſtolico officium, & gerebat curam fabricandi candelas, & præparandi ellychnia pro lampadibus. Ex antiquis cæremonial. M. S. FR. Dicebatur etiam *Vaſtarius*. Turrigius de Cyptis Vatican. impreſſ. ſecunda pag. 554.

Basterna, vehiculi genus. [ Deuteria vero cernens filiam ſuam adultam valde eſſe, timens, ne eam concupiſcens Rex, ſibi adſumeret, in baſternam poſitam indomitis bobus conjunctis, eam de ponte præcipitavit. Greg. Turon. lib. 3. c. 24. ] Aliquando pro lectica ſumitur. [ Quos imitatæ matronæ complures opertis capitibus, & baſternis per latera Civitatis cuncta diſcurrunt. Amian. lib. 14.

Bastonicum, ex gallico verbo *Baſtilla*, Carcer. [ Poſtmodum vero ante eos a Comite adducatur, ut in baſtonico retruſus, uſque dum nobis placuerit pœnas luat. In Conſtitut. Caroli M. lib. 6. cap. 96.

Bathin, ex voce græca βαθὺς, fundum ſignificat: [ Et vela holoſerica majora ſigillata, habentia periclyſin, & crucem de bathin, ſeu fundato. Anaſt. in Leone III. ] Id eſt, Crux de fundo aureo in attalica textura, ſeu ſerico villoſo, ſecundum Torrigii explicationem in Tract. de Crypt. Vatican.

Batillum, focularе inſtrumentum: [ Fuſcinulas, ac tridentes uncinos, & batilla. Numer. c. 4. ] FR. diminutivum a nomine *Batulo* quaſi *Patulo*: eſt igitur inſtrumentum hoc ad ſimilitudinem palæ, quo cinis, & prunæ colliguntur, de quo Plinius: [ Batillis ferreis candentibus ramento argenti impoſito, quod candidum permaneat probatur, lib. 33. cap. 8.

Batillus, muſicale inſtrumentum ex metallica materia, ad baculi formam, anulis ex eodem metallo refertum, qui percuſſi concinne armoniam efficiunt in eccleſiaſtico cantu inter Armenos, in eorum Eccleſiis egomet ſæpe audivi, de quo vocabulo Abdias Babylonicus lib. 9. hiſt. apoſt. inquit: [ Erant autem virgines cum lyris canentes, alii cum tympanis, alii cum batillis, & thuribulis.

Batiolum, Pollubrum. [ Batiolum aureum octo pondo habebat. D. Greg. lib. 1. Epiſt. 42. ] Reperitur etiam *Batiola* in eodem ſignificatu. Vide *Baſſinum*.

Batto, percutio. [ Nec lanam carpare, nec linum battere. In Capitol. Caroli Magni lib. 1. cap. 81.

Battulia, percuſſio, conflictus, militia, a dicto verbo *Batto*, inde italice *Battaglia* conflictus dicitur, & *Battuglia* excubiæ, quæ noctu per vias Civitatis vigilando incedunt.

**Battologia**, vana locutio: [ Dum interim apud energumenos fiſtulæ inſtar perſonamus meras nugas, & battologias. S. Antioch. hom. 99. ] Βαττολογία, proprie ſignificat loquelæ impedimentum in balbutiendo, & quia balbutientes loquendo replicant verba; ideo multiloquium, ſeu vaniloquium *Battologia* etiam dicitur.

**Battologus**, Vaniloquus. ] Orantes, inquit, ne ſitis battologi, ſicut Gentiles. Greg. Nyſſen. de orat. in cap. 6. Matth.

**Batulo**. Vide *Batillum*.

**Batus**. Vide *Badus*.

**Batutilis**. Lamina mallei percuſſione extenſa. [ Argenteum faſtigium batutile. Anaſt. Bibliot. de Conſtantino Magno agens ] Lege Faſtigium. Vide *Faſtigium*.

**Bavara**, velum ad jugulum tegendum, quo moniales mentum conſtrigunt, [ Sibi, quam ſacræ Virgines bavaram vocant, depoſcit. In vita B. Catharinæ Bononien. ] Vide *Barbatoria*.

**Bavarum Latum**. FR. Dicitur mozetta prælatitia: [ Quæ preces de mandato Sanctiſſimi Dom. N. Papæ in Sac. Rit. Congregatione propoſitæ fuerint, eadem Sac. Rit. Congregatio cenſuit dicto Abbati Generali Congregationis Montis Virginis poſſe concedi uſum dictæ mozettæ, ſeu bavari lati cum caputio, ſine bireto, & in terris, & locis tantum ſuæ juriſdictioni ſubjectis. Bullar. Caſinen. tom. 2. Conſtit. 571. ] Ejus ſynonyma. Vide *Mozetta*.

**Baucalis**. Vide *Baucus*.

**Baucus**, & *Bauca*, guttus, vas, quo aqua ad lavandas manus verſatur. [ Baucas inauratas tres: Anaſt. in Leone IV. & Benedict. III. ] Reperitur in eadem ſignificatione *Bucale*. [ Bacile cum bucali pro manibus abluendis. Ordo Rom. ] FR. Item *Baucalis* in eodem ſignificatu, [ Si quis igitur gillonem fictilem, quem baucalem nuncupant, caſu aliquo fregerit. in Conſtit. Monachal. §. 5. ] Vide *Gillo*.

**Bazan**, Agninia pellis nigri coloris, quæ alias *Cordubenſis*, & italice *Cordovano* dicitur. Ex gallico ſermone *Bazane*, ideſt, nigra pellis. [ Ocreis de cute, quam vulgus Bazan appellat. Matth. Pariſ. in vita Abb.

**Bazius**, vas. Vide *Garalis*.

**Bdellium**, gemmæ ſpecies. [ Ibi invenitur bdellium, & lapis onychinus. Geneſ. c. 2. ] Hoc Rabbini exiſtimant margaritam fuiſſe, inter quos Rab. Moyſes Barceſa de Parad. par. 1. c. 21. Alii chryſtallum putant; alii denique lacrymæ ſpeciem gummoſam, quæ tanquam chryſelectrum, & ſuccinum ex arboribus ſudet, quod ſimili textu c. 11. Numer. confirmant, ubi dicitur: [ Erat autem man, quaſi ſemen coriandri coloris bdellii. ] FR. Et ad objectionem, quod ſuccinum ſit flavum, mannam vero conſtet fuiſſe candidam; reſpondetur ex Plinio lib. 35. c. 3. etiam ſuccini candidi ſpeciem inveniri; || : Textus vero Arabicus in utroque capite *Lulu*, id eſt, margaritam legit.

**Beati**, in gloria quare æternaliter remunerentur. Vide *Infernus*.

**Bebrinus**. Veſtis, ſeu aliud ex caſtoris pelle. [ Veſtimenta lucida, vel nigra, vel cum purpura, vel bebrina, nunquam in uſu habeant. In Regula S. Cæſarii cap. 7. ] FR. Vox quidem ex latino vocabulo derivata; nam *Fiber* Caſtor dicitur, & gentile *Fibrinus*; Plinius enim inquit: [ Fibrina pelle detegunt. lib. 17. c. 28. ] Itali *Bevero*, & *Bivaro* dicunt teſte Felice Felicio in ſuo Onomaſt. *Caſtore* dict. Germani autem *Biber*.

**Beclas**. FR. nomen a Photio fictum, qui cum eſſet in Patriarchali Conſtantinopolitana Sede intruſus, a Baſilio Imp. deinde ejectus, & in exilium relegatus; ad captandam denuo Imperatoris gratiam, antiquam hiſtoriam characteribus Alexandrinis, de nobili Baſilii genealogia ficte ſcripſerat, & inter fabuloſas illas narrationes, eidem Imperatori hoc nomen *Beclas* tribuebat; qui liber deinde Theophanis opera in bibliotheca imperiali poſitus eſt, & poſt aliquod tempus idem Theophanes Imperatori finxerat, ſe inter ſtudendum, ibi librum inintelligibilem inveniſſe, quem ajebat, præter Photium: tales inintelligibiles characteres noſcere neminem poſſe; qui ab exilio revocatus, vocem illam *Beclas* interpretatus eſt, atque pro qualibet littera perſonæ nomen expoſuit, hoc pacto: B. *Baſilius*, idem, nempe, Imperator. E, *Eudocia* Auguſta ejus uxor. C. *Conſtantinus*. A, *Alexander*. S. *Stephanus*, omnes iſti Imperatoris filii erant, quibus bonum omen augurabatur. Itaque tali arte Imperatoris benevolentiam, & poſt Ignatii Patriarchæ mortem, ſedem illam reaſſumpſit.

**Beda**. Vide *Venerabilis*.

**Begina**, Monialis, ſeu Virgo Deo dicata. [ Inter Beginas degent. In vita S. Geltrudæ. ] Vide infra *Beguina*.

**Beginagium**. Monachatus. Vide infra *Beguinagium*.

**Beguardi**. FR. Hæreticorum ſecta, quæ in Germania cœperat ann. 1294. Rinald. Annal. Eccl. ibid. n. 26. Ita viri illius ſectæ appellabantur, nam mulieres *Beguinæ* dicebantur, quæ hæreſia Petrum Joannis Olivi habuit auctorem, idem Rinald. An. 1312. n. 18. & 19. Dicebantur etiam *Bizochi*, & *Fraticelli*. Idem An. 1297. n. 56. Item *Vacaſori*. Sed Petrum Colutii de Corbario Antipapam Auctorem facit Blondus in tract. de Piceno; ubi de Fabriano ſcribens, ſic ait: [ Tulitque ipſius oppidi ſors, ut adulterini Pontificis reliquiæ peſtiferi dogmatis in eo fuerint punitæ, quod quidem memorabile facinus non ab re cenſuimus referendum. Quum Joan. XXII. Pont. Rom. Ludovici Bavari adulterini Imperatoris importunitati, ac inſolentiæ conſtanter reſiſteret, veniens Romam ipſe Bavarus quendam Petrum Colutii de Corbario Reatinæ Diœceſis Minorum Ordinis in Antipapam profanari curavit: qui miſer factæ de ſe electioni quum eſſet aſſenſus, Anticardinales creavit, & complicibus in veſania, impietatequa ſua coactis,

pro

pro viribus eſt conatus ſcindere Dei Eccleſiæ unitatem; & tamen interim Joanna Matthæi filia de Corbario repetiit in judicio eundem maritum ſuum, qui ſecum annis quinque priuſquam ad fratres minores inhabilis confugiſſet, matrimonialiter fuerat copulatus, fuitque per Epiſcopum, ſervato juris ordine, in Petrum ſententia reintegrandi matrimonii promulgata. Sed cum Petrus ipse in Idolum profanatus, a Bonifacio Comite Piſano captus, & ad Rom. Pont. Avinionem perductus eſset, ibidem in carceris pedore obiit. Nec tamen ſemper poſtea defuerunt illius veſaniæ ſectatores Fraticelli de opinione vulgariter appellati, aſſerentes nec Joann. XXII. nec quempiam illius ſucceſſorem jure, & ordine creatum fuiſse Pontificem; quod malum adeo diffuſum eſt, ut in multis, magniſque Italiæ Civitatibus atque per oram Græciæ, præſertim in Athenarum urbis reliquiis multi hactenus ſint inventi Romanis Pontificibus nam ob fatuitatem animis, & conventiculis clam initis adverſantes &c. ] Ibique omnes eorum errores idem Auctor recenſet: ſed vitæ Clementis V. in calce Clementinæ ſcriptor Dulcinum, & Margaritam hujus hæreſis Auctores facit; hos Hæreticos multis nominibus appellat Joannes XXII. in ſua extrav. de relig. domibus, nempe, *Fraticellos*, *Fratres de paupere vita*, *Bizochos*, *Beguinos &c.* Qui aſſerebant privilegium obtinuiſſe a Cæleſtino, ut ibidem habetur: horum hiſtoriam refert Gloſſa in cap. 4. extrav. de verb. ſignif. Nec valde differens eſt hæc ſecta a recentiorum noſtri temporis Hæreticorum erroribus, ut habetur in Clement. de hæreticis cap. 3. illi enim jejunii, & iſti omnem pœnitentiæ neceſſitatem negant; illi carnalitatem ſanctificabant, hi vero cœlibatum damnant, politicam obedientiæ ſummiſſionem illi, iſti vero ſpiritualem recuſantes: ad quorum extirpationem, nedum eccleſiaſtici Superiores, ſed etiam ſæculares Principes, non tantum ob Religionis zelum, ſed & pro eorum ratione ſtatus, omnes incumbere tenentur. Novatorum enim intentio ficto religionis velo ab omni ſubjectione ſeſe eximere ſemper tendit, ac utramque libertatem affectat, perquiritque. Itaque Beguardi Eccleſiaſtica Sacramenta deſpiciebant, ac conceptus proprios Patrum definitionibus anteponebant, dict. extrav. de relig. dom. quibus recentiores hæretici in his erroneis opinionibus prorſus aſſimilantur.

Beguina. FR. hoc nomen ſumitur in bonum, & in malum ſenſum, in malum, ſcilicet, quando de fœmina, quæ in hæreſia ſupra relata vivit; in bonum cum recte ſentiat de fide, & pie illa vivat, Extrav. Joannis XXII. de relig. dom. Vide *begina*.

Beguinagium. FR. etiam accipitur pro hæreſia Beguardorum, & Beguinarum. Clement. I. de relig. domibus. Aliquando vero recte intelligitur pro pia, & ſancta Congregatione Catholicarum Beguinarum, ſeu Beginarum, ut dictum fuit in dict. *beguina*.

Behemoth. Hebraicum nomen: [ Ecce Behemoth, quem feci, tecum fœnum quaſi bos comedet. Job cap. 40. nu. 10. ] Aliqui interpretes per antonomaſiam elephantem, ſicut etiam per *Leviathan* balenam intelligunt, cum ille inter terreſtria animalia, & hæc inter aquatilia majores ſint. FR. Alii vero crocodilum interpretantur. Gloſſa tamen in can. principium, de pœnitentia diſt. 2. immundam beſtiam explicat. || Sed allegorice dæmonium ſignificat. Cachinum ſane excitant Talmudi fabulæ, præſertim, ubi de ambobus hiſce beſtiis nugantur Rabbini, quod, nempe, *Behemoth* in primis maſculinum animal a Deo eunuchatum fuiſſet, ne generaret; nam ejus proles, ſi multiplicaretur, mundum deſtrueret; ejuſque vero fœmina pro juſtorum Hebræorum cibo in Meſſiæ tempore adhuc viva conſervatur, pro quibus Leviathan etiam caro ſalſa præſervatur, unde unuſquiſque Hebræus pro quolibet ingenti pretio hanc ſuam portionem ſomniati ferculi minime commutaret.

Beilagines. Vide *Auricabeones*. *Bellagines*.

Belisarius, alias *Guiliſarius* appellatus. Vide *Velum*. Primus inventor molendinorum in Tyberim volventium. Vide *Machinor*.

Belitranus, ſeu *Bellitranus*. FR. pro Velitrano. can. temporis 7. quæſt. 1. [ Joannes Epiſc. Civit. Beliternæ, ] ſubſcribitur. Vide Animadverſiones in Concil. Lat. Latinii tit. *Decreta Greg. I.* & [ Pontiano Belliternenſi Epiſc. ] ibidem tit. *Concilium Lateranenſe*.

Bellagines. FR. Leges Gothorum. Adnot. in Hiſt. Longobard. lib. 4. cap. 44. Ex Jornande de reb. Geticis, & Gloſſ. Iſid. Vide *Auricabeones*.

Beltis, inſtrumentum ad preces, & orationes Dominicales, ſalutationeſque Angelicas dinumerandas, ſicuti cum corona, ſeu roſario hodie calculamus. De hoc vocabulo in quadam Synodo fit mentio, ubi exequiæ pro defuncto Epiſcopo præſcribuntur, hoc pacto habetur: [ Singuli ſervorum Dei jejunent, & 30. diebus canonicis horis expleto ſynaxeos, & 7. beltidum Pater noſter pro eo cantetur, & hoc expleto trigeſima item die obitus ſui. ] FR. ſeptem beltidum puto vices ſignificare, quod ab Hiſpanis *ſette bueltas*, Italice *ſette volte*... id eſt, ſeptem vices a *volvendo* verbum vulgariter deductum.

Bema, FR. Βῆμα, pulpitum, ſive gradus. Item ſignificat feſtum Manichæorum. [ Vultis ergo, ut & vos dicamini in menſe Martio Martem colere? illo enim menſe bema veſtrum cum magna feſtivitate celebratis. Eugeſippus Abb. Africanus lib. 1. cap. 67. ] & clarius D. Auguſt. contra Epiſt. Manichæi cap. 8. ſic inquit. [ Cum ſæpe a vobis quærerem illo tempore, quo vos audiebam, quæ cauſa eſſet, quod Paſcha Domini plerumque nulla, interdum a paucis tepidiſſima celebritate frequentaretur, nullis vigiliis, nullo prolixiore jejunio indito auditoribus veſtris, nullo denique feſtiviore apparatu, cum veſtrum bema,

nia, id eſt, diem quo Manichæus occiſus eſt, quinque gradibus inſtructo tribunali, & pretioſis linteis adornato, ac in promptu poſito, & objecto adorantibus, magnis honoribus proſequimini.

* BENEDICITE. Hymnus trium puerorum, quam non ſolum *Athanaſius* de virginit. virginibus dicendum commendat, ſed Concilium etiam *Toletanum* 4. cap. 13. al. 14. Eccleſiam per totum terrarum orbem diffuſam eum celebrare dicit, & idcirco mandat, ut a Clericis *Hiſpaniæ* & *Galliciæ* in miſſa Dominicorum dierum & in ſolemnitatibus Martyrum decantetur.

BENEDICTINI MONACHI. Vide *Abbas*. *Alleluja*. *Ordo Nigrorum*. *Camelaucium*. Gratianum in dict. *Canon*. *Collecta*. *Completorium*. *Mixtum*. Quid in eorum regula ſignificent pſalmi fortiores. Vide *Pſalmus*.

BENEDICTIO. FR. In veteri Teſtamento elevatis manibus precabantur. [ Et benedixit Eſdras Domino Deo magno, & reſpondit omnis populus. Amen, Amen; elevans manus ſuas, & incurvati ſunt, & adoraverunt Deum proni in terram. 2. Eſdr. 8. num. 6. ] Quod fiebat in ſignum invocandi Altiſſimum: ſic etiam in juramentis. [ Cum elevaſſet dextram, & ſiniſtram ſuam in Cœlum, & juraſſet per viventem in æternum. Daniel. cap. 12. n. 7. ] Sæpe in ſacra Scriptura de ſimilibus actibus in conferendo benedictiones. :||: Ideo Chriſtus Dominus aſcendens in cœlum elevatis manibus benedixit Apoſtolis. Lucæ 24. Inter Chriſtianos deinde, ex Apoſtolorum traditione, manu extenſa Crucis ſigno datur benedictio. Vide *Chirotonia*, quam cæremoniam, pie credendum eſt a Chriſto Domino in præfato Aſcenſionis die initium habuiſſe, ad cujus ſimilitudinem peracta Miſſa benedictio populo confertur. [ Etenim Dominus ante aſcenſionem in cœlos, duxit Diſcipulos in Bethaniam, ibique benedixit eis, & aſcendit in cœlum. Hunc morem tenet Sacerdos, ut poſt omnia ſacramenta conſummata benedicat populo, atque ſalutet; deinde revertitur ad orientem, ut ſe commendet Domini Aſcenſioni, dicitque Diaconus, Ite Miſſa eſt. Amalar. lib. 3. de off. c. 36. ] At hæc benedictio a Sacerdote dabatur immediate poſt communionem, ut ex adducta auctoritate, & ex aliis Auctoribus colligitur: ſoli enim Pontifici Romano licitum erat in fine Miſſæ benedicere populo. Radulph. propoſ. 23. Itaque reliqui celebrantes ſacrum finiebant ad orationem illam, *Placeat tibi &c.* quod ex ſequentibus verbis patet, nempe. [ Finitis omnibus oſculatur Presbyter Altare dicens: Placeat tibi ſancta Trinitas. Deinde ſacris veſtibus ſe exuens. Ordo Rom. ] Idem legi in quodam cæremoniali M. S. antiquo Abbatiæ Mileti de anno 1509. exarato. Sic etiam obſervant Carthuſiani, qui non dant benedictionem in fine Miſſæ, nec dicunt Evangelium ſancti Joannis in fine; ideo enim benedictio poſt communionem dabatur, ut qui Euchariſtiam non ſuſceperant, ſaltem cum illa benedictione diſcederent. Microl. c. 21. Sicut aliqui Sacerdotes hodie laudabiliter, quando poſt Miſſam, vel extra eam communicare ſolent, dant benedictionis ſignum in fine illius communionis pro non communicatis. In præſenti Pariſienſis Archiepiſcopus ſolemniter celebrans, poſt communionem Miſſæ populo benedicit. Quando coram Legato Apoſtolico, vel loci Ordinario celebratur; Celebrans tunc antequam det populo benedictionem, ſummiſſe inclinatur, quo ſigno oſtendit a ſuperiore petere licentiam, ſicut in Rubrica ordinatur; & hoc fit quia antiquitus, ut dictum eſt ſupra, Sacerdotes in Superiorum præſentia nequiebant hoc agere ex prohibitione Leonis, & Gelaſii Pontificum. Microl. c. 2. Coram Papa celebrans genuflexe hanc licentiam poſtulat, ut in eadem Rubrica. At quando Miſſa coram præfatis Prælatis ſolemniter celebratur; tunc ipſe Prælatus, & non celebrans benedicit populo. In quodam antiquo Miſſali de anno 1533. impreſſo benedictionem a modo conſueto diverſam legi, nempe: *In unitate Sancti Spiritus benedicat vos, Pater, & Filius.* Ac in Miſſis pro defunctis dabatur benedictio ſub hac forma: *Deus vita vivorum, & reſurrectio mortuorum, benedicat vos in ſæcula ſæculorum.* Quod Miſſale conſervatur in Biblioth. Cathedr. Viterbienſis. Item *Benedictio* ſignificat etiam precationem, qua aliqua ſanctitas confertur, hæcque duplex eſt ſecundum Cajetanum in 2. 2. quæſt. 7. art. 11. Prima enim dicitur *Conſtitutiva*, qua perſonæ, ſeu aliæ res ad divinum cultum deſtinantur, veluti ſacræ veſtes, quarum benedictiones ad Epiſcopum ſpectant, & hanc benedicendi poteſtatem non poteſt Epiſcopus aliis delegare. Congreg. Rit. 14. Novemb. 1615. Poteſt tamen licentiam concedere benedicendi Eccleſias, Oratoria, eorumque primos fundamentales lapides. FR. Et in hoc ſenſu collatio ſacrorum ordinum benedictio dicitur. Gloſſ. in can. Quamvis Chorepiſcopi. diſt. 68. :||: Altera *Benedictio invocativa* appellatur, ut ſunt fructuum, candelarum, aliarumque rerum, quæ in Rituali Rom. notantur: hæ a quolibet Sacerdote exerceri poſſunt, ſuperpelliceo tamen, & ſtola induto, quæ debet eſſe violacei coloris in omnibus benedictionibus, ubi exorciſmi habentur, vel ſaltem coloris currentis diei, ut in Rituali præſcribitur. In omnibus Dominicis per annum aſperſione aquæ benedictæ benedictio datur, ut dictum fuit dict. *Aqua benedicta*; id eſt, ante ſolemnis, & conventualis Miſſæ principium, Altare prius ter, nempe, in medio, in Evangelii cornu, & in cornu tandem Epiſtolæ aſpergendo: quæ tamen altaris aſperſio (ex Miſſali Ambroſiano de 1618. edito, & per Gavantum relato) omittitur, ſi Sacramentum Euchariſtiæ ibi erit expoſitum, in quo caſu cenſet idem Auctor, non debere Diaconum, nec aſperſorium, nec Sacerdotis manum oſculare: Rubricæ enim generales a ſimilibus oſculis abſtinendum ordinant præſente Euchariſtiæ

Sacra-

Sacramento. Clerus tamen, & populus aſperguntur aqua benedicta, qui, ut in Epiſcoporum cæremoniali advertitur, debent tunc caput inclinare. Canonici vero non ſicut Clerus, & populus aſperguntur ſimul, ſed ſinguli unus poſt alterum. Gregorius XIII. ſub die 30. Decembr. 1616. ſtatuit, Epiſcopos, ſeu aliam principalem perſonam non poſſe hanc aſperſionem exercere in Dominicis diebus, ſed hujus muneris exercitium ab alio Sacerdote fieri debere, ſuperpelliceo, & ſtola induto; ſic Praxis Archiepiſcopalis teſtatur Romæ impreſſa de eodem anno 1616. Gavantus tenet, quod Sacerdos antequam aſpergat Altare; debeat Antiphonam *Aſperges me*, intonare, quamvis videatur Rubricam contrarium diſponere: ratio eſt, quia in ea Antiphona fit mentio de actione futura, in qua verſiculus *Gloria Patri* omittitur, quando in Introitu non debet dici, ut in Dominica Paſſionis &c. cum hæc cæremonia ſit Miſſæ principium. Notantur imprudentiæ Sacerdotes, qui ad benedicendum populo cum Euchariſtiæ Sacramento, expectant id agere, quando, nempe, Chorus cantat verba hymni, *Sit & benedictio*: nam ſenſus illius verbi *Benedictio* non refertur ad nos, ſeu ad populum; ſed ad Sanctiſſimam Triadem, ubi *Benedictio* laudem proprie ſonat, & ſic ridicule populus loco Trinitatis ſub illis verbis benedicitur. Abuſus quidem eſt non diſſimilis illi, qui in Eccleſia Africana tempore D. Auguſtini reperiebatur, ubi quoniam percutitur pectus ad verba, *Confiteor &c.* idem faciebant Africæ Chriſtiani, quando in Evangelio pronunciare audiebant, *Confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti &c.* In quibus verbis ſe impeccabilem eſſe Filium Dei, non vero peccata ille confeſſus eſt; ideo Patri ejus reddidit gratias. Inde Auguſtinus Africanos reprehendens, ajebat: [ In hoc ipſo, quod ſonuit Confiteor, pectora tutudiſtis, Tundere autem pectus, quid eſt niſi arguere, quod latet in pectore, & evidenti pulſu occultum caſtigare peccatum? Quare hoc feciſtis, niſi quia audiſtis Confiteor tibi Pater? Confiteor audiſtis; qui confitetur, non audiſtis. Nunc ergo advertite, ſi Confiteor Chriſtus dixit, a quo eſt longe omne peccatum, non ſolius peccatoris, ſed etiam laudatoris. Serm. 8. de verb. Domini. ] Ita imperitis dici poſſet, qui dictum verbum *Benedictio* non intelligunt; Audiſtis benedictio; ſed qui benedicitur, non audiſtis. Nunc ergo attendite cui dirigitur benedictio, Sanctiſſimæ namque Trinitati dirigitur: ergo laudem, & glorificationem ſignificat. Nam, ut D. Ambroſius concludit, [ Deus benedicitur, cum laudibus dignis extollitur, Homines autem ſic benedicit Deus, ut donum gratiæ ſuæ impertiat, in Epiſt. ad Epheſios cap. 1. ] Licet eruditiſſimus Latinus Latinius in obſervationibus ad Sanctos Patres, de S. Ambroſio loquens, neget hæc Commentaria ab ipſo compoſita fuiſſe. An Diaconus poſſit benedicere. Vide *Cereus paſchalis*. *Diaconus*.

BENEDICTIO BEATICA. FR. In Conciliis, & penes Patres *Viaticum* intelligitur. [ Jubemus vero in infirmitate poſitis, ut beaticam benedictionem percipiant. Conc. Barcinon. can. 9. ] Ubi de publice pœnitentibus loquitur Concilium, qui ob infirmitatis impedimentum, injunctam eis pœnitentiam complere nequiverant. Et clarius ſub iiſdem verbis in Concil. Gerunden. de eiſdem pœnitentibus habetur hoc pacto: [ Si vero, qui in ægritudinis languore depreſſus, pœnitentiæ Benedictionem (quam viaticum dicimus) per communionem acceperit &c. apud Gratian. can. Si vero, diſtinct. 50. ] Idem clarius habetur in can. qui recedunt. 26. quæſt. 6. Ergo iſta benedictio ægrotis pœnitentibus non neganda, viaticum intelligitur, quæ *Beatica* dicitur, quia ex pœnitente beatum facit, & in gratiam illum reddit. Item alibi ſynonymice: [ Excommunicatos eſſe decernimus, ut ſi quid eis &c. humanitatis ſpatium advenerit, benedictione viatici non priventur. can. tanta. diſt. 86. ] Vide *Viaticum*. :||: Item benedictio *Eleemoſynam*, & *Eulogiam* ſignificat; vide in ſuis locis, & diſt. *Octava*. Item alicujus Sancti Reliquia. De his duobus poſtremis ſignificatis, reperitur paſſim in Regiſt. D. Gregorii. Vide *Canola*. Non vero ſignificat hoc vocabulum indulgentiam, ut perperam Franciſcus Turrianus credidit, contra quem Latinus Latinius erudite in ejus Epiſtolis ſcripſit, quas in duobus tomis diviſas edidimus. Quod inſuper evidenter confirmatur, nam idem Gregorius *Benedictionem* appellat dona ei ab Alexandrino Patriarcha miſſa, qui ſane auctoritatem non habebat concedendi Summo Pontifici indulgentiam: atque hæc ſunt Greg. verba: [ Suſcepimus autem benedictionem S. Evangeliſtæ Marci, lib. 6. Epiſt. 37. ] FR. Ego vero puto hanc benedictionem S. Marci, fuiſſe reliquiam ejuſdem Sancti: nam reliquia benedictio etiam dicebatur: [ Partem thymiamatis, & ſabanum (id eſt ſindonem) pro benedictione. Bonifat. Ep. 10. ] Vide *Reliquia*. :||: Benedictiones inſuper ſignificant Canticum trium puerorum. [ Benedictiones, & laudes &c. In Regul. Sancti Benedicti cap. 12. append. 4. ] Ultimum vocabulum ſignificat Pſalmum *Laudate Dominum de cœlis*, cum duobus ſequentibus; ideo *Laudes* vocantur, una, nempe, ex horis canonicis, quæ poſt Matutinum recitatur, & in eodem ſignificatu in Regula Tetradii, cap. 21. habetur: licet per errorem in numero ſingulari *Benedictio* legatur. *Benedictiones* dicitur etiam canticum illud trium puerorum, quia in eo benedicitur Creator univerſaliter per varias creaturas. S. Athanaſius in tract. de Virgin. de eodem cantico loquens, ait: [ Illuceſcente die benedicite omnia opera Domini Domino, ] Benedictio aquæ in Calice. Vide *Aquarii*. Benedictio ſignificat collectam. Vide *Collecta*, quod idem ſonat, ac *Eleemoſyna*, ut dictum eſt ſupra. Item *Benedictio ſecunda* quid ſit. Vide in eadem dict. *Collecta*.

BE-

BENEDICTIO SOLEMNIS. FR. ſecundum Gloſſam in Clement. de privil. & exceſſ. privil. c. 2. §. Benedicat. Eſt illa, quando Epiſcopus dicit. [Sit nomen Domini benedictum, ] ex quo ſequeretur Epiſcopos in Miſſis privatis uti non debere prædicta verborum forma.

* BENEDICTIO. Vetuſta conſuetudo *inclinandi* coram Epiſcopis *caput* ad recipiendam eorum benedictionem, quam conſuetudinem ipſi Imperatores non detrectabant: Hilar. adv. Conſtantinum.

BENEDICTIONALIS, liber, in quo benedictionum formulæ continebantur, quæ populo in Miſſa precabantur, nam variæ antiquitus erant, juxta feſtivitatum diverſitates, ut in D. Greg. Sacramentario legitur. [ Statim Epiſcopo dicente, Per omnia ſæcula ſæculorum, Diaconus accipiat benedictionalem librum, & converſus ad populum dicat: Humilitate vos ad benedictionem; & Clero reſpondente, Deo gratias, porrigat Epiſcopo librum. Ord. Rom.

BENEDICTUS, idem ac Chriſtianus, Vide *Chriſtianus*.

BENEDICTUS QUI VENIT &c. Verba hæc a S. Ignatio martyre in Miſsa addita fuerunt. Remig. Epiſc. in expoſit. Miſſæ. Et cani debent poſt elevationem Calicis juxta expoſitionem Epiſc. Cærem. l. 2. c. 8. Hoc etiam in Miſsa defunctorum obſervandum erit; hæc eſt enim praxis Papalis Cappellæ in qualibet Miſſa. Vide *Hoſanna*.

BENEDICTUS, canticum. Vide *Canticum*.

BENEFICIUM, & *Beneficiatus*: Per beneficium antiquitus feudum intelligebatur, & *Beneficiare* infeudare (ut ajunt) ſignificabat. [ Poſtea Imperator ſeditione facta, coactus Valentianas Balduino Comiti beneficiavit, ut ſibi contra motus ſuorum auxilio eſſet. Sigib. in Chron. An. 1007.] FR. Etiam Papa feudum Eccleſiæ beneficium appellat. [ Injungentes eidem, ut ibi non tanquam tibi, ſed tanquam Eccleſ. Rom. (cujus auctoritate debes percipere, cujus etiam propter prædicta beneficia vaſsallus exiſtis) ſine difficultate perſolvat. De præſcriptionibus cap. 13. ] :||: Apud Romanos officium erat honoris: inde dicti ſunt *Beneficiarii*, & *Beneficiati* officiales. Tertullianus utitur hoc nomine ad ſignificandos Publicanos, qui vectigalia exigebant; imo aliquando de juſtitiæ miniſtris, & exploratoribus, italice *Spie* appellatis, intelligebatur, quia a plebeis gravaminibus erant exempti: [ Neſcio dolendum, an erubeſcendum ſit, cum in Matricibus beneficiariorum, & curioſorum inter tabernarios, & lanios, lenones Chriſtiani quoque vectigales continentur. Tertull. de fuga. cap. 13. ] Idem habetur in Novell. 13. & ibid. Cujac. [ Tamen ne, vel a beneficiariis, vel aliis quibuſcumque contumelias, injurias, moleſtias, & turbationes pati cogantur, his etiam litteris tuam animi magnitudinem admonendam curavi. Euſeb. de Chriſtian. lib. 8. ] FR. Atque in eodem ſenſu Spartianus in Adriano Cæſare ſcripſerat: [ Pedibus iter faciens, ejuſdem Serviani Beneficiarium antevenit. ] :||: Hodie tamen per *Beneficium* præbenda eccleſiaſtica intelligitur cum onere recitandi officium, vel alterius obligationis, ut ad Miſſas celebrandas &c. Antea enim Clerus ſuum menſtruum ſtipendium recipiebat, deinde vero eis Epiſcopi vita durante Eccleſias conceſſerunt, quæ *Beneficia* dicta ſunt, quia, ut in Epiſtola ad Cæſarium Arelatenſem Epiſcopus Symmachus Papa ſcribit, benemeritis tantum concedebantur, atque Pontifex hic beneficiorum uſum inter Eccleſiaſticos introduxerat, quos D. Cyprianus *Clericos poſtulantes* appellavit. Dicitur etiam *Præſtimonium*, ſeu *Præſtimonialis portio*. Item *Perſonatus*. *Portionarius*. Vide ſuis locis. Valde laudabilis erat Nicolai III. in beneficiorum diſtributione methodus; habebat enim idoneorum Catalogum diligentiſſimis inquiſitionibus notatum, & ſtatim ac beneficium vacabat, illud uni ex idoneis, antequam a magnatorum interceſſione præoccuparetur, conferebat. Odoricus Rinal. in Eccleſ. Annal. an. 1280. num. 27. Beneficia enim Eccleſiaſtici ſtipendia ſunt pro virtutum alimento, vel pro pſallendo in Choro, aut ſacrificando fundata. FR. Non eſt minus ponderanda D. Bernardi redargutio in conferentes nobilium filiis beneficia adhuc pueris, & incapacibus. Vide *Principo*. Item beneficiandi, præter probitatem vitæ, debent habere notitiam legendi, conſtruendi, & canendi. Gloſſ. in Clement. de conceſſ. præbendæ. §. Reputamus. :||: Beneficiorum pluralitas in una ſola perſona communiter damnatur, & præcipue a Gulielmo Pariſienſe, quod in Collegio Eruditiſſimorum Theologorum unanimiter comprobatum fuerat, non poſſe, ſcilicet, quemquam duo beneficia ſimul poſſidere, quando unum ex his excedat valorem congruæ ſuſtentationis: quod Collegium habitum fuit de anno 1238. Sed quia Philippus Cancellarius huic opinioni, ob multiplicitatem beneficiorum, quæ poſſidebat, ſuccumbere noluerat: ideo ad æternas pœnas illum damnatum fuiſſe poſt mortem, & eidem Gulielmo apparuiſſe refert in Epitom. Annal. Eccleſiaſt. Spondanus. Abuſus hic originem habuit in temporibus mortalitatum maximo numero ingruentium, quando Epiſcopi ob penuriam Clericorum, ne beneficia deperderentur, ſingulis Eccleſiaſticis in commendam, & œconomiam plura beneficia concedere cogebantur, donec Clerici idonei reperirentur. At ſenſim poſtea de commenda cum ingenti clericalis ſtatus detrimento ad veram, & realem poſſidendi actionem res tranſivit. Sacra hæc namque fames, percipere minime curat Apoſtolica illa monita, quod alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt: ac frequenter accidit, ut ſemper digni eſurientes, & inanes dimittantur, & ignari præbendis repleantur bonis: quapropter Melliflui ſententiam, uti veriſſimam, Angelicus Doctor & Theologiæ Magiſter amplectitur, nimirum: [ Qui non unus, ſed plures eſt in beneficiis,

non unus, ſed plures erit in ſuppliciis. In quodlibet. 9. art. 15. FR. Utrum Epiſcopus poſſit Clerico diſpenſare in pluralitate beneficiorum, vide Gloſ. in can. ſi quis jam 21. quæſt. 2. :||: Cæterum Beneficiatus tenetur in Officio commemorationem facere illius Sancti, ſub cujus titulo beneficium poſſidet, & ſimiliter de pluribus ſingillatim, ſi plura poſſidet. Vide *Commemoratio*. Item in die feſti Eccleſiæ, ſi eſt Beneficiati titulus, tenetur recitare Officium in ritu duplici primæ claſſis, cum Octava; licet ab ea Eccleſia longinque moretur: ſi vero propria Eccleſia fuerit jam diruta, & ejus titulus ad aliquod alterius Eccleſiæ Altare translatus fuiſſet: Beneficiatus tunc, ſi in Officio Sanctus ille non habet novem Lectiones, recitare debet ſub ritu ſemiduplici, ut in praxi Canonici Vaticanæ Eccleſiæ recitant Officium S. Blaſii ſemiduplex, quoniam Capitulo huic unita ſunt emolumenta Eccleſiæ illius Sancti jam dirutæ. At ſi titulus beneficii in limine fundationis in aliquo Eccleſiæ Altari erectus fuerat; tunc ordinem Officii habere debet Beneficiatus juxta Kalendarii præſcriptionem, & non aliter. Gavant. de Rub. Brev. c. 12. ſect. 3. 3. Clerici itaque ad Chorum alicujus Eccleſiæ adſcripti tenentur ſe conformare in recitatione Officii illius Eccleſiæ, licet ab ea ſint abſentes. S. Congr. Rit. 8. Septembris 1602. Item Beneficiatus, qui alicui loco eſt addictus ad celebrandum, & ideo recipit ſtipendium, non poteſt pro applicatione ejuſdem ſacrificii aliam eleemoſynam recipere. S. Concilii Trident. Congreg. penes Gavantum. Celebrans vero alibi, qui alicui præfixo Altari addictus eſt; licet peccaret mortaliter, ad reſtitutionem tamen non teneretur, ſi juxta teſtatoris mentem Sacrificium applicaret. AA. apud Bonac. de Euchar. diſput. 4. q. ult. punct. §. 4. Advertendum inſuper eſt Cappellanis alicui Altari ad celebrandum addictis, cum intentione libera applicandi ſacrificium, quod eadem Sacr. Congreg. ſub die 18. Aprilis 1629. apud Gavantum noviter impreſſ. declaraverit licere illos Sacrificii applicandi gratia aliam eleemoſynam accipere: & quamvis cum aliis Diana contrarium ſentiat, ſequendus non eſt, quia non de hoc poſtremo decreto, ſed tantum de ſuperiori ſub die 13. Julii. 1630. notitiam habuerat, in quo, nempe, de Beneficiatis, Cappellanis, & aliis Sacerdotibus, qui celebrant ad intentionem obligantis, agitur, cujus intentio non ſatis conſtat, an voluiſſet Celebrantis liberam intentionem relinquere. Hæc itaque decreta, quæ contraria videntur, in prædicto ſenſu Eruditiſs. Præſul. Caramuel in ejus Theol. Moral. §. 426. & meus quondam Præceptor Eminentiſs. Card. de Lugo tract. de Euchariſt. diſp. 21. ſect. 1. n. 21. conciliant. Diana nihilominus p. 11. tract. 8. reſol. 67. de præfato favorabili Cappellanis decreto mentionem facit, ſed dubium non deliberat. Beneficii, & Beneficiati obligatio, ac ſynonima. Vide *Aſſiſi*, *Cappellanus*. *Commenda*. *Officium*. *Præſtimonium*.

BENEFICIO, *as*; Beneficium confero. Matth. Pariſius.

BENIVOLUS. FR. [ Ut tam Regem, quam Regnum favore benivolo proſequamur. Extrav. comm. de privil. cap. 2.

BERENICE. Vide *Hemoroiſſa*.

BERG. In lege Salica, germanicum nomen, propugnaculum, defenſionem, & receptaculum ſignificat, inde *usbergo* loricam Itali vocant, ex eo quia pectoralis defenſio ſit. Vide *Brunia*.

BERONES. Vide *Hero*.

BERSO, telo perfodio, ac ferio. [ Suſpecti, vel ſoliti ad intrandum boſcos, parcos, vel foreſtas cauſa berſandi. Matth. Pariſ. in vita Abb.] Unde Itali *Berſagliare* dicunt.

BERTISCA. FR. propugnaculum. Bullar. Caſin. tom. 2. Conſtit. 4. & Conſtit. 74.

BERZELAI. FR. nomen viri. Geneſ. cap. 31. Ferrum meum hebraice ſignificat. Petrus Damian. Epiſt. 31. ad Deſider. Abb. & Card. lib. 2. qui deinde fuit Papa Victor III.

BESENTERICUS, morbus. FR. effluxio ſanguinis, quæ communiter *dyſenteria* dicitur. [ Beſentericus morbus Gallias præoccupavit. Thoromagi Chron. lib. 4. cap. 79. apud Caniſium in tom. 3. Antiq. lect.

BESSA. FR. Ligo, *nis*; inſtrumentum ruſticum ad fodiendam terram. [ Deſiderio occultandi opus accenſus, die feſtivo illuceſcente, foſſorium, quod beſſam dicunt, ſumit. In mirac. S. Maximi Abb. a vocabulo gallico *Beſche*, & prima littera mutata in M. *Maſche* arabice idem ſonat.

BETHILICA, FR. Provincia Bætica a Bæte flumine ita appellata ſub diœceſi Hiſpalenſi, can. in decima 18. quæſt. 2.

BETHLEHEM. Vide *Thamnus*.

BETHPHAGE. FR. *Domus bucca* hebraice ſignificat. Petr. Damiani homil. in Dominica Palmarum.

BETHSAIDA. FR. Hæc vox, quæ Civitatem in Evang. Joan. c. 5. ſignificat, ex duobus Chaldaicis vocibus componitur ex *Beth*, ideſt *Domus*, & *Hheſda*, hoc eſt *Miſericordia*, ex quo fit, *Bethhheſda*, nempe, Domus miſericordiæ.

BEUDUM, terræ, ſeu tabulæ planities a germanica voce *Bodem*: [ Et in beudo ſuo pultes manducaſſet. In lege ſalica, tit. 49. Hic menſam denotat, ſuper quam comeditur.

BIARCHUS, & *Biarcha*, græca vox Βίαρχος, ideſt, victui præfectus, Βίος enim Græce victum ſignificat. De hoc officio D. Hieronymus ad Pammach. mentionem facit.

BIARCHIA, Biarchi dignitas, l. 1. C. de off. mag.

* BIATHANATI, ſive Αυτοχειροί ſic dicti illi, qui ſibi ipſis violentas manus inferunt.

BIBER, Potorium vini. [ Septimanarii autem ante unam horam refectionis accipiant ſupra ſtatutam annonam ſingulos biberes, & panem, ut hora refectionis, ſine

mur-

murmuratione, & gravi labore ſerviant fratribus ſuis. In Reg. S. Benedicti, c. 25.

Biblea Cratis, Storea juncis, ſtirpibus, aut virgultis contexta; ſic appellata, quia involvitur ad inſtar voluminis; nam ſicut a volvendo, *volumen* dictum fuit a Latinis, ſic *Biblea* a græcis. [ Super Bibleam Cratem nudam ſomni quietem caperet. In vita B. Petri Damiani.

Biblia; græca vox Βιβλία, quæ volumina ſignificat, & per antonomaſiam Sacram Paginam denotat, quæ ab Eccleſiaſticis ſemper ſtudioſe volvenda eſt. FR. & non, ut impudenter Lutero placuit, ab idiotis, ac etiam mulierculis interpretanda; Biblia enim ſacra veritatis janua, ac Cœli porta, ſeu clavis eſt, per quam veritatis janua nobis aperitur; unde Dominus noſter, unam ex clavibus Regni cœlorum, quas Petro, & ſucceſſoribus tradidit, figurate interpretationem S. Scrip. eſſe ait, Gloſſ. in §. Decretales itaque, diſt. 20. merito intelligit; ideo arcanus Sacræ Scripturæ ſenſus nonniſi ab habente poteſtatem aperiendus eſt. Qualia autem Bibliæ exemplaria, Hebræorum, ſcilicet, vel Græcorum, aut Latinorum meliora ſint, vide hanc quæſtionem agitatam a Gloſſatore, in can. ut veterum, diſt. 9. Eſt itaque Sacræ Scripturæ ſenſus quadripartitus, nempe, *Anagogicus*, *Hiſtoricus*, *Tropologicus*, ſeu *Moralis*, & *Allegoricus*. Exempli gratia hæc dictio *Hieruſalem* in Sac. Biblia *Moraliter* animam, *Anagogice* cœleſtem patriam ſignificat. Vide melius de his ſenſibus ſingillatim in ſuis locis, & gloſs. in can. Jejunium 4. §. Anagogea, diſt. 76. Qui quatuor ſignificatus in quatuor Baldachini baculis denotantur. Vide *Mappula.* Item Biblia dividitur in libros *Legales*, *Hiſtoriales*, *Sapientiales*, & *Prophetales*. Dionyſ. Carthuſ. in Proœm. Joſue. Libri ergo Sac. Scripturæ quinque primi, qui *Thora* hebraice dicuntur. Vide *Pentateuchon*. At his quinque additi alii duo libri, nempe, Joſue, & Judicum: dicuntur omnes ſeptem *Heptateuchon*. Vide ſuo loco. Liber Numeri. Vide *Arithmus*. Libri Regum. Vide *Baſiliæ*, & *Vaſileus*. Utrum liber Sapientiæ ſit Canonicus. Vide *Pſeudoepigraphus.* Falſa Bibliæ interpretatio. Vide *Talmud.* Chaldaica interpretatio. Vide *Targum*. Alia ad Bibliam Sac. ſpectantia. Vide *Aſteriſcus. Deificus. Deuteronomium. Eccleſiaſtes. Eccleſiaſticus. Epoſia,* ideſt Apocalyſis. *Exodus*, ideſt, exitus. Exateuchum, in dict. *Extaticum*. *Geneſis*. *Hexapla*. Vide *Dictochæum*. *Lucianea*. *Paralipomenon*. *Praxeon*. *Prologus galeatus*.

Bibliotecha, librorum conſervatorium. Vide *Armarium*. *Bibliothecarius*.

* Bibliotheca Eccleſiæ. Earum uſus apud Eccleſias antiquiſſimus teſtante *Euſebio* lib. 6. cap. 20.

Bibliothecarius, Bibliothecæ cuſtos. Officium in Rom. Eccleſ. quod Cardinali confertur, & antiquitus erat Archicancellario Imperiali annexum, qui appellabatur *Archicancellarius Imperii pro Italia, & Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarius.* FR. de an. 1113. in Bulla Paſchalis II. pro Epiſcopatus Auraſienſis erectione, hoc officium penes Cardinalem fuiſſe apparet; ubi ſic ſubſcripſerat, Per *manum Joannis S.R.E. Diaconi Cardinalis, ac Bibliothecarii*. :||: Conſtantinopolim duodecim Bibliothecarii erant in cuſtodia illius Bibliothecæ, quam Magnus Conſtantinus erexerat, ubi tercentum, & tria millia volumina extabant, Baron. Ann. 726. Hi Bibliothecarii pro eorum eximia eruditione, adeo magni æſtimabantur ab Imperatoribus, ut abſque eorum oraculo nil decerneretur; unde Leo Iſaurus impius, Sacrarumque Imaginum inſectator, omni conatu ad ſuam perfidiam eos attrahere conatus eſt; at ſpe fruſtratus, Bibliothecarios, una cum Bibliotheca præfata, incendio conſumpſit, in qua inter alios admirabiles codices, inteſtinum draconis extabat viginti pedum, in quo Homeri Ilias, & Odyſſea erant deſcriptæ, ut Zonara, Conſtantinus, & Glica illius ævi hiſtorici teſtantur. Non defuerunt tamen, qui ſcripſere, in hac Bibliotheca ſepties centena millia volumina extitiſſe; quamvis tempore ſcilicet, Baſiliſci Tyranni an. 476. alia vice incendium paſſa ſit, & tunc centum, & viginti millia libri reperiebantur. Synonyma. Vide *Archivum*. *Armariuns*. *Theotrapus*.

Bibliſtæ. FR. Hæretici, ita appellati, quia in Eccleſia tantum bibliam regendam, & in ſcholis eam ſolam explicandam prætendebant.

Biblus, Syriæ Civitas, hodie *Bairuth*, ubi plangebant Adonidem mulieres. Vide *Thammus*.

Bibones, muſcæ ſunt, & metaphorice ſuggeſtiones diabolicas, Petrus Bleſenſis, ſerm. 23. intelligit, inquiens: [ Novit enim unuſquiſquie noſtrum, & in libro experientiæ didicit, quam veneniferas potiones ferat in alveolo mentis noſtræ ſerpens antiquus; quam varias, & inutiles rerum imagines in thalamo cordis noſtri depingat, quæ tanquam minutiſſimi bibones in oculo ipſius mentis involant, imo & miniſtros Dei uſque ad Altare Domini virtutum proſequuntur, ut brevem ibi memoriam Chriſti in Cruce pendentis abjiciant, vel conturbent.

Bicassa. FR. In diariis cæremoniarum Præceptorum caniſtrum, ſeu corbis eſt, corio intecta, quæ pro abaculo inſervit, ut in ea panis, fructus, & ſimilia imponantur, & intromittitur in Conclave Cardinalium cibatus tempore. *Bicaſſa* fortaſſe ita appellata, vel quia bipartita erat, vel quia primitus ad modum bulgarum (Italice *Biſaccie*) erat, cui tamen aliud corruptum, & inhoneſtum nomen Conclaviſtæ indiderunt, vocant enim hodie *Bagaſcia*, quæ vulgarem fœminam Italice ſonat, fortaſſe non ſine myſterio, quia longiſſimæ carcerationis tædio affecti Conclaviſtæ, & in ſpei macello detorti, *Bagaſciam* appellarunt, quia adulterata ea eſt, & non amplius juxta canonum ſtatuta, ſed palatui delitioſa nimis jam intromittitur, cujus cauſa Vocales diuturne morari non curant in Conclavi. Vide *Biſſacius*.

Bi-

**Bidellus**, officialis Univerſitatis Studiorum, qui curam habet exequendi commiſſiones ad ſtudia ſpectantes. Vocabulum corruptum: cum potius dici deberet *Pedellus* a pedo baculo, quem in manu geſtabat, ſicut Romæ Mandatariorum, & Curſorum mos eſt. Alii melius putant hoc nomen a verbo Saxonico derivatum, ideſt, *Bidel.* quod Præconem ſonat; nam per *Bidellum* Lectoribus, ac Studentibus Univerſitatis ordines intimantur. Quod ex verbis cujuſdam M. S. confirmatur, ubi ſic dicitur: *Epiſcopi ſunt Dei bidelli*, nam Epiſcopi divini Præcones ſunt. FR. *Pedum, di*, Paſtoralis baculus eſt, & non *Bidelii*, ideo nullibi uſitatum nomen *Pedelli* legitur. *Bidellus* igitur Longobardorum nomen eſt, & primario locum publicum (ut eſt platea, atrium) ſignificat. Corius in hiſt. Mediolanenſi ann. 1311. ſic ait. [ Il proſſimo Marte nel bidello di Santo Salvatore a Pavia fu giurata la obſidione di Piacenza &c. ) Ideo Atrii, ſeu Bidelli univerſitatis officialis *Bidellus* etiam dictus eſt; nam ibi tempore Studiorum invigilare tenetur, ne rixæ, & aliæ inconvenientiæ interim ſuccedant; ſicut Oſtiarius ab oſtio, & Janitor a janua, dicuntur. Vide *Haga*.

**Biduanum**, hoc eſt, jejunium duorum dierum. [ Biduanas omnes faciant tam Epiſcopi, Monachi, & Monachæ, quam Canonici. Ord. Rom. lib. 5. cap. 136. ] De quo ritu Rabanus ſic ait. [ Biduanum morem jejunii inde ſumptum reor, quod Apoſtoli jejunaverunt illo biduo, quo Dominus paſſus, & ſepultus eſt, lib. 2. inſtit. Cleric. c. 16. ] FR. De biduanis jejuniis, ideſt, in feria quarta & Paraſceve, nempe, feria ſexta, ex traditione Apoſtolica in Canonibus Apoſtol. can. 68. ita ſancitur: [ Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Lector, aut Cantor ſacram Quadrageſimam Paſchæ, aut quartam feriam, aut paraſceve non jejunaverit, deponitur, prætterquam ſi imbecillitate impediatur corporis. Sin Laicus ſit, communione privetur. ] De biduanis, vero, & triduanis jejuniis, ita Chryſoſtomus; [ Non ratione jejunii; quo enim pacto cum panem, & aquam tantum in cibum ſumas, idque poſt biduum, & triduum? lib. 2. de provid. Dei ] Ex quo colligitur, *biduanum*, ac *triduanum*, jejunium non fuiſſe illud, quod in can. Apoſtol. ſupra allatum eſt, nempe, bis, aut ter in hebdomada; ſed quum per biduum, aut triduum nil commeſtibile, aut potabile guſtabatur. De hujuſmodi jejuniis fit mentio in paſſione S. Cæciliæ, ubi de ea narratur, quod: [ Biduanis, & triduanis jejuniis orans ſe commendabat Domino. ] Item baptizandis adultis antiquitus hoc triduanum jejunium indicebatur, ut ex Actis S. Getulii apud Sur. tom. 3. 10. Junii & Auguſti, de morib. Eccleſ. cap. 33. habetur.

**Bigamus**, Latino-græca vox a *bis*, & *γάμος*, ideſt, matrimonium. FR. Gloſſ. in c. una tantum, diſt. 26. :||: Et abſolute græce *δίγαμος*, dicitur is, qui ad ſecundas nuptias tranſierit, cujus antitheſis *Monogamus* eſt, & qui nullam uxorem habuit *Agamus*; item *Polygamus*, qui plures uxores habuit, dicitur; quæ omnia vide ſuis locis. FR. *Bigamus* propter quatuor cauſas ab ordinum ſuſceptione excluditur, nempe, propter defectum Sacramenti, quia non eſt ibi Sacramentum unitatis, cum Bigamus carnem ſuam diviſerit in plures: Secundo propter prærogativam ordinum; Tertio propter ſignum incontinentiæ, ex eo quod de una tranſivit ad aliam; Quarto, quia non habet frontem hortandi viduitatem. Gloſſ. in cap. ſequitur, diſt. 26. Quæ excluſio ex traditione Apoſtolorum eſt ut, in epiſt. 1. ad Timoth. cap. 5. unius uxoris vir, d. cap. ſequitur, diſt. 26. An Bigamus reputetur, qui, ante baptiſmum habuerit unam uxorem, & poſt baptiſmum aliam. D. Hieronymus apud Gratianum can. oportet Epiſcopum 28. q. 3. negat talem Bigamum dici. Sed Innocentius Papa contrarium teſtatur, ibidem. Item D. Ambroſius, apud eumdem Gratianum, can. unam tantum, eadem diſt. 26. & ex Auguſtino, can. Acutius, eadem diſt. Bigamus etiam dicitur per Gloſſ. in can. Nemo ad Sacrum, diſt. 32. qui ignoranter corruptam duxerit; item ſi primo corrupit Virginem, & poſtea eam deſponſavit. Ibidem. Bigami quinque modis dicuntur. Gloſſ. in cap. ſuper eo; de Bigamia. Vide Baronium Ann. 5. 8. num. 26. & 27. Ann. 216. n. 2. Ann. 456. n. 14. & ſeqq. :||: Græci vocant Bigamos Epiſcopos, qui de una Eccleſia ad aliam tranſeunt; nam ſecundum Græcos canones iſti tales Epiſcopi non poſſunt obtinere Patriarchatum Conſtantinopolitanum; hæc tamen regula diſpenſata fuit in Gregorio Nazianzeno. Vide Baron. ad Ann. 382. Euſebius vero quia ſine cauſa ab Eccleſia Beryti ad Nicomedienſem tranſierat, in Concilio Alexandrino *Adulter* appellatus fuit.

**Bigerrica**, FR. genus veſtis ruſæ, & hiſpidæ. *Bigerrones* Aquitani populi ſunt teſte Cæſare de Bello Gallico, lib. 3. ſic ajente: [ Maxima pars Aquitaniæ ſeſe Craſſo dedit, obſideſque ultro miſit, quo in numero fuerant Trabelli, Bigerrones &c. ] Ex quo Bigerrigæ vocabulum cenſetur provenire. Quare D. Gregorius *Aquitanicum pallium*, in Regiſt. lib. 6. epiſt. 36. hanc veſtem vocant. [ Et proximus tabernis bigerrigam veſtem brevem, atque hiſpidam, quinque comparatam argenteis, rapit, atque ante Martini pedes iratus exponit. Sulpit. in vita S. Martini Epiſcopi, c. 4. ] Alii tamen *Bigericam* legunt. Vide *Birrus*.

**Bigla**, græce *βίγλα*, excubitor, ſpeculator, vigil: quamvis inter Græcos uſitatum hoc nomen ſit, tamen latinum videtur, eſſe; nam litteram V, latinam in B, Græci non raro pronunciant; unde *Bigla* ſeu potius *Bigil* pro *Vigil* exprimi videtur. In Conſtantinopolitana Civitate officialis erat, qui *Drungarius bigla* dicebatur. Vide *Drungarius*.

**Biglossus**, dictio latino-græca, ideſt, bilinguis: γλῶσσα enim linguam græce ſignificat. [ Sanctæ,

ac

ac venerabilis memoriæ Laurentius Amelphitanæ Sedis Archiepiſcopus, qui potens in litteris, ac bigloſſus græce noverat, & latine. In vita S. Odilonis Abb.

Billicus. Vide *Umbilicus*.

Bima. Vide *Chorus*.

Bimatus. FR. ætas duorum annorum. [ Mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus, a bimatu, & infra. Matth. cap. 2.

Bimyxion, Græce διμύξιον, duorum ellychniorum. [ Lucernam bimyxion obtulit. Anaſt. in Conſtantino Magno. ] Vide *Myxum*.

Biothanatus, ex græcis vocibus βίαιος, ideſt, *vis*, *violentia*, & θάνατος, *mors*, ſignificat eos, qui violenta morte rapiuntur. Tertullianus, cap. 57. de anima. Et in Actis S. Getulii de ſeptem Martyribus, ſic habetur. [ Altera autem die Adrianus præcepit corpora Sanctorum in foveam altam projici, & Pontifices templorum poſuerunt nomen loci illius ad ſeptem Biothanatos. ] Cum enim violenta mors infamis habeatur; Gentiles tamen ignari, quam gloriosum ſit mori pro Christo, hinc vocabant Chriſtianos Martyres per contemptum, & horrorem *Biothanatos*; nam *Biothanati* malefactores ut plurimum intelligi ſolent, utpote violenter extincti; & ideo Eccleſia pro malefactoribus tanquam excommunicatis non orabat. [ Extraneus ab Eccleſiæ ſocietate inter biothanatos reputabitur. Aldel. lib. de Virg. cap. 16. ] Sic de quodam Monacho, qui voluntarie ſe occiderat, Caſſianus ait; [ Vix a Presbytero, & Abbate Paphnutio potuit obtineri, ut non inter biothanatos reputatus, memoria, & oblivio ne pauſantium judicaretur indignus. Collat. 2. cap. 2. ] Nomen autem *Pauſans* eſt Biothanato ſignificationis contrariæ, ac de illo intelligitur, qui in communione Eccleſiæ, & in Domino requieſcit. *Pauſans* enim quieſcens ſonat; unde ab apum examine in D. Ambroſii ore quieſcentis ait Aldelmus. [ Ex improviſo examen apum ora, labraque ſine periculo pauſantis complevit, lib. de Virgin. cap. 13. ] Inde componitur verbum *Pauſito*, ut habetur in Revelationibus S. Methodii Martyris, ubi de occiſione fit ſermo: [ Ab eis manſueti conterentur, & pauſitabunt ſub eis. ] Provenit a græca voce παῦσις, quietem ſignificante, & fit etiam verbum *Pauſo*. Vide ſuo loco, quæ vocabula per translationem, juſtorum mortem denotant, ac quaſi dederit tunc Deus dilectis ſuis ſomnum. Igitur *Biothanatus*, ideſt, violenter extinctus, cum fere nedum in actu, ſed etiam poſt mortem horrorem excitet, ut ſpectra, & phantaſmata repræſententur, ideo per *Biothanatum* phantaſma aliquando intelligitur. [ Sed expellas omnem umbram, omnes machinationes Diaboli, ſive ſpirituum immundorum, ſive biothanatorum, ſive errantium. Exorciſmus pro benedict. Aquæ in Vigil. Epiphan. in quodam M. S. Rituali Abbatiæ Mileti. ] De hoc horrore reddit rationem Tertullianus, loc. cit. cap. 33. inquiens: [ Itaque vocantur Ahori, & Biothanati ſub illo fidei argumento, quod credibile videtur eas potiſſimum animas vim, & injurias facere, quas per vim, & injuriam ſævus, & immaturus finis extorſit, quaſi ad vicem offenſæ Dæmones operentur ſub obtentu earum. ] FR. Vocabularii Eccleſ. Auctor, juxta ſolitum erraticus, hujus nominis ſignificatum debilitat aſſerens bis mortuum denotare; at quis non rideret? Eodem vocabulo uſus eſt Lampridius de *Heliogabalo*, ſic inquiens: [ Et prædictum eidem erat a Sacerdotibus Syris, biothanatum ſe futurum. Paraverat igitur funes blata, & ſerico, & cocco intortos, quibus, ſi neceſſe eſſet, laqueo vitam finiret. Paraverat & gladios aureos, quibus ſe occideret, ſi aliqua vis urgeret. Paraverat & in ceranneis, & hyacinthis, & ſmaragdis venena, quibus ſe interimeret, ſi quid gravius imminеret. Fecerat & altiſſimam turrim, ſubſtratis aureis, gemmatiſque ante tabulis, ex qua ſe præcipitaret; dicens, etiam mortem ſuam pretioſam eſſe debere, & ad ſpeciem luxuriæ, ut diceretur, nemo ſic periſſe. Sed nihil iſta valuerunt. Nam ( ut diximus ) & occiſus eſt per ſcurras &c. ] Miror in hunc locum adnotantem Caſaubonum, virum alias in utroque idiomate tam eruditum, hoc vocabulum *Biothanatus* nedum intellexiſſe, inquiens, quod hæc vox eſt magicæ vanitatis. At quamvis horroris ſit hæc vox; non tamen ex magica vanitate, ſed ex nece violenta; imo erravit non percipiendo latinum Lampridii ſenſum; clare enim ille ſcripſerat, quod, nempe, nequam ille Imperator ex infauſta Sacerdotum Syrorum præmonitione, eum, ſcilicet, *Biothanatum futurum*, ideſt, violenta morte periturum; ideo omnia ſupradicta enumerata ad violentum vitæ finem inſtrumenta Imperator paraverat. De hujus vocabuli ſynonymis. Vide *Apocarteresis*. *Ahori*.

Birota, & *Birotis*, currus cum binis rotis. [ Sanctorum corpora birotis, ideſt, plauſtris ſuperpoſita. Martyrol. Rom. 11. Martii. Et per noctem in birote perduxit ad caſellam ſuam. Ibidem 13. Jun. ] FR. In morte S. Feliculæ inſerta ad vitam SS. Nerei Achillei &c. Martyrum 12. Martii apud Surium, habetur, *In Biroto*.

Biretum, ſeu *Birretum*. Vide *Camelaucium*. *Coſia*. *Cuphia*. Bireti etymon. Vide *Variola*.

Birrus, *Birrum*, & *Burrum*, vox græca πυῤῥός, quæ rubrum colorem ſignificat; unde *Lacernum birrum* exomis tunica Cardinalitia eſt, quæ vulgo *Mozzetta* dicitur. [ Aliquando tamen offeratur mihi birrum pretioſum, forte decet Epiſcopum. Aug. ſer. 50. ] Ac de reverentia Prælatis debita Concilium Gangrenſe ait. [ Si quis amictu pallii utitur, & eos, qui birris utuntur deſpicit, Anathema eſt, c. 12. Exuit birrum inde tunicam, & ſic in linea expectavit ſpiculatorem. In Act. S. Cypriani Martyr. ] FR. Mombritius tamen, qui ex anti-

antiquo Paſſionario in pergameno M. S. in Archivio Lateranenſi conſervato acta Sanctorum deſcripſerat, & tempore Sixti IV. typis mandaverat, ſic de S. Cypriano habet : [ Et ita Cyprianus Epiſcopus, & Martyr ſe lacerno birro, & dalmatica expoliavit, & Diaconibus tradidit, & linea ſtetit, cœpitque ſpiculatorem ſuſtinere. ] Ubi etiam manifeſtatur, quod *Lacernum birrum* ſupra dalmaticam induebatur, quia in ordine primum exuit D. Cyprianus : atque infertur, quod habitus prælatitius habuiſſet ſemper eandem formam, & ordinem, dum per *Lacernum birrum*, quod vulgo *Mozettam*, per Dalmaticam, ſeu Tunicam, quam *Mantellettum*, & lineam, quam *Rocchettum* dicunt, demonſtratur. Item Clericos birro, & lacerna indui uſos fuiſſe Severus Sulpit. dial. 1. cap. 14. teſtatur. Vide *Clericus. Dalmatica.* Vide etiam Baron. An. 261. num. 40. & ſeqq. ||. Idem uſus in Orientali Eccleſia erat ; Palladius enim S. Athanaſium Alexandriæ Epiſcopum cum tunica, & birro diſceſſiſſe ſcribit : & Fortunatus, ubi de S. Germano Pariſienſi Præſule loquitur, *Birrum* hunc *Palliolum* vocat. Romæ ſolus Pontifex fert birrum, ſeu mozettam ſuper lineam, ſive rochettum, ut ajunt, abſque mantelletto, quod per Tunicam, & Dalmaticam intelligi diximus, quod eſt ſignum juriſdictionis : nam cum aliquis domi propriæ moratur, ei non eſt opus mantello uti. Idemque Pontifex in hebdomada in albis, birro albo induitur. Cardinales in Eccleſiis eorum tituli, in Congregationibus habitis in eorum palatiis, ſeu ibidem ſolemniter viſitati, & in Sede Vacante utuntur birro, & rocchetto, abſque mantelletto, quia tunc juriſdictionem exercent. Epiſcopi extra eorum Diœceſim non poſſunt ferre mozettam, excipiuntur tamen Epiſcopi Regulares ; qui in eorum Religione utebantur capucio, & hoc potius ex abuſu ; nam talem facultatem eis conceſſam nullibi apparet. Angelus Rocca in quodam M. S. Bibliothecæ Angelicæ de Urbe poſt longam diſquiſitionem, tandem concludit poſſe Epiſcopum in ſua Diœceſi ferre mozettam coram Legato, ſeu Cardinali, quod Julii II. & Pii II. exemplis confirmat, quos in eorum itinere, Diarii referunt, Epiſcopis in eorum Diœceſibus morantibus uſum mozettæ, & rocchetti mantelletto cooperti conceſſiſſe : affert inſuper Sac. Epiſcopor. & Regul. Congreg. decretum pro Gubernatore Maceratenſi, qui cum eſſet Aſculanus Epiſcopus, ab Ordinario loci impediebatur mozettam deferre; tenor autem Decreti ſub die 8. Decemb. 1579. eſt talis Maceratenſi Epiſcopo directus. [ S' è trattato in Congregazione longamente del dubio, che V. S. aveva: ſe Monſignor d' Aſcoli Governatore di quella provincia poteva portare la mozzetta ſenza pregiudicio della Juriſdizione di lei; e fu preſa riſoluzione di riferrire il tutto a N. Signore, il quale inteſo il fatto propoſtogli, riſpoſe a queſto modo, cioè Monſignor d' Aſcoli porti la mozzetta con il rochetto coperto dal mantelletto, e che V. S. porti il rochetto ſcoperto con la mozzetta, come ſogliono uſare tutt' i Veſcovi nelle Chieſe loro. Sarà bene, che ſi diſponga a credere, che quell'abito non l' è pregiudiciale; ma anco ad acquietarſi affatto coll' animo, ſotto il parere di Sua Beatitudine. ] Contra quam opinionem alii decretum Congreg. Rituum afferunt, ſic: [ Mozetta, ſeu rochettum diſcoopertum non poteſt deferri ab Epiſcopo, præſente Legato Peruſino. 1. Octobr. 1601. ] Habetur inſuper pro affirmativa ſententia exemplum D. Caroli, qui juſſerat ejus ſuffraganeis Epiſcopis, ut coram ipſo deferrent mozettam, eo modo, quo ſupra diximus. FR. Dicendum nihilominus allata ambarum Congregationum Decreta non eſſe inter ſe repugnantia, cum quibus concordant etiam caſus relati de duobus Pontificibus, & D. Caroli: & primo de poſtremis caſibus, ubi mozettæ ab Epiſcopis non delatæ fuerunt, niſi poſt conceſſiones Pontificum, & D. Caroli; nam de jure, & propria auctoritate abſque tali permiſſione utique Epiſcopis illis cum mozetta coram Superioribus non erat licitum incedere, de quo rigore loquitur Rituum Congregatio in relato ejus decreto ; non tamen privare ſuperioris facultatem intelligit, qui urbanitatis gratia, ſeu ob aliam gratificationem inferiori Epiſcopo concedere facultatem minime poſſet, deferendi, nempe, in ejus præſentia inſignia, de quibus agitur. Circa vero Sac. Congreg. Epiſcop. reſcriptum, dicendum etiam eſt, quod cum deciſio illa ſaperet gratiam pro Gubernatore Maceratenſi, & cum hujuſmodi gratiæ ſoli Papæ ſint reſervatæ : ideo optime illa cenſuit, facto prius verbo cum Sanctiſſimo, reſcribere, cujus tenor, licet modeſtiſſimus, manifeſtat nihilominus, ſic cenſuiſſe Pontificis Beatitudinem, quod idem eſt, ac jubere. Inſuper verba illa : *Quell' abito non l' è pregiudiciale*, ponderanda ſunt ; nam Maceratenſis Epiſcopus deferebat rochettum diſcoopertum in ſignum juriſdictionis, quod Gubernatori non erat conceſſum. Cæterum ad prædictorum corroborationem duos actus in praxi vidi in Melita ; primum Fabii Chiſij, qui poſtea Alexander VII. in Papam appellatus eſt (ſanctæ, & gratæ memoriæ) erat ille tunc Neritonenſis Epiſcopus & Melitæ Delegatus Apoſtolicus, in quo inter cæteras dotes ſumma modeſtia emicabat, ob quam, licet haberet Breve favorabile deferendi mozettam extra ſuam Diœceſim ; voluit nihilominus ab Epiſcopo loci, ſine tamen participatione Brevis, hanc permiſſionem obtinere ; cui cum loci Ordinarius in hoc durum ſe præbuiſſet, tunc de facultate ſibi a Pontifice conceſſa eum Fabius notificavit : unde colligitur, quod gratiæ in exemplum non ſunt adducendæ, ſicut fuit illa etiam Gubernatori Moceratenſi ex voluntate Pontificis largita. Secundus caſus acciderat bo: me: Cardinali Trivultio etiam in Melita, ad quem prima vice obſequii gratia accedens loci Epiſcopus, quem ſtatim, ac ſine mozetta Cardinalis reſpexerat, juſſit, ut domum

ad eam deferendam mitteret; ac ea delata ſuis manibus urbaniter Epiſcopum induit, cum qua poſtea ſemper in Eminentiſſimi præſentia continuavit; ex quo etiam colligitur ſecundo, quòd continuata comparitio inferioris Epiſcopi coram ſuperiore poſt ejus permiſſionem (ſicut fuit hæc mox relata, & illæ aliæ coram Julio II. Pio II. & Sancto Carolo ſupra ex citato Rocca adductæ) non ideo præſcribitur, quod actus reverentiæ coram digniori non ſit ſemper exhibendus, quoties novus caſus evenerit: ſicut perperam Angelus Rocca ſupra aſſeruit, quod Epiſcopi omnes poſſint ſemper extra eorum juriſdictiones, & in ſuperiorum præſentia deferre mozettam, ex eo quia ſemel, vel bis ex permiſſione pro illis tantum vicibus, aliquibus particularibus Epiſcopis conceſſum fuerat; reverentiæ enim actus ſemper ſuperiori exhibendus eſt, eorum urbanitatis exceſſu non obſtante, & a particulari ad univerſale non valet illatio. ·||: Color violaceus veſtimentorum in Prælatis antiquiſſimus eſt, imo eodem colore Eccleſiaſtici omnes utebantur, ad inſtar Pontificis familiarium in præſenti, caudatariorum Cardinalium, & Clericorum in Epiſcopalibus Seminariis, qui color fertur ob reverentialem conſimilitudinem veſtis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, quæ, ut Nonnus ſuper textum D. Joannis cap. 19. refert, *οἴνωπα* erat, ideſt, *vinacei coloris*, inter rubidum, & violaceum trahentis; ſic Plinius lib. 5. cap. 6. violaceum vinum in ſpecie appellat. In Monaſterio Carthuſianorum ſub titulo S. Mariæ de Arriago Diœceſis Valliſoleti venerabiliter particula ejuſdem ſacræ veſtis conſervatur, Henrico Caſtellæ Regi ab Emanuele Paleologo Græcorum Imperatore dono miſſa cum præclara græco idiomate authentica bulla, ac in latinum traducta, ubi Interpres agens de ejus colore vertit, color blavus, ideſt, cæruleus; Valentiæ quoque particula præfatæ veſtis, & coloris reperitur. Scherlog. tom. 3. in cap. 5. Canticæ. Vide *Bigerrica*.

BISACUTUM, bipennis, ſecuris utrinque habens aciem; [Ut ſarculum ſibi cum biſacuto, & frumento deferret. In vita S. Anton. Abb.] Vide *Franciſca*.

BISANTINUS. FR. moneta. [Quod cum G. Clericus ei duos biſantinos nomine Eccleſiæ de ſtatera ſe annuatim ſoluturum. De Jurejurando, cap. 10.] *De ſtatera*, id eſt, juſti ponderis. Ex quo colligitur monetam auream fuiſſe.

BISOMATOS, vox latino-greca, quæ adhuc in multis ſepulchralibus lapidibus legitur, ac denotat, quod in tumulo illo duo corpora continentur, nam *σῶμα* græce corpus ſignificat; ſic etiam *Triſomatos* in aliis epitaphiis legitur, ideſt, trium corporum. Vide *Diſomum*.

BISSACIUS, bulgæ, ideſt, bis ſaccus. [Quæ ſcrinia in quadam pochia, ſeu biſſacio. In vita Venerab. Mariæ de Miliaco 28. Mart.] Vide *Pochia*. *Scrippum*. *Sitarchia*.

BISSEXTUS, Annus biſſextilis, in quo unicus dies in Februarii menſe intercalatur; ideo ſic appellatur; nam in eo menſe tunc dicitur *Bis Sexto Kalendas*, quæ additio in quolibet quadriennio incluſive fit; nam *Julianus annus* CCCLXV. dierum, & VI. horarum ſpatio conſtat, quæ horæ in quolibet quadriennio integrum diem componunt; ſed quia illæ ſex horæ integræ non ſunt, deficiunt enim minuta undecim, conſequenter ſpatio CXXXI. annorum faciunt ſummam integri diei; ideo in Kalendario Gregoriano ordinatur, quod in quatuor ſæculorum curſu ter biſſextus relinquatur. Itaque cum in anno MDC. occurrerit intercalatio biſſexti, hinc tria ſequentia ſæcula, nimirum MDCC. MDCCC. & MCM. in eis biſſexti non erunt, bene tamen in ſæculo MM. FR. de Biſſexti inſtitutione. Vide Gloſſ. in Clement. de Reliquiis, & veneratione Sanctorum, §. Certam diem.

BISULCA. Vide *Ungula*.

BITERVUM. FR. Viterbium Etruriæ Civitas. [Apud Civitatem Bitervum advenit. Falco Benevent. in Chron. ad ann. 1137.

BITHALASSUS, latino-græcum, nam græce proprie *διθάλασσος* dicitur, & latine *Bimaris*. Metaphorice tamen pro mente hinc inde agitata accipitur. [Noli ergo tu te ipſe tibi bithalaſſum dubietatis, ac duplicitatis in corde tuo miſcere. Fulbert. Carnot. epiſt. 27.] Vide *Dithalaſſus*.

BIZANTHEUS. Vide *Janthinus*.

BIZOCHI. Vide *Beguardi*.

BLACHERNAE, *βλαχέρναι*. Conſtantinopolis ſuburbium, ubi ſumptuoſiſſimum B. M. V. Templum erat, a Leone Imper. ædificatum, dicebatur *ἐν βλαχέρναις*. Vide *Viſitatio B. M. V.*

BLADUM, ſeges, italice *biada*. [Quemadmodum ſi triticum, aut aliquam bladi ſpeciem cernas in cribro. Chryſoſt. hom. 38. in cap. 21. Matth.] Reperitur etiam verbum *Imblado*, ideſt, ſegetes ſero. Et *Imbladatus* pro ſeminata ſegete. FR. In Actis Innocentii III. *Bladum* frumentaria menſura ſignificat, ibi enim narratur, quod in penuriæ tempore de anno 1202. vendebatur frumenti bladum viginti, ac etiam triginta ſolidis. Item ſignificat frumentum ex gallica voce *Blad*. [Ne Prælatis, aut Clericis, ſeu Perſonis Eccleſiaſticis &c. neque ipſis bladum molant, coquant panem, de Immun. in ſexto cap. 5.] Vide *Blava*.

BLASPHEMIA, *βλασφημία*, detractio famæ; hodie tamen apud Chriſtianos impia loquela contra Deum, & Sanctos ejus ſignificat. FR. [Si quis per capillum, vel caput Dei juraverit, vel alio modo blaſphemia contra Deum uſus fuerit, can. ſi quis per capillum, 22. quæſt. 1.] Reperitur etiam *Blaſphemium* in eodem ſenſu.

BLATIN. Vide *Blattum*.

BLATO, *is*, inſipienter, & varie loquor. Tertull. de Pallio.

H 2 BLAT-

Blattum, & *Blatta*, ſeu *Blatin*, purpura, *βλάττιον* græce Conchylii os ſignificat. [ Vela ſerica ornata blatto circumquaque pendentia. Anaſt. in Gregorio III. ] Unde formatur adjectivi nomen *Blatteus*, ideſt, purpureus. [ In Baſilica S. Martini tunica blattea indutus eſt. Gregor. Turon. lib. 2. hiſt. ca. 38. ] Vide *Cryſoclavus*. *Triblatton*. *Pallium*. *Drappus*. *Fundatum*.

Blava. FR. Seges. Italice *Bladum*, dicitur: [ Domina Mathilda &c. abſtulit totam biavam unius anni hominibus illis. Bullar. Caſin. tom. 2. Conſt. 123.] Vide *Bladum*, & *Blavus* in dict. *Birrus*.

Blavius, luridus. [ Accidit ei color alienus, ac blavius jam aſtantibus apparuit. In vita S. Catharinæ Suec. ] Ex Teutonica voce *Blauve*, quæ proprie cæruleum colorem indicat. Vide *Blavus*, in dict. *Birrus*.

Blavus, color in Chriſti veſtimento, vide *Birrus*. *Blavius*.

Bluto. FR. ſpolio, evacuo. [ Si caſam cujuſcunque blutaverit, aut res eorum tulerit. In legibus Longobard. lib. 1. tit. 18. l. 1. Blutare caſam. ibidem tit. 8. l. 1.

Blemus. FR. Æthiops. [ Et frequentibus adverſus Blembos expeditionibus quædam eremi contigiſſet. Sulpit. Dialog. 1. c. 15. ] S. Jo. Chryſoſt. *βλεμμύες* vocat, & Palladius. [ Blemmyorum, ſive Æthiopum Epiſcopum ſervari prope locum, qui Syrene vocatur. Ita appellati a *Blemo* quoddam, qui in illis regionibus cum Dionyſio militavit. De his populis fabuloſe dicitur acephalos eſſe, & habere oculos in pectore: hinc Melitenſes *Blembum* vocant ſemifatuum, & ineptum, ac ſi oculos in mente non habentem.

Boanerges. FR. Syriaca vox, nam Hebraice teſte Hieronymo, *Benearche* dicitur. [ Et Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem Jacobi, & impoſuit eis nomen Boanerges, quod eſt filii tonitrui. Marc. cap. 3. num. 17. ] Aliqui *Boanerges* pronunciandum malunt; lingua enim Hebræorum poſt Babylonicæ captivitatis reditum Syriaca, ſeu Chaldaica commixta fuit; & Chriſtus Dominus eodem modo loquebatur, ut paſſim ex Evangeliis colligitur. Itaque filii tonitrui dicti ſunt hi duo fratres, ideſt, tonantes, ſicut *Filius pacis* in Sacra Scriptura pro pacifico ſumitur; ſeu ut Baronius an. 32 notavit *filium tonitrui* fulmen eſſe, ſicut *filius pharetræ* ſagittas intellexerat Jeremias; ita fulmina cognominavit Jacobum, & Joannem Chriſtus. Auctor autem Vocab. Eccleſiaſt. *Boanerges* filium Dei interpretatur, ignarum tamen nedum hebrææ linguæ, ſed & latinæ ſe demonſtrat, dum Marci textum ſatis clarum non intellexerat.

Bochetura. FR. impedimentum tranſitus. Gloſſ. in l. ſi quis roborem. De Damno, & Injuria.

Boethus, ſupplementum, auxilium: ſic vocabatur ille, qui in officio pro aliquo infirmitate detento ſuffectus erat; vox quidem græca *βοηθὸς*, de qua in civilibus legibus fit mentio.

Boga. Vide *Boja*.

Boja, vinculi genus, ligni, ſeu ferri, Feſtus, & Plautus in Capt. act. 4. ſcen. 1. Aſin. act. 3. ſcen. 2. quod Martyrum collo jungebatur, de quo in Adonis Martyrol. habetur: [ Tolle bojam de collo meo, & impone ei. In S. Alexandro Papa. ] FR. Hæc reliquia venerabiliter Caroli Magni juſſu in Eccleſia Sancti Salvatoris, prope S. Petrum in Vaticano, collocata fuit. [ Et bojam de collo Alexandri V. Papæ, & de capillis ejus, quantum pugillo capere poteſt. In Diploma ejuſdem Caroli apud Torrigium de Crypt. Vatican. ſecunda impreſs. pag. 513. ] Appellatus eſt Alexander Quintus, quia quintus poſt Sanctum Petrum in cathedra ſedit. Vide Microlog. cap. 46. & Marſilium Columnam de Aqua benedicta. Alii tamen *Bogam* ſcribunt. [ Cui Alexander ait: noli filia has meas oſculari catenas, ſed bogas Sancti Petri diligenter inquire, quas devote oſculans, recipies ſanitatem. Quirinus igitur, ubi Petrus detentus fuerat in carcere, bogas diligenter inquiri fecit, eaſque cum inveniſſet, filiæ ſuæ oſculandas dedit, illa mox ut oſculata eſt vincula; ſanitatis eſt integre beneficium aſſecuta. Apud Mombritium de S. Petro ad Vincula. tom. 2. ] :||:

Carcer illigato duris
Colla boys impedit.
Prudentius.

Ethymon hujus vocis a bove deductum, ex ejus, ſcilicet, jugi ſimilitudine; unde *Imbojatus* dicebatur, qui ſub hoc vinculo ad inſtar bovum, obſtrictus erat, ſicut in vita S. Theodori Papæ tom. 2. Conciliorum legitur. Aliquando tamen metaphorice *Stola* intelligitur. Vide *Calliſtrigialis*. Item, pro *Faſcia* accipitur, quæ in principaliſſimis, & liberis Civitatibus in ſignum gubernandi jugi, Magiſtratus ſibi ſuper humeros imponit. In Sicilia Eccleſiaſtici DD. ſuper cottam, ſeu rochettum ad modum ſtolæ nigri coloris deferunt, quæ græco vocabulo *γύη*, ideſt, *Sulcus* appellatur. In Melita tamen ſolis Theologis ſuperimponitur. Vide *Taraga*. Legi in quibuſdam M. SS. antiquis, in primordio Equites de Alcantara tuliſſe aliquas faſcias latas ex panno, quas caſtellano idiomate *Chias* appellabant, Itali autem a ſtrangulando *Boja* appellant carnificem. Vide *Imbojo*.

Bolluca. FR. fructus ſylveſtris ſpecies. [ Parvulorum pomorum, quæ Eremus illa ferebat, quæ etiam bollucas vulgo appellant, veſcebatur. In vita S. Columbani Abb. ] Fortaſſe Glans erat, quæ græce *βάλανος*, hiſpanice *Bellota*. Et in Melita *Ballud* dicitur; atque Latini generice *Balanum*, unde *Myrobalanum Baluſtum* dicunt.

Bombarda. Vide *Zarabotana*.

Bombizo, a bombo, ſuſurro, de apibus proprie dicitur. Cæſarius lib. 9. mirac. cap. 8. Etiam reperitur græce *βομβίζω*.

Bom-

Bombus. FR. non tantum de apibus, ſed de echo, & armonia quoque dicitur. Prudentius de Natura Animæ.

Concipit, aut ille eſt preſſo modulamine parcus,
Aut tumidum largo ſublimat flamine bombum.

Bomolochia, βωμολοχία, Eſt ſcurrilitas, vitium diametraliter eutrapeliæ oppoſitum, & jocus ſcurrilis ab Ariſtotele vocatur.

* ΒΩΜΟΛΟΚΙ΄Α. Turpitudo verborum & ſcurrilis dicacitas Conc. Carth. 4. c. 60. ſic invisa ut Clericos ſcurriles & verbis turpibus joculares ab officio retrahendos ſtatuerit.

Bonæ memoriæ. FR. vel *Felicis Recordationis*. Defunctorum epithetum, quod Papæ, Epiſcopo, Presbytero, & Diacono Cardinali vita functis ſolum convenit, cæteris improprie tribuitur; Regibus vero, ac Principibus *Claræ*, ſeu *Inclitæ Memoriæ*, Imperatoribus olim *Divæ Memoriæ* dicebatur, Gloſſ. in Extrav. de Schiſmaticis; titulus autem *Divæ Memoriæ* Imperatoribus defunctis dabatur ab ipſiſmet Pontificibus. can. placuit huic ſanctæ. 16. quæſt. 3. S. Maximus Martyr Imperatorem Heraclium jam mortuum *Piæ Memoriæ* appellavit, non quia illum pro catholico pronunciare voluiſſet; ſed quia tunc erat in uſu Imperatores non publice de hæreſi damnatos pios appellare. Vide Baronium An. 640. n. 10.

Bonaventura. FR. græce *Eutychius* dicitur; ita Latinius in ejus Correct. in Trithem. §. *Euſachius*.

Bongomili. FR. Hæretici, quorum blaſphemias refert Euthimius apud Baron. An. 1118. n. 27. quorum Auctor quidam Baſilius Medicus fuerat. Ibidem. Apud Myſios *Bongomilus* miſericordiam Dei implorantem ſignificat.

Bonisculus. FR. diminutivum a bono. [ Quod eos boniſculis parentum ( ſicut aſſerit ) reliquit extorres. can. Irreligioſum. diſt. 87.

Bononia, Italiæ Civitas. FR. ejus etymon, ac ſtudia, Vide Gloſſ. in Clementin. de Magiſtris. c. Inter. §. Bononia. Ex ea Academia inceptum fuit An. Dom. a Nativitate ejuſdem numerari. Vide *Æra*.

Bonosiani. FR. Hæretici Bonoſi Epiſcopi Diſcipuli; contendebant Chriſtum non verum, ſed adoptivum filium Dei eſſe. 24. qu. 3. can. 39. Et cum Circumcellionibus, ſeu Scotopicis conveniebant. Ibidem.

Booz, robur, & fortitudo. Vide *Dextra*.

Borboritæ, Βορβοριταί. Hæretica ſecta ex Gnoſticis, qui, teſte Auguſtino, ex ſordidis eorum actibus tale nomen meruerunt; βόρβορος enim græce lutum ſignificat.

Bordinatus. FR. erant quindecim Eccleſiaſtici ultramontani a Carolo Magno in Eccleſia S. Salvatoris prope S. Petrum in Vaticano erecti, qui *Guidones*, ſeu *Duces* dicebantur. Vide *Guido*; nam inter alias obligationes ad ſancta Urbis loca Peregrinos conducere tenebantur. [ Itaque ſtabili juſſu decrevit noſtra Auctoritas in prædicta Eccleſia tres presbyteros, & duodecim clericos ſcholaſticos, litteras ſcientibus, tonſis comis miniſtrent illi cum presbyteris ibidem Deo famulantibus. Sicque de Regnis noſtris colligimus quatuor per trium partium in figura Sanctæ Trinitatis, & quatuor Evangeliſtarum. Sic in honore duodecim Apoſtolorum eligimus quatuor de Francia, & quatuor de Aquitania, quatuor de Gallia, ut ibi ſerviant Deo &c. ) Et mox eorum obligationes declarat, ſcilicet: [ Colligant fratres peregrinos, qui migraturi ſunt in ipſis partibus Romæ &c. Vocatur denique Prior ſcholæ &c. Ut ubicunque in iſtis partibus de ultramontanis partibus, ſi caſu accidit migrandi, inquirant, ut ſepeliant, deducendum ad jam dictam Eccleſiam &c. Ut per Bordinatis, qui fuerint in ipſis locis prædictis, per ipſorum nunciorum manus deſtinentur ducendis in jam prænotato loco, ſicut noſtra præceptali ſanctione decrevit juſſio, atque ibi ſervientibus nulla impediatur cauſa neceſſitatis. Præcipientes præcipimus commorantibus ibidem, alium ſervitium exhibeant Deo & noſtræ Serenitati. Idcirco, quoſcunque cauſa orationis de ultramontanis partibus venerint, ipſi ſint ductores eorum ad orandum per limina Sanctorum. De allata munera, quod datur pro unaquaque Eccleſia, quos pro eorum ductiones mittuntur, ut duas partes prædictis Eccleſiis detur; tertiam vero ipſi Ductores accipiant. Tantummodo hac prænotatione veteri Scholaſtici, una cum presbyteris ſupradictæ Eccleſiæ S. Salvatoris de Regnis Franciæ, & Aquitaniæ, ſeu Burgundionis, Alemania, & aliis numeroſis regionibus, ut de Saxia, Friſia, omnibus aliis regionibus ipſi ducant oratores, & hoſpitent, ſepeliant omnes &c. Diploma Caroli Magni apud Torrigium de Crypt. Vatic. Secunda impreſſ. pag. 503. & ſeqq.

Borith, herbæ ſpecies, qua lana purgatur, & maculæ derterguntur. [ Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua. Jerem. cap. 2. ] FR. *Lanariam* hanc herbam vocat Plinius, vulgariter *Saponaria*; Romæ *Riſculi*, ſeu *Barba di Becco* dicitur, ibique cocta comeditur; at cruda inter digitos trita cutis aſpritudinem detergit, levatque eodem modo, quo ſapo facit: in oriente ejus cinere ſaponem fabricant, ideo *Saponara* in Sicilia vocatur: ejus forma ad inſtar equinæ caudæ eſt.

Borma. Vide *Steura*.

Bosci, Βόσκοι, Eremitarum genus. Vide *Laura*.

Bosor. FR. dictio hebraica, & craneum, ſive in tribulatione poſitum ſignificat. can. ſicuti ſunt. 2. quæſt. 7.

Bostaria, bovinum ſtabulum. In hiſt. Matth. Pariſ.

Bota, ocrearum genus. [ Converſi in grangiis botas non habeant. Conſtit. Ciſtercien. cap. 19. ] a verbo gallico. *Botte*. FR. [ Æſtivalibus largis, aut botis altis pro calciamentis utantur. Clementina de Statu Monach. cap. 1. ] Ibi Gloſſa. [ Æſtivalibus in vulgari vocamus ſtivali, & ſunt calceamenta corii, quibus in æſtate utor, & optima fiunt apud Sanctum Se-

verinum. Botis altis, quæ capiunt ſupra talos, & aliquid de crure, & ligantur quandoque, & hos vocat infra ſutilares corrigiatos.] Vide *Sutilares*.

Botanomantia, βοτανομαντεία, divinatio per herbam; a dictione Græca βοτάνη, herba, & μαντεία, divinatio. In hac divinationis ſpecie Circen, & Medeam ferunt excelluiſſe. Sed has potius ad magiam, quam ad divinationem herbis uſas fuiſſe crediderim. Fateor tamen, etiam herbis, ſicut aere, igne, terra, & aliis ſimilibus, divinationem perfici poſſe. Sic botanomantia ad primum, vel ſecundum divinationis genus, prout de pyromantia, geomantia, & aliis dicetur, reducenda eſt.

Botrio, botrus, græce βότρυς, racemus uvarum, & aliquando aliorum fructuum. [ Bene autem culta juſtitia Dei generat botrionem, ideſt Chriſtum, Chryſ. hom. 34. in cap. 20. Matth.] Sic in ſacro Epithalamio, cant. 1. 3. dicitur, *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*. Septuaginta quoque legunt βότρυς τῆς κύπρυ, ideſt, *botrus Cypri*: & Textus Hebraicus *eſecòl haccòpher*, quaſi diceret botrus *còpher*, quod multi nomen proprium opinantur alicujus loci. Alias per Cyprum multi aliquam arborem odoratam intelligunt, quæ *còpher* hebraice dicatur: & ut ait Tirinus, poteſt intelligi balſamum, arbor inſtar vitis, quæ odoris præſtantiſſimi botros producit. Aut certe arbor alia interpretanda, quæ latine liguſtrum, floſculos germinans odoratiſſimos in botros efformatos. Utraque arbor in vineis Engaddi frequens viſitur, in amœna illa regione prope lacum Aſphaltitem.

Bosphorus, βόσφορος, a βοῦς, & φέρω, fero. Alii dicunt βόσπορος, a bos, & πράω, tranſeo, trajicio, aut πόρος, tranſitus, ita ut tranſitum bovis ſonet, ut Plinius lib. 6. cap. 1. obſervat. Sic vocatur ante Conſtantinopolim illa pars maris, ita coanguſtata ut vix dimidium milliaris in latitudine ſuperet, & Boſphorus Thracius appellata. Ubi ferunt fabulæ Io Inachi filiam, in vaccam commutatam, in Aſiam pertranſiſſe, & inde nomen ſinum illum accepiſſe. Eſt alius Boſphorus dictus Cimmerius, a Cimmeriis populis, per quem palus Mœotica in Pontum fluit. De quo autem Boſphoro agat Scriptura, ſatis dubium eſt, dum ait Propheta Abdias V. 20. *Tranſmigratio Jeruſalem, quæ in Boſphoro eſt poſſidebit civitates Auſtri*. Septuaginta legunt *Tranſmigratio Jeruſalem* (ἕως Εὐφραθὰ) *uſque ad Euphrata. Et poſſidebunt Auſtrum*. Textus vero hebraicus ſic habet, *Tranſmigratio Jeruſalem quæ eſt in Sepharàd* (*Biſpharàd*), *poſſidebit civitates Meridiei*, ſeu *Auſtri*. In his Textibus nulla Boſphori mentio: imo *Sepharàd* Hiſpania paſſim intelligitur, uti etiam nunc ab Hebræis vocatur. Sed noſtro Textui vulgato inhærendo; loquitur de Judæis, a variis Principibus e ſua patria in alias regiones transmigrare juſſis. Et aliqui Boſphorum Thracium, ut S. Hieronymus, & Rabbini, interpretantur: quibus ſubſcribit Emmanuel Sà, explicans de illo *prope Conſtantinopolim, quo partem Judæorum ajunt Hebræi eſſe translatam a Chaldæis*. Alii Boſphorum Cimmerium intelligunt, ubi terminus erat imperii Chaldaici: & plurimi etiam accipiunt pro illo maris ſinu inter Hiſpaniam & Africam, cui ſententiæ Cornelius a Lapide ſuffragatur.

Bottonata Vestis, FR. quæ orbiculis veſtiariis nexa eſt. Clement. de Statu Monach. cap. 1. ex italico *Bottoni*.

Botulus, inter Latinos lucanica intelligitur communiter; ſed apud Tertullianum ſanguinem in cibum aptatum ſignificat. [ Denique inter tentamenta Chriſtianorum botulos etiam cruore diſtentos admovetis. In Apolog. adverſ. Gent.] In illis enim primis ſæculis abſtinebantur Chriſtiani a ſanguinis commiſtione, ſicut uſque ad præſens Chriſtiani Orientales obſervant, juxta Apoſtolicam abſtinentiæ a ſuffocatis admonitionem. Vide *Suffocatus*.

Bozanarius. FR. plauſtrarius. [ Epiſcopo bozanarium expectanti deferunt, & integra omnia, & ſana oſtendunt. Junius de mirac. S. Galli cap. 5.

Bracheriolum. Faſcia ex ferro, ſeu alterius materiæ ad ſuſtentanda inteſtina, ſeu alium vitioſum humorem in teſticulorum ſacculum deſcenſum, quod *Succingulum lumbare*, & *Fulcrum enterocelicum* latine dicitur. [ Sic tumore magno in teſticulis gravabatur, quod ſine bracheriolo manere non poterat. In vita B. Juſtinæ.] Nomen diminutivum fortaſſe a longobarda voce *Brak* derivatum, quæ rupturam ſignificat. Italice etiam *Braghiero* hæc faſcia vocatur.

Brachialia, manicæ cera circumlinitæ, quibus in Sabbato Sancto Pontifex baptizando utebatur, ne paramenta ſacra inficeret, quia tunc immerſione baptizabatur. [ Hoc facto, revertitur ad eandem Eccleſiam, ibique exuit ſe pallio, & planeta, induit brachialia cerata, & revertitur ad fontes, & baptizat tres pueros. Cæremon. M. S. Cencii Camerar.] Etiam nunc Græci in qualibet ſacra functione induuntur ſemibrachialibus non ceratis, ſed ſericis, & compte ornatis.

Brachmarum. FR. gladii genus. [ Nullus quoque per viam portare præſumat venabulum, enſem, brachmarum, aut hujuſmodi gladios invaſivos. Hiſtor. Ciſtercien. 3. part. cap. 4.

Brabium. Vide *Bravium*.

Bracile, cingulum monachale. [ Cingulum, quod vulgo bracile vocatur, inter manus trahentium invenit, & monaſterii veſtiario detulit. In vita S. Germani Abb. & Mart.

Bractea. FR. Lamina; ſed Laurentius Valla de ſubtili lamina intelligit. Ovid. 3. triſt.

Aſpice, quam tenuis bractea ligna tegat.

[ Auri laminæ, ideſt, bracteæ, mira tenuitate tundantur, Hieronymus in epiſt. ad Fabiolam: Superhumerale, &c. inciditque bracteas aureas, extenuavitque in fila, ut poſſent torqueri cum priorum

colo-

colorum ſubtegmine. Exod. 39. 3.] Ubi dictio *ſubtegmine* trama intelligitur. Sic Ulpianus dixit, quod: [ Purpuræ appellatione omnis generis purpuram, & ſubtegmen factum contineri nemo dubitat. l. ſi cui lana, de legat. 3. ad calcem.] Vide *Charta*.

BRAIDA, & *Brayda*. FR. Poſſeſſio, territorium. In legibus Longobard. & Bullar. Caſin, to.2. Conſtitut. 10. 17. 73. 120. 154. 164. Dicitur etiam *Bradia*. ibidem Conſtit. 138.

BRAMOSUS. Vide *Brumoſus*.

BRANDERASII. Vide *Banderaſius*.

BRANDEUM, velum ad ſacras Reliquias devotionis cauſa applicatum; priſcis enim temporibus Pontifices extractionem Reliquiarum non permittebant ab Urbe [ Cognoſcat autem Domina, quia Romanis conſuetudo non eſt, quando Sanctorum Reliquias dant ut quidquam tangere præſumant de copore; ſed tantummodo in pyxide brandeum mittitur, atque ad ſacratiſſima corpora Sanctorum ponitur. D.Greg. epiſt. 30. lib. 3. ad Conſtantinam Aug.] Ubi idem S. Pontifex teſtatur, quod S. Leo Papa ob incredulitatem aliquorum Græcorum, brandeum, ad corpus S. Petri impoſitum, coram ipſis incidit, ex qua inciſione ſanguis emanavit. FR. quod etiam a D. Antonino Florentiæ Archiepiſc. cap. 1. tit. 11. & a S. Germano in epiſt. ad Hormiſdam Papam lib.1.epiſt. Pontificum pag. 524. refertur. Atque Torrigius de Cryptis Vatican. impreſs. ſecunda part. 2. cap. 4. ſimile miraculum eidem D. Gregorio eveniſſe narrat, & affert inſcriptionem in marmore adhuc extantem, his verbis: [ S. Gregorius brandei particulam ſuper Altare B. Petri poſitam cultello pupugit, cujus punctione ſanguis protinus emanavit.] :||: Dicitur etiam idem Brandeum, *Sanctuarium*, *Sudarium*, *Velum*, *Orarium*. Item *Prandeum* apud Landulphum pro faſcia, & linteolo uſurpatur. [ Habebat comas prolixas valde, atque perplexas, vinctas prandeis.] Iſidorus per Brandeum zonam intelligit. Tandem pro corporali, ſeu aliquo ſimili. [ Et ſic brandeum Altaris, quo conſecratum corpus Domini involverat, particulatim dividebat. Sigiber. in Chron.] Vide *Banderaſii*. *Velamen*. *Palliolum*. *Patrocinium*. *Umbilicus*.

BRASIUM, cerviſia, ſicera, potio inter Ultramontanos uſitatiſſima; a verbo gallico *Braſſer*, quod coquere cerviſiam denotat, ſive a verbo βράσσω, ideſt, ferveo, ebullio. Vide *Braxo*.

BRAVIUM, Βραβεῖον, præmium; ſed communiter pro palæſtrico præmio ſumitur. [ Omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium, 1. Corinth. 9.] Tertullianus vero, græcam ortographiam ſequutus, in cap. 3. ad Matth. *Brabium* ſcripſerat.

BRAXO, ex græco βράσσω, ideſt, ebullio, ut dictum eſt in dict. *Braſium*. Hic tamen cerviſiam coquere ſignificat. [ Mulier quædam, quæ Eccleſiæ Apoſtolorum pro ſua mercede braxare conſueverat. Cæſarius de militia cap. 62.] Item *Braxatrix* dicitur mulier, quæ talem artem exercet. [ Mira fides fœminæ, mira & virtus Apoſtolorum, qui propriam Eccleſiam ex parte concremare permiſerunt, braxatricis domum in mediis flammis poſitam, non ſine admiratione multorum, illæſam ſervare curaverunt. Ibidem.

BRENNIUM. Furſur, ex *Bran* Saxonica voce. [ Exceptis brennio, & duobus panibus. Matth. Pariſ. in Hiſtor.

BREPHOTROPHIUM, græce, βρεφοτροφεῖον, locus pro infantium educatione. FR. C. de Sacroſancta Eccleſ. l. ſancimus 2. cujus verba etiam regiſtrantur in 23. q. 8. can. 21. ſcilicet; [ Sancimus res ad venerabiles Eccleſias, vel Xenones, vel Monaſteria, vel Ptochotrophia, vel Brephotrophia, vel Orphanotrophia, vel Gerontocomia, vel ſi quod eſt aliud tale conſortium, &c.] ibi Gloſſ. [ Xenones, Xenodochium, eſt locus venerabilis, ubi pauperes peregrini recipiuntur. Ptochotrophium, eſt locus, ubi pauperes paſcuntur. Gerontocomium, eſt locus, ubi ſenes, & valetudinarii, & propter ſenectutem ſolam infirmi homines curantur. Orphanotrophium, eſt locus venerabilis, in quo pueri parentibus orbati paſcuntur. Brephotrophium, in quo infantes pauperum aluntur.] Ac alia Gloſſa hoc diſtico breviter ſupradicta explicat.

Paſcitur in Brepho, Geron, Orpha, Noſo, Xenoque,
Infirmus, vetulus, puer, infans, & peregrinus.

Vide *Noſocomium*. *Orphanotrophium*. *Xenodochium*. *Curotrophium*. *Urephotrophium*.

BREVE, Apoſtolica Epiſtola, vel quia breviori ſtylo formatur, vel a germanico vocabulo *Brief*, quod epiſtolam ſignificat. Dicebatur etiam *Brevigerulus*, *Breviculum*, & *Breviarium*. Atque *Pitacium*. Penes Optatum Milev. lib. 1. ſignificat mobilium, & ſtabilium inventarium. [ Brevis auri, & argenti ſedenti Cæcilio, ſicut delegatum fuerat, a Manſurio traditur.] FR. [ Ex quibus Abbas brevem teneat. In Regula S. Benedicti.] :||: [ Ut tam miniſteria Eccleſiarum, quam etiam uſuale argentum, vel quidquid aliud eſt, idem brevis a vobis conſcriptus veraciter rerum facta inſpectione contineat. D. Greg. in Regiſt. lib. 2. cap. 80.] Unde componitur verbum *Imbrevio*, ideſt, inventarium conficio, FR. *Breve* tamen in Synod. Carthag. can. 37. dicitur *Breve capitum*. Quod penes Græcos uſitatum invenies, ſed Theodorus Balſamon a Latinis deſumptum fuiſſe hunc modum dicendi demonſtrat, & commemoratorium vocat. [ Senioribus commendavit commemoratorio facto.] :||: Et ante ipſum Optatus Milev. D. Aug. D. Greg. eodem vocabulo in eadem ſignificatione uſi ſunt: Caſſiodorus tamen per commemoratorium, regium mandatum intelligit; Lampridius vero matriculam, in qua nomina regiſtrantur; eodemque ſignificatu in Juſtiniani Cod. l. inter

chartulas, de Conven. fiſci debit. Vide *Commemoratorium*. Primarius in brevium officio Protonotarius Abbreviator dicebatur. Vide *Abbreviator. Matricula. Capibrevium*.

BREVIARIUM, liber, in quo pſalmodia, ſeu horæ canonicæ continentur; breve enim Sacræ Scripturæ compendium eſt. FR. In Decretali lib. 3. tit. 21. cap. 3. Alexander IV. quendam Presbyterum, qui calicem, & medietatem Breviarii Eccleſiæ pignoraverat, ad reſtitutionem obligavit; unde, cum veriſimile non ſit, quod rem tam minimam, medietatem, nempe, Breviarii, reſtituere obligetur; ideo credibile eſt, quod per hanc medietatem Breviarii aliquid aliud majoris momenti intellexerit Pontifex ille; non vero de Breviario in quo Officium recitatur. :||: Nullum autem ante Micrologum, qui ann. 1080. vixerat, hoc vocabulo in ſignificatione Officii divini uſum fuiſſe legimus. Dictum autem fuit *Breviarium*, (ut vult Radulphus cap. 22.) quia in Cappella Lateranenſis Palatii officium compendioſius præ cæteris Urbis Eccleſiis recitabatur, ab Innocentio III. collectum, quod *Officium Cappellare* tunc vocabatur, ad quam recitationem conformabantur Franciſcani. Ab hoc igitur tempore liber hic *Breviarium* vocari cœpit. Poſtmodum anno 1280. Nicolaus III. erecto jam ab ipſo Vaticano Palatio, ibique inhabitans, ordinaverat, ut Franciſcanorum Officio omnes Urbis Eccleſiæ uterentur. FR. Quamvis Ptolemæus Lucenſis, ab Oderico Rinaldo ad annum 1280. n. 25. relatus, dicat Vaticanum Palatium a præfato Pontifice hoc anno ædificatum fuiſſe; nihilominus ampliatum, & ornatum ab eo potius dicendum eſt; conſtat enim ex Anaſtaſio Biblioth. Symmachum Papam de anno 498. primo ex utroque Baſilicæ Vaticanæ latere Epiſcopum, & deinde anno 810. Leonem III. ex eodem Auctore Palatium Archipresbyteratus fabricaſſe, & juxta ejuſdem Baſilicæ gradus ad partem dextram atrii, domum a fundamentis mira magnitudine, & pulchritudine decoratam, in qua accubitus collocaſſe &c. :||: Itaque Jacobum, ſive Giaime Fratrum Minorum Generalem de an. 1141. in Pontificatu Gregorii IX. Breviarium eo modo, quo nunc utimur, reformaſſe aſſeritur. At Radulphus citatus, acriter conqueritur, quod præfatus Papa Nicolaus ad recitandum Minorum Fratrum Officium Eccleſiaſticos compuliſſet, in quo multa officia novem Lectionum continentur, per quæ diminuuntur feriæ. FR. In can. convenit. de conſecr. diſt. 5. ex Concilio Agathenſi habetur, quod ordo officii divini ex tunc idem erat per illa verba, *Sicut ubique fit*. Cæterum quo ad id, quod Radulphus citatus aſſerit: ex can. In die Reſurrectionis, de conſecr. diſt. 5. de errore manifeſte convincitur; nam multo ante Innocentium III. Gregorius VII. ibi ita ſanciverat: [ Illi autem, qui in quotidianis diebus tres tantummodo Pſalmos & tres Lectiones non ex regula Sanctorum Patrum, ſed ex faſtidio, & negligentia comprobantur hæc facere. Romani vero diverſo modo agere cœperunt: maxime a tempore, quo Theutonicis conceſſum eſt regimen noſtræ Eccleſiæ. Nos autem & ordinem Romanum inveſtigantes, & antiquum morem noſtræ Eccleſiæ, imitantes antiquos Patres, ſtatuimus fieri ſicut ſuperius prænotavimus. ] Ubi prænotatum ordinem nihil a recenti differre videre licet. Radulphus ergo male de officio ordinis Romani intellexerat. Pro officio contra Radulphum D. Hieronymi auctoritate reſponderi poſſet, ajentis: Numquid verborum multitudine flecti Deus, ut homo, poteſt? Non enim verbis tantum, ſed corde orandus eſt Deus: quapropter melior eſt quinque Pſalmorum decantatio cum cordis puritate, ac ſerenitate, ac ſpirituali hilaritate; quam totius Pſalterii modulatio cum anxietate cordis, ac triſtitia, apud Gratianum in can. Non mediocriter errant. de conſecr. diſt. 5. ] :||: In Græcorum atque Ambroſianæ Eccleſiæ Breviario feriæ quadrageſimales ita ſunt privilegio exceptæ, ut numquam pro quocumque feſto relinquantur. Tandem Rom. Breviarium Decr. Concilii Trident. reſtitutum, & ſucceſſive per alios Pontifices reformatum, & recognitum fuit. Certum tamen eſt, quod ante D. Hieron. Lectionarium, nullus orandi methodus in Dei Eccleſia præſcriptus erat: cujus ſynonima. Vide *Curſus. Miſſalis*.

BREVIATUS, abbreviatus. [ In quorum arcam, ſive ſuggeſtum ſubjecta porticu ſenſim breviatis, anguſtiſque gradibus aſcenditur. Sidon. lib. 2. epiſt. 3.

BREVICULUM. FR. Libellus, in quo Eccleſiaſtici feſta mobilia annotabant, & populo poſt Evangelium in Miſſa ſolemni publicabant. can. placuit. de conſecr. diſt. 3.

BREVIGERULUS. FR. Brevis, ſeu literulæ allator. [ Mitto itaque tibi cum brevigerulo tuo curſorem iſtum. Ivo Carnot. Epiſt. 134.

BRIA, vaſis genus. [ Date quæſo immortalibus Diis ut bibant ſcyphos, brias, pateras, ſympiviaque depromite. Arnob. lib. 7. ] Inde *Ebrius* nomen deducitur, quia menſuram *bria* excedit, & a contrario *ſobrius* dicitur, qui infra eamdem menſuram parcius bibit.

BRITANNI. Vide *Alleluja*. *Bordinatus*. *Saxonia tranſmarina*.

BROCCA, ſive *Broca*. FR. Vaſis genus, Italice *Brocca* etiam dicitur; ſed hic pro vinaria menſura accipitur. [ Vinum noſtrum vendere ad tabernam, ſive, ut vulgo dicitur, ad broccam; in Nomen. Ciſter. p. 1. c. 50. ] Ad Broccam: ſcilicet, ad minutam menſuram: ejus ethymon. Vide *Embrocha*.

BROCARIUS, FR. Proxeneta, interceſſor, interventor, italice *Senſale*, Skeneus in l. 2. ff. de Proxenetis.

BROLIUM. FR. Atrium, receptaculum, vivarium, locus pro Principis venatione retentus. [ Conceſſit cervum, quem is in ſuo brolio venaretur. In Lege Longobar. ] *Brolum* tamen legitur in textu.

Ve-

Veneti *Brolio* dicunt locum ad contractandum deſtinatum. Vide *Bidellus*.

Bruchus, græce βροῦχος, vermis ſpecies, quæ herbam erodit, de quo ſæpe in Sacr. Scrip. [ Venit locuſta, & bruchus. Pſal. 104.] Quæ bina inſecta eadem ſunt. [ Una plaga locuſta, & bruchus, quoniam altera eſt parens, & altera eſt fœtus. D. Aug. ibid. ] Idem & Hugo Card. ſenſit.

Brugto. FR. Spurco. In legib. Longobar. l. ſi quis, de ſeditione.

Brudatus, acu pictus, ex Gallico idiomate *Brode*. [ In primis octo ſectas, quarum prima brudata, unam caſulam, tres tunicas, pannum, frontellum. Abbas Gualterius de Monyton ad ann. 1343.] Ubi dictio *Secta* inciſionem ſignificat, & *Frontellum* velum Altaris eſt. Italice *Frontale*, nam al Altaris frontem ponitur.

Brumosus, fœtidus, putidus, [ Cum fœteret brumoſa aqua. Ruf. lib. 3. cap. 36.] S. Zeno *Bramoſus* in eodem ſignificatu dixit; fortaſſe ex librariorum inadvertentia, ita enim habet: [ Quis non intelligit fratres Paſcha non eſſe, ſed bramoſum latronis cruenti convivium. cap. 8. in Exod.

Brunia, lorica; alii vero galeam intelligunt, & juxta vim nominis Saxonis *Bruim* recte armaturam ſignificat. [ Conſtitutum eſt, ut neque Epiſcopus, neque Abbas, vel quilibet Rector Eccleſiæ bruniam, vel gladium ſine noſtro permiſſu cuilibet homini extraneo, aut dare, aut vendere præſumat. In conſtit. Caroli M. lib. 3. cap. 75.] Vide *Berg*.

Bubo, tumor. Vide *Anthrax*.

Bucale. Vide *Baucus*.

Bucca-durus. FR. de equo proprie dicitur, qui redinibus non obtemperat, cap. 16. decretal. lib. 5. tit. 12. translate tamen de eo, qui dum infirmatur, difficiliter, & obſtinate medicamenta per buccam ſumit.

Buccellatum. Vide *Buccellarius*. *Paxamatium*.

Buccus, caper. [ Si quis buccum furaverit. In lege Salica, tit. 5. §. 1.] quæ lex pro tit. habet, *De furtis caprarum*. Et Greg. Turon. *Buccus olidus* dixit; inde Italice *Becco* appellatur.

Bucellarius, militaris exercitus, ſeu legio in Oriente ita appellata, quia panem buccellatum, ſeu biſcoctum ſecum ferebat, quem Græci Βυκιλλάτον vocant; unde & Βυκελλάριος, miles, de quo ſupra, quo vocabulo in eadem ſignificatione uſi ſunt etiam Latini; [ Dum Valentinus Imperator concionaretur ad populum, Ocylla bucellarius Aetii, ex adverſo veniens, eum gladio perfodit. Gregor. Turon. lib. 2. cap. 8.] Ac Palladius de D. Macario Alexand. loquens inquit: [ Cum fregiſſet buccellatum, quod habebat. ] Sic etiam Leo Imp. in ſuis Conſtitutionib. FR. [ Triginta dierum frumentum ad uſus diurnitatem excoctum, buccellatum vocant, humeris militum impoſuit. Ammian. Marcellin. lib. 17.

Bucetum, bonum paſcuum. [ Inter greges tintinnabulatos per depaſta buceta reboantes. Sidon. libr. 2. ep. 2.] FR. *Bucula* habet. Gloſſ. Iſidori.

Buda, ſtorea. [ Videns autem Ægyptius veſtitum mollibus, & budam de papyro, & pellem ſub ipſo. Pelag. lib. 10. n. 76.] Unde perperam pro buda ſtorea, *Riſtoriam* aliqui legunt.

Bufones. Vide *Goliardus*.

Bugia, inſtrumentum argenteum, in quo ponitur candela accenſa ad præbendum Prælato lumen in celebratione, ut commode legere poſſit. Gallice tamen candelam ipſam denotat, at hic continens pro contento ſumitur. In quodam antiquo Gloſſario *Scotula* dicitur, fortaſſe a vocibus græcis σκότον ἐλαύνω, ideſt, tenebras expello. Moraliter vero ſignificat Prælatum non debere tantum lumini ſuæ cognitionis fidem præſtare, ſed alterius teſtimonio uti. Papa utitur hac candela, ſed abſque hujuſmodi inſtrumento, fortaſſe quia ipſius cognitionis lumen alio terreno fulcimento non indiget.

Bul. FR. Octavus Hebræorum menſis, qui & *Merheſuan* dicitur. Vide Auctores citatos in dict. *Elul*.

Buletellum, Vannus, cribrum. [ Et in buletellum obulus. Matth. Pariſ. in hiſtor.

Buleutes quid græce ſignificet. Vide *Sanhedrim*.


Bulgaroctonus, βυλγαροκτόνος. FR. Bulgarorum occiſor: quo titulo Baſilius Græcorum Imperator appellari voluit, ob ſtragem Bulgaris illatam, nam græce κτείνω occidere ſignificat. Ita vice verſa *Romäoctonus* denominari voluit Carlo Joannes Bulgarorum Rex, ideſt, Græcorum occiſor; nam Græci *Romæi* dicti ſunt.

Bulgiæ. Vide *Biſſacius*. Hippoperæ in dict. *Hippaglus*.

Bulla, Pontificium, ſeu imperiale diploma, & quælibet publica atteſtatio. Apud Latinos *Bulla* lamina rotunda erat, intuſque cordis figura ſignata, ad infantium collum ſuperſtitioſe ligata contra faſcinationes. Vide *Agnus Dei*. Inde quia diplomati aureum, ſeu plumbeum, aut cereum ſigillum appenditur, ab hac appendice litteræ illæ *Bulla aurea* (quæ græce Chryſobulla) & *Bulla plumbea* vocantur. Igitur quatuor modis ſigillum, ſeu bulla imperialis formabatur. In auro, ſcilicet, quando Regibus, & ſimilibus ſcribebat Imperator, qui cinnabaro ſubſcribebat. Gregora lib. 4. Niceta lib. 2. Et in frontiſpicio ejuſdem diplomatis tres rubras Cruces in ſignum confirmationis tenoris litterarum figurabat. Eiſdem Magnatibus aliquando argenteum ſigillum, ſeu bullam in litteris appendebat; ejus autem Matri, Uxori, Filiis, Deſpotæ, Patriarchæ, Sebaſtocratori, atque Cæſari ſcribens, plumbea Bulla utebatur, ita Codinus in tract. de illius Aulæ officiis. Tandem vulgaris Bulla erat in cera rubra, aut viridi. Patriarchæ ſiquidem plumbea, vel cerea viridi permiſſum erat ſigillare, & in ſubſcriptione cæruleo colore utebatur. Catacuz. lib. 3. cap. 36.

Sigil-

Sigillum, quo imprimebatur, *Tympanum* dicebatur. [Præſens privilegium per manum Alexandri Notarii noſtri ſcribi, & bulla aurea tympano impreſſa roboratum noſtro ſigillo juſſimus decorari. Robertus Montenſis in Supplem. Sigiberti.] Quod tamen vocabulum potius torculum, ſub quo imprimebat ſigillum ex dicto textu intelligi crediderim, ibi enim tympano bullam impreſſam ſigillo dicitur, ita ut a ſigillo tympanum diverſum intelligatur: ac eo magis, dum uſque ad præſens Typographi *tympanum* vocant inſtrumentum illud, per quod ſub torculari immediate impreſſum in formella comprimitur. Dubitatur inter Scriptores, quid per bullam *δικήρεον* penes Balſamonem intelligatur, ideſt, bulla duabus ceris ſigillatis: Aliqui exiſtimarunt diplomata habuiſſe duo cerea ſigilla appenſa, alii vero (cum quibus concurro) putant unicum fuiſſe ſigillum cereum ex utraque parte ſignatum, eo pacto quo plumbea Papæ ſigilla fieri ſolent. Hunc imprimendi modum ſolius Imperatoris, & Patriarchæ idem Balſamon de privil. Patriarch. ſolitum fuiſſe ſcribit. Hodie Papa bullas expeditionum, & collationum in plumbo ſignat; ſed cum hac differentia, quod expeditiones in forma *dignum*, ut ajunt, ex funiculo, rubro, & flavo colore contorto plumbum pendet. Errat tamen Polidorus Virgilius, aſſerens Stephanum III. obſignare cœpiſſe in bulla plumbea; conſervatur enim adhuc Aretii cum prædicto plumbo bulla S. Sylveſtri Papæ, & in S. Angeli Arce de Urbe eodem modo reperiuntur Bullæ Leonis Primi. Gregorii Magni, & aliorum Pontificum ex relatione Rinaldi olim ejuſdem Archivii Cuſtodis, qui tamen Pontifices anteceſſores præfati Stephani III. fuere, ac idem Rynaldus ſtylum plumbei ſigilli a S. Sylveſtro incœpiſſe opinatur. Pontificis *Bulla aurea* illa dicitur, qua Imperator confirmatur, nam in auro cuditur. FR. Aurea Bulla erat Clementis VII. in qua Henrico VIII. Angliæ Regi titulum Defenſoris fidei contulerat. Similiter aurea fuit illa, qua Franciſcus Primus Galliarum Rex fœdus inter ipſum, & præfatum Henricum firmaverat, in quo ſigillo ex uno latere hæc verba erant impreſſa: *Plurima ſervantur fœdere, cuncta fide*. :||: Collocatio autem, quæ in eo plumbo, & in variis antiquis picturis habetur, ſcilicet, a parte dextera D. Pauli, & a ſiniſtra D. Petri, ex antiquo uſu provenit, quia tunc dignior læva habebatur, de qua re diſerte Leo Allatius lib. 1. de Eccleſ. Occident. & Orient. perpet. conſenſ. cap. 6. FR. Sic etiam eorundem Apoſtolorum capita in antiquis, argenteiſque ſtatuis ſupra Ciborium Lateranenſis Eccleſiæ adhuc extant conſervata, ita ut S. Petri effigies ad ſiniſtram, & S. Pauli ad dexteram collocatæ ſint, eodem prorſus modo, ac forma ut ſubjectæ figuræ demonſtrant.



Uſque ad præſens maximæ æſtimationis habetur ſiniſtra inter Græcos, & nos prius ſiniſtrum Altaris cor-

cornu, quam dexterum incenſamus. Lepida quidem fuit non minus, quam ingenioſa Ottonis tit. S. Nicolai in carcere Cardinalis, Apoſtolicique Legati inventio, ad ſedandam præcedentiæ differentiam inter duos Angliæ præcipuos Epiſcopos in Concilio Londinenſe de anno 1237. ortam, ubi Eboracenſis Præſul a gravamine præcedentiæ ſe appellaverat, quia Cantuarienſis Compræſul ad dextrum ejuſdem Legati latus ſe collocarat: is amborum Archiepiſcoporum differentiam ſedavit, eleganter eis oſtendens, quod in bulla Papali Petrus ad Pauli ſiniſtram collocatur in ſignum humilitatis, quod præcipue imitari Eccleſiaſtici debent, ita ex Matth. Pariſ. Odoric. Raynaldus refert. In Eccleſ. Annal. anno ſupra cit. :||: In Bullis Pontificiis Conſiſtorialibus, quæ manu ipſiuſmet Papæ, & a cunctis Cardinalibus, ſeu a majori parte firmantur; præter plumbum jam dictum, depingitur Crux, circa quam aliquod præclarum dictum, ſeu aliqua Sacræ Sripturæ ſententia juxta Pontificis libitum circumſcribitur. FR. Exempli gratia.

Lucii Papæ III. erat hoc ſignum: ✠ Adjuva nos Deus ſalutaris noſter. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſt. 195 in ult. verſu, & conſtit. ſeqq.

Urbanus III. ſignabat: ✠ Ad te Domine levavi animam meam. Ibidem conſtit. 204.

Alexander III. ✠ Vias tuas Domine demonſtra mihi. Ibid. conſtit. 182.

Clemens III. ✠ Doce me Domine facere voluntatem tuam. Bullar. Caſin. tom. 2. conſtitution. 207. 209.

Cœleſtinus III. & Honorius III. ✠ Perfice greſſus meos in ſemitis tuis. Bullar. Caſin. ibid. conſt. 213. & conſtit. 235.

Gelaſius II. ✠ Deus in loco ſancto ſuo. In Commentar. ejuſdem vitæ apud Conſtantinum Cajetanum pag. 103. & 105.

Gregor. IX. ✠ Fac mecum Domine ſignum in bonum. Bullar. Caſin. tom. 2. conſtit. 248. 250. 251. quibus verbis uſus fuerat etiam Innocentius III. Bullar. Caſin. ibid. conſtit. 223.

Paulus III. ✠ Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Bullar. Caſin. tom. 1. conſtit. 170.

B. Pius V. ✠ Utinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas juſtificationes tuas. Ibid. conſtit. 193.

Urbanus VIII. ✠ In Domino ſperans non infirmabor. Ibid. conſtit. 306.

Gulielmus Siciliæ Rex ſignabat his verbis: Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me. Bullar. Caſin. tom. 2. conſtit. 187.

Innocentius X. ✠ Da ſervo tuo cor docile, ut populum tuum judicare poſſim.

Alexander VII. ✠ Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, q. a. d. e. m. n. c. ideſt, quoniam a dextris eſt mihi ne commovear.

Clemens IX. ✠ Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo.

Clemens X. ✠ Jeſu tibi ſit gloria.

DE INNOCENTII XI. Regnantis ſigno dicemus in verbo *Papa*, quia dum hæc imprimuntur, non adhuc aliqua ejus Conſiſtorialis Bulla emanavit. :||: Antiquitus duo fratres Ciſtercienſes Converſi ad cudendas bullas applicati erant, qui *Fratres plumbi*, ſeu *de plumbo* vocabantur, ita ut tranſiens hæc incumbentia ad ſæculares, hi in proceſſione cum aliis Cancellariæ Officialibus incedentes, habitum laicalem Ciſtercienſium ferebant. Vide *Anulus Piſcatoris*, in dict. *Annulus*, Vide *Applumbarius*. *Abbreviator*. *Sigillum*. *Numiſma ſacrum*. FR. Signa ad dignoſcendas Bullarum falſitates notantur in 5. decretal. tit. 20. cap. 5. & ſeqq. Quomodo bullam ſignabat Papa non conſecratus. Vide *Papa*, §. *Papa nondum conſecratus*. Bulla. Vide *Syparium*.

Bulla in Coena Domini. FR. quæ *Proceſſus generalis* dicebatur. Clement. de Judiciis cap. 1. quia excommunicantur generaliter omnes Hæretici, & contumaces Gloſſ. ibi; cujus tenor, & caſus ibi Papæ reſervati, aliquando in parte pro Pontificis libitu variantur, & in feria quinta Cœnæ Domini de mane ab ultimo Diacono Cardinali publice, altaque voce legitur, aſtante cum cæteris Cardinalibus, & Epiſcopis Pontifice, qui peracta lectura, faculam accenſam in plateam projicit in ſignum fulminationis contra excommunicatos.

Bulla motu proprio. Vide *Leges*.

Bullare, in plumbo ſignare. [ Plumbo bullavit chartam illam. In vita S. Joannis Eleemoſynarii ca. 51. Hanc Epiſtolam græcis litteris, hinc inde munire decrevimus, & Annulo Eccleſiæ noſtræ bullare cenſuimus. In epiſt. Ratbodi Treviren. Epiſc. a Sirmondo allata.

Bullatus, ſignatus: ut *bullatæ litteræ*. [ Extant litteræ integræ, & bullatæ. D. Bern. epiſt. 230.

Bullarium, liber continens diverſorum Pontificum bullas, cui nuper adauctus eſt tomus quartus in typographia Camerali impreſſus.

Bullatorium, ſigillum. Vide *Chartophylax*.

Bundæ. Termini, ſeu confinia, & limites: anglica dictio *Bondes*, quæ idem ſonat. [ Quibus metis, & bundis circumdantur. Matth. Pariſ. in Hiſt.

Burdatio, ruſtica penſio, ſeu tributum a villicis exactum. [ Cognovimus etiam ruſticos burdationem, quam jam ab eis exactam Theodoſius minime perſolverat, iterum dediſſe, ita ut in duplo exacti ſint. S. Gregor. lib. 1. epiſt. 42. Concede mihi ſervo tuo, ut tollam onus duorum burdonorum de terra. 4. Reg. cap. 5. ] Puto vocabulum a *Burdo*, quod eſt Mulus, derivari. Inde Muliones in Sicilia vocantur *Burdonarii*; etiam inter Latinos *Burdonarii* appellati ſunt. [ Porro Burdonarii, Burdoneſque viſo Leone, timore correpti ſunt. Jo. Moſcus, cap. 25. ] a greco nomine βαρδόνια, quod multos ſignificat. Inde *Burdicus*, exiguus mulus. D. Ambroſius ep. 10. FR. Sed Dionyſ. Carth. in expoſit. ſuper 4. Reg.

loco

loco citat. art. 7. facit differentiam inter mulum, & burdonem, inquiens: [ Burdones ſunt animalia genita ex equo, & aſina; quemadmodum muli ex equa, & aſino.

**Burdo**. FR. Verbum, fuſtibus dimico ruſticorum more, de quo Matth. Pariſ. Significat etiam animal, quando eſt nomen, ut ſupra. Vide *Burdatio*.

**Burdunarius**. Vide *Burdatio*.

**Burgemotus**. FR. Villicorum coadunatio, & aggregatio ad negotia peragenda. [ Et habeatur in anno ter burgemotus, & ſchireniotus bis, niſi ſæpius ſit, & interſit Epiſcopus, & Aldermannus, & doceant ibi Dei rectum, & ſæculi. In legibus Canuti Regis cap. 44. ] Vocabulum vero *Schiremotus*, adunationem ruſticorum ſignificat.

**Buricus**, Equulus, ſeu aſellus: [ Longe diſpari cultu macro illum, & viliori aſellis burico ſedentem. Paulin. epiſt. 10. ] Vox quidem barbaro-græca, atque Hiſpani aſellum *Borico* etiam appellant. Inde *Burichalium* hujus jumenti inſtratum, ſeu dorſuale, dicitur. [ Sedentibus ipſis in burichaliis. In vita S. Attici Epiſc. ] Igitur devius Raderus in hoc vocabulo fuit, dum genus navis eſſe putarat.

**Burnettus**, pannus laneus. [ Nullus utatur tunica de burnetto. Matth. Pariſ. in vita Abb. ] Aliquando Capucium denotat, ab Arabico idiomate *Barnus*.

**Bursa**, loculus, marſupium, ubi corporale imponitur, in Chronica Moguntina *Pera* vocatur. Ante Remenſe Concilium minime in uſu erat; ibi enim cap. 5. corporale in libro conſervari ordinatur. At propter periculum in terram cadendi, viſum fuit decens, ut in burſam imponeretur. Pius V. Hiſpanos diſpenſavit, ne in burſam illud ponerent, Hieron. Cantonus in ejus Ordinario divin. off. ex quo infertur non poſſe hoc fieri ſine ſpeciali privilegio. Burſæ ſynonyma. Vide *Buza*, *Epigonation*. *Funda*. *Presbyterium*.

**Bursarii**. FR. dicti ſunt Seminariorum Alumni in hiſt. Eccleſ. nam eos Epiſcopi de Eccleſiæ burſæ ſuſtentant.

**Busca**, Cremia, ramalia. [ Et in buſca tres denarios. Matth. Pariſ. in hiſt. ] Ex angla denominatione *Buſches*.

**Buscus**, FR. Nemus, ſylva, italice *Boſco*, Bullar. Caſin. tom. 2. conſtit. 158.

**Buscalia**. FR. Arboretum, italice *Boſcaglia*. Bull. Caſin. tom. 2. conſtit. 61. 73.


**Bustuaria**, altaria gentilium, ubi in ſacrificio ſuperſtitioſo, ac diro humanæ creaturæ comburebantur. [ Ubi Buſiris, & buſtuaria altaria. Tertull. lib. de pall. cap. 4.


**Bustum**. FR. id, quod igne combuſtum eſt. [ Orabam, ne tantæ Urbis, vel potius totius Italiæ buſto ſuperviverem. D. Ambroſ. in Decreto Gratiani, 23. quæſt. 8. can. convenior. ] Ubi Gloſſa. [ Buſtum dicitur, cum res eſt exuſta; rogus, cum comburitur: pyra eſt congeries lignorum ad comburendum.

**Buticularius**, meri diſpenſator. [ Poſt eos vero ſacrum palatium per hos miniſtros diſponebatur: per Camerarium, videlicet, & Comitem palatii, ſeneſcalcum, Buticularium &c. Hincmar. epiſt. 3. ca. 16. Portabitur cuppa cooperta, & non fiet ſibi proba, niſi in buttego per butticularium ſuum. In cæremoniali Davantiæ.] Ubi de convivio Regi Navarræ a Benedicto VIII. exhibito loquitur. Vide *Canava*.

**Butina**, ſeria, ſeu dolium. [ Reponatur in butina, ſic, ut mel citria plurimum excedat. Jo. Dam. de condim,] græce *βύτινον*; ſed vox quidem nimis barbara.

**Butto**, græca dictio *βεττις*, ſcyphus, ſeu vas cancavum: [ Obtulit in Baſilica Sancti Petri buttonem de argento puriſſimo. Anaſt. Biblioth. in Leone IV. ] Patinæ, & penſiles lampades erant aliquantum concavæ. [ In venerabili Monaſterio S. Sabæ fecit buttonem argenteum. Idem in Leone III. ] Quorum formam hic appoſuimus, deprehenſam ex antiqua pictura, quæ in vaticana porticu S. Petri olim extabat cum tribus penſilibus buttonibus, ac alia cum unico buttone ex antiquis etiam figuris excerpta.





FR. Apud Gentiles Latonæ noctis Deæ lampades tantum accendebantur. Ita Orpheus in hymno Noctis. Vide *Cicendela*.

**Buxtula** - pyxidula. [ In buxtola lignea recondita fuerunt. In vita S. Mauri Abb. ] Aliqui *Buxculum* legunt,

legunt, ſed rectius fortaſſe *Buxula* a buxo ligno pro ſimilibus urnis aptiſſimo diceretur.

Buza, ſaccus, corrupte a *Burſa*. [ Si furnum, moledinum, balneum, ſtateram, modios, & buzas ad vinum, oleum, vel mel menſurandum facere voluerit. Guliel. Titius lib. 12. cap. 25. ] a vocabulo græco *βύρσα*, quod corium ſignificat, ex quo burſæ, ſeu marſupia conficiuntur. Vide *Burſa*.

* Βῆλα. Vela in Eccleſiis ad prohibendum proſpectum in Sanctum Sanctorum adhibita.

---

# C

C Littera erat ſignum condemnationis. Vide *Pandecta*.

Cabala. Vide *Kabala*.

Caballico, equito. [ Videntes autem ſtellam, dixit unus ad alterum: caballicate bene, ecce noſtrum ſignum. Haymon. de trib. Magis. ] Ex hoc verbo nomen *Caballicata* formatur, quod equitationem ſignificat. [ Et caballicatas ( ut vulgo ajunt ) circum circa dirigeret. Luitprandus lib. 3. hiſt. cap. 14. & l. ſi quis caballum, de Furtis.

Cabidarius, vox barbaro-græca Καβιδάριος, at fortaſſe corrupte, & *Lapidarius* potius legendum. Hoc vocabulum in Lauſiaca Palladii reperitur, ubi de Macarii ſenioris vita agit.

Cabimentum. In ſtatutis Melitenſium Equitum Commenda eſt, FR. quæ in concurſu jure antiquitatis, & benemerentiæ confertur, ad differentiam aliarum Commendarum, ſcilicet, *Commenda melioramenti*, ( quam Canoniſtæ *Optionem* vocant ( & *Commenda gratia*, quam Magnus Magiſter in principio ſui magiſtratus, & in quolibet quinquennio, ingreditur, ut ajunt, *in gratiam*, ideſt, habens tunc facultatem ex quocunque Prioratu eligere unam ſibi beneviſam commendam, quam deinde titulo benemerentiæ Equiti pro ſervitiis Religioni præſtitis conferre ſolet. :||: *Cabimentum* a verbo gallico *Cabire*, quod aliquam rem in aſſignationem ſuſcipere ſignificat.

Cabiscola, ſubcantor, eccleſiaſticum officium, ſeu potius Primicerius Scholæ Cantorum. Vide *Primicerius cantorum*; nam *Cabi* caput ſignificat, in Hiſt. Sardiniæ.

Cablicia, Arborum rami vento diſſipati, dictio gallica *Cable*, quæ idem ſignificat: [ Inquiratur, qui acceperint profectum de cabliciis. Matth. Pariſ. in vita Abb.

Cabreum. In ſtatutis Equitum Meliten. ſignificat inventarium bonorum ſtabilium alicujus commendæ cum illius Ichnographia, ſcilicet, arearum, & formarum deſcriptionibus, ſtatuſque antiqui, & recentis relatione, una cum atteſtatione authentica melioramentorum &c. quod omnes Priores, Balivi, ac Commendatarii in quolibet XXV. annorum ſpatio renovare, & præſentare tenentur, cum tribus conſimilibus *Cabreis*, ad reponendum unum in Archivio Commendæ, aliud in Archivio Conventuali illius linguæ, & tertium in Archivio Prioratus. Vox quidem corrupta a capibrevio. Vide *Capibrevium*.

Cabus, menſuræ pondus, vox græca κάβος, quatuor ſextaria continens, at ſextarium ſexdecim uncias pendet; itaque cabus quinque librarum ponderis eſt cum IV. unciis. FR. aliqui ſextarium duarum heminarum capax eſſe aſſerunt.

Cabuta. Vide *Baculus Paſtoralis*.

Caccabatus, fuliginoſus, vel fumo denigratus, a verbo græco κάκκαβος, quod ænum, cabum, ſeu ollam ſignificat. [ Et pœnitebit te deſiderii, & exactionis tuæ, cum ædificia, quæ immaculata adhuc operis tui gratia ſplendent, obſcurata næniis inſipientiæ meæ, & ( ut digno meis verſibus verbo utar) caccabata ridentibus, vel nauſeantibus, confuſus aſpicias. Paulin. Appenderunt in collo meo caccabatas ollas. Ex vitis Patrum. ] FR. locis Paulini *Ædificia caccabata*, maculata, & ſpurcata ſignificare videtur; nam dixerat ſupra *Ædificia immaculata*, cujus contrarium maculata, & fædata erit proculdubio: *Cacabulum* enim ſtercoris locum ſignificat :||: Dicitur etiam *Caccabacius*: inde S. Zeno ſerm. 6. Neophytos recenti, & albo pani æquiparans, ait: [ Certe caccabacii non ſunt, non vetuſti, non uſti, non crudi, non mucidi: lacteus illis color eſt, lacteus ſapor eſt. ] Atque contra Hermogenem, qui materiæ motum aquæ ferventi comparabat, lepide Tertullianus ſic reſpondit: [ Si æqualis momenti; jam turbulentus, nec caccabaceus; ſed compoſitus, & temperatus. cap. 12. adverſ. Hermog. ] Ab aliquibus tamen *Cacabitus* legitur.

Cacodoxias, ſiniſtra opinio, ex græco vocabulo κακοδοξία, quod nomen penes Sacros Scriptores Hæreticis attribuitur. FR. cujus oppoſitum *Orthodoxia* dicitur: [ Ut Sanctorum Patrum orthodoxia, quam nos prædicamus, per amplius manifeſtetur, & propria cacodoxia in omni loco, & regione publicatur, & arguitur. Anaſt. Apocriſ. Epiſt. ad Theod. Preſbyt. in Collect. Anaſt. Bibl. per Sirmondum in 8. edit. pag. 203. Bonum enim veraciter, eſt paternam, ut dixi, manifeſtare, & confirmare, hæreticam vero cacodoxiam publicare, & redarguere, &c. ibid. ] Vide Heterodoxus in dict. *Orthodoxus*.

Cacologia, imperfecta loquutio. Vide in dict. *Pantologia*.

Cactus, herba ſpinoſæ ſpeciei, aliqui putant eſſe carduum ſylveſtrem, qui aculeis abundat, inter quos Athenæus lib. 2. qui copioſe in Sicilia reperiri refert. FR. idem affirmat Plin. lib. 21. c. 16. ex quo colligitur maſtiche acanthica, ut in dict. *Schinus* dicemus. :||: [ Eradicato omni aconito hoſtilitatis, & cacto, & rubo ſubdolæ familiaritatis. Tertull. de Pall.

Pall. cap. 2.] Perperam ergo aliqui dictionem hanc corrigendam cenſent.

CACUMEN, colliculus, qui ſub pedibus Sanctarum Imaginum antiquitus depingi ſolebat, quarum multæ adhuc Romæ extantes perſpiciuntur. [ Ædificavit Eccleſiam cum apſida ampliſſima, & cacumina mirifica de muſivo. Anaſt. Biblioth. in Leone III.

CADARFREDA. FR. conſuetudo, ſtylus. In Legib. Longobard. l. ſi duo fratres, de ſucceſſion.

CADIVUS, malus, ſeu cadens, quod ad animi, corporiſque defectus transfertur. [ Conſtat me vobis vendidiſſe ſervum non furem, non fugitivum, neque cadivum: ſed mente, & omni corpore ſanum. Marculf. lib. 3. hiſt. cap. 14.] fortaſſe idem, ac *Caducarius* infra.

CADMUS; vox corrupta ab Arabica *Cadi*, quæ Judicem ſignificat. [ Adducti ſunt procurator Civitatis, qui lingua eorum Emir dicebatur; & Juridicus, qui Cadmus appellabatur. Matth. Pariſ. in hiſt.] Dictio *Emir* Arabica etiam eſt, & Præfectum, atque Arabum Tribunum, Principemque eorum lingua denotat: unde addito articulo *Al* ſeu *el* al-emir; Itali, & Hiſpani *Almirante* dixerunt, ut viſum eſt in dict. *Amirus*.

CADUS, liquidorum menſura. [ Quantum debes Domino meo? at ille dixit, centum cados olei. Lucæ 16.

CADUCARIUS, qui morbo comitiali laborat. [ Iſti homines caducarii ſunt, quo nomine vulgo apud nos vocantur. D. Aug. de vita beat.

* CÆLICOLÆ. Hæretici qui in duabus tribuſve legibus *Honorii* in Codice *Theodoſiano* memorantur ac damnantur. Circumciſionem cum Baptiſmo conjungebant; convenientes tam Judæis quam Chriſtianis in idolorum rejectione, cælum tantum modo colentes, inde dicti *Cælicolæ* verum in hoc cum Judæis congruebant, quod doctrinam de Trinitate in Deitate rejicientes, Deum in una perſona adorarent.

CÆREMONIA, actio ſacra, cum exteriori religionis cultu: a *Cære* Etruriæ Civitate, ut vult Feſtus; ad quam, Roma a Gallis capta, ſacrum ignem ferentes, confugerunt Veſtales, ut Val. Max. lib. 1. cap. 1. n. 10. narrat: inde omnis divinus cultus a Romanis cæremonia dictus fuit. Livius lib. 4. FR. At D. Auguſtinus lib. 2. Retract. cap. 38. a verbo *Careo* etymologiam deducit, inquiens: [ Cum agerem de obſervationibus Judæorum, a quibuſdam eſcis ſecundum legem abſtinentium, dixi, quarundam eſcarum cæremoniæ, quod nomen non eſt in uſu litterarum ſanctarum; ideo congruens mihi viſum eſt, quod a carentia appellatas, cæremonias, quaſi caremonias memoria tenebant, eo quod obſervantes careant his rebus.] Idem ſenſit lib. 6. cap. ult. Iſidorus in ſuo Etymolog. Junius vero Camerar. decur. 3. cap. 4. ait. [ Quaſi gerimonia dicitur, a gerendo, ſicut a gemendo gemonias ſcalas fecerunt, & a querendo querimoniam; ut indicarentur ea, quæ in ſacris geri ritu ſolemni deberent.] Voſſius ſcribi tamen vult *Cærimonia*. Alii tandem *Cælimoniam* a cœleſtibus rebus vocem deductam ſcripſere. :||: Itaque differt *Cæremonia* a cultu, ſicut aqua a lavacro; nam *Cæremonia*, juxta Sacr. Trid. Concilii ſenſum, eſt ipſa actio; *Ritus* autem eſt modus præſcriptus, quo actio ipſa ſacra facienda ſit.

CÆREMONIOR. FR. Aliquo exteriori ſigno colo, & adoro. [ Gallienus dixit Cypriano, juſſerunt te Sacratiſſimi Imperatores cæremoniari. Mombritius in Actis S. Cypriani.] Cogebantur enim Chriſtiani ad Idolis thurificandum. Vide *Cruciola*. *Thurificatus*.

CÆREMONIARUM MAGISTER. Vide *Admonitor*. *Deputatus*. *Deſignator*. FR. antiquitus enim erat Archidiaconi officium, ut in Extrav. in cap. 2. & ſeqq. de officio Archidiaconi colligitur. Vide *Hieromnemen*. *Hypomimniſcon*. *Memorialis*. *Rememoratorius*. *Suggeſtor*. *Teletarcha*.

CÆSAR. Vide *Nobiliſſimus*. *Imperator*.

CÆSARISTA. Vide *Sebaſtocrator*.

CAFSIS, vel *Cauſis*, græca dictio καῦσις, incendium ſignificans. [ Et ſi eſt ſub terra tartari carcer, ſi eſt caſſis ardens, ſi eſt infernus ſine fine crucians, ſi eſt apparitor iſtic, qui nos ad iſta rapiat poſt ſeculi labores, quid ſtupemus? ubi ſumus? quæ eſt iſta, quæ nos tenet oblivio lethalis? Chryſ. ſerm. 124.

CAINANI, ſeu *Cayni*. FR. ita appellati ſunt quidam Hæretici, qui Cainum Adami filium adorabant. 24. quæſt. 3. can. 39. Ita *Sethiani*, qui Seth alium Adami filium Chriſtum eſſe aſſerebant. Ibidem.

CALABER. FR. ex Calabria provincia, & dicitur *Calaber*, *calabri*, & *calabridis* in genitivo. [ Cum Siculis, & Calabridis. Falco Benevent. in Chron. ad an. 1132.] Item Calabrius etiam dicitur Columel. lib. 12. cap. 49.

CALAMUS. Vide *Siphon*. *Communio*. *Pugillaris*. *Confirmo*. In ſacra autem Sacriptura extenſorum menſuram ſæpe ſignificat.

CALAPHATES. Vide *Naupegus*.

CALATIBILIOTTA. FR. pagus in Sicilia. [ Vvilelmus novus Regulus, dimiſſo palatio matri recepit ſe in caſtrum munitum, quod dicitur Calatibiliotta. Anonym. Monach. Caſin. Chron. an. 1194.

CALCARIA, fornax, ubi calx coquitur. §. 48. tit. 19. l. 8. Et in vita S. Gregorii Papæ II. [ Hic in exordio ſui Pontificatus calcaria decoqui juſſit.] Vide *Calcifurnium*. FR. item ſignificat conculcationem, & translative impoſitionem taxæ, ſeu gabellæ, angariam, & penſionem. [ Excepta antiqua conſuetudine hoc reſponſaticum ſolum, & angarias, & calcarias ſimul, & ad dominos ſuos angarias, & penſiones ſecundum antiquam conſuetudinem. In capitulare Sicardi cap. 14. apud Camillum Peregrinum. In hiſt. Princ. Longobar.

CALCEAMENTUM. Vide *Ficones*. *Folleo*. *Hoſa*. *Poulainia*. *Zancha*.

CALCEARIUS, ſutor. [ Afferat ad calcearium puerorum quadraginta ſolidos. S. Greg. lib. 1. epiſt. 37.] FR.

Plau-

Plautus *Calciolarium* appellat. [ Propolæ , Lintrones , Calciolarii , in Aul.

CALCEI . Vide *Ficones . Folleo . Hoſa. Poulainia . Sandalia . Zancha .*

† CALCEUS . In Eccleſiæ introitu nonnulli calceos exuebant, hæc tamen conſuetudo nunquam univerſaliter fuit in Eccleſia recepta , licet noſtris hiſce temporibus magnæ alicujus devotionis occaſione ex humilitate Chriſtiana multis in more ſit, præſertim vero pœnitentiam agentibus , & peregrinantibus .

CALCIDICA . Vide *Tribuna .*

CALCIFURNIUM , Calcis fornax . Bedæ Martyrol x. Kal. Septem. Vide *Calcaria .*

CALCO , pro tranſcurro . [ Dum voce depromi calcatur , quod expreſſius corde clamatur . Vigilius Tapſenſis Epiſc. lib. 3. contra Euthyc. ] In aliquibus Codicibus mendoſe *Palpatur* pro *Calcatur* legitur . FR. verbum *Calcatur* non eſt hic præter ſuam veram ſignificationem poſitum , nam *Voce depromi calcatur* , ſupprimitur , denotat : *Calco* enim , *Supprimo* , ſynonyma ſunt .

* CALCULATORES . Genus quoddam incantatorum , de quibus in *capitulis Caroli Magni* hoc decretum legimus : *Calculatores , incantatores , tempeſtarii , vel obligatores* ( hoc eſt phylacteria facientes collis circumligandas. ) *non fiant : & ubicunque ſint , vel emendentur , vel damnentur.* Capit. aquiſgr. lib. 1. c. 64. Concil. Tom. 7.

CALCULUS . [ Dabo illi calculum candidum & in calculo nomen novum . Apocalypſ. cap. 2. ] Ubi Arator pro calculo candido , illum intelligit , per quem ſorte luctatorum paria extrahebantur;ſed ſenſus hic non facit ad rem, ubi de peracta victoria loquitur,ſcilicet, *Vincenti dabo*. Debet igitur intelligi pro *Candido calculo*,cum quo rei abſolvebantur, & innocentes declarabantur : ſicuti per nigrum calculum damnabantur . De juſtificatione igitur , & peccatoris contritione Sacra Pagina loquitur , qui poſt pœnitentiam a reatibus abſolvitur , & amicus Dei declaratur . FR. Nigrum , & album penes Græcos per translationem malum , & bonum intelligitur , de qua phraſi ſæpe Homerus , unde a vocabulo μέλας , quod græce nigrum ; inde , quia Apocalypſim græce ſcripſerat Joannes , hinc ejuſdem linguæ phraſibus uſus eſt , in quo idiomate paſſim obſervatur *Calculus* pro ſorte ; quare per nigrum , & album calculum , mala , vel bona ſors litteraliter intelligitur ; hac etiam figura latini poetæ ſæpe utuntur . In malum , nempe , ſenſum primo :

——— Et populum nigros efferre maritos .

Juvenal. Satyr. 1.

——— Nigrum in candida vertunt

pro quocumque malo. Idem Satyr. 3.

Et de malo homine . Horat. Serm. lib. 1. Satyr. 4.

——— Hic niger eſt, hunc tu Romane caveto .

Ac idem lib. 1. ſerm. Satyr. 9.

——————— Huccine ſolem

Tam nigrum ſurrexe mihi !

ideſt , triſtem , & exitioſum : ſic e contra album , & candidum pro bono . *Novit quid album , quid nigrum* , ideſt , quid bonum , & quid malum , Apulejus , & Quintilianus l. 11. A Græcis deſumptum , ſeu a Thracibus , qui diem fortunatum, vel infauſtum albo , & nigro lapillo ſignabant , atque pro felici die Catullus cecinit :

Fulſere vere candidi tibi ſoles .

Inde Judicum *calculi* non propter colorem , ſed ab effectu , *nigri* , & *albi* dicebantur , ut notat Adrianus Junius in ſuo Lexico græco in dict. ψῆφος , inquiens : [ Erant autem duplices ψῆφοι , hoc eſt calculi ; qui condemnabant τετρωμέναι , μέλαιναι , ἀναιροῦσαι , τετρυπημέναι dicebantur tetri , nigri , lethales &c. ] non quia tales erant calculi ; ſed ab effectu ſic dicebantur : & e contrario ibidem : [ Rurſus , qui abſolvebant ἄτρωτοι , λευκαὶ , σώζουσαι , & ἐλεοῦσαι , ideſt , ſalutares , candidi &c. ] Et uſque ad præſens ſolent *album* , & *nigrum paſcha* imprecare Græci , quod nos bonum & felix , ſeu malum , aut infelix Paſcha dicemus : item *Nigra mors* pro infelici , quod etiam apud Homerum ſæpe nigrum , pro calamitoſo , & infortunato legitur . Igitur *Vincenti dabo calculum candidum* , de ſorte Juſtorum ſermo eſſe videtur , de qua Apoſtolus inquit : [ Gratias agentes Deo Patri , qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine &c. Ad Coloſſ. c. 1. nu. 12. ] De calculis coronæ pro precibus fundendis . Vide *Globuli .*

CALDARIUM . Vide *Portus .*

CALDELLUS , vas, in quo cerviſia abſorbebatur . [ In æſtate binos caldellos . In regula S. Cæſarii c. 16.

CALENDÆ . Vide *Neomenia .*

CALENDARIUM . Vide *Kalendarium . Catalogus . Martyrologium .*

CALEFACTORIUM , Hypocauſtum . [ Juſſit in calefactorio ignem fieri . Cæſ. lib. 4. cap. 6.

CALIBÆ , ſeu *Calybæ* . FR. manicæ ex ferro aſtrictoriæ . [ Poſuerunt in ſcamno , indutum calibis , & catenis . Exilium S. Martini Papæ , & Mart. in Collect. Anaſt. Biblioth. a Jacobo Sirmondo in 8. edit. pag. 96.

CALIENDRUM , vox græca καλύπτρα, ſive κάλλυμτρον , velum , quo fœminæ caput tegunt . [ Et ſtolam , & ſupparum , & crepidulum , & caliendrum . Tertull. lib. de pall. cap. 4. ] de quo ornamento Arnob. contra gent. lib. 6. Alii *Caliandrum* legunt .

CALIGÆ , tibialia breviora , quibus in Pontificalibus Epiſcopus induitur . [ Prius tamen quam ſandalia pedibus imponantur , caligis induitur uſque ad genua protenſis , ibique conſtrictis , quia prædicator pedibus ſuis rectos debet facere greſſus , & genua debilia roborare . Ivo Carn. ſerm. de ſignif. indum. ] Quæ antiquitus erant coloris cærulei . [ Caligæ quoque

que hyacinthini, ideſt, aeris coloris, & cœleſtis denotant, quod cœleſtes debent habere pedes. Duran. l. 3. c. 8. ] At illæ quibus Sum. Pont. utebatur, ex panno purpureo erant ſimul cum ſandaliis, in quibus ex corio ſignata erat puſilla Crux, ex teſtimonio Cæremonialis Davantriæ, qui an. MCCCXXV. floruit. FR. aliquando tamen Pontifices Rom. uſi ſunt caligis clavis ſignatis, vide *Sandalia* :||: Significant etiam non raro ſandalia. [ Calcea te caligas tuas. Act. c. 12. ] Ubi græca lectio *σανδάλιδου* habet: quare D. Hieronymus in c.20. Iſai. ſic teſtatur: [ Diſſipatis calceamentis, quæ a Septuaginta ſandalia, ideſt, caligæ vocantur. ] Hinc apud Scriptores ſacros, & ſæculares caligæ calciamenta quædam militaria intelliguntur; atque Cajus Cæſar, quia cum naſceretur in exercitu, ibique enutritus, ut Sex. Aurelius Victor ſcribit, ab his militaribus caligis, quibus a pueritia uſus erat, vel ut Tacitus inquit, ad conciliandos militum animos, *Caligula* appellatus fuerat. D. Hieronymus epiſt. 47. de quadam Virgine parum honeſta loquens, ſic ait: [ Caliga quoque ambulantis nigella, ac nitens ſtridore ad ſe juvenes vocat. ] At clarius D. Greg. in Dial. cap. 4. de Equitio Abbate agens, ait: [ Ecce Vir Dei clavatis calceatus caligis. ] Nam calceamenta clavata erant. FR. Caligas tempore hyberno; & caligulas in æſtate ferebat D. Fulgentius: vide ejus vitam in principio ſui Operis.

CALIX, vas ſacrum, in quo Chriſti Sanguis conſecratur, atque offertur, ita appellatus, quia more antiquorum in ipſo calida abſorbebantur, quod Caſſiodorus in Pſal. 15. alludens, inquit: [ Calix a calida dictus eſt potione; quoniam ſicut ille cor hominis exhilarat bibitus, ita hic ſanctas animas perpetuo jucundat hauſtus. ] Ubi de conſecrato calice in Sacrificio loquitur; qui antiquitus non collocabatur celebrationis tempore poſt hoſtiam, ſicut ad præſens fit; ſed ab ipſius latere dextero ponebatur, ad denotandum emanatum ſanguinem cum aqua mixtum a Chriſti latere dextro in cruento Calvariæ Sacrificio, ut in dict. *Hoſtia* dicemus. [ Calix cum vino, & aqua in dextra locatur, quia ſanguis cum aqua de latere Chriſti manaſſe prædicatur. Gem. lib. 1. c. 46. Ita autem juxta Rom. ordinem in Altari componenda ſunt, ut oblata in corporali poſita, calix ad dextrum latus oblatæ ponatur, quaſi ſanguinem Domini ſuſcepturus, quem de latere Dominico profluxiſſe credimus. Microl. de Eccleſ. Obſerv. c. 10. Calix involutus ſudario porrigitur ad Altare, quod ſudarium ponitur in cornu Altaris, Calix in latere oblatæ in Altari componitur, non poſt tergum. Amalar. in præfat. ] Prius enim corporali tegebatur, ut adhuc Carthuſiani obſervant; ſed nos pro operculo parva palla utimur ex Innocentii Papæ III. ordinatione in lib. 2. de myſt. Miſſæ cap. 56. vide Suarium diſp. 81. ſect. 6. Hujuſmodi enim Calicis ſituationem in antiquo Rituali ſæpe citato Abbatiæ Mileti delineatam vidi, & Græci vetuſtorum rituum tenaciſſimi obſervatores adhuc ſervant. Calix priſcis temporibus non elevabatur; ſed Diaconus in prolatione Sacerdotis, *Per omnia ſæcula &c.* illum aliquantulum elevabat. [ Dicente Sacerdote ( Per omnia ſæcula ſæculorum ) Diaconus venit, calicem coram ſe ſuſtollit, cum fanone partem ejus cooperit, in Altare reponit, cum corporale cooperit, præferens Joſeph ab Arimathæa, qui Corpus Chriſti depoſuit, faciem ſudario cooperuit. Gem. lib. 1. cap. 46. ] De Fanonis ſignificatu. Vide *Fanon*. In feſto Transfigurationis, ſcilicet, die VI. Auguſti, mos erat recens vinum conſecrare; ſi vero non reperiebatur, tunc in mero permaturato intra Calicem poſito parum uvæ exprimebatur, in myſterium cœleſtis regni in Chriſti transfiguratione ſignificati, de quo ille in ultima cœna affatus eſt: [ Amodo non bibam de hoc genimine vitis, donec bibam illud novum in Regno Patris mei. ] Et in eo die uva novella benedicebatur. Durand. lib. 7. cap. 22. De priſcis Calicibus ſic reſpondiſſe S. Bonifacium in can. obſer. prop. 23. Radulphus refert: [ Eccleſiæ Martyr, & Epiſcopus Bonifacius interrogatus, ſi liceret in vaſis ligneis Sacramenta conficere? Reſpondit: quondam Sacerdotes aurei lignis Calicibus utebantur; nunc e contra lignei Sacerdotes aureis utuntur Calicibus. ] FR. Sunt verba Concil. Tribur. cap. 18. ubi ſic habetur: [ Vaſa quibus ſacroſancta conficiuntur myſteria, Calices, ſunt, & patenæ, de quibus Bonifacius Martyr, & Epiſcopus interrogatus, ſi liceret in vaſculis ligneis Sacramenta conficere? reſpondit: quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc e contra lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus. Zephirinus XVI. Romanus Epiſcopus, patenis vitreis Miſſas celebrari conſtituit; tum denique Urbanus VIII. Papa omnia miniſteria ſacrata fecit argentea. ] Quod in c. vaſa, de conſecr. diſt. 1. a Gratiano, & a Valfrid. Strab. de Reb. Eccleſ. c.24. refertur. Quare illis beatis Chriſtianorum ſæculis bene Liviana verba adaptari potuiſſent, quod ſuperſtitioſe tamen ille de primitiva inter Romanos idololatria introducta l. 3. decad. 1. ſcripſerat inquiens; [ Celebrabanturque religiones pie magis, quam magnifice. ] Diſcere profecto debuiſſent Eccleſiaſtici nonnulli, quorum propenſitas, dum ad Eccleſiæ ornatum tota verſatur, a commiſeratione tamen paupertatis averſatur, ita ut obſequium Deo ſe præſtare putent, quando teſtatores ad legata pia ( ne dicam impia ) pro eorum Eccleſiis condere ſuadent, uxoris tamen viduitate poſthabita, ac filiorum, cæterorumque affinium indigentia. Contra ſimilem Eccleſiaſticum, ſic D. Ambroſius invehitur, inquiens: [ Quid enim dices? timui, ne templo Dei ornatus deeſſet: reſpondet, ( Deus ) aurum Sacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur, Ornatus Sacrorum eſt redemptio captivorum, apud Gratianum 12. quæſt. 2. can. Aurum Eccleſia

ha-

habet.] Nam ut Auguſtinus quoque ait, qui hæredem filium relinquit, Chriſto donat, cujus hæc ſunt verba: [ Si quis iraſcitur filio ſuo, & moriens exhæreditat eum, ſi viveret nonne eum placaremus, nonne ei filium reconciliare deberemus? Quomodo ergo cum filio ſuo volo ut habeat pacem, cujus appeto hæreditatem? Sed plane ſic faciat ſæpe, quod hortatus ſum; qui unum filium habet, putet Chriſtum alterum: ſi duos habet, putet Chriſtum tertium; ſi decem habet, undecimum Chriſtum faciat, & ſuſcipiat. Serm. 2. de vita Cleric.] Atque concludit idem S. Doctor: [ Quicunque vult exhæreditato filio, hæredem facere Eccleſiam; quærat alterum, qui ſuſcipiat, non Auguſtinum: imo Deo propitio neminem inveniet, apud Gratian. 17. quæſt. 4. can. Quicunque vult.] At quid dicendum de Religioſis illis, qui divitum juvenum voluntatem blanditiis, & perſuaſionibus extorquent, ut religioſum habitum ſuſcipiant? De Religioſis noſtri ſæculi non ſcribo, quos ab hoc turpe intereſſe alienos agnoſco; verum de antiquis, & temporibus valde remotis degentibus, de quibus Concilii Moguntini PP. pronunciarunt talia: [ Non in fructum animarum, ſed in avaritiam, & turpe lucrum inhiantes, homines circumvenientes, tondunt, & res eorum tali perſuaſione ſurripiunt.] Iſti enim taliter illecti, ſi tractu temporis perſeverare cogantur, bona eorum hæredibus reddenda ſunt, ut in can. conſtituit. 21. quæſt. 3. diſponitur; atque jure optimo Bullam edidit Alexander Papa VII. in qua prohibet unigenitos divites abſque Genitorum conſenſu, habitum Religionis ſuſcipere. Calicis purificatio. Vide *Purificatio calicis*. Vide *Miniſtralis*. Calix non poteſt tangi, niſi a ſolis Miniſtris in ſacris conſtitutis. Vide *Miniſterium*. Cœremonia adhibenda in Calicis offertorio. Vide *Offertorium*; ubi etiam narratur, quod antiquitus elevabatur Calix coopertus ad offertorium, juxta ritum Græcorum. :||: In Calicibus igitur vitreis conſecrare ordinarat Sanctus Zephyrinus Papa, ex quibus mihi unum videre contigit, quem eximia veneratione penes ſe Virgilius Spada Innocentii X. Eleemoſynarius adſervabat; cui duæ ex eadem materia collaterales anſæ adjunctæ erant, juxta vetuſtum morem: [ Levat cum offertorio calicem per anſas, & tenet, exaltans illum juxta Pontificem. Ord. Rom.] De Archidiacono, dum Pontifici celebranti miniſtrat, agit; atque S. Exuperii Toletani Epiſcopi ſpirituales divitias exaltans, epiſt. 4. ad Ruſt. circa finem D. Hieronymus, ait: [ Nihil illo ditius, qui corpus Domini caniſtro vimineo, & ſanguinem portat in vitro.] Uſus hic uſque ad Divi Urbani Papæ, & Martyris tempora perduravit, qui deinde ex auro, vel argento fieri ſtabilivit, in quibus, ut Tertullianus narrat, Chriſtum cum ovicula aberrante in ejus humeros delata cælare ſolebant, inquiens: [ Patrocinabitur paſtor, quem in Calice depingitis. De pall. c. 10.] FR. Calices hujuſmodi etiam facile frangi, idem commemorat. lib. de Pudicitia c. 27. ubi Pamelius calices vitreos tunc fuiſſe doctiſſime animadvertit. Nam ſi Urbanus I. aureos, & argenteos Calices fieri conſtituerat, qui poſt Tertulliani tempora Pontifex extiterat; ſequitur, quod c. 10. de pall. cit. non de aureis, & argenteis, ſed de vitreis calicibus Tertull. loquatur. Vetitus autem fuit vitreus Calix ob fractionis periculum, & Dominici ſanguinis verſionem, ſicut cuidam Laurentii nomine Mediolanenſis Eccleſiæ Diacono, ex Gregorii Turonenſis de Gl. Mart. c. 16. teſtimonio accidit, qui proceſſu temporis ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopus extitit, ut ex Sirmondo in Notis ad Ennodium. lib. dies ſacr. 1. & ex Baronio an. 489. & ſeq. colligitur. Inſuper ſimilem Calicis fractionem, & S. Donati precibus reintegratam S. Greg. Mag. lib. 1. Dial. c. 7. refert, qui Donatus Epiſcopus Aretinus floruerat anno 94. Baron. in hoc An. n. 48. ex quibus infertur etiam poſt Pontificatum S. Urbani in pauperibus Eccleſiis Calices vitreos per bina ſaltem ſæcula duraſſe. Itaque non uſus Calicis, & patenæ vitreæ prohibitus fuit a S. Urbano: ſed *omnia ſacra miniſteria fecit argentea*, ut ſupra ex Concil. Tribur. conſtat. Imo taxative ex lib. de Roman. Pontificibus ſic habetur: [ Hic fecit miniſteria ſacrata omnia argentea, & patenas argenteas viginti quinque appoſuit.] Unde non prohibuiſſe, ſed feciſſe, & appoſuiſſe colligitur Urbanum. Quin temporibus S. Xiſti Papæ, & Mart. erant ſacra vaſa aurea, ut ex Actis S. Laurentii Protomart. per S. Ambroſ. l. 2. c. 48. & Prudentium in hymno 8. S. Laurentii conſtat; Sixtus enim Urbanum per CXXIV. annos præceſſerat; nam Sixtus anno Dom. CXLII. martyrio coronatus fuit, & Urbanus cepit ſuum Pontificatum An. CCXXVI. Prohibitio vitreorum Calicum re vera in Concil. Rhemenſi can. 6. emanaverat, ut habetur in can. ut calix, de Conſecr. diſt. 1. ubi ligneos, vitreos, æreos, vel ex auricalco fieri Calices prohibuit. :||: Marmoreo uſum fuiſſe calice S. Theodorum Archimandritam in ejus vita Gregorius Presbyter refert; ex ære vero Gallus, & Columbanus Abbates, cujus materiam Sac. Canones ob nauſeoſum guſtum, atque odorem, ſic etiam ex aurichalco, prohibuerunt. Calicem, quo in ultima cœna Chriſtus Dominus conſecraverat, argenteum fuiſſe Baron. An. 34. refert, & Bedæ temporibus Hieroſolymis oſtendebatur, ut ipſemet lib. de Loc. Sanc. c. 3. ſic teſtatur: [ In platea, quæ Martyrium, & Golgotha continuat, exedra eſt, in qua Calix Domini ſcriniolo reconditus per operculi foramen tangi ſolet, & oſculari, qui argenteus calix hinc inde duas habet anſulas, ſextarii menſuram capit, in quo illa eſt ſpongia Domini potus miniſtra.] Valentiæ vero Hiſpaniæ alium Dominicum Calicem achatæ lapidis conſervari hom. 26. affirmat Carthagen.; fortaſſe plures in ſac. cœna contactu, & diſpenſatione ſanguinis Salvatoris noſtri conſecrati fuere. Igitur Calicis ma-

teria ex Rubricarum præſcriptione auri, argenti, ſeu aurati cupri eſſe debet. Imo Rhemenſe Concilium in egeſtatis ſtatu etiam ſtanni calicem concedit, quem etiam extra caſum neceſſitatis inſignes Doctores adhiberi poſſe affirmant. FR. nam ex Plinii auctoritate, [ Stannum illitum æneis vaſis ſaporem gratioſiorem facit, & compeſcit æruginis virus, lib. 24. c. 17. ] ||: Quæritur inter DD. utrum Calix non conſecratus, & a Sacerdote in Miſſa ob ejus malitiam, ſeu inadvertentiam adhibitus, an conſecratus remaneat? Nonnulli affirmant, ex ea potiſſimum ratione, quia ſicut a pari Eccleſia ſemel polluta, ſi in ea poſtea celebretur, tunc non indiget amplius alia benedictione: ſed recte de Lugo in tract. de Euchariſt. diſt. 20. ſect. 4. contrariam opinionem amplectitur, & ad argumentum contrariæ ſententiæ, ibidem reſpondet, quod ſi verum eſſet, ut contrarii a pari aſſerunt Eccleſiam ſemel pollutam per celebrationem Miſſæ conſecratam exiſtimari; ſequeretur, quod Eccleſiæ, in quibus Miſſa peragitur, conſecratæ dicerentur; quare licet Eccleſia polluta, & in ea ſemel Miſſa celebrata, amplius ut reconcilietur, benedictione non indigeat; ſic etiam Calix ſemel conſecratus, & poſtmodum pollutus, ſeu denuo auratus, recte nova conſecratione non indiget: attamen Calix nunquam conſecratus non efficitur conſecratus per ſolam celebrationem Miſſæ in eo peractam; bene tamen in veſtibus ſacris, & ſimilibus, in quibus unctio non adhibetur, ſtatim ac cum in ipſis celebrabitur, jam benedictæ cenſeantur. Conſecrationem amittit Calix, ſi cuppæ pars a pede ſeparetur; ſecus vero ſi cuppa clavulum tornatilem habeat ſupplantatum. Item cuppa eſt denuo conſecranda, ſi iterum inaurare illam contigerit, non vero ſi paulatim inaurationem deperdat, niſi ex vi, & data opera inauratio eradatur: ita Suarez, & Vaſquez concordant penes præfatum de Lugo, qui tamen contrarium ſenſit, nimirum, non eſſe opus nova conſecratione, quando denuo inauratur. Debet autem Calix percuti, ita ut formam, & conſecrationem deperdat, ſi Aurifici ad inaurandum, vel liquefaciendum tradatur; ita nonnulli Doctores docent; ſed prævalet uſus hodiernus leviter percutiendi, ne deteratur, quo reverentiæ ſigno patefiat ejus conſecrationis amiſſio. Sacerdotibus mortuis antiquitus nedum inhumatis ponebatur Calix inter manus, ut adhuc in uſu eſt; ſed etiam humatis relinquebatur. [ Ejus deinde corpus cum ad digniorem locum transferendum eſſet, aperto ſepulcro, inventum eſt integrum cum duplici ſtola, & infula rubra, cum panno ſerico, atque cum Cruce ex metallo confecta pectori ejus impoſita, denique cum Calice ad umbilicum ejus poſito. In vita S. Bivini Epiſc. apud Sur. tom. 6. die 3. Decembr. qui obiit anno 604. ] FR. *Calix marmoreus*, dicebatur urna ad modum vaſis, ſeu Calicis formata, ut eſt illa, quæ in atrio S. Cæciliæ de Urbe, & SS. Apoſtolorum in atrio illius Conventus, de qua Joannes III. apud Torrigium de Cryp. Vatican. impreſſ. ſecunda pag. 314. [ A via, ubi eſt Calix marmoreus; ] dixit. Reliqua quo ad Calicem, Vide *Caucus*. *Purificatio Calicis*.

CALIX MINISTRALIS, dicebatur ille, cum quo miniſtrabatur populo Dominicus ſanguis, quando ſub utraque ſpecie communicabatur: ut in dict. *Communicalis* dicetur; de his calicibus vaſtioribus fit ſæpe mentio in vitis Pontificum. S. Remigius Rhemenſis Archiepiſcopus in calice miniſtrali Eccleſiæ oblato, hos verſus a ſe compoſitos incidere juſſit:

Auriat hinc populus vitam de Sanguine Sacro
Injecto, æternus, quem fudit vulnere Chriſtus;
Remigius reddit Domino ſua vita Sacerdos.

CALLIBLEPHARUM. FR. ex græco Καλλιβλέφαρον medicamentum oculorum, quo palpebræ venuſtantur, infectis pilis. [ Calliblepharum, vellerumque tincturas inter cætera docuerunt. Tertull. de cultu fœminarum, cap. 10. ] quo vocabulo uſus eſt etiam S. Proclus Conſtant. Patriarch. Orat. 19. Hujus etymon diſerte exponit Vinc. Riccardus in præfatam Procli orat. variaſque tum ex Plinio auctoritates, tum aliis expedit.

CALLICULA, ex verborum ſenſu atramentarium ſignificare videtur. [ Ante conſpectum ſuum ponit ſuper menſam calliculam; unde tribus digitis mortem hominum ſcribit, aut vitam: Imperfectus, hom. 54. in cap. 15. Matth. ] Ubi de finali judicio loquitur, quamvis ab aliquibus hæ homiliæ D. Chryſoſtomo attribuantur. FR. fortaſſe *Caliculum* ſcribendum erit, quod parvum calicem ſignificat: [ Hunc in eo loco factum aliquando miniſtrum a caliculis in curam promptuarii. In vita S. Bercharis Abb. ] Miniſtrabat, nempe, Monachis potum.

CALLIGRAPHUS, ex græco καλλιγράφος, ideſt, accuratus ſcriptor. [ Interea Calligraphus quidam Alexandriæ venerabilis vir. Paul. Diac. lib. 17.

CALLOSITAS, antiquitas, vetuſtas. ] Quid igitur vis homo de humanis ſententiis litterarum tuarum exiſſe hanc in uſus communis calloſitatem? Tertull. de teſt. animæ cap. 3.

CALO, qui frangit, ſeu fert ligna: a verbo græco κάλον, ideſt, lignum. [ Joſue uſus eſt Cabonitis lixis, & calonibus. Chryſoſt. in pſal. 14. ] FR. ſignificat ſervum, ſeu mancipium, quod in exercitu ducitur, ad ferenda, & miniſtranda ligna, ſeu lignea inſtrumenta; a *Caladis*, ita appellatum exiſtimat Porphir. quia eo die menſtrua cibaria accipiebat; vel ſecundum Accurſium a *Calendo*, ideſt, vocando, quia ad miniſteria hujuſmodi ſervi vocabantur. Hoc vocabulo uſus eſt Cæſar in 2. lib. Belli gallici, in 1. belli civilis, atque Livius ubique; unde apparet, quam perperam ſenſerit Accurſius in l. ſed & ſi quid la 1. in princip. ſuperallegata; licet in codicibus impreſſis Ulpiani *Calum* habeatur. Nec per *Calonem* ligna frangens intelligitur, ut alii ſenſere; nam talis operator *Calocopus*, & *Hylocopus* dice-

dicebatur. Amalt. Onomaſt. in hac dictione, a vocabulo græco κᾶλον, quod lignum ſignificat. Hinc *Calones* etiam dicti ſunt calcei ex ligno. Feſtus: quæ *Calopedia*, *Soccum*, & *Soccoli* dicuntur. Vide ſuo loco. Italice *Zoccoli*. Livius iiſdem prorſus vocabulis lib. 3. belli Pun. uſus eſt inquiens: [ Impedimenta ſubſequi juſſit, calones, lixaſque, & invalidos milites vallum ferre; & Horat. 1. ſermon. Satyr. 2.

Hic ſe præcipitem tecto dedit: ille flagellis
Ad mortem cæſus, fugiens hic decidit acrem
Prædonum in turbam: dedit hic pro corpore nummos:
Hunc perminxerunt calones.

Et de eodem vocabulo Curtius: [ Huic agmini &c. lixarumque, & calonum greges vehebantur. lib. 3. cap. 3.

CALOGERUS, καλόγερος, ad verbum ſonat bonum ſenem. Fit enim a καλὸς, bonus, & γέρων, ſenex. Omnes tamen Græci Religioſi, ſeu Monachi, ita ſolent a vulgo nuncupari: eo quod videlicet antiquitus apud Græcos, ad Monachorum ſuperiores, ſenes quantum vis laici, ſeu nullatenus in ſacris Ordinibus conſtituti, aſſumebantur, qui Calogeri nuncupati. Et hinc temporis decurſu omnes ipſorum Monachi, etiam Diaconi, qui & Hierodiaconi, atque ſacerdotes, qui & Hieromonachi, Calogeri nominis ſignificato ad officium, ſtatum, aut dignitatem translato, ſunt appellati. Sicuti apud Latinos omnes Sacerdotes dicti Presbyteri, ideſt ſeniores, quamvis juniores exiſtant. Talis eſt vocis *Calogerus* apud Græcos origo. Si quis autem a γέρας, ideſt dignitas, munus, honor, deducere vellet, tunc calogerus quemlibet bona, aut pulchra dignitate, honeſto munere, egregio honore, vel aliquo ſimili inſignitum ſubindicare poſſet.

CALVARIUS MONS. Vide *Cranium*. *Golgotha*. *Venerarium*.

CALVATUS. FR. erat ignominioſa pœnitentia. Gloſſa in can. de benedicto. 32. quæſt. 1.

CALVINIANI, ſeu *Calviniſtæ*, recentiores Hæretici. Vide *Companatores*. *Hugonottus*.

CALUMNIOR. Vide *Impoſturor*. *Prævaricator*.

CALUMNIATOR. Vide ejus ſynonyma in dict. *Accuſator*.

CALYBÆ. Vide *Calibe*.

CALYBITA, græce καλυβίτης, tugurii habitator. Ita Sanctus Joannes, qui in inſu la Tiberina diu in tugurio permanſit, hoc vocabulo cognominatus eſt.

CALYPTRA, Græce καλύπτρα. FR. Diadematis genus ab eo, quod fert Venetus Dux, non diſſimile: [ Calyptram in capite panno, purpura, & auro intextam circumdatam geſtaret; quatenus ſurſum vergit, & ad pyramidem ſuperficiei funditur. Nicephor. Gregor. hiſt. lib. 5. & 7. Joannes rubra talaria cum pyramide margaritis diſtincta, in cujus ſummitate purpureus lapis fulgebat, (ea Regum ſunt inſignia) mox deſpotica dignitate a Rege muneratur. Georg. Logoth. in Chronic. Conſtantinop. ] Cujus figuram ex æneis valvis templi Vaticani hic immediate deſcribi curavimus. Calyptræ ſynonyma. Vide *Camelaucium*. *Cameſcaus*. *Mitra*. *Pileus*.



CAMALDULENSES, Religioſi. Vide *Laura*. *Mixtum*.

CAMÆUS, gemma, in qua figura aliqua cælata, ſeu

inciſa eſt. [ Nobilibus lapidibus inſculptis, quos camæos vulgariter appellamus. Matth. Pariſ. in hiſt. ex gallica voce *Cameyen*. In Eccleſia Meſſanenſi duo cum cappis ad canonicalem Miſſam cantatam aſſiſtentes, *Camei* appellantur, fortaſſe, quia tanquam duæ ſtatuæ aſtantes, & nihil agentes, reperiuntur; inde nomen hoc illis inditum fuerat.

Camba, dictio Germanorum vetuſta, quæ officinam, ubi cerviſia coquitur, ſignificat. [ Cariſiolum cum terris cultis, & incultis, molendinis, cambis, ſylvis. Privil. Caroli VII. Eccleſiæ Camaracenſi conceſſ. regiſtr. in Chronica Camaracen. lib. 1. cap. 52.] FR. puto legendum potius; [ Cum terris, campis, ſylvis &c. :||: Idem tamen vocabulum legitur in quadam Eugenii III. epiſtola ad Epiſcopum Atrebatenſem. [ Molendinum aliud cum duobus furnis, & camba.

Camaurum. Vide *Camelaucium*.

Cambaricus, qui cerviſiam vendit.

Cambio, verbum, & *Cambium*. Vide *Concambio*.

Camborta, extremitates, ſeu margines. [ Camborta, quæ ſeptem deſuper firmant. In lege Salica tit. 39. ] ideſt, circuitus virgarum, quibus in extremitate ſepimentorum ob firmitatem vinciuntur.

Cambuca, baculus Paſtoralis, quo Epiſcopus in ſacris functionibus utitur. [ Cum precibus reliquiis, & cambuca Sancti longius proceſſerat. In vita S. Vvinoci Abb. cap. 13. ] Ab aliis *Camboca* ſcribitur. [Baculum ipſius, quem vulgo Cambocam vocant, per manum Diaconi tranſmiſerunt. Valfrid. in vita S. Galli lib. 1. cap. 26. ] Vide *Baculus*.

Camelaucium, *Camelaucum*, *Camelaugum*, *Camelaucus*, & *Camelauſium*. Biretum monachale Græcorum, & Benedictinorum, cujus limbus binas appendices parabolicis figuris deſinentes habet, quæ faciei tempora contegunt; ſed Benedictinorum breviores ſunt; ſuturæ autem hujuſmodi bireti tantum in quatuor partes æquales fiunt, quæ aliquantum elevatæ, quatuor crucis angulos efformant. Eadem forma papale biretum eſt, ſed ex purpureo holoſerico raſo pro æſtate, & villoſo armellina pelle ſubſute in hyeme fertur. [ Apoſtolicus Pontifex cum camelaucio ſolitus eſt Romæ procedere. Anaſt. Biblioth. ] Vox quidem græca καμηλαύκιον, ut Leo Allatius, ubi de habitu Monachali loquitur, ex eo, quia Camelorum pilis intexti erant, ita dici opinatur. Alii etymologiam deducunt ex Græcis dictionibus καῦμα ἐλαύνειν, quæ calorem producere ſignificant; inde *Camaurum* vocari exiſtimo. FR. Ego tamen contrarium puto, nempe, a Camauro camelaucium derivari; nam καμαεὶς, capitis muliebris ornamentum erat, & ita appellatum, quia per id καμάειον, ideſt, cerebri pars defenditur; unde *Camelaucium* per ſyncopen a καμαεὶς, & λακὶς reſegmina panni. Vide Junii Lexicon in his dictionibus; nec mirum ſi Camaurum a muliebri ornamento nomen ſumpſerit, nam Tiara, quæ eſt Papæ ornamentum, & Mitra etiam ornamenta erant, quibus antiquitus fœminæ utebantur. :||: [ Super caput autem geſtat pileum in modum parvuli camelauci, ſeu caſſidis, quod extenditur ſuper ſummitatem. Beda de tab. lib. 3. cap. 8. ] Igitur Tiara, quæ vulgo appellatur *Triregnum* Summi Pontificis, *Camaurum* dicitur, de quo vide *Epanoclyſtus*, *Mitra*; vel quia ſuper tale biretum imponebatur, ut in antiquis picturis conſpicitur, vel quia Camaurum a Camelaucio diverſificatur, & eſt idem cum *Tiara*, & καμαεὶς. Recentiores Græci vocant *Camelephocbi*, ſed ex ſententia ejuſdem Allatii in dict. tract. lib. 3. cap. 9. Cucullum vocari deberet. Ex figuris ſepulcralibus colligitur etiam clericale biretum illius camelaucii formam antiquitus habuiſſe; ſed proceſſu temporis, ſolida tela ſubſuta, illi quatuor anguli in modum Crucis aliquantulum ſublevati ſunt ad formam Clericorum Hiſpanorum, & Gallorum. Soli Itali unico angulo ſubmiſſo tres ad honorem Sanctiſſimæ Triadis elevant, & nihilominus figura Crucis retinetur. Multæ Religiones adhuc formam antiquam Camelaucii retinent, nempe, cum forma verticalis Crucis abſque ſolido telæ fulcimento.

Camelus. [ Facilius eſt Camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum cœlorum. Matth. cap. 19. n. 24. Marci cap. 10. num. 25. & Lucæ cap. 18. num. 25. ] ubi S. Hieronymus, & Origenes, Camelum animal intelligunt; ſed melius Chriſti parabola ad rem faceret, & litteraliter ſenſus eſſet, ſi æternam Sapientiam de fune, & non de dromedario intellexiſſe diceremus; nam græce κάμηλος tam animal, quam funem ſignificat. FR. quod confirmatur, quia originalis hebraicus textus non reperitur, unde non implicat credere, quod mediante græca lectione Evangelia in latinum fuiſſent tranſlata, & antiquorum nullus fide dignus ocularis teſtis eſt, qui hebraice dictionem hanc vidiſſe fateatur; imo nec Evangelia, ſi enim aliquis eſſet maxime diligentiſſimus, & fide digniſſimus teſtis, Hieronymus cenſendus eſſet: at quid ille in hoc referat ad Damaſum Papam ſcribens, attendamus, ubi de variis latinis Evangeliorum codicibus inter ſe diſcrepantibus ſic inquit: [ Si enim exemplaribus fides eſt adhibenda, reſpondeant quibus? Tot enim ſunt exemplaria pene, quot codices. Sin autem veritas eſt quærenda de pluribus: cur non ad græcam originem revertentes, ea quæ vel a vitioſis interpretibus male reddita, vel a præſumptoribus imperitis emendata perverſius, vel a librariis dormitantibus, aut addita ſunt, aut mutata, corrigimus? ] & inferius: [ Sit illa vera interpretatio, quam Apoſtoli probaverunt. De novo nunc loquor teſtamento: quod græcum eſſe, non dubium eſt, excepto Apoſtolo Matthæo, qui primus in Judæa Evangelium Chriſti hebraicis litteris edidit. ] Sed neque ad Hieronymianas manus hebraicum Matthæi Evangelium pervenit; quod ex ejuſdem Doctoris verbis inferius ibidem

dem colligitur, ubi ſic ſatetur: [ Igitur hæc præſens præfatiuncula pollicetur quatuor tantum Evangelia, quorum ordo eſt iſte, Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes; codicum græcorum emendata collatione, ſed veterum, quæ ne multum a lectionis latinæ conſuetudine diſcreparent, ita calamo temperavimus &c. ] Mirum ergo non eſſet, ſi nomen illud *Cameli* in græco textu poſitum, quod funem in eo idiomate etiam ſignificat; perperam aliqui animal intellexiſſent, ejus nominis ſignificationem analogicam tam ad dromedarium, quam ad funem habere minime advertentes. Sic etiam Jo: Bapt. Jona paucis abhinc annis Romæ in ſua Evangeliorum hebraica translatione dromedarium transſpunxerat. Ad id vero, quod pro ſuæ intentionis comprobatione affert D. Hieronymus ex Talmudiſtis Rabbinis ſe didiciſſe, inter eos, nempe ſolitam fuiſſe hanc parabolam de dromedario *per acum tranſire* affirmantibus; tripliciter reſponderi poſſet. Primo, quod cum hoc invidum genus Evangelium Filii Dei tam odioſe inſectet; ideo congrue credendum eſt, ut improprium æternæ veritatis ſermonem impoſtores Rabbini redderent, hanc falſam eruditionem pio Doctori ſuadere conati ſint; nam licet aliquid lucri in veteris teſtamenti oceano eorum commercio aſſequi valeat; in Evangelico tamen ſalutis portu, nil ſpei boni erit cum eis. Reſpondendum ſecundo, quod Rabbini iſti cœcutientes in talmudicis nugis, quæ nonniſi impropria, & nauſeantia facta, dictaque continent; hinc eorum fabuloſis loquendi modis, ac parabolis ex illa fœtida Talmudi lacuna fortaſſe expiſcatis, nulla fides præſtanda erit. Tertio dicendum Rabbinos æquivocatos fuiſſe de una phraſi ad aliam; nam penes Hebræos proverbium erat exaggerativum *Camelum deglutire*, & non *Camelum per acum tranſire*; quo loquendi modo Salvator noſter uſus eſt. Matth. 23. num. 24. inquiens: [ Duces cœci, & excolentes culicem, camelum autem glutientes. ] Quare Baronius ann. 33. Caninium ſequens, elephantem per acum tranſire, antiquum adagium fuiſſe, ſine exemplari fulcimento aſſerit; nec non Hieroſolymitanam anguſtam portam; *Foramen acus* appellatam refert; ſed re vera nonniſi ignotum per ignotius, ſine ullo documento probante referre videtur. Igitur rectius Suidæ credendum, qui κάμηλος græce funiculum craſſum ſignificare docet. Et Calepinus *Camelum* latine etiam funem dici aſtruit in dict. *Camelus*, ubi ſic habet. [ Camelus funis nauticus, quo anchoræ religantur, de quo aliqui intelligunt illud in Evangelio; facilius eſt Camelum per foramen acus intrare &c. ] Vide, hic *Acus*. *Curcuba*.

CAMERA APOSTOLICA. Vide *Patriarchium*.

CAMERA PAPAGALLI. FR. Camera ſic appellata in Vaticano palatio, ubi habebatur Conſiſtorium ſecretum [ Conſiſtorium ſecretum celebratur in Aula aliqua Palatii Apoſtolici remotiori (Cameram papagalli, quæ eſt in Vaticano, appellant) ſed Pontificalis parieti adhæret, in medio ſurgit a ſolo ſine thalamo &c. Cæremon. Rom. lib. 1. ſect. 9. cap. 3.

CAMERARIUS, Cardinalis, qui Cameræ Apoſtolicæ proventus curam habet, & in Sede vacante per illos dies, in quibus adhuc conclave non celebratur, magnam juriſdictionem habet, & monetam cum gentilitiis ejus inſigniis cudit, qui Cardinalis ſi Sede vacante decedere contigerit, ex facultate Bullæ Clementis V. ipſi Cardinales in eadem dignitate alium ſubſtituere debent.

CAMERATUS, arcuatus, fornicatus, teſtudinatus. [ Super columnas in quadrifico cameratas muſivo, pulchriſque metallis decoravit. Anaſt. Biblioth. in Paſchali. ] FR. latinum eſt nomen, unde *Camero*, & *Concamero* dicitur. [ Dinocrates Architectus Alexandri Arſinoes templum concamerare inchoaverat. Plin. lib. 34 cap. 14.

CAMERLENGUS, idem ac *Camerarius*; dicitur, etiam *Oeconomus*. Vide ſuo loco.

CAMESANEUS. FR. appellativum nomen indumenti. [ Conſtantino Pontifice ad octavum lapidem Conſtantinopoli appulſo, Tiberius Juſtiniani Imperatoris filius, & ipſe Imperator, cum patritiis, & omni nobilitate, Cyruſque Patriarcha cum Clero obvii proceſſerunt: Pontifex Rom. cameſaneum papalem amictum indutus ſolemni totius Conſtantinopolitanæ Urbis pompa in Regiam eſt profectus. Blond. decad. 1. lib. 10.

CAMILABO. FR. pannus utrinque dependens a pileo Patriarchæ. Lexicongræcum.

CAMINATA. FR. Regio, Vicus in legib. Longobard. & Bullar. Caſinen. tom. 2. Conſtit. 122.

CAMISATUS, Clericus, qui curam habebat infundendi aquam calidam in calice poſt conſecrationem juxta ritum Græcorum, qui Καμίσατος, ab ipſis appellatur, de quo Curopalata: Vide hic *Aquaris*. FR. ita Meurſii Gloſſ.

CAMISIA, Alba, veſtis ſacra. [ Indutus camiſia linea, quæ communi nomine dicitur alba, Bleſs. ſer. 41. ] Aliquando pro ſuperpelliceo, ſeu rochetto accipitur; ita intelligenda ſunt verba Cæſarii de pio illo Epiſcopo loquentis, qui pauperis plagam curaverat, ubi ſic ait: [ Cumque adhiberet partem camiſiæ ſuæ, quæ de panno erat ſatis ſubtili, lib. 8. cap. 32. ] Certum quidem eſt Præſulem hunc in tali incidentia rochettum, & non albam adhibuiſſe. De Alba diximus ſuo loco.

CAMIUM. Vide *Concambium*.

CAMPANA, inſtrumentum convocatorium, ideo a Turcis prohibitum, ne ejus ſono ſignum aliquod rebellionis detur. Ejus ſynonymum eſt *Codion*, a verbo græco κώδη, ideſt, papaver, a cujus calicis forma ad campanæ ſimilitudinem eidem nomen inditum fuit: ſic κωδωνοφόρος, tintinnabula geſtans, Budæus interpretatur. FR. quod per nomen *Codion* papaver intelligatur, vide Ruellium lib. 2. c. 100. unde Dia-

codion Plin. lib. 20. cap. 18. papaveris medicamentum appellat. Item dicitur *Clocca*. Vide ſuo loco. Item *Cymbalum*, & *Crotalum*. [ Quos neque hercule ego, neque ſupercilium tuum, neque collegæ tui cymbala, ac crotala fugi. Cic. in Piſonem. ] Et Plinius in præf. ad Imp. Veſpaſianum refert Apionem Gram. a Tyberio *Mundi cymbalum* vocari conſueviſſe, quia ejus fama divulgata per univerſum erat. :||: Sed *Crepitaculum*, & *Crotalum* ligneum potius inſtrumentum eſt ad ſtrepitandum, a verbo græco κρόταλον, ex verbo κρέω, quod ſtrepitare, & pulſare ſignificat. In Miſſali autem Ambroſiano *Crotola* eſt illud ligneum inſtrumentum, quo in tribus diebus majoris hebdomadæ, quando non pulſantur campanæ, utimur in Eccleſia, ad convocandum ejus ſtrepitu populum. Campana etiam *Nola* dicitur, quia in Civitate Nolæ a Divo Paulino ejus Epiſcopo inventa fuerat, ut plerique exiſtimant; inde a Campana provincia Campana communiter denominari exiſtimatur. Nihilominus Quintilianus, qui ante Divum Paulinum vixerat, iiſdem vocabulis utitur. Et penes Gentiles erat antiquum adagium, *In cubiculo nola*, ad ſignificandum aliquem delatorem, ac divulgatorem intra domeſticos parietes reperiri, qui ſecreta negotia divulgare potuiſſet, quod alio modo, *Mutus habet aures*, dicebatur. Præterquam, quod Baronius an. 58. n. 104. clare demonſtrat ſimilia tintinnabula apud eoſdem Gentiles antiquiſſima fuiſſe: nec valet dicere eundem Epiſcopum in grandiori forma talia inſtrumenta auxiſſe; nam ex eodem Baronio conſtat ibidem etiam ea in magna forma penes Gentiles extitiſſe. Errant inſuper Polidorus Virgilius lib. 6. cap. 12. & Honuphrius Panvinus in vitis Pontificum aſſerentes campanarum inventorem fuiſſe Sabinianum Papam: nam D. Hieronymus, qui per bina ſæcula ante hunc Pontificem floruerat, de campanis mentionem fecerat in cap. 33. de regul. Monach. ubi ſic ait: [ Ad matutinas excubias media nox vos præparet. Nullum ex vobis dormientem reperiat campanilis ſonitus. [ FR. Adagium de nola in cubiculo a Quintiliano lib. 8. cap. 6. refertur, qui tamen fatetur enigma eſſe, nec illud niſi interpretur, intelligas. De tintinnabulis, præter ſupra allatos, mentionem faciunt Martial. lib. 14. epigr. 163. inquiens:

Redde pilam: ſonat æs thermarum, ludere pergis.

Juvenalis Satyr. 6.

Tot pariter pelves, & tintinnabula dicas
Pulſari. Lucilius:

Tintinnabulum abeſt hinc, ſirpiculæque oletarum.

Vide Hadrianum Junium lib. 3. Animadverſ. cap. 15. In vaticana Baſilica primum nolarium, conſtat ab Heraclio Imp. erectum fuiſſe; refert enim Torrigius de Crypt. Vaticanis, quod quando de anno MDCX. demolitum fuerat nolarium, in ejus fundamentis Heraclii Imp. numiſma repertum fuit, & cum Sabinianus ultimum diem ſuum clauſerit de anno DCV. Heraclius autem ( juxta Baronii computum ) de anno DCX. cœperat imperare; ergo hoc poſtremo tempore pro erigendis campanis campanaria turris in Vaticano ædificata fuit: poteſt tamen eſſe, quod præf. Papa campanarum uſum in Eccleſia ſanxiſſet, & Heraclius poſt luſtrum pro Campanis campanarium conſtrui curaſſet. Cæterum in tom. Concil. ubi de vita hujus Pontificis agitur, de eo hæc aſſeruntur: [ Sabinianus Papa campanarum uſum invenit, juſſitque, ut ad horas canonicas, & in Miſſarum Sacrificio pulſarentur in Eccleſia. ] Sunt qui putant etiam *Petaſum* fuiſſe campanæ nomen, ſed ex verbis Varronianis a Plinio lib. 36. cap. 13. allatis, eos erraſſe colligitur; ubi de fabuloſo Porſenæ Hetruriæ Regis Labyrintho per eundem Varronem ſomniato, ſic Plinius ait: [ Sed cum excedat omnia fabuloſitas, utemur ipſius M. Varronis in expoſitione ejus verbis: ſepultus eſt, inquit, ſub urbe Cluſio; in quo loco monumentum reliquit lapide quadrato: ſingula latera pedum lata tricenum, alta quinquagenum: inque baſi quadrata intus Labyrinthum inextricabilem, quo ſi quis improperet ſine glomere lini, exitum invenire nequeat. Supra id quadratum pyramides ſtant quinque, quatuor in angulis, in medio una, in imo latæ pedum ſeptuagenum quinum, altæ centum quinquagenum: ita faſtigiatæ, ut in ſummo orbis æneus, & petaſus unus omnibus ſit impoſitus, ex quo pendeant excepta catenis tintinnabula, quæ vento agitata, longe ſonitus referant, ut Dodone olim factum, &c. ] Ex quibus verbis ſatis manifeſtatur, quod quinque *Betaſi* nonniſi ſuſtentacula tintinnabulorum erant, quæ vento agitata reſonabant, fuiſſeque ingentis magnitudinis, dum catenis excepta erant, & longe ſonitus referebant. :||: Igitur in Occidentali Eccleſia uſus inſtrumenti ad convocandos fideles prius cœperat; nam Orientales ſicut in præſenti, etiam & antiquitus ligneis inſtrumentis uſi ſunt; legimus enim in ſeptima Synodo, quod quando Cæſaream translatæ fuerant D. Anaſtaſii Martyris reliquiæ, cum hujuſmodi inſtrumentis obviam proceſſum fuerat, ubi ſic habetur: ] Cum Sanctæ Civitati reliquiæ appropinquaſſent, omnibus ea res fuit declarata, & ſignificata. Itaque lætitia magna profuſi omnes ſurgentes ſubito, ligneaque ſacra pulſantes invicem obviam facti ſunt. ] De his etiam ligneis inſtrumentis Cæſarius lib. 1. cap. 4. mentionem facit, quod aliqui putant in funeralibus tantum fuiſſe ſolitum adhiberi, ut ex eodem Cæſarii textu videtur colligi, ubi ſic ait: ] Percuſſaque tabula, cum tam Abbas, quam cæteri fratres ad ejus exequias convolaſſent. ] Græci recentiores, aliæque Chriſtianæ nationes ſub tyrannide Turcica degentes ſimile inſtrumentum loco campanæ adhibere coguntur, quod *Symandrum*, & *Agioſymandrum* graja voce appellant. Æthiopes in eorum Eccleſiis lapideis campanis haud ſono inærato utuntur, ſic mihi ejuſdem nationis in Propaganda Fide Alumni re-

retulerunt, inter quos quidam Aſpha Maria, qui cum ejuſdem Sacræ Congregationis in illis regionibus Miſſionarius extitiſſet, & cum Hæreticis, ac Schiſmaticis coram illorum Imperatore pro fide catholica acerrime diſputaſſet, ob eandem veritatis proteſſionem martyrium obtinere meruit. [ Apud quoſdam tabulas, apud nonnullos cornu, horæ prodebantur. Vvalfridus de Eccl. Obſer. cap. 5. ] De inſtrumentis Orientalium Chriſtianorum pro convocandis illis ad ſacras preces, loquitur. Cœperat ergo uſus campanarum in Oriente de anno 865. ubi Baronius num. 101. ait: Michaeli Græcorum Imperatori ab Urſo Patritiano Venetorum Duce aliquæ campanæ miſſæ fuere. FR. Blondus vero non Michaeli, ſed Baſilio Imperatori campanas miſſas fuiſſe ait, cujus verba decad. 2. lib. 2. hæc ſunt: [ Eodem anno illi ( *ideſt Saraceni* ) Creta inſula egreſſi Dalmatiæ oram invaſerunt, & non ſolum maris expoſita loca, ſed facta pleriſque in locis excurſione, mediterranea vexarunt. Qui Gradum uſque delati, oppugnata diu Urbe: ideo non ſunt potiti, quod Veneti vicinæ Urbis periculo excitati, laborantibus præſidium attulerunt, & fugatos inde Saracenos mari quoque ſupero expulerunt: in cujus fortiſſimi facinoris gratificationem, Baſilii Imperatoris Conſtantinopolitani Apocriſarii Dalmatiam adminiſtrantes, Urſum Patritianum Ducem Venetum Protoſpatharium imperialem declaraverunt: is Dux accepti muneris gratias relaturus, campanas XII. magni ponderis Baſilio Imperatori dono miſit, eaſque campanas conſtat primas fuiſſe, quas Græcia alicubi habuerit. ] :||. Solent benedici campanæ, quod aliqui abuſive *baptizari* dicunt; ex eo, quia Epiſcopus nomen alicujus Sancti illis imponit: & quamvis Joannes XIII. de anno 968. eximiam campanam Baſilicæ Lateranenſis benedixerat, eique ſuum nomen impoſuerat, non tamen ab eo hæc cæremonia initium habuerat, cum Alcuinus Caroli Magni Præceptor, qui in octavo ſæculo floruerat, de eadem cæremonia mentionem faciat. In Monaſterio Ferrarienſi S. Bartholomæi adhuc antiqua nola reperitur, *Calcar*, ſeu Italice *Sperone* appellata, cujus nominis cauſa hæc fuit; nempe, cum ad venationem pergeret Comitiſſa Mathildes, & apud idem Monaſterium diverſata eſſet, raucam campanam audierat pulſare, Monachos interrogavit, cur non illam reſarcire curarent? cui ob eorum inopiam, id fieri nequiſſe, reſponſum fuit; at illa ejus aurea calcaria gemmis ornata ſtatim diffibulavit, & ad illius operis indigentiam Abbati donavit: inde in munificentiæ memoriam eidem nolæ reſtauratæ, nomen *calcar* cum his verſibus inſculptum eſt,

Nola hæc Mathildis ære, quam fudit faber,
Calcari aureo muneri dato, vocat
Fratres, ut orbis concinat laudes Patri
Tergo ſonanti calcar impreſſum gerit,
Donique, muneriſque par veſtigium.

Hæc quoad campanæ etymologiam, atque hiſtorias. Nunc de ejuſdem myſteriis, atque cum Geminiano dicimus loco Sacerdotalium tubarum veteris Teſtamenti inſtitutas fuiſſe in Eccleſia Dei campanas, ſic ille, cap. 142. quem ſequitur Valaf. c. 5. necnon Apoſtolorum prædicationem ſignificant, & ideo ſicut in Salvatoris Paſſione præ timore illi tacuerunt; ita in triduo majoris hebdomadæ in mœſtitiæ ſignum non pulſantur campanæ. [ Notum eſt autem primos hujuſmodi præcones ( ſcilicet Sanctos Apoſtolos ) non ſolum conticuiſſe, ſed etiam relicto eo omnes fugiſſe; igitur ea hora, qua Dominus traditus eſt, ſignis Eccleſiæ ſilentium indicimus, Chriſtumque ſolum torcular calcantem in ligno Crucis extenſo corpore tympanizantem teſtimonium veritati humili, ac ſolitaria voce perhibentem ligneo malleolo in tabula ſuſpenſo, & perſonante populum ad Eccleſiam invitantem ſignificamus. Rup. lib. 5. de divin. off. cap. 29. ] Hic obiter monendum eſt, quod in Sabbato Sancto non ſunt pulſandæ campanæ pro *Gloria in Excelſis*, ante Eccleſiæ Matricis ſignum, ſub pœna centum ducatorum ex Conſt. Leonis Papæ X. edita de ann. 1518. quæ prohibitio reſpective ad Parochiales Eccleſias extenditur, imo ad hanc obſervantiam etiam Regulares teneri declaravit Sacr. Congr. Rit. ſub 19. Febr. 1608. Ceſſatio autem pulſationis campanæ in Eccleſia Ambroſiana incipit de mane, lecta expiratione Chriſti in Evangelio Paſſionis. Pulſatio vero earum in tanta veneratione antiquitus erat, ut Concilium Colonienſe, par. 3. cap. 31. Clericum ſuperpelliceo indutum id facere ſanciverit, & D. Carolus Borromæus Mediolanenſis Eccleſiæ Vigilantiſſimus Præſul in ejus Diœceſi id ſemper obſervari ſtuduit. Pulſatio item campanæ in elevatione Miſſæ Sacrificii, & quando contingit ad ægrotos Euchariſtiam deferre, inſtituta fuit ab Abbate Guidone Cardinali, dum Legati Apoſtolici munus fungebatur Coloniæ Agrippinæ pro confirmatione electionis Ottonis Imperatoris, ut populus hoc ſigno ad adorationem Chriſti Sacramentati commonefieret; quod pium inſtitutum poſtea in univerſali Latinorum Eccleſia introductum fuit, Cæſar. lib. 9. c. 51. FR. Blondus tamen, lib. 7. decad. 2. aliter narrat, ubi de perſecutione Federici Ænobardi Imperatoris loquens, ſic ait: [ Quum interea Pontifici, ( *ideſt, Gregorio Nono* ) ſatis, ſupraque eſſet ejus caventi inſidias, rem eccleſiaſticam reformare. Eo enim tempore decrevit Salve Regina, certis divinæ rei horis addi, campanaſque ad Euchariſtiæ confectionem, & Laudes Virginis Dei Genitricis ſpeciali oratione in matutinalibus celebrari, quibus eccleſiaſticis rebus, ad rerumque ſuarum ſalutem neceſſariis intentus fuit. ] Idemque narrat Odericus Rinaldus, ad an. 1238. num. 73. Campanæ Lateranenſis Eccleſiæ feſtivo more in omnibus anni diebus pulſabantur, & quare. Vide *Lateranenſis Eccleſia* :||: In Papali Sacello ad elevationem Ho-

Hoſtiæ, & Calicis non pulſatur campana: nec in Miſſa privata ejuſdem Pontificis ad *Sanctus*: id etiam obſervatur, quando privatim idem Pontifex audit Sacrum. FR. Pro reis morte puniendis campana non eſt pulſanda, niſi eo fine, ut moneatur populus pro noxii anima Deum precari. Diana, par. 6. tract. 7. reſ. 37. Quo vero ad campanæ pulſationis effectus, his verſibus explicantur.

Laudo Deum verum, plebem voco, congrego Clerum,
Defunctos ploro, nimbum fugo, feſtaque honoro.

Gloſſ. in extravag. de off. cuſt. c. 1. :||: Alii campanæ effectus prodigioſi etiam narrantur, ſicut de campana cujuſdam loci Villulæ nomine Cæſarauguſtanæ Diœceſis, quæ ex ſe ſola ſolet pulſari ad præſagiendam aliquam Chriſtianis futuram ærumnam, ut teſtantur Antonius Tarraconenſis Archiepiſc. Numiſm. dial. 6. Hieron. Zurrita, lib. 10. c. 93. Martin. del Rio, lib. 4. c. 3. qu. 2. & alii, ut etiam accidit in prædatione Urbis tempore Clementis VII. Campanulam ſuper portam capituli Dominicanorum Conventus Salerni, pariter ex ſe ſola tunc pulſari narratur, & experientia jugiter comprobatur, ante obitum alicujus ex dicto Conventu, ut teſtatur Angelus Rocca, in tract. da campana, c. 7. In Collegiali Eccleſia Arcis Amatoris Galliarum, (ita appellata, quia ibi corpus S. Amatoris Chriſti Diſcipuli veneratur, ibique etiam famoſus enſis Orlandi *Durlindana* nominatus conſervatur) reperitur campana ex ſe pulſatrix, quando, ſcilicet, navigantes, tempeſtoſo mari agitati, interceſſionem illius Sancti invocant; & tunc illius Eccleſiæ Canonici ad precandum pro incognitis Sanctum invocantibus congregantur, ac ſimul campanæ pulſationis tempus, & horam connotant, ut a redeuntibus poſtea, & voventibus naufragantibus verificetur gratia illius Sancti Tutelaris &c. FR. in Chronica M. S. Monialium S. Cæciliæ Tranſtyberinæ Urbis legitur, quod quando Cardinalis Paulus Æmilius Sfondratus, illius Eccleſiæ benemerentiſſimus, in Civitate Tuſculana, quaſi de repente expiraverat animam, eodem momento cecidiſſe malleum campanæ, quæ *S. Cæcilia* in eodem Monaſterio vocatur, ex quo actu Moniales de Benefactoris morte ſuſpicantes, ſtatim plorantes ad Chorum acceſſerant, ut pro ipſius anima Deum precarent. Reperitur etiam *Campanum* vocabulum: [ Cumque Tanco Monachus Sancti Galli campanum optimum conflaret, & ejus ſonitum Cæſar non mediocriter miraretur, lib. 1. de geſtis Caroli Magni apud Caniſium in primo tom. Antiq. lect.] Reliqua. Vide *Carroccium*. *Claſſicum*. *Clocca*. *Index*. *Muta*. *Nola*. *Molarium*. *Scella*. *Scilla*. *Skella*. *Signum*. *Tintinnabulum*. Campana Græcorum. Vide *Semanterium*.

* CAMPANÆ. Loco Campanarum in antiqua Eccleſia *Baronius* ann. 78. n. 107. Curſores ſive Θεοδρόμους nominat. In *Ægypto* Tubarum uſus fuit. In aliis orientalibus partibus lignorum percuſſio in uſu erat. *Bona* rerum Liturg. lib. 1. Quis vero primus campanarum uſum in Eccleſiam *Latinam* introduxerit nondum in aperto eſt; aliis *Sabiniano* Papæ Gregorii Succeſſori an. 604. aliis Paulino Eccleſiæ *Nolanæ* Epiſcopo *Hieronymo* coævo, hoc adſcribentibus.

CAMPACES, & *Campenſes*. Vide *Montani*.

CAMPAGIÆ. Vide *Compagi*.

CAMPANILE. FR. notiſſima turris, in qua campanæ ſuſpenduntur. [ Quidam Monachus ad deponendam de campanili campanam &c. c. 15. decretal. libr. 5. tit. 12. ] Vide *Nolarium*.

CAMPIO. FR. Pugnator, pugil: italice *Campione* dicitur, l. 1. Si quis cum altero, de teſtibus. Dicitur etiam *Camphio*, l. nullus Camphio qualiter quis ſe defendere debeat, in lege Longobard. tit. 113.

CAMPITELLI, Romæ Eccleſiæ titulus. Vide *Schola græca*.

CAMPO. FR. verbum, contendo, ac etiam modum purgandi ſe a calumnia, ſeu perjurio ſignificat, l. de furto, qualiter quis ſe defendere debeat.

CANALIS, & *Canalium*, via publica in Civitate Conſtantinop. quæ ad Imperiale palatium ducebat, etiam græce κανάλιον appellata. [ Quod ita demum compleri poſſet, ſi unuſquiſque noſtrum, qui in canali eſt conſtitutus &c. Concil. Sardicen. can. 9. cap. 55.] ubi prohibentur Epiſcopi ad ambitioſam aulæ frequentationem accedere; quæ explicatio confirmatur ex alia editione græca, in qua πάροδος legitur, quod viam ad aliquem determinatum, & publicum locum conducentem ſignificat.

CANANÆA. Vide *Syrophæniſſa*.

CANAVA. FR. Iſidori Gloſſa cameram poſt cœnaculum ſignificare ait, quæ italice *Canova*, ſeu *Diſpenſa* dicitur, teſte Fœlice Fœlicio in ſuo Onomaſt. dict. *Diſpenſa*. Sed cellam vinariam Ennodius intelligit in illo Epigrammate, cujus titulus eſt *Ante Canavam*, & Epigramma eſt tale.

Sobria cella cadis vinum quod ſervat onuſtis,
Corpora confirmat greſſibus acta ſuis.
Infundunt multis irarum pocula flammas.
Miteſcunt noſtro bellica corda mero.

Ideo *Canavaro* italice dicitur, qui vinum diſtribuit. Vide *Buticularius*. *Cavena*.

CANCELLARIA. Vide *Canicleum*. *Audientia litterarum*.

CANCELLARIUS. Dignitas Eccleſiaſtica, ita appellata a *Cancellis* intra quos, qui hoc munere fungebatur, populum audiebat, ne a multitudine gentium conculcaretur. [ Reſpice quo nomine nuncuperis, latere non poteſt, quod inter cancellos egeris, tenes, quippe, lucidas fores, clauſtra patentia, feneſtratas januas, & quamvis ſtudioſe claudas, neceſſe eſt, ut te cunctis aperias. Caſſiod. lib. 11. Var. Lect. ] Ex quo patet, quam perperam aſſeruerunt, qui *Cancellarii* nominis a *Cancellando* etymon traxere; nam

ali-

aliquando abſolute etiam *a Cancellis* appellabatur; ſicut Henricus Monachus in vita Germani cecinit, inquiens.

Volutianus erat præcelſo nomine quidam
Urbis Patricio, toti dilectus & urbi,
Atque a Cancellis priſco de more miniſter.

Imo & ipſum Tribunal, *Cancelli*, dicebatur. [ Nulla prætoria obſervo, cancellos non adoro, ſubſellia non contundo, jura non conturbo, cauſas non elatro, non judico. Tertull. ] FR. Non ſunt tamen arguendi, qui nomen Cancellarii a cancellando deducunt, Lucam a Pen. in l. neminem: C. de decur. lib. 10. & Gulielmum de Bened. in cap. Rainutius, n. 193. de teſtamen. ſequentes, qui Policratici verba citant, ajentes; [ Hic eſt, qui leges Regni cancellat iniquas, Et mandata pii Principis æqua facit.] Antiquum fuiſſe hoc officium penes Reges a Porſenæ Tuſcorum Regis temporibus, ex verbis Tit. Livii arguitur, qui lib. 2. de Cn. Mutio eundem Regem occidere cogitante, mentionem faciens, ſic ait: [ Cum militibus ſtipendium forte daretur, & ſcriba cum Rege ſedens, pari ferme ornatu, multa ageret, ] & paulo poſt: [ Scribam pro Rege obtruncat. ] Cancellarius enim idem ac Scriba etiam apud antiquos promiſcue intelligebatur, ſic apud Fl. Vopiſcum legimus fuiſſe urbis præfectum a Carino Imperatore creatum unum ex ejus Cancellariis, & ab Imp. Honorio, & Theodoſio ſancitum, quod; [ Nullus judicum ad provinciam ſibi commiſſam quemquam ſecum ducere audeat, cui Domeſtici, vel Cancellarii nomen imponat &c. l. nullus, C. de Atteſ. Dom. & Cancell. ] Ita etiam *Cancellarius Imperialis Pariſienſis*, & ſimiles dicuntur, de quibus noſtrum non eſt inſtituere tractatum; nam de Eccleſiaſtico tantum verba facimus. De illis tamen aliquid tangemus in dict. *Logotheta*. :||: Titulus autem hic in Eccleſia Romana ſuppreſſus fuit, quum Cardinalis, qui hac dignitate fungitur, *Vicecancellarius* appelletur. De hujus ſuppreſſionis cauſa varii varia aſſeruere, ſed vane quidem, & abſque ullo fundamento; nam aliqui dixerunt, quod Cancellarius quidam ſuperbia, & arrogantia intumeſcens, ſe contra Pontificem jactare præſumebat, ideoque Pontifex hunc titulum in Vicecancellarii vocabulo diminuit. Alii vero ſcripſerunt, quod ex eo quia Divus Laurentius Protomart. primus S. R. E. Cancellarius fuerat, ideo cæteri ſucceſſores propter illius reverentiam Vicecancellarios vocari maluerunt. Tandem non pauci Gomeſium ſecuti in procemio Reg. Cancell. dixere, quod ideo Vicecancellarius appelletur, quia ſolus Papa in Eccleſia Dei Cancellarius eſt. FR. At reſpondendum eſt contra primam opinionem: falſum eſse unquam Cancellarios cum Papæ poteſtate competiſse, nullibi enim tale ſucceſſum legitur; bene autem de Cancellariis urbis æquivocari, & de Archidiaconis, ut ſupra in dict. *Archidiaconus* dictum fuit, quæ dignitas diſtincta ſemper fuit a Cancellariatu, licet ſemel, aut bis in Hildelbrandi perſona unita fuerit, ut notat Baron. ad an. 1061. n. 31. & in Federico, qui deinde Pontifex factus, Stephanus X. appellatus fuit, ut infra dicemus; ſed æquivocum Cardinalis Zabarellæ equidem fuit ſuper Clement. in cap. Ne Romanis, de Elect. ſcribentis, cui alii adhæſerunt, & fortaſſe inde error ſumptus fuerat, quia de hoc Hildelbrando legerat penes Petrum Damianum verſus illos de Papa, & Hildelbrando, præcipue ubi ille ait:

Vivere vis Romæ, clara depromito voce:
Plus Domino Papæ, quam Domno pareo Papæ.

Ubi ſignificare Damianus voluerat, quod magis Hildelbrando, ( qui propter ejus ſingulares virtutes prædominium in Pontificem habebat ) obedire cogebatur, quam ipſimet Domno Pontifici; hoc tamen ideo luſerat, quia Alexander Papa II. facultatem Damiano dederat diſcedendi a Curia, qui nihilominus juſſu Hildelbrandi detinebatur: idemque de Papa, & Hildelbrando in alio luſorio diſticho hæc cecinit.

Papam rite colo, ſed te proſtratus adoro;
Tu facis hunc Dominum, te facit ipſe Deum.

Quam hiſtoriam uberius Baron. loc. cit. n. 31. & ſeqq. narrat. Merito igitur Zabarellæ, & adhærentium opinio, tanquam ſomnium, & fabula a Gomeſio loc. cit. rejicitur. Reſpondendum ſecundo ad ſecundam opinionem, quod S. Levita Laurentius Archidiaconus S. R. E. fuerat, & non Cancellarius, & tanquam Archidiaconus ad illum ſpectabat Eccleſiæ œconomia, & non Cancellaria, ut viſum eſt ſupra in dict. *Archidiaconus*. Reſpondendum tertio ad tertiam opinionem, quæ eſt Caſſanæi in Catalogo Glor. Mun. par. 7. conſid. 7. & aliorum, quos ſequitur etiam Gomes loc. cit. Quod cum omnes Cardinalitiæ Sacri Collegii Dignitates ſint Eccleſiæ Dei, cujus Vicarius eſt ſolus Papa; hinc non videtur qualis ſit major ratio, cur dicatur *Major Pœnitentiarius*, & non Vicepœnitentiarius; *Camerarius Cardinalis*, & non Vicecamerarius; *Archidiaconus*, & non Vicearchidiaconus, & ſic de ſingulis, cum omnes iſtæ Dignitates in plenitudine poteſtatis Papæ primario reſideant, & eo fortius de Majori Pœnitentiario, qui majorem, & ſpiritualem poteſtatem exercet, quam Vicecancellarius, atque Archidiaconus, qui latine primum miniſtrum Eccleſiæ ſonat, & tamen in rigore primus miniſter Eccleſiæ Dei ipſemet Pontifex eſt. :||: Hæc igitur ultima opinio magis allegorica, quam vera, & realis eſt, in Archivo enim noſtræ Cathedralis Viterbienſis egomet legi nonnullas bullas conſiſtoriales, atque originales Innocentii II. & III. Alexandri IV. & aliorum Pontificum propriis eorum, & Cardinalium manibus firmatas cum hac ſubſcriptione ultimo loco notata: *Datum per manus N. Cardinalis S. R. E. Cancellarii*. FR. Legimus etiam penes Baronium, an. 1054. n. 1. Federicum Gofredi Etruriæ Ducis fratrem a Leone IX.

Ar-

Archidiaconum, & Cancellarium S. R. E. declaratum fuiſſe, & ad Papatum deinde aſſumptum, Stephanum X. appellatum. :||: Inter Melitenſes Equites reperitur quoque Dignitas Magni Cancellarii, quæ ad Primatem linguæ Caſtellæ, & Luſitaniæ ſpectat, eique Vicecancellarius ſubſtituitur. Vide *Canicleum*. Cancellariæ Romanæ Officiales. V. *Abbreviatores*. *Jannizari*.

Cancelli, erant in Eccleſia ante Altare, quibus Presbyteri a Laicis dividebantur; in Cæremoniali autem Cencii Camerarii *Rigæ* vocantur. [ Vadit uſque ad rigas Capellæ. ] de Papa loquitur. Item ſedes in choro. Vide *Chorus*. *Ciſtelium*. *Solarium expoſitionis*.

* Cancelli. Septa reticulata ex ligno, quæ chorum a reliqua Eccleſia ſeparabant, Euſeb. lib. 10. c. 4.

Cancello, in modum Crucis S. Andreæ decuſſare ſignificat; [ Orarium, quod & ſtola dicitur, ſuper collum geris, cujus brachia ad minus extenduntur uſque ad genua, & cancellari debent per medium pectus in modum Crucis. Bleſ. ſerm. 41. ] FR. etiam apud Antiquos eundem ſignificatum habebat, unde *Cancellare brachia*, ideſt, per modum litteræ X. complicare, quod *Decuſſare* proprie dicebatur: [ Duas regulas in ſpeciem græcæ litteræ X. decuſſavimus. Colum. l. 3. c. 13. ] Vide *Caraxo*. Extra Cancellos, & intra Cancellos ſcribere quid ſit. Vide *Protonotarius*.

Cancer, morbus. Vide *Carcinome*. Cancer marinus, ejus aſtutia. Vide *Diptychum*.

Canceratio. Vide *Cancero*.

Cancero, putreſio, a cancro morbo deductum. [ Nec potes dicere non Arrii canceraſſe ſermonem, cum fœtor cancerationis ſuæ ad omnem pervenerit regni tui locum. Lucif. lib. de non convenien. cum Hæreticis. ] Vide *Fœtoroſus*.

Cancindela. Vide *Cicendela*.

Candaces. FR. [ Et ecce vir Æthiops, Eunuchus, potens Candacis Reginæ Æthiopum. Act. 8. n. 27. ] Quare Baron. ad an. 35. n. 24. inquit. [ Eodem conſtat Auctore (*ſcilicet*, *Strabone*, *l. 7.*) ad ſua quoque tempora fœminas in Æthiopia regnare conſueviſſe, eaſdem eſſe Candaces appellatas; quæ vero ſua ætate viveret, virilem ſane fuiſſe mulierem, altero tamen oculo captam. ] Verum ſi Strabonem examinemus, unam Candacem tantum apud eundem inveniemus, & non plures, ſicut Baronius exiſtimavit. Sic igitur ille loco citato ait: [ Ex iis erant etiam Duces Reginæ Candacis, quæ per noſtra tempora Æthiopibus imperavit, virilis ſane mulier altero oculo capta. ] Et hæc eadem Candaces Regina fuit, cujus Eunuchus a Philippo baptizatus eſt: quod manifeſte probatur; nam baptiſmus hic, juxta Baronii computum, anno Chriſti 35. acciderat, & per eundem Baronium Tiberius Imperator uſque ad annum Chriſti 39. regnaverat: at hanc [ Candacem Reginam cum multis hominum millibus præſidium aggreſſam, Petronius cum auxilio antevertit. Strabo ibidem; Et paulo poſt ſequitur: [ Cæſarem invenerunt in Syriam progredi parantem, & Tiberium in Armeniam. Ibidem. ] Ad Syriam fuiſſe Cæſarem anno Chriſti 19. ait Baronius; ergo eandem Candacen ſupervixiſſe per alios ſexdecim annos probabiliſſimum erit, nimirum, uſque ad annum Chriſti 35. quando ejus Eunuchus a Philippo baptizatus fuerat. Itaque intentio Baronii, quod multæ Reginæ Æthiopum *Candaces* vocarentur, ex Strabone non probatur: bene tamen Plinii auctoritate hoc probari potuiſſet, qui ait, [ Regnare fœminam Candacen, quod nomen multis jam annis ad Reginas tranſiit, l. 6. c. 29. circa finem.

Candela. Cereus funiculus, a verbo *Candeo*, quo in ejus functionibus utitur Eccleſia. In primis enim diſtribuitur in feſto Purificationis B. M. V. quam ſolemnitatem Albinus Flacus apud Baronium, an. 701. n. 3. & in Notis ad Martyrol. 2. Febr. ait Sergium Papam I. proceſſionem inſtituiſſe in hoc feſto a S. Adriano ad S. Mariam Majorem, idemque Ordo Roman. affirmat; ſed hoc de proceſſione illius diei, non vero de cæremonia diſtributionis candelarum in hac die intelligendum; in quodam enim S. Eligii Sermone, qui anno 665. obiit, fit mentio de hac cæremonia. Id autem, quod circa inſtitutionem feſtivitatis Purificationis ſenſit Baronius impugnatur in dict. *Hypante*. Igitur ad candelarum hiſtorias, dicimus illas in exequiis accendi ex antiquiſſimo Chriſtianorum more, atque ab Apoſtolorum tempore: in funeralibus enim B. M. Virginis accenſas fuiſſe candelas, l. 2. c. 22. refert Nicephorus, ac jugiter in obitu S. Cypriani, cujus acta hoc teſtantur: [ Inde cum cereis, & ſcholaribus in arca ejuſdem Candidi procuratoris magno triumpho ſepultum eſt, ] de qua cæremonia paſſim penes SS. PP. fit mentio. Nec obſtat, canon. 34. Concilii Eliberini, ubi cavetur, ne animas Sanctorum candelis inquietentur; nam ibi loquitur de ſuperſtitioſo ritu ad inſtar Gentilium, qui in ſepulchris accendebant candelas, ut refert Suetonius, ad vocandas, & ſolicitandas defunctorum animas, ſicut ſtulte credebant; ſeu, ut Ferdinandus Mendoza verba prædicti canonis explicat. [ Inquietandi enim Sanctorum ſpiritus non ſunt. ] nempe, voluit præfatum Concilium ad Sanctorum Martyrum ſepulchra candelas non accenderent fideles, ne luminum indiciis perſecutores Eccleſiæ Sacrorum Sepulcrorum localiter in cognitionem venirent, & deturbarent illorum Sanctorum memorias, atque nova Tyrannorum perſequutio in Eccleſia excitaretur. FR. De validitate hujus Concilii Baronius, an. 57. n. 118. & 119. valde dubitat; ſed pro legitimo ſemel admiſſo, ſicut lenius de eodem idem Cardinalis, an. 305. n. 39. & ſeqq. loquitur, dicendum eo modo, quo illis novemdecim Patribus, can. 36. viſum fuerat Sanctorum Imagines prohibere, non vero de picturis in tabu-

tabulis portatilibus eos intellexiſſe, ut explicant illius Concilii fautores, ſicut in prædicto an. 57. n. 119. refert Baronius; ſed tantum de imaginibus Sanctorum ad muros depictis loquutum fuiſſe Concilium ob zelum, ne, ſcilicet, murales Sanctorum imagines ad contemptum Gentilium exponerentur: ita pari modo dicendum, quod eodem zelo Patres illi moti, candelas ad ſepulcra Martyrum accendi prohibuiſſent, ne daretur perſequentibus anſa ad opprobria Sanctarum Reliquiarum mediante lumine candelarum. :||: Conſtantinopolitanus Imperator in ſolemnitatibus ad Eccleſiam eundo, aſſociabatur cum duobus accenſis cereis, eoſque ferentes *Lampadarii* vocabantur. Patriarcha autem unico cereo aſſociabatur; quod ex privilegio Archiepiſcopi Cypri, Bulgariæ, aliique Metropolitæ in eorum Diœceſi, Balſamone teſte, ferebant; hodie tamen hoc privilegio omnes Græci Epiſcopi abutuntur; his autem manifeſtum degradationis ſignum erat, quando prædictum lumen auferebatur: ſic in depoſitione Arſenii Patriarchæ Pachimeras, lib. 2. cap. 13. refert: [Miſſis ad eum certis, qui Pontificium lituum, & candelabrum ab eo reciperent.] Qui mos apoſtolicus videtur; nam contra Epheſinum Præſulem habetur: [Movebo candelabrum tuum de loco ſuo. Apocalyp. c. 11.] Inde Expoſitores non pauci *Septem candelabra* in eadem Apocalyp. memorata ſeptem cathedrales Aſiæ Eccleſias a Divo Joanne Evangeliſta fundatas ſignificare exiſtimant; quæ cæremonia in verbis Chriſti nititur, ubi dixerat: [Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona &c.] cum Superior quaſi candelabrum in ſublime poſitus ſit. In Eccleſia vero Turonenſi hoc privilegium adhuc in uſu eſt, cujus Archiepiſcopus ex Sacrario in ſolemnitatibus ad celebrandum exiens, ei præcedit Theſaurarius cum candela accenſa. FR. etiam in Metropolitana Mediolanenſi Eccleſia, quando e ſacriſtia ad canendam Miſſam progreditur Sacerdos, præcedit Subdiaconus in manu accenſam tenens candelam, *Cantharum* appellatam. Vide *Cantharus*; altera vero manu thuribulum defert, eandemque cæremoniam facit Subdiaconus, quando canitur Evangelium; non enim in Ambroſiano ritu utuntur Ceroferariis. :||: Varia prodigia candelarum referuntur, aliqua tamen nobis hic ſufficiat referre. In Atrebatum Civitate, quæ hodie vulgo *Arras* nuncupatur, magna veneratione S. Lamberti Epiſcopi candela cuſtoditur, quam Beatam Virginem, an. 1105. ei præbuiſſe dicitur, idque prodigiis confirmatur; ejus enim guttæ ſtillantur in aquam, quæ ab ægrotis hauſta, a variis languoribus illos liberat, & nihilominus per quinque ſæculorum ſpatium ſemper eandem formam ex atteſtatione oculata Joannis Alberti, a Menochio in ejus Storeis, centur. 4. c. 92. allata. Simile miraculum refertur a Petro Cluniacenſi, & a Gregorio Turonenſe de candelis, ſcilicet, accenſis in vigilia Aſſumptionis, & in Miſſa ejuſdem feſti apud S. Mariam Majorem Romæ; ita ut peracta ſolemnitate, prioris ponderis reperirentur candelæ, poſtquam per totum ſolemnis Miſſæ ſpatium extiterant accenſæ: quod miraculum per integrum ſæculum duraverat. Curioſiſſimam cæremoniam ſui temporis, l. 8. c. 16. narrat Cæſarius, quod, ſcilicet, quando aliqua matrona devotionis gratia aliquem ex duodecim Sanctis Apoſtolis in Advocatum eligere cupiebat, in duodecim candelis nomina eorum ſingillatim ſcribere curabat, quæ candelæ a Sacerdote prius benedictæ, & ſuper Altare poſitæ, atque accenſæ; abſconſis eorum nominibus, ita ut legi ea non potuiſſent. Mulier deinde illa unam ex prædictis candelis forte capiebat, ac juxta nomen illius Apoſtoli eum in Protectorem invocabat. FR. Eſt majori curioſitate digna alia Apoſtolorum invocatio per duodecim candelas exacta, quæ in lapide duodecim palmorum circiter ad Sacriſtiam S. Salvatoris in Lauro de Urbe legitur, qui lapis cernitur in muro Sacriſtiæ ad viridarium reſpective: ubi de quodam Petro Catalauno Pontificis quondam Aulico, cujus parentes, cum per longum temporis ſpatium ſteriles vixiſſent, ad invocationem duodecim Apoſtolorum recurrentes, duodecim liberos obtinuerunt: tenor autem inſcriptionis talis eſt: [Petrus Mates U. J. D. Cubicularius, & Miles Apoſtolicus Barchinonen. Civitate Cathaloniæ Citerioris Hiſpaniæ ex Joanne Mates, & Catharina Verdaguerii honeſtis, & Catholicis Civibus legitimis conjugibus XXIX. Januarii An. Dom. 1474. (voto parentum jam octo annis conjunctorum, prolem non habentium, prius domi, deinde in cappella S. Severi Eccleſiæ Barchinonen. cum Miſſa ſolemn. ibi in honorem XII. Apoſtolorum ardentibus XII. cereis cuilibet Apoſtolo ſubſcriptis devotiſſime, cum vita, & moribus religioſi eſſent, propterea celebraretur, promiſſoque utriuſque ſexus filiis, ſi eis divina pietate naſcerentur, nomen Apoſtoli imponerent, quique in terdecim annis octo maſculos, & quatuor fœminas filios habuerunt, & cuilibet nomen Apoſtoli impoſuerunt, nec plures, cum adhuc eſſent juvenes, conceperunt) legitime natus, & ſuperſtes, cum omnes ante multos annos mortui ſint, & quilibet prope feſtum ſui Apoſtoli deceſſerit, quique primo &c.] Superſtitioſa tamen cenſenda eſt cæremonia, quam vetula quædam Andronico Imperatori monſtraverat, dum ei omnes liberi brevis vitæ eſſent, ut, ſcilicet, duodecim candelas accenderet, & nomen unius Apoſtoli in qualibet inſcriberet, & notaret qualis ex illis candelis conſumatis ultima extaret, & nomen illius Apoſtoli in ſuperſtite candela appoſitum, ejus partui imponeret; quod credulus Imperator exequi mandaverat, ac ultima fuit in qua S. Simonis nomen inſcriptum erat; quare fœminam ex Imperatricis partu habitam, Simonidem appellaverat, idque Pachimeras hiſtoricus in Andronico refert :||: Concilium vero Tridentinum ſu-

ſuperſtitioſum candelarum numerum prohibuit. In Gallia aliquæ Eccleſiæ vocant *Feſtum ſeptem Candelabrorum*, ideſt, feſtum primæ claſſis, & *Quinque Candelabrorum* feſtum ſecundæ claſſis. Quando tamen ſolemniter celebrat Epiſcopus, ponuntur in Altaria ſeptem candelæ, alludentes ſeptem illa candelabra, quæ Joannes vidit ante Thronum Dei, Apocalypſ. 1. 12. & ad denotandum, quod Præſul ſeptem Sancti Spiritus donis ornari debeat. Quod cautum eſt in Abbatibus etiam mitratis. Sac. Congr. Rit. 29. Januarii 1628. & dictum fuit in dict. *Abbas*. In Papali Miſſa ſolemniter celebrata, nedum ſeptem candelæ in Altari ponuntur, ſed etiam ſeptem cereis accenſis ſeptem Acolyti inſerviunt. Reliqua quæ ex originali hic deſunt. Vide *Cereus Paſchalis*. *Cereolus*. *Scolaces*.

**Candelabrum**. Vide *Ceroferarium*. *Ceroferarius*. *Ceroſtata*. *Circumciſio Domini*. *Polycandelum*.

**Candelaptes**, ſemigræca vox Κανδηλάπτης, Sacriſta, ſed proprie de eo dicitur, qui lampades, & candelas Eccleſiæ accendere, & præparare tenetur. Maronitæ vero, *Kandalaphti* Sacriſtam vocant.

**Candidatrix**, Lotrix, quæ fullonicam artem exercet. [ Regis enim curiam ſequuntur aſſidue hiſtriones, candidatrices, aleatores, dulciarii, caupones, nebulatores, mimi, barbitores. Petr. Bleſ. epiſt. 14.

**Candidum**, pro lucente. Vide *Annulus*.

**Canibuta**, baculus, quem Monaſterii Decanis præbebant Abbates, in ſignum auctoritatis ſupra reliquos Monachos.

**Caniclium**, Arx Conſtantinopolis, ſeu Palatium ibi imperiale ita appellatum, cujus Gubernator *Præfectus Caniclei* dicebatur, conferri ſolebat Conſocero Imperatoris; & quando ipſe Imperator progrediebatur, Præfectus hic non incedebat pedibus ſicut cæteri; ſed ut ait Codinus: [ Canicleo Conſocer Imperatoris præerat, atque vehebatur. ] Gulielmus tamen Tyrius, lib. 22. cap. 6. *Caniclinum* vocat. [ Totius factionis opifices, Manuel ſenioris Andronici filius, Alexius quoque Protoſtrator, inſuper Logothetes, qui caniclini utebatur officio. Ibidem. ] Gunterus vero, lib. 8. hanc dignitatem eandem eſſe, ac Camerarii, exiſtimavit, inde cecinit:

Hic Caniclinus erat, nobis Camerarius idem.

Radevicus Friſigenſis Canonicus, lib. 1. de reb. geſt. Federici Imperatoris, cap. 47. putat Cancellarium fuiſſe, inquiens: [ Unus de ſervis Palatii Caniclinus, videlicet, quem nos Cancellarium dicere poſſumus, Principi ſuo fraudem molitus eſt. ] Itaque juxta ſenſum iſtius poſtremi Auctoris, Canicleum, Cancellaria intelligitur.

**Canola**, fiſtula, ſeu tubus argenteus, vel alterius metalli, in quo conſervabantur Reliquiæ, quas Pontifex alicui Principi mittere ſolebat. [ Sed cum ejus famam lucidiſſimam, vitamque ſanctiſſimam veram reperiſſet, eum in tantum honoravit, ut & canolam Sancti Petri Apoſtolorum Principis in ſignum amoris præcipui tribuere dignaretur. In vita S. Chryſolii Mart. ] In hoc tubo non aliud eſſe debuerat, niſi ſcabem catenæ ejuſdem S. Petri juxta morem ſæculorum illorum, quando ſcabem ejuſdem catenæ Pontifices in clavo ponebant, & alicui Principi devotionis ergo mittebant, quod donum *Benedictio S. Petri* dicebatur, ut ex Gregorio Magno in ejus epiſtolis colligitur, & nos in dict. *Benedictio* diximus. In aliquibus tamen M. SS. Bibliothecæ Vaticanæ in neutro genere hoc nomen legitur, ubi de muneribus, & donis diverſorum Pontificum, præcipue Nicolai III. ſic habetur: [ Canolum argenteum ad conſervandum Corpus Chriſti. ] Vide *Cinerarium*. Item Canola ſignificat Siphon, quo exorbebatur Sanguis Chriſti. Vide *Siphon*.

**Canon**, penſio, tributum, aut alia ſimilis obligatio. Vide *Colonitium*. *Libellarius*. *Libellus*. *Homocanon* a voce græca κανών. Arabes quoque *Canum* dicunt. [ Si ergo eorum templa repente diruamus, metu ſe in fugam conjicient, & perdemus tantum canonem. Mar. Diac. ] Significat etiam legem, ſeu regulam, cum ſint canones obſervationis onera. FR. ita in can. canon græce, diſt. 3. ibique Gloſſa. [ Habet autem canon ſub ſe quatuor ſpecies, 25. quæſt. 2. can. ſi quis dogmata. ] :||: Inde *Textus Canonici* dicti ſunt, quia in eis regulæ, & leges, ſeu decreta Sanctorum Patrum, & Conciliorum continentur, quorum primus collector Dionyſius Monachus fuit, Exiguus appellatus; deinde Ferdinandus Carthaginenſis Diaconus, poſt quem Martinus Bracarenſis Epiſcopus; deinde Creſconius, qui majorem decretorum copiam collegit. Baron. an. 527. n. 72. & an. 865. n. 5. At progreſſu temporis Iſidorus Mercator in eodem canonico textu epiſtolas Pontificias, & litteras decretales inſeruit, quod tamen opus ab Hincmaro Juniori Lugdunenſi Epiſcopo augmentatum eſt, quem deinde ſequutus eſt Burcardus; tandem Gratianus ultimam perfectionem Decreto appoſuit eo modo, quo nunc utimur. FR. Gratianus Monachus Niger, ideſt, Benedictinus an. 1151. Bononiæ in vita S. Felicis, ſeu ut alii malunt ad S. Proclum reſidens, ſcribere incœperat, qui cum Rolando Paparone, ſcilicet, Alexandro Papa Tertio in eadem Univerſitate Concathedraticus fuerat. Ghirardaccius in Hiſt. Bononien. p. 1. lib. 2. in hoc anno. Et per decennium in eo opere laboravit, ac in clauſtro Monaſterii, ubi manſerat, reperitur in lapide hæc deſcriptio.

Hanc Aulæ partem Lector reverenter adito:
Namque loci Monachus Decretum hic condidit hujus.
Divinum Gratianus opus, quantumlibet arcto
Contentus ſepto.

Ghirardaccius, ubi ſupra, part. 1. lib. 3. ad an. 1161. idem affirmat Baronius an. 1151. n. 6. Unde non debent in ſcenis permitti hiſtriones ſub nomine Gratiani Bononienſis, & in habitu nigro ſignificante Gra-

Gratianum Monachum Bononiæ Lectorem ordinis nigrorum. ||: Legimus quendam Cardinalem nomine Laborantem anno 1180. ſumma diligentia canones collegiſſe. FR. etiam Ivonem Carnotenſem Epiſcopum de anno 1100. teſte D. Antonio Florentiæ Archiepiſcopo, decretum ſcripſiſſe dicitur: vide Gratiani vitam in principio ejus Decreti allatam, ſed fabuloſam quidem in parte, præcipue ubi narratur ex adulterio natum fuiſſe; nec ibi ſatis negatur Petrum Lombardum, & Petrum Comeſtorem Germanos ejus fuiſſe, ex eo, quia primus, nempe, de anno 1120. ſecundus de anno 1140. tertius anno 1160. claruiſſent; nam ſupra vidimus, primum, ſcilicet, Gratianum de anno 1161. hoc opus terminaſſe, Petrum Lombardum uſque ad an. 1179. vixiſſe, ſecundum Baronium in hoc anno, n. 13. Itaque hos fuiſſe fratres melius negat Baron. an. 1164. num. 52. Nec Gratianum fuiſſe ex Germania, ut in dicta vita habetur; ſed ex Civitate Cluſi in Tuſcia: vide Latinium in ejus Correct. ad Xyſtum Sen. §. Gratianus: falſo etiam in ejus vita Monachum *Claſſenſem* eum fuiſſe aſſeritur, nullibi enim hoc religionis nomen legitur; ideo *Caſſinenſem* corrigendum eſt: ejus itaque patria, & religio habentur expreſſe apud Baronium an. 1151. num. 6. De additione in Decreta poſt Gratianum, vide in dict. *Palea*. :||: Ob eandem rationem officium Divinum horæ canonicæ dicuntur. Vide *Horæ canonicæ*. Item Canon dicitur regulata pſalterii diſtributio. [Cum implebis pſalmodiæ canonem loqueris, præter canonem vero tacebis. Jo. Moſchus, cap. 43.] FR. Canones alii dicuntur *Generales*, alii *Perſonales* alii *Locales*, alii *Cauſales*, & alii *Temporales*, vide Gloſſ. in cap. Canonum ſtatuta, de Conſtitutionibus. Item Canon officium divinum penes Græcos ſignificat. [Si quis non occurrat adeſſe canoni; in conſtit. S. Baſilii Magni.] Reliqua, quæ ex Originali deſunt, habentur in dict. *Horæ Canonicæ*.

* CANON Κανὼν id eſt *regula*. Novem Symboli, quod eſset fidei regula, ad quam ortodoxiam & hæreſin examinabant, & dijudicabant. Epiſt. Conc. antioch. ap. Euſeb. l. 7. cap. 30. item nomen Catalogi Clericorum.' Concilium enim antioch. Can. I. vocat ἅγιον κανόνα, id eſt *Sanctam Matriculam*. Hujus vocabuli ſignificatio multiformis prout rei indoles, cui apponitur requirit.

CANON MAGNUS. Vide *Alipta. Dominica Orthodoxiæ*.

CANON MISSÆ, ita appellatur ſecreta oratio, quæ in Miſſa incipit a *Te igitur*. Canon dicitur, quia eſt regula conſecrationis; ideo *Regula* a D. Ambroſio vocatur, ab Optato *Legitimum*, a Vigilio Papa *Ordo precum*, a D. Baſilio *Secretum*, a D. Dionyſio *Actio*; nam [Canon eadem actio nominatur, quia in ea eſt legitima, & regularis Sacramentorum confectio. Valaf. cap. 23.] Propterea orationes illæ, quæ incipiunt *Communicantes*, *& memoriam venerantes &c.* ante conſecrationem poſitæ, dicuntur *Infra actiones*, quia infra canonem recitantur, ex quo vocabulo colligitur hanc precationem fuiſſe a temporibus Dionyſii Areop. qui canonem hunc *Actionem* appellabat. Vide *Actio Miſſæ. Communicantes*. Quamvis aliqui putent hujus canonis Auctorem quemdam nomine Scholaſticum fuiſse, quæ opinio in epiſt. 63. lib. 7. D. Gregorii fundatur, ubi preces Scholaſtici ſuper oblata dicendas eſse monet; ſed de portione illa Canonis intelligitur, quæ ſuper oblata profertur, incipiente *Per quem hæc omnia Domine bona creas &c.* Nam revera Miſsæ canon antiquiſſimum inſtitutum fuiſse conſtat; Vigilius enim Papa, qui Gregorio I. in Pontificatu præceſserat, canonem Miſsæ ex traditione Apoſtolica acceptare fatetur. Idem affirmat Innocentius III. Archiepiſcopo Lugdunenſi ſcribens, cap. cum Marthæ, de Celebrat. Miſsarum. Ideo multi opinantur S. Clementem canonem hunc ordinaſse, licet deinde ſucceſſive aliquid aliud addidere Pontifices. Neque illud nomen Scholaſtici eſt proprium viri, ſed profeſſionis, & Doctoratus, Advocati, ſeu Aſseſsoris, unde D. Auguſt. lib. de catechizan. rud. [Sedulo admonendi ſunt Scholaſtici] dixerat. Sic etiam idem Gregorius varias epiſtolas Paulo Scholaſtico, Marcello Scholaſtico, Martino Scholaſtico, & ſimilibus ſcribit. Incipit autem canon a *Te igitur Clementiſſime Pater*, quæ ſunt verba conſequutiva Præfationis: nam ſicut *Per Chriſtum Dominum noſtrum* Divinam Majeſtatem laudant Angeli (ut Præfatio refert) ita *Igitur* per eundem nos Clementiſſimum Patrem ſupplicamus. Atque T. primam canonis litteram, Crucem repræſentare, Innocentius III. ait. Sunt vero ſynonyma verba illa: *Hæc dona*, *hæc munera*, *hæc ſancta Sacrificia*, ſeu ut ſenſit Honorius *Hæc dona* refertur ad panem conſecrandum, *Hæc munera* ad vinum, *Hæc ſancta Sacrificia* ad utrumque ſimul. Item alii explicant, quod *Hæc dona* referuntur ad panem, & vinum, quatenus nobis a Deo conceſsa, *Hæc munera*, quatenus de eiſdem donis, ac datis eidem largitori offerimus, ita Rupert. de divin. off. lib. 2. cap. 6. Nam, ut ait Hugo Cardinalis, de Eccleſ. off. lib. 7. cap. 29. [Donum enim, quod a Superiori datur; munus, quod ab inferiori.] Dictio *Illibata* ad utramque materiam refertur, quod immaculata ſignificat: verbis vero *Pro Eccleſia tua ſancta*, Africani addebant, *quæ eſt una*, ut ex Optato Milevitano, lib. 2. colligitur, ubi ait: [Nam quis dubitet vos illud legitimum in Sacramentorum miniſterio præterire non poſse? Offerre vos dicitis pro Eccleſia, quæ eſt una. Hoc ipſum mendacii eſt pars, unam te vocare, de qua feceris duas.] Mentio, quæ de Pontifice Romano fit in canone, eſt antiquiſſima conſuetudo, nam in lib. 8. conſtitutionum Apoſtolicarum, quæ S. Clementis Papæ communiter cenſentur, cap. 18. hunc ritum obſervari ordinatur, ac ipſomet Clemente celebrante, dicere ſolebat; [Adhuc obſecramus te pro me, qui nihil ſum.] Hodie ta-

tamen Pontifex hæc verba proferre ſolet : [ Una mecum indigno famulo tuo. Innoc. III. de celebrat. Miſs. cap. 3. ] In Liturgia ſub nomine S. Marci, qua utitur Eccleſia Alexandrina totius Orientis primaria, primo loco de Romano Pontifice hoc tenore mentio fit. [Sanctiſſimum, ac Beatiſs. Papam N. quem præſciviſti fore, ut ſibi Sancta ſua Catholica, & Apoſtolica Eccleſia omnium ſuffragiis eligeret; nec non Sanctiſſimum Epiſcopum N. conſervans &c. ] Quæ tamen verba a Schiſmaticis adulterata fuere. Nominatur ſubſequenter Epiſcopus ordinarius loci, ubi celebratur, at Romæ nullius Epiſcopi ſit mentio. Bellarm. lib. 2. de Miſſa, cap. 21. In Abbatiis, quæ ſunt nullius diœceſis, non de Abbate, ſed de viciniori Epiſcopo fit mentio, ad quem pro ordinationibus ſolet recurri. Gavant. in Rubr. Miſs. par. 3. tit. 8. Tertio loco fit Regis mentio in illis provinciis, in quibus reperitur tale privilegium, ita Innocen. III. ſemper in ſuo canone Regem nominat. Neque poſſunt Religioſi eorum Generalem Superiorem in canone addere. Sac. Congr. 12. Novembr. 1615. Et ſi quis loco Epiſcopi Superiorem nominaret, ſecundum Dianam tract. 14. de celebr. Miſs. Reſol. 40. peccaret mortaliter. Aliqui Abbatem Montis Caſini exceptuant, qui poſt Papam a ſubjectis Sacerdotibus in ejus quaſi epiſcopali juriſdictione nominatur in canone. Angelus de Nuce Roſanen. Archiep. in notis ad Chron. Caſinen. lib. 1. cap. 4. In *Memento* habentur hæ litterarum notæ *N. N.* nam antiquitus recitabantur nomina Offerentium in Miſſa. Innocent. I. ep. 1. FR. adhuc in Miſſis cantatis Defunctorum, quæ quolibet anno Romæ a locis piis circulariter per Eccleſias exequi ſolent, recitantur alta voce omnia nomina Defunctorum, qui legata ad celebrandum reliquerunt. :||: Verba illa *Vel qui tibi offerunt*, intelliguntur nedum pro ipſis tantum offerentibus, ſed etiam pro circumſtantibus; ipſi enim eorum precibus cooperantur in partem Sacrificii. Tandem poſſunt intelligi pro illis, qui eorum eleemoſynis celebrari curaverunt. Azor. lib. 10. cap. 36. quæſt. 13. Qui inſuper, cap. 22. quæſt. 3. docet, quia cum in *Memento* ſit precatio privata, recte poſſet Sacerdos pro Infidelium, Hæreticorum, ac Schiſmaticorum converſione ad gloriam Dei intercedere. Oratio *Communicantes* non ſignificant Sanctorum Communionem, ut aliqui putant; ſed fidelium, quod ex ſequentibus verbis, *Et memoriam venerantes* colligitur. Microl. cap. 12. Quæ Canonis pars a Siricio Papa compoſita fuit an. 389. ex ſententia Radulphi, & Durandi; alii tamen Lino Pontifici hæc tribuunt. Cæterum antiquiſſima eſt Sanctorum memoria, quæ in Canone fit, cum apud Divos Clementem, Dionyſium, Auguſtinum, Hieronymum, & alios reperiatur; in quo Canone Sancti Martyres ſolummodo nominantur; nam illis priſcis temporibus non ſolebat Eccleſia Confeſſores venerari; ſed ſolum eos, qui proprii ſanguinis effuſione Chriſti Paſſionem imitabantur, de qua in Sacrificio fit mentio: additque inſuper Innocentius III. lib. 3. cap. 20. de Myſt. Miſſæ, quod Eccleſiæ antiquitus tantum in honorem Sanctorum Martyrum dedicabantur. Non fit inter Apoſtolos de S. Matthia mentio in Canone, ex eo quia poſt Chriſti mortem in Collegio Apoſtolico aſſociatus fuerat; Chriſtus enim verum cruentum ſacrificium fuit, & ob eandem rationem de hoc aſſociato Apoſtolo fit mentio poſt conſecrationem: excipitur tamen Doctor Gentium, qui licet poſt Chriſti mortem ad Apoſtolatum divinitus vocatus fuerit, nihilo tamen minus a chariſſimo collega Petro Eccleſia in omnibus ejus precibus illum nunquam ſeparat, ut bene notat Bellar. lib. 2. de Miſſa, cap. 26. In Græcorum Liturgia offertur Sacrificium pro Sanctis, id autem non intelligitur orare pro Sanctis, ſed pro eorum honore offerre, & in gratiarum actione eorum gloriæ, qua gaudent, ita explicat Cabaſila, cap. 33. eodem modo, quo nos Latini poſt communionem dicimus illa verba: [ Sumpſimus Domine ſancta myſteria, quæ ſicut Sanctis tuis proſunt ad gloriam; ita nobis quæſumus proficiant ad medelam. ] Quod de Sanctorum accidentali gloria illis aucta per fidelium celebrationem, Innocentius d. cap. cum Marthæ, de celebrat. Miſs. intelligi exponit. Poſt mentionem Sanctorum, qui in Canone notantur, ſolent aliquæ Eccleſiæ addere hæc verba: [ Et eorum, quorum ſolemnitas hodie in conſpectu tuæ Majeſtatis celebratur. ] Quæ a Gregorio III. anno 731. addita fuerunt, ut Valfridus, Radulphus, & Sigibertus teſtantur. Verba autem *Hanc igitur oblationem &c.* tribuuntur Gelaſio ab Alcuino, ſeu S. Leoni Magno a Radulpho. Precatio illa, *Dieſque noſtros in tua pace diſponas, &c.* uſque ad *Quam oblationem*, a S. Gregorio M. addita fuit, in qua ſunt aliqua verba difficilis intelligentiæ, nempe; *Et in Electorum tuorum jubeas grege numerari*; nam Electorum numerus nec augeri, nec diminui poteſt; quare ſecundum præſentem juſtitiam intelligunt aliqui, poſtulando, nimirum, a Deo gratiam illam, qua mediante recte operando, inter Electos numeremur; ſed verius Gabriel Biel. lect. 33. inquit, quod per dicta verba æternam gloriam poſtulamus, quam mediantibus noſtris orationibus Deus nobis concedere decreverat. Dum autem hæc oratio dicitur, extenduntur manus ſuper oblata, ut ita Sacerdotem Aron imitemur, Levit. 1. & ſignificamus etiam, quod hæc myſteria abſconſa, & occulta ipſis Angelicis Spiritibus ſint. Ruper. lib. 2. cap. 57. Ubi advertendum eſt obiter in hac manuum extenſione, cancellari debere ambos pollices in modum crucis, ut in ſuo cæremoniali notat Alcocer, ſupponendo, ſcilicet, ſiniſtrum dextro in ſuperiori parte manuum, ut Petrus Reyna in ſuo Cæremoniali ex Rotali Decreto advertit. Sequitur explicanda dictio *Adſcriptam*, nempe, quod hoſtia, oblatioque ſit connumerata, & adſcripta inter acceptas, & Divinæ Majeſtati gra-

tas.

tas. Azor. lib. 10. cap. 37. Dictio *Ratam*, ideſt, certam, ac ſtabilem mutatione ſubſtantiæ corruptibilis in incorruptam denotat. *Rationabilem*, cum ſit oblatio rationabilis obſequii noſtri, & non animalium, ut ait Apoſt. in epiſt. ad Rom. cap. 12. nu. 1. Verba autem, *Qui pridie quam pateretur*, a Sancto Papa Alexandro adjecta fuiſſe Auctores affirmant. Verba *Myſterium fidei* in conſecratione Calicis. Vide *Myſterium fidei*. Cruces quæ ſignantur ſuper Euchariſtiam poſt conſecrationem, non ſunt benedictiones, ſed ſigna, & memoriæ Paſſionis Chriſti. Ab Hæreticis autem calumniata fuerunt illa verba, *Supra quæ propitio, ac ſereno vultu reſpicere digneris &c.* aſſerentes Sacerdotem intromitti tanquam mediatorem inter Patrem æternum, & Chriſtum ejus Filium, ita ut oret Sacrificium illud eſſe acceptabile. Quod falſo aſſeritur; nam, ut ſit acceptabile in quantum ad effectum, & in ordine ad Eccleſiam, intercedit Sacerdos coram Deo, ut oſtendatur, nimirum, erga nos ejus miſericordia, ac pietas, peccata dimittendo, hoc Sacrificio mediante, quod eſt ex ſe, & ratione dignitatis perſonæ ſacrificatæ jam acceptum, & non aliter. *Sanctum Sacrificium, & Immaculatam Hoſtiam*, verba ſunt a Sancto Leone addita. Dictiones illæ. *Jube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui*, non faciunt ſenſum de Sacrificio, ut corpus, nempe, Chriſti per Angelum ad cœlum; ſed ut preces noſtræ in conſpectu Altiſſimi per manus Angeli perferantur, ſicut preces Tobiæ delatæ fuerunt, implorare Celebrantem intelligitur. Elevat vocem Sacerdos, quando dicit: *Nobis quoque peccatoribus*: ad denotandos gemitus, & clamores pœnitentium cauſa ſuorum peccatorum. *Per quem hæc omnia ſemper bona creas, &c.* hæc verba, ut dictum eſt ſupra, a Scholaſtico addita fuere, quæ a recentioribus Novatoribus impugnantur tamquam gratis ſuper Corpus Chriſti prolata; ſed male ſignificatum interpretantur, qui non alius eſt, niſi quod realiter ſuper ſacramentatas ſpecies proferantur, cum hoc ſono, nempe, *Per quem*, ideſt, per Chriſti merita, *ſemper bona creas*, creando, ſcilicet, & conſervando ſpecies illas. *Sanctificas*, quia de puris creaturis tranſubſtantialiter in admirabiliſſimum Sacramentum creat Deus. *Vivificas*, hoc eſt, eas permutando in carnem, & ſanguinem Chriſti viventis. *Benedicis*, cumulo gratiarum. *Et præſtas nobis*, quippe in cibum. *Præceptis ſalutaribus &c.*, hoc breve procemium ante Dominicalem orationem a Gregorio Magno additum fuiſſe Radulphus ait; alii tamen S. Cyprianum faciunt auctorem. Errant vero, qui putant orationem Dominicalem ex Gregorii juſſu appoſitam fuiſſe in Miſſa: cum Apoſtolorum inſtitutum ſit, ut ex eodem Gregorio colligitur, qui ait in primitiva Eccleſia Sacrificium ſolum conſecratione, & dominicali oratione conſtaſſe; fortaſſe Pontifex hic determinaverat tempus, quando eſſet dicenda in Miſſa, nempe, ante communionem; verum tamen eſt ipſum compoſuiſſe orationis appendicem, quæ incipit, *Libera nos quæſumus, Domine*. Gem. lib. 1. cap. 9. ac manifeſte ex S. Andreæ, ejus peculiaris Advocati invocatione, ſuam compoſitionem eſſe colligitur, quæ Emboliſmus a Græcis dicitur. Vide *Emboliſmus*. Et in feria VI. pararaſceve alta voce profertur, ut manifeſte deſcenſus Chriſti ad inferos ad liberandos ſanctos Patres manifeſtetur. Duran. lib. 4. cap. 49. FR. Tandem dicendum, quod antiquitus per totum canonis Miſſæ tempus excludebantur a Sacrificio Catechumeni, Energumeni, & Pœnitentes. Ranzovius in epiſt. ad Calixtum.

CANONARCHA, græca vox Κανονάρχης, monachale officium, ideſt, regulæ Præfectus. [ Cum quadam nocte ſurrexiſſem, ut pulſarem ſignum, ea quippe cura mihi, ut Canonarchæ, injuncta fuerat, ut excitarem fratres ad Collectam. Moſch. in vita Patrum, lib. 10. cap. 50. ] De eodem officio mentionem facit S. Dorotheus Abbas, ubi de ejus laboribus pro monaſterio actis inquit: [ Adventabat interea modico intervallo hora vigiliæ, & cum paululum quippiam obdormiſſem, excitabar a Canonarcha noſtro. Doct. 11. ] Hodie tamen inter Græcos *Canonarcha* vocatur ille, qui ſuggerit legendo de una ad aliam periodum Cantoribus, qui ob librorum penuriam, vel legendi inſcitiam memoriter recitare, & canere coguntur, ſic ex utroque Choro duo Canonarchæ, ideſt, directores ad ſuggerendum ſucceſſive prolationem verſuum incumbunt, quorum Superior *Protocanonarcha* appellatur.

CANONIA, canonicalis præbenda, pro cujus definitione, vide *Præbenda*. [ Hoc anno Dominus Papa veſtro interventu privilegium ſuum Eccleſiæ noſtræ indulſit, in quo ſpecialiter expreſſit canonias, ſeu præbendas &c. Petrus Cellenſ. l. 8. c. 15. ] Sic paſſim penes antiquos Scriptores, quæ etiam dicitur, *Communitas*. *Victuale*. Item ſignificat canonicam habitationem, in qua Canonici ſimul morabantur. Vide *Canonicus*. FR. dicitur etiam *Canonia* Regularium domus: [ In aliquo Monaſterio, vel regulari canonia. can. Duæ ſunt. 19. quæſt. 1. ] De ordinatione vero ſæcularium Canonicorum ſimul habitandi ſic habetur: [ In unoquoque Epiſcopatu ſimul manducent, & dormiant, ubi his facultas id faciendi ſuppetit, qui de rebus eccleſiaſticis ſtipendia accipiunt, in uno clauſtro maneant &c. can. In omnibus, de Conſecrat. diſt. 5. ] Ubi de Canonicorum inſtructione agitur.

CANONICO. FR. verbum, Canonicum facere ſignificat. [ Qui vero tales (ut dictum eſt) canonicare præſumpſerit, a ſuis beneficiis ſuſpendatur. de filiis Presbyt. c. 16. ] Vide *Canonicor. Excanonicor*.

CANONICOR. FR. regulor in modo vivendi. [ Super paupertatem ſpiritus offerenda eſt voluntas canonicari volentis. Petrus Bleſen. ſerm. 32. ] poſſet etiam ſignificare, habitum regularem ſumere.

Canonicarius, qui canonem exigit, vide *Canonicus*.

Canonicus, græce κανονικός, ideſt, regularis; Canonici enim antiquitus vocabantur Clerici, qui ſimul cum Epiſcopo communiter, & regulariter ad ſimilitudinem primitivæ Eccleſiæ vivebant, ut dictum eſt in dict. *Canonia*, & uſque ad præſens eorum habitationes Cathedralibus contiguæ videntur. Canonicus ergo ex vita regulari ita appellatus fuit, & non ab obligatione exigendi eccleſiaſticum proventum, eo modo, quo non pauci faciunt, qui merito arguuntur his verbis ab Alcuino: [ Eſt namque canon vitæ, ut dictum eſt, & eſt canon pecuniæ, videlicet, alicujus penſionis certæ. Unde ſolet dici, ſolve mihi canonem meum, ideſt, penſionem meam. Eja ergo o Canonice inveniamus a quo derivaris, ideſt, a canone pecuniæ, non a canone vitæ, ideſt, a canone regionis, non a canone religionis, hom. de Zizania. ] FR. Canonicus etiam dicitur, qui canonem ſolvere tenetur; [ Deinde, ſacramento mediante, Comitis Jordani fidelis, & canonicus effectus eſt. Falco Beneventanus apud Camillum Peregrinum, ] quem Camillus in ejus caſtigationibus pag. 166. ſic exponit: [ Canonicus, ideſt, tributarius: nam penſio paſſim olim dicta reperitur canon: quoniam, ſcilicet, juxta canonem, & certam regulam penderetur: unde ex Caſſiodoro lib. 2. epiſt. 25. ſolidi canonici, & lib. 12. epiſt. 13. aliiſque in locis ſunt Canonicarii, qui tales canones exigebant. Deque iis etiam vide Cujacium in Novell. Juſtiniani 128. ] Angelus de Nuce Roſanen. Archiep. in notis ad Chron. Caſinen. l. 3. c. 69. n. 1546. erudite Canonicos reprehendit, a quo conſulendi ſunt Canonicatuum poſſeſſores, ſeu cupidi. :||: Quid autem per *Canonicorum fornicationes* intelligat D. Baſilius Amphilochio ſcribens: ita explicat Balſamon: [ Canonicos eos dicit, qui in canone numerantur, ſcilicet, Clericos, Monachos. In aliquibus Belgicis Civitatibus reperiuntur *Canoniſſæ*, fœminæ, ſcilicet, a Guidone illius provinciæ olim Comite inſtitutæ, quæ tenentur in Eccleſia recitare Officium divinum, quarum receptio ex Honorii IV. conſtitutione epiſt. 144. non poterat fieri ſine atteſtatione ſeptem nobilium virorum ſuper nobilitate earum ex ambabus parentum lineis; ſed idem Pontifex cognita ſæpe falſitate teſtium in hujuſmodi examinibus; ne eſſet cauſa tanti mali, ac perjurii, eandem conſtitutionem revocaverat deinde. In Concil. Lateranenſe de anno 1069. celebrato, reperitur decretum ad inſtantiam Petri Damiani, pro quo Alexandro Papa ſcripſerat: in eo enim decreto ordinatur, quod Clerici communem vitam ſimul agant: quod intelligendum de illis Clericis, qui in Collegiatis Eccleſiis inſerviunt, & ideo Canonici dicuntur. FR. multi Imperatores, ac Reges inſigniti ſunt titulo Canonicorum Vaticanæ Baſilicæ, ita Carolus Magnus a Leone III. ut teſtatur Torrigius de Crypt. Vatican. ſecundæ impreſſ. part. 2. c. 7. Federicus Imperator a Papa Nicolao, ibidem c. 5. Henricus IV. & Carolus V. Imp. ibidem cap. 2. Princeps Poloniæ ab Urbano VIII. ibidem c. 5. & hoc fuit propter arduam prohibitionem ſub cenſuris, ne quis præter Vaticanæ Eccleſiæ Canonicos poſſet aſcendere ad viſendum Sanctiſſimum Veronicæ Sudarium; ſub quo titulo Imperatores prædicti aditum habuerunt approximandi ad dictam Sacram Reliquiam :||: Quo autem ad Canonicorum cæremonias, primarius locus Canonico hebdomadario deferenti ſacra paramenta debetur. Congreg. Rit. 22. Aug. 1626. Imo in Romæ Baſilicis, & Collegiatis eſt uſus cedendi hebdomadario Canonico primum ſtallum, quamvis paramenta ſacra non deferat, ſic etiam Beneficiato hebdomadario inter ordinem Beneficiatorum. Eadem præcedentia datur Epiſcopo titulari, ſi Canonicus ſit. Sac. Congreg. Rit. in una Compoſtellana 11. Julii 1617. Hanc etiam praxim obſervari expertus ſum in Vaticana Baſilica, in qua aliqui Canonici ſunt titulares Epiſcopi, qui cum rochetto, & mantelletto divinis officiis interſunt ſupra omnes Canonicos. Præſcribit Cæremonialis ad Chorum incedere Canonicos ordine binario, ſed in ſolis ſolemnitatibus hoc intelligi declaravit Sac. Congreg. Rit. 12. Junii 1628. Canonici, qui habent rochetti, & cappæ uſum, iis uti non poſſunt in adminiſtratione Sacramentorum; tunc enim debent deferre ſuperpelliceum, & ſtolam, d. Congreg. ibidem. Non tenentur Canonici Epiſcopo Pontificaliter celebranti inſervire in aliis Eccleſiis; ſed tantum in Cathedrali, d. Congreg. 20. Jul. 1592. Quod tamen de Eccleſiis extra Civitatem intelligitur; nam in iis, quæ ſunt intra Civitatem, ubi Cathedralis reperitur, ad dictam aſſiſtentiam teneri declaravit Sac. Congreg. Conc. ad c. 12. ſeſſ. 24. de Reformat. Quando jam in Choro incœptum ſit recitari officium, ac veniat interea ad Eccleſiam Epiſcopus; debent ei obviam ire quatuor ex Choro Canonici, d. Congregat. Rit. 15. Martii 1608. Similiter, ſi a Choro Præſul diſcederet non peracto officio, quatuor Canonici uſque ad portam Eccleſiæ eum famulari debent d. Congreg. Rit. 4. Jul. 1615. Romæ obſervatur hæc cæremonia in adventu Cardinalium, & Pontificis, cui etiam non pluſquam quatuor Canonici a choro obviam diſcedunt, remanentibus aliis ad proſequendam officii recitationem, & pertranſiente Papa per Chorum, recitantes Canonici non moventur a propriis locis; ſed tantum tranſeunte Pontifice genuflectunt, cujus cæremoniæ uſus oculatus teſtis ſum. Aſſociando Cardinalem Epiſcopum Canonici, civilem pallium ferentes, debent ante, & non poſt illum incedere d. Congr. 4. Julii 1626. Non pertinet ad Canonicos aſſiſtentes auferre biretum ex capite Epiſcopi, dum ex ſe id facere poteſt, d. Congreg. 21. Aug. 1064. Neque manum Epiſcopi oſculare tenetur Subdiaconus Canonicus peracta lectione. Vide *Lectio*. Reliqua vide Beneficiati in dict. *Beneficium*. *Cappa*. Canonicus abſens a Choro de diſtributio-

butionibus non participat, quamvis Epiſcopo inſerviat Vide *Victuale*.

CANONICUS SIMPLEX. FR. Dicitur Canonicus Collegiatæ. [ Quod H. præpoſitus quondam ſimplex Canonicus ejuſdem Eccleſiæ, de ipſa in majori Eccleſia in Canonicum eſt electus. de conceſs. præbendæ, c. 9.

CANONICURSUS. FR. exactor canonum Regiæ Cameræ debitorum. l. final. C. de exactor. tribut.

CANONIZATIO, cæremonialis actio Summi Pontificis, qua aliquem Dei Servum Univerſali Eccleſiæ pro Sancto haberi, & inter Sanctorum Kalendarium connumerari declarat. *Canonizatio*, & *Canonizo* a Canone dicuntur, ſeu a Catalogo, qui Canon appellatur, in quo inſcribebantur nomina Sanctorum, quos Eccleſia approbabat prævia rigoroſiſſima inquiſitione; mos enim hic laudatiſſimus ſemper fuerat in Eccleſia, & ab antiquo non approbabantur Martyres a Tyranno occiſi ante declarationem Eccleſiæ; quod hoc modo fiebat; Epiſcopus ſub cujus Diœceſi aliquis martyrium paſſus erat, Provinciæ Primatem certiorem faciebat, qui poſt maturam conſultationem declarabat, an Martyris cultus illi occiſo deberetur. Ita feciſſe Tagaſtenſem Epiſcopum refert D. Auguſtinus, quod nempe, Manſurio Carthaginenſi Epiſcopo, ac Primati Martyrum acta exhibuit Tagaſtenſis: & Lucillam famoſiſſimam, ac ditiſſimam fœminam Hiſpanam, atque Donatiſtarum fautricem redarguit Cæcilianus Carthaginenſis Archidiaconus, ut Optatus Milevitanus refert, quia ipſa ante communionem, adorabat, & oſculabatur reliquias cujuſdam Martyris, qui adhuc canonizatus non erat, qui ſic inquit; [ Os neſcio cujus hominis mortui, ſi Martyris, nondum tamen vindicati, admoveret. ] Qua reprehenſione fœmina illa irritata, omnes copioſas facultates ſuas inſumpſit ad inſequendum Cæcilianum jam Epiſcopum Carthaginenſem conſecracratum. *Martyr vidicatus* is dicebatur, qui poſt canonicam approbationem adorari poterat. Vide *Vindico*. Hodie tamen ad ſolum Pontificem Univerſalis Eccleſiæ hæc functio ſpectat. Vide gloſs. in ſexto lib. 3. tit. 24. cap. unico. Errat ſiquidem Polydorus Virgilius, qui lib. 6. cap. 8. primam canonizationem Sanctorum ab Alexandro III. celebratam fuiſſe aſſerit; conſtat enim S. Suviberti proceſſum canonizationis ad inſtantiam Pipini Francorum Regis inchoaſſe Stephanum Papam III. Baron. ann. 754. nu. 10. & canonizatum fuiſſe a Leone III. idem Baron. an. 804. n. 2. &c. Sur. 1. Mar. Bellar. Contr. de Eccl. Trium. lib. 1. c. 8. Adrianus I. S. Albanum Angliæ Protomartyrem ad inſtantiam Regis Offæ anno 744. canonizavit. [ Offa Rex Romam tandem perveniens optata Apoſtolorum limina viſitavit, & diverſorum loca Sanctorum pia devotione percurrit. Deinde Adriano I. Summo Pontifici cauſam ſui adventus denuntians, & de loco ſimul, & B. Albano canonizando, cœnobioque conſtruendo, devote preces porrigens; petitioni ſuæ Romanam de facili curiam inclinavit, & ex hoc præcipue, quod Martyris inventio cœlitus ſit edocta. Matth. Vveſtmonaſterienſis Florilegus appellatus, qui vixit anno 1300. in ſua Hiſtoria, quæ flores Hiſtoriarum dicitur, pag. 287. ] Joannes XV. S. Udalricum Auguſtanum Epiſcopum. Baron. An. 993. n. 1. & ſeq. Joannes XX. poſt luſtrum S. Romualdum, qui obierat an. 1027. idem Baron. ad Ann. prædictum n. 13. Leo IX. an. 1052. SS. Ronaldum Camerienſem, Amicum Ramibonenſem, Guidum Pompeſianum, Frimanum Firmienſem, & Ardoinum. Baron. in d. anno num. 9. & anno ſequenti idem Pontifex S. Gerardum Leucorum Epiſcopum, idem An. 1053. num. 4. Paſchalis II. S. Petrum Anagninum Epiſcopum, poſt annos quatuor ab ejus obitu, idem an. 1105. num. 13. Eugenius III. Henricum Imperatorem, idem an. 1152. num. 4. in Sanctorum numerum retulerunt. Quæ functio ſolet in Conciliis Generalibus fieri a Pontifice, vel abſque Bulla, vide eundem Baronium an. 1161. n. 1. & aliquando idem Pontifex alicui Primati functionem hanc delegare conſueverat: ſic enim legimus Urbanum II. anno 1088. Byzantio Tranenſi Archiepiſcopo per ſpecialem Bullam facultatem dediſſe adſcribendi in Catalogo Sanctorum S. Nicolaum cognomento Peregrinum, in cujus honorem dedicatum fuit ſumptuoſiſſimum in ea Metropoli templum. Quibus veridicis narrationibus manifeſte Novatorum calumniæ convincuntur, qui novum ritum Sanctorum canonizationem eſſe falſo aſſerunt. Fabuloſa etiam Troili Malvezi narratio habenda in tract. de Canoniz. tom. 14. dub. 4. num. 46. ubi ad demonſtrandam hanc cæremoniam fuiſſe antiquiſſimam, ait Sanctum Apollonium græcum Anachoretam fuiſſe primum ex Sanctis canonizatis, qui nato Chriſto primus fuerat ad prædicandum Paſtoribus Meſſiæ adventum, & ideo a Judæis ligneis clavis confixus, ac proceſſu temporis per divinam revelationem Nicolaus I. illum canonizaverat, quod ex narratione cujuſdam M. S. Auctoris Anonymi aſſerit; de hoc enim Apollonio Anachoreta mentio nullibi reperitur; melius tamen hujus antiquitatem Bellarminus cap. 7. loc. cit. ex Teſtamento veteri originem duxiſſe probat; Eccleſiaſticus enim Enochum, Noemmum, Abrahamum, Iſaachum, alioſque juſtos canonizavit, inquiens; [ Laudemus viros glorioſos, &c. Eccleſiaſt. cap. 44.

CANONIZO. Vide *Vindico*.

CANOLA. Vide *Communio*. *Fiſtula*. *Syphon*.

* CANOPEUM Altaris. Umbraculum altius aductum, & totam menſam ſacram contegens. Du Freſn. com. in Paul. ſilent. p. 569.

CANSTRISIUS, Græce Κανςείσιος, qui ſacra Patriarchæ paramenta cuſtodiebat, & eundem ad induendum coadjuvabat, thuribulum deferebat, populumque aqua benedicta aſpergebat. Exiſtimant aliqui a nomine græco Κάνςεον, ideſt, *incenſi navicula*, ſive a Κανεον, *caniſtrum*, hoc vocabulum derivari.

in quo veſtimenta Patriarchalia porrigebat. Hoc officium in Eccleſia Romana Veſtiarii erat.

* Cantabrarii. Certis corporibus, ſive Societatibus præfecti. Cod. Theod. lib. 14. tit. 7. de Collegiatis.

Cantabrum, militare ſignum. Hinc perperam Rhenanus Tertullianum corrigere exiſtimavit, ubi de militaribus vexillis loquens, *Candelabrorum* dixerat, correxit ille *Labarorum*. Quare melius Latinus Latinius in ejus Bibliotheca Sacra ad Tertullian. *Cantabrorum* reſtituit: ſicut in Codice Theod. lib. 4. tit. 7. cap. 2. de Colleg. legitur. *Cantabrum* enim eſt diverſum a *Labaro*. Vide Baronium An. 312. n. 33. & 34. Item furfur ſignificat: [ Juſſitque eos tota die terram fodere, & cantabrum edere ad veſperam: Surius in vita SS. Nerei, & Achillei. §. His litteris acceptis. ] Qui tamen Auctor herbam fuiſſe exiſtimando erravit; nam apud Cælſum Aurelianum lib. 2. cap. 19. apud Adonem in ſuo Martyrol. Iſidorum in Gloſſ. & alios in ſignificatione furfuris legitur, ac clarius in Vita S. Romualdi Abb. hæc verba leguntur: [ Ita ut a farinæ ſiligine cantabrum ſeparetur. [ FR. Plinius lib. 25. cap. 8. a Surio pro ſe citatus, ſic inquit: [ In eadem Hiſpania inventa eſt cantabrica per D. Auguſti tempora a Cantabris reperta. Naſcitur ubique caule junceo pedali, in quo ſunt floſculi oblongi, velut calathi: in his ſemen perquam minutum. ] Jacobus Dalecampius in ejus ad Plinium obſervationibus cantabricam *Eſcorzoneram* eſſe putat. Sed nil ad rem, quis enim unquam putaret Tyrannum Sanctis Martyribus *Eſcorzoneram* ad edendum dediſſe? :||: Hinc formatur nomen *Cantabrus* adjectivum [ Cantabro pane cum heſterna aqua veſcendo. In Vita Petri Damiani. ] Qui Auctor etiam adjectivo nomine *Cantabricus* utitur opuſcul. 15. cap. 14.

Cantarium. Vide *Cantharus*. *Candela*.

Cantatorium, Liber pro canenda Miſſa, & Graduale hodie communiter appellatur, de quo ſuo loco. [ Poſtquam legerit Cantor, cum cantatorio aſcendit, & dicit reſponſorium graduale. Ord. Rom.

Canterma, maleficium opera diabolica provocatum. [ Maleficio, quod vulgo canterma dicitur, quoſdam didicit maculatos. S. Gregor. in Regiſt. lib. 12. epiſt. 13.

Cantharus, ſeu *Cantarium*, ex græca voce κάνθαρος, quæ candelabrum ſignificat, & κηρόςατος κάνθαρος, candelæ ſuſtentaculum ſonat. FR. In Miſſali Ambroſiano *Cantarium* dicitur; ubi diſponitur, quod in Miſſis cantatis Subdiaconus in una manu thuribulum ferat, & in altera *Cantarium*, ideſt, candelabrum cum accenſa candela; quæ praxis in Metropolitana Mediolani Eccleſia tantum viget, ac idem facit Subdiaconus, dum canitur Evangelium: in his enim functionibus, Ambroſiani non utuntur Acolytis :||: Item ſumitur aliquando in ſignificatione candelæ tantum. Vide *Candela*. Item vas, in quo aqua benedicta conſervatur. Item Lychnum penſilem ſignificat, ut dictum eſt in dict. *Butto*. Sed diverſæ figuræ, ut in muro ab ingrediente S. Clementis de Urbe templum parte ſiniſtra ſimiles antiquæ picturæ adhuc cernuntur, necnon in manibus decem Virginum, quæ opere muſivo in externa S. Mariæ Transtyberinæ templi fronte ſuper porticum adhuc configuratæ perdurant, cujus figuram hic ſubjicere curavimus.



* Cantharus. Fons in medio atrio Eccleſiæ, ex quo ſe lavabant qui Eccleſiam ingrediebantur. Euſeb. lib. 10. cap. 4.

Canthelius, Vaſis genus. [ Portabat canthelium capientem amphoras decem. Jo. Moſc. cap. 107. ] Græce tamen κανθήλιος; grande jumentum proprie ſignificat, & inde metaphorice pro ingenti vaſe accipitur.

Canthus, κανθός. FR. [ Tales autem rotæ erant quales ſolent in curru fieri: & axes earum, & radii, & canthi, & modioli, omnia fuſilia. 3. Reg. cap. 7. verſ. 33. ] Quam dictionem exponit ibi Dionyſ. Carth. art. 11. inquiens: [ Canthi vero extrema rotæ, quæ per terram circumvolvuntur, ſeu partes circumferentiæ, quæ inter radios collocantur; modiolus autem eſt illud rotundum, quod eſt in medio rotæ. Item circulus, hoc eſt angulus oculi, canthus, Galen. Cæl. lib. c. 3.

Canticum, quod differt a Pſalmo; hic enim muſico inſtrumento pſalterio appellato canebatur. Vide *Pſalmus*. Canticum vero ſola voce promebatur. Pſalmus autem bona opera, canticum vero gratiarum actionem denotant. Durand. lib. 5. cap. 4. Primus ſacrorum canticorum Auctor Moyſes fuit, quando cum populo electo mare rubrum jam tranſierat. Itaque pſalmō antiquius eſt canticum. Decem ſunt cantica, quæ in pſalmodia recitantur, ſeptem, ſcilicet, ex antiquo teſtamento excerpta, & per ſeptem hebdomadæ dies ad Laudes diſtributa; alia vero tria ex

Evan-

Evangelio deſumpta, nempe, *Benedictus Dominus*, quod etiam dicitur in matutinalibus Laudibus, quia in eo de Præcurſore Chriſti fit mentio, qui tanquam aurora veri ſolis juſtitiæ annuntiatrix fuerat. Secundum canticum eſt *Magnificat*, & dicitur ad Veſperas, quæ nobiliores Laudibus ſunt, cum feſtivitatis ſint principium, & quia hoc canticum veſperarum tempore fuerat compoſitum, tunc enim ad Eliſabeth domum Maria Virgo pervenerat. Benzon. in Magnificat cap. 20. lib. 1. Tertium Evangelicum canticum eſt *Nunc dimittis*, quod ideo in Completorio recitatur, quia ad modum commendationis animæ eſt, quæ Deo porrigitur ante ſomnum æternitatis ſymbolum, ita Amalar. Hæc poſtrema tria cantica Evangelica appellantur, quia ex Evangelii textu ſunt deſumpta; ideo in eorum recitatione ſtando omnia recitantur, quinimo aliqui initio prolationis eorum laudabiliter ſolent cruce ſignari, ſicut in Miſsa ad Evangelii principium obſervatur. Jo. Belet. cap. 40. Cæremoniale enim Epiſcoporum lib. 2. cap. 1. Epiſcopum in Veſperis pontificalibus ad Magnificat principium cruce ſignari diſponit, & Romana praxis idem comprobat.

CANTICUM DRAMATIS. FR. Officii Antiphona. [Dulcia cantica Dramatis.] Cantum geſticulatione aſsociatum ſignificat; nam δρᾶμα, æthologiam, geſticulationem, repræſentationemque ſignificat. Sic Philo Hebræus in Opuſculo de vita contemplativa de Eſsenorum ritu loquens, ait: [Religioſis geſtibus, & accentibus, modo ſtantes, modo retrorſum gradum moventes, utcumque res poſtulat.

CANTILENOSUS, cantabilis. [Quod meas nugas, ſeu confectas opere proſario, ſeu Poetarum ſtylo cantilenoſas. Sidon. lib. 4. epiſt. 1.

CANTOR, Eccleſiaſtica dignitas in Cathedralibus Siciliæ præcipue, ac Melitæ, quam utrobique *Ciantro* vocant, a vocabulo gallico *Chantre*; Chori cantui præeſt, & ad eum Antiphonas, Lectiones, ac Prophetias canendas, ſpectat diſtribuere, Cong. Rit. 6. Decemb. 1613. Quare autem baculum deferat, dictum eſt in dict. *Baculus*. Advertit Durandus lib. 2. cap. 2. falli eos, qui *Cantoratum* ordinem eſse dixere; quia nomen eſt officii, non autem ordinis. Concilia vero, & Sacri Canones, ubi dicunt Cantorem ordinem minorem eſse, intelligendi ibi non de Canonico, ſed de Clerico primæ tonſuræ initiato, quem *Cantorem* Concil. Toletan. appellat, & Græci *Pſaltem*, vel *Pſalmiſtam* vocant. Vide *Pſalmiſta*. *Confeſſor*. *Notarius*. In Cathedrali Lugdunenſis Eccleſiæ, in qua omnes Canonici gaudent titulo Comitis, maxime inter eos præfertur Cantoris dignitas; nam quando in Choro recitatur officium, quod ibi rigoroſa diſciplina, gravitate, ac modeſtia ſingulariſſima perſolvitur, ſi contigerit ibi aliquis error in recitando committi, ſtatim Cantor dat manu ſignum, tunc omnes ſilentio profundo a Choro diſcedunt, & in aliquam Eccleſiæ Cappellam ſe ſe reducunt, ibique privatim remanentem officii partem ſubſequuntur, quod in Choro tam rigoroſe recitantur, ut Canonici præ ſilentio, modeſtiaque quaſi immobiles ſtatuæ appareant; neque etiam ad Chorum admittuntur, niſi poſtquam memoriter didicerint pſalterium, hymnos, & antiphonas totius anni, quia in Choro nec libri, nec lumina afferuntur: imo ad matutinum, quod ſemper nocturno tempore canitur, in Altari candelæ non accenduntur, ſed permittitur unicum tantum lumen in laterna abſconditum, quo utuntur tempore lectionum. In multis Galliæ Eccleſiis vocatur *Feſtum Cantoris*, feſtum primæ Claſſis; quia tunc ad Cantorem ſpectat officium ordinare; ſic *Feſtum Succentoris*, ſignificat feſtum ſecundæ claſſis; nam tunc ſuccentor officium ordinare tenetur. In Melita Canonicus Cantor in ſolemnitatibus, ac proceſſionibus in manu defert argenteam virgam, ut dictum eſt in dict. *Baculus*, & ipſe præintonat Epiſcopo in Pontificalibus: reliqua vide *Archicantor*. *Archiparaphroniſta*. *Baculus*. *Bardus*. *Cappellaris*. *Fabarius*. *Majuſculus*. *Paraphroniſta*. *Succentor*.

CANTUS, in Eccleſia antiquiſſimus, ab ejus, nempe, primordio. [Commonentes voſmetipſos, pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, in gratia cantantes in cordibus veſtris Deo. Epiſt. ad Coloſsen. cap. 3.] Cantus autem alternatus in Choro a S. Ignatio Martyre in Oriente introductus fuit. Quod in viſione didicerat glorioſus ille Martyr, in qua Angelos alternatim Sanctiſſimæ Trinitati laudes canere audierat, quem ritum univerſalis Eccleſia imitata eſt deinde: & Sanctus Athanaſius in ſuam Alexandrinam Eccleſiam figuratum cantum introduxerat, quem Græci χρωματιζόμενον, ideſt, coloratum vocant; at poſtea diſuetudinem animadvertens, ut D. Auguſtinus refert, alium cantum ſimplicem, ac planum ordinavit; ita ut potius recitatio, quam cantus videretur; idemque Aug. addit, quod Mediolanenſis Eccleſia ſub D. Ambroſio a græca Eccleſia mollem, ſuavemque canendi modum apprehenderat; ſed Romana Eccleſia medium tenuit, nam nec ad ſimplicitatem alexandrinam, nec ad græcum, & ſuavem concentum inclinavit; ſed utrumque modum contemperavit, ſuavitatem, nempe, gravitati commiſcuit, de quo Baron. an. 60. n. 25. & ſeqq. Apocrypha autem ſunt illa ſcripta, quæ ſub nomine Damaſi Papæ circumferuntur, ex quibus nonnulli inducti, Eccleſiam Romanam aſseruerunt ab orientali canendi modum ſuſcepiſſe, nam a principio ſuæ fundationis uſa eſt cantu, licet verum ſit, quod Damaſus ex Oriente, nimirum, a Hieronymo Hieroſolymorum incola non canendi ritum, ſed pſalterium ſecundum Septuaginta Interpretum verſionem acceperit. Anglicana Eccleſia a Romana ad canendum inſtructa fuerat. Baron. ad An. 639. n. 8. 9. Et ab eadem Romana Gallicana in canendo correcta. Idem Baronius An. 754. n. 7. Solebant antiquitus omnes fideles ſimul canere in Eccleſia, quod cum po-

potius confuſionem, quam devotionem excitaret, inde ſancitum poſtea fuit, ut tantum aliqui Clerici, ad hoc deputati, canere debuiſſent, qui *Cantores Canonici*, ideſt, Regulares, ſeu ordinati dicebantur. [Non oportet præter Canonicos Cantores, qui ſuggeſtum aſcendunt, & ex membrana legunt, aliquos canere in Eccleſia. Concil. Laod. can. 15. ] Ubi Zonara notat, quod ex tunc Subdiaconi, qui prius ad portas Eccleſiæ, & Lectores ad legendas ſacras lectiones deſtinati erant, ad canendum poſtea electi ſint. S. Gregorius Cantorum Romę Collegium reſtauraverat, quod *Schola Cantorum* dicebatur, & tenebantur ad canendum adire, ubi Pontifex ſolemniter celebraturus erat; atque idem Sanctus reformator illius cantus fuerat, qui ab ejus nomine *Gregorianus* dicitur; ſed proceſſu temporis jam vitiatus, a Leone II. Siculo hujus ſcientiæ peritiſſimo denuo in priſtinum ſplendorem reſtitutus fuit. Singulariſſimo ſtudio ad eccleſiaſticum cantum, excitantem modeſtiam, ac devotionem, SS. Patres admonitis incumbebant, ac memoratu dignum erit S. Ambroſii documentum, ubi, lib. 1. c. 18. ſic ait: [ In ipſo canendi genere prima diſciplina verecundia eſt. ] Ideo immodeſte canentes legere deberent, can. 75. ſextæ Synodi, & Extrav. Jo. XXII. in c. unico, de vita & honeſt. cleric. ac D. Hieronymus, in c. 5. ad Epheſ. Græci vero ſunt laudibus digni, qui in cantu admonitionem S. Jo. Chryſoſtomi, hom. 1. de verbis Iſaiæ ſequuntur, ubi ait, quod cantus debet habere [ Placidam, & contractam, moderatamque vocem ] Concil. Trident. modeſtiam in cantu commendat, & Auctores exiſtimant committere peccatum mortale, qui profanum cum ſacro cantu in Eccleſia miſcent. Cajet. 2. 2. q. 11. art. 1. & in Cæremoniale Rom. l. 1. c. 28. hæc verba habentur: [Cavendum autem, ne ſonus organi ſit laſcivus, aut impurus, nec cum eo proferantur cantus, qui ad officium, quod agitur, non ſpectent, nedum profani, aut ludicri, nec alia inſtrumenta muſicalia, præter ipſum organum addantur. Debent ergo Cantores conſonis vocibus, & ſuavi modulatione concinere, quatenus animos ad devotionem Dei valeant excitare. Innocent. III. de Myſt. Miſſæ, c. 2.] Ac D. Gregorius in Concil. Rom. can. 1. hujus prohibitionis cauſam reddit, inquiens: [ Dum blanda vox quæritur, quæri congrua vita negligitur, & Cantor miniſter Deum moribus ſtimulat, cum vocibus populum delectat. ] Aliam rationem reddit Card. Bellarminus in Pſ. 40. dicens: [ Nam ſicut qui intelligenter, & devote canunt, animos audientium rapiunt; ita, qui theatrales modulos in Eccleſiam invehunt, de domo Dei ſcenam mundi faciunt.] FR. Sed pro defenſione recentiorum Cantorum dicendum, quod ſicut apes, & ſerpentes ex eodem flore humorem lambentes, illæ mel, & iſti venenum trahunt, ſic ex modulationibus, quæ aliquibus apparent laſcivæ, per eaſdem ſæpe vidi pios, ac devotos ad ſpirituales meditationes excitari. [Fieri enim poteſt, ut ſine aliquo vitio cupidinis, vel voracitatis pretioſiſſimo cibo ſapiens utatur; inſipiens autem fœdiſſima gulæ flamma in viliſſimum olus ardeſcat,] & inferius inquit: [ Nam in omnibus hujuſmodi rebus, non ex earum rerum natura, quibus utimur; ſed ex cauſa utendi, & modo appetendi, vel probandum, vel improbandum, quod facimus, can. quiſquis rebus, diſt. 41.] Itaque cum notæ muſicales in ſe indifferentes ſint, ex ſubjectis verbis canendis denominationem boni, vel mali accipiunt, & ad id, quod Boetius in d. Extrav. Jo. XXII. allatus ait, nempe: [ Non enim fruſtra Boetius: Laſcivus animus, vel laſcivioribus delectatur modis, vel eoſdem ſæpe audiens emollitur, & frangitur.] Reſpondemus hoc per accidens ex mala animi præparatione in laſcivi aurem ſuccedere; non quia, ut ſupra oſtendi, modulatio ex ſe talis ſit: ſed ex prava audientis apprehenſione; nam ſi ex hoc capite prohibenda eſſet delicatiſſima recentiorum muſica, prohibendum etiam eſſet, exempli cauſa, aurum, argentum, gemmæ, & reliquæ res pretioſæ, quibus Eccleſia ad honorem Dei utitur, quia ea avidus inſpiciendo poſſet actum avaritiæ excitare, & pro ſe appetere. Ergo ſicut Theologi morales docent, mulierem ſe exuere non teneri ornamentis, ex eo quia ab aliquo laſcivo admonita, quod propter talia ornamenta excitatur ille ad eam libidinoſe concupiendam, cum illa ad delectationem ſui mariti adornetur: ſic cantu, & cæteris ornamentis Eccleſia Dei ſponſa ad delectationem & contemplationem animæ utitur, licet peccator, qui videbit, ſeu audiet, paſſionibus fremat. Si vero antiquo canendi ſtylo uti cogeremur in Eccleſia: utique ea cum Propheta continuo conqueri debuiſſet, quod: [ Viæ Sion lugent, eo quod non eſt, qui veniat ad ſolemnitatem,] nam imbecillitas humana cantu, & concionibus cum novitatibus concentuum, & conceptuum attrahitur. Scrupuloſi erant SS. Patres ad introducendum Organum in Eccleſiam, ne convenirent cum ſæcularibus ſonis: tandem hodie ejus ſonus non niſi ſpirituales meditationes excitat, & ſic cum Auguſtino cogimur dicere: [ Rogamus pro illis, ut qui delectabiliter organum audiunt (*& nos addamus recentem muſicam*) delectabilius audiant vocem Dei, in Pſ. 98. ] Quare dicendum, SS PP. & Concilia de cantu theatralibus, & immodeſtis verbis mixto prohibere intellexiſſe, vel ſecundum temporum illorum exigentiam, ne cantus Eccleſiaſticus a Gentilibus calumniaretur, id caviſſe, ut de Organo cæteriſque muſicalibus inſtrumentis refert Baron. An. 60. n. 36. Cæterum Beda in tractatu de Muſica quadr. ſeu menſur. ait eam eſſe mere ſpiritualem, & ad rectum deducentem, cujus [ Utilitas magna eſt, & admirabilis, & virtuoſa valde, quæ fores Eccleſiæ auſa eſt ſubintrare: nulla enim ſcientia auſa eſt intrare fores Eccleſiæ &c. ] Ad cantus pertinentia. Vide *Antiphona*. *Contacium*. *Exodius*. *Hoqueta*. *Muſica*. *Neuma*. *Planicantus*. *Solfiſo*. *Toni*. *Tropus*, *Ut*, *re*, *mi*, *fa*, *ſol la*. Quæ hic ex Originali deſunt. Vide in dict. *Organum*.

Cantulla, barbara vox, quæ penes Anaſtaſ. Biblioth. in Leone IV. videtur ſignificare vas. [ Obtulit cantullam argenteam unam ] fortaſſe incenſi navicula, ex voce græca κανθήλια, quæ caniſtrum ſignificat, inde *Cantulla* diminutivum nomen, ut *Ciſtella*, *Fiſcella &c.*

Caos. Vide *Chaos*.

Capa. Vide *Cappa*.

Capello. FR. depilo, capillos extirpo, evello. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſt. 138. l. ſi Caballo, de damno, & injur. Hoc, nempe, ſecundum nonnullorum expoſitionem; ſed aliis placet intelligere, quod cappellam, caſulam, ſeu tugurium conſtruere ſignificet; verba enim textus ſic habentur in cit. Conſt. 138. ubi Mathildes Comitiſſa in conceſſione territorii &c. concedit Monachis, quod nempe, illi poſſint: [ Piſcatorem unum habere, paſcere, capellare, & ſimilia facere &c.

Capero, Capucii genus, italice *Capparone*, quod villici ferre ſolebant: hodie tamen Capucinorum Novitii id deferunt, & eſt maxima ignominia in illa Religione, quando Profeſſis imponitur, eſt enim quaſi infamiæ punitio. [Caperonem uſque ad cingulum. Matth. Pariſ. hiſt. ] a voce gallica *Caperon* derivatur.

Capisa, olei menſura. Vide *Capſaces*. *Sauma*.

Capibrevium, ſcripturarum faſcis, ubi breviter capita bonorum notantur, ex quo vocabulo Equites Melitenſes Cabreum dixere. Vide *Cabreum*.

Capicerius, idem ac Primicerius, Latini enim dicere ſolebant *In prima cera*, *In ſecunda cera*, *In ima cera*, ſicut nos dicimus in prima charta, ſeu pagina, &c. quia, ut ait Sueton. in Cæſare, ſcribebant illi in tabulis ceratis, hinc dicti fuerunt Capicerius, Primicerius, & Protocerius. Vide *Primicerius*, quia in capite, ac principio ante alios in cerata pagina notabatur; eodem modo Secundicerius, qui in ſecunda ceræ tabella erat notatus. Vide etiam *Tertiocerius*.

Capischola. FR. In Hiſpania ſic vocatur Canonicus Theologalis Præbendæ Cathedralis Eccleſiæ.

Capisterium, Clibanum ſignificat, ſeu vas, quo granum frumenti purgatur: [ Si enim adhuc puerulus ita capiſterium reparavit, ut ne ſciſſura quidem appareret. Odo ſerm. de S. Bened.

Capit, verb. imperſonale, & ſignificat idem ac Licet: [ Quam etiam Petrum dici capiat. Tertull. de ruſur. carnis, cap. 26. Talia capit opinare eos Idem adverſ. Hæreſ. cap. 44.

Capitale, pulvinar, ſeu cervical oblongum, quod *Capezzale* Itali vocant: [ Sit ergo beatæ animæ culcitra conſcientiæ ſuæ puritas, ſit capitale tranquillitas, ſit opertorium ejus ſecuritas, ut in hoc ſtrato dormiat delectabiliter. S. Bern. ſerm. 2. in feſto omnium Sanctorum. ] Dicitur etiam Capitulum Vide *Capitulum*.

Capitaneus. Vide *Capitanus*.

Capitellum. Vide *Capitulum*.

Capite nudato etiam in primitiva Eccleſia orabant Chriſtiani. Vide *Collecta*.

Capitergium, linetum, ſeu faſcia, qua Epiſcopi caput ligatur, dum oleo ſancto ungitur in ejus conſecratione. Davantria in Cæremonial. M. S.

Capitiarius, tibutorum exactor, qui per hominum capita tributa exigit. [ Conſtituas tibi alium Theſaurarium, & Capitiarium de bonis Clericis. Fulbertus Carnot. epiſt. 103. Vide *Capitularium*.

Capitilavium. Sic Dominica palmarum dicebatur, quia in hac die lavabantur puerorum capita, quia præparabantur pro ſequenti Paſchæ feſto ad eos baptizando. [ Vulgus autem eum diem capitilavium nominat, quia tunc moris eſt lavandi capita, infantium, qui ungendi ſunt, ne obſervatione quadrageſimæ ſordidata, ad unctionem accedant. Iſid. l. 6. Etymol. cap. 18. & Raban. de Inſtit. Cleric. lib. 2. c. 35. ] Quamvis Durandus *Capitiliavium* diem feriæ V. in Cœna Dom. appellet, qui etiam dicebatur *Magnus dies Jovis*, *Viridis dies Jovis*, nam in eo die reconciliabantur pœnitentes. Seu *Albus dies Jovis*, quia tunc diſtribuebatur pauperibus panis albus, & uſque ad præſens in quibuſdam Galliæ locis eadem eleemoſyna fieri ſolet, & vocant hanc diem *Jeudi blanc*. Dominica vero palmarum dicebatur etiam *Petitum Paſcha*, ſive *Competentium*, quia in hac Dominica baptizandi Symbolum fidei petebant. Vide *Catechumenus*; ſed ne daretur idiotis occaſio exiſtimandi illam lotionem eandem eſſe, ac Baptiſmum, abrogata ideo fuit anno 813. in Concilio Moguntino. FR. In Ord. Rom. ex Albino Flacco legitur *Capitilavantium*, ſed Latinius *Capitilavium* mavult legi. Vide in ejus Animadverſ. ad Ord. Rom. tit. Albinus Flaccus.

Capitium. Vide *Cappa*.

Capitolium, & *Capitulum*; locus ad congreſſum Monachorum; [ In celebribus locis eorum, ut in Templo, & Synagoga, & Capitolio, non ſit aliquis, qui inhabitet. Haymo in Pſalm. 64. ] ubi in græco textu eodem modo legitur καπιτόλια τῶν μοναχῶν, ideſt, *Capitolia monachorum*. Pallad. de Monach. Ægypt. Solent Religioſi in hoc loco eorum culpas propalare, ac pœnitentiam poſtulare; ſic in vita S. Dominici legitur, Dæmonem ſecum per conventum circumambulantem Sancto oſtendiſſe diabolica lucra in omnibus locis ex fratrum ſpirituali damno percepta; noluit tamen nequiſſimus ſpiritus ad Capitulum cum Patriarcha ingredi ex odio illius loci, quia, ut ipſe faſſus eſt, quidquid in aliis locis lucrari ſolebat, in eo loco perdere cogebatur.

Capitularium, liber, in quo tributa notata continebantur: [ Gaiſo vero Comes ejuſdem temporis accepto capitulario, quod anteriores ſcriptores feciſſe commemoravimus, tributa cœpit exigere. Greg. Turon. lib. 9. c. 30. ] Et inferius; [ Oſtendens Capitularium, in quo tributa continebantur. ] Inde *Capitiarii* Exactores dicebantur. Vide ſupra *Capitiarius*,

rius, & in Regiſt. S. Greg. Papæ, lib. 7. cap. 8. *Capitulare* vocatur. FR. Capitularis dicitur liber, in quo ſtatuta continentur; [ Nec non & qui de cætero ſervari fecerint ſtatuta edita, & conſuetudines introductas contra Eccleſiæ libertatem, niſi ea de capitularibus ſuis intra duos menſes poſt hujuſmodi publicationem ſententiæ fecerint amoveri, decretal. lib. 5. tit. 39. cap. 49. ] Simile verbum habes ibidem, c. 53. & penes Gloſſam, in can. omnes undecima quæſtione prima.

CAPITULATA, vaſis genus: [ Capitulatam, & lucernam argenteam. D. Aug. epiſt. 165. ] Baronius tamen in Notis ad Martyrol. & in Annal. an. 58. n. 75. fuiſſe lucernarium, ſeu candelabrum multorum capitum cenſet. Vide *Butto*.

CAPITULUM, brevis Sacræ Scripturæ lectio, quæ poſt pſalmos in omnibus horis canonicis recitari ſolet: Radulphus autem, & Gratianus *Collationem* vocant; ſed Suarez, lib. 4. de horis can. cap. 2. n. 19. *Collectionem* corrigit; ab Hugone vero *Capitale*, & ab aliis *Capitellum* dicitur: [ Ad cujus tumulum B. Maximus cum ad orationem veniſſet poſt effuſas preces, dicto etiam Capitello, ait; Benedic, inquit, mihi vir Dei. Greg. Turon. de Vit. Sanctor. c. 4. Et ingreſſus in oratorium, me poſtpoſito, ipſe capitellum unum, atque alterum, & tertium dicit. Idem lib. 9. cap. 6. ] Dicitur etiam a nonnullis *Lectiuncula*, ac in Regulis Benedictinis *Lectio*. Item *Verſus* dicitur. Tandem in ritu Ambroſiano Epiſtolella appellatur. Vide *Epiſtolella*. Auctor hujus lectionis ad Tertiam, Sextam, & Nonam fuit D. Ambroſius, quod deinde Concil. Agathenſe decrevit poſt pſalmos recitari, can. convenit. de Conſecrat. diſt. 5. Non poſtulatur benedictio in ejus principio, ſicut fieri ſolet in aliis lectionibus, quia fere a Superiore dici conſuevit. Amal. lib. 4. c. 3. Neque recitatur eorum Auctor, quia conveniens Clerus ad horas, ſupponitur habuiſſe notitiam Auctoris. Hugo, lib. 2. de offic. cap. 3. Propter eandem rationem in ejus fine non dicitur *Tu autem Domine &c.* quibus verbis petitur venia de erroribus in legendo commiſſis, quia Hebdomadarius, cum ſit Sacerdos, ſupponitur errores non committere. Capitulum in Laudibus, ad Tertiam, & ad Veſperas ſolet eſſe idem in feſtivitatibus, quia in illis diebus ſolet populus reperiri, præſertim ad Tertiam, poſt quam immediate canitur Miſſa. In Completorio dicitur capitulum poſt hymnum, quia hymnus cum ſit victoriæ ſymbolum, & Completorium ſtatum Electorum ſignificet, in quo ſtatu exhortationibus non amplius opus eſt ad victoriam conſequendam, dum ea conſequuta jam ſit. Hug. in Spec. cap. 3. In triduo hebdomadæ majoris relinquitur capitulum, cum a Superiore, ſeu Hebdomario dici deberet; ſed quia is perſonam Chriſti repræſentat, qui in tempore ejus paſſionis obmutuit, ſic ad ejus imitationem Superior tacet. Amal. lib. 4. c. 21. Propter eandem rationem non dicitur capitulum ad horas tempore Paſchali, quia ſupponitur eſſe adhuc nobiſcum Chriſtum converſantem, & ubi major eſt, minor, nempe, Miniſter, ceſſare debet. Relinquitur etiam in Officio Defunctorum in memoriam Chriſti mortis. In Pontificalibus Veſperis, & ad Tertiam cum debeat ſolemniter Epiſcopus Miſſam celebrare, Capitulum canitur a Subdiacono in loco, ubi canenda eſt Epiſtola. Cærem. Epiſc. lib. 3. cap. 1. Sed ſi Epiſcopus tantum aſſiſtit pluviali, & mitra paratus; tunc Capitulum ab aliquo Cantore, ſicut fieri ſolet in Cappella Papali, canendum eſt. Cærem. lib. 2. cap. 2. Vide *Reſponſorium*.

CAPNICUM, datium ſolvendum pro quolibet camino, ſeu habitatione, a voce græca κάπνη, quæ caminum ſignificat.

CAPPA, ſacra veſtis, qua Cantores indui ſolebant. Cappa propria veſtis eſt Cantorum. Gemin. lib. 1. c. 127. ] Quo ad ejus ſignificationes, & myſteria, ſic Rupertus inquit: [ Cappa quoque in majoribus feſtis ſuperinduimur, ut amplius in Deo gloriemur, aſpicientes in futuram reſurrectionem, quando omnes electi, ( quibus nunc poſt depoſitionem carnis in anima tantum remuneratis ſingulæ ſtolæ albæ datæ ſunt ) binas accipient ſtolas, ſcilicet, requiem animarum, & reſuſcitatorum glorioſam immortalitatem corporum. Quæ cappæ bene ab anteriori parte patulæ ſunt, & omnino præter ſolam neceſſariam fibulam inconſutæ, quia profecto immutata jam, & immortalia corpora nullis animam obcludent anguſtiis, corda non contegent, nec obſiſtent internæ Trinitatis contemplationi, lib. 3. de divin. off. cap. 24. ] Dicitur etiam *Pluviale*, quia a pluvia defendebat, & ideo ex poſteriori parte capucium habet pendens; nam in proceſſionibus ſolet etiam deferri. Non benedicitur, cum ſit paramentum omnibus eccleſiaſticis ordinibus commune, nec ad ſacrificium Miſſæ ordinatum ſit. Nomine *Cappæ* intelligitur etiam Cappa magna, ſeu longa cum capucio, pellibus, vel ſerico, ſecundum temporum exigentiam ſubſuto, qua utuntur Cardinales, Epiſcopi, & in multis Cathedralibus etiam Canonici; Romæ vero in Eccleſiis Patriarchalibus Beneficiati quoque cappa magna utuntur; ſed differt a canonicale in colore peliciæ, nam Beneficiatorum eſt cinericei coloris, Canonicorum vere candidi armellini. Cappa hæc ab habitus Monachalis forma deſumpta fuit, quando hi Eccleſiam gubernarunt, & dicitur *Cappa Choralis* a Mattheo Pariſio. Vide *Forratus*. Igitur cappa ſignificat ſacerdotalis dignitatis eminentiam. Ruper. in cap. 1. Apoc. Caudæ vero longitudo denotat, quod uſque ad diem extremum Judicii ſit dignitas ſacerdotalis duratura; defertur tamen hæc cauda ſub brachio involuta, & plicata, quia dignitas eccleſiaſtica manifeſtari non debet niſi urgente neceſſitate, ad Dei honorem, & animarum ſalutem. Pellis quæ in collo ejuſdem, & circa pectus ſubſuta eſt,

eſt, Prælatum meminit peccatorem eſſe. D. Aug. contr. mendacium, cap. 10. ſeu ut Origeni placet, ob mortis memoriam. Piſis Canonici ex immemorabili privilegio cappam rubeam in hyberno tempore, & ejuſdem coloris mozettam ſupra rochettum in æſtate deferunt, quod privilegium a Pio IV. an. 1560. illis confirmatum fuit, eodemque privilegio gaudent etiam viginti Mediolanenſis Cathedralis Canonici, Cardinales appellati. Capuani Canonici in aliquibus ſolemnitatibus etiam rubras cappas deferunt. Antiquitus tamen Canonicorum Cappa erat nigri coloris ad inſtar Religioſorum, ex parte anteriori aperta, & unita tantum inferius, eo modo, quo a Nicolao III. in aliquibus Conſtitutionibus M. S. Eccleſiæ Vaticanæ his verbis refertur: [ A Vigilia, ſcilicet, omnium Sanctorum, uſque ad Sabbatum Sanctum, ſuperpelliceas lineas deferant, cappas nigras de ſagia ſimplices; vel, ſi voluerint, foderatas a cingula, vel circa ex parte interiori, fixas inferius, & apertas. ] FR. Secundum textum in Clement. de Stat. Monach. cap. Ne in agro, §. cum vero, ſcribendum eſſet unico P. & ibi Gloſſa rationem etymologiæ a *Capite* deducens *Capa* ſcribendum aſſerit. Cappam nigri coloris deferebant Vaticanæ Eccleſiæ Canonici etiam tempore Innocentii III. ut apud Torrig. de Crypt. Vatican. ſecundæ impreſs. pag. 308. in ejus Bulla pro ejuſdem Baſil. Canonicis: ubi ſic: [ Extra ſepta vero Canonicæ ſine cappa; vel toga nullus appareat. ] Qui Torrigius, pag. 310. ait, quod cappa erat ſimilis illi Canonicorum Regularium Lateranenſium, quæ in multis codicibus antiquis Vaticani Archivii depictæ videntur. Vide *Clocca*. Cæterum cappa violacea cum pelle a Nicolao V. de anno 1454. Canonicis Vaticanæ Baſilicæ, & Beneficiatis conceſſa fuerat. Torrig. ibidem, pag. 384. Sed Beneficiati præter differentiam pelliciæ coloris, ferunt cappam undequaque clauſam, ac ſolum apertam, ut poſſint manus emittere, ad inſtar cappæ Advocatorum Conſiſtoralium, & rochettum gerunt ſine manicis :||: Eodemque modo erant Cardinalitiæ cappæ, ut ex antiquis picturis, & numiſmatibus apparet; in diebus autem mœſtitiæ, præſertim a feria quarta majoris hebdomadæ, uſque ad Sabbatum Sanctum, Cardinales Cappis pelliceis cinericiis utebantur. Davantria in ſuo Cærem. M. S. FR. imo in via, ſeu in conclavi ferebant pellem nigri coloris. Vide Radevicum Friſingen. hinc in dict. *Croccia* :||: Pontifex in diebus mæſtitiæ fert cappam rubram ex ſaja armellino ſubſuta, & ex anteriori parte aperta, quæ in cæremoniali *Mantum*, *Chlamys coccinea*, *Clamys rubea* appellatur. In nocte vero Nativitatis intervenit ad matutinum cum cappa ex ſerico villoſo, eodem modo, quo a Bonifacio IX. inſtitutum fuerat. FR. Si *Mantum* idem eſt, ac *Cappa*, ex Radevico Friſingen. cit. hic in dict. *Croccia*; conſtat Cardinales nigrum mantum tempore Alexandri III. ſolitos fuiſſe deferre; ergo bene infertur, quod etiam Cardinales utebantur cappis nigris cum nigra pellicea :||: Extravagantem cæremoniam aliquarum Eccleſiarum refert Durandus; ubi Sacerdos in Miſſa cantata poſt elevationem hoſtiæ, & calicis, per manus Clerici induebatur ordine inverſo cappa canonicali, cujus cauda ad collum applicabatur, & capucium ad pedes, & ut ipſe ait: [ Ad deſignandum, quod caput, ideſt, Judæi expectantes Meſſiam, ideſt, Chriſtum, cum jam venerit, tranſverſum eſt in caudam. In Rational. lib. 3. cap. 46. Igitur Canonicalis Cappa utriuſque teſtamenti populum ſignificat. Tandem advertendum, quod *Cappa* penes Auctores *Caputium*, & *Capitium* dicitur. Vide *Mandyas*.

Capella, eſt parva Eccleſia, quæ differt ab Oratorio. Vide *Oratorium*: hodie tamen pro Eccleſiæ parte accipitur. [ Antiqui enim nobiles Eccleſiolas in itinere de pellibus caprarum factas habebant, Gem. l. 1. cap. 128. ] Aliam etymologiam idem Auctor affert, nempe: [ Capenum dicitur domus, ad quam pauperes ad poſtulandam eleemoſynam confluunt. Inde diminutum cappella dicitur, in qua Chriſtiani pauperes ſpiritu ad poſtulandam animæ eleemoſynam conveniunt. Ibid. ] In Feſto Sancti Titularis cappellæ dicitur officium ſub ritu in Kalendario Rom. ordinato. Congreg. Rit. 28. Aprilis 1628. Celebratur tamen Miſſa cum Gloria, & ſine Credo, ut in Rubricis; ſed ſi cappella erit titulus antiquus illius Eccleſiæ, vel titulus alterius Eccleſiæ jam deſtructæ; tunc recitatur officium Titularis, ac ſi eſſet ſemiduplex; ita obſervari expertus ſum a Canonicis Vaticanæ Eccleſiæ in die S. Blaſii, cujus Eccleſia jam diruta, eorum Baſilicæ unita fuit, ibique ad hujus Sancti memoriam fuit poſtea Altare erectum. Synonyma. Vide *Confeſſio*. *Oraculum*. *Oratorium*. *Sacellum*.

Cappellæ Papalis Cæremoniæ. Vide *Papales cæremoniæ*. Quando cooperiuntur ibi imagines. Vide *Icona*.

Cappellanus, cujus etymon, non a cappella, ſed a cappa Sancti Martini deductum fuit. [ Dicti ſunt primitus Cappellani a cappa Sancti Martini, quam Reges Francorum ob adjutorium victoriæ in præliis, ſolebant ſecum habere, quam ferentes, & cuſtodientes cum cæteris Sanctorum Reliquiis, Clerici Cappellani cœperunt vocari. Valaf. de reb. Eccl. cap. 31. Hujus cappa Francorum Regibus ad bella euntibus pro ſigno anteferebatur, & per eam hoſtibus victis, victoria potiebantur. Unde & Cuſtodes illius cappæ, uſque hodie Cappellani appellantur. Honor. in ſerm. S. Martini. ] Hoc tamen nomen in præſenti ad quemlibet Sacerdotem extenditur, qui habet annexam obligationem celebrandi Miſſas. Qui tamen hodie hoc facere tenentur, at ſi ex negligentia omittant, mortaliter peccant; non vero qui cauſa infirmitatis, frivolæ devotionis, ſeu quid ſimilis, can. ſignificatum, de præbendis. Nec in tali caſu per alium Sacerdotem, ejus omiſſionem

nem ſatisfacere tenentur, niſi tamen expreſſe in fundatione ſit hæc clauſula *Per ſe*, *vel per alium* appoſita. Alii tamen communiter hoc non obſtante poſſe ſemel in hebdomada a celebratione vacare affirmant, in quo tamen die non poteſt pro aliis celebrare. Quamvis poſſe quater in anno talem Sacerdotem pro ſe, vel pro aliis id facere indulgeant nonnulli; nam hoc non videtur contra æquam Teſtatoris mentem. Ant. Nald. verb. Miſſa, cap. 11. Cappellanus Monialium, quæ Breviario Romano non utuntur, poteſt celebrare Miſſam illius Sancti, de quo illæ feſtum agunt; ſed uti debet Miſſali Rom. Sac. Ritum Congreg. 20. Novembr. 1628. Cappellanus ſub ritu duplici nequit feſtum ejus tituli celebrare; ſed juxta Calendarii præſcriptionem. Gavant. in Rub. Brev. ſect. 3. c. 12. Cappellanus cum intentione in applicatione Sacrificii. Vide *Beneficium*.

Cappellani Papæ. Vide *Rota*.

Cappellaris, res ad cappellam pertinens, ita Radulphus Clericos Cappellares vocat Cantores Papalis Cappellæ, & *Cappellare Officium* habere dixit, qui munere canendi in Papali Cappella fungitur. Vide *Crobylus*. *Cubicularius*.

* Capilli. Capilli tonſi in pœnitentiæ exercitio; in nuptiis ſoluti; in Clericis Longi vituperati. Conc. Carth. 4. cap. 44.

Capred. FR. In legib. Longobard. delictum ſignificat, l. ſi quis feram, de his, qui ſine volunt.

Cappello. Vide *Capello*.

Capra Sylvestris. Vide *Dorcas*.

Caprarius. FR. ſic mendoſe habetur in Cic. contra Verr. ſed *Cappa arrius* legendum Hermolaus Barbarus docet.

Capsaces, ex græco vocabulo καμψάκης, liquidorum vas; [ Hæc dicit Dominus: Fidelia farris non deſiciet, & capſaces olei non minuetur. S. Cyprian. de Eleem. lib. 2. epiſt. ] Siculi autem menſuram olei *Caphiſum* vocant.

Capsarius, Cuſtos veſtimentorum in Balneo.

Capsum. [ Feneſtras in altario triginta duas, in capſo viginti columnas. Greg. Turon. lib. 2. hiſt. c. 14. ] Latitudinem Eccleſiæ intelligit Lacerda in Adverſ. Sac. cap. 31. num. 4. Sed proprie vas, & Eccleſiæ capacitatem denotat.

Captiose. FR. ideſt, caute. Gloſſ. in cap. Abraham 22. quæſt. 2.

Captiosus. FR. ambiguus: [ Lex non debet eſſe obſcura, vel captioſa. 5. decretal. tit. 40. cap. 25. ] Idem habetur, diſt. 4. can. erit autem.

Captivus. Vide *Priſio*.

Capuccius, mozetta in M. SS. Brocardi Diar. ac Pariſ. de Graſſis, apud quem *Capucicius*, *& Capuccius Spatularius* legitur, quæ M. SS. in Biblioth. Em. Dom. mei Card. Brancacii conſervantur.

Capulo, ex integro panno veſtes primo reſecare ſignificat, quod Itali *Scapezzare* dicunt. [ Fœminæ opera textilia non faciant in die Dominico, nec capulent veſtitus. Bruchar. lib. 3. cap. 28. ] Vide *Ariſtaton*. Aliquando mutilare ſignificat. [ Naſus ei capuletur, in leg. Longobar. ] ex verbo gallico *Couper*, quod dimembrare ſonat. [ Delatori, aut lingua capuletur, aut convicto caput amputetur. Hincmar. Rhemenſis.

Capulum, Receptaculum, quo vocabulo uſus eſt Tertullianus ad denotandum corpus eſſe animæ receptaculum, inquiens: [ Deus vero animæ ſuæ umbram, ſpiritus ſui auram, oris ſui operam viliſſimo alicui commiſerit capulo, de reſurrect. carnis, c. 7. ] Idem Auctor, cap. 32. loquens de Jona in ventre ceti, ait: [ Et utique triduo coquendo carni viſcera ceti ſuffeciſſent, quam capulum, quam ſepulchrum.

Caput Solidum. Vide *Heribanus*.

Caputior, tegor caputio. [ Verum tamen hunc ordinis rigorem, quaſi jurejurando profeſſionis ſancitum quædam vitia latenter emolliunt, maxime ſi vitium curioſitatis ebulliat, quæ, quod deterius eſt, ſola eſſe non poteſt. Erubeſcilis eſt viro manifeſta curioſitas, quo circa caputiari ſe appetit, ne vileſcat. Bleſen. ſerm. 50. ad Monach. ] Religioſo quidem optima admonitio eſt finem ſcire, per quem ferat capucium, ad fugiendam nempe curioſitatem oculorum, tam animæ damnoſam.

Caputium. Vide *Birrus*. *Cappa*.

Carabus, navicula: [ Ecce ego aſcendo in carabum. Jo. Moſch. in Prat. ſpirit. cap. 76. ] Quod cymbæ genus ſic ab Iſidoro, lib. 18. cap. 1. deſcribitur. [ Carabus parva ſcapha ex vimine facta, quæ contexta crudo corio genus navigii præbet. ] Hodie tamen Arabes *Careb* genus longi navigii vocant; fortaſſe a vocabulo *Cabro* Arabice, & Καράβιον græce, ideſt, parvus cancer. In S. Greg. Dial. lib. 4. cap. 57. ſignificat navigii cymbam remos habentem, inquiente: [ Poſt navem carabum regebat, ruptoque fune cum eodem carabo, quem regebat, inter undarum cumulos repente diſparuit.

Caracalla, græce Καρακάλλιον, veſtis talaris, Romæ ab Antonino imperatore introducta, qui ideo *Caracalla* cognominatus fuit. Eucher. de veſte, ſic eam deſcribit: [ Eſt velut in caracallæ modum: ſed ſine cucullo, ] quam in primitivo Eccleſiæ ſtatu Clerici cœperunt in ſigno decoris uti. [ Se Caracalla, qua veſtiebatur, indutus militibus exhibuit. Beda, lib. 1. cap. 7. Hiſt. Angl. ] ubi de martyrio Albani loquitur. De eadem veſte D. Hier. cum de habitu ſacerdotali loqueretur, ait: [ Efficitur palliolum miræ pulchritudinis præſtringens fulgore oculos in modum caracallarum, ſed abſque cullis.

Caragus, Incantator. D. Aug. ſerm. 241. de temp. a D. Bonifacio, epiſt. 132. ſic citatus: [ Et Sanctus Auguſtinus dixit, nam qui prædictis malis, ideſt, caragis, & divinis, & auſpicibus, vel phylacteriis, & aliis quibuslibet auguriis crediderit, etſi jejunet, etſi oret, etſi jugiter ad Eccleſiam currat, etſi largas eleemoſynas faciat, etſi corpuſculum ſuum in omni afflictione cruciaverit, nihil ei proderit, quando

do ſacrilegia illa non dereliquerit. ] Quod vocabulum a græca dictione Κάραγος derivatur, quæ ſtrepitum, & ſtridorem ſagarum ſignificat, fortaſſe, quia verba ſtrepitantia, atque tetra in earum ſuperſtitionibus proferre ſolent. Latinus Latinius in ejus Correct. ad D. Aug. exiſtimat non eſſe talis Auctoris hunc ſermonem, & pro *malis*, legit *magis*. Eadem dictio in Conſtitutionibus Leonis Imp. ſed cum accentu in fine reperitur ſic, Καραγὸς, & exteriores munitiones pro militari defenſione erectas ſignificat, ubi ſic habetur: [ Caragus dicitur curruum, & aliorum machinamentorum confinium, & affinitas ad tuitionem exercitus comparata, ] inde dictum fuit *Carrocium*, quod vide ſuo loco. FR. In Conciliis Arelaten. cap. 5. & Narbonenſ. cap. 14. *Caragius* legitur ex ſupplemento eruditiſſimi Antonii Auguſtini ad ſignificandum præſtigiatorem, quod vocabulum inter Gallos, & Hiſpanos adhuc durat, atque Africanum nomen a D. Auguſtino uſitatum in Hiſpaniam, & ex hac in Galliam translatum exiſtimat Phileſacus. Voſſius tamen opinatur ex charactere corrupte derivari; nam magi characteres formare ſuperſtitioſos ſolebant.

Caraunobulus. Vide *Ceraunobula*.

Caraxo, ſcribo. [ Nec non terrificos palmæ cœleſtis articulos, flexis litterarum apicibus, in quadrata parietis pagina caraxatis, Aldhel. cap. 10. de Virg.] ubi de characteribus in muro contra Regem Balthaſarem miraculoſe ſcriptis loquitur. [ Eccleſiaſticæ hiſtoriæ liber, a Ruffino caraxatus. Idem cap. 16. ] Quare perperam aliqui in epiſt. 40. lib. 5. D. Greg. Papæ excarpſatum pro *Caraxatum* legunt; ſic etiam in Sacramentario ejuſdem habetur: [ Sicut in illo ſuperiori ordine excarpſatum eſt. ] legendum *Caraxatum eſt*. Aliquando delere ſcripturam, ſeu cancellare ſignificat, quia ſolebat caſſatio hac X, figura fieri. Vide *Cancello* & a *Caraxare*, italice *Caſſare* dicitur: [ Quia notitia ejuſdem donationis non eſſet de polyptychis charaxata. Idem D. Gregor. in Regiſt. lib. 7. cap. 40. ] Deberet poſt primam litteram aſpirationem poni propter verbi græci etymologiam. Item *Caraxatura* ipſam ſcripturam ſignificat. [ Et ut pagina hujus teſtamenti in diſceptationem venire non poſſit, ſi quæ litteræ, caraxaturæ, adjectiones, ſuperdictioneſve factæ, nos eas fecimus, & facere juſſimus. Marculf. Monach. lib. 12. formular. c. 17. ] In eodem ſenſu uſus eſt Flodoardus, lib. 1. cap. 18. fortaſſe a verbo græco χαράττω, quod ſcribere, & arare ſignificat, ac apud Latinos exarare pro ſcribere etiam uſurpatur.

Carbonarius, ludus gladiatorius, qui Neapoli erat in uſu, & a Joanne XXII. de anno 1327. ſub pœna excommunicationis prohibitus fuit, ut ipſemet Geroldo Capuano Archiepiſcopo ſcribit.

Carbunculus, tumor: vide *Anthrax*. *Chodchod*.

Carcer. Vide *Dacania*. *Immuratio*. *Ergaſtulum*.

Carcinoma, καρκίνωμα, cancer, morbus ulceroſus, & incurabilis: [ His igitur, & ſimilibus rationibus ſanare poterimus iſta carcinomata contraria inter ſe, nimirum, deſperationem, & præſumptionem. In vita S. Syncleticæ.

Cardiacus Color, color pallidus ex ſtomachi debilitate cauſatus: καρδία enim cor, & ſtomachum apud Græcos ſignificat, & apud Arabes *Calb* dicitur cor, & etiam ſtomachus. Igitur de S. Gregorio Joannes Diaconus in ejus vita ait: [ Colore aquilino, & livido, nondum, ſicut & poſtea contigit, cardiaco.

Cardinalis, Eccleſiaſtica dignitas. [ Sicut cardine totum regitur oſtium; ita Petro, & ſucceſſoribus ejus totius Eccleſiæ deponitur emolumentum. Unde Clerici ejus Cardinales dicuntur, cardini utique illi, quo cætera moventur, vicinius adhærentes. Leo IX. in epiſt. ad Conſtantinopolit. Imperatorem, c. 32. ] vide Gloſſ. in cap. miniſterium, de off. Archipresb. Alii tamen exiſtimant, quod vox *Cardinalis* ſignificet principalem, in quo ſenſu appellantur quatuor principales virtutes cardinales, & cardinales etiam dicuntur quatuor principales venti, ſeu mundi plagæ. De hoc nomine *Cardinalis*, prima mentio apud Stephanum I. invenitur, qui regnavit de anno 257. FR. In legibus vocantur etiam Patritii. Vide Gloſſ. in Extrav. cap. unic. de Schiſmat. Item Cardinalis idem eſt, ac Epiſcopus. Vide *Incardino*. :||: Innocent. IV. in Concil. Lugdun. eis pileum rubrum anno 1243. conceſſerat. Vide *Galerus*. FR. Bonifacius VIII. veſtes eis purpureas dedit an. 1249. ad imitationem Conſulum Romanorum, quibus in conſulatus anno tantum uti permiſſum erat; inde Ennodus Ticinenſis Epiſcop. in ſuo Apologet. hæc ſcripſerat: [ Pene jam terreni magnificentia triumphi divinum mereatur affectum, & hoc ad Chriſti gratiam proficit, quod mundo ſtudetis eſſe venerabiles; mentior, niſi egena agmina conſulatus veſtri in ſubſidio miſeriarum præſtolentur adventum: etenim purpura veſtra, qua annui vocabulum nobilitatis, ſubripientem miſeris veſtimentorum largitate pellit algorem. ] Itaque ſi Cardinales ex eorum vitalitia purpura decorantur, bene arguitur, quod Conſules perpetui ſint. Greg. XIV. an. 1591. pileum rubrum etiam Cardinalibus regularibus indulſit. Mendoſius tamen in Gloſſ. facult. Regen. §. Conſiderantes, verb. Cardinales, verſ. Paulus deinde, ac alii a Ratta de Cardin. dignit. & off. cap. 3. ad fin. relati, Paulum II. habitum purpuræ, mozettam, mitram ſericam albam, biretum rubrum, & clavam argenteam ante ſe Cardinales deferre, referunt conceſſiſſe. Cardinalibus Columnenſibus hanc dignitatem, quam Bonifacius VIII. derogaverat, Benedictus XI. reſtituit, cum conditione, ut per aliquod ſpatium temporis rubrum pileum non ferrent. Blond. dec. 2. lib. 9. Card. S. R. E. in Conſiſtorio tempore Pauli II. non tegebantur bireto, ſed galero, eodemque prorſus modo, quo nunc in equitatu ſolemni utuntur, ut ex plumbeo

nu-

numiſmate in bulla ejuſdem Pontificis, quia de anno 1467. bona cujuſdam Monaſterii Capitulo Cathedralis Viterbien. univerat, quæ ſervatur in Archivio ejuſdem Cathedralis; ut in ſubjecta figura.







Idem etiam apparet in alio numiſmate metallico ejuſdem Pontificis, in quo ex una parte Judicium univerſale, ex altera Conſiſtorium publicum cælatum, eſt, quod apud bo: me: Dom. meum Card. Brancacium conſervatur, cujus figuræ Conſiſtorii partem hic adjicimus cum eadem magnitudinis menſura.




Item alia ſimilis figura in frontiſpicio antiqui Pontificalis in eadem Cathedrali conſervatur. Etiam in Conciliis Cardinales eodem modo pileati interveniebant, ut in fig. poſita in dict. *Calyptra*. De propriis Cardinalium veſtimentis. Vide Cohellium, cap. 11. §. ſed videamus. :||: Idem Paulus II. mitram ex ſerico albo vulgo *Damaſco* eiſdem purpuratis conceſſit, nam bombacinam antea ferebant, ut ex Veſpaſiano Florentino in vita Cardinalis Julii Cæſarini colligitur, ubi ſic ait. [I Cardinali colle mitrie di bombagino bianco.] Cardinalium numerus excedere non debet ſeptuaginta ex Bulla Sixti V. ad imitationem ſeptuaginta Sapientum, quos juxta præceptum Dei ad populum ſuum gubernandum Moyſes elegerat, quod ideo in decreto Joan. VIII. bis in hebdomada ad quamdam Eccleſiam Cardinales congregari ſancitur, ut informationes de Clericorum vita ſuſciperent, & laicorum Eccleſiaſtici ſtatus cau-

ſas

ſas terminarent, adinſtar ſeptuaginta Senatorum moſaicæ legis. Hodie tamen pluries in hebdomada a diverſis purpuratis Congregationes habentur pro diverſis negotiis, nedum ad dominium Eccleſiæ temporale ſpectantibus, ſed etiam pro recurſu totius Chriſtiani Orbis. Baſilienſe Concilium, ſeſſ. 22. numerum Cardinalium uſque ad viginti quatuor præſcripſerat, qui ætatem triginta ſaltem annorum, gradumque Juriſprudentiæ, vel Sac. Theologiæ habere deberent, inter quos tertiam partem Theologorum ad minus eſſe in ejus aſſertis decretis conſtituerat. Sacrum hoc Collegium ex tribus Ordinibus, Epiſcoporum, nempe, Presbyterorum, & Diaconorum conſtat. Septem prius erant Epiſcopi Cardinales, nempe, Hoſtienſis, qui habet uſum pallii, de quo vide in dict. *Pallium*, Portuenſis, Præneſtinus, Albanenſis, Tuſculanus, Sabinus, & Sanctæ Rufinæ, & Secundæ, ſeu Sylvæ Candidæ etiam dictus, qui tamen Epiſcopatus hodie eſt ſuppreſſus. Hi enim ſeptem Epiſcopi, ſeptem Angelicos Spiritus repræſentabant, qui in conſpectu Dei aſſiſtunt, ſeu ſeptem aurea candelabra; in quorum medio filii hominis Majeſtas reſidet, ut in Apocalypſi narratur; eodemque modo ſeptem illi Epiſcopi ſummo Chriſti Vicario in gravioribus Eccleſiæ negotiis continuo tenebantur aſſiſtere, & ipſi erant, (ut Petrus Damianus, in epiſt. ad Cadolum Antipapam ait) ſeptem oculi ſuper petram, hoc eſt, Eccleſiam Romanam, ut Zacharias Proph. inquit: [ Super lapidem unum ſeptem oculi ſunt, cap. 3. ] quem ſeptenarium numerum ob continentiam in ſe variorum myſteriorum Pontifex reſtituere deberet; ſubſtituendo, ſcilicet, alium Epiſcopum loco Sylvæ Candidæ, qui a Calliſto II. anno 1120. Portuenſi Epiſcopatui unitus fuit, & hodie in pagum locus hic redactus eſt ſub proprietate Hoſpitalis Sancti Spiritus in Saxia. Joannes XIX. & Victor. II. multa privilegia, atque amplas juriſdictiones in Vaticana Baſilica, & per totam Leoninam Civitatem Epiſcopo Sanctæ Ruffinæ conceſſerant; imo Pontifex in ſecunda Paſchæ die poſt ejus ſolemnem celebrationem in eadem Baſilica, chirothecas, cum quibus celebraverat, eidem Epiſcopo donabat, & ad eundem Epiſcopum ſpectabat ſuſtinere ſtapiam, quando Pontifex equitabat. Inter hunc Epiſcopum, & Portuenſem ſuper juriſdictione Lycaoniæ inſulæ contentio orta fuit, quam deinde Leo IX. in Synodo Lateranenſe ad favorem Portuenſis terminaverat. Similis contentio in Conſiſtorio ſub Clemente V. inter Hoſtienſem, & Sabinenſem Epiſcopos agitata fuit, ad quem, nempe, illorum in abſentia Summi Pontificis Imperatorem coronare ſpectaret: quando, ſcilicet, Henricus Romanorum Rex Romæ coronari debuerat, & in favorem Arnoldi Pelagruæ Sabinenſis Epiſcopi decretatum fuit. Odoricus Raynal. in Annal. Eccleſ. ad an. 1311. n. 6. Hi ergo Epiſcopi cum ſint Romæ proximiores, Eccleſiæ Romanæ uniti, & Pontifici aſſiſtentes, ideo appellantur Cardinales, de quibus antiquior mentio in Concilio extat a Stephano IV. celebrato, ubi Anaſtaſius Biblioth. eorum functiones refert his verbis: [ Ut omni Dominico die a ſeptem Epiſcopis Cardinalibus hebdomadariis, qui in Eccleſia Salvatoris obſervant, Miſſarum ſolemnia ſuper Altari B. Petri celebrentur. ] Viciſſim ergo in Dominicis per annum ad S. Petrum, in gyrum autem, per hebdomadæ dies prædicti VII. Epiſcopi Cardinales in Lateranenſi Eccl. Sacrum conficiebant; & ideo appellabantur Epiſcopi Lateranenſes, Collaterales, & Hebdomadarii. Baron. an. 157. num. 19. Itaque in hac Eccleſia die Dominico celebrabat Hoſtienſis, die lunæ Epiſc. Sylvæ Candidæ, Martis Portuenſis, Mercurii Sabinenſis, Jovis Præneſtinus, Veneris Tuſculanus, Sabbati Albanenſis. FR. Imo hi ſeptem Epiſcopi Cardinales vocabantur Epiſcopi Romani, ut in Chron. Caſinen. lib. 3. cap. 30. ubi de Conſecratione illius Eccleſiæ ab Alexandro Pontifice facta, ita habetur: [ Quo libentius annuente, Hildelbrandum quoque Archidiaconum ejus, cæteroſque Cardinales, ac Romanos Epiſcopos, deque Urbanis Clericis, ac Nobilibus plurimos affectu familiariſſimo convocavit. ] Quod autem Epiſcopi Cardinales, tanquam Pontificis Collaterales, Romæ reſiderent, conſtat ex diplomate Honorii anno 1219. his verbis: [ Hinc eſt, Venerabilis Frater, quod cum Epiſcopus Tuſculanus Epiſcopatus habitaculum in Urbe non habuerit hactenus opportunum, his volentes tam tuis, quam ſucceſſorum tuorum incommoditatibus, quæ ex hoc provenire poterunt, obviare, Eccleſiam S. Mariæ de Monaſterio, de conſilio Fratrum noſtrorum, Epiſcopatui tuo jure concedimus, &c. Datum Viterbii 13. Kalend. Decembris. Ex Ughel. tom. 1. Ital. Sac. Provinc. 1. ] Cardinales Presbyteri a Dionyſio Papa inſtituti. Vide *Diœceſis*. §. Quo vero. A quinti ſæculi tempore, Simplicii, nempe, Papæ per hebdomadam adminiſtrabant Baptiſmi Sacramentum, & audiebant pœnitentium confeſſiones in Eccleſiis deputatis: [ Simplicius, qui conſtituit, ut per hebdomadas Presbyteri Cardinales manerent propter pœnitentes, & Baptiſmum ad S. Petrum, ad S. Paulum, ad S. Mariam Majorem, & ad Sanctum Laurentium. In M. S. Petri Mallii apud Torrigium de Cryp. Vatican. impreſſ. 2. pag. 446. ] Cardinales omnes dicuntur Epiſcopi. Gloſſa in can. relatio. 21. quæſt. 2. Sed errat quidem Gloſſa; nam ibi in corpore Gregorius Papa Epiſcopo Terracinenſi Gundanam Eccleſiam concedit; licet ibi, & in can. ſeq. *Tarraconenſem* pro *Terracinenſe* ex librariorum incuria ſcribatur; quia Tarraconenſi Epiſcopo in Hiſpania non poterat ſimul Fundanam Eccleſiam in Italiæ Campania concedere Pontifex, dum utramque ille adminiſtrare nequiſſet. Facilius ergo credendum erit Terracinenſi Epiſcopo utramque Eccleſiam conceſſiſſe Papam ob ambarum Eccleſiarum vicinitatem. Hi ergo Epiſcopi Romæ convicini

vicini ſæpe Cardinales conſtituebantur, quibus tamen non dabatur titulus Cardinalis. Vide *Titulus*, :||||: Cardinales Presbyteri in feſtis ſolemnioribus concelebrare ſolebant cum Pontifice, a quo accipiebant Euchariſtiam, ut imitarentur Chriſtum in ultima cœna cum Sanctis Apoſtolis celebrantem. Amalar. lib. 1. de Off. Miſſæ, & Innocent. III. lib. 4. de Sacrif. Miſſæ cap. 21. qui caſulis, & Cardinales Epiſcopi pluvialibus, induebantur; hi enim aſſiſtebant tantum, & non celebrabant. FR. Tempore Alexandri III. Epiſcopi Cardinales admiſſi ſunt ad electionem Pontificis; nam antea non eligebant, ſed tantum habebant facultatem acceptandi, vel rejiciendi electum. Baron. ann. 1130. n. 9. De Epiſcopis Cardinalibus antiquior mentio reperitur de anno 769. Baron. ibid. num. 12. atque primus Epiſcopus in numero Presbyterorum cooptatus fuit Conradus Archiep. Moguntinus, Cohelius, cap. 5. §. ult. in Notitia Cardinal. Antiquum Card. Epiſc. munus in oblationibus. Vide *Oblatio*. De antiquis Cardinalium Eccleſiarum titulis. Vide in dict. *Diœceſis*, & in dict. *Titulus*: in quibus tamen Titulis Presbyteri Cardinales habent juriſdictionem Epiſcopalem. Baron. an. 1148. num. 39. :||||: Imo tales purpurati Presbyteri in aliquibus rebus Epiſcopis totius Eccleſiæ præferuntur. Idem Baron. ann. 431. num. 83. & ſeqq. Et præcipue quia ſunt principalia membra Eccleſiæ capiti ejus unita; propterea Cardinalis infirmus nequit ſanguinem emittere ex vena abſque licentia Papæ, ſi commode impetrari poſſet. Perez in Pentateuch. fid. tract. 3. cap. 8. nu. 81. & ratio a Diana affertur par. 5. tract. 2. reſolut. 33. quia Cardinales cum Papa incorporantur, & in Concil. Epheſino inter tres Papæ Legatos præcedebat ſemper Presbyter Cardinalis, reliquis duobus Legatis Epiſcopis non Cardinalibus, qui Presbyter Cardinalis ante omnes ſe ſubſcripſerat. FR. & quamvis Phileſacus contrarium aſſerat ex verbis D. Bernardi in Epiſt. 188. ubi habetur: [ Dominis Patribus Reverendis Epiſcopis, & Cardinalibus, qui ſunt de Curia ] non tamen ex hoc ſatis probat: nam D. Bernardum Epiſcopis, qui Cardinales erant, ſcripſiſſe dicimus, ſcilicet, illis ſeptem Epiſcopis Pontificis continuo aſſiſtentibus, ut ſupra diximus; & ideo ſubjunxerat *Qui ſunt de Curia*, & non dixerat, qui ſunt *In Curia*, ſed *De Curia*; atque eundem ritum in Eccleſia græca obſervari legimus; ejus enim Cardinales, qui Exocata cœli dicebantur, reliquos Epiſcopos præcedebant. Vide *Exocata cœli*: :||||: Quod etiam ex vitis Pontificum clare conſtat; nam quando fit mentio de ordinationibus ab eis habitis menſe Decembris, ſecundum conſuetudinem illorum temporum, ſemper primo loco dicitur: ] Creavit Presbyteros tot, & Diaconos tot ] qui erant Cardinales, deinde ponuntur ordinati Epiſcopi per diverſa loca. Quando igitur Canones docent Cardinalitio gradui Epiſcopatum eſſe majorem; loquuntur de ordine, non autem de dignitate; ſicut Archidiaconus, quamvis non ſit Sacerdos, reſpectu ordinis eſt Sacerdoti inferior; ſed quo ad dignitatem præcedit Sacerdotes etiam canonicos, ex declaratione Eugenii IV. in quadam Epiſtola ad Henricum Cantuarienſem Archidiaconum, ubi ſic inquit: [Nec cauſatur quiſpiam, quod ordo Epiſcopalis presbytero major ſit; quoniam in hujuſmodi prælationibus officium, ac dignitas, ſive juriſdictio præponderat ordini, quemadmodum jure cautum eſt, ut Archidiaconus non Presbyter ſuæ juriſdictionis obtentu Archipresbytero præferatur.] FR. Vide AA. apud Cohelium, l. 5. c. 7. §. Interim, & c. 8. §. Eſt autem, §. Verum quia, §. Quænam vero, §. Sequuntur, §. Tandem, §. Ex quibus, & c. 16. privil. 9. Multoties ſub unico titulo reperiebantur plures Cardinales. Idem Baron. an. 559. n. 3. Et tenentur reſidere in eorum titularibus Eccleſiis; ideo Anaſtaſius tituli S. Marcelli Cardinalis, quia per quinquennium ſuam Eccleſiam reliquerat, in Conc. Rom. ſub Leone IV. excommunicatus, ac titulo privatus fuerat. Idem Baron. an. 853. nu. 9. :||: Presbyteri Cardinales ante Concil. Tridentinum in eorum Titularibus Eccleſiis conferebant primam tonſuram, & minores ordines, quæ facultas ab eodem Concilio revocata fuit; quamvis aliqui Auctores doceant hac revocationem non intelligi quo ad eorum familiares, Azor. tom. 2. l. 4. cap. 3. quæſt. 16. Dian. part. 5. to. 2. reſol. 5. imo Barboſa de poteſt. Epiſc. par. 2. alleg. n. 19. hanc doctrinam Rotæ deciſione 3. Decembris 1582. confirmat. FR. amplia, quod ſervientes in Eccleſia Titulari cenſeantur familiares Cardinalis titulati, & ſicut Abbates habent facultatem conferendi ſuis ſubditis minores ordines; multo magis, & a fortiori non cenſetur ablata facultas Cardinalium conferendi eoſdem ordines eorum ſubditis in Eccleſia proprii Tituli miniſtrantibus: :||||: Diacones vero Cardinales antiquitus erant ſeptem Baron. an. 112. num. 9. an. 324. num. 125. ad imitationem ſeptem Diaconum, qui fuerant ab Apoſtolis electi. Nunc autem juxta Urbis regiones quatuordecim ſunt, qui revera nullum Eccleſiarum titulum habent; ſed ſolum præfecturam in Eccleſiis Diaconalibus, ita appellatis, quia in eis diſtribuebantur eleemoſynæ pauperibus illius regionis. [ Diaconi non intitulantur a ſuis cappellis. Petr. Epiſc. Urben. ] Hinc corrigendns eſt Notariorum abuſus, qui Diaconibus Cardinalibus tribuunt Eccleſiarum titulos; nam Titulus, & Parochia idem ſignificant, & Diaconorum Eccleſiæ *Diaconiæ* appellantur; ſic etiam recenter Cameralis Typographus erravit in frontiſpicio officii S. Raymundi Nonnati, ubi inſcripſit, *S. R. E Cardinalis Diaconi Tituli S. Euſtachii*, quia, præterquam quod Sanctus hic creatus Cardinalis Romam nunquam acceſſerat, & conſequenter Eccleſiæ titulum obtinere non potuerat abſens: Eccleſia inſuper Sancti Euſtachii non eſt titulus, ſed Diaconia. FR. Diaconus Cardinalis, ex antiquo ſtylo, ſic verbi gratia ſe ſubſcribere

re debet. [N. miſeratione divina S. Mariæ in Dominica Diaconus S. R. E. Cardinalis. Quæ *In Dominica* a Græcis Cyriaca dicitur ab illius Eccleſiæ fundatrice nomine ſumpto, & vocatur etiam *S. M. in Navicula*. [A. S. Georgii Diaconus Cardinalis, de in integrum reſtit. c. 2. G. S. Angeli Diaconus Cardinalis. Ibid. cap. 5. Coram dilectis filiis noſtris R. tituli S. Anaſtaſiæ Presbytero, & P. S. Luciæ Diacono Cardinalibus. In Decretal. de exceptionibus, c. 6.] Ubi manifeſte videtur differentia inter Preſbyterum, & Diaconum Cardinales, nam de primo dicitur *Tituli &c.* non vero de ſecundo. Sed objicitur ex Concilio Lateranenſi ſub Alex. III. celebrato; ubi cautum fuerat, quod nec Diaconus, nec Presbyter ſine titulo ordinetur, ubi habetur in decretali de præbendis, & dignit. c. 4. & ibid. c. 2. ibi ex canone apoſtolico: ergo Diaconus Cardinalis titulum habere licet. Ad quod reſpondetur, ibi non loqui de titulo Cardinalatus; ſed de titulo, quo quis ad Sacros Ordines ſit promovendus: ita tamen, ut ſi Eccleſiam, vel beneficium non obtineat, poſſet ſub titulo patrimonii ad ſacros ordines promoveri, ut in c. 23. de præbendis, & dignit. & ibi Gloſſ. Eccleſia autem Diaconibus Cardinalibus aſſignata, *Diaconia* appellatur ideſt adminiſtratio, ubi munus ſuum adminiſtrare debent, de quo ſatis dictum eſt ſupra. Et Diacono Papa non intendit rectoriam, vel dignitatem, ſed tantum ſimplex beneficium providere de præbendis, ibid. c. 38. Quæ vero differentia ſit inter Titulum, & Diaconiam. Vide in dict. *Titulus* 1. Uſus tamen obtinuit Cardinales Diaconos cum titulo earum Eccleſiarum ſubſcribi, ut videre eſt in Bullar. Caſinen. to. 2. conſt. 150. 152. 157. 168. 170. 179. 182. 183. 185. 186. 190. 198. 202. & paſſim ibid. Itaque Cardinales Epiſcopi, & Diaconi carent titulis Eccleſiarum; nam ſolis Presbyteris Cardinalibus conceduntur; ita Cohelius cap. 6. De Cardinalat. Notitia, & Gregorius Magnus [Diaconum ſedis noſtræ] abſque alio titulo Diaconum Cardinalem appellabat. Vide in dict. *Bibliotecharius*, atque apud eundem Cohelium, c. 7. invenies Diaconorum ſubſcriptiones abſque Eccleſiarum titulis. Ordo Rom. [Patrem Diaconiæ] appellat Cardinalem Diaconum. Ad Diaconos Cardinales mantum papalem electo Pontifici ſpectat imponere. Baron. an. 1159. num. 29. de quibus Diaconis aliqua diximus in dict. *Apocriſarius*, & in dict. *Archidiaconus*. Item duobus Cardinalibus Diaconis ſpectat Imperatorem aſſociare. Vide *Lectio*. Cardinalis Diaconus debet auferre, & imponere ſtolam Pontifici. Vide *Stola*. Cæterum nomen *Cardinalis* commune erat Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis cujuſque Eccleſiæ, ut ex epiſtolis S. Gregorii colligitur, & Joannes VIII. Photium Neophytum a Nicolao ejus prædeceſſore depoſitum, cum in Sede Patriarchali Conſtantinopolitana reſtituiſſet, ſic tribus Augg. Baſilio, Leonis, & Alexandro ſcripſerat: [Ut poſt mortem Photii fratris noſtri, nullus ex dignitate ad pontificalem honorem aſcendat; ſed ex Presbyteris Cardinalibus, aut ex aliis Sacerdotibus, qui ſub Eccleſia Conſtantinopolitana conſiſtunt] :||||: Canonici Compoſtellani etiam Cardinales intitulatur. Baron. an. 1104. n. 18. Sic etiam Salernitani, & Neapolitani Canonici, atque nonnulli ex Metropolitana Eccleſia Mediolanenſi. Item Salisburgenſis Archiepiſcopus, qui fert rubrum galerum ſuper ejus inſignia, & *Cardinalis natus* appellatur. FR. necon Aquilejæ Patriarcha purpureis veſtibus, ac bireto, non autem galero tegitur, & in tempore, quo indui debet violaceis veſtibus, fert tunc etiam biretum ejuſdem coloris: ||||: Hoc igitur *Cardinalis* nomen jam antea diverſis Eccleſiis commune, remanet ſolum hodie Clero Romano peculiare; nam ut ſcribit Petrus Epiſcopus: [Multitudo Presbyterorum, & Diaconorum forenſium ad Urbem concurrentium cauſam dedit, ut urbani Presbyteri, & Diaconi ab eis diſtinguerentur nomine Cardinalis.] FR. Atque Pontificem Pium V. anno 1568. 13. Kal. Martii prædictarum Eccleſiarum privilegia (ſi quæ ſunt) ſuo diplomate abrogaſſe teſtatur citatus Cohelius c. 2. §. Et ideo. De S. R. E. Cardinalium privilegiis multa idem Cohelius congeſſit c. 16. :||||: Auctoritatem in c. final. de pœnit. & remiſſ. Cardinalibus conceſſam, eligendi, ſcilicet, pro ſe, ac ejus familia Confeſſarium, non fuiſſe a Trident. Conc. derogatam cenſet Azor. to. 2. lib. 1. c. 3. qu. 16. Inſuper in itinere poteſt celebrare, ſeu celebrari facere in portatili Altare ante auroram, & poſt meridiem. Sot. in 4. diſt. 13. qu. 1. art. 2. Item Cardinalem Religioſum poſſe eſſe patrinum in Baptiſmo, quamvis hoc Monachis ſit prohibitum, docet Barboſa; non poteſt tamen Cardinalis ſine ſpeciali derogatione Pontificis ferre ſigna cardinalitia, frui redditibus eccleſiaſticis, & ad functiones intervenire ante ſuſceptum Sacerdotium; nam expreſſe hoc cautum eſt ab Urbano IV. lib. 1. Epiſt. 37. Nec ſuper inſignia gentilitia coronam, ſeu aliud ſæculare ſignum ferre poſſunt Cardinales, ſed ſint ipſi [Solo pileo de pretioſo Chriſti ſanguine rubente inſigniti, ac decorati. Conſtit. Innocentii X. quæ incipit Militanti Eccleſiæ, ſub anno primo ejus Pontificatus,] quam obſervationem in Cardinales promoti jurare tenentur. Item titulum *Eminentiæ* eis, una cum Imperii Electoribus Eccleſiaſticis, ac Magno Magiſtro Melitenſi, Urbanus VIII. conceſſit, qui titulus antiquitus Urbis Præfecto, & Proconſulibus Provinciarum a Gregorio Magno tribuebatur, ut ex ejus Regiſtro liquet; unde merito Cardinales præfatos eleganter Joannes Sirinus *Principes pileatos*, & Hincmarus *Cardinarios*, ideſt, in cardine eminentes, epiſt. 7. cap. 22. appellant. FR. Idem titulus etiam Epiſcopis dabatur. [Per hunc gerulum viſitantes Eminentiam veſtram, in epiſt. Radulph. Epiſc. Roffenſis ad Lullum Archieſpiſcop. Mo-

Mogunt. ] Item & Pontifici dabatur, [ Ideo hæc ad aures Eminentiæ veſtræ Reverende Pater communi deploratione deferimus. Richardus Archiep. Cantuar. ad Alex. III. epiſt. 68. ] Cardinalis Legatus novem habet privilegia. Gloſſ. in extrav. c. unic. de præben. & dignit. Vide *Legatus*. Tandem non eſt prætermittenda Lateranenſis Quinti Concilii admonitio Cardinalibus commendata, nempe, quod [ Domus Cardinalis patens hoſpitium portuſque, ac refrigerium proborum maxime, & doctorum virorum, & pauperum nobilium, honeſtarumque perſonarum eſſe debet. ſeſſ. 9. ] De reliquis Cardinalium dignitatibus. Vide *Archipresbyter*. *Archidiaconus*. *Camerarius*. *Cancellarius*. *Pœnitentiarius*. De modo creandi Cardinales. Vide *Incardino*. Cardinalium indumenta. Vide *Croccea*. *Galerus*. Inſtratum primo album habebant, & poſtea rubrum. Vide *Mappula*. *Stola*.

CARDINO. FR. ordino. [ In tua Eccleſia Syracuſana eum providimus cardinandum, ſive ut officium Diaconatus expleat. Greg. in regiſt. lib. 3. cap. 14. ] Vide *Incardino*.

CARENA, tempus determinatum pro injuncta pœnitentia, quæ proprie *Quarantena* a quadraginta dierum ſpatio appellatur, & de qua ſæpe in Indulgentiis fit mentio. Dicitur etiam corrupte *Carantena*. FR. Hinc originem habuiſſe Indulgentiam XL. dierum, quam concedere poſſunt Epiſcopi in eorum Diœceſibus, notat Phileſacius, & Gloſſ. in cap. accepiſti, de ſponſa duorum, ait: [ Carenam alias carentenam vulgare eſt Italicorum, & dicitur Carena a carentia hominum, vel etiam ciborum; nam in illis XL diebus includuntur in aliquo loco ſecreto juxta Eccleſiam, ubi non habent conſortium hominum. ] :||: Alii tamen *Carina* ſcribunt. [ Quadraginta dies in pane, & aqua, quod theutonice carina vocatur. Burcardus, lib. 19. cap. 5. ] FR. At quamvis ibi corrupte legatur *Carina*; in Decretali nihilominus affertur idem Auctor lib. 30. ubi perfecte *Carena* ſcribitur, ſic: [ Et XL. dies in pane, & aqua ( quod Carenam vocant) cum ſeptem ſequentibus annis pœniteat, in d. cap. accepiſti illam, de ſponſa duorum Miles quidam Bononienſis Henricus nomine tempore quodam quadrageſimali carenam fecit apud nos. Cæſarius, lib. 4. Hiſt. cap. 57. ] :||||: Equites Melitenſes *Quarantenam* appellant pœnitentiam, quæ delinquentibus Equitibus imponitur, qui per quadraginta dies equeſtri toga induti, quam *Manto di punta* vocant, ac genuflexi conventualis Eccleſiæ Miſſis cantatis horiſque canonicis durantibus ad ſcamnum incumbentes, mulctantur. *Carena* corruptum vocabulum ex quadragena. Vide *Quadragena*.

CARENUM, condimentum dulce, a voce græca Κά-ρηνον, quæ culmen, & ſummitatem ſignificat, quia ſumme inter cibos delectat guſtui. [ Panis ibi opicus pro ſimila, pro careno ſapa. In vita Divi Bernardi Abb.

CARITAS. Vide *Charitas*. Item *Caritas*, ideſt penuria victualium. Vide *Edulitas*.

CARMELITANI. Vide *Archiphylax*. *Barrati*. Infra octavam Paſchæ dicunt *Kyrie eleiſon* ad Veſperas, loco *Deus in adjutorium &c.* Vide *Veſpera*.

CARNALIS. FR. ideſt, humanus, ſeu temporalis, [ Sed cum futuras ( Deo largiente ) victorias non carnali providentia, ſed magis orationibus prævenitis. can. Si non ex fidei. 23. quæſt. 4. Si apud carnales dominos in minimis fideles fuerint, can. Si apud, 23. quæſt. 5.

CARNIFEX. Vide *Quæſtionarius*. *Boja*. *Sajo*. *Scurio*. *Sorrentialis*.

CARNISPRIVIUM, ſic a Mattheo Pariſio in ſua hiſt. vocantur quinquageſimæ Dominicæ, nam in hac die relinquebatur carnis comeſtio, cum in illis ſæculis inciperet abſtinentia carnis a feria ſecunda poſt hanc Dominicam, ſicut mos eſt adhuc Orientalium Chriſtianorum, & aliquarum Religionum in Europa; ideoque in Miſſali Mozarabico vocatur *Dominica ante carnes tollendas*, & a Theodoro Studita *Dominica excarnaliorum*, ſerm. 40. dicitur. Vide *Quinquageſima*.

CAROLINUS ROMANUS, ſpecies monetæ. Vide *Siliqua*.

CAROPITÆ. Vide *Agnoſtici*.

CAROSTIUS, lapis, ſeu gemma, quam nonnulli ita appellatam putant ex loco, ubi invenitur: alii ex verbo græco κάρ·ς derivari exiſtimant, quod ſtuporem ſignificat; quia ob ingentem ſplendorem hujus gemmæ ſtupor excitatur: alii tandem *Caryſtea* legunt. [ Anno autem ſequenti mittit Eudoxia Imperatrix columnas quas erat pollicita, quæ erant magnæ, & admirabiles, numero triginta; duæ vero vocantur caroſtiæ, quæ quidem ſunt in S. Eccleſia lucentes tanquam ſmaragdi. Marcus Diaconus.


CARPHIA, græce *κάρφια*, claviculi qui configebantur ſub ſoleis calceamentorum militum, de quibus Iſidorus, lib. 19. Orig. cap. ult.

CARPOCRATIANI. FR. Hæretici Carpocratis diſcipuli, qui Chriſtum virtute humana genitum, ac natum fuiſſe blaſphemabant. 24. q. 3. can. 39. Vide Baron. an. 35. n. 20. 21. & an. 120. n. 35.

CARRAIM, quid inter Hebræos ſignificet. Vide *Sadducæus*.

CARROCIUM, currus; ejus etymon, vide *Caragus*. [ Armatorum autem ſe circiter quinque millia circa carrocium coadunant. Godefr. Monach. in Annal. ] qui currus ferebatur in exercitu, ad modum nolarii portatilis, in quo pendebat nola, eratque a militibus maxima virtute in conflictu circumdatum, ac defenſum, nam pro magno dedecore habebatur ejus amiſſio; campana autem pro pulſandis ſignis piarum precum, & convocationum militum inſerviebat, cujus figuram in fine hujus dictionis adjiciam ex Antonio Campo pictore Cremonenſi, qui narrat Cremonenſes de an. 1081. prædictam machinam *Bertam* appellaſſe, ſeu *Bertaciolam*, quia Bertæ Auguſtæ in-

interceſſione cives illi hujus machinæ uſum ab Imperatore Henrico obtinuerant. FR. ſed Corius in hiſt. Mediol. part. 1. ait multo poſt tempore Clem. V. ab Eriberto (ſeu Ariberto) Mediol. Archiep. inventam fuiſſe, & ſic deſcribit: Currus erat quatuor rotis, ſuper quem erat tribunal erectum panno rubro coopertum, in cujus medio altus malus dirigebatur, qui a multis hominibus per funes ſuſtentabatur, in cujus ſummitate Crux aurea erat impoſita, ſub qua ventis brandeum album cum cruce rubra explicabatur, quem currum quatuor bovum paria trahebant, atque boves dextrorſum rubro, & ſiniſtrorſum albo colore tegebantur. Magiſter hujus artificii a Repub. vir eligebatur magnæ æſtimationis, & famæ, una cum Sacerdote, qui quotidie ante carrocium Miſſam celebrare tenebatur, cum ſtipendio quotidiano quinque ſolidorum, & ſeptem denariorum; erant inſuper octo tibicines, & totidem milites eodem modo ſtipendiati. Idem referunt Carolus Sigonius, Voſſius, qui *Carrochium* ſcribit; Joſeph Laurentius, in Amalthea Onomaſt. Placidus Pucinellus, part. 2. Zodiaci Eccleſ. Mediol. in vita Sancti Dionyſii ſub finem; Jo. Petrus Gluſſianus in vita D. Caroli, l. 7. c. 14. Cherubinus Ghirardaccius in hiſtor. Bonon. part. 1. lib. 3. ſub ann. 1160. qui tamen citat Merulam, lib. 20. de antiquitate Galliæ Ciſalpinæ, apud quem non inveni citatam allegationem; & idem Ghirardaccius ibidem ſub ann. 1170. affert figuram Bononienſis Carroccii parum diſſimilis a Carroccio Mediolanenſi, de quo Corius ſupra. Quare figuram infra poſitam Antonii Campi cum campana credendum potius fuiſſe machinam pro conſtruendo Altare ad celebrandum ante carroccium, cum A. A. citati non faciant ullam mentionem de campana in caroccio poſita; imo contrarium deducitur, dum tibicines ibi ſtatuunt, quorum ſigna ad convocandos milites, & ad alia militaria exercitia inſerviebant; tum etiam, quia machina hic adducta non videtur diſpoſita ad vectandos tot tibicines, milites, miniſtros, ac malum funibus ſuſtentatum, ut prædicti Hiſtorici narrant, & ſimul campanam. Figura autem carroccii ab Antonio Campo allata hæc eſt.



CARROPERA, opus, ſeu vectatio curru facta; [ Carroperas, & manoperas inter tot circulos quinquaginta. S. Remigius in Polypt. ] Ubi de operibus manufactis, & curru agit.

CARRUATA. FR. Terræ ſpatium. [ Ut de duabus carruatis terræ, quas in dominio ſuo Monachi tenent, cap. veniens, de tranſact. ] Vide *Familia*.

CARRUCA. FR. aratrum. [ Donum Eccleſiæ cum omnibus hoſpitibus, & cum terra ad duas carrucas. Ivo Carnot. epiſt. 206.

CARSAMATIUS, Eunuchus, cui genitalia cum membro virili amputantur, a dict. barbaro-græca Καρσαμάτιος; cujuſmodi ſunt cuſtodes in clauſura venerea Turcarum Imp. [ Obtuli mancipia quatuor Imp. nominatis omnibus gratioſiora. Carſamatium autem Græci vocant amputatis virilibus, & virga Eunuchum. Luitpran. in legat. ] Vide *Eunuchus*.

CARTHAGO, ſtudiis aſperrima belli, arietem bellicum invenit. Vide *Teſtitrahus*.

CARTHUSIANI. FR. ad quos inter non mendicantes, mendicantes poſſunt tantum tranſire. Extrav. de regular. tranſeun. ad relig. c. 1. Cætera vero, quæ ſpectant ad hanc Religionem. Vide *Benedictio*. *Birrus*. *Calix*. *Corporale*. *Crux*. *Epiſtola*. *Genuflexio*.

*xio. Laura. Lineſtima. Officium B. M. Siphon. Symbolum.*

CARTULARIUS. FR. homo ſervus factus liber per chartham Regis. Gloſſ. in, l. homo denarialis, de Manumiſſ.

CARYSTEA. Vide *Caroſtius*.

CASA-IRTA. FR. Caſerta Campaniæ Civitas: [ Landulfus frater Landonis Caſam-irtam cepit. Herempertus, an. 886.

CASATUS. FR. Vaſſallus Eccleſiæ; [ Præterea caſati Eccleſiæ. Ivo Carnot. ep. 105. Vide *Caſſatus*.

CASELLA, parva caſa, can. caſellas, 10. q. 2.

CASINDIUS. FR. Regis familiaris, ſeu de familia Regis, l. recolimus, §. de caſindiis, de homic. liberi hominis.

CASSATUS, ejectus, cancellatus, ſpretus. [ Hac Domini reſponſione caſſatus oſtendit ei omnia regna mundi. S. Max. hom. 20. ] Aliquando vaſallum ſignificat. [ Terram quinque caſſatorum. In vita S. Euvini Epiſc. ] Et ideo *Caſatorum* legendum potius a caſa, ſeu familia. FR. puto ſemper ſignificare ſubditum, & vaſſallum, atque ſenſus S. Maximi eſt irriſorius contra diabolum, qui univerſorum Domino regna mundi promiſerat; inde irridet ſubditum Deo in ejus vana oblatione univerſorum Domino facta.

CASSIDILE, pera reticulata ad modum peræ venatorum nam *Caſſis* rete ſignificat. [ Protulit de Caſſidile partem jecoris. Tobias, c. 8.

CASSIDIM, quid hebraice ſignificet. Vide *Aſſidæi*.

CASSULARIUS, Theſaurarius, vocabulum ſæpiſſime in Caroli Magni conſtitutionibus replicatum. Vide *Theſaurarius*.

CASTALDIO, & *Caſtaldus*. FR. Gloſſ. in can. Salvator prædicit, 1. quæſt. 3. ſic explicat: [ Caſtaldus, qui habet curam externarum rerum, qui dicitur alias Majordomus, 89. cap. volumus, ]:||: hoc tamen nomen in multis Italiæ locis curſorem, ſeu mandatarium ſignificat. Vide *Curſor*. Caſtaldia vero Caſtaldi officium ſignificat, quod antiquitus in magna æſtimatione erat. FR. Erat officium etiam eccleſiaſticum, & ideo non ſine ſimoniæ ſcrupulo emebatur. Gloſſ. in 1. q. 1. can. ſi quis Epiſcopus per pecuniam. Etymon autem Caſtaldi ab arabico vocabulo *Chaſendar*, quod proviſorem domi ſignificat, provenire puto. Vide *Gaſtaldus*.

CASTIMONIALIS; Monialis. [ Invenerunt matres, quas de caſtimonialibus fecerunt mulieres. Opt. Milev. lib. 2. ] ubi de ſtupris, & ſacrilegiis a Donatiſtis commiſſis loquitur.

CASTITAS NUPTIALIS. FR. Vide can. Deus maſculum, 31. qu. 1. & Gloſſ. ibi. & in can. non mœchaberis, 32. quæſt. 6. §. Caſtitas. Ejus encomium. Vide *Scotomaticus*.

CASTITIUM: manſio, ſeu pagus, ac proprie domorum copulatio intelligitur: [ Manſio cum caſa, & aliis caſtitiis. In quodam pervetuſto M. S. S. Germani Pariſienſ.

CASTORINATUS, pellibus Caſtoris tectus. [ Non libenter incedunt armati ad epulas, albati ad exequias, pelliti ad Eccleſias, pullati ad nuptias, caſtorinati ad litanias. Sidon. lib. 5. ep. 7. ] Vide *Vibrinus*.

CASTRENSIANUS, palatii Imperialis miniſter, palatium enim illud *Caſtrum* appellabatur: fit de hoc vocabulo mentio in vita S. Macedonii, & in Codice Theodoſiano.

CASTRIFERI. FR. Flagelliferi. Amalath Onomaſt. ex Gloſſa.

CASTRIMARGIA. γαςειμαργία. FR. ventris intemperantia, gula, guloſitas, a græca voce γαςὴρ, ideſt, venter, ſeu ventriculus. Odyſſ. 12. & 18. & μάργος edax, inſanus, immoderatus. Odyſſ. 16. & 23. & quamvis *Caſtir*, Græci ſcribant, & latini *Caſtri* pronuncient; id enim ſæpe accidere obſervatur in littera R. quæ a Latinis anticipatur vocali, dum poſticipatur a Græcis, ut *Porſerphone* græce, latine *Proſerpina* ſcribitur, & his ſimilia. Itaque multi Gaſtrimargia, & non Caſtrimargia legunt; ſic Marcus Eremita, de Lege ſpirit. Caſſian. Inſt. Cœnob. l. 5. Chryſoſt. hom. 34. ad pop. Vide *Gaſtrimargus*.

CASTRUMDOLORIS; Cenotaphium, ſeu tumulus pro mortuorum exequiis, qui defuncti cadaver repræſentat; ideo Sacerdos, qui preces recitat, & Subdiaconus cum cruce debent ſe collocare in eodem loco, in quo ſecundum rubricas ſiſtere deberent præſente cadavere.

CASTUS, eſt quæſtio inter Expoſitores de hujus vocabuli ſignificatione apud Tertullianum, qui cap. 16. adverſ. Pſych. ſic ait: [ Caſto Iſidis, & Cybeles eas adæquas. ] legunt aliqui juxta quoſdam antiquos codices, *Sacros Iſidis*: alii *Caſtum* legendum malunt, quod rem caſtam ſignificat; ſed communis opinio primam lectionem amplectendam, nempe, *Caſtus*, contendit, idque cæremoniam, ritumque ſignificare docet ex græca voce κάςεια, ejuſdem ſignificationis: Scaliger enim Varronis, Feſti, Nonii, & Suidæ auctoritate oſtendit idem eſſe dicere *Caſtugræco*, ac ritu græco, & ita apud Varronem ſynonymice *Religiones*, & *Caſtus* inter ſe reperiuntur convenire.

CASUBULA, Planeta Sacerdotalis. [ In celebratione proinde Miſſarum caſubulam, qua inducebatur, lacrymis humectabat. In vita S. Peponis Abb. ] In præſenti hoc nomen *Caſubula* in Sicilia conſervatur.

CASULA, *Planeta*, *Caſubula*, *Penula*, *Superhumerale*, *Phelonium*, quæ ſynonyma vocabula, vide in ſuis locis. Caſulæ etymon a Rabano ſic explicatur. [ Septimum Sacerdotale indumentum eſt Caſula, quæ ſicut caſa quædam alia omnia tegit. ] Antiquitus plebejam veſtem, ac vilem ſignificabat. Orig. l. 19. c. 24. D. Aug. lib. 22. cap. 8. de Civit. Dei. FR. Aliquando tamen veſtem monaſticam ſignificat. [ Frater ergo de Monaſterio habebat fratrem ſæcularem, & poſtulavit eum, dicens: caſulam non habeo; fac charitatem, eme mihi. Jo. Diacon. in vita S. Gregorii, lib. 2. cap. 45. ] Ita & clericalis veſtis intelligitur

gitur in Synodo ſub Carolo Magno, anno 741. celebrata. ] Decrevimus quoque, ut Presbyteri non ſagis laicorum more; ſed caſulis utantur ritu ſervorum Dei. ] :||: Erat igitur caſula rotunda, & clauſa ex omnibus partibus, eo modo, quo adhuc utuntur Græci, qui eam φελόνιον appellant, ut videre eſt in appoſita figura.



Quæ forma adhuc in antiquis picturis conſpicitur, ac in Epiſcoporum cæremoniali eo prorſus modo deſcribitur, nempe: [ Mox ſurgit Epiſcopus, & induitur ab eiſdem planeta, quæ hinc inde ſuper brachia aptatur, & revolvitur diligenter, ne illum impediat, lib. 2. cap. 18. ] Itaque paulatim loco revolvendi illam, reciſa lateraliter fuit, ut non amplius caſulæ, ſed monachalis ſcapularis formam præſeferat. In hoc tamen ſunt commendandi Græci, in ſuſtentando ejus antiquam formam, de quibus Veſpaſianus Florentinus, in vita Juliani Cardinalis Cæſarini, de Concilio Florentino loquens, ſic ait: [ Non ponerò qui una lode grandiſſima de' Greci, che mai non hanno mutato abiti, coſì i temporali, come i ſpirituali, ſono paſſati anni mille, e più. ] Præterquam quod antiquæ caſulæ figura majeſtatem, & myſteria non pauca continebat; hinc Petrus Bleſen. inquit: ] Planeta, quæ & caſula dicitur, totum te circundat, & protegit, & cæteris ſupereminet. Hæc eſt Charitas, ſer. 41. ] Alcuinus vero inquit: [ Caſula, quæ ſuper omnia indumenta ponitur, ſignificat charitatem. ] Item unitatem Eccleſiæ, veſtemque Chriſti inconſutilem denotat, quæ tamen hodie reciſa hos ſignificatus retinere nequit. Item veſtem coccineam: [ Phelonium oſtendit purpuram coccineam. S. German. & Simon. Theſſalon. ] FR. hoc indumentum in antiquis picturis commune fuiſſe perſonis utriuſque ſexus, in muſivo tribunæ S. Ceciliæ tranſtyberinæ regionis conſpicitur. :||: Solent Græci Epiſcopi in eorum planetis intexere ad modum Crucis quadruplicate litteram Gamma, eodem modo, quo in duplo aureo gallico quadruplicata recenter inciditur littera L. eo pacto, quo in ſupra allata figura; quam veſtem πολυσταύριον appellant, id eſt, plurium crucium, ſeu a littera Gamma *Gammadium*, de quo. Vide ſuo loco. Eſt igitur crucibus caſula plena, ad ſignificandam gloriam Chriſti crucis per univerſum diſperſam, & angularis figura eundem Chriſtum angularem lapidem denotat, ita Balſamon. FR. Idemque Balſamon Metropolitanos Grajos reprehendit, qui Gammadiis abutuntur, cum Patriarchæ ſolum conveniant, qui ſic ait: [ Quemadmodum igitur Epiſcopis non conceduntur ea indumenta, quæ Patriarchis conceſſa ſunt, ut ſaccus, & polyſtaurion, veſtis Crucibus undequaque conſpicua, ita nec ea privilegia, quæ Epiſcopis conceſſa ſunt, ad Sacerdotes transferri non poſſunt, tom. 1. Juris Græci-Romani. ] Apud Arabes *Ghammad* cooperio ſignificat. :||: Antiquitus cum ſola caſula celebrabatur, ut ex Actis S. Fulgentii, & ex vita S. Martini colligitur, qui veſtem ſub planetam poſitam, ut eam pauperi donaret, exuit, & ideo nudis brachiis poſtea comparuit. FR. Mirum ergo non eſt, ſi Græci, cani ritus tenaces, non utantur Alba, ut dictum eſt in dict. *Alba*, nam ex S. Martini vita conſtat illum albā ſub caſulam non habuiſſe, ac propterea elargita caſula, nudis brachiis remanſiſſe. :||: Tempore Adventus, & Quadrageſimæ Diaconus, & Subdiaconus utuntur caſulis plicatis. [ Non ergo Diaconus dalmaticam, nec Subdiaconus tunicellam in diebus jejuniorum in officio Miſſæ portant; ſed caſulas ſuper humerum ſiniſtrum complicatas geſtant, non replicatas a dextris, & ſiniſtris, ſicut facit Sacerdos; ſed ab anteriori parte ſuper brachia elevatas. Durand. lib. 2. cap. 9. ] Quæ verba formam antiquæ planetæ denotant, ut dictum eſt ſupra. At Diaconus, & Subdiaconus planetis indui non debent ad Tertiam, quando celebrat Epiſcopus, ſed in Miſſæ principio; quo inſtanti ſumant manipulos, Cærem. Epiſc. lib. 2. c. 17. Subdiaconus lecturus Epiſtolam, planeta exuatur: nam [ Miniſtri caſula ſe exuunt, quando Lectoris, vel Cantoris officium aſſumunt. In Lectoris, & Cantoris officio aliquod genus militiæ exprimitur. Amalar. lib. 3. c. 15. ] Non enim Subdiaconus in illis temporibus, ſed lector ( ut ex Ord. Rom. colligitur, & inferius clarius patebit ) epiſtolam legebat, quod exacte a Græcis obſervatur, inter quos Lector tempore Miſſæ Epiſtolam canere ſolet. Diaconus vero Evangelium cantaturus plicat caſulam ſuper ſiniſtrum humerum, ad denotandam promptitudinem prædicandi verbum Dei. Gem. cap. 231. In aliquibus tamen Eccleſiis Diaconus exuitur caſula, in cujus locum ora-

rium ponit aliquanto latius; ſed in papali Cappella eadem caſula plicatur. Id etiam in aliquibus Eccleſiis antiquitus faciebat Sacerdos. [ Secundo in Evangelio quod non in Altari, ſed in aſſere, vel aliquo lectorio verſus aquilonem legi oportet, plicata in humero caſula, quod Diaconi fungatur officio. Jo. Beleth. in Rat. div. Off. cap. 37. ] ideſt, quando ſine Miniſtris canit Miſſam Sacerdos, qui Auctor anno 1153. floruit. In diebus tamen Jejuniorum excipiuntur Dominica IV. Quadrag. Dominica III. Adventus, & Vigilia Nativitatis, in quibus Diaconus, & Subdiaconus non utuntur caſulis; ſed dalmatica ille, ac tunicella iſte.

Catabanita. Vide *Stacte*.

Catabarbara, ex voce græca κατὰ, ideſt, prope, ſeu apud; ſic ſæpe Cyprianus in citandis Evangeliis habet: *Cata Matthæum &c.* locus in Exquilino Urbis monte, ubi Eccleſia erat S. Andreæ, qui hodie in S. Antonii Abbatis Hoſpitali incluſus eſt: ita appellabatur a quadam nomine Barbara Patritia, de quo vocabulo Anaſtaſius Biblioth. mentionem facit; apud eundem Bibliothecarium reperitur etiam *Catagalla*, ideſt, prope locum Gallæ Matronæ Romanæ.

Catabolicus, græce καταβολὴ, ideſt, calumnia, ſeu oppreſſio, inde *Catholicus*, ſpiritus maligni ſpecies, & ſonat calumniatorem, ſeu oppreſſorem, qui ſolet ad terram projicere, & vexare energumenos: eo modo, quo ille Lucæ cap. 9. obſeſſum exagitabat. [ Scimus enim magiam elicere explorandis occultis, catabolicos, & paredros, & pythonicos ſpiritus. Tertull. de Anima, cap. 28.

Catabulum, ſtabulum, a dictione græca καταβολὴ, quæ manſionem ſignificat. [ Qui dum multis diebus ſerviret in catabulo. Anaſt. Biblioth. in S. Marcello Papa. ] Inde *Catabulenſes* ſtabularii. [ Præſenti admonitione declaramus, ut marmora, quæ de domo Pinciana conſtat eſſe depoſita, ad Ravennatem Urbem per catabulenſes veſtra ordinatione dirigantur. Caſſiod. lib. 3. epiſt. 10. ] FR. Κατάβολον ſignificat etiam emporium, ſeu nundinas.

Cataclistus, græce κατακλειςός, ideſt, abſconditus, & occultus. Tertullianus de pavonis pulchritudine, in tract. de pallio, cap. 3. loquens, ſic ait: [ Quamquam & pavo pluma, veſtis, & quidem de catacliſtis, imo omni conchylio depreſſior, qua colla florent, & omni patagio inauratior, ] ideſt, quod Pavonis veſtis pretioſa eſt, ſicut ea, quæ pro feſtivis diebus in arca abſconditur, & conſervatur. Alii tamen, *Cataclitis* legunt, quæ vox poſſet etiam derivari a græco nomine κατακλεὶς, quod collum ſignificat: ubi tamen advertendum, quod *Pavo* in ſenſu Tertulliani ſit dativus caſus, dum ab eo *Pavus* in caſu recto declinetur. Inſuper dictio *Depreſſior* luſtrior ſignificat, nam veſtes eo luſtriores, & ſplendidiores redduntur, quo magis deprimuntur. Tandem *Patagium* erat aureum ornamentum circa collum matronalium veſtium, & Artifices hujus operis *Patagiarii* dicebantur.

Cataclyza, alicujus vaſis fundum, a græco verbo κατακλύζω, quod in profundum demergere denotat. [ Veruntamen calicem non communivit, quia cataclyza in ipſo fuerant ſolidata. Greg. Turon. c. 63.

Catacumbæ. Vide *Cœmeterium*.

Catagalla, Vide *Catabarbara*.

Catalogus Sacer. FR. Clericorum matricula. [ Etſi de ſacro catalogo fuerint, hos deponi præcipimus, ſi vero laici, vel Monachi, excommunicari, can. quoniam, 18. qu. 3. ] Item *Matriculam*. *Martyrologium*. *Breve*. *Commemoratorium*. *Necrologium*, ſignificat, Vide ſuis locis.

Catamane, prope, vel ante mane, id eſt, in aurora: [ Et faciet Sacrificium ſuper eum catamane. Ezech. cap. 46. ] vel quotidie mane ſignificat.

Catamithus, Ganymedes. [ Catamithus rapitur deliciarum futurus, & poculorum cuſtos. Arnob. l. 4. Eodem etiam epitheto illum Prudentius contra Symmachum, lib. 1. appellat: [ Compreſſum immunde miſerum affigens catamitum. ] Κατάμιθος enim græce ſcortum ſignificat,

Cataneus. Vide *Catipanus*.

Catapanus. Vide *Catipanus*.

Cataphrygæ. Vide *Cathari*.

Catasta, tabulatum, ſuper quod Sancti Martyres ad patibulum aſcendebant: [ Ad pulpitum poſt cataſtam venire, illic fuiſſe conſpicuum gentilibus, hic a fratribus conſpici. Cypr. lib. 2. epiſt. 5. ] Ubi de Confeſſoribus loquitur, qui antea in ſuſtentatione tormentorum, in tabulato inter Tyrannos, & Gentiles, & poſtea in pulpito inter Fideles canere Evangelium viſi ſunt,

Catathema, converſatio cum excommunicatis, ex græca voce Κατάθεμα, quæ maledictionem proprie denotat. [ Catathema autem eſt eorum, qui ſe pacto anathematizantibus, & execrantibus conjungunt. Juſtinus Mart. qu. 121. ] FR. Verba Juſtini non videntur definire, quid ſit *Catathema*; ſed tantum ait eſſe Catathemam eum, qui ſe anathematizantibus, & execrantibus conjungit; puta blaſphemantibus, cujuſmodi ſunt hæretici, & ſimiles, ut in textu Evangelii habetur: [ Cœpit anathematizare, ] ſcilicet, execrara: igitur ex vi nominis idem eſt anathema, ac catathema, & fortaſse pluſquam anathema, nam in excommunicationibus Patrum in Conciliis ſemper legitur *Anathema ſit*, *&* *Catathema*, & dum ultimo loco catathema ponitur, ſignum eſt, quod fortius aggravet. [ Sit anathema, ac catathema cum Patre, & Filio &c. Collatio S. Maximi Martyris cum Theod. Epiſc. apud Anaſtaſium per Sirmondum in 8. edit. pagina 189.

Catatumba. Vide *Cœmeterium*.

Catechismus, inſtructio, a verbo græco, κατηχίζω, ideſt, inſtruo, & *Catechiſta*, græce Κατηχιςὴς, inſtructor in rebus fidei: a Græcis aliquando pro pa-

trino baptiſmi ſumitur, quod idem eſset, ac inſtructor; Patrinus enim in conſcientia ſpiritualem filium inſtruere tenetur. In Eccleſia Conſtantinopolitana erat magnæ æſtimationis hoc Catechiſtæ officium, ut dictum eſt in dict. *Baptiſmus*, & in dict. *Audientium Doctor*.

CATECHUMENIUM, Κατηχουμενεῖον, locus in Eccleſia pro Catechumenis ſeparatus, alii *Catechumenum* legere malunt. [ Fuitque illi mater ſpiritualis Sancta Domina Romana Diaconiſsarum, quæ accipiens eam aſcendit in catechumenum. In vita S. Pelag. c. 8. ] Vide *Nartex*. Item aliquando domum pro Catechumenis deſtinatam denotat, ubi catechiſtæ in rebus fidei eos inſtruunt, ubi etiam Clericos indiſciplinatos Patriarchi Conſtantinop. includebat. Romana pietas duas manſiones, unam pro viris, alteram pro fœminis ad hunc finem erexit.

CATECHUMENUS, græce Κατηχούμενος, qui baptiſmum poſtulat, ita appellatur; quia quaſi Auditor eſt verbi Dei, & ideo *Audientes*, ſeu *Auditores*, Iſid. l. 2. de off. Eccl. c. 21. eos vocat. Qui Auditores duplicis ſpeciei erant, & alii proprie Catechumeni dicebantur, qui in rebus fidei inſtruebantur, alii vero vocabantur *Competentes*, hi enim erant, qui inſtanter petebant baptiſmum. FR. Quod ex D. Auguſt. ſermon. 116. de temp. his verbis habetur expreſſe: [ Competentes non poſſunt aliud intelligi niſi ſimul petentes. ] :||: Atque Cathecumeni compellebantur ab Eccleſia exire ſtatim, ac peracto Evangelio. Competentes vero diſcedebant immediate ante conſecrationem, dum pro ipſis aliquantulum a fidelibus preces funderentur. [ Duo ſunt ordines cathecumenorum. Hi enim nuper acceſserunt, & ut imperfectiores poſt Scripturarum, & Evangeliorum auditionem ſtatim exeunt. Illi vero jampridem acceſſerunt, & perfectiores facti ſunt. Unde & orationem, quæ fit ſuper catechumenos, expectantes, in ea genua flectunt. Quando autem pronunciatum fuerit: Catechumeni procedite; tunc & ipſi exeunt. Synod. Neocæſar. can. 5. ] Qui canon a Græcis exacte obſervatur in eorum Miſſa, Itaque clare colligitur, quod expulſio Catechumenorum ab Eccleſia per Diaconum facta, de Competentibus intelligenda ſit, ſuper quos oratio dicta fuerat. Eandem cæremoniam latina Eccleſia obſervabat. [ Tempore enim, quo Sacerdos incipit conſecrare corpus Dominicum; dicendum eſt a Diacono poſt Evangelium: ſi quis catechumenus eſt, procedat foras. Alcuin. de Divin. Off. ] Quando in Liturgia S. Clementis fit Illuminandorum mentio, de Competentibus jam baptiſmo propinquis intelligendum eſt; nam ibi declaratur, quod prius dimittebantur Catechumeni, ſecundo Energumeni, & tertio Illuminandi, his verbis a Diacono pronunciatis, [ Diſcedite Illuminandi. ] Catechumeni vero non immediate poſt Evangelium dimittebantur; nam audiebant etiam ſermonem, qui poſt Evangelium agebatur, ut ex D. Auguſt. ſerm. 237. colligitur, nempe, [ Poſt ſermonem fit Miſſa Catechumenis. ] Ex quibus demonſtratur, quod poſt ſpiritualem ſermonem dimittebantur, remanentibus Competentibus ad audiendam Symboli recitationem; ut D. Ambroſ. epiſt. 33. teſtatur, inquiens: [ Dimiſſis catechumenis Symbolum aliquibus Competentibus tradebam. ] Vide *Scrutinium*. FR. Item ſermo, & oratio ſuper Catechumenos in can. 5. præfatæ Synodi Neocæſar. idem ſunt. Tandem Auguſtini verba: [ Fit Miſſa Catechumenis, ] intelligenda ſunt de Catechumenorum Miſſa, & hoc fiebat in Dominica Palmarum, ut ex Agathen. Concil. apud Gratian. diſt. 4. de Conſecr. can. 54. ubi ſic habetur: [ Symbolum etiam placuit ab omnibus Eccleſiis una die, ideſt, ante octo dies Dominicæ Reſurrectionis, publice in Eccleſia Competentibus prædicari. ] De hac Ivo Carnotenſis, ep. 75. agens duplici vocabulo Miſſam dividit, nempe, in *Miſſam Catechumenorum*, ſecundum unam partem, & ſecundum aliam in *Miſſam Sacramentorum*, in qua ſoli fideles intereſſe digni erant: ||: Catechumenis, in dicendo Dominicalem orationem, non licitum erat proferre verba *Pater noſter*, quia adhuc ſine baptiſmo erant, & conſequenter non erant adhuc adoptivi filii Dei, inde D. Ambroſius baptizato ajebat: [ Ergo attolle oculos ad Patrem, qui te per lavacrum redemit, & dic Pater noſter, l. 5. de Sacram. c. 4. [ & D. Auguſt. hom. 24. eiſdem Catechumenis de Dominicali oratione etiam dicebat: [ Tenete ergo orationem hanc, quam reddituri eſtis in die Sabbati noviſſimi, quo baptizandi eſtis. ] Catechumeni etiam dicuntur *Novitioli*. Vide ſuo loco. Tempus vero Catechumenatus antiquitus trimeſtre erat, S. Clemens, ep. 3. ſed poſtea ad quadraginta dierum ſpatium redactum fuerat. [ Qui baptizandi ſunt ſuper quadraginta dies, publice iis tradamus ſanctam, & adorandam Trinitatem. Hier. ep. ad Pamach. ] Aliquando tamen per multos annos prorogabatur, ut magno Conſtantino factum fuerat, quem abuſum quidem ab eruditiſſimis Ambroſii, Baſilii, atque Nazianzeni ſcriptis extirpatum fuiſſe Baron. an. 377. refert. FR. Judæi ad fidem converſi per octo menſes inter Catechumenos detinebantur, can. Judæi, de conſecr. diſt. 4. :||: Cæterum id, quod D. Chryſoſtomus, hom. 3. in ep. ad Philippenſes, docet, non eſſe, nempe, licitum pro defunctis catechumenis orare, ſed tantum aliquam eleemoſynam pro eis erogare; intelligendum eſt de Sacrificio Miſſæ, & de publicis Eccleſiæ precibus; non tamen de privatis orationibus: & hoc ſancitum fuerat in pœnam eorum dilationis ad ſe baptizando uſque ad ultimum vitæ periodum, ut ex Concil. Bracarenſe primo colligitur, ubi habetur: [ Item placuit, ut Catechumenis ſine redemptione baptiſmi defunctis, ſimili modo, nec oblationis factæ commemoratio, nec pſallendi impendatur officium. ] FR. Oritur quidem difficultas ex verbis illis in can. 7. Conc. Conſtantinop. contentis, ubi de Catechumenis loquens, ſic ait: [ Primo quidem die ipſos Chriſtianos facimus, ſecundo Catechumenos, deinde tertio

exorcizamus, ] ubi videtur perverſionem ordinis fieri; nam id, quod exercendum eſt ultimo loco, ponitur ibi in primo, nempe *Chriſtianos facere*. Pro cujus intelligentia, ſciendum eſt, non effective, ſed deſignative ibi loquutos fuiſſe PP. nempe, quod primo die inter Chriſtianos deſignandos eſſe Catechumenos, ac notandos, & tanquam Chriſtianorum ſequaces, & tyrones; ſicut Novitios Religioſorum largo modo Religioſos vocamus, qui quamvis profeſſi non ſunt, gaudent nihilominus Religioſorum privilegiis. Itaque primo die Catechumeni tanquam Crucifixi aſſeclæ cruce ſignabantur; ſecundo vero die inter Catechumenos, & Auditores ad inſtructionem myſteriorum fidei annumerabantur, &c. quod ex D. Aug. in tract. ſuper Symb. ad Catechum. l. 4. c. 1. patet, ubi ſic inquit: [ Dum per Sacratiſſimum Crucis ſignum vos ſuſcepit in utero Sancta Mater Eccleſia, quæ ſicut & fratres veſtros cum ſumma lætitia ſpiritualiter pariet, nova proles futura tantæ matris, quouſque per lavacrum ſanctum regeneratos veræ luci reſtituat, congruis alimentis eos, quos portat, paſcat in utero, & ad diem partus ſui lætos læta producat. ] Vide *Exorciſta*. *Regenerandus*.

CATERNIO, ideſt, quaternium, libellus quatuor foliorum. [ Tranſmittimus librum canonum, inerat caternio novus habens canones. Greg. Turon. lib. 5. hiſt. cap. 18.

CATHALANA. FR. Cathelaunia. [ Nos Cathalanæ Epiſcopo, & ejus Collegis dedimus in mandatis. In Decretal. de Sentent. & Judic. c. 2.

CATHARI, a Græca Καθαρὸς, ideſt, purus, ſincerus; quo titulo denominatæ ſunt variæ hæreticorum ſectæ. [ De his, qui ſe nominant cathari; ſi aliquando venerint ad Eccleſiam Catholicam, placuit Sancto, & Magno Concilio, ut impoſitionem manus accipientes, ſic in clero permaneant, Concil. Nicæn. can. 8. ] Eodem vocabulo appellati ſunt Novatiani, quia condemnabant tanquam impuras ſecundas nuptias, quos irridens D. Cyprianus, ep. 76. ait. ] Et nomina adulterata fingentes. ] FR. Vide Baron. An. 254. n. 106. :||: Hoc nomen affectati ſunt etiam Hæretici in Provincia Patrimonii S. Petri, alias *Patareni* denominati, qui prædicabant, quod per eorum manuum impoſitionem, & orationem Dominicalem proferendo ſuper moribundos, reddebant eos omnino a culpis innoxios, quam cæremoniam *Conſolationem* vocabant. Eorum ſeductor quidam Robertus fuerat, qui tandem divina gratia illuminatus, ab ea dementia reſipiſcens, habitum S. Dominici ſuſceperat, ac magno ardore illius erroris impugnator evaſerat, qui Viterbii, Cornetı, & in diverſis Patrimonii prædicti partibus evagavit. FR. ita Odoricus Raynald. Annal. Eccl. ad Ann. 1203. & ſeqq. & Ann. 1207. n. 3. & ſeqq. Vide *Patareni*. Item *Ariſteri* a græca dictione ἀριστερὸς, ideſt, ſiniſter, & *Cataphrygæ* a Phrygia Provincia, in qua multum prævaluerant, denominati ſunt, quorum Magiſtri Montanus, Priſca, & Maximilla fuere, ac inter alios errores aſſerebant, ipſos, & non Apoſtolos accepiſſe Spiritum Sanctum, 24. qu. 9. can. 39. & 1. qu. 1. can. ſi quis confugerit. Ubi notandum eſt, quod hi Montani ab aliis hujus nominis antiquis tribus diverſi ſint, ut ſuo loco dicetur.

* CATHANISÆ. Hoc nomine ſe appellarunt Manichæi; id eſt mundatores, vel purgatores. Auguſt. de hæreſ. cap. 46.

CATHARTICUS, purgativus, a græca voce Καθαρτικός. [ Dabo catharticum impuritati Scauri. Tertull. de pall. c. 5. ] Credidere aliqui Scaurum fuiſſe hunc, de quo Salluſtius loquitur; ſed probabilius videtur eſſe eum, de quo Tacitus, qui Tyberio imperante ad mortem damnatus, propriis manibus ſibi eam anticipavit.

CATHEDRA, FR. græca vox κάθος, ideſt, ſedes & ἕδρα, ideſt, ſponda, quaſi ſpondata ſedes. Gloſſa in Clement. c. 2. de Sepulturis, ubi tale diſtichum adducit:

> Rex ſolium, Doctor cathedram, Judexque tribunal
>
> Poſſidet, ac ſedem Præſul, Prætorque curule.

Et in Extravag. de Sepulturis, c. 2. Romana tamen Cathedra *Nutrix Pontificii* dicitur. [ Mundi caput Romam per veſtras intentiones eſſe proſtratam, & nutricem Pontificii cathedram, quaſi ultimum videre ſedile deſpectam. Ennod. Ticinen. Epiſc. in Apologet.] Vide *Abſidia* in §. Abſis gradata. *Apalareus*, *Archiſterium*, *Sella*, *Sellare*, *Sedes Epiſcopalis*. Feſtum Cathedræ S. Petri Romæ ſub die 18. Januar. de ann. 1576. Gregorius XIII. ad inſtantiam Antonii Cardinalis Carafæ ſtatuit, ut tanquam feſtum de præcepto obſervaretur: Franc. Torrigius de Crypt. Vatican. edit. 2. pag. 570. Dicitur etiam *Thronus*. In qua parte Eccleſiæ collocari debeat. Vide *Introitus*, *Vaſtellum*.

* CATHEDRA. Thronus Epiſcopi ſic dictus. Athanaſ. epiſt. ad Solitar.

CATHEDRATICUM, hoc nomen recognitionem ſignificat Epiſcopo debitam. FR. quam ſolvebant Presbyteri Eccleſiarum pro Epiſcopi anniverſariis, ſeu aliis annuis ſolemnitatibus, eo, ſcilicet, modo, quo a Presbyteris cum Epiſcopo tempore dedicationis Eccleſiæ pacto conventum fuerat, 10. qu. 3. poſt can. 5. §. Cathedraticum, atque oblatio erat Epiſcopo pro concione debita, quam in die illius feſtivitatis agebat. Vide *Eulogia*. Differt tamen a penſione, quæ *Synodicum* dicitur, quia Synodicum eſt id, quod ratione Synodi Epiſcopo debetur: Cathedraticum vero pro cathedraliter ſolemnizanti Epiſcopo ſolvendum eſt. Vide *Synodicum*: omneque id, quod per cathedraticum intelligitur, taxatum fuit ab Honorio Papa III. in cap. conquerente, de off. Jud. & conſiſtebat in duos ſolidos, can. cum placuit, can. inter cætera, & can. illud 10. quæſt. 3.

CATHEDRA SANCTI PETRI, Romæ materialis, ejus antiquitas, Vide *Sella geſtatoria Apoſtolica*.

CATHELAUNI. Vide *Alani*, *Cathalana*.

CATHEMERION, græca vox καθημέριον exercitium quotidianum ſignificat: hoc vocabulum Prudentius pro titu-

titulo appoſuit aliquibus ejus hymnis in diverſis diei horis recitandis.

Cathenaticum, proventum, quod ratione capturæ, & carcerationis ſolvendum eſt ſatellitibus, & carceris cuſtodibus. [ Hi qui reos capiunt, aut cuſtodiendos accipiunt, ab his, qui quos in cuſtodiam miſerint innocentes, cathenatici nomine nil requirant. Niſigot. lib. 7. tit. 4. leg. 4.

Cathisma, græca vox Κάθισμα, pauſa, ſeu diviſio. Græci autem, qui pſalterium in viginti dividunt partes, ſeu pauſas, eas *Cathiſmata* vocant.

Catholicus, græca vox Καθολικὸς, ideſt, univerſalis, ac de Chriſtiano dicitur, qui univerſæ Eccleſiæ dogmata ſequitur. FR. [ Si eos putas a conſortio mutuo diſſociatos, quos fibula religionis pio mordens dente conjungit, procul te ab æſtimatione catholica culparum duxit affectus. Mandati cœleſtis habitatio aut miſceat, aut ſeparet, non intereſt quæ intervallinos ſegregent, ſi uno in ſupera manſione conclave retineamur. Ennod. Ticin. Epiſc. in Apologet. Vide *Orthodoxus*. || Item epiſtola dicitur *Catholica*, quæ circulariter univerſali Eccleſiæ ſcribitur, in quo ſenſu Tertullianus, lib. 4. adverſ. Marcion. c. 9. appellavit Chriſtum [Catholicum Patris Sacerdotem,] ideſt, univerſalem Sacerdotem. Item *Catholicus* dictus eſt Fiſcalis Imperatoris Procurator, quia univerſalis erat ad totum Imperium, ob eandem rationem idem dicebatur etiam *Catholicianus*. Hodie vero titulus Catholici ſoli Hiſpaniarum Regi tribuitur, quem ab an. 638. conſequutus eſt, quando, nempe Concilium Toletanum VI. ordinaverat, ut nemo in Regem acclamaretur, niſi juraviſſet prius ſe neminem permiſſurum in ſuo dominio, niſi Catholicos; ideo *Catholicus Rex* vocatus deinde fuit; ſeu quia Alphonſus a Ricaredo deſcendens, qui *Rex Catholicus* cognominatus fuerat, ſic etiam ille ſe Catholicum Regem appellari in dicto Concilio poſtulaverat, quem ſpecioſiſſimum titulum a Succeſſoribus diu relictum, Ferdinandus deinde Rex a Julio Papa II. reaſſumi poſtulavit; quare eidem, & ſucceſſoribus conceſſum fuit. FR. Eccleſia *Catholica* dicitur, quia eſt una ac ſola. Gloſſ. in Clement. c.3. de Hæreticis, ubi in §. Eccleſiæ, diverſas ponderationes ſuper hoc lectu dignas exponit in Extr. de Majoritate, & Obed. c. 1. Item *Catholici* dicti ſunt Azymitæ, & quare. Vid. *Azymitæ*. Sinonyma. Vide *Eccleſia. Chriſtianus. Melchita. Orthodoxus. Piloſiotæ. Pſychicus. Romanus.* Item *Catholicus* dicitur Judex in rebus fidei, can. Catholicus, 2. quæſt. 6.

* Catholicus. Catholicus is eſt, qui ex Eccleſia Catholica eſt. Eccleſia porro Chriſtiana hoc nomine *Catholico* inſignita fuit a ſuis primis exordiis. Euſeb. lib. 4. c. 15. Quotquot enim erant Eccleſiæ a prima ad ultimam deſcendentes in eadem fide, unum Chriſtianorum Corpus adjiciebant, ita ut una fides Catholica, nempe univerſalis eſſet, & ex hac una fide in cujus communione omnes vivebant, Eccleſia Catholica diceretur.

Catigera, FR. Doctor, & Magiſter. [ Dat etiam liberaliſſimus Catigera in ipſa dilecti diſcipuli ordinatione dulciſſimum pignus, & memoriale perpetuæ dilectionis ſuæ, caſulam, videlicet, purpuream. In vita S. Auguſt. Epiſc. Cantuar.

Catipanus, græca dictio compoſita ex κατὰ, & πᾶν, quæ latino idiomate ſignificat, ſecundum univerſum, & idem ſonat, ac Generalis Dux; alii interpretantur *Super omnia*, ſed Gulielmus Apulienſis, lib. 2. de ſucceſſ. Normandorum ſic vertit.

Cui Catapan facto cognomen erat Bagianus,
Quod Catapan Græci, nos juxta dicimus omnes,
Quiſquis apud Danaos vice fungitur hujus honoris.
Diſpoſitor populi, parat omne, quod expedit illi,
Et juxta, quod cuique dari decet, omne miniſtrat.

Quod nos *Plenipotentiarium* dicimus. FR. Officium itaque magiſtrale, magnæque æſtimationis fuiſſe Blondus decad. 2. l. 3. teſtatur, ſic inquiens: [Gregorius imperialis Catipanus (id Magiſtratus eſt nomen) Mel alter Catipanus imperialis primo impetu Apulia pene omni expulit ] ideſt Drogum Gulielmi Normandi Apulienſis Comitis filium. Et inferius idem Blondus: [ Bubalganus Meli ſuffectus Imperatoris Conſtantinopolitani Catipanus: ] :||: Carolus Sigonius, lib. 7. de Imper. Orient. de ann. 979. ait Baſilium, & Conſtantinum Imp. Saracenorum auxilio Apuliam, & Calabriam occupaſſe, atque [ Eas ſæviore poſt imperio, novo Catipani magiſtratu impoſito habuerunt.] Jo: Lucius diligens, & eruditus noſtrorum temporum hiſtoricus, l.2. c. 8. de Dalmatiæ Regno, hanc affert memoriam. [ An. 1067. Indict. 4. Epacta 3. concurrenti 7. regnante D. Conſtantino Duce magno Imperatore, prioratum vero Jaderæ retinente D. Leone Imperiali protoſpathario, & totius Dalmatiæ Catipano &c. Et eod. l.9. c. 9. Quamvis Imperium ad Conſtantinum Monomachum reducto, is Maniacum Catapanum miſiſſet, qui res in Italia reparavit.] In vita S. Vitalis Abb. natione Siculi, Baſilius Darii Gubernator Catapanus appellatur: Lupus protoſpathar. in ejus hiſtoria ſæpe de Catapano, & Protocatapano, mentionem facit. Hinc multi Capitanei nomen a *Capitano*, ſeu *Catapano* deducunt, cujus argumenti ratio eſt, quod in Neapolitani Regni Provincia *Capitanata* hodie corrupte dicitur, in qua, ut ſupra dictum eſt, Imperatores Græci generalem Catapanum mittebant, & ideo *Catipanata* dicebatur. Hodie in utriſque Siciliæ Regnis, ac in Melita hoc Catapani nomen perdurat; ſed officium inferioris æſtimationis evaſit, nam præeſt pretiis rerum comeſtibilium, ponderibus, taxis, & ſimilibus. Ab hoc etiam nomine *Catipanus* credunt aliqui *Catanei* dignitatem provenire, de quo titulo ſæpe in Jo: Villano, Bernardino Corio, aliiſque illorum ſæculorum Scriptoribus fit mentio: ſed Sebaſtianus Covarrujas in Theatro linguæ caſtellanæ a dictione græca K π.. μω, provenire aſſerit, quæ large diſpenſare ſignificat. Titulus hic a Federico OEnobarbo Imp. nimis in Ita-

lia ampliatus eſt,ut gentes iſtius nationis, ad ſui favorem traheret,quos *Gebellinos* appellabat. FR. Quibus, ut Jo: Villanus refert,ſignum Aquilæ Imperialis pro ſtemmate conceſſit, ac deinde multi in Cataneos ab Henrico Imperatore,Comitiſſa Matilde,& ab Ulſone horum avunculo inſigniti ſunt, de quibus Girardaccius in Hiſt. Bonon. p. 1. l. 4. ad an. 1196. *Guelphis* vero,qui Eccleſiæ partes ſavebant,ait idem Villanus, quod Papa ejus inſignia etiam conceſſerat. Igitur de Capitaneorum titulo fit prima mentio in nono ſæculo,in ſede,nempe,vacante Stephani Papę IX.hi enim rebelles extiterant,& contra Sacri Cardinalium Collegii votum, Epiſcopum Velitrenſem in Sedem Sancti Petri immiſere; [ Vix dum exequiæ Pontificis celebratæ &c. Romani potentiores Oppida, & Caſtella in Urbis terris poſſidentes ( capitaneos appellabant ) Pontificem ex factione ſua creare conſtituerunt. Primus autem omnium Gregorius de Tuſculano ex gente patritia Romanus, Minitium Velitrenſem Epiſcopum invitis, atque reclamantibus Cardinalibus, & Clericis, qui Romæ tunc erant, in Pontificem Romanum acclamari,& haberi obtinuit,quem Benedictum voluit appellari. Blond. decad. 2. lib. 3. & in extrav. de majoritate, & obed. c. unico. ] Atque idem Blond. decad. 2. lib. 5. [ Primarii Urbis, quos nunc Barones, tunc Capitaneos appellabant, Imperatori obſequentes, omnia conſilia Pontificis evertebant. ] Rurſus ibid. lib. 4. [ Barones Urbis nonnulli, capitaneos tunc appellabant, ſtudio partium ſe conjunxerant Senatori. ] Quos tamen Sigonius, de Regn. Italiæ, lib. 7. Cataneis ſubordinatos fuiſſe cenſet; ſed ego putarem cum Blondo Capitaneos, Cataneos, & Barones idem antiquitus ſignificaſſe ſecundum temporis, & regionis diverſitates, circa quæ ſciendum, quod Romani tempore Belliſarii, ſicut Blondus notavit, præcipue nobiles, & divites, ut liberarentur a Gothica invaſione, ab eo Duce ad Regnum Neapolitanum miſſi fuerant, ubi per longum tempus remanſerant,proinde Neapolitanum idioma apprehenderant;itaque poſt aliquod ſæculum nobilium Romanorum oriundi ad Urbem reverſi, eandem loquelam per multa ſæcula retinuere, ſicut uſque ad tempus hiſtorici Vitæ Nicolai de Laurentio, Cola de Rienzo, vulgo appellato, atque alios illius duodecimi ſæculi ſcriptores legimus Neapolitano idiomate ſcribentes. Igitur ſicut ſupra dictum eſt, eo modo, quo Regniculi nomen Catipanum in Capitanum vertere, ſic etiam Romani ex eodem Regno redeuntes uſi ſunt, & ſicut priſci Romani ab Oſcis, & Caſcis gloriabantur originem duxiſſe, qui populi erant magnæ Græciæ, ſic Romanorum progenies noviter ex eadem magna Græcia iterum proveniſſe noſcebatur; ſed quia Bario Apuliæ Civitas,Catipanatæ ſedes erat, ut ſupra viſum eſt, hinc Romani in Urbe nobiles ex ea regione iterum regreſſi, *Barones* appellabantur, ad diſtinctionem aliorum advenarum Romæ incolentium,qui non erant ex illis nobilibus a Belliſario ibi miſſis,& proceſſu temporis Romam reverſa; idem enim erat dicere Catipanus, ac ex Catipanata, & Baro ex Bario, id eſt, antiquus nobilis Romanus ex refugis ibi tempore belli gothici progenitus. :||: At Longobardi, qui ſolent abbreviare verba, illiſque ſyllabas diminuere, pro Catapano, ſeu Capitano, *Catano*, dixerunt, ut & Henricus Spelmanus aſſerit, eodem prorſus modo, quo Catalia pro Capitalia, & Catella pro Capitella dixerunt. Quare Joffredus inquit: [ In Tuſcia vero, & Lombardia appellabantur Catanei, quaſi Capitanei, de libell. par. 5. rub. de Vaſſ. ] Ejuſdem opinionis fuerunt Scipio Ammiratus in tract. de nobilit. Florent. Gauden. Merula, lib. 3. de Antiquit. Ciſalp. Caſtelvetr. in Polit. Ariſt. & alii: hi, nimirum, qui, ut ſupra diximus, factionis Gibellinæ erant, & ab Imperatore in feudum Caſtella, ac Terras habebant; & ideo prædictis ſpecioſis titulis decorabantur: Guelfi vero, qui Romanæ Eccleſiæ erant fautores, titulos *Baroncelli*, & *Domicelli* aſſumebant,quamvis proceſſu temporis Catanei titulus etiam inter Eccleſiaſticos exerceretur.[Præcipue hoc nobilitati tuæ debemus,qui & noſter es Parrochianus, & Eccleſiæ noſtræ cataneus, in epiſt. Ivonis ad comitem, apud eumdem Spelman. epiſt. 129. ] Aliqui cenſuerunt Comitem eſſe eumdem, ac Cataneum. Vide Cottam in ſuo Memorial. Juriſ- in dict. *Comes*.Vide etiam hic in eadem dictione, & dict. *Gravio*. De hac materia conſule Camillum Peregrinum de Principibus Longobard. parte prima, pag. 18. & ſeqq. & pag. 36. Itaque hodie in locis Siciliæ Catapanus idem eſt, ac apud recentiores Romanos Extraordinarius, quem Latini Peræquatorem appellabant. Vide *Peræquator*.

Catomidio, verbum, appendere deorſum caput ſignificat. Vide *Catomis*.

Catomis, & *Catomodo*, adverbia, de quibus non raro in Martyrologio, ſignificat vertice deorſum, a voce græca Κατωμαδὸν, ſive κάτωμος, quæ proprie humeris inverſis denotat. [ Tyrannus Afræ virgini minavit dicens: catomis nudam te cædi jubebo. In vita S. Afræ. Quodam tempore venerabilem ſenem in publica facie catomis cæciderunt. Victor. de perſecut. Vandal. lib. 1. ] ideſt, in poſterioribus partibus juxta Latini Latinii ſenſum, quod per modeſtiam ait Victor *In facie publica &c.* Quadrat in hoc opinio illorum, qui huic vocabulo ſignificationem dederunt de modo pueros verberibus in ſcholis corrigendi, ſuſpendendo, ſcilicet, illos ſuper humeros alterius,nam verbum græcum κατωμίζειν, ſuper humeros ſuſtinere ſignificat, quod ex Joſepho Hebræo, lib. 5. Antiq. Judaic. cap. 10. confirmatur, ubi de Samſone loquens, quod ſuper humeros Gazæ vectes detuliſſet, hoc vocabulo Κατωμαδὸν uſus eſt. FR. circa ignominioſum genus hujus Martyrii clarius ex ipſomet Victorio, iiſdemque vocabulis, lib. 3. habetur: [ Mulieres, & præcipue nobiles contra jura naturæ nudas omnino in facie publica cruciabant. ] De hoc vocabulo

balo fuſe egit Jo. Steph. Menochius in ejus Storeis, par. 4. centur. 7. cap. 57. Errat itaque Vocabularii Eccleſiaſtici Auctor, qui hoc vocabulum virgas ferreas ſignificare ait.

Catopisci. Vide *Agnoſtici*.

Catopitæ. Vide *Agnoſtici*.

Catorthoma, κατόρθωμα. Eſt opus virtutis recte, & egregie factum, præclarum facinus, res bene geſta, perfectum officium, ut explicat Cicero, lib. 1. off. c. 2. dicens a Græcis vocari *Catorthoma: & rectum quod ſit id perfectum officium eſſe definiant*. Fit a verbo Græco κατορθόω, egregie, recte, & cum virtute aliquid facio. Et D. Ambroſius, lib. 1. off. c. 11. de recto virtutis opere ait: *Hoc eſt perfectum officium, quod κατόρθωμα dixerunt Græci*.

Cavalcata. FR. Equitatus, ſeu equitatio: [ Sicut nec illæ, quæ in Villis tuendis fierent, in guerris, ſeu etiam cavalcatis, in Extrav. comm. de decim.

Cauculus, vox quidem valde obſcura, quæ in ſenſu de la Cerdæ pædagogum denotat, ut ex ſeq. verbis colligitur. [ Nonniſi cum ſex parvulis, & uno cauculo eduxerunt nos ex Urbe. In collect. Anaſt. Biblioth. de exilio S. Martini Papæ, & Mart. per Sirmondum in 8. edit. pag. 79. ] Sed in legibus Caroli Magni *Cauculator* circulatorem ſignificat, ubi lib. 1. cap. 64. ſic ait. [ Ideo præcipimus, ut nec cauculatores, & incantatores, &c. ] a Germanico vocabulo *Gauckuler*, quod idem ſignificat. Alii incantatorem interpretantur, qui *Coclearius*, a Germanica voce *Choler*, dicitur. Penes Græcos καυκύλος infirmitatis ſpeciem denotat, quæ ſolet pedes accipitris affligere: quare metaphorice fortaſſe Pædagogum ſignificat, qui tormentum in pedibus puerorum affert, dum eos libertate privat, ad libitum ubique ſpatiandi.

Cautio. Vide *Recautum*.

Caucus, calix, ſeu crater, græce Καῦκα, Salmaſ. in Spart. de Peſcen. c. 10. ſed barbara quidem vox, [ Erectis ſtipitibus, & æreos caucos ſuſpendi juberet. Beda, lib. 2. Hiſt. Eccleſ. c. 16. ] FR. hoc vocabulum barbarum non eſt, dum apud bonos Auctores legitur, nam de Diogene Hieronymus, inquit: [ Quodam tempore habens ad potandum caucum ligneum, vidit puerum manu concava bibere, & eliſiſſe fertur ad terram, dicens, Neſciebam, quod natura haberet poculum, lib. 11. ad Jovinian. ] Item Spartianus in Peſcennio, ait: [ Tantæ fuit ſeveritatis, ut cum milites quoſdam in cauco argenteo expeditionis tempore bibere vidiſſet, juſſerit omne argentum ſubmoveri de uſu expeditionali, addito eo, ut ligneis vaſis uterentur. ] Item apud Trebellium Pollionem in epiſt. Valeriani: [ Cauci, & ſcyphi una junguntur; ] ſed fecit inſolitus vocabuli uſus, ut paſſim variis modis corrumperetur; nam apud Spartianum, & Pollionem *Caucos* editum eſt: *Caucum* apud Hieronymum: apud Ennodium epigram. 29. de *Clauco*. At veteres libri recte ibidem, & epigram. 25. de *Cauco* habent. Alii: Eodem modo *Caucalium*, καυκάλιον in Lauſiaca Palladii habetur. [ Tenens caucalium aquæ, ] & [ Caucium apud nos, calix apud doctos. Suidas.

Caudicarius, publicus conductor, qui obligatur piſtoribus ſubminiſtrare frumentum. Codex Theodoſ. l. 1. de piſtor. & catab.

Cavea Theatri. FR. [ Caveam Theatri Senatum conſtruere molientem, ab hac diſpenſatione, & cupiditate compeſcuit. D. Auguſt. lib. 1. de Civit. Dei, cap. 31. ] ubi S. Doctor loquitur de Scipione Naſica. Locus vero Theatri, quia velis coopertus erat, ita ut cavea videretur eſſe, apud profanos Scriptores denotat locum ibi populo aſſignatum.

Cavena, cellarium, in aliquibus religioſorum communitatibus *Canava* dicitur. [ Quæ cellario, ſive cavenæ. In Regul. S. Cæſariæ Virg. ] Aliquando pro cella vinaria accipitur. Et *Cavenaria*, Cellaria dicta fuit. [ Accipiant, & cavenariæ tradant. In eiſdem Regul. ] Vide *Armarius*, *Canava*, *Cellarius*.

Cavillo, apud Tertullianum hoc verbum caveo, & cautum ſe reddere ſignificat. [ Omnibus modis cavillandum, ne quid adverſus Deum committatur, de corona milit. cap. 11.

Cauma, græce καῦμα, Arabice *Ghomme*, latine calor, ſeu ardor. Aldhelmus, cap. 2. Blond. decad. 2. libr. 2.

Caupona, ideſt, Taberna. Vide *Albergaria*, *Pandocheum*. FR. item *Caupona* pro Rhetore uſurpatur. [ Athenis enim expertus linguatam Civitatem, cum omnes illic ſapientiæ, atque facundiæ cauponas deguſtaſſet. Tertullian. libr. de Anima, cap. 3. Vide *Pandoxo*.

* Caupona. Cauponas Clericis ingredi præter neceſſitatem haud permiſſum Concil. Laodic. c. 24.

Caursinus. FR. mercator uſurarius: ſic enim Itali in Anglia appellati fuere. [ Invaluit his diebus adeo caurſinorum peſtis abominanda. Matth. Pariſ.

Causas Præstare, rationem reddere; phraſis adhibita in Concil. Illiberit. cap. 1. n. 53. & in decretis Julii I. dicitur *Cauſas dare*.

Causator. FR. Cauſidicus, ſeu Actor. l. ſimiliter, de debitis, & cauſimoniis, l. ſi qualiſcunque. qualiter quis ſe defendere debeat.

Causon, & *Cauſos*, græce καῦσος, febris, & ardor, quare perperam in Antiocho, hom. 16. Clauſonem aliqui legunt, cum *Cauſonem* legere deberent. [ Temeraria illa, & impudens loquendi libertas videri poſſit ſimilis cauſoni magno.

Causticus, græce καυστικὸς, adjectivum, ideſt, res quæ habet comburendi virtutem. [ Graviora vulnera cauſtico medicamento, vel admoto igne curantur. S. Ambroſ. in Pſal. 38.

Cauterizo, græce καυτηριάζω; comburo. [ Quodam ferro parvo, & calido cauterizant ſe. In vita Beati Oderici.

Cauterium. FR. ita dictum, quaſi [ Caute urens, ut vis morbi ardenter ſiccetur: Jo: Andreas in Gloſſa, cap. ea quæ, de ſtatu Monach. ] Sed potius dicendum

a *Cauterizo*, ideſt, comburo; nam igne hoc ſtigma formatur.

Cecropia. FR. Græca eloquentia a quodam Athenarum viro *Cecrope* appellato. [ Sola deerat interprepretandi bilinguis peritia, & facundiſſima virgo Cecropia, quæ ſecundum ſuæ mentis acumen, Varrone cœlibatum ſuum auferente, Latinis tradiderunt: Jo. Diacon. in vita S. Greg. lib. 2. cap 14.

Cedrorum Libani Descriptio. Vide *Transfiguratio Domini*.

Cedula Citationis. Vide *Indiculus*.

* Ceimeliarchæ. Iidem ac Chartophylaces & Cuſtodes archiviorum.

Ceimeliarchium. Sacrorum vaſorum Eccleſiæ receptaculum.

Celeusma, & *Celeuma*. Vide *Alleluja*; *Scenopeja*.

Cella, hoc vocabulum nonnumquam pro toto monaſterii ambitu ſumitur. [ Qui eſſent brevi ex eadem cella morituri. S. Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 26. ] & clarius idem, lib. 2. ibid. [ Honorato etiam, qui nunc adhuc cellæ ejus, in qua prius converſus fuerat, præeſt.

Cellerarius, inter monachos officialis in diſpenſa, & officium *Cellarium* dicitur. Item qui inter eos pro victu invigilare tenetur. [ Exclamat hoc viſo cellerarius, ſtupore perculſus. Greg. Turon. lib. 9. cap. 34.] FR. [ Miſſis litteris per ibidem Sancti Bernardi cellerarium, ſicut ipſe nobis retulit, ſolemnem provincialibus pœnitentiam injunxit. Cæſarius, lib. 7. c. 3.] Aliquando Monaſterii Procuratorem denotat. De præbendis, & dignit. c. 25. :||: Ab aliis *Cellarius* dicitur. Vide *Paracellarius*. *Subpulmentarius*. Item *Cellarium*, cuſtodiam, & carcerem ſignificat, qui in Laterano reperiebatur, cujus cuſtos *Cellarius* dicebatur. [ Eum in teterrima cuſtodia incluſit, quæ vocatur ferrata, in cellario majore Patriarchii. Anaſtaſ. Biblioth. in Steph. III.] FR. Sed ex verbis Anaſtaſii colligitur cuſtodiam ferratam appellatam, fuiſſe poſitam, ſeu contiguam ad majorem cellarium, ſeu diſpenſam Lateranenſis Palatii, de qua diſpenſa dicetur in dict. *Lardarium*. Cæterum. Vide *Armarius*. *Cavena*. *Canava*. *Lardarium*.

Celliota, intimus in Aula Imperiali Conſtantinopolitam cubicularius, quem Græci Κελλιώτης, vocant.] Hoc quoque mos tenet, ut celliotæ Imperatoris ad ſepulchrum ejus, uſque ad prima ſacra funeralia, ſive juſta perſeverent. Phranz. in Chron. lib. 2. cap. 1. Hi Cubicularii ædium claves habitationum Deſpotarum Imperatoris filiorum conſervabant, ut ex improviſo ingredi, inſpicere, ac referre potuiſſent, an aliquid in perſonam patris illi machinarentur, ſeu conjurarent. FR. Hinc ſpeculatores Scameræ dicti ſunt. Vide *Scamera* :||: Item *Celliota*, Monachus cellæ incola aliquando intelligitur.

Cellulanus, contubernalis; dicitur etiam *Syncellita*, *Syncellus*, *Proſyncellus*, & contubernium *Syncellitas*. Vide ſuis locis. Item *Concellaneus*. Vide ſuo loco. FR. Cellulanos penes ſe retinere, a Pontifice aut Romana Synodo Epiſcopis, & ab iſtis eorum Presbyteris, Diaconiſque ordinatum fuiſſe, Sirmondus in eo capite Ennodii notavit, cui titulus eſt, [ Præceptum quando juſſi ſunt omnes Epiſcopi cellulanos habere. ] Ex quo colligitur hujus ordinationis motivum fuiſſe, ut ſcilicet a calumniis Eccleſiaſtici redderentur immunes, quibus calumniis idem Symmachus Papa, tunc non modice laceratus fuerat, ut apud eumdem Ennodium legitur, qui hujus contubernii ordinationis rationem reddit, inquiens. [ Nemo Dei oculos, quam hominis, judicat plus timeri; errorem creditur fovere ſolitudo, & profundam nequitiam incomitatus admittere; quaſi cœlo facinora penetralibus incluſa non pateant, & vindicari malum non queat, quód homo non reſpicit, credentes, quod rem ſtudii poſſint deputare neceſſitati: & dum homo homini cuſtos eſt &c.

Celtes, ſcalpellum. [ Vel celte ſculpantur in ſilice Job. cap. 19. ] Dicitur etiam *Simlaria*, ſeu melius *Simlia*. Vide *Cupha*.

Cemelium, vel *Cimelium* a græca dictione Κειμήλιον, quæ Sacriſtiam ſignificat; inde *Cimeliarcha* Sacriſtiæ Præfectus, vel Sacrarum rerum Theſaurarius dicitur, & eſt dignitas in Metropolitana Mediolanenſi. FR. Antiqua ibi dignitas, ut in Mediolanen. hiſt. Corii legitur, qui in an. 1172. ſic ſcribit: [ Era allora Cimeliarcha del templo un certo Algiſio Pirovano ] :||: Cimeliarcha vero Neapolitanæ Eccleſiæ in celebrationibus divinorum officiorum, & in Proceſſionibus fert baculum. Sacr. Cong. Rit. 19. Januarii 1619. FR. Accipitur etiam pro Oeconomo. [ Nec viros Reverendiſſimos Oeconomos, vel Cimeliarchas S. Eccleſiæ, in qua pecuniæ deponuntur. Cod. de bonis, aut jud. l. cum apud, §. fin. autem. ] Et paulo poſt. [ Præſentibus non tantum tabulariis: ſed Reverendiſſimo Cimeliarcha, apud quem ſuperfluæ pecuniæ deponendæ ſunt]:||: Cimelium proprie theſaurum ſignificat: [ Scire te volumus, quod in te omnia diſtricte quæſituri ſumus, ſi non ea, quæ propriæ Eccleſiæ, vel quæ diverſis Eccleſiis cimelia ſunt collecta, ſub omni nunc ſollicitudine, & fide ſerventur. D. Gregor, in Regiſt. lib. 1. Epiſt. 10.] FR. Textus autem hic in Decretalibus Gregorio III. attribuitur, atque diverſimode affertur in cap. 3. de offic. Archid. nempe: [ Scire vero te volumus, quod a te diſtricte quæſituri ſumus, quia vel propriæ Eccleſiæ, vel ea, quæ de diverſis Eccleſiis Ciminilia ſunt collecta, non ſub omni ſolicitudine, & fide ſervantur. ] Ubi Gloſs. per *Ciminilia* vaſa Eccleſiæ intelligit. Simile verbum in 5. decretal. tit. 40. cap. 20. §. verum, habetur; [ Necnon, quæ in ciminili ponuntur. ] & in ſignificatione theſauri, Cyril. Alex. homil. Epheſi in Neſtorium habita in Concil. Epheſ. II. act. 1. inquit. [ Salve a nobis Deipara Maria venerandus totius Orbis theſaurus] in græco textu Κειμήλιον habetur. Sic etiam S. Proclus orat. 1. de Laudib.

Laudib. V. Mariæ, & S. Ignatius Mart. in epiſt. ad Hieronem, ubi Interpres vertit: [ Virgines ſerva, ut ſacer Chriſti theſauras. ] Tandem cimelia pro ſacris vaſis, Cyril. Alexandr. in epiſt. ad Domnum Balſamon. in Melet. de off. Chartophylacis, tom. 1. juris græc. Rom. lib. 7. & Juſtinian. in Novell. 74. inquit: [ Reponat chartam venerabilis illius Eccleſiæ Defenſor in ejuſdem Sanctiſſimæ Eccleſiæ Archivis & ubi Cimelia ſervantur.] ☞: [Quod donatum erat Eccleſiæ, in cimeliis Eccleſiæ non repoſuit. Conc. Chalcedon.] quare corrigendus eſt Anaſtaſii Bibliot. textus in Severino, ubi ait. [ Veſtiarium Eccleſiæ, ſive cymbilia Epiſcopii ] lege *Cimelia*. Item apud præfatum Gregorium reperitur *Cimiliarchium* pro repoſitorio ſuppellectilium Eccleſiæ, [ Res autem, quæ apud eum inventæ ſunt, in cimiliarchio Eccleſiæ tuæ ſervari modis omnibus ſtudebis.

CENICUS. FR. in lege ſalica tit. 32. lutoſum, ut Bigonius in notis ibi; at in Gloſsario monoculum ſignificare aſtruitur.

CENODOXIA, græce κενοδοξία, vanagloria. Caſſianus, & SS. PP. ubi de monachorum vitiis agunt.

CENUNES. Ordo quidam apud Montaniſtas *Hieronym.* Ep. 54. ad Marcell. adv. Montaniſtas.

CENSEO, pro ſtabilio. [ Atque omnia illic, quæ pro animarum ſalute ſcripſimus, cenſeantur. D. Greg. in Regiſt. lib. 6. cap. 112. ] FR. hoc verbum nonnumquam pro *Jubeo*, & *ſententiative profero* uſurpatur. Gloſſa in Clement. de conceſs. præbendæ, cap. unic. §. cenſemus.

CENSURA ECCLESIASTICA. Vide *Clauſura. Preſſura*.

CENSUS, retributio: [ Exhibere ergo aliquam ex tuis apoſtolicis cenſus Eccleſiam. Tertull. lib. 2. adverſ. Marc. ] Elegantius autem vim hujus ſignificatus manifeſtat idem alibi inquiens. [ Quis alius Dei cenſus, quam æternitas? Contr. Hermog. c. 4.

CENSUS IGNORANTIÆ. FR. cujus cauſa impoſitionis neſcitur. [ Cenſus ignorantiæ, nec divinis, nec humanis legibus, invenitur. oportet, quippe, ut omnis cenſus, ad quid, & quando perſolvi debeat, præſciatur, c. pervenit, de Cenſib. & Exaction.

CENSUS DE NOVO IMPOSITUS. FN. Quatenus tributum, & recognitionem ſignificat. Gloſs. tamen in c. ſignificavit nobis, De Cenſibus, diverſimode exponit, nempe, Cenſus novos appellari, vel quia non fuerat ab initio in fundatione Eccleſiæ ille impoſitus vel ejus recognitio per longum tempus neglecta fuerat, vel tandem novus dicitur, ex eo quia poſt Concil. Lateranenſe impoſitus erat. De variis Cenſuum exactionibus. Vide *Albergaria. Collecta. Fodrum. Regium.* Cenſus pro emphyteuſi. Vide *Accenſator*.

CENTENA. FR. Populus Oppidi, ſeu Villæ, vel Villa ipſa, l. ſi quis cum altero, de tectibus.

CENTENARIUS, & *Centenario*, *onis*, qui in centena, nempe, Oppido, aut Pago præeſt. [ Centenarii, qui & Centenariones, vel Vicarii, qui per pagos ſtatuti ſunt, Presbyteri plebium, qui baptiſmales Eccleſias tenent, & minoribus Presbyteris præſunt. Valaf. de reb. Eccleſ. c. 41. ] Eodem modo vocantur Judices, Advocati, & Vicedomini Oppidorum, & de Advocatis, & Vicedominis, a *Centena* ſupra notata. Vide *Judices*.

CENTILIUS. FR. pro Gentili, ſed perperam: Vide *Primicerius*.

CENTOMIUM. Vide *Embrimium*.

CENTURIO. Vide *Diſcipulatus. Hecantotarchus*. Centurionum inſigne vitis erat. Vide *Vitem dare*.

CEPHAL, caput, ex græca dict. κεφαλή. Aldhelm. de Virg.

Sed contrita rotis extollit vipera cephal,
Et rurſus ructat tetrum de fauce venenum.

FR. ideo Apoſtolorum Princeps a Chriſto Domino *Cephas* vocatus fuit, quia totius Eccleſiæ caput ab eodem conſtitutus fuerat. Extrav. de pœnit. & remiſs. cap. 1. ubi de hoc Primatu Petri agit. Sed veram etymologiam. Vide in dict. *Cephas*.

CEPHALAGIA, capitis morbus: [ Etenim cum arcem corporis, id eſt, caput vis noxii humoris obſederit, cephalagiæ procreat paſſionem. Caſſiod. collat. 14. cap. 15.

CEPHAS. FR. nomen a Chriſto Domino Simoni Petro impoſitum; Jo. c. 1. a Chaldaico vocabulo *Kipha*, quod *petram* ſignificat, unde *Petrus*. In alia ſignificatione. Vide *Cephal. Trinomius*.

CERAGIUM, ceræ proviſio pro Eccleſiæ ſervitio: [ Si Eccleſia petat ceragium. Matth. Pariſ. in additam. ] Significare poteſt collectam, ſeu tributum in ceras Eccleſiæ deſtinatum. FR. legitur etiam *Ceraſium*, nempe ſolutio pro cereo ſigillo, & qui hanc curam habebant *Ceraſii* dicebantur. Item ſolutio pro cera, & quarta funeralium. In Novell. 59. cap. 2.

CERATAULA, Buccinator, Cornicen, ex græca voce κεραταύλης. [ Centum ſalpictas uno crepitu concinentes, & centum cerataulas. Salmaſius in Vopiſc. de Carin. cap. 19.

CERAUNOBOLA, Legionis Chriſtianæ ſub Marco Aurelio militantis cognomen, id eſt, fulminatrix, quia miraculoſe ſubita tempeſtate contra barbaros victoriam a Deo obtinuit: hinc male ex Metaphraſte Surius in vita S. Polieucti *Caraunobolos*, ſcripſit; nam vocabulum hoc a dictionibus græcis κεραυνὸν, & βάλλων, (id eſt, fulmen torquens) etymon trahit.

CERCITA, excubiorum nocturna luſtratio, italice *Ronda*, ſeu *Batuglia*, a græca dictione κέρκιτα, unde formatur italicum verbum *Cercare*, ideſt, inquirere. Gloſs. Iſidor. FR. Verbum Italicum *Cercare* a latino *Circuire* potius provenire videtur, ac proprie inquirere ſignificat. Vide *Regia*.

CERDONIANI. FR. hæretici, a quodam eorum Magiſtro Cerdone apdellato: qui duo contraria principia aſſerebant, 24. qu. 3. can. 39. cum quibus in hoc conveniebant Marcioniſtæ. Vide ſuo loco. Duo, nempe, prin-

principia aſſerebant, Deum juſtum legis, & Prophetarum unum; & alterum bonum, & Patrem Verbi Increati, quod humanam carnem ſuſcepiſſe negabant: imo nec mortuum, ſed pati, & mori ſimulaſſe. Hanc ultimam partem in ſuo Alcorano amplexus eſt Mahometus.

Cerealis, Curſor, & Nuntius. [ Idcirco ne Cereales, & Anabaſii tui per diverſas Provincias concurrerunt? D. Hieron. lib. 3. contra Ruff. ] Ubi dictio *Anabaſius* etiam curſorem ſignificat a græco verbo ἀναβαίνω, quod aſcendere ſignificat; nam curſor equum aſcendere ſolet: ſignificat hæc vox etiam publicum miniſtrum frumentarium a Cerere, quæ pro grano frumenti capitur. FR. *Cerealis*, item Cerviſiam, genus potus denotat, quæ cerealis, ſeu frumentalis eſt. [ Cerealem amphoræ potum infundebat. In vita S. Bracharii Abb. ] In prima ſignificatione. Vide *Curſor*.

Cereolus, parvus cereus. [ At ego in vita B. Antiſtitis confiſus, unum ex cereolis tranſmitto per puerum, dicens: Accendite illum coram eo, & in contemplatione luminis orationem fundat ad Dominum. Greg. Turon. de Mirac. S. Martini, cap. 2. lib. 2.

Cereus Paschalis, qui antiquitus in nocte Sabbati Sancti benedicebatur, cujus benedictionis Auctorem fuiſſe D. Ambroſium, Gem. lib. 3. cap. 102. & Durand. lib. 6. cap. 80. exiſtimant, quæ incipit *Exultet jam &c.* ſed hoc præconium, dempto principio, multum ab Ambroſiano differt. Ac in Miſſali gothico vetuſtiſſimo in VI. tomo Bibliothecæ Patrum impreſſo habentur hæc verba: [ Benedictio cerei B. Auguſtini Epiſcopi, quam adhuc Diaconus cum eſſet, edidit, & cecinit. ] FR. Hæc benedictio cerei a quolibet Diacono varie componebatur: Ennodius enim Ticinenſis Epiſcopus duo præconia in ſuo opere ab eo compoſita in ſuo Diaconatu habuit. : || : Imo Prudentius Ambroſii ſynchronus in ejus opere hymnum pro hoc præconio compoſuerat. Amalar. vero, lib. 1. cap. 18. & Valaf. de reb. Eccl. benedictionem hanc cerei a Zoſimo Papa inſtitutam fuiſſe putant; alii vero faciunt Auctorem Theodorum I. At hic in pontificatu anno 641. aſſumptus fuerat, & conſequenter hi duo Pontifices poſteriores ætate Ambroſii, ac Prudentii fuerant. Conſtat enim ex Baronio D. Ambroſium anno 397. obiiſſe; Zoſimum vero regnare cœpiſſe anno 417. Quare idem Baronius putat Zoſimum potius hanc cæremoniam ampliaſſe; ubi enim prius in Baſilicis majoribus tantum celebrabatur, Papa hic & reliquas Eccleſias hujuſmodi functionem agere indulſit; nam in libro Geſtorum Pontificum de eo narratur: [ Et per Parochias conceſſit licentiam benedicendi cereum paſchalem. Apud eundem Baronium, an. 418. n. 76. ] Nonnulli aſſerunt Diaconum non vere cereum benedicere, & ideo hæc oratio *Præconium* dicitur; nihilominus contrariam ſententiam ſequimur, tum ex illis verbis *Vere dignum & juſtum eſt &c.* tum etiam ex titulo præfati Miſſalis, nempe, *Conſecratio cerei*. Et hanc opinionem amplectitur Jo. Beleth. cap. 106. de div. off. ubi inquit: [ Cereum a Diacono benedici, & conſecrari oportet, non autem a Sacerdote, vel Epiſcopo, etiam ſi ſint præſentes, quantumvis minoris ſit ordinis, & dignitatis. ] Et Gulielmus Durandus in ſuo Ration. lib. 6. cap. 80. inquit: [ Benedicitur quidem etiam præſente Epiſcopo, vel Sacerdote, a Diacono, qui eſt minoris ordinis. ] S. Gregorius Papa de hoc ritu mentionem facit, inquiens: [ Et preces, quæ ſuper cereum in Civitate Ravennati dici ſolent, lib. 9. Regiſt. epiſt. 19. ] Nec talis ritus in Diaconis inſolitus eſt; legimus enim in ordine Rom. quod Archidiaconus benedicebat cereos Agnos Dei, eoſque populo diſtribuebat, ac idem referunt Alcuinus, & Amalarius, quinimo Beleth. citatus de Diacono ait in die S. Stephani; [ Nocturnos, & univerſum officium craſtinum celebrabunt Diaconi, quod Stephanus fuerat Diaconus, & ad lectiones concedunt benedictiones, de divin. off. c. 70. ] FR. Et eo fortius aliqui probant Diaconum habere poteſtatem conſtitutive benedicendi, quia S. Leo Papa ait Chorepiſcopos, ideſt, Archipresbyteros poſſe minores ordines tribuere. [ Leviticam autem, aut Sacerdotalem benedictionem non valent præſtare, diſt. 63. can. 4. ] Sed, ut Gloſſa ibi notat: pro *Benedictione* ordinatio intelligitur. Igitur canit hoc præconium Diaconus præſente Sacerdote; nam ad inferiorem ſpectat Reſurrectionem Dominicam annuntiare, ut Apoſtolis Mulieres Reſurectionis annunciatrices deſtinatæ fuere, quæ inferiores ſexus ſunt. Ruper. lib. 6. cap. 30.: Durand. lib. 6. cap. 80. : || : Diaconus ipſemet debet ex una trianguli candela cereum accendere, illamque ad cereum inclinans, ad denotandum Sanctiſſimæ Triadis conſenſum in Chriſti reſurrectionem, ac præcipue Verbi, qui denuo animam corpori univit. Gavant. part. 4. tit. 10. Lumen vero ſumitur ex novo igne ante fores Eccleſiæ accenſo, ac benedicto, & ex lapide excuſſo, quia veritatis lumen a Redemptore trahitur verus Eccleſiæ angularis lapis, ita Prudentius in hymn. cerei Paſch. cecinit:

Incuſſu ſilicis lumina nos tamen
Monſtras ſexigeno ſemine quærere.
Hoc ſignas opere Conditor inclyte
Lumen veridicum mentibus omnium
In Chriſto Domino quærere jugiter.
Quem petram loquitur Doctor egregius.

Antiquitus tamen ex lumine in feria V. majoris hebdomadæ conſervato accendebatur cereus, ut habetur in quodam M. S. Graduali S. Gregorii in Biblioth. Angelica de Urbe aſſervato, cum notis muſicalibus more Græcorum, ſeu potius Latinorum, ut refert in ſuo tract. de cantu Cramuel, in eo itaque M. S. hæc rubrica habetur: [ Deinde venit Archidiaconus ante Altare accipiens lumen, quod quinta feria abſcon-

conditum fuit, facienſque crucem, & illuminans eum, ac benedicens, dicente ipſo, Lumen Chriſti, reſpondent omnes, Deo gratias, ] verba autem illa, *Facienſque crucem ſuper cereum*, de Cruce granis incenſi formata intelliguntur. Accendebatur tunc cereus ſuper candelabrum lapideum in forma columnæ, ut Scriptores illius ſæculi narrant, & adhuc hujuſmodi candelabra in antiquis Galliæ Eccleſiis, ac Romæ viſuntur, ac in S. Paulo extra muros columna eſt, quæ inſerviebat pro cereo; hodie extra hujus Eccleſiæ portam ex parte tribunæ crucem ſuſtentans erecta perſpicitur, in cujus baſi hi verſus leguntur:

Arbor poma gerit, arbor ego lumina geſto,
Porto libamina, nuntio gaudia; ſed indie feſto
Surrexit Chriſtus; nam talia lumina præſto.

In S.Cęcilia tranſtiberis adhuc extat pro ſubſtentaculo cerei alia ſimilis columna; nam cereus accenſus ſignificat columnam igneam, quæ Iſraeliticum populum præcedebat, dum pari modo Catechumenis noſtris per baptiſmatis aquam ad promiſſionis terram tranſeuntibus ſymbolica hæc ignita columna modo præcedit. Durand. ubi ſupra. Magnum Conſtantinum ingentes cerei columnas, ut in paſchę nocte arderent, fabricari juſſiſſe, in ejus vita Euſebius ſcribit. Etiam antiquitus præter cereum paſchalem, deferebantur proceſſionaliter in Sabbato Sancto duo alii minores cerei, ex cereo majori accenſi ad denotandum quod Apoſtoli a Chriſto illuminati per totum mundum Evangelii claritudinem diffudiſſent. Alcuin. de divin. off. cap. de Sabbato Sancto. Non reperitur penes Scriptores tempus præfixum, uſque quo accenſus durare debeat cereus, nam ex Ord. Romano tantum colligitur, quod per octavam Paſchæ accendebatur. In Annalibus Fratrum Minorum anno 1263. decretatum fuit hanc accenſionem in Miſſis ſaltem ſolemnibus uſque ad Aſcenſionem continuari debere. Tandem Sac. Rit. Congreg. 19. Maji 1607. accendi ſtabilivit in tribus Paſchæ diebus, in Sabbato in Albis, & in omnibus Dominicis, Miſſa cantata, Veſperiſque durantibus, & ad libitum ſecundum regionum uſum, ad quem ſe remittit pro tempore horarum Canonicarum. Romæ tamen laudabiliter per totam Paſchæ octavam accenditur (cum ſit ejuſdem feſti continuatio) ac in omnibus Dominicis (quæ Reſurrectionis repetitiones ſunt) uſque ad Aſcenſionem, quod fit incipiendo a Sabbati Veſperis, & extinguitur in fine Evangelii diei Aſcenſionis, ut in fine illius Evangelii Rubrica Miſſalis admonet. In Eccleſia vero Turonenſi a Sabbato Sancto remanet continuo accenſus uſque ad ſecundas Paſchales Veſperas, & in aliis diebus Matutini, Miſſæ, & Veſperarum tantum tempore ardet; ideo ad hunc effectum ibi ingens cereus, ac durabilis formatur. Solebant item veteres Chriſtiani in appenſa ad cereum tabella annum currentem creationis Orbis, & Incarnationis notare. Duran. lib. 6. cap. 80. quæ tabella ſymbolum erat tituli Sanctiſſimæ Crucis ſuperpoſiti. In præſenti Ciſtercienſes obſervant annum Incarnationis, Epactæ, Indictioniſque in cereo pernotare. De cereo paſchali mentionem facit etiam D. Hieronym. in epiſt. 19. ad Præſidium Diaconum Placentinum, de qua tamen aliqui an ſit hujus Doctoris epiſtola dubitant. FR. Quo vero ad reliquas virtutes hujus cerei citatus Ennodius in ſuo primo Præconio hæc memoriæ reliquit. [ Et ſi quis hinc ſumpſerit, adverſus ſpiritus procellarum, tua juſſa faciens ſit illi ſingulare profugium, ſit murus ab hoſte fidelibus &c. Cum poſt concretas hyemali torpore glebas, & infrænata glacie fulmina, novellas frondium tunicas gemma conſcendit, & cum Auctore germinum Domino nobis omnia reviviſcunt &c. ] Et quoad ſymbola ibidem. [ In quo ſpecies trino compaginata conſortio, ſocietatis propemodum myſticæ glutino conjungatur. Quarum ceram paravit nectareis partubus fœta virginitas; papyrum ad alimenta ignium lympha tranſmiſit; lumen adhibetur e Cælo. ] : || ? Cæterum ſedente Leone Papa X. anno 1519. diſputatum fuerat, quomodo deberetur cani ſolita Imperatoris acclamatio in dicto præconio annotata, cum Cæſar vita functus erat: aliqui relinquendam exiſtimaverunt; ſed poſt maturam diſcuſſionem refert Paris de Graſſis Cæremoniarum Director, hoc conſilium præbuiſſe, ut, nempe, mutarentur illa verba, ſic: [ Reſpice etiam ad Romanum Imperium, cujus tu Deus fidelium vota prænoſcens &c. ] quæ opinio a præfato Pontifice approbata fuerat. Ac in ſimili caſu de anno 1658. cum incidiſſemus, dubitantibus de omiſſione hujus orationis Cæremoniarum Magiſtris, reſolutionem prædictam præbui, quam ex M. SS. Angeli Rocca in Bibliotheca Angelica aſſervatis deſumpſeram, & ab Alexandro VII. tunc regnante, approbata, & a Sac. Rit. Congregatione obſervari mandatum fuit, nec non pro die feriæ VI. in Paraſceve dicendum eſſe *Oremus & pro Romano Imperio, ut tu Deus &c.* Vide *Candela.*

CERINTIANI, & *Chiliaſtæ*. FR. Hæretici Cerinthi ſequaces: qui inter alios errores, Circumciſionem obſervabant: & quod mille annis poſt reſurrectionem carnalitatibus frui ſperabant; ideo Χιλιάςαι, ideſt, *Millenarii* appellati ſunt. 24. quæſt. 3. Can. 39.

CEROFERALIUM, candelabrum cum lumine accenſo. [ Illis vero ceroferalia deportantibus, atque coruſco lumine diem augentibus. In Actis S. Sebaſtiani Mart. ] Vide *Coroſtata*. *Ceroferarius*.

CEROFERARIUS, unus ex minoribus ordinibus Eccleſiaſticis, idem ac Acolythus, de quo vide ſupra in dict. *Acoluthus*. [ Cum enim ab ipſo rerum noſtrarum initio ordinem fuiſſe conſtet in Eccleſia Ceroferariorum Clericorum, qui & Acolythi dicebantur. Baron. tom. 1. Annal. ] Alii tamen putant hanc vocem *Ceroferarius* non ſignificare Acolythum, ſed candelabrum, ex Hincmari verbis, qui in vita S. Remigii hæc habet. [ Accenſiſque ſuper cruces cereis, atque ſu-

ſuper ceroferariis &c.] Et clarius Flodoardus eandem proceſſionem deſcribens, inquit: ] Accenſiſque ſuper cruces cereis, atque ceroferariis, dant vocem in canticis, lib. 1. Hiſtor. Remenſ. cap. 19.] In Eccleſia Ambroſiana Ceroferarii, ideſt, Acolythi non reperiuntur. Vide *Candela*.

Ceroma, imago in cera impreſſa: ſic appellata fuerat SS. Coſmæ & Damiani cerea, ac denſa imago, quam infra brachium ſubſutam ferebat Conſtantinus. Laodicen. ſexta Synod. act. 4.

Cerostata, candelabrum, a dictione græca κηροςάτη [ Super ceroſtata pharum unam Anaſt. Biblioth. Beliſarius B. Petro ceroſtatas argenteas deauratas majores duas. Idem in Vigilio Papa. ] FR. figura antiquarum Ceroſtatarum demonſtratur a Pancirolo in tractatu de imperiali dignitate, ubi de ſignis Præfecti agit. Ordo tamen Rom. *Ceroſtatum* vocat.

Cervisia. Vide *Braſium*. *Braxo*. *Cerealis*. *Curmi*. *Cyceon*.

Cerussa. Vide *Pſymmithium*.

Cervula, & *Cervulus*, genus ludi. [ Si adhuc agnoſcitis aliquos illam ſordidiſſimam turpitudinem de hinnula, vel cervula exercere, ita duriſſime caſtigate, ut eos pœniteat rem ſacrilegam commiſiſſe. D. Aug. ſerm. 215. de tempore.] A Gentilibus hujuſmodi ludi in Kalendis Januar. exercebantur, larvales animalium facies geſtantibus, quæ inobſervantia adhuc per totam Europam in bacchanalibus transfuſa toleratur. *Cervulam* fortaſſe antiqui appellabant ex cervæ perſonatu. [ Non enim caperis ludicris, ac ludibriis dæmonum non attendis, aut inhias ſpectandis cervulis. S. Nilus Abb. ep. 81. ad Gaudent. Silentiarium. ] Qui ludi in Concil. Antiſidor. can. 1. prohibiti fuere hoc decreto. [ Non licet Kalendis Januarii vetula, aut cervulo facere. ] Ubi Sirmondus *Vitula* pro *Vetula* correxit: ſed prima lectio retinenda, verbum enim *Facere* repræſentare, non autem ſacrificare ſignificat. Quod confirmatur ex Fauſtini Epiſcopi verbis apud Bollandum, tom. 1. in Act. Sanctorum, ubi in ſerm. 3. ejuſdem Fauſtini talia leguntur: [ Quis enim ſapiens credere poterit, inveniri aliquos ſanæ mentis, qui cervulum *facientes* in ferarum ſe velint habitus commutari? ] Et clarius in Codice Andegavenſi, pœnitentiam hujuſmodi transgreſſoribus præſcribente, ſic habetur: [Si quis in Kalendis Januariis in cervulo, & in *Vetula vadet*, tribus annis pœniteat, quia hoc dæmoniacum eſt. ] Quantum autem contra tales transgreſſiones ſe oppoſuerint antiqui fideles Chriſtiani. Vide *Bacchanalia*. *Charivarium*. *Circumciſio Domini*. *Maſca*. *Theatripars*. *Talamaſca*. *Torneatrix*. FR. Quod hic abuſus a Gentilibus proveniſſet, ex Dionyſio Halicarnaſſeo colligitur, qui lib. 7. Hiſt. Rom. ſic ait. [ Apparatus autem erant illis quidem, qui Silenos repræſentabant, tunicæ villoſæ, quas nonnulli χορταῖος vocant, & amicula ex variis floribus contexta; illis vero, qui ſatyros repræſentabant, erant ſubligacula, & hircinæ pelles, & ſetæ in capite horrentes, & erectæ, aliaque his ſimilia. Hi ſerias ſaltationes ridicule ſuis geſtibus imitabantur, eas per ludibrium depravantes, ut ſpectatoribus riſum moverent. Ex triumphis autem, qui aguntur, ſatis liquet hos luſus cavillatorios, & ſatyricos apud Romanos jam inde a priſcis ſæculis repertos fuiſſe &c. ] De Cervulæ ludo. Vide Epiſt. Bonif. ad Zachariam Papam in dict. *Suffocatus*.

Cervus. Vbie *Pygargus*.

Cespataticum. FR. Contributio, & exactio pro reficiendis viis publicis, ita in quodam Caroli M. privilegio, Monaſterio S. Germani conceſſo, [ Teloneus non exigatur, nec de navale, nec de cerale, neque de ſaumis, neque de traſvectione, nec rotatico, nec pontatico, nec pulveratico, nec ſalutatico, nec ceſpitatico. Aimon. lib. 1. c. 1. ] Fortaſſe *Ceſpitaticum* dicitur, quia ceſpides de viis extirpabant, Alii tamen legunt *Ceſpitaceum*, & *Ceſpiticum*. Vide etiam *Ceſpaticum*, & an ſit idem cum pulveratico. Vide *Pulveraticum*.

Cessionis Bonorum antiquæ ceremoniæ. Vide *Chrenecruda*.

Cesso. Vide *Concoſſo*.

Chalcedonensis Synodus falſificata. Vide *Falſor*.

Chalcenterus, χαλκέντερος, cognomen Didymo Alexandrino Grammatico a D. Hieronymo in Ruffinum tributum. ] Marcum Varonem miratur antiquitas, quod apud Latinos tam innumerabiles libros ſcripſerit; Græci Chalcenterum miris efferunt laudibus, quod tantos libros compoſuerit, quantos quivis noſtrum alienos ſua manu deſcribere non poſſit. ] Derivatur hoc vocabulum a voce græca χαλκὸς, ideſt, chalcum, & æs; unde dicimus aurichalcum metallum ex auro & chalco, nempe ære mixtum; ἔντερα, latine interiora dicimus, fortaſſe ita appellabatur Grammaticus ille, quia cum eſſet exteriori viſione orbatus, ac tenebroſus, interne tamen erat, quaſi luminoſum, & durum metallum. FR. Didymus hic a pueritia cæcus, & in ſenectute dupliciter lumine privatus; in Origenis errores præcipitatus eſt, quo tempore D. Hieronymi Magiſter extitit, qui cum fuiſſet ob id calumniatus, epiſt. 65. ad Pammach. & Oceanum ſic ſe defendit; [ Certe Apollinarii, & Didymi inter ſe dogma contrarium eſt; rapiat me ergo utraque turma diverſum altrinſecus, quia Magiſtrum utrumque confiteor. Si expedit odiſſe homines, & gentem aliquam deteſtari; miro odio averſor circumciſos; uſque hodie enim perſequuntur Dominum noſtrum Jeſum in Synagogis Satanæ. Objiciat mihi quiſpiam, cur hominem Judæum habuerim præceptorem. Et audet quidam proferre litteras meas ad Didymum, quaſi ad magiſtrum. Grande crimen diſcipuli, ſi hominem eruditum, & ſenem magiſtrum dixerim; & tamen volo inſpicere ipſam epiſtolam, quæ tanto tempore in calumniam reſervata eſt &c. ] De eodem facit mentionem idem Hieronymus ad procem. in Epiſt. ad Galat. in præfat. in Didym. lib. de ſpe, in

in Cantica, c. 4. De Scriptor. Eccleſiaſt. & alibi.

Chalcidicus, opus ex ære, ſeu aurichalco, græce χαλκίδικος, [ Quam tribus chalcidicis in poſtico, ſcilicet, & a lateribus auxit. Anaſtaſ. Biblioth. in Leone III. ] An de columnis metallicis agat dubitatur.

Chalcus, moneta. Vide *Talentum*.

Chamaleontis natura. Vide *Folleo*.

Chamaunia, & *Chameunia*, χαμεύνια, ab adverbio χαμαὶ, *humi*, ἐν εὐνῇ, *cubile*, humi dormitiones ſignificat [ Chameuniis, quoque, & contritione corporis nunquam laſſus eſt. In vita S. Mariæ neptis Abrahæ, c. 18. ] Ac de eadem pœnitentia Hieronym. in cap. 41. Ezech. inquit. [ Puto perſpicuum eſſe lectori ſemper anguſtiora eſſe, quæ deorſum ſunt in jejuniis, chameuniis, & victus continentia. ] FR. Et clarius alibi idem inquiens: [ Omnes pene virtutes corporis mutantur in ſenibus, & creſcente ſola ſapientia, decreſcunt cætera, jejunia, vigiliæ, chameuniæ, ideſt, ſuper pavimentum dormitiones &c. Epiſtol. 2. ad Nepotianum.

Chaos. Vide *Infernus*.

* Character. *Character Dominicus* nomen Baptiſmi, Auguſtino dictus *indelebilis*. Character vero indelebilis Sacerdotii id potiſſimum denotat, quod Sacerdos ordinatus, etiamſi ob crimen aliquod ab Eccleſia rejectus, peracta pœnitentia, nulla nova ordinatione egeat, cum in omni ſtatu, valide, ſed non licite Sacerdos ſit.

Characteres in aliqua imagine poſiti. Vide *Supericonica*.

Charadrius. Vide *Aurugo*.

Charagma, Imago; græce enim χάραγμα, cælaturam, & ſculpturam ſignificat. [ Quia ſicut nummus habet charagma Cæſaris, ſic homo habet charagma Dei, Chryſoſtomus hom. 38. in c. 20. Matth.

Charitates, Vide *Agapa*.

Charivarium, græcum vocabulum καρηβαρεία, mentis obtuſionem, & vertiginem ex tumultu, ac ſtrepitu cauſatam ſignificans. Hinc in Gallia, aliiſque regionibus, quando vidua aliqua ad ſecundas nuptias tranſit, ſolet plebs ſtrepitum ad domum illius agere, & ut deſiſtant, ad aliquam compoſitionem ſolvendam coguntur nupti, vulgariter *Charivari* ſtrepitum, & clamorem hunc vocant: [ Inſultationes, clamores, ſonos, & alios tumultus in ſecundis & tertiis quorumdam nuptiis, quos charivarium vulgo appellant, propter multa, & gravia incommoda fieri omnino prohibemus ſub pœna excommunicationis. In Concil. Turon. de anno 1445. ſub Nicolao V. celebrato. ] FR. Cum anno 1644. in Terra Arcis Prioræ prope Tuſculanum fuiſſem, hunc abuſum per triduum audivi in nuptiis cujuſdam viduæ, cujus maritus, cum alienigena eſſet, ac ignorans hunc terrigenarum morem, prima nocte, ut audiverat & clamorem vulgi, & tympanorum, ac buccinarum ſtrepitum, maneque inventa ad portam cornua appenſa, de ejus uxore, quod publica meretrix eſſet, dubitans, voluit illam occidere, quæ coacta fuit teſtes de hac conſuetudine rogare, de qua re fidem Parochi illius loci etiam adhibuit: Ab hoc ſtrepitoſo *Charivario* puto Italicum nomen Bacchanalium derivari, quod *Carnevale* dicitur: quamvis alii *Carnevale* dicant, quia tunc carnis valor ultra conſuetum excedit.

Charta, aliquando hoc vocabulum laminam ſignificat. [ Trullum vero ejuſdem Eccleſiæ fuſis chartis plumbeis cooperuit, atque munivit. Anaſt. in Serg. Papa. In alia ſignificatione. Vide *Papyrus*.

Chartacium. Archivium, in quo chartæ, & ſcripturæ conſervantur. In chartacium Eccleſiæ collocavit, c. 4. Synodi Rom. ſub Sixto III. in Eccleſia S. Crucis in Hieruſalem celebrata. ] *Chartarium* etiam a D. Hieronymo contra Ruff. appellatur, dum inquit; [ Cur eam in Romano Eccleſiæ chartario non requiris? ] Hujus vocabuli ſynonima. Vide *Archivum*. FR. *Chartacium* aliquando jus Cancellariis debitum pro ſolutione chartæ ſignificat.

Chartophylacium. Vide *Chartophylax*.

Chartophylax, græce χαρτοφύλαξ, chartarum, ſeu ſcripturarum cuſtos. In Conſtantinopolitana Eccleſia erat nomen dignitatis, atque decoratus hac dignitate ſigillum Patriarchæ (quod *Bullatorium* etiam dicebatur) in collo appenſum ferebat. [ Patriarchale ſigillum pendebat e pectore Chartophylacis, ut erat conſuetum, Balſam. ] Ad ipſum multa litigia ſpectabant, præcipue matrimonialia, nec Sacerdos novellos ſponſos, abſque ejus licentia, benedicere poterat. Quoad alias facultates, & præeminentias hujus dignitatis. Vide Balſamonem apud Baron. anno 591. n.31.32.& 33.& in actione 14. & 16. Sextæ Synodi apud eundem Baronium. Vide etiam Curopalatam. Locus vero, ubi reſidebat, *Chartophylacium* dicebatur, quod nos Archivum vocamus. [Quia Chartophylacium prædictæ piæ memoriæ Juſtiniani tempore, ita ſurripiente ſubito flamma incenſum eſt. D. Greg. in Regiſt. lib. 7. Ep. 26. ] In Eccleſia Romana licet hæc dignitas ſub nomine *Chartularii* reperiretur, minoris tamen æſtimationis erat. Vide Baronium loco citato. [ Veniente autem viro magnifico Domino Mauritio Chartulario. D. Greg. lib. 1. Epiſt. 3. ] Erat etiam officium ſæculare, Judicis, nempe, Delegati imperialis, necnon cuſtodis ejuſdem imperialis Archivii. [ Ergo feria ſecunda diluculo mittit chartularium ſuum, & quoſdam de obſequio ſuo. Anaſt. Collectanea per Sirmondum, in 8. edit. in exil. S. Martini Papæ. ] FR. [ Tua Excellentia poſtulavit, ut Imperatori ſcriberem, quatenus pacta in chartophylacio requireret, c. ex epiſtolæ verbis, de probationibus. ] Ubi Gloſſ. [ Cartophylacium dicitur locus, ſeu armarium, ubi chartæ, vel inſtrumenta ponuntur, & conſervantur. ] Dicebatur etiam *Chartilogium*. Vide Hieronymum Fabrum in Sac. memoriis Ravennatibus,

par.

par. 1. pag. 9. & 10. Hujus Synonyma. Vide *Archivium*, & *Archiviarius*. *Chartacium*.

Chartularium, & Chartularius. Vide *Chartophylax*. Item *Chartularius* in Capitulario ſignificat ſervum manumiſſum. [ Homo chartularius ſimiliter factus, lib. 6. c. 208.

Chartoprata. FR. ex græco nomine χαρτοπράτης, ideſt, chartæ venditor, ſicut χαρτοπρατία, officina papyracea, de quibus fit mentio in legibus civilibus.

Chartularius. Vide *Cartophylax*.

Chasdius, mappula, ſeu ſtratum, quo equus inſtratur, dorſale. [ Inſidebat equo nigro ſpectando, ephippio rubro auro texto chaſdio. In Florentina Synod. ] In textu græco habetur χασδίς. Vide *Mappula*.

Chasleu. FR. Nonus Hebræorum menſis. Vide Auctores citatos in dict. *Elul*.

Chasma, pro ſciſſura. Vide *Claſma*. *Schiſma*.

Chelandium, navis genus. [ Omnes naves dromones, videlicet, trieres, ſcaphas, chimeras, & lintres uſque ad chelandia collegit, Paul. Diac. in Juſtin. ] græce legitur χελάνδια. [ Ab antiquo enim Steno chelandia imperialia navigationi inſtructa decem erant. Conſtant de adminiſtr. Imper. cap. 15. ] FR. Melius tamen Henricus Spelman. *Chelandria* legit.

Chelandria. Vide *Chelandium*.

Chelydrus, χέλυδρος. Serpentis ſpecies. Exarſit more ſolito lividus adverſus Sanctorum famam chelydrus. In vita S. Euſtaſii Abb. ] ubi Narrator Dæmonem intelligit.

Chepur hebræorum, quid ſignificet. Vide *Pentecoſtes*.

Cheritismus, ſalutatio, a vero græco χαίρω, ſaluto; hoc nomine iidem Græci feſtum Annunciationis Beatæ Mariæ propter ſalutationem Angelicam appellant. [ Fecit veſtem de chryſoclavo habentem hiſtoriam nativitatis, & Sancti Simeonis, & in medio cheritiſmon. Anaſt. Biblioth. in Leone III. ] Erat enim in medio figura Annunciationis Gabrielis ad Virginem depicta. [ Sed potius dicitur Chæretiſmus, græce χαιρετισμός, a dicto verbo χαίρω, gaudeo, aut ſalveo, quam ſaluto.

Cherubim, nomen Angeli ex hebræo, quod ſignificat ad ſimilitudinem pueri, quia bini eorum ad formam puerorum erant effigiati ſuper Arcam Domini, ut Rabbini docent, unus, nempe, maſculina facie, alius vero fœminina: quando enim ad preces Sacerdotis pro populo orantis Deus propitius ſe præbebat, tunc hi duo cherubim ſe invicem conſpiciebant; at e contra quando ad murum vertebant facies, ſignum tunc erat, quod Deus contra ejus populum iratus fuiſſet. Vide *Propitiatorium*. FR. Cherubim ad ſimilitudinem interpretantur, quia Hebræi ajebant, quod ſicut Moyſes in monte cum Deo loquens eos vidit; ſic ad eorum ſimilitudinem deinde cælaturam poni fecit ſuper tabernaculum, Joſeph Heb. l. 3. Antiq. c. 8. Atque Hebræorum narrationem affectantes Ethnici, ſicut illi fatebantur cherubim eſſe voluptatis Paradiſi cuſtodem; ita iſti a voce *Cherub*, Cerberum in campis Elyſiis cuſtodem eſſe finxerunt. Aliam fabulam de Serapide ad inſtar Seraphicorum ſpirituum. Vide *Seraphim*. *Theraphim*. :||: Item *Cherubim* in antiquis romanis Cæremonialibus ſignificabat pretioſum ornamentum, ubi dum agitur de Pontificalibus veſtimentis, ſacriſque vaſibus Apoſtolico Sacriſtæ conſignandis, excipiuntur infra ſcripta ornamenta, quæ in conſignationem minime dabantur; nempe: [ Exceptis mitris pretioſis, & aliis quibuſdam ſolitis cuſtodiri per Cubicularios, exceptis thiara, & cherubim, quæ ſolent poni in camera theſaurariæ palatii apoſtolici ] Angelus Rocca olim Sacriſta apoſtolici palatii putat hujuſmodi cherubim fuiſſe in aliqua gemma ſculptos, qui fortaſſe in pluviali Pontificio pro pectorale inſerviebant, ex eo quia Cherubim eſt ſcientiæ ſymbolum, quæ in pectore Summi Sacerdotis reſidere debet. At ego exiſtimo hos duos aureos, ſeu alterius materiæ pretioſæ cherubim ſupra baculos in equitatione ante Pontificem delatos, nonniſi ſcientiam utriuſque teſtamenti ſignificaſſe, quod colligo ex quodam antiquiſſimo Ceremoniali in Bibliotheca Vaticana aſſervato, in quo, dum deſcribitur equitatio novi Pontificis ad Lateranenſem Eccleſiam, ſic habetur: [ Primus procedit equus Domini Papæ phaleratus, ſecundo vadit Subdiaconus cum Cruce; tertio duodecim Brandonarii cum duodecim vexillis rubris, & duo alii cum duobus cherubim in cacumine lancearum. ] Eodem modo hæc cæremonia a Davantria in ſuo M. S. Cæremoniali deſcribitur. FR. Hæc duo tamen ornamenta cherubim appellata in cacumine haſtarum poſita, quæ præferebantur ultimo loco ad latus Pontificis, alia non eſſe puto, quam illa bina flabella, quæ ſolent deferri ad tegendum Pontificis caput, quæ Seraphim ſignificant, &, ut ait S. German. in Theor. rer. eccleſiaſt. multi oculorum Cherubim effigiem denotant. Vide in dict. *Flabellum*. Hoc etiam aſſerere inducor, quia in Cærem. cit. Biblioth. Vatic. dicitur, quod iſti Cherubim erant *In cacumine lancearum*, dum eodem modo hæc flabella in cacumine lancearum poſita adhuc obſervari videtur, quod confirmatur in Exod. c. 26. n. 1. ubi habetur: [Tabernaculum vero ita fiet: Decem cortinas de byſſo retortas, & hyacintho, ac purpura, coccoque bis tincto, variatas opere plumario facies.] Ubi LXX. vertunt. [Et tabernaculum facies, decem cortinas de byſſo retortas, Cherubim opere textoris facies eas.] Chaldaica legit Figuras cherubim facies.] Ergo *Plumarium*, & *Cherubim* idem ſonat. Vide Joſeph Hebr. l. 3. antiq. c. 8. & Magiſtr. ſent. in hiſtor. Cæterum Thiara Papalis, & aliæ gemmæ Pontificales hodie in Caſtro Sancti Angeli, poſt illarum uſus aſſervantur: poteſt quidem eſſe, quod talia flabella propter margaritas, & gemmas, quibus ornata ſunt, vel propter periculum alicujus veneficii, dum

caput Pontificis tangunt, ideo in theſauraria Cameræ magna cura aſſervabantur :|[:Moſchi ſolent in eorum proceſſionibus quatuor cherubim ſuper haſtas deferre:Græci vero in epigonathio, ſeu genuale depingunt Cherubim;nam hic ſacer habitus Evangelicæ prædicationis, & doctrinæ eccleſiaſticæ ſymbolum eſt.

Chias, Equitum Calatravæ inſigne antiquum: unde dictum. Vide *Boja*.

Chiaus, officium in Aula turcica. Vide *Tzangrus*. *Tzaulus*.

Chiliastæ, Hæreticorum Sectæ. Vide *Cerinthiani*.

Chimera, navis genus. [ Omnes naves dromones, videlicet, trieres, ſcaphas, chimeras, & lyntres uſque ad chelandia collegit. Paul. Diac. in Juſtinian.

* Χειροσημαντρα. Inſtrumenta quorum pulſu populum ad Eccleſiam vocant Græci hodierni.

* Cherem. Species Excommunicationis apud Judæos. In Synopſi Criticorum ad Epiſt. 1. ad Corinth.

Chiriachi. Vide *Cyriaca*.

Chirothecæ, a græco vocabulo χειροθήκη, ideſt, manus thecæ, ſeu tegmina, quibus in Pontificalibus Epiſcopi utuntur, ad hædinas Jacob pelles alludentes, quibus genitore decepto paternam benedictionem obtinuerat. Item ſignificant noſtræ mortalitatis ſpolia ab Incarnato Verbo deſumpta. Innocent. cap. 38. Atque moraliter indicant, quod: [ Sicut aliquando manus chirothecis velantur, aliquando extractis chirothecis denudantur; ſic opera bona interdum propter arrogantiam declinandam celantur, & interdum propter ædificationem proximis monſtrantur, Gem. de antiq. rit. Miſſæ, l. 1. c. 215. ] Idem aſtruit cit. Innocent. III. l. 1. de myſt. miſſ. c. 57. Quocirca Prælatorum publica pia opera reprehendi non debent, ſi ad præbendum ſubditis exemplum patenter exerceantur. Inſuper chirothecæ inconſutiles eſſe debent: nam, ut refert idem Gem. loc. cit. [ Chirothecæ ſunt inconſutiles, quia actiones Pontificis debent rectæ fidei eſſe concordes. ] In die Veneris majoris hebdomadæ Epiſcopus chirothecis indui non debet. Cæremon. Epiſc. l. 2. c. 29. Nec in miſſis pro defunctis. Ibid. c. 11. Appellantur *Manicæ* latino vocabulo in Ord. Rom. Chirothecæ Abbati Montis Caſſini conceſſæ de anno 1049. Baron. ibidem, n. 5. Synonima hujus vocabuli. Vide *Vanto*. *Gula*. *Manitia*.

Chirotonia, ex græco χειροτονία, ordinatio, ſeu conſecratio; ſiebat enim manuum impoſitione. [ Nunc chirotonia appellatur ſolemnis illa precum effuſio, quando conſecratur is, qui ad ſacrum ordinem electus eſt. Zonar. ad primum canonem apoſt. ] Quamvis aliquando pro ipſa electione ſumatur; ut idem Zonara notavit, inquiens [Olim ipſa etiam electio Chirotonia nominabatur.] Quia Clerus, & Populus in Epiſcopi electione manus extollere ſolebat, ut hoc pacto abſque cõfuſione concurrentiũ vota facilius calculari potuiſſent, ut refert idem Auctor. [Non oportere chirotonias in audientium præſentia fieri. Laodicen. Concil. can. 5.] quod quidem non de ſacris ordinationibus (hæ enim publice fieri ſolent), ſed de electione Epiſcopi, ne ſcilicet in poſtulantium præſentia fieret, intelligi debet.

Chirurgi termini, & inſtrumenta. Vide *Embryorectes*.

Chlamys coccinea, ſeu rubra. Vide *Cappa*. *Chlanis*.

Chlanis. Vox barbaro-græca, cum legi debeat chlamys: Senatoria veſtis. [In his ſtudiis Cæſarius etiam in chlanide verſatus eſt. In vita S. Cæſarii Quæſtoris.

Chloe. FR. [Significatum eſt mihi de vobis, fratres mei, ab his qui ſunt Chloe. 1. Cor. c. 1. ] D. Ambroſius dubitat in hoc loco, an ſit nomen proprium viri, ſeu mulieris. Theophylactus putat eſſe nomen familiæ Corinthi. Horatius tamen de quadam fœmina hoc nomine appellata meminit, l. 1. carm. Ode 23. inquiens:

Vittas hinnuleo me ſimilis, Chloe.

Et lib. 3. carm. Ode 6.

Atqui ſollicitæ nuntius hoſpitæ
Suſpirare Chloen, & miſeram tuis
Dicens ignibus uri,
Tentat mille vafer modis,

Atque eodem lib. Ode 9.

—— Neque erat Lydia poſt Chloen:
Me nunc Treſſa Chloe regit.
Si flava excutitur Chloe.

Et ibid. Ode 26.

O quæ beatam diva tenes Cyprum, &
Memphim carentem Sithonia nive,
Regina, ſublimi flagello
Tange Chloen ſemel arrogantem.

De altera, ſeu eadem egit Martial. lib. 3. Epigr. 53. inquiens.

Tota te poteram, Chloe, carere,

Quæ ſeptem ejus viros ſepelierat. Idem, l. 9. Epigr. 12.

Inſcripſit tumulo ſeptem celebrata virorum.
Se fecisſe Chloem: quid pote ſimplicius?

Chobar, nomen appellativum Euphratis fluminis in Ezechiele, cap. 1. [ Cum eſſem in medio captivorum juxta fluvium Chobar, aperti ſunt cœli. ] Vox hebraica *Chobar*, quæ magnum ſignificat, ſic etiam idem flumen a Baruch, *Sodi* appellatur, quod eadem lingua ſuperbum, & inflatum denotat. [ Eorum omnium habitantium, & ad flumen Sodi, cap. 1.] Sed ego ab incolis didici flumen *Chobar* diſtinctum eſſe ab Euphrate; nam illud ex Meſopotamia ſcatet, & poſt longum tractum prope locum, ubi Ezechielis ſepulturam fuiſſe creditur, in Euphratem ingreditur, atque ab ipſis Arabibus uſque ad præſens *Chobar* appellatur.

Chodchod, gemmæ ſpecies, quam alii jaſpidem, alii carbunculum exponunt. [ Et chodchod propoſuerunt in mercatu tuo. Ezechiel. c. 27. n. 16.

Choerogryllus, græca vox, χοιρόγρυλλος, Hiſtrix animal, de quo, c. 11. Levit. [ Choerogryllus, qui ruminat. ] At hoc animal non ruminat, & conſequenter textus ſenſui interpretatio non concordat, Hebræi tamen Cuniculum exponunt.

Choicus, ex græco χοϊκός, limaccus. [ Primus inquit

quit homo de terra choicus, ideſt, limaceus. Tert. lib. de reſur. carnis.

Choma, tis, græce χῶμα: in Cod. Theod. l. ult. de patr. vicor. grumum denotat, ſeu agger terra aggeſta factus. Item vallum, tumulus, ripa.

Choragus, χορηγός. FR. chori ductor. D. Baſil. epiſt. 80. Pantaleon, in lib. de luminibus vocat Chriſtum Choragum, & Ductorem gentium, quæ eum ſequuntur.

Choraula. FR. [ Si deſertores Monaſteriorum ad militiam clericatus eligantur, cum iis, qui in Monaſterio permanent, non tamen niſi probatiores, atque meliores in clerum aſſumere ſolemus: niſi forte (ſicut vulgares dicunt) malus choraula, bonus ſymphoniacus eſt, ita ipſi vulgares de nobis jocabuntur, dicentes, malus Monachus, bonus Clericus eſt, can. legi, 16. qu. 1. ] Ubi Gloſſ. [ Choraula, qui incipit cantum in choro, vel qui choreas ducit, ] ſic *Symphoniacus*, qui ſymphoniam exercet.

Chorea. χορεία. FR. ludi convivales, & ſaltationes. [ Chorea dicitur a choro; chorizantes enim in ſuis ludicris, cantilenis, & ſaltibus, quodammodo tenent chorum. Gloſſ. in Clement. de celebrat. Miſſ. cap. primo.

* Choreutæ. Hæretici ſuperſtitioſum jejunium Sabbato ſervantes.

Chorda muſicalium inſtrumentorum. Vide *Cithara*. *Octava*.

Chorepiscopus, Eccleſiaſtica dignitas, de qua ſæpe in Conciliis, & in jure canonico, ſignificat Epiſcopi Vicarium in Villis. [ Chorepiſcopi, ideſt, Vicarii Epiſcoporum, juxta quod canones ipſi teſtantur, inſtituti ſunt ad exemplum ſeptuaginta ſeniorum, tamquam Sacerdotes propter ſollicitudinem pauperum. Hi in Vicis, & Villis inſtituti gubernant ſibi commiſſas Eccleſias, habentes licentiam conſtituere Lectores, Subdiaconos, Exorciſtas: Presbyteros autem, & Diaconos ordinare non audeant. Iſid. lib. 2. de eccleſ. off. c. 6.] Ex quibus colliguntur duo, nimirum, Chorepiſcopos habuiſſe eandem auctoritatem in ordinandis clericis, ſicut modo habent Abbates mitrati; ſecundo manifeſtatur ſubdiaconatum non fuiſſe ſacrum ordinem, quem ritum adhuc tenent Orientales. Maronitæ hanc vocem corrumpendo, Archipresbyterum, ſeu Parochum loci *Churi* appellant, cui in traditione curæ Epiſcopus inter alias cæremonias baculum paſtoralem in manibus tradit. Itaque *Chorepiſcopus* formatur ex græco idiomate χωρεπίσκοπος, quod inſpectorem loci, vel ſtationis ſignificat; a D. Damaſo epiſt. 4. Villanus Epiſcopus appellatur, quia ad poſtulata reſpondit in eadem Epiſtola, Chorepiſcopos, non alium gradum, quam ſimplicis Sacerdotis habere, ſed quia Chorepiſcopi indebite auctoritatem, & functiones epiſcopales, contra canonum decreta, ſibi uſurpabant; ideo ab Eccleſiis deletum eſt hoc officii nomen. In capitulis Caroli Magni eorum auctoritas limitata fuerat his verbis: [ Item in eodem Concilio ſimul, & in Ancyranenſi, ut Chorepiſcopi cognoſcant modum ſuum, & nihil faciant abſque licentia Epiſcopi in cujus Parochia habitant, lib. 1. cap. 9. ] FR. Eodem pacto S. Leo Papa ep. 88. quæ habetur in Decreto Gratiani, nempe: [ Inter Epiſcopos autem, & Chorepiſcopos hæc eſt differentia, quod Epiſcopi nonniſi in Civitatibus, Chorepiſcopi & in Vicis ordinari poſſunt. Epiſcopi formatas tribuunt litteras; Chorepiſcopi nonniſi commendatitias, & pacificas dare valent. Epiſcopi jus conſecrandi habent; Chorepiſcopi tantum minores ordines tribuunt, leviticam autem, aut ſacerdotalem benedictionem non valent præſtare. diſt. 68. in ſum. can. 4. ] Et idem Leo ibidem differentiam inter Epiſcopos, & Chorepiſcopos hoc modo aſſignat. [ Quamvis Chorepiſcopis, & Presbyteris plurima cum Epiſcopis miniſteriorum communis ſit diſpenſatio: quædam tamen ſibi prohibita noverint: ſicut eſt Presbyterorum, Diaconorum, & Virginum conſecratio, conſtitutio Altaris, ac benedictio, vel unctio. Siquidem nec erigere Altaria, nec Eccleſias conſecrare eis licitum eſt, nec per impoſitionem manuum, fidelibus baptizatis, vel converſis hæreticis paracletum Spiritum Sanctum tradere, nec chriſma cōficere, nec chriſmate baptizatorum frontes ſignare, nec publice quidem in Miſſa quemquam publice pœnitentem reconciliare, nec formatas cuilibet epiſtolas mittere. ] Ubi Jo. de Fan. Gloſsator in §. litteras formatas, ſic exponit: [ Formatæ, ſive dimiſsoriæ dicuntur litteræ, quibus quis eximitur a juriſdictione ſui Epiſcopi, quæ olim cum ſolemnitate magna fiebant, ut 73. diſt. canon. 1. Commendatitiæ, ſive pacificæ dicuntur, quæ dantur Clerico viatori, quibus commendatur, ut pacifice poſſit exequi officium ſuum; & licet Gratianus dicat, quod Chorepiſcopi dare tales poterant, illud non credo; ſed ſolus Epiſcopus, ut de conſecr. diſt. 5. can. non oportet. 71. diſt. can. extraneo. Quod Archidiaconus eas dare non poſſit, habes extrav. de off. Archidiac. cap. ſignificaſti. ] Additque ibi Poſtillator: [ Et bene Jo: de Fan. & ita eſt, atque Chorepiſcopus non poteſt dare licentiam Clericis, vel laicis, ut erant in peregrinatione, quia non poſsunt formatas dare, ſecundum La. & Hugo. ] Sequitur præfatus Gloſsator in §. Commendatitias, inquiens: [ Argumentum contra 71. diſt. can. extraneo. ] Item in §. benedictionem leviticam, ſic explicat. [ Nec ſubdiaconalem, niſi tantum lectoratum, ut diſt. 69. can. 1. in fine, ſed Gratianus fuit deceptus, ut in ſequenti can. quamvis Chorepiſcopis, ubi non dicitur niſi de duobus ordinibus tantum. ] Qui tamen Corepiſcopus, pro Chorepiſcopo ſcribit: || Id autem, quod habetur in Conc. Antioc. can. 20. Neocæſ. can. 13. Anc. can. 13. intelligi debet de Chorepiſcopis in Epiſcopis conſecratis, titularibus, nempe, atque Diœceſanorum Epiſcoporum Coadjutoribus, ſicut hodie aliqui ſuffraganei reperiuntur; quod iiſdem verbis Antiocheni Concilii, can. 13. probatur, in quo ſic habetur: [ Qui in villis, & vicis conſtituti ſunt Chorepiſcopi, tamen ſi manus impoſitio-

tio-

tionem ab Epiſcopo ſuſceperunt, & ut Epiſcopi ſunt conſecrati; tamen placuit ſanctæ Synodo, ſcire oportere modum proprium retinere.] Ubi jubetur abſque Diœceſani licentia non poſse Chorepiſcopos ordinationes habere. Coadjutores Epiſcopi. Vide in dict. *Epiſcopus*. FR. Hoc vero dupliciter ſuccedebat, vel quando in aliquibus Civitatibus duo Epiſcopi reperiebantur, unus, nempe Catholicus, & alius Hæreticus, cumque hic ad catholicam fidem convertebatur, tunc pro bono pacis, & concordiæ Epiſcopus Catholicus aliquam portionem ſuæ Diœceſis alteri concedebat, ut ex Nicæno Concil. can.8. & Africano in Decretal. lib. 3. tit.29.cap.1. & in Codice Theodoſ. l.4. tit. de hæret.cap.85. colligitur, de qua re dicetur etiam in dict. *Epiſcopus vagans*: idemque de Cardinalibus ab Antipapis creatis non raro eveniſse legimus, qui relicto ſchiſmate ad obedientiam legitimi Pontificis reverſi, ob eundem bonum finem interpurpuratos confirmabantur. Vel ſecundo modo ſuccedebat, quando, nimirum, aliquis Epiſcopus propter gravia delicta a dignitate deponebatur; poſtea vero ad pęnitentiam delictorum reverſus, reconciliabatur; tunc Patres ad commiſerationem inclinati, aſſignabant ei locum extra Diœceſim, in qua delictum commiſerat, ut ibi juriſdictionem Chorepiſcopi exerceret, ut refert Baronius, An.572. num.4. qui apocripham exiſtimat epiſtolam Joannis Papæ III. ad Epiſcopos Germaniæ, & Galliæ contra Chorepiſcopos juriſdictionum epiſcopalium uſurpatores; nam in his provinciis hoc nomen, & officium Chorepiſcopi jam antea deletum erat. Vide *Conſcientia*. *Metrocomia*.

CHORMA. Vide *Anathema*.

CHORUS, canentium multitudo ſimul unita. Primum inventorem chori ait Iſidor. lib.1. de Divin. Off. c. 3. Moyſen fuiſse. FR. Sed Tubalcain fuit primus pater canentium, ut docet Scriptura. :||: [ Chorus dicitur a concordia canentium, ſive a corona circumſtantium: olim namque in modum coronæ circa aras cantantes ſtabant; ſed Flavianus, & Diodorus Epiſcopi choros alternatim pſallere inſtituebant. Duo chori pſallentium deſignant Angelos, & ſpiritus Juſtorum, quaſi reciproca voce Dominum laudantium. Cancelli, in quibus ſtant, multas manſiones in domo Patris deſignant. Gem. cap.140. ]Dicitur *Presbyterium* a Divis Cornelio, & Cypriano, *Sanctuarium Altaris* ex Concil. Bracarenſe, *Sancta Sanctorum* ex Conc. Turonen. II. Βῆμα a Græcis, licet hæc vox partem illam Altaris clauſam tribus portis (ſecundum Orientalium uſum) ſignificet, ubi nemini penetrare licet: ab aliquibus *Sacrarium*, & in nonnullis M.S. Cæremonialibus *Propitiatorium* dicitur, ex quo D. Ambroſius Theodoſium Imperatorē expulerat: refert tamen Curopalata licuiſse Imperatori Conſtantinopolitano in die ejus coronationis ingredi, ibique ſacram Communionem cum Sacerdotibus recipere, & in Veſperis Paſchæ ad incenſandum Altare. Excludi laicos ab ingreſsu chori ordinant apoſtolicæ Conſtitutiones. l.2. cap.57. Ideo Concil. Chalcedonenſe. FR. & Moguntinum in decretali de vita, & honeſt. cleric. cap.1. :||: Cancellis dividi chorum ab Eccleſiæ remanente ſpatio ſanxerunt. FR. Rex Galliarum intra Chorum ex privilegio ſedet, vide Petrum Matteiū. de geſtis Henrici IV. circa finem, ubi de coronatione Catherinæ ejus uxoris agit. :||: Magnus Magiſter Melitenſium Equitum, tamquam Eccleſiaſticus Princeps, ſuum thronum intra presbyterium habet. FR. *Chorus* item ſignificat inſtrumentum muſicum. D. Hieronymus in Pſalm. 150. ac Dionyſ. Carth. in lib. 2. Reg. cap. 6. art.10. ubi dicitur: [ Et erant cum David ſeptem chori, & victima vituli.] Exponit Chartuſianus: [Non eſt in hebræo, quod tamen breviter poteſt exponi, ut per choros intelligantur diſtinctæ congregationes, ſeu ordines canentium, atque pſallentium Deo. Rurſus Chori vocantur muſica inſtrumenta, fiſtulas duas habentia, in quarum unam intromittitur ventus, & per aliam emittitur ſonus. ] Item *Chorus* ſaltationes denotat, ut Lucæ cap.15. Item *Chorus* pro Monaſterio: [ Peragrabat ergo inſulas, & totum Etruſcum mare, Volſcorumque Provinciam, & curvorum littorum ſinus, in quibus Monachorum conſiſtunt Chori. D. Hieron. in Epitaph. Fabiolæ ad Oceanum. ] Quando in Choro ſtandum, vel genuflectendum ſit. Vide *Genuflexio*. Reliqua vide *Presbyterium*. *Sanctuarium*. *Sancta Sanctorum*. *Stallum*.

CHRENECRUDA. FR. Ceſſio bonorum, ex capitulo Odoardus, fit mentio in lege Salica, tit. 61. Curioſiſſima enim erat decoctoris cæremonia, qui ingrediebatur domum, ibique a quatuor ejus angulis colligebat terram, & poſtea ad limen accedens, ſiniſtra manu illam poſt terga proximioris conſanguinei projiciebat. In aliquibus tamen Civitatibus talis decoctor, ut ſe eximeret a creditorum moleſtia, ſolebat ter poſteriora ſuper lapidem in publico illidere, ut Senis in præſens fieri ſolet; Romæ vero fert per integrum diem pileum viridem: omnia ſiquidem ſunt infamiæ ſigna, & talia Clericis lex non permittit.

CHERESTUS. Vide *Chriſtus*.

CHRISIS. Vide *Apocriſarius*.

CHRISMA, græce χεῖσμα, unctio, ita appellatur Confirmationis Sacramentum. FR. [Chriſtus enim a Chriſmate dicitur, vel potius a Chriſto dicitur Chriſma, non ſecundum nominis formam, vel ſecundum fidei rationem. cap. cum veniſſet, de Sac. Unctionis.§.quia vero. ] :||: Dicitur *Signaculum ſpirituale* a D. Amb. *Manus impoſitio* a D. Aug. *Confirmatio*, & *Confeſſionis Confirmatio* a S. Clemente. *Signaculum Domini* a D. Cypriano. *Sigillum Domini* a S. Cornelio Papa. Quare Clemens Alexandrinus de quodam juvene ad fidem converſo per D. Jo. Evangeliſtam, ſic inquit: [ Ad extremum Baptiſmi Sacramento illuminavit, poſtea vero, ubi ſigillo Domini, tanquam perfecta, tutaque animi ejus cuſtodia, obſignavit. Apud Euſeb. l.3. cap.17. ] FR. *Balſamum* etiam appellatur: [Placuit, ut nullus Epiſcoporum pro modico balſami, quod benedi-

nedictum pro baptiſmi Sacramento per Eccleſias datur ( quia ſinguli tremiſſem pro ipſo exigere ſolent ) aliquid ulterius exigat, ne forte, quod pro ſalute animarum per invocationem Spiritus Sancti conſecratur:ſicut Simon Magus donum Dei pecunia voluit emere;ita nos venundantes damnabiliter venundemur. can. placuit. 1. quæſt. 1. ] Ubi Gloſſ. exponit: [ *Balſami*,ideſt,Chriſmatis. ] At revera non Chriſma formaliter Canonem intelligere puto per nomen *Balſami*,ſed tantum materialiter;nam Epiſcopi ne inciderent in peccatum ſimoniæ, non pro Chriſma ſolutionem tremiſſis exigebant , ſed prætextu balſami pretii, ut ſatis ex eodem can. colligitur. Vide *Chriſmale* , ubi de hac ſimoniaca ſolutione agemus. :||: A Simone Theſſalonicenſe σφραγὶς,ideſt,*Obſignatio*, ab Areopagita τελείωσις,ideſt,*Perfectio*,& a Græcis μῦρος,ideſt,*Unctio* dicitur , quam dictionem Arabes corrupte *Mairum*: Melitenſes vero magis ad græcam dictionem accedentes *Miru* appellant . Chriſma eſt oleum balſamo mixtum , & ab Epiſcopo aſſiſtentibus Sacerdotibus duodecim,Diaconis ſeptem, ſeptemque Subdiaconis in Feria V. majoris hebdomadæ conſecratum. Diximus materiam eſſe oleum cum *balſamo mixtum*, ubi advertendum , quod Græci præter oleum , & balſamum commiſcent triginta tres ſpecies aromatum. Item ab *Epiſcopo conſecratum*, inter Græcos vero ſolus Patriarcha hoc chriſma conſecrat, raro tamen, nec annuatim, ſicut Latini , & illud omnibus Eccleſiis poſtea diſtribuit.Item *Duodecim Sacerdotes* aſſiſtunt in memoriam duodecim Apoſtolorum , ac *Septem Diaconi* requiruntur in ſymbolum ſeptem Diaconorum , quos Apoſtoli ſtatuerant: *Septem* vero *Subdiaconi* , ut Diaconorum conſocii adduntur , ita Iſid. lib.2. de Eccl. Off. cap.8. Rupert. lib.5. de div. Off. cap. 8. Diximus tandem hanc cæremoniam fieri in feria V. majoris hebdomadæ , ſic enim cautum eſt in can. litteris , de conſecr. diſt. 3. & can. quoniam , de ſentent. excom. in ſexto : qui tamen canones de oleo catechumenorum , & infirmorum non faciunt mentionem. Hæc vero dies myſterioſe aſſignatur, ut Iſidorus,Alcuinus,& Rabanus,notant,quia,nimirum, ante dies Paſchæ Maria Magdalena pedes Domini unxerat ; & Rupertus ulterius unctionem ſanguinis Agni ſignificare aſtruit Iſraeliticorum ad poſtes , & ſuperliminaria domorum in die decimaquarta primi menſis. Exod. cap. 12. De uſu autem Chriſmatis; ad tria inſervire dicimus.Primo in Sacramento Confirmationis,cujus adminiſtratio ad ſolum Epiſcopum ſpectat , nec eam Sacerdoti delegare poteſt ; Papa tamen juſtis de cauſis hanc poteſtatem Sacerdotibus concedere valet , quemadmodum D. Gregorius ad evitandum ſcandalum ex prohibitione in Sardinia ortum , quia , nimirum , Confirmatio in ea inſula prohibebatur in locis , in quibus non inveniebantur Epiſcopi ; ideo Sacerdotibus ibi facultatem dederat adminiſtrandi hoc Sacramentum , ut ex ejus ep.9. l.3. ad Januar. Caralit. Epiſc. colligitur. Antiquitus poſt baptiſmum hoc Sacramentum conferebatur , ſed ab Epiſcopo : itaque abuſive a Græcis per ſimplicis Sacerdotis manus poſt baptiſmum hoc Chriſma confertur ; aſſerentibus ex antiquo ritu id fieri ; nam clare conſtat : [ Quod ſolis debeatur Epiſcopis ut conſignent , & Spiritum Paracletum tradant , quod non ſolum conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat,verum & illa lectio Actuum Apoſtolorum , quæ aſſerit quibuſdam in nomine Jeſu baptizatis per impoſitionem manuum Pauli Apoſtoli datum eſſe Spiritum Sanctum . Item in alio loco ſcribitur , quod Apoſtoli Hieroſolymis Petrum , & Joannem miſerunt Samariam , ut jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum. Rupert. lib. 5. de div. Offic. cap. 16. ] Hodie tamen confirmatio hæc non fit amplius tempore baptiſmi , ſed in ætate diſcretionis , atque Parochis Græcis inter Latinos degentibus: ex Pontificiis prohibitionibus ſupradictus abuſus vetitus eſt;ſed pueros græcos jam adultos tenentur Epiſcopo latino ad effectum confirmandi præſentare . Uſus autem Chriſmatis ad ſex inſervit , primo ad ungendum baptizati caput , prout dictum eſt in dictione *Baptiſmus*,& in dictione *Vertex* dicetur . Secundo pro Sacramento confirmationis . At licet in baptiſmi cæremonia Sacerdos ungat chriſmate baptizatum [ Signatur enim baptizatus chriſmate per Sacerdotem in capitis ſummitate , per Pontificem in fronte . Rab. de inſtitut. Cler. lib. 1. cap. 30. ] Utramque tamen unctionem hanc a S. Sylveſtro inſtitutam fuiſſe refert. Ruper.in prædic. lib.5. de div. Off. cap. 16. inquiens : [ Legitur autem in geſtis Pontificalibus,quod Sylveſter Papa conſtituit , ut baptizatum liniat Presbyter chriſmate levatum de aqua , propter occaſiones tranſitus mortis , ne propter abſentiam Epiſcopi , & difficultatem eum conſequendi , ſine manus impoſitione baptizati migrent . Presbyteris itaque chriſmate baptizatos ungere licet , ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum ; non tamen frontem , quod ſolis debetur Epiſcopis; ſed verticem. ] Tertio uſus ſacri chriſmatis inſervit in Sacerdotis ordinatione , quo frons , & manus ejus ab Epiſcopo liniuntur . In aliquibus Eccleſiis ungebantur Diaconi manus , quando diaconatum ſuſcipiebat, quod ex quodam M. S. Cæremoniali Rotomagenſis Eccleſiæ colligitur, in quo hæc verba leguntur : [ Conſecratio manuum Diaconi de oleo,atque chriſmate. ] Erat enim in praxi Gallicanæ Eccleſiæ, ut colligitur ex epiſt. Nicolai Primi ad Ridulphum Archiepiſc. Bituricenſem,ubi inquit:[ Præterea ſciſcitatis, utrum ſolis Presbyteris, an Diaconibus debeat cum ordinatione manus chriſmatis liquore perungi . ] Quarto oleo chriſmatis Eccleſia utitur in conſecratione Epiſcopi , caputque ejus linitur , ut impinguatum remaneat cœleſti nectare , ac ejus manus perunguntur, ut myſteriorum admirabilium executor fiat : additque Sanctus Cyprianus de Unction. Chriſm. quod : [ Sicut oleum fluctuat , & humidis quibuſdam ſuperfertur : ita excellentia ſacerdotalis

regiæ

regiæ dignitati. ] Quinto unguntur Reges, & Imperatores. Sexto conſecratur Eccleſia, & Altare, ut dictum eſt in dict. *Altare*. Item ſolebant Ægyptii ſacro chriſmate Sacerdotum cadavera linire, qui abuſus a Balſamone damnatus fuit, quando de hoc ritu, ſeu potius abuſu ab Alexandrino Patriarcha interrogatus fuerat. Erat etiam tempore Caroli Magni abuſus, imo ſuperſtitio, quod reus ne cogeretur violentia tormentorum proprium delictum manifeſtare, ſacrum chriſma bibebat ante interrogationes in tormentis, quæ ſuperſtitio ab eodem Imperatore in ejus conſtitutionibus lib. 3. c. 55. his verbis prohibita fuit: [ Ut Presbyter, qui ſanctum chriſma donaverit ad judicium ſubvertendum, poſtquam de gradu ſuo depoſitus fuerit, manum amittat. ] De quo abuſu loquitur etiam Moguntinum Concil. can. 27. inquiens: [Nam criminoſos eodem chriſmate unctos, aut potatos, nequaquam ullo examine deprehendi poſſe a multis putabatur.] De chriſma, quod per antonomaſiam Confirmationis Sacramentum intelligi ſolet, multa in ſuis eruditis moralibus reſponſionibus Joannes Cardinalis de Lugo, quo ad effectum, & validitatem hujus Sacramenti ſcripſit, auctoritati S. Dionyſii Areopagitæ innixus, qui in lib. de Eccleſiæ Hierarc. c.4. magnam vim, & copiam fragrantium qualitatum, hoc Sacramentum habere dixerat. Vide etiam Baronium ad an. 1080. Debent autem eſſe jejuni, ac neceſſario in gratia, qui hoc Sacramentum acceptaturi ſunt, & conſequenter, exiſtentes in peccato mortali debent prius confiteri, cum hæc chriſmatis confirmatio ſit verum Sacramentum, quo fidelibus Spiritus Sanctus tribuitur, dum in Chriſtiana militia adſcribuntur; & ideo eorum frons, quæ eſt verecundiæ ſedes, ſignatur, ut fideles ad ignominias, perſecutioneſque in confeſſione fidei ſuſtinendas præparentur, ac prompti fiant, in cujus probationis ſignum maxilla eorum ab Epiſcopo percutitur. In hoc Sacramento ſicut in Baptiſmo ſuſcipiuntur Patrini: nam eo pacto, quo duellatores ante pugnam Patrinos eligunt, ita, qui in ſpirituali lucta contra animæ inimicos dimicat, ut validus fiat, in hoc Sacramento Patrinos eligere debet. Advertendum tandem eſt, quod non poteſt Patrinus eſſe, qui non fuerit antea hoc Sacramento confirmatus, can. in baptiſmate, de conſecr. diſt. 4. Nec debet eſſe idem Baptiſmi Patrinus, can. in catechiſmo, de Conſecr. diſt. 4. FR. Antiquitus etiam apud Latinos ſtatim poſt Baptiſmum dabatur confirmationis Sacramentum, quod colligitur ex Ordinis Romani verbis, nempe, [ Die Reſurrectionis Dominicæ procedentem ad Sanctam Mariam Majorem cum ordinibus ſuis Notarius ſtat in loco, qui dicitur Merulanus, & ſalutato Pontifice, In nomine Domini Jeſu Chriſti baptizati ſunt externa nocte in Sancta Dei Genitrice Maria infantes maſculi numero tot, fæminæ numero tot. ] Et etiam Ordo Romanus idem refert de chriſmate in die V. Vide hic *Chryſmarius*. Quod tamen tempore perſecutionum obſervabatur: legimus enim in paſſione S. Urbani Papæ quod hic Pontifex Anolium baptizavit, ac chriſmate conſignavit. Vide *Myrum*. *Oleum Sanctum*.

CHRISMALE, Velum, quo chriſma cooperitur. Item linteum, quo frons chriſmate liniti cingitur. [ Tegitur poſt ſacram Unctionem ejus caput velamine ſacro. Rab. lib. 1. cap. 29. de inſtit. Cleric. ] ac de eadem cæremonia mentionem faciens Ordo Rom. addit: [Deportantur ipſi infantes ante Pontificem, & dat ſingulis ſtolam candidam, & chriſmale. ] Vide *Baptiſmus*: caput enim noviter baptizati unctum chriſmate, coopertum erat candido velo, a Nicephoro, l. 3. c. 37. *Arcana*, *& Myſtica galea* appellato. Adhuc Romæ mos iſte conſervatur, ubi Patrinus candida faſcia caput confirmati ligat. Item corporale denotat. [ Qui in plebem ſuum chriſmale perdiderit, & non invenerit, quadraginta dies pœniteat. Bedæ Pœnitentiale, cap. 13. ] FR. Chriſmalis dicebatur etiam quædam ſimoniaca ſolutio pro chriſmatis collatione. c. 36. l. 5. tit. 3. decretal.

CHRISMALIS PATENA. Vide *Patena*.

CHRISMARIUM, Chriſmatis repoſitorium, in quo conſervari ſolet: [ Sed ille de pulvere beati ſepulcri ſecum habens clavato chriſmario contra ignem &c. Greg. Turon. l. 4. c. 32. ] *Clavato*, id eſt, clauſo.

CHRISMARIUS, erat Notarius, ſeu Cancellarius, cui nomina baptizatorum notare incumbebat. Quare de cæremonia coram Pontifice facienda, cum in die Paſchæ ad Sanctam Mariam Majorem ille ad celebrandum equitaret, Ordo Romanus habet: [ Cum venerit ad Merulanum, quidam Chriſmarius electus ab omnibus Chriſmariis dicit alta voce: Jube Domne benedicere, & Pontifex benedicit, & Chriſmarius, in Eccleſia S. Mariæ Dominæ noſtræ baptizati ſunt tot maſculi & tot fæminæ. Pontifex reſpondet: Deo gratias. ] FR. Vide quæ notavi in fine dictionis *Chriſma*.

CHRISMATARIUM, Vas in quo chriſma conſervatur. [ Servus Chriſti Maximianus Archiepiſcopus hoc Chriſmatarium ad uſus fidelium fieri juſſit. In vita S. Maximiani.

* Χειςεμπορεια. Impia ex Chriſto nundinatio. Epiſt. Alexandri Alexandrini apud Theodoret. l. 1. c. 4.

CHRISTIANIZO, Chriſtianum ſe profiteri [ Nullam autem Apoſtolici cenſus Eccleſiam invenies, quæ in Creatore chriſtianizet. Tertullian. libr. 1. adverſ. Marcion.

CHRISTIANOCATEGORUS, Χειςιανοκατήγορος, Chriſtiani accuſator. Nam κατήγορος, accuſatorem ſignificat, a κατὰ, contra, & ἀγορεύω, dico. Aliqui Hæretici ita a D. Joanne Damaſceno vocati, qui imagines Sanctorum Latriæ cultu adorabant, cum Sacroſancta Eccleſia Duliæ cultu Cælicolas adorare jubeat: dicebantur *Chriſtiano-categori*, quia eorum errores veris Chriſtianis notam inferebant, nam tamquam idololatræ exiſtimabantur, quorum contrarii. Vide *Duliani*.

CHRISTIANUS, Chriſti aſſecla: [ Itaut cognominarentur primum Antiochiæ Chriſtiani. Actor. cap. 11. ] Cum antea

antea nominarentur *Diſcipuli*; ſed ab Apoſtolis ordinatum fuerat, ut Chriſtiani nominarentur, ad differentiam aliorum Diſcipulorum hæreticorum, ut refert S. Athanaſius, quia Doſitheus, Judas, & Joannes, qui antea fuerant Apoſtolorum Diſcipuli, invenerunt falſa dogmata Religioni Chriſtianæ contraria; itaque occaſionem præbuerunt Apoſtolis, ut ſequaces Chriſti a ſectatoribus Hæreſiarcharum, veri Chriſti Diſcipuli diſtinguerentur, ac Chriſtiani nomen eis tribuerunt. Equidem miror quomodo Pamelius in Annotationibus ad Apologet. Tertull. cap. 4. ubi habetur, quod tempore Tiberii Imp. [ Primum nomen Chriſtianum in ſæculum introivit] ibique infert Pamelius, quod Diſcipuli ante divulgationem Antiochiæ in aliis mundi partibus cognominati fuiſſent Chriſtiani; minime advertens Tertulliani verba, qui per nomen Chriſtianum, famam, & notitiam Chriſti intelligit. FR. Nam uſque ad Tiberii Claudii tempora ſub nomine Judæorum Romæ appellari Chriſtianos, Suetonius in Claud. cap. 25. refert ſic inquiens: Judæos impulſore Chreſto aſſidue tumultantes Roma expulit, ] quod Oſorius *Impulſore Chriſto* apud Baronium anno 51. n. 1. legit. Atque Aquila, & Priſcilla; cum eſſent Chriſtiani, natione tamen Judæi, Actor. 18. pro Judæis Romæ habiti fuerant; idem Baron. ibid. n. 2. Vide dict. *Chriſtus*. Itaque Gentiles in primordio Chriſtiano de hoc vocabulo parum inſtructi, Chriſtum, Chreſtum vocabant, ut Lactantius Firmianus, lib. 4. cap. 7. refert inquiens: [ Ignari rerum noſtrarum Chriſtum Chreſtum, & Chriſtianos Chreſtianos vocabant. ] A Judæis vero Nazareni tunc vocabantur Chriſtiani. Baron. ad an. 43. n. 16. Et adhuc in Oriente ſic vocantur. Cœperunt itaque in Urbe nominari Chriſtiani tempore Neronis, ut ex Tacito, lib. 15. Annal. habetur; ubi ſic ait: [ Ergo abolendo rumori Nero ſubdidit reos, & quæſitiſſimis pœnis affecit, quos per flagitia inviſos, vulgus Chriſtianos appellabat; Auctor nominis ejus Chriſtus, qui Tiberio Imperante, per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat. ] Et Sueton. in Nerone, c. 16. [ Afflicti ſuppliciis Chriſtiani, genus hominum ſuperſtitionis novæ, ac maleficæ. ] Erat enim tam abominabile hoc nomen Chriſtiani apud Gentiles, ut in ſuo Apologetico, c. 3. adverſ. eoſdem Gentiles conatus fuerit Tertul. ſuavitatem hujus vocabuli elucidare, ſic inquiens: [ Chriſtianus autem, quantum interpretatio eſt, de unctione deducitur; ſed cum perperam Chriſtianus pronunciatur a vobis ( nam nominis eſt certa notitia apud vos) de ſuavitate compoſitum eſt. ] Alludit enim ad nomen Chriſti, quod unctionem ſignificat: || Varia opprobrioſa nomina Chriſtianis Gentiles indiderant; dicti enim ſunt *Eſſei*, ſeu *Ieſſei*. Baron. an. 64. n. 4. *Sibylliſti*. Idem in Appar. n. 19. *Aſinarii*. Idem an. 42. n. 33. & an. 201. n. 21. & 22. *Semiaxii Samentarii, Sarmentitii*. Idem an. 201. n. 32. Hieronymus Herculanus in ſua Regia Sacrarum Viduarum exiſtimavit *Semiaxem* ſignificare ſex unciarum, ideo legit *Semiſſijus*; ſed Tertulliani textui hæc lectio non conſonat, dum in Apolog. c. ult. ait: [ Licet nunc Semiaxios, & Sarmentitos appellatis, quia ad ſtipitem dimidii axis revincti, ſarmentorum ambitu exurimur. ] Proceſſu temporis deinde, quia Hæretici, ac Schiſmatici Chriſtianos etiam ſe appellabant, veri fideles ad illorum diſtinctionem *Catholici*, ideſt, univerſales appellati ſunt. Vide *Catholicus*. Inde Pacianus in Novatianos ſcribens, ait: [ Chriſtianus mihi nomen eſt, Catholicus vero cognomen: illud me nuncupat, iſtud oſtendit: hoc probor, inde ſignificor. ] Aliis irriſoriis nominibus a Gentilibus vocabantur Chriſtiani, nempe, *Græci*, quia nigro colore Romanis odioſo, & philoſophico pallio induebantur; hinc D. Hieronymus ait, [ Si tunica non canduerit, ſtatim illud e trivio impoſtor, & Græcus eſt Ep. 23. ] Ubi *Impoſtor* nedum deceptorem ſignificat, quia decipientes Chriſtiani putabantur; ſed etiam ita dicebantur, eo quia ſuper tunicam pallium imponebant. Tandem advertendum, quod nomen *Benedictus* a principio non fuit nomen proprium, ſed appellativum, & ſynonimum Chriſtiani nominis apud veteres Auctores. [ Benedictus Simplicius hactenus veſtri, jamque ab hinc noſtri ( modo per vos Deus annuat) habendus ordinis comes. Sidon. l. 6. c. 9. Alius libellus ex his eſt, quos ad Benedictum, ideſt, Chriſtianum virum amicum meum Endelechium ſcripſiſſe videor. Paulinus, ep. 9. ] Ac penes alios paſſim de hujus vocabuli uſu. FR. Aliqui putant, quod nomen Chriſtiani Epiſcopum aliquando ſignificet, arg. in C. de Epiſc. aud. & l. fin. C. de poſtlim. rever. Item Chriſtiani Athei dicti, & quare, vide *Atheus*. Item Sacerdotes appellati. Vide *Sacerdos*. *Cruciola*. Vide duo genera Chriſtianorum in dict. *Deividus*. Vide *Galilæus*. *Hominicula*. Cinerarius in dict. *Cinerarium*. *Piloſiotæ*. *Porphyrogenitus*. *Teletarcha*.

* CHRISTIANI. Chriſtianorum multa nomina. *Jeſſacos* vocatos fuiſſe teſtis eſt Epiphanius Hæreſ. 39. n. 4. vel a Jeſſe Parente Davidis, vel quod veroſimilius videtur a Jeſu Chriſti Domini noſtri appellatione, *Piſciculi* aliquando dicti teſtante Tertulliano de Baptiſ. c. 1. Nos *Piſciculi* ſecundum ἰχθὺν noſtrum Jeſum Chriſtum in aqua naſcimur, nec aliter quam in aqua permanendo ſalvi ſumus. *Gnoſtici* quoque vocati propterea quod Chriſtiana Religio veriſſimam ſapientiam, & rerum divinarum ac cœleſtium cognitionem complectebatur. Quoddam vero perverſum Hæreticorum genus hoc nomen per abuſum ſibi arrogavit. Hoc tamen non prohibuit, ut Chriſtiani hoc nomine indigitarentur teſtante Clem. Alexand. Strom. lib. 1. 2. 6. 7. & Athanaſio apud Socrat. Hiſt. Eccl. lib. 4. c. 23. *Theophori*, & *Chriſtophori* nonnumquam dicti; ſcilicet *Templa Dei*, & *Chriſtum geſtantes* Clem. Alex. Strom. lib. 7. & Euſeb. hiſt. Eccl. lib. 8. c. 10. *Eccleſiaſtici* vero dicti hoc ſenſu, quod nec de *Judæorum* Synagoga, nec de *Gentilium* Templis nec de *Hæreticorum* Conventicu-

ticulis eſſent, ſed Eccleſiæ Chriſti membra exiſterent. *Dogmatici* etiam vocitati ſeu Doctrinæ Chriſtianæ homines. Euſeb. lib. 7. c. 30. || Aliis quoque contumelioſis nominibus a *Judæis*, *Infidelibus*, & *Hæreticis* Chriſtiani appellati. 1. *Nazareni* Hieronymus de loc. Hebr. T. 3. *Nos apud veteres quaſi opprobrio Nazaræi dicebamur, quos nunc Chriſtianos vocant*. 2. *Galilæi* hoc nomine *Julianus* de Chriſtianis loquens eos appellabat. Gregor. Nazianz. orat. 3. 3. *Athei* ob id quod Gentilium Deorum cultum deriderent & contemnerent. *Juſtin. Mart.* apol. 1. 4. *Græci & Impoſtores* ait Hieronymus Ep. 10. ad Funam. *Ubicumque viderint Chriſtianum, ſtatim illud de trivio ὁ γραικὸς ἐπιθέτης: en Græcum Impoſtorem*. Impoſtor ſcilicet quaſi deceptor, Græcus vero, quia baccio quo Græci utebantur, inductus. 5. *Magi* Gentiles malitia ſua longius progredientes, cum Servator noſter Dominus Jeſus Chriſtus, ejuſque ſectatores multa miracula patrarent, ea maleficiis, & magicis artibus adſcribentes, Chriſtianos *Magos* vocabant. *Arnob.* lib. 1. 6. *Nova ſuperſtitio* Chriſtiana Religio dicta fuit *Plinio* lib. 10. Epiſt. 97. & *Tacito* annal. 15. c. 44. 7. *Sibylliſtæ* propterea quod in diſputationibus cum Gentilibus, ad Sibyllas, quæ Gentiles erant provocarent, ut ipſos domeſtica auctoritate, vincerent. Origen. contra Celſ. lib. 5. 8. *Biathanati* Βιαθάνατοι ideſt *ſui ipſorum interemptores*, ideo quod ſuppliciis & morti alacriter propter J. C. occurrebant. 9. *Parabolarii & Deſperati*, propterea quod apud Romanos parabolarii fuerunt deſperatæ audaciæ homines, qui in amphitheatro cum beſtiis certabant, idcirco Chriſtianorum Martyrum conſtantia hic a Gentilibus traducebatur. 10. *Sarmentitii & Semaxii*, propterea quod Martyres qui a Gentilibus cremabantur, ad ſtipitem, quem Romani vocabant *Semaxia* revinciebantur, deinde tenuium lignorum faſciculis, quos *ſarmenta* nuncupabant, operiebantur. Tertull. apol. c. 50. 11. *Lucifuga Natio*, propterea quod ad devitandum perſecutionis furorem conventus religioſos noctu agebant. *Minuc Octav.* c. 8. 12. *Plautina proſapia & Piſtores* propterea quod a GentilibusChriſtiani pauperum & opificum grex repræſentabantur. *Plautus* quippe quidam pauper occaſionem *Plautino* nomini præbuit, & inter opifices Piſtores habebantur, unde *Piſtores* Hierony. Chron. an. 1. 13. *Corneliani* a *Novatianis*: *Apoſtatæ*, *Capitolini*, *Synedriani* ab aliis: *Cyrilliani* a *Neſtorianis*: *Euſtathiani & Paulieciani* ab *Arianis*: item *Homoæſiani*; quod vocabulum ὁμοούσιος adhibebant, ut Filium Dei, ejuſdem cum Patre eſſentiæ eſſe declararent: *Pſichici* a *Montaniſtis*: *allegoriſtæ* a *Chiliaſtis*; *Chronicæ* ab *Ætianis*: *Simplices* a *Manichæis*: *Anthropolatræ* ab *Apollinariſtis*: *Philoſarcæ* & *Piloſiotæ* ab *Origeniſtis*: *Synagoga Antichriſti* & *Satanæ* a *Luciferianis*. Hæc haud prætereunda putavimus, cum paſſim in SS. Patribus occurrant, & non omnibus obvia ſint, propterea quod hac illac ſparſa ſint.

CHRISTIANISSIMUS, glorioſus titulus Galliarum Regis, quem Gregor. III. an. 740. Carolo Martello tribuit, illum exhortans ad defendendam contra Longobardos Eccleſiam; quo titulo mediantibus egregiis eorum præliis, & beneficiis in Eccleſiæ favorem, honorificati ſunt ſucceſſive omnes illius Regni Reges; licet Julius II. in eorum præjudicium, ut refert Cardinalis Pallavicinus, lib. 2. Hiſt. Concil. Trident. c. 1. Angliæ Regi hunc titulum conceſſerat; atque Maximilianus Imp. contenderat ſolis Imperatoribus deberi; Galloſque Reges in tantum Chriſtianiſſimos appellatos fuiſſe, in quantum Cæſares erant. FR. Ita D. Ambroſius, ep. 26. Gratianum Imperatorem Chriſtianiſſimum appellavit. At Reges etiam hoc titulo ab ipſiſmet Pontificibus ſolitos fuiſſe decorari legimus; nam Leo II. hoc nomen Evergio Hiſpaniarum Regi attribuit, atque Concilia Toletanum, & Bracarenſe Ricaredum Regem Chriſtianiſſimum appellarunt, ex eo quia Gothos ad fidem catholicam reduxerat, ita Rodericus Sancius in illius vita teſtatur: item Rex Siciliæ ab Alexandro III. Chriſtianiſſimus appellatus fuit. Bullar. Caſin. tom. 2. conſtit. 185.

CHRISTIPARA. Vide *Chiroſtotos*. *Theotocos*.

*Χρυσίον πραγματευτικόν, Vectigal opificiis & negotiationibus impoſitum. *Baſil.* Epiſt. 243.

CHRYSTOLYTÆ, græca vox Χριστολύται, hæreticorum ſecta, ideſt, Chriſtum ſecantes; hi enim docebant ſolam Chriſti divinitatem ad cælum aſcendiſſe, remanente in terris corpore animato, ac ſola humanitate ſeparata.

CHRISTOPHORIA, Χριστοφορία. FR. Feſtum in Ambroſiana Eccleſia ad diem ſeptimum Januarii in memoriam Chriſti ab Ægypto reverſi celebratum; Chriſtophoria enim græce Chriſti delationem ſignificat.

CHRISTOTOCOS, Χριστοτόκος, Chriſtipara. Ita beata Virgo Maria a multis antiquis Auctoribus, & præterea a Concilio Florentino vocata. Ex quibus liquet non ſolum Chriſtotòcon, ſed & Theotòcon eam eſſe pronuntiandam. Sic in Conſtitutione prima Eugenii IV. de Synodo Epheſina loquente, dicitur in hac definitum eſſe *B. Mariam ſemper virginem non ſolum Chriſtotocon, ſed etiam Theotocon, hoc eſt non tantum hominis, ſed Dei genitricem ab omni Eccleſia prædicandam*. Fit autem vox iſta Chriſtotòcos a Χριστὸς *Chriſtus*, & verbo τίκτω, *pario, gigno*. Vid. *Theotocos*.

CHRISTUS, laudabile noſtri Salvatoris nomen, idem ac Meſſia; nam hebraice *Meſiah*, græce Χριστὸς, & latine *Unctus* dicitur. Romani in Eccleſiæ primordio Chreſtum appellarunt, ut ex Suetonio dictum eſt ſupra in dictione *Chriſtianus*; quare Ludovicus Orleans in Taciti Obſervationibus exiſtimat, quod Martialis, epig. 28. l. 9. in Chreſtum, in opprobrium Chriſti cecinisſet. *Unctus* dicitur, quia antiquitus Sacerdotes, & Reges ungebantur, atque utrumque nomen Redemptori noſtro optime convenit. FR. a Divo Gre-

Gregorio Veritas in vera carne appellatur. can. ſi quis per vetus teſtamentum. 22. quæſt. 2. Notandum, quod caro Chriſti non dicitur caro peccati, ſed in ſimilitudinem carnis peccatricis. can. utilem, 22. quæſt. 2. Item Chriſtus appellatus eſt Irenarcha, ideſt, Princeps pacis. Vide *Irenarcha*. Item Sequeſter, ideſt, mediator. Vide *Sequeſter*. Ubi natus ſit. Vide *Thamnus*. In antiquis monumentis reperitur, ſæpe hoc ſignum loco XP. ideſt, CHR. quod Chriſtum ſignificat. Vide Torrigium de Crypt. Vatican. impreſſ. ſecunda. Vide etiam hic in dict. *Labarum*. Cæterum de proprio Chriſti nomine JESUS, illud reverenter pronunciantibus Joannes Papa XXII. XI. dierum indulgentiam conceſſiſſe refert Jo. Villanus in ejus hiſt. par. 1. lib. 9. cap. 79. Item Chriſtus pro rebus Chriſti, nempe, eccleſiaſticis, & ſpiritualibus, can. convenior. §. non ſolet Chriſtus. 23. quæſt. 8. & ibi Gloſſa. Qualem hymnum Chriſtus cecinerit in ultima cœna. Vide *Hymnus*. Chriſtus unius Uxoris Sponſus. Vide *Monogamus*. Vide *Choragus*. Dicitur Vita clavata. Vide *Clavatum*. *Dei virilis*. Qua die mortuus ſit. Vide *Paraſceve*. Ejus veſtigia in Monte Oliveto, quando ad cœlum aſcenderat, nunquam tegi potuerunt. Vide *Pavio*. *Præambulus*. An nudis pedibus incedebat in terris. Vide *Sandalia*. Reliqua Vide *Deiſona*. *Epiſtates*. *Galilæus*. *Homouſion*. *Nullificamen*, *Pæonius*. *Teletarcha*. Quibus motivis inducti ſunt Hebræi ad Chriſtum, ut Redemptorem, acclamandum in die, quo Hieroſolymam ſuper aſinam ingreſſus eſt. Vide *Palmarum feſtum*. Chriſtus dicitur Virtus Dei. Vide *Verbum Dei*. Utrum appellari poſſit creatura. Vide *Creatura*.

Christologus, græcum nomen Χειϛολόγος ſignificat hominem ornate de Chriſto loquentem, in quo tamen facta locutioni non correſpondent; hinc pro eo, qui Chriſtianus nomine tantum intelligitur, cum re vera ejus opera Chriſtiano nomini minime correſpondeant.

Chrysargyrum, græcum vocabulum χρυσάργυρον, aurum, & argentum ſignificat, & pro tributo accipitur; quod in moneta aurea, & argentea a meretricibus, aliiſque infamibus perſonis Conſtantinopolitano Imperatori ſolvendum erat, de quo Evagrius, lib. 3. hiſtor. c. 39. ubi de falſitate Zoſimum hiſtoricum convincit referentem Magnum Conſtantinum ſimile tributum impoſuiſſe. Fuit autem abolita hujuſmodi ſolutio ab Imperatore Anaſtaſio. Baron. An. 330. num. 36.

Chrysobulla. Vide *Bulla*.

Chrysoclavus. Vox græco latina, ſæpe ab Anaſt. Biblioth. in vitis Pontif. uſitata. ] Super Altare majus fecit tetravela holoſerica, alithina quatuor cum hoſtillis, & roſis chryſoclavis. Anaſt. in Leone III. ] Omnes ſunt voces barbaræ compoſitæ ex græco-latino; nam *Tetravela* vela quatruplicata ſignificat. *Holoſerica*, ideſt, tota ex ſerico. *Alithina*, vera &c. Vide ſuo loco. Idemque in Benedic. III. [ Camiſias albas ſigillatas holoſericas cum chryſoclavo. ] Itaque opus textile configuratum aureis clavis erat; inde veſtis ita contexta *Chryſo clavata* dicebatur, quam Latini *Auroclavatam* dixere. [ Auroclavatis veſtibus item interdixit. Tacitus. ] Ac alii Scriptores *Clavatam veſtem* appellarunt. Antiquiſſimus Romanorum uſus fuerat, ferendi *Clavatas veſtes*; & latæ, *Laticlavi*, ſtrictæque, *Auguſti clavi* appellabantur. Atque *Laticlavias mappas* Petronius dixit, & Martialis, lib. 4. ep. 45. [ Et lato variata mappa clavo: ] quæ configurationes ex auro erant intextæ, ſeu inſutæ veſtibus, mappis, ac linteis ad modum clavorum capitis. [ Habentes tabulas, ſeu orbiculos de chryſoclavo, Anaſt. in Leone III. ] FR. Et ſæpe erant ex purpura [ Veſtitus colobio albo clavato purpura. In vita S. Bartholomæi Apoſtoli ab Abdia deſcripta, lib. 9. ] Erat enim colobium purpureum, quo ad ſagi militaris imitationem Monachi etiam utebantur. [ Habet vero colobium noſtrum clavum purpureum. Quidnam deſignat clavus ille purpureus? Unuſquiſque Regi militans habet purpuram in ſago ſuo &c. ſic & nos in colobio noſtro purpureum clavum apponimus, ut demonſtremus nos in Chriſto commilitare. S. Doroth. Abb. doctr. prima. ] Quamvis Albertus Rubenus exiſtimet, quod vox Clavus non ſignificet aliquam figuram, ſeu lineam in veſtibus; ſed colorem purpureum auro contextum, ſicut dicitur *Chryſococcinum*, *Chryſopraſinon*, *Chryſocitrion*, & reliqua colorata textilia auro mixta. Quod tamen ex eodem Bibliothecario confirmatur; nam, ut ſupra viſum eſt in dict. *Blattum* apud eundem ſignificare purpuram, & in Leone III. idem ſcripſerat: [ In Altare B. Petronillæ poſuit veſtem de ſtaurace una, habente periclyſim de blattis, ſeu chryſoclavo. ] Et vocabulum *Seu* non raro copulam *Et* apud eundem ſignificare videbimus in dict. *Seu*.

Chrysocitrion, & *Chryſococcinon*. Vide *Chryſoclavus*.

Chrysocolla. FR. De hoc vocabulo Iſidorus duobus modis ſcripſerat: primo enim lib. 33. Etymol. c. 14. ſic ait: [ Chryſocolla gignitur in India, ubi formicæ eruunt aurum, eſt autem auro ſimilis, & habet naturam magnetis; niſi quod augere aurum traditur; unde & nuncupatur. ] Hoc minerali ſtratum fuiſſe Caligulæ, Neroniſque Circum Marlianus credidit, quod alii æris ærugine picturam illam fuiſſe coloratum malunt: at Plin. lib. 33. c. 5. Marliano favet. Secundo loco idem Iſidorus, l. 19. cap. 17. ait: [ Chryſocolla colore praſino eſt, quod venæ ejus habere aurum traditur, hæc & in Armenia naſcitur, ſed ex Macedonia probabilis venit; funditur enim ex metallis æris, cujus inventio argentum, & Indicum prodit; nam venæ ejus cum iis habent naturæ ſocietatem. ] De hac ſecunda ſpecie videtur intelligi lapidem, qui vulgo *Lazul* dicitur a vocabulo

græ-

græco, quod Perſidem, aut Armeniam denotat. Vide græcos hiſtoricos de Lazulis populis, quos Beliſarius debellaverat; ex iſto enim lapide, quem Iſidorus ex Armenia provenire ait, extrahitur barba argentea, & aurea, ut teſtatur Jo: Baptiſta Porta in ſua naturali magia. De hac Chryſocolla, lib. 35. cap. 6. ſic tradit Plinius: [ Armenia mittit, quod ejus nomine appellatur; ( *nempe, Lazul græce, latine Armenia*) lapis eſt hic quoque chryſocollæ modo infectus, optimumque eſt, quod maxime viret communicato colore cum cæruleo: ſolebant libræ ejus trecentis nummis taxari.] Et lib. 33. cap. 5. de ſecunda ſpecie Chryſocollæ, idem ait: [ Chryſocolla humor eſt in puteis, quos diximus, per venam auri defluens creſcente limo in rigoribus hybernis uſque ad duritiam pumicis, laudatiorem eandem ærariis metallis, & proximam in argentariis fieri compertum eſt, invenitur & in plumbariis; vilior etiam in auraria.] Ex quibus colligitur, colorem praſinum non eſſe porraceum ut Calepinus, & alii exiſtimant; ſed cæruleum; nam chryſocollam Iſidorus ſupra ait eſſe coloris praſini, & Plinius cærulei; ergo praſinus, & cæruleus idem color eſt; ſic dicendum de *Chryſopraſo*, quem idem Calepinus cum aliis aureum porraceo colore mixtum eſſe aſſerit: contra quos reſpondetur ex Philone, qui lib. 1. Allegor. ait Ὁ δὲ σάπφειρος πράσινος λίθος ἐςίν. [ Sapphirus autem eſt lapis praſinus.] Et licet græce LXX. locum Exod. 28. 9. vertiſſent: [ Sumeſque duos lapides ſmaragdos &c.] dictio tamen hebraica *Sohom* ibi non clare ſmaragdum teſte Hieronymo in epiſt. ab Fabiol. ſignificat, & licet græce πράσιον porraceum ſignificet; hic tamen lapis chryſopraſius utrum a colore, vel a loco, unde ſumitur, ita potius denominetur, non liquere ait ibidem D. Hieronymus his verbis; [ Qui hebraice dicuntur *Sohom*, ab Aquila, & Symmacho, & Theodotione Onychini, LXX. ſmaragdi transferuntur. Joſephus ſardonychas vocat, cum hebræo Aquilaque conſentiens: ut vel colorem lapidum, vel patriam demonſtraret.] Ita etiam ex ſignificatu hujus coloris intelligere videtur Procopius, inquiens: [ Praſinus peculiariter dedicatus eſt ſacerdotali tribui, quæ cæleſtium cogitationem rimatur. Carbunculus conſecratus eſt regiæ poteſtati; ut enim ignis &c. in cap. 2. Geneſ.] Unde ex coloribus lapidum moralem ſignificatum derivat, nempe, a praſino cæleſti ad cæleſtem contemplationem, & a carbunculi colore ad ignem, ac lucentem Regum poteſtatem. Quare chryſopraſus eſt potius aureus, & cæruleus color mixtus. De praſino colore ſæpe Anaſtaſius in vitis Pontificum mentionem facit. Vide *Praſinus*. Aldourandus vero hunc lapidem cyaneum autumat a Plinio appellatum fuiſſe, & in *Chryſocolla* varia excogitat.

Chrysologus, Χρυσολόγος, græcum nomen, aureum ſermocinatorem ſignificat, cognomentum Petri Ravennæ Archiep. propter ejus ſententioſum, & ſuccinctum loquendi modum.

Chrysopetron. Vide *Praſinus*.

Chrysoras, græcum vocab. Χρυσόρας, aureus rivus: ſic appellatus eſt S. Jo: Damaſcenus; & ab Arabibus *Manſur*, ideſt, auxiliatus, ſeu redemptus dicitur; fortaſſe quia a Beatiſſima Virgine illi reſtituta fuit manus, quæ in teſtimonium veritatis ab inimicis fidei mutilata fuerat. Hoc tamen *Manſur* nomen eſt proprium inter Turcas, & Arabes.

Chrysoprasus. Vide *Chryſocolla*.

Chrysostomus, Χρυσόςομος, eximii S. Eccleſiæ Doctoris Joannis Conſtantinop. Patriarchæ cognomen, quod os aureum ſignificat.

Chrysotelia, Χρυσοτελία. FR. hoc eſt auri contributio. Evagr. lib. 3. hiſt. eccl. cap. 42.

Chrysulca. FR. Italice *Acqua forte*, ſeu *Da ſpartire* dicitur: veteribus incognita, qua Artifices utuntur ad imprimendum, & delineandum in metallis, & ea mediante aurum ab aliis metallis ſeparatur, quæ ex candida, ac clara in cæruleum convertitur auro immixta: at ſi in ea æs infuſum ſit, in caſtaneum colorem transmutatur: ferrum vero in rubrum: purum autem argentum in nigrum colorem illam convertit; hinc ſenes, & vetulæ juventutem affectantes, ad abſcondendam canitiem ſolent barbam, & capillos rufos, nigros, vel caſtaneos hac aqua tingere, variando, nempe, tantummodo metalli infuſionem, juxta colorem ab eis exoptatum.

Chydæus, græcum vocab. χυδαῖος, vulgaris, ac vilis ſignificat: [ Accipe tecum unum vaſculum chydæi vini. Pallad. in lauſiaca.] Aliqui putant fuiſſe vinum expreſſum ex palmarum fructibus.

Chytropodes, græcum vocab. χυτρόποδες. FR. ollarum ſuſtentacula, vel ipſæ ollæ cum pedibus. [ Sive clibani, ſive chytropodes deſtruantur, & immundi erunt. Levit. cap. 11.

Ciborium, græc. vocab. κιβώριον, proprie ſignificat fabæ ægyptiæ ventriculum; translative tamen vas denotat. FR. genus poculi, ſeu calicis in modum foliorum colocaſiorum factum, Hiſtor. Longobard. Adnot. in lib. 3. c. 35.: || : Hodie tamen inter Eccleſiaſticos Tabernaculum, in quo conſervatur Sac. Euchariſtia, ſignificat. [ Ciborium ex argento puriſſimo. Anaſt. in Leone III.] a Symmacho *Pixis*: & *Turris geſtatoria* a Greg. Turon. de Glor. Martyr. c. 86. dicitur. Vide ſuis locis. Antiquorum uſus erat conſervandi hoc Sacramentum in quibuſdam columbis argenteis, vel aureis ſuper Altare pendentibus, ut adhuc mos eſt in aliquibus Galliæ Eccleſiis, Pariſiis præſertim. Ritus hic in Eccleſia a D. Baſilio introductus fuit, ut in ejus vita obſervatur apud Surium, tom. 1. ubi dicitur: [ Tertiam vero ( *ideſt Hoſtiæ conſecratæ particulam* ) in columba aurea pendente repoſuiſſe.] Vide Baronium An. 57. n. 152. Item ponebatur Euchariſtia in baſe Crucis ex ordinat. Turonen. Concilii II. Ante Concil. Trident. conſervabatur in foramine muri, ſicut uſque nunc Oleum Sanctum

ctum conſervatur; quæ foramina in multis Eccleſiis adhuc videntur, ſed præfatum Trident. Concil. hoc fieri vetuit. Hodie quoque ciborium a pyxide diſtinguitur; nam pro ciborio tabernaculum, ubi ponitur vas cum Euchariſtia; per pyxidem vero vas ipſum in quo præfatum Sacramentum ponitur, intelligitur. Vide *Pixis*.

Cicatrix. Vide *Nota*.

Cicendela, *Cicendelum*, & *Cicindelis*: Pygolampas, alias lampuris, ſeu lampyris eſt, exiguum animal, Italice *Lucciola* dicitur, cui venter nocturno tempore lucidus apparet: translative vero lucerna ardente accipitur. [ Inter organa Vatum, & ardentes cicendelas, Fulber. Carnot. epiſt. 68. In Sacrarium ſub velo tranſiens, cicendelam extinguere voluit. Greg. Turon. lib. 4. c. 31. ] Invenitur etiam nomen *Cacindela* in eadem ſignificatione, a verbo *Candeo* proveniens, ſicut in dict. *Candela*, ab eodem verbo diximus derivari. Aliquando ſignificat etiam candelabrum. Vide *Butto*, *Pharus*.

Ciconia. Vide. *Erodion*.

Ciconius, res ad ciconiam avem pertinens: [ Uſque ad adventum hirundinum, & ciconium. Sidon. lib. 2. epiſt. 14.

Cicuria enniana, phraſis corrupta in Tertulliano, qui Valentinianorum ineptias deridens, inquit: [ Accipe alia ingenia circuria enniana inſignioris apud eos Magiſtri. c. 37. ] Alii *Cicurienniana* legunt ex nominibus, *Cicur*, & *Ennianus*; comparat enim ironice Valentinianorum rude ingenium ingeniis Oſcorum, quos (ut ibi notat Marius Victorius) linguam græcam, & latinam Ennius docuerat; quæ conjectura ex verbis D. Hieronymi confirmatur, cujus verba, lib. 3. contra Rufinum ſunt hæc: [ Sed nos ſimplices homines, & cicures enniani, nec illius ſapientiam, nec tuam, qui interpretatus es intelligere poſſumus. ] At Latinus Latinius Tertullianum ſic corrigit: *Accipe alia ingentia cercuriana*; quibus verbis ad ingentes Valentinianorum ineptias Tertullianus alludit; *Cercurus* enim erat ingens Aſiaticorum navis. FR. Opinionem Latinii invenies in ejus Bibliotheca Sac. ſeu Obſervationes &c. per nos hoc anno impreſſa, pagin. *199*. col. 1.

Cicuta, herba: ejus naturam. Vide *Hierophanta*.

Cidaris. Vide *Mitra*.

Cilicium Divinum, quid ſit. Vide *Pœnitentes*. Unde dicatur. Vide *Trichinas*.

Cimelia κειμήλια, Vide *Cemelium*.

Cimeliarcha, *Cimelium*, & *Cinimilia*. Vide *Cemelium*;

Cinerarium, Theca, ſeu vas, in quo cineres, ſeu oſſa Sanctorum conſervantur; & ideo *Oſſarium* etiam dicitur. Vide *Canola*. Cinerarii appellabantur Chriſtiani, ut Tertullianus teſtatur, ex eo quia Martyrum cineres verebantur. FR. hoc nomen a Vigilantio hæreſiarcha Chriſtianis primo impoſitum fuerat. Baron. an. 406. n. 44. & ſeq.

Cinerum dies, Eccleſiæ feriæ IV. Dominicæ Quinquageſimæ antiquiſſimus ritus, qui ſolebat fieri a Chriſtianis excalceatis, ut in conſtitutionibus Ciſtercienſium diſponitur, & Rupertus ait: [ Igitur ut noſtra nobis calamitas ad memoriam revocetur, & meminerimus, quia pulvis ſumus, quod oblitus eſt pater noſter Adam, quando projecit ante Deum coronam ſuam, & exinde ſenſit nuditatem ſuam: idcirco & cinere capita noſtra aſpergimus, & ſummas partes corporis, ideſt, pedes nudamus, hoc habitu confitentes quia non Dii, neque de cœlo ſumus; ſed homines ſumus, & de terra principium habuimus, & quia per peccatum gloria noſtra ſpoliati, & inter hoſtes conſtituti, ornatu gratiæ Dei indigemus. De divin. Offic. lib. 4. cap. 10. ] FR. Extremæ ſiquidem admirationis civium Halberſtadii Saxonum mos erat in hac die, ex relatione Æneæ Sylvii in ejus Europa, c. 2. ſceleſtiorem enim civium inquirebant in hac die, quem lugubribus indumentis veſtiebant, ac capite velato in Eccleſiam conducebant ex qua peractis divinis officiis, illum expellebant. Hic per totum Quadrageſimæ tempus nudis pedibus in Civitate perambulabat, omneſque Eccleſias viſitando, minime ingrediendo, nec cum ullo unquam loquebatur; erat tamen alternatim ad menſam inter Canonicos invitatus. Dormiebat poſt mediam noctem, tandem poſtea ab omnibus peccatis, ac enormitatibus commiſſis abſolvebatur; & deinceps Adam appellabatur :||: Adhibendus eſt cinis pro hoc die ex palmarum, & olivarum ramis, anno præcedenti benedictis, ut in Rubricis diſponitur, quod & Græci quoque obſervant: cum enim hæ ramorum binæ ſpecies, una, ſcilicet victoriæ, miſericordiæ paciſque altera ſymbola ſint; hinc admonentur fideles, quod mediante pœnitentia, & vitiorum victoria, & divinæ miſericordiæ reconciliatio acquiratur. FR. In Ambroſiano ritu diſpenſantur cineres ad feriam ſecundam Rogationum, quæ ibi poſt Aſcenſionem celebrantur. :||: In Cappella papali, quando Pontifici ſuperimponitur cinis a Celebrante Cardinali: advertit ibi Cæremoniale, lib. 2. cap. 31. quod Celebrans: [ Stans coram eo ſupra ſcabellum, nihil dicens, imponit Papæ ſedenti cineres ſupra caput in modum crucis. ] Quod ſolet fieri ad Sanctam Sabinam, ubi quadrageſimalis ſtatio incipit; ſed Cencius Camerarius in ſuo M. S. Cæremoniali teſtatur, quod Papæ quoque dicebantur memoranda verba: *Memento homo &c.*

Cingulum, Zona, baltheus, ſacrum ligamen ad celebrandum ordinatum. In quodam antiquo Pontificali M. S. *Cinctorium* appellatur. Contemplative charitatem Chriſti ſignificat. Innocent. Papa de Myſt. Miſſ. cap. 37. hujuſdemque Chriſti Virginitatem. Bonavent. Item flagella in paſſione ejuſdem. Durand. Item funes, quibus idem in paſſione ligatus fuerat. D. Thomas. Atque moraliter cuſtodiam cordis ſecundum Rabanum denotat. Continentiam repræſenta-

ſentari ait Amalarius. Fortitudinem denotare, inquit Heſychius, & tandem arcum perfigurat, quo contra communem hoſtem dimicatur. [ Cingulum pro arcu ſe cingit, ſubcingulum pro pharetra ſibi appendit. Gem. libr. 1. cap. 83.] *Subcingulum* & *Subcinctorium* non eſt amplius in uſu; ſolus tamen Papa adhuc in Pontificali uti ſolet, eſtque ad parvi manipuli formam, in latus ſiniſtrum appenſum. [Primum cingulo cum ſubcinctorio in parte ſiniſtra pendente, Cæremon. Papale] Quod non adhibet Papa, ſi celebraturus ſit in die Veneris Sancti. [ Deinde per Diaconum, & Subdiaconum paratur conſuetis paramentis, exceptis ſandaliis, & ſubcinctorio, fanone, & chirothecis. Ibidem.] Et appellatur etiam *Perizoma*, ejuſque ſignificatum, Geminian. lib. 1. de Antiq. Rit. Miſſæ, cap. 206. exponit, inquiens: [ Per hoc eleemoſynarum ſtudium accipitur.] Apud Græcos fit ad modum burſæ calicis, & angulariter illi appendunt, itaut figuram rombi præſeferat, ac ἐπιγονάτιον illud appellant, ideſt ſupergenuale; nam uſque ad genua extremitas illius anguli inferioris pertingit: adhibetur ab Epiſcopis, aliiſque Eccleſiaſticis Dignitatibus, etiam a Parochis. Quod autem ad conſcientiam ſpectat, dicimus cum Enriq. lib. 9. de Miſſ. cap. 29. num. 5. & Sylveſt. in verb. Miſſa, in caſu neceſſitatis celebrare abſque cingulo benedicto non eſſe peccatum, quæ neceſſitas eſſet exemp. gratia urgentia præcepti de audienda Miſſa in feſto de præcepto: ratio eſt, quia antiquitus in aliquibus Eccleſiis non benedicebatur cingulum; quod quando frangitur, non poteſt innodari; ſed utendum eſt de illius majori portione; nam denominatio benedicti cinguli intelligitur ſecundum majorem partem, & minor pars benedictionem amittit, ut de Altari portatili fracto in dict. *Altare* dictum eſt. Vide Zachar. Paſqualigum in ſuis Deciſ. moralib. Si tamen antequam totaliter rumpatur, prænodetur, non amittit benedictionem. Gavant. part. 2. tit. 1. Poteſt defectu cinguli uti ſtola, & loco hujus manipulo, ſi longus hic eſſet. FR. Item antiquitus magiſtralis dignitatis ſignum denotabat cingulum: [Magiſtratus enim, qui hoc jubere auſus fuerit, ammiſſione rerum, & cinguli condemnatione plectetur, can. nullus Epiſcopus, 11. quæſt. 1.] Dicitur etiam cingulum clericale in canone, Chriſtianis, 11. quæſt. 1. Item ſignificat zonam in qua conſervatur moneta. Vide *Ventralis*. Synonyma prioris ſignificatus. Vide *Epigonation*. *Scriniarius*.

Cingulum Brachiale, manipulum ſignificat.

Cinifes, ex græco vocabulo σκνῖφες, ſic in textu Græco. Pſal. 104. legitur, ubi nos latine habemus: [Dixit, & venit cœnomyia, & ciniſes in omnibus finibus eorum.] quod culices ſignificat.

* Cinis. Dies Cinerum jejunio Quadrageſimali additus: *Bellarm.* de pœnit. lib. 1. cap. 22. Vide *Cinerum Dies*.

Cinticulum. Vide *Manipulus*.

Cinyra, fidicula, lyrula, ſeu cithara, a græco vocabulo κινύρα. [ In ipſa renovatum eſt in canticis, & citharis, & cinyris, & cymbalis. 1. Machab. c. 4.

Cionita. Vide *Stylita*.

Cippus, de quo vocabulo ſic Tertull. de Pallio, cap. 5. ait. [ Pallium facile ſeſe regit, facile reficitur; etiam cum reponitur, nulli cippo in craſtinum demandatur.] ubi Cippus non denotat arcam, ſicut Pamelius interpretatus eſt, nec perticam, aut lignum aliquod tranſverſum ad pallium ſuſpendendum, ut Franciſcus Junius putavit: ſed torcular potius, ſeu ſuppreſſorium aliquod, ſub quo veſtes complicatæ, ac compreſſæ ſupponi ſolent, ex ſimilitudine compedum, in quibus reorum pedes comprimuntur, quod tormentum *Pedica*, & *Cippus* dicitur; ita toga, ut ſuas rectas plicaturas, ac nitorem retineret, noctu ſic ordinata comprimebatur, quam diligentiam in pallio non requiri, inquit Tertullianus. FR. Item ligni truncum perforatum ſignificat, in quo Minorum Ordinis Religioſorum peculium conſervabatur. Clement. c. exivi, §. quo circa quæſtus omnis pecuniæ, de verbor. ſignif. & ibi Gloſſa.

Circada, tributi, ſeu datii ſpecies. [ Jube inclyte præſul non dare circadas de Eccleſiis noſtris. Fulbert. epiſt. 110. In iſto regno per occaſionabiles circadas, & per indebitas conſuetudinarias exactiones ante viginti annos impoſitas non affligantur. Hincmar. ep. ad Ludovic. Balbum Imper.] Ubi Carolus Pariſienſis Doctor in ejus Notis a circumeundo *Circadam* dictam fuiſſe ait, quia circumeundo colligebatur. Idem vocabulum in quodam privil. pariſienſi cœnobio S. Dionyſii a Diœceſano conceſſo, legitur ſic: [ Omnes illi, qui in hoc circumſcripto ſpatio Eccleſiis ſerviunt, ſint liberi & abſoluti ab omni debito, & redditione circadarum.

Circelli, inaures, muliebre ornamentum, græce κιρκέλλια. Siculi adhuc idem vocabulum retinent. [Obtulit circellos paria duo gemmis ornatos. Anaſt. Bibl. in Leone III.] ita dicti a *Circulo*.

Circelliones, vel *Circumcelliones*, & *Circuitores*, clerici vagivagi. Item Donatiſtæ Hæretici. Vide *Agnoſtici*. *Bonaſiani*, ſeu *Bonoſis*; quorum depravatos mores Iſidorus, lib. 2. de Eccleſ. Off. c. 16. minute deſcribit.

Circinare. FR. Crines vellere, l. ſi quis caballum 2. De furtis. Inde Romani ſolent mulierem anguſtiatam, & miſerabilem, ſeu in ærumnis lapſam, *Circinatam* appellare.

Circiter, adverb. Vide *Quod excurrit*.

Circuitores. Vide *Circelliones*.

Circulus, tranſlative ſcutulam, ſeu lancem ligneam denotat, qua Monachi uti ſolebant; ſic colligi videtur ex D. Gregorii verbis in Regiſt. lib. 5. cap. 56. ubi ait: [ Cocleares vero, & circulos, quos direxiſti, ſuſcepimus, quia qualiter pauperes diligas oſtendiſti, qui ad uſus eorum quæ ſunt neceſſaria, tranſmiſiſti.

Cir-

Circumcelliones. Vide *Circelliones*.

Circumcisio Domini. Feſtum ad Kalendas Januarii ab Eccleſia celebratum, ut ſuperſtitionibus Gentilium in his diebus concurrentibus opponeretur, ut dictum eſt in dict. *Cervula*. Hinc Auguſt. in pſalm.98.[Per iſtos dies ad hoc jejunamus, ut quando ipſi lætantur, nos pro illis gemamus.] Et Ambroſ. ſerm.2. de Kal. Januar. ait: [Tunc nos ſumus ſobrii, atque jejuni, quo intelligant lætitiam ſuam noſtra abſtinentia condemnari.] De hoc etiam jejunio Ordo Rom. c. 20. mentionem facit, eoque die omittebatur *Alleluja*, ex ordinatione Toletani Concil. c. 10. Ob eandem rationem prohibita ſunt munera, & ſtrenæ in hac die. Vide *Strena*. In hac etiam die perſona, & larva ſe induebant ad Gentilium imitationem Chriſtiani nonnulli, quos in ſermone ad Kal. Januarii ſic Sanctus Maximus coarguit: [Numquid non omnem excedit inſaniam, cum decorem vultus humani, Dei ſpecialiter manibus in omnem pulchritudinem figuratum, ſquallore ſordium, & adulterina fœditate deturpat?] Eandem Chriſtianorum inſaniam ſerm. 155. Petrus Chryſologus deflet, inquiens: [Ubi noſtram Chriſtus pie natus eſt ad ſalutem, mox Diabolus divinæ bonitati numeroſa genuit, & pernicioſa portenta.] Qua de cauſa in aliquibus M.S. & antiquis Miſſalibus in Miſſa hujus diei inſcribebatur titulus hic. *Miſſa ad prohibendum ab Idolis*. Quæ eccleſiaſtica mœſtitiæ ſigna per totum temporis curſum, uſque ad ceſſationem ſuperſtitionum durarunt, ut Durand. lib.6. cap.15. & in lib.7. c. 1. teſtatur, quod uſque ad ejus ævum duæ Miſſæ ſolemnes in hac die celebrabantur, prima, ſcilicet, de Circumciſionis myſterio, & altera de S. Maria.

Circumduco, quid apud Tertullianum ſignificet. Vide *Traduco*.

Circumitor. FR. Monaſticus officialis, ad quem pro conſervatione regularis obſervantiæ cellas Monachorum viſitare ſpectabat.

Circumlustrator, Titulus S.R.E. Archidiaconi peculiaris, qui etiam *Diaconus perſcrutator* dicebatur, quia ad illum totius Cleri cura, ac diſciplinæ eccleſiaſticæ obſervantia pertinebat.

Circumvenio. FR. Decipio. [Et de hoc memoratus P. non feciſſet in ſuis litteris mentionem: intelligendum erat circumveniſſe prædeceſſorem noſtrum, & litteras, veritate tacita, impetraſſe. De reſcript. capit. 19.

Cismarinus. FR. Ex citra mare, cujus antitheſis eſt transmarinus. Extrav. c. unico, tit. 7.

Cispaticum. FR. Jus paſcendi, vel ligna incidendi in ſylvis, & in campis ceſpites colligendi, ex quibus hoc vocabulum deductum eſt: Bullar. Caſinen. tom. 2. conſt.36. Fit etiam mentio in Conſt. Caroli Magni, tit. de Teloneis, & Ciſpaticis. An idem ſit cum vocabulo Ceſpaticum, de quo ſuo loco dictum eſt ſupra, videant eruditi.

Cistelium. FR. Cancellum, ſeu agger. [Amphitheatrum extentus carnifex, imperat duci, quatenus patefactis ciſteliis, & apertis clathrorum obſtaculis, urſorum geminis carperentur, & leonum rictibus roderentur. In Act. S. Juliani, & Socior. Mart. 9. Jan.] Ubi ſecundum Voſſii opinionem non *geminis*, ſed *genuinis* legendum; ſubauditur enim *dentibus*. Inſuper in aliquibus mendoſis codicibus *Cruſtelium*, pro *Ciſtelio* legitur.

Cisterciences. FR. Monachi valde conſpicui in tranſactis ſæculis ob ingentia merita, ac præcipue in bellis ſacris, de quibus reticendum eſt melius, dum locutionis copia ad eorum eximias laudes non ſufficeret. Appellantur etiam *Monachi de Ciſteria*; [Et Abbatem, & Conventum de Ciſteria. In cap.2. de ſequeſtrat. poſſ.] Quæ vero de his hic ſparſim notantur. Vide *Armarium*. *Cereus paſchalis*. *Cinerum dies*. *Crux*, *Farſura*. *Griſeus*. *Invitatorianus*. *Minutus*. *Miſericordia*. *Mixtum*. *Officium B. Mariæ*. *Piſcina*. Salinum in dict. *Salarium*. *Socculus*. *Spargillum*. *Succentor*.

Citatorium, citatio, intimatio: [Omnia citatoria omnium cauſarum, atque perſonarum, l. omnia, C. de Princip. agent. in reb.] Aliquando Principis edictum denotat.

Cithara. FR. ideſt, vita activa, ſeu laicalis. [Qui matrimonium contraxerunt, eccleſiaſtica beneficia detinere contendunt; in quorum converſatione cithara cum pſalterio male concordat. De Clericis conjugat. cap.5.] ubi gloſs. ait, [Per citharam intellige vitam activam, ſeu laicalem, per pſalterium intellige vitam contemplativam, ſive clericalem; ſed aliquis non poſſet eſſe ſimul activus, & contemplativus, & ſic conjugatus Eccleſiam habere non debet.] De Cithara vero inſtrumento. Vide *Epicithariſma*. Prima ejus chorda, Vide *Nete*, ac de inferiori chorda, vide *Hyppate*.

Cito, vide *Diſmano*. *Intimo*.

Civitatensis, Vide *Diœceſanus*.

Clamaterius: [Clamaterios argenteos ſubtus. Anaſt. Biblioth. in Sergio II.] Sed Climacterios legendum a *Climactere*, quod gradus græce ſignificat, & κλιμακτηρικός, ideſt, graduatus. Vide *Climacterius*.

Clamium, FR. Querimoniæ, querela, lamentatio, in Sacr. Scriptura Clamor dicitur, [Deſcendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me. Geneſ.18.] Clamium igitur idem ac Clamor gallice *Clamear*. [Fecerit ſecurum de clamio ſuo proſequendo. Matth. Pariſ. In Hiſt. Ann. 1206.] Ali tamen *Clameum* ſcripſere.

Clamor Lætitiæ. Vide *Alalagmus*. Clamor mœſtitiæ. Vide *Ololygmus*.

Clare. Vide *Luminoſiter*.

Clasma, κλάσμα. FR. Chaſma, ſciſſura, ſchiſma, rebellio; [Hoc enim ſtetit, ut ſi aliqua claſma facta fuerit in finibus veſtri Ducatus Neapolitani terra, marique, a quacumque alia provincia. In Capitulare Sicardi, cap.1. apud Camillum Peregrinum. In Hiſtor. Princ.

Princ. Longobard. ] Ego tamen puto Claſma claſſem ſignificare: [ Aut per concilium, & conſcientiam noſtram aliqua claſma a veſtris hominibus facta fuerit. Ibidem.

Classicum, aliquando campanam ſignificat. [ Pulſato igitur ſolemni claſſico. Matth. Pariſ. in vita Abb.

Clava, Veſtis. Vide *Chryſoclavus*. Clava Herculis. Vide *Scytalo ſagitti-pelliger*.

Clavatum, Veſtigium, fortaſſe ſumpta metaphora ex ſigno impreſſo a clavo ; [ Multi jam præceſſerunt, viam Virgines delicatæ, & e veſtigio ſequentes patrem, ſequere clavata eorum Bleſſen. Ser. 3. Reperitur in ſenſu adjectivo, & ſignificat concluſum. [ At ille cernens ſe in diſcrimine, tutata intra Urbis Lugduni clavati muros conjuge ſua, ad Guntheramnum Regem confugit. Greg. Turon. lib. 6. cap. 4. ] Sic etiam *Vita Clavata* a nonnullis appellatus eſt Chriſtus Cruci affixus ; ipſa enim veritas ſic de ſe faſſa eſt : [ Ego ſum vita ; ] inde meditative clavata vita dicitur. Hic obiter dicam, quod credibilius ſit quatuor clavis ChriſtumCruci affixum fuiſſe. Ita tenent Gregor. Turon. de Glor. Martyr. lib. 2. cap. 6. inquiens : [ Clavorum ergo Dominicorum gratia, quod quatuor fuerint, hæc eſt ratio : duo ſunt affixi in palmis, & duo in plantis. ] Atque Innoc. III. Ser. 1. de Mart. ait : [ Fuerunt & clavi quatuor, quibus manus confixæ ſunt, & pedes affixi ſunt. ] Reprimenda ergo eſſet Pictorum idealis libertas, atque cupido, qui Crucifixum tribus tantum clavis, abſque ullo rationis fundamento, repræſentant ; imo omni congruitati contraria hæc eorum phantaſtica opinio eſſe videtur ; quænam quæſo ratio ſuadet, quod Hebræi ob parſimoniam quarti clavi transfigere debuiſſent ambas pedum plantas Chriſti unico clavo, quod difficiliter fieri potuiſſet? Quare optime Lindanus, inquiens: [Chriſtum Dominum una noſtri cauſa crucifixum non tribus clavis fixum fuiſſe, ut hodie vulgo habent imagines ; ſed quatuor verius crediderim, non ſolum ex vetuſtiſſimis Lovanii, Pariſiis, & per Germaniam imaginibus ; ſed tabellis etiam antiquiſſimis in Græcia pridem fabrefactis. In Panopl. lib. 14. c. 47. ] Idem etiam antiquiſſima in Italia ſuffragant Crucifixorum exemplaria, ut eſt illud Lucenſis Civitatis, de quo traditur fuiſſe a Nicodemo Chriſti Diſcipulo formatum, item in Ceroli terra inter Lauretanam, & Anconitanam Civitates exiſtens, & Romæ in variis locis, præſertim in Eccleſia S. Clementis, ubi muſivo opere adhuc extat antiquiſſima, ac devotiſſima Crucifixi imago, atque ex ære altera in Vaticanis Cryptis jam a CM. annis circiter efformata, quæ omnes iſtæ imagines duobus clavis in manibus ac totidem in pedibus habentur. FR. Occaſione mentionis horum Chriſti clavorum, non eſt prætermittenda quædam de eis hiſtoria, quæ a præfato Gregor. Turon. & ab aliis antiquiſſimis Hiſtoricis narratur, nempe, quod adriaticum mare, in quo prius magno periculo navigabatur, ejus ſævitia mitigata aliquantulum fuit per unum ex his clavis, quibus fuerat Chriſtus crucifixus, a Conſtantino Magno ibi projectum ; ſed in hac re ad Relatorum fidem remitto Lectorem, & ad Baronii Annales, An. 326. n. 51. & ſeq. Qui etiam refert ad An. 929. n. 2. & ſeqq. Lanceam formatam fuiſſe ex parte unius ex iſtis ſacris clavis. Vide *Epiurus*.

Clavatus, ideſt clauſus. Vide *Chriſmarium*, *Clavatum*.

Clavesignati, Pontificis milites, qui in vexillis, ac in veſtibus claves Eccleſiæ effigiatas gerebant. Odoric. Raynal. An. 1228. n. 13. & ſeqq.

Clavica - FR. Cloaca, italice *Chiavica* dicitur. [ Jaquintus vero ille per clavicam &c. ingrediens. Falco Benevent. in Chron. ad an. 1137.

Clavis. Vide *Gomphus*.

Claustrum, Monaſterium ; [ Converſus noſter exivit de clauſtro cum Abbate ſuo. Cæſar. lib. 1. hiſt. c. 1.] Et clarius idem Auctor de quodam fœminarum Monaſterio, lib. 4. c. 91. agens, ait : [ Prius tamen, ut audivi, fœminam ſe ſimulans pro fœmina in clauſtro quodam Sanctimonialium ſuſceptus. ] Hinc *Clauſtralis*, Monachus ſæpe appellatur. [ Vir autem clauſtralis, vel optimam partem elegit ſibi, quæ non auferetur ab eo. Bleſſen. Serm. 10. ad Monach.

Clausura. FR. In Regulis S. Benedicti nonnumquam interdictum, pœnamve, & Eccleſiaſticam cenſuram, ſeu quamlibet aliam prohibitionem denotat : [ Scurrilitates vero, vel verba otioſa, & riſum moventia, æterna clauſura in omnibus locis damnamus, c. 6. ] Vide *Proſſura*. Quatenus vero monaſterium ſignificet, ejus ſynonyma, Vide in dict. *Monaſterium* notata. Clauſura Monialium. Vide *Sacella*. *Semnium*.

Clavus. Vide *Plonum*.

Clema, quid ſit. Vide *Vitem dare*.

Clemens Papa IV. Vide *Draconarius*. Clemens Papa X. *Jubilaum*.

Clenicus. Vide *Clinicus*.

Clenodium, Rex magni valoris, & æſtimationis, a nomine græco κλέος, quod famam, ſeu valorem ſignificat. [ Invidens Diabolus tantæ virtuti ; in ſpecie viri admodum pulchri, ſatiſque decenter veſtiti apparens virgini, cœpit illam verbis amatoriis ſollicitare, clenodia offerre, laudare conjugii fœcunditatem, virginitatis vituperare ſterilitatem. Cæſar. lib. 3. c. 6. ] Et proprie donum pretioſum ſignificat, ut ex ſequentibus verbis colligitur: [Ex ſcriniis, & ciſtis Abbatis violenter effractis cum eorum inſtrumentis plurima bona, & clenodia rapuerunt. Annal. Egmond. ] Alii a græca dictione κλεινώδιον *Clinodium* ſcribunt.

Clerica. Vide *Tonſura*. *Papalethra*.

Cleriucs, Eccleſiaſticus Miniſter, a græca dictione κλῆρος, quæ ſortem, & hæreditatem ſignificat; Clericus enim ipſummet Deum in hæreditatem acquirit, & in ſortem miniſterii ad inſtar Apoſtoli Matthæi vocatur. ] Si enim cleros græce, ſors latine ap-

appellatur; propterea vocantur Clerici, vel quia de ſorte ſunt Domini, vel quia Dominus ſors, ideſt, pars Clericorum eſt. Hieron.ep. 2. & can. Clericus, 12. qu.1.] Verum quia non pauci eo fine clericatum exoptant, ut a laicali poteſtate ſe eximant, vel ut in criminalitatibus ab eis patratis non recognoſcantur a Judice laico; ideo tantum eſt in Synodo Aurelian.1. c. 6. de ordinationibus clericorum: [ Id obſervandum eſſe decernimus, ut nullus ſæcularium ad clericatus officium præſumat accedere, niſi aut cum Regis juſſione, aut cum Judicis voluntate.] Ac ſanctiſſime Tridentina Synodus, ſeſſ. 24. cap. 4. admittendos ad clericatum illos tantum decreverit, de quibus probabilis conjectura ſit, eos non ſæcularis judicii fraude, ſed ut Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe.] Ex quibus verbis Ledeſma, tom. 2. de Sacram. Ord. cap. 7. concluſ. 3. peccare mortaliter infert eum, qui animo non ſuſcipiendi ſacros ordines; ſed ſolum minoribus initiari, ut eccleſiaſtico foro fruatur. Imitari D. Ambroſium deberent Epiſcopi, qui renuit quendam ordinare, licet favore multorum commendaretur, non alia de cauſa, niſi quia ejus actiones aliqualem indecentiam oſtentabant, ut ipſemet S. Doctor, lib. 1. de off. c. 18. refert: ac alium idem prohibuit, ne coram ipſo amplius veniret, quia in ejus inceſſu vanitatem affectabat. Quare locorum Ordinarii obſervare debent Sacræ Congregationis Epiſcop. & Regul. decretum, ſub die 20. Jul. 1592. emanatum, per quod prohibetur, ne præjudicium laicis fiat, ut in qualibet Eccleſia Clerus neceſſarium numerum ad illius ſervitium non excedat. Alia vitioſa intentio, etiam per Europam in ſuſceptione clericatus reperitur: ſunt enim qui Sichem imitantes, quando hebraicam religionem ille amplecti voluit, non quidem devotionis cauſa, ſed ad Dinæ pulchritudinem fruendam, paſſus eſt circumcidi: ſic plerique Chriſtiani clericatus tonſuram ideo recipiunt, ut bona eccleſiaſtica conſequantur, de quibus D. Hieronymus, epiſt. 2. lamentatur, inquiens: [ Ut ſuſciperet eos Eccleſia divites, quos mundus tenuit ante mendicos.] Hi, nimirum, inter turbam propter multiplicationem panis Chriſtum ſequentem a D. Gregorio connumerantur, atque ſic exclamat: [ Per horum perſonam Dominus illos intra Sanctam Eccleſiam deteſtatur, qui per ſacros ordines ad Dominum propinquantes, non eiſdem ordinibus virtutum merita, ſed ſubſidia vitæ præſentis exquirunt: nec cogitant, quid vivendo imitari debeant; ſed quæ compendia percipiendo ſatientur. Satiatos, quippe, de panibus Dominum ſequi, eſt de Sancta Eccleſia temporalia alimenta ſumpſiſſe. In Job, c.30.] Clerici ſuperpelliceum qua forma debent ferre. Vide *Superpelliceum*. FR. Nervoſius equidem beneficiati Clerici vitioſas divitias exaggerat Severus Sulpitius, Dialog. 1. cap. 14. inquiens: [ Si quis Clericus fuerit effectus, dilatat continuo fimbrias ſuas, gaudet ſalutationibus, inflatur occurſionibus, ipſe etiam ubique diſcurrit, & qui antea pedibus, aut aſello ire conſueverat, ſpumante equo ſuperbus invehitur; parva prius, aut vili cellula contentus habitare, erigit celſa laquearia, conſtruit multa conclavia, ſculpit oſtia, pingit armaria, veſtem reſpuit groſſiorē indumentum molle deſiderat; atque hæc caris viduis, & familiaribus mandat tributa virginibus; illa ut byrrum rigantem, hæc ut fluentem texat lacernam.] :||: De Clerico negotiatore deinde ſic Auguſtinus; [Negotiatio ita damnabilis eſt Clerico, ſicut uſura laico.] Atque Apoſtolus monet, quod: [ Nemo militans Deo, implicet ſe negotiis ſæcularibus, 2. ad Timot. c. 2.] FR. Gloſſa tamen in c. pervenit, 21.q.3. tria genera ſæcularium negotiorum Clericis prohibita recenſet, nempe, emptio rei a Clerico facta, ut carius eam vendat. II. ſæcularium cauſas exercere, niſi certis perſonis exceptis. III. non licere Clericum procuratorem, ſeu adminiſtratorem eſſe ſæcularium rerum. Licere tamen, ait, Clericum neceſſitate coactum conducere a laicis poſſeſſiones, cum & Monachis licitum ſit, c. dilecti, extrav. de decimis. Clericum, & præcipue Sacerdotem non ſolum percutere, ex can. Trident. Si quis ſuadente diabolo, eſt prohibitum; ſed etiam verbis offendere. Vide *Defendo*. Clericus dicitur ſacroſanctis catholicæ religionis imbutus myſteriis, can. nemo, de pœnit. diſt. 1. Notandum, quod Clericus conjugatus, nedum debere, ſed nec ei licere tonſuram deferre, c. 7. de Clericis conjugatis :||: Clericus dicitur litteratus. Vide *Literatus*. Non decet uti cap. Odoardus, ut in dict. *Chrenecruda*. Debet incumbere ad ſtudia, hinc ſcientia antiquitus *Clericatura* vocabatur, & Clerici dicebantur *Doctores*, & e contra Clerici Gyrovagi, Acephali, Errones, Hippocentauri, Vacantivi, Transfugæ, Vagivagi appellabantur, qui minime ad ſtudia incumbebant. Abſque dimiſſorialibus litteris pro atteſtatione morum, & ſcientiæ aliquem Epiſcopum tales Clerici decipere quærebant, ut mediante pecunia, vel favore eos ordinaret, recurrebantque ad Conſtantinopolitanum Patriarcham, vel ad Carthaginis Primatem, qui facultatem habebant Clericos abſque dimiſſorialibus inſtituere: Balſamon in can. 16. Apoſtol. Antiquitus Clerici ferebant veſtem violacei coloris, eodem modo, quo hodie Pontificis familia, & Prælati utuntur, de qua re diximus in dict. *Birrus*. Hinc Hieronymus, in epiſt. 3. ad Nepotianum, colorem nigrum, ſeu album in clericalibus veſtibus damnat. Fuit color niger per Monachos in clericos ſæculares introductus, in illis, nempe, ſæculis, in quibus Nigrorum ordo Cathedram S. Petri obtinebat; quare ex eodem ordine innumerabiles per orbem ad Epiſcopatus aſſumpti, atque nigrum habitum eorum religionis retinentes, hinc ſæculares clerici eorum ſubditi, ad ſuperiorum ſimilitudinem eundem colorem nigrum introduxerunt in veſtibus. Vide *Nigrorum Ordo*. FR. Gloſſa, c. 1. Clement. de elect. Clericis, inquit: [ Sæcularibus habitus certi colo-

coloris, vel formæ non eſt præfixus. ] Quod idem notat ſecundum Cardinalem Alex. conſ. 7. in fin. lib. 1. & conſ. 149. ad fin. lib. 6. De clericalibus ordinibus. Vide *Ordines eccleſiaſtici*. Clericus primæ tonſuræ dicitur Confeſſor. Vide *Confeſſor*. Clerici antiquum officium. Vide *Foſſarius*. *Litteratus*. Clericis medicam artem exercere prohibitum. Vide *Phyſica*. *Prajacens*. *Sportulantes*. *Tabellionatus*. *Taxatus*. Clerici Miniſtrales. Vide *Statio*.

Clesonista. Imputatus, & diffamatus, uti reus, a græco verbo κλήζω, quod nominare ſonat, quod vocabulum in conſtitutionibus Caroli Magni reperitur.

Clibanum. FR. in conſtitutionibus Leonis Imp. loricam ſignificat. Vide *Hasberga*. Hinc cataphracti milites in Codice Theodoſ. *Clibanarii* appellantur, quo vocabulo etiam uſi ſunt Ammianus Marcellinus, & Nazarius in Panegyrico ad Conſtant.

Clibio. FR. Maſculus. Gloſſ. Iſidor.

Cliens. Vide *Suſceptulus*.

Climaterius, Graduatus, vel ſcalatus, a voce græca κλιμακτῆρες, quæ gradus ſcalæ ſignificat, ut dictum eſt in dict. *Clamaterius*. [ Fecit coronas habentes una climaterios argenteos ſubter pendentes ſeptem, & triginta. Anaſt. Biblioth. in Leone III. ] Inde *Annus climaterius* dicitur, ex eo quia graduatim certum annorum numerum denotat, id eſt, ſeptenarium, in quo (ut aliqui aſſerunt) hominis complexio variatur, ideoque in iis periodis vitæ periculum a Medicis arguitur. Jo: Monachus *Climacus* dictus fuit, quia tractatum graduum vitæ monaſticæ, ac perfectæ ſcripſerat. Item Cœli *Climata*, ideſt, graduationes.

Clinicus, & *Clenicus*. Infirmus diu in lecto jacens, a græco vocabulo κλινικός, quod jacentem ſignificat, a κλίνη, ideſt, lectus. [ Quem nudum, & clinicum non Fabiolæ veſtimenta texerunt? Hieron. in Epitaph. Fabiolæ ad Oceanum. Veniens autem ad eum quidam Felix nomine, cujus uxor clenica jacebat annis quatuor. In paſſ. S. Calixti Papæ. ] De quo vocabulo ſæpe in canonibus, ubi de baptiſmo dando ſimilibus infirmis loquitur, qui *Lectularii* etiam dicuntur: quamvis *Lectularii* aliquando intelligantur Medici, eo quia circa lectum infirmorum verſentur. Vide *Clydomenus*.

Cliothetrum, ex ſenſu verborum textus colligitur, aliquod clinatorium, in quod innititur, ſignificare; quamvis mendoſe Cliothetrum legatur; nam ex dictione κλοιθήκιον originatur, quæ truncum, ſeu valvarum jugum, & ſtipitem ſignificat. [ Inter hæc Joannes præteriti maceratione jejunii, & vigiliarum continuatione feſſus ut cliothetro ſedebat violentia ſomni. In Translat. S. Sebaſt. Mart. 20. Jan. c. 6. §. 26. ] FR. Cliothetrum, quaſi κλιντήριον, reclinatorium, ſellula, in qua reclivi cervice recumbi poteſt; ſeu κλινοθήκιον, locus habitationis æſtivæ commodus, ſeu (quod fortaſſe melius) quaſi κλινοθέντρον, quod idem denotat: θέρετρον enim pro θέντρον ſcribi ex Galeno Henricus Stephanus in ea voce comprobat.

Clita, militaris machina ad explodenda longinque ſaxa. [ Ita præparaverunt clitas ad debellandum caſtrum. In vita Caroli Magni.

Clito, græcum vocab. κλυτός, inclytum ſignificat, peculiaris primogeniti Imperatoris, aut Regis titulus: reperitur etiam diminutivum *Clitunculus*.

* Cloaca. Fons Baptiſterii a Gregorio Magno ſic dictus, propterea quod in illo peccati ſordes deponebantur.

Cloacarium. FR. Contributio pro cloacis purgandis, l. ſi pendentes, §. ſi quis, ff. de uſufruct.

Cloacina. FR. ſic a Tertulliano appellatur cloacarum Dea; ſed ab aliis Cluacina dicitur.

Clocca, Campana, a gallica voce *Cloche*. ] En ſi vobis laborioſum non ſit, ut cloccam unam transmittatis. Bonifac. epiſt. 9.] Item Cloccam Equites Melitenſes togam illam vocant, qua induuntur, quando in concilio præſident: vel ex Crocea corrupte ſic dicta. Vide *Crocea*.

Cluacina Dea. Vide *Cloacina*.

Cluniacensium Ordo. Vide *Concambio*, *Granatarius*. *Haracium*, *Juſtitia*, *Kyrie eleiſon*, *Paraclytenſe*.

Cluor, paſſivum verbum cum ſignificatione activa, loco verbi *Cluo*, a verbo græco κλύω, quod audio ſignificat. [Magni Servi Dei per illam, qua pie videris bonitatem clui. In vita Sancti Genulphi Epiſcopi, cap. 3. §. 18. ] Ubi vere *Cluere* potius dici debuiſſet.

Clustellum, corollarium, ſeu concluſio. [ Et breviter ſententiæ cluſtella cuncta concluduntur. Fruſtra de fide catholica inaniter gloriatur, qui dogma, & regulam S. Petri non teſtatur. S. Bonifacius, ep. 74.

Clusura, a clauſura corrupte; territorium, ſeu campum aggeribus circumſeptum denotat: inde pro limitibus, & confinibus accipitur, de quibus Caſſiodorus in ep. Gothis, & Romanis nomine Theodorici Regis, l. 2. variar. lect. ſic ſcribit: [ Eos, qui portubus, & cluſuris præſunt, ] qui confines ab aliis Scriptoribus *Cliſuræ* dicuntur.

Clydomenus, græcum nomen κλυδωνιζόμενος, fluctuantem ſignificat. [ Sive viduæ, ſive clydomeni, qui ſe exhibere non poſſunt, ſive ii, qui in carceribus ſunt, ſive excluſi a ſedibus ſuis, utique habere debent qui eis miniſtrent. S. Cypr. epiſt. 3. ] Paralyticos intellexerat, qui fluctuatione nervorum continuo tremore laborant; ſed erudite Pamelius, & Latinius, *Clinomeni* legunt a græco nomine κλινόμενοι, quod nedum paralyticos, ſed quemlibet morbo debilitatum, & in lecto jacentem ſignificat, ut in dict. *Clinicus* dictum fuit.

Cnissa, græce κνίσσα, odorem aſſatæ carnis ſignificat, quo vocabulo utitur Arnobius, lib. 8.

Coætaneo, verbum, coætaneum alicui eſſe denotat. [ Caro, & anima ſimul fiunt ſine calculo temporis; ut quæ ſimul in utero figurantur, quod docuimus in commentario animæ, contemporant fœtu, & coætaneant natu. Tertull. de reſur. carn. c. 45. ] Sic aliud

aliud verbum *Contemporo*, contemporaneum eſſe denotat apud eundem.

**Coætaneus**. Vide *Synchronus*.

**Coamens**, in eadem amentia ſocius, quo vocabulo uſus eſt Lucifer Caralitanus Epiſc. contra Conſtantium Imperat. Arianum ſcribens, ubi appellans Antiochum Regem ejus Collegam in dementia, crudelitate, & perſecutione, inquit: [ Coamentem tuum vincendum Antiochum.] In aliquibus tamen Codicibus perperam *Conamentum* legitur. Hic autem Auctor hiſce nominibus ſæpe utitur, *Conſceleſtus*. *Coapoſtata*, *Conſcotinus*, *Conbeſtia*, & ſimilibus.

**Cocca**. Vide *Superpelliceum*.

**Coccio**, ſeu *Cogcio*, a gallico vocabulo *Coquin*. Homo vilis, & ſegnis. Alii tamen derivant hoc nomen a græco verbo κωκύω, quod lugere ſignificat; inde *Cocciones*, lugentes, miſerabiles, ac mendicos intelligunt. Renanus vero *Cotiones* legit. [ Item ut iſti mangones, & cogciones, qui ſine omni lege vagabundi vadunt poſt iſtam terram non ſinantur vagari, & deceptiones hominibus agere. Caroli Magni conſtit. lib. 1. cap. 79.

**Cocetum**. Vide *Cyceon*.

**Coclear**. Vide *Apalareus*. Aureum cochleare. Vide in dict. *Forceps*, *Sumptorium*.

**Cocula**, quamvis hæc vox communiter pro coquinario vaſe uſurpetur; hoc tamen in neutro genere declinatur, nempe, *Coculum*, ut bene Paulus Diaconus explicat, inquiens. [Cocula vaſa ænea, & coctionibus apta.] Sed cocula in fœminino genere cucullum, vulgo capucium monachale, ſignificat. ] De noſtro quoque vili veſtitu, parva hæc direximus tuo cultui, quamquam indigna: tamen petimus accommodanda, hoc eſt, tunicam laneam, ſicut mos eſt apud nos habendi, caligas, peripſemata, orarium, & coculam, & gunnam brevem noſtro more conſutam ad indicium pleniſſimæ dilectionis noſtræ. S. Bonifac. ep. 74.] Igitur ex contentu *Cocula* hic non ſignificat vas, dum inter religioſas veſtes annumeratur. Item in vita S. Cadoci, pag. 49. amphimallam, ſeu amphibolam cappam, ſcilicet, villoſam ſignificat, in Hybernia tunc uſitatam, & in Eccleſia Landunenſi oſtenditur ea, qua idem Sanctus utebatur.

**Cocytus**, κωκυτός. FR. [ Dulcis fuit glareis cocyti. Job cap. 21. num. 33.] Ubi D. Th. ſic explicat: [Proponit fabulam, quæ vulgo ferebatur, quia ſcilicet, in inferno inter alios eſſet quidam fluvius nomine Cocytus, qui interpretatur luctus, quo animæ malorum perducuntur; & ſicut alii fluvii trahunt glareas, ita ille fluvius quodammodo involvebat animas impiorum. Dicitur ergo impius dulcis fuiſſe glareis cocyti, quia ejus converſatio acceptabilis fuit malis, & ideo inter malos, qui ſunt in luctu, locum habebit.

**Codex**. FR. quamvis antonomaſtice Juſtiniani liber communiter intelligatur; tamen ſignificat etiam quemlibet librum. Gloſſ. in cap. unico de exceſſibus Prælator. in Clement. §. Codices.

**Codex Encyclius**. Vide *Encyclius codex*.

**Codion**, & *Codonophorus*. Vide *Campana*.

**Coelitas**. Vide *Galucoma*. *Orbatio*.

**Coelatura**. Vide *Anaglypha*, *Diacopton*, *Interſatilis*.

**Coelebs**. Vide *Agamus*, *Innuptus*.

**Coelestis**. FR. Panvinus in ſuo tractatu M. S. de Lateran. Eccleſ. ait, quod Lateranenſis Eccleſia *Aula cœleſtis* appellabatur; ſed hoc nomine *Cœleſtis*, Eccleſiæ omnes appellabantur. [ Ne prædia uſibus cœleſtium ſecretorum dedicata, can. placet rationabilis, 16. quæſt. 1.] Item Anaſtaſius Biblioth. in Benedicto III. inquit, quod quando ad papatum electus fuerat, tunc plebs Romana ad ejus Eccleſiam titularem, nempe, S. Calixti ( ut refert Baron. an. 855. num. 36.) iverat: ſic habet Anaſtaſius: [ Illico vero alacri univerſa ſtudiu plebs, & populi cœtus Cœleſtis Titulo properantes &c. ] Et poſt pauca: [ Ex eodem Titulo abſtrahentes, cum hymnis, & canticis ſpiritualibus ampla exultatione, & ineffabili gaudio in Patriarchium Lateranenſe producentes &c. ] Ac nomine *Aula Dei* penes Sacros Scriptores quælibet Catholicorum Eccleſia intelligitur, & ſignanter de Baſilica Vaticana D. Paulinus. Vide in dict. *Agape*. Item *Cœleſtis* erat Cartaginenſium Idolum. [ Vaticinationibus, quæ de templo Cœleſtis emergerunt. Capitolinus in Pertinace. ] Sic etiam apud Ulpianum, & Tertullianum, a quibus Idolum *Cœleſtis* appellatur. Quod templum poſtea a Chriſtianis vero Deo conſecratum, remanſit etiam cum vocabulo *Cœleſtis*, quare nonnulla Africana Concilia leguntur celebrata in *Templo Cœleſtis*. [ Sicut ibi Chartagineo dignum Theatro ædem Memoriæ, & viam, quam Cœleſtis vocabant, funditus delevit. Victor Uticen. de perſecut. Vandal. ] Juxta opinionem Latini Latinii, in ejus Sac. Biblioth. corrigendus eſt D. Auguſtini textus in expoſit. Pſal. 98. in quo Commenti loco habetur: [ Ubi nunc eſt regnum Cœleſte? Lapis ille fregit omnia regna terrarum, ] reſtituendum erit *Regnum Cœleſtis*.

**Coelicolæ**. Hæretici, tranſeuntes a fide Chriſtiana ad Judaiſmum; ſed quia nomen Hebræi erat abominabile, *Cœlicolæ* ſe denominabant, nolentes tamen ſub Rabbinorum obedientia vivere: ideo quoſdam Præfectos habebant, quos Majores appellabant. Sic de Turcis narratur, quod propter abominabile Hebræorum nomen, nunquam Judæum ſinunt fieri Maumetanum, niſi prius baptizetur, & Chriſtianus appelletur.

**Coemeterium**, locus ad ſepeliendos Chriſtianos deſtinatus, ex græca voce Κοιμητήριον, & ſignificat dormitorium; Chriſtianorum enim fides reſurrectionem mortuorum docens, hinc mortem quaſi ſomnum, & dormitionem exiſtimat. Valaf. de rebus Eccleſ. c. 6. FR. Sic etiam in Sac. Scriptura dormire pro ſepeliri dicitur: [ Ecce dormies cum patribus tuis. Deuter. c. 41. Omnes Reges gentium dormierunt in gloria. Iſ.i. c. 14. ] & 2. Mach. c. 12. n. 45. mors ipſa dor-

initio dicitur. Κοιμητήριον a verbo κοιμάομαι, ideſt, dormio, derivatur. Si in Momi lance ponerentur ambæ opiniones, circa hujus dictionis etymon, certe utraque in riſibilitate æque libraret; Gloſſæ. ſcilicet, una in cap. Sacris eſt canonibus, De ſepulturis, ubi ſic inquit: [ Cœmeterium dicitur a cimen græce, quod eſt aurum latine; & teron, quod eſt terra: inde cœmeterium, quaſi aurea terra, quia eſt cæteris pretioſior. ] Altera vero opinio eſt Gulielmi Durandi, lib. 1. cap. 5. Rational. [ Cœmeterium dicitur a cimen, quod eſt dulce, & ſterion, quod eſt ſtatio; ibi enim dulciter defunctorum oſſa quieſcunt; vel quia ſunt cimices, ideſt, vermes ultra modum fœtentes.] Certe ſi Durandus epitaphium cujuſdam hominis ſordidi legiſſet, utique bene didiciſſet differentiam inter cimices, & mortuorum vermes; ſcriptum enim ille in ſuo ſepulcro ſic reliquerat:

Pediculi, cimices, pulices, mala turba valete,
Sat vobis, nimiumque datum eſt, jam nutrio vermes.

Quod ſi de ſola mortis memoria ſapiens dixerat: [ O mors quam amara eſt memoria tua! Eccleſ. 41. 1. ] Quam amariſſima ergo erit ejus acceſſio Durando ergo ejuſdem Sapientis verbis reſpondere liceret, qui *Amarum* pro *Dulce* ſumit, Proverb. 27. 7. Gloſſatori autem ex ejus verbis reſpondendum, quod aurum *Criſis* græce appellari dixerat, & non *Cimen*, ut viſum eſt in dict. *Apocriſarius*. Sed ad feria redeundo: de hoc vocabulo *Cœmeterium* fit ſæpe mentio penes S. Patres, Athanaſ. in Apolog. Tertull. de anima, c. 51. Cyprian. ep. 82. Et prior omnium S. Clemens, lib. 6. Conſtit. Apoſt. cap. 30. De quibus copioſe etiam egit in ſua Roma Subterranea Antonius Boſius Melitenſis, & non Romanus, ut ad illud poſthumum opus appoſitum fuit: vide Franciſcum Abelam in ſua Melita Illuſtrata, tit. de Claris Viris illius Inſulæ; quem Boſium commentatus eſt Paulus Aringius Congregationis Oratorii de Urbe Presbyter. *Cœmeterium* dicitur etiam atrium Eccleſiæ, ubi antiquitus fideles ſepeliebantur: [ Ut de ſepulcris, & hominibus ſepeliendis nihil muneris exigant, niſi forte, qui ſepelitur, vivens juſſerit Eccleſiæ, in cujus atrio ſepelitur, &c.] Et mox: [Prohibendum eſt etiam ſecundum majorum inſtituta, ut in Eccleſia nullatenus ſepeliantur; ſed in atrio, aut in porticu, aut in exhedris Eccleſiæ. Intra Eccleſias vero, aut prope Altare, ubi Corpus, & Sanguis Domini conficitur, nullatenus ſepeliantur, can. præcipiendum eſt, 13. q. 2. ] :||: Dicitur etiam *Catacumba*; cujus etymon derivari cenſet Baronius in Notis ad Martyrol. a κατὰ græce, & tumba latine, ideo vocabulum græco-latinum exiſtimat: κατὰ enim prope ſignificat, ideſt, prope tumbam, eſſeque ait corrupte *Catacumbam*, pro *Catacumba*. Verum Latinius contrarium defendit eſſe, ſcilicet, vocabulum integraliter græcum; nam καταχύμβη locum profundum, & concavum ſignificat. Nec vox tumba latina eſt: a nullo enim claſſico Auctore reperitur uſitata. Item Cœmeterium dicitur *Polyandrium*, ideſt, multorum hominum, ſeu humanorum, ſcilicet, corporum depoſitum. [ Confluebat ad ejus polyandrium diverſus populi concurſus. In vita S. Probati Presbyt. ] FR. Cœmeteria deſcribuntur a D. Hieronymo tom. 4. ſuper Ezec. c. 4. & a Prudentio in hymn. S. Hippolyti Mart. Pro cœmeteriis reparandis tenentur Epiſcopi quartam applicare, cap. ſancimus, 12. q. 3. Synonyma. Vide *Area*, *Arenaria*, *Biſomatos*, *Catacumba*, *Concilium Martyrum*, *Hypogeum*, *Mauſoleum*, *Paradiſus*, *Tumbula*.

COENA DOMINI. Vide *Feria quinta in Cœna Domini*.

COENACULUM. Vide *Sigma*.

COENA PURA, ſic appellatur feria ſexta majoris hebdomadæ ab Auguſtino, & Irenæo, modus loquendi etiam a Gentilibus uſitatus: a Plutarcho, ſcilicet, de eſu carnis, & Apulejus, [ Ad puram, & ſine animalibus cœnam, ] dixit. Vide Baronium, an. 34. n. 154. & ſeqq. Vide & hic *Jejunium*. Cœna æſtiva. Vide *Thamnus*.

COENATICUM, recognitio abbatiali menſæ debita. [ Cum toto quadrageſimali cenſum piſcium, quem more Provinciæ cœnaticum vocant, per vim fratribus abſtuliſſet. Vita S. Maur. Abb. cap. 13.

COENISCIA, græce κοινίσκια; ſed potius videtur ex latino hæc vox uſurpari; nam rem cœnabilem ſignificat. [Quomodo autem, quæ in memoriis ſanctorum; & mortuorum offeruntur, & cœniſcia appellantur, omni genere fructuum ornata ad altare offerantur, diſces ex oratione Magni Athanaſii de iis, qui dormierunt. Balſamon. in can. 4. Apoſtol.

COENOBIUM, Monachorum habitatio, a græca dictione Κοινόβιον. Differt tamen Monaſterium a Cœnobio, ut Iſidor. lib. 1. de divin. off. cap. 15. docet, quod [ Monaſterium poſſit etiam unius Monachi habitatio nuncupari: Cœnobium autem nonniſi plurimorum.] Maronitæ etiam *Kanubin* monaſterium vocant in Monte Libano, ubi eorum Patriarcha reſidet, in quadam valle ſituatum: ibique fui de an. 1624. pro negotiis S. Sedis Apoſtolicæ, ut dixi in dict. *Agape*. Odoricus Raynaldus an. 1514. refert Epiſtolam Patriarchæ Maronitarum ex Diariis M. S. Pariſii de Graſſ. olim cæremon. Magiſtri, quæ epiſtola ex Arabico male interpretata fuit, nempe, *Camubin*, pro *Canubin*, ac Æthiopes Maronitas eſſe perperam aſſerit. Item *Acuri* pro *Churi* ( quod nos Archipreſbyterum dicimus ) Item *Klil*, quod tam coronam clericalem, quam libanotem, ſeu roſmarinum plantæ ſpeciem ſignificat: at in illa epiſtola tantum de prima ſignificatione ſermo eſt, nempe, de clericali corona; Odoricus tamen plantam roſmarini interpretatus eſt, additque, quod in memoriam ſpineæ coronæ in capite Salvatoris, Clerici Maronitæ hanc plantam ad modum coronæ in capite gerunt, quæ meditatio ſine ullo fundamento aſſeritur, & eſſet quidem apud eoſdem ridiculum, ſi talia audirent; quia talis uſus ramo-

ramorum coronarum ab eorum Clero nunquam excogitatus fuit. Igitur patriarchalis hæc epiſtola in latinum translata in Bibliotheca Cathedralis Viterbii inter Scripturas Latini Latinii originaliter reperitur, nec tales nugas refert, cujus tranſumptum ad P. Philippum Labbè transmiſi, ut pro rei veritate in recentibus Conciliorum tomis ab eo auctis illam inſereret.

COENOMYIA, vox græca κοινομυῖα, muſcarum adunatio. [Venit cœnomyia, & cimphes in omnibus finibus eorum, Pſalm. 104.] alii κυνομυῖα, ideſt, *Cynomyia* legunt, quod muſcam caninam denotat. Hebraica tamen verſio priori ſignificatui magis accedit, ac ejuſdem ſenſus fuit S. Hieronymus. Quare in ſua verſione Aquila παμμυῖα, hoc eſt, *omni muſca* traduxit.

COEPISCOPUS. Vide *Collega*, *Comprovincialis*. FR. qui dicitur etiam Comminiſter, canon. quod autem 4. quæſt. 1.

COESSE, ſimul eſſe, & cohabitare ſignificat, [Qui cum in honore eſſet, non intellexit, ut ſubeſſet plaſmatori ſuo; ſed coeſſe vellens, corruit, comparatus jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Petr. Bleſen. ſerm. 47.

COETUS. FR. in canonibus ſignificat idem, ac collegium, ſeu gremium: [Quod conſtitutio fel. rec. Gregor. Papæ X. prædeceſſoris noſtri circa electionem præfatam, edita in Concil. Lugdunenſi per cœtum Cardinalium Rom. Eccleſiæ (ipſa vacante) modificari &c. cap. Ne Romani, in Clement. de elect. & elect. poteſt.] Ubi Gloſſ. inquit, idem eſſe Cœtum, Collegium, ac Gremium.

COFIA, cuphia, calantica, reticulum, ſeu capitium. [Camiſias, manicas, cophias, fibulas. In vita S. Rodegundis.] Antiquitus hac bireti ſpecie tonſuram clericalē tegebant. [Voluit ligamenta ſuæ cofiæ ſolvere, ut palam monſtraret tonſuram ſe habere clericalem. Matth. Pariſ. in hiſt. ann. 1259.] tam Græci κυφίαν, quam Latini cuphiam appellant. Vide *Biretum*, *Cuphia*, *Camelaucium*.

COGNIDIUM. Vide *Colatum*.

COGNITOR in Sacris Conciliis ita appellabatur quidam Judex, ad cujus directionem omne id præſcribebatur, quod ad pacem, & concordiam inter coadunatos ſpectabat; ſed in Eccleſiaſticis negotiis erat excluſus; hujuſmodi enim deliberationes tantum ad Epiſcoporum judicium pertinebant. Baron. an. 411. n. 18. I R. [Infamis perſona, nec procurator eſſe poteſt, nec cognitor, 3. q. 7. can. 1.

COHIBEO. FR. In Conciliis, & apud Sanctos Patres nonnunquam tolerare, & diſſimulare ſignificat. [Non debere quemquam ad injuriam Doctorum vindicare doctrinam, quin timeo, ne cohibere ſit hoc tacere. Concil. Sveſſion. c. 28.] Sic in lib. 6. Capitul. ſæpe *Cohibentia* pro tolerantia vitioſa Eccleſiaſticorum Præſulum legitur.

COHORTALINUS. FR. qui cohortium onera portat. [Item militare quoque prohibentur (*ideſt Manichæi*) præterquam ſic ex genere Cohortalinorum ſunt; hi enim manent, onera quidem ſuſtinentes, non quidem offendentes &c. Cod. de hæret. l. ſi Manichæi undique.

COINFANTIATUS, qui puераſcit, & ad pueriles mores reducitur. [Coinfatiatum eſt homini Verbum Dei. Irenæus, lib. 4. c. 75.

COINUS. FR. Cuſio. [Fabricari faciunt florenos auri ſecundum formam; & ſignum, & coinum Florentiæ, in extrav. comm. de dilationibus.

COITISES, ornatus, comptus. [Veſtitu ſerico, ut vulgariter loquamur, coitiſes in nuptiis ex parte Regis apparuerunt. Math. Pariſ. an. 1252.

COLATORIUM. Vas in fundo perforatum, in quo purgabatur vinum ad Miſſæ Sacrificium deſtinatum. [Calore igitur charitatis liquefacta, & colatorio diſcretionis eliquata, nihilominus & infuſorio exquiſitæ veritatis infuſa Domini gratia aſperitates faucium in confeſſione mitigat. Petr. Cellenſ. lib. 3. ep. 2. Idemque vas *Colum* dicebatur, ut ex Ord. Rom. colligitur, ubi ait: [Archidiaconus amulam Pontificis cum vino de Subdiacono, & refundit ſuper colum in calice.] Itaque Subdiaconus tempore Sacrificii colum vas per ejus anſam auriculari ſiniſtræ manus digito (ut idem Ord. Rom. diſponit) ſuſtinebat. Vide *Colum*, *Oblatio*.

COLATUM, purgatum vinum. [Sed & quia colatum, & Erythræum non libenter bibo, præſumens, Gnidium requiro. S. Greg. lib. 6. c. 201. in Regiſtr.] ubi per errorem librarii *Collactum*, *Jurithæum*, *Cognidium* ſcripſerunt: vina enim diverſarum regionum ſunt, quo nomine adjectivo uſus eſt Martialis, lib. 13. inquiens:

Tradita ſe Gnidiæ ſunt tibi ſacra Deæ.

a Gnidio promontorio hodie *Capocrio* appellato. Et *Erythræum* ab *Erythra* Joniæ Civitate, ſub Archiepiſcopatu Epheſino, quæ ad præſens *Cölire*, ſeu *Stolar* dicitur. FR. Verſus Martialis, lib. 13. Epigram. 66. de Venere loquitur, quæ Dea Gnidia appellata fuit; nam in Cnido, ſeu Gnido erat illi templum dicatum, ubi mirabilis ejus ſtatua, a Praxitele ſtatuario inſigni formata, viſebatur. Plin. lib. 36. c. 5. Melius ergo pretioſum Gnidium vinum ex eodem Plinio probatur; qui tamen non fuiſſe ſimplex, ſed compoſitum ait, lib. 14. cap. 7. quodque una cum cæteris transmarinis vinis circa annum V. C. 600. Romanis innotuiſſe oſtendit, de quo ſic ait: [Poſt hæc auctoritas hyppodamantio, myſtico, cantheritæ, protropo, gnidio &c.] De erythæo autem pretioſo vino mentionem nullibi invenio: at cum multæ Urbes, & loca Erythræa appellata fuerint, nempe, Erythra Aſiæ Civitas, non longe a Chio, ex qua fuit Sibylla, Serv. in 6. Æneidos, Erythra Joniæ oppidum maritimum, Ptolem. & Steph. Erythra regio, ex qua Hercules armenta boum abduxerat in Italiam, Propertius, lib. 4. eleg. 10. alia Libyæ, alia Locridis, alia Bœotiæ, alia Cypri, Stephanus de Urbibus. Item Erythræum mare ſatis notum, ac tandem Erythræum promontorium Cretæ Inſu-

Inſulæ: quare ſtatui minime poſſet præciſe, ex quo ſcilicet loco vinum a D. Gregorio exoptatum advehi ſolitum fuiſſet.

**Colentes**, appellabantur, qui ab idololatria ad Judaiſmum tranſibant. [ Et quidem ex his, qui crediderunt, adjuncti ſunt Paulo, & de colentibus gentilibus multitudo magna. Beda in cap. 18. Actor. Secuti ſunt multi Judæorum, & colentium advenarum Paulum, & Barnabam. Ibidem, cap. 13.

**Colideus**, Religioſi in Hibernia ita appellati fuere, ideſt, Dei cultores. Armacanus in Hiberniæ Annal. fol. 12. qui affert Nicolai V. reſcriptum ad Joannem Meyum, in quo habentur hæc verba: [ Prior Colideorum. ] *Colideatus* dictus eſt cultus Deo debitus. Vide *Dulia*.

**Colymbus**. FR. locus ubi mundantur veſtimenta. Gloſſ. Iſid. Melitenſes *Lembi* appellant vas in quo lavantur linteamina.

**Colympha**, navis genus; at juxta græcam originem *Colymba* ſcribi deberet, a græco verbo κολυμβάω, quod ire ſub aquis ſignificat. [ Ajunt enim in ipſas colymphas ipſum Alexandrum introiſſe, & profundum conſcendiſſe, uſque ad imum, ut ſciret Oceani profundum, & differentiam maris, & abyſſi; nobis vero incredibile videtur. D. Hieronym. ] Non erat fortaſſe navis; ſed potius ex corio veſtis, ſicut noſtris temporibus fieri ſolet, ad deſcendendum in aquarum profunditatem.

**Collare**. Vide *Boja*.

**Collecta**, Oratio Miſſæ ita appellata, ex eo, quia a Celebrante dicitur ſuper populum in Eccleſia collectum, vel quia collecte pro omnibus aſtantibus orat, vel, ut Valaf. vult, [ Collectas nuncupari dicimus, quia neceſſarias orationum petitiones compendioſa brevitate colligimus, ſive concludimus, c. 22.] Idem referunt Microlog. de Eccleſ. obſerv. c. 3. inquiens: [ Sacerdos, qui legatione fungitur pro populo ad Dominum, omnium petitiones in orationibus colligit, atque concludit. ] Et Bleſen. [ Stat Sacerdos innovatus mente, & habitu ad Altare, orationem dirigit ad Patrem, quæ collecta dicitur, quia tanquam advocatus omnium orationes colligit, & defert ad Dominum, ſerm. 43.] In Regula S. Benedicti hæc oratio *Benedictio* dicitur. Idem affirmat D. Auguſtinus inquiens: [ Talem benedictionem, & corde credente & ore confitente reſpondet, Amen. De dono Perſerv. cap. 23. ] Vide *Rogus Dei*. In Miſſa dicitur collecta brachiis extenſis; in officio autem, & in aliis functionibus dicitur manibus junctis, quia in Miſſa Sacerdos Chriſti perſonam in Cruce brachiis extenſis orantem repræſentat: at in aliis functionibus cum ſe, ut privata perſona, gerat; orans tanquam peccator, & reus in ſignum humiliationis debet junctis, ac ligatis manibus collectam recitare. Aliam piam moralitatem in hoc meditatus eſt Tertullianus inquiens [ Illuc ( *hoc eſt, in Cœlum* ) ſuſpicientes Chriſtiani manibus expanſis, quia innocuis, capite nudato, quia non erubeſcimus. In Apologet.] Multæ ex his orationibus fuerant a D. Ambroſio compoſitæ, & a Papa Gelaſio auctæ, ac denique a D. Gregorio coordinatæ in ejus Sacramentario. Oratio *Deus, qui B. Petrum &c.* compoſita fuit a Leone II. dum Neapolitani pro Eccleſia in mari contra Saracenos prælìabantur; & idem Pontifex, quando jam Leoninæ Civitatis mœnia perfecerat, dum ſeras portarum firmabat, compoſuerat alteram orationem, nempe: *Deus, qui B. Petro collatis clavibus &c.* Durand. lib. 7. c. 15. Illa vero Dominicæ ſecundæ poſt Epiphan. ubi fit mentio: *Et pacem tuam noſtris concede temporibus*, a D. Gregorio formata fuit, quia in eo proprio die univerſalem concordiam inter ſæculares Principes ſtabilierat. Durand. lib. 6. c. 19. Innocentius vero III. compoſuit orationem, *A cunctis*. Cur autem omnes collectæ Patri, vel Filio, & nulla Spiritui Sancto dirigatur; lib. 4. c. 15. Durandus reddit rationem, inquiens: [ Verumtamen omnis oratio dirigitur ad Patrem, vel Filium, nulla ad Spiritum Sanctum, quia Spiritus Sanctus eſt donum, & a dono non petitur donum: ] additque idem Auctor, quod in Lateranenſi Eccleſia non fuiſſet ſolitum collectas recitare; ſed loco earum dicebatur Dominicalis oratio. [ In Lateranenſi Eccleſia nunquam dicitur oratio; ſed in Miſſa, & in omnibus horis, loco orationis alta voce pronunciatur oratio Dominica, quæ in novo teſtamento prima oratio fuit; nam in primitiva Eccleſia ſic fiebat. ] FR. hoc puto Durandum aſſerere de temporibus, in quibus Benedictini illam Eccleſiam adminiſtrabant, de qua re mentionem facit D. Gregorius, Dialog. lib. 2. in princip. & lib. 4. epiſt. 34. in Monachali enim ritu ante collectam recitari ſolet tota oratio Dominicalis clara voce: vel ex eorum conſuetudine Canonici regulares, & poſtmodum ſæculares ibi ſuccedentes eandem cæremoniam retinuiſſe credendum eſt; licet tamen Monachi hodie poſt orationem Dominicalem dicant collectas, hoc poſtea introductum penes eos fuit; ſed Durandi error etiam convincitur, ex can. 13. de conſecrat. diſt. 5. ubi oſtenditur fuiſſe univerſalis Eccleſiæ ritus, his verbis: [ Id ſemper placuit obſervari, ut omnibus diebus poſt Matutinas, & Veſperas oratio Dominica a Sacerdote proferatur. ] : || : In oratione *Deus, qui ſalutis &c.* quæ dicitur poſt antiphonam *Alma Redemptoris*, omittitur concluſio, & terminatur his verbis: *Meruimus auctorem vitæ ſuſcipere Jeſum Chriſtum Filium tuum. Amen.* Hoc enim fit tempore poſt Nativitatem, ut contemplemur Verbum Incarnatum penes Matrem, & non cum Patre eſſe regnantem; ſicut in triduo paſſionis eadem concluſio omittitur, ut conſideremus Chriſtum mortuum, & non regnantem: quamvis ſubmiſſa voce dicatur, quia realiter cum Patre vivit, & regnat: quæ oratio non debet dici more ſolito, ſtando, ſed genu flexo. Cæremon. Epiſc. lib. 2. c. 22. ad denotandam humilitatem Redemptoris. Oratio autem pro defun-

defunctis dicitur ſemper penultimo loco, ut in Rubrica diſponitur, & Innocentius ait, quod [ Finis ad ſuum debet torqueri principium. ] Hinc cum vivorum oratione incohetur, cum eadem terminandum erit. Sacerdotes Religionis Melitenſium Equitum, ex antiquata conſuetudine, ſemper ultimam collectam, precando pro Summo Pontifice, Magno Magiſtro, & eorum Religione terminant, non obſtante quacunque ſolemnitate, quæ concluſio talis eſt [ Et famulum tuum N. quem Paſtorem Eccleſiæ tuæ præeſſe voluiſti, una cum Magiſtro noſtro, & Religione noſtra protege, & conſerva &c. ] In oratione ſecreta, quæ dicitur in dedicatione Eccleſiæ, notata fuit parentheſis ex S. Cong. Rit. ordinatione, ad denotandum, quod verba contenta in eadem parentheſi omittenda ſunt a Sacerdote, quando celebrat extra Eccleſiam, cujus dedicatio ſolemnizatur, quod in aliquibus correctis Miſſalibus notatione advertitur. FR. Aliquando accidit, quod orationes ſecretæ ſint eædem in commemorationibus, tunc, mutanda eſt ſecunda, ut accidit quando Dominica Septuageſimæ occurrit ante Purificationem, tunc ſecunda oratio ſecreta erit, *Tua Domine &c.* Eadem praxis habenda eſt, quando feſtum XL. Mart. occurrit in feria V. Cinerum; tunc enim ſumitur oratio ſequentis feriæ VI. Sic etiam, ſi in Dominica XXII. venerit feſtum S. Martini; tunc pro commemoratione recitanda erit oratio Dom. XXIII. Gavant. part. 1. tit. 7. n. 8. Qui etiam docet, Celebrantem in præſentia Prælati non debere loco orationis ad libitum dicere illam, quæ habetur in Miſſali pro ſeipſo Sacerdote: ac pari modo obſervandum erit in Miſſa Conventuali, in qua debet pro omnibus in communi orationem proferre. :||: Phraſis, quæ in Ord. Rom. habetur, nempe, *Dare orationem*, inchoare orationem ſignificat; ſic viceverſa ibidem *Data oratione*, terminata oratione denotat. In Sacramentario S. Gregorii Miſſa, quæ canebatur in die Purific. B. Mariæ Virginis, intitulabatur *Ad Collectam*, quia dicebatur ad populum pro proceſſione collectum, vel quia in eo die collecta publicarum eleemoſynarum fiebat, ut infra dicetur. In diebus ferialibus Quadrageſimæ ad poſtcommun. additur oratio ultra ſolitum ſuper populum, quæ *Secunda benedictio* appellatur ab Auctoribus, nam prius ſolitum erat in dicto Miſſæ termino panem benedictum populo diſtribuere: hæc tamen cæremonia relinquebatur jejuniorum tempore, cujus loco addebatur prædicta oratio, Diacono intonante; *Humiliate capita veſtra Deo*, quibus verbis fideles non expectare prædictum benedictum panem monebantur, ne jejunium frangerent. Dicitur *Secunda benedictio*, quia prima benedictio, ut dictum eſt, ſtatim peracta communione dabatur. Vide *Eulogia*. Ex quibus nonnulli recentiores Theologi, tam faciles ad dilatandum jejunantibus jentaculum, ut quaſi ad integram cœnationem reduxerint, advertere ſane deberent, quomodo prius Chriſtiani, nedum in jejunio ſe unica comeſtione, ad ſolis occaſum protracta, continebant, ut adhuc in Oriente obſervatur; ſed etiam ad guſtandum præfatum fruſtillum benedictæ buccellæ ſcrupulum habebant. Vide *Jejunium*, *Quadrageſima*, *Veſpera*. Debet in orationum numero imparilitas obſervari, ut ordinant Rubricæ; nam unionem Eccleſia amplectitur, in diſpari numero figuratam, qui numerus in æquales partes indiviſibilis eſt, & ſic ſemper integer remanet, ut notavit Innocentius III. Numerus tamen orationum ſeptenarium excedere non debet: ut in eiſdem Rubricis. Totum autem id declarat Gem. lib. 1. c. 116. his verbis; [ Una oratio regulariter dicitur, ſicut & una epiſtola, vel unum Evangelium legitur. Si autem feſtivitas in die Dominica occurrerit, duas dicere licebit, quia & hoc Romana auctoritas in die Natalis Domini ad ſecundam Miſſam facit: interdum tres ideo dicimus, quia Dominus ter ante paſſionem oraſſe legimur; aliquando quinque dicimus, quinque partitam paſſionem Domini in hoc officio agimus; nonnunquam ſeptem uſurpamus propter ſeptem petitiones in Dominica oratione, quas tantum Apoſtolos ſuper hoc Sacramentum dixiſſe cognovimus. Qui hunc numerum ſupergreſſus fuerit, ut cœcus orabit. ] Per ſeptem (inquit) Apoſtolorum orationes, ideſt, contentas in dominicali petitione, ut idem Auctor inſinuat; nam, ut alibi diximus, præter orationem Dominicam, nullam aliam ex inſtitutione Domini dicere conſuevere Apoſtoli. Item *Collecta* Eleemoſynam ſignificat, quæ in ſubſidium Eccleſiæ, ſive pauperum colligebatur. [ De Collectis autem, quæ fiunt in Sanctos, ſicut ordinavi Eccleſiis Galatiæ; ita & vos facite, 1. Corinth. cap. ult. ] Item, *Collectarum dies* dicebatur feſtum Purificationis B. V. in eo enim die publice colligebantur Eleemoſynæ, hinc *Miſſa ad Collectam* titulus Miſſæ illius diei in antiquis Miſſalibus legitur, ut ſupra dictum eſt. Cætera. Vide *Albergaria*, *Cenſus*, & quo ad orationis ſignificatum. Vide *Commemoratio*. *Confractorium*. *Miſſa Defunctorum*.

Collectaneorum Liber. Vide *Analecta*, *Collectarius*.

Collectarius, qui Principis, ſeu Communitatis tributa colligit. [ Ibidem apud vos Irenæi cujuſdam collectarii filius ægritudine extinctus eſt. Aug. l. 22. de Civit. Dei, cap. 8. ] Item Collectarius liber, in quo collectæ, ſeu orationes Miſſæ continebantur. Vide *Analecta*. Item Eccleſiæ officiales Decanis ſubordinati, qui curam habebant colligere, & coadunare populum ad ſacras functiones. Valaf. de reb. Eccleſ. cap. 31.

Collectio, & *Collectiuncula*. Vide *Capitulum*.

Collector. Vide *Baccalaureus*, *Proſcholus*.

Collega, nedum ſocium in aliqua temporali cura, ſed etiam Coepiſcopum ſignificat: ſic inter ſeſe appellabant Epiſcopi. [ Tunc præcipue cum in Lugdunenſis Eccleſiæ dedicatæ feſtis hebdomadalibus Colle-

lega-

legarum ſacroſanctorum rogatu exorareris, ut perorares. Sidon. l. 7. ep. 3.] Ac præcipue inter Epiſcopos comprovinciales hoc vocabulo utuntur, qui ſuo unico eodemque Metropolita ſubditi ſunt. [Quapropter in conſtituendo præfatæ Civitatis Antiſtite, provincialium Collegarum deficimur numero, niſi Metropolitanorum reiciamur aſſenſu. Sidon. ibidem epiſt. 5.] Vide *Comprovincialis*, *Suffraganeus*.

Collegiati. FR. In Conſtantinopoli Vigiles erant, qui tempore nocturno ad extinguendum incendium concurrebant, & *Corporati* etiam dicebantur, quia ex trigintaquinque Artificum corporibus, Collegiis, ſeu Univerſitatibus electi erant, ac ſecundum conſtitutiones non excedebant numerum DLXXIII. in XIV. Civitatis Regiones diviſi, & uno ex his extincto, ad Præfectum alium in ejus locum ſubſtituere pertinebat: hi autem a quacumque contributione erant exempti. Legimus etiam Romæ ſimiles vigiles a Cæſare inſtitutos fuiſſe.

Collegium. Vide *Cœtus*.

Collimare Oculis. Vide *Perluceo*.

Collistrigialis Poena. FR. inſtrumentum, quo collum reorum ſtringebatur, quod Itali *Berlinam* vocant. Eodem anno Rex fecit generaliter acclamari, ut legalis aſſiſa panis, ſub pœna colliſtrigiali obſervaretur. Matth. Pariſ. ann. 1203.] Opinio autem Voſſii non videtur veriſimilis, qui putat fuiſſe pœnam ſtrangulationis, de qua diximus in dict. *Boja*; nam nimis rigoroſa lex eſſet, quod non ſolventem panis vectigal (hoc enim ſignificat uſque adhuc dictio *Aſſiſa* pœnes Siculos, & Melitenſes, ut ſuo loco dictum fuit) pœnam mortis ſuſtinere debuiſſet.

Collitiani. FR. Hæretici, ita appellati a quodam Collitio, ſeu, ut Iſidorus, *Collithiani*, a Collithio, qui aſſerebant Deum non facere mala, contra illud, [Ego Dominus creans mala, Iſai. cap. 42. num. 5. & 24. quæſt. 3. can. quidam autem hæretici.] Vide Guliel. Ocham. in Dial. lib. 4. part. 1. cap. 19. Floriani autem a Floriano quodam e contrario aſſerebant Deum creaſſe mala, contra id, quod ſcriptum eſt: [Fecit Deus omnia bona. Geneſ. 1.] & cit. 24. quæſt. 3. cap. quidam autem hæretici.] Item *Coluthianos* D. Aug. *Metangos*, & *Metangiſmoitas* appellat, qui etiam aſſerebant Chriſtum in Patre tamquam vas exiguum in majori fuiſſe contentum, in d. 24. quæſt. 3. cap. quidam autem.

Collocare Solem. Phraſis legis Salicæ, quæ citare in judicium ſignificat, cum termino præfixo unius diei, durante unica hemiſpherica ſolis luſtratione. [Nec ſolem ſecundum legem collocaverit, tit. 40.] ubi per-... am aliqui *Solum* legunt, ſed convincuntur ex eadem l. Salica, tit. 52. ibi enim clarius habetur; [Ut per ſingulas admonitiones, vel ſolem collocatum terni ſolidi accreſcant.] Placet tamen melius illorum lectio, quæ *Calculare ſolem* habet; nam melius periodum diei declarat.

Colludiosus, & *Colludens*. FR. Deceptor, Bullar. Caſinen. tom. 2. conſt. 61.

Colludium, & *Colluſio*. FR. fraudolenta conventio inter reum, & actorem facta. [Ut poſt mortem eorum in beneficiis illis, ſuper quibus eſt colluſio facta, jus ſibi valeant vindicare, can. Audivimus, de colluſione detegen. in lib. 5. Decretal.] Ubi Gloſſ. ſic explicat: [Colluſio eſt inter actorem, & reum latens, & fraudolenta conventio; Colludium enim non debet remanere impunitum, 2. quæſt. 3. can. ſi quem pœnituerit.] quæ etiam *Gratia* appellatur, ibid. cap. 1. & ibi Gloſſ. [Quod ſi fecerint inter ſe gratiam, vel colluſionem &c.] Ubi particula *Vel* ſtat loco *Et*, ut in dict. *Vel* dicetur. Item *Colluſio* ſignificat falſam accuſationem, l. ſi quis ſervum, de furtis, l. ſi pater. de raptu, :||: [Sine colludio evadit. Sidon. lib, 1. epiſt. 2. Is denique nondum clangente Evangelica buccina, ut qui poteſt capere, capiat: immunis tamen ab omni ſpurcitia carnali, & ſecurus ab illecebrarum colludio, pudiciſſimus extitiſſe liquide declaratur. Aldhelmus, de laud. Virgin. cap. 10.] Hæc vox *Inludium* a Tertulliano de Reſur. Carn. & *Eludium* ab Iſidoro dicitur. Vide *Inludium*, *Prævaricator*.

Collyrida, κολλυρὶς, torta panis, vel panis ſuavior in ſartagine frictus, ſubactus oleo, & aliis rebus admixtis, ad gratum ſaporem conciliandum. Differt a lagano, quod hoc in clibano coqueretur. Collyrida etiam vocatur cruſtula: nam eadem vox hebræa, quæ alicubi collyrida vertitur, alibi cruſtula transfertur. Videtur autem *collyris* derivata a κολλύρα, collyra, quæ erat genus placentæ minutæ, & pueris dabatur apud Græcos. Collyrida inter cætera pro gratiarum actione offerebatur: uti præcepit Dominus per Moyſen, offerri *collyridas olei admixtione conſperſas*, Levit. cap. 7. num. 12.] Idem habetur, cap. 8. num. 26. ibid. & 2. Reg. cap. 6. num. 19. Adhuc in Sicilia, & in Melita Colluram ſimilem buccellam vocant. Tertullianus vero pro muliebri corona uſurpat: [Mirum quod contra Domini præceptum contenditur. Ad menſuram neminem ſibi adjicere poſſe, pronunciatum eſt: vos plane adjicitis ad pondus collyridas quaſdam ſcutorum, umbilicos cervicibus aſtruendo, de cultu fœmin. cap. 7.] Quod ornamentum ex capillis alienis contextum erat, & ut plurimum ex capite alicujus mortui detonſis; inde ſumpta occaſione idem Doctor mulieres illudebat, ſubjungens: [Si non pudet enormitatis, pudeat inquinamenti, ne exuvias alieni capitis forſitan immundi, forſitan nocentis, & gehennæ deſtinati, ſancto, & chriſtiano capiti ſuppares.] Hinc Aſtronomi more Latinorum, qui, y, græcum in, u, lene mutant, ut in principio litteræ, V. dicemus; coluros vocant binos illos circulos in ſphæra ſeſe mutuo in angulos ſphærales recte ad polos mundi ſecantes & quatuor puncta ſeu cardines cœli æqualiter dividentes. Vide *Laganum*.

Collyridiani, Κολλυριδιανοί, hæretici quidam a ſupradicta voce collyrida ſic appellati. Quia ſunt mulie-

ribus concedebant Virgini Deiparæ collyridas ſacrificare, quas etiam pro communione ſumebant, atque Dei Matrem Deam quoque exiſtimabant. De ipſis Damaſcenus ait: *Collyridiani, qui in nomen ejuſdem Mariæ, in die quadam anni, collyridam quandam offerunt, &c.* Lib. de Hæreſ. hær. 79.

COLLYRIUM, *κολλύριον*. FR. oculare medicamentum, ita dictum, quod fluxum oculorum ſiſtat, ex græco *κολύω* prohibeo, reprimo, & ῥεῦς, fluxus. [Collyrio inunge oculos. Apoc. c. 3. n. 18.

COLOBIUM, tunica ſine manicis, a græca dict. *κολόβιον*, quæ veſtem mancam ſignificat: hanc antiquitus ferebant Diaconi loco dalmaticæ. Vide *Dalmatica*. [Colobium genus veſtis dictum, quia longum eſt, & ſine manicis: hoc antiquitus utebantur; ſed quia nuditas brachiorum, culpabatur; uſus colobiorum in dalmaticas eſt mutatus. Papias.] Hodie tamen in Romanis Baſilicis Beneficiati ad Canonicorum differentiam rochetum ſine manicis deferunt. FR. Antiqui Romani veſtes abſque manicis ferebant, quia viri pro dedecore putabant manicatas veſtes ad mulierum ſimilitudinem geſtare, ut refert A. Gellius, lib. 7. c. 2. Vide *Lebitonarium*. Et ideo tunica manicata a Monachis abhorrebatur, ferebantque colobium, in quo Syriæ Monachi rubrum ſignum ponebant, ad oſtendendum, ut ait Dorotheus Tyrius, ſe Chriſti milites eſſe: ſimiles vero tunicæ ſine manicis communes omnibus Orientalibus ſunt hodie, at præcipue Maronitæ adhuc utuntur ſuperiori veſte rubro colore virgata. Hoc tunicæ genere induebantur Apoſtoli, conſervabatur enim in Baſilica Apoſtolorum colobium D. Thomæ Apoſtoli. Vide Torrigium de Crypt. Vatican. ſecunda impreſſ. pag. 312. verſ. 11. Octavius tamen Ferrarius de re veſtiar. par. 1. cap. 7. §. Ceterum ergo, contendit non fuiſſe prorſus ſine manicis colobium, auctoritate Tertulliani de pallio fretus, ubi ait tunicas; [Nec manibus arctas, nec brachiis parcas:] ideo autumat ille colobium habuiſſe ſemimanicas, uſque ad cubitum pertingentes; ſed revera æquivocari videtur: nam licet colobium tunica ſit; tunica tamen eſt nomen genericum, & non omnis tunica colobium vocatur. Igitur colobium ſine manicis omnino erat, ut Baronius probat, quem videbimus in dict. *Dalmatica*, atque Iſidor. ait: [Colobium dictum, quia longum eſt, & ſine manicis: Antiqui enim hoc magis utebantur.] Et alibi idem: [Levitonarium eſt colobium ſine manicis, quali monachi Ægyptii utuntur,] & Caſſianus præſertim, loc. infra cit. c. 11. diſtinguere videtur tunicam a colobio, dum inquit: [Nam neque caligis nos, neque colobiis, ſeu unica tunica eſſe contentos hiemis permittit aſperitas,] ubi particula *ſeu* eſt disjunctiva, & ſtat loco *&*, ut in dict. *Seu* dicetur. Item Alcuinus de divino off. ait: [Dalmatica ob hoc dicitur, quod in Dalmatia ſit reperta. Uſus autem dalmaticarum a B. Silveſtro Papa inſtitutus eſt; nam antea colobiis utebantur. Colobium vero eſt veſtis ſine manicis. Cum ergo nuditas brachiorum culparetur a B. Silveſtro, dalmaticarum repertus eſt uſus.] Si igitur dalmatica eſt cum ſemimanicis; ſequitur neceſſario, quod hoc indumentum cum ſemimanicis additum ſit loco colobii, quod omnino manicis carebat; unde dictio *Sine manicis* erit ſane intelligenda abſque ulla manicarum forma. Nihilominus ex Caſſiano hic proxime adducendo videtur in colobiis Monachorum Ægyptiorum fuiſſe manicas, quæ vix ad cubitorum ima pertingebant. :||: Aliam ſignificationem hujus religioſi indumenti affert Caſſianus, libr. 1. de habitu Monach. Ægypti inquiens, c. 5. [Colobiis quoque lineis induti, quæ vix ad cubitorum ima pertingunt, nudas de reliquo circumferunt manus, ut amputatos eos actus, & opera mundi hujus ſuggerat abſciſſio manicarum.] Solebant etiam Epiſcopi hujus indumenti formam geſtare, ex teſtimonio S. Pii Papæ, lib. 3. ad Juſtum, ubi ait: [Tu vero apud Senatoriam Urbem Viennenſem ejus loco a fratribus conſtitutus, & colobio Epiſcoporum veſtitus, vide, ut miniſterium, quod accepiſti, in Domino impleas.] Antiquiſſima colobii pictura ubi reperiatur. Vide *Chryſoclavus*, *Linoſtima*.

COLONIA, hoc vocabulum penes Eccleſiaſticos Scriptores pro ſpatio terræ accipitur, cum caſa, quantum colonus colere poteſt. [Aliquando enim non paucos ex ruriculis obvios habuit, qui derelictis coloniis ſuis, in aliam provinciam tranſmigrabant. In vita S. Gerardi, lib. 1. cap. 24.] Alii antiquiores Scriptores *Colonicam* vocant, ita in Synodo Valentiana, [Unam colonicam, veſtitam tribus mancipiis, dotis gratia eis conferant, cap. 9.

COLONARIUS. FR. quod ad colonos ſpectat. [Vel ad colonariam conditionem revocare tentaverit, can. eos qui, diſt. 87.

COLONITIUM. FR. Canon, vel recognitio, quæ directo domino ab uſufructuariis ſolvitur.

COLORUS, coloratus. [Erat tamen decoris gratia venuſtus, diſcreta macie, ſatis admodum colorus. In vita S. Adelardi.

COLOSSENSES, ad quos ſcripſerat Apoſtolus, quales Populi fuerint. Vide *Rhodianus*.

COLPUS. FR. percuſſio. [Si quis ingenuus ingenuum percuſſerit, & tamen ſanguis non exierit uſque ad tres colpos, l. Salica, tit. 19.

COLUM, græca vox *κῶλον*, quæ membrum ſignificat, & pro perfecto periodo D. Hieron. uſurpavit, dicens: [Ut per cola ſcribantur, & commata.] Item inſtrumentum ſacrum. Vide *Colatorium*.

COLUMNA, græce dicitur *ςύλος*. Vide *Stylita*.

COLUMNARIUM. Vide Exocionium in dict. *Stylita*.

COLUMNARIUM, nobilis Romæ familiæ Palatium. Vide *Conſtantis Palatium*. Columnenſes duo Cardinales a Bonifacio VIII. eccleſiaſticis dignitatibus privati, & a Benedicto XI. reintegrati. Vide in dict. *Cardinalis*, §. Cardinalibus Columnenſibus. Ubi ex Blondo retulimus, qui ſic ſcripſerat: [Eadem actione Joannem, & Jacobum Cardinales, tanquam injuſte damna-

tos, ad dignitates patrimonii, & beneficiorum poſſeſſionem ea reſtituit conditione, ut capello Cardinalatus inſigni aliquandiu abſtinerent, decad. 2. lib. 9. ] Sed eſt duplex, nominis, ſcilicet, & facti inter Eccleſiaſticos Scriptores controverſia. In facto, nempe, quia Blondus, ut diximus, refert hanc gratiam præfatis Cardinalibus a Benedicto Papa collatam fuiſſe, quod negant Auctor Vitæ Clementis V. in calce Clementinæ appoſitæ, Ferdinandus Ughellus in opuſc. imag. Columnenſium Card. Romæ per Corbelletum, an. 1650. impr. Gloſſa, in c. unic. de Schiſmaticis in 6. & noviſſime Odor. Rayn. ex M.S. cujuſdam Bern. ad an. 1304. n. 13. & an. 1305. n. 14. qui omnes aſſerunt, non a Benedicto, ſed a Clemente V. hanc gratiam illis fuiſſe conceſſam: quare non videtur repugnare, talem gratiam a Benedicto conceſſam *Cum conditione, ut capello Cardinalatus inſigni aliquandiu ſe abſtinerent*, & anno ſequenti, nimirum 1305. electo Clemente, illis, ſuſpenſionem a galero relaxatam fuiſſe; quod idem Blondus paulo inferius in Clemente præfato innuere videtur, ſic inquiens; [ Creavit vero Clemens Cardinales ex Gallis tam multos, ut facili tunc conjectura omnes aſſequi potuerunt, Pontificem Romanum deinceps, nonniſi ex Gallis creari poſſe: Italiæ autem, & Urbi Romæ viſus eſt ſatisfeciſſe in duobus Jacobo, & Joanni, Columnenſibus, quos ad capellum, & integram dignitatem reſtituit. ] Per illa enim verba: *Quos ad capellum, & integram dignitatem reſtituit*; videtur annuere ad id, quod ſupra in Benedicto dixerat: eum, ſcilicet, haud integre ad cardinalatum reſtituiſſe: cui verba Benedicti favent: nam in c. unic. de Schiſmat. Extrav. comm. §. ideoque, ſic habetur: [ Ideoque omnes prædictas depoſitiones a Cardinalatibus, privationis a beneficiis, & Eccleſiis, & inhabilitatis ad Papatum Romanum, & bonorum, & jurium, quæ certis Romanis civibus, & aliis conceſſa ſunt ( confiſcationibus exceptis, in quibus nihil immutamus ad præſens ) ſententias, & pœnas, & mulctas &c. reddidimus, ] ubi verba; *In quibus nihil immutamus ad præſens*, videntur ſpem futuræ gratiæ ſapere. Dubium vero de nomine eſt, quia Blondus ſemper hos duos Cardinales Joannem, & Jacobum nominat; ſed erraſſe ex c. unic. de Schiſmat. in 6. & ex c. unic. ejuſd. tit. Extrav. comm. ſatis patet; ubi Jacobus, & Petrus nepos Cardinales de Columna appellantur: quatuor enim nomine Joannis Cardinales Columnenſes extitiſſe Ughellus in opuſc. cit. refert, primum, nempe, de anno 1191. ſecundum, qui obierat an. 1245. tertium, qui an. 1322. a Joanne XXII. creatus eſt Cardinalis, quartum a Sixto IV. an. 1480. eadem dignitate inſignitum.

COLUMBA, quid ſignificet. Vide *Ciborium*.

COLUMBAR, manicæ ferreæ, quibus vinciuntur reorum manus. [ Duriſque lacertorum columbaribus arceretur ab hominum morſibus. In vita S. Genulphi Epiſcop.

COLUTHIANI. Vide *Collitiani*.

COLYBA, græca vox, κόλυβα, ideſt, frumentum coctum. Vide *Agapæ*.

COMACINUS. FR. Faber murarius. [ In legibus Longob. l. ſi Magiſter, de homicidio liberi hominis.

COMATUS, dicitur Longobardus, Vide *Tonſuratus*.

COMBINATIM, adverbium parilitatem ſignificans, quo Davantria in ſuo cæremoniali M. S. utitur, ad denotandam parilitatem, qua incedendum eſt in proceſſionibus. [ Deinde combinatim cæteri Cardinales &c.

COMERCIARIUS. Vide *Commerciarius*. [ Primo mane ingreſſus comerciarius quidam vir Chriſtianus. In vita S. Anaſt. Perſæ. Ubi textus græcus Κομμερκιάριος etiam habet. Vide *Commerciarius*.

COMES. FR. de etymologia hujus vocabuli. Vide *Catipanus*. Significat hominem, qui in feudum aliquod territorium habuerit a Supremo Principe. Sigonius de Regno Italiæ, libr. 7. l. Si quis factum, de feudis, & Bullar. Caſinen. tom. 2. conſtitut. 47. Vide *Gravio*.

COMES, Canonicus Cathedralis Lugdunenſis Eccleſiæ. Vide *Cantor*. FR. ſed hoc repugnat Canonibus, nam in can. Præſens, 20. quæſt. 3. habetur: [ Nomine Atto, quondam, videlicet, Comite; nunc autem Clerico, ] & ibi Gloſſ. [ Statim deſinit quis eſſe Comes, quam cito fuerit factus Clericus, 27. q. 2. ſcripſi. ] Epiſcopus Ravennæ abuſive Comes intitulatur, can. quo auſu, 23. q. 8.

COMES SACRARUM LARGITIONUM, Principis eleemoſynarius.

COMES STABILIS, ſeu *Comes ſtabuli*. Vide *Stabilis*, *Contoſtaulus*.

COMES S. HIERONYMI. Vide *Lectio*.

COMITATUS. Vide *Condita*.

COMESTURA, Tinea: [ Ubi tinea, & comeſtura exterminat. Chryſ. hom. 15. in c. 6. Matth.

COMICIA, Comitatus, ubi Comes dominatur, & jus dicit. Sigonius de Regn. Italiæ, lib. 7. [ Ludovicus Comes Loſſenſis etiam Comiciam tenebat, Cæſarius, lib. 9. mirac. cap. 48.

COMITATUS. FR. etiam Principis cohortem, & famulatum ſignificat. [ Fuit neceſſitas adire comitatum. Sulpit. cap. 6. Dialog. 2. ] canon. ſi vobis fratres 23. qu. 8. §. ne Epiſcopi ad comitatum accedant, & ibi Gloſſ.

COMMATRONA, mulier libera, quæ pro matrona cohoneſtari affectat, cum revera talis non ſit, dum maritum non habuerit. [ Nam quanto dives aliqua eſt commatrona nomine inflata, tanto capacem oneribus ſuis domum requirit, Tertullian. libr. 2. ad uxor, c. 6. Plautum imitatus eſt, qui *Commaritum* illum appellavit, qui revera non erat; ſed pro tali habebatur.

COMMEATUS, dilatatio mortis a mortalibus exoptata. [ Cum quidam de Collegis, & Conſacerdotibus noſtris jam infirmitate defeſſus, & de appropinquante morte ſollicitus, commeatum ſibi precaretur. S. Cyprian.

prian. lib. de immortalitate, n. 7. ] Hoc tamen vocabulum in propria ſignificatione denotat, licentiam, & dilationem, quam miles pro aliquo temporis ſpatio diſcedendi ab exercitu poſtulabat; hinc S. Cyprianus de eo, qui ſubterfugium quærebat, ne in mortis conflictu veniret, metaphorice, ac eleganter dixerat: qua phraſi ſæpe idem S. Doctor utitur.

COMMEMBRATUS, Incorporatus, ideſt, ejuſdem corporis membrum effectus, [ Commembrata in Domini corpore fidei compago, S. Paulin. ep. 3. ad Aprum.

COMMEMORATIO, dicitur illa, quæ de aliquibus Sanctis fit in Officio divino, a Radulpho *Memoria Sanctorum*, & a Gemma *Suffragia Sanctorum* dicitur. Quæ commemorationes de Cruce, de B. Maria, de titularibus totius Eccleſiæ Petro, & Paulo, ac pro Pace fere eſſe ſolent. De Cruce autem in feſtis omittitur, ad tollendam mœſtitiæ cauſam. Dicitur deinde tempore Paſchali ad denotandum ejus triumphum. De S. Maria non dicitur, quando in choro recitatur ejus Officium parvum; Sac. Congreg. Rit. 10. Januarii 1604. Beneficiati tenentur de eorum Sanctis titularibus commemorationem facere ſub obligatione reſtitutionis fructuum pro rata. Bonacin. diſp. 1. q. 1. punct. 4. n. 18. Religioſi etiam tenentur commemorare in Officio Sanctum illius Eccleſię, in qua de familia aſſignati reſident. Non dicuntur in Adventu hæ conſuetæ commemorationes; dum enim de ſummi Monarchæ adventu fit mentio, ejus in ſanctitate famuli cedere debent. Durand. lib. 6. cap. 2. Ob eandem rationem tempore paſſionis mœſtitiæ cauſa, & tempore Paſchali ob lætitiam relinquuntur; infra cujus octavam quamvis de Dominica fiat officium, relinquendæ ſunt commemorationes prædictæ. Ruiz. in cæremon. Rom. Vide *Collecta, Octava*.

COMMEMORATORIUM, Inventarium, in quo poſteris de ſuppellectilibus Eccleſiæ commemoratur. [ Quaſi fidelibus ſenioribus commendavit, commemoratorio facto, quod cuidam ancillæ dediſſe dicitur. Optatus Milevit. lib. 1. ] Ubi de Manſurio loquitur, qui antequam ad martyrium iret, hoc inventarium confecerat: quod *Brevis* etiam in eodem textu appellatur. [ Brevis auri, & argenti ſedenti Cæciliano, ſicut de legatum a Manſurio fuerat, traditur. ] FR. Ibi etiam ſic exponit Franc. Balduinus: [ Vocari potius Commemoratorium, quod paulo poſt Brevem vocat. Verbum Juris eſt; ſignificatque libellum, ſyngraphum, chirographum; etiam uſus eſt Conſtantinus in epiſt. ad Cæcilianum apud Euſebium lib. 4. de vita Conſtantini, ſcilicet, in quadam conſtitutione Imperatoris Valentis legimus, quæ Optati tempore edita eſt, l. ult. C. de Jure fiſci, & l. prima, C. de apoch. publ. item, l. 13. in Cod. Theod. de Indulg. debitor. ] Vide *Breve*.

COMMENDA. FR. eſt depoſitum, cuſtodia, & adminiſtratio beneficii; dicitur a verbo commendare, quia bona eccleſiaſtica non perpetuo, ſed ad tempus ſunt alicui commendata, c. ſi conſtiterit, de accuſationibus. Et *commendare* idem eſt, ac deponere. Gloſſ. in c. Jus naturale eſt commune, diſt. 1. in cap. qui plures 21. q. 2. & in c. nemo, de Electione in ſexto. Dicitur etiam *Commendaria* eodem modo, quo Vicaria, & Rectoria. [ Commendariæ beneficia non ſunt. Poſtillator extrav. in cap. exhibita. ] Differt tamen Commenda a Vicaria, quia commenda Parochialis Eccleſiæ non poteſt fieri, niſi Sacerdoti. Gloſſ. in cap. quæ de Eccleſiis, in Clement. de offic. Vicar.

COMMERCIARIUS. FR. Mercator, ſive negotiator. [ Primo mane ingreſſus commerciarius quidam vir Chriſtianus. In vita S. Anaſtaſii Perſæ, cap. 4. §. 27. ſub die 22. Januarii apud Surium ] ex græco-barbaro, Κομμερκιάριος.

COMMERCIUS, in negotiatione ſocius. In antiquis formulariis.

COMMINARE IGNEM. FR. Eſt incendium parare, l. volumus, de damno, & injuria.

COMMINATUS, ſubſtant. nomen minæ. [ Qui ſterilis ficulneæ comminatum a Domino vineæ deprecatus eſt. Paulin. ep. 2. ad Amand.

COMMESSA. Vide *Commiſſus*.

COMMISSIO. Vide *Miſſaticum*.

COMMISSUS. FR. converſus, ſeu laicus in monaſterio miniſtrator. [ Ac Monachos, eorumque converſos, vel commiſſos, can. paternarum, 24. q. 3. ] In regulis monialium Benedictinarum *Commeſſa* dicitur monialium famula. Vide *Griſeus*.

COMMONITORIUM, ſcriptura inſtructionis, quæ traditur Legato Apoſtolico pro Concilio, ſeu alio eccleſiaſtico negotio peragendo. [ Reſcriptis commonitoriis, niſi ad catholicam converteretur fidem, etiam extorrem a ſacerdotali eſſe officio mandant. Anaſt. in Greg. II.

COMMODATUM alicujus rei. FR. Eſt conceſſio ad aliquem ſpecialem uſum gratuito facta, & non translatio, qua is, qui commodat, dominium tenet, & poſſeſſionem, l. res commodata, ff. de commodato: & dicitur *Commodatum*, quaſi utenti commodo datum, & ideo dicitur gratuito, Gloſs. in cap. cum gratia, de commodato.

COMMUNIA, ideſt, communitas. [ Non de minoranda juſtitia eccleſiaſtica; ſed tantummodo de non ducenda ſuper eum communia. Ivo Carnot. ep. 180. ] FR. [ Eodem anno Philippus ( *Rex Galliæ* ) impoſuit ſubſidium &c. propter quod Prælati, & Barones, & Communiæ Normandiæ &c. Rothomagen. Chronica an. 1337. In Biblioth. M.S. Labbè, tom. 1. ] In Melita dicitur *Communia* Clericorum, ideſt, Collegiata non inſignis. Vide *Communitas*.

COMMUNICALIS, vas, ſive, calix, quo populo Dominicus ſanguis diſtribuebatur. [ Communicales ex argento fecit per ſingulas regiones, quæ præcederent per ſtationes per manus Acoluthorum. Anaſt. ] FR. Non videtur eſſe calicem ſanguinem Domini continentem; nam Acolythos habuiſſe facultatem diſtribuendi hoc Sacramentum nunquam legimus:

gimus: bene tamen Diaconos. Vide *Calix adminiſtralis*.

Communicantes, oratio in Canone poſita, de qua dictum eſt in dict. *Canon Miſſæ*, & *Actio Miſſæ*: Quæ preces in aliquibus feſtivitatibus variantur; ſicut & Præfatio. Aliquando tamen diſtinguitur, & ſeparatur Præfatio ad Oratione *Communicantes*, ut exempli gratia, ſi feſtum SS. Philippi & Jacobi, ſeu Inventionis Sanctæ Crucis occurrerint infra Octavam Aſcenſionis; tunc Præfatio feſti occurrentis, & communicantes de Octava dicerentur, licet de octava non fiat commemoratio. Congreg. Rit. 24. Auguſt. 1627.

Communicatio. Vide *Participium*.

Communicatoriæ Litteræ. Vide *Litteræ Communicatoriæ*.

Communio, ita appellatur Antiphona poſita in Miſſa, quæ canebatur in choro, dum diſtribuebatur Euchariſtia fidelibus, a D. Gregorio inſtituta. Gem. lib. 1. c. 90. dicitur etiam *Tranſitorium*. Vide ſuo loco. Quare contra rubricam abuſus invaluit communionem poſt Miſſam, vel ante eam facere, nulla urgente neceſſitate, quod his verbis in Rituali Rom. cavetur: [ Communio autem populi intra Miſſam ſtatim poſt communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet (niſi quandoque ex rationabili cauſa poſt Miſſam ſit facienda) cum orationes, quæ in Miſſa poſt communionem dicuntur, non ſolum ad Sacerdotem, ſed etiam ad alios communicantes ſpectent. ] Sic in Miſſa Sabbati Sancti hæc Antiphona ideo non dicitur, quia communio populo non fit. Itaque abuſus etiam cenſendus eſt illorum, qui communionem concedunt in hac die: præponendus enim eſt particularium devotionibus eccleſiaſticus ritus. Antiquitus Sacerdotes, & Diaconi una cum Epiſcopo celebrantes, accipiebant ab eo Euchariſtiam propriis manibus. [ Præsbyteri ergo, & Diaconi oſculando Epiſcopum, corpus Chriſti ab eo manibus accipiant in ſiniſtra parte Altaris communicaturi. Subdiaconi autem oſculando manum Epiſcopi ore accipiant Corpus Chriſti ab eo. Poſtquam vero Diaconi ſiniſtro cornu Altaris de Sanguine Chriſti communicent, venientes Subdiaconi ordinatim accipiant Sanguinem Chriſti ab Archidiacono. Ord. Rom. ] Hic vero ritus quoad Sacerdotes, & Diaconos in Eccleſia græca adhuc obſervatur. Quoad ſiniſtram, præter ea, quæ ſupra diximus in dict. *Bulla*. Notandum etiam eſt, quod quando Papa ſolemniter celebrat, defertur Sacroſancta Hoſtia a Subdiacono ad lævam Pontificis ſtante, [ Cum Subdiaconus pervenit ad Pontificem, ſtet ad ejus ſiniſtram erectus. Cærem. lib. 2. c. 14. ] Contra quam cæremoniam latrant recentes Hæretici, aſſerendo eſſe actum ſuperbiæ in Pontifice permittente ſibi ad thronum deferri Chriſtum; ſed myſteria hujus actionis contemplare nequeunt, cum Chriſti Vicarius Domini ſui humilitatem potius imitari intendat, quando, nempe, in cœnaculo panem, & vinum conſecravit, deinde in Calvario Sacrificium conſumans, ſeipſum in conſpectu totius populi Deo Patri obtulit; ſic Papa ſuper Altare, quod eſt cœnaculi figura, conſecrat, ac in ſublimi Throno communionem ſumit, ad imitandum Chriſtum in monte crucifixum: quare Cæremoniale in hoc actu Papam Throno incumbentem incurvari diſponit, ad denotandum Salvatorem in Cruce pendentem: ſic ſenſit Seraphicus S. Bonaventura, inquiens: [ Chriſtus in communi, & omnibus videntibus paſſus eſt: unde Papa quando ſumit Corpus Chriſti in Miſſa ſolemni, ſumit omnibus videntibus; nam ſedens in Cathedra convertit ſe ad populum. In expoſit. Pſal. 21. ] Durandus vero aliam quoque rationem addit, nempe: [ Sicut Summus Pontifex eſt Chriſti Vicarius, & caput omnium, qui in Eccleſia degunt militari; ita Chriſtum Eccleſiæ caput perfectius, & ſublimius repræſentans, ad ſublimiorem locum communicare ſolet, lib. 4. de divin. off. cap. 54. ] Tertia denique ſententia eſt Innocentii III. qui ait, quod: [ Romanus Pontifex ideo non communicat, ubi frangit; ſed ad Altare frangit, & ad Sedem communicat: quia Chriſtus in Emmaus coram duobus Diſcipulis fregit, & Jeruſalem coram decem Apoſtolis manducavit, lib. 4. Myſt. Miſſ. cap. 9. ] Ratio autem Seraphici Doctoris magis conſona, ac pia videtur. Siniſtra manu Sacerdotes Dominicani in Miſſa communionem ſumunt, quorum Miſſalis rubrica hæc habet verba: [ Inclinato capite, dextra manu tenens calicem, de ſiniſtra ſumat Sacrum Chriſti Corpus. ] Qua de re invidi Calumniatores, occaſione arrepta, falſo aſſeruere, id in pœnitentiam eis injunctum fuiſſe, cum eorum Frater Bernardus a Monte Peſulano Henricum VII. Imperatorem Hoſtia veneno mixta in communione necaviſſet ann. 1313. FR. Sed cum hæc fabula, præterquam quod a Recentioribus Hiſtoricis narrari, apudque nullum ex illius ævi hiſtoricis mentionem fieri Theodoricus Raynaldus in dicto anno teſtetur; fictio nimis ſtulta redditur, cum hic Imperator excommunicatus in loco Boniconventus appellato Senenſis territorii obierit, inveriſimile videtur; quod propter unius Religioſi delictum, tota ejus Religio perpetuo hanc pœnitentiam agere debuiſſet, ſi hoc verum eſſet. Deinde quæ pœnitentia eſt hæc? Dum hujus Religionis Sacerdotes non privati eſſent Altaris Sacramento, parum relevat, an ſiniſtra, vel dextra Sacramentum ſumant. Quare ab Inſtitutoribus cæremoniam hanc ordinatam fuiſſe exiſtimo, ut nimirum, periculum verſionis calicis evitetur, dum rubrica eorum ſupra citata diſponit his verbis; *Dextera manu tenens calicem*; nam agilior eſt ſiniſtræ dextera. Non ſunt ergo audiendi Nauclerus, volum. 2. gener. 44. Chron. Norimberg. Veſpergen. aliique male ſentientes Recentiores. :||: In primis Eccleſiæ ſæculis hæc communio ſub utraque ſpecie recipiebatur. (Vide *Confirmo*) ita ut Gelatius Papa

ſub excommunicationis pœna prohibuerit, ne hoc ſub una tantum ſpecie fieret. Microl. de Eccleſ. obſerv. cap. 19. & Paſchalis II. ſancivit, ut non præberetur fidelibus panis conſecratus in Sanguinem intinctus; ſed Corpus, & Sanguis Chriſti ſeparatim, atque infantibus, & ægrotantibus communio ſolius Sanguinis daretur, de qua re extat in Chronica Cluniacenſi ejuſdem Pontificis Epiſtola, & teſtatur Microl. loc. cit. c. 20. Sed quia abuſus intingendi Corpus Chriſti in ejus Sanguinem contra Paſchalis prohibitionem perdurabat; ideo ſtatutum fuit, ut communio in unica ſpecie panis tantum fieret; nam ſub utraque ſpecie communicabantur in Miſſa: ſed extra eam etiam antiquitus ſub ſpecie panis ſolum communio fiebat. Baron. an. 34. n. 46. A communione ſe abſtinebant milites poſt occiſiones, quod ſimiliter obſervare voluit Theodoſius Imp. Idem Baron. an. 394. num. 21. FR. Spatium vero temporis, quod a ſpirituali hoc cibo ad materialem concurrere debet, ordinatur in can. tribus gradibus, de conſecr. diſt. 2. hoc pacto: [ Si igitur mane Dominica Portio editur, uſque ad ſextam jejunent miniſtri, qui eam conſumpſerunt; ſi tertia, vel quarta hora acceperint, jejunent uſque ad Veſperas: ſic ſecreta ſanctificatione æterna cuſtodienda ſunt Sacramenta. ] ubi *Secreta*, ideſt, interna intelligitur. Communio dicebatur *Pax Chriſti*. Vide *Pax*. De communione Infantium. Vide *Baptiſmus*. De Communione per Viaticum. Vide *Viaticum*. Reliqua vide. *Confirmo, Dominicale, Euchariſtia, Hoſtia, Siphon*. Antiquitus erat maximum dedecus ſine oblatione aliqua ad communionem accedere. Vide *Oblatio*. Communio Laicorum quando fieri debet cum patena ſub mento. Vide *Patena*. Diſtribuebatur in loco eminenti. Vide *Solea*. De controverſia ſub utraque ſpecie communionis. Vide Bellarminum, Sfortiam Pallavicinum in Concilii Tridentini hiſtoria, & Chriſtoph. Ranzovium in epiſt. ad Galixtum Proteſtantem, pag. 55. Quæ communio ſub utraque ſpecie ſolo Chriſtianiſſimo Galliarum Regi, quando conſecratur cum Sacra Ampulla, & in extremo ejus vitæ per Viaticum ex privilegio Clementis VI. conceditur. Auguſtinus Patritius adventum Federici III. deſcribens, inquit idem privilegium conceſſum etiam Imperotori fuiſſe. Idem Clemens Papa communionem ſub utraque ſpecie Normandiæ Duci, ejuſque Uxori, ac Genitori conceſſerat. Item Philippo Galliarum Regi, & illius Uxori. Sub datum Avenione Kal. Julii 1344. Ita etiam Odoni Burgundiæ Duci de ann. 1345. De Communione facienda in die Jovis Sancti. Vide *Feria quinta in Cœna Domini*. De Communione per Viaticum. Vide *Viaticum*. Quando communicabantur, antiquitus ponebantur tabellæ ad inſtar menſularum, ſicut hodie, cum tobaliis, de quibus Chryſoſtomus, Hom. 61. ad populum Antioch. ſic inquit: [ Nonne vides miniſtrum ſpongia menſam circumlinientem, expurgantem domum, & tabellas ponentem? hoc poſt preces efficitur per præconis vocé.

COMMUNICATORES. FR. Dicuntur Epiſcopi. Gloſſ. in can. de Induciis, 3. qu. 3.

COMMUNIO LAICA, ad quam pœnitentiam condemnabantur Clerici, ut in 1. qu. 7. can. ſi qui Presbyteri. FR. Eccleſiaſtici enim pœnitentes etiam ab infimis officiis Clericorum excludebantur, can. Canones, diſt. 50. & can. placuit, eadem diſt.: ℣: Pamelius, & alii putant fuiſſe Euchariſtiæ communionem extra Presbyterium ſimul cum laicis. Alii tamen exiſtimant fuiſſe ſolam participationem in orationibus Laicorum, cum quibus Clerici pœnitentes in Eccleſia collocabantur: quæ opinio magis conſona videtur; nam multa Conciliorum decreta habentur, in quibus declaratur, quod moriens aliquis ex iſtis pœnitentibus, non peracta adhuc pœnitentia, admitteretur ad laicam communionem: at hoc non poterat de communione Euchariſtiæ intelligi; ſed tantum de participatione, & communione orationum Laicorum. Alii denique pro laica communione ſumptionem Sacramenti ſub unica ſpecie panis more Laicorum explicant, quod probant ex decreto Rothomagenſis Concil. de anno 1581. celebrati, ubi in tit. de Epiſcop. off. num. 11. ordinatur, nempe: [ Id, quod fieri primo quoque tempore contra eos, qui a multis annis Sacro Presbyteratus Ordine initiati, nec dum acceſſerunt ad Sanctum Sacrificium Miſſæ celebrandum; ſed laicam tantum communionem, eamque raro ſumunt. ] Ubi manifeſte Concilium pro laica communione de ſola hoſtia conſecrata intelligit. Nihilominus magis amplectenda videtur ſecunda explicatio, ut dixi; nam, quod de hoc Concilio affertur, cum ſit recenter celebratum, non uſum fuerat illo antiquorum termino, cum quo non poteſt concordari, quod mortuis daretur Euchariſtia, ut in antiquis Conciliis dicebatur. FR. Defunctis Euchariſtia afferebatur, ut de Sancto Baſilio apud Surium, tom. 1. in ejus vita narratur, quod ante ejus obitum hoſtiam in tres partes diviſerat. [ Unamque ſumpſiſſe; alteram reſervaſſe, ut ſecum ſepeliretur; tertiam vero in columba aurea pendente repoſuiſſe. ] Et licet in dict. *Euchariſtia* hoc factum neget Auctor; legimus tamen in uſu fuiſſe etiam Defunctis Euchariſtiam afferri, quod deinde vetitum fuerat in Concilio Carthaginenſi Tertio ſub hoc decreto: [ Placuit, ut corporibus defunctorum Euchariſtia non detur. Dictum eſt enim a Domino, Accipite, & edite: cadavera autem nec accipere poſſunt, nec edere, cap. 16. ] De Sancto Benedicto ſcribit etiam in Dial. lib. 2. cap. 24. D. Gregorius, quod cadaver cujuſdam Monachi, qui obierat, dum a Monaſterio abſque Superioris licentia diſceſſerat, terra eum humare renuebat, quare præfatus Patriarcha ei Euchariſtiam detulerat, & ſuper pectus ejus impoſita, cum eadem hoſtia ſepultus fuit. Non ergo rejicienda omnino erit prima, & tertia expoſitio, ex implicantia, ſcilicet, quia per laicam communionem Euchariſtiam intelligit. Nam etiam mortuis Euchariſtia afferebatur. Vide *Corbam*; ſed re vera communio laica alia

non

non erat, niſi declaratio, quod Clericus non gauderet foro eccleſiaſtico, & communis cum laicis haberetur, ac inhabilis ad conſequendos majores ordines; ſic de bigamo clerico in canon. 5. diſt. 84. habetur, quod: [ Quiſque clericus, aut viduam, aut ſecundam duxerit uxorem, omni eccleſiaſticæ dignitatis privilegio mox denudetur, laica ſibi tantum communione conceſſa &c. ] & can. eos, quos, de Conſecrat. diſt. 4. de Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis bis baptizatis habetur, quod: [ Nec orationi, nec modo fidelium, ſed nec catechumenorum quidem omnibus modis intereſſe, quibus laica communio in morte eſt reddenda. ] Vide *Communio peregrina*.

Communio Passiva, quæ libere, & ſine meritorum differentia omnibus concedebatur, qua phraſi uſi ſunt Patres Carthaginenſis Concilii, nomen a *Paſſivus* derivatum, cujus diverſa vocabula derivantia. Vide *Paſſivitas*. FR. vide Latinium in Correct. Conciliorum, tit. Concil. Carthag. I. cap. 2.

Communio Peregrina. FR. in qua admittebantur Peregrini, ſcilicet, in participatione orationum, ſecus vero in participatione Sacramentorum, antequam formatas litteras eorum Ordinariorum oſtendiſſent, quæ eos Catholicos eſſe teſtabantur. Baron. an. 400. n. 67. Gloſſa vero in can. contumaces, diſt. 50. ait eſſe eandem, ac laica communio, ibique Poſtillator *Communionem* communem obſervantiam, & converſationem ex Archidiacono intelligit. Sed puto communionem peregrinam eandem eſſe, ac communionem extraneam. ideſt, a communione fidelium excluſio. [ Et cauſam perdat, & a communione efficiatur extraneus, can. Inolita, 11. q. 1. ] Sed arctior pœna videtur eſse ex can. hæc hujus, 12. q. 2. ubi ſic ait. [ Reus ſacrilegii prolixiori anathemate condemnetur, & vix ei peregrina communio concedatur.

Communitas, dicitur præbenda canonicalis. Vide *Uſuale*.

Como, verbum, comam nutrio; [ Sed quoniam & arbuſta veſtiunt, & lini herbida poſt virorem lavacro niveſcunt, nec fuit ſatis tunicam pangere, & ſerere, ni etiam piſcari veſtitum contigiſſet, nam & de mari vellera, quæ muſcoſæ lanoſitatis lautiores conchæ comant, Tertull. de pall. c. 37. ]

* Comoedi. Niſi rejecta arte, ad Baptiſmum non admitti Conſtit. Apoſt. lib. 8. c. 32. Comœdiæ vero per totam Pentecoſten interdictæ Cod. Theod. lib. 15. tit. 5.

Compagi, Sandaliorum genus, quibus Imperatores, & Romani Senatores utebantur, a græco vocabulo Καμπάγια, quod retia ſignificat; confibulabantur enim ad modum retium, ut in antiquis ſculpturis, & picturis aſpicitur; alii eodem modo, quo Græci, latine *Compagium*, & *Compagus* ſcribunt: [ Accedens Mauritius Subdiaconus, orarium de ejus collo abſtulit, & ante pedes ejus projecit, & compagos ejus abſcidit, Anaſt. in Steph. IV. ] FR. dicitur etiam latine *Compagum*; ſic Capitolinus in Maximinis Impp. de Maximino patre, inquit: [ Calciamentum ejus, ideſt, compagum regium. ] Sed Trebell. Pollio *Compagos* dixit in duobus Galienis Impp. nempe; [ Caligas gemmatas annexuit, quum campagos reticulos appellaret. ] Erat inſuper ſolius Pontificis indumentum: Ita in Collectan. Anaſtaſii a Sirmondo in 8. edit. pag. 259. ubi de S. Martino Papa, & Martyre loquens, ait quod inter alias reliquias hujus Sancti a Theodoro receptas: [ Et uno de compagis ejus, ideſt, caligis, quos nullus alius, niſi Romanus Pontifex portat. ] :||: Qui ſolis Eccleſiæ Meſſanenſis Diaconibus conceſſi fuerant, can. pervenit ad nos, diſt. 93. Hinc Meſſanenſes Canonici in officio Diaconi hoc privilegio adhuc utuntur. Proceſſu deinde temporis uſi ſunt compagis etiam Eccleſiæ Rom. Diaconi. [ Compagi calciamenti genus, quo utebantur Diaconi Romani. Papias. ] Licet hoc apoſtolicum indultum extenſum deinde fuerit ad aliarum Eccleſiarum Diaconos, ut ex Concilii Toletani verbis colligitur, ubi ſic: [ Compagis vero calceari abſque Apoſtolica licentia non permittitur Diaconus. ] Nihilominus illius manutentio nullibi reperitur, niſi Meſſanæ ſolum retenta. FR. corrigendus tamen eſt Amalarii textus; ubi perperam *Compobis* pro *Compagis*, l. 2. de Eccleſ. off. c. 8. habet. Vide *Caligæ*, *Sandalia*, *Pſachnion*.

Compago. FR. nomen, quod conjunctionem denotat, a verbo *Compingo* deductum; ſed eſt maxima quæſtio inter linguæ latinæ Anteſignanos, an debeat hoc nomen *Compago Compaginis*; vel *Compago*, *Compagis* declinari: in primo ſenſu habentur Manilii, Ovidii, & Senecæ auctoritates; ille enim cecinerat 1. Aſtronom.

Interdum æquali laterum compagine ductus.

Item,

Aeream in nebulam clara compagine verſus.

Ovid. 1. Metam.

Atque ita diſparibus calamis compagine ceræ
Inter ſe junctis nomen tenuiſſe puellæ.

Atque Seneca; [ Flammarum violentia compaginem ſoli rupit, ſive vetuſtas, ep. 14. ad Lucillum. [ In ſecundo autem ſenſu fuere Cicero, Pacuvius, Virgilius, Livius, Svetonius, Gellius, ac alii. [ Nam dum ſumus in his compagibus corporis munere quodam neceſſitatis, & gravi opere perfungimur. Cicero de Senect. ] quare ſi in genitivo *Compaginis* declinandum eſſet, certe non *Compagibus*; ſed *Compaginibus* Cicero dicere debuiſſet. [ Salvete gemini mei compages ſanguinis. Pacuvius; ] nota quod non dixerat *Compagines ſanguinis*. Item Virg. 1. Æneid.

— — Remo cum fratre Quirinus
Jura dabunt: diræ ferro, & compagibus arctis
Clauduntur belli portæ.

Ibid. in princ.

Vicit hyems: laxis laterum compagibus omnes
Accipiunt inimicum imbrem, remiſque fatiſcunt.

Et ibid. lib. 2.

Sic

Sic fatus, validis ingentem viribus haſtam
In latus, inque feri curvam compagibus alvum
Contorſit.

Atque Livius. [Compagibus omnibus aquam accipit navis. Decad. 4. l. 3. Compagibus ſellæ laxatis. Sueton. in Aug. c. 45. Compages mundi. Gell. l.6.c.1.] Hos ſecundæ opinionis Auctores ſequutus eſt D. Auguſt. inquiens: [Accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur. Non abhorreat a compage membrorum, tract. 26. in Joann. poſt medium.

COMPANATOR, & *Impanator*, hæreticus ſectarum, quæ aſſerunt, panem in Sacramento Altaris non tranſubſtantiari. [Verumtamen ut cumulate ſatisfaciamus Valdenſi, & quem velut Berengarianum companatorem traduxit, per ora Catholicorum amplectetur, ſibi in Euchariſtiæ rebus conſentientem. Jo: Picard. in annot. 2. S. Anſel. de Sacr. Altaris.] Idemque inferius. [Impanatorum, atque adeo noſtratium Calvinianorum colluviem diſſipavit.

COMPASSOR, Commiſerator. [Feriant, & invitent partem Orphanorum, judicem viduarum, & compaſſorem pauperum Domini. Paul. ep. 33. de Gazoph.

COMPATESCO, Compatior. [Veſtræ volumus compateſcere infirmitati. S. Bonif. ep. 81.

COMPATRES, & *Compaternitas*. FR. Patrini in Baptiſmo ſeu Confirmatione, Gloſſ. in can. pervenit, 30. qu. 1. can. ſi quis 30. q. 4. & can. omnes, ibid. qu. 1. qui dicti ſunt *Initiatores*. Vide *Baptiſmus*.

COMPETENTES. Vide *Catechumeni*, *Competentium paſcha*, *Capitilavium*, *Regenerandus*.

COMPITA. FR. Locus, ubi plures viæ concurrunt: [Se irretire laqueis non dubitavit, atque gentilium more, per abrupta itinera, & compita inſidians &c. can. de viro, 12. qu. 2.

COMPLACENTIA. Vide *Prolubium*.

COMPLENDA, ſeu *Ad Complenda*, & *Completa*. FR. ultimæ Miſſæ preces. [Tali quidem paſſione vexatus eſt uſque ad completas. In vita S. Bercharii Abb.] Vide *Poſtcommunio*.

COMPLETORIUM, ultima canonicarum horarum pars, qua recitatione totum diei officium completur, ſeu quia in hac parte ultimum adimplementum in æterna Beatorum gloria deſignatur. Hug. de Sancto Vict. in Speculo Eccl. c. 3. Ab Iſidoro, lib. 1. c. 2. Completa dicitur. FR. Initium noctis, in Regul. S. Columbani. Prima noctis hora a S. Fructuoſo Bracarenſe. αἴτησις, ideſt, *Petitio*, a S. Baſilio. *Duodena*, in vita S. Ruſticulæ Abbatiſſæ, in ordine pſalmodiæ: eodem pacto *Duodecima* appellatur, etiam a S. Aureliano. :||: Græci autem, ἀπόδειπνον, ideſt, poſt cœnam vocant, & eſt penes eos ἀπόδειπνον μέγα id eſt; Completorium majus, quod in Quadrageſima recitatur: aliud eſt ἀπόδειπνον μικρὸν, nempe Completorium minus, pro totius anni curſu. Jo. Card. Bonav. in tract. de pſallen. Eccleſ. Armonia, S. Benedictum Abb. Completorii inſtitutorem fuiſſe demonſtrat; ſed hæc bene concluderent de inſtitutione hujus Canonicæ horæ, quoad Eccleſiam Occidentalem; nam inter Orientales Chriſtianos diverſarum nationum, & rituum, Completorium, *Poſt cœnam* appellatum, ut ſupra de Græcis dictum eſt, ante Divi Benedicti tempora in uſu fuiſſe reperitur, & S. Baſilius in *ejus* reg. interrog. 37. Completorium ſic deſcribit: [Tum primis ſe jam noctis intendentibus tenebris ſequetur petitio, ut quies, quam ſumus capturi, inoffenſa ac vitio libera ſit, qua hora etiam neceſſario nonageſimus recitari Pſalmus debet.] Pſalmus autem 90. eſt *Qui habitat &c.* in Completorio poſitus; per *Quietem inoffenſam, & vitio liberam*, quam precari admonet; id certe eſt, quod nos in hymno, ac aliis Completorii precibus Deum ſolemus rogare: per *Jam noctis intendentibus tenebris*, noctis principium, & recitationis Completorii tempus deſignat, in quo periodo Maronitas Monachos in Monte Libano egomet expertus ſum Completorium recitare. Sanctus autem Baſilius in fine ſæculi ſecundi, & principio tertii vixerat, at Divus Benedictus poſt quintum extiterat ſæculum. Item dubioſum etiam quoad Eccleſiam Occidentalem redditur, an ante præfatum Patriarcham Benedictum Completorium reperiretur. Videntur enim D. Ambroſius, & Prudentius, qui integro quaſi ſæculo ante D. Benedictum floruerant, de hac Canonica hora mentionem facere: Sanctus namque Doctor, lib. 3. de Virginibus, inquit: [Solemnes orationes cum gratiarum actione ſunt deferendæ, & hora incenſi:] En Veſperæ, [Cum denique cubitum pergimus:] En Completorium. Nec Orationes iſtæ privatæ intelligendæ ſunt, quia *Solemnes*, & *Horam incenſi* vocat. Habemus inſuper, quod Completorium *Somnum* dicebatur; nam in ipſo quietum (ut ſupra diximus) ſomnum a Domino deprecamur: hinc in Emeritano Concilio ſub Vitaliano de anno 666. celebrato, hoc decretum legitur: [Oportet, ut ſicut in aliis Eccleſiis veſpertino tempore poſt lumen oblatum, prius dicitur veſpertinum, quam ſomnum in diebus feſtis, ita & in noſtris cuſtodiatur Eccleſiis.] Prudentius quoque Ambroſii coætaneus, & Benedicti præceſſor; in ejus hymnis unum pro Veſperis, quem *Ante ſomnum* intitulavit, & alium pro Completorio, quam vocavit *Somnum*, compoſuerat. Nos anticipamus tempus ad Completorium, ut ſæcularibus præbeamus interveniendi commodum. Dicitur lectio brevis in principio hujus horæ, & non in fine, ſicut fit ad Primam, quia ea peracta, Monachi cuncti in ſilentio ad dormitionem ibant; ſeu quia prius ante Completorium Sanctorum Patrum collationes legere ſolebant, ad componendam mentem in diurnis negotiis diſtractam; ideo illis verbis: *Converte nos &c.* incipitur, cum quibus a ſæcularibus cogitationibus mentem converti precamur. Inſuper, cum Completorium ſit Electorum ſymbolum; ideo hymnus ante Capitulum dicitur; quod non fit in aliis horis, quia cum ſit hymnus victoriæ ſignum, & electi

ĉti eam jam adepti ſint; hinc ad conſecutionem illius exhortatione non indigent. Hugo in ſpeculo c. 3. Completorium, & Prima ambæ immutabiles, & invariabiles ſemper ſunt, quibus monemur, ut noſtrarum rectarum actionum principium, & finis ſtabiles eſſe debeant. Inſuper in memoriam Dominicæ ſepulturæ canitur Completorium; in qua hora ipſe etiam Dominus in horto ad Patrem oravit. De Completorii cantico, *Nunc dimittis*. Vide *Canticum*. In Confeſſione ad Primam, & Completorium Moniales debent dicere *Et vobis fratres*. Vide *Confeſſio*.

Compluvus, pluvia madefactus. [ Pars una compluta eſt, & pars ſuper quam non pluvia ruit. Amoſ. cap. 4.

Comprovincialis, nomen correlativum unius Epiſcopi ad alium ejuſdem Provinciæ, ſub eodem, nempe, Metropolitano, quem Conſuffraganeum D. Bernardus epiſt. 42. appellavit, Vide *Collega*, *Suffraganeus*.

Compurgator. FR. Judex delegatus pro purgatione alicujus delicti. Vide *Juramentum*.

Concambium, cambium. [ In hoc loco latroni ſerio pœnitenti culpa dimittitur, Mater Diſcipulo commendantur, & Diſcipulus pro Filio Matri miſerabili concambio ſubſtituitur, Guliel. Tyrius de Terra Sancta, ] ubi de Calvario Monte agit. Reperitur etiam *Camium*, *Concamium*, *Cambium*, & *Cambio bis*, verbum. [ Calices, & libros noſtros oppignoravimus; modo Dominus immiſit nobis hominem, qui nobis tantum auri dedit, ut ei quantitas in duplo erogatis reſpondeat, unde vado illud cambire pro argento, ut ex eo pignora noſtra poſſim redimere, Cæſar. lib. 4. c. 67. ] FR. [ Nec aliqui pecuniam cambire cogantur. In extrav. comm. de decimis. ] :||: Item *Procamio* ſic in fundatione Cluniacenſis Monaſterii: [ Non diſtrahat, non minuat, non procamiet, non beneficiet aliquam perſonam.

Concedo. FR. pro condono, & abſolvo. [ Cum Judæi aſſerunt peccata a ſolo Deo poſſe concedi. D. Ambroſ. lib. 5. in c. 5. Lucæ.

Concellaneus, Conturbernalis. [ Concellaneus fiat alterius. Ennod. lib. 1. ep. 5. ] Vide *Cellulanus*.

Conceptio B. Mariæ Virginis. FR. Officium hoc a Leonardo de Nugarolis Veronenſi, & Apoſtolico Notario compoſitum, & a Sixto Quarto in extrav. commun. lib. 3. c. Cum præexcelſa, de reliq. & vener. Sanctor. his verbis confirmatum fuit. [ Quod omnes, & ſinguli Chriſti fideles utriuſque ſexus, qui Miſſam, & Officium Conceptionis ejuſdem Virginis glorioſæ, juxta piam, devotam, & laudabilem ordinationem dilecti filii Magiſtri Leonardi de Nugarolis Clerici Veronenſis Notarii noſtri, & quæ deſuper a nobis emanavit, Miſſæ, & Officil hujuſmodi inſtitutionem in die feſtivitatis Conceptionis ejuſdem Virginis Mariæ &c. ] ubi eſt Typographi error in data 1466. Nam Raynaldus in Annal. Eccleſ. ad an. 1477. hoc decretum a præfato Sixto ordinatum fuiſſe narrat, n. 9. :||: Hoc tamen feſtum celebrari cœpit Lugduni, ut refert Baron. an. 1136. ibi n. 14. FR. Et ann. 1361. n. 3. prædictus Raynaldus Concionatorem quendam contra immaculatam Virginis Conceptionem concionantem ſtatim mortuum cecidiſſe narrat. :||: Penes Græcos etiam antiqua hæc feſtivitas celebrabatur, quam Σύλληψιν appellant, licet per unicum diem noſtræ feſtivitati per Emmanuelis Imperatoris conſtitutionem illi poſtponant. In Sforziana Bibliotheca M. S. conſervatur Leonis Imperatoris ſermo de hac ſolemnitate.

Conceptio S. Jo. Baptistæ. FR. reperitur in quibuſdam Martyrol. antiquis ſub die 24. Septembr. & in quodam Miſsali Equitum Meliten. de ann. 1405. Argentorati impreſſo, & in copioſiſſima Bibl. Domin. Card. Brancacii aſſervato.

Concesso, ſimul ceſſo. [ Non poteſt apud nos perſeverare, quod apud Doctores noſtros conceſſavit. Tertul. de fuga in perſec. c. 6.

Concha. Vaſis genus ad conſervandam aquam. [ Fecit lacum porphyreticum cum concha aſſita in medio, aquam fundentem. Anaſt. in Hilar. ] ſæpe Eccleſiæ abſidem, ſeu tribunam ſignificat, a græca dictione κόγχη, quæ conchylium, ſeu auris concavitatem ſignificat. Solent Græci præter Altare, ubi Miſſam celebrant, aliud altariolum intra conchulam erigere, ubi multis cæremoniis panem, & vinum pro Sacramento conficiendo præparant; quam præparationem προσκομιδὴν, ideſt, advectionem vocant; nam ex hoc altariolo tempore conſecrationis proceſſionaliter panem, & vinum ad Altare, in quo celebratur, deferunt, ac peracta communione ſacerdos ad eandem conchulam reſiduum Euchariſtiæ defert, & conſumat, atque ſacra vaſa purificat, quæ concha duplicem ſpeluncam Domini ſignificat; quando enim ex ea panis aufertur, bethlehemiticam denotat, ex qua panis vitæ prodiit; at quando ibi Hoſtia conſumitur, Domini ſepulchrum denotat, ſic Anaſtaſius in hiſt. Germani patriarch. Conſtantinopol. inquit: [ Concha eſt in ſimilitudinem ſpeluncæ, quæ fuit in Bethlehem, in qua natus eſt Chriſtus, & in ſimilitudinem ſpeluncæ, in qua ſepultus eſt. ] Et ut Eccleſiæ architecturæ conformetur, duas conchas hinc inde facere conſueverunt: [ Cum duabus dextra, lævaque conchulis intra ſpatioſum ſui ambitum apſis ſinuata laxetur. Paulin. epiſt. 12. ad Sever. ] FR. ſumitur etiam *Concha* pro baptiſterio, qua utuntur Græci pro trina immerſione in baptiſmo, & ea quoque uti ſolebant antiquitus Latini. [ Emendari placuit, ut qui baptizentur (ut fieri ſolebat) nummos in concham non mittant, 1. quæſt. 1. canon. emendari: ] :||: Inde Evagrius, lib. 4. cap. 3. Sacram Concham appellat, in priori ſignificatu. Vide *Apſis*.

* Conchula Bematis. Ædificium forma ſemicirculi ad ſupremam bematis, ſive throni, poſitum.

Concides, ingentes truci ab arboribus ſecti: [ Franci enim ſimulato metu, ſe in remotiores ſaltus receperunt,

runt, concidibus per extrema ſylvarum procuratis, Gregor. Turon. lib.2. hiſt. c.9. ] Sed apud Tacitum *Concedes* legitur.

Conciliciatus, cilicio indutus: [ Et is quidem pœnitentiam mœchi ad exorandam fraternitatem in Eccleſiam inducens conciliciatum, & concineratum. Tert. de pudicit. cap. 13.

Concilium, ſeu *Conciliabulum*, Martyrum cappella, ſeu cœmeterium, ubi recondita ſunt eorum corpora: [ Romæ S. Joannis Presbyteri, qui ſub Juliano Apoſtata via Salaria veteri ante ſimulacrum Solis decollatus eſt, & corpus ejus a B. Concordio Presbytero juxta Martyrum concilia ſepultum. Martyrolog. Rom. 23. Junii. Hoc idem poſſumus & de iſto dicere, qui Baſilicas Eccleſiæ, & Martyrum conciliabula diverſis floribus, & arborum comis, vitumque pampinis adumbravit. Hieron. ad Heliodorum.] FR. *Concilium* dici puto, ideſt, adunatio, quia ibi corpora Sanctorum adunata, congregata, & conciliata ſunt: ſic *Conciliabulum*, ideſt, adunatiuncula. *Concilium* vero in ſignificatione congregationis. Vide *Cellulanus*, *Congelus*, *Cognitores*, *Pentectes*, *Synodus*, *Unio*. Item Concilium ſignificat animorum reconciliationem, & compacificationem. Vide *Simultas*.

Concilium Acephalum. Vide *Acephalus*.

Concineratus, ideſt, cinere conſperſus. Vide *Conciliciatus*.

Concionator, declamator, qui & tractator dicitur. Vide *Homilia*, *Tractator*. Peccat mortaliter, qui non exiſtens in gratia concionatur: ita D. Thom. in 4. diſt. 29. qu. 2. art. 3. ad 4. quem aliqui graviſſimi Auctores ſequuntur; alii tamen contrarium ſentiunt, licet a veniali illum non excuſent. Confundunt quidem nos Ethnici: Quintilianus in primis, l. 12. c. 1. inquiens, quod declamator debet eſſe: Vir bonus, dicendi peritus. Menander Philoſophus etiam gentilis inquit: [ Mores loquentis cogunt, non oratio, ] Atque Hieronymus de Reg. Monach. ait: [Sacerdotis vox cum mente concordet. ] Aliud Concionatorum vitium eſt in confarcinandis Sacræ Scripturæ ſenſibus cum Poetarum fabulis, & Sanctorum Patrum effata cum Plauti comœdiis, & ſimilia; ideo tales Concionatores indigni, ſpumei a D. Auguſt. lib. de anima merito vocantur, inquiente: [ Habemus jam quoſdam ſpumeos in ſermone. Vide *Grammatica*. FR. Addi poſſet & tertium vitium ambitionis illorum, nempe, quorum objectum eſt prædicari magis, quam prædicare, & in famæ primatu cæteros Concionatores antecellere, contra quos ſic D. Ambroſius ait: [ Fidem Chriſti obſcurant ſplendore verborum. ] Sacer igitur orator inſtrui a D. Gregorio deberet, ita docente: [ Paſtorum mens, quia non propriam gloriam, ſed Auctoris quærit, ab omnibus vult adjuvari, quod agit. Fidelis namque Prædicator optat, ſi fieri valeat, ut veritatem, quam ſolus loqui non ſufficit, ora cunctorum ſonent, libr. 22. moral. c. 14. ] Non tamen negatur, quod ſummopere in Sacro Concionatore ejus eloquentia eſſet laudanda, ſi triplicato illo, ac frugifero ſtylo concionaret, de quo Lactantius Firmianus S. Cyprianum commendans, inquit; [ Ut diſcernere nequeas, utrum ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in perſuadendo fuerit, l. 5. inſtit. c. 1. ] Nam recte ſplendor hic efficit, [ Ut apertis oculis noſtris deificum lumen attentis auribus audiamus. D. Benedictus in prologo ejus Regulæ. Manifeſtatur enim virtus prædicantium, ubi ſurgit ſeges animarum, lib. 6. epiſt. 9. D. Gregorius ] :||: Hæc, inquam, divina eloquentia, abſque ullo tædio ab antiquis fidelibus indefeſſe ſtando, ſummaque aviditate ſpiritus audiebatur, ut D. Auguſt. de honeſtat. Cleric. & Optat. Milev. lib. 4. teſtantur, ac Sidonius verſ. 16. cecinit.

Seu te conſpicuis gradibus venerabilis aræ,
Concionatorum plebs ſedula circumſiſtit.

In Civitate Conſtantinop. die feriæ ſextæ paraſceve, ob memoriam Chriſti extra Civitatis mœnia paſſi, ut Chryſoſtomus teſtatur, extra Civitatem concionabatur, Concionatorem Verbi Dei non admittunt Moſchi, ſtulte aſſerentes, quod ex Concionatorum variis opinionibus ſectæ, ac fidei diſſenſiones oriantur; hinc auſculatione Epiſtolæ, & Evangelii tantum vernacula lingua in Miſſa prolatorum contenti ſunt. Laudabilem uſum recitationis Salutationis Angelicæ in principio concionis a D. Vincentio Ferrerio introductum fuiſſe creditur. Vide *Salutatio Angelica*. Concionatoris Sacri ſynonyma. Vide *Seminiverbius*, *Tractator*. Dicitur Concionator Oecumenicus Doctor. Vide *Oecumenicus*. Concionator debet cum ſtola perorare. Vide *Orarium*; ſed non Romæ, & quare. Vide *Stola*.

Conciones. Mulieribus numquam permiſſæ. *Gregorius* vero *Nazianz.* *Chryſoſtomus*, & *Hieronymus*, hæc pauca pro Concionibus tradendis præcepta tradiderunt. „ *Primo* Concionatoris oratio ſimplex & perſpicua ſit, atque in auditoribus, gemitus potius, & lacrymas de peccatis, quam applauſum ſuſcitet. Secundo de ſeligenda utili materia Concionatorem ſollicitum eſſe oportet. Tertio Doctrinam ad auditorum ſpirituales neceſſitates accommodare „.

Conclamator. FR. Advocatus, l. de Conclamatoribus, de off. Judicis. Vide *Defenſor*.

Conclave, Clauſura Cardinalium in Sede vacante ad eligendum novum Pontificem. Primum hujuſmodi Conclave Viterbii poſt Clementis IV. mortem coactum fuit. Purpurati enim antea in aliqua Eccleſia, ſeu Sacriſtia ad effectum, de quo diximus, congregabantur, & poſt diſcuſſionem ad proprias domos redibant; ſed occaſione longiſſimæ Sedis vacantis poſt obitum præfati Clementis, quam per biennium, novem menſes, & biduum duraſſe refert Raynaldus, ann. 1271. n. 13. tranſactis decem, & ſeptem menſibus S. Bonaventura, tunc ſui ordinis Generalis, Cives

ves Viterbienſes perſuaſerat, ut in Epiſcopali Palatio Sacrum Collegium XVII. ſeu, ut alii referunt XVIII. Cardinalium includerent, & ad electionem Pontificis illos cogerent; at perſiſtente nihilominus eorum irreſolutione, licet diu manſiſſent detenti: tunc Raynerius Gattus ejuſdem Civitatis Capitaneus, & Conclavis Cuſtos tectum ejuſdem Aulæ, in qua erant incluſi, detexit, ut hac ſubdiali manſione eos ad determinationem cogeret, ubi uſque ad præſens cellularum ſigna cernuntur. Adhuc etiam in Archivio ejuſdem Civitatis originalis bulla conſervatur, in qua Sacrum Collegium cauſa infirmitatis Cardinali Oſtienſi exeundi facultatem conceſſerat, in qua Bulla XVII. ſigilla in cera rubra pendentia cum diverſorum Sanctorum imaginibus diſcernuntur, fortaſſe Sancti illi erant eorum Cardinalatus tituli ſecundum morem illius ſæculi: tenor autem bullæ talis eſt. [ Nos miſeratione Divina Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales. Infirmitati Venerabilis Fratris noſtris N. Oſtienſis, & Velletrenſis Epiſcopi fraterno compatientes affectu; Vobis Alberto de Monte Bono Poteſtati, & Raynerio Gatto, qui pro Capitaneo Viterbienſi te geris, & Communi Viterbien. tenore præſentium ſub debito fidelitatis, quo nobis, & Eccleſiæ Romanæ tenemini, diſtricte præcipiendo, mandamus, quatenus, cum idem Epiſcopus juri, & voto ſibi competentibus in electione Romani Pontificis renuntiaverit coram Nobis, quantum ad præſentem vacationem dumtaxat, volens, ut non obſtante ejus abſentia, ſine ipſo hac vice libere procedamus ad providendum Romanæ Eccleſiæ de Paſtore, ratam habiturus, & gratam electionem, ſeu proviſionem, quam de Romano Pontifice abſque ipſo, & ejus requiſitione duxerimus faciendam, ac inſtanter petierit Vobis mandari, ut de Palatio, in quo ſumus incluſi, ipſum permitteretis exire, eumdemque Epiſcopum de ipſo Palatio ſtatim egredi libere permittatis, nec ipſum de cætero aliquatenus detineatis invitum. Datum Viterbii in palatio diſcooperto Epiſcopatus Viterbienſis VI. Idus Junii MCCLXX. Apoſtolica Sede vacante. ] FR. Factum, quod de S. Bonaventura narratur, in ejus vita non habetur, atque hic ex quo loco, & apud quem Auctorem reperiatur, non citat; ideo ad credendum non facile inclino. Imo non verificatur, quod in Conclavi poſt mortem Clementis IV. Cardinales ab ulio coacti fuiſſent ſub eo ergaſtulo includi; ſed ſponte ſe ſe concluderant ad Regum perſuaſiones, ut Blondus, decad. 2. lib. 8. teſtatur, de Regibus tunc Viterbium accedentibus, inquiens: [ Viterbium venere, ubi Cardinales eſſe noverant in Pontificis electione facienda, ſicut & antea diſſidentes. Evicitque Regum exhortatio, atque inſtantia, ut ingreſſi Conclave, Patres in Theobaldum convenerint Placentinum Leodienſem Archidiaconum, in Aſia tunc agentem. ] qui poſtea Greg. X. appellatus fuit. Idem refert Raynaldus loco ſupracit. Nec eſt verum, quod illud fuerat pirmum Cardinalium Conclave; nam ante hoc fuerunt in aliis electionibus concluſi Electores, ut teſtatur Gloſſator Decretalium in can. licet. De vitanda Elect. §. Nullatenus. Ubi ait, quod diſcordantibus Cardinalibus incluſi fuerunt in electione Honorii III. Gregorii IX. Cæleſtini, ſubditque: [ Et temporibus noſtris Innocentius III. ( *lege* IV. ) tamen id de jure faciendum non eſt. ] Et idem Blondus de Conclavi Neapoli acto, Innocentio IV. ibi defuncto, in electione Alexandri IV. de anno 1254. hæc refert. [ Alexandrum Pontificem eo nomine IV. ex Rainaldo Cardinale Oſtienſi natione Campano: Cardinales, qui omnes Innocentium in expeditione ſequuti erant, in urbe Neapolitana brevi creaverunt; nam Conclave ea fuerunt ingreſſi conditione, ut omni poſtpoſita longiore debito mora, rebus Eccleſiæ a Manfredi violentia, inſidiiſque alioquin periclitaturis, per novi Pontificis creationem providerent: & eos Bartolinus juvit Tavernarius Eques Parmenſis, quem Innocentius Pontifex Sororium ſuum Neapoli Prætorem, Præfectumque præſidio impoſuerat. Is enim vir prudens honeſta, ac conſueta vi adhibita, illos cibo per ſingulos dies imminuto, ut in aliquem concordarent, impulit potius, quam hortatus eſt, lib. 7. decad. 2. ] Ubi etiam per verba *Conſueta vi*, id, quod ſupra Gloſſator de aliis anterioribus Conclavibus narrat, Blondus inſinuare videtur. Atque Paſſarinus de electione Summ. Pont. qu. 11. num. 1. Conclave anno 1118. in electione Gelaſii II. cœpiſſe tenet, ( nam ſecundum Baronium anno 1118. in Pontificem electus fuerat. ) De Honorio III. (cujus electio ex Raynaldo accidit, an. 1216. ) etiam Blondus, eod. lib. 7. in princip. decad. 2. ait, quod: [ Coacto in Conclavi Collegio penuria cibi per dies ſingulos majore facta, ut properarent, vim honeſtiſſimam attulerunt, conſecratuſque Pontifex &c. ] Igitur multo ante Sedis vacationem per obitum Clement. IV. Conclave erat in uſu. In electione autem Innocentii IV. fuerunt Cardinales Amalphi a Federico in carceribus detenti; ſed in libertate poſiti, Anagniam confugere, ibique prædictum Innocentium in Pontificem elegerunt. Gregorius deinde X. anno 1274. ſancivit de Conclavi bullam, quæ habetur in c. Ubi periculum, de elect. in ſext. quæ abſque effectu remanſit, & ab Adriano V. ſuſpenſa; iterum a Joanne XX. ( appellato XXI. ) eadem ſuſpenſio comprobata; itaut abſque prævio Conclave electi fuerint Nicolaus III. Martinus II. dictus IV. Honorius IV. Nicolaus V. Cœleſtinus V. & ab hoc iterum Conclavis bulla renovata; ac tandem a Bonifacio VIII. confirmata fuerat. Gloſſa in dict. cap. Ubi periculum. §. Concilio generali. Ciacconus in vita Jo. XXI. & Lauræa tract. 5. quæ deinde ſucceſſive in omnibus electionibus uſque ad præſens executa fuit. Quo prætextu Baſilius Prorex Odoacri ſibi arrogare voluit Electionem Pontificis. Vide *Manſoleum*. Synonymum

mum Conclavis. Vide *Monobambylum*. Diſcordia electorum in Conclavi ut plurimum eſt ſchiſmatis cauſa. Vide *Romanus morbus*. *Rotula*. In Sede vacante, vel in Pontificis abſentia, Eccleſiæ Romanæ gubernium per Archidiaconum, Archipresbyterum, & Primicerium regebatur. Collectan. Anaſtaſii Biblioth. in exil. S. Martini Papæ, & Martyris a Sirmondo in 8. edit. 77. Baron. an. 650. n. 15. Hodie tamen, dum Cardinales ſunt in Conclavi, tria ordinum capita reſcripta firmant :||: Quando Papa jam declaratus eſt, & novum nomen ſuſcepit, tunc primus Diaconus Card. feneſtrale foramen frangit ad clauſuram, ac crucem populo oſtendit, altaque voce clamat, dicens: [ Annuntio vobis gaudium magnum: Papam habemus; Reverendiſſimus Dominus Cardinalis N. electus eſt in Summum Pontificem, & elegit ſibi nomen N. ] FR. Solebant antiquitus alia forma uti, ut apparet ex ſchiſmatica electione Octaviani S. Ceciliæ Cardinalis, qui Victoris III. ſibi nomen indiderat, apud Radevicum Friſingen. in vita Federici Oenobardi, lib. 2. cap. 67. ubi ſic habetur. [ Tunc Scriniarius ſecundum antiquam Romanorum conſuetudinem, aſcendens in altum voce magna clamavit ad populum dicens; Audite Cives Rom. & Cœtus Reipublicæ; ſecunda feria Pater noſter Adrianus mortuus eſt, & proximo ſequenti Sabbato Dominus Octavianus Card. S. Cæciliæ electus, eſt immantatus. Placet ne vobis? Reſpondit Clerus, & Pop. Placet. Secunda, & tertia vice interrogatus ſi placeret? clara voce reſpondit. Placet. Deinde cum bandis, & aliis papalibus inſignibus Papa cum laudibus in Palatio deductus eſt. ] Simili modo cum terna interrogatione, & totidem Conventus reſponſione ſolet uſque adhuc Magn. Magiſtri Meliten. electio publicari. Quo ad alia pertinentia Conclavis, vide *Bicaſſa. Cardinalis. Cornuta. Croccia*. *Papa*. Item Conclave pro Catholiciſmo. Vide *Catholicus*. Item pro Paradiſo. [ Si uno in ſupera manſione conclave retinemur, Ennod. in Apolog. Item conclave pro ſeminario. can. omnis ætas. 12. qu. 1. :||: Conclave inſtituit in Pariſienſi Academia Simon Cardinalis S. Cæciliæ ad electionem illius Rectoris hoc pacto; includuntur quatuor Electores cum termino conſummationis candelæ unius libræ, qua finita, expirat eorum facultas, & includuntur quatuor alii.

Conclavista. Vide *Protonotarius*.

Concordia. Vide *Omonœa*.

Concubina. FR. hæc vox in ſac. pagina, in Canonibus, Conciliis, & apud ſacros, profanoſque Scriptores non raro ſignificat uxorem deterioris conditionis, ſeu occultam, l. in libertæ 24. ff. de Concub. & l. in Concubinatu. 3. ff. eod. In primis Sac. Scripturæ. [ Deditque Abraham cuncta, quæ poſſederat Iſaac: filiis autem concubinarum largitus eſt munera. Geneſ. cap. 16. ] Ubi Agar, & Cetura ſæpe uxores vocantur; nam tunc permiſſa erat polygamia, ſicut in novo Teſtamento licitum eſt viro unicam habere concubinam, nempe, mulierem inferioris conditionis, in vinculo tamen veri matrimonii, & indiſſolubilis; atque ſic Toletani Concilii intelligenda ſunt verba a Gratiano, diſt. 34. can. 2. relata, ubi habetur: [ Is, qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, a communione non repellatur; tamen, ut unius mulieris, aut uxoris: aut concubinæ ſit conjunctione contentus. ] Et in ſequenti canone ex Iſidoro de diſt. nov. & vet. teſt. [ Chriſtiano non dicam plurimas; ſed nec duas ſimul habere licitum eſt: niſi unam tantum, aut uxorem, aut certe loco uxoris (ſi conjux deeſt) concubinam. ] Ubi aperte Gloſſ. declaravit vim vocis Concubinæ, ideſt: [ Mulierem non ſolemniter ductam, ſi tamen mutuus conſenſus intervenit; alias concubinam non licet habere. 32. qu. 4. can. nemo. ] Quæ doctrina eſt D. Auguſtini, lib. de bono conjug. cap. 5. qui manifeſte hujuſmodi matrimonium verum, & realem exiſtimat, his verbis: [ Et poſt quidem fortaſſe non abſurde hoc appellari connubium, ſi uſque ad mortem alicujus eorum id inter eos placuerit, & prolis generationem, quamvis non ex cauſa conjuncti ſunt, non tamen vitaverint, ut vel nolint ſibi naſci filios, vel etiam opere aliquo malo agant, ne naſcantur. Cæterum ſi vel utrumque, vel unum horum deſit, non invenio quemadmodum has nuptias appellare poſſumus: etenim ſi aliquam ſibi ad tempus adhibuerit, donec aliam dignam honoribus ſuis, vel facultatibus inveniat; animo ipſo adulter eſt, nec cum illa, quam cupit invenire; ſed cum iſta, cum qua ſic cubat, ut cum ea habeat maritale conſortium. ] Vide Gloſſ. in cap. Ecce quod, diſt. 33. In can. omnibus, & can. Is, qui, diſt. 34. Omnes tamen prædictæ doctrinæ verificabantur ante Concilium Trident. ſed poſt illud, in quo clandeſtina hujuſmodi matrimonia prohibita fuere, non amplius legitima dici poſſunt; & penes antiquos hiſtoricos, tum Ethnicos, tum Chriſtianos, concubina pro uxore non raro intelligebatur; ſic Poppea a nonnullis Neronis uxor, ab aliis concubina vocatur; atque Helena Conſtantini Magni genitrix ab aliquibus concubina, ab aliis vero Conſtantii uxor dicitur; & vice verſa conjugium pro eo, quod meretrices frequentant, aliquando ſumitur. [ Qui ſecundæ uxoris conjunctionem ſortiti ſunt, aut numeroſa conjugia frequentaverunt, can. qui in aliquo. diſt. 51. ] ubi arcentur a ſuſceptione ordinum Eccleſiaſticorum hujuſmodi perſonæ, ex eo quia numeroſa conjugia frequentaſſent; non enim hic de eo, qui multas uxores habuiſset, intelligitur, dum antea de bigamo locutus eſt textus; nam ſuperfluum eſset de plurimas uxores habente hanc additionem ponere, cum ſi quis duas uxores habuiſset, incapax eſset ordinum; multo magis de eo, qui plurimas frequentaſset, intelligeretur: ergo de eo dicitur, qui, nempe, meretrices frequentaverat. Synonyma. Vide *Contectalis*.

*lis. Fotaria. Herecia. Stertecia. Infidelis. Lateralis.*

Concubinus, gladius a Tertulliano dicitur, nam ad lectum noctu ſuſpendi ſolet. De Reſur. carnis.

Concubitor, Vide *Paracimomenus*.

Concubius, FR. ſimul in eodem lecto condormiens, quod ſæpe in malum ſenſum accipitur. [ Unam cantilenam de multis metrice de eo compoſitam, ex perſona concuborum ſuorum, vobis miſi. Ivo Carnot. epiſt. 67.

Conculcare Episcopum. ideſt, alterius Epiſcopi juriſdictionem uſurpare. [ Ut nullus Epiſcoporum alium Epiſcopum conculcet. Concil. Arelat. I. can. 17. Aliis terminis idem dicitur, & præſertim Tranſcendere Epiſcopum. [ Ne quis tranſcendat Epiſcopum Collegam ſuum. Concil. I. Carthag. can. 10. ] Pulſare Diœceſim, Concil. Carthag. II. can. 11. atque Supergredi. [ Ne ſupergrediatur in Diœceſi Collegam ſuum, Conc. Carthag. III. can. 20. ] pro eodem dixit, Vide *Pulſo*.

Concupiscentia, Idololatria dicitur. Vide *Idololatria. Infidelis*.

Concussio, captura a juſtitiæ Miniſtris facta. [ Pudens miſsum ad ſe Chriſtianum, in elogio concuſſione ejus intellecta, dimiſit: ſciſso eodem elogio, ſine accuſatore negans ſe auditurum hominem ſecundum mandatum. Tertull. ad Scap. ] Senſus verborum eſt, quod, nempe, Pudens, cupiens Chriſtianos liberare; hinc ejuſdem Religionis virum capturatum, cum a nemine accuſaretur, nedum interrogare eum voluit, ſed etiam liberum dimiſit. FR. Vide infra *Concutio*.

Concutio. FR. pro vexare, ſeu aliquid ultra debitum petere. [ Dictum eſt autem eis, neminem concuſseritis, eſtote contenti ſtipendiis veſtris. 23. quæſt. 1. ] Ubi Gloſsa: [ Concutere, eſt aliquid petere ultra debitum ratione alicujus officii, ff. de concuſs. l. 1. & 2. lib. 47. Concuſſionis judicium publicum non eſt; ſed ideo pecuniam quis accipit, quod crimen minatus ſit. Idem Vulpian. in 1. quæſt. cap. 127. ] ibique Gloſsa: [ Crimen concuſſionis eſt, cum quis minatur alicui, niſi ita, vel ita faciat.

Condico, eſse in eodem ſenſu, uniteque dicere ſignificat. [ Condixerat, ſcilicet, Petrus Regem quidem honorandum. Tertull. Scorp. c. 4. ] ideſt, quia in hac ſententia coapoſtolo Paulo concordabat Petrus; cujus Synonimum. Vide *Confabulator*. FR. Condicere ſignificat etiam idem ac edicere, inde condictum dicitur edictum. Vide *Condictum*.

Condictum. FR. Edictum. [Quas vulgo torneamenta vocant, in quibus milites ex condicto convenire ſolent. 5. decretal. tit. 13. c. 1. ] Ubi Gloſſa, [ Ex condicto, alias ex edicto.

Condita. FR. Victus, proviſio ad opportunum tempus conſervata. [ Ut abundanter in ejus condita procurentur. S. Greg. lib. 7. epiſt. 5. Unciam panis malitioſe, & temere reſtitutam, ſpontanea voluntas populi redegit in copia conditorum. Symmachus, lib. 2. ep. 76. ] Hæc vero vox in aliquibus formulariis, & inſtrumentis in numero ſingulari intellectu difficilis redditur: exempli gratia, in quadam donatione S. Martini Monaſterio facta, legitur. [ Fridegiſo Abbati trado manſum noſtrum dominicatum, quem extra conſortium fratrum in hæreditate habemus in pago bleſenſi, in condita ponte lapidenſe. ] Bigonius tamen in notis ad Marculſum putat vicum ſignificare; ſed ego exiſtimo vallem eſſe: melitenſi enim lingua, quæ ex punica, italica, græca, atque gallica commixta eſt, *Chandek* vallis dicitur.

Conditio, creaturam ſignificat: [ Quæris an conditioni ejus fruendæ natura vobis debeat præire? Tertull. de corona mil. c. 6. ] Et clarius idem: [ Quomodo enim ante omnia &c. ſi non eſt Chriſtus primogenitus conditionis? lib. 5. contra Marcion. c. 19. ] derivatur enim a verbo *Condo*, ſic mundum a Deo conditum (ideſt creatum) dicimus. FR. Aliquando tamen idem Auctor varie hanc dictionem accipit, ut Jacobus Pamelius in notis ad eundem in dicto loco contra Marcionem, n. 297. ait: [ Conditionem non hic accipit pro creatura, ut infra in hoc capite. ] Ideſt, ubi explicite Tertullianus ajebat; [ Colentes conditionem adverſus Creatorem. ] & c. 5. n. 50. de reſur. carn. Conditionem ibi non creaturam in concreto, ſed creationem in abſtracto accipit, ubi ſic ait: [ Et finxit, inquit, Deus hominem magnæ ſine dubio differentiæ, ratio pro conditione rerum: ] ideſt, creatione rerum.

Conditionalis, Creator. [ Nemo ad aratrum manum imponens, & retro ſpectans, aptus eſt; opera, & conditionalis eram: nemo duobus dominis ſervire poteſt. Tertull. de Idol. c. 12. ] Ubi dict. *Opera* pro operatore poſita eſt.

Conditionarius. FR. Subjectus, ſeu dependens a conditionali ſtatu; moraliter enim hominem exaltatum ab aliquo *Creaturam* reſpectu ejus benefactoris vocamus. [ Non confidat quiſquam Pontificum fas eſſe bigamos, aut conjugia ſortientes ab aliis relicta, ſive quoslibet poſt pœnitentiam, vel ſine litteris, vel corpore vitiatos; vel conditionarios, aut curiæ, publicarumque rerum nexibus implicatos, aut paſſim nulla temporis congruentis expectatione diſcuſſos, divinis ſervituros applicare miniſteriis, diſt. 50. can. 53. ] Igitur pro ſervo, famulo, vel liberto accipitur, licet ille a ſuo Patrono exaltatus ſit: quod clarius. diſt. 51. can. Qui in aliquo, in eodem propoſito habetur, [ Qui ſervili conditione obnoxii ſunt. ] Ubi pro conditione ſubjectionem intelligit: ſic Princeps, qui in ſuis edictis hanc clauſulam ponit, nempe, [ Cujuſcumque gradus, ſexus, & conditionis: ] pro conditione ſubjectionem intelligendam eſſe denotat; nam omnes, quibus edicit, ei ſubjecti ſunt.

Condium, liquidorum menſuræ genus. [ At ille munere cœleſti congaudens concavum in lapide parvulum in modum ciſternæ faciens, quod tenebat quaſi condia duo, lymphas divinitus ſibi indultas ſuſcipiebat.

bat. Greg. Turon. in vita S. Caluppani.] Fortaſſe melius *Congium* dicitur.

CONDUMA, prædium dumis repletum. [ Unam illi de jure Eccleſiæ deputare condumam voluiſſes; ſed quia conduma ipſa vineolam parvam juris ejuſdem Eccleſiæ noſtræ tenere dicitur &c. Greg. lib. 9. epiſt. 14.] Alii tamen malunt *Condumiam* legere.

CONDYLUS, Junctura in digitorum articulis, ex græco idiomate κόνχυλος. [ A digitorum condylis incipito. In vita S. Arcadii mart. [ Hinc *Condyloma* derivatur, græce κονδύλωμα. [ Offeram vobis quidquid illud eſt uſque ad dimidium bonorum patrimonii mei, ſi ab hac nodoſitate condylomatum mei fuerint membra corporis reſoluta. In Actis S. Sebaſt. mart.

CONFABULATUS. FR. Unus de proſapia, ſeu cognatione, l. ſi corrigerit, qualiter, quis ſe defendere debeat, ſed *Confamulatus* legendum.

CONFABULOR, conſentior, conformor. [ Quærendum eſt, quibus ſit accomodanda fides, quæ cum ratione concordent, quæ cum veritate confabulentur. Optat. Milevit. lib. 1.] Quod verbum proprie uniformitatem in loquendo, ſeu ratiocinando ſignificat, cujus ſynonimum. Vide *Condico*.

CONFALONIS SODALITAS. Vide *Confratria*.

CONFESSARIUS. Vide *Pneumaticus doctor*. *Pœnitentiarius Presbyter*. Confeſſarius in confeſſione ſollicitans. Vide *Pœnitentialis*. *Synderus*.

CONFESSIO. Eccleſiæ locus ubi reponuntur corpora, ſeu reliquiæ Sanctorum Martyrum, græce μαρτύειον dicitur. Vide *Martyrium*. *Cœmeterium*. At quamvis confeſſio latine idem ac martyrion græce dicatur; tamen martyrium ſæpe pro toto Eccleſiæ, ſeu oratorii ambitu accipitur: ita Baron. in not. Martyrol. ad 6. Julii, & proceſſu temporis etiam corpora Sanctorum Confeſſorum in confeſſione poſita ſunt. Item in ſignificatione Reliquiarii, Anaſt. Biblioth. [ Fecit confeſſionem B. Laurentii Martyris ex argento penſantem libras centum.] Quæ verba non poſſunt ad totam Eccleſiæ fabricam applicari; impoſſibile enim eſt, quod ex ſimili pretioſo metallo, & tali modica quantitate Eccleſia conſtitui poſſet. Hinc falſo Bellingerius exiſtimat *Confeſſionem* non niſi Oratorium denotare. Atque eleganter Caſſiodorus Urbem exaltat Apoſtolorum Principum confeſſionibus ditatam, inquiens: [ Tenemus aliquid Apoſtolorum proprium, ſi peccatis dividentibus, non reddatur alienum, quando confeſſiones illas, quas videre univerſitas appetit, Romæ felicior in ſuis finibus habere promeruit. epiſt. 3.] Quæ *Apoſtolorum limina* etiam dicuntur; nam λιμλὼ græce portum, ſeu ingreſſium ſignificat; & ſimilia quoque Sanctuaria limina ſecura noſtrarum peregrinationum; & aſyla ſunt. Dicuntur confeſſiones etiam, quia ibi Imperatores antequam ſolemniter coronarentur, fidei confeſſionem, ſeu profeſſionem faciebant. FR. de hac confeſſione. Vide Bollandi Acta Sanctor. 9. Febr. pag. 330. R. P. Angel. de Nuce in Not. ad Chron. Caſin. lib. 2. cap. 3. nu. 853. Anton Boſium in Notis ad epiſt. Paſchal. Papæ primi de revel. & inventione Corporis S. Cæciliæ p. 137. num. 5. De Rubeis in Defenſore Redivivo, cap. 1. pag. 27. & Paulus Aringhius in Additione Romæ Subterraneæ ejuſdem Antonii Boſii. Synonima vide *Canola*. *Cinerarium*. *Cœmeterium*. *Concilia Martyrum*. *Loculum*. *Martyrium*. *Oſſarium*. :||: Item *Confeſſio* eſt Miſſæ pars, ſeu principium ante introitum, in qua, ut Innocentius III. notat, Sacerdos pœnitentem Publicanum imitatur, quo actu [ Significamus nos cor conterere, ut a Domino dirigatur. Aug. in Pſal 146.] Sic pectus pulſando internas culpas deteſtari intelligimus. Quare S. Maximus inquit, quod; [ Recte contundentes manibus pectus, ſi omnem inde furorem malignæ voluntatis excuſseris, homil. 3. de Quadrag.] Solebat etiam Chriſtiani percutere pectus, quoties de ſenſualibus delictis mentionem facere audiebant. [ Cum Scriptura commemoraſset eos, qui non intrabunt, ibi etiam nominavit homicidas, non expaviſtis: nominavit fornicatores, audivi quia pectora contudiſtis. Aug. ſerm. 28.] Idem etiam faciebant ad orationis Dominicalis verba *Dimitte nobis*, ut idem Sanctus refert. Et quando in Evangelio pronuntiabantur execranda verba contra Chriſtum prolata, nempe, *Dæmonium habes*, ut Innocentius III. ait, qui inſuper docet trinam hanc pectoris percuſſionem ternarum noſtrarum actionum eſse ſigna, ideſt, cordis contriti, linguæ confitentis, & operis ſatisfactorii. Per errorem vulgi, dum in Miſsa *Sanctus &c.* pronunciatur, percutitur pectus; id enim ipſemet celebrans non facit, nec eſt papalis Cappellæ praxis, neque a verſatis in ſacris cæremoniis fieri conſuevit. Item ſolebant antiqui Chriſtiani ad illa Salvatoris verba in Evangelio poſita, nimirum: *Confiteor tibi, Patre &c.* etiam per errorem vulgarem percutere pectora. Vide ſupra in dict. *Benedictio*. Igitur confeſſionem hanc, quæ in principio celebrationis dicitur, Platina, & Radulphus, cap. 23. putant a Damaſo Papa inſtitutam fuiſſe: alii vero Pontianum Pontificem inſtitutorem cenſent. Berno de off. Miſſæ, cap. 25. FR. Mos erat in hac prævia Miſſæ confeſſione, nedum cogitationum, verborum, operumque culpas generaliter confiteri; ſed etiam aliquando patrata peccata ſpecifice propalare; ſic de Patriarcha Germano, lib. 4. Nicephorus Gregora teſtatur, inquiens: [ Quare cum is primum Sacrificia cum cæteris Pontificibus peregiſſet, ante veſtibulum ſacri ſuggeſtus proſtratus, duo ſua peccata perjurium, & filii Imperatoris excœcationem aperte profitetur, ſibique condonari petit.] Quod de hac prævia in Miſſa confeſſione intelligendum eſt, & quamvis dicatur ante veſtibulum ſacri ſuggeſtus, per hoc vocabulum Altaris gradus nonnumquam intelligi in dict. *Suggeſtus* oſtendemus. Æthiopes in Miſſæ principio non recitant Confiteor; ſed ejus loco dicunt, Pſal. 68. *Salvum me fac &c.* ita Gomeſius

Vai-

Varranus, & Alvarus, in hiſt. Æthiopica. :||: In prolatione *Confiteor &c.* nomina Sanctorum Patronorum, ſeu Titularium addi non debent, cum hoc ex privilegio B. Pii V. Hiſpaniæ Eccleſiis conceſſum ſit. Item Moniales in *Confiteor* dicere debent *Et vobis fratres*, & non, *Et vobis ſorores*. Sac. Congr. Rit. 8. Aug. 1629. quia cum Eccleſia loqui intelliguntur; eodem modo, quo Sacerdos dicit, *Dominus vobiſcum*, licet unus tantum adſit.

CONFESSIO SACRAMENTALIS. FR. Eſt præcipua, & eſſentialis pœnitentiæ Sacramenti pars. Gloſſ. in cap. quod ſi pœnitentiam, 27. quæſt. 1. Aug. lib. de pœnit. ait: [ Qui confiteri vult peccata, ut inveniat gratiam; quærat Sacerdotem ſcientem ligare, & ſolvere; ne, cum negligens circa ſe extiterit, negligatur ab illo, qui cum miſericorditer monet, & petit, ne ambo in foveam cadant, quam ſtultus evitare noluit, apud Gratian. de pœnit. diſt. 1. can. 88. ] Inſtituta confeſſio fuit in mundi exordio: ſub lege autem, quando Joſue præcepit Achor crimen ſuum confiteri, & lapidatus eſt; & tandem in novo teſtamento a Jacobo, dicente; Confitemini alterutrum peccata veſtra &c. ſed melius dicitur inſtitutam fuiſſe a quadam univerſalis Eccleſiæ conſuetudine. Gloſſa in can. Conſideret. de pœnit. diſt. 5. ] Et inferius addit, quod Græci non tenentur eorum peccata confiteri. [ Quia non emanavit apud illos traditio talis. ] Sed hi Gloſſæ errores notantur ibi a Poſtillatore, de pœnitentia, diſt. 1. can. 36. ſic ajente; [ Imo jure divino Jo. 20. inſtituta eſt oris confeſſio, quæ eſt ſecunda pars pœnitentiæ. & non per traditionem, ut hic male dicit Gloſſa, & conſequenter omnibus tam Græcis, quam Latinis neceſſaria ex Theologis, & Conciliis. ] Sic etiam alio errore notatur Gloſſa, docens, quod in caſu neceſſitatis confiteri debeamus laico, deficiente Sacerdote, in can. unum orarium. diſt. 25. & licet Auguſtinus loco ſupra cit. can. 88. diſt. 1. videatur ibi hoc confirmare; exiſtimo tamen textum Auguſtini adulteratum fuiſſe; nam ex eodem Doctore, de pœnitent. diſt. 1. cap. 44. contrarium conſtare videtur, ubi inquit: [ Ergo ſine cauſa dictum eſt, Quæ ſolveris in terra, ſoluta erunt in cœlo. Ergo ſine cauſa claves datæ ſunt Eccleſiæ Dei. Fruſtramus Evangelium Dei, fruſtramus verbum Chriſti, ſi promittimus quod ille negat. ] Contrariæ equidem illationes ſunt iſtæ; nam ſolis Sacerdotibus datæ ſunt claves, & poteſtates ligandi, ſolvendique, & conſequenter a Chriſto laicis negantur, alias fruſtraremus Evangelium Dei, fruſtraremus, inquam, verbum Chriſti, ſi laicis permittamus, quod eis Chriſtus negat. Igitur confeſſione, & ſatisfactione a peccatis mundamur; ſed confeſſio Sacerdoti, & non laico facienda eſt, de pœnit. diſt. 1. can. 36. Inſuper D. Auguſt. non poterat contra D. Ambroſii ejus Magiſtri documenta in rebus tanti momenti aſſerere; ajebat ſiquidem ille: [ Jus enim hoc ſolis permiſſum eſt Sacerdotibus, apud Gratian. de pœnit. dict. 1. can. 51. ] Vide *Pœnitentialis. Suſurrium*.

CONFESSOR, hæc vox apud antiquos, eccleſiaſticoſque Scriptores ſæpe Martyrem ſignificat, ſive illum, qui tormentis fidem Chriſtianam confeſſus fuiſſet, ſive tantum coram Judicibus publice Chriſti doctrinam profeſſus eſſet, & hi *Martyres deſignati* a Tertulliano appellantur, & a S. Cypriano, epiſt. 21. *Floridus* uterque confeſſor dicitur, ideſt, coronatus; atque *Purpuratus confeſſor* a D. Ambroſio, de pœnit. c. 11. vocatus fuit latro a Domino in cruce redemptus. FR. Vide Gloſſam, in can. Importuna, §. Martyrium, de pœnit. diſt. 1. & can. Baptiſmi, §. Crucifixus, de conſecrat. diſt. 4. ibique Gloſſa. *Martyr* interpretatur confitens. :||: Itaque Martyr dicebatur, nempe, qui ante Judicem vocatus, libere fidem chriſtianam confitebatur, & hic proprie *Confeſſor* appellabatur; qui vero ſponte, nulla prævia citatione ad Martyrium ſe offerebat, hic *Profeſſor* vocabatur; at ille, qui metu martyrii ſe abdicabat, *Extorris* dicebatur. FR. Hoc tamen ultimum vocabulum aliquando pro alieno, ac diviſo accipitur: ita apud Virgilium Tapſenſem Epiſcopum, ubi contra Euthychianos inquit: [ Ut fateamini Filium ex Patre genitum paternæ divinæ extorrem eſſe naturæ. ] Cujus aliqui mendoſi codices, *Extortem* habent. :||: Hodie tamen *Confeſſor* dicitur is, qui pie, ſancteque vivendo, in Domino, ſuos claudit dies, & in catalogo Sanctorum ab Eccleſia numeratur. Legitur etiam in Codice Rodradi nomen Virginis, & non Martyris titulo *Confeſſa*, ſic: *Miſſa in Natali Confeſſæ*. Item in Concilio Toletano IV. S. Leucadia *Confeſſor* appella fuit. Tandem confeſsor dicitur cantor, ſeu pſalmiſta, ideſt, primæ tonſuræ Clericus, & in hoc ſenſu intelliguntur in oratione Feriæ VI. majoris hebdomadæ, illa verba. [ Acolythis, Exorciſtis, Lectoribus, Oſtiariis, Confeſsoribus. ] Eundem ſenſum habent illa verba Concilii Toletani 1. c. 9. [ Nulla profeſsa, vel vidua, abſente Epiſcopo, vel preſbytero, in domo ſua antiphonas cum confeſsore, vel ſervo ſuo faciat.

CONFINIALIS, Officialis, qui habebat curam confinium Provinciarum. [ Quomodo Marca noſtra ſit ordinata, & quæ per ſe fecerunt confiniales noſtri. In conſt. Caroli Magni.

CONFIRMATIO. Vide *Ratihabitio*.

CONFIRMATIONIS SACRAMENTUM. Vide *Chriſma*.

CONFIRMO, ſæpe in Ordine Romano ſignificat diſtribuere ſanguinem Chriſti fidelibus in Miſsa poſt participationem Corporis Sacri, quæ functio a Diacono fiebat: [ Ipſe Pontifex confirmatur ab Archidiacono in calice ſancto. ] Ac de communione populo facienda ibidem dicitur: [ Recepto calice, Archidiaconus confirmat omnes ſanguine Dominico, quos communicaverit Pontifex. ] Hæc diſtributio ſanguinis per calamum fiebat, ut adhuc Pontifex facit, quæ antiquitus etiam in populari communione adhi-

bebatur, ne Sanguis Dominicus verſaretur. [ Qui tradit ei pugillarem, cum quo confirmat populum, ibid. ] Vide *Calamus*. *Communio*. *Pugillaris*. *Siphon*. Confirmo in proprio ſignificatu. Vide *Omologo*.

Confiscor. Vide *Infiſcor*.

Confiteor. Vide *Confeſſio*.

Conflabello, ſimul ſufflo ad excitandum majus incendium. [ Inter ſe de commercio ſcintillas libidinum conflabellant. Tert. de ſpect. c.25.

Confoederatio defenſiva, & offenſiva. Vide *Symmachia*.

Conformalis, configuratus; ita Tertullianus, qui textum Apoſtoli ad Philip. c.3. exponens, ait: [Corpus noſtræ humilitatis conformale corpori gloriæ ſuæ, de Reſurr. carn. c.48. ] in vulgata enim legitur: [ Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.

Confractorium. In Miſsali Ambroſiano intelligitur illa oratio, quæ dicitur poſt fractionem Hoſtiæ, unde nomen habuit.

Confraternitas. Vide *Adelphatum*. *Confratria*. *Geldonia*.

Confratria, Confraternitas, pia Congregatio; a voce græca φρατεία, de quo vocabulo mentionem facit Joſeph Hebr. lib.7. Antiquit. De Confraternitatibus autem recentioribus relaxatis ita Budæus loquitur: [ Coepulones dici fortaſse poſsunt, ut qui plerumque epulandi magis, quam cultus divini gratia conveniunt. ] Primaria ſodalitas Confalonis fuit a Clemente IV. anno 1267. inſtituta, ita appellata, a vexillo, italice *Confalone*, in quo virginis Mariæ imago erat depicta, quæ ſub ejus velamine ſodales tegebat, & in ejus fundationis bulla Confraternitas *Commendatorum Virgini* appellatur, cujus inſtitutum eſt Chriſtianos apud infideles captivos redimere. Ad cujus exemplum deinde aliæ piæ ſocietates ſub variis Sanctorum invocationibus normam habuere. Vide *Adelphatum*. In Melita adhuc hoc antiquo vocabulo *Confratria* pro confraternitate dicitur. FR. *φρατεία*, græce conſpiratio, & conjuratio potius ſignificat. Vide *Phratria*.

Confundo. FR. pro corripio, & reprehendo, qui in die Dominico non complete Miſsam audiunt, & diſcedunt ante Sacerdotis benedictionem, præcipit Agatenſe Conc. [ Quod ſi fecerint, publice ab Epiſcopo confundantur, can. Miſsas, de conſecrat. diſt. 1.

Congellus, græco-latinum nomen; ſic appellabatur vivente Patriarcha ejus futurus, deſtinatuſque ſucceſsor, græce vero σύγκελλος dicebatur, de quo ſuo loco, quod cellulanus, ſeu contubernalis latine interpretatur. Vide *Syncellus*.

Congener Christi, dicitur Spiritus Sanctus a Nonno his græcis verbis, Χειστοσυγγονον, quæ male traducta ſunt, ideſt, Congenitum Chriſti, nam Spiritus Sanctus non eſt genitus a Patre, ſicut eſt Filius; Congener vero ejuſdem generis ſignificat, nempe, ejuſdem divinæ naturæ, ac ſubſtantiæ, quod recte verificatur.

Congerium, cœtus, & gentium coadunatio. [Aſcendentes Alpium juga, neque alium congeriorum oppleta multitudine pertranſierunt. Greg. Turon. l.1. mirac. c.4. ] Aliquando licentiam abeundi ( italice congedo ) ſignificat. [ Domini Cardinales ibunt ad domum Regis, & aſsociabunt eum uſque ſit aliquantulum extra villam, & tunc, recepto congerio, redibunt. Davantria in ejus cæremoniali, ] ubi de Rege Navarræ, quando diſceſſit a Benedicti XIII. præſentia, hæc ſcripſerat.

Congium. Vide *Condium*.

Congregor, pro morior. [ Piſces maris congregabuntur. Oſeæ, c.4. ] Qui enim moritur cum ſuis deceſſoribus aggregatur in tumulo, ut clarius de Jacob legitur; [ Ego congregor ad populum meum, ſepelire me cum patribus meis, Gen. c. 49.

Congrex, unitus, & congregatus. [ Jam mundum te Chriſte cœpit congrege nexu. Prudent.

Conjectum, contributio a ſuperioribus impoſita [ Vaſſi vero noſtri, & miniſteriales, qui miſſi ſunt, ubicumque venerint, conjectum accipiant. Marculf. lib. 4. formul. cap. 9. ] Dicitur etiam *Conjectura*. [ Nihil de fiſco ſuo Rex dari præcepit, niſi omnia de pauperum conjecturis. Gregor. Turonen. lib. 6. hiſtor. cap. 45.

Conjugatio, conjugium, matrimonium. [ Rex propter conjugationem Brunichildis, ſuſpectum habere cœpit. Gregor. Turon. lib.3. cap.3. ] FR. Aliquando conjuges intelliguntur amici, can. dilectiſſimis, 12. quæſt. 1.

Conjugium, pro meretricio. Vide *Concubina*.

Conjungo, contingo, pervenio. [ Curavimus admonendum, quatenus Honoratum Archidiaconem, conjungente ſtatim præſentium latore, in priori loco ſuſciperes. S. Greg. Regiſt. l.2. c.15.

Conium, græca dictio κώνειον, quæ cicutam herbam venenoſam denotat. [ Cum tritico conium, quod inter alimenta vitæ noxium reperitur. Ambroſ. lib.3. Hexam. cap. 9.

Conjuratio, ſive conſpiratio. Vide *Phratria*.

Conjurator. FR. Conteſtis juratus. Gloſs. in l. de libero homine, de teſtibus.

Colludiosus. Vide *Colludioſus*.

Conniventia. FR. conſenſus, a verbo *Conniveo*, ſeu obſoleto *Connivo*, quæ ambo oculorum palpebras movere aperiendo, & claudendo ſignificant; hinc pro annuere, & conſentire accipitur; non vero pro diſſimulare, ut credidit Calepinus. [ Irrita enim Epiſcoporum venditio & commutatio rei Eccleſiaſticæ erit abſque omnium conniventia, & ſubſcriptione Clericorum, can. ſine exceptione, 12. qu. 2. Ita ut ad concilium comprovinciale deferatur, ut eorum conniventia confirmetur, can. quicumque eadem, 12. quæſt. 2. Ut veſtra conniventia eveniat, can. Regum, 23. q. 5. De cætero non feratis; quia

quia ſuper hoc ad nos clamor denuo aſcenderit, non poterimus conniventibus oculis pertranſire, 5. decretal. tit. 33. c. 26.

Conob. FR. hoc ſignum ſæpe in numiſmatibus Imp. poſt Conſtantinum Magnum incuſum reperitur: ſed quo ad ejus ſignificationem varie ab Auctoribus arguitur. Alii enim ſic combinant: CON. OB. ideſt, *Conſtantinop. obſignata*. Alii vero cum interpunctis malunt intelligere, ſic: C.O.N.O.B. ut apud Adolphum Occanum, fol. 383. qui in numiſmatibus Flavii Valentiniani inquit: [ C.O.N.O.B. quid ſibi velit, multi hactenus aſſequi non potuere, Cedrenus interpretatur Civitates, Omnes, Noſtræ, Obediant, Benerationi.

Conradium, portio, ſeu præbenda, quæ inter Monachos compartiebatur. [ Duo conradia monachalia exigentem jure perpetuo ex dono cujuſdam Abbatis. Matth. Pariſ. in Vita Gulicl. Abb. ] Fortaſſe a verbo *Conrado* derivatur, quia portio hæc ad æquata menſura pro alimento uniuſcujuſque Monachi erat; alii tamen *Conradium* legunt.

Conregionalis, ejuſdem regionis. [ Unde ego, & quidam conregionales noſtri hoc murmur non æquanimiter accipientes; utpote Romanæ Eccleſiæ filii unanimes ſcribere decrevimus ſanctitati veſtræ. Ivo Carnot. epiſt. 109. ad Paſch. Papam. ] Vide *Regionalis*.

Conscientia, aliquando nomen hoc conſenſum, ſeu notitiam ſignificat. [ Presbyteros autem, aut Diaconos ordinare non audeant, præter conſcientiam Epiſcopi. Iſid. lib. de eccleſ. off. c. 6. ] Ubi de Chorepiſcopis agit. [ Archiepiſcopos ad Concilium non vocabis ſine conſcientia Romani Pontificis. Innocent. III. lib. 1. epiſt. decret. Nec licet aliquibus apud ſemetipſos Concilia ſine Metropolitanorum, & Epiſcoporum conſcientia, & conſenſu facere, can. propter, diſt. 18. ] FR. Item ſignificat habere ſecretam intelligentiam cum reis, diſt. 1. de pœnit. can. Aut facta, §. conſcientia latronum, & can. quidam, 18. q. 2. Conſcientia pura Vide *Subtilitas*.

Conscotinus, contenebroſus, a græca dictione σκοτεινός, ideſt, tenebroſus: [ Conſcotinum tuum ] dixit de hæretico Lucifer Caralitanus: hæretici enim tenebroſum in erroribus intellectum habent.

Consecratio, ejus etymon. Vide *Chirotonia*. Conſecratio Altaris. Vide *Altare*. Conſecratio Eccleſiæ. Vide *Eccleſiæ conſecratio*. In conſecratione Galliarum Regis, cui ſub utraque ſpecie Sacramentum conceditur. Vide *Communio*. *Oleum Sanctum*. FR. In conſecratione ſanguinis Chriſti ponitur aqua, quæ varia myſteria continet, de quibus Innocentius III. agens, illa verba D. Joannis Evangeliſtæ adducit, [ Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt &c.] & probat ex his quod Chriſtus ſit verus Deus, inquiens: [ Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis. Per hoc intendens oſtendere, quod Chriſtus ſit verus homo. ] Et inferius: [ Unde ille, qui vidit, teſtimonium perhibuit, & teſtimonium ejus eſt verum, quia tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, acqua, & ſanguis: quod, videlicet, Chriſtus ſit verus homo ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens; probatur, ex eo quia ſpiritum vitalem emiſit de vero corpore: probatur, quoniam ex eo ſanguis exivit, & aqua. ] Et poſt pauca oſtendit, quod ideo in Sacramento Euchariſtiæ admiſcetur aqua vino, lib. 3. Decretal. tit. 41. cap. 8.

Consecutio. FR. baptiſmus. [ Et ad fidem, & ad conſecutionem properandam. S. Cyprian. lib. 3. Teſtimonior. contra Judæos, c. 97. ] Atque idem Auctor utitur verbo *Conſequor* pro baptizor. [Poſſe eum ſtatim conſequi, qui vere crediderit, c. 43,

Consensor. FR. conſentiens. Gloſſa in 5. decretal. tit. 34. c. 4.

Conseptum Animalium. Vide *Perivolium*.

Consequor, ideſt, baptizor. Vide *Conſecutio*.

Consequutivum, conſequentia: [ Quæ tam importuni ſilentii cauſa? quæ ratio tam mutæ, & ſilentis dilectionis? Eſt ne inquam in Britania conſequutivum, ut ubi ſterilitas panis, ſequatur & defectio cordis? Petrus Cellenſis, lib. 1. epiſt. 15. ] ideſt, eſſet ne fortaſſe talis conſequentia, ut ubi deeſt panis, ibi & verba deficiant?

Consiliarius. Vide *Racimburgius*.

Consilium, quomodo differat a præcepto. Vide *Præceptum*.

Consilium Malum. FR. conſilium necis, l. ſi homines, de aggreſſione in vico facta.

Consistentes, publici pœnitentes. Vide *Hyemantes*.

Consistorialis Advocatus. Vide *Defenſor*.

Consistorium, a verbo *Conſiſto*. Gloſs. in Clement. de ſent. & re judic. c. 2. coadunatio ſapientum eſt ad conſulendum, ut eſt Romæ coram Pontifice Cardinalium pro tractandis Sedis Apoſtolicæ negotiis Collegium, ſed apud Tertullianum mundum, ſeu terram ſignificat, quia in ea viventes conſiſtunt. [Nam etſi juvari, ſeu lædi habet terra, id quoque propter hominem, ut ille juvetur, ſive lædatur per conſiſtorii ſui exitus, quo magis ipſe penſabit; quapropter illum etiam terra patietur, de reſur. carn. c. 26. ] Et in eodem ſenſu Sidonius *Conſiſtorium* appellavit locum, ubi ad quieſcendum cubicularii morabantur. [ Nam per hoc, quod in Aquilonem ſolum pateſcit, habet diem, non habet ſolem, interjecto conſiſtorio peranguſto, ubi ſomnolentia cubiculariorum, dormitandi potius, quam dormiendi locus eſt, lib. 2. epiſt. 2. ] FR. In ſacra tamen pagina ſedilia in atrio Palatii poſita ſignificat. [ Et ſtetit in atrio domus Regis, quod erat interius contra Baſilicam Regis; at ille ſedebat ſuper ſolium ſuum in conſiſtorio palatii contra oſtium domus. Eſther, c. 5. n. 1. ] Imperator habebat etiam ſuum conſiſtorium, ideſt, concilium. [ Si quando lis ſperatur in noſtrum inferri conſiſto-

rium. ] Ita Juſtinianus, in can. Anteriorum, 2. q. 6. Ita etiam Honorius, & Arcadius. [ Qui in conſiliis, & conſiſtorio noſtro interſunt, in can. ſi quis, 6. quæſt. 1. ] Cardinalium igitur conſiſtorium appellatum fuit Presbyterium, Compresbyterium, Cleri Romani Senatus. Vide *Presbyterium*. Dicitur Cœtus, Gremium, Collegium. Vide *Cœtus*. In Conſiſtorio antiquitus Cardinales pileis tegebantur. Vide *Cardinalis*, *Bulla*, ubi afferuntur figuræ, in quibus conſpiciuntur Cardd. in Conſiſtorio pileati.

Consolatio, cæremonia quædam ab hæreticis Patarenis ſic appellata. Vide *Cathari*.

Consortialis. FR. conclericalis, nam græce κλῆρος, dicitur, ideſt, latine ſors. [ Similiter nec de illis oblationibus, quæ colliguntur per laicos, qui conſortiales dicuntur: interdum per clericos, quæ ad opus conſortii reducuntur: ut luminaria in Eccleſia &c. In extravag. comm. de decimis, §. ſimiliter.

Consortium, attributum in divinis improprium. Vide *Trinitas*.

Consparsio, farinæ maſſa, aqua conſperſa, non adhuc fermentata. [ Profectionem filiorum Iſraelis Creator etiam illis ſpoliis aureorum, & argenteorum vaſculorum, & veſtium præter onerum conſparſionem effarcinatam eduxit ex Ægypto. Tertull. lib. 4. adverſ. Marc. cap. 24. ] Sed a D. Paulo *Conſperſio* dicitur. [ Ut ſitis nova conſperſio. 1. Cor. 5. ] Quod a verbo Conſpergo derivatur, de quo ſæpe in Sacr. Scripturæ. [ Farinam oleo conſpergere ] ſic etiam translative D. Gregorius pro corporis temperamento uſus eſt, inquiens: [ Unde neceſſe eſt, ut non ſolum quiſque conſideret, quod ex conſperſione ſuſtinet. In Paſtorali, part. 3. Admonit. 4. ] Eleganter quidem S. Pontifex ſumpta a piſtura metaphora; vulgo enim dicere ſolemus, de eo, qui docilis, & affabilis naturæ eſt, eum, nempe, eſſe optimæ piſturæ.

Consparsus, ſubſtantivum nomen aquæ benedictæ aſperſionem ſignificat; [Rogabat conſparſum in ipſam domum facere, ut turba malignorum ſpirituum exinde fugaretur. In vita SS. Barontii, & Deſiderii.

Conspersio. Vide *Conſparſio*.

Conspicabilis. FR. Viſibilis. [ Quod multifarie a Patribus in conſpicabili materia viſum fuerit. Virgilius Tapſen. Epiſc. lib. 6. de Trinit.

Constantiniana Ecclesia. FR. Lateranenſis Baſilica a Conſtantino Magno erecta, quæ & S. Salvatoris appellata fuit. [ Cum exirem ab Eccleſia, quæ vocatur Conſtantiniana. S. Martinus Papa, & Mart. in epiſt. ad Theodorum, in Collect. Anaſt. Biblioth. a Sirmondo in 8. edit. pag. 71. Et ſumpto mecum omni clero privatim manſi in Eccleſia S. Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ cognominatur Conſtantiniana, quæ prima in toto mundo conſtructa, & ſtabilita eſt a bonæ: Conſtantino Imp. quæ eſt juxta Epiſcopium. Ibid. epiſt. 2. ad Theod. pag. 75. Et commutare a vita beatum, in circuitu Altaris aſtantibus, & in toto templo Eccleſiæ Catholicæ Romæ, quæ cognominatur Conſtantiniana. Ibid. pag. 83. Stephanus natione Siculus congregatis Epiſcopis Francorum, & Romanis Presbyteris, in præſentia totius cleri, & populi Concilium fecit in Eccleſia Conſtantiniana, in qua damnavit Conſtantinum Neophytum invaſorem Sedis Apoſtolicæ. S. Anſelmus Lucenſis Epiſc. lib. 1. apologet. num. 13. In Synodo congregata Romæ in Eccleſia S. Salvatoris, can. in Synodo, diſt. 63. ] Quomodo autem vocari cœperit S. Joannis Eccleſia, ex Paulo Diacono, hiſt. miſcell. colligitur, nimirum, quod anno 568. devaſtato a Longobardis Montis Caſini Monaſterio, juxta Sancti Benedicti vaticinium, Romam cum confugiſſent Monachi illius loci, ex conceſſione Pelagii Papæ primi, prope Baſilicam prædictam S. Salvatoris, Eccleſiam conſtruxerant ſub titulo Sanctorum Joannis Baptiſtæ, Joannis Evang. ac Pancratii Martyris; quod etiam teſtantur Leo Oſtienſis, Anaſt. Biblioth. in Greg. III. & Panvinus de ſeptem Eccl. pag. 134. quæ devaſtatio Caſinenſis Cœnobii tempore Joannis III. ſucceſſerat. Igitur a Benedictinorum temporibus cœperant confundi tituli S. Salvatoris in S. Joannis in Laterano, quod patet; nam uſque ad præſens utriuſque Sancti Joannis tam Baptiſtæ, quam Evangeliſtæ celebrant ibi feſta Canonici, eodem modo, quo ſub utroque Joanne dedicata fuerat contigua Benedictinorum Eccleſia. Hoc Templum in Laterano a Palatio Lateranorum familiæ dictum fuiſſe D. Hieronymus teſtatur: [ In Baſilica quondam Laterani, qui cæſariano truncatus eſt gladio. In epitaph. Fabiolæ ad Oceanum. ] De cujus morte extat locus Arriani, lib. 1. de Epitecti diſputationibus; ſed non puto fuiſſe illum Plautium Lateranum, qui Neronis tempore a Statio Tribuno trucidatus fuerat, de quo Tacitus, lib. 15. Annal. Nam Lateranorum Palatium, Sex. Aurel. Victore teſte, recentius demonſtratur, qui in Epitom. Imperatorum, de Septimio Severo ait: [ In amicos, inimicoſque pariter vehemens, quippe qui Lateranum, Cilonem &c. cæteroſque alios ditaret, ædibus quoque memoratu dignis, quorum præcipuas vidimus Parthorum, quæ dicuntur, ac Laterani. ] Et Juvenalis, qui temporibus Domitiani, & ( ut alii volunt ) uſque ad Nervæ, & Trajani tempora vixerat; [ Egregias Lateranorum ſedes ] Satyr. 10. dixerat; ergo multo poſt Plautium Lateranum Neronis tempore viventem, adhuc ſub proprietate Lateranæ familiæ prædicta habitatio extabat. Cæterum Lateranenſis familiæ antiquiſſimam hanc habitationem fuiſſe reperitur; uſque enim ad præſens in hujus Eccleſiæ Sacriſtia duo lapides conſpiciuntur, in quorum una Sexti Laterani, & in altera Torquati, & Laterani inſcriptiones leguntur; Lucius enim Sextus Lateranus ex Livio 9. & 7. Conſul factus fuerat ab V. C. anno CCCLXXXIX. quem Caſſiod. L. Sextium vocat, & cum L. Æmilio Mamerco collegam facit; ac de Laterano Torquati collega idem Caſſiod. mentionem his verbis facit: [T. Manlius Torquatus,

& C.

& C. Plautius, quod agnomen Lateranæ familiæ fuerat. ] Alii tamen exiſtimant, quod Lateranus locus a Laterano Idolo dictus fuerat, de quo Arnobius, lib. 4. adver. Gentes, inquit; [ Lateranus Deus hoc nomine, quod focorum, & genius, audactuſque ex laterculis crudis ab hominibus caminorum illud ædificatur genus. ] Sicut etiam *Vaticanum* ab Idolo hujus nominis, Gellio teſte, dictum fuit. De Laterano igitur Chriſtianorum templo Prudentius, lib. 1. contra Symmachum hæc cecinit.

Cœtibus aut magnis Laterani accurrit ad ædes,
Unde ſacrum referat regali chriſmate ſignum.

Aquiſgrani, ubi prius Germani Imp. reſidebant, & uſque nunc coronantur, manſio extabat, quæ *Lateranis* dicebatur. [ Cum in domo Aquiſgrani palatii, quæ Lateranis dicitur, Abbates cum quampluribus una ſuis reſediſſent Monachis. Apud R. P. Angelum de Nuce in appendice Chron. Caſin. in tit. Incipit capitulum Ludovici Imperatoris cum cæteris.] Gloſſa tamen in can. futurum, 12. qu. 1. Baſilicam Conſtantinianam poſt S. Petri Baſilicam ædificatam fuiſſe aſſerit; ſed ante Vaticanam ex calendarii ordine in Brev. Rom. ejus dedicatio præceſſerat. Qui verò de hac Conſtantiniana Baſilica plura noſcere cupit, legat uberrimum, & eruditiſſimum tractatum, quem de ea compoſuit Card. Raſponus; & quæ de eadem hic ſparſim dicuntur. Vide *Agnus Dei. Altare. Arcibum. Celerarius. Cœleſtis. Collecta. Incaſtello.* Quare ibi Pater noſter elata voce recitabatur. Vide *Collecta. Pater noſter.* Columna porphyretica, ſupra quam erat gallus æneus, quare ab Alexandro VII. ablata fuerit. Vide *Sedes ſtercoraria. Virga. Rota porphyretica.* Hæc Eccl. prima in univerſo Mundo conſtructa. Vide *Epiſcopium.*

CONSTANTINOPOLITANÆ CIVITATIS ædificatio. Vide *Roma nova. Urbs Regia.* Ejus perditio vaticinata. Vide *Diptychum. Pileus.*

CONSTANTINI MAGNI antiquiſſima effigies ubi reperiatur. Vide *Linoſtima.* Ejus donatio. Vide *Pragmaticus.* Tenuit frænum equi S. Silveſtri Papæ. Vide *Strator.* Habuit in viſione imagines SS. Petri & Pauli. *Thoracida. Tracala.*

CONSTANTIS IMP. Palatium. FR. Romæ ſub Quirinali, coram quo Baſilica XII. SS. Apoſtolorum erecta eſt: [Placuit mihi Joanni Urbis Romæ humillimo Pontifici Eccleſiam XII. Apoſtolorum confirmare, quam Pelagius Papa bo: me: prædeceſſor meus ante palatium Conſtantis initiaverat. Apud Torrigium de Crypt. Vatican. ſecundæ Impreſſ. pag. 315.] Cujus Palatii reliquiæ adhuc conſpiciuntur in ædibus Excellentiſſimæ Columnarum familiæ, quibus ex orientali parte Quirinalis mons imminet, ex occid. platea Dominorum de Mutis in parte, & in parte Conventus dictorum XII. SS. Apoſtol. ex Boreali Eccleſia S. Crucis Lucenſium, & ex meridie Conventus S. Silveſtri in Quirinali, quas ædes erronice aliqui Conſtantini fuiſſe aſſeruere.

CONSTELLATIO. Vide *Anavivazon.*

CONSTIPATORIUM. FR. Remedium, ſeu, emplaſtrum, ad ſiſtendum vulnerum ſanguinem: [ Ex hujuſmodi crudelitate ipſorum, & tanto ſanguinis fluxu, cauterio nullo modo illis indulto, vel conſtipatorio aliquo abſciſſionibus manuum, atque linguarum ad ceſſationem ſanguinis juxta morem appoſito. Hypomneſt. de Anaſtaſio &c. In collect. Anaſt. Biblioth. a Sirmondo, in 8. edit. pag. 252.

CONSTITUTIO, eadem ac Motu proprio. Vide *Leges.*

CONSTRICTO, ſtringo. [ Quid enim ſi medicum quidem dicas eſſe debere, ferramenta vero ejus accuſes, quod ſecent, & inurant, & amputent, & conſtrictent, quando ſine inſtrumento artis medicus eſſe non poſſit? Tertull. adverſ. Marc. lib. 2. cap. 16.

* CONSUETUDO. Eccleſiæ conſuetudines ab omnibus ſunt recipiendæ Auguſt. Epiſt. 86.

CONSUBSTANTIALITAS. Vide *Homouſion.*

CONSULARIS DIGNITAS. Vide *Hypatus.* Per annum durabant, in quo tempore induebantur purpura, & S. R. E. Cardinales perpetui Conſules cenſentur. Vide *Cardinalis.*

CONSUETUDINARIUM, liber in quo Monaſterii conſuetudines notabantur. [ Hic quoque conſuetudines approbavit, & conſervari perſuaſit, quas qui videre deſiderat, in conſuetudinario ſcriptas poterit invenire. Matth. Pariſ. In vita Pauli Abb.

CONSULTOR, deponens verbum, conſilium poſcere ſignificans. [ Aut quis illi conſiliarius fuit, quem conſultatus eſt? Tertull. adverſ. Hermog. cap. 7.

CONSULTUM, proviſio: [ Ut inopia, nuditaſque tali providentia poſſit habere conſultum. S. Gregor. in Regiſt. lib. 1. cap. 18.

CONTACIUM, cantus eccleſiaſtici genus, vox græca κοντάκιον, ideſt, brevis cantus, cujus Romanum Emiſſenum Diaconum anno 500. per revelationem Deiparæ inventorem fuiſſe ex Minæo ad primam Octobr. diem colligitur. Item librum ſignificare ait Balſamon ad modum Ritualis, in quo ordinationum formulæ continebantur; proprie autem denotat volumen, a græca dictione κοντὸς, ideſt, lignum ſuper quod antiquorum more involvebatur volumen.

CONTAMEN, macula, contagium. [ Vulgi contamine mixtos. Tertull. lib. 1. adverſ. Marc. cap. 1.

CONTECTALIS, contubernalis: ſumitur etiam pro uxore: [ Sanctus Henericus cognomento Pius glorioſiſſimum Romani Imperii decus, ejuſque digniſſima contectalis piæ memoriæ Chunegundis. In vita S. Chunegundæ.] Quod tamen *Contectalis* nomen huic Sanctæ recte adaptari potuit; nam marito in habitatione aſſociata fuit, non vero in lecto; legitur etiam ſimile vocab. in donatione a Gordiano S. Gregorii Magni Patre ad favorem Monaſterii Montis Caſini facta, quæ inter M. S. Latini Latinii conſervatur in Biblioth. Viterbien. Cathedralis, his verbis: ] Ex parte ſtirpis Octaviæ & Sylviæ noſtræ dilectiſſimæ contectalis.] FR. Reperitur etiam hæc dictio in

Bullar. Caſinen. tom. 2. conſtit. 86. 143. & 158.

CONTEMPLATIO, & *Contemplativus*. Vide *Theoria*, & *Theoriticus*.

CONTEMPORO. Vide *Coætaneo*.

CONTENEBRICO, obſcuro: [ Et cœlum contenebricavit nubibus. Lucifer. lib. 1. pro S. Athanaſ.

CONTENTIO. Vide *Tanſeria*.

CONTESSERATIO, ſignum familiaritatis, ac neceſſitudinis, ex dictione *Teſſera*, quæ ſigna dabantur amicis, ut in itinere, ac diverſoriis pro commendatis dignoſcerentur, quæ Italice *Patente* dicuntur. [ Communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & conteſſeratio hoſpitalitatis, quæ jura non alia ratio regit, quam ejuſdem Sacramenti una traditio. Tertull. in lib. de præſcript. adverſ. Hæret. cap. 20. ] Ubi de charitativa antiquorum Chriſtianorum, & mutua eorum correſpondentia loquitur. Vide *Continentia*, §. FR.

CONTESSERO, uniformiter correſpondeo: [ Videmus, quid dixerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Eccleſiis conteſſeruerit. Idem Tertull. loc. cit. cap. 36. ] loquitur ibi de prærogativis Rom. Eccleſiæ, cum qua mutuam, ac uniformem doctrinam habebat Africana, quæ Romanam teſſeram in dogmatibus oſtendebat,

CONTESTATIO. FR. libellus famoſus a conjuratis formatus; conjurator enim dicitur conteſtis. Vide *Conteſtis* in dict. *Conjuratus*. [ Quidam maligni ſpiritus conſilio repletus, contra Caſtorium Notarium, & Reſponſalem noſtrum nocturno ſilentio in Civitatis loco conteſtationem poſuit, in ejus crimina loquentem. D. Greg. in Regiſt. lib. 5. epiſt. 30. ] quem deinde infamatorem idem Pontifex excommunicavit, Vide *Libellus*.

CONTINA, apud Slavos templum ſignificabat, [ Omnes illæ continæ numero quatuor mira celeritate confractæ ſunt. In vita S. Ottonis, lib. 2. cap. 30. ] Contina dicebatur, quia in ea Idolorum ſimulacra continebantur. Vide *Idolium*.

CONTENTIO LONGA. Vide *Funis contentioſus*.

CONTINENTIA, conſervatio, ſubſidium, ſeu neceſſaria ſuſtentatio, vocabulum D. Gregorio in ejus Regiſtro familiare. [ Ipſi pro victu, & nutrimento, ſtratoque ad continentiam, pueroque ejus annonam, quantum proſpexeris ſatis eſſe, conſtituas, lib. 1. cap. 18. ] Apud quem *Facere continentiam*, neceſſariam ſubſtentationem ſubminiſtrare ſignificat. [ Videtur mihi, ut ei continentiam facias, ſi utile conſpicis. Item lib. 1. cap. 42. ] Ubi eandem phraſim in paſſivo ſenſu ſic repetit: [ Annuam continentiam a te volumus fieri. ] Et in eodem Regiſt. reperitur *Contineor* pro ſuſtentari. FR. [ Et locum, vel actionem provideat, ex qua quotidianis ſtipendiis valeat contineri. Idem, lib. 2. epiſt. 28. ] Item pro affectus conſervatione, ſeu correſpondentia. [ Miror autem, quod in me collatas dudum continentias veſtras ex hac moderna paſtoralis officii continentia diſtraxiſtis. Idem lib. 1. epiſt. 4. ] Theotiſtæ Mauritii Imperatoris ſorori ſcribens, quod imperialem confirmationem ad ejus Pontificatus electionem non impediſſet, conqueritur, quo actu Theotiſtam antiqui affectus correſpondentiæ defeciſſe Gregorius ait: & alibi in eadem ſignificatione idem Pontifex: [ Sed quia vos valde in continentia noſtra benignos invenimus, lib. 4. epiſt. 28. ] Item pro ſubſiſtentia Pontificalis dignitatis. [ Paſtoralis officii continentiam. Idem lib. 1. epiſt. 4. ] Apud Juriſtas tamen denotat id, quod in ſcriptura continetur. [ Mox enim, ut Abbas chartulam ad legendum aperuit, totam ejus continentiam deletam invenit. Cæſarius, lib. 2. miracul. c. 10. ] Ac tandem in Ambroſiano ritu velum illud ſignificat, quod Subdiaconus ſuper humeros fert in Miſſa cantata, Continentiæ moralis virtutis documentum. Vide *Foraneus*.

CONTOPACTES, Haſtiludium, ſeu Trojæ ludus, Italice *Gioſtrare*, a Græco vocabulo κοντόπαικτης, ideſt, haſtæ ludus. [ Propter horum autem canonum pœnas videntur eſſe excogitati ludi imperiales, contopæctes, ſcilicet. Balſam. in can. 51. ] FR. Legendum eſſet *Centopactes*, quod Græce proprie haſtiluſorem ſignificat; nam haſtiludium eo idiomate κοντόμαιγμα dicitur. Vide *Torneamenta*.

COMTORALIS, conſors, ideſt, ejuſdem tori. [ Ac Erimgardim ſuam contoralem. In vita Rixfridi Epiſcopi.

CONTOSTAULUS. FR. comeſtabuli dignitas in Aula Imperatoris Conſtantinopolitani, ex Κόντος, Italice *Conte*, ita Cantacuzenus, lib. 1. cap. 4. de Sabaudiæ Duce ſcribens ait: [ Comperiunt Principem Sabaudiæ, quem Latinorum lingua Conton vocant. ] Staulus ex latina dict. ſtabulum corrupte, qui a Gulielmo Tirio *Conſtabularius* ſemper dicitur.

ÇONTRARIETAS. Vide *Antitheſa*.

* CONTROVERSIA. Prudentia & probitate Antiſtitum controverſiæ minus neceſſariæ componebantur. Chryſoſt. de Sacerd. lib. 4.

CONTUBERNALIS. Vide *Cellulanus*. *Contectalis*. *Syncellita*.

CONTUBERNIUM, Vide Syncellitas in dict. *Syncellita*.

CONTUS, equuleus, ex græca dict. κόντος, quæ perticam, ſeu haſtam ſignificat. [ Qui mox extendi eam mandavit in conto. In vita S. Martinæ. ] FR. [ In contis, & in ſcutis. Judith. *9. 9.* Et egredientur habitatores de Civitatibus Iſrael, & ſuccendent, & comburent arma, clypeum, & haſtas, arcum, & ſagittas, & baculos, manus, & contos. Ezech. *39. 9.* Et levabunt vos in contis. Amoſ. 4. 2.

CONVALESCO. FR. in rebus inanimatis, & moralibus. Ut in hac electione, nec datio quibuſcumque modis interveniat præmiorum, nec quarumlibet perſonarum patrocinia convaleſcant, can. Illud. 8. quæſt. 2.

CONVENA, coadunatus, congregatus: [ Ego exercitum tuum ex multis indomitis Convenam nationibus. Ambroſ. 5. epiſt. 29.

CONVENTO, frequentativum verbum, ex Con-

ve-

venio, apud Cæſarium, lib. 5. miracul. cap. 22.

Conventus. Vide *Monaſterium*.

Conversio. FR. ejus etymon. in can. convertimini, de pœnit. diſt. 1. ſic explicatur: [ Converſio dicitur, quaſi cordis undique verſio.

Conversus. Vide *Laicus*.

Conviator in via conſociatus; [ Sic Jacob vianti conviator occurrit. Chryſol. ſer. 131.

Convivium. Vide *Enochia*.

Cophinus, κόφινος, Tabernaculum, in quo Euchariſtia conſervatur. [ Deinde idem Cardinalis debet incenſare Altare, & cophinum, in quo conſervatur Corpus Chriſti. Davantria in ſuo Cæremoniali. ] Et idem alibi *Armarium* vocat.

Copiatæ. Vide *Laborantes*.

Coprorymus, Κοπρώνυμος, ſtercoratus, a voce græca κόπρος, ideſt, *ſtercus*, & ὄνομα, *nomen*, quo vocabulo cognominatus eſt Conſtantinus Imperator Leonis Iſaurici filius, quia dum trina immerſione in ſacro fonte juxta Græcorum ritum baptizaretur, ſacras aquas conſtercoraverat, atque tunc S. Germanus Conſtantinop. Patriarcha de hoc infante vaticinavit, eum commaculaturum eſſe Chriſtianam Religionem, quod ex acerrima ejus in ſacras imagines perſequutione verificatum fuit. FR. ſimile exemplum in Venceslao Caroli IV. Imperatoris filio refert Odoricus Raynald. in Eccleſ. Annal. an. 1361. num. 2. quod, nimirum, urina ab eo demiſſa, dum baptizaretur, ſacram lavacri aquam fœdaviſſet, & dum ſuper Altare ad eum coronandum poneretur, illud etiam ſtercore inquinaſſet, quod ejus contra Eccleſiam perſecutionis indicium fuerat, præcipue contra Bonifacium IX. atque ejus enormitates, vitia, & ærumnas vide in eodem Auctore, ad an. 1390. & ſeq.

Coptimum. FR. elocationis ſpecies, quam Romæ *Cottimo* dicunt. Bullar. Caſin. tom. 2. conſtit 314.

Copula, quæ proprie ligamen, ſeu collare ſignificat, quo ſimul canes venatici colligantur, & copulantur. [ Quos neque eſt tanti raro te inſectando, ſuperandos copulis palam dictis inquietari. Sidon. lib. 8. epiſt. 7. Ut Epiſcopi, & Abbates, & Abbatiſſæ copulas non habeant. In Capitul. Caroli Magni. In aliquibus exemplaribus legitur *Coupulas* a gallico ſermone *Couple*.

Copulatus. FR. matrimonialis conjunctio, can. conſanguineorum, 3. q. 4.

Coquimella, prunum, ſpecies notiſſima fructus. [ Coquimella, quam Latini ob colorem prunum vocant. Iſid. lib. 17. cap. 7. ] Vide *Nixa*.

Coquina. Vide *Fulina*.

Cor. Cordis inſpiratio. Vide *Incordor*.

Coracinus, corvinus, a græca voce, κόραξ, ideſt, corvus, quo vocabulo etiam in locutione latina *Corax* a D. Hieronymo uſurpatur, ac etiam utitur D. Ambroſius ad ſignificandum delubrum, ubi Gentiles corvos adorabant, ſic inquiens: [ Quia coracina ſacra habent pagani. In epiſt. D. Pauli ad Roman.

Corba, & *Corbanus*, ſic in Hibernia vocant Parochum a vernacula dictione *Corbach*, & Parochiam *Corbanatum* dicunt.

Corban. FR. Hebraica vox, ſeu potius Chaldaica: [ Corban (quod eſt donum) quodcumque ex me tibi proderit. Marci, cap. 7. 11. ] Arabes quoque *Corban* vocant Euchariſtiæ communionem, ideſt, *donum*, & *munus*. Item juramentum ſignificabat, ſeu Hebræorum votum, quo aliquid Deo conſecrabatur, de quo Theophraſtus, ac de hoc voto Matthæus, cap. 15. cum Marco ita concordans, inquit: [ Munus quodcumque ex me tibi proderit. ] Ubi Chriſtus Phariſæos reprehendit, aſſerentes quod votum pœnale filiorum familias, licet in præjudicium parentum, validum eſſet; quare Chriſtus hoc eſſe contra divinum præceptum demonſtrat, Item *Corban* ex Joſeph heb. lib. 4. cap. 4. antiq. Hominem Deo deditum ſignificat. Vide *Corbona*.

Corbicularius, in aliquibus Galliæ Eccleſiis ita vocatur clericus rochetto indutus, quod Galli *Corbulam* vocant, & inſervit pro illis clericis, qui in officio Acolythi ceroferaria gerunt, ut etiam penes Dominicanos, & Tereſianos obſervatur. Vide *Paſcha*. §. In Andegavenſi autem Eccleſia.

Corbona, hebræa vox, arcam ſignificans, a *Corban*, de quo ſupra diximus ſignificare donum, ſeu oblationem. FR. quod Chaldaicum nomen potius eſt, oblationem ſignificans. Unde illud, [ Non licet mittere in corbonam. Matth. 27. ] litteraliter ſignificat, [ Non licere in locum ponere, in quo oblatio poni ſolet. ] Seut ut habetur in textu Chaldaico: [ Non licet eos abjicere in corbonam, ] videlicet inter oblationes; ſeu inter ea, quæ templo offeruntur; cum enim oblationes in arcam ponerentur, inde & arca idem nomen ſortita eſt. Baron. an. 40. num. 69. quæ etiam menſa dicebatur. Vide *Menſa*. :||: Tria loca commemorant Scriptores apud Hebræos in templo ad recipiendas oblationes fuiſſe, primum quod appellabant Muſach, ab Achaz Rege ædificatum, ubi Principum, Magnatumque dona reponebantur. Vide *Muſach*. Secundum, quod Gazophylacium dicebatur, ad populares oblationes deſtinatum. Vide *Gazophylacium*. Tertium denique Corbona vocabatur, quod pro eleemoſynis Sacerdotibus, & Templi Miniſtris deſtinatum erat.

Cordicitus, adverb. ex toto corde, cordialiter: [ Si quidem prudentibus cordicitus inſitum eſt vitare fortuita. Sidon. lib. 4. epiſt. 4.

Cordigeri, vel *Cordiferi*. FR. Ordinis Sancti Franciſci Regulares. De verborum ſignif. in ſexto, l. 6. tit. 12. cap. 3. Vide *Franciſcani*.

Cordubensis Pellis, Italice *Corame*, *cordovano*. Vide *Bazan*.

Corepiscopus. Vide *Chorepiſcopus*.

Cornicularius. FR. qualis miles dicebatur. Vide Baronium in Notis ad Martyrol. 21. Auguſti, litt. c. cui a Latinio tamen in Correc. ad Martyrol. objicitur.

Cornor, verb. deponens, clangor cornu. [ Faciat cornari, ne videatur furtive facere. Matth. Pariſ. in hiſt.

Cornuta, capſa quædam, quæ tempore conclavis ad deferenda comeſtibilia pro Eminentiſſimis Cardinalibus inſervit, ſic appellata a binis cornibus, ſeu anſis in extremitatibus ejus poſitis, per quas haſta tranſacta, commodius defertur, a ſervis. [ Prælati cuſtodes cornutam aperiant, fercula, & omnia, quæ intus ſunt, diligenter perſcrutentur, ne quid litterarum inſit. Cærem. Rom. lib. 1. cap. 4. ] Aliqui tamen Recentiores *Carnutam* ſcribi maluere, ab illatis in ea carnibus etymon trahentes.

Corona, Ornamentum, quod in Eccleſia pendebat, de quo ſæpe Anaſt. Bibl. cujus typum hic ſubjiciam, ut in quodam Martyrol. in membrana exarato Vaticanæ Bibliothecæ a Paulo Æmilio Cardinali Sfondrato dono dato delineatum inſpexi, fol. 342.



In Eccleſia S. Clementis Romæ eſt etiam ſimilis figura in quadam antiqua imagine, quæ ad lævam ingredientis depicta perſpicitur. Vide *Staupus*. FR. Ante Imperatorem Græcorum deferebantur duæ lampades coronatæ, quæ ideo a Balſamone *στεφανώματα* dicebantur: adulatorie tamen ipſe aſſerit hanc cæremoniam adhibitam fuiſſe, ut indicaretur ad imperatoriam majeſtatem, ſeu coronam, rerum divinarum, & humanarum curam ſpectare, quam auctoritatem ſibi arrogabant Græci Imperatores; contra quos Nicolaus Papa hæc ſcripſerat: [ Hi quibus tantum humanis rebus, non divinis præeſſe permiſſum eſt, quomodo de his, per quos divina miniſtrantur, judicare præſumant, penitus ignoramus, can. denique, diſt. 96. & can. cum ad verum, ibidem. ] At unica hujuſmodi lampas Patriarchæ præferebatur in ſignum illius ſpiritualis tantum curæ; ſic etiam Imperatrici unica præibat, quia ad eam nonniſi humanarum cura ſpectabat. Item *Corona* pro auro coronario, munere, & xeniis, quæ vulgo *Regalia* dicuntur, coronæ, ſcilicet, regi debitæ. Vide *Behem Fodrum* Corona baptizatorum. Vide *Baptiſmus*. Corona clericalis. Vide *Tonſura*. Klil in dict. *Cœnobium*. *Papalethra*. *Platta*. Corona civica, militaris, & ſacrificiorum. Vide *Roga*. Corona Imperialis, aliorumque. Vide *Calyptra*. *Collyra*. *Crionia*. *Diadema*. *Garrhara*. *Infula*. *Pileus*. *Piramis*. Corona Imperialis Juſtiniani in incendio deperdita, & poſt aliquod tempus inventa. Vide *Septimum*.

Corona Oblationis, dicebatur panis pro ſacrificio Miſſæ oblatus, licet aliqui perperam ipſam Euchariſtiam intellexerint, qui quidem error ex D. Gregorii textu, lib. 4. cap. 55. manifeſte convincitur; ibi enim viſionem cujuſdam animæ in purgatorio exiſtentis referens, quæ cuidam Sacerdoti hæc verba fudiſſe, inquit; [ Iſte panis ſanctus eſt, & ego hunc comedere non poſſum. ] Quæ verba *Panis ſanctus* occaſionem cenſendi præbuit errantibus, quod de ſacroſancta Euchariſtia hic ageretur; ſed ex ſubſequentibus verbis, de quo pane anima illa intellexerit, patet; dum ſequitur; [ Si autem mihi præſtare vis, Omnipotenti Deo offer hunc panem. ] Ergo adhuc conſecratus non erat. FR. Item Corona juriſdictionem, & poteſtatem ſignificabat, [ Supplicans coronæ veſtræ, ut geſtis eccleſiaſticis ex omni obnoxitate ſolvatur. Ennod. in petitorio pro Gerontio Agapyti puero. Cum Eccleſiam Sancti L. de corona tuæ Diœceſis canonice ſit adeptus. De filiis Presbyterorum, lib. 1. Decretal. cap. 13. ] ſic dicimus *Corona hiſpanica*. *Corona gallica*. Vide Baron. an. 503. num. 15. Corona quæ in Sanctis depingitur. Vide *Nimbus*. Quæ ſpinæ fuerint corona Chriſti paſſi. Vide *Rhamnus*.

Coronarium Æs, ſive aurum. Vide *Bahem*. *Fodrum*.

Coronatio Imperatoris. Vide *Infula*. *Pectorale*. *Rota prophyretica*.

Corono. Vide *Inoro*.

Coropitæ. Vide *Agnoſtici*.

Corporale, velum ſacrum, ita appellatum, ex eo, quia pro Chriſti ſacramentato corpore inſervit, quod *Palla* dicitur a S. Clemente, ep. 2. Item *Sindon* ab Iſidoro Peluſiota, l. 1. c. 123. & in Miſſali Ambroſiano. Item *Palla corporalis* in ord. Rom. Appellatur etiam Antimenſia, id eſt, loco menſæ, vide in dict. *Altare*. Item *θρόνος*, cum ſit Regis gloriæ thronus. Item Chriſmale, ut ſuo loco dictum eſt. Debet fieri ex tela linea, ſimplice, munda, atque benedicitur ab Epiſcopo, ſeu ab habente facultatem paramenta ſacra benedicendi. Dixi *Ex tela linea*; nam, ut Alcuinus notavit, [ Corporale, cui ſuperimponitur Corpus dominicum, non aliud, quam linteum, eſſe oportet; quoniam Joſeph linteum mundum legitur emiſſe, ubi corpus dominicum involvit. De divin. offic. ] Licet Azor. lib. 10. cap. 28. quæſt. 8. poſſe ex tela cannabina fieri cenſeat. Dixi *Simplex*, quia, ut Rabanus, lib. 1. de inſt. cler. cap. 33. advertit inquiens: [ Immittiturque ſuper Altare corporale pallium, quod ſignificat linteum, quo corpus Salvatoris involvebatur, quod ex lino puro textum eſſe debet, & non ex ſerico, vel purpura, neque ex panno tincto, ſicut a S. Silveſtro Papa inſtitutum invenimus. ] Quod tamen Græci non ob-

obſervant; nam in medio ejus acu pingunt calvarium montem, cum cruce ſuperpoſita, & ſubtus montem Chriſtum effigiant mortuum jacentem Angelis circumdatum, atque in quatuor corporalis angulis quatuor illa animalia Evangeliſtarum ſymbola formant, eique applicant burſam, in qua reliquias Sanctorum Martyrum includunt, ſigilliſque, maſtiche, ac cera occludunt. *Mundum* dixi debere eſſe corporale contra eccleſiaſticorum miniſtrorum negligentiam, qui ſordida corporalia ad celebrandum præbent; contra quos ſic Petrus Damianus invehitur: [ In ſquallido linteo dominicum corpus offerunt, & involvunt & quod non dignaretur pótens quilibet, qui tamen vermis eſt, propriis adhibere labiis, in hoc iſti corpus non verentur imponere Salvatoris. Opuſc. 26. c. 1. ] Atque Alcuinus, loc. cit. munditiam internam Celebrantis indicare mundum corporale aſtruit, inquiens: [ Ita ergo, qui corpus Chriſti in ſe recipere deſiderat, per multos bonorum operum labores, & per caſtitatem mentis & corporis debet ſe reddere mundum, & candidum. ] Hi ergo, qui immundis utuntur corporalibus, ſecundum Doctorum opinionem, non excuſantur a mortali, ſi immunditia erit notabilis. Tandem debet corporale benedici ab habente facultatem. Quod tamen inter Græcos ſolus Epiſcopus illud benedicit, conſecrat, chriſmate ungit, atque alias cæremonias facit. Antiquitus corporale majoris latitudinis erat; inſerviebat enim ejus extremitas ad cooperiendum calicem, ut adhuc Carthuſiani obſervant. Hodie tamen ad periculi cautelam, adhibemus exiguum corporale, quod palla, ſeu animetta dicitur. Vide *Animetta. Palla.* Quod una cum corporale benedicitur, cum ſit corporalis pars. Utrumque vero a laicis tangi non debet, ſine peccati mortalis ſcrupulo, ut Sylveſter, Angelus, Emmanuel Sà, Armilla, & alii docent: excluſis tamen neceſſitate, ac Sacriſtiæ Miniſtris cum privilegio, ſeu Superioris licentia: quod intelligendum eſt, poſtquam Sacerdos eo uſus ſit in Altari; nam quando eſt lavatum, non adeſt tangendi ſcrupulum. Inſuper ſunt aliquæ cæremoniæ in ejus plicatura, & explicatura obſervandæ. Quo ad plicaturam, inquit Gem. lib. 1. cap. 46. [ Corporale cum complicatur, nec initium, nec finis ejus apparet, quia Chriſti divinitas initio caret, & finem non habet. ] Aliud etiam myſterium idem in hoc agnoſcit, inquiens. [ Quod ita plicari debet, ut nec initium, nec finis appareat, ſicut etiam ſudarium in ſepulchro. ] Explicatur autem ante offertorium in Miſſa ſolemni, in qua Diaconus illud explicat, poſtquam a choro canitur, *Et Incarnatus eſt*; ad denotandum Chriſtum manifeſtare cœpiſſe noſtræ redemptionis myſteria poſt incarnationem; Dominicani vero ſolent in Miſſis ſolemnibus explicare corporale poſt epiſtolam; quorum Diaconus prius pro reverentia manus lavat. De miraculoſis corporalibus. Vide hic infra *Corporale feſtum*.

Corporale Festum, ſic appellatum fuit feſtum corporis Chriſti, occaſione illius inſignis miraculi, quod in quadam Eccleſia, non valde diſtante a Volſinii, ſeu Volſinii Tuſciæ Civitate acciderat, de quo Odoricus Raynaldus in Annal. Eccleſ. ad an. 1264. n. 26. & ſeqq. Illius, nempe, corporalis ſanguine Chriſti conſperſi, quod magna veneratione in Urbevetana Civitate conſervatur, quæ præter cæteras claritudines, admirabilis redditur ob templum conſpicuo frontiſpicio adornatum, & propter ſitum natura, & arte inexpugnabilem, ac artificioſum puteum, in quo uſque in imum jumenta ad extrahendam aquam deſcendunt, quibus pro aſcenſu, decenſuque artificioſe, ad evitandas incurſiones, duplex cochlea conſtructa reperitur. Hæc tamen & alia omnia ibi conſpicua a ſupernaturali illius ſanctiſſimi corporalis prodigio ſuperantur, quod mihi ſumma in contemplando felicitas fuit; nam Superioris permiſſu, nedum diu illius maculas, in quibus Chriſti figuræ replicatæ conſpiciuntur in actu *Ecce Homo*, juxta formam hoſtiæ illius ſæculi, obſervaveram; ſed etiam mihi licitum fuit quandam concavitatem introſpicere, aperiendo, ſcilicet quoddam operculum ferreum clavibus firmatum, ubi quædam telæ fragmenta ſanguine conſperſa, & involuta inventa ſunt, in quorum medio erant aliquæ chartulæ litteris gothicis lectu difficilibus, in quarum una erat ſcriptum, [ Corpus Chriſti ſparſum fuit ſuper hoc corporale: cum ſumma diligentia debet cuſtodiri. ] Et in alia ſcriptum erat, [ Benda, in qua involuta fuit pars corporis, & corporale cum guttis Sanguinis Chriſti, & figuris. ] Quæ theca erat in eodem armario, in quo miraculoſum corporale conſervatur, & non modica difficultate aperta fuit, nec mediocrem pariter circumſtantibus admirationem hæc reliquiarum inventio attulerat, quarum nulla inter incolas extabat traditio. FR. Fertur ſimile miraculum accidiſſe anno 1239. in Oppido Darocæ Hiſpaniæ in Regno Valentiæ, de quo agunt Aloyſius Granata de Excellentia Chriſtianæ Religionis, lib. 2. & Bzovius, tom. 13. Annal. Eccl. & Marian. de reb. Hiſp. apud Odor. Raynal. ad an. 1240. nu. 26. Vide *Brandeum*. Quo vero ad Corporis Dominici feſtum, ejuſque inſtitutionem, per aliquot annos antea in diœceſi Legionenſi, Joannes Ciapeavillus de vera orig. feſti Corp. Dom. cap. 2. inſtitutum fuiſſe refert. De hoc feſto. Vide *Euchariſtia*.

Corporale, quomodo differat a ſpirituale. Vide *Spirituale*.

Corporale Crimen. FR. [ Paulus Deaclinæ Civitatis Epiſcopus inter alia mala in corporali crimine lapſus. 2. quæſt. 7. can. lator.] Quod Gloſſa adulterium, vel inceſtum interpretatur; nam ex ſimplici fornicatione Epiſcopus ejus dignitate non privatur. Nihilominus contrarium dici debet, quia manifeſte ex can. Paulus. loc. cit. dicitur, quod a ſubditis de lapſu carnis convincitur; ergo per carnalitatem, nec adulterium,

nium, nec inceſtum, privatum fuiſſe arguitur: poteſt tamen eſſe*, quod ſcrupuloſius carnalitatis peccatum in Epiſcopis corrigebatur, vel ex publico ſcandalo, vel habituatione, vel quia hoc crimen erat inter alia mala Paulo imputatum, ut expreſſe in dicto can. Lator. Quinimo Epiſcopi corrigebantur, qui in eorum ſervitio carnales homines retinebant. 2. quæſt. 7. can. 58.

CORREGIONALIS. Vide *Regionalis*.

CORRELATIVUS, terminus ſcholaſticus, quomodo antiqui illum exprimebant. Vide *Sine invicem*.

CORTINA. Vide *Velum*.

CORUS, κόρος, genus menſuræ *liquidorum & aridorum*, quæ dicitur hebraice *chomer*, ſeu hòmer: continens ſecundum aliquos modia Romana XL. Latinus tamen Latinius in ejus Biblioth. Sac. ſuſtinet continere LX. Eucherius vero ait non continere plus quam XXX. At quodlibet modium ſecundum Plinium, lib. 18. cap. 16. præſtat in jugera modia vicena. De hac menſura ſæpe in Sac. Pagina, & Lucæ 16. [ Tu vero quantum debes? qui ait: centum coros tritici, ] & quod ſit etiam liquidorum menſura probatur, 3. Reg. cap. 13. num. 11. [ Salomon autem præbebat Hiram coros tritici viginti millia, in cibum domui ejus, & viginti coros puriſſimi olei.

CORUSCUM, fulmen. [ Permittit ſuper ſepulcrum præterire coruſcum, ne fieret multitudinis totius interitus. Greg. Turon. lib. 2. mirac. cap. 27.

CORYPHÆUS, κορυφαῖος, ſummus, excelſus, cæterorum princeps. Vocatur ergo coryphæus, qui eſt in aliquo genere, vel ordine caput, aut princeps: qui multos ſequaces numerant, talis ſectæ, vel doctrinæ merito coryphæi nuncupantur.

COSACCHUS. Vide *Goſachio*.

COSCINA, aridorum menſura. Vide in dict. *Sauma*.

COSCIONOMANTIA, κοσκινομαντεία, divinationem per cribrum ſignificat. Nam κόσκινον, cribrum dicitur, & μαντεία, divinatio: unde & *coſcionomantes* eſt vates per cribrum divinans. Quod fit dum aliquid occultum quo piam cognoſcere deſiderante, ut v. g. quis talem rem furatus fuerit; ad nomen furis cribrum ſponte, vel potius ope dæmonis movetur. Eſt enim una ex illis divinationibus, quæ fiunt cum expreſſa dæmonis invocatione. Et quamvis talis divinus ſe nullum habere pactum cum dæmone teſtetur; tamen eum cenſetur expreſſe invocare, dum tale medium, quod ſcit ope dæmonis peragi, vult adhibere. Si enim geomantia, hydromantia, & ſimiles divinationes a D. Thoma 2. 2. q. 95. art. 3. c. ad primum genus divinationis, cum expreſſa dæmonis invocatione, referuntur; eo magis coſcinomantia, dum talis cribri motus a ſolo dæmone provenit, eſt ad illud genus reducenda.

SS. COSMÆ, ET DAMIANI epitheton. Vide *Anargyri*.

COSMITES, Eccleſiæ navis in formam crucis juxta antiquum ritum, ita a S. Germano appellata, quia hæc figura repræſentat quatuor mundi plagas, qui κοσμητῆς græce dicitur, ſeu quia κόσμος proprie ornatum ſignificet, hinc antonomaſtice pro mundi ornatu κόσμος, accipitur, a verbo κοσμέω, ideſt, orno, ſic Eccleſiæ navis in prædicta figura pulchre formata *Coſmites* dicebatur.

COSMODIN. FR. Aliquæ Eccleſiæ in Urbe, & alibi ſic appellatæ, a græco vocabulo κοσμητής, ornatum, ſeu mundanum ſignificans. Romæ adhuc extat in Regione Ripæ Eccleſia titulo Diaconiæ, quæ dicitur S. Maria in Coſmodin, & antiquitus alia extabat ſub invocatione Sancti Valentini in Coſmodin: Floravantes Martinellus in ſua Roma Sac. cap. 12. pag. mihi 404. Ac alia S. Mariæ in Coſmodin nunc S. Aniani appellata ex Panciroł. idem Martinellus, p. 371. Item in ſuis Memoriis Sacris Ravennæ antiquæ, pag. 244. Hieronym. Fabrus affirmat fuiſſe Ravennæ Eccleſiam ſub eodem vocabulo. In Bullario tamen Caſinenſi ſæpe *Coſmedin* legitur. Vide *Schola græcorum*.

COSMON, vox græco-barbara, ſignificat jumentum, inde *Coſmaticum*, ſolutio pro vectura jumenti. Iſid. in gloſſa. Ita etiam *Monocoſmon*, currus unico jumento vectus.

COSMOPLASTES, κοσμοπλάστης, mundi fictor, ſeu creator. Fit a voce κόσμος *mundus*, & a verbo πλάττω, *fingo, formo*, ſeu ab ipſa voce πλάστης, *figulus, formans*. Hanc vocem habet Philo *de Mundo*, & non Angelis, ſed ſoli Deo, cœli & terræ factori eſt adaptanda. Ab eadem voce κόσμος fiunt & alia compoſita, quæ in ſacris Auctoribus occurrere poſſunt. Sic κοσμοκράτωρ, ſed latine coſmocrator, pro Mundi principe, apud Nazianzenum: a verbo κρατέω, teneo, impero &c. A λόγος, ratio, ſermo; fit coſmologia, ſermo, vel ratio de Mundo.

COSTUMA, uſus, mos, [ Dedit Eccleſiæ, tempore, quo vivebat, pro anniverſario ſuo faciendo coſtumas, quas habebat apud Polliacum. Necrologium Trecenſe. ] In hoc tamen loco conſuetum tributum, ſeu ſolitam ſolutionem proprie ſignificat a græca voce, licet barbara Κοστούμιον, ſeu gallica *Coutume*, ſeu Italica *Coſtume*.

COTERELLUS, vilis homo, tugurii habitator. [ Eodem die captus eſt Benkin coterellus. In vita S. Caroli Comitis.

COTOPITÆ. Vide *Agnoſtici*.

COTTA. Vide *Superpelliceum*.

COXA. Vide *Largica*.

CRANIUM, aliquando calvarium montem denotat. [ Adam primus noſter parens in hoc, qui nunc dicitur cranium, loco dicitur eſſe ſepultus, ubi meus Chriſtus pro nobis crucem, & mortem ſuſcepit. Metaph. In vita S. Theodoſ. Cœnobiar. ] Vide *Golgotha*. *Boſcr. Venerarium*.

CRAPULITAS, crapula. [ Multi examinatum crapulitate opinantur. Paul. Diacon. lib. 10. ] loquitur de Juſtiniani Imp. morte.

CREAGRA, furca bicornis, qua ex pila caro extrahitur, græ-

græce κρεάγρα, apprenſionem carnis ſonans. [ Fecit autem Hiram lebetes, & creagras, lib. 2. paralipom. cap. 4.

Creatus, ita a Fulberto Carnotenſe appellatum fuit divinum Verbum, non quia cum Arianis ſentiret, qui illud creatum fuiſſe ajebant; ſed prout humanatum, vel de natura humana eodem Verbo unita loquutus eſt; nam ex ejus verbis de nativitate, ſeu conceptione Chriſti loquutum ipſum fuiſſe clare colligitur, dum inquit: [ Alia, qua erat in principio apud Deum; alia, qua creatus ex Virgine Maria, epiſt. 1.] FR. Eſt tamen quæſtio inter Theologos agitata, utrum hæc propoſitio: *Chriſtus eſt creatura*, poſſit ſimpliciter proferri; negant S. Thomas in 4. contr. gent. cap. 48. Canus 11. de locis, cap. 11. & alii apud Suar. tom. 1. in 3. par. quæſt. 16. art. 8. Vaſq. diſp. 65. cap. 1. Cabrer. in art. 8. Affirmant tamen S. Bonav. in 3. diſt. 11. art. 2. quæſt. ad 4. Cajet. in 3. par. quæſt. 16. art. 8. & 10. Vvaldenſis, tom. 1. lib. 2. art. 3. cap. 41. dummodo ſit ex proprietate ſermonis, & abſit ſcandalum propter Arianos: & colligitur etiam ex D. Thoma in 3. par. q. 16. art. 8. ubi non negat ex proprietate ſermonis non eſſe dicendum: *Chriſtus eſt creatura*, quod ſubauditur, quatenus homo: ſed inquit. [ Ne errori Arianorum favere videamur. ] ubi S. Doctor non ait; *Ne faveamus;* ſed *Ne videamur favere,* quia revera non favent hujuſmodi verba, dum implicite talem, quatenus homo eſt, intelligamus. Cum addito tamen explicito, ſeu cum reſtrictione aliqua, pleno ore SS. PP. protulerum; quare S. Leo Papa I. ſerm. 3. Pentec. ait. [ Si enim homo ad imaginem Dei factus, in ſuæ honore naturæ manſiſſet &c. creator mundi creatura non fieret. ] Ac S. Hilarius Arianorum inſectator acerrimus, lib. 12. de Trinit. in fin. non veritus eſt talia proferre, nempe. [ Filius itaque ſuus eſt, qui eſt in homine, & ex homine factura: neque tantum factura, ſed etiam creatura. ] Atque Gentium Doctor. [ Qui ſecundum Deum creatus eſt, ad Epheſ. 4. ] Ac etiam D. Hieron. in Com. magn. cap. 2. ad Epheſ. [ Nos libere proclamamus, non eſſe periculum, eum dicere creaturam, quem vermem, & hominem, & crucifixum, & maledictionem tota ſpei noſtræ fiducia confitemur. ] S. Aug. ſerm. 3. de Temp. quem Eccleſia in feſto Purific. legit. [ Deus, qui eſt, & qui erat, fit creator creatura. ] Sophron. in confeſſ. fidei a VI. Synodo recepta, act. 13. in act. 11. [ Creatum hunc ipſum, ut & increatum. ] S. Cyrill. Alex. lib. 10. theſ. cap. 4. [ Cum ipſa natura increatus ſit, & omnium Dominus, & creator: creatura etiam factus, primus invenitur inter omnes homines. ] S. Greg. Nazian. Orat. Nativ. Dom. quæ eſt 38. [ O novam mixtionem, & admirabilem temperationem! qui eſt, fit, & increatus creatur. ] Et tandem in Concil. Lateranen. ſub Martino I. in quo Monothelitarum hæreſis damnatur An. Dom. 642. a 105. Epiſcopis in conſult. 5. can. 4. ſtatuitur; [ Si quis non confitetur unum, eundemque Dominum noſtrum, & Deum Jeſum Chriſtum &c. eundem inconditum, & conditum, condemnatus ſit. ] Concludendum ergo eſt: quod quotieſcumque adeſt oppoſitio *Creati*, & *Increati*, tollitur omnis ſuſpicio ſcandali, & quo ſecluſo etiam *Creatura* Chriſtus dici poſſet, dummodo haud mera intelligatur.

Credentia. Vide *Paratorium*. *Proteſis*.

Creditus, fidens, amicus fidelis. ( Tranſmitte Abbates, & creditos tuos, ut hæc, quæ loquor, exponant. Greg. Turon. lib. 9. cap. 10. FR. adjectivum *Creditus*, & *Credor* pro commiſſo, & committor in Sac. Script. non raro uſurpatur. [ Gubernat creditam ſibi domum. Geneſ. 39. Cunctis ei creditis. Ibid. Qui credita habebant utenſilia. 1. Paralip. 9. Diſpenſatio mihi credita eſt. 1. Corinth. 9. Creditum mihi eſt Evangelium. Galat. 2. Ut crederetur nobis Evangelium. 1. Theſſal. 2. Evangelium gloriæ beati Dei, quod creditum eſt mihi 1. Timot. 1. Prædicatione, quæ credita eſt. Ad Tit. 1.

Credo, quando in Miſſis votivis dicatur. Vide *Miſſa votiva*. Reliqua. Vide *Symbolum*. An ſufficeret ſenſum, & non verba memoriter retinere. Vide *Spiritualiter*.

Credulum, ſecurum, periculo vacuum, epithetum convivio a Juſtino, epiſt. 2. attributum, in quo abſque ulla veneni ſuſpicione comedebatur.

Crementum, augmentum. [ Qui non modo fautor eſt cremento proficientium. In vita S. Adelardi Abb. Luna crementum, & decrementum facit. D. Ambroſius. In epiſt. ad Rom. cap. 4.

Crepidulum, muliebris in capite ornamenti genus, ita a crepitando appellatum. [ Et ſtolam, & ſupparum, & crepidulum, & caliendrum, Tertull. de pallio, cap. 4. ] Turnebus tamen *Crepidulam* legit. Viget adhuc uſus penes orientales mulieres in capitio appendere monetas aureas, & argenteas, quæ in capitis motu aliquantulum ſonum reddunt.

Crepitaculum. Vide *Campana*.

Crepulus, murmur reſonans ex venti effectu inter frondes, ſaxa, vel in aquis redundantibus. [ Et viatorum ſollicitas aures foliis toto nemore labentibus crepulo fragore circumſtrepit. Sidon. lib. 4. epiſt. 15.

Crepuſculaſcens, crepuſculi tempus, ſicut *Veſperaſcens* veſperarum tempus dicitur. [ Ad hoc & eum me defatigatum ab excubiis ad diverſorium crepuſculaſcens hora revocabit. Sidon. lib. 8. epiſt. 3. Vide *Inter canem*, & *lupum*.

Cretio. FR. acceſſio, & proprie ſignificat præfixum terminum hæredi ad accedendum hæreditati. [ Ceſſet itaque in maternis dumtaxat ſucceſſionibus commentum cretionis. C. Theodoſ. lib. 8. tit. 9. ] Vide *Hæredipeda*.

Creventia. FR. copulatio, aſſociatio. [ Si vero populus portionis meæ cum populo veſtræ partis ierint pro creventia in exercitu quocunque &c. In capitulare Redelchiſis, capit. 27. apud Camillum Pere-

Peregrinum Hiſtoriar. Longobard. Principum.

CRIMEN. FR. probatio. [ Prævaricari eſt vera crimina abſcondere. 2. quæſt. 3. can. ſi quem. ] Ubi Gloſſa notat: [ Crimina, ideſt, probationes. ] Crimen quatenus delictum ſignificet; ſi eſt manifeſtum, ut corrigatur juxta canonum decreta, accuſatione non indiget, nec in eis eſt ordo judiciarius obſervandus, in decret. de jurejurando, cap. 21. Crimen corporale. Vide *Corporale crimen*.

CRIOBOLIUM, κειοβόλιον genus ſacrificii, in quo arietes mactabantur, ex græco κειος, ideſt, aries, & βολέω, percutio, macto. [ Miſeri ſunt profuſione ſacrilegi ſanguinis, cruentantur taurobolium, vel criobolium, ſcelerata te labe perfudit. Jul. Firmicus de errore profan. Relig. cap. 28. ] Ubi per *Taurobolium* taurorum ſacrificium intelligit. Vide *Laniſta*.

CRIONIA, pileus Conſtantinop. Imperatoris, quem in ſolemnitatibus ferebat, de quo Codinus de Offic. Conſtantinop. cap. 6. num. 18. ex voce græca κείνον, ideſt, lilium, cujus figuram præferebat, & ideo etiam *Tetraphyllum* pileus hic vocatus fuerat a τετράφυλλον, quod quatuor foliorum ſignificat. FR. figura pilei græci Imperatoris videri poteſt in typo appoſito in dict. *Calyptra*. Pilei ſynonyma vide *Pileus*.

CRISPINUS, unde dictus. Vide *Reburſus*.

CROBYLUS, græce κρώβυλος, capillorum pyramidalis contextus, & ornamentum. [ Debebant etiam & ipſi aliqua ſibi defendere inſignia. ( FR. *lege deferre inſignia &c.* ) aut pennas Garamantum, aut crobylos Barbarorum. Tertull. de Veland. Virgin. Athenienſes crobylo induebātur aureo, adjunctis cicadis. Clem. Alex. lib. 2. Pedag. Nonne velato ore in fœminam degenerat ille fortis, ille animo præſtans, ille in armis ſuis admirabilis, hoſtibus formidabilis? Tunicam ad talos demittit, zonam pectori circumvolvit, calceamenta muliebria ſumit, & more fœminarum capiti crobylum imponit; quin etiam cum lana colum circumfert, dextraque filum ducit, qua trophæum ante tulit, ſpiritumque, & vocem in acutiorem, & muliebrem ſonum extenuat. S. Antiochus Amaſiæ Epiſ. homil. in feſt. ad kal Januar.

CROCÆA, cappa nigri coloris, qua Cardinales utuntur in Conclavi, circa collum criſpata, longa uſque ad terram, & ex parte anteriori aperta, manto Græcorum Epiſcoporum ſimilis; niſi quod habet ex poſteriori parte exiguum caputium, ad inſtar illius, quod fertur in mozetta: [ Eſt autem Crocea genus clamidis longa ad terram uſque, a parte anteriori aperta a ſummo ad imum, & circa collum rugoſa in forma capparum Prælatorum, ſi demas cucullum. Ord. Rom. lib. 1. cap. 4. ] FR. In commentariis Jacobi Cardinalis Papienſis etiam *Crocea* dicitur, ubi ſic inquit: [ Mane Patres indutis palliis a ſummo deorſum, quos croceas vocant, in cellam Beati Nicolai, quæ ad dextram primæ aulæ eſt, ſilentio convenire, lib. 2. ] loquitur de conclavi, in quo creatus eſt Pontifex Paulus II. & hæc capella Paulina hodie vocatur. Hujuſmodi pallia erant nedum canonicis communia, ut dictum eſt in dict. *Cappa*; ſed etiam extra domum a Cardinalibus ferebantur; ſic in proceſſu ad inſtantiam Federici Oenobarbi Imperatoris contra Alexandrum III. fabricato, & in Conciliabulo Papienſi allato, in quo oſtentabatur eundem Alexandrum non fuiſſe in conclavi in Pontificem acclamatum, exiviſſeque proinde cum aliis, more ſolito, indutum, ac ita protuliſſe idem conciliabulum apud Radevicum Friſigen. in vita Feder. Oenobar. lib. 2. cap. 67. [ Multi ex noſtris dixerunt exiſſe ſine manto, ( *ideſt Papali* ) ſine ſtola, ſine albo equo, & ſine omni habitus munitione, cum pellibus nigris pallio coopertis, cum nigro almutio. ] Similem Crocciæ formam hic apponere curavimus, quam ferebant antiqui Rhodiorum equitum Magni Magiſtri, ut habetur in monumento Fratris Ricardi Caraccioli in Eccleſia S. Jo: Prioratus Romæ poſito: qui Caracciolus a ſancta ſede Apoſtolica tempore Schiſmatis eorundem Equitum Magiſter declaratus eſt.



Pontifex etiam ſolet in Nativitatis Domini nocte ſimilem cappam ferre in Matutino; ſed eſt villoſi ſerici, armellina pelle ſubſuta, quam Bonifacius IX. inſtituerat. In aliis vero Matutini recitationibus, & in die Veneris ſancti de mane eſt ſajæ rubræ cum cu-

cullo iiſdem pellibus ſubſuto, quæ in antiquis cæremonialibus M. SS. *Chlamys coccinea*, *Chlamys rubra*, & *Cappa* dicitur. Vide *Clocca*.

CROCCIA, baculus ſubalaris. Vide in dict. *Baculus*. *Fulcimentum*.

CROCUPHANTIUM, κροκύφαντος, velum ad muliebre caput, alii *Crucyphantium* legunt, quia ad modum reticulæ contextum erat abſque ſtamine, ſed ſola trama.

CROTALA, Vide *Campana*.

CRUCE CONTENDERE. Vide *Crux*.

CRUCIARIUS, cruciatum afferens. [ Febrem denique inter cæteros mortiferos, & cruciarios exitus, erogando homini deputatam. Tertullianus adverſus proſcript. hæret. cap. 2.

CRUCIBULUM, vas. [ Nam de nocte crucibulum, & oleum effundebat. In vita B. Coletæ. ] fortaſſe diminutivum ex nomine Gallico *Cruche*. Vide *Cruſelinum*.

CRUDA SALUTATIO, ſalutatio Candidatorum ſummo mane facta perſonis, a quibus favorabile ſuffragium exoptabant; *Cruda* dicitur, quia nondum ſatis cocto in ſtomacho cibo ſurgebant illi ad obſequium præſtandum, quæ paraſis non incongrue Aulicorum adulationibus applicari etiam poſſet. [ Quæ non atria nocturnis, & crudis ſalutationibus occupant? Tertull. de pœnit. cap. 11. ] de qua matutina ſalutatione S. Cyprianus ajebat: [ Quas ſuperbas fores matutinas ſalutator obſedit. epiſt. 2. lib. 2

CRUDA SENECTUS, ab effectu; ſenectus enim cruditatibus plena eſt. [ Miſera inſania crudæ ſenectutis. Apulejus, lib. 1.

CRURIFRAGIUM. FR. genus martyrii. Baronius in Notis Martyrol. 23. Maii lit. c.

CRUSELINUM, vaſculum a germanica voce *Krouſelin*, ideſt, poculum. [ Portabat enim vas parvum, & fictile, quod vulgo cruſelinum &c. Cæſar. lib. 12. Miracul. cap. 41.

CRUSTA, veſtis purpurei coloris. [ His quoque veſtibus abſtinendum, quas Græci nomine a latino cruſtas vocant, in quibus alio admixtus colori puri rubor muricis inardeſcit. In Cod. Theodoſ. ] FR. Sed in neutro genere Aldhelmus de Eccleſiaſtico luxu in veſtimentis loquens, pronunciavit: [ Ut cruſto interducto, phalerataque venuſtate carnalis natura comatur. de Virg.

CRUX, inæſtimabile noſtræ redemptionis inſtrumentum, quæ nunquam eſt a Chriſtianis ſatis colenda. Inter omnes vero nationes in hoc ſingulares ſunt Æthiopes; nam laici eam in collo appenſam ſemper ferunt, & in manu Monachi, & reliqui Eccleſiaſtici, ſicut & eorum Imperator. Et e contra inter Armenorum errores a D. Nicone collectos, non adorant Crucem, niſi clavum prius in eam figunt, illamque poſtea benedicunt: ſic etiam maxima reverentia Moſcorum erga Crucem erroribus, & ignorantia miſcetur, qui licet nunquam ſinant eam ad ſolum ſculpi, aut depingi; collo tamen appendunt, creduntque ſatisfacere præcepto audiendi Sacrum in diebus feſtivis, ſi ſigno crucis ſe ſignent. FR. Primo quo ad ejus etymologiam: Crux a cruciatibus dicitur. can. nulli. 3. quæſt. 1. Deinde quo ad ejus antiquam venerationem etiam ante Chriſti adventum apud Hebræos, & Gentiles; & quo ad Hebræos, primo multa Sacræ Scripturæ loca congerit Jacobus Boſius in ejus tractatu de Triumphanti Cruce, de qua etiam præcipue in Pſal. 73. Dominicus Cardinalis Gimnaſius notavit; ubi Pſalmiſta inquit, [ Et gloriati ſunt qui te oderunt in medio ſolemnitatis tuæ, poſuerunt ſigna ſua; ſigna, quæ non noverunt: ſicut in exitu ſuper ſummum &c. ] de Hebræis exponens, qui [ Poſuerunt ſigna, & non cognoverunt: hic eſt Jeſus Nazarenus Rex Judæorum, ſicut in exitu, in ultimæ vitæ Domini exitu ſuper ſummum Crucis. ] Ac de Gentilibus, cit. Boſius, lib. 2. cap. 4. aſſerit, quod orantes illi Crucem effigiabant; & lib. 5. c. 12. quod Ethnici, neſcientes tamen quid facerent, Crucis figuram, & imaginem formabant: de quibus vide etiam Baronium, ann. 34. num. 92. & 93. De Ægyptiis vide infra, dict. *Crux Anſata*. Quo ad Crucis materiam: Gloſſa, in Clement. de Summa Trinit. c. 1. de vera Chriſti Cruce ſic ait: [ Fertur etiam Crux quatuor genera lignorum habuiſſe, cedrum in ſtipite, palmam in palo longo, cupreſſum in ligno ex tranſverſo, olivam in tabula ſuper Crucem loco quarti brachii, & datur verſus.

Ligna crucis palma, cedrus, cupreſſus, oliva.

Et quomodo proprietates lignorum bene conveniant, inſtant Theologi, quod omitto. ] Ac tandem de Crucis hiſtoria, ritu, myſteriis ad mentem Auctoris. :||: In primitiva Eccleſia non depingebatur Chriſtus ſed nuda Crux, ut aliquantulum Gentilium debilitati condeſcenderetur, qui ad audiendam Evangelii prædicationem, ad Chriſtianorum Eccleſiam ſæpe accedebant; ne ergo paterentur ſcandalum, ſi Crucifixum in Cruce pendentem viderent (crucifixio enim reorum tunc ignominioſum patibulum erat) ideo, ut ſuaviter attraherentur, formabant Chriſticolæ Cruces gemmatas, variis ornamentis decoratas, quod inſinuare videntur Prudentius, & Chryſoſt. in hom. de Cruce apud Baron. ann. 395. num. 9. ideoque figurabatur manſuetus in ejus baſe Agnus, Chriſti typus; quæ antiquæ figuræ, in multis Romæ Eccleſiis adhuc extant, inde D. Paulinus cecinerat:

Sub Cruce ſanguinea niveo ſtat Chriſtus in agno.

FR. Imperator Theodoſius, & Valens legem ſanxerunt in Juſtiniani codice, lib. 1. tit. 8. contentam, in qua ſub pœnis graviſſimis effigiare prohibebatur Crucem in terra, quod confirmatum fuit in ſexta ſynod. can. 73. Idem ſanxerunt Ludovicus Galliarum Rex, Pius IV. D. Carolus Card. Boromæus in Mediolanen. Synod. a Papa Gregorio XIII. confirmata. Ob obſervantiam hujus legis Tiberius II. Imp. duos the-

theſauros invenerat, dum delere juſſerat tres Cruces in terra poſitas, de qua re Baron. ann. 582. num. 7. :||:Mos autem ferendi in proceſſionibus Crucem cum luminibus accenſis ab aliquibus D. Jo. Chryſoſtomo tribuitur, quem tamen ritum Baronius multo ante fuiſſe affirmat; in quibus proceſſionibus Crucifixi imago debet terga vergere ad clerum; ſed quæ ante Pontificem, & Archiepiſcopos defertur, debet Antiſtitem reſpicere, licet Canonici intermedientur. Ritus vero deferendi Crucem a Subdiacono ante Pontificem antiquiſſimus eſt. Baron. an. 855. ubi de Leone IV. loquitur. Quod privilegium Sancto Stephano Hungarorum Regi Silveſter II. conceſſerat, quia illius nationis Apoſtolus fuerat. Baron. an. 1000. Hieronymus Fabrus in Sac. Mem. Ravenn. pag. 50. illius Eccleſiæ Archiepiſcopum in viſitationibus deferre ſolitum fuiſſe ante ſe Crucem, & campanulam refert. Regulares nudam Crucem in proceſſionibus ferre nequeunt; ſed cum velo quidem pendenti. Sac. Rit. Congregat. 14. Januar. 1617. Item juxta Miſſalis Rubricam ſemper locanda eſt Crux ſuper Altare, quando celebratur in memoriam paſſionis; ex hujus tamen omiſſione non committi grave peccatum docent Suar. tom. 3. diſp. 81. ſect. 6. Vaſquez, tom. 3. diſp. 233. cap. 3. num. 16. Facund. l. 3. c. 21. n. 32. Nec poni debet, ſi in Altari expoſitum ſit Sacramentum: & quando in tabernaculo eſt Sacramentum, tenetur Sacerdos genuflectere in principio, & in fine Miſſæ. Miniſtri quotieſcumque tranſeunt ante Altare, Cruci genuflectere debent. Presbyter vero, ſicut & cæteri in adoratione Crucis genuflectunt in die Veneris Sancti, ob ſalutiferæ redemptionis memoriam in ea die peractæ, quæ Crux velo a primis veſperis Dominicæ Paſſionis tegitur, quia tunc Chriſtus ſe abſcondere cœperat, Rup. l. 5. cap. 1. & in eadem feria VI. in Calvario monte comparuerat denudatus, quo actu nobis fidelibus ejus divina myſteria revelaverat, quæ hebraico populo erant abſcondita. Idem Rupert. l. 6. c. 20. Paulatim tunc Crux detegitur, quia non de repente Chriſtus ſe manifeſtaverat; ideo oſtendit prius Sacerdos brachium Crucis ad cornu epiſtolæ, ubi Iſraeliticus populus deſignantur, ut dictum fuit in dict. *Altare*, cui populo Meſſiæ adventus prænunciatus fuit; deinde alterum Crucis latus detegitur, ac tandem velum penitus in medio Altaris Sacerdos poſitus a Cruce detrahit, ad denotandam Crucis prædicationem in toto orbe diffuſam, & quod Chriſtus ex eadem Cruce operatus eſt ſalutem in medio terræ. Unde hæc cæremonia habuiſſet originem. Vide Baron. an. 397. n. 11. & 12. Ciſtercienſes tamen Crucem tegunt a prima Dominica quadrageſimæ uſque ad completorium feriæ V. in cœna Domini, ſubſequente proceſſione. In Conſtantinopolitata Eccleſia, hæc Crucis adoratio per triduum majoris hebdomadæ fieri ſolebat; ubi illa vera reliquia exponebatur, quam Heraclius Imperator in Hieroſolymitano triumpho acquiſierat, & ad Sanctæ Sophiæ Templum collocaverat; in quo triduo ejus adorationis ordo ſic erat, nempe, in primo die adorabat Imperator cum cæteris laicis; in ſecundo Imperatrix cum ejus ſexu; in tertio Patriarcha cum clero. In quibus expoſitionis diebus fragranti odore miraculoſe replebatur Eccleſia: ex hoc ſacro item ligno, atque ex ejus nodis pretioſiſſimus liquor emanabat, quo infirmitates variæ curabantur. Baron. ann. 633. De quo D. Gregorius mentionem facit, dum Leontio in epiſt. 34. lib. 7. de tali dono gratias agit, quem liquorem *Oleum Crucis* vocat. Idem teſtatur Beda, epiſt. de loc. ſanct. c. 20. Iidemque Græci præter feſtum Crucis Septembris, aliud habent ad Kalendas Aug. quod his verbis in Menologio notatur: [Primo die progreſſio venerandorum lignorum pretioſæ, & vivificæ Crucis.] Item in Dominica Quadrageſimæ aliam ſolemniſſimam Crucis adorationem celebrant, tum ex ratione in Triodio adducta, ut, nimirum, fideles ab incepto jejunio jam laſſi, & defeſſi in viſione illius pretioſæ reliquiæ, ad illud proſequendum confortentur, tum etiam ut D. Chryſoſtomus inquit. [Quemadmodum in ſolitudine illi, qui vulnerati erant; aſpecto æneo ſerpente a morte liberabantur; ſic & nunc illi, qui medium jejunii curſum confecerunt, hujus contactu, ſerpentem, qui animo cernitur, occidunt, iidemque immortalitatem conſequuntur. Homil. de venerat. Crucis.] Hieroſolymis tamen ter in anno in eminenti loco per Epiſcopi manus exponebatur, quod Ἱερατεῖον, ideſt, ſacrarium dicebatur. Erant prædictæ expoſitiones in eadem Dominica tertia, in die Paſchæ, & in feſto Exaltationis, in quo die Antiochiæ manus Præcurſoris Chriſti oſtendebatur, ut in dict. *Agniferus* dictum fuit. Vetuſtus mos Eccleſiæ eſt in principio Canonis Miſſæ Crucem efformare. Gem. l. 2. c. 103. Quin & primam ejuſdem Canonis litteram T. Crucem præfigurate Innocentius III. lib. 3. cap. 3. notavit. Sic etiam Eccleſiam tum græcam, tum latinam a tempore S. Marci Papæ in ſacris veſtibus efformare conſueviſſe refert Baron. an. 336. fitque hodie latino ritu in amictu, manipulo, ſtola, & caſula; ſed hac ultima raro hodie, quæ tamen, quando eis induitur & exuitur Sacerdos, debet oſculari, atque Cruce idem ſe ſignari debet ante impoſitionem amictus, quod ſignum antiquitus ter agebatur, Sever. Alex. de ord. oblat. non vero cum amictu in manu, quod eſt quorumdam abuſus. Circa ſigni Crucis munitionem in nos ipſos faciendam, latino ritu formatur manu dextra aperta a fronte ad pectus, deinde a latu ſiniſtro ad dextrum in ſignum, quod a miſeriis ad felicitatem tranſimus; ſed Innocentius III. alium modum docet, nempe, a parte dextra ad ſiniſtram, ad ſignificandum prædicationis Salvatoris ab Hebræis ad Gentiles tranſitum; fit autem tribus digitis dextræ manus unitis, quod Trinitatis eſt ſymbolum; id ſignanter obſervant Græci, & Carthuſiani; in horum

rum

rum enim ſtatutis, cap. 14. hæc habentur: [ Quoties autem ſignum Crucis facimus ſuper nos, ſive alios, tribus digitis dextræ manus, ſcilicet, pollice, indice, & medio extenſis, & ſimul junctis, reliquis duobus digitis contractis illud facimus. ] Sed Græci in benedictionibus anularem digitum cum pollice conjungunt, hoc pacto.



Quod A, & Ω, ſignificare aſſerunt; qui tamen eo ordine, quo Innocentius ſupra, ſe ſignant, nempe, a dextra ad ſiniſtram; ſicut enim nos ad ſiniſtram prius dicere ſolemus, *Spiritus*, & ad dextram *Sancti*; Græci vero ad dexteram, quam præſignant, proferunt, *Sancti*, ad ſiniſtram *Spiritus*. De Crucis ſigno in benedictionibus. Vide *Benedictio*. Commemoratio Crucis, quæ fit in officio. Vide *Commemoratio. Collecta*. Reliqua ad Crucem pertinentia. Vide *Inventio Sanctæ Crucis*, *Labarum*, *Staucracinus*. [ Crux Chriſti ſalva me &c.] in qua mixta ſunt aliqua ſuperſtitioſa verba. Vide *Enſalmus*.

Crux Ansata, in Hieroglyphicis Ægyptiorum erat, de qua Boſius, lib. 5. triumphantis Crucis, & Athan. Kirker. in ejus Hieroglyphicis, & Baron. an. 389. n. 99. & an. 395. n. 9.

Crux Commissa, erat lignum tranſverſum breve ſuper aliud perpendiculariter impoſitum hoc T. modo.

Crux Decussata, formabatur ex duobus æqualibus lignis obliquis, hac X. forma; de qua egimus in dict. *Crux*.

Crux Immissa, erat formata ex duobus lignis; tranſverſale tamen erat brevius, ac ſuper eminentius ponebatur; quæ eſt ordinaria Crucis forma; nam ejuſdem figuræ fuit Chriſti Crux.

Crux Pectoralis. Vide *Encolpium*

Cruce Contendere. FR. erat particularis modus ſe purgandi a calumnia, ſeu perjurio, l. de furto, & l. ſancitum. Qualiter quis ſe defendere debet.

Crucis Hebdomada. Sic apud Theutonicos Rogationum hebdomada appellatur.

Crucis Inimicos, quoſdam hæreticos appellavit Apoſtolus ad Philippenſes ſcribens, cap. 3. & ut Baron. an. 60. num. 4. ait, de iis ille intellexerat, qui negabant Chriſtum crucifixum fuiſſe.

Crucifixus, nempe, Chriſtus. Vide *Crux*, *Suppedanea*.

Cruciferi, erant Religioſi ab Alexandro VII. ſuppreſſi.

Crucigerus, ſeu *Cruceſignatus*, miles in vigore Bullæ Cruciatæ, cujus militia ad bellum contra infideles, & hæreticos, ſeu contra invaſores eccleſiaſtici ſtatus a Pontificibus inſtituta, ac privilegiis ſublimata. Item in hiſtoria Concil. Florentini ſub Eugenio IV. celebrati, per *Crucigeros* ſæpe de Græcis intelligitur, qui in dignitate eccleſiaſtica conſtituti, Crucem ex ſerico villoſo nigri coloris ferebant ſupra pileum, cujus rami ab una extremitate pilei ad aliam uſque extendebantur: qui uſus adhuc penes eos durat. Item ordinis equeſtris omnes nobiles milites ſignificat, qui in pallio Crucem gerunt.

Cruciola, Cristicola, Crucem colens. [ Temporibus Diocletiani, & Maximini olympiade LXVI. edictis crudelibus Catholicæ fidei cultores, quos Chriſticolas, & Cruciolas nuncupabant, ad thurificandum ſtatuis ethnicorum cogebantur. Aldhelmus de laud S. Virginit. cap. 17.] De hac thurificatione. Vide *Cæremonior. Thurificatus*.

Crypta. Vide *Cœmeterium*.

Crysis. Vide *Apocriſarius*,

Cuba. Vide *Guba*.

Cubicularius. Vide *Celliota*. Cujus etymon. Vide *Cubiculum*. FR. Cubicularii Epiſcoporum erant etiam Monachi, can. compaſtoris, 2. quæſt. 7.

Cubiculum, hæc vox penes Eccleſiaſticos Scriptores ſæpe pro Eccleſia, vel Cappella accipitur. [ Hic ſepultus eſt in cœmeterio Priſcillæ cubiculo claro, Anaſt. Biblioth. in Marcel. Omne cubiculum binis per liminum frontes verſibus prænotatur. Paulin. epiſt. 12. ad Sever. ] Inde Cappellanus *Cubicularius* dictus fuit. [ Hic etiam conſtituit, & addidit ſupra ſepulcra Apoſtolorum ex Clero Romano cuſtodes, qui dicuntur Cubicularii. Anaſt. Biblioth. in Leone I. ] FR. Et ſicut Cappellanus a cappa dicitur, & Cubicularius a cubiculo; quæ tamen vocabula idem inter ſe ſignificabant; ut in dict. *Cappellanus* viſum eſt, & Baron. an. 461. n. 11. ſic etiam inter Græcos ſynonyma ſunt Cappellanus, & Cubicularius; nam Paſtophoros παςὰς provenit, ideſt, pallium, ſive thalamus, unde παςοφόρος, gerens pallium, qui & Cappellanus quoque ab eis appellatur, nam παςοφόριον thalamum, & cubiculum ſonat, atque Venus παςοφίρος, ideſt, thalamifera denominata fuit; hinc Paſtophoriū chorus intelligitur, & non ſacriſtia, ut perperam Hieronymus Fabrus in ejus Sac. Mem. Ravennæ, pag. 10. putavit; hinc Eccleſia Dei unus thalamus Chriſti dicitur, can. quamvis, diſt. 21. & licet D. Hieronymus in Ezechielem, c. 42. habeat hæc verba: [ Eductus eſt in gazophy-

phylacium, ſive ut Symmachus, & LXX. tranſtulerunt, exedra, vel ut Theodoſius παςοφόειον, quod in thalamum vertitur, quod erat contra ſeparatū ædificium. ] Hæ nihilominus translationes de choro communiter intelliguntur, ſeu potius de ſedilibus, quæ intra peribolium, ideſt, intra chori ſepta exiſtebant, ut in dict. *Feribolium* melius oſtendam. Idem ulterius ex conſtitutionibus Apoſtol. lib. 2. c. 57. de Eccleſiis ædificandis probatur, ubi hæc habentur: [ ac primum quidem ſit ædes oblonga ad orientem verſus, navi ſimilis, utrinque paſtophoria in orientem. Sit ſolium Epiſcopi in medio poſitum, & ex utroque ejus latere ſedeant Presbyteri, & aſtent Diaconi ſuccincti, & expediti ſine multa veſte. ] Unde chori ſedilia deſignare videtur canon hic. Item 1. Mach. c. 4. n. 36. habetur; [ Ecce contriti ſunt inimici noſtri, aſcendamus nunc mundare ſancta, & renovare &c. & viderunt ſanctificationem deſertam, & altare profanatum, & portas exuſtas & in atriis virgulta nata, ſicut in ſaltu, vel in montibus, & paſtophoria diruta. ] Et inferius, [ Et ornaverunt faciem templi coronis aureis, & ſcutulis, & dedicaverunt portas, & paſtophoria, & impoſuerunt januas. ] Paſtophoria enim januas habebant; nam chorus erat circumſeptus, ut in dict. *Peribolium* dicetur. De hac autem victoria a Juda contra Lyſiam obtenta Joſephus Jud. lib. 12. Antiquit. c. 11. ſcribens, ait: [ Judas perſuaſit ſuis, ut quandoquidem poſt multas victorias Deus conceſſerat, aſcenderent Hieroſolymam, & luſtrato templo, mactarent ſolemnes victimas, ubi cum inveniſſent templum deſertum, & portas ejus incenſas, & in atriis virgulta enata propter ſolitudinem &c. ipſe iterum repurgare templum aggreſſus eſt &c. ] Igitur paſtophoria, thalamum, gazophylacia, & exedræ, intra peribolium erant, ut in dict. *Peribolium*, dicemus.

Cucobadditi, FR. Hæretici in Ægypto. Baron. an. 535. n. 84.

Cucubo, FR. verbum, ideſt, caput in terram defigo, & pedes levo. Dionyſius Carthuſianus in 4. Reg. c. 2. art. 3.

Cuculla, exterior Monachorum veſtis ad modum togæ: [ Ad quod verbum Abbas evigilans, experiri volens, utrum viſio eſſet vera, vel ſicut ſæpe evenit, phantaſtica, cucullam ſupra pectus ſuum palpavit, quam totam invenit madidam, lacrymarumque ſtillicidiis perfuſam. Cæſar. lib. 3. c. 25. ] Cujus ſignificatus hi ſunt. [ Cuculla Monachorum ſumpta eſt a Colobio Apoſtolorum; illorum vero tunica formatur, ut Dalmatica. Hæ duæ veſtes formam Crucis præferunt, quia Monachi ſe vitiis, & concupiſcentiis crucifigunt; per has enim ſex alæ Seraphim exprimuntur: duæ partes capitis, quibus caput velant, ſunt duæ alæ, quæ fidem, & ſpem inſinuant; duæ autem manicæ ſunt duæ alæ, quibus volant, quæ geminam dilectionem prænotant: duæ vero partes cucullæ in ante, & retro duæ alæ ſunt, quibus corpus protegunt, quæ pœnitentiam, & operationem exprimunt. Gem. lib. 2. cap. 137. ] Aliquando ſcapulare, ſeu capucium ſignificat. De quo vide *Cocula*. [ Cucullis namque perparvis uſque ad cervicis, humerumque demiſſis confinia, quibus tantum capita contegant, indeſinenter diebus utuntur, ac noctibus. Caſſian. lib. 1. c. 4. ] Reperitur etiam *Cucullus*, ex quo corrupte Maronitæ *Kallùs* monachale caputium dicunt, atque *Cucullatus*, Monachus intelligitur. [ Inde eſt, quod mundus plenus eſt cucullatis, & pene vacuus Monachi. Petrus Bleſen. lib. 7. epiſt. 14. ] FR. Cuculla monachalis diverſimode deſcribitur in Clement. de ſtat. Monach. cap. Ne in agro, §. Cum vero, ubi ſic habetur: [ Verum ne ex diverſa acceptione, quam in diverſis regionibus hujuſmodi vocabula, Flocus, videlicet, & Cuculla dicuntur habere, hæſitandi circa præmiſſa materia relinquatur: Cucullæ nomine habitum longum, & amplum, ſed manicas non habentem: nomine vero Floci habitum, qui longas, & amplas habet manicas, nos intelligimus. ] Vide *Tilia*.

Cucuma, coquinarium vas. [ Dii aurei, ex quibus cucumæ melius fiunt ad uſus hominum. Ambroſ. ſer. 9. ] Reperitur ejus diminutivum nomen *Cucumellum*. [ Calices duo aurei, item calices ſex argentei, cucumellum argenteum; apud Baron. in 2. tom. Annal.

Cucurbito. FR. verbum barbarum in lege Logobard. ſignificat Vaſſallum, qui ejus dominam, ſeu conſanguineam vitiaverat; inde ſtuprum, adulterium, & quid ſimile *Corbita* in lege juridica Pratei dicitur; adultera vero *Cucurbita*, ejuſque maritus *Cucurbitatus* ibi appellatur: fortaſſe a *Cucurbita*, quæ carnem, & humores trahit. Vide *Cupha*: vel ſi ex latina dictione hoc vocabulum deducendum eſſet, a voce *Corbitare*, quæ in corbita navis genere immittere ſignificat, eaque Plautus translative uſus eſt, pro ventrem implere, ſic *Cucurbitare*, metaphorice pro fornicare, ſeu potius gravidam reddere mulierem.

Culcitra. Vide *Ariſtaton*, *Plumacium*, *Stroma*.

Cultellatus, conſciſſuræ pro ornamento in veſtibus, italice *frappato*, *fraſtagliato*, ſeu *trinciato* dicitur. [ Jam intratura fores oratorii, dæmonem in ſpecie viri tunica indutum cultellata contra ſe ſtare conſpexit. Cæſar. lib. 5. c. 45. ] quæ veſtis interciſiones ſignum ſunt faſtus, ac ſuperbiæ; ideoque in hac forma ſuperbiæ ſpiritus ita comparuerat; quod idem Cæſarius, lib. 4. c. 15. inſinuans, ait: [ Superbia vero ſic in eis regnavit, ut cogitare non ſufficerent, quali modo veſtimenta ſua ſucciderent, atque cultellarent. ] Nec immerito Turcæ hoc genus conſcindendi veſtes inſaniam Chriſtianorum putant.

Cultus, religionis ſignum. Vide *Curatio*, *Dulia*.

Cum. FR. Præpoſitio, quæ aliquando ſtat loco *Pro*. [ Qui vere ex toto nihil habent, ſimpliciter petitionem faciant, cum oblatione offerant filium ſuum. In

Regula S. Benedicti, c. 59.] *Cum oblatione*, ideſt, pro oblatione intelligitur.

CUNICULINUS, ad cuniculum animal pertinens [ Carnes ſuillas, vel cuniculinas non abjiciunt, piſcium carnes pinnulis carentium non reprobant. Evantus Abb. in quadam ejus epiſtola.] Ubi loquitur de carnibus Judæis vetitis.

CUNICULUS. Vide *Chœrogryllus*.

CUPA, cophinum, ſeu ciſta viminibus contexta, in qua cruciabantur SS. Martyres: [ Igitur urgente muneratorum decreto Sancti Martyres in circi ſpectaculo ter denis cuparum gremiis includuntur, quæ intrinſecus atræ picis maſſa, & bituminis fomite, ſulphuriſque fœtore replentur, farciuntur, & extrinſecus ſuppoſitis crepitantibus rogi torribus, & ſarmentorum faſciculis conflagrantibus ſuccenduntur. In tantum, ut flammantis pyræ cacuminacem obeliſci proceritatem; ſed tamen & rotundum ſphœræ apicem triginta cubitis in conum præcellerent. Aldelmus de Virg. cap. 19.] Aliquando vini dolium ſignificat. [ Cellariam enim aliquando vinum de cupa producentem, feſtinanter per nuncium accerſivit. In vita S. Adelherdis Virg.] FR. eodem vocabulo uſus eſt D. Auguſtinus, qui l. 2. de morib. Manicheor. c. 16. eos irridens; nam illi aſſerebant vinum eſſe Diaboli fel, & tamen abſque aliquo ſcrupulo uvam comedebant; ſic inquit [ Jam vero quæ tanta perverſitas eſt, vinum putare fel Principum tenebrarum, & uvis comedendis non pavere? Magis ne inerit illud fel, cum in cupa, quam in acinis fuerit?] ac idem, lib. 9. confeſſ. c. 8. ait: [ Nam cum de more tamquam puella ſobria jubetur a parentibus de cupa vinum depromere, ſubmiſſo poculo, qua deſuper patet, priuſque in lagunculam funderet merum, primoribus labris ſorbebat exiguum, quia non poterat amplius, ſenſu recuſante &c.] Aliqui tamen *Cuppam* legere malunt.

CUPHA, vas ut plurimum vitreum, quod cucurbita medicinalis a Plinio, lib. 38. c. 20. appellatur, quæ carni applicata ad trahendum ſanguinem, vel humorem corporis inſervit; quæ vero *Ventoſa* proprie dicitur, non ſanguinem, ſed tantum humorem trahit. Romani vulgariter *Coppettam*, & *Ventoſam* vocant, Græci κύφη; unde præſens vocabulum derivationem ſumpſerat: ideo ſecundum Voſſium corrigendus eſt Iſidori textus, lib. 4. orig. c. 11. ubi habet: [ Similaria, Angiſtrum, Spatomele, guva, quæ a Latinis a ſimilitudine cucurbitæ, a ſuſpirio ventoſa vocatur,] omnia autem nomina hæc græca ſunt, atque Chirurgorum inſtrumenta: ſed corrupte, ut plurimum: nam *Similaria* corrigendum *Smilia*, ex græco σμιλίον, ideſt, ſcalpellum: *Angiſtrum* ἄγκιςρον, hamus: *Spathomele*, σπαθομήλη, ſpecillum chirurgicum, italice *Taſto*. FR. cujus inventorem. Cic. 3. de nat. deor. Æſculapiorum unum ex tribus, Apollinis, nempe, filium inventorem facit, ſic inquiens: [ Æſculapiorum primus Apollinis, quem Arcades colunt, qui ſpecillum inveniſſe, primuſque vulnus dicitur obligaſſe.] :||: Tandem corrupte e *Guva* pro cupha, ut ſupra, legendum. Vide *Scupha*.

CUPHIA, licet proprie ornamentum capitis muliebris ſit, & a forma κύφης, ideſt, concurbitæ, ita dicatur; ab Albino tamen Flacco pro bireto Eccleſiaſticorum accipitur (de quo in dict. *Camelaucium*, & *Cofia* dictum eſt). [ Eccleſiaſtici pileolos, ideſt, cuphias geſtant in capite, dum aſſiſtunt Altaribus. De divin. off. c. 37.

CUPLA. Vide *Copula*.

CUPPA. Vide *Cupa*.

CURATA ECCLESIA. Vide *Parochia*.

CURATIO, precatio, ſeu divinus cultus. [ Sancite jejunium, prædicate curationem. Tertull. adverſ. Pſych. c. 16.] ubi verba Joelis Prophetæ interpretatur; qui cap. 1. ait: [ Sanctificate jejunium, vocate cœtum, &c. clamate ad Deum.] Quamvis D. Hieronymus in vero latino ſenſu curationem, & medelam ſpiritualem intelligat, cum jejunium ſit vera peccatorum curatio: ſed Tertullianus juxta græcum ſenſum θεραπεία, quæ dictio nedum medelam, ſed obſequium, & reverentiam ſonat: ſic Plato in Eutyphone eodem vocabulo uſus eſt ad ſignificandum divinum cultum. Quare ex ſubſequentibus Tertulliani verbis de adoratione loqui evidenter patet, dum inquit: [ Unde, qui in idolis colendis, & in hac re ornandis, & ad ſingulas horas ſalutandis adulantur, curationem facere dicuntur,) itaque non poterat Tertullianus per dictionem *Curationis* medelam intelligere, dum etiam ait: ] Prædicaturos officia curantia Deum: ] Deus enim nullius curationis, aut medelæ eſt capax. Quare Leo a Caſtro, & Jacobus Pamelius de adoratione Dei Tertullianum hinc intellexiſſe ſentiunt, quam opinionem favet etiam dictio hebraica *Haſereth*, in Joelis textu, quæ ſolemnitatem ſignificat; ſolemnitas autem pro adoratione, & cultu fit. FR. Puto Hieronymi, & Tertulliani ſenſus ita conciliari: ſicut latine *Lenire* pro medere, mitigare, & adulari accipitur, ſic θεραπεία, tam corporis, quam animi mitigationem ſignificat; ſic curare Deum, ideſt, ejus iram (ſecundum noſtrum captum) mitigare dicimus. Vide *Therapeuta*.

CURCUBA, funis nautica. [ Spiræ funes, quibus in tempeſtatibus utuntur, quas nautici ſuo more curcubas vocant. Iſidor. lib. 19. Orig.] Vide *Camelus*.

CURCUMA, capiſtrum.] Alii autem gemmis frœna, & equeſtres ſellas, & baltheos ſuos privatos exornare permittimus, de curcumis omnem prorſus qualiumcumque gemmarum habitum præcipimus ſubmoveri, l. unica, C. Nulli in frœn.

CURIA ROMANA. FR. *Amplus Alveus* appellatur in Clement. cap. 2. de ſepulturis.

CURIOSUS. FR. Officium Viſitatoris publicarum viarum, provinciarum, littorum, portuum, & ſimilium, qui ſecum debitas inſtructiones ferebat; dicebatur etiam *Curagendarius*. Vide *Perodeutis*.

Curmi, potio ex hordeo, vel alia frugum ſpecie commixta, communiter cervisia appellata. FR. a dict. græca κοῦρμι quæ idem ſignificat. In Melitæ inſula eſt quoddam oppidum, quod *Curmi* appellatur, ex magna aquæ quantitate, quæ ſub illius ſolo percurrit.

Curopalata, Majordomus Palatii Imperialis, quæ dictio non eſt græca, ſed latina a Græcis corrupte prolata; ut Evagrius Græcus Auctor fatetur, inquiens: [ Palatii regii cura mandata eſt ei, quem Curopalatam Romanorum lingua vocat. ] Ideſt *Cura Palatii* latialiter. Quantæ vero æſtimationis erat hæc dignitas, & quomodo incedebat, Caſſiodorus exponit, dum refert Imperatoris verba, ſic Curopalatæ ajentis; ] Illud quoque conſidera, qua gratificatione tracteris, ut aurea virga decoratus, inter obſequia numeroſa ante pedes regios primus videaris incedere, velut ipſo teſtimonio vicinitatis noſtræ agnoſcamus tibi palatia commiſiſſe, lib. 7. variar. cap. 5. in fin. ] in qua dignitate Cæſar, ideſt, Imperii ſucceſſor non raro deputabatur. Vide Baron. ann. 565. num. 12.

Curopalatissa. FR. Curopalatæ uxor. Jacobus Cretſerus in Codicum lib. 2. c. 2.

Curotrophium, κουροτροφεῖον. Eſt locus ubi juvenes aluntur, aut pueri grandiuſculi. Talia curotrophia ſunt collegia, aut alia loca ſimilia, quæ, inter loca pia, ut patet ex Julia l. illud 16. de ſacroſ. recenſentur. Differt autem curotrophium a *Brephotrophio*, quia hoc pro infantibus recenter natis, illud autem pro pueris grandævis alendis deſtinatum erat.

Currus. Vide *Birota*, *Carrocium*, *Lampena*.

Curruticuli, Hæretici. Vide *Severiani*.

Cursæ. FR. excurſiones: [ Et nullam læſionem neque in hominibus veſtris, neque in rebus eorum a nobis, vel ab his, qui nobiſcum ſunt, vel fuerint, gravabuntur; neque per exercita, aut curſas, neque per ſcammeras, neque per tradicias, qui a partibus veſtris vobiſcum ſunt &c. In præfat. Capitular. Sicardi Principis Benevent. apud Camillum Peregrinum de hiſtor. Princ. Longobard. pag. 76. ] Item fol. 77. lin. 34. & fol. 82. lin. 25. Vide *Curſus*.

Cursor, officium Eccleſiaſticum, ad quod Epiſcopis epiſtolas deferendi ſpectabat. Vide Baron. ann. 44. num. 79. Curſor ad ſynaxim intimabat. Idem an. 58. n. 102. Romæ adhuc durant Papæ Curſores, qui deferunt ejus ordines, ac Pontificias Bullas publicant. FR. ſed in aliis Eccleſiis Curſores ſatellites Epiſcopalis curiæ ſunt, ſicut antiquitus etiam Romæ Curſores erant Juſtitiæ Miniſtri, qui ex Brutiis, & Picenis deſumebantur, Baron. an. 34. n. 38. & Picenorum ſatellitum multitudo Romæ adhuc durat. Curſoris Synonyma in prima ſignificatione. Vide *Caſtaldius*, *Cerealis*, *Protocurſor*.

Cursus, officium divinum, quod communiter *Breviarium* dicitur. [ Curſum veſtrum horis certis decantate. Ord. Rom. ] Quæ verba proferri ſolebant a Diœceſano in ejus Synodo; inde Gregorius Turonenſis, lib. 10. cap. ult. ſe compoſuiſſe librum de Curſibus Eccleſiaſticis teſtatur. [ Exurgente Abbate cum Monachis ad celebrandum curſum. Idem Turon. lib. 1. de Gloria Martyr. Speciales horas, & curſum Eccleſiæ cuſtodiant, Bonifacius Papa ep. 17. ] Sic etiam appellatur in vita S. Germani Pariſienſis Epiſcopi ex Fortunato, c. 64. & 79. apud Surium, tom. 3. Item Amalar. de ordine Antiphon. cap. 52. idem habet, nempe: [ In Paſchalibus diebus canitur ad aliquos curſus diurnales: Hæc dies quam fecit Dominus &c. [ Vide *Breviarium*, *Hora Canonica*, *Officium Divinum*. Item invaſionem militum ſignificat. [ Si hic curſum, Deo ſibi irato, mittere voluerit, vos loco ipſius, quantum Dominus vos juverit, deprædate, D. Greg. in Regiſt. l. 11. c. 23. ] FR. proprie deprædationem ſignificare videtur; hinc Italice pyratica deprædatio *Corſo* dicitur, & pyratæ *Corſali*. Vide *Curſa*.

Curtisianus, aulicus, Italice *Corteggiano*; quo barbaro vocabulo Gerſon. in ſerm. S. Antonii ad Concil. Conſtantienſe habito uſus eſt.

Curtis, & *Cortes*, territorium, villa, poſſeſſio, platea, & atrium; ſic varie in variis codicibus. Pro villa autem, territorio, ac poſſeſſione ita habetur in diplomate Caroli Regis pro Corbejæ Cœnobio. [ Villas, ſeu curtes, vel ea quæ deinceps in parte ipſius Eccleſiæ voluerit divina pietas augeri, & Flodoard. l. 2. c. 11. Morabatur tunc apud gerniacam cortem, quam villam eidem oblatam, ubi gratam haberi Beato Pontifici comperit, offert ei. ] Idem habetur in l. ſi quis in curte, 1. de homine in curte aliena. Item pro Atrio. [ Curtem fecit Ludovicus de ſuo pretioſo fiſco perpetuali uſu. Anaſt. in Leone III. In curte alia, quæ galeria dicitur, domum fecit latam, & ſpatioſam, ut ampliſſime Pontifices cum famulis ibi hoſpitarentur. Idem in Greg. IV. ] de dictione *Galeria*. Vide ſuo loco. Hinc curtis, ſeu cortes a *Cohorte*, quæ in atrio reſidebat, *Corte*, & *Corteggiano* Italice deinceps aula, & aulicus dicti fuerunt. Item Curti a Latinis intelligebantur Hebræi; unde Horatius, [ Curtis Judæis oppedere ] dixit, qui tali epitheto ex defectu præputii appellantur. FR. ſic etiam Hiſpani *Cortado*, Hebræum, & Turcam ex dicto defectu vocant, & *Decurto* pro reſcindere, ſeu recidere dicitur. [ Nos conceſſa privilegia decurtabimus, cap. dilecti filii, de privil. ] Vide *Curto*. :||: Aliqui Antiquarii ideo S. Salvatoris de Curte in Tranſtyberim Eccleſiam ita appellari opinantur, quia ibi circa uſque ad B. Pii V. tempora habitarunt Curti, hoc eſt, Hebræi.

Curticella. FR. parva curtis. Bullar. Caſinen. tom. 2. Conſtit. 5. & 148.

Curto. FR. abbrevio, diminuo: [ Mantellum tuum curtabo. Falco Beneven. in chron. ann. 1122. ] ex quo componitur verbum Decurto. Vide in dict. *Curtis*.

Curtus. FR. brevis. [ Habitus curtos, ſtrictos &c. aſſumerent. In Extrav. Jo. XXII. de verbor. ſignif. c. 1.

Cusarsaton. FR. hebraica vox, quæ nomen Regis Meſopotamiæ, ſub quo Iſraeliticus populus per octo annos

nos in ſervitute manſerat. Judic. c.3. Cuſarſaton igitur humiliatio eorum interpretatur. Gloſſa in textu D. Hieronymi a Gratiano de pœnitentia, diſt. 1. can. 69. relato: ibique in poſtill. citatur etiam Origenes, hom. 3. in cap. Judicum; ſed vulgata loc. cit. *Chuſan Raſathaim* habet.

CUSINUS, pulvinar, ſeu pulvillus, ſuper quem in Altari ponitur Miſſale. [Per pulvillum, qui ſeſſio ſupponitur ad quietem, ſignatur vitæ ſolatium, ut, videlicet, auditores quaſi pro mercede laboris prædicanti ſibi neceſſaria ſubminiſtrent. Innocent. III. l. 2. c. 41.] Item ſignificat cor morbidum, tenerum, ac flexibile erga Dei verbum; non vero durum ad inſtar Hebræorum. Hugo lib. 2. c. 20. Item eſt ſymbolum veteris teſtamenti, ſuper quod Evangelium adimpletione quieſcit:] Evangelio ſubſternat pulvillum, quia, videlicet, ad omnia, quæ loquitur Evangelium, lex competens ſuggerit teſtimonium. Rupert. lib. 1. de div. off. c. 36.] Ideo antiquitus a Subdiacono una cum libro Evangeliorum deferebatur pulvinar, ſicut in quodam vetuſto Cæremoniali, ubi hæc verba leguntur: [Subdiaconus ante eum pulvinar deferat; per pulvinar, quod præcedit, lex figuratur, quæ Evangelium præceſſit: per plumas, quæ intus occultantur, myſteria, quæ in lege continebantur: per levitatem plumæ, præcepta veteris legis levia ad comparationem novæ.

CUSIO. Vide *Coinus*.

CUSO. FR. ſuo. [Faciebat quoque plectam de ipſis palmis, & cuſabat uſque ad horam ſextam. Pelagius Diacon. in translat. Vitarum Sanctorum Patrum, lib. 5. §. 5.

CUSPUS, calo, *nis*. [Ligneos cuſpos putantur in Reg. Magiſt.] At in M. S. *Utantur*, loco *Putantur* habetur. Vide *Socculus*.

CUSTOS AQUARUM. Hydrophylætus, & hydrophylax, ὑδροφύλαξ. Vide *Signatus manu*.

CUSTODIA. Vide *Ciborium*.

CUSTRIX, fœmina, quæ cuſtodit. [Beithilda cuſtrice Eccleſiæ. In vita S. Valburgis Virg.] fortaſſe Diaconiſſam intelligit.

CUTHEI, Populi. Vide *Samaritani*.

CUZUBA, *Guzubica*, & *Cuzubita*. FR. Monaſterium quoddam. Vide Baronium, ann. 325. n. 19. & 20.

CYANEUS LAPIS. Vide *Chryſocolla*.

CYCEON, potio ex variis herbis melle & vino mixta, vox græca κυκεών, ideſt, mixtio ad extinguendam ſitim. [Mendacia jucundis fabulis permiſcens, & quaſi cyceonem quandam concinnans, inebriavit homines. Theodor. de providentia.] Ac alibi: [Sitienti ardori potionem oggerit cinnum, cyceonem, quam nuncupat Græcia. Arnob.] Hanc potionem Tertullianus *Cocetum* vocat, ejuſque Auctorem Neſtorem fuiſſe ait: [Acci patinam, Neſtoris cocetum, miſcellanea Ptolemæi. Adverſ. Valent. c. 12.

CYCLAS, *adis*. FR. Veſtis muliebris auro texta: ex græco vocab. κυκλάς, ideſt, tunica, quæ habet limbum; nam Græci κύκλον, limbum vocant. [Induit me Dominus cyclade auro texta. In paſſ. S. Agnetis.] Unde Lampridius in Alex. Severo ait: [Matronas autem regias contentas eſſe debere uno reticulo, atque inauribus, & baccato monili, & corona, cum qua ſacrificium facerent, & unico pallio auro ſparſo, & cyclade, quæ ſex unciis auri plus non haberet.] Trebellius autem Pollio de Zenobia Regina inquit: [Convivata eſt Imperatorum Romanorum more. Ad conciones galeata proceſſit cum limbo purpureo, gemmis dependentibus per ultimam fimbriam, media etiam cyclade veluti fibula muliebri aſtricta.] Quod videtur intelligi de ſtrato, ſeu veſtis cauda, eodem modo, quo Cardinales, Præſules, ac etiam Mulieres hodie utuntur, in cujus medietate fibula eſt, quæ ad ſublevandam caudam, vel dimittendam inſervit, cui opinioni favet Propertii verſus:

Et cyclade longa verrit humum.

Atque Flav. Vopiſcus inquit, quod cum Saturninus a militibus ad imperium inauguratus eſſet; [Depoſita purpura ex ſimulacro Veneris, cyclade uxoria militibus circumſtantibus, amictus, & adoratus eſt.

CYCLON. Vide *Exedra*.

CYMATIUM, tectum domus, ex græco vocab. κυματια, ideſt, aquæ inundatio, ſeu columnæ capitellum. [Scit albarius tector & tecta ſarcire, & tectoria inducere, & ciſternam liare, & cymatia diſtendere. Tertull. de Idolatr. cap. 8.] Hoc tamen vocabulum in vero Tertulliani ſenſu terram laterariam, & argilloſam ſignificat, quæ madida, & per aliquos dies bene ſuper tectum percuſſa comprimitur, & indurata tegularum loco inſervit ſecundum Africæ uſum, ubi degebat idem Auctor, ac in Melita communiter, & Neapoli non paucæ domus ita teguntur. Vide *Doma*, *Tecta denſare*.

CYMBA. Vide *Aſcus*.

CYMBALUM. Vide *Campana*.

CYMBILIA, & *Cymelia*. Vide *Cemelium*.

CYNOCEPHALUS. FR. græce κυνοκέφαλος, canis caput ſignificat. Ita Anuben Ægyptiorum Idolum; Aug. lib. 2. de Civit. Dei cap. 14. appellat, ex eo quia canino capite figurabatur, inquiens: [Alicui cynocephalo poſtremo partim ſua propria ſacraverunt.] Eodem vocabulo a Tertulliano, lib. 6. Apologet. & Cypriano. Epiſt. ad Demetr. Idolum hoc denominatur.

CYPHONISMUS. FR. genus ſupplicii, de quo fuſe Baron. in Not. ad Martyrolog. 28. Julii, Littera F.

CYPRIANA, feſtivitas S. Cypriani, & nautæ ſolebant Stellam *Cyprianam* vocare, quia circa tempus hujus feſti excitantur tempeſtates in mari; ſicut eadem ratione vocant hodie ſtellam SS. Simonis & Judæ, S. Catherinæ, & S. Andreæ; nam circa hos dies maris commotio ſuccedere ſolet: ita etiam Alcioniadum dies Æſtatem S. Martini nautæ dicunt, quia tunc circiter per quindecim dies interſtitium ſerenum ſydera præbent. Itaque ob eandem rationem Petro Subdiacono in Sicilia moranti, & Romam venire cupienti, D. Gregorius ſcripſerat, inquiens: [Stude

ſi Deo placuerit, ut in hanc urbem ante natalem Beati Cypriani tranſeas; ne ex ſigno, quod diebus iſtis ſemper imminet, quod abſit, aliquod periculum poſſit evenire, lib. 22. ep. 39.] Quæ tempeſtas appellatur etiam a Græcis Auctoribus Κυπριανά. Niceph. lib. 16. cap. 13. Evagrius, lib. 4. c. 16. FR. Evagrius tamen loco cit. hanc narrationem a Procopio excerpſiſſe fatetur, & Procopius a D. Baſilio in *Examerone* didiciſſe credendum eſt. *Cyprianæam* hanc diem vocat Baron. in Not. ad Martyrol. 14. Sept. lit. C. Sed *Cyprianam* Latinius in ejus Biblioth. tit. obſerv. &c. in Martyrol. Baron. appellari contendit. S. Cypriani pronomen. Vide *Thaſcius*.

CYPRIARCHES, ex græco idiomate Κυπριάρχης ideſt, Cypri princeps, ſeu venuſtus princeps. [ Et Nicanor Cypriarches non ſinebat eos in ſilentio agere, 2. Machab. cap. 12. ] Prior vero expoſitio eſt magis propria hujus loci; nam in verſione Arabica *Princeps Cypri* legitur. FR. Dubitationis tamen ſcrupulus hic occurrit, cum verſio Arabica multis erroribus ſcateat, quæ in parte nuper correcta fuit; Nicanor enim Patrocli de primoribus amicus, 2. Machab. c. 8. appellatur, ac elephantum Demetrii Regis Præpoſitus, ibid. c. 14. atque Dux, virque potens, 1. Machab. c. 3. & non Cypri princeps dicitur: ergo *Cypriarches* Principi gratus, & venuſtus intelligitur, quare Machab. c. 3. etiam Principis amicus dicitur; & licet Nicanorem, qui in 2. Machab. refertur, diverſum fuiſſe videatur ab eo, qui in 1. Machab. extiterat; nam de hoc 1. Machab. c. 7. a Juda trucidatum fuiſſe apparet; & de Nicanore Cypriarcha conſtat 2. Machab. c. 15. fuiſſe occiſum; tamen collationanti cap. 7. primi libri, cum 15. ſecundi, facile patebit ex genere mortis, victore Simone, tempore *Adar*, ideſt, Martii menſe, ac aliis conformibus circumſtantiis, ut dicere oporteat hiſtoriam Nicanoris, quæ in 15. ſecundi, fuiſſe epilogationem narrationis in capite 7. primi libri contentæ, quod in aliis rebus etiam patet, dictis, nempe in 1. lib. & in 2. lib. reiteratis, ut optime norunt, ac fatentur Scripturales omnes.

CYPRUS, hoc nomen in Cantica, cap. 4. Liguſtrum denotat, plantam ſcilicet, quæ florem candidum, & odoriferum gignit, ut Matthiolus in c. 107. l. 2. Dioſcor. optime probat. Quare in ejus Sacræ Scripturæ Vocabulario Rupertus Stephanus falſo exiſtimat eſſe camphoram: Vocabulum græcum κύπρος: [ Cypri cum nardo, nardus & crocus, Cantic. loco cit. ] De materiis enim odoriferis, ac aromaticis loquitur. FR. at camphora, teſte Schindlero in Lexico, eſt materia glutinoſa, qua aliquid oblinitur: Seraphion tamen in lib. de Aromat. inter aromatum ſpecies connumerat, ac ſpeciem gummi ex arboribus ſcatentem eſſe ait, cum quo concordat Avicenna: quæ vero in officinis Europæ hodie habetur, ad inſtar ſalnitri eſt, & habet odorem acutum, & ingratum: ergo Cyprus, de quo in Cantica, non eſt camphora: nam ibi de aromatibus odoriferis agitur. Quare aſſertio Auctoris ex Plinio confirmatur, ſic atteſtante: [ Liguſtrum eadem arbor eſt, quæ in Oriente Cyprus. Suos in Europa uſus habet: ſuccus ejus nervis, articulis, algoribus: folia ubique uteri ulceri, cum ſalis mica, & oris ulcerationibus proſunt, lib. 2. cap. 10. ] Et clarius lib. 12. cap. 28. [ Cyprus in Ægypto eſt arbor ziziphi foliis, ſemine coriandri, flore candido, odorato. Coquitur hoc in oleo, premitur poſtea, quod cyprus vocatur, Pretium ei in libras quinque. Optimum habetur ex Canopica in ripis Nili nata: ſecundum Aſcalonæ Judeæ: tertium Cypro inſula odoris ſuavitate. Quidam hanc dicunt eſſe arborem, quæ in Italia liguſtrum vocatur.

CYPRINUS, Vide *Cypſinus*.

CYPSINUS, mendoſum vocabulum apud Anaſt. Biblioth. in Leone III. [ Feneſtras ipſius Eccleſiæ miræ pulchritudinis ex metallo cypſino decoravit. ] Legendum *Cyprino*. FR. de quo Plin. lib. 34. cap. 2.

CYRIACA, ſic a multis Eccleſia appellatur, ex dict. græca Κυριακὴ, ideſt, *Dominica*, quæ vox cum multis aliis nominibus ad Latinos tranſivit. [ Sic etiam Cyriaca, ideſt, Dominica a Domino nuncupatur, quia Domino Dominantium, & Regi Regum in illa ſervitur, Valaſ. de exordio, & incremento Eccleſiæ, cap. 7. ] Dicitur etiam Dominica. Vide *Dominicum*. Item *Cyriaca* Dominica dies ſignificat. Vide. *Dominica Dies Solis*. FR. dicitur *Chiriachi*, & *Kyriachi*, & aliquando Hieracenſem in Calabria Civitatem ſignificat, quia Hiera, dominam denotat: [ ann. 986. comprehenderunt Saraceni ſanctam Cyriachi Civitatem, & diſſipaverunt Calabriam totam. Chron. Lupi Protoſp. ] alia lectio in codice Ducis Andriæ habet *Sanctam Civitatem Hieracem*.

CYRICSEATTUM; vocabulum nimis obſcurũ in vita S. Inæ Saxonum Regis. Alii tamen *Cericſeattum* legunt, quod quædam ſemina, pro primitia Eccleſiæ debita, ſignificat. [ Cyricſeatta reddita ſint in feſto S. Martini ] ex vocibus Saxonis *Kyrik*, ſeu *Kerek*, ideſt, Eccleſia, & *Seat* ſemen.

# D

DACTILI, Palmæ fructus. Vide *Palmatinæ*.

DACTYLOTHECA, δακτυλοθήκη, Capſula, in qua digitorum anuli conſervantur. FR. Sed ex Plinio quantitatem, ſeu muſæum gemmarum ſignificare colligitur; ſic enim ille l. 37. c. 1. inquit: [ Gemmas plures, quod peregrino appellant nomine dactylothecam, primus omnium habuit Romæ privignus Syllæ Scauri,

DÆMON, græce δαίμων, ſapiens, & aſtutus; antonomaſtice tamen ad ſpiritum infernalem refertur. Quid autem David Pſalm. 90. intellexerit quando dixit [ Ab incurſu, & Dæmonio meridiano ] eſt quæſtio in-

inter Expoſitores; nam devotæ explicationes a Sanctis Patribus traditæ, quod, nimirum, Dæmon meridianus ſit inſultus ſenſualis, qui in eo temporis intervallo hominem exagitare aſſolet; ad moralem potius intelligentiam ſpectant, quam ad litteralem. Igitur nonnulli Dæmonem Sylvæ habitatorem in parte meridionali ex oppoſito Hieroſolymæ, ubi hunc pſalmum compoſuerat David, per hunc *Dæmonium meridianum* intellexerunt. Rabbini autem in verſione hebræa fundati, quæ habet *Ketef mereri*, ideſt, truncatio mœroris, meridionalem quendam ventum explicant, qui infirmitates malignas, & pernicioſas in diebus præcipue canicularibus ſecum trahebat, cum phraſis Pſalmi hujus ſimillima ſit cantici verbis Moyſis in Deuter. c. 32. ſcilicet, [ Morſu amariſſimo ] ut in noſtra traductione habetur, quæ D. Hieronymus [ A morſu inſanientis meridiei ] vertit. FR. Imo etiam Chriſtiani antiquitus putabant *Dæmonium meridianum* eſſe ventum meridianum corporibus indiſpoſitiones afferentem, ſic in vita S. Ruſticulæ Abbatiſſæ habetur: [ Nam una de ſororibus, cum graviter ab infeſtatione meridiani dæmonis nimiam fatigationem ſuſtineret, & corpore tremebunda, nullatenus ſe erigere poſſet. ] Sic etiam de hac infirmitate Gregorius Turonenſis de miraculis S. Martini in Serenati uxore, quæ in meridie viribus deſtituta in terram ceciderat, ait: [ Interea accedentibus accolis, ac dicentibus eam meridiani dæmonis incurſum pati, *lib.* 4. cap. 36. ] De aliquibus pueris ab eodem vento, ſeu turbine meridiano in terram eliſis fit mentio in vita S. Jovini Abb. [ Qui vexillo Crucis a Monachis conſignati meritis SS. Martini, & Joviani a dæmone meridiano ſunt liberati. ] In Ægypti regionibus, ut mihi quidam Cophtus narravit, aliquando ex meridonali plaga ventus libycus inflare ſolet, qui aerem in flavum colorem convertit, & tam peſtilentialis eſt, ut homines ejus reſpiratione necet: || : Tandem dæmon infernalis antonomaſtice *Malus* vocatur. [ In tentationibus nihil Malo liceat, niſi poteſtas inde tribuatur. S. Cyprian. de orat. Domin. ] Quod vocabulum frequens apud Africanos Patres. [ Lata atque diffuſa eſt operatio Mali. Tertull. lib. de pat. ] FR. Item *Aquilus* dæmon dicitur; *Aquilus* tamen non ab aqua (ut aliqui perperam exiſtimant) ſed a colore aquilino, fuſco, nigroque ita dicitur, atque fuſcus, & niger etiam pro malo translative, & pro bono albus ſumitur. Vide quæ diximus in dict. *Aſprum*, & in dict. *Calculus*. Aquilus igitur color fuſcus eſt. Plaut. in Pœn. [ Statura haud magna, colore aquilo. ] Synonyma. Vide *Antiſpiritus*, *Diabolus*, *Homo*, *Niger*, *Oniropompus*, *Paredrus*. *Satan*.

Dæmonicola, Dæmonis cultor: hinc D. Aug. l. 18. de Civit. cap. 41. Dæmonicolam Civitatem illam appellavit, in qua Dæmonia colebantur.

Dagua, pugio, ſica, ex germanico *Dagge*. [ Nec daguas, nec cultellos ferant, in Concil. Piſan. 2. ] Hiſpani, Itali, & Melitenſes adhuc retinent vocabulum *Daga* in eadem ſignificatione.

Dalmatica, veſtis ſacra Epiſcopi, & Diaconi; ita appellata ex Dalmatia, ubi primo inventa fuerat. Iſid. lib. 19. etymol. cap. 22. vel quia ibi ejus uſus incœpit. D. Th. in 4. diſt. 24. qu. 3. art. 3. Inſtitutor pro Diaconibus Romanis tantum Silveſter Papa fuit. Ordo Rom. Eſtque lætitiæ ſignum, can. de jejunio, diſt. 76. Erat regius habitus, quo Pertinax Imperator induebatur, dicebaturque *Dalmatica chirodata*; ideſt, manicata, ad diſtinctionem *Colobii*, quod abſque manicis erat. Baron. ann. 261. n. 40. & ſeqq. Item *Tunica* dicebatur. Baron. ibid. FR. Credendum eſt, quod tempore Apoſtolorum Diaconi *Colobium*, ſcilicet, tunicam abſque manicis ferrent; nam in Conſtit. Apoſt. lib. 2. cap. 57. habetur; [ Aſtent Diaconi ſuccinti, & expediti; ſine multa veſte. ] Colobium etiam tempore Apoſtolorum in uſu fuiſſe teſtatur hic infra Gem.: || : Symmachus Papa illam Diaconibus S. Cæſarii conceſſerat. Baron. ann. 608. n. 15. Qui ſoli Diaconi Romani utebantur, idem an. 598. n. 30. S. Gregorius Archidiacono Francorum conceſſerat, can. communis filius, diſt. 23. Cujus uſus Abbati Montis Caſini conceſſus etiam fuit, Baron. an. 1049. n. 5. Erat autem Dalmatica antiquitus albi coloris, ante, & retro duobus lineis coccineis virgata. [ Dalmatica a Domini inconſutili tunica, & Apoſtolorum colobio eſt mutuata; eſt veſtis candida manicata duas lineas coccineas ante, & retro habens, & tramites purpureos Gem. cap. 211. ] Uſus dalmaticæ ſub planetam olim ſolius Papæ; quæ ſecundum Ordin. Rom. erat lanea, atque ex privilegio in Miſſis ſolemnibus eſt omnibus hodie conceſſa. S. Eutychianus Papa ſanciverat, quod Martyres abſque dalmatica, ſeu colobio purpureo non ſepelirentur, ac deinde ex abuſu etiam ad mortuos miniſtros eccleſiaſticos tranſierat, quod a D. Gregorio cautum fuit: ita ut neque Summos Pontifices cum dalmatica ſepeliri ordinaverit in Regiſt. lib. 4. cap. 48. In Cæremonial. M. S. Davantriæ, qui temporibus Jo. XXII. vixerat, habetur, quod Cardinales ſub dalmaticam etiam tunicella induebantur, inquit enim; [ Diaconi autem Cardinales cotta, amictu, ſtricta tunicella, & dalmatica. ] Hoc indumentum (ut ait Innocent. III. cap. 56.) largitionem in pauperes ſignificat, quod ex traditione Apoſtolica Diaconorum munus eſt: græci vero Diacones non induuntur dalmatica; ſed eorum Patriarcha, & Metropolitæ quadam ſimili veſte in lateribus clauſa, & longa utuntur; quam *Saccum* vocant, cujus inventor D. Chryſoſtomus fuerat. Cum dalmatica nedum Sacerdotes Sancti pingebantur, ut videre eſt in pictura antiqua a Joanne Diacono relata in deſcriptione S. Gordiani Gregorii Magni Genitoris, apud Baron. an. 604. FR. Sed etiam Virgines dalmatica indutæ figurabantur, ut in tribuna Sanctæ Cæciliæ in tranſtyberina Eccleſia, ubi hæc Diva S. Paſchalis opere muſivo dalmatica una cum ſociis induta adhuc ſic effigiata, & in

ejus porticu depicta exiſtit; nam ex Eutychiani Papæ ſanctione, quod, nempe, Martyres cum dalmatica ſepelirentur: ſic etiam eoſdem Eccleſiam pingere conſueviſſe credendum eſt; :||: Tunicella vero ſub dalmaticam cœrulei coloris erat, ut in muſivo S. Mariæ Majoris perſpicitur; fortaſſe quia jejuniorum tempore depoſita Miniſtri dalmatica, ut dictum eſt in dict. *Caſula*, remanebant cum hac tunicella coloris ad jejunorum tempora congrui. Vide *Birrus*, *Colobium*, *Diaconus*, *Saccus*, *Tunica*.

DALMATICATUS, dalmatica indutus.

DAMASCI. Civitatis deſcriptio. Vide *Samericus*. Serici ferax. Vide *Baldachinum*.

DAMASUS Papa an geſta Pontificum ſcripſerit. Vide *Hermes*, *Palea*.

DAMNATICUS. FR. ad metalla damnatus, id eſt, ad metallorum fodinas, & liquefactionem. [ Cæcilia dixit: Miror, ut non intelligas figuras fictiles, gypſeas, ligneas, atque lapideas, vel cujuſcumque metalli Deos eſſe non poſſe, quas araneæ texunt, & aves ſtercorant, in quorum capitibus ſolent ſibi ciconiæ nidus inſtruere, quos damnatici faciunt; nam ad omne metallum pro criminibus damnati mittuntur; ergo a damnatis initium accipientes, quomodo poſſunt dii vel æſtimari, vel credi? In Paſſione S. Cæciliæ Virg. & Mart. ] Dicebatur etiam *Ad beſtias damnatus*; ideſt, ad ſecandos lapides, vel fodienda, ſive liquefacienda metalla pro Idolis formandis, quæ in beſtiarum figuris ut plurimum effingebantur; hinc Tertullianus dixerat: ] Ad beſtias impellimur certe, quas Libero, & Cybele, & Cereri applicatis ignibus urimur (*nempe in metallorum liquefactione*) hoc & illi a prima quidem maſſa. In metalla damnantur, inde cenſentur Dii veſtri, in Apolog. c.12. ] Fuiſſe a Caligula multos honeſti ordinis viros deformatos prius ſtigmatum notis, & ad metalla damnatos, refert Svetonius in Calig. cap. 27. de qua pœna ſæpe fit mentio apud Ulpianum, Marcerium, Martianum, Calliſtratum, Hermogenianum, Paulum, Modeſtium, alioſque juriſconſulos, in l. 9. 10. 17. 23. 28. 36. 38. ff. de pœnis. At Ulpianus de jure damnat. in metal. has differentias terminorum internoſcit, nempe: [ Inter eos autem, qui in metallum, & in eos, qui in opus metalli damnantur, differentia in vinculis tantum eſt; quod qui in metallum damnantur, gravioribus vinculis premuntur, qui in opus metalli, levioribus. ] Demum hæc metalli pœna a Juſtiniano Imp. §. 1. verſ. capitalia, Inſtit. de public. Judic. inter capitalia judicia connumeratur. Tondebatur illis caput. Vide *Garrahara*.

DAMNATUS, repagulis clauſus. [ Attenderunt ad cryptas, viderunt autem aditus, miſſa macerie damnatos. D. Greg. in Regiſt. lib. 9. cap. 38. ] Vide *Damnaticus*.

DAMNIETAS. FR. damnum, l. omnibus qualiter quis ſe defendere debeat. Reperitur etiam *Damnitas*. In capitulare Radelchiſi, cap. 3. apud Camillum Peregrin. in hiſt. Princip. Longobar.

DANIELIS pulchrum dictum contra Simoniacos. Vide *Simonia*.

DANGERIUM, ex gallico ſermone *Danger*, periculum ſignificat. [Perhorreſcebat plurimum dangerium. In vita venerabilis Mariæ de Maliaco.

DAPIFER, ferculorum delator. [ Dapifer Abbatis Prumiæ. Cæſar. lib. 5. cap. 29. hiſtor. Dapifer menſæ Chriſti. Petr. Bleſenſis, ſerm. 47. ] Hodie adhuc durat hujus officii dignitas in aula Imperiali, qua Rheni Palatinus inter Electores fruitur. FR. Hæc dignitas in palatio Imperatoris a Conſtantini temporibus initium habuit. [ Magni enim Conſtantini temporibus Roſſicus locum, & dignitatem Dapiferi: Peloponeſiacus, Principis Atticæ, & Athenarum Magni Ducis, Bœotiæ, & Thebarum magni primicerii, magnæ vero Siciliæ Regis: alii denique alia nomina obtinuerunt &c. ſed velut illa dignitatum nomina ad poſteros propagare licitum fuit &c. Atticæ, & Athenarum magnum Ducem; pro magno Duce, nunc Ducem vocant, Nicephor. Gregora lib. 7. hiſtoriar. ] Primicerius vero Bœotiæ, & Thebarum poſtea *Megan Kyrion* dictus eſt; quare ibidem Gregora ait: [ Nam Bœotiæ, Thebarumque Principem, pro magno Primicerio Megan Kyrion nunc appellatur.] Vide *Primicerius*, *Diſcophorus*. Domeſticus menſæ, in dict. *Domeſticus*, aliud etiam Syonymum. Vide *Infertor*.

DAPSILIA, ſive *Dapſilitas*, abundantia, & ciborum fertilitas, a voce græca δαψίλεια, affluentia. [ Munifica dapſilitate recreata. Gunterus in hiſt. Conſtantinop. cap. 8. vitam S. Adelhaidis deſcribens, apud Caniſium.

DARDANARIUS. Vide *Regratarius*.

DARICUS. FR. moneta ex Joſeph. Heb. apud Latinium in ejus Bibliot. pag. 188. col. 1. verſ. ult.

DATARIUM CALENDARII, Martyrologium. In M. ſſ.

DATARIUS PAPÆ, officium magnæ æſtimationis, eſtque prælatitium, & aliquando cardinalitium, ſic appellatur a *Data*, & ſignatione ſupplicationum expediendarum, atque ædes *Dataria* dicitur. Antiquitus hoc officium ad Archidiaconum de jure ſpectabat. De offic. Archidiac. c. 7.

DATUM. FR. in inſtrumentis, & diplomatibus, differt *Actum*, a *Data*. Aliquando *Actum*, & *Datum* ponebantur ſub eadem die; aliquando vero *Actum* ſignificabat diem, in quo factum fuerat inſtrumentum, & *Datum* quando dimiſſa fuerat ex originali copia. [ Datum an. DCCXCVII. &c. Actum, in menſe Decembris die 22. apud Torrig. in Crypt. Vatic. ſecunda impreſſ. pag. 610. Data 17. Kal. Aprilis, Chriſto propitio, Imperii Domini Klotharii Pii. &c. Actum &c. Bullar. Caſin. tom. 2. Conſtit. 28. & 29. Acta ſunt hæc anno Incarn. Dom. 1226. menſe Maii 14. Indictione &c. Datum apud Imolam anno &c. Ibid. Conſtit. 246. Scriptum (*ideſt actum*) per manum Petri Scriniarii S. Palatii. Datum per manum Joannis

nis S. R. E. Diac. Card. VI. Kal. April. Ann. Dom. M.XCVII. Anno autem Pontificatus Urbani Papæ II. Decimo. Bullar. Caſinen. tom. 2. Conſtit. 126. Scriptum per manus Stephani Scriniarii S. R. E. in menſe Aprili. Indictione ſupraſcripta XV. Benevalete. Pax. Data VIII. Kal. Maji per manus Uvidonis Epiſc. Bibliothecarii S. Sedis Apoſtolicæ Anno Pontificatus Domini noſtri Joannis Sanctiſſimi, ac Religioſſimi XIII. Papæ: Imperii vero D. Ottonis majoris XI. Junioris autem V. In menſe, & indict. XV. ſupraſcripta. Bullar. Caſin. tom. 2. Conſtit. 53.] Et ſic paſſim reperitur in calce vetuſtorum diplomatum, & inſtrumentorum. Item *Datum* ſignificat mandatum, & præceptum. [ Et effudit illam (*ideſt*, *ſapientiam*) ſuper omnia opera ſua, & ſuper omnem carnem ſecundum datum ſuum, & præbuit illam diligentibus ſe. Eccleſ. c. 1. Da Altiſſimo ſecundum datum ejus. Ibid. cap. 35.

Datitius. FR. Servus, qui voluntarie alicui magnati ſe ſubdit. [Ita ut non parva loca patrimonii ejus propriis nudata cultoribus, largius datitiorum habitatoribus reſtauraverit. D. Gregor. lib. 1. epiſt. 73. [Ubi Africæ Exarcho gratias agit, eo quod multa Eccleſiæ Romanæ prædia in illis partibus colonis, ac habitatoribus reſtauraſſet: qui tamen a Saliano, lib. 5. de guber. *Dedititii* appellantur; ita eos deſcribente, [ Tradunt ſe ad tuendum, protegendumque majoribus, dedititios ſe divitum faciunt, & quaſi in jus eorum, ditionemque tranſcendunt.] Etiam *Dedititii* dicebantur, qui poſt rebellionem iterum ſubjugati, ab eorum ſuperiore, ſeu confœderato denuo in libertate conſtituebantur; municipii vero privilegium amittebant. [ Enim vero in dubium cenſoriæ intentionis epiſcynio diſperſo, quantum denotavi; paſſivitas offert: libertinos in equeſtribus, ſubverbuſtos in liberalibus, dedititios in ingenuis. Tertull. de pallio, cap. 4.

David Propheta. Vide *Pſalmographus*.

De. FR. propoſitio hæc in regula S. Benedicti aliquando *Poſt* ſignificat. [ Amplius de media nocte pauſetur, cap. 8. ] Item *Pro* nonnumquam denotat: [ Jam de nocturnis, vel matutinis digeſſimus ordinem pſalmodiæ, ibidem cap. 17. ] Item ponitur loco *Ex*, [ Pro ipſis tribus lectionibus, una de veteri Teſtamento memoriter dicatur, ibid. cap. 10. ] Item eſt nota deformitatis. Gloſſa in can. pudenda, 24. quæſt. 1.

Dealitas, divinitas. [ Quid aliud confitetur fides catholicæ Eccleſiæ, niſi quia & Trinitas ſit perfecta, & una ſit dealitas Patris, & Filii, & Spiritus Sancti? Lucifer. Caralit. lib. 1. adverſ. Conſt. Imp.

Dearchiepiscopo, verbum. Vide *Epiſcopo*.

Debitum. FR. pro credito: [ Feſtinabat unuſquiſque debita etiam maxima perdere. Optat. Milevit. lib. 3.] eſt phraſis Africana, ſeu potius Melitenſis, ubi tam creditor, quam debitor eodem vocabulo *Medien* appellatur.

Debrior, inebrior. [ Deque ſophiæ illum debriari fonte. Trithemius in epitaph. pro Venerabili Beda.

Debriatus, inebriatus. [ Et nos, qui carnis voluptatibus debriati, alios etiam peccare facientes, peccatis inebriamus. Hincmar. in vita S. Remigii.] Ita etiam intelligendus eſt locus epiſt. 31. Gerberti, qui fuit deinde Papa Silveſter II. ubi ait: [ Fontemque fallaciſſimo poculo debriatum expurgans.

Decachordum, græcum nomen δεκάχορδον, muſicale inſtrumentum decem chordarum. [ In decachordo pſalterio cum cantico, Pſalm. 91. ] Metaphorice tamen decalogi obſervantiam ſignificat, quæ in divinis auribus melodiam redolet. FR. Clemens vero Alexandr. aliam piiſſimam allegoriam in hoc vocabulo meditatur, & nomen Jeſus ſignificare autumat; nam prima littera Jeſus, apud Græcos decadis nota eſt; quare ſic inquit: [ Numquid autem decachordum pſalterium verbum Jeſu ſignificat, qui manifeſtatur verbo decadis? [ Vide *Cithara*.

Decalogus, δεκάλογος, decem verba, ideſt, præcepta divina, quæ decem ſunt in duobus lapideis tabulis a Deo Moyſi tradita. Ejus duæ lapideæ tabulæ. Vide *Diptychum*.

Decania, *Decanicus*, & *Decanicum*, voces, quæ carcerem penes eccleſiaſticos Scriptores denotant. [Executor autem litium conſtitutus in decanicis Eccleſiarum recludatur, competentes pœnas luiturus. Julian. Conſtit. 73. ] FR. *Decania*, Decani carcer; Decanus enim erat is, qui in oppidis, & villis præerat; ad inquirendos maleficos, l. de ſervo fugace. De furtis. Bullar. Caſin. tom. 2. conſtit. 47. 130. & alibi, qui tamen erant inter Eccleſiaſticos Archipresbyteri Villarum. [ Ibi adeſſe debent Decani, ideſt, Archipresbyteri, can. in capite Quadrageſimæ, diſt. 50. ] & ibi Gloſſa inquit: [ Loquitur de rurali Decano. ] Ac idem textus clarius infra: [ In ſacra autem Domini cœna rurſus ab eorum decanis, & eorum presbyteris Eccleſiæ luminibus repræſententur.] & in extrav. comm. de cenſib. §. ſi vero, habetur. [ Decanis ruralibus dumtaxat exceptis, qui in aliquibus regionibus Archipresbyteri nominantur.] Hinc eſt, quod cogebantur Decani ſacerdotium ſuſcipere, Baron. an. 1095. n. 25. & an. 1100. n. 22. quia ruſticorum Parochi erant, & Parochus infra annum tenetur in Sacerdotem graduari. Vide *Vicarius Firmarius*, *Servator loci*. Aliqui exiſtimant a *Decade* nomen Decani provenire :||: Dicitur etiam *Decurio*. [ Decuriones, ſeu Decani, qui ſub Vicariis quædam minora exercent. Valfridus de reb. Eccleſ. cap. 3. ] Eſt etiam dignitas inter Canonicos in multis Cathedralibus. Item inter Monachos eſt officium. In Conſtantinopolitana Civitate Decani appellabantur funerarii, & idem carnifex decanus dicebatur, quare in Cathedralibus Decanus alio nomine, nempe, *Prapoſitus*, appellatus fuit.

Decanus. Vide *Decania*.

Decarcones. FR. Tribuni Romæ tempore Joannis Papæ XII. [ Romæ enim duo Conſules ex nobilitate quo-

quotannis tunc fiebant, qui ad vetuſti conſulatus exemplar ſummæ rerum præeſſent, & Præfectus item ex nobilitate creatus, populo jus dicebat: ex plebe autem creati ſingulis annis duodecim, quibus Decarconibus erat appellatio; Senatus vicem in conciliis, & deliberationibus obtinebant. Blondus, decad. 2. lib. 2.

Decembrica Libertas, ſaturnalia, ita Gulielmus Duran. lib. 6. Rational. cap. 8. ubi de Epiſcopis ait, qui ludentes cum ſervis ad imitationem Gentilium, menſe decembris in ſaturnalium feſtis cum ſervis commiſcebantur.

Decervico, decollo. [ Si quidem, quos humari nox ſuccincta prohibuerat: decervicatis liquere cadaveribus. Sidon. lib. 1. epiſt. 3.

Decima. FR. de hac materia multi ſcripſerunt: ſed hic tantum videre eſt primo. Quid ſit *Decima*, ſecundo a quo, tertio cui, quarto propter quod, quinto quando ſolvenda ſit, ſexto in quo conſiſtat. Quo ad primum, Decima eſt tributum de jure divino animarum egentium gratia Dei debitum, can. Decimæ, 16.q.1. Quo ad ſecundum, Coloni partiarii, qui partem fructuum percipiunt, hoc dare tenentur. Gloſſa in can. q. 16. qu. 1. Quo ad tertium, debetur Eccleſiæ, vel ex voto, vel de jure. Gloſſ. in can. moderamine, 16. q. 1. Si decimæ ſunt prædiales, dandæ ſunt Eccleſiæ, ubi prædia ſunt ſita; ſed ſi perſonales, Eccleſiæ ſunt dandæ, ubi perſona ſe transfert, Gloſſ. in cap. quod priori, 13. qu. 1. ſed pro Eccleſia intelligenda eſt Baptiſmalis, Gloſſ. in can. quicumque, 16. qu. 1. & in cap. cum contingat, de decimis, & primitiis. Quo ad quartum, diximus eſſe de jure divino, cap. tua, de decimis, & primit. & quod hoc in jure divino fundatum ſit, Gloſſa in d. can. moderamine, multas rationes affert. Quo ad quintum, decimæ præſtandæ ſunt, quando fructus colliguntur. Gloſſ. in can. Revertimini, 16. quæſt. 1. Tandem quo ad ſextum; Decima alia dicitur major, alia minor, cap. cum in multis, de decimis & primitiis. Pro majoribus decimis intelligendi ſunt terræ fructus, tam aridorum, quam liquidorum; pro minutis autem explicat ibi Gloſſa: [ Minutæ decimæ appellantur partus animalium, de pullis, ovis, & hortis. ] Itaque debentur decimæ: [ De grano, aut de vino, aut de fructibus arborum, aut de pecoribus, aut de horto, aut de negotio, aut de ipſa venatione ſua, can. quicumque recognoverit, 16. qu. 7. ] & ibi Gloſſa multa cumulat. Olim quatuor modis dabantur decimæ. Vide Gloſſ. in can. Eccleſias, 13. qu. 1. Item decimæ novalium non pertinent ad laicum, qui decimas habet in feudum, c. Tua, & infra de decimis &c. Quid autem ſit novale, vide ſuo loco. Vide *Primitiæ*. In quibus aliis rebus imponendæ ſint decimæ. Vide de decimis, in Extrav. comm.

Decimata. FR. liquidorum menſura. ] Et vini decimatas viginti pro ſuſtentatione debeat miniſtrare. Gregor. epiſt. 44. lib. 1. ] quæ menſura ex Anaſt. Biblioth. in Adriano continebat LX. vini libras.

Decisus. FR. dimembratus: [ Paro hiam militaris quondam hoſtilitatis diſcrimine fuiſſe deciſam, can. prima, 16. quæſt. 3.

Decoctor. Vide *Interverſor*.

Decretalis. FR. eſt epiſtola, ſeu reſcriptum pontificis ad inſtantiam partium. Quem vigorem habeant hujuſmodi decretales Vide can. ſi Romanorum, diſt. 19. & can. de libellis, diſt. 20. Vide etiam hic *Leges*. Decreta ad fidei dogmata ſpectantia. Vide *Tomus*.

Decretista, doctor canonum. [ Nuper in terra noſtra quidam decretiſta nominatus, mortuus eſt. Cæſar. lib. 11. Mirac. cap. 46.

Decretum Gratiani. Vide *Canon*. Cujus valoris ſit. Vide *Palea*.

Decurio. Vide *Decanus*. Vide Βȣλέυτής, in dict. *Sanhedrim*.

Decurto. Vide *Curtis*.

Dedico, pro initiare, frequenter penes Africanos Scriptores. [ Auſpicatus eſt pacem, dum dedicat lectionem. D. Cyprianus, epiſt. 33. ] ideſt, incipit: ſic de idolis fictilibus, quæ fabricari incipiuntur in pertica transfixa, Tertullianus, cap. 11. adverſ. Gent. ait: [ In patibulo primum corpus Dei veſtri dedicatur; ] ideſt, incipitur. [ Reperietis primum Neronem in hanc ſectam tum maxime Romæ orientem cæſariano gladio ferociſſe; ſed tali dedicatore, (*ideſt incœptore*) damnationis noſtræ etiam gloriamur. Ibid. c. 4.

Dedicatio Ecclesiæ. Vide *Agapæ*. FR. Antiquitus non poterant dedicare Eccleſias Præſules ſine licentia Papæ. Baron. an. 598. n. 22. Dedicatio Baſilicæ Vaticanæ celebrabatur in menſe Novembris. Marriquez in Chronica Ciſtercien. tom. 2. an. 1145. c.3. pag. 6. Vide *Encænia*.

Dedititius. Vide *Datitius*.

Defendo, pro offendo, ſeu potius punio. [ Cæterum omnes ſpecies malorum, quæ etiam Ethnici indubitate, & prohibent, & defendunt, ex operibus Dei conſtant. Tertull. lib. de Spect. ] In eodem ſignificatu defenſio pro punitione ponitur. [ Ut quam ſit periculoſum non ſolum manibus, ſed etiam in Sacerdotem verbis excedere, ex noſtra cuncti poſſint defenſione cognoſcere. D. Gregor. in ejus Regiſt. lib. 2. cap. 40.

Defensor, eccleſiaſticum munus, Advocatus erat, qui juriſdictiones, & bona Eccleſiæ defendebat, atque pauperes patrocinabatur. FR. Qui duplicis generis erant, *Magnatum*, ſcilicet, & *Scholaſticorum*. Magnantes item erant, vel univerſalis Eccleſiæ, quos *Defenſores devotos* appellat Anaſtaſ. Biblioth. ut Imperatores, & Reges Catholici, qui in coronatione præſtabant juramentum in manibus Papæ, & devovebant futuros eſſe Eccleſiæ defenſores, ſic Francorum Regem S. R. E. Defenſorem Innocentius IV. declaravit. Odoricus Raynal. in Annal. ann. 1244.

Hi enim armis jura Eccleſiæ defendere vovebant: vel erat Eccleſiæ particularis, qui vir illuſtris, & potens eſſe debuerat, & etiam erat defenſor Synodorum, qui a Græcis ἔνδικος, ideſt, Juſtus dicebatur, & ab aliis *Syndicus*; hic ab Epiſcopo, Clero, & nobilibus civibus eligebatur, cujus idoneitates, & requiſita in C. Theod. l. Defenſores ita præcipimus, 8. C. de offic. & jurid. notantur, & habebat juriſdictionem in Regularibus in aliquibus caſibus, can. quoniam Monachi, can. Probi num. 16. qu. 1. & can. in ſingulis, diſt. 77. quorum primum S. Sebaſtianum fuiſſe refert Baron. an. 268. Scholaſtici autem Defenſores, qui non armis, ſed doctrina jura Eccleſiæ defendebant, quos Advocatos vocamus. Vide *Adminiculator*, *Conclamator*, *Protecdicus*. Defenſorem ſcholaſticum Oecumenius in Acta Apoſtolorum ἀγοραῖον, ideſt, fori proclamatorem vocat. Juſtinianus Imperator Advocatos etiam Defenſores appellavit, cujus hæc ſunt verba; [ Et ſancimus omnes appellationes, ſive per ſe, ſive per procuratorem, ſive per defenſores &c. 2. q. 6. can. Anteriorum. ] Ex his ſeptem a D. Gregorio pro ſeptem urbis regionibus conſtituti ſunt, quos nunc Advocatos Conſiſtoriales appellamus; tunc autem Revocatos Conſiſtoriales appellamus; tunc autem Regionarios Defenſores appellabant, ( temporibus enim iſtius Pontificis ſeptem tantum Urbis regiones exiſtebant ) in præſenti autem ad duodecim Sixtus Papa IV. auxit, cum differentia tamen præeminentiarum, ut habetur in tractatu Dominorum fratrum de Rubeis, cujus titulus eſt, *Defenſor redivivus*. Ubi de Collegii Advocatorum Conſiſtoralium origine, habitu tam privato, quam publico, de muneribus eorum in Conſiſtoriis Pontificiis, admiſſione, ac ordine ſedendi in Conciliis generalibus, de jure doctrinandi, ac tranſmittendi officium, & locum Advocationis ad liberos, & de advocatione pauperum, & fiſci, diſerte agitur, quorum ſuperioritatem ratione officii Bibliothecæ Archigymnaſii Almæ Urbis agnoſco; quorum omnium DD. Advocatorum Sac. Conſiſtorii tam deceſſorum, quam exiſtentium vitas pleno, ac erudito calamo exaravit Dom. meus Carolus Cartharius eorumdem Advocatorum Decanus, ſapientiæ decus, & Apoſtolici Archivi Adrianæ Arcis Præfectus. Erant etiam alii Scholaſtici Defenſores, qui ad Orbis Regiones a Pontificibus Romanis ad patrocinanda S. R. E. poſſeſſionum, & regonitionum jura debita, mittebantur, quod ex ejuſdem D. Gregorii epiſtolis non raro liquet; & hi, S. R. E. Subdiaconi etiam appellabantur. Vide *Subdiaconus*. De malis Advocatis Anacletus Papa inquit: [Dum humana lucra attendunt, æterna præmia perdunt, can. quia Epiſcopus, 5. q. 3.] Item Defenſores poſſunt fieri Clerici, can. in ſingulis, diſt. 77. Item Defenſor dicitur Exorciſta. Vide *Exorciſta*.

Defensoria, FR. defenſionis officium. Extrav. Joannis XXII. de major. & obedientia, cap. unico.

Deferculo, fercula de menſa aufero. [ Quid mirum dictum, menſa nunquam diſarmatur, nunquam deferculatur. In vita Sancti Othonis Epiſc. lib. 2. cap. 11.

Defloratio, ideſt, florilegium. Vide *Infloro*.

Defollio. ventilo; ſic de frumento, quod in areis ventilatione mundatur, Ambroſius inquit: [ Gementibus areis, dum cæditur meſſis, frumenta defolliunt, lib. de Viduis.

Deforcio. FR. cogo, violento. [ Si forte aliquis deforciaret Domino Regi rectitudinem ſuam; Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Archidiaconi debent eum juſtitiare, ut Regi ſatisfaciat.

Deformis. Vide *Infabricatus*, *Inſpeciatus*.

Defrænor, effrænor. [ Cumque venter reficitur, lingua defrænatur. D. Greg. lib. 1. in cap. 5. Job.

Defrondo. Vide *Capillo*.

Defructo, arborem fructibus ſpolio, & metaphorice fructum ſpiritualem ex lectionibus excerpere ſignificat: [ Quæſitum volumen invenio, produco, lectito, excerpo, maxima e magnis capita defructans, Sidon. lib. 9. epiſt. 9. ] FR. ſed *Defruſtans* habent correcti Codices, ideſt, fruſtratim colligo.

Defunctus. Vide *Miſſa defunctorum*. Defunctorum tituli. Vide *Bona memoria*. Pro defunctis colore rubro Græci in funeralibus utuntur. Vide *Saccus*. Dubium circa benedictionem incenſi, quo Defuncti incenſantur. Vide *Abſolutio*. Dubium in verbis Offertorii, quod in Miſſa Defunctorum recitatur. Vide *Offertorium*.

Degamia, & *Degamus*. Vide *Agamus*.

Degradatio. Vide *Exauctoratio*.

Degrado. FR. Dehonoro, quando, ſcilicet, ad laicam communionem Clericos exterminabant: [ Unde non oportet, ut degradetur, & dehonoretur unaquæque Provincia, can. ſcitote, 16. q. 3. can. Subdiaconus, 24. quæſt. 1. ] Dicebatur etiam *Exauctoratio*, *Depoſitio*, de quibus Baron. ann. 57. n. 22. & 23. Item *Dejectio*, *Damnatio*, can. ſexta actione, cum ſeq. 15. qu. 7. Item *Depoſitio*, & *Interdictio*, in decretal de Clerico excommunicato, depoſito, & interdicto per totum. Item *Excitari de preſbyterio*, ideſt, degradari. Vide *Presbyterium*. Hodie vero degradatio denudationem a ſacris ordinibus ſignificat, de qua can. ſi quis cum Clerico, 11. qu. 2. ubi ſic habetur: [ In criminalibus vero cauſis &c. Non autem aliter puniatur Clericus, niſi obnoxius repertus, ſacerdotio nudatus fuerit ab Epiſcopo ſuo, vel Clericatus honore ] & traditur brachio ſæculari, 5. decretal. tit. 40. cap. 27. Vide *Diſſecratus*, *Execratus*. Item de pœnis in ſex. Quomodo autem fiebat antiquitus. Vide *Orarium*.

Degradatio. Vide *Degrado*.

Degrandinor. FR. explodor, expellor. [ Et velut homicidæ in extremo examine a juſto judice degrandinabuntur, ( *ideſt expellentur* ) can. inter cætera, 22. qu. 4. ] Ubi Gloſſa extra ſenſum grandine pœnæ æternæ flagellari interpretatur: non enim in extremo judicio flagellabuntur damnatorum animæ pœ-

pœnis; ſed ad flagella, & pœnas damnabuntur, ubi a juſto judice expellentur.

DEGREGATUS; ſejunctus, ſegregatus. [ Quod degregata ob paſtum forte pecora, ſollicite veſtigarent, in Vita S. Genovefæ Virg. ] Vide *Demembrator*.

DEGUTTO, guttatim ſtillo. [ Verubus tranfixi, aſſati, deguttabantur ad ignem. Matth. Pariſ. in hiſt.

DEHABEO, careo, non habeo, [ Maxime ſi dehabent, & egentiores ſunt, Pallad. in lauſiaca, cap. 13.

DEJERO. FR. Juramentum Deo promiſſum frango, in tit. 14. c. 2. lib. 1. in 6. & ibi Gloſſ.

DEJEJUNATUS, qui jejunium fregit. [ Dejejunatum jam fratrem non vellet taberna ſuſcipere. In Reg. Magiſt.

DEIFER, ferens Deum, græcum epithetum Θεοφόρος, *Deifer Polycarpus*, & *Deifer Ignatius* a S. Dionyſio de eorum Martyrio loquente appellantur, quia Deum ferebant in corde. Ob eandem rationem, ut notat Maximus, *Deifer* appellatur, Angelicus Thronorum Ordo a prædicto S. Dionyſio ſequentibus verbis, nempe, [ Adverte etiam Sanctorum Thronorum ordinem, Deiferum dixiſſe. Vide *Theotocos*, *Chriſtotocos*,

DEIFICATIO, Vide *Apotheoſis*.

DEIFICUS, divinus; epithetum Sacræ Scripturæ ab Optato Milevit. tributum. [ Felicem autem Religioſum Epiſcopum liberum eſſe ab exuſtione inſtrumentorum deificorum manifeſtum eſt, lib. 1.

DEILOQUUS. FR. qui a Deo inſpiratus loquitur. [ Nullus Imperator potuit mediis vocibus ſuadere Deiloquis patribus, ut convenirent in ea, quæ ipſi ſectabantur. In Collat. S. Maximi Mart. a Sirmondo, in 8. edit. pag. 222.

DEIPARA. Vide *Theotocos*, *Chriſtotocos*.

DEIPHANTOR, vox ſemigræca. FR. Idem ac Deiloquus. [ Prævidens etiam vere Deiphantor Dionyſius non unam vocaverit hanc; ſed nova quadam Deivirilis nobis eum dixerit operatione verſatum. S. Anaſtaſius Monachus, in ejus epiſt. a Sirmondo in 8. edit. pag. 146. Hujus autem dictionis vera ac germana ſignificatio poſita eſt in dictione *Theophantor*. Vide ibi.

DEISONA, Divina Salvatoris noſtri lingua. [ Audierant enim ex Deiſona lingua; Qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt. Concil. Carthaginen. IV. can. 45.

DEIVIDUS, videns Deum. [ Deividos dicimus Miniſtros Eccleſiæ, quibus credita ſunt eloquia Dei, quibus dictum eſt: Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei; cæteris autem in parabolis. Petr. Bleſen. ſer. 18.] Idem Auctor duo genera Chriſtianorum dignoſcit, ſer. 8. inquiens: [ Eſt namque duplex genus hominum, Pediſſequum, & quoddam Deividum. Pediſſequum hominum genus eſt, qui Deum non poſſunt cognoſcere per intelligentiam ſcripturarum, ſed veſtigia ejus quoquomodo indagant; per viſibilia enim hujus mundi inviſibilia conſpiciunt Dei. Huic generi hominum prædicta non proponuntur; ſed Deivido, qui, ſcilicet, Deum videt per intelligentiam ſcripturarum.

DEIVIRILIS. FR. ſic appellata fuit a D. Dionyſio Areop. Chriſti perſonalitas. Vide *Deiphantor*, *Homeuſion*, *Homuncioniſtæ*, *Theandrica*, *Monothelita*.

* DELATOR. Chriſtiani Chriſtianorum Dalatores in Concilio *Illiberitano* ſic puniti c. 73. & 74. *Delator ſi quis extiterit fidelis, & per delationem ejus, aliquis fuerit proſcriptus & interfectus, placuit eum non niſi in fine accipere communionem*.

DELATURA, litis expenſa. [ Capitale, & delaturam reſtituat. In lege ſalica, tit. 10.

DELECTOR. Vide *Jucundor*.

DELEGATUS APOSTOLICUS, Reſponſalis dicebatur. [ Per eos, qui noſtri ſunt, vel fuerint in Urbe regia Reſponſales; ſi mediocris eſt quæſtio, cognoſcatur, can. Frater. 16. q. 1. ] Vide *Apocriſarius*.

DELIBERATIO, in quo differat a voto. Vide *Votum*.

DELIBRATUS, ſuſpenſus, & in ſtatera ponderatus. [Non novem menſium cruciatu delibratus. Tertull. lib. 4. contra Marc. cap. 11. ] Loquitur de infante in utero matris; inde mendoſe legitur *Deliberatus*, quæ correctio eruditiſſimi Latini Latinii eſt. FR. ut videre eſt in ejus Bibliotheca Sac. pag. 202. col. 2. n. 312. Hujus vocabuli Synonimum. Vide *Depenſus*.

DELICTOR, Delinquens, & enormis peccator. [ Porro autem etiam ſi graviſſimis delictoribus, & in Deum multum peccantibus, cum poſtea crediderint, remiſſio peccatorum datur. Cyprian. epiſt. 59.

DELICTUM, aliquando genus peccati penes eccleſiaſtiaos Scriptores ſignificat, quod ex oblivione, vel ignorantia committitur; ita intelligenda ſunt Apoſtoli verba ad Epheſ. cap. 2. ubi inquit: [ Et vos cum eſſetis mortui delictis, & peccatis veſtris ] Græca lectio habet παράπτωμα, quod rem per ignorantiam commiſſam ſignificat, ac Pſalmiſtæ verbis confirmatur, ubi ait, [ Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, Pſal. 68. ] ideo ſubjunxit ibidem: [ Deus tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea a te non ſunt abſcondita. ] Sic in præfatam Pauli Epiſtolam D. Hieronymus, Procopius, Ribera, Cornelius a Lapide, & alii exponunt. FR. In delicto non ſolum locus, tempus, quantitas, & qualitas conſideranda eſt; ſed etiam ætas, ſcientia, ſexus, atque conditio delinquentis, c. 6. lib. 5. tit. 12. decretal. Vide *Exceſſus Plagium*.

* DELICTA ATROCIA. Hoc nomine veniunt Crimen læſe Majeſtatis, rebellio, rapinæ homicidia, & id genus alia.

DELITIOSI PRINCIPIS. FR. Aulici, & familiares ejus, l. relatum de his, qui ſecreta Regis, &c.

DELOGNARIS. Vide *Drungarius*.

DELPHINUS. Ellychnium, lucernæ funiculus. [ Fecit pharum unum cum decem delphinis. Anaſt. ] Et alibi idem. [ Fecit coronam cum delphinis quatuor oleo ardentibus.

**Demembrator**. FR. qui conatur a ſubjectione ſe eximere; hinc Ivo Carnotenſis de quodam ſuffraganeo, qui conabatur a juriſdictione ſui Metropolitæ liberari, inquit: [ Hunc injuriæ meæ gravamen ſuperaddidit, quod demembratorem Metropolitanæ Sedis non apte ſatis appellat, epiſt. 8. ] Et inferius ibidem. Me non ad demembrationem, ſed ad ſupplendum locum demortui. ] Vide *Degregatus*.

**Denarialis Homo**. FR. ſervus factus liber a Rege mediante pecunia, i. homo denarialis. De manumis. Dicitur etiam *Denariatus*, & *Denariarius*.

**Denarius**. Quænam differentia ſit inter denarium, & pecuniam. Vide *Peculium*. De variis denariorum ſpeciebus. Vide *Moneta*.

**Dendrophorus**, δενδροφόρος, faber lignarius, ſeu lignifer, vel potius arboriferus, & interdum ſylva intelligitur, ex eo quia arborum ferax eſt.

**Denoto**, inculpo. [ Si & ſpiritum quis agnoverit, & audiet, & fugitivos denotantem. Tertull. de fuga. in perſec. c. 11.

**Denso**. Vide *Tecta denſare*.

**Deo Gratias**, ſalutatio inter fideles jam pridem uſitata; ſed hodie inter Religioſos ſolum, & in ſacris officiis remanſit. De laudato hoc antiquorum Chriſtianorum uſu a Donatiſtis deriſo ſic D. Auguſt. in Pſal. 132. ſcripſerat: [ Hi, ſcilicet, Donatiſtæ inſultare nobis audient, quia fratres, cum vident homines, Deo gratias dicant. Quid eſt, inquiunt, Deo gratias? Ita ne ſurdus es, ut neſcias, quid ſit Deo gratias? Qui dicit Deo gratias, agit gratias Deo. Vide ſi non debet frater Deo gratias agere, quando videt fratrem ſuum: non enim eſt locus gratulationis, quando ſe invicem vident, qui habitant in Chriſto, & tamen vos Deo gratias noſtrum ridetis.] Ideo in opprobrium hujuſmodi irridentium, ad Miſſæ præfationem appoſita ſunt verba illa, ] Gratias agamus Domino Deo noſtro, ] & populus reſpondet, [ Dignum & juſtum eſt, ] atque Sacerdos reaſſumens, ait; ] Vere dignum, & juſtum eſt, æquum, & ſalutare nos tibi ſemper, & ubique gratias agere. ] Semper, nimirum, in omni loco, & occaſione Deo gratias proferre debemus. Inſuper in Africa multi Catholici ex hac cauſa *Deo gratias* appellari maluere. Vide D. Auguſtinum ad *Deo gratias* ſcribentem. Eccleſia vero hac cæremonia utitur in fine ſacrarum lectionum ad agendas Deo gratias pro ſpirituali paſculo in eis capto, quod in fine quintæ lectionis in Miſſa Quatuor temporum ſiletur, ne ſenſus ſubſequens interrumpatur: ita etiam ad mœſtitiæ ſignum in lectionibus officii defunctorum, & in triduo hebdomadis majoris non dicitur. In ultimo Miſſæ Evangelio ſemper profertur, quod Apoſtolorum prædicationem uſque ad extremum terræ ſignificat; primum enim Evangelium Redemptoris prædicationem denotat. Antiquitus in Miſſæ lectionibus alicujus Apoſtoli dicebatur, *Pax tecum*, D. Auguſt. epiſt. 163. quod adhuc Græci obſervant, ſemper enim lectionem novi Teſtamenti dicunt in Miſſa, qua a lectore peracta, Sacerdos reſpondere ſolet Εἰρήνη σοι.

**Deosophus**. FR. Theologus. [ Una cum concertatore ſuo, & vere Philoſopho, imo Deoſopho, magnoque commartyre Chriſti veri Dei, & Salvatoris Maximo &c. In Hypomnes, ad collect. Anaſtaſii Bibl. a Sirmondo in 8. edit. pag. 252. ] Vide *Theologus*.

**Depallo**, pallium depono. [ Re vera enim quale eſt græcatim depallari. Tertull. de pall. c. 4. ] Ubi notandum, quod ſuo more argute Tertull. græcatim idem, ac græco modo intelligit; nam inferius ſubjungit: [ Nisi aurum græcatos minime decet; ] idelt græco more, & [ Crepidas græcatas ] pro græcas etiam dixi.

**Depalo**, propalo, manifeſto. [ Virtutum ſuarum oſtenta depalavit. In vita S. Germani. ] Verbum a Tertulliano frequentatum, qui contra Hermog. cap. 19. ait: [ Siquidem omnia opera ſua Deus ordine confirmavit, incultis primo elementis depalans quodammodo mundum. Idem lib. 5. contra Marcionem, [ Depalatorem diſciplinæ divinæ, ] D. Paulum appellavit.

**Depanatus**. Vide *Drappus*.

**Depectio**. FR. pactum. [ Ut ſi citra depectionem id fiat, Cod. Theod. lid. 4. tit. 37. ] Differt autem pactum a tranſactione; nam tranſactio eſt pactio non gratuita. Gloſſa in rubrica, in cap. 4. de pactis effert hos verſus.

Incerta de re tranſactio dicitur eſſe;
Sed fiant certa pacta favore rei.

Vide *Tranſactio*.

**Depensus**. FR. ponderoſus. [ Et ideo dilecte fili depenſæ ſalutationis affatu ſupradictos Clericos tibi commendo, can. Chriſtianis, 11. qu. 1. ] Vide *Delibratus*.

**Depersonatus**, dehonoratus, ex perſonalitate degradatus. [ Non es depreſonatus mihi miniſtrando, cum ſis filius comitis, ego Regis, & Reginæ. Matth. Paris in hiſt. ] Dicere, nempe, voluit, quod non ideo exinaniverat ſuam perſonam ille, licet filius comitis eſſet, dum Regis filio ſerviebat.

**Deplico**, explico, enodo. [ Cujus pedes tanta erant contractione natibus complicati, ut nulla inde poſſent arte deplicari. In vita S. Genovefæ Virg. §. 30.

**Deponor**. Vide *Periclitor*.

**Depositarius**. Vide *Intertius*.

**Depositatio**. Vide *Intertio*.

**Depositum**. FR. idelt, mutuatum, ſæpe in ſac. can. atque etiam apud ethnicos Scriptores: ſic etiam de Chriſtianis Plinius Secund. lib. 10. epiſt. 100. Trajano ſcripſerat: [ Seque ſacramento, non in ſcelus aliquod obſtringere; ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati denegarent.

**Deprecio**, in contemptum habeo. [ Sic & Epicurus omnem cruciatum, doloremque depreciat Tertull. in Apolog. c. 45. Amant, quos multant; depreciant, quos

quos probant. Idem de Spect. c. 22. Hanc fidei cautionem mens teneat, conſervet memoria, ne divinitatis pretioſum munus depreciet charta vilis, ne myſterium lucis aurum tenebret atramentum, S. Petrus Chryſolog. ſer. 59. ] Ubi de vita æterna fidelibus promiſſa loquitur.

Depreciatus, deſpectus, ſpretus, & in vili pretio habitus.

Depressus, reſplendens. Vide *Catacliſtus*.

Deputatus, ex Latino Græci Δεπουτάτος, dixere: officialis erat in Conſtantinop. Eccleſia, ad quem pertinebat cum luminibus accenſis Evangelium aſſociare, ac ſacra dona quando ad Altare proceſſionaliter deferebantur; quæ cæremonia a Græcis *Magnus introitus* dicitur. Induebatur deputatus manto ſimili Epiſcopali, ſed abſque virgatis coloribus, ſeu fluminibus, & hoc officium exercebat Græcus Imperator in die coronationis ejus cum maxima circumſtantium ædificatione, tempore, nimirum, proceſſionis induebatur hoc manto ſuper pretioſum ſaccum, præcedebat coronatus, gerenſque ſacra dona ſuper caput, in manu autem dextera crucem, & ſiniſtra ferulam Νάρθηξ appellatam, de qua vide *Narthex*. Antiquitus vero in Eccleſia græca Deputatus erat officium ordinis minoris, ideſt, Acoliti, de qua ordinatione Simeon Theſſalonicenſis in Dialog. de Myſter. Eccl. Antiqua Ritualia, & Petrus Arcud. lib. 5. concord. c. 9. ſcripſere. Erat etiam hoc officium laicale, & in exercitu Deputatus debiles, & vulneratos reſtaurabat, equites e ſella delapſos iterum reponebat, & ideo ad liberandos milites a periculis in dorſo ſui equi ad ſellæ lævam ferebat exiguam ſchalulam. Itaque in exercitu hoc fine multi Deputati numerabantur.

Deputatus In Poenitentiam; pro eo, cui pœnitentia impoſita fuit. [ Inſinuatum nobis eſt Marcellum Barbicanæ Eccleſiæ, ibidem in Panormitana Civitate, in Monaſterio S. Hadriani in pœnitentiam deputatum, nec ſolum victus nec eſſitatem pati, ſed & nuditatis nimiam ſuſtinere moleſtiam. S. Greg. lib. 4. epiſt. 8.

Derectarius. FR. Latro, qui a Juriſtis etiam *Apertularius*, ideſt, fractor dicitur.

Derelicta. Vide *Paralipomenon*.

Derobo, furor: ex gallico *Deſroben*. [ Orphanorum, viduarum, & aliorum miſerabilium perſonarum, quæ deprædatæ, & derobatæ, famiſque ſubjectæ anguſtiæ clamant ad Dominum. Clemens Papa VI. in epiſt. ad Edoardum III. Angliæ Regem.

Derogator, calumniator. [ Quia tantus eſt livor derogatorum, ut materia, quam mittis, velocius fortiatur inchoata probrum; quam terminata ſuffragium. Sidon. Lib. 6. epiſt. 2. De cæteris vero ſtudii noſtri derogatoribus, quid ex aſſe pronunciem, nec dum deliberavi. Idem, lib. 3. c. 14. ] FR. *Derogator* inveſtigatorem etiam ſignificare videtur, a verbo *Derogo*, quod interrogo, & inveſtigo ſonat. [ Quis taliter commentatitiis laudibus locupletavit fama dominum actuum ſuorum veritate mendacium? Non derogo vobis de Scriptoribus, ( *ideſt, non interrogo* ) quorum beneficio contigit ornata ad nos majorum geſta perduci. Ennod. Ticinen. Epiſc. in Apologet.

Derogo, pro interrogo. Vide *Derogator*.

Desagmor. Vide *Diſagmo*.

Descriptio. Vide *Diagraphum*.

*Descriptio Animarum. Genus tributi, a quo *Sidonius Appollinaris* ut liberaretur *Majoriano* Imperatori ſupplex cecinit carm. 13. ad Majoranum.

Desertum. Vide *Eremus*.

Desertor. FR. qui deſerit, inter Eccleſiaſticos tamen Scriptores pro eo, qui fidem deſerit, accipitur, ideſt, *Apoſtata. [ Cum errorem corrigo deſertoris, can. quemadmodum 23. qu. 7. ] ibi Gloſſa ait: [Cum deſertore ſtrictius agitur, quam cum hæretico, ut dicitur in ſumma; deſertor enim in jure civili dicitur, qui diu vagatus, reducitur: ff. de re militari, leg. 3. §. 2.

Desfoederatus. FR. fœdere ſolutus. [ Reconciliati ſunt cum Duce Spoletano, non desfœderati. Heremperti Epitome, ann. 878.

Designator. FR. In l. Athletas, in principio, ff. de his, qui not. infam. ſignificat illum, qui decernit, ac diſponit loca ſedentium, quem Cotta in ſuo Mem. verbo *Deſignatores*, ait, hodie vocari Cæremoniarum Magiſtrum.

Desipio, altero, corrumpo. [ Fermentum modicum deſipit totam conſperſionem. Tertull. lib. de Pall. cap. 3. ] ad Apoſtoli verba alludens, qui ait: [ Modicum fermentum totam maſſam corrumpit, 1. Corinth. c. 5. & ad Galat. cap. 5. ] Ergo *Deſipit*, pro *Corrumpit* Tertullianus poſuit.

Desitudo; FR. deſidia, otioſitas. [ Si quid ex his ſtudiis olim fortaſſe libaſſem, totum deſitudine tanti temporis perdidiſſem. Sulpitius in præfat. ad Vitam S. Martini.

Desocio, diſſocio, disjungo, ſeparo. [ Cum enim imprudens ille, & impudens Lucifer ſe a Deo, & ſocialibus deſociaret Angelis; ipſi in ſocietate perſtiterunt in manſuetudine ſua roborati. Petrus Bleſenſis. Ser. 33.

Despicio. Vide *Superhabeo*.

Desplendesco, denigror, ſplendorem perdo. [ Qua deſplendeſcat nitor cordis veſtri, S. Paulin. epiſt. 26. ad Aprum.

Despotes, Δεσπότης, Dignitas conſpicua, & abſoluta auctoritas in Græcorum Imperio, de qua varii varie expoſuere; ideo mihi hic bene viſum eſt pro Eruditorum ſatisfactione, quicquid de ea Cardinalis quondam de Aragonia Joannes Laſcaris retulerat, afferre, quod inter Manuſcripta Eruditiſſimi Latini Latinii Viterbienſis inveni, quæ relatio infra habetur.

# DE NOMINE, AC DIGNITATE DESPOTÆ.

## *A D*

## CARDINALEM ARAGONIÆ.

ILLUSTRISS. DOMINE. Ut referam quod ſentio de nomine *Deſpota*, ac dignitate, prout mihi Summi Pontificis nomine injunxiſti. Ajo *Deſpota* appellatione ſignificari dignitatem æqualem regiæ, proximam Imperatoriæ. Loquor autem de uſu nominis, florente adhuc Imperio, atque ad ætatem uſque noſtram; quoniam apud antiquiſſimos, & in vetere illa Græcia, ut ex priſcorum ſcriptis cognoſcere licet, Deſpotes erat, quem herum dixere Latini, itidem antiqui. Etymologia autem vera, inque loquendi ratione differunt hæc vocabula inter ſe, quia herus quaſi heros eſt: Deſpotes metus auctorem indicat, ſive metu factum, ob reverentiam, ſcilicet, quæ debetur heris, atque juxta illud *Primus in orbe Deos fecit timor*; quandoquidem Deus quaſi Δέος; ſed vetus illa linguæ proprietas in antiquorum libris, quibus pepercit vetuſtas, ſervatur intemerata. Lingua vernacula, quod palam eſt omnibus, jamdiu adeo degeneravit ab antiqua, ut veterum ſermo penitus faciem mutaſſe videatur. Quamobrem, ut cætera fere omnia vocabula corrupta ſunt dominantia, admiſſis frequenter exteris, omiſſis veteribus, ſuggeſtiſque novis; ita quoque horum nominum alterum ab uſu linguæ vernaculæ abiit, præſertim in Italia, niſi forte *Miſſere* pro mi here dici aſſeveres, ut corruptum ſit tantum. Alterum ſi omnino mutatum non ſit; attamen ſignificatione auctum videmus, quando herili conditione, aut ſtatu Majeſtas regia longe major, longeque ſublimior, ſucceſſitque in locum heri nominis apud Italos, aut ſupradictum, aut aliud hujuſmodi vulgo notum, quod ſervitori, ſervo, inquam, famuloque reſpondeat; apud Græcos Δεσπότης, quod antiquitus quandoque dominum ſignificabat olim, qui ſibi ipſe mortem conſciviſſet. Sic uſus etiam in artificioſa, doctaque locutione variat dictiones, mutatque ſignificata. Tyrannus antiquis Rex erat: *Dexteram tetigiſſe Tyranni*; poſteris inviſum nomen. Hoſtis, Hoſpes, *Atque hoſtem ſupplex aſſere ſuperbum*; poſtmodum inimicus, pluraque alia ejuſmodi uſui inſerviunt, ut recte admodum Horatius enunciavit:

> Multa renaſcentur, quæ jam cecidere, cadentque
> Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet uſus,
> Quem penes arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi.

Si igitur penes uſum eſt loquendi arbitrium, nemini mirum videri debet Deſpotæ appellationem olim herum ac dominum ſignificaſſe, nunc dignitate regia inſignitum. Verumtamen dicet aliquis, Rex apud Græcos Βασιλεὺς appellatur, prout veterum indicant monimenta. Reges Medorum, Perſarum, Lacedæmoniorum, Macedonum, Romanorum, quicumque Reges apud Latinos dicti ſunt; paſſim apud Græcos Βασιλεῖς appellatos; hoc proculdubio verum eſt; nam qui Latinis, cæteriſque ad Occidentem vergentibus peculiari nomine Rex, is Græcis erat Βασιλεὺς; ſed poſteaquam Imperatores Græciam frequentarunt, ex quo etiam Græci omnes, Romani cœpimus vocari, ſicuti propalam Imperatori Βασιλεὺς nomen eſt attributum; ita procedente tempore regiæ dignitati in Græcia, poteſtatique Deſpotes nomen eſt inditum; ſiquidem quemadmodum in his regionibus Reges poſt Imperatorem, cæteros Principes antecellunt: ſic in Græcia Δεσπόται poſt unum Βασιλέα, cæteris omnibus præferuntur. Unde Cæſares Σεβαστοκράτορες alias ab Auguſto nuncupati, ad majorem dignitatem evecti Deſpotæ vocabantur, quando & qui primus ex Palæologorum familia Imperium occupavit, Joannem fratrem, quum is in bella adverſus Ætoliæ, ſeu Acarnaniæ Deſpotas ſtrenue ſe geſſiſſet, ex Auguſto Deſpotem fecit, ne inferiorem dignitate ducibus hoſtium opponeret Ducem; ratus optime dictum ad deſtruendum Regem, Rege altero opus eſſe; creatique Deſpotæ nonnullis aliis honoribus, & ornatu quodam prodibant inſigniti, cæteris omnibus interdicto, etiam Principibus quibuſcumque infra dignitatem Deſpotæ conſtitutis: imprimiſque Imperatorum filii hoc nomine, inſignibuſque ejuſmodi ornabantur, neque hi quidem tantum, verum & ſi quos alios Principes etiam extraneos, inito cum eis fœdere, aut affinitate contracta, ejuſmodi titulo, honoreque dignatus eſſet Imperator, quemadmodum & Serbiæ, ideſt, Triballorum Exarchæ Deſpotas. Atque rurſus objicere poſſet aliquis, ſcire ſe Imperatorem αὐτοκράτορα a Græcis appellari ſolitum, & hoc frequens eſſe in Græcorum libris; neque ego jam quidem negaverim; imo etiam ἡγεμὼν a quibuſdam antiquioribus dicitur; ſed hæc quoque nomina non abſque ratione quapiam idem uſus mutavit, variavitque; etenim quemadmodum antiquitus Imperator dicebatur, tam Conſul, educto exercitu, quam quivis alius, cui ſumma rerum delegata eſſet; Princeps vero, qui inſignem aliquam victoriam adeptus eſſet, ut L. Lucullus, aliique illuſtres eadem fere tempeſtate Imperatores ab exercitibus appellati, poſtea Romanorum Monarchæ. Demum qui in his regionibus poteſtatis ejus, decoriſque utcumque participes facti ſunt, ea, ſcilicet, conditione, ut iidem ſubmovendorum Eccleſiæ hoſtium curam ſuſciperent, tutandiſque, & promovendis Chriſtianæ Reipublicæ finibus operam impenderent: quemadmodum, inquam, hoc in nomine apud Latinos contigit; ſic a Græcis Romanorum Imperatores primum ἡγεμόνες, ductores, videlicet, dicti ſunt, quippe qui exercitus ducerent, deinde αὐτοκράτορες. quoniam

niam πρέσβεις, αὐτοκράτορες, & στρατηγοὶ apud Athenienſes, reliquoſque Græcos dicebantur quicunque Duces, Legative cum ſumma poteſtate belli, pacisque a Civitatibus mitterentur; denique Βασιλεῦς, poteſtate ſiquidem populi penitus ſublata; illud nomen, ut conjectare licet, quantumvis Regem referat, non fuit amplius inviſum, in noſtris præſertim regionibus, hominum auribus haud inſuetum, quando Βασιλεὺς, quam αὐτοκράτωρ, non ſolum eſt auditu jucundius nomen, ſuaviuſque propter elementorum lenitatem, quibus conſtat, eorumque invicem compoſitionem, ſed etiam ob etymologiam longe præſtantius, excellentiuſque; etenim αὐτοκράτωρ nihil præterea innuit, quam ipſe poteſtatem habet injuncti ſibi negotii; Βασιλεὺς baſim præſefert, firmamentumque, ubi tuto conſiſtant ſubditi, firmetque populus ſua vota; nihilque præterea nomen hoc aſperitatis habet; atque idcirco ſummam in omnes ſubditos poteſtatem habentibus eſt conceſsum. Quandoquidem & γαληνοτάτους dum alloquerentur, ideſt, tranquilliſſimos, ſereniſſimoſque Imperatores tam Græci, quam Romani appellabant; eos, videlicet, admonentes quotieſcunque conveniſsent, quietem, traquillitatemque animi in univerſos imperium habentibus in primis convenire, eamque ante omnia expeti ab ipſius, exigique tanquam præter cætera populis, & civibus ſalutarem. Ob hæc igitur, quantum conjectura aſsequi poſsum, Imperator apud noſtros Βασιλεύς nomine fuit inſignitus. Romæ autem, atque in his regionibus idipſum nomen remanſit, neque unquam amplius immutatum eſt, prælatum regio dumtaxat. Redeo ad Deſpotem. Deſpotes, ut dictum eſt*, herum olim ſignificabat, dominumque; nunc regia dignitate inſignitum. Quantiſque fieret hujus nominis dignitas, quodque haud quaquam regia minor eſset, inde etiam percipere poſsumus. Quippe, Deſpotem alloquentes, tam alii Principes, quam cujuſcumque conditionis homines, reverentiſſimeque eum appellantes, non ſecus atque Imperatorem ἡ Βασιλεία σου, quaſi imperium, ſive regnum tuum dicebant; ſicuti in occidente tam Regem, quam Imperatorem convenientes frequenter iterant Majeſtas tua, ut æque proxima dignitas appareat Βασιλεῖ Δεσπότης, atque Imperatori Rex, pariterque vocabulum ſignificato reſpondeat. Præterea Imperatori Deſpotem quodammodo æqualem haberi cupientes, uxorem ejus de induſtria ab Imperatoris nomine Βασίλισσαν appellabant, Imperatoris vero uxorem a Deſpote Δέσποιναν, quatuorque perſonas in ſumma dignitate conſtitutas binis invicem nominibus adeo inſignibus, alternatim inditis æqualiter nuncupantes, identidem celebrant. Quod autem ad poteſtatem, atque imperium Deſpotarum attinet, Deſpotarum regna in Græcia duo erant; alterum Peloponneſus, quæ nunc Morea dicitur, & alias Apia ob frequentiam id genus arborum dicta eſt: hoc quidem a filio, fratreve Imperatoris poſſeſſum, licet fractis poſtmodum rebus noſtris, labente jam imperio, contractoque undecunque a duobus Deſpotis Imperatoribus fratribus Peloponneſus, eadem noviſſime teneretur: alterum autem Ætoliæ pariter, & Acarnaniæ, adjectis inſulis etiam adjacentibus, inter quas præcipuæ Leucas, Cephalonia, Ithaca, Zacynthuſque, hoc ipſum etiam Arethæ dictum, quia Aretha urbs Aretho fluvio adjacens antiquitus, ni fallor, Argoe, Amphilochicum Acarnaniæ Metropolis habebatur, atque hæc regio late patens, quemadmodum vulgo ducatus a Ducis, regnum a Regis nomine, ita Deſpotatus a Deſpote in hunc uſque diem peculiari nomine nuncupatur. Tertium extra Græciam Serbiæ, Triballorum, nimirum, provinciæ, cujus quoque Deſpotes potentia, regniſque opulentia clarus fuit. Hæc habui, quæ ad nomen Deſpotæ, ac dignitatem pertinentia dicere partim a majoribus meis accepta, partim in opuſculis perlecta, ubi dignitates, Magiſtratuſque Imperatoris Curiæ deſcribuntur, partim a noſtris in recentioribus hiſtoriis excerpta, præterquam de quibus per conjecturas diſſerui: Hiſtorici ſunt Chomates, Gregoras, Pachimeres, Acropolites, Chriſtodolus, & noviſſime omnium Chalcondyles. Horum ego teſtimoniis, ut brevitati conſuleretur, abſtinui; ſed exemplaria omnia & habeo, & proferre poſſum, De Acarnaniæ Deſpote, ſeu Arethæ paterno genere, maternoque a prædictis Deſpotis omnibus propemodum deducto, nec Imperatorum agnitione diverſo, quod magis notum eſt aliis ex noſtris, qui grandiores natu in Urbe degunt, tacere ſatius duxi; ſi tamen res exigat, de eo etiam, quæ pro compertis habeo, dicere non recuſo. *Joannes Laſcaris Rhyndacenus Patricius Conſtantinopolitanus*. Vide *Tufa*.

Destina, ſuſtentaculum, fulcimentum. [Parieti inclinato, & maceriæ impulſæ non neglexit Doctor egregius conſolationis deſtinam, Chriſto in ſe loquente, ſupponere. Fulgen. epiſt. 1. de conjug. deb.

Desusceptum, cautio, apoca. [Aliud facere deſuſceptum te convenit, in quo tua fraternitas fateatur, quia deſuſceptum de eiſdem rebus in ſcrinio noſtro emiſerat. S. Greg. in Regiſt. lib. 2. cap. 88.] Exegerat Pontifex duplicatam apocam, quam ibidem *Suſceptum* etiam appellat. Vide *Suſceptum*. *Teſtamenti pagina*.

Despina, & *Deſpinicus*. Vide *Domeſticus*.

Detrecto. FR. contradico, vel contemno. Gloſſ. in can. pudenda, §. detrectat. 24. quæſt. 1.

Determino. Vide *Sedeo*.

Detriumpho, triumpho. [Hi ergo Principes crucifixerunt Dominum, quos detriumphavit libere in ſemetipſo. Ambroſ. in prima epiſt. ad Romanos cap. 5.

Devestio. FR. Spolio, privo, l. 4. de beneficiis, & Bullar. Caſin. tom. 2. conſtit. 62. 64. 65. 68. 77. & alibi.

Devirginata, FR. puella vitiata. D. Hieron. de monogam. epiſt. 25.

De-

DEVOTA, Monialis. [ Mitra eſt pileum phrygium, quale eſt ornamentum capitis Devotarum.] Iſidor. lib. 19. Orig. cap. 31. Devotam peccantem non recipiendam in Eccleſiam. Concil. Tolet. 1. can. 16. ] de Mitrellis Monialium. Vide *Mitra*. *Velum*. Synonyma Devotæ. Vide *Agapæ ſorores*. *Antiphona*. *Monialis*.

DEVOTAMENTUM, vocabulum, quod in bonum, & in malum ſenſum accipitur; aliquando enim rem Deo dicatam, & e converſo execrandam ſignificat, ut de dictione *Anathema* dictum fuit, quia ſicut rem Deo dicatam, non eſt fas tangere; ita etiam rem interdictam. [ Ut interficerentur omnes incolentes eam, & devotamenta fierent univerſa ejus. Tertull. Scorp. cap. 3.

DEUS, caret nomine. Vide *Atheus*. Non fallit, neque fallitur. Vide *Eccleſia*. Ejus attributa. Vide *Opera*.

DEUS IN ADJUTORIUM. Vide *Horæ Canonicæ*. Non dicebatur ad Veſperas tempore paſchali. Vide *Veſperæ*. Non dici debent in Veſperis Sabbati Sancti, etiam ſi recitentur Veſperæ extra Chorum. Vide *Veſpera*.

DEUTERIARIUS, Abbatis, ſeu Archimandritæ Vicarius; officium inter Monachos conſiderabile: ex græco Δεύτερος, quod ſecundarium ſignificat, ideſt poſt Abbatem ſecundum. Vide *Secundarius*.

DEUTEROSIS. Vide *Phariſæus*.

DEUTERONOMIUM, ex græco Δευτερονόμιον, ideſt, ſecunda lex, eſt unus ex libris Pentateuchi. Dicitur *Secunda lex*, quia in eo Levitici præcepta replicantur. Dubitatur, an a Moyſe ſcriptum fuerit; quia in ultimo ejus capite de ejuſdem Legislatoris morte fit mentio; ideo multi Expoſitores ab Eleazaro, ſeu Joſue compoſitum fuiſſe exiſtimant; ſed Joſeph Hebræus eundem Moyſen Auctorem facit, propriam mortem prophetizantem, inquiens: [ Moyſes in ſacris voluminibus ſcripſit ſe mortuum; veritus, ne propter excellentem ejus virtutem a Deo raptus prædicaretur, lib. 4. Antiq. ult.

DEXTERA; aliquando meridionalem plagam ſignificat; homo enim ad orientem aſpiciens, dextera ejus ad meridiem collocatur: hinc ubi in Pſalmo 88. vulgata habet: *Aquilonem, & mare tu creaſti*; Hieronymus vertit: *Aquilonem, & dexterum*. Alii vero legunt: *Aquilonem, & meridiem*. FR. auxilium nonnunquam denotat *Dextera*, ita Nicolaus Papa III. alias IV. in cap. 17. de elect. & electi poteſt in ſexto, de SS. Petro & Paulo loquens, ait: [ In Petri conſtaret firmitate: cui Salvatoris noſtri miranda proviſio B. Paulum in Apoſtolatum genitum per dexteram ſocietatis adjunxit. ] Ibi Gloſſa per *Dexteram* pacem fidem, & concordiam intelligit; ſed proprie hic auxilium, & aſſociationem ſignificat; ſic idem Apoſtolus ad Galatas, cap. 2. ſcripſerat: [ Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis &c. ] De dexteræ, & ſiniſtræ collocatione eorumdem Principum Apoſtolorum. Vide *Bulla*. Ubi alio ratio addi poſſet, quod cum Petrus haberet ſpiritum lenitatis, & ideo ad partem cordis, ideſt, ſiniſtram ponitur; at Paulus propter ferventem, ac rigoroſum ſpiritum, ad dexteram, utpote vigoroſiorem, collocatur. Vide *Diſtrictio*. Item in 3. Reg. cap. 7. num. 21. habetur, quod Salomon Rex: [ Statuit duas columnas in porticu Templi; cumque ſtatuiſſet columnam dexteram, vocavit eam nomine Jachin: ſimiliter erexit columnam ſecundam, & vocavit nomen ejus Booz. ] Quod ibidem ſic interpretatur Dionyſius Carthuſ. art. 12. [ Dexteram columnam vocavit Jachin, quod interpretatur firmitas; & ſiniſtram Booz; quod interpretatur robur, & fortitudo.

DEXTRARIUS, militis auxiliarii equus, hinc italice *Deſtriero* dicitur equus. [ Omnia ſua arma valde decentia cum tribus dextrariis per eundem Paganum Norandino miſit. Cæſar. lib. 4. cap. 15. Multitudo ſtabat dextrariorum ſellas deauratas, frœnaque aurea habentium. Idem, lib. 6. cap. ult.

DEXTRO, aſſocio; ſic in antiquis M. SS. Cæremonialibus, in quibus *Addextero*, & *Addexteratores* Pontificis legitur. Vide *Addextro*.

DIABAMBYLUM. Vide *Monobambylum*.

DIABOLUS, ex Græco διάβολος, ideſt, calumniator, deceptor, proditor. Didymus in epiſt. Joannis c. 3. Hinc Nonnus, cap. 6. διάβολον νέον, ideſt, *Diabolum novum* Judam appellavit, ex eo quia ejus dilectiſſimi Magiſtri proditor fuerat. D. Bernardus ſuper illa verba, [ Ecce nos reliquimus omnia &c.] ait, quod Diaboli nomen eſt compoſitum a dictionibus græcis δία, quæ in compoſitione divinitatem ſignificat, & βολίς, ideſt, haſta, ſic inquiens: [ A duobus itaque bolis Diabolus dicitur. ] Vide *Dæmon*. *Zabulus*.

DIACÆNISIMUS. FR. græca vox διακαινισμός, [ Feria quinta hebdomadis, quam a renovatione Diacæniſimum vocitant, recepit ſe Patriarcha cum Epiſcopis, & reliquis Eccleſiæ primoribus inſuper & cum Archimandritis, & monaſteriorum Præfectis ad Palatium. Mutat igitur Patriarcha veſtes, & ad Imperatorem venit ſtantem in throno ſuo. Proceres Aulici tunc non adſunt, neque circumſtant; ſed eorum locum ſupplent Epiſcopi, ut diximus, & Eccleſiæ primores cum aliis, de quibus jam dictum eſt. Incenſat, ſeu thurificat, ſuffitu honorat Patriarcha Imperatorem: deinde tradit thuribulum Archidiacono. Ipſe vero accedens benedicit, & oſculatur Imperatorem in ore; eodemque modo fert ipſe oſculum ab Imperatore. Poſtea Patriarcha ſtat vicinus Imperatori. Epiſcopi porro duo ſimul accedentes oſculantur & ipſi Imperatorem: primum quidem manum, deinde genam. Poſtea idem faciunt omnes Eccleſiæ Proceres, Archimandritæ etiam, & Monaſteriorum Præfecti: quibus peractis, Patriarcha precationem ſacram ſuperaddens, diſcedit. Imperator ſuum in Conclave ſe confert. Codinus Curopalata de Off. Conſtantinop. c. 14. ] Quare Junius in ſuis notis hanc *Diacæniſi-*

*niſimi* hebdomadam putat eſſe Rogationum, quia macerationis hebdomada interpretatur; nam *διακαινήσιμον* legit: ſed fallitur primo; nam omnes Rituales Græcorum *διακαινήσιμος* habent, ut ſupra ex Curopalata: ſecundo ex Gretſerii commentariis in eumdem Codinum ſatis apparet hoc vocabulum hebdomadam poſt Paſcha ſignificare; ſic ille, lib. 3. commentar. cap. 9. in cap. 14. Cod. inquit: [ Hebdomadas *διακαινήσιμος*, eſt tota hebdomada Paſchalis, quæ feſtum Paſchæ proxime ſequitur, & qua Reſurrectio Domini ſolemni cæremonia celebratur, id oſtendo primum teſtimonio Maximi Margunii Epiſcopi græci, qui conſultus, quidnam hoc vocabulo ſignificetur; reſpondit his verbis; ſignificatur hoc nomine apud nos prima hebdomada feſti Reſurrectionis Salvatoris noſtri. ] Vide catalogum Bibliothecæ Aug. ab Hœſchelio editum. Quod confirmatur ulterius ex Typico S. Sabæ. cap. 4. ubi habetur: [Forma modi ſanctæ, & magnæ Dominicæ Paſchæ, & hebdomadis diacæniſimæ. ] Hinc error Junii nedum ex prædictis fit evidentior; ſed etiam, quia nullibi conſtat Græcos ſolitos fuiſſe unquam Rogationes celebrare, nec in hebdomada Paſchæ jejunare, imo diebus mercurii, & veneris in ea hebdomada occurrentibus veſcuntur carnibus, ut Balſamon in can. 69. Apoſt. teſtatur, qui etiam addit ibi. [Hebdomadas Diacæniſimi tamquam ipſe magnus dominicus dies reputatur.

Diacatochus. FR. græca vox *διακάτοχος*, Roſſorem bonorum ſignificans [De Diacatochis, quoſdam comperimus, ita fiſcales laceraſſe actiones. Cod. Theodoſ. lib. 10. tit. 16. ] Vide *Poſſeſſor*.

Diacona, Diaconiſſa, [ Delegoque Benedictæ filiæ Hilariæ Diaconæ ancillam nomine Nocam &c. S. Remigius Rhemenſis Epiſcopus in ejus teſtamento. ] Vide *Diaconiſſa*.

Diaconia græce, latine adminiſtratio; Romæ dicitur Eccleſia, in qua Diacones regionarii eleemoſynas ejuſdem regionis pauperibus diſpenſabant. [ Diaconiam SS. Sergii & Bacchi concedens omnia, quæ in uſum diaconiæ exiſtunt, ſtatuit perpetuo tempore pro ſuſtentatione pauperum in diaconiæ miniſterio deſervire. Anaſt. Bibl. in Steph. III.] Apud D. Gregor. lib. 9. in dict. 4. epiſt. 24. reperitur formula, qua diaconia tradebatur, & eſt hujuſmodi: [ Igitur te Joannem religioſo intentionis tuæ ſtudio provocati, menſis pauperum, & exhibendæ diaconiæ eligimus præponendum. ] Significat etiam hæc vox eandem eleemoſynam in Eccleſia collectam. Caſſian. Coll. 18. cap. 7. de qua etiam 2. Corinth. cap. 9. *Περὶ μὲν γὰρ τῆς διακονίας τῆς εἰς τοὺς ἁγίους*, ideſt, *Nam de miniſterio, quod fit in ſanctos*: & Actor. c. 6. pro miniſterio ſimiliter ponitur: *Ἡμεῖς δὲ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ διακονίᾳ τοῦ λόγου προσκαρτερήσομεν*, ideſt, *Nos vero orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus*. Et apud Græcos *Κριοῦ διακονία*, adagium erat, ideſt, *Arietis miniſterium*, & de ingratis dicebatur, qui veluti arietes cornibus benefactores, & paſculum præbentes incutiunt. Tandem *Diaconia* legationem ſignificat, ut in dictione *Diaconus* dicitur.

Diaconale Officium. Vide *Hieromnemon*.

Diaconicum, & *Diaconium*, *διακονεῖον*. Vide *Aſpaticum*. Item Diaconion penes Græcos etiam liber continens preces, quæ in Miſſa, & officio a Diacono canendæ ſunt, intelligitur.

Diaconissa, Eccleſiæ miniſtra, quæ tamen non erat conſecrata: ſed tantum benedicta, ut ex Euchologio colligitur: mulier erat ætate provecta, cujus incumbentia erat ad Eccleſiæ januam obſervare, per quam fœminæ ingrediebantur, & ad locum pro hoc ſexu ſeparatum eas deducebat, & adhuc inter Orientales, Græcoſque Chriſtianos, & in ruralibus Melitæ Eccleſiis locus pro utroque ſexu ſeparatus obſervatur, qui tamen laudabilis uſus in hac inſula Parochorum incuria ſenſim deperditur. Erat igitur locus etiam pro catechumenis mulieribus disjunctus. [ Fuitque illi mater ſpiritualis ſancta domina Romana diaconiſſarum, quæ accipiens eam, aſcendit in Catechumenum. In vita S. Pelagiæ, cap. 8.] *Cuſtodes ſacrorum veſtibulorum* appellatæ ſunt Diaconiſſæ a S. Ignatio Martyre, epiſt. 12. quarum munus erat etiam ad pericula evitanda perſecutionum tempore abſconditis mulieribus commiſſiones, & ordinationes Epiſcopi, ſeu Parochi deferre, per quas ad conſtantiam confirmabantur, eleemoſyniſque ſubveniebantur. Item fœminas ad recipiendum baptiſmum, ſeu extremam unctionem exuebant, ſeu detegebant corporis partes ungendas, eaſdemque unctas extergere, item mortuas veſtire, & ornare ſolebant. Concilium Aurelianenſe II. can. 16. & Chalcedonen. 14. ſub pœna excommunicationis prohibent fœminas poſt diaconiſſatum maritum habere. FR. in quodam Heraclii Imp. diplomate, tom. 1. græci Juris, & Juſtinianus in Novell. 3, ſanxerunt, quod in Conſtantinopolitana Eccleſia non poſſent conſtitui pluſquam undecim Diaconiſſæ. In quodam antiquo M. S. lectionario in Archivio S. Petri Vatic. conſervato, legitur S. Martinam Virg. & Martyrem fuiſſe Diaconiſſam, ut teſtatur Torrigius de Crypt. Vatic. ſecundæ impreſſ. pag. 557. S. Regina etiam Diaconiſſa fuerat. Baron. An. 513. n. 30. & 31. :||: D. Gregorius Nyſſenus cum in ſacris fuiſſet ordinatus, Theoſebia ejus uxor ab eo ideo ſejuncta, etiam Diaconiſſa fieri voluit. Nicet. Schol. 18, in orat. Gregor. Nazianz. de laudib. S. Baſilii. In Eccleſia Metropolitana Mediolanenſi adhuc durat hoc Diaconiſſarum officium, & ſunt Matronæ aliquæ, quas *Vetulones* vocant, quæ in Miſſa cantata, juxta Ambroſianum ritum, ad offertorium ferunt panem, & vinum pro ſacrificio. FR. in Arciſpriore Caſtro Tuſculanæ Diœceſis vidi aliquas ſimiles, quas ibi *Sanctesas* dicunt, hæ in Quadrageſima per domos comeſtibilia pro Concionatore, & in autumno pro Paroco, ejuſque Vicario oblationes fructuum colligunt. Reperitur in Nicæna Synodo, cap. 74. decretum de habitatione ſororum viduarum, & Diaconiſſarum in mo-

monaſterio retinendarum, & de ratione docendi eas, & de electione Diaconiſſarum, & officio, atque uſu earum :||· Græci tamen Διακόνισσαν Diaconi uxorem appellant, quæ in Eccleſia honoratur; præſtando ei digniorem inter fœminas locum, candidoque velo tegitur, nec auro, gemmiſque ornari, nec crebro publice apparere permittitur, ac ſemel viduata, ſi ad ſecundas nuptias tranſierit, inviſa, & ſpreta remanet. Vide *Cuſtrix*. *Diacona*.

DIACONITA. FR. ſicut Levita, ita Diaconita Diaconus appellatus fuit: [ Omnium hic deſervientium Diaconitarum. Apud Torrigium de Crypt. Vatic. impreſſ. ſecunda pag. 537.

DIACONUS; *ni*, & *Diacon*, *nis*, Levita, ex græco vocabulo Διάκονος, ideſt, miniſter. FR. dicitur etiam *Diaconita*. Vide ſupra. Et *Diaconius*, gradus. [ Alienum eſt a conſuetudine eccleſiaſtica, ut qui presbyterali honore, aut diaconio gradu fuerint conſecrati, can. alienum, diſt. 50. ] Cum igitur a miniſtrando Diaconus dicatur, ut in dict. *Diaconia* dictum eſt; ejus munus erit prædicare, & eleemoſynas diſtribuere, can. in ſancta, diſt. 92. Et ante Sacerdotes prædicabant, can. Diaconi ſunt, diſt. 93. ibi Gloſſa.[Levitæ ante Sacerdotes orant,ideſt,prædicāt.]Qui ſucceſſerunt in locum Nathinæorum. Vide *Subdiaconus*. Jejunia publicabant. Vide *Jejunium*. Item Populum ſilere admonebant tempore recitationis lectionum. Vide *Lectio*. Item cuſtodiebant Concilii januam. Vide *Obſervo*. D. Hieronymus multa Diaconorum munera connumerat, & inter alia, inquit: [Sufficit huic ordini per Deum conceſſum,ut non ſolus Sacerdos in templo Dei totum agere, & implere videatur, d.diſt. 93. ] :||: Diaconus ex licentia Epiſcopi, ſeu Parochi poteſt dare viaticum moribundis, & in caſu urgentiæ abſque ulla licentia, ut ex D. Th. in 4. diſt. 13. q. 1. art. 3. colligitur, ubi ſic inquit: [ Diaconus non debet corpus diſpenſare, niſi de mandato Presbyteri, vel Epiſcopi; vel Presbytero longe poſito in caſu neceſſitatis. ] Alii tamen dicunt, quod deferens viaticum Sacerdoti infirmo,Diaconus non debeat propriis manibus illum communicare; ſed in illius manibus tradere debeat Euchariſtiam, ut propriis manibus ſe ipſum communicet; ita enim definitum videtur in prima Nicæna Synodo, can. 17. ubi ſic diſponitur: [ Ut ab his, qui poteſtatem non habent offerendi, illi, qui offerunt, Chriſti corpus accipiant. ] Nonnulli vero non eſſe neceſſariam hanc limitationem aſſerunt; certum enim eſt, quod Diaconus ſe ipſum etiam communicare poteſt: immo nec deſunt graviſſimi Auctores a Suarez, tom. 3. diſp. 72. ſect. 3. & a Diana, tom. 2. reſol. moral. tract.4. de Sacram. reſol. 47. relati, qui ad laicos quoque hanc facultatem in caſu prædicto neceſſitatis extendunt, ita ut variis exemplis conentur probare laicos poſſe in ſimili caſu ſe ipſos communicare: ſed re vera, quo ad dubium de Laicis,eſt magis in praxi opinio contraria; nam præceptum divinum ſumendi viaticum in extremo vitæ periodo eſt infirmis, non autem miniſtrantibus impoſitum, qui hoc agere tenentur debita decentia, ac reverentia: & vice verſa infirmus, dum ei, qui Euchariſtiam adminiſtret, non reperitur idoneus, remanet a ſimili obligatione exemptus; & licet Scotiæ Reginæ ex facultate B. Pii V. permiſſum fuerit, ut ante ejus martyrium poſſet ſibimet Euchariſtiam præbere, in quo exemplo prior opinio præcipue innititur: hoc tamen ſolum probaret, quod, nempe, laicus in tali neceſſitate poſſet ſe ipſum communicare, quod ex pietatis congruitate non parum probabile videtur: non vero quod laicus poſſet in ſimili caſu aliis viaticum miniſtrare. Ætas, quæ requiritur ad ſuſcipiendum Diaconatus ordinem poſt Concilium Tridentinum debet eſſe ad vigeſimum ſecundum annum. De Sancto vero Cæſario Arelatenſi legitur, quod [ Adjecit etiam hoc, ut, nunquam in Eccleſia ſua Diaconum ordinaret ante trigeſimum ſuæ ætatis annum. Verum etiam hoc addidit, ut nec in qualibet majori ætate nunquam ordinaretur, niſi quatuor vicibus in ordine libros veteris teſtamenti legerit, & quatuor novi. ] In ordinatione Diaconi ſolebat in Gallia chriſmate manus perungi. Vide *Chriſma*. Quando quis in Pontificem electus debeat Diaconatum ſuſcipere. Vide *Papa*. An Diaconus poſſit benedicere. Vide *Cereus paſchalis*. Et ex abundanti addam hic, quod rogatus ſcripſeram, occaſione dubii in Sac. Rit. Congregatione agitati: An Diaconus Card. poſſit in ſua Diaconia benedicere. & mea allegatio talis fuit, nempe, Ampliſſimus Cardinalis Albitius, qui non ſolum Romanam Curiam eruditionis ſuæ fama, ſed omnes longe poſitas nationes mirifice commovet, in locupletiſſimo, doctiſſimoque tractatu de Juriſdictione Cardinalium in ſuis Titulis, docet Cardinales Diaconos poſſe ſolemniter populum benedicere, quam quidem doctrinam ſatis, ſuperque comprobatam tanquam magnæ mentis prolem venerari potius, quam corroborare his meis rationibus auſus ſum, ne videar noctuas Athenas deferre. Perſuſus igitur ejus radiis, quod in genio meo aſſequi nequeo, ejus doctrinæ beneficio fretus incaleſcam.

Quanta fuerit in Eccleſia tam Latina, quam Græca Diaconorum auctoritas, & excellentia, luce meridiana clarius eſt ſacrorum rituum peritis, ut ex Oecumenicis Conciliis, ſacriſque Canonibus manifeſte conſtat: nil igitur mirum eſt, ſi Archidiaconi noluerint Sacerdotio initiari, ut ex Sancto Gregorio habemus,qui acriter reprehendit Epiſcopum Solitanum cogentem ſuum Archidiaconum ad ſuſcipiendum ordinem Sacerdotalem:quare Epiſcopis per Dalmatiam ſcripſit in hæc verba: [ Præfatum Archidiaconem, ut dicitur, contra morem ad fortiorem honorem provehens conatus eſt callide degradare, lib. 2. ep. 15. ] Hinc Zonaras Diacones appellare non eſt veritus χειρῶν τύπον, quia ad ſimilitudinem manus non ſolum in Eccleſiæ theſauros, ſed etiam circa ſacrum Alta-

Altare, divinaque miniſteria munus præſtabant, quod de Diaconibus Romanæ Eccleſiæ magis, ac magis aſſerendum eſt, quibus ſolis, & Meſſanenſibus ex privilegio ſpeciali compagis uti licebat in ſacris ex D. Gregorio, lib. 7. epiſt. 28. & ego fuſius hic in dict. *Compagi*. Hinc Archilevita Laurentius, ut ſcribit S. Ambroſius, ad Xyſti Pontificis pedes provolutus, exclamabat. *Cui commiſiſti Dominici ſanguinis conſecrationem*. In hac lectione licet aliqui mendum agnoverint, legerintque *Diſpenſationem*; nihilominus retinenda eſt antiqua lectio, ut docet P. Chryſolius in ſuo myſtagogo; nam *Verbum Conſecratio* non ſignificat confectionem ſanguinis, ſed perfectionem ſacrificii; ſicut ipſemet Sacerdos miſcendo hoſtiæ particulam cum ſanguine profert illa verba Canonis; *Hæc commixtio, & conſecratio &c.* Imo ex Juſtino Apolog. 2. Diaconus utramque ſpeciem fidelibus miniſtrabat, quod munus præſtabat etiam præſente Presbytero, ut decrevit Concilium Carthaginenſe IV. [ Diaconus præſente Presbytero Euchariſtiam corporis Chriſti, ſi neceſſitas cogat, juſſus erogat, can. 38. ] Nec audiendus eſt Sotus, aſſerens id factum eſſe ex peculiari Eccleſiæ diſpenſatione, quia Eccleſia non valet diſpenſare in jure divino. Si ergo Diaconus tantam poteſtatem exercebat in corpus Chriſti reale, cur non poterit eandem exercere in corpus myſticum, nimirum fideles, illis benedictionem elargiendo? His præmiſſis aſſero, Diacones Cardinales poſſe tuta conſcientia populum benedicere ſolemniter: ita legimus de quodam Diacono, qui miſſus a S. Gregorio Thaumaturgo, ſua benedictione publica ſceleratas hominum fraudes repreſſit, ut ſcribit Nyſſenus in ejus vita. In Eccleſia Conſtantinopolitana Exocatacœli, qui ſunt Diaconi Patriarchales, æquiparanturque Cardinalibus Romanis, eodem enim honore habiti ſunt in Concilio Florentino: nam Pontificis manum, ac genam oſculati ſunt, ut ex actis ejuſdem Concilii. [ Patriarcha Papam ſtantem oſculatus eſt in gena; nos vero cum Exocatacœlis ſedentis dexteram, & genam oſculati ſumus. ] Hi etiam in Conciliis ſupra Epiſcopos ſedebant, & tamen cum eſſent de ordine Diaconali, nihilominus in Miſſis apud ſuas titulares Eccleſias benedictiones ſolemnes præſtabant, de quorum auctoritate, numero, ac privilegiis multa ſcripſi in dict. *Exocatacœli*. Eſt igitur Diaconus non ordinatione, ſed auctoritate, & dignitate Sacerdos, ut bene advertit Heſychius ad illa verba Levitici cap. 9. [ Ingreſſi Moyſes, & Aaron tabernaculum, & egreſſi benedixerunt populum. ] Certum tamen eſt, Moyſen non fuiſſe ex ordine ſacerdotali, ſed levitico; cenſendus nihilominus ratione dignitatis inter Sacerdotes, juxta Pſalten canentem: [ Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus ejus. ] In quo ſenſu 15. qu. 1. can. 1. Diaconus appellatur Sacerdos, quia ratione dignitatis, & juriſdictionis indulgentias concedere valet, ut probat Calderin. in Repert. cap. Poſtulaſti, de pœn. & remiſs. num. 68. Loquor autem de benedictione invocativa, ſeu deprecativa; non autem de conſtitutiva, quæ conſtituit rem in eſſe ſacro, ut docet Cajet. 2. ſecundæ, quæſt. 88. art. 11. Imo aliquando Diaconus, præſente Sacerdote, communicat rebus benedictionem conſtitutivam; nam in Sabbato Sancto benedicit ſolemniter cereum. Nonne Diaconus ſolemniter ſalutat populum illis verbis, *Dominus vobiſcum*, ſicut ipſemet Sacerdos? a qua ſalutatione ſe abſtinet, ſi eſſet excommunicatus. Et quamvis Ferdinandus Paez, in cap. Miſſas de conſecrat. aſſerat ſolum Epiſcopum poſſe benedicere, canora voce proferendo illa verba, *Sit nomen Domini benedictum &c.* nihilominus fatetur Sacerdotem in Miſſa, præſente Diacono Cardinali, non debere benedicere abſque ejus licentia tacita; quia tunc cenſetur delegare Sacerdoti auctoritatem: ergo multo magis poterit ipſe Cardinalis Diaconus exercere id, quod delegat, juxta philoſophicum axioma, [ Propter quod unumquodque tale, & illud magis. ] Noviſſime in lucem prodiit tractatus de Eccleſiaſtica Hierarchia, auctore Guilelmo Beyer, Pariſiis excuſus; hic ſcriptor, q. 6. cap. 8. multis, validiſque rationibus probat, Epiſcopos, Presbyteros, ac Diaconos poſſe benedicere, cum ſint ſacri Hierarchæ; eandem prorſus ſententiam tuetur Franciſcus Hallier. lib. 3. cap. 2. art. 3. §. 3. Sed audiamus quæſo Arcudium virum in ſacris Græcorum ritibus eruditiſſimum. [ Quia Diaconi etiam poterant baptizare, Euchariſtiam diſtribuere, publicos pœnitentes reconciliare, prædicare, & fere omnia munera Epiſcoporum; & Presbyterorum in eorum abſentia exercere, de quibus omnibus agit Dionyſius. Quæ cauſa etiam eſt, ut in ſacro Collegio Cardinalium præter hos ordines hierarchicos, nullus alius reperiatur, lib. 6. de Sacram. Ord. cap. 6. ] Ratio a priori eſt, quia hi ſoli initiantur per manus impoſitionem. S. Thomas Theologorum Magiſter hos tres ordines pares agnoſcit in juriſdictione hierarchica. Diaconis enim ſubjicitur ordo purgandorum, Presbyteris illuminandorum, Epiſcopis perfectorum; & ſic Diaconorum ordo eſt purgativus, Presbyterorum illuminativus, Epiſoporum perfectus, ita in opuſc. 18. cap. 23. Hic etiam fuit ſenſus Patrum Africanæ Eccleſiæ; nam Tertullianus enumerans eos, qui legitime ex officio poſſunt conferre baptiſmum, ait: [ Dandi quidem habet ejus ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus, dehinc Presbyteri, & Diaconi, lib. de baptiſ. cap. 17. ] Aſt, humaniſſime Lector, ſi cupis exempla, quæ magis movent, en unicum inſtar omnium deſumptum ex Notis ad Chronicon Caſinenſe latinæ linguæ nitore, ſacra profanaque eruditione exornatis ſtudio, ac diligentia doctiſſimi R. P. D. Angeli de Nuce Archiep. Roſanen. qui evidentiſſimis argumentis numero marginali 248. probat Sanctum Patriarcham Benedictum non fuiſſe Sacerdotem, ſed Diaconum: primo ex quadam oblatione, ſeu donatione tempore Alexandri Secundi, deſumpta

pta

pta ex Regiſtro Petri Diaconi, quam refert barbariſmis, & ſolœciſinis pollutam, in curia Scriniarii, ut veritatem impollutam erueret. [ Propria ſpontanea noſtra voluntate vobis quidem Chriſte Redemptor mundi, & ſpecialis Sancto ejus Confeſſor, & Levita Benedicto, qui ſpes, & refugium noſtrum eſſe confidimus, in cujus honore, & nomine dedicatum, & conſecratum eſt venerabili Monaſterio, qui ſitum eſt in monte, qui appellatur Caſtro Caſino &c. ] Alterum teſtimonium exhibet codex vetuſtiſſimus Bibliothecæ Caſinenſis ſignatus num. 353. exaratus ab octingentis jam annis, in cujus prima membrana eſt imago Sancti Patris Benedicti, qui ſedet in Cathedra, dalmatica indutus, ſtola diaconali ab humero ſiniſtro ad latus dextrum tranſverſa. ( Sed ego ab auctoritate tanti Viri recedere cogor; nam illa veſtis non videtur Dalmatica; ſed potius Colobium, vel Armiclauſa corrupte ab aliis Armilauſa appellata. ) Sanctus Maurus Patris exemplum ſequutus ultra Diaconatum aſſurgere non præſumpſit. Idem præſtitit Sanctus Placidus Martyr. Quare non ſolum Sancti Benedicti ævo, ſed poſt multa tempora Abbates fuerunt Diaconi, ut probat de Ragimprando Abbate Caſinenſi circa annum 900. de cujus obitu hæc habentur in Necrologio Caſinenſi, cod. 47. [ Octavo Idus Novembris Ragimprandus Levita, & Abbas hujus loci. ] Luculentiſſimum aſſertæ veritati teſtimonium præbet Sanctus Gregorius Magnus, lib. 2. dialog. c. 35. [ Alio quoque tempore Servandus Diaconus, atque Abbas ejus Monaſterii. ] & tamen certum eſt, omnes prædictos Abbates benedictiones dediſſe ad lectiones matutinas in Choro, ad Evangelia, cæteraſque horas Canonicas juxta præſcriptum regulæ 9. & 11.

Omiſſis tamen omnibus ſupradictis probationibus, en denique argumentorum Achillem tibi propono. Sanctus Antoninus Florentinæ Urbis Archipræſul, Ordinis Prædicatorum decus, ac moralis Theologiæ tutiſſima cynoſura de ſpeciali, ac individua Diaconorum Cardinalium benedictione, non de poſſibili, ſed de facto, ita clariſſimis verbis loquitur: [ Quamvis etiam benedicant Diaconi Cardinales; ſed hoc nullus Archidiaconus præſumit, 3. part. tit. 14. cap. 16. §. 9. ] Quanti ponderis ſit hæc doctrina, nullus eſt, qui non intelligat. Nil igitur mirum, ſi Petrus Cellenſis, lib. 7. epiſt. 16. appellet omnes Cardinales Cœli Senatores, qui etiam Angelos cum Apoſtolis ſint judicaturi; ergo multo magis homines benedicturi.

Paris de Craſſis celeberrimus cæremoniarum Magiſter, ac Rector, conſultus: An Cardinalis non Presbyter poſſet benedicere, reſpondit, Non poſſe benedicere populum, nec rem aliquam ſine ſpeciali, & expreſſa licentia Papæ, ita lib. 2. c. 23. ubi refert aliquorum opinionem, qui exiſtimarunt, Cardinalem Diaconum poſſe ſolemniter benedicere, abſentibus Sacerdotibus. Imo idem Auctor loquens de viſitatione Diaconiæ præſtanda a Cardinali, aſſerit Diaconum Cardinalem in dicta functione poſſe uti Pluviali, ac Mitras: ergo eum æqualem conſtituit Cardinali Presbytero. Tandem ipſe ingenue fatetur hanc controverſiam eſſe potius juris canonici, quam cæremonialis, ideoque judicio, & cenſuræ Doctorum rectius intelligendam reverenter ſuam opinionem ſubmittit; ſicut & ego idem humillime præſto. Igitur eadem Sac. Congreg. die 15. Septemb. 1668. affirmative declaravit, quod exequutum prima vice fuit ab Eminentiſs. Decio Card. Azzolino in ejus Diaconia S. Euſtachii in feſtivitate Sancti prædicti ejuſdem anni. FR. dicuntur Diaconi Epiſcoporum Aſſeſſores, can. Apoſtolor. lib. 2. cap. 44. Vide *Teſtimonialis*. Item ex traditione apoſtolica ad votum caſtitatis tenentur, can. cum in præterito, diſt. 84. :||: Cæterum quo ad Diaconi cæremonias; quod, nempe, non debeat oſculari manus Celebrantis, nec aſperſorium, dum expoſitum eſt Euchariſtiæ Sacramentum. Vide *Benedictio*. Item quando induatur caſula. Vide *Caſula*. Utebatur compagis. Vide *Compagi*. Quando ad Altare deferre debeat corporale. Vide *Corporale*. Quo tempore incipiat ei facultas proferre Dominus vobiſcum. Vide *Dominus vobiſcum*. Quo ad ejus veſtes, & paramenta. Vide *Colobium*. *Dalmatica*. Ad Diaconum ſpectabat ante conſecrationem Obſeſſos expellere. Vide *Energumenus*. Reliqua ad Diaconum ſpectantia. Vide *Archidiaconus Apocriſarius*. *Cardinalis*. *Communio Hieromnemon*. *Regionarius*. Quid Diacon in Miſſa miniſtrans debeat agere in actu offertorii Calicis. Vide *Offertorium*. Quomodo ſtolam debeat cingere in actu communionis. Vide *Orarium*. In ordinatione Diaconorum inter alia inſtrumenta eis tradita apud Græcos etiam flabellum conſignatur. Vide *Flabellum*. Dicitur quodammodo Sacerdos. Vide *Sacerdos*. Antiquitus Diaconus ſemel in anno incenſabat Altare, quando, & cur? Vide *Thuribulum*. Græcus Diaconus ſemper incenſat Altare. Ibidem. Dicitur etiam *Zacon*. Vide ſuo loco.

DIACOPOSIS, & *Diacopſis*, ex græca dictione *διακόψις*, quæ ſciſſuram, ſeu rimam ſignificat: ſic *Diacopi*, *διάκοπος* dicti ſunt canales illi per quos Nili inundatio in Ægyptiacos campos compartiebatur. [ Ut inſitam ſibi miſericordiam ſuis famulis largiatur, & ſuper illam diacopoſim, vel unum magiſtrum militum dignetur concedere. Jo: Diac. in vita S. Gregorii. [ Item *Diacope*, *διακοπή*, *interciſio*, ſeparatio, præciſio, præſertim nervorum: item ſignificat laxamentum, ſeu intermiſſionem: fitque a verbo *διακόπτω*, intercido, diſrumpo, diſcerpo, irritum facio, dirimo &c. Et hæc vox etiam in Hiſtoriis ſacris, ſicut & *Diacopi*, ſciſſuræ, meatus, occurrunt.

DIACOPTON, ex græco *διάκοπτον*, intermittentem ſignificante, quod de arteriæ pulſatione diceretur; ſed metaphorice ab Anaſtaſio Biblioth. pro cælaturæ interciſione accipitur; nam ad inſtar venarum pulſatilium, quæ cutem exaltant, ſculpturæ ars ejus fi-

guras a planitie intermiſſive relevat, quod opus alibi *Interſatile* idem appellat.

DIADEMA διάδημα. FR. corona, circulus; translative circuitus intelligitur. [ Inter me, & illum grande eſt diadema. In paſſione SS. Perpetuæ, & Felicitatis] ubi aliqui *Diaſtema* corrigunt, ſed perperam; nam ſicut limbus extremam togæ faſciam ſignificat, & translative de vaſto zodiaci, ac inferioris terræ circuitu dicitur; ſic etiam pro diadema gyrus ingens intelligi poteſt. Item *Diadema* ſignificat caputii ornamentum. Item complementum totius, inde *Diadema Apoſtolorum* SS. Petrum, & Paulum Ennodius Dict. 2. in dedicat. eorum Templi Novariæ appellavit. In eodem ſenſu Apoſtolus [ Itaque fratres mei chariſſimi, & deſideratiſſimi, gaudium meum, & corona mea. Ad Philip. cap. 4. Mulier diligens corona eſt. Proverb. 12.] Item accipitur pro perfectione, & æternitate. [ Accipiet coronam vitæ. Jacob, epiſt. 1. Dabo tibi coronam vitæ. Apocalyp. cap. 2.] ideſt, perfectionem, ſeu æternitatem vitæ. Diadematis ſynonyma in proprio ſignificatu. Vide *Anadema. Camelautium. Corona. Epanocliſtus. Infula, Nimbus.*

DIÆTA, δίαιτα, unius diei iter [ Una die, ſi opus fuerit, quatuor, aut quinque diætas excurrit. Bleſen. epiſt. 66.] ideſt, in unico die excurrit iter quatuor, vel quinque dierum. [ Porro cum jam diætam illam, aut totam, aut fere totam, noſtri præambuli peregiſſent. Idem epiſt. 14.] Aliqui tamen perperam diætam pro leuca accipiunt, quorum error ex Gulielmi Tyrii auctoritate fit manifeſtus, qui cap. 7. Deſcriptionis Terræ Sanctæ de Hieroſolyma Civitate loquens, ait: [ Diſtat autem a mari mediterraneo ipſa ſancta Civitas per unam diætam communem cum dimidia] hanc enim Civitatem a prædicto mari per iter unius diei cum dimidio diſtare omnes concordant. FR. Quid autem ſit *diæta*, in utroque jure habetur expreſſum, in canonico primum, ſcilicet, de reſcriptis in ſexto, c. 11. tit. 3. [Nullus tamen eorum, ultra unam diætam a fine ſuæ Diœceſis valeat conveniri.] Et inferius: [ Dummodo locus, ad quem eum traxerit, ultra unam diætam (ſicut in caſu alio præmittitur) minime ſit remotus.] ſic in decretali de reſcriptis, cap. nonnulli [ Ne quis ultra duas diætas extra ſuam diœceſim per litteras Apoſtolicas ad judicium trahi poſſit] ſtatuitur, & in jure civili expreſſius habetur, quod diæta legalis contineat viginti millia, ff. ſi quis cau. l. vicena. Item *Diæta* pro abſtinentia. Vide *Modela*. Item pro unius diei victu. Vide *Diarium. Zeta.*

DIAGRAPHUM, græcum nomen διαγραφή, deſcriptionem ſignificans. [ Afflictiones populo Siciliæ, Africæ, Sardiniæ, vel diagrapha, ſeu capita, atque nauticationes impoſuit. Floriar. in Vitaliano.

DIALOGUS, διάλογος, confabulatio inter duos; fuit etiam ſic cognominatus Gregorius Magnus a Græcis ob compoſitionem ejus libri cum hoc titulo, quem Zacharias Papa in græcam linguam tranſtulerat, ut Anaſt. Blioth. in Zachar. teſtatur. Quare erraverunt Græci attribuentes cognomentum *Dialogi* Gregorio II. a quibus, ut notat Baronius Ann. 726, num. 30. decepti ſunt etiam nonnulli latini ſcriptores, & de Cedreno græco ſcriptore valde miratur Phronto Duceus inquiens, [ Minus ergo mirum, ſi græcus ſive interpres, ſive librarius, qui hanc expreſſit epiſtolam, Gregorio cognomen Dialogi addidit] loquitur de Gregorii II. epiſtola Imperatori Leoni Iſaurico ſcripta,

DIANÆ EPHESINÆ templum, Vide *Neocorus*.

DIAPHONIA, græca dictio διαφωνία, ideſt, diſcordia, ex qua D. Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis metaphoram ſumens, pro diſſonantia vocum in cantu utitur, quæ eſt propria hujus vocabuli ſignificatio.

DIAPISTIS, græcum nomen διαπιςής, ideſt, vera; & fidelis [ Planetam diapiſtin liſtis aureis adornatam, lib. 2. chron. Caſinen. cap. 43.] nempe, planetam ex auro textili, haud adulterino, ſeu apparente. FR. de eadem actione ibidem fit mentio, lib. 3, cap. 20. [ Tunicam diapiſtin. &c.

DIAPSALMA, ex græco διάψαλμα, ſignificat intermiſſionem, ac ſeparationem inter unum, & alium pſalmum. [ Hic incipit ſecunda pars. Continuatio, omnis homo eſt ſubditus vanitati, propter hoc ceſſare deberet a peccato. Diapſalma, Veruntamen pertranſit homo de peccato in peccatum. Haymo ad Pſal. 38.] quæ pauſæ obſervatio in pſalmodia ad moderandum cantum, notas muſicales obſequendo, inſerviebat. [ Legimus quadrageſimo nono pſalmo ſub ſecundo diapſalmate Spiritum Sanctum dixiſſe, Peccatori autem dixit Deus. Optat. Milevit. lib. 4.] Hieronymus vero in epiſt. ad Marcellum, hoc vocabulum ait ſecundum Aquilæ expoſitionem correſpondere hebraicæ dictioni *Selah*, quæ in ſempiternum ſignificat: Hebræi enim, ubi mutatur rhythmus, ſeu terminatur ſenſus, ponebant *ſelah*, ſcilicet, *Semper*, aut *Amen*, quod idem Sanctus Doctor auctoritate Origenis comprobat, dum ibi ſic inquit [ Quia novitia muſta contemnis, ſaltem veteris vini auctoritate ducaris] Origenes deinde ſuam ſententiam Theodotionis, Symmachi, & Septuaginta interpretum auctoritate corroborat, qui omnes vocem *Selah* in pſalmis invenientes, græce *Diapſalma* verterunt. Vide *Selah*.

DIARIUM, quotidianus victus alicui aſſignatus. [ Diaria dari ſcriptoribus ad edendum. Matth. Pariſ. in vita Abb.] ubi etiam *Diæta* dicitur. Vide *Diæta*.

DIARODINUS, roſaceus color in ambabus partibus duplicatus. [ Planetam diarodinam. Chron. Caſin. lib. 1. c. 5.] FR. in Pharmacopeis paſtillæ quædam Diarodinis Abbatis dicuntur, quia ex roſis reubarbaro mixtis componuntur, ac primum vocabulum colorem, & ſecundum Auctorem denotant.

DIASOSTIS, Conductor, Dux. [ Civitas, in qua diaſoſtis meus me deſerens, duabus parvis impoſitum navibus, duobus me mendatoribus, qui Hydruntem me-

me per mare conducerent, commendavit. Luitprand. in legat. ] Qui Auctor hac voce barbaro-græca διαγωγῆς utitur. Synonyma. Vide *Dux*.

Diasphendon, a græco verbo διασφενδονάω, ideſt, violenter diſſipo, disjungo. Patibulum erat inter duas inclinatas arbores, in quibus Sanctorum Martyrum corpora ligabantur, ac violenter in priſtinam poſitu. ram arbores directæ Chriſti victimas dimembrabant. FR. hoc vocabulum eſt compoſitum a διὰ, *per*, & σφενδονάω, *fundam agito*. Sphendon autem, ſeu *Sphendona*, baliſta, vel funda latine dicitur: hinc Melitenſes, qui bilingues ſunt, ideſt, græcam, & puni. cam loquelam retinent, fundam ex græco *Sphendonam*, ſeu *Sphendiolam*, & ex punico idiomate *uvadhap*, appellant. Quare διασφένδων, duplex baliſta latinaliter ſonat: quod tamen poteſt intelligi de ſupradictis conduplicatis arboribus, ac fortaſſe *Arbaliſta* erat, de qua ſuo loco egimus, ideſt, arborum baliſta nam arbor ita preſſa, vim ad inſtar baliſtæ habebat, dimiſſa.

Diasprum, dupliciter album [ Pluviale etiam diaſprum liſtis auro textis. Chron. Caſin. lib. 1. c. 43. ] Vide *Aſprum*.

Diasyrticus, græca dictio διασυρτικὸς, duplicis ſpeciei, vel ſignificatus. Etymon vero græcum ex διὰ propoſitione, quæ interdum dualitatem in compoſitione ſignificat, & σύρω, ideſt, traho provenit, inde translative nomen ſignificat, quod ad duplicatum ſignificatum trahitur, & hæc eſt magis conſona hujus dictionis derivatio. [ Notandum eſt, quod verbum a nobis præmiſſum dyaſirticum eſt; ad duo enim trahi poteſt convenienter expoſitum. Bleſen. ſer. 38.] qui Auctor ſermone 20. & 34. habet etiam *Triſyrticum*, *Tetraſyrticum*, adjectiva nomina pro nomine tres, & quatuor ſignificationes recipiente.

Diatheca. FR. ex græco διαθήκη, teſtamentum ſeu teſtamentaria hæreditas. [ O quantum diatheca valent, & quinque comati. S. Gregor. Regiſtr. lib. 1. epiſtol. 30. ] ejus ſynonyma. Vide in dict. *Teſtamentum*.

Diatreta, græca vox, διάτρητον, dupliciter foratum [ Quaſi per diatretam ſpeciem ab utraque in utramque ſpectantibus præbet. Paulin. in epiſt. 12. ad Sever. ] ubi de tribuna loquitur, quæ ex utroque latere foramina, ſeu feneſtras inter ſe correſpondentes habebat. In aliquibus tamen Codicibus *Diatrita* habetur. Vide *Pertuſum*.

Diatus, diurna luce illuminatus. [ Si caſu turbentur, ſole renaſcenti diati, divinitus reparentur. Ivo Carnoten. in Chron. M. S.

Diaulus, græca vox δίαυλος, ideſt, duplicatus curſus, accipitur pro duplici ſtadii curſu. Erat tamen unius ſtadii tractus; ſed curſores ad metam pervenientes, ſtatim ad priorem terminum recurrebant: itaque duplici ſtadio correſpondebat continuatus, & replicatus ille curſus. [ Curſore in diaulo curſu retrorſum flexu decurrunt, iterum per eadem veſtigia. *Hierolexicon ſacri*. Phil. lib. 5. c. 11.] Inde Curſores διαυλοδρόμοι, *diaulodromi* dicebantur.

Dica, FR. anguſtiam, vexationemque arabice ſignificat, *Dicha* enim dicunt in eadem ſignificatione; unde etiam Siculi, apud quos multa arabica verba adhuc manent, cordis angorem *Dica dicori* dicunt, quo vocabulo uſi ſunt etiam Græci, & Latini pro conſtringere aliquem: ſic *Dicam alicui ſcribere*, Reum ad judicium conſtringere ſignificabat. Vide Calep. in dictione *Dica*, & hic in dictione *Eremodicium*.

Dicanitium, clava argentea, italice *Mazza*, quæ antiquitus ante Imperatorem & Magiſtratum ferebatur, hodie tamen ante Cardinales defertur. Pancirol. in Theſaur. lib. 1. c. 85.

Dicæophylax, græcum nomen δικαιοφύλαξ, Juſtitiæ Cuſtos latine ſonat, officium erat in Aula Conſtantinop. penes nos Juſtitiæ Præſidens diceretur.

Dichoneum, quædam æris ſpecies. Cod. Theodoſ. lib. 11. tit. 21. cap. 1. ſecundum quorumdam opinionem monetam æream ex utraque parte ſignatam denotat. Alii vero cuprum bis liquefactum interpretantur, quod quidem vocabulum a verbo græco διχέω, derivatur.

Dicibulum, anilis fabula [ Satis meminerat Ptolemæus puerilium dicibulorum, in mari poma naſci, & in arbore piſces. Tertul. adverſ. Valent. cap. 20.

Dicirion. Vide *Bulla*,

Dicterium. Vide *Ambo*. *Diptycum*.

Dictica. Vide *Diptycum*.

Dictio, FR. Itali *Diceria* vocant, eſt diſcurſus academicus, ita enim *Dictiones* ejus diſcurſus intitulavit Ennodius, ideo Ambo, ſive pulpitum *Dicterium* dicitur. Dictio correctionis. Vide *Superdictio*.

Didrachmum, ex græco δίδραχμον, ideſt, duplex drachma. [ Magiſter veſter non ſolvit didrachma? Matth. c. 17.

Didymus, FR. ex græco vocab. δίδυμος, ideſt, gemellus; quæ denominatio Thomæ Apoſtoli fuerat: aliqui aſſeruere fuiſſe cognomen familiæ; alii vero agnomen crediderunt, addenteſque ita agnominari, ex eo quia gemellus cum alio fratre natus fuerat; ſed re vera vana eſt utraque aſſertio, pro quibus nulla hiſtoria extat. Didymus enim græce ſynonymum eſt nominis Thomæ hebraici ſicut in Evangelio habemus ſynonymice idem nomen replicatum Abba, Pater; ſic Didymus græce dicitur, & hebraice *Thoma*: ſic etiam *Theumi* Arabice, & Melitenſes allium *Theum* vocant, quia nucleis gemellis coagmentatur, ac duos fratres gemellos *Theumin* dicunt.

Didymus Alexandrinus. Vide *Chalcenterus*.

Dies Ægyptiaci. Vide *Strena*.

Dies Amphidromius, qualis erat apud Romanos. V. *Baptiſmus* prope finem. §. ſolebant Gentiles.

Dies iræ, Dies Illa, Miſſæ defunctorum ſequentia, a quo compoſita. Vide *Proſa*.

Dies Solis. Vide *Dominica*. Dies votorum, ideſt, matrimonium. Vide *Votum*.

Dieta. Vide *Diæta*.

Dieteris, διετηρὶς, biennium, ſeu tempus duorum annorum. Quamvis in Lexicis, διετία, pro biennio ponatur, cum tamen trieteris, tetraeteris, & alia ſimilia græce dicantur; ita dieteris eodem idiomate poteſt efformari. Idque a δὶς, bis, & ἔτος, annus.

Dieto, abſtinentiam in comedendo obſervo. [ Cæteri in eminentiæ Cathedralis apice ſublimati, ſtatim curam carnis propenſius agunt, circumſpectius dietant, non minus timent corporis ægritudines, quam gehennam, & in omnibus ſpatium vitæ productioris affectant. Bleſ. ſer. 27. ] Vide *Modela*.

Diffamo. FR. verbum, ex ſui natura ad bonum, & ad malum publicare, & manifeſtare ſignificat. Ac in rectum ſenſum D. Aug. lib. 2. de Civit. Dei, cap. 21. [ Quaſi diffamata, & prævaleſcente Religione Chriſtiana ſentirentur. Et ibidem, lib. 3. Tam grandi diffamari ] dixit.

Difficio, quod proprie deſtruere denotat; translative tamen de rebus animatis pro occidere accipitur. [ Si per odium, aut malum ingenium hominem diffecerit *pro deffecerit* ) in conſtit. Caroli Magni c. 11.

Diffinitio, FR. ideſt affirmatio. Gloſſa in can. diffinitio. 22. quæſt. 4.

Diffiteor. FR. non confiteor. [ Cæterum aliud eſt crimen notorium, aliud occultum. Notorium definitur, de quo Presbyter canonice condemnatur. Occultum quando ab Eccleſia toleratur. Cæterum quando crimen notorium non diffitetur, Presbyrer canonice condemnatur &c. cap. 7. de cohabit. cleric. & mulier. ] Senſus eſt, quod notorium crimen dicitur, quando a delinquente non negatur, ut ibi Gloſſ. [ Se eſſe concubinarium diffitetur, cap. 8. ibidem. ] Ideſt non confitetur. Vide *Notorium*.

Diffugium. FR. ſubterfugium. [ Nec patrocinari eos debet appellationis diffugium, de cler. non reſiden. cap. 4. Virum bonum, appellationis ceſſante diffugio, inſtituere non omittas, lib. 3. tit. 48. cap. 3. decretal.

Digamus. Vide *Bigamus*.

Digitiæ, aureæ, vel argenteæ virgæ, ad inſtar digitorum formatæ. [ Digitiæ aureæ novem. Anaſt. Bibl. in Leone III.

Digladiabilis: actio, & offenſa gladio vindicanda. [ Plura de pace dixerat, quo commoti nonnulli, qui digladiabili diffidebant odio, offenſas utrimque donavere. In vita S. Vilſtani Epiſc. DIGNATIO, penes Eccleſiaſticos Scriptores, pro divina gratia ponitur; ſic in præconio Sabbati Sancti: [ O mira circa nos pietatis dignatio. Non eſt in tua poteſtate, ſed in Dei dignatione martyrium. S. Cyprian. de martyrio, & paſſim apud eundem Tertullianum, alioſque africanos ſcriptores.

Dignitosus, dignus, ſic de Abéle inquit Aldelmus: [ Quorum prior, ut altius repetens ab origine pandam, propter dignitoſam innocentiæ palmam, & originalis patientiæ titulum, ſpreto fraterni libaminis ſacrificio, rata, & grata divinis conſpectibus holocauſtomata primus mortalium offerre promeruit, & hujus rei gratia a perfido, & nefando fratre inextricabile germanitatis vinculum contra jus divinum, & fas humanum rumpens crudeliter cruentatus, futuram in fine ſæculorum pie Redemptoris noſtri paſſionem paupere pretioſi ſanguinis oſtro præfiguravit. De Virgin. cap. 28. ] Hoc idem barbarum vocabulum apud Ambr. c. 5. in ep. 1. ad Timoth. in ſignificatione ſpectabilis reperitur: ubi ſic ait: [ Quando enim vident dignitoſum virum erroris cauſa corripi, neceſſe eſt, ut caveant ſibi. ] At revera commentaria illa non eſſe S. Ambroſii, ſenſerat Eruditiſſ. Latinus Latinius; ſed alterius Scriptoris linguæ græcæ ignari. FR. Vide in ejus Bibliotheca Sac. in obſer. D. Ambroſ. quam nuper imprimi curavi, quem ſequutus eſt Em. Bellarminus de Scriptoribus Eccleſ. de D. Ambroſ. ubi inquit: [ In quinto tomo ſunt Commentaria in epiſtolas S. Pauli, quæ a multis non creduntur Ambroſii, nec ſine cauſa. ] Quod quinque validiſſimis rationibus comprobat, & Labbe de Scriptor. Eccl. in Hilario Diacono hæc Commentaria ejuſdem Diaconi eſſe refert. Vide ſuper hoc dubium in dict. *Benedictio*. Synonyma hujus dictionis. Vide *Axiomaticus*.

Diguria. Diviſio nocturnalium Pſalmorum a S. Ambroſ. ordinata. [ Primam partem Ambroſius diviſit in decem nocturnos, nullo pſalmo prætermiſſo, quos vulgus ſui loci digurias appellat. Rodulphus, lib. 2. de canon. obſervat. cap. 10.

Dii. FR. dubitatur quomodo Deus pro Diis jurare præceperat, inquiens: [ Si latet fur, dominus domus applicabitur ad Deos, & jurabit, quod non extenderit manum in rem proximi ſui. Exod. cap. 22. num. 8. ] Item [ Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices. Ibidem, num. 28. ] ſed D. Gregorius per Deos hic Sacerdotes intelligit apud Gratianum in can. Sacerdotibus. 11. quæſt. 1. Sic Magnus Conſtantinus Sacerdotes Deos appellavit. Ibidem. Sic etiam Innocentius III. in cap. 3. decretal. lib. 5. tit. 7.

Diiticum, inſignis Monaſterii nomen a Sancto Dio Archimandrita Conſtantinopoli fundatum, de quo Sancto mentionem faciunt græcum Menolog. ad diem 19. Julii, & Martyrologium Rom. 8. Febr. ſub his verbis, [ Conſtantinopoli natalis Monachorum Martyrum Monaſterii Dii &c.

Dilapidator. Vide *Interverſor*.

Dilatorius, FR. fruſtratorius. Gloſſa in Clementin. cap. 2. de verb. ſignific.

Dilectus, nomen ſubſtant. amorem ſignificans S. Cyprian. epiſt. 3. lib. 1. & in tract. de lapſis, verba quæ habentur in epiſt. 2. ad Theſſalon. cap. 2. [ Charitatem veritatis ] Cyprianus [ dilectum veritatis ] exponit, quia in græco textu Pauli verba ſunt, ἀγάπην τῆς ἀληθείας: idem vocabulum apud Pacianum, lib. de pœniten. reperitur.

Dilucebre, dilucide. [ Innoteſci voluit dilucebre. In Vita S. Cœli Epiſ. Trev.

Dimeritæ; Διμοιρῖται. FR. Apollinariſtæ hæretici, a voce græca διμερής, bipartitum: nam Apollinariſtæ conveniebant prius cum Arianis, aſſerendo, quod Verbum divinum in incarnatione animam humanam non aſſumpſiſſet; & ex textu Evangelii deinde convicti, fatebantur ſuſcepiſſe animam, ſed abſque intellectu, cujus vices Verbi divinitas ſuppleret; ideo (ut refert D. Gregor. Nazianz. in epiſt. 1. ad Claudinum) Chriſtum *Hominem Dominicum* appellabant: quæ tamen verba in rectum ſenſum intellexerat D. Auguſt. at poſtea lib. 1. cap. 19. Retract. ſe retractaverat. Nihilominus D. Athanaſius in expoſitione Symboli abſque ſcrupulo catholice his terminis uſus fuit inquiens: [ Quo præcurſor pro nobis ingreſſus eſt Dominicus homo, in quo judicaturus eſt vivos, & mortuos. ] De his hæreticis. Vide *Apollinariſtæ*.

Dimidium Ponderis, moneta, quæ ſit? Vide *Siclus*.

Dimissoriæ, & *Dimiſſoriales litteræ*. Vide *Litteræ dimiſſoriales*.

Dimitus. Vide *Samitus*.

Dinodium, ſacrum donarium. [ Ne quis poſthac ſacra temere contrectet, etiamſi vel cadmea neceſſitas urgeat; ne manus impuras ſacris rebus injiciat, ne profana ex divinis dinodia fiant, dum in publicos uſus circumferuntur. In Bulla aurea Alexii Imperatoris, ] ubi multoties hoc vocabulum repetitur.

Dioecesis, διοίκησις, Regio aſſignata ſub Epiſcopi juriſdictione. FR. Non erit extra materiæ terminum apponere hic reſponſum a me allatum juſſu R. P. D. mei Ciampini liberalium artium verſatiſſimi Præſulis, & Eruditorum Mecœnatis, quibus valde proficuam, & utilem ſuper Concilia œcumenica Romæ Academiam nuper erexerat: ubi dum examinabatur, an canones apoſtolici ſint apocryphi, vel hagiographi, & inter alia dubia pro parte negativa, quæſitum fuit, quomodo canon apoſtolicus 34. diſponat, quod [ Epiſcopus extra terminos ſuos in Civitatibus, & Regionibus ſibi non ſubjectis ordinationes facere non præſumito. ] Si epiſcopatuum, & diœceſium diviſiones non Apoſtolorum, ſed Pontificum Romanorum temporibus factæ fuere? Cui objectioni mihi ſic reſpondere contigerat; Primo, nempe, examinando Diœceſis etymologiam. Secundo impugnando quorundam opinionem, aſſerentium Pontifices primo Diœceſes diviſiſſe, ac Epiſcopis aſſignaſſe. Tertio citatum canonem Apoſtolicum eſſe hagiographum. Circa primum aſſerui etymologiam hujus nominis *Diœceſis* ab Auctoribus dupliciter afferri; primo in concreto, ideſt, territorium, ſeu Provinciam Diœceſano, ſeu gubernatori aſſignatam, ita Gloſſa in can. Epiſcopi, qui extra ſuam 9. qu. 3. in can. quicumque 16. quæſt. 3. & in cap. unico extrav. comm. de offic. delegati, ubi ſemper dicitur, *Diœceſim*, nil aliud eſſe, quam territorium, ſeu provinciam. Secundo in abſtracto, ſcilicet, abſque limitanea juriſdictione loci, & ita Archidiaconus, & alii ad tit. 8. de reſcriptis, cap. 11. §. de ſua Diœceſi, in ſexto, ubi abſtractive ſic definiunt: [ Diœceſis dicitur diviſio, ſeu gubernatio, quæ diviſa eſt ab Eccleſia alterius Epiſcopatus, & commiſſa gubernationi unius.] Utramque tamen definitionem eſſe veram dixi; ſed reſpective; Prima enim verificatur, quo ad tempora, in quibus cœperant Epiſcopi habere territorium aſſignatum, & juriſdictionem temporalem, vel quaſi temporalem. Secunda vero aſſertio Archid. cit. & aliorum intelligitur originaliter, nimirum, quando Epiſcopi ab Apoſtolis ordinati habebant gubernium, & curam animarum, in quorum numero aſſignato conſiſtebat gubernii epiſcopatus cura, atque ab alio cœtu, ſeu Eccleſia diſtincta; nomine enim Eccleſiæ, nonniſi fidelium congregatio formaliter ſignificatur, ex qua fidelium unicuique Epiſcopo aſſignatione in primitiva Eccleſia orta fuerat inter rudes diſſenſio: nam alii dicebantur eſſe Chriſti, alii Cephæ, alii Apollo, & alii Pauli: Chriſti inquam, dicebantur illi, qui ab ipſomet converſi ad fidem tanquam cæteris primiores gloriabantur: namque illo adhuc in terris converſante, eos fidem docuerat, alioſque; per ejus diſcipulos, quando, nempe; [ Miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem Civitatem, & locum, quo ipſe erat venturus, Lucæ cap. 10. ] dederatque eis ſpiritualem juriſdictionem, Marc. 6. qui ut inferius ibidem, [ Exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent, & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægrotos, & ſanabantur. ] Itaque recte concludit D. Hieronymus in ep. ad Titum, inquiens, [Olim idem erat Preſbyter, ac Epiſcopus, & antequam diaboli inſtinctu, ſtudia, vel ſchiſmata in Religione fierent, & diceretur in populis, ego ſum Pauli, ego ſum Apollo, ego autem Cephæ, communi Preſbyterorum conſilio gubernabantur. Poſtquam autem unuſquiſque eorum, quos baptizaverat, ſuos eſſe putabat, & non Chriſti, in toto orbe decretum eſt, ut unus de Preſbyteris ſuperponeretur omnibus, ut ſchiſmatum ſemina tollerentur.] At quando hæc ſuperpoſitio, ( quæ eadem eſt, ac epiſcopatus, & gubernatio, ſeu diœceſis ) conſtituta fuit? Certe non niſi quando ſchiſmata prædicta Corinthi commota fuerunt, ideſt, tempore Pauli, & Apoſtolorum. Ergo diœceſes tunc diviſæ ſunt. Quod bene inſinuari videtur ex eadem Pauli epiſt. 1. ad Corinth. ubi poſtquam eis ſcripſerat, [ Hoc autem dico, quod unuſquiſque veſtrum dicit, ego ſum Pauli &c. ] & poſtquam ſchiſmata, & diviſiones reprobaverat, ſequitur nihilominus ibid. cap. 12. ſpiritualium guberniorum, ſeu diœceſium diviſiones approbare, inquiens; [ Et diviſiones miniſtrationum ſunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. ] En igitur diviſiones ſuperioritatum, miniſtrationum, gubernationum, ſeu diœceſium, quæ idem ſonant. Itaque in primordio Eccleſiarum diœceſis nomen abſtractum erat, per quod gubernatio, & inſtitutio fidelium numerice aſſignatorum, & non territorium intelligebatur. Quod bene Gelaſius Papa te-

ſtatur, dicens: [ Semel diœceſim conſtitutam, ex qua ſemper ad regenerationem atque conſignationem (*ideſt*, *animarum*) Epiſcopi plebs devota convenit. Territorium etiam non facere diœceſim olim fuerat ordinatum. can. licet in regulis. 16. q. 3. ] At quando fuerat hoc *olim?* Certe nonniſi eo tempore, de quo Hieronymus dixerat ſupra: [ Olim idem erat Presbyter &c.] ſcilicet, Apoſtolorum tempore. Quapropter ex vi nominis infertur fuiſſe tunc diœceſium diviſiones. Vide *Presbyter*. Quo vero ad ſecundam propoſitionem, quod, nimirum, ut aliqui ſenſerunt, diœceſes tempore Gelaſii Papæ fuere diviſæ: reſpondetur, quod ex ipſius verbis contrarium manifeſtatur; nam ead. 16. q. 3. can. 5. ſic ait: [ Licet in regulis contineatur antiquis, parochias (*ideſt diœceſes*) unicuique Eccleſiæ priſtina diſpoſitione deputatas, nulla poſſe ratione convelli, ne per conſuetudinem peſſimam exempli mali, temeritate creſcente, univerſalis confuſio naſceretur; tamen etiam decretis noſtris ante non multum temporis deſtinatis, omnia juſſimus, quæ taliter fuerant invaſa, reſtitui &c. ] Gelaſius ergo non inſtituerat diœceſes, ſed tantum reſtituerat, eis nempe territorii terminos aſſignando: ſic Gregorius II. Bonifacio Epiſcopo pro eadem re delegaverat ſub hac verborum forma: [Præcipimus, ut juxta canonum ſtatuta, ubi multitudo excrevit fidelium, ex vigore Apoſtolicæ Sedis, debeas ordinare Epiſcopos, 16. qu. 1. can. Præcipimus. ] ac ita de Joanne XXII. in extrav. de off. deleg. c. unico habetur, quod: [ Multas diœceſes in duas, & in plures diviſit. ] Errat inſuper Gloſſa aſſerens Dionyſium Papam diœceſium primum diviſorem fuiſſe: nam ſolum parochias presbyterales in Urbe conſtituit, quæ hodie Cardinalium tituli ſunt; ſic etiam fieri per omnes epiſcopatus ſtatuit, quod ex ejus ep. 2. ad Severum epiſcop. in primo tom. Concil. ſatis liquet, ubi ſic ait: [ De Eccleſiis parochianis, unde Apoſtolicam Eccleſiam conſulere voluiſti, qualiter ſint cuſtodiendæ per Cordubenſem provinciam, & dividendæ Sacerdotibus, nil tuæ charitati melius nobis videtur intimare, quam ut ſequaris quod nos in Romana Eccleſia nuper egiſse cognoſcitur; Eccleſias vero ſingulas ſingulis Presbyteris dedimus, parochias, cœmeteria eis diviſimus, & unicuique jus proprium habere ſtatuimus; ita, videlicet, ut nullus alterius parochiæ terras, terminos, aut jus invadat; ſed unuſquiſque ſuis terminis ſit contentus, & taliter Eccleſiam, & plebem ſibi commiſſam cuſtodiat &c. Hanc quoque normam cariſſime te, & omnes Epiſcopos ſequi convenit, & quod tibi ſcribitur, omnibus, quibuſcunque potueris, notum facias, ut non ſpecialis, ſed generalis fiat illa præceptio. ] Quamvis Baronius exiſtimet ab aliis Pontificibus Romanas parochias diviſas fuiſſe, ut in dict. *Titulus* dicetur; ſed quidquid de hoc ſit, quod ad præſentem rem noſtram nil pertinet; ſufficit enim ſolum in hac ſecunda reſponſione demonſtraſſe, quod Rom. Pontifices non primum gubernium animarum Epiſcopis; ſed eis territoria, ad exercendas ſuas juriſdictiones, diviſerint: & quod firmat Baronius de antiquiori ante Dionyſium Papam diœceſium diviſione, intelligendum eſt juxta Apoſtolorum inſtitutionem, quoad gubernium animarum; non vero quoad aſſignatam territorii juriſdictionem. Quo ad tertiam aſſertionem, dico, quod ſemel conceſſo, Epiſcopos tempore Apoſtolorum fuiſse inſtitutos, ſequitur per neceſſe etiam correlativas eorum diœceſes eis eſse aſſignatas: non tamen concrete, ſed abſtractive ut ſupra expoſui. De exiſtentia Epiſcoporum in primitiva Eccleſia conſtat ex Apoſtolicis actibus, cap. 20. [ Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos fratres Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos &c. Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem &c. 1. Timoth. cap. 3. ] & ſic paſſim in ejuſdem Apoſtoli epiſtolis. Et de facto extitiſſe tunc diœceſes, ac Principem Apoſtolorum plurimos Epiſcopos ordinaſſe, in diverſiſque locis ad prædicandum deſtinaſſe legimus; tunc enim gens deſtinata diœceſis abſtractive recte dici poterat. Item quod idem Princeps ordinaſſet a tribus Epiſcopis Epiſcopum conſecrari. Baron. An. 34. num. 29. quod Apoſtoli Epiſcopos Sacerdotes, ac Diaconos ordinaſſent. Idem An. 44. n. 77. quod in fundatione epiſcopatuum, & diœceſium habuerunt prærogativas reſpective ad Provincias juxta temporalem Gentilium Romanorum conſuetudinem. Idem An. 39. nu. 10. & ſeqq. & infra dicetur. Item quod Cathedræ primorum Epiſcoporum conſecrabantur. Idem An. 45. nu. 11. quod Epiſcopus peregrinus ad concionandum invitabatur ab Ordinario loci. Idem An. 46. num. 13. omnes enim hujuſmodi actus indicant profecto, epiſcopatus cum eorum gregibus extitiſſe. Vide *Primas*. Quod autem multo ante Nicænam Synodum patriarchales, ac epiſcopales diœceſes extitiſſent, conſtat etiam ex Ethnicis Scriptoribus; nam refert Vopiſcus, Adrianum Imp. hæc inter alia Severiano Coſ. ſcripſiſſe de Chriſtianis Præſulibus, nempe: [ Qui ſe Chriſti Epiſcopos dicunt;] & poſt pauca idem: [ Patriarcha cum Ægyptum veniret. In Saturnin. Imp. ] Quamvis non paucas in ea epiſtola Hadrianus falſitates ex Ethnicorum Ægyptiorum calumniis in Chriſtianos narret; conſtat tamen ex hac relatione collimitaneos Epiſcopos ſub Alexandrino Patriarcha tunc extitiſſe. Habebant igitur Epiſcopi eorum diœceſes abſtractive, non in territorio conſiſtentes; ſed in animarum converſione, ac directione, ſicut nunc Epiſcopi miſſionarii de propaganda fide in partibus infidelium. Nec obſtat primo, quod nomen Epiſcopi ſignificet ſuperintendentem; nam hæc eſſet de ſolo nomine quæſtio, dum hanc ipſam ſuperintendentiam cum Ambroſio, & Auguſtino verum epiſcopatum, & diœceſim appellabo, quia diœceſim non a territorio denominari ſupra ex Gelaſio viſum eſt, & ſuperintendere, ac ſuperimponere, ex Hieronymo ſupra laudato ſynonyma ſunt. Nec obſtat ſecundo diœceſes a Lino Pa-

pa

per diviſas eſſe, ut ex ejus verbis colligitur, in can. Epiſcopi non in caſtellis, diſt. 8. Nam ante Linum Clemens idem dixerat, ſeu clarius in D. Petri perſona, nempe: [ In illis vero Civitatibus, in quibus olim apud Ethnicos primi Flamines eorum, atque primi legis Doctores erant; Epiſcoporum primates, vel Patriarchas B. Petrus poni præcepit, qui reliquorum cauſas Epiſcoporum, & majora negotia in fide agitarent: ] & poſt pauca: [ In ſingulis vero reliquis Civitatibus ſingulos, & non plures conſtitui præcepit, qui Epiſcoporum tantum vocabula ſortirentur; quoniam neque inter ipſos par ſuit inſtitutio, ſed unus præfuit omnibus. Eadem diſt. 80. can. 2. ] & Clemens Papa III. inquit: Ex hoc ſiquidem data B. Petro a Domino poteſtate, ipſe, ac ſucceſſores ipſius per diverſa mundi loca conſtituerunt Epiſcopos, & dignitates per provincias diviſerunt. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſtit. 209. ] Quam S. Clementis auctoritatem Lucius Papa hagiographam recognoſcit, eadem diſt. 80. can. Urbes, & loca, ubi inquit: [ In ipſis vero Urbibus poſt adventum Chriſti Apoſtoli, ut eorum ſucceſſores, Patriarchas, & Primates poſuerunt. ] Quinimo Gloſſa de Chorepiſcopis, an ab Apoſtolis illi inſtituti fuiſſent, in can. Chorepiſcopi, diſt. 68. dubitat. Synonyma. Vide *Epiſcopium*. *Exarchus*. *Patriarchium*. *Præſulatus*. *Stauropegium*.

## * IN DIOECESI ITALIÆ

*Primatus Romanus.*

Italia, quo ſenſu de illa nos loquimur, quatenus pro omni territorio, quod præfecto Urbis, & Vicario *Italiæ* ſub Imperatoribus *Romanis* paruit, paullo amplioris, quam nunc quidem eſt, circuitus fuit. Nam non tantum *Sicilia, Sardinia* & *Corſica* inſulæ ſub hac appellatione comprehenſæ, ſed *Rhætia* etiam *Secunda*, hoc eſt ea pars *Germaniæ* quæ ab *Alpibus* ad *Danubium* uſque jacet. In hac amplitudine in duas magnas civiles diœceſes fuit diviſa, continentes ſeptemdecim imperii *Romani* provincias, & in hiſce provinciis plus minus trecentæ diœceſes epiſcopales fuerunt, quarum nomina adhuc ſuperſunt, locis ipſis magnam partem vaſtatis, vel in vicos mutatis, aliiſque novis epiſcopatibus in eorum locum conſtitutis. Non inquiremus hic ſtudioſius in recentiorum diœceſium numerum, & amplitudinem, eas dumtaxat contemplaturi, quæ antiquæ ſunt, & intra priora ſex ſæcula conſtitutæ, de quibus generatim obſervandum nobis eſt, hic de ampliſſimis alias, alias de anguſtiſſimis mundi chriſtiani diœceſibus, fuiſſe, neque tamen minus eamdem epiſcopatus formam in omnibus ac ſingulis, ſine ulla varietate ac diſcrimine, obtinuiſſe. Diœceſes ſuburbicariarum provinciarum, quæ *Romæ* proxime adjacebant, generatim exiguæ fuerunt, ſi cum eis, quæ ulterius ad ſeptemtrionem & occaſum in provinciis *Italicis* ſitæ erant comparentur. Nam circa *Romam* regio incolarum longe fertiliſſima, & civitates denſius poſitæ; quæ res tanto plures in his, quam in aliis provinciis ſedes epiſcopales erigendi occaſionem dedit. Hoc evidenter patebit, ſi provincias ſigillatim perluſtraverimus, & diœceſes alias cum aliis contulerimus. De quibus accuratius exponendi copia nobis erit, quod ab omnis ævi viris eruditis, ſpeciatim a *Cluverio*, *Holſtenio*, *Ferrario*, & *Baudrando* in pluribus hujus regionis locis particulatim, & exacte deſcribendis, earumque diſtantia a *Roma* & ab ſe invicem metienda magna opera navata eſt.

Ut ad rem igitur accedamus, *Primatus Romanus* ſex Provincias Eccleſiaſticas complectebatur: I. *Provinciam Romanam*. II. *Provinciam Sicilianam*. III. *Sardiniam*. IV. *Mediolanenſem*. V. *Aquilejenſem*. VI. *Ravennenſem*.

### I. Provincia Romana.

Hæc Provincia ſacra, cujus metropolis Roma, *Roma*, reſpectu alio admodum larga, alio autem admodum exigua diœceſis fuit. Ipſius Urbis & numeri incolarum intuitu una de maximis diœceſibus univerſi terrarum orbis vocari poteſt. Nam *Plinius* [lib. 3. c. 5.] de ea tamquam civitate *Veſpaſiani* temporibus omnium in toto orbe populoſiſſima, loquitur, ubi mœnia ejus collegere ambitu XIII. mill. paſſuum. Quod *Lipſius* [ de *magnitudine Romana* lib. 3. ] *Medus* [ in Apocalypſ. p. 488. ] aliique de urbe tantum intra mœnia intelligendum eſſe putant; nam alias modo XIII. mill. paſſuum in circuitu habuit, quando apocalypſim tempore *Domitiani* imperatoris ſcripſit *Joannes* Evangeliſta. Poſtea autem magna ei facta eſt acceſſio; nam ſub *Aureliano* imperatore *hiſtorici Vopiſc.* [ Vit. Aurel. ] de illa loquuntur, tamquam non minus L. mill. paſſuum ambitu ſuo complectente. Et ante hoc tempus non mediocris chriſtianorum multitudo illic fuit. *Cornelius* enim, qui ſæculo tertio medio vixit, de quadraginta ſex presbyteris [ epiſt. ad Fab. ap. Euſeb. lib. 7. cap. 43. ] loquitur, qui præter Diaconos, hypodiaconos, & alios inferiorum ordinum clericos, ad eccleſiam ſuam tunc temporis ſpectaverint. Et poſt dimidium circiter ſæculum plus quam quadraginta eccleſias in urbe iſta invenimus. Ex quo cum ratione inferri licebit, quod ſi plus quadraginta eccleſias ante ultimam perſecutionem *Roma* habuit, multo plures ſæculis inſecutis eam habuiſſe, oporteat, ubi tota urbs chriſtiana facta fuit. Sed ut in tam vaſtis hujus civitatis incrementis diœceſes valde amplæ intus fuerunt, ita ex eadem ratione parvæ admodum extus factæ ſunt. Nam quod initio territorium *Romæ* fuit, id poſtea in urbem ipſam ex incredibili illius incremento abſorptum videtur. Ita quidem ut nonnulli diœceſim *Romanam Innocentii* primi tempore nullas parochias in vicis ſibi ſubjectas habuiſſe, ſed univerſas intus in urbe fuiſſe exiſtiment: quia in epiſtola ſua ad *Decentium* Epiſcopum *Eugubinum* [ Innocent. epiſt. 1. ad Decent.

c. 5.

c. 5. tom. 2. concil. p. 1247. ] hanc differentiam inter diœceſes alias & *Romanam* facere videatur, quod in diœceſi *Romana* ſacramenta de Eccleſia primaria ad presbyteros, in aliis Eccleſiis miniſtrantes, traſmitti ſoleant, quam omnes Eccleſiæ intra civitatem ſint conſtitutæ; quod hoc autem in aliis locis, parochias rurales [ ibid. ] habentibus, fieri non poſſit, quia ſacramenta ad loca longe diſtantia portari non conveniat. Sed utcumque res ſe habet ( neque enim viri docti de ea conſentiunt ) hoc certum eſt, diœceſim *Romanam* a nulla parte longius per vicos extendi potuiſſe; quod ea uſquequaque vicinis oppidis circumjacentibus eſset cincta. A latere ſeptemtrionali hiſce temporibus epiſcopalem urbem *Fidenas* habebat. Ad latus occidentale diœceſi *Gabienſi* terminata erat. Paullo inferius ad auſtrum Diœceſis *Subauguſta* proxime ad *Romam* ſita. Hic *Helena* mater *Conſtantini* ſepulta jacebat, unde urbs dicta *Subauguſta Helena*. *Holſtenius* [ adnotat. in geogr. Car. a S. Paulo p. 11. ] veſtigia ejus adhuc exſtare dicit ad *Turrim*, *Pignataram* vulgo dictam. Adeo propinqua *Romæ* fuit, ut ſcriptores, qui de ſepultura *Helenæ* loquuntur, eam *Romæ* in Eccleſia *S. Marcellini* in via *Lavicana* ſepultam eſse, plerumque dicant: quod de eccleſia *S. Marcellini* in civitate *Subauguſta* intelligendum eſt, quæ in via inter *Romam* & *Lavicos* ſita fuit, unde viam etiam viam *Lavicanam* appellarunt. Si oculos ad meridionale *Romæ* latus juxta *Tiberim* fluvium muro verſus convertimus, tres diœceſes in tribus civitatibus offendimus, quarum nulla ultra xv. mill. paſſum a *Roma* abſuit. Erant hæc *Oſtia*, *Portus Auguſti* & *Sylva Candida*. Quarum duæ priores inter duo mill. paſſuum altera ab altera diſtabant, *Oſtia* ad latus orientale & *Portus* ad latus occidentale *Tiberis*; & *Sylva Candida* paullo ulterius ad occaſum a *Portu*. Situm & diſtantiam *Oſtiæ* & *Portus* a *Roma* ab antiquis pariter & recentioribus geographis exacte deſcriptam habemus. In *Antonini itinerario* xix. mill. paſs. abeſse dicitur, *Holſtenius* [ in Cluver. Ital. p. 79. ] autem antiqua milliaria recentioribus breviora fuiſse, oſtendit, adeoque ipſe & *Ferrarius* aliique accurate xvi. milliaria inter hæc loca & *Romam* computant. Quæ quidem loca quando fuerunt *Portus*, probabiliter Diœceſes ſuas præcipue protenderunt *Romam* verſus, quæ priorum iſtorum amplitudinem imminuit. Sed plures aliæ civiles Provinciæ in eodem ambitu circa *Romam* poſitæ, nec longius multo diſſitæ fuerunt; inter quas præcipuæ ſunt novem illæ Regiones Suburbicariæ, quæ abſque Metropolibus Eccleſiaſticis erant; nam aliæ duæ Suburbicariæ ſacras habebant Metropoles. De his plura videbimus, quando cujuſque provinciæ particularis diœceſes enarrabimus, limiteſque earum conſtituemus, quæ de mutua propinquitate fuerunt illuſtriores.

## Latium et Campania.

Initium ab iſtis provinciis faciemus, quæ proprie *Romanæ*, in oppoſitione reliquarum *Italicarum* diœceſium, dicuntur: & in qualibet nomina & numerum antiquarum diœceſium epiſcopalium indicabimus, ut lector hujus rei ſtudioſus cognitionem ſuam geographicam, ſtatum earum curatius perquirendo, exercere poſſit. Harum regiones, quæ primum contemplandæ nobis occurrunt, ſunt *Latium* & *Campania*, antiquam *Italiæ* gloriam, juxta mare *Tuſcum* ortum verſus ad *Silarum* amnem a *Tiberi*, & portis *Romæ*. Hæc licet in civili, & eccleſiaſtica notitia pro una duntaxat provincia habeantur, tamen, quum *Latium* a *Campania* plerumque diſtinguatur, primum de Diœceſibus in eo obviis, tamquam proximis vicinis *Romæ*, verba faciemus. Hæc regio antiquis temporibus *Tiberi*, *Aniene*, & *Lyri* amnibus clauſa, quorum ultimus a *Campania* proprie ſic dicta eam ſeparabat. Hodie *Campaniam Romanam*, vulgo *Campagna di Roma*, & Partem *Terræ Laboris*, vulgo *Terra di Lavoro* in Regno *Neapolitano* continet. Fuerunt olim in ea viginti tres Diœceſes, ut *Carolus a Sancto Paulo & Holſtenius* computarunt. 1. *Subauguſta*. 2. *Oſtia*. 3. *Gabii*. 4. *Albanum*. 5. *Alba*. 6. *Antium*. 7. *Tres Tabernæ*. 8. *Velitræ*. 9. *Tuſculum*. 10. *Lavici*. 11. *Præneſte*. 12. *Signia*. 13. *Anagnia*. 14. *Ferentinum*. 15. *Aletrium*. 16. *Veruale*. 17. *Tarracina*. 18. *Fundi*. 19. *Formiæ*. 20. *Aquinum*. 21. *Caſſinum*. 22. *Atina*. 23. *Sora*. Ex hiſce, *Subauguſta* prope *Romam* ſita, *Oſtia* xvi. mill. paſſuum a *Roma* & duabus a *Portu*; *Gabiis Romana* xiii. mill. paſſuum & totidem ad *Præneſte*. *Tuſculum*, quod nonnulli pro *Tuſculano*, ubi *Cicero* quæſtiones *Tuſculanas* ſcripſit, falſo accipiunt, urbs fuit, hodie dicta *Freſcati*, ſecundum *Ferrarium* xii. tantummodo mill. paſſ. a *Roma* diſſidens. *Signia*, vulgo *Segni*, inter *Tuſculum* & *Anagniam*, hinc & inde vi. mill. paſſuum, a *Præneſte* ix. & a *Roma* xxx. mill. paſſ. ſeparata, uti ex *Holſtenio* fidem nobis facit *Baudrandus* [ lexic. voce *Signia*. ] Idem auctor [ voce *Ferentium* ] *Ferentium* modo v. mill. paſſ. ab *Anagnia*, & iv. ab *Aletrio* abeſſe dicit; & *Ferrarius* [ voce *Verulæ* ] *Verulas* medias fere inter *Anagniam* & *Soram* ix. vel x. mill. paſſ. ſtatuit. *Lavici*, teſte *Holſtenio* [ in Ital. Cluver. pag. 194. *Procedit.* ] xv. mill. paſſ. a *Roma*, interveniente nihilominus illis *Subauguſta*; hæc enim in via *Lavicana*, *Roma Lavicos* recta ducente poſita. *Albanum* & *Alba* ab auctoribus quibuſdam confunduntur; *Holſtenius* [ ibid. pag. 133. *Albanum* ] autem pro diſtinctis urbibus habet, & *Ferrarius* [ voce *Alba longa* ] illud xxi. mill. paſſum, hanc *Baudrandus* xiv. mill. paſs. a *Roma* computat. Sed forte alterutrum oppidum ex alterius tantummodo ruinis, ortum fuit, quia non plus ii. mill. paſs. ab ſe invicem fuerunt diſtincta. A *Velitris* ad *Albam* iv. tantum mill. paſs. & xx. ad *Romam*, *Ferrarius* [ voce *Velitræ* ] ab *Antio* in ora maris *Tuſci* ad *Velitras* xiv. ad *Oſtiam* xx. mill. paſs. ut *Baudrandus* docet. [ lexic. voce *Antium* ]. Inter *An-*

*tium* & *Velitras Tres Tabernæ*, locus ubi chriſtiani ex urbe *Roma Paulo* apoſtolo in occurſum prodierunt. *Carolus a Sancto Paulo*, eamdem civitatem eſſe putat, quæ hodie dicitur *Ciſterna*, ſed *Holſtenius* [ adnot. in Carol. a S. Paulo p. 9. *Tres Tabernæ* ] inde paullo in via *Appia* remotam fuiſſe exiſtimat prope *Velitras*, ita quidem, ut *Gregorius Magnus* has duas diœceſes conjunxerit. *Ferrarius* [ voce *Tabernæ* ] v. duntaxat paſſuum millibus a *Velitris*, & XXVI. ( vel ſecundum *Baudrandum* XXI.) a *Roma*, v. ab *Aricia* & XXII. ab *Appii Foro*, altero loco, ubi fratres S. *Paulo* obviam facti, abfuiſſe judicat. Equidem nec *Aricia* nec *Appii Forum* tanquam ſedes Epiſcopales ulli veterum ſcriptorum memorantur. At *Ferrarius* [ voce *Aricia* ] utrique loco hanc dignitatem adſignare videtur. Nam *Ariciam* urbem & coloniam claram *Latii* fuiſſe, dicit, quæ ſecundum communem eccleſiæ regulam hoc ipſo titulum ſedis epiſcopalis habuit. Neque objici poteſt, quod tantum XVI. mill. paſſuum a *Roma* & IV. vel V. ab *Alba*, *Tribus Tabernis* & *Velitris* abfuerit, jam enim vidimus, plures alias civitates in hoc tractu haud majori intervallo alias ab aliis diſſediſſe. De *Appii Foro* confidentius loquitur, dicitque, urbem olim epiſcopalem [ *Ferrarius* voce *Forum Appii* ] fuiſſe, etiamſi nullum hujus rei teſtimonium adfuerat. Sed ratio quædam ſubeſt, ut dictis ejus fidem habeamus, quia urbs erat mediocri intervallo a quavis alia ſeparata. Nam *Tarracina* in eurum ferme XII. mill. paſſuum inde recedebat, & *Tres Tabernæ* in occaſum ſupra XX., ut adeo aut *Tres Tabernæ* & *Tarracina* ampliores diœceſes, quam quidem in hiſce partibus eſſe conſueverunt, habuerunt, aut *Appii Forum* illis invenerit, oporteat. Sed miſſum hoc facimus, quod in rebus dubiis, ubi antiqua documenta deſunt, aliquid certi definiri nequit. Igitur ad ea, quæ certiora ſunt, progredimur. A *Tarracina* ad *Fundos* ſecundum recentiores geographos [ idem voce *Fundi* ] X. tantum mill. paſſ. fuerunt, tametſi in *itinerario Hieroſolymitano* [ Apud *Holſt.* adnot. in Ital. Cluv. p. 218. ] XIII. & in *itinerario Antonini* XVI. habeantur. *Fundis Formias* eadem itineraria XII. & XIII. mill. paſſ. computant, quam diſtantiam *Ferrarius* ex recentioribus geographis X. duntaxat mill. paſſuum æſtimat, lectorem ſuum adverſus grandem errorem hic [ *Ferrarius* voce *Formiæ* ] præmuniens *Strabonis*, *Formias* a *Tarracina* CCCC. ſtadiis, hoc eſt L. milliaribus, diſtare ſcribentis, quum ne CC. quidem ſtadiis diſtent. Si a mari aliquantum ſurſum verſus ad eam *Latii* partem, quæ inter eurum & aquilonem jacet, oculos convertimus, *Aquinum* illic & *Caſſinum* conſpicimus, V. tantum mill. paſſ. alterum ab altero ſeparatum, & *Atinam* ejuſdem diſtantiæ a *Caſſino*, & *Soram* XII. mill. paſſ. ab *Atina*, XII. a *Ferentino*, XVI. a *Caſſino* & LX. a *Roma* diſſitam. Ut adeo in terræ tractu LXX. veterum *Italicorum* milliarium, quæ non prorſus LX. ex recentioribus conficiunt, viginti circiter vel triginta epiſcopatus, pro numero urbium *Latii*, florentiſſimis imperii *Romani* temporibus fuerint.

E *Latio* in *Campaniam* progrediendum nobis eſt, ubi primum *Minturnas* invenimus, locum hodie *Scaffa del Garigliano* vocitatum, non procul ab oſtiis *Liris* fluvij, IX. mill. paſſuum a *Formiis* & totidem a *Sinueſſa*, ut *Ferrarius* [ voce *Minturnæ* ] computat. Paullo ſuperius *Teanum*, nunc *Tiano* dictum, VIII. mill. paſſuum a *Sueſſa*, a *Capua* XII. & *Calenum* totidem a *Capua Sueſſæ* urbi propinqua ad VI. mill. paſſuum totidem fere a *Sinueſſa*, ſecundum computationem *Ferrarii* [ voce *Teanum* ] *Carolus a S. Paulo Calenum* pro eo loco, qui hodie *Cagli* dicitur, accipit & alii pro *Calibus*, ſed *Holſtenius* [ adnot. in Cluver. p. 25?. ] hoc oppidum idem cum *Carinola* eſſe oſtendit, quæ nunc ſedes epiſcopalis eſt, ex *Baudrandi* ſententia IV. tantum mill. paſſuum a *Sueſſa* & totidem ab ora maris *Tuſci* diſtans. Proxime ultra haſce diœceſes *Vulturnum*, hodie *Caſtel di Bitorno* ad Oſtia *Vulturni* fluvii VIII. mill. paſſuum a *Sinueſſa*, IX. a *Linterno*, & X. a *Capua*. Quinque mill. paſſuum ultra *Linternum* in eadem ora *Cumæ*, & III. mill. paſſuum intra haſce *Miſenum*, unde Puteoli ſimiliter III. mill. paſſ. & *Puteolis* ad *Neapolim* VI. ſecundum *Ferrarii* computationem. Duodeviginti circiter mill. paſſuum ultra *Neapolim Stabiæ* erant, & ab his VI. mill. paſſ. *Surrentum* ad eamdem oram, ultra quod *Amalphia* & *Salernum*, quorum hoc poſterius a *Neapoli* XXIV. duntaxat mill. paſſuum diſtare *Ferrarius* auctor eſt. Ad latus *Neapolis* ſeptemtrionale & orientale *Nola* erat, quæ non amplius XII. mill. paſſ. ab ea diſtare potuit. Nam *Holſtenius* [ in Ortel. p. 133. ] obſervat, *Octavianum*, villam ſub *Veſuvio* monte, ubi *Octavius Auguſtus* mortuus eſt, in via ad utramque iſtam urbem fuiſſe, V. mill. paſſ. a *Neapoli* & VII. a *Nola*. Inter *Nolam* & *Capuam Acerra* ſita, VI. mill. paſſuum a *Nola*, VIII. a *Neapoli* & a *Capua* X. Nam *Nolam* inter & *Capuam* XX. duntaxat antiqua milliaria *Italica* fuerunt, uti a *Paulino* Epiſcopo *Nolano* [ Paulin. ad Cyther. Carm. XIII. p. 492. edit. Anteverp. MDCXXII. 8. ] condiſcimus, qui hac in re falli non potuit. *Neapolis* & *Capua* XVI. tantum mill. paſſ. ſeparatæ, & tamen *Atella*, hodie *S. Arpino*, vel *S. Elpidio* illis fuit intermedia. *Ferrarius* [ voce *Atella* ] enim utramque VIII. mill. paſſ. abfuiſſe, dicit, *Calatia* tantumdem viæ in boream a *Capua*, *Venafrum* non niſi X. mill. paſſuum a *Caſſino*; *Abellinum* maxima diœceſis in omni *Campania*, XVI. mill. paſſ. a *Benevento*, & totidem a *Nola Salerno* & *Frequento* in Provincia *Samnii* cui poſtea, ut *Baudrandus* [ voce *Abellinum* ] perhibet, conjunctum fuit. Quod ſi igitur omnes haſce *Italicas* diœceſes, quas hactenus enumeravimus, conjungamus, ultra quadraginta aſcendunt. Et tamen omnis hæc regio ſimul ſumpta in longiſſima ſua parte non

non amplius cc. mill. paſs. ad oram maris *Tuſci* extenſa. Quod ſpatium Lector curioſus inter XLIII. diœceſes diſpertitum poteſt ſic examinare, num menſuram, quam illis ſupra adſignavimus, excedant.

TUSCIA ET UMBRIA.

*Tuſciam* & *Umbriam*, vulgo la *Toſcana* e il *Ducato di Spoleto* civiles pariter, & eccleſiaſticæ *notitiæ* ſemper conjungunt tamquam unam provinciam, etſi diſtinctos alioquin habentem terminos. *Tuſcia* eadem fuit, quæ olim *Etruria*, *Tiberi* fluvio ad ortum, *Martha* amni ad occaſum, *Appenino* monte ad ſeptemtrionem & ad meridiem mari *Tuſco* terminata; hodie in parte orientali *Patrimonium S. Petri*, & in occidentali ducatum *Florentinum* ſeu *Tuſcanienſem* includens. In hac provincia a *Carolo a S. Paulo* triginta quinque antiquæ Diœceſes obſervantur. 1. *Portus Auguſti*, vulgo *Porto*. 2. *Sylva candida*, vulgo *S. Ruffina*. 3. *Nepe*, vulgo *Nepi*. 4. *Aqua viva*, al. *Carpenatum urbs*. 5. *Phalaris*, al. *Falerium*, hodie *Città Caſtellana*. 6. *Ferentium*, alias *Ferentinum*, vulgo *Ferento*. 7. *Polymartium*, vulgo *Bomarzo*. 8. *Hortanum* vulgo *Orti*. 9. *Blera* hodie *Bieda*. 10. *Sutrium*, hodie *Sutri*. 11. *Tarquinia*, aliis *Tarquinii*, vulgo *Tarquene*. 12. *Salpis*. *Holſtenius* autem, hanc pro *Sæpino* in *Samnio* provincia perperam poſitam, exiſtimat. 13. *Tuſcania*, vulgo *Toſcanello*. 14. *Balneum Regis*, hodie *Bagnarea*. 15. *Peruſia*, vulgo *Perugia*. 16. *Urbs vetus*, hodie *Orvieto*. 17. *Cluſium*, vulgo *Chiuſa*. 18. *Cortona*, hodie nomen retinet. 19. *Aretium*, nunc *Arezzo*. 20. *Volſinium*, hodie *Bolſena*. 21. *Centumcellæ*, nunc *Città Vecchia*. 22. *Graviſca*, vulgo *Mont' alto*. 23. *Cornetum*, al. *Cornuctum*, vulgo *Corneto*. 24. *Forum Claudii*, vulgo *Oriolo*. 26. *Luca*, hodie nomen retinet. 27. *Luna*, vulgo *Luni*. 28. *Sena*, hodie *Siena*. 29. *Florentia*, hodie *Fiorenza*. 30. *Fæſulæ*, hodie *Fiezoli*. 31. *Suana*, hodie *Soana*. 32. *Marturanum*. 33. *Ruſella*, vulgo *Roſello*. 34. *Populonia*, vulgo *Porto Baratto*. 35. *Volaterræ*. Quibus *Holſtenio* obſervante, accedunt *Volſcæ* vel Civitas *Bulcentina*, *Caſtrum Valentini* & *Lorium*. Jam vero ex hiſce nonnullæ *Romæ* valde propinquæ, ſed tamen inter ſe aliæ aliis adhuc propinquiores fuerunt. *Nepe* quatuor duntaxat mill. paſſuum a *Sutrio* diſſidebat, uti quidem *Ferrarius* [ lexic. geogr. voce *Nepe*. ] computat, atque ita duo epiſcopatus poſtea juncti fuerunt, ut idem auctor tradit. *Portus Auguſti* ab uno latere *Oſtia* duobus tantum mill. paſſuum inde diſtante, uti *Ferrarius* [ ibid. voce *Oſtia*. ] & *Cluverius* ſtatuunt; & ab altero latere *Sylva Candida*, cui *Carolus a S. Paulo* eamdem inde diſtantiam tribuit, terminabatur. *Falerium* ſeu *Phaleris* v. circiter vel VI. mill. paſſuum a *Nepe* *Cluverio* [ Ital. lib. 2. p. 357. ] & IV. mill. paſſuum ab *Hortano* abfuiſse *Ferrario* [ lexic. voce *Hortanum*. ] dicitur, qui *Hortanum* apud *Tiberim* fluvium ex adverſo *Ocriculi* in *Umbria* ſitum eſse, & ab eo IV. mill. paſsuum in occaſum diſtare, ait. *Holſtenius* [ adnot. in Cluver. p. 80. ] ex *itinerario Hieroſolymitano*, *Aquam Vivam* XII. duntaxat mill. paſſum ab *Ocriculo* disjunctam & *Phalerim* illis interpoſitam fuiſse, oſtendit. *Polymartium*, computante *Ferrario* [ voce *Polymartium* ] modo v. mill. paſſuum in occaſum ab *Hortano* & *Ferentium* eodem fere intervallo a *Polymarſio* diſeparatum fuit; qui duo poſteriores epiſcopatus jam ante concilium *Romæ* ſub *Martino* ad ann. DCXCIX. habitum, conjuncti fuere, quemadmodum e ſubſcriptionibus iſtius concilii *Carolus a S. Paulo* colligit. *Bleram* inter & *Forum Claudii* non amplius IX. mill. paſsuum, ut ex antiquis itinerariis demonſtrat *Holſtenius* [ in Cluver. p. 47. ] & inter *Forum Claudii* & *Sutrium* tantummodo quinque mill. paſs. ſecundum computationem *Cluvetianam*. *Lorium* XII. duntaxat mill. paſsuum ab urbe *Roma* in via ad *Centumcellas*. *Tarquinia*, ſecundum *Ferrarium* [ lexic. voce *Tarquinia* ] v. circiter mill. paſs. a *Corneto*, & totidem fere a *Graviſca*, ſecundum tabulas *Cluverii*, disjuncta fuit. Quod tanto veriſimilius videtur, quod *Holſtenius* [ adnot. in Carol. a S. Paulo p. 8. *Cornetum* ] has tres diœceſes tandem in unam coaluiſse, obſervat. *Centumcellæ* ad mare XII. mill. paſsuum a *Graviſca* diſſitæ, uti ex *itinerario Hieroſolymitano* apud *Holſtenium* [ in Cluvar. pag. 80. ] videre eſt. *Tuſcania* & *Volſinium*, & *Urbs Vetus*, hodie *Orvieto* dicta, & *Balneum Regis* eamdem fere diſtantiam aliæ ab aliis habuerunt. Atqui hæ urbes univerſæ in iſto exiguo terræ tractu jacebant, qui hodie *Patrimonium S. Petri* audit, & in ortum ac ſeptemtrionem *Tiberi* fluvio, ad occaſum *Martha* fluvio, & ad meridiem mari *Tuſco* circumdatur. *Regio* non amplius L. mill. paſsuum in quadratum habens, ut recte eam deſcribit *Cluverius*. Nam a *Roma* *Centumcellas* uſque, X. mill. paſsuum a *Martha* fluvio, qui hodie *Patrimonium S. Petri* a Ducatu *Caſtrenſi* dividit, diſtantes, *Cluverius* & *Holſtenius* [ ibid. p. 78. ] ex itinerario *Antonini* recta via *Aurelia* XLVII. tantum mill. paſsuum computant, quod intervallum ex hodierna æſtimatione XL. milliaria haud excedit. Ut adeo, quum in hoc terræ tractu viginti epiſcopi fuerint, *Roma* numero incluſa, ſi omnes diœceſes æquales ſtatuerimus, unaquaque diœceſis X. circiter vel XII. mill. paſsuum in quadratum habitura ſit. Atque hinc apparet, quod, ſicut in quibuſdam regni *Neapolitani* partibus diœceſes magis multiplicatæ, quam quidem priſcis ſæculis, fuerint, ita quoque in his & aliis ditionis pontificiæ partibus mirifice imminutæ ſint. Nam hodie vix dimidius earum numerus reliquus eſt, quia duæ, tres, quatuorve ſæpenumero in unam coaluerunt. *Ferrarius* enim *Viterbium* e trium vetuſtarum civitatum, *Ferenti Ferrarius* [ lexic. voce *Ferentia* ] *Tuſcaniæ* & *Polymarrti* ruinis an. MLXXIV. ortum eſse dicit. Ita *Civitas Caſtellana* ex *Faleris* & *Hortani*

*tani* caſu exſtitit. *Sutrium Nepæ*; *Cornueto Tarquinia* & *Graviſca* junctæ fuerunt; ut plures hujuſmodi non memorem quæ ad hanc noſtram non ſpectant diſquiſitionem. Quod ad diœceſes attinet, quæ in occidentalibus *Tuſciæ*, hodie ducatus *Tuſcanienſis* dictæ, partibus ſitæ fuerunt, multo ampliores fuerunt, facta cum prioribus comparatione: nam ſi a *Feſulis*, III. tantum mill. paſsuum a *Florentia* [ Cluver. Ital. lib. 2. p. 452. ] diſtantibus, diſceſſeris, omnes reliquæ diœceſes latius patebant. Cujus rei hoc tantum documentum dare me debere exiſtimo, quod hæc pars *Tuſciæ* [ *Ferrarius* lexic. geogr. voce *Tuſcia*. ] plus quam CC. mill. paſsuum longa, & prope C. mill. paſsuum lata habeatur, pontificis *Romani* ditione excluſa. Quem terræ tractum ſi inter XV. vel XVI. diœceſes diſtribueris, ſatis amplum ſingulis territorium adſignabitur. Ut adeo ad uberiorem earum enarrationem deſcendere neceſſe non ſit.

Quod ſi autem rurſus in *Umbriam Romam* propius deſcenderimus, ejuſdem ibi magnitudinis diœceſes, & æque frequentes atque in *S. Petri Patrimonio* offendemus. Nam exiguus tantum terræ tractus erat, *Nare* & *Tiberi* fluviis & *Apennino* monte terminatus, & pars duntaxat veteris *Umbriæ*, ultra *Apenninum* ad mare *Adriaticum* pertingens. In præſenti *Umbria Carolo a S. Paulo* duodeviginti diœceſes memorantur. 1. *Ocriculum* aliis *Utriculum* & *Otriculum*, vulgo *Otriculi*. 2. *Narnia*, vulgo *Narni*. 3. *Tuder*, vulgo *Todi*. 4. *Meſania*, vulgo *Bevagna*. 5. *Tefernum Tibernium*, hodie *Città di Caſtello*. 6. *Interamnia*, vulgo *Terni*. 7. *Ameria*, vulgo *Amelia*. 8. *Trebias* vulgo *Trevi*. 9. *Spoletum*, hodie *Spoleto*. 10. *Fulginum*, hodie *Fuligno*. 11. *Camerinum*, vulgo *Camerino*. 12. *Hiſpellum*, hodie *Spello*. 13. *Aſſiſium*, vulgo *Aſſiſi*. 14. *Forum Novum*, hodie *Veſcovio*. 15. *Forum Flaminii*, vulgo *For Flammo*. 16. *Vettonium*, vulgo *Bittona*. 17. *Nuceria*, hodie *Nocera*. 18. *Eugubium*, vulgo *Gubbio*. Quibus *Holſtenius Tadinum* [ adnot. in Carol. a S. Paulo p. 9. *Tadinum* ] addit & *Martulam*. Jam vero quinque ex hiſce oppida *Fulginum*, *Hiſpellum*, *Aſſiſium*, *Forum Flaminii* & *Mevania* ita erant poſita, ut eorum nullum ab alio ultra x. mill. paſſuum diſtaret. *Fulginum* ad boream *Nuceriam* verſus pro limite habebat *Forum Flaminii*, quod *Ferrario* [ lex. voce *Forum Flaminii* ] auctore, III. tantum mill. paſſuum inde diſtabat. *Hiſpellum* totidem paſs. in via *Aſſiſium* verſus. *Trebia* ad eurum non niſi VI. mill. paſſuum a *Fulgino* & IX. mill. paſſuum a *Spoleto*, ut idem *Ferrarius* [ Ibid. voce *Trebia* ] auctor eſt, qui quoque XV. tantum mill. paſsuum *Fulginum* inter & *Spoletum* ſtatuit; adeo ut *Trebia* recta via inter iſta duo oppida poſita fuerit, neceſſe ſit. Ad auſtrum *Fulginum* rurſus *Mevania* claudebatur, VI. duntaxat mill. paſsuum [ Idem voce *Mevania* ] inde diſſita. Ad occaſum *Aſſiſium* erat, oppidum in recentioribus hiſtoriis *Franciſci*, patris *Franciſcanorum*, natalibus clarum; & hoc tantummodo x. mill. paſsuum a *Fulgino* & XII. circiter mill. paſsuum a *Peruſia* in *Puſcia* abfuiſse, *Baudrandus* [ voce *Fulginum* ] judicat. Si paullo ulterius ad ſeptemtrionem oculos convertimus, a Foro Flaminii ad *Nuceriam* IX. mill. paſſuum a *Ferrario* [ voce *Nuceria* ] computantur. *Nuceriam* inter & *Tadinum* ( cujus veſtigia obſervante *Holſtenio* [ adnot. in Carol. a S. Paulo p. 9. ] in via *Flaminia* prope *Gualdum* in ſummo *Apennino* viſuntur) *Holſtenio* [ idem adnot. in Ital. Cluver. p. 86. ] & *Baudrando* computantibus non amplius VIII. mill. paſsuum. Et inter *Tadinum* & *Eugubium* fere XIII. mill. paſsuum. Hic vero diœceſes ampliores ſeſe offerebant juxta occidentales hujus provinciæ partes, quemadmodum antea de *Tuſcia* obſervatum nobis eſt. Nam ad occidentale *Eugubii* latus nulla fuit civitas inter hoc & *Tifernum Tiberinum*, quod xx. mill. paſs. inde diſtabat. Neque *Tifernum Tiberinum* propinquius ſibi oppidum quam *Aretium* habuit, quod ab eo XVIII. mill. paſs. & *Callium* XXII. mill. paſs. & *Peruſia* XXIV. mill. paſsuum *Baudrandus*, & *Ferrarius* [ lexic. voce *Tifernum* ] æſtimant. Quod ſi vero *Romam* verſus denuo reſpexerimus, & a monte *Apennino* ad auſtrales hujus provinciæ partes, juxta *Narem* & *Tiberim* fluvios, deſcendimus, primum hic offendemus *Martulam* ad *Narem* fluvium, quam non amplius VI. mill. paſsuum a *Spoletio* in ortum abfuiſse, fidem nobis facit *Holſtenius* [ adnot. in Ital. Cluver. p. 98. *Fanum Martis*. ] Deorſum eumdem fluvium verſus interamna ejuſdem ferme diſtantiæ a *Martula*. Et infra hanc *Narnia*, quam *Cluverius* [ Ital. p. 526. ] ex *itinerario Hieroſolymitano* ab Interamnio IX. tantum milliaria computat; *Holſtenius* [ adnot. in Cluver. p. 95. ] autem, qui diſtantiam dimenſus eſt, & paſsus numeravit, modo V. milliaria & partes duas tertias a *Narnienſi* porta ad portam *Ireteramnii* eſse dicit. Paullulum ad occaſum *Narniæ*, *Ameria* jacebat, ab ea vix VI. mill. paſsuum diſtans, ut *Ferrarius* [ voce *Ameria* ] auctor eſt. Et ad meridionale *Narniæ* latus paullo inferius ad *Narem* fluvium *Romam* verſus *Ocriculum* poſitum, quod *Itinerarium Hieroſolymitanum* apud *Cluverium* [ Ital. p. 526. ] XII. mill. paſsuum a *Narnia* locat, *Ferrarius* autem ex recentioribus computationibus VIII. tantum mill. & ab *Hortano* in *Umbria* IV. mill. paſsuum ſtatuit. In media hac provincia ad *Tiniæ* & *Aſii* fluviorum confluentes inter *Meraniam* & *Peruſiam Vettonium* erat, quod VI. mill. paſsuum a *Mevania* & VIII. a *Peruſia* in *Tuſcia Ferrarius* [ lexic. voce *Vectionenſes* ] ſtatuit. Ut adeo omnes hujus provinciæ Diœceſes, duabus vel tribus exceptis, admodum parvæ fuerint, nec, ſi omnes æquales ſtatuas, plus VIII. vel. x. mill. paſsuum in longitudinem habuiſse, cenſendæ ſint, ſiquidem vix tanto intervallo civitas alia ab alia ſeparata fuit. Quam ob cauſsam diverſis civitatibus collapſis plures harum diœceſium ſæculis ſubſecutis uni-

tæ fuerunt. Nam *Tadinum Nuceriæ* junctum, uti *Holſtenius* [ in Ital. Cluver. p. 86. ] tradit. *Hiſpellum* & *Forum Flaminii* in *Fulginum* coaluerunt. Ita *Mevania* & *Trebia* collapſæ, & aliis diœceſibus junctæ fuerunt, in omni hac provincia, quantum quidem ego cognoſcere potui, nulla nova diœceſi conſtituta.

### VALERIA.

Ex *Umbria* primum greſſum ortum verſus in *Valeriam* dirigimus, quæ *Holſtenio* ita vocitata videtur a via *Valeria*, quæ recta per illam ducebat. In boream *Apennino* monte, in occaſum *Nare* flumine, *Umbriam* ab ea diſterminante, in auſtrum *Tiberi* & *Aniene* fluviis, a *Latio*, ſeu ea regione, quæ hodie *Campagna di Roma* dicitur, illam ſeparantibus, terminabatur. In eurum *Samnio* finitima erat, a quo per foſſam, ab *Aterno* fluvio ad Oſtia *Anienſis* deductam, diſcernebatur. *Sabinorum* olim & *Marſorum* ea regio fuit & pars *Latii* veteris, & hodie *Sabina* in ea parte dicitur, quæ *Romam* verſus deflectit, & quod reliquum eſt, pars hodierni Ducatus *Spoleto*, & *Abruzzo* eſt. In hac provincia, *Carolo a S. Paulo* recenſente, undecim diœceſes fuerunt. 1. *Fidenæ*, vulgo *Caſtel Jubileo*. 2. *Nomentum*, vulgo *Lamentana*. 3. *Tibur*, hodie *Tivoli*. 4. *Nurſia*, nunc *Norza*. 5. *Marſi* al. *Marruvium* & *Valeria*. 6. *Praneſte*, hodie *Paleſtina*. 7. *Furconium*, nunc *Forconio*. 8. *Amiternum*, hodie *S. Vittorino*. 9. *Reate*, vulgo *Rieti*. 10. *Cures*, vulgo *Cureſe*. 11. *Liſta*. Sed *Holſtenius* [ adnot. in Carol. a S. Paulo p. 16. ] earum ultimam pro *Liſſo*, ſive, ut hodie dicitur, *Aleſſio* in *Prævalitana* ad alteram maris *Adriatici* oram poſitam eſſe, & *Præneſte* ad *Latium* pertinere, obſervat. Quarum in locum duas alias ſubſtituit, *Pitinum* & *Forum Novum*, ſive *Sabinum*, hodie *Veſcovio* olim primariam *Sabinorum* civitatem. Jam vero ex hiſce *Fidenæ* a portis *Romæ* v. duntaxat mill. paſſuum aberant. *Nomentum* a *Fidenis* circiter VIII. mill. paſſ., & XII. mill. a *Roma*, quemadmodum ex *Sanſone*, & *Brietio* demonſtrât *Baudrandus* [ voce *Nomentum*.] licet alii ſupra *Tibur* x. mill. paſſuum & XXVI. a *Roma* id ſtatuant. *Tibur* ipſum a *Roma* XVI. mil. [ *Ferrarius* voce *Tibur* ] paſſuum diſtabat. Sed hæc ampla diœceſis præ iſtis omnibus fuit. Nam *Holſtenius* [ in Ital. Cluver. p. 147. ] *Sublaqueum* epiſcopo *Tiburtino* paruiſſe obſervat, uſque dum monaſterium evaſiſſet, omni Juriſdictioni epiſcopali exemptum; & *Baudrandus* [ voce *ſublaqueum* ] hanc abbatiam quatuordecim vicos ſub ſe habere auctor eſt. *Præneſte* XIII. mill. paſſ. a *Gabiis* & XIV. mill. paſſ. ab *Agnania*, nec tantum a *Nomento* abfuit. *Cures*, hodie *S. Antimo*, ſecundum *Ferrarium* [ voce *Cures*.] tantummodo x. mill. paſſ. a *Reate*, & probabiliter paulo propius a *Nomento* diſſitæ, quia *Carolus a S. Paulo* [ geogr. ſacr. pag. 58. *Cures* ] ex epiſtola *Gregorii Magni* [ lib. 2. epiſt. 20. ad Gratioſum epiſcopum Numentanum: tom. 5. concil. Labb. pag. 1109. ] obſervat, hanc ſedem *Nomentanæ* ſuo tempore fuiſſe conjunctam. Nonnulli *Cures* cum *Sabino*, ſive *Foro Novo* confundunt; Sed *Holſtenius* [ adnot. in Carol. a S. Paulo p. 9. *Forum novum*. ] *Sabinum* diſtinctum oppidum, & in eo loco, qui nunc dicitur *Veſcovio*, ubi oppido deleto eccleſiæ cathedralis rudera adhuc ſuperſunt, ſitum fuiſſe, oſtendit. Hæc urbs, *Baudrando* auctore, III. tantum mill. paſſuum a *Reate*, & XI. mill. ab *Interamnia* abfuit; ſed hujus loci natura, ut aliquantum incerta, prætereunda eſt. Ruinæ *Amiterni*, Cluverio [ Ital. lib. 2. p. 686. lin. 2. ] teſte, hodieque prope *Aquilam* urbem viſuntur. *Ferrarius* [ voce *Amiternum* ] modo v. mill. paſſ. ab ea diſtare exiſtimat. *Pitinum* duobus mill. paſſuum ab *Aquila*, adeoque, ut *Holſtenius* obſervat [ adnot. in Carol. a S. Paul. pag. 16. ] non longe ab *Amiterno* fuit. *Furconium* alia ſedes in iſthac vicinia VIII. tantum mill. paſſuum ab *Aquila*, ut *Ferrarius* [ voce *Furconium*. ] tradit. Ut adeo hæ tres diœceſes, in anguſto terræ tractu ſitæ, nunc in novam diœceſim *Aquilam*, quæ ex illarum ruinis ſurrexit, coaluerint. Ampliſſimæ harum diœceſium in hac regione fuerunt *Reate*, *Narſia* & *Maruvium*, ſive *Marſi*. Nam a *Reate* ad *Nurſiam Baudrando* [ voce *Nurſia* ] ſunt paſſuum millia XIII. *Ferrario* XX. ad *Aquilam* XXV. totidem ad *Narniam*. At *Interamnia* & *Furconium* a *Reate* abfuerunt aliquanto propius. *Maruvium* ad lacum *Fucinum* a *Furconio* ac *Sulmone*, proximis ei civitatibus non mediocri ſpatio disjunctum. Sed exactam iſtorum locorum diſtantiam non adeo certo novimus, quia inter geographos non convenit, ad quam lacus *Fucini* oram poſitum fuerit *Maruvium*.

### PICENUM SUBURBICARIUM.

E *Valeria* & *Umbria* adverſus *Appeninnum* montem in *Picenum Suburbicarium* devenimus, quæ provincia ſic dicitur, ut a *Piceno annonario*, ad *Italicam* ſpectante diœceſim, diſtinguatur. Hanc inter *Appeninum* montem in auſtrum & mare *Adriaticum* in boream, poſitam a *Piceno*, *Annonario Æſis* fluvius ad occaſum, & a *Samnio Aternus* fluvius, nunc *Peſcara* vocitatus, in eurum diſterminabat; hodie provincia iſta vocatur *Marchia Anconitana*, vulgo *Marca di Ancona*, & *Aprutium*, vulgo *Abruzzo ultra*. In hac provincia ex *Caroli a S. Paulo* recenſione quatuordecim fuerunt diœceſes. 1. *Pinnæ*, hodie *Penna*. 2. *Interamnia* al. *Interamnium*, hodie *Teramo*. 3. *Aſculum*, vulgo *Aſcoli*. *Firmum*, hodie *Fermo*. 5. *Tolentinum*, nunc *Tolentino*. 6. *Septempeda*, hodie *S. Severino*. 7. *Matelica*. 8. *Cingulum*, hodie *Cingulo*. 9. *Auximum*, nunc *Oſmo*. 10. *Potentia*. 11. *Humana*, vulgo *Numana*. 12. *Ancona*, hodie nomen retinet. 13. *Adria*, vulgo *Adri*. 14. *Aternum*, nunc *Peſcara*. Quibus *Holſtenio* [ adnot. geogr. in Carol. a S. Paulo pag. 14. ] auctore, quinque accedunt,

*Trutentum*, *Auſinia*, *Faleronia*, *Urbs Salvia*, & *Pauſola*, ſive Pauſulæ, ut *Ferrarius* vocat, hodie *Monte dell' Olmo*. Civitas ad ſeptemtrionem extrema hujus provinciæ fuit *Aternum*, in *Aterni*, ſeu *Teſcara* fluvii oſtio, ex *Ferrarii* [ lexic. voce *Aternum* ]. & *Baudrandi* ſententia VIII. tantum mill. paſſuum a *Theatea*, & XI. mill. paſſ. ab *Ortone*, duobus oppidis *Samnii*, nec plus XI. ab *Adria* & XII. mill. paſſuum a *Pinna* diſtans. *Pinna* tantumdem itineris a *Theatea* & *Adria*. *Interamnium* XX. mill. paſſ. ab *Aſculo Ferrario*; *Baudrando* autem tantum XIII. mill. paſſ. abeſſe dicitur. In occidentalibus hujus provinciæ partibus *Matelica* IX. duntaxat mill. paſſuum a *Septempeda*, & *Septempeda* VI. mill. paſſ. a *Tolentino*, & X. a *Camerino* & a *Cingulo* XII. mill. paſſ. computantur; a *Cingulo* ad *Æſium* in *Piceno Annonario* VIII. & ad *Auximum* XII. mill. paſſuum; ab *Auximo* ad *Æſium* XII. & ad *Anconam* totidem mill. paſſuum, Ab *Ancona* ad *Numanam* XII.; a *Numana* ad *Potentiam* XII. mill. paſſuum; cujus ultima veſtigia haud procul a portu *Ricaretico* & *Laureto* ſe vidiſſe, *Holſtenius* adſerit [ in Car. a S. Paulo pag. 15. ] *Urbs Salvia* ſecundum *Ferrarium* X. tantum, & ſecundum *Baudrandum* modo VI. mill. paſs. a *Tolentino* diſſita. Inter *Firmum*, *Truentum*, & *Aſculum* major diſtantia: *Ferrarius* enim ferme XX. mill. paſs. aliud ab alio ſtatuit. Sed nunc *Pauſulas* in comitatu *Firmano* adeoque non longe a *Firmo* collocat, & ſi *Faleronia* ac *Auſinia* ( quarum ſitus incertus eſt ) in his partibus quoque poſitæ fuerunt, diœceſes *Aſculum* & *Trumentum* ad eamdem cum reliquis hujus provinciæ magnitudinem reducere potuerint. Atque ita paucæ diœceſes in hac provincia ultra X. mill. paſſuum, & ampliſſima non ultra XX. mill. paſs. patere potuerunt, quemadmodum ex *Ferrarii*, aliorumque geographorum computatione apparet.

PICENUM ANNONARIUM.

Non immorabimur tam accurate examinandis reliquis diœceſibus *Italicis*, ſed numerum duntaxat earum in qualibet provincia inibimus, paucas quaſdam obſervationes in earum maximas, uti hactenus in minimas, facturi, ut lector hanc diſquiſitionem pro lubitu perſequi poſſit & videre, quod magnitudo, vel exiguitas alicujus diœceſis nullam diviſionem vel perturbationem in eccleſia catholica produxerint. Proxima igitur provincia, de qua agendum nunc nobis eſt, *Picenum Annonarium* eſt, vulgo *il Ducato di Urbino*, a *Piceno Suburbicario* per *Æſim* fluvium ſeparatum. In hoc *Piceno* olim novem ſolum diœceſes fuerunt, 1. *Æſis*, hodie *Gieſi*. 2. *Senogalia*, vulgo *Senigalia*. 3. *Fanum Fortunæ*, hodie *Fano*. 4. *Piſaurum*, hodie *Peſaro*. 5. *Ariminum*, vulgo *Rimini*. 6. *Urbinum*, hodie *Urbino*. 7. *Tifernum Metaurenſe*, ita dictum, ut ab altero *Tiferno* ad *Tiberim* fluvium ſito, diſtinguatur, unde XVI. mill. paſſuum diſtabat. Hodie vocatur *S. Angelo in Vado*, & alius diœceſis, quæ a fundatore ſuo *Urbano* VIII. ſummo pontifice *Urbanea* dicitur, pars duntaxat eſt. 8. *Forum Sempronii*, vulgo *Foſſumbrono*. 9. *Callium*, vulgo *Cagli*.

SAMNIUM.

*Samnium* vulgo *la maggior parte dell' Abruzzo* ſedet in ora maris *Adriatici*, inter *Picenum Suburbicarium* in occaſum, a quo per *Aternum* ſeu *Peſcaram* amnem, & inter *Apuliam* in ortum, a qua per *Frentam* fluvium, ſeparabatur. In hac provincia *Carolo a Sancto Paulo* non niſi decem memorantur diœceſes. 1. *Beneventum*. 2. *Sæpinum*. 3. *Sulmo*, nunc *Sermona*. 4. *Bovianum*, vulgo *Bojano*. 5. *Theatea*, hodie *Civita di Chieti*. 6. *Ortona*. 7. *Frequentum*, vulgo *Fricenti*. 8. *Alipha*. 9. *Samnium*. 10. *Corfinium*, vel *Valva*. Quibus *Holſtenius Iſtonium* addit & *Æclanum*; *Baudrandus* autem *Æclanum* idem cum *Frequento* fuiſſe, autumat. Quomodocumque autem res ſe habet, *Holſtenius* [ adnot. in Carol. a S. Paul. pag. 18. ] illam civitatem *Decimum Quintum* appellatam fuiſſe, obſervat, quod XV. mill. paſſum a *Benevento* diſtaret. *Corfinium* & *Sulmo* propius a ſe invicem diſſita & poſtea unita. *Ortona*, *Theatea*, *Sæpinum*, *Bovianum*, & *Iſſonium* alia X. alia XII. mill. paſſum ab aliis ſeparata. Adeoque tres diœceſes neque ita exiguas, ut circa *Romam*, neque ita magnas, ut in occidentalibus diœceſis *Italicæ* provinciis, fuiſſe, in propatulo eſt.

APULIA ET CALABRIA.

Proxime ad *Samnium Apulia* ſita eſt, & poſt hanc *Calabria* in extimo *Italiæ* angulo ad mare *Adriaticum*. Hæ duæ regiones unam tantum provinciam in civili pariter, & eccleſiaſtica recenſione conſtituunt, ideoque eas hic conjungimus. In *Apulia* ſecundum computationem *Caroli a Sancto Paulo* duodecim exſtant diœceſes. 1. *Ignatia*, hodie *Ignazzo*. 2. *Barium*, hodie *Barri*. 3. *Tranum* vulgo *Trani*. 4. *Cuperſanum*, vulgo *Converſano*. 5. *Canuſium*, vulgo *Canoſa*. 6. *Sipontum*, nunc *Siponto*. 7. *Arpi*, hodie *Sarpi*. 8. *Melphia*, vulgo *Melfi*. 9. *Venuſia*, hodie *Venoſa*. 10. *Acherontia*, vulgo *Acerenza*. 11. *Vigiliæ*, vulgo *Biſegli*. 12. *Cannæ*. Quibus ab *Holſtenio* quinque aliæ adjiciuntur. 13. *Bivinum*, hodie *Bovino*. 14. *Herdonia*, nunc vulgo *Ardona*. 15. *Rubi*, nunc *Ruvo*. 16. *Salapia*, vulgo *Salpe*. 17. *Æca* ſive *Acana*, poſtea *Troja* dicta. In *Calabria Carolo a Sancto Paulo* ſeptem diœceſes memorantur, *Holſtenio* autem decem. 1. *Brunduſium*, vulgo *Brindiſi*. 2. *Aletium*, hodie *Lecci*. 3. *Hydruntum*, vulgo *Otranto*. 4. *Callipolis*, nunc *Gallipoli*. 5. *Tarentum*, hodie *Taranto*. 6. *Uria*, vulgo *Oira*. 7. *Lypia*, ſive *Lupia*. 8. *Neritum*, vulgo *Nardo*. 9. *Uxentum*, hodie *Ugento*. 10. *Alexanum*, olim *Leuce*, hodie *Aleſſano*.

Lu-

LUCANIA, ET BRUTIA.

Proxime iſtis mare *inferum* verſus regiones *Lucania*, & *Brutia* adjacent, quæ itidem conjunctim pro una provincia ſumuntur. In *Lucania Carolus a S. Paulo* quinque tantum epiſcopatus reperire potuit, *Holſtenius* autem numerum ad octo auget, quæ ſequentes ſunt. 1. *Potentia*, vulgo *Potenza*. 2. *Buxentum*, quod *Carolus a S. Paulo*, hodiernum *Piſciota* eſſe, putat, *Holſtenius* autem, & alii *Polycaſtro*. 3. *Pæſtum*, vulgo *Peſto*. 4. *Acropolis*, vulgo *Agropoli*. 5. *Blanda*, quam nonnulli hodiernum *Belverede* eſſe putat, *Holſtenius* autem *Porto di Sapri* vocat. 6. *Grumentum*, vulgo *Agrimonte*. 7. *Velia*. 8. *Coſilianum*, cujus epiſcopus interdum quoque *Marcilianenſis* dictus, a *Marciano*, *Coſiliani* ſuburbio, quemadmodum *Holſtenio* [not. in Carol. a S. Paulo pag. 23.] obſervatur. In *Brutia* ex *Caroli a S. Paulo* obſervatione ſexdecim fuerunt diœceſes. 1. *Rhegium*, hodie *Rezo*. 2. *Taurianum*, vulgo *Seminara*. 3. *Vibo Valentia* hodie *Bivona*. Ex his duabus diœceſibus, obſervante *Holſtenis* [not. in Ital. Cluver. p. 299. 300.] *Rogerius*, comes *Calabriæ* & *Siciliæ*, novam diœceſim conſtituit, an. MLXXXVII. 4. *Tropia*, al. *Tropea*, vulgo etiam *Tropia*. 5. *Nicotra*, nunc *Nicodro*. 6. *Tempſa*, nunc *S. Marco*. 7. *Thurium*, nunc *Terra nova*, *Barrio*, aliis *Buffalora*. 8. *Cerillus*, vulgo *Cerilla*. 9. *Conſentia*, vel *Coſentia*, hodie *Coſenza*. 10. *Crotona*, adhuc *Crotone*. 11. *Scyllacium*, vulgo *Squil'aci*. 12. *Locri*, vulgo *Gieraci*. 13. *Muranum*, vulgo *Morano*. 14. *Portus Oreſtis*, hodie *Porto Ravaglioſa*. 15. *Carina*, *Rhegio* unita a *Gregorio Magno*. 16. *Bova*, vulgo etiam *Bova* dicta. Hiſce *Holſtenius* duas alias ſubjungit, *Paternum* & *Turres*, quarum priorem ſedem *Umbriaticum* tranſlatam, & poſteriorem *Tauriano* conjunctam eſſe, dicit [Ibidem p. 294. *Vocabula &c. præter Turreis*] Ut adeo nova diœceſis *Miletenſis*, ex *Tauriana* & *Vibonenſi* conſtituta, ad minimum tres antiquæ diœceſes in unam conjunctæ fuerint. Unde inferri licebit, quod, etſi quædam diœceſes in hac parte *Italiæ* minores ſunt, quam fuerunt olim, aliæ tamen majores ſint, ex duabus, tribuſve in unam redactæ. Idem quoque de *Campania* obſervari poteſt, in qua diœceſes hodie multo numeroſiores inveniuntur quam in ulla alia *Italiæ* parte; tametſi earum nonnullæ ita parvæ ſint, ut non ultra urbium ſuarum mœnia protendantur, aliæ tamen majores ſunt, quam antea, ex memorata ratione, quod ex duabus tribuſve diœceſibus antiquis conjunctis erectæ fuerunt.

CORSICA.

Hiſce provinciis addenda eſt *Corſica Inſula*; *l' Iſola di Corſica*, in qua a *Carolo a Sancto Paulo* quatuor antiquæ diœceſes repertæ, ab *Holſtenio* quinque. 1. *Aleria*, ſic vulgo quoque dicta. 2. *Urcinium*, aliis *Adjacium*, vulgo *Adiazzo*. 3. *Nebium*, vulgo *Nebio*. 4. *Temita*. 5. *Mariana*. Jam vero hæc inſula *Baudrando* longa dicitur CVI. mill. paſſuum, lata L., & ejus ambitus CCC. milliarium, quod ipſum ſingulis diœceſibus XL. mill. paſſuum tribuet. Ut adeo hæ diœceſes ampliſſimæ in univerſis novem provinciis, præfecturæ urbis *Romæ* ſubjectis, fuiſſe intelligantur.

II. PROVINCIA SICILIANA.

*Sicilia*, vulgo *l' Iſola di Sicilia*, eſt altera *Primatus Romani* provincia, cujus Metropolis *Syracuſæ*. In hac provincia, *Carolo a S. Paulo* recenſente, tredecim ſunt diœceſes. 1. *Syracuſæ*, vulgo *Siracuſa*, ſeu *Saragoſa*. 2. *Tindarium*, vulgo *Tindaro*. 3. *Leontini*, vulgo *Lentini*. 4. *Lilybaum*, hodie *Marſala*. 5. *Tauromenium*, vulgo *Taormina*. 6. *Meſſana*, nunc *Meſſina*. 7. *Thermæ*, vulgo *Termine*. 8. *Catana*, hodie *Catania*. 9. *Triocala*, vulgo *S. Giorgio Triocale*. 10. *Agrigentum*, vulgo *Grigenti*. 11. *Panormus*, hodie *Palermo*. 12. *Alæſa*, hodie *Caronia*. 13. *Camarina*, vulgo *Camarana*. Quibus duæ ſubjiciuntur inſulæ *Lipara* & *Melita*, tempore *Gregorii Magni* ſuos ſeparatim habentes epiſcopos. Notitiæ recentiores de ſeptem aliis in *Sicilia* loquuntur, & *Baudrandus* adhuc alias urbes memorat, quæ antiquis temporibus ſedes epiſcopales fuiſſe dicantur, *Charinum*, *Drepanum*, *Gela nova*, *Myle*, hodie *Melazzo*, & *Trojanopolis*, vulgo *Troina*; ſed ubi hæc nomina invenerit non indicat. Utcumque vero res ſe habet, hæ diœceſes magnæ fuerint oportet; hæc enim inſula in toto *mari mediterraneo* omnium maxima eſt. *Baudrandus* [lexic. geogr. voce *Sicilia*.] inſulæ circuitum eſſe dicit DC. mill. paſſuum, teſte *Cluverio*, qui totam inſulam dimenſus ſit. Quod ſpatium in tredecim vel duodeviginti epiſcopatus diſpertitum, illas diœceſes amplas eſſe, facile probabit, ut ſingulorum locorum diſtantiæ examinandæ immorari haud neceſſe ſit. *Melitam* inſulam longam eſſe XX. latam XI. mill. paſſuum, *Ferrarius* [voce *Melita*] auctor eſt. *Baudrandus* autem longitudinem illius XXV. mill. paſſuum, & latitudinem XV. ſtatuit. Utram harum dimenſionum admittas, ampliorem illam diœceſim, quam quatuor vel quinque diœceſes *Italicas* fuiſſe, intelliges. *Lipara*, in ſeptem inſulis *Vulcaniis* ſive *Æoliis* præcipua, non ita ampla fuit, utpote XVIII. tantum mill. paſſuum in circuitu habens. Habuit tamen urbem cum aliquot villis, quæ una cum minoribus inſulis ad mediocrem quamdam diœceſim & majorem quidem, quam multæ circa *Romam* fuerunt, conſtituendam ſuffecit.

SARDINIA.

*Sardinia*, licet interdum *Africanæ*, *Romanæ* tamen diœceſi accenſetur; ideoque inter *Primatus Romani* provincias eam recenſemus. In hac provincia, cujus metropolis *Caralis*, a *Sirmondo* quinque diœceſes fuiſſe dicuntur, & a *Carolo a Sancto Paulo* recenſentur ſex. 1. *Carallis*, alias *Calaris*, vulgo *Caliari*. 2.

*Sul-*

*Sulchi*, nunc *Solo*. 3. *Tegula*. 4. *Turris Libiſſonis*, hodie *Porto di Torre*. 5. *Forum Trajani*. 6. *Phauſania*, aliis *Fauſania*, vulgo *Terra nova*. *Sanafer* an in *Sardinia*, non ita certum eſſe dicit. *Baudrandus* [ voce *Sardinia*] olim XVIII. urbes *Sardiniæ* epiſcopali ſede decoratas fuiſſe, nunc VII. eſſe adfirmat. Sed quomodocumque res ſe habet, regionem pro duodeviginti diœceſibus ſatis amplam eſſe conſtat. Nam *Ferrarius* [ voce *Sardinia* ] illam longam CC. & latam CLXX. mill. paſs. ſtatuit: *Baudrandus* paullo anguſtiores ei limites circumſcribit, ejus longitudinem CLXX. tantum mill. paſs. latitudinem majorem LXXX. circuitum autem CCCCL. complecti adfirmans. Qui terræ tractus quinque vel ſex magnas diœceſes, & duodeviginti majores, quam quæ in vicinia *Romæ* fuerunt, conficere poterit.

IV. Provincia Mediolanensis.

Sub hac Provincia, cujus Metropolis *Mediolanum*, quatuor civiles Provinciæ, ſeu Regiones, ſine Metropolibus Eccleſiaſticis continebantur; nempe *Liguria*, *Alpes Cottiæ*, *Rhætia prima*, & *Rhætia ſecunda*, de quibus ſigillatim nunc nobis ſermo erit.

Liguria.

*Liguria*, quæ in hiſtoricis *Romanis*, ut plurimum *Inſubriæ* nomine venit, ampla provincia fuit, omnia inter *Adduam* & *Padum* fluvios, *Alpes* montes, ac *Atheſim* amnem, a *Venetis* eam diſterminantem, complexu ſuo continens. Verumtamen hic decem duntaxat diœceſes a *Carolo a S. Paulo*, & magna *Holſtenii* induſtria poſt illum detectæ. 1. *Mediolanum*, vulgo *Milano*. 2. *Eporedia*, vulgo *Ivrea* ſeu *Hivrea*. 3. *Vercellæ*, vulgo *Vercelli*. 4. *Novaria*, vulgo *Novara*. 5. *Ticinum*, hodie *Pavia*. 6. *Laus Pompeja*, vulgo *Lodi*. 7. *Cremona*. 8. *Brixia*, vulgo *Breſcia*. 9. *Bergomum*, vulgo *Bergamo*. 10. *Comum*, vulgo *Como*. Ex hiſce *Mediolanum* ampliſſima diœceſis *Italiæ* poſt *Romam* credita. *Ferrarius*, ad trecenta millia hominum in iſta urbe cenſeri, dicit. Sed hic numerus minor eſt, quam ut antiquæ ejus magnitudini reſpondeat. *Procopius* [ de bello Gotth. lib. 2. c. 21. p. 439. c. Par. MDCLXII. fol. ] enim *Juſtiniani* imperatoris temporibus, quando a *Gotthis* occupata fuit, trecenta minimum hominum millia gladio perempta, dicit. Quando *Ambroſius* hic epiſcopatum geſſit, civitas complures habuit baſilicas chriſtianas, quarum nonnullæ in epiſtolis ſuis ipſi memorantur, exempli gratia, *Baſilica Portiana* [ *Ambroſ.* ep. 33. ad Marcell. ſororem ] extra mœnia, & *Baſilica major*, ſeu *nova* intra Civitatem, *Baſilica Fauſta* [ lib. 11. epiſt. 14. tom. 5. opp. pag. 205. d. edit. Par. MDCXLII. ] & *Baſilica Ambroſiana*. Poſteaquam autem civitas univerſa, *Chriſto* nomen dedit, multo plures Eccleſias uni epiſcopo ſubfuiſſe, par eſt, credamus; nunquam enim duos habuit, niſi perſecutionis *Arianæ* temporibus. Extra muros fortaſſis amplam etiam diœceſim habuit; nulla enim ex antememoratis urbibus minus XX. mill. paſs. inde fuit ſeparata, aliis XXX. aliis XL. mill. paſs. inter ſe diſſidentibus; Modo *Novaria* & *Vercellæ* X. duntaxat mill. paſs. altera ab altera diſtabant, utpote ſibi invicem, quam ullæ aliæ in hac provincia, viciniores. *Cremona* a *Placentia* XVIII. a *Brixia* XXX. a *Ticino* XL. mill. paſs. nec, ſi recte computat *Ferrarius*, paucioribus a *Mantua* aberat; & nihilominus ager *Cremonenſis*, & *Mantuanus* conjuncti fuerunt, quemadmodum ex querimonia *Virgilii* cōjicere nobis licet ita canentis:

„ *Mantuavæ miſeræ nimium vicina Cremonæ*.

Quia cum *Octavius Auguſtus* militibus ſuis veteranis agrum *Cremonenſium*, qui adverſis partibus ſtuduerant, adſignaſſet, neque vero illum in diviſionem ſatis eſſe, percepiſſet, *Mantuani* quoque agri partem XV. mill. paſſuum illis diſpertiri juſſerat. Unde hujus provinciæ diœceſes longe maximas fuiſſe, facile colligendum eſt, quandoquidem civitates aliæ ab aliis tanto intervallo fuerunt ſeparatæ.

Alpes Cottiæ.

Provincia *Alpina*, *Alpes Cottiæ* dicta, a *Liguria Pado* fluvio ſeparabatur, a quo ad mare *Tuſcum* uſque protenta partem *Pedemontii* & *Montis ferrati*, & univerſam rempublicam *Genuenſem*, nec non partem ducatus *Mediolanenſis* cis *Padum* includebat. In hac provincia a *Carolo a S. Paulo* decem diœceſes notatæ. 1. *Auguſta Taurinorum*, vulgo *Turino*. 2. *Aſta*, hodie *Aſti*. 3. *Dertona*, vulgo *Tortona*. 4. *Alba Pompeja*, hodie *Alba*. 5. *Aquæ Statiellæ*, vulgo *Acqui*. 6. *Albiganum*, vulgo *Albenga*. 7. *Vigintimilium*, vulgo *Vintimiglia*. 8. *Bobium*, vulgo *Bobio*. 9. *Genua*, vulgo *Genova*. 10. *Savona*, etiam vulgo *Savona*. Quibus *Holſtenius* [ adnot. in Cluver. Ital. p. 4. *Nicia*. ] *Nicæam*, vulgo *Nizza* addit. Hæ amplæ fuerunt diœceſes, nam *Bobium* viciniorem ſibi quam *Placentiam* non habuit, quæ, *Ferrario* [ voce *Bobium* ] computante, XXV. mill. paſsuum inde abfuit, *Genua* autem & *Dertona* XXXV. *Savonam* inter & *Genuam*, ſecundum accuratiſſimam *Holſtenii* [ in Cluver. Ital. pag. 9. ] computationem, XXVI. mill. paſsuum *Ferrarius* [ voce *Savona*] inter *Genuam* & *Albingaunum* XXX. mill. paſs. ſitam dicit. *Aquæ Statiellæ* ibidem XXII. mill. paſs. a *Savona*, uti *Baudrandus* computat; ſed non adeo procul ab *Aſta* & *Alba Pompeja*. Nam *Alba* VIII. tantum mill. paſs. in ſeptemtrionem ab *Aquis* & *Aſta* XII. pluribus ultra; ſed in ortum & occaſum hæ diœceſes latius forte patuerunt. Nam *Auguſta Taurinorum* proxima vicina occaſum verſus XX. mill. paſs. ab *Aſta*, & XXVIII. ab *Alba*, & *Dertona* totidem in ortum, ſecundum computationem *Ferrarii*, abfuit. *Vigintimilium* XX. mill. paſs. a *Nicea*, & *Albigaunum* XL. mill. paſs. a *Vigintimilio*, & *Savona* XX. circiter & XXX. ab *Albingauno*. Totius provinciæ longitudo CL. mill. paſs. & latitudo LXXV. qui am-

ambitus haſce undecim diœceſes quinquaginta diœceſibus, *Roma* & *Neapoli* circumjacentibus, æquales facit.

RHÆTIA PRIMA ET SECUNDA.

In duabus proximis provinciis *Rhætia Prima* & *Secunda* diœceſes adhuc ampliores fuerunt. In *Prima* enim, *Liguria* in mediis *Alpibus* proxime adjacente, quæ nunc *Griſonum* regio eſt, vulgo *il Paeſe de' Griggioni*, *Carolus a S. Paulo* non niſi unam diœceſim invenire potuit, *Curiam*, vulgo *Chur* vocitatam. Et in *Secunda* non niſi tres, quæ ſunt: 1. *Auguſta Vindelicorum*, vulgo *Augſpurg*. 2. *Quintana*, ſeu *Colonia Auguſta Quintanorum*, vulgo *Kyntzen* in *Bavaria* ad *Danubium* fluvium. 3. *Ratiſpona*, aliis *Regium* al. *Caſtra Regina*, vulgo *Regenſpurg*. Quibus *Holſtenius Auguſtam Prætoriam* addit, vulgo *Aoſta*, quæ *Pedemontio* accenſetur, & *Brixinum*, hodie *Brixen*, in regione *Tirolenſi*. Nam omnis iſta *Germaniæ* pars, quæ ab *Alpibus* ad *Danubium* fluvium uſque protenditur, olim *Rhætia* dicta, & provinciis *Italiæ* accenſita fuit, & diœceſes in iſta ſitæ adeo amplæ fuerunt, ut quinque vel ſex illæ, ſi territorii magnitudinem non populi frequentiam ſpectes, triginta, vel quadraginta diœceſibus urbi *Romæ* propinquis, æquiparari poſſint.

V. AQUILEJENSIS.

*Venetia* & *Hiſtria* ſemper tamquam una duntaxat provincia conjunctæ, cujus metropolis *Aquileja*, vulgo *Aquileja*. *Venetiam* a *Rhætia* & *Liguria Atheſis* fluvius dividebat, ab *Æmilia* & *Flaminia Padus*, a *Norico mediterraneo* foſſa quædam, inde a ſcaturigine *Atheſis* ad initia uſque *Savi* fluvii deducta, ubi *Hiſtriæ* erat contermina, ſedens inter ſinum *Tergeſtinum* in occaſum, & ſinum *Flanaticum* in ortum, qui extimus partis euroaquilonalis *Italiæ* limes eſt. In *Hiſtria*, obſervante *Carolo a Sancto Paulo*, quinque tantum diœceſes ſunt. 1. *Forum Julii*, vulgo *Friuli*. 2. *Tergeſtum*, vulgo *Trieſte*. 3. *Parentium*, vulgo *Parenzo*. 4. *Pola*, hodie etiam *Pola*. 5. *Emona*, aliis *Æmonia*, quam eamdem cum ea eſſe putat, quæ hodie dicitur *Città nuova*; *Holſtenius* autem falſum hoc eſſe dicit: Ex *itinerariis* enim antiquis conſtare, *Æmoniam* nunc eſſe *Lubianam* ad *Savum*. fluvium, vulgo *Labach*. In *Venetia* duodeviginti ipſi obſervatæ diœceſes. 1. *Aquileja*. 2. *Patavium*, vulgo *Padova*. 3. *Torcellum*. 4. *Altinum*, vulgo *Altino*. 5. *Acelum*, vulgo *Aſolo*. 6. *Tarviſium*, hodie *Treviſo*. 7. *Marianum*. 8. *Verona*. 9. *Gradus*, vulgo *Grado*, 10. *Nova*, nunc *Everſa*, 11. *Caprula*, vulgo *Caorle*. 12. *Ceneta*, vulgo *Ceneda*. 13. *Tridentum*, vulgo *Trento*. 14. *Feltria*, hodie *Feltre*, 15. *Bellunum*, vulgo *Belluno*. 16. *Sabiona*, vulgo *Siben*. 17. *Opitergium*, vulgo *Oderzo*. 18. *Celina* vulgo *Celine*. Nonnulæ ex hiſce peramplæ fuerunt diœceſes. *Tridentum* plus xxx. mill. paſs. a *Verona*: Et *Sabiona*, *Forum Julii*, *Æmonia*, *Tergeſtum*, *Parentium* & *Pola* non minori intervallo aliæ ab aliis diſtabant. Reliquæ x. vel xx. mill. paſs. a vicina quavis urbe remotæ erant; modo *Altinum* & *Torcellum* v. tantum mill. paſs. disjuncta ab ſe invicem fuiſſe, *Ferrarius* [voce *Altinum*] auctor eſt; dubitat tamen, an eodem ſimul tempore ſedes epiſcopales extiterint, ſed potius *Torcellum Altino*, quando ſæculo quinto medio ab Hunnis exciſum fuit, ſucceſſiſſe, autumat. Sed utcumque res ſe habet, iſtæ diœceſes pleræque ab hac vel illa parte latiſſime patebant, uti pleræque ex diœceſibus aquilonalibus *Italiæ*, ſi cum illis, quæ in vicinia urbis *Romæ* ſedebant, comparentur.

VI. PROVINCIA RAVENNENSIS.

Sub hac provincia duæ regiones civiles, ſine Metropolibus ſacris, continebantur; 1. *Flaminia* vulgo *la Romagna*. 2. *Æmilia*, *la Lombardia di qua dal Pò*. Quæ provinciæ *Italicarum* diœceſium ultimæ nobis contemplandæ ſuperſunt.

FLAMINIA.

In *Flaminia*, quæ *Piceno* in occaſum adjacebat, inter *Rubiconem* & *Padum* ex *Caroli a S. Paulo* recenſione undecim exſtant diœceſes. 1. *Ravenna*. 2. *Sarſina*. 3. *Cæſena*. 4. *Forum Populi*, ſeu *Forum Popilii*. 5. *Ficoclæ*, hodie *Cervia*. 6. *Forum Livii*, vulgo *Forlì*. 7. *Faventia*, hodie *Faenza*. 8. *Forum Cornelii*, hodie *Imola*. 9. *Vicohabentia*, vulgo *Vicovenza*. 10. *Hadria*, vulgo *Adri*. 11. *Comacula*, hodie *Comacchio*. De quibus diœceſibus univerſis nihil obſervamus amplius, quam quod majores fuerint illis, quæ urbi *Romæ* circumjectæ, & minores multis aliis, quæ in occidentalibus provinciis, majori intervallo inde disjunctis, ſitæ fuerunt. *Ferraria* nondum ſedes epiſcopalis per ſe ipſa erat, ſed ſub finem ſæculi ſeptimi hac dignitate a *Vitaliano pontifice* exornata, uti fidem nobis facit *Ferrarius* [voce *Ferraria*.]

ÆMILIA.

Altera ex hiſce provinciis *Æmilia*: in ortum a *Flaminia Idice* amne, in ſeptemtrionem a *Liguria Pado* fluvio, in occaſum ab *Alpibus Cottiis Trebia* fluvio, & in meridiem a *Tuſcia Apennino* monte diſterminabatur. Secundum *Carolum a S. Paulo* ſex diœceſes hic numerantur. 1. *Bononia*, vulgo *Bologna*. 2. *Mutina*, hodie *Modena*. 3. *Brixellum*, vulgo *Breſſello*. 4. *Regium Lepidi*, vulgo *Reggio*. 5. *Placentia*, hodie *Piacenza*. 6. *Parma*, vulgo etiam *Parma*. Iſtæ omnes amplæ diœceſes fuerunt. *Bononia* enim in occaſum extima ſitu xx. mill. paſſuum a *Mutina* diſtare credita, & totidem a *Foro Cornelii* in *Flaminia*, XXVIII. a *Ferraria*, quæ in proxima diœceſi in boream erat, & in auſtrum haud habebat viciniorem *Feſulis* ultra *Apenninum* III. mill. paſſuum a *Florentia*. A *Mutina* ad *Regium Lepidi* xv. mill. paſ.

paſſuum, & *Regio* ad *Parmam* tantundem itineris, & *Parma Placentiam* XXXV. ſecundum computationem *Ferrarii*. *Brixellum* ad *Padum* fluvium VIII. mill. paſſuum a *Parma*, ſed ab aliis partibus forte ampliorem habuit diœceſim. *Ferrarius* enim XXIV. mill. paſſuum a *Regio Lepidi* & XXX. a *Cremona* abeſſe dicit. Ut adeo iſtæ ſex diœceſes majores fuerint, quam viginti diœceſes, urbi *Romæ* circumjectæ. Jam igitur obſervationem, quam ineunte hoc capite feci, ſatis probatam dediſse mihi videor; nimirum in *Italia* priſcis temporibus aliquas diœceſes de anguſtiſſimis, aliquas autem de ampliſſimis orbis terrarum exſtitiſse; manente nihilominus eadem epiſcopatus forma in omnibus: Siquidem epiſcopus *Eugubinus*, ut *Hieronymus* loquitur, ejuſdem meriti, & ejuſdem ſacerdotii cum epiſcopo *Romano* habitus fuit. Sive igitur ampla eſset diœceſis aliqua, ſive anguſta, hoc eccleſiæ catholicæ unitati non derogabit.

### In Diœcesi Africæ.

*Africanam Diœceſim*, quamquam nonnulli in minimis omnium epiſcopatibus falſo poſuerint, tamen, ſi recte inita fuerit illius recenſio, pluribus aliis multo ampliorem fuiſſe, appariturum eſt. *Africa* enim, cujus Metropolis *Carthago*, *Juſtiniana* 3. ſeu *Africana* dicta; *Cartagine* vulgo, *Almenara* hodie, aliis *Cartin*, ſex civiles provincias complectebatur: 1. *Africam propriam*, ſive *Proconſularem* alias *Zeugitanam*, vulgo *il Regno di Tuniſi verſo l'Occidente*: 2. *Byzacium*, ſeu *Byzacenam*, ideſt *il Regno di Tuniſi verſo l'Oriente*. 3. *Tripolitanam* ſive *Tripolim*, vulgo *il Regno di Tripoli di Barbaria*. 4. *Numidiam*, *il Paeſe di Coſtantina, e di Bugia*. 5. *Mauritaniam*, *Cæſarienſem* ſcilicet, *Sitifenſem* per *Juſtinianum Numidiæ*, ut puto, redditam; *il Regno d' Algeri*. 6. *Tingitanam*, ideſt *i Regni di Fez, e di Marocco*; quibus pro Metropoli Eccleſiaſtica erat ſedes antiquioris per unamquamque Provinciam Epiſcopi, qui Primas ſive Primæ ſedis Epiſcopus dicebatur. *Procopio* [ Vandal. lib. 1. c. 2. p. 177. ] dierum XC. iter diœceſis hæc patuiſſe dicitur: quod ſi unius diei iter ſtadia CCX. ſive milliaria viginti ſex cum quadrante efficere ſtatueris, ſicuti *Procopius* ſupputat, ultra MMCCC. milliaria evadunt: Latitudo in quibuſdam locis CC. & in aliis D. milliaria habebat: unde inita computatione duplo major, quam *Germania* vel *Gallia* efficitur. Jam in hoc ambitu *Auguſtini* memoria circiter CCCCLXVI. epiſcopatus fuerunt, quemadmodum ex collatione *Carthaginenſi* [Collat. Carthag. die 1. ( tom. 2. conc. p. 1414. ) n. 213. ] *breviculo Auguſtini* [ brevic. collat. 1. c. 14. tom. 7.] opp. p. 565. edit. Baſil. 1269. ] & *notitia* eccleſiæ *Africanæ*, quinquaginta circiter annis poſt *Auguſtini* obitum facta, & a *Sirmondo* [ Notit. Afric. apud Sirmondum miſcell. tom. 1. p. 429. .... 446. ] in lucem publicam edita patet. Diœceſes, quæ nunc ſunt in *Gallia*, ſi cum iſtis comparaveris, altero tanto majores, & quæ ſunt in *Germania*, adhuc majores eſſe intelliges. Interim hoc non obſtante, epiſcopatus *Africani*, uti vir quidam doctus [ Mauricè 5. *Defence of Dioces. Epiſcop.* p. 163. ] computavit, ſinguli ſexaginta vel octoginta civitates & vicos, ſumma univerſorum adæquata, continuiſſe judicari poſſunt. Hoc ad minimum certum eſt, illorum multos admodum late patuiſſe. *Auguſtini* diœceſis *Hipponenſis* ultra quadraginta milliaria longa erat. Ipſe enim *Fuſſalam* [ Auguſtini epiſt. 262. ad Cœleſtin. pag. 1007. ed. Altdorf. ] diœceſis ſuæ oppidum, ubi novum epiſcopatum erexerat, quatuor milliaribus a ſe abfuiſſe narrat. Nonnullæ etiam aliæ diœceſis ipſius eccleſiæ in epiſtolis [ Idem epiſt. 74. ] & aliis libris ejus memorantur, quas *Stillingfleetus* collegit. [ *Unreaſonableneſs of ſeparation* part. 3. ſect. 9. p. 251. 252. ] Quibus lector epiſtolas alias [ Auguſt. epiſt. 236. ] addere poteſt, in quibus Eccleſiarum apud *Subſanam*, apud *Turres*, apud *Cizam*, apud *Verbalis* & in *Fundo Arabonienſi* atque *Gippitano*, tamquam diſpenſationi ac curæ ſuæ creditarum, mentionem facit. In ipſa civitate *Hipponenſi* diverſæ erant eccleſiæ, quarum tres ex occaſione *Auguſtino* memorantur, una dicta *eccleſia pacis* [ Idem ep. 110.] alia *baſilica Leontii* [Idem ſerm. 11. de diverſis] & tertia quædam ad *viginti martyres* [Idem ſerm. 10. ibidem ] quorum fama *Hippone* [ Idem de civit. Dei. lib. 22. c. 8. tom. 5. opp. p. 1345. c. adit. Baſil. MDLXIX.] celebris erat, ut qui probabiliter martyres *Africani*, & ſpeciatim de eccleſia, cujus *Auguſtinus* erat epiſcopus, fuerunt. In altera civitate *Hipponenſi*, quæ *Hippo Diaretorum* diſtinctionis ergo appellabatur, canones *Africani* [ Cod. can. Afric. c. 78. ] de diverſis loquuntur eccleſiis. Et in *collatione Carthaginenſi* catholicos epiſcopos ſæpius conqueri legimus, quod *Donatiſtæ* anti-epiſcopos non tantum in ſuis ipſorum civitatibus, ſed in aliis etiam diœceſium ſuarum locis [ Collat. Carthag. die 1. c. 181. ] conſtituerint. Et epiſcopi *Donatiſtarum* incuſationem retorquebant, dicentes catholicos *Conſtantinæ* [Collat. Carth. ibidem c. 65. ] epiſcopum non tantum in ipſa civitate, ſed alium etiam in media diœceſi conſtituiſse: idemque eos feciſse in civitate *Milevitana*, ita quidem, ut unum ibi ordinaſsent, alterum in *Tuncenſi* civitate ejuſdem diœceſis, & tertium in loco, qui dicatur *Ceramuſſa*. Ex quibus facile ad concludendum eſt, iſtas diœceſes tunc temporis tam late patuiſse, ut non tantum regionem ruralem, ſed ſæpenumero plures etiam civitates ambitu ſuo complexæ fuerint. Idem ex canone iſto conciliorum *Africanorum* [ Concil. Carth. 5. c. 5. ] inferri licet, qui *Nemini ſit facultas*, inquit, *relicta principali cathedra ad aliquam eccleſiam in diœceſi conſtitutam ſe conferre.* Quod ipſum manifeſto indicat, diœceſes ipſorum præter civitatem cathedralem alias adhuc eccleſias in agris habuiſse. Cujus generis exempla innumera ei ſeſe offerent, qui hiſtoriam & antiquitates ec-

eccleſiæ *Africanæ* ſtudioſius volet evolvere. Nos duo tantummodo huc ſpectantia ſubjungemus. Primum quidem, quod *Carthago* bene multas eccleſias, ad diœceſim ſuam pertinentes, ſæculo quarto habuiſse cognita ſit. *Sirmondus* [ not. in ſerm. 14. a ſe edit. tom. 10. p. 151. Copp. Sirmondi tom. 1. p. 337. a. ] in notis ſuis in ſermones *Auguſtini* ſeptem earum recenſet, quarum nomina in inſcriptionibus ſermonum memorantur; videlicet eccleſiam primariam, dictam *baſilicam majorem* & *reſtitutam*, *baſilicam Fauſti*, *baſilicam Leontianam*, *baſilicam Celerinæ*, *baſilicam novarum*, *baſilicam Petri* regionis tertiæ, & *baſilicam Pauli* regionis ſextæ. Quibus *Stillingfleetus* [ *Unreaſonableneſs of ſeparation* p. 249. ] addit duas eccleſias extra civitatem, unam, ubi *Cyprianus* martyrium ſubierat, & alteram, ubi corpus illius combuſtum erat in loco quodam *Mappalia* dicto, quarum utraque *Victori Uticenſi* memoratur. *Mauritius* [ *Defence of Dioceſs. Epiſcop.* pag. 51.] qui rem inveſtigavit paullo ſtudioſius, hiſce adhuc intra civitatem ſubjungit eccleſiam, quæ *Florentia* dicta ſit, & *baſilicam Gratiani* & *Theodoſianam*, & *Honorianam*, & *Tricilliarum*: & ſine dubio plures aliæ fuerunt, quia *Victor* [de perſec. Vand. lib. 5. tom. 8. bibl. patr. max. edit. Lugdun. MDCLXXVII. p. 694. f.] quingentos circiter clericos ad eccleſiam *Carthaginenſem* pertinuiſse, auctor eſt. Alterum quod de Eccleſia *Africana* nos notare velle diximus, eſt, quod in *Tripoli* una de ſex provinciis *Africæ Romanæ*, quinque tantummodo epiſcopi fuerint, quod cum ex canonibus conciliorum *Africanorum* [ Conc. Carth. 3 c. 39. tom. 2. concil. p. 1173. ] tum ex antiqua *notitia* iſtius eccleſiæ condiſcimus, in qua illorum ſedes enarrantur *Leptis magna*, *Oeea*, *Tacapa*, *Sabrata* & *Girberis*; quarum de tribus epiſcopi concilio *Cartaginenſi* ſub *Cypriano* interfuerunt, neque plurium præſentia, quum tam pauci eſsent, requirebatur. Jam vero hic amplus terræ tractus erat, ut ipſe *Blondellus* ex *Ptolemæo* probat, qui multas civitates alias nominat, *Chuzim*, *Sumucim*, *Piſindam*, *Sydidenium*, *Azuim*, *Geriſam*, *Iſcinam*, *Amunclam*, *Buttam*, cæteras. Ut adeo, ſive totum *Africæ* ambitum cum Diœceſium in ea comprehenſarum numero compares, ſive ſingulas diœceſes in ſe conſideres, manifeſtum ſit, ſingulos epiſcopos civitatem, & regionem aliquam, ſive amplum territorium pro diœceſi ſua, habuiſse: quoſdam duas civitates vel plures; nullos autem tam exiguum populum, ut ipſorum diœceſes parœciæ rurales, ſive congregationes ſingulares, quemadmodum quibuſdam eas vocare placuit, dici meruerint.

*Sardiniam Juſtinianus*, poſt *Vandalos*, huic Diœceſi adjecerat *l. 1. Cod. de Offic. Præf. Prat. Afr.* quæ tamen ad *Italiam*, & *Primatum Romanum* pertinebat, uti ante a nobis memorata.

## In Diœceſi Illyrici Occidentalis.

Hæc diœceſis ſex Provinciis civilibus conſtabat, præter *Valeriam*, quæ militaris erat, atque a Duce regebatur. Verum & hæc & *Pannonia ſecunda* ſive *inferior*, maxima ex parte, a *Barbaris* occupatæ fuerant, diruto *Attilæ* temporibus *Sirmio*: quod non modo *ſecundæ Pannoniæ*, ſed & ſolidi *Illyrici* caput fuerat, tum in civili, tum in ſacra politia; donec ſedes Præfecti Prætorio, ea civitate amiſsa, *Theſſalonicam* tranſlata eſt, ſi qua *Juſtiniano* fides, *Novella* 11. Fuere poſt hæc in hac diœceſi Provinciæ Eccleſiaſticæ duæ. 1. *Laureacenſis*. 2. *Salonitana*.

### I. Laureacenſis.

Hac regione quatuor Provinciæ civiles continebantur. 1. *Noricum Ripenſe*. 2. *Noricum Mediterraneum*. 3. *Pannonia* 1. ſive *ſuperior* 4. *Savia*, *Pannoniæ* veteris, ac *Liburniæ* pars; de quibus obſervatio nunc a nobis ſigillatim facienda.

### Noricum Ripenſe et Mediterraneum.

Ad occaſum magis a *Pannonia Noricum* provincia, ad boream *Danubio*, ad meridiem & occaſum *Venetiæ* & *Rhætiæ*, duabus provinciis *Italicis*, contermina. Hæc a *Romanis* in duas diviſas erat provincias, *Noricum Ripenſe* & *Mediterraneum*, quæ lubet conjunctim conſiderare, in qua utraque *Lazius* quatuor tantum diœceſes memorat. 1. *Laureacum*, vulgo dictum *LorK*. 2. *Juvaniam*, hodie *Salisburgum*. 3. *Ovilabim* & 4. *Solvam*. *Carolus a S. Paulo* falſo addit quintam *Petoviam*, vulgo *Petovv*; hæc enim ad aliam ſpectat provinciam. Et reliquæ non fuerunt conſtitutæ ante ſæculum VI. ubi iſta *Germaniæ* pars primum ad chriſtianam religionem perducta fuit; quæ hodie eſt, *Carniola* & *Carinthia* cum parte *Bavariæ*, *Stiriæ*, *Tirolis*, & *Auſtriæ*. Unde facile ad judicandum eſt, quam vaſtæ magnitudinis hæ diœceſes antiquis temporibus fuerint, uti in hunc uſque diem ſunt; quum duæ ex illis ampliorem circuitum, quam decem vel viginti in quibuſdam aliis mundi partibus, ſpeciatim in *Palæſtina* & *Aſia minore*, habuerint.

### Pannonia.

Provincia hæc in duas erat diviſa, *Pannoniam* primam ſive *ſuperiorem*, & *inferiorem*, quæ utraque inter *Davum* fluvium, & *Danubium* ſita complectebatur partem Auſtralem *Hungariæ*, vulgo *l'Ungaria Criſtiana verſo il mezzodi*. In *ſuperiore Carolus a S. Paulo* ex *Lazio* quatuor diœceſes recenſet; 1. *Vindobonam*, ſeu *Viennam*. 2. *Sabariam*. 3. *Scarabantiam*, 4. *Celiam*. Quibus *Holſtenius Petaviam* addit, hodie *Petovv* vocitatam, quam alii cum alia quadam civitate in *Norico*, quæ olim *Petavia*

vel

vel *Batava Caſtra* dicta fuit, hodie autem *Paſſavia Bavariæ* appellatur, confundunt. *Victorinus Martyr* hujus civitatis epiſcopus fuit, licet *Baronius*, & plures alii *Pictavienſem* illum vocitent, quaſi *Pictavii* in *Gallia* fuiſſet epiſcopus; quum tamen epiſcopus hujus Civitatis in *Pannonia* fuerit, uti *Spondanus*, *Pagius* & *Du Pinius* in adnotationibus ſuis criticis in hujus antiqui ſcriptoris vitam obſervarunt. In *Pannonia inferiore* tres tantum diœceſes fuerunt, 1. *Curta*. 2. *Carpis* & 3. *Stridonium*, *Hieronymi* Patria.

SAVIA.

*Savia* a *Savo* fluvio, qui mediam eam ſecat, id nominis habere videtur. Interdum *Pannonia Sava* dicitur, quod eſſet pars *Pannoniæ* ad *Saviam*, interdum quoque *Pannonia Sirmienſis* ac *Cibalienſis* a *Sirmio* & *Cibali* civitatibus, in hac ejus parte jacentibus. Hoc autem loco nos eam conſideramus ut provinciam, a *Pannonia* diſtinctam, a qua per *Dravum* fluvium ſeparatur, & regio illa eſt, quæ hodie dicitur *Slavoniæ*, & pars *Boſniæ* ac *Serviæ*. In hac provincia ſex diœceſes epiſcopales fuerunt: 1. *Sirmium*; Metropolis juxta confluentem *Savi* ac *Danubii*. 2. *Singidunum*. 3. *Murſa*, hodie *Eſſek*. 4. *Cibalis*. 5. *Noviodunum*. 6. *Siſcia*.

II. SALONITANA.

*Salonitana* eſt altera *Illyrici Occidentalis* provincia, ſub qua, ni fallor, provincia Civilis una *Dalmatia*, vulgo *Dalmazia*. In hac diœceſi, cujus Metropolis *Salona*, vulgo etiam *Salona*, *Carolo a Sancto Paulo* recenſente, quatuor epiſcopales diœceſes fuerunt. 1. *Salona*. 2. *Jadera*, hodie *Zara*. 3. *Epidaurus*, nunc *Raguſa*. 4. *Scodra* vel *Scutari*. *Scodra* autem male in *Dalmatia* ponitur, nam ea potius *Prævalitanæ* fuit Metropolis. Sed *Holſtenius* illius in locum duas alias ſubſtituit, *Docleam* & *Seniam*, quæ hodie *Segna* dicitur, & civitas eſt in ora *Liburniæ* ſita.

IN DIOECESI GALLIARUM,

*quæ jam tum fere tota ſub* FRANCIS.

Haud exiſtimamus, in examinandis limitibus *Galliarum*, & ambitu diœceſium epiſcopalium in hac regione omnia accurate & ſigillatim perſequenda. Quum enim earum numerus, pro ratione amplitudinis regionum, exiguus tantum ſit, fore confidimus, ut nullus non haſce diœceſes magnas fuiſſe intelligat, quemadmodum etiam nunc ſunt, tametſi mutationes quædam, ex quo primum conſtitutæ fuerunt, in limitibus earum interceſſerunt. *Gallia*, ut nunc eſt, pars dumtaxat veteris *Galliæ* eſt, *Belgicas*, *Helveticas* & *Germanicas* quaſdam provincias complexæ. Primum ab *Auguſto* in quatuor partes, *Narbonenſem*, *Aquitanicam*, *Lugdunenſem* & *Belgicam* fuit diviſa. Poſtea ſub *Hariano* vel *Antonino*,

*Hierolexicon Macri*.

uti *Petrus de Marca* exiſtimat, ex his quatuor quatuordecim factæ. *Narbonenſis* in quatuor diviſa, *Narbonenſem*, *Viennenſem*, *Alpes maritimas*, & *Alpes Grajas* ſeu *Penninas*. *Aquitanica* in tres, *Aquitanicas* duas & *Novempopulaniam*. *Lugdunenſis* ſimiliter in tres, *Lugdunenſem primam & ſecundam*, & *Maximam Sequanorum*. Et *Belgica* in quatuor, *Belgicam primam* & *ſecundam*, & *Germaniam primam*, & *ſecundam*. Denique circa tempora *Gratiani* Imperatoris numerus adhuc tribus auctus fuit. Nam *Lugdunenſis tertia*, aliis *Turonia* vocitata, e *Lugdunenſi ſecunda*; & *Lugdunenſis quarta*, ſive *Senonia* e *Lugdunenſi prima*; & nova provincia *Narbonenſis ſecunda* e provincia *Viennenſi* conditæ. Et circa hanc tempeſtatem vel poſt paullo *Viennenſis ſecunda*, alias dicta *Arelatenſis*, itidem provincia facta eſt. Sunt qui *Galliam* olim *Septem provincias* quoque appellatam eſſe putant, quod univerſum corpus *Galliarum* olim in tot partes tributum fuerit. Sed *Marca* [de Primatu Lugdun. n. 66. 67. 68.] vulgatum errorem eſſe oſtendit; certum enim eſſe dicit, „ nullam extitiſſe *Galliarum* omnium in ſeptem provincias diviſionem, „ quum aut quatuor, aut poſtea quatuordecim ex inſtituto *Hadriani* vel *Aurelii Antonini* extiterint, vel ſaltem major numerus quam ſeptem; fruſtra igitur laborari in firmanda ſententia, quæ „ nulla vetuſtatis diſerto teſtimonio nitatur. Conſequentiam vero, quæ trahatur ex notitia imperii, ubi Vicarius præfecti prætorio dicatur Vicarius per *ſeptem provincias*, nullam eſſe: Locum „ enim eſſe aperte mendoſum, & reſcribendum, „ *ſeptemdecim*. Quippe in notitia, ut reddatur „ ratio ſeptem provinciarum, ſtatim numerari ſeptemdecim. „ Nonnumquam *Galliæ* & *quinque provinciarum* mentionem fieri legimus. Jam vero quinque provinciæ aut nihil aliud niſi tot partes ſolidæ *Galliæ Narbonenſis* Antiquæ fuerunt, nempe *Narbonenſis prima* & *ſecunda*, *Viennenſis*, *Alpes Maritimæ*, & *Alpes Grajæ*: uti *Berterius*, *Marca* & *Queſnellus* eas numerant; aut priores quatuor ex hiſce memoratis cum *Novempopulania*, vel *Aquitanica prima*, loco *Alpium Grajarum*; quam probabiliorem ſententiam eſſe, oſtendit *Pagius* [critic. in Baron. an. 373. n. 18. 20.]. Ut adeo, quando concilium *Valentinum* an. CCCLXXIV. epiſtolam ſuam ſynodicam inſcripſit, *Epiſcopis per Gallias & quinque Provincias*, has quinque provincias intelligi oporteat. Ita quoque apud *Philaſtrium* [hæreſ. 62.] ubi de *Priſcillianiſtis*, *Manichæorum* reliquiis loquens, in *Hiſpania & quinque provinciis* eos latere dicit. Similis diſtinctio in epiſtola *Maximi* imperatoris ad *Siricium* papam & quibuſdam *Symmachi* epiſtolis, quas *Marca* nominat, occurrit. Poſtea etiam offendimus diſtinctionem ſeptem provinciarum a *Galliis*, quæ in epiſtolis *Zoſimi* & *Bonifacii* pontificum *Romanorum* occurrit, & ab *Honorii* im-

peratoris ævo eſse creditur, qui ſeptem provincias ad conventionem *Arelatenſem* coire juſſerat, nimirum *Narbonenſem primam & ſecundam*, *Viennenſem*, *Alpes Maritimas*, *Aquitaniam primam & ſecundam* & *Novempopulaniam*. Hæ ipſæ nonnumquam a *Galiis* ſeptem provinciarum nomine diſtinguuntur, quæ diſtinctio errorem peperit eorum, qui *Gallias* in maxima ſua amplitudine & ſeptem provincias pro unis iiſdempue habent: quum tamen non ſeptem dumtaxat, ſed ſeptemdecim provincias illic fuiſſe conſtet. Nos igitur harum ſeptemdecim Provinciarum ſtatum hic deſcribemus, qui cum civili ſæpius aliqua ex parte, mutatus ſub primis *Francorum* Regibus fuiſſe videtur;& quemadmodum nomina epiſcopatuum in qualibet provincia in nulla recentiore *notitia* occurrunt, ita ea hic ſubjungemus ex *Carolo a S. Paulo*, qui ex antiquorum conciliorum actis ea collegit.

Eo tempore quatuor, quantum conjicere licet, intra *Galliarum* Diœceſim extitere Primates, pro numero Provinciarum ab *Auguſto*, ut antea diximus, inſtitutarum, 1. *Arelatenſis*, 2. *Lugdunenſis*, 3. *Treverenſis*, & 4. *Bituricenſis*: quos accurate ordine illuſtrandi cauſa, ab *Arelatenſi* initium faciemus.

### I. Primatus Arelatensis.

Sub hoc Primatu Provinciæ quatuor Eccleſiaſticæ, Civiles totidem: antea etiam quinque fuiſſe, videntur, connumerata *Alpina*, cum nondum proprium haberet Metropolitanum. 1. Provincia *Arelatenſis*, 2. *Viennenſis*, 3. *Narbonenſis prima*, 4. *Narbonenſis ſecunda*, 5. *Alpina*, ſive *Alpes maritima*.

### Provincia Arelatensis.

*Arelatenſis* in *Viennenſi* Provincia civili, quæ in duas Eccleſiaſticas ſecta eſt, decem diœceſes continebat. 1. *Arelatum*, vulgo *Arles*, Metropolis, cujus Epiſcopus plerumque ſedis Apoſtolicæ per *Galliam* Vicarius. 2. *Maſſilia*, vulgo *Marſeilles*. 3. *Avenio*, vulgo *Avignon*. 4. *Cabellio*, hodie *Cavaillon*. 5. *Carpentoracte*, vulgo *Carpentras*. 6. *Tolonium*, aliis *Telonium*, vulgo *Taulon*. 7. *Arauſio*, vulgo *Orange*. 8. *Vaſio*, vulgo *Vaiſon*. 9. *Dia* vel *Dea Vicontiorum*, vulgo *Die*. 10. *Tricaſtinorum civitas*, hodie *S. Paul des troix Chaſteaux*, quam *Baudrandus* [ lexic. voce *Tricaſtini* ] III. leucis ab *Arauſione*, & IV. a *Vaſione* diſtare dicit.

### Provincia Viennensis.

*Viennenſis* in eadem civili provincia, cui ſubjectæ *Alpes Grajæ*, ubi poſtea *Tarantaſia* Metropolicum jus eſt attributum. In hac regione ſex fuerunt diœceſes. 1. *Vienna*, vulgo *Vienne*, Metropolis. 2. *Geneva*, vulgo *Geneve*. 3. *Gratianopolis*, vulgo *Grenoble*. 4. *Civitas Albenſium*, aliis *Vivaria* & *Alba Auguſta*, vulgo *Viviers*. 5. *Mauriana*, vulgo *S. Jean de Maurienne*. 6. *Valentia*, hodie *Valence*. In provincia altera, quam *Alpes Grajas*, ſeu *Penninas* vocant, tres ſolum Epiſcopatus fuere. 1. *Darantaſia*, vulgo *la Tarantaiſe*, Metropolis, cujus ſedes poſtea *Monaſterium*, vulgo *Montiers en Tarantaiſe*, translata eſt. 2. *Octodurum*, vulgo *Martenach*. 3. *Sedunum*, vulgo *Syon* vel *Sitten en Valez*, cujus loci Epiſcopus, *Baudrando* teſte, jam dominus civitatis eſt.

### Narbonensis Prima.

Hæc Provincia, adhuc majori ex parte ſub *Viſigothis*, in Occaſum *Arelatenſis* ſita, decem diœceſes complectitur. Hæ fuerunt. 1. *Narbo*, al. *Narbona*, vulvo *Narbone*, Metropolis. 2. *Toloſa*, vulgo *Toloſe*. 3. *Batira*, vulgo *Beziers*. 4. *Nemauſum*, vulgo *Niſmes*. 5. *Luteva*, ſeu *Civitas Leutevenſium*, vulgo *Lodève*. 6. *Ucetia*, hodie *Uzes*. 7. *Carcaſo*, vulgo *Carcaſſone*. 8. *Agatha*, vulgo *Adge*. 9. *Helena*, vulgo *Elne*. 10. *Magalona*, vulgo *Magalone*. inſula & civitas maris mediterranei; tribus millibus diſtans a *Monte Peſſulo*, vulgo *Montpellier*, præclara *Volcarum* urbe, ad quam poſtea e *Magalona* ſedes Epiſcopalis translata eſt.

### Narbonensis Secunda.

Ex provincia *Viennenſi* Orientem verſus erecta fuit *Narbonenſis ſecunda*, ſive *Aquenſis*, ab *Aquis Sextiis*, Metropoli vocitata, quæ ad hæc uſque tempora inter Epiſcopales numerabatur: præter quam ſex aliæ diœceſes fuerunt in hac provincia. 1. *Apta Julia*, vulgo *Apt*. 2. *Reii*, vulgo *Riex*. 3. *Forum Julii*, vulgo *Frejuz*. 4. *Vapincum*, vulgo *Gap*. 5. *Segeſtero*, vulgo *Ciſteron*. 6. *Antipolis*, vulgo *Antibe*; quæ ſedes poſtea *Graſſam*, *Provinciæ* ( *Provence* ) Urbem vicinam, translata eſt.

### Alpinas, sive Alpes Maritimæ.

*Alpes Maritimæ*, *Italiæ* proximæ erant ultima *Primatus Arelatenſis* Provincia, ubi ſeptem recenſentur diœceſes. 1. *Embrodunum*, alias *Ebredunum*, vulgo *Ambrun*, a ſæculo V. Metropolis hujus provinciæ; antea enim non fuit, quando *Armentarius* hujus ſedis Epiſcopus accuſabatur, quod, neglecta Metropolitani voluntate [Concil. Rejenſ. c. II. tom. III. Concil. p. 1286. ], Epiſcopus factus eſſet; quæ abſurda & frivola fuiſſet incuſatio, ſi ipſemet Metropolitani in iſta provincia munus geſſiſſet. 2. *Dinia*, vulgo *Digne*. 3. *Nicæa*, vulgo *Nice*. 4. *Cemelene*, vulgo *Cimies*, quæ ſedes poſtea unita eſt cum *Nicaenſi*. Nam *Magnus* utriuſque Epiſcopus vocatur in ſubſcriptionibus Concilii *Aurelianenſis* quinti. Aliis VI. duntaxat, aliis XXX. mill. paſſ. a *Nicæa* dicitur. 5. *Sanicium*, vulgo *Senez*. 6. *Glandata*, vulgo *Glandeve*; cujus ſedem *Baudrandus Intervallium*, vulgo *Entrevaux* translatam eſſe, dicit. 7. *Ventio*, vulgo *Vence*.

### II. Primatus Lugdunensis.

Lateri Septemtrionali & Occidentali *Aquitaniæ Galliæ Lugdunenſis* adjecuit, in quinque diviſa Provincias Civiles, Eccleſiaſticas vero quatuor, 1. *Lugdunenſem primam*, cujus Metropolis, *Lugdunum*, 2. *Lugdunenſem ſecundam*, cujus Metropolis *Rothomagus*. 3. *Lugdunenſem tertiam*, ſeu *Turonicam*, in qua Metropolis *Civitas Turonorum*. 4. *Lugdunenſem quartam*, ſeu *Senoniam*, & ilius Metropolis *Civitas Senonum*.

### Lugdunensis Prima.

In hac provincia, qua includebatur, ni fallor, *Maxima Sequanorum*, ubi deinde *Veſontio* Metropolis etiam Eccleſiaſtica facta, quinque diœceſes recenſentur. 1. *Lugdunum*, vulgo *Lyon*. 2. *Matiſco*, vulgo *Maſcon*, 3. *Cabyllonum*, vulgo *Challons ſur Saone*. 4. *Lingonum Civitas*, vulgo *Langres*. 5. *Auguſtodunum*, vulgo *Autun*. *Maxima Sequanorum* continebat quinque alias diœceſes. 1. *Veſontium*, aliis *Biſuntio*, vulgo *Bezanzon*. 2. *Aventicum*, vulgo *Avenche*, cujus ſedes *Lauſannam* translata fuit. 3. *Auguſtam Rauracorum*, vulgo *Augſt*: ſed hæc ſedes epiſcopatus *Baſileam*, non longe diſtantem translata eſt. 4. *Vindoniſſam*, vulgo *VVinich*, cujus ſedes epiſcopalis *Conſtantiam ad Rhenum* poſtea translata eſt, circa annum *Chriſti*, ut ferunt DXCVII. 5. *Belicam*, vulgo *Belley*, quam ſedem *Marca* deleto *Nojoduno*, quod vulgo *Nion*, olim *Colonia equeſtris* vocatum, huc translatam eſſe, dicit.

### Lugdunensis Secunda.

In *Lugdunenſi ſecunda* octo diœceſes. 1. *Rothomagus*, vulgo *Rouen* in *Normandia*. 2. *Ebroica*, vulgo *Eureux*. 3. *Lexovium*, vulgo *Leſieux*. 4. *Bajoca*, vulgo *Bajeux*. 5. *Conſtantia*, vulgo *Coutance*. 6. *Abrinca*, vulgo *Auranches*. 7. *Sagium*, vulgo *Seèz*. 8. *Oximum*, vulgo *Hieſmes*, cujus ſedes poſtea ſedi *Sagiorum*, unde IV. leucis diſtabat, unita.

### Lugdunensis Tertia.

In *Lugdunenſi tertia*, aliis *Turonenſi*, ſeptem fuere diœceſes. 1. *Turonorum Civitas*, vulgo *Tours*. 2. *Andegavum*, vulgo *Angers*. 3. *Cenomanum*, vulgo *Le Mans*. 4. *Redones*, vulgo *Renes*. 5. *Namnetes*, vulgo *Nantes*. 6. *Venetia*, vulgo *Vennes*. 7. *Aletum*, vulgo *Alet*, cujus ſedes poſtea an. MCXL. *Maclovium* translata eſt. Quinque aliæ a ſcriptoribus quibuſdam *Gallicanis* adjiciuntur, *Briocum*, *Dola*, *Trecora*, *Oſiſma* & *Coriſopitum*. Sed *Carolus a S. Paulo* earum antiquitatem vocat in dubium, quod regnante *Carolo Calvo* in *Britannia* quatuor adhuc tantum epiſcopatus fuiſſe, legantur.

### Lugdunensis Quarta.

Hæc Provincia ea pars *Galliæ* erat, in qua *Lutetia Pariſiorum* ſita, cujus diœceſium 1. *Senones*, vulgo *Sens*. 2. *Carnutum*, vulgo *Chartres*. 3. *Antiſſiodorum*, vulgo *Auxerre*. 4. *Treca*, vulgo *Troyes*. 5. *Aurelia*, vulgo *Orleans*. 6. *Pariſii*, vulgo *Paris*. 7. *Melda*, vulgo *Meaux*. 8. *Nivernum*, vulgo *Nevers*. Ex quibus vero hoc noſtro ſæculo detracta eſt Metropolis *Pariſienſis*.

### * III. Primatus Treverensis.

Hujus Primatus non adeo indubitata occurrunt argumenta, cujus revera non diu auctoritas ſtetit; ſive ob conceſſa Eccleſiæ *Rhemenſi* privilegia, ſive aliis de cauſis. Continebat ſuo ambitu quatuor Civiles Provincias, Eccleſiaſticas duas, quæ fuere *Belgica prima*, & *Belgica ſecunda*; ſed primæ harum provinciæ adjungendæ, ni fallor ſunt *Germania prima*, & *Germania ſecunda*, in quibus octavo ſaltem ſæculo *Moguntiacus*, & *Colonia Agrippina* Metropoleon titulo decoratæ ſunt. Omnis hæc regio ad oram *Matronæ* fluvii ſeptentrionalem, haud procul a *Pariſiis* & *Melda* ad *Rhenum* fluvium uſque.

### Belgica Prima.

Quatuor in hac provincia dumtaxat diœceſes exſtitere. 1. *Auguſta Trevirorum*, vulgo *Trier*, ſeu *Treviri*, & *Gallis Treves* Metropolis. 2. *Mediomatricum*, vulgo *Metz*. 3. *Tullum*, vulgo *Toul*. 4. *Verodunum*, vulgo *Verdun* in *Lotharingia*. In *Germania* vero *prima* quatuor aliæ recenſentur diœceſes. 1. *Maguntia*, *Mayence Gallis* dicitur, incolis *Mayntz*. 2. *Argentontum*, vulgo *Strasburg*. 3. *Spira Nemetum*, vulgo *Speyer*, *Gallis Spire*. 4. *VVormacia Vangionum*, vulgo *VVorms*. Demum in *Germania ſecunda* duæ tantum. 1. *Colonia Agrippina*, vulgo *Coeln*. 2. *Tungri*, aliis *Advatica Tungrorum*, *Gallis Tongres*, vulgo incolis *Tongeren* in *Brabantia*. Hinc ſedes primum translata ad *Trajectum Moſæ*, hodie *Maſtricht*, & tandem e *Trajecto Leodium*, vulgo *Luttich*, ubi adhuc eſt, & epiſcopus ſæcularem juriſdictionem eccleſiaſticæ conjunctam, atque viginti quatuor oppida ſibi ſubjecta habet.

### Belgica Secunda.

In altera *Belgica* decem fuere diœceſes, 1. *Remi*, vulgo *Reims*, Metropolis. 2. *Auguſta Sueſſonum*, vulgo *Soiſſons*. 3. *Catalaunum*, vulgo *Chalons en Champagne*. 4. *Laudunum*, vulgo *Laon*. 5. *Auguſta Veromanduorum*, vulgo *Vermand*. Qua ab *Hunnis* everſa, ſedes epiſcopalis *Noviodunum* ſeu *Neomagum*, vulgo *Noyon*, translata eſt. 6. *Cameracum*, vulgo *Cambray*. 7. *Tornacum*, vulgo *Tournay*. 8. *Silvanectum*, vulgo *Senlis*. 9. *Bellovacum*, vulgo *Beauvais*. 10. *Ambianum*, vulgo *Amiens*. Quidam ad-

dunt duas, *Taruannam*, vulgo *Therovenne*, & *Bononiam*, vulgo *Boulogne*. Sed *Carolus a S. Paulo*, has ſedes non adeo antiquas eſſe ſtatuit; nam *Taruannenſem* epiſcopum dicit ſe non legiſſe in libris certioris fidei ante *Ætherium*, cujus mentio fiat in epiſtola *Zachariæ* Papæ ann. DCCL. nec uſquam apud priſcos epiſcopi *Bononienſis* memoriam ſe vidiſſe, ſed tantum a *Caroli V.* temporibus, quo imperante, *Taruannenſis* ſedes translata ſit *Bononiam*, pro ea parte diœceſis, quæ eſt in *Francia*, nec non *Andonaropolim* pro ea, quæ eſt in *Arteſia*, & *Ipram* pro tertia ſeu ultima parte, quæ eſt in *Flandria*.

### IV. Primatus Bituricensis.

Hæc ſedes olim toti *Aquitaniæ* præfuit: ſed deinde *Burdigalenſi* conceſſa fuere privilegia ſua. Sunt autem hujus *Primatus* tres Provinciæ, tam Eccleſiaſticæ, quam civiles; 1. *Aquitania Prima*. II. *Aquitania ſecunda*. 3. *Novempopulana*; Quarum ſigillatim, ut *Galliarum* provinciis finem imponamus, diœceſes, earumque nomina recenſebimus.

### Aquitania Prima.

In hac Provincia, alteri *Aquitaniæ* in ortum contermina, novem amplæ diœceſes fuerunt. 1. *Biturica*, ſeu *Bituriga*, vulgo *Bourges*, Metropolis. 2. *Arvernorum civitas*, vulgo *Clairmont*. 3. *Rutena*, vulgo *Rodez*. 4. *Ariſita*. 5. *Cadurci*, vulgo *Cahors*. 6. *Lemovica*, vulgo *Limoges*. 7. *Gabalum*, aliis *Mimate*, vulgo *Mande*. 8. *Vellava*, aliis *Anicium*, hodie *le Puy en Vellay*. 9. *Albiga*, ſeu *Alba Helviorum*, vulgo *Alby*, unde *Albigenſes*, qui in hiſce oris floruerunt, nomen ſortiti.

### Aquitania Secunda.

In poſteriore *Aquitaniæ* (oceano *Aquitanico* contermina) ſex itidem diœceſes fuerunt, 1. *Burdigala*, aliis *Burdegala*, Metropolis, vulgo *Bourdeaux*. 2. *Aginnum*, vulgo *Agen*. 3. *Engoliſmenſium Civitas*, vulgo *Angouleſme*. 4. *Santonum civitas*, aliis *Mediolanum Santonum*, vulgo *Saintes*. 5. *Pictavi*, vulgo *Poictiers*, quorum *Hilarius* fuit epiſcopus. 6. *Petrocorium*, hodie *Perigueux*.

### Novempopulana.

In occaſum *Narbonenſis primæ* provincia *Novempopulana* dicta, juxta montes *Pyrenæos* ad oceanum *Aquitanicum* ſita, undecim complectebatur diœceſes. 1. *Eluſam* Metropolis vulgo *Eauſe* cujus Sedes *Auguſtam Auſciorum* poſtea translata: hinc provincia *Eluſana* etiam vocitata. 2. *Auguſtam*, ſeu *Civitatem Auſciorum* hodie dictam *Aux*. 3. *Lactoratium*, vulgo *Lectoure*. 4. *Convenas*, vulgo *Cominges*. 5. *Conſorannos*, vulgo *Conſerans*. 6. *Vaſatas*, vulgo *Baſas*. 7. *Tarbam*, vulgo *Tarbes*. 8. *Aturum*, aliis *Vico-Juliam*, vulgo *Aire*. 9. *Laſcaram*, vulgo *Leſcar*. 10. *Oleronem*, vulgo *Oleron*. 11. *Aquas*, vulgo *Acs*. Jam vero quiſquis harum regionum ſtatum aliquo modo agnoſcit, eum facile hinc collecturum confido, pleraſque harum diœceſium late patuiſſe, uti in hanc diem multo maximæ ſunt: quum univerſæ modo CXXII. fuerint numero, quando *Galliarum* limites multo longius, quam nunc quidem, fuerunt porrecti, & partes quaſdam *Helvetiæ Germaniæ* & *Belgii*, quæ nunc diſtinctæ per ſe regiones ſunt, complexi.

### In Dioecesi Hispaniarum,

### *ſub Gotthis, & Suevis.*

Ex *Gallia* tranſcendentes montes *Pyrenæos* in *Hiſpaniam* progredimur, quæ una cum provincia *Tingitana*, trans fretum *Gaditanum* in *Africano* ſolo poſita, & inſulis *Balearibus*, quas *Notitiæ* quædam ab *Hiſpania Tarraconenſi* ſejungunt, aliam magnam diœceſim civilem imperii *Romani* ſub præfecto-prætorio *Galliarum* conſtituit. *Hiſpania* tunc temporis fuit omnis diviſa in quinque Civiles Provincias; Eccleſiaſticas vero ſex extremo ſæculo ſexto, *Baticam*, *Luſitaniam*, *Tarraconenſem*, *Carthaginenſem*, & *Gallaciam*; hæc vero diviſa in *Bracarenſem*, & *Lucenſem*. In quibus omnibus provinciis nunquam ſupra ſeptuaginta quatuor vel ſeptuaginta ſex diœceſes epiſcopales fuerunt, quando numeroſiſſimæ fuere, & fere totidem in hunc diem reperiuntur. Antequam tamen ſtatum Eccleſiæ *Hiſpanicæ* perluſtremus, animadvertendum nobis eſt, diœceſes *Hiſpanicas* parochias in agris habuiſſe, in quibus presbyteri, & Diaconi ſine epiſcopo degebant. Quod clare indicat Concilium *Illiberitanum*, an. reparatæ ſalutis CCCV. ineunte perſecutione *Diocletianea* celebratum, in canone, ubi ait [Concil. Illiberit. c. 77. tom. 1. concil. p. 978.] *Si quis diaconus regens plebem ſine epiſcopo vel presbytero aliquos baptizaverit, epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit*. Idem adhuc clarius concilii *Toletani* primi ann. CCCC. habiti canon aliquis ſignificat, *Placuit*, inquiens [Concil. Toletan. I. c. 20. tom. 2. p. 1226.] *ex hac die nullum alium niſi epiſcopum chriſma conficere & per diœceſim deſtinare, ita ut de ſingulis eccleſiis ad epiſcopum ante diem paſcha diaconi deſtinentur, aut ſubdiaconi, ut confectum chriſma ab Epiſcopo deſtinatum, ad diem paſchæ poſſint ad tempus deferre*. His breviter præmiſſis, ut clarius eluceſcat verus Eccleſiæ *Hiſpanicæ* ſtatus, dicimus, ſex ſupra memoratas provincias ſub duabus Pontificis *Romani Vicariis* exſtitiſſe, *Hiſpalenſi* ſcilicet, ac *Tarraconenſi*.

### I. Vicariatus Hispalensis.

Duæ ſub hoc Vicariatu numerabantur Provinciæ; *Batica*, cujus Metropolis *Hiſpalis*; & *Luſitania*, in qua Metropolis *Emerita*, unde tandem ſedes *Compoſtellam* translata. De priore nunc primum nobis ſermo eſt.

BÆTICA.

*Bætica* undecim tantum tribuuntur diœceſes. 1. *Hiſpalis*, vulgo *Siviglia*. 2. *Italica*, nunc *Siviglia la Vieja*. 3. *Ilipla*, ſive *Elipla*, nunc vulgo *Niebla*. 4. *Aſtygis*, vulgo *Ecija*. 5. *Corduba*, hodie *Cordova*. 6. *Egabro*, vulgo *Cabra*. 7. *Eliberis*, ſeu *Illiberis*, vulgo *Elvira*. 8. *Malaca*, vulgo *Malaga*. 9. *Aſindum*, ſeu *Aſinda* & poſtea *Aſſidonia*, vulgo *Medina Sidonia*. 10. *Tucci*, hodie *Martos*. 11. *Abdara*, vulgo *Adra*.

LUSITANIA.

In hac provincia novem tantummodo diœceſes recenſentur. 1. *Emerita*, vulgo *Merida*. 2. *Abula*, vulgo *Avila*. 3. *Salmantica*, vulgo *Salamanca*. 4. *Ebora*, al. *Elbora*, vulgo *Evora*. 5. *Cauria*, vulgo *Coria*. 6. *Pax Julia*, vulgo *Beja*, quam nonnulli cum *Pace Auguſta*, hodie dicta *Badajos* confundunt, quæ recentior tantum diœceſis eſt. 7. *Oſſonaba*, vulgo *Eſtoy*. 8. *Olyſippo*, vulgo *Lisbona*. 9. *Egita*, nunc vicus obſcurus *Eidania* dictus.

II. VICARIATUS TARRACONENSIS.

Tres Civiles Provinciæ, Eccleſiaſticæ vero quatuor ſub Vicariatu *Tarraconenſi* recenſebantur. 1. *Tarraconenſis*, cujus Metropolis *Tarraco* ſeu *Tarracona*. 2. *Carthaginenſis*, in qua Metropolis *Carthago nova*. 3. *Bracarenſis*, cujus Metropolis *Bracara*, & 4. *Lucenſis*, cujus Metropolis *Lucus Auguſti*, quæ poſtea dignitatem Metropolitanam amiſit. De his ſigillatim dicendum.

TARRACONENSIS PROVINCIA.

In ampla provincia *Tarraconenſi*, *Galliæ* proxima, ſedecim tantummodo diœceſes fuerunt. 1. *Tarracona*, vulgo *Tarragona*. 2. *Dertoſa*. 3. *Cæſarauguſta*, vulgo *Saragoſa*. 4. *Tyraſſona*, aliis *Turiaſſo*, vulgo *Tarazona*. 5. *Calagurris*, vulgo *Calahorra*. 6. *Auca*, vulgo *Oca*. 7. *Oſca*, vulgo *Hueſca*. 8. *Pampilona* ſeu *Pampelon*, vulgo *Pamplona*. 9. *Ilerda*, vulgo *Lerida*. 10. *Barcino*, vulgo *Barcelona*. 2. *Egara*, vulgo *Taraſſa*, non longe a *Barcinone*, cui ſedes unita creditur. 12. *Auſona*, aliis *Auſa*, vulgo *Vique*. 13. *Gerunda*, vulgo *Girona*. 14. *Emporiæ*, vulgo *Ampurias*. 15. *Orgellum*, aliis *Urgella*, vel *Orgia*, vulgo *Urgel*. 16. *Velia*, hodie *Veleja*.

PROVINCIA CARTHAGINENSIS.

*Tarraconenſi* proxima ad oram maris mediterranei provincia *Carthaginenſis* fuit, a primaria civitate *Carthagine*, vulgo *Cartagena* antiqua, ut diximus, hujus provinciæ Metropoli, ſic vocitata, quamquam poſtea *Toletum* novæ Metropolis privilegium ſortitum eſt, & tandem totius provinciæ dignitati ſucceſſit, imo ann. DLXXXIX. totius *Hiſpaniæ* Primatus ei attributus fuit. Præter has duas diœceſes, *Carolo a S. Paulo* recenſente, viginti duæ aliæ fuerunt in hac provincia. 1. *Complutum*, vulgo *Alcala de Henares*. 2. *Oxoma*, aliis *Uxama*, vulgo *Oſma*. 3. *Pallentia*, vulgo *Palentia*. 4. *Valeria*, vulgo *Valera de Vieja*. 5. *Saguntum*, aliis *Segontia*, vulgo *Siguenza*. 6. *Secobia*, vulgo *Segovia*. 7. *Arcabrica*, vulgo *Arcas*. 8. *Oretum*, vulgo *Oreto*. 9. *Valentia*, vulgo *Valenza*. 10. *Dianium*, vulgo *Denia*. 11. *Sætabis*, ſeu *Setabis*, hodie *Xativa*. 12. *Baſti*, hodie *Baza*. 13. *Menteſa*, vulgo *Mentexa*. 14. *Salaria*. 15. *Acci*, vulgo *Guadix*. 16. *Segobrica*, hodie *Segorbe*. 17. *Caſtulo*, hodie *Gazlona*. 18. *Bigaſtrum*. 19. *Illici*, vulgo quibuſdam *Alicante*, aliis *Elche*, vel *Origuela*. 20. *Ergaviqa*, vulgo *Alcaniz*, aliis non longe a *Toleto*, aliis *Penna eſcritta*, vel *Santaver*. 21. *Eliocrota*, nunc *Lorca*. 22. *Urci*, aliis *Urce*, hodie *Orce*.

GALLÆCIA,

*ſub qua Provinciæ Eccleſiaſticæ duæ*

BRACARENSIS ET LUCENSIS.

*Gallæcia*, licet non plus tredecim vel quatuordecim habuerit diœceſes epiſcopales, tamen adeo ampla fuit provincia, ut in concilio apud *Lucum Auguſti*, ſub *Theodmiro Suevorum* Rege ann. DLXIX. celebrato, propoſitum fuerit, quod regio tota in duas eccleſiaſticas provincias divideretur; eo quod eccleſiæ omnes per ſingulos annos ſic poſſent a ſuo epiſcopo viſitari. Quo facto, conſtitutis diverſis novis epiſcopatibus, Patres iſtius Concilii elegerunt, ut diœceſes illæ ſpatioſe, quæ a paucis epiſcopis tenebantur, ſedes duas metropolitanas haberent, *Lucenſem*, & *Bracarenſem*; quarum poſterior antiqua fuit iſtius regionis Metropolis. Id declaratum legimus in actis ejuſdem Concilii [ Lucenſ. tom. 5. p.874. c.d. ] Poſt factam igitur diviſionem non amplius quam octo diœceſes reliquæ fuerunt *Bracarenſi Provinciæ* 1. *Bracara*, hodie *Braga*, Metropolis. 2. *Dumium*. 3. *Portucale*, vel *Portus Calenſis*, hodie *El Puerto*. 4. *Conimbrica*, vulgo *Coymbra*. 5. *Viſeum*, vulgo *Viſeo*. 6. *Lamecum*, vulgo *Lamego*. 7. *Valentia* ad *Minium* fluvium, hodie *Valenza al Menno*. 8. *Legio*, vulgo *Leon*. Ad alteram Metropolim *Lucum Auguſti* quinque tantum pertinuerunt. 1. *Iria Flavia*, vulgo *el Padron*. 2. *Auria*, vulgo *Orenſe*. 3. *Tude*, vulgo *Tuy*. 4. *Aſturica*, vulgo *Aſtorga*. 5. *Britonia*, nunc pagus *Bretagna* dictus. Ex hiſce *Legio*, & *Aſturica Cypriani* memoria una dumtaxat diœceſis fuiſſe, a viris quibuſdam doctis creditur, quod *Cyprianus* eas in epiſtola ad eccleſiam utriuſque loci ſcripta [ Cyprianus epiſt. 68. al. 67. ] conjungat.

MAJORICA, MINORICA, ET EBUSUS INSULÆ.

Provinciis *Hiſpanicis* Inſulæ *Hiſpanicæ*, *Majorica*, *Minorica* & *Ebuſus* ſubjungendæ ſunt, quas *Carolus a S. Paulo* errore ductus ad *Sardiniam* refert, tamquam

quam diœceſi *Romanæ* ſubjectas. *Majoricæ* omnium *Balearium* maximæ circuitus fuit fere mill. paſs. cx. neque tamen ipſa plus unam diœceſim epiſcopalem habuit, cujus urbs primaria *Palma*, hodie *Mallorca*, quo nomine ab incolis tota inſula appellatur, aliis dicta *Majorca*. *Minorica*, incolis *Menorca*, lx. mill. paſs. in circuitu habens, olim proprio gaviſa eſt epiſcopo, cujus ſedes *Jamna* fuit, hodie *Cittadella* vocitata, urbs inſulæ primaria. *Ebuſus* hodie *Yvica* iſta quidem inſula fuit minor, ſed tamen ad diſtinctam aliquam diœceſim faciendam ſufficiens, circuitu xlii. mill. paſs. urbem ejuſdem nominis habens cum pluribus villis ſibi ſubjectis. Ut adeo in omnibus provinciis *Hiſpanicis* diœceſes generatim ſatis ſpatioſæ fuerint, nec ulla inter eas reperta ſit, cujus fines ſingularis alicujus congregationis limites non longe exceſſerint.

### In Dioecesi Britanniarum *ſub* Anglis, *aliiſque Nationibus*.

Ex *Hiſpania* in Inſulas *Britannicas* devenimus, quas *Britanniarum Diœceſim* dicimus. Hæc regio a *Romanis* primum in tres provincias, & deinceps in quinque fuit diviſa: 1. *Britanniam Auſtralem* ſive *Primam*: & *Mediam* ſive *Flaviam Cæſarienſem*, cujus Metropolis *Londinum*, vulgo *Londra*; poſtea vero tempore *S. Gregorii Dorovernum*, quæ & *Cantuaria*, vulgo *Cantorbery* 2. *Angliam Borealem*, olim *Maximam Cæſarienſem*, in qua Metropolis *Eboracum*, vulgo *Yorck*. 3. *Cambriam*, antea *Britanniam Secundam*, cujus Metropolis *Carleona*, ſive *Legio ſecunda*, alias *Iſca Silurum*, vulgo *Caerleon*; poſtea vero *Meneviam* translata, vulgo *Santo David*. 4. *Scotiam*, cujus priſca Metropolis incerta. V. *Hiberniam*, in qua Metropolis *Armacha*, vulgo *Armach*. Tres primæ Eccleſiaſticæ provinciæ, intra veteres Imperii *Romani* fines paruiſſe creduntur Epiſcopo *Dorovernenſi*, cui *Britanniarum Primatus* etiam adſignatus eſt. Non habemus (quæ temporis injuria eſt) perfecta documenta, ex quibus perſpicere nobis liceat, quinam epiſcopatus in unaquaque provincia erecti fuerint. Qui de certo quodam numero flaminum & ſummorum flaminum, qui in tot epiſcopos & archiepiſcopos converſi fuerint, loquuntur, opinationes ſuas potius quam veram hiſtoriam nobis commemorare videntur. Quod certum hac in re eſt, hoc eſt: Ineunte ſæculo quarto eccleſiæ epiſcopales hic, ut in reliquis nationibus omnibus, fuerunt. Nam harum eccleſiarum antiſtites ad concilia non minus quam alii evocati eſſe leguntur. At vero nullus auctor, qui horum epiſcoporum mentionem injicit, certum totius collegii numerum nobis exhibet, adeoque conjicere dumtaxat poſſumus ex reliquiis horum epiſcoporum *Britonum*, qui in *VValia* poſt *Saxonum* irruptionem manſerunt, ibique, adventante in *Angliam Auguſtino* monacho, extiterunt. *Beda* [ hiſtor. gent. Anglor. lib. 2. c. 2. ] ſeptem ex hiſce memorat, qui ad ſynodum *Vigorniæ*, ſive in loco hodie *Auſtins dak* appellato, coactam convenerint, cum *Auguſtino* de eccleſiæ ritibus ſermones collaturi. Hiſce Metropolitanus quidam præſidebat, cui obedientiam ſe debere in concilio iſto profitebantur. Erat is Archiepiſcopus *Meneviæ*, ſeu *S. Davidis*, ſive, ut ipſi eum vocabant, archiepiſcopus *Caerlegionis* ſupra *Oſcam*, quod hæc eſſet antiqua ſedes metropolitica, antequam ad oppidum *S. Davidis* transferretur. Reliqui ſuffraganei, ut a quibuſdam hiſtoricis *Britannicis* [ Galfrid. monum. hiſtor. lib. 8. cap. 4. Vid. Povvel. not. in Girald. Cambrens. itinerar. Cambriæ lib. 2. p. 170. ] recenſentur, tunc temporis fuerunt *Herefortenſis*, *Tavenſis*, *Faternenſis*, *Banchorenſis*, *Elvienſis*, *Viccienſis*, *Morganenſis*. Jam ſi numerus epiſcoporum in aliis provinciis huic reſpondit, plures epiſcopos ante invaſionem *Saxonum*, quam quidem ſunt hodie, illic fuiſſe colligas. Sed quando *Auguſtinus* in *Angliam* venit, præter antememoratos invenit nullos: Tametſi *Gregorius Magnus* ipſi mandaviſſet, ut viginti ſex epiſcopos, duodecim epiſcopos ſuffraganeos Epiſcopo *Londinenſi*, & totidem metropolitano *Eboracenſi* ſubjectos conſtitueret, ſibi ipſi vero primatum [ Bed. lib. 1. c. 29. ] in omnes gentis epiſcopos reſervaret. Verum fuit potius levis quædam adumbratio pro futuris temporibus, quum integra convertenda eſſet natio, quam præſens conſtitutio Eccleſiæ. Nam plus quinquaginta annis poſt non amplius ſeptem epiſcopi in univerſa heptarchia ſeu ſeptem regnis *Saxonum* fuerunt, ut ex iis conſtat, quæ de concilio *Herudfordienſi* ann. DCLXXIII. narrat *Beda*, quippe in quo adfuerunt *Theodorus Dorovernenſis*, ſeu *Cantaurenſis* eccleſiæ epiſcopus [ Idem lib. 4. c. 5. ] *Biſi*, orientalium *Anglorum* epiſcopus, *VVilfridus Northanhymbrorum* gentis epiſcopus, *Putta* epiſcopus *Roffenſis*, *Leutherius* epiſcopus occidentalium *Saxonum*, & *VVinfridus* epiſcopus totius provinciæ *Merciorum*. Quo in in Concilio [ Herudford. c. 9. apud Bed. ibid. p. 274. ] canon conditus eſt, ut plures epiſcopi, creſcente numero fidelium, conſtituerentur. Ex quo factum eſt, ut in locum *Biſi* occidentalium *Anglorum* epiſcopi, qui graviſſima infirmitate ab adminiſtrando epiſcopatu prohibebatur, duo alii *Ecca* & *Baduvſinus*, electi epiſcopi conſecrarentur. Ex quo tempore ad ætatem uſque *Bedæ* provincia illa duos habere ſolita eſt epiſcopos; qui fuerunt *Elmhami* & *Dunovici*, qui poſtea uniti fuere, ſede hinc primum *Sitomagum*, vulgo *Thetford*, & deinde *Nordovicum* translata, qui epiſcopi toti *Anglorum* orientalium regno ſucceſſerunt. In Regno *Northumbriæ* primum duo dumtaxat fuerunt epiſcopi, alter in civitate *Eboracenſi*, alter in *Lindisfarnenſi* eccleſia cathedram habens epiſcopalem. Sed non multo poſt, ann. DCLXXVIII. *VVilfridus* epiſcopus *Eboracenſis*, ſede ſua ab *Egfrido*, rege *Northumbriæ*, pulſus eſt, ejuſque in locum quatuor vel quinque epiſcopi fuerunt ſubſtituti, alius qui-

quidem in *Deirorum*; alius in *Berniciorum* provincia; alius in provincia *Pictorum*, quæ tunc temporis *Anglorum* erat imperio ſubjecta; alius denique in provincia *Lindiſi*, ut *Beda* [lib. 4. c. 12.] vocat, qui nuper ex diœceſi & regno *Merciorum* adſcitus erat, nec multo poſt eo rurſus relegatus.

Magnum regnum *Merciorum* (comprehendens comitatus *Glocestrienſem, Herfordienſem, Vigorniensem, Varvicenſem, Liceſtrienſem, Nottinghamenſem, Bedfordienſem, Buckainghmenſem, Oxonienſem, Darbienſem, Cantabrigienſem, Rutlandienſem, Northamtonienſem, Lincolnienſem, Staffordienſem, Salopienſem, Ceſtrienſem*, & ex parte *Herefordienſem*) initio diœceſis fuit unius tantum epiſcopi, quem *Beda* plerumque *Anglorum* Mediterraneorum ſive *Merciorum* epiſcopum vocitat, cujus ſedes *Lichfeldia*, regia & metropolis regni *Merciæ*; uſque dum circa ann. DCLXXVIII. nova ſedes epiſcopalis *Sidnaceſtriæ* in comitatu *Lincolnienſi*, & aliquando poſt alia *Dorceſtriæ* in comitatu *Oxonienſi* erigeretur, quæ ambæ poſtea unitæ & *Lincolniam* remotæ ſunt.

Diœceſis *Vintonienſis* primis temporibus admodum late patuit, continens omnia *Saxonum* occidentalium regna, donec ab *Ina* rege in *Vintonienſem* & *Clarofontanam* (*Sherborn*) an. DCCV. *diſpeſceretur*. Quarum poſterior deinde ſubdiviſa fuit in diœceſes *Cornubienſem*, *Devonienſem*, *Somerſettenſem*, *Viltonienſem*, & *Dorceſtrienſem*, quarum quædam rurſus unitæ conſtituerunt diœceſes *Exonienſem*, *VVellenſem*, *Saliſburienſem* & *Briſtolienſem*, ut nunc in præſenti forma & conſtitutione eccleſiæ ſedent. Ex quo licet colligere, diœceſes epiſcopales in *Anglia* olim multo majores fuiſse, quam nunc ſunt, eccleſiâque pro ſapientia ſua illas ſemper vel multiplicare vel contrahere conſuevìſse. Quamquam nonnullæ etiam nunc adeo ſpatioſæ ſunt, ut, ſi cum quibuſdam antiquis diœceſibus *Italicis* conferantur, illarum una decem vel viginti ex hiſce, quæ *Romæ* propinquiores erant æqualis eſſe deprehendatur.

Reſtant nunc examinandæ ultimæ *Britanniarum* diœceſis provinciæ, nempe *Scotia* & *Hibernia*. De primitivo diœceſium epiſcopalium ſtatu in *Scotia* *Carolus a S. Paulo*, luce deſtitutus hiſtorica, narrare nihil potuit, ideoque recentiora dumtaxat nomina conſignavit, ut ſequuntur.

Sub archiepiſcopo *S. Andreæ* octo ſunt Epiſcopatus, videlicet 1. *Dunkeldenſis*. 2. *Brechinenſis*. 3. *Aberdonenſis*. 4. *Roſſenſis*. 5. *Moravienſis*. 6. *Cathanenſis*. 7. *Dumblanenſis*. 8. *Orchadenſis*.

Sub archiepiſcopo *Glaſcuenſi* tres. 1. *Candidæ Caſæ*. 2. *Liſmonenſis*; 3. *Inſularum*, hoc eſt, *Hebridum* ſeu occidentalium, quarum e præcipuis *Jona* fuit. *Sodora*, primaria hujus inſulæ civitas, a *Gregorio* IV. anno DCCCXL. in ſedem epiſcopalem evecta eſt, unde epiſcopus harum quadraginta quatuor inſularum omnium una cum *Mannia* inſula, quæ tunc temporis pars dumtaxat hujus diœceſis fuit, nomen epiſcopi *Sodorenſis* habuit. Quando autem *Mannia* inſula in poteſtatem venit gentis *Anglorum*, inſulæ occidentales veteri ſuo Epiſcopo, qui in hac inſula vivere ſolebat, amplius parere recuſantes ipſæ ſibi epiſcopum conſtituerunt ſeparatim, qui diu titulum epiſcopi *Sodorenſis* retinuit, tandem vero epiſcopo *Manniæ* inſulæ illum reliquit, adſumpto titulo *inſulani*, quem nunc etiam retinet. Sed de antiquis diœceſibus non adeo ſollicitos nos eſse oportet; non enim habemus quid de his diſtincte & ſigillatim referamus, utpote certis monumentis deſtituti. Quoad *Hiberniam* autem, quatuor in hac provincia archiepiſcopatuum fit mentio, ſub quibus quatuor quoque archiepiſcopi cum epiſcopis ſuis ſuffraganeis recenſentur. Horum numerum, ad quinquaginta tres adauctum, catalogus in *provinciali Romano*, a *Carolo a S. Paulo* in geographiæ ſuæ appendice publicatus, hoc ordine exhibet.

Archiepiſcopus *Armachiæ* Primas totius *Hiberniæ* hos habet ſuffraganeos: 1. *Connerinenſem*. 2. *Deconnannas*. 3. *Dedamlialiagg*. 4. *Dedundaleglas*. 5. *Deardachad*. 6. *Ingudunum*. 7. *Dedarrich*. 8. *Derathboth*. 9. *Dunenſem*, alias *Drumorenſem*. 10. *Elvalmirand*, ſive *Midenſem*. 11. *Derathluring*. 12. *Renenſem*, vel *Revelenſem*, vel *Crocorenſem*. 13. *Cluanenſem*, alias *Clunerdenſem*. 14. *Rochinoſenſem*, vel *Rothbotenſem*. 15. *Artagadonenſem*, vel *Ardocadenſem*. 16. *Conerenſem*. 17. *Heugamenſem*.

Archiepiſcopus *Dublinenſis* hos habet ſuffraganeos: 1. *Glandelacenſem*. 2. *Chaldetenſem*, alias *Kiſcarenſem*. 3. *Fervenſem*. 4. *Gleuſem* vel *Gluiſonenſem*. 5. *Oſſinenſem*. 6. *Darenſem*. 7. *Gaininch*. 8. *Licelinenſem*. Archiepiſcopus *Caſſellenſis* hos habet ſuffraganeos: 1. *Decendalnenſem*, vel *Laonenſem*. 2. *Deroſtreenſem*, vel *VVldifordianum*. 3. *Deartfertenſem*. 4. *Lunech*. 5. *Liſmorenſem*. 6. *Firmaberenſem*, vel *Fymbarrenſem*. 7. *De Inſula*. 8. *Deduanamenſem*, alias *Cluanenſem*. 9. *Laudenſem*. 10. *Carthax*. 11. *Tubricenſem*. 12. *Decelleninabrach*. 13. *Deconeagia*, vel *Corcayenſem*. 14. *Trtfertelenſem*. 15. *Denulech*, alias *Umblicenſem*. 16. *Deroſailitchir*. 17. *VVaterfordienſem*.

Archiepiſcopus *Tuanenſis* hos habet ſuffraganeos: 1. *Demageonenſem*. 2. *Achadenſem*. 3. *Delſinenſem*. 4. *Decellaid*. 5. *Deconairi*. 6. *Æcdunenſem*. 7. *Roſcomon* 8. *Decelmundaiach*. 9. *Cluartifertenſem*. 10. *Deculuanferd*. 11. *Duacenſem*. 12. *Bladenſem*. Et hic maximus epiſcoporum numerus videturfuiſse, quem *Hibernia*, ex quo tempore chriſtianam amplexa eſt religionem, unquam habuit. Quod quidem dixiſse ſufficiat ad diſquiſitionem Diœceſium *Britannicarum*.

In Tractu Illirici Orientalis, *ac primo in Diœceſi* Macedoniæ.
Primatus Thessalonicensis.

Cœptam diſquiſitionem perſequentes ex *Inſulis Britannicis* in *Græciæ* provincias deducimur, quæ omnes a *Romanis* ſub communi nomine civilium diœceſium *Macedonicarum* comprehenſæ. Hinc *Primatus Theſſalonicenſis*, ſub quo ſecundum *Hieroclis* recenſionem, Provinciæ civiles ſeptem, Metropoles vero novem eccleſiaſticæ conſiderandæ veniunt. I. *Macedonia Prima*, cujus Metropolis *Theſſalonica*, vulgo *Salonichi*, cujus epiſcopus Sedis *Apoſtolicæ* Vicarius. II. *Macedonia ſecunda* (Quæ in Nov. 2. Primariæ *Juſtinianæ* Primatui aſſignatur. Sed omittitur in Nov. 131. cap. 3.), in hac provincia Metropolis *Philippi*, vulgo *Filippo*. 3. *Theſſalia*, cujus Metropolis *Lariſſa*, vulgo etiam *Lariſſa*. 4. *Achaja*, ſive *Græcia*, quæ & *Proconſularis*, cujus Metropolis *Corinthus*, vulgo *Corinto*; cui additæ Metropoles *Patræ*, vulgo *Patraſſo*, & *Athenæ* in *Hellade*, vulgo *Atene*. 5. *Epirus Vetus*, cujus Metropolis *Nicopolis*, vulgo *Preveſa*. 6. *Epirus nova*, in qua Metropolis *Dyrrachum*, vulgo *Durazzo*. 7. *Creta* Inſula, cujus Metropolis *Gortyna*, vulgo *Gortina*. De quibus omnibus nihil amplius adnotabimus, niſi quod generatim amplæ fuerint, ut quilibet, qui chartam geographicam intueri, vel civitatum quarumdam diſtantiam examinare velit, facile intelliget. Quam ob cauſſam ſuffecerit, lectori tantummodo catalogum exhibere nominum diœceſium, in qualibet harum regionum provincia, ſecundum ordinem & diviſionem ſuam in eccleſia ad formam civilis imperii.

Macedonia Prima et Secunda.

Primæ itaque harum provinciarum ſunt *Macedonia Prima* & *Macedonia Secunda*, quas utraſque *Carolus a S. Paulo* confundit, & ſeptemdecim diœceſes in his recenſet; Sunt enim: 1. *Theſſalonica*. 2. *Filippi*. 3. *Stobi*, vetus ſecundæ provinciæ metropolis. 4. *Berrhœa*. 5. *Dium*. 6. *Particopolis*. 7. *Doberus*. 8. *Caſſanaria*. 9. *Neapolis*. 10. *Heraclea Pelagoniæ*. 11. *Torone*. 12. *Lete*. 13. *Topiris*. 14. *Serre*. 15. *Heradea Strymonis*. 16. *Thaſſus* inſula. 17. *Hephæſtia* in *Lemno* inſula. Quibus *Holſtenius* [geograph. p. 114. p. 197. in Caroli a S. Paul. geograph.] adjungit *Primulam* & *Zaparam*, *Topirim* autem rejicit, utpote ad *Rhodopen* provinciam diœceſis *Threiciæ* ſpectantem, & de *Serre* obſervat, quod ſit aliud modo *Philipporum* nomen.

Thessalia.

Proxima provincia ad mare *Ægeum* eſt *Theſſalia*, in qua ſecundum *Carolum a S. Paulo* octo tantum diœceſes inventæ. 1. *Lariſſa*. 2. *Demetrias*. 3. *Echinus*. 4. *Cypera*. 5. *Metropolis*. 6. *Lamia*. 7. *Triccæ* & 8. *Thebæ Phthioticæ*. Quibus, *Holſtenius* [pag. 115. p. 197.] auctore, tres aliæ accedunt. *Dicæſarea*, *Gomphi* & *Scarphia*, quarum ultimam *Carolus a S. Paulo* cum *Echino* confundit. In notitia *Leunclavii* hæc provincia *Hellas ſecunda* dicitur, & undecim in ea recenſentur diœceſes, quarum quatuor antiqua nomina ſua retinent, ex quibus facilis conjectura eſt, *Helladem ſecundam* & *Theſſaliam* duo tantum unius ejuſdemque provicinæ fuiſſe nomina. Et quum numerus diœceſium in utraque recenſione exacte concordet, nunquam plus quam undecim in hac provincia exſtitiſſe, inde licebit concludere.

Achaja.

Proxima *Theſſaliæ* provincia *Achaja* eſt, quæ bene magna fuit provincia, non tantum, quidquid veteres *Atticam* & *Achajam* nominaverunt, ſed omnem etiam *Peloponneſum* & *Eubœam* inſulam ambitu ſuo complexa. Hic, *Carolo a S. Paulo* recenſente, XXVI. diœceſes reperiuntur, quarum quatuor in *Eubœa* inſula fuerunt. 1. *Chalcis*, hodie *Negroponte*. 2. *Oreum*. 3. *Porthmus*. 4. *Caryſtus*. Novem in *Peloponneſo*. 1. *Corinthus*. 2. *Argos*. 3. *Tegea*. 4. *Megalopolis*. 5. *Lacedæmon*. 6. *Meſſene*. 7. *Corone*. 8. *Petra*. 9. *Helice*. Tredecim in altera parte *Achajæ*. 1. *Athenæ*. 2. *Megara*. 3. *Theſpiæ*. 4. *Naupactus*. 5. *Secorus*. 6. *Elatia*. 7. *Opus*. 8. *Strategis*. 9. *Thebæ*. 10. *Platæ*. 11. *Tanagra*. 12. *Marathon*. 13. *Carſia* aliis *Coriſſia*. *Holſtenius* addit *Coronem*, ſive *Coroniam* in *Beotia*, præter illam *Coronem*, quæ in Poloponneſo fuit. In *notitia Leonis Sapientis* apud *Leunclavium*, tres ex hac conſtituuntur provinciæ, *Hellas prima*, *Peloponneſus prima* & *ſecunda*, & numerus diœceſium idem fere eſt, unde colligere pronum eſt, per plura ſæcula non magnam in illis factam eſſe mutationem.

Epirus Vetus et Nova.

*Epirus*, ab *Achaja Acheloo* intercludente diſterminata, Regnum priſcis temporibus fuit; ſed a *Romanis* in duas provincias *Epirum veterem*, & *Epirum novam* diviſum. In *Epiro veteri* ſecundum *Carolum a S. Paulo* decem diœceſes inveniuntur. 1. *Nicopolis*. 2. *Anchiaſmus*. 3. *Phœnicæ*. 4. *Dodone*. 5. *Adrianopolis*. 6. *Buthrotum*. 7. *Euria*. 8. *Photica*. 9. *Cephalonia* inſula. 10. *Corcyra* inſula. In *Epiro nova* octo tantum. 1. *Dyrrachium*, ſive *Doracium*. 2. *Scampes*. 3. *Apollonia*. 4. *Aulon*. 5. *Amantia*. 6. *Lychnidus*. 7. *Bullidum*, al. *Bulis*. 8. *Prina*, vel *Priſna*. Quibus *Liſtram*, ſive *Heliſtram* addit *Holſtenius*, addubitans, num ne potius ad *Lycaoniam* ſpectet. Magnæ hæ diœceſes fuerunt, plus XL. vel L. mill. paſſuum longæ. Quo non obſtante duæ aliquando conjunctæ fuerunt. Nam in actis Concilii *Epheſini*, obſervante *Holſtenio*, *Felix* aliquis epiſcopus *Bullidis* ſimul & *Apolloniæ* [Concil. Epheſ. act. 1. tom. 3. p. 447. c.] vocatur. Ex numero itaque, & extenſione diœceſium valde amplas per omnia ſæ-

cu-

cula fuiſſe provincias haſce concludimus, quum ipſa *Corcyra* inſula a nonnullis geographis paſſ. XLV. mill., & a *Plinio* [ lib. 4. c. 12. ] non minus XCVII. mill. in longitudinem patere exiſtimetur.

CRETA.

In *Creta* inſula, provinciarum *Macedonicarum* ultima, a *Carolo a S. Paulo*, undecim nominantur diœceſes. 1. *Gortyna*. 2. *Gnoſſus*. 3. *Hierapetra*. 4. *Lappa*. 5. *Subrita*. 6. *Eleuthera*. 7. *Cheronebus*. 8. *Cydonia*. 9. *Cyſamus*. 10. *Citaum*, al. *Siteum*. 11. *Cantanum*. *Leonis Sapientis notitia* apud *Leunclavium* duodecim facit, ſed *Hierapetra* illic librariorum quorumdam errore in duas diviſa, quo correcto ad eumdem numerum reducuntur. Unde hunc conſtantem numerum per plura ſæcula fuiſſe colligimus. Jam vero *Creta* a *Ferrario* aliiſque ex *Plinio* & *Strabone* CCLXX. vel CCC. mill. paſſ. in longitudinem, & L. in latitudinem patere judicatur. Quod ipſum duodecim diœceſes reliquis provinciarum *Macedonicarum* diœceſibus æquales efficit, & ſatis eſt teſtimonium, diœceſes haud mediocris fuiſſe magnitudinis, tametſi ad ea pluribus ſigillatim enarrandas haud deſcendimus.

IN EJUSDEM ILLIRICI
*Diœceſi* DACIÆ,
PRIMATUS ACHRIDANUS.

Altera civilis diœceſis *Illyrici Orientalis*, vulgato nomine *Dacia* appellata, *Primatum Achridanum* conſtituit, ſub quo *Achridam*, ſive *Achridam* patriam ſuam *Juſtinianus*, a ſe inſtauratam, ſuo ipſius honorans nomine, *Primam Juſtinianam* appellari juſſit, eique, in dignitatem patriarchalem evectæ, ſex Provincias civiles adſignari, quas & ejus Epiſcopo, Archiepiſcopi, ſive Primatis dignitate decorato in ſacris ſubjici voluit, huncque Vicarium in iis *Romanæ* ſedis conſtitui, quod a *Vigilio* Papa impetratum. *Nov.* 11. & *Nov.* 131. *cap.* 3. Sex iſtæ provinciæ ſunt. 1. *Dacia Mediterranea*. 2. *Dacia Ripenſis*, ſive *ſecunda*. 3. *Prævalis*, ſeu *Prævalitana*. 4. *Dardania*. 5. *Mœſia ſuperior*. & 5. utraque *Pannonia*. Sed de hac ultima provincia quum ad diœceſes *Illyrici Occidentalis*, uti jam nobis obſervatum, ſpectet, non erit hic ulterius diſcutiendum.

DACIA MEDITERRANEA ET RIPENSIS.

*Daciæ Mediterraneæ*, ex veteri *Mœſia* detractæ, *Holſtenius* attribuit *Sardicam* Metropolim, *Romatianam* & *Naiſſum*, ubi ipſe & *Pagius Conſtantinum Magnum* natum eſſe dictitant. In altera *Dacia*, ex *Mœſia* quoque veteri decerpta, quam *Ripenſem* vocant, quod præter ripas Danubii inter *Mœſiam primam* & *ſecundam* protenditur, quæ an diſtincta in ſacris a *ſuperiore* fuerit minus compertum, *Aquas* ponit, cujus civitatis in concilio *Sardicenſi* in *Hilarii* fragmentis mentio habetur, & *Iſcium* ſeu *Iſcopolim* aliam Civitatem, cujus epiſcopus ex eadem provincia concilio modo memorato ſubſcripſit, in adnotationibus in *Ortelii theſaurum geographicum Holſtenius* [adnotat. in Ortel. p. 116. *Martis*.] duas alias civitates epiſcopales in hac provincia obſervat, quarum altera *Martis* ab *Hierocle*, vel *Stramartis* a *Procopio*, vocatur, & altera *Budina*, hodie *Bodine* in *Bulgaria* ad Danubium. Sed forte ambæ recentiores ſedes fuerunt, non enim ullum aliud teſtimonium præter notitias pro illis adlegat, & *Stramartis* pro *Caſtra Martis* corrupte legi videtur.

PRÆVALITANA.

Hæc provincia ad boreale *Epiri* latus ad mare *Adriaticum* ſita, & regionis illius, quæ nunc *Albania* dicitur, pars fuit. *Carolus a S. Paulo* duas duntaxat diœceſes in illa nominat, *Scodram*, veterem provinciæ Metropolim, & *Acheridam*, olim dictam *Prævalem*, quæ, ut diximus, *Juſtiniana prima*, totius regionis Metropolis, poſtea *Bulgarorum* regia. Præter hosce duo epiſcopatus *Holſtenius* duo alios invenit, *Rhizinium* & *Liſſum*, hodie *Aleſſio* ad mare *Adriaticum*.

DARDANIA.

Ad latus *Daciæ* meridionale hanc inter & *Macedoniam* *Dardaniam* provincia fuit, a *Macedonia* per *Scardum* montem, & a *Thracia* per partem *Hæmimontis* diſterminata. Hæc olim pars *Mœſiæ*, hodie vero pars *Serviæ* eſt. In hac provincia a *Carolo a S. Paulo* quatuor diœceſes obſervatæ. 1. *Scupi*, vulgo *Uſcup*, Metropolis. 2. *Ulpianum*, al. *Juſtiniana ſecunda*. 3. *Diocletiana*, concilii *Sardicenſis* tempore civitas *Macedoniæ* credita. 4. *Neſſyna*, al. *Neſſus*. *Holſtenius* aliam addit *Pautaliam*, quam *Daciæ Mediterraneæ* civitatibus accenſet *Hierocles*, *Ptolemæus* vero & *Stephanus Thraciæ* tribuunt, utpote in harum provinciarum confinibus poſitam.

MOESIA SUPERIOR.

Ad latus *Prævalitanæ* ſeptentrionale juxta *Danubium* *Mœſia ſuperior* inter *Pannoniam* ad occaſum, & *Daciam* ad ortum poſita fuit; cujus Metropolis *Viminacium*, vulgo *Wucziderna*, alias *Bidena*, aut *Singidunum*, vulgo *Zenderim*. Hanc provinciam in Eccleſiæ politia disjunctam a *Dacia* pronunciare non eſt in promptu. Hinc *Carolus a S. Paulo* diœceſes epiſcopales hujus provinciæ & *Daciæ* confundit, *Sardicam* Metropolim faciens omnium, eaſque inde vulgato nomine Provinciam *Sardicenſem* nuncupans; & præter *Sardicam* tres tantum diœceſes in tribus iſtis provinciis, *Remeſſianam*, *Aquas*, & *Caſtrum Martis* invenit. Sed *Holſtenius* paullo accuratior eſt, & de illis diſtincte agit, *Mœſiæ ſuperiori Caſtrum Martis* ad *Margi* amnis & *Danubii* confluentem ſitum adſignat; ideoque lector res, quas obſcuritate involutas relinquimus, quoad hanc provinciam ſtudioſius poterit tanto duce diſquirere.

PA-

PATRIARCHATUS CONSTANTINOPOLITANUS.

Tres huic *Patriarchatui* diœceſes attributæ, *Thracia*, *Pontus* & *Aſia*. His acceſſit *Illyricum Orientale*, imo, & *Sicilia* tandem cum *Calabria*, foventibus *Græcis Cæſaribus* Patriarchæ *Conſtantinopolitani* effrænatam ambitionem. Sed de his dictum in Patriarchatu *Romano*, ad quem revera ſpectant. Ut Eccleſiarum in certas diœceſes diviſarum, ſtatum in his Regionibus intelligamus, conſultum fuerit antequam ad ſingularia deſcendimus, harum provinciarum magnitudinē conſiderare, & diſpicere quot diœceſes in univerſo illo terræ tractu repertæ fuerint. Nam ex hoc illas generatim æſtimare poſſumus, ſuam cuique diœceſi tribuentes proportionem, regionibus ipſis in tot partes; quot in iis fuerunt diœceſes, diſtributis. Non quod diœceſes re ipſa ita æqualiter diviſæ fuerint: (nam ſi ſummam ſingularum collegeris, hic diœceſes ampliſſimas alias, alias anguſtiſſimas in mundo offendes) ſed tantum illas tamquam æquales fingere nobis poſſumus, ut univerſas iſtas regiones per eas æquabiliter diſpertiamus. Jam vero, ut a *Thracia* progrediamur, quæ *Provinciæ Europææ* nomine venit, omnis hæc regio a *Macedonia* & *Strymone* fluvio ad *Danubium* uſque, quæ nunc *Romania* & *Bulgaria* vocitatur, a *Conſtantinopoli* ad *Sardicam* ſupra CCC. mill. paſſuum ab una parte, & a mari *Ægeo* ad *Danubium* tantumdem fere viæ ab altera parte patens. Unde colligere licet, diœceſes in hac regione generatim admodum amplas fuiſſe. Quod clarius patebit, quando eas ſigillatim primo loco conſiderabimus. Quoad *Aſiam* vero & *Pontum*, quæ provinciæ ſimul ſumptæ regionem unam conſtituebant, *Aſiam Minorem* dictam, *Heylinus* in *geographia* ſua [Heylin. Coſmograph. lib. III. p. 3.] longitudinem harum diœceſium ab *Helleſponto* ad *Euphratem* fluvium DCXXX. mill. paſſuum & latitudinem ab *Iſſico Ciliciæ ſinu* ad *Trapezuntem Ponti* CCX. mill. paſs. habere judicat. Regio hæc tota in duas magnas diœceſes civiles, *Aſiaticam* videlicet & *Ponticam*, a *Romanis* diviſa erat, quarum utraque duodecim provincias, & provincia quæque diverſas civitates, & diœceſes epiſcopales continebat, præter eas, quæ in *Iſauria* erant & *Cilicia*, ad diœceſim ſpectantes *Orientalem*, & patriarchæ *Antiocheno* ſubjectæ. Sed de his accuratius, cum harum diœceſium provincias ſigillatim conſiderabimus.

IN DIOECESI THRACIARUM.

Hujus Regionis Metropolis *Conſtantinopolis*, *Coſtantinopoli*, vulgo *Strambol*, quæ civitas priſcis temporibus *Byzantium* in *Europa* provincia poſitum, ideoque *Heracleæ* Metropoli ſubjectum, uſque dum reædificatum a *Conſtantino* regiæ civitatis nomine decoraretur. Ex quo tempore in tantam amplitudinem excrevit, tantaque incolarum multitudine abundare cœpit, ut cum *Roma* antiqua æquari & conferri poſſet. *Conſtantinum* hanc civitatem plurimis & maximis eccleſiis exornaſſe, *Sozomenus* [lib. II. c. III.] Auctor eſt & ex *Juſtiniani* quadam novella [Juſtin. novel. III.] conſtat, ipſius ætate quatuor ex hiſce eccleſiis non minus quingentos omnium ordinum clericos habuiſſe. Ipſimet *Novatiani*, obſervante *Socrate* [lib. II. c. 38. p. 144. an. edit. Amſtelod. MDCXCV.] tres Eccleſias in ipſa civitate habebant: Et in ſuburbanis, ſive regione ad civitatem ſpectante, catholici plures parœcias, & eccleſias non mediocris diſtantiæ habebant, exempli gratia *Hebdomi*, *Sycis*, *Marianis*, *Hierone*, *Eleæ*, *Therapeæ* & *Heſtiis*, qui locus alio nomine *Michaelium* appellatus, ex computatione *Sozomeni* [lib. 2. c. 3.] diſtabat ab urbe navigio quidem pergenti circiter triginta quinque ſtadiis: terreſtris vero itinere ſinum interjacentem circumeunti ſeptuaginta, & amplius ſtadiis. Non neceſse eſse, exiſtimo, ut huic diœceſi deſcribendæ longius immorer, ſiquidem ea, quæ diximus, de illius magnitudine ſatis teſtantur.

EXARCHATUS HERACLEÆ.

Sex in hac diœceſi provinciæ numerabantur. I. *Europa*. II. *Thracia* proprie dicta. III. *Hæmimontus*. IV. *Rhodope*. V. *Mœſia inferior*. VI. *Scythia*, de quibus ſigillatim diſcutiendum.

EUROPA.

Provincia hæc, cujus metropolis *Heraclea*, alias *Perinthus*, vulgo *Eraclea*, ſive *Iraclia*, amplas diœceſes habuit. Plures enim civitates uni epiſcopo ſubjectæ fuerunt. Si fides præſtanda *Carolo a S. Paulo*, tredecim in hac provincia diœceſes numerantur. 1. *Heraclea*. 2. *Panium*. 3. *Cœlos*. 4. *Callipolis*. 5. *Cyla*. 6. *Aphrodiſias*. 7. *Theopoſiopolis*. 8. *Cherſoneſus*. 9. *Druſipara*. 10. *Lyſimachia*. 11. *Bizya*. 12. *Selymbria*. 13. *Arcadiopolis*. Sed non niſi novem re ipſa fuerunt. Nam *Cœlos* & *Cyla*, ut *Holſtenius* adnotavit [adnotat. geogr. p. 131. ap. Car. a S. Paul. p. 223.] duo nomina ejuſdem Civitatis fuerunt, & *Callipolis* in eadem diœceſi ei fuit conjuncta, perinde, ut *Panium* ad *Heracleam* & *Arcadiopolis* ad *Bizyam* ſpectavit. Atque adeo hæ diœceſes antiquis temporibus late patuerunt.

THRACIA.

In *Thracia*, proprie ſic dicta, quatuor tantum diœceſes fuerunt. 1. *Philippopolis* Metropolis. 2. *Diocletianopolis*. 3. *Nicopolis*, & 4. *Dioſpolis*. Et recentiores *notitiæ*, ſola *Leunclavii* excepta, tres duntaxat habent; *Nicopolis* enim in illis haud memoratur.

HÆMIMONTUS.

In hac provincia, cujus Metropolis *Hadrianopolis*, olim ſex inventæ diœceſes. 1. *Hadrianopolis*. 2. *Meſembria*. 3. *Sozopolis*. 4. *Plotinopolis*. 5. *Deveb-*

*veltus*. 6. *Anchialus*. Recentiores *notitiæ* priores quatuor duntaxat recenſent, *Zoida* in duarum poſteriorum locum ſubſtituta, quæ omiſsæ ſunt tamquam deperditæ vel aliis unitæ.

RHODOPI.

In provincia *Rhodope Carolus a S. Paulo* ſex invenit diœceſes. 1. *Trajan polim*, *Metropolim*. 2. *Maximianopolim*. 3. *Abderam*. 4. *Maroniam*. 5. *Ænum*. 6. *Cypſelam*. Quibus *Holſtenius* adjicit *Topirum*; quam alii per errorem in *Macedonia* ponunt. Sed hæ, tantum abeſt, ut poſterioribus ſæculis increverint, ut in tres potius *Trajanopolim*, *Anaſtaſiopolim* & *Perum*, quæ in recentioribus notitiis ſolum memorantur, coaluerint.

MOESIA SECUNDA, SIVE INFERIOR.

In *Mœſia inferiore* ſive *ſecunda* quæ eadem cum *Bulgaria* eſt, a *Carolo a S. Paulo* novem diœceſes recenſentur. 1. *Marcianopolis*, Metropolis. 2. *Nicopolis*. 3. *Novæ*. 4. *Abritum*. 5. *Duroſtorum*. 6. *Dionyſiopolis*. 7. *Odeſſus*. 8. *Apiaria*. 9. *Comæa*. Quibus *Holſtenius* aliam addit *Triſtam* vel *Priſtam*.

SCYTHIA.

In *Scythia*, ſex *Thraciarum* provinciarum ultima, ad ultimum quoque ſeptemtrionem ſita provincia, unus tantum epiſcopus fuit, licet multæ illic eſsent civitates. Nam epiſcopus *Tomitarum* unus totius regionis epiſcopus fuit, uti *Sozomenus* [ lib. 6. c. 21. ] *Theodoretus* [ lib. 4. c. 35. ] & alii vetuſti ſcriptores obſervarunt, a quibus modo epiſcopus *Tomi* modo *Scythiæ* epiſcopus nuncupatur, ut qui ſolus omnium eccleſiarum in *Scythia*, quæ provincia imperii *Romani* facta erat, pontificatum gerebat. Et hæ ſex provinciæ utrum poſterioribus ſæculis auctæ fuerint, an imminutæ, ignoramus, nam in recentioris ævi notitiis haud recenſentur. Illud tamen obſervandum eſt, quod huc pertinebat *Gothia*, provincia illa, quam *Holſtenius* affirmat tunc fuiſse, quæ nunc *VValachia* aut *Tranſilvania* dicitur. Hujus diœceſis Epiſcopi *Zarmizegetuſam* ſedem fuiſse, *Carolus a S. Paulo*, exiſtimat, quod hæc a *Ptolemæo* regia dicatur, & totius regionis metropolis. Et hanc eamdem eſse putat cum illa urbe, quæ in *notitia*, *Leoni* tributa, apud *Leunclavium Gothia* dicitur, & inter archiepiſcopatus ſeu ſedes autocephalas recenſetur. Ad hanc quoque Diœceſim referebantur, extra Imperium *Romanum*, *Ruſſi*, ſed hoc aliis ſtudioſius diſquirendum relinquimus.

IN DIOECESI PONTICA.

EXARCHATUS CÆSARÆ MAGNÆ.

In hac Diœceſi Provinciæ Civiles fuere duodecim ex diſpoſitione *Juſtiniani*, conjunctis *Paphlagonia* cum *Honoriade*, & *Ponto Polemoniaco*, inſtituta præterea tum *Cappadocia tertia*, & *nova Juſtiniana*, ex confiniis majoris, minoriſque *primæ Armeniæ* ac *Ponti Polemoniaci* coagmentata; additiſque *Armenia magna* & *Lazica*, quæ *Romanis* ſive *Græcis* parebant: At Metropoles Eccleſiaſticæ plures fuere, unicuique conjunctarum Provinciarum ſervata ſua Metropoli ſacra, & ubique fere ſervato Eccleſiæ ſtatu, quo in quibuſdam Provinciis jam plures Metropoles conſtitutæ fuerant.

CAPPADOCIA PRIMA.

*Cappadocia* magna erat regio, & non niſi paucos habens epiſcopatus. *Strabo* [ lib. 12. pag. 539. edit. Par. MDCXX. ] ad tria ſtadiorum millia, hoc eſt CCCLXXV. milliaria longam ſtatuit. Verum ſic latiore, quam nos quidem nunc facimus ſenſu eam accipit, tamquam includentem omnia a provinciis *Lycaoniæ* & *Phrygia* ad *Euphratem* uſque, qui *Armeniam minorem* æque ac *Cappadociam* occupat. Antiquis enim temporibus omnes illæ regiones unum regnum erant, poſtea licet in quinque provincias, *tres* videlicet *Cappadocias*, & *Armeniam primam* & *ſecundam* diviſæ. Quod diœceſim hanc valde amplam fuiſse argumento eſt, quantumvis limites ejus exacte figere haud poſſimus. Paucitas quoque diœceſium in hac provincia idem indicat. *Gregorius* enim *Nazianzenus* [ carm. de vita ſua p. 8. n. 32. ] *Baſilium* Epiſcopum *Cæſareenſem* quinquaginta tantum chorepiſcopos ſub ſe habuiſse dicit. Sed hoc magis perſpicuum, quum de ſingulis diœceſibus obſervatum nobis fuerit. Nunc igitur de *Cappadocia prima*.

Ex *Caroli a S. Paulo* recenſione, præter *Cæſaream* Metropolim, non niſi quinque Epiſcopatus in hac provincia fuerunt. 1. *Nyſſa*; ubi *Gregorius Nyſſenus* fuit Epiſcopus. 2. *Thermæ regiæ*. 3. *Cumuliana* ſive *Juſtinianopolis nova*. 4. *Ciſciſſa*. 5. *Theodoſiopolis*, concilii ſexti generalis tempore, qui iidem ſunt, qui in recentioribus notitiis memorantur, tantum *Methodiopolis* pro *Theodoſiopoli Armeniæ* ponitur, cui provincia a Synodo *Chalcedonenſi* adſcribitur. Ut adeo in hac provincia nunquam ſupra quinque diœceſes re ipſa fuerint, & harum duæ, *Cumuliana* & *Ciſciſſa* poſt concilium *Chalcedonenſe* conſtitutæ ſint. Nam in Synodica hujus provinciæ epiſtola ad *Leonem* imperatorem, quæ ſupra finem iſtius concilii exſtat, duo dumtaxat epiſcopi reperiuntur, qui præter Metropolitanum *Cæſareenſem* nomina ſua ſubſcripſerunt, nimirum *Nyſſenus* & [ Tom. 4. conc. p. 952. 954. Nota: In edit. Labb.] *Thermitanus*.

CAPPADOCIA SECUNDA.

In *Cappadocia ſecunda*, ex diviſione quadam hujus provinciæ tempore *Baſilii* facta, *Carolo a S. Paulo* recenſente, ſex fuerunt diœceſes; Sed, ut *Holſtenius* [ Adnotat. geograph. p. 157. in Car. a S. Paulo geograph.

graph. p. 246. edit. MDCCXI. ] obſervavit, duæ harum falſo poſitæ. Ut adeo re ipſa non plures, quam quatuor diœceſes fuerint, *Tyana* Metropolis, *Saſima*, *Fauſtinopolis* & *Cybiſtra Saſima* poſterioribus tantum temporibus facta, & hæc urbs, ut ipſe *Nazianzenus* [ Carm. de vita ſua p.7. lin. ultim.] eam vocat, *arctum admodum oppidum erat*. Licet autem plura de his dięceſibus cognita nobis non ſint, tamen eas late patuiſſe oportet; nam *Paſa* prædium XII. mill. paſs. a *Tyana* diſtans, ſub hac diœceſi [ Concil. gener. V. collat. 5. tom. 5. p. 478. c. ] eſſe, ab *Euphranta* quodam in concilio generali quinto dicitur: & *Saſima* ab initio ejuſdem dięceſis pars erat, XXXII. licet mill. paſs. a Metropoli disjuncta. Id quod late patentem diœceſium in hac provincia magnitudinem ſatis demonſtrat.

### Cappadocia Tertia.

*Cappadocia Tertia* nunquam plures quinque Epiſcopatus habuit, 1. *Mociſſum*. 2. *Nazianzum*. 3. *Coloniam*. 4. *Parnaſſum*. 5. *Doaram*. Harum *Mociſſus* fuit Metropolis, quæ honorem ſuum *Juſtiniano* imperatori debebat, utpote qui titulo metropolis eam dignatus ſuo ipſius nomine, ut *Procopius* [ de ædific. Juſtin. lib. 5. p. 48. ] auctor eſt, *Juſtinianopolim* appellarat, quo titulo *Petrus* iſtius loci epiſcopus in concilio ſub *Menna* ipſe ſe ſubſcripſit [ Conc. Conſtantinop. ſub Menna p. 526. ] *Doara* vicus erat, ut *Holſtenius* [ adnot. georg. p. 159. p. 247. in geogr. Car. a S. Paulo ] ex *Baſilio* obſervat; & *Nazianzus* itidem exigua erat civitas, quemadmodum *Gregorio Nazianzeno* [ orat. 19. de laud. patr. tom. 1. p. 310.] dicitur. Sed amplas diœceſes habuerint neceſſe eſt, aut reliquas tres tanto ampliores fuiſſe oportet. Nam geographi non mediocri intervallo aliam ab alia disjungunt. *Nazianzus* ſuos habebat chorepiſcopos, in epiſtolis *Gregorii Nazianzeni* [ Id. ep. 88. aliquoties memoratos; quod ei amplum territoriū fuiſſe indicat.

### Armenia Prima.

In hac provincia a *Carolo a S. Paulo* non niſi quinque epiſcopatus reperti; 1. *Sebaſtea* metropolis; 2. *Sebaſtopolis*. 3. *Nicopolis*; 4. *Satala*; & 5. *Beriſſe*. Et recentiores *notitiæ* unam duntaxat addunt, *Coloniam*, quæ etiam ad *Cappadociam tertiam* refertur, niſi duæ ejuſdem nominis in his provinciis fuerunt.

### Armenia Secunda.

In *Armenia ſecunda* numerus diœceſium a *Carolo a S. Paulo* ad decem augetur: 1. *Melitene* metropolis. 2. *Arca*. 3. *Comana*. 4. *Arabyſſus*. 5. *Cucuſus*. 6. *Ariarathia*. 7. *Amaſa*. 8. *Zelona*. 9. *Sophene*. 10. *Dioſpontum*. Sed *Holſtenius* in notis ſuis in hunc locum [ adnot. geogr. p. 161. p. 248. apud Carol. a S. Paulo ] quatuor ex iſto catalogo expungi debere obſervat. Nam *Amaſam*, ſive *Amaſeam*, ad *Helenopontum* ſpectaſſe; *Zelonam* eamdem fuiſſe cum *Zela* in eadem provincia; *Sophenem* ad *Armeniam majorem* pertinuiſſe, *Adioſpontum* non epiſcopatus nomen, ſed antiquam tantum provinciæ *Helenoponti* appellationem fuiſſe, dicit. Quæ ipſius conjectura e recentioribus *notitiis* confirmatur, quæ ſex priores harum diœceſium, nullam vero ex hiſce quatuor ſub *Armeniæ minoris* titulo nominat.

### Galatia Prima.

Ad latus meridianum *Paphlagoniæ Galatia* fuit, regio mediterranea, *Cappadociam* ab ortu & *Phrygiam* ab occaſu habens. Hæc a *Romanis* in duas provincias, *Galatiam primam* & *ſecundam* ſive *ſalutarem* diviſa. Nunc de *prima*, in qua ſeptem urbes epiſcopales fuere. 1. *Ancyra*, metropolis. 2. *Tabia*. 3. *Heliopolis*, ſeu *Juliopolis*. 4. *Aſpona*. 5. *Berinopolis*, 6. *Cinna*. 7. *Anaſtaſiopolis*. Quarum poſtrema exeunte ſæculo ſeptimo demum conſtituta videtur; nulla enim ejus ante concilium generale ſextum, *Conſtantinopoli* an. DCLXXXI. celebratum, mentio exſtat. *Notitiæ græcæ* unam duntaxat addunt, *Mizzi*, reliquis antiquis nominibus omnibus retentis. Quod exiguam mutationem per octingentorum annorum decurſum in hujus provinciæ eccleſia factam eſſe, oſtendit.

### Galatia Secunda.

*Galatiæ ſecundæ* quatuor tantum initio diœceſes fuerunt. 1. *Piſſinus*. 2. *Orciſtus*. 3. *Peteneſſus*. 4. *Trochmada* ſive *Trochmi*. Sed ſæculis poſterioribus numerus duplicatus fuit, utpote in ea additæ leguntur *Eudoxias*, *Mericium*, *Therma*, alias *Germocolonia* & *Juſtinianopolis*, aliis dicta *Spalea*. Jam vero *Galatia* magna erat regio, & diœceſes ( etiamſi quatuor iſtas modo memoratas addideris ) late admodum patebant. Nam obſervante *Baudrando* [ lexic. voce *Peſſinus* ] *Peſſinus* L. mill. paſs. ab *Ancyra*, & XXX. a *Therma* diſtabat, ex quo reliquorum locorum diſtantiam æſtimare facile poſſumus.

### Bithynia.

*Bithynia* in duas provincias diviſa fuit; quarum in prima quatuordecim a *Carolo a S. Paulo* diœceſes recenſentur. 1. *Nicomedia*, metropolis. 2. *Chaliedon*. 3. *Pruſam* ad *Olympum* montem. 4. *Prænetum*. 5. *Helenopolis*. 6. *Baſilinopolis*. 7. *Apollonias*. 8. *Hadriana*. 9. *Cæſarea*. 10. *Ariſta*. 11. *Patavium*. 12. *Dablis*. 13. *Neocæſarea*. 14. *Cius*. In *Bithynia* altera tantum quatuor: 1. *Nicæa*, in qua celebratiſſimum concilium *Nicænum* habitum, metropolis provinciæ. 2. *Apamea*. 3. *Linoe*. 4. *Gordus*. Et recentior *Leonis ſapientis notitia* unam tantum in utraque provincia addit, etſi nova quædam locorum nomina inſerantur. Has inter civitatem *Nicænam* magnam diœceſim habuiſse, obſervamus; nam diverſæ regiones ad eam ſpectantes in concilio *Chalcedonenſi* memorantur. Quod facilius ex diſtantia illius ab aliis

locis

locis colligas. *Plinius* [lib. 5. c. 32.] a *Pruſa* xxv. mill. paſſuum abeſſe dicit, & *Ferrarius* XLIV. mill. a *Nicomedia*, ſed *Helenopolim*, alias *Drepanum* dictam inter illas fere mediam *Ferrarius* [ lexic. voce *Nicaa*. ] ſtatuit. De reliquis locis non habeo quæ commemorem ſigillatim, niſi quod in hoc terræ tractu tantæ magnitudinis diœceſes fuerunt, quantæ in ulla alia provincia exſtitiſſe intelligimus.

HONORIAS.

*Paphlagoniæ* proxima ad oram maris *Euxini* fuit provincia *Honoriadis*, ſeu *Pontus Honory*, a *Theodoſio* in honorem filii ſui *Honorii* ſic cognominatus. Hanc provinciam a *Bithynia Sangarius* fluvius, a *Paphlagonia Parthenius* fluvius diſterminabat. Hic olim quinque epiſcopatus fuerunt, & in recentioribus *notitiis* recenſentur ſex: 1. *Claudiopolis* Metropolis. 2. *Heraclea*. 3. *Pruſias*. 4. *Tium*. 5. *Cratea*. 6. *Adrianopolis*; quarum ultima in nullius antiqui concilii ſubſcriptionibus reperitur. Ex hiſce *Tium* & *Heraclea* ſuper *Ponto Euxino* poſitæ XXXVIII. mill. paſſuum altera ab altera diſtabant, uti fidem nobis facit *Plinius* [ lib. 6. c. 1. ] *Claudiopolis* itidem magnæ erat diſtantiæ civitas in media provincia, *Baudrando* [ lexic. voce *Claudiopolis* ] teſte, amplius XXX. mill. paſſuum ab *Heraclea* ſeparata. Omnes iſtæ civitates aliquando ad *Bithyniam* ſpectaverunt, eo quod *Honorias* ipſa pars *Bithyniæ* fuit, uſque dum *Theodoſius* imperator illam per ſe provinciam ſeparatim eſſe juſſit.

PAPHLAGONIA.

Quinque in hac provincia *Carolus a S. Paulo* epiſcopatus recenſet; 1. *Gangram*, metropolim. 2. *Soram*. 3. *Junopolim*. 4. *Pompejopolim*. 5. *Amaſtrim*. Quibus *Holſtenius Dadibram* addit, cujus pro epiſcopo *Polychronio Petrus* epiſcopus metropolis *Gangrenorum* in Concilio *Calcedonenſi* [ Concil. Chalced. act. 6. tom. 4. conc. p. 591. c. ] ſubſcripſit. Sequentibus ſæculis numerus imminutus eſt: nam in recentioribus *notitiis* nulla *Pompejopolis* & *Amaſtris* mentio habetur. Inter haſce *Gangras Baſilio* [ ep. 73. ] tamquam locus diverſas habens eccleſias & altaria memoratur. *Amaſtris* ampla fuit civitas, quæ ex quatuor aliis urbibus proximis, *Semano*, *Cytoro*, *Cromna* & *Tejo* in magnam urbem creverat, quemadmodum *Ferrarius* animadvertit, qui *Ferrarius* [ lexic. voce *Amaſtris* ] eam ab *Heraclea Ponti* ad LXVIII. mill. paſſ. in ortum diſtare ſcribit. Et reliquæ omnes pari fere intervallo aliæ ab aliis ſeparatæ fuiſſe videntur.

HELENOPONTUS.

Hæc provincia, a *Conſtantino* de nomine matris *Helenæ* appellata ſex tempore concilii *Chalcedonenſis* epiſcopatus habuit 1. *Amaſeam*, Metropolim. 2. *Amiſum*. 3. *Sinopen*. 4. *Iboream*. 5. *Zela*. 6. *Andrapa*; Quibus una tantum ſequentibus ſæculis addita fuit.

*Hierolexicon Macri*.

Ex hiſce *Amiſus* & *Sinope* juxta litus ſitæ fuerunt & magno intervallo disjunctæ. *Amiſus*, auctore *Plinio*, inter *Polemonium* & *Sinopen* poſita a *Polemonio* [Plin. lib. 6. c. 4.] CXX. mill. paſſuum, & CXXX. mill. paſſ. a *Sinope* [ Idem lib. 6. c. 2. ] abfuit. *Strabo Amaſeam* patriam ſuam pluribus deſcribit, ab una parte amplam ei planitiem fuiſſe dicens, quæ a numero pagorum, quaſi *Millepagorum* [ Strab. lib. 12. p. 561. ] appellata fuerit. Hæc mediterranea fuit civitas a nonnullis C. mill. paſſuum a mari disjuncta credita. Ab *Amaſea* ad *Zela* tantundem viæ fuit. Ut adeo ſine ulla controverſia hæ diœceſes quam latiſſime patuerint, quandoquidem urbes tanto intervallo aliæ ab aliis disjunctæ fuerunt.

PONTUS POLEMONIACUS.

*Pontus Polemoniacus*, ita dictus a *Polemonio* primaria quadam hujus provinciæ civitate, quatuor præter hanc epiſcopatus habuit; 1. *Neocæſaream*, Metropolim. 2. *Trapezuntem*. 3. *Ceraſuntem*. 4. *Comanam*: magno omnes intervallo ab ſe invicem diſtantes. *Polemonium*, *Ceraſus* & *Trapezus* recto ſitu ad oram maritimam poſitæ: & ſupputante *Plinio* [ lib. 6. c. 4.] *Polemonium* a *Trapezunte* CC. mill. paſſuum abfuit, *Ceraſunte* utrique interjacente. *Neocæſarea* centum mill. paſſuum intus in regione ſita & *Comana* inde LX. mill. paſſuum disjuncta. Harum quinque civitatum in *novella* quadam ſua mentionem facit *Juſtinianus* [ novel. 28. in præfat. ] nec plures in hac provincia recenſet. Et hæc eſt ultima diœceſis *Pontica*, ad quam ſpectabant quoque *Boſporani*, & *Zechi Scythiæ*, ac *Lazi Colchidis* populi, quorum partem *Juſtinianus* ſubegit; & omnino extra Imperium. Nunc de diœceſibus *Aſiaticis*, quas eo ordine, quo ſitæ fuerunt, diſtinctius conſiderabimus.

IN DIOECESI ASIANA.
EXARCHATUS EPHESINUS.

Hæc diœceſis Provincias Civiles undecim, ſacras vero Metropoles quatuordecim complectebatur. 1. *Aſiam propriam*, ſeu *Proconſularem*. 2. *Helleſpontum*, olim *Myſiam* & *Phrygiam minorem*. 3. *Inſulas Cyclades*. 4. *Lydiam*. 5. *Phrygiam* 1. ſeu *Pacatianam*. 6. *Phrygiam*. 2. *Salutarem*. 7. *Cariam*. 8. *Lyciam*. 9. *Piſidiam*. 10. *Lycaoniam*. 11. *Pamphyliam*. 12. *Pamphyliam alteram*; quibus additæ fuerunt & aliæ provinciæ, ut ſuo loco videbimus.

ASIA PROPRIA, SEU PROCONSULARIS.

*Aſia* proprie dicta, ad boream *Helleſponto* provincia, ad eurum *Phrygia* & *Lydia*, ad auſtrum *Meandro* fluvio, qui eam a *Caria* ſeparat, & ad occaſum mari *Ægeo* terminatur. In illa, ex *Caroli a S. Paulo* obſervatione, quadraginta duæ antiquæ diœceſes fuerunt, 1. *Epheſus* Metropolis. 2. *Hypæpa*. 3. *Trallis*. 4. *Magneſia* ad *Meandrum* fluvium. *Elæa*. 6. *Adramytium*. 7. *Aſſus*. 8. *Gargara*. 9. *Maſtaura*. 10. *Brullena*.

lena. 11. *Pitane*. 12. *Myrrhina*. 13. *Aureliopolis*. 14. *Nyſſa*. 15. *Metropolis*. 16. *Valentinianopolis*. 17. *Aminetum*. 18. *Pergamus*. 19. *Anæa*. 20. *Priene*. 21. *Arcadipolis*. 22. *Nova Aula*. 23. *Ægea*. 24. *Andera*. 25. *Sion*. 26. *Fanum Jovis*. 27. *Colophon*. 28. *Lebedus*. 29. *Teos*. 30. *Erythræ*. 31. *Antandrus*. 32. *Pepere* vel *Perpere*. 33. *Cuma* vel *Cyme*. 34. *Aulium*, al. *Aulii Came* vel *Vicus*. 35. *Naulochus*. 36. *Palepolis*. 37. *Phocæa*. 38. *Bargaza*, aliis *Baretta*. 39. *Thymbria*. 40. *Clazomenæ*. 41. *Magneſia*. 42. *Smyrna*. Hiſce quatuor ſubjunguntur ab *Holſtenio*, *Evaza*, *Areopolis*, *Temnus* & *Argiza*. Et triginta octo ex his in *notitia Leonis Sapientis* recenſentur. Jam vero hæc exigua tantum provincia pro tot diœceſibus fuit, ſive totum illius ambitum, ſive quaſdam in ea diœceſes ſpeciatim examines. Longitudo ejus ab *Aſſo* propter *Troada* ad *Meandrum* fluvium, ſive ad *Bargaſa* & *Sionem* oppida, protendebatur. Quæ olim fuit *Jonia*, *Æolis* & pars *Myſiæ* circiter cc. mill. paſſuum in longitudinem ad mare *Ægeum*. Latitudo autem longitudini non reſpondebat, utpote quæ non ſupra L. mill. paſſuum, partibus adæquatis, erat. Quod ſpeciatim ad locorum attinet diſtantiam a *Ferrario* & *Baudrando* quorumdam ſic notatam legimus. *Aſſus* in extremo ſuo limite *Septemtrionem* verſus xv. mill. paſſuum a *Gargaris* & xxx. mill. ab *Antandro* diſſita erat; *Anæa* & *Andera* illis vel interjacentibus vel prope adjacentibus. Ab *Antandro* ad *Adramytium* itidem xxx. mill. paſſuum computantur, ſed ita *Tromenothyra* in *Phrygia* & *Nova Aula* in hac provincia illis interveniunt. In eodem littore *Naulochus* & *Pitane* & porro *Elæa*, *Myrthina* & *Cyme* reperiuntur, ex quibus *Myrrhina* VII. tantum vel VIII. mill. paſſuum ab *Elæa* & *Cyme* tantumdem intervalli, LX. videlicet ſtadia; a *Myrrhina* diſtabat. Inter *Pergamum* & *Cymen* XXVI. mill. paſſuum ſtatuuntur, ſed modo memoratæ civitates *Myrrhina* & *Elæa* cum *Amineto* & *Hierocæſarea* interjacebant. Ad Auſtrum *Cymes Phocæa* x. mill. paſſuum ab oſtiis *Hermi* amnis ſita, ejuſdem fere a *Cyme* diſtantiæ. A *Phocæa* ad *Smyrnam* xxv. mill. paſſuum, & a *Smyrna* ad *Colophonem* xx. mill. ſtatuuntur, *Lebedo* illis media interjacente. *Colophon* & *Metropolis* ad *Cayſtrum* amnem ab *Epheſo* ambæ diſtabat xx. mill. paſſ. neque *Epheſus* propiorem ſibi civitatem videtur habuiſſe, niſi forte *Priene* fuerit *Meandrum* fluvium verſus, unde colligere nobis licebit, *Epheſum* in univerſa hac provincia ampliſſimam fuiſſe diœceſim. Atque ex his paucis, quæ ſuggeſſimus, exemplis de generali earum magnitudine judicare poterimus.

### Hellespontus.

*Helleſpontus*, a freto *Helleſponti*, occidentali ſuo limite, nomen ſibi impoſitum habens, fuit olim pars *Myſiæ* & *Phrygiæ minoris*, *Phrygiæ majori* in ortum & *Aſiæ* in meridiem conterminа. In hac provincia *Carolo a S. Paulo* undeviginti diœceſes ex antiquis conciliis obſervatæ ſunt. 1. *Cyzicus*. Metropolis. 2. *Germa*. *Pœmanium*. 4. *Occa*. 5. *Bares* al. *Barea*. 6. *Adrianothere*. 7. *Lampſacus*. 8. *Abydus*. 9. *Dardanus*. 10. *Ilium*. 11. *Troas*. 12. *Achitopolis*. 13. *Adriana*. 14. *Scepſis*. 15. *Pionia*. 16. *Præconneſus*. 17. *Ceramus*. 18. *Parium*. 19. *Thermæ regiæ*. Sed harum civitatum ultima *Holſtenio* ex corrupta antiquarum ſubſcriptionum lectione pro *Germa* poſita videtur. *Notitia Leonis Sapientis* tredecim tantum ex hiſce habet, ut adeo quinque de illis ſæculo octavo perditæ & reliquis conjunctæ ſint. Maxima diſtantia harum civitatum alia ab alia non amplius xx. mill. paſſuum fuit. Tantum intervallum inter *Cyzicum* & *Parium* & *Lampſacum* & *Abydum* intercedebat. Sed *Dardanum* non niſi LXX. ſtadiis, ſive VIII. mill. paſſuum, ab *Abydo* aberat; *Ilium* tantum XIII. mill. paſſuum a *Dardano*; *Troa* duntaxat XXVII. mill. paſſuum ab *Abydo*; *Pionia* illis, *Ilio*, *Barea* & *Dardano* quantumvis interjacentibus. Ita *Præconneſus* parva duntaxat inſula fuit, & *Pœmanium* caſtrum territorii olim *Cyziceni*, quemadmodum e *Strabone*, *Stephano* aliiſque vetuſtis ſcriptoribus *Ferrarius* adnotavit.

### Insulæ Cyclades.

In inſulis, quas dixerunt *Cyclades* undecim diſtinctæ diœceſes fuerunt. 1. *Rhodus*, metropolis. 2. *Samos*. 3. *Chios*. 4. *Coos*. 5. *Naxus*. 6. *Paros*. 7. *Thera*. 8. *Delos*. 9. *Tenus*. 10. *Melos*. 11. *Carpathus*. Jam vero ampliſſimæ harum *Rhodus*, *Samos* & *Chios* circiter xxx. mill. paſſum circuitu collegerunt, uti *Plinius* [lib. 5. c. 31.] fidem nobis facit. Sed minores *Tenos* & *Thera* non amplius XIV. vel XV. mill. paſſ. longe, vel XL. circuitu. Huic provinciæ adjecta eſt *Lesbus*, in qua *Carolus a S. Paulo* quatuor diœceſes recenſet, *Mitylenem*, *Methymnam*, *Tenedum* & *Proſolenem*. At vero *Proſolene* & *Tenedos* per ſe diſtinctæ inſulæ fuerunt, epiſcopos interdum ſeparatim habentes, & aliquando *Lesbo* conjunctæ. Jam vero uti *Tenedum* per ſe exiguam diœceſim fuiſſe fatendum eſt, nam ex *Ferrarii* ſententia circuitu x. tantum mill. paſſuum patuit; Sic *Lesbo* unita amplior quædam diœceſis extitit. *Lesbos* enim ſola, auctore *Plinio* [Idem lib. 5. ibidem] novem clara oppida habuit, & *Straboni* [lib. 13. p. 616. p. 916. c. edit. Amſt.] ambitus illius MC. ſtadia, ſeu CXL. mill. paſſuum, impleviſſe dicitur.

### Lydia.

In hac provincia, *Carolo a S. Paulo* ſupputante, XXVI. diœceſes fuerunt. 1. *Sardis*, Metropolis. 2. *Philadelphia*. 3. *Tripolis*, 4. *Thyatira*. 5. *Septe*. 6. *Gordus*. 7. *Trallis*. 8. *Silandus*. 9. *Mœnia*. 10. *Fanum Apollinis*. 11. *Moſtena*. 12. *Apollonia*. 13. *Attalia*. 14. *Bana*. 15. *Balandus*. 16. *Hierocæſarea*. 17. *Acraſſus*. 18. *Daldus*, 19. *Stratonicia*. 20. *Satala*. 21. *Gabala*. 22. *Heraclea*. 23. *Arepolis*. 24. *Hellene*. 25. Se-

*Sena*, aliis *Setta*. 26. Civitas *Stectoriana*. Quibus tres ab *Holſtenio* ſubjunguntur, *Maſtaura*, *Ceraſa* & *Orcani*, quos *Fuſtanus* pariter, & *Carolus a S. Paulo* pro civitate *Hircaniæ* falſo accipiunt.

Phrygia Prima seu Pacatiana.

In *Phrygia Pacatiana*, quibusdam vero *Cappatiana prima* undetriginta diœceſes fuerunt. 1. *Laodicæa* ad *Meandrum* Metropolis. 2. *Tiberiopolis*. 3. *Azana*. 4. *Itoana*, al. *Bitoana*. 5. *Ancyra ferrea*, quam *Holſtenius Lydiæ* interdum tribui obſervat. 6. *Cydiſſus*. 7. *Egara*. 8. *Pelte*. 9. *Apira*. 10. *Cali*. 11. *Tranopolis*, vel *Trajanopolis*. 12. *Sebaſta*. 13. *Eumenia*. 14. *Timenothyræ*, vel *Tremenuthiri*. 15. *Alioma*. 16. *Trapezopolis*. 17. *Silbium*. 18. *Ilyza*. 19. *Nea*. 20. *Charetopa*. 21. *Coloſſa*, vulgo *Conæ*. 22. *Sinaus*. 23. *Philippopolis*. 24. *Themiſonium*. 25. *Sanis*. 26. *Armonia*. 27. *Theodoſiopolis*. 28. *Bleandrus*. 29. *Athanaſſus*. *Holſtenius* unam expungit, nam *Nea* quidem vulgo in latina verſione dicit legi, ſed male, aliam autem invenit, *Diocleam* quæ hujus locum ſuppleat. Huic provinciæ addita *Hierapolis Phrygiæ*, ſive *Pacatiana ſecunda*, in qua quinque tantum diœceſes obſervantur exſtitiſſe. 1. *Hierapolis*, Metropolis. 2. *Dionyſiopolis*. 3. *Anaſtaſiopolis*. 4. *Moſynus*. 5. *Attudi*. Illud tantum nobis obſervandum, quod diœceſes in hac provincia, cum aliis comparatæ, valde parvæ fuerunt; quandoquidem ex *Caroli a S. Paulo* deſcriptione *Itoana*, *Trapezopolis*, *Attudi*, *Moſynus*, & *Antiochia* ad *Meandrum* amnem *Cariæ* haud majori ſpatio aliæ ab aliis disjunctæ fuiſſe, videntur.

Phrygia Secunda Salutaris.

*Phrygia Salutaris*, ſic dicta a medicatis fontibus hic repertis, ex computatione *Caroli a S. Paulo*, viginti diœceſes complectebatur: 1. *Synnadam*, Metropolim. 2. *Dorylæum*. 3. *Polybotum*. 4. *Nacoliam*. 5. *Midajum*. 6. *Hipſum*. 7. *Prymneſiam*. 8. *Myrum*, vel potius *Merum*. 9. *Eucarpiam*. 10. *Lyſiaden*. 11. *Auguſtopolim*. 12. *Briſum*. 13. *Otrum*. 14. *Stectorium*. 15. *Cinaborium*. 16. *Amadaſſam*. 17. *Cotyajum*. 18. *Prœpeniſſum*. 19. *Docimajum*. 20. *Amorium*.

Caria.

*Caria*, cujus pars Borealis, *Carophrygia* dicta, ad ortum *Lyciæ* ad meridiem autem & occaſum mari *Ægeo* contermina, *Meandrum* ac *Calbim* fluvios limites habens mediterraneos, provincia fuit, ubi *Carolus a S. Paulo* viginti quinque invenit diœceſes. 1. *Aphrodiſiadem*, Metropolim, e cujus ruinis crevit *Hauropolis*, altera diœceſis. 3. *Cybiram*. 4. *Heracleam Salbaci*. 5. *Apolloniam*. 6. *Heracleam Latmi*. 7. *Tabas*. 8. *Antiochiam* ad *Meandrum*. 9. *Neapolim*. 10. *Orthoſiam*. 11. *Harpaſam*. 12. *Alabandam*. 13. *Stratonicem*. 14. *Alindam*. 15. *Amyzonem*. 16. *Jaſſum*. 17. *Bargylam*. 18. *Halicarnaſſum*. 19. *Lorymam*. 20. *Gnidum*. 21. *Myndum*. 22. *Ceramum*. 23. *Anaſtaſiopolim*. 24. *Erizam*. 25. *Miletum*. *Notitia Leonis Sapientis* numerum ad 31. adauget. *Miletus* locus fuit, ad quem presbyteros *Epheſinos* evocavit *Paulus* Apoſtolus, diſtans inde XL. circiter mill. paſſuum. Sed diverſæ eis diœceſes interjacebant, ut *Heraclea* prope *Lathmum* montem, quam *Ferrarius* XII. duntaxat mill. paſsuum a *Mileto* collocat, ita quoque *Briullium*, *Sion*, & Arpara in eadem ora *Epheſum* verſus. Ad Auſtrum *Mileti* ab alia parte *Jaſſum* habemus XV. mill. paſſuum inde diſtantem, & *Tabas* illis interjacentes. A *Jaſſo* ad *Halicarnaſſum* LV. mill. paſſuum, *Bargyla* vero & *Myndus* intermediæ erant. Ab *Halicarnaſſo* ad *Gnidum* XXX, mill. paſſuum, ſed *Ceramo* diœceſi interveniente. Atque ita lector omnes hujus provinciæ diœceſes vix X. vel XV. mill. paſſuum ambitum in univerſum excedere, obſervabit.

Lycia.

*Cariæ* ad oram maritimam proxima fuit *Lycia*, in qua ex recenſione *Caroli a S. Paulo* duodetriginta fuerunt diœceſes. 1. *Myra*, metropolis. 2. *Maſtaura*. 3. *Telmeſus*. 4. *Limyra*. 5. *Araxa*. 6. *Podalæa*. 7. *Sidyma*, aliis *Diduma*. 8. *Olympus*. 9. *Zenopolis*. 10. *Tlos*. 11. *Corydalla*. 12, *Caunus*, al. *Acaleja*. 13. *Acaraſſus*. 14. *Xanthus*. 15. *Marciana*. 16. *Choma*. 17. *Phellus*. 18. *Antiphellus*. 19. *Phaſelis*. 20. *Aucanda*. 21. *Eudoxias*. 22. *Patara*. 23. *Neſus*, vel *Nyſa*. 24. *Balbura*. 25. *Oeneanda*. 26. *Bubon*, al. *Bunum*. 27. *Calinda*. 28. *Lhodia*. *Notitia Leonis Sapientis* eadem fere nomina octo additis habet; nam univerſas diœceſes triginta ſex ſtatuit. Sed minor numerus in tam exigua provincia ſatis eſt ad oſtendendum, quam anguſtos limites diœceſes illius habuerint, cum diœceſibus *Ponticis comparatæ*. Nam hæc provincia non ſupra LXXX. vel C. mill. paſsuum in quadrum habuit, adeoque civitates aliam ab alia prope admodum abfuiſſe, facile ad judicandum eſt. *Phellus* tantum VI. mill. paſſuum ab *Antiphello* ab una parte, & X. mill. a *Myra* metropoli ab altera parte disjuncta fuiſſe creditur. *Antiphellus* a *Patara* IX. mill. paſsuum & *Telmeſſus* ac *Patara* vix totidem a *Xantho*; *Baudrandus* enim modo LXX. ſtadia computat. Unde facile reliquas hujus provinciæ civitates æſtimare poterimus, quæ æquali fere intervallo ab ſe invicem disjunctæ fuerunt.

Pisidia.

In hac provincia *Carolo a S. Paulo* recenſente, diœceſes viginti habentur. 1. *Antiochia*, Metropolis. 2. *Sagalaſſus*. 3. *Sozopolis*. 4. *Apamea*. 5. *Tytiaſſus*. 6. *Baris*. 7. *Adrianopolis*. 8. *Limenopolis*. 9 *Laodicæa combuſta*. 10. *Seleucia*. 11. *Adada*. 12. *Mallus*. 13. *Siniandus*. 14. *Metropolis*. 15. *Patalaus*. 16. *Bindeum*. 17. *Philomelium*, quibusdam in *Phrygia*

*gia* eſt. 18. *Proſtama*. 19. *Gortenus*. 20. *Theodoſiopolis*. *Leonis Sapientis Notitia* numerum ad viginti tres auget. Nihil de hiſce diœceſibus notabimus ſigillatim, quod lectores quique, quibus hæ duæ provinciæ cognitæ ſunt, facile ſibi perſuadebunt, quod cum aliis diœceſibus in partibus *Ponti* borealibus comparari nequeant.

### Lycaonia.

In *Lycaonia* undeviginti nobis diœceſes occurrunt. 1. *Iconium*, Metropolis. 2. *Lyſtra*. 3. *Derbe*, omnes in actibus apoſtolicis memoratæ. 4. *Onoſada*, aliis *Uſada*. 5. *Amblada*. 6. *Honomada*. 7. *Laranda*. 8. *Baratha*. 9. *Hyda*. 10. *Sabatra*. 11. *Canna*. 12. *Berinopolis*. 13. *Iliſtrum*, al. *Eliſtra*. 14. *Perte*. 15. *Arana*, al. *Baratta*. 16. *Iſaura*. 17. *Miſthium*. 18. *Corna*. 19. *Pappa*. Quibus ab *Holſtenio* additur *Hydmautus* vel *Gadamautus* in actis concilii *Chalcedonenſis*. *Notitia* autem *Leonis Sapientis* quindecim duntaxat habet.

### Pamphylia.

Duodecim a *Carolo a S. Paulo* in hac provincia diœceſes collocantur, hoc quidem ordine. 1. *Sida*, Metropolis. 2. *Aſpendus*. 3. *Etene*. 4. *Erymne*. 5. *Caſſus*. 6. *Semneum*, aliis *Senna*. 7. *Carallus*. 8. *Caraceſium*. 9. *Syedra*, aliis *Syſdra*. 10. *Lyrba*. 11. *Colibraſſus*. 12. *Selga*. Quibus *Cotanam* addit *Holſtenius*, unde numerus diœceſium augetur; quarum ſingulæ aptæ & ſufficientis erant amplitudinis, ad eorum confutandam opinionem, qui diœceſes epiſcopales tantum eccleſias parœciales facere ſatagunt.

### Pamphylia Altera.

In *Pamphylia ſecunda Lyciæ* contermina XXVI. diœceſes a *Carolo a S. Paulo* enumerantur. 1. *Perga*, Metropolis, ex qua poſtea *Syllæum*, tandem *Attaliam* translata. 2. *Termeſſus*. 3. *Eudoxias*. 4. *Maximianopolis*. 5. *Pallæopolis*. 6. *Penteneſus*. 7. *Diciozanabrus*. 8. *Ariaſſus*. 9. *Pugla*. 10. *Adriana*. 11. *Attalia*. 12. *Magidis*. 13. *Olbia*. 14. *Corbaſa*. 15. *Lyſinia*. 16. *Cordylus*. 17. *Lagania*. 18. *Panemoticus*. 19. *Geone*. 20. *Commæum*. 21. *Silvium*. 22. *Piſindus*, aliis *Sinda*, ſive *Iſinda*. 23. *Talbonda*. 24. *Unzela*. 25. *Gilſata*. 26. *Pella*. Quibus ex *Holſtenii* obſervatione quinque accedunt *Colibraſſus*, *Caraceſium*, *Senna*, *Primopolis*, & *Seleucia*, ſed ex iſtis tres a *Carolo a S. Paulo* in *Pamphylia prima*, uti jam vidimus, recenſentur. Atque ita omnes *Aſiæ minoris* provincias conſideravimus, quarum nullam tam exiguam invenimus, ut ſingulari tantum quadam congregatione fuerit terminata.

## PATRIARCHATUS ALEXANDRINUS.
### In Dioecesi Ægypti.

*Patriarchatus Alexandrinus*, intra *Imperii* limites, *Ægyptiaca Diœceſi* conſtabat, quæ interdum in tres provincias, aliquando in ſex, tempore vero *Juſtiniani* in novem diviſa erat, ſed totius ejus limites iidem manebant *Ægyptum*, *Lybiam*, & *Pentapolim* includentes. Quarum ſingulæ quam longe, lateque patuerint, ex ipſius *Alexandrinæ* diœceſis magnitudine judicare poſſumus, quæ primum permultas eccleſias cum conſtitutis in illis presbyteris in ipſa civitate, tempore *Alexandri* & *Athanaſii*, habuit, quemadmodum plus vice ſimplici narrat *Epiphanius* [ hæreſ. 68. Melentian. n. 4. ] nominans præter magnam illam eccleſiam, vulgo dictam *Cæſariam*, eas, quæ *Dionyſii*, *Theonæ*, *Pierii*, *Sarapionis*, *Perſeæ*, *Dizyæ*, *Mendidii*, *Anniani*, *Abiæ*, & *Baucalis*, in qua *Arius* fuit presbyter, nomen gerebant: deinde amplam regionem *Mareotidis* habebat ad ſe pertinentem. Nam *Athanaſius* [ apol. 2. p. 802. ed. Par. MDCXXVII. ] numquam ibi epiſcopum fuiſſe, dicit, aut Chorepiſcopum: ſed tantum presbyteros, Epiſcopo Eccleſiæ *Alexandrinæ* ſubditos, eoſque fuiſſe quatuordecim numero (præter diaconos tredecim) quorum alii duos vicos, alii plures in ſua quiſque provincia habuerint. *Canopus* quoque olim in hac diœceſi fuit, utpote ſuburbanis *Alexandriæ* accenſita, magnus licet locus, & XII. mill. paſsuum intervallo ab ea disjunctus. *Nicopolis* itidem ad hanc ſpectavit diœceſim, quam *Strabo* [ lib. 17. p. 795. edit. Pariſ. MDCXX. ] urbe haud minorem cenſeri debere dicit. Ut proinde particulares conventus in his remotioribus hujus diœceſis ſuburbiis, quorum incolæ ad eccleſiam matricem coire non potuerunt, celebrari oportuiſse neceſse ſit. Non de ulla alia diœceſi in *Ægypto* tam ſpecialia monumenta ſuppetunt, ex hac tamen reliquas metiri poterimus, ſiquidem unicuique diœceſi territorium XX. vel XXX. mill. paſsuum, ſecundum juſtas ſupputandi regulas adſignari poſse, liquet. Neque his cum ratione apponi poteſt, quod nonnunquam ſedes epiſcopales in vicis æque ac in civitatibus fuerint. Nam multi vici civitatibus pares erant, magnumque habebant territorium ſibi ſubjectum; quemadmodum de *Schedia* ſpeciatim obſervat *Strabo*, quæ ipſius ætate [Id. lib. 17. p. 800. 1152. n.] pagus tantum erat, ſed talis, ut urbi æquiparari poſset, & *Athanaſii* temporibus jura ac privilegia civitatis videtur obtinuiſse. Sed ut melius innoteſcat hujus diœceſis ſtatus, & amplitudo, hic nomina ſubjungemus illarum provinciarum, quæ hoc *Patriarchatu* continebantur, quæ quidem nomina *Carolus a S. Paulo* ex antiquis ſcriptoribus, & conciliorum ſubſcriptionibus aliiſque eccleſiæ monimentis collegit. Initium igitur faciemus ab *Ægypto prima*, ut ordinem ſequamur, quo ab ipſo Auctore recenſentur.

### Ægyptus prima.

In hac provincia ſexdecim continebantur diœceſes. 1. *Alexandria*, metropolis. 2. *Hermopolis parva*. 3. *Metelis*. 4. *Coprithis*. 5. *Sais*. 6. *Letus*, al. *Latopolis*. 7. *Naucratis*, al. *Naucratia*. 8. *Andromena*

ſive

ſive *Andropolis*. 9. *Nicium*. 10. *Onuphis*. 11. *Tava*. 12. *Cleopatris*. 13. *Mareotis*. 14. *Schedia*, & *Menelaites*. 15. *Phthenegus* al. *Phthenets Nomus*. 16. *Nitria*. Tota hæc regio longe patuit, & erat hominum multo fertilior, adeoque ad plures epiſcopatus in minore terræ tractu admittendos accomodata. De omnibus hujus provinciæ civitatibus generatim adfirmari poteſt, quod in circuitu ſuo ſua habuerint ſuburbia & vicos, aliæ quidem plures, pauciores aliæ: in quibus, quemadmodum *Dionyſius* epiſcopus *Alexandrinus Dionyſius* [ ap. Euſeb. lib. 7. c. 11. p. 212. edit. Amſtelod. 5. Colon. MDCXCV. ] auctor eſt, ſacri conventus a conventibus eccleſiarum matricum diſtincti, agi conſueverint.

Ægyptius Secunda.

Hæc provincia in occidua *Niliaci Delta* regione ſita, ſub qua undecim recenſentur diœceſes. 1. *Cabaſa*, Metropolis. 2. *Phragonea*. 3. *Pachneumonis*. 4. *Elearchia*. 5. *Dioſpolis*. 6. *Sebennythus*. 7. *Cynus* ſeu *Cynopolis inferior*. 8. *Buſiris*. 9. *Paralus*. 10. *Xoes*. 11. *Butus*, *Carolus a S. Paulo Phragoneam* totum nomum *Elarchia* diœceſis ſuæ loco habuiſſe ex *Athanaſio* [ Carolo a Sancto Paulo p. 281. edit. Pariſ. MDCXLI. p. 271. edit. Amſtelod. MDCCXI. ] recte obſervat.

Augustamnica Prima.

In *Auguſtamnica*, partim intra, partim extra *Delta* quatuordecim numerantur diœceſes. 1. *Peluſium*, Metropolis. 2. *Heraclea* in *Sethracte Nomo*. 3. *Tanis*, al. *Tanes*. 4. *Rhinocorura*. 5. *Thumis*, 6. *Oſtracina*. 7. *Phacuſa*. 8. *Caſſium*. 9. *Aphnaum*, quod in itinerario *Antonini Daphnis* vocari ei videtur. 10. *Hephaſtus*. 21. *Panephyſus*. 12. *Gerrum*, ſeu *Gerus*. 13. *Thenneſus*, 14. *Sela*. *Caſſianus* [ collat. 11. c. 3. ] de *Pannephyſo* obſervat, quod plures urbes & vicos ſub ſe habuerit, uſque dum inundatione maris & terræmotu fere omnes collabarentur.

Augustamnica Secunda.

Decem in hac provincia diœceſes fuerunt. 1. *Leontopolis*, *Metropolis*. 2. *Atribis*. 3. *Onium*, al. *Ilium*. 4. *Babylon*. 5. *Bubaſtus*. 6. *Pharbathus*. 7. *Helipolis*. 8. *Scena Mandrorum*. 9. *Thou*. 10. *Antithou*.

Arcadia.

*Arcadia*, ſic dicta ab *Arcadio* Imperatore, olim vero *Heptanomis* undecim diœceſes complectebatur, hæ fuere: 1. *Oxyrinchus Entre* Metropolis. 2. *Heraclea ſuperior*. 3. *Arſinoe*, al. civitas *Crocodilorum*. 4. *Theodoſiopolis*. 5. *Aphroditopolis*. 6. *Memphis*. 7. *Cliſma*. 8. *Nilopolis*. 9. *Parallus*. 10. *Thamiate*, nunc *Diamata* dicta. 11. *Cynopolis ſuperior*; quæ, *Holſtenio* obſervante, in *notitia Hieroclis* etiam Metropolis hujus provinciæ ponitur. In diœceſi *Arſinoes* ſæculo tertio medio parœcias per agros fuiſſe, *Hierolexicon Macri*.

manifeſtum eſt. *Dionyſius* enim eccleſiæ *Alexandrinæ* epiſcopus de illis in epiſtola quadam loquitur, in qua de *Nepote* quodam chiliaſta, qui iſtius loci epiſcopus fuerat, diſſerit. Cujus poſt obitum ſe in præfecturam *Arſenoiticam* profectum, convocatis presbyteris ac doctoribus per ſingulos vicos [ apud Euſeb. lib. 7. cap. 24. ] concionantibus, tres continuos dies opinionem *Nepotis*, quæ quaſdam ipſorum eccleſias infectas in ſchiſmata & factiones diſcidiſſe viſa fuerit, examinaſſe dicit.

Thebais Prima.

In *Thebaide prima* novem fuerunt diœceſes. 1. *Antinoe*, Metropolis. 2. *Hermopolis major*. 3. *Cuſa*. 4. *Lycopolis*. 5. *Oaſis magna*. 6. *Hypſele*. 7. *Apollinis* civitas parva. 8. *Antaum*. 9. *Panopolis*.

Thebais Secunda.

In hac provincia quatuordecim numerantur diœceſes. 1. *Ptolemais Hermii* Metropolis. 2. *This*, ſeu *Thinis*. 3. *Coptus*. 4. *Tentyra*. *Holſtenius* corrigit ex Græco *Theuchira*. 5. *Maximianopolis*. 6. *Latopolis*. 7. *Hermetes* al. *Hermonthes*. 8. *Dioſpolis magna*, al. *Thebais magna*. 9. *Therenunthis*. 10. *Phyla*. 11. *Thoi*. 12. *Ombi*, 13. *Tathyris*. 14. *Dioſpolis parva*.

Lybia Superior.

*Lybia ſuperior*, ſeu *Pentapolis*, antea *Cyrenaica* quatuordecim conſtabat diœceſibus. Fuerunt: 1. *Ptolemais Pentapoleos* Metropolis. 2. *Sozuſa*. 3. *Lemandus*. 4. *Cyrene*. 5. *Teuchyra*. 6. *Berenice*. 7. *Ticelia*. al. *Piſila*. 8. *Aptuchi Fanum*. 9. *Erythra*. 10. *Barce*. 11. *Hydrax*. 12. *Diſthis*. 13. *Palabiſca*. 14. *Olbia*. Quibus *Holſtenius* addit *Boraum*. *Ptolemaidem*, in qua *Syneſius* fuit epiſcopus, territorium aliquod & eccleſias rurales in diœceſi ſua habuiſſe, ex ipſomet *Syneſio* [ epiſt. 11. ] conſtat. Unde colligi poteſt, quod etiamſi *Ptolemais* non adeo ampla fuerit civitas, nihiloſecius tamen diœceſim non nullius magnitudinis, & eccleſias per agros in circuitu ſuo habuerit. *Hydrax* & *Palabiſca* vici tantummodo erant, olim ad diœceſim *Erythra* ſpectantes, a qua, tempore *Valentis* imperatoris, ſeparati peculiarem ac proprium epiſcopum acceperunt. Sed nullus ante hunc ibi fuit, neque ullus poſtea, nam *Theophili*, epiſcopi *Alexandrini* [ Idem epiſt. 67. ad Theophilum p. 210. c. edit. Par. MDCXXX. ] decreto *Palebiſca* & *Hydrax* in antiquam formam redactæ ſunt, & *Erythra* iterum contributæ. Ut adeo hoc diœceſium potius amplitudinem demoſtret, illaſque probet tam late patuiſſe, vel aliæ ex eis conſtitui potuerint.

Lybia Secunda.

In *Lybia ſecunda*, *inferiore*, ſive *Marmarica*, ſeptem inveniuntur diœceſes. 1. *Darnis*, Metropolis. 2. *Paratonium*. 3. *Antipyrgus*. 4. *Antiphra*. 5. *Marmarica*. 6. *Zagylis*, vel *Zagyla*, quod nomen non-

numquam ab aliis *Gazula* legi *Holſtenius* obſervat. 7. *Zygris*.

Præter haſce *Carolo a S. Paulo* ſeptem alii epiſcopatus in *Ægypto* incertæ poſitionis obſervantur: *Vantena, Gavœa, Flagonita, Cotenopolis, Gazula, Eleſma* & *Pſynchus*. At vero ex his quinque corrupta tantummodo nomina habere, & *Pantena* pro *Antinoe*; *Flagonita* pro *Fragonita*; *Eleſma* pro *Cliſma*; *Gazula* pro *Zagula*; & *Pſynchus* pro *Oxyrinchus* legi, recte notat *Holſtenius*. *Paralum* etiam, & unum duaſve ſedes alias bis nominata videri, obſervamus. Ut ita univerſum diœceſium numerum in his novem provinciis non ultra centum aſcendere, liceat nobis judicare. Demum extra *Romanum* Imperium, *Alexandrinum* Patriarcham reſpiciebant *Æthiopes*, ſub *Primate* ſive *Catholico* ſuo, & ex parte *Indi*, atque *Arabes*; ſed de his alio loco. Nunc unum par eſt obſervemus, quod magnitudinem harum diœceſium in una parte *Ægypti* valde imminuet, hoc eſt, quod, ſicut in aliis partibus regio omnium in mundo populoſiſſima, ita in aliis prorſus deſerta & inculta fuerit. Civitates generatim juxta *Nili* fluminis ripas poſitæ, ſed ab utroque latere extra x. vel xx. mill. paſſuum ſpatium vaſti monte & ſolitudines erant, quas nullus mortalium incolebat, donec, *Oroſio* [ hiſt. lib. 7. c. 33. ] obſervante, haſce vaſtas ſolitudines arenaſque diffuſas, quas propter ſitim ac ſterilitatem, periculoſamque ſerpentum abundantiam converſatio humana non noſſet, magna habitantium monachorum multitudo, relictis civitatibus compleviſſet. Hæc ſolitudinum *Ægypti* deſcriptio a *Joſepho* [ antiquit. lib. 2. c. 5. p. 58. c. edit. Colon. MDCXCI. ] confirmatur. Scriptores etiam Chriſtiani, qui de vita agunt monaſtica, ſolitudines iſtas curatius deſcribunt. *Sulpicius Severus* prima eremi in *Thebaide* [ dial. 1. cap. 7. c. 13. edit. Lipſ. MDCCIII. pag. 398. ] duodecim tantum millibus a *Nilo* ſtatuit; eremus autem ipſa vaſtiſſima erat. Neque improbabile eſt, fere dimidiam *Ægpyti* partem arena & deſertis fuiſſe abſciſſam, quæ coli non potuerit, nec proinde habitata ſit, donec monachi, inventa nova vivendi ratione, civitatibus relictis, hic illic ſparſi ſolitudinum incolæ evaſerint. Atque hoc modo diœceſes *Ægypti*, ſi proprie de habitabili earum parte loquamur, ad multo anguſtiorem ambitum reducendæ, & xv. millia paſſuum generali amplitudinis earum menſuræ, ſi ſummam omnium æquaveris, hoc ſenſu adſignanda erunt.

## PATRIARCHATUS ANTIOCHENUS
### In Diœcesi Orientis.

Proximus Patriarchatus eſt *Antiochenus*, qui [ præter *Palaſtinas* ] in *Orientali* Diœceſi tredecim provincias habebat: *Syriam primam*. *Syriam ſecundam*. *Theodoriadem*. *Phœniciam propriam*. *Phœniciam Libani*. *Euphratenſem*. *Arabiam*. *Ciliciam primam*. *Ciliciam ſecundam*. *Iſauriam* & *Cyprum* inſulam. Trans vero *Euphratem*: *Oſrhœnam* & *Meſopotamiam*. Singulas conſiderabimus, & in unaquaque provincia diœceſes recenſebimus.

### Syria Prima.

*Syria prima* antiquitus ſex diœceſes habuit, & in recentioribus *notitiis* quinque tantum deprehendimus: 1. *Antiochia* Metropolis. 2. *Seleucia Pieria*. 3. *Berrœa*, vulgo *Aleppo*. 4. *Chalcis*. 5. *Onorſata*, vel potius *Anaſarta*. 6. *Gabbus*. Quibus ab *Holſtenio* etiam alia additur, dicta *Paltus*, quam ille minus recte in *Theodoriade* poni exiſtimat. *Antiochia* erat una ex ampliſſimis orbis terrarum civitatibus. *Chryſoſtomus*, qui idoneus magnitudinis illius judex haberi poteſt, aliquoties decem vel viginti myriades [ hom. 86. in Matth. tom 1. pag. 893. c. edit. Francof. ] hoc eſt centum vel ducenta hominum millia in ea contineri dicit. Territorium extra civitatem interiori ejus magnitudini reſpondebat; nam ab una parte itinere bidui ſeu quinquaginta mill. paſſ. ad territorium *Cyri*, ubi *Theodoretus* erat epiſcopus, porrigebatur. *Strabo* [lib. 16. p. 751. p. 1090. edit. Amſt.] enim hæc duo territoria ſibi contigua fuiſſe dicit. Erant multi grandes vici in hac regione ſimiles urbibus; ut *Daphne* in ſuburbanis *Antiochiæ*; *Sindarus*, in finibus hujus diœceſis *Cyrum*, ſeu *Cyreſticam* ſpectans regionem. *Berrœa* & *Chalcis* peramplæ erant civitates, viginti paſſuum millibus altera ab altera diſtantes. *Seleucia Pieria* ſita erat ſedecim mill. paſſum ab *Antiochia* deorſum verſus ad *Orontem* fluvium, & quinque millibus a mari, quod ſatis erat territorium ad faciendam amplam diœceſim, etſi priore multo inferiorem.

### Syria Secunda.

*Syria ſecunda*, ſeu *Salutaris*, pars *Cœles* ut & *ſuperior*, antiquis temporibus ſeptem habuit epiſcopatus, & eumdem numerum in recentioribus *notitiis* eccleſiaſticis invenimus. Fuerunt. 1. *Apamea* ad *Orontem* fluvium, Metropolis. 2. *Arethuſa*. 3. *Epiphania*. 4. *Lariſſa*. 5. *Mariana* vel *Mariamne*. 6. *Raphanæa*. 7. *Seleucia* juxta *Belum* al. *Seleucobelus*. Ad has quoque aliam transfert *Holſtenius*, Balenæam dictam, ex provincia *Theodoriade*, in qua male collocari putat; ſed fallitur. *Apameam* civitatem *Theodoretus* [epiſt. 113.] LXXV. mill. paſſuum ab *Antiochia* diſtare, dicit, habuiſſe autem illam amplum quoddam territorium, multoſque vicos, e *Strabone* [ lib. 16. p. 752. p. 1091. edit. Amſt.] aliiſque antiquis ſcriptoribus diſcimus. *Lariſſa*, *Ferrario*, quatuordecim mill. paſſ. ab *Apamea*; *Arethuſa* ſedecim mill. ab *Epiphania*; *Epiphania* a *Lariſſa* duodeviginti mill. paſſ. diſtare dicuntur. Ut adeo ad minimum viginti millia paſſuum unicuique diœceſi in hac provincia adſignari poſſe, intelligamus.

THEODORIAS.

*Thodorias*, a *Juſtiniano*, ut puto, inſtituta de nomine *Theodoræ* uxoris, inter *Syriam primam* & *Phœniciam* in ora maritima quatuor tantum diœceſes complectebatur. 1. *Laodicæam* Metropolim. 2. *Gabalam*. 3. *Paltos*. 4. *Balanæam*; eademque in notitia *Jacobi Goar* iiſque memorantur. Quorum locorum diſtantia ex *itinerario Antonini* condiſci poteſt; *Balanæa* xxiv. mill. paſsuum ab *Antarado* in *Phœnicia*, *Gabala* xxvii. mill. a *Balanæa* diſtabat, (*Ferrarius* hic xxiv. ſecundum recentiorem computationem habet;) & *Laodicæa* xviii. mill. paſs. a *Balanæa*. Et earum territoria ab aliis partibus longius patebant.

PHOENICIA PROPRIA.

In hac provincia, *Phœnicia prima* ſeu *propria*, *Paralia* ſcilicet, ſive *Maritima* dicta, quatuordecim inveniuntur diœceſes. 1. *Tyrus*, Metropolis. 2. *Sidon*. 3. *Ptolemais* olim *Ace* & *Aucon*, nunc autem *Aca* & *Acona*. 4. *Berytus*. 5. *Byblus*. 6. *Tripolis*. 7. *Area*. 8. *Orthoſias*. 9. *Botrus*. 10. *Aradus*. 11. *Antardus*. 12. *Porphyrium*. 13. *Paneas*, al. *Cæſarea Philippi*. 14. *Sycaminum*, nunc *Capo Carmelo*. Civitates aliquot in hac regione paucæ erant, aliæ aliis valdæ vicinæ, uti *Sycaminum* & *Porphyrium*, quarum diœceſes hanc ob cauſam non adeo amplæ eſſe potuerunt. *Tyrus* autem, *Sidon* ac *Berytus* & amplæ fuerunt civitates & longiore intervallo disjunctæ. *Tyrus* enim xxv. mill. paſſ. a *Sidone* ex una parte, & totidem vel pluribus a *Ptolemaide* ex altera parte diſtabat. *Cotovicus* [ itin. lib. 1. c. 20. ] xx. tantum mill. paſs. ſupputat. *Ferrarius* autem xxxii. mill. paſs. fuiſſe dicit. Et quidem civitas ipſa valde ampla fuit, ſi *Straboni* credimus, inſulam enim undeviginti mill. paſs. in circuitu habentem, confeciſſe dicit *Strabo* [ lib. 16 ] *Plinius* [ lib. 5. c. 19. ] de inſulæ magnitudine conſentit, ſed oppidum ipſum modo xxii. ſtadia obtinuiſſe ſtatuit. *Sidon* itidem ampla fuit civitas, nec minus xxv. mill. paſs. ab alia quacumque disjuncta. *Baudrandus* [ lexic. voce *Sidon* ] xxv. mill. paſs. a *Tyro* & xxxv. mill. a *Beryto* ſeparat. *Berytus* legis civilis ſtudio clara & grandibus ac florentiſſimis *Orientis* civitatibus accenſita, haud propinquiores ſibi habuit, quam *Sidonem* in auſtrum & *Byblium* ad arctos, a qua xxxiv. mill. paſs. auctore *Ferrario*, [ lex. voce *Berytus* ] abfuit.

PHOENICIA LIBANI.

In *Phœnicia*, *Libanum* montem verſus, tredecim diœceſes fuerunt. 1. *Damaſcus*, Metropolis. 2. *Laodicea ſcabioſa*. 3. *Abyla*. 4. *Heliopolis*. 5. *Jabruda*. 6. *Palmyra*. 7. *Emeſa*. 8. *Danaba*. 9. *Alais*. 10. *Evatia*, al. *Euroja*, al. *Juſtinianopolis*. 11. *Comara*. 12. *Corada*. 13. *Sarracene*, ſive *Sarracenorum* civitas, quę potius ad *Ambiam* pertinet. Quibus *Holſtenius* aliam addit, *Arlanam*. *Ampla* in hac provincia erant civitates, & magno locorum intervallo a ſe invicem disjunctæ. Has inter grandis civitas *Damaſcus* erat, cujus amplitudo ex his colligi poteſt, quæ *Joſephus* [ de bell. Jud. lib. 2. c. 25. ] de incolis illius memoriæ prodidit, quod decem millia *Judæorum* una hora jugularint. *Emiſſa* itidem ampla civitas ab *Ammiano Marcellino* [ lib. 14. c. 8. p. 47. edit. Lugd. MDCXCIII. ] judicatur, qui eam *Tyro*, *Sidoni* & *Beryto* æquat. Quod ad illarum urbium attinet territoria, & ex ipſarum diſtantia ab aliis locis metiri debemus. *Laodicea* & *Aretuſa* vicinæ proximæ *Emiſſæ* erant, ab eaque xvi. mill. paſs., *Ferrario* [ lexic. voce *Emiſſa* ] judice diſtabant. Neque *Damaſcum* anguſtioribus limitibus includi, legimus. Circumdata enim erat *Abyla*, *Jabruda* & *Cæſarea Philippi*, quarum ultimam *Ferrarius* ab ea xxvi. mill. paſſuum ſejungit. *Abyla* regionis illius caput erat, tunc temporis *Abylene* vocitata, quæ, *Luca* Evangeliſta perhibente, tetrarchæ appellationem *Lyſaniæ* dedit. Unde colligere nobis licebit, non mediocre eam habuiſſe territorium. Hic quoque erat magna Civitas *Palmyra*, de qua eamdem concluſionem facere æquum eſt, tametſi non habeo, quod de harum regionum amplitudine ſpeciatim obſervem, niſi quod *Abyla* xxxii. mill. paſs. ab *Heliopoli*, alia nota hujus provinciæ urbe, & una de vicinis ejus proximis, ſeparata habeatur, uti illarum diſtantiam ex *itinerario Antonini Ferrarius* [lexic. voce *Heliopolis* ] computat.

EUPHRATENSIS.

In provincia *Euphratenſi*, antea *Comagene*, tredecim diœceſes fuerunt, & tantum una plus in recentioribus *notitiis*. 1. *Hierapolis*, Metropolis. 2. *Cyrrhus*. 3. *Samoſata*. 4. *Doliche*. 5. *Germanicia*. 6. *Zeugma*. 7. *Perre*, aliis corrupte lecta *Perga* & *Pella* & *Peria*, ut *Holſtenius* animadvertit. 8. *Europus*, al. *Amphipolis* & *Tapſacum*. 9. *Urima*. 10. *Cæſarea*, alias *Neocæſarea Euphratenſis* vocitata. 11. *Sergiopolis*. 12. *Sura*. 13. *Marianopolis*, quam nonnulli in *Syria ſecunda* ponunt. *Hierapolis*, & *Samoſata* ad *Euphratem* fluvium, *Joſepho* [ de bell. Jud. lib. 7. c. 27. ] pariter & *Ammiano Marcellimo* [ lib. 14. c. 8. p. 47. edit. Lugd. MDCXCIII. ] magnæ & amplæ civitatis nomine memorata. Ampliſſimi autem territorii diœceſis in his partibus fuit *Cyreſtica*, cujus *Theodoretus* epiſcopus fuit, qui magnitudinem illius accuratiſſime deſcripſit. Alicubi *Theodoretus* [ epiſt. 42. p. 927. ] enim illius longitudinem milliarium eſſe quadraginta totidemque latitudinem, & plus quam ſex myriades, ſeu ſexaginta millia jugerum continere dicit. Jam vero vocabulum juga denotat tantum terræ tractum, quantum uno per annum jugo boum exarari poterat: & ad ejuſmodi proportionem tributa *Romana* agris imponebantur, unde ordinarium tributum in lege civili *Jugatio* dicebatur. Nec ſterilem & incultam terram fuiſſe exiſtimamus, nam *Theodoretus* octingentas eccleſias, & parœcias fuiſſe dicit, quod

eo conſpirat, ut ipſam pro una de largiſſimis in *Oriente* diœceſibus habeamus, qualem etiam revera fuiſſe, *Blondellus* [apol.p.185.] ingenue fatetur. Quod ad alias hujus provinciæ urbes *Dolicham*, *Germaniciam*, *Nicopolis*, *Zeugma*, *Cæſaream*, cæteras attinet, earum nonnullæ exiguæ tantum civitates fuerunt; ſed forte amplas diœceſes habuerunt, quemadmodum *Cyrus*, quæ in ſe nec magna civitas, nec bene habitata erat, diœceſim autem majorem habebat, quam multæ aliæ civitates, quarum amplitudo vel decies tanto major exſiſtebat.

ARABIA PETRÆA.

In *Arabia Petræa*, antiquis ſcriptoribus interdum *Philadelphia* vocata viginti una diœceſes antiquitus fuerunt, quarum duodeviginti a *Carolo a S. Paulo* recenſentur. 1. *Boſtra*, Metropolis. 2. *Adra*. 3. *Medaba*. 4. *Geraſa*. 5. *Nibe* vel *Neba*. 6. *Philadelphia*. 7. *Eſbus*. 8. *Neapolis*. 9. *Philippopolis*. 10. *Conſtantine*. 11. *Dionyſias*. 12. *Maximianopolis*. 13. *Avara*. 14. *Elana*, al. *Necla*. 15. *Zerabena*. 16. *Erra*. 17. *Anitha*, vel ut *Holſtenius* legit, *Eutimia*. 18. *Parembola*. Quibus adhuc tres ab *Holſtenio* adduntur, *Canotha*, *Phæno*, & *Bacathus*, *Epiphanio* & *Euſebio* memoratæ. Sequentibus temporibus, ubi *notitia* facta eſt, numerus diœceſiũ ad triginta quatuor adauctus eſt, quarum duodecim appllãtur vici. Neque hoc novum & inſolens in hac regione fuiſſe, ex *Sozomeno*[l.7.c.19.]apparet. Moris enim in quibuſdã provinciis fuiſſe dicit, epiſcopos in vicis conſecratos habere, & ſpeciatim *Arabiæ* & *Cypri* hoc nomine meminit. Sed vici iſti erant antiquis communiter ſic dictæ *Metrocomiæ*, multos alios vicos ſibi ſubjectos habentes; ita ut certæ alicujus regionis vici primarii eſſet. Quare hæ diœceſes æque magnæ ac aliæ eſſe potuerunt, habentes non ſolum iſtum vicum, ſed nonnunquam integra quoque territoria & regiones ſibi ſubjectas. *Arabes* natio erant, cui in vicis potius commorari placebat, & non niſi pauca oppida erant, cum aliis nationibus comparata. Et hæc cauſsa videtur eſse, quamobrem in hac regione epiſcopos in vicis conſtitui licitum fuerit, quod alioquin canonibus eccleſiæ interdictum erat.

CILICIA PRIMA.

In *Cilicia prima* octo recenſebantur diœceſes. 1. *Tarſus*, Metropolis. 2. *Pompejopolis*. 3. *Sebaſte*. 4. *Coricus*. 5. *Adama*, 6. *Mallus*. 7. *Zephyrium*, & 8. *Auguſta* ab *Holſtenio* addita, qui eam a *Sebaſte* recte diſtingui dicit. Hæc vero provincia cum *Cilicia altera* & *Iſauria* in *Aſia minore* recenſebatur; ſed poſtea diœceſi *Patriarchæ Antiocheni Orientali* cum ipſis pariter accenſita.

CILICIA SECUNDA.

Novem fuerunt diœceſes in hac regione. 1. *Anazarbus*, Metropolis; 2. *Mopſueſtia*. 3. *Ægæ*. 4. *Epiphania*. 5. *Irenopolis*. 6. *Flaviopolis*. 7. *Caſtabala*. 8. *Alexandria*, hodie *Scanderona Turcis* dicta. 9. *Roſſus* in *Syriæ* confinibus. Hæ in maximã partem amplæ fuerunt diœceſes, uti quiſque, qui intervallum inter *Epiphaniam*, *Alexandriam*, *Roſſum* & cæteras computaverit, facile ſibi perſuadebit.

ISAURIA.

*Iſauria* antiquis temporibus pars duntaxat *Ciliciæ* credita, ſed a temporibus inde *Conſtantini* in Civili & Eccleſiaſtico cenſu dictincta aliqua provincia æſtimata eſt. *Carolo a S. Paulo* viginti duæ diœceſes memorantur. 1. *Seleucia*, Metropolis. 2. *Celenderis*. 3. *Anemurium*. 4. *Lamus*. 5. *Antiochia* ad *Tragum*. 6. *Selenus*, al. *Trajanopolis*. 7. *Jotape*. 8. *Diocæſarea*. 9. *Philadelphia*. 10. *Domitiopolis*. 11. *Titiopolis*. 12. *Hierapolis*. 13. *Nephelis*. 14. *Daliſandus*. 15. *Claudiopolis*. 16. *Germanicopolis*. 17. *Sbide*. al. *Iſis*. 18. *Ceſtrus*. 19. *Olbus*. 20. *Lybias*. 21. *Hermopolis*. 22. *Irenopolis*. Quibus duo junguntur ab *Holſtenio Charadus*, & *Lauzada*, interdum vitioſe *Paſada* & *Nauzada* ſcripta.

CYPRUS INSULA.

In Inſula *Cypro* tredecim recenſentur diœceſes. 1. *Conſtantia* metropolis, alias *Salamina*; poſtea *Juſtiniana ſecunda*. 2. *Citium*. 3. *Amathus*. 4. *Curium*. 5. *Paphos*. 6. *Arſinoe*. 7. *Lapithus*. 8. *Thamaſſus*. 9. *Chytrus*. 10. *Tremithus*. 11. *Soli*. 12. *Ledra*. 13. *Tiberiopolis*. *Holſtenius Carteriopolim* addit & *Carpaſiam*, ubi *Philo* fuit epiſcopus, qui plerumque ex vulgari errore dicitur, *Carpathius*, quaſi *Carpathi*, quæ maris *Mediterranei* inſula eſt, epiſcopus fuiſſet, quum tamen hujus *Carpaſiæ*, in inſula *Cypro* epiſcopus fuerit, quemadmodum *Holſtenius* & *Caveus* obſervarunt. Magnæ fuerunt hæ diœceſes, ſi cum aliis comparentur. Nam *Cyprus Ferrario* CLXX. mill. paſs. aliis CC. longa, adeoque major, quam *Palæſtina*, dicitur. *Baudrandus* circuitum ejus DL. mill. paſs. circiter computat, quod, ſine ulla ampliore in locorum diſtantiam vel civitatum vicorumque amplitudinem inquiſitione, ſatis eſt ad oſtendendum, has diœceſes non fuiſse de anguſtiſſimis, etſi de minoribus quibuſdam, quas juxta continentem terram offendimus, ſi alias provincias intueamur.

OSRHOENE.

*Oſrhœne*, antea *Adiabene*, trans *Euphratem*, una eſt ex duabus provinciis, quas nonnulli generali nomine *Meſopotamiam* vocant, eo quod inter duos fluvios *Tigrim* & *Euphratem* ſitæ erant; *Romani* autem in duas provincias dividebant, *Oſrhœnam* juxta ripas *Euphratis*, & *Meſopotamiam Tigrim* verſus. De hac inferius; Nunc de *Oſrhœna*, quæ etiam *Meſopotamia inferior* appellatur. Novem in hac provincia numerantur diœceſes: 1. *Edeſſa*, Metropolis. 2. *Cara*. 3. *Circeſia*, al. *Circeſium*. 4. *Nicephorium*. 5. *Bathnæ*. 6. *Calli-*

*nicus*, al. *Leontopolis*. 7. *Marcopolis*. 8. *Himeria*. 9. *Dauſara*. Ex earum amplitudine clarum & evidens eſt, nonnullas ad minimum tales ſedes epiſcopales quales in omnibus reliquis mundi partibus, fuiſſe, hoc eſt, civitates cum territoriis & eccleſiis per villas & vicos conſtitutis. *Edeſſa* ampliſſima fuit civitas, & ſedes regia. *Agbari*, qui *Servatoris* noſtri tempore vixit, & cujus opera initure admodum ad chriſtianum fidem perducta eſſe generatim creditur, atque ita ab ipſis forte rei chriſtianę initiis diverſę eccleſię ibi fuerunt.

## Mesopotamia.

In *Meſopotamia ſuperiore* quinque fuerunt diœceſes. 1. *Amida*, nunc vulgo *Caramit*, Metropolis. 2. *Niſibis*. 3. *Rheſina*. 4. *Martyropolis*. 5. *Caſchara*. Hiſce ab *Holſtenio* adduntur duæ, *Cepha* & *Minſus* ſeu *Minſa*. *Caſchara*, ubi obſervat *Epiphanius* [ hæreſ. 66. Manich. num. 40. ] præter ſedem epiſcopi eccleſias in vicis conſtitutas ac presbyteros in illis miniſtrantes ſæculo tertio habuit. *Niſibis* tanta urbs fuit, ut aliquando contra *Perſarum* irruptionem, *Juliano* imperatore eo quod incolæ omnes chriſtiani eſſent, opem illis haud ferente, ipſa ſe poſſet defendere, quemadmodum *Sozomenus* [ lib. 5. c. 3. ] de ea obſervat.

Præter haſce provincias, *Carolo a S. Paulo*, memoratas, aliæ quædam regiones extra imperii *Romani* limites fuerunt, eamdem regiminis epiſcopalis formam habentes, quæ *Antiocheno Patriarchæ* parebant uti* *Iberia*, *Armeniâ major* cum *Catholico* ſive univerſali *Præſule* ſuo, qui poſt *Patriarcha* dictus: *Perſis* item, ubi *Catholicus Seleuciæ Parthorum* ſeu *Cteſiphontis*, cœteræque nationes ad *Indiam* uſque, de quibus proinde non abs re fuerit circumſcripte ac breviter exponere, dum de provinciis *Orientalibus* agimus. In *Armenia*, quæ antiquis temporibus *Armenia Perſica* vocata fuit, ex quibuſdam *Theodoreti* epiſtolis apparet [ epiſtol. 77. ad Eulal. ] ipſius memoria epiſcopos fuiſſe; quot vero, neque ex ipſo, neque ex ullo alio vetuſto ſcriptore diſcere poſſumus. *Otto Friſingenſis* [ lib. 7. c. 32. ] *Baronius* [ an. MCXCV. num. 30. tom. 12. p. 314. edit. Antuerp. MDCXX X. ] & alii nonnulli recentiores ſcriptores multa de *Catholico Armeniæ* verba faciunt, qui, miſſis ſæculo decimo tertio ad *Romanum* pontificem legatis, ei reſe ſubjecerit mille epiſcoporum ſub ſe habens numerum. Sed ut *Brerewoodus* [ Enquir. c. 24. ] ſcite obſervat, ſi univerſa narratio non eſt commentita, *Otto* obedientiam pro communione falſo accipere ſtatuendus eſt. Poteſt enim eſſe, ut *Catholicus Armeniæ* ingentem epiſcoporum *Jacobitarum*, communioni ſuæ addictorum, numerum habuerit, tot autem in *Armenia* Juriſdictioni ejus ſubeſſe haud potuerunt. Nam recentiores *notitiæ* undeviginti ſolum epiſcopos in hac *Armenia* recenſent. Neque vero per unum vel duo ſæcula a viginti ad mille multiplicatos fuiſſe probabile eſt. *Seleuciam* & *Cteſiphontem* ſub epiſcopo quodam invenimus; quæ regum *Perſicorum* ſedes regiæ erant, & tribus tantum milliaribus ab ſe invicem diſtantes, quomodo *Plinius* [ lib. 4. c. 26. ] & poſt ipſum *Ferrarius* computarunt, aliis licet majore illas intervallo disjungentibus. Olim ambæ una duntaxat diœceſis erant, uti e *Sozomeno* [ lib. 2. c. 9. ] diſcimus, *Symeonem* appellante archiepiſcopum *Seleuciæ* & *Cteſiphontis* ſub *Sapore* rege *Perſidis*, qui tempore *Conſtantini* vixit. Fuerunt etiam eodem tempore in hiſce oris aliis epiſcopi, quorum nonnulli cum *Symeone* propter religionis chriſtianæ profeſſionem ſunt interfecti. Mentionem quoque fuit *Acepſimæ* cujuſdam, epiſcopi regionis *Adiabenes*, & viginti trium aliorum, quorum nomina ibi recenſentur; Cujuſmodi autem habuerint diœceſes, conjicere nobis ex iis licebit, quæ de iſtorum epiſcoporum uno *Bichore* narat *Sozomenus* [ Idem lib. 2. c. 13. ] quod una cum *Maureando* chorepiſcopo ſuo & clericis ſuis ducentis circiter & quinquaginta interemptus ſit. Tantus clericorum numerus & chorepiſcopus inter eos conſtitutus ſane amplam diœceſim tenuiſſe videntur; & ſi reliquæ huic ſimiles fuerunt, concludere licebit, tales fuiſſe epiſcopos, quales inter omnes nationes *Orientis* vidimus. Antiquæ hiſtoriæ non niſi pauca de illarum eccleſiarum origine, & pauciora adhuc de miniſterii eccleſiaſtici in illis conſtitutione nobis tradunt; ideoque plures alias gentes *Orientales* præterire nos oportet, ut *Parthos*, & *Indos* circa *Gangem*, a *Thoma* apoſtolo lumine veritatis colluſtratos: præterea & *Iberos* cum aliis populis, mari *Caſpio* adjacentibus, quos tempore *Conſtantini* captivæ mulieris miniſterio converſos eſſe, fidem nobis facit *Ruffinus* [ lib. 1. c. 10. ] Itaque, relictis hiſce remotiſſimis regionibus, ad diœceſes *Palæſtinæ* ſub Patriarchatu *Hieroſolymitano* progrediemur, quæ ultimo loco recenſendæ ſuperſunt.

## PATRIARCHATUS HIEROSOLYMITANUS.
### In Palæstina.

Patriarchatus *Hieroſolymitanus*, ex Patriarchatu *Antiocheno* deſumptus, tres habuit provincias, Juriſdictionis ſuæ limitibus adſignatis, quæ in antiquis monimentis eccleſiaſticis, ad modum civilis deſcriptionis imperii *Romani*, plerumque *Palæſtina prima ſecunda* & *tertia* dicuntur. In his tribus provinciis [ intra terræ *Canaan* & *Arabicæ Petrææ* terminos conſtitutis ] a *Carolo a S. Paulo* quadraginta ſeptem circiter antiquæ diœceſes numerantur; quarum univerſa amplitudo ad ſpatium CLX. mill. paſſuum non adſcendit. Nam longitudo *Palæſtinæ*, complectentis partem *Phœniciæ*, uſque ad *Tyrum* & *Sidonem*, quæ tamen ab his provinciis excluditur, ab *Hieronymo* [ epiſt. ad Dard. tom. 3. opp. pag. 732. f. edit. Pariſ. MDCXLIII. ] *Cotovico* [ itinerar. Hieroſolym. lib. 1. c. 1. pag. 327. ] *Maſio* [ in Joſuam 12. 24. ] aliiſque CLX. mill. paſſuum, & latitudo a *Joppe* ad *Jordanem* fluvium haud amplius LX. mill. paſſ. habere judicatur. Quibus ſi LX. circiter millia trans *Jordanem* pro lati-

latitudine *Palæſtinæ tertiæ* ad fines *Arabiæ Philadelphiæ & Boſtræ* addideris, perfectam trium iſtarum diœceſium dimenſionem habebis. Totius Patriarchatus Metropolis erat *Hieroſolyma*, alias *Ælia*, in qua plus quam quadringentas fuiſſe Synagogas, antiquitatum *Judaicarum* ſcriptores communiter tradunt. *Lightfootus* [hor. hebr. in Matth. procem. c. 36. *Hieroſ. Chelab.* fol. 35. 3.] quadringentas & quinquaginta computat: *Alii* [Othon. lex. Rabb. p. 627.] quadringentas, & ſexaginta, & alii [*Sigon.* de republ. Hebr. lib. 2. c. 8.] quadringentas & octoginta tum pro *Judæis*, tum pro peregrinis fuiſse, dicunt. *Optatus* in non magna planitie in vertice montis *Sionis* ſeptem Synagogas fuiſse adfirmat, ubi *Judæi* [lib. 3. pag. 62. edit. Par. MDCXXXI.] convenientes legis per *Moyſen* datæ lectioni auſcultare conſueverint. Jam vero mirum foret, ſi civitas, quæ tot habuit ſynagogas, non niſi unam eccleſiam præbuiſſet, jam Chriſtiana facta, & tot converſorum millia ipſo apoſtolorum tempore complexa. Sed habebat etiam territorium extra civitatis mœnia & eccleſias quodam intervallo inde diſtantes. *Bethlehem* enim in hac diœceſi erat, ſex milliaribus ab eccleſia matrice diſſidens; quam ob cauſsam eccleſiam & presbyteros ſeparatim habebat, ſed epiſcopo *Hieroſolymitano* ſubjectos, uti auctor eſt *Hieronymus* [epiſt. 61. ad Pammach. c. 16.] qui eodem loco eccleſiæ *Thiriæ* meminit, in qua presbyteros & diaconos ordinavit epiſcopus *Hieroſolymitanus*. Neque dubium eſt, plures alias iſtiuſmodi parœcias intra hujus diœceſis terminos fuiſse, juriſdictionem ejus admittentes. Sed recenſendæ ſunt ſigillatim reliquæ *Palæſtinæ* diœceſes, ut vera antiquorum epiſcopatuum forma ex illis in hoc Patriarchatu optime colligi poſſit.

### Palæstina Prima.

In hac provincia viginti ſex diœceſes numerantur. 1. *Cæſarea*, Metropolis. 2. *Hieruſalem*. 3. *Dora*. 4. *Antipatris*. 5. *Dioſpolis*, in ſcripturis ſacris vocata *Lydda*. 6. *Jamnia*. 7. *Nicopolis*, quæ eſt *Emmaus*. 8. *Sozuſa*. 9. *Majumma*. 10. *Joppe*. 11. *Aſcalon*. 12. *Gaza*. 13. *Rhaphia*. 14. *Anthedon*. 15. *Eleuthetopolis*, olim locus quidam circa *Hebronem*. 16. *Neapolis* vel *Sichem*. 17. *Elia*. 18. *Sebaſte*, vulgo *Samaria*. 19. *Petra*. 20. *Hiericho*. 21. *Libias*. 22. *Azotus*. 23. *Zabulon*. 24. *Araclia* al. *Heracle*. 25. *Baſchat*. 26. *Archelais*.

### Palæstina Secunda.

Decem diœceſes fuerunt in hac provincia. 1. *Scythopolis* antea *Nyſſa*, Metropolis. 2. *Jella*. 3. *Capercotia* al. *Caparnaum*. 4. *Gadara*. 5. *Capitolias*. 6. *Maximianopolis*. 7. *Tiberias*. 8. *Mennita*. 9. *Hippus*. 10. *Amathus*.

### Palæstina Tertia.

In *Palæſtina tertia ſalutari* undecim epiſcopatus recenſentur. 1. *Petra*, Metropolis. 2. *Auguſtopolis*. 3. *Arindela*. 4. *Arad*. 5. *Ariopolis*. 6. *Eluſa*. 7. *Zoara*. 8. *Sodoma*. 9. *Phenon*. 10. *Pharan*. 11. *Aila*. *Holſtenius* in emendationibus ſuis in hunc catalogum duas delet, nimirum *Baſchat*, quam eamdem cum *Bachato* in *Arabia Philadelphia* fuiſse putat; & *Phenon* quam eidem provinciæ adſignat. Sed harum duarum loco tres alias in *Palæſtina prima* invenit, nempe *Sycamazona*, *Gerara*, & alteram *Lyddam* a *Dioſpoli* ante memorata diſtinctam. Ut adeo univerſus cognitarum diœceſium numerus fuerit quadraginta octo.

Antequam vero finem hujuſmodi perquiſitioni imponamus, non abs re fuerit recordari, quod, licet interiores *Palæſtinæ* diœceſes generatim non late patuerint, quum in tam anguſto terræ tractu tanta earum fuerit multitudo, exiſtimandum tamen non eſt, earum epiſcopos tantum fuiſse parochianos, ſeu ſingularium cœtuum paſtores. Nam plures in unaquaque earum vicos, & quidem populoſos fuiſse manifeſtum eſt, qui conjuncte facile ad non mediocrem diœceſim efficiendam, ſub eadem regiminis epiſcopalis forma cum reliquis eccleſiis, ſufficiebant. Quod quidem de pluribus obſervandum occurrit; *Euſebius* enim de *Silvano* epiſcopo *Gazæorum*, qui *Diocletianeæ* tempore religionis cauſsa capite truncatus erat, loquens, eccleſiarum [Euſeb. lib. 8. c. 13.] circa *Gazam* epiſcopum eum nominat. Unde colligitur *Gazam* plures vicos, & populoſum territorium ſibi ſubjectum habuiſse. *Sozomenus* [lib. 3. c. 14.] trium vicorum mentionem injicit, quorum unus dictus fuerit *Thabatha*, ubi *Hilarion* natus: alter *Chaphorcabra*, patria *Ammonii*, & tertius quidam *Bethelia*, quam *Vicum Gazæorum abundantem incolarum multitudine* appellat; & præter alia templa *Pantheon* gentilium illic fuiſse dicit, unde hunc locum nomen accepiſse conjicit, quod *Syrorum* lingua idem ſit ac domicilium Deorum. Idem dicendum de *Majuma*, cujus epiſcopus non ſingularis parœciæ paſtor fuit, ſed clericos ſub ſe habuit. & reliqua omnia, quæ eccleſia *Gazæorum*, quemadmodum *Sozomenus* [lib. 5. cap. 3.] ſpeciatim hac de re animadvertit. *Eleutheropolis* quoque, civitas *Hieronymo* admodum memorata, non procul a loco, ubi *Hebron* ſita fuit, in limitibus *Danis* & *Judæ*, ſatis amplum territorium habuiſse videtur. Nam *Hieronymus* de vicis ad eam pertinentibus ab eaque decem & ſeptem milliaribus [Hieron. de locis Hebr. voce *Duma*] diſtantibus, loquitur, multorumque aliorum vicorum in eodem territorio mentionem facit etiamſi eorum diſtantiam ab urbe non adeo accurate tradat. *Sozomenus* alios quoſdam vicos nominat, ut *Beſanducam* [Sozom. l. 6. c. 32.] ubi *Epiphanium* natum dicit: & *Celam* & *Berathſatiam* [Idem lib. 7. c. 29.] ubi *Michæ* & *Habacuci* vatum oſſa reperta ſint. Prope *Beſanducam Epiphanius* monaſterium ædificaverat, habebatque vicus eccleſiam, in qua diaconum ordinavit *Epi-*

*piphanius*, ut ipſe auctor eſt [ epiſt. ad Joan. Hieroſolymit. tom. 2. p. 312. c. ] Fuerunt etiam nonnullæ aliæ, ſpeciatim in *Palæſtina ſecunda & tertia*, ejuſdem cum diœceſi *Eulethcropolitanæ* magnitudinis, cum multis oppidis & Eccleſiis, in quibus ſigillatim recenſendis ulterius non immorabimur. Et hæc uſque dicta, ex antiquorum ſcriptorum monumentis deprompta, ad illuſtrandam epiſcopalium per orbem terrarum diœceſium expoſitionem, ſufficiant.

DIOECESANUS. FR. dicitur loci ordinarius. Vide *Epiſcopus*: Et pro omnibus, qui in aliquo loco juriſdictionem epiſcopalem, ſeu quaſi epiſcopalem juriſdictionem exercent, ut ſunt Abbates. Clement. in cap. unico, de foro competenti; & ibi Gloſſ. Item Diœceſis ſubditus intelligitur, 12. quæſt, 2. can. [ Statuimus ( quod Epiſcopi omnes jubent ) ut Civitatenſes, ſive Diœceſani, Presbyteri, vel Clerici &c.

DIOECETA, græca dictio Διοικητής, gubernator negotiorum adminiſtrator, & tributorum exactor in aula imperiali Conſtantinop. [ Glaba magno diœceta cum cruce, ex pretioſiſſimis lapillis confecta, quæ verbis fides eſſet, celeriter ad eam miſſo, de lethali Imperatoris morbo certiorem fecit. Catacuz. lib. 3. c. 14.] Fit etiam mentio de hoc officio in legibus, Cod. Epiſcop. aud. lib. 6. FR. An ſit idem, ac *Ducenarius* & corrupte *Duganarius*, italice *Doganerio*: cum exactor vectigalium tam Diœceta, quam Ducenarius a vocabulo græco, Δουκενάριος, ideſt, agens, & exactor dicatur, de quo in l. ducenarii, Cod. de exaction. tribut. qui reſcripto Zenonis Imp. numerantur quadraginta octo Ducenarii. l. Marcellino. C. de agent. in reb. & Euſeb. Cæſar. lib. 7. Hiſt. Eccleſ. cap. 4. fecit mentionem Ducenari, ubi de Paulo Samoſateno ſic ſcripſerat: [ Neque commemorare opus eſt, quo pacto ſe inſolenter extulerit, ut ſæcularium honorum gradus ſibi aſſumpſerit, ſeque arroganter in iiſdem geſſerit, & ducenarius potius quam Epiſcopus nuncupari voluerit, & per forum volutavit, & modo epiſtolas legendo, modo quid illi reſpōſi daretur, præſcibendo, magna ſatellitum turba, partim eum antecedentium, partim ſubſequentium ſtipatus. ] Ubi aliqui Ducenarium cancellarium regium perperam interpretarunt. Vide Baron. An. 272. n. 5. & 6.

DIOGENIS epitheton. Vid *Imerobius*.

DIOMEDIS CUSTODIA. FR. erat carcer in Conſtantinopolitana Urbe tempore græci Imperii, [ Et tranſpoſuerunt in eam, quæ dicitur Diomedis cuſtodia in prætorio Præfecti. Exilium S. Martini Papæ in collects Anaſtaſii Bibl. a Sirmondo in 8. edit. pag. 94.

DIORYX διώρυξ, Scorbs, cavea, a græco verbo διορύττω, ideſt, fodio, excavo. [ Ego quaſi fluvii dioryx, & ſicut aquæductus exivi de Paradiſo. Eccl. cap. 24. ] Ubi mendoſe in aliquibus exemplaribus *Dorlyx* legitur. Sic etiam Rupertus Stephanus in eju s vocabulario vocum barbararū Sacr. Scripturæ erraverat, ſcribendo *Dorlyx*, quod rapidum juxta ſui ſiniſtrum ſenſum ſignificare ait, cum hujuſmodi interpretatio ſit ſenſui Sac. Scripturæ loc. cit. diametraliter contraria. ac contra Hebraicam, Græcam, Syriacam, & Arabicam verſionem, quæ omnes aquæ foſſam exponunt.

DIOSCORIDES. FR. ſenior & junior, can. ſane, 15. q. 7. *Dioſcoridiani* Hæretici. Vide *Eutichiani*.

DIPLOIS, veſtis duplex ſeu ſubſuta, a græca dict. διπλοΐς. [ Operiantur ſicut diploide confuſione ſua, pſal. 103. Circumdabit te Deus diploide juſtitiæ. Baruch. cap. 5. num. 2.

DIPLOMA. FR. epiſtola ex græco verbo διπλόω, ideſt, conduplico, & involvo, quia antiquitus literæ convolvebantur. Vide *Litera*.

DIPONDIUM, & *Dipondius*, vilis moneta. [Nonne quinque paſſeres veneunt dipondio? Luc. c. 12.] Quæ moneta duplicem aſſem valebat, ſed deinde vigore papirianæ legis, pondus aſſis ad ſemilibram redactum fuit, hinc dipondium unicam libram valuit poſtea. Putant aliqui æquivalere dipondium duobus quadrantibus romanis, ſeu duplici hiſpanico maravedis. FR. legitur etiam *Dupondium*, & *Dupondius* ex antiquo ejus duplicis ponderis valore etymon trahens. Quare Juſtinianus in præfatione pandectarum tyrones in ſtudio legum dipondios appellavit, ideſt, parvæ æſtimationis.

DIPSAS ſerpentis ſpecies, ex græco Δίψας, ideſt, afferens ſitim; ab effectu, nempe, quia morſus hujus ſerpentis ſitim provocat. [ In qua erat ſerpens flatu adurens, & ſcorpio, & dipſas. Deut. c. 8. n. 15.] Apud Theophraſtum, lib. 4. hiſt. plant. frutex eſt, fortaſſe, quæ *Serpentaria* dicitur, de qua alibi, & apud Celſum, lib. 3. cap. 63. epatis ſignum denotat. FR. Aliqui putarunt eſſe morbum *Herpetem* appellatum, qui ſolet in pectore apparere, ex ſerpendo a Medicis ita denominatum; nam *Herpes* græce ſerpentem ſignificat; ſed iſti tales re vera falluntur, quia inſectum, & morbum ex ejus ictu deſcripſit Nazianzenus, inquiens:

Eſt viperarum quodpiam Dipſas genus,
Quas ſolitudo Pharia complures alit,
Ac vulnus ejus quale ſit, nomen docet,
Huic namque morbus, quem perit, nomen dedit:
Perit bibendo quiſquis hac ictus fuit;
Aquis repetitis totus in eas irruens,
Quouſque nimis turgibus potu crepet.

Quem ſerpentem poetæ mordaci Mart. lib. 3. epigr. 44. aſſimilavit, inquiens.

Non dipſas medio peruſta ſole.

Cum in meridiana peruſtione maxime irritatum hoc inſectum reperiatur.

DIPTO, colore minio; ex græco δύπτω. [ Altare vero Sanctæ Mariæ, & analogium evangelicum ejuſdem fratris noſtri artificio deaurata Hattonis ſui de ſcriniis veſtivit argento, & diptivit, in vita S. Galli, c. 1.

DIPTYCHUM, grecum vocabulum δίπτυχον, duplex tabella, quæ in formam libri claudebatur; mendoſe tamen *Dicticam* habet Gloſſa in can. ſane. 24. q. 2. ubi *Dipticha* legendum eſt. Quod duplicis ſpeciei erat; in una, ſcilicet, tabella deſcribebantur nomina virorum,

rum, præcipue Epiſcoporum, & virorum illuſtrium, quæ deinde in ſignum communicationis ad Miſſam recitabantur, quod ideo in Miſſæ Memento ponuntur litteræ N. N. nam tunc legebantur illorum nomina. In libro Appameæ Cleri ad Concilium Conſtantinopolitanum ſub Menna celebratum inſerto, hæc recitatio: [ Salutatio Beatiſſimorum Epiſcoporum ] appellatur. Magnum dedecus, & ingens pœna erat illis, qui de hac tabella delebantur, ut in Hæreticos, Schiſmaticos, & Excommunicatos fieri conſueverat. [Abſtulerunt de diptycho Eccleſiarum nomina Patriarcharum. Anaſt. in Agathone FR. Gloſſa in d. can. ſane, ſic ait: [Dicticæ) *ſed in recent. impreſs. Diptycha habetur*) ſunt tabellæ, a dico dicis. Unde Martialis.

Clerice dicticam lateri ne dempſeris unquam ]
Sed Gloſſatori ex ipſo Martiali,
Ebrius es: nec enim faceres id ſobrius unquam.

Lib. 3. epigr. 16. reſpondebo, quia verſus a Gloſſatore citatus Martialis non eſt: nec mirum: nam ſæpe dormitat Gloſſator, qui ibidem etiam affert arg. ex can. poſtulatus. 3. q. 7. at ibi non *Dictica*, vel *Diptycha*, ſed *Typice* habetur. Item abſque aſpiratione etiam legitur. [Si foras ejecit Synodos quomodo in diptycis recitantur. Collect. S. Maximi Martyr. per Jacobum Sirmondum in 8. edit. p. 153.] :||: In alia vero tabella ejuſdem formæ nomina defunctorum ſcribebantur. Vide *Nomen offerre: Canon Miſſa*. FR. hec laudabilis memoria adhuc Romæ retinetur in ſodalitatibus locisque piis, qui in exequendis ſacrificiis pro benefactoribus, quotannis per Eccleſias circumeuntes, celebrando; poſt elevationem calicis unus ex Sacerdotibus cappa indutus, recitat alta voce nomina, & cognomina defunctorum, pro quibus faciunt Miſſarum legata. Nec equidem eſt hic relinquenda hujuſmodi ſodalitatum commendatio, quæ in nonnullorum Religioſorum dedecus redundat, dum laici, licet, ut plurimum, idiotæ, ſubtilioris tamen conſcientiæ ſe præbent, qui non ſolum in tabellis ad eorum ſacriſtiam appenſis, nomina, ac alias circumſtantias perpetuarum ſcriptas conſervant Miſsarum; ſed etiam manualium (ut ajunt) eleemoſinarum pro celebrationibus maxima diligentia ad diem annotant; e converſo inter Religioſos pauci ſunt, qui introitum Miſsarum ſignant, quorum in hoc ſileo ſcandala :||: Poſt ergo illa verba, quibus dicitur: In ſomno pacis, uſus fuit antiquorum, ſicut etiam uſque hodie Romana agit Eccleſia, ut ſtatim recitentur ex diptychis nomina defunctorum. Alcuin. de celebr. Miſs. ] FR. Idem habetur in can. de nominibus recitandis, de conſecrat. diſt. 2. :||. Errant qui putant diphychum exinde dici, quia duplicata tabella erat, una, ſcilicet, pro vivorum, aliaque pro mortuorum annotatione; nam non ex eo, duplex: ſed quia duplicabatur, & claudebatur in modum biblici tegumenti, ut ſupra dictum eſt, ita appellabatur; quod ex D. Ambroſii verbis evidens fit, cum *Diptychum* conchylium marinum denominavit, quia in modum libri aperitur, & clauditur; loquitur enim de aſtutia marini cancri, qui in aperitione conchyliæ calculum immittit in eam, ne claudi poſſit, dum interiora comedere nititur, ita eleganter S. Doctor ait; [ Explorat, ſi quando oſtream remotis in locis ab omni vento contra ſolis radios diptychum illud ſuum aperiat, & refert clauſtra teſtarum. lib. 5. Hexam. cap. 5. ] Sic etiam D. Auguſtinus duas tabulas decalogi [ Diptychum lapideum. lib. 15. cap. 4. contra Fauſtum ] appellavit. Prodigioſum quidem fuit id, quod in Chronicon Belgico, fol. mihi 379. narratur, extitiſse, nempe, in Eccleſia Sancti Laurentii Conſtantinopolitanæ Urbis quandam marmoream columnan laterculis ſculptam, in quorum primo ordine Imperatorum, & in ſecundo ordine Patriarcharum notabantur, nomina, ut de eis fieret in Miſsa commemoratio, quas notationes quidam philoſophus nomine Leo contemplans, vaticinatus eſt, dicens, quod quando laterculi illi eſsent completi, tunc fore, ut capiatur ab hoſtibus Civitas, & Græcorum imperium ceſſaret: quod ita evenit, nam in ultimo laterculo nominibus Conſtantini Paleologi Imperatoris, & Gregorii Patriarchæ, qui appellatus eſt Gennadius II. infauſtum vaticinium verificatum fuit, & Urbs illa ſub tyrannica Turcarum ſervitute redacta fuit. [ Offero igitur vobis eburneum diptychum. Symmach. epiſt. 7.] quod aliquando de rebus amatoriis intelligebatur. [Diptychæ tabellæ, quibus corruptores amorem ſuum inſcribunt puellis. Papias.] Vide *Ambo*; ubi *Dicticum* pulpitum vocatur, a *Diptycho* fortaſſe deductum. Vide Pictaculum in dict. *Phylateria*.

DIRECTANEUM, Directorium chori, liber erat, in quo continebantur preces in choro canendæ. In primis dicito directaneum parvulum. In regul. S. Cęſariæ, c. 11.

DIRECTO, de recta via aberro, devio. Nec enim poteſt mens humana directare, ideſt, extra rectum facere. Chryſoſt. hom. 20. in cap. 7. Matth.

DISAGMO, ſarcinam depono. [Ad perſcrutandum, utrum res, & maxime libri perierint, diſagmatur. Petr. Damianus, in vita S. Odilonis Abb. cap. 21. §. 25. ] ubi de mulo in aquam delapſo agit. Alii tamen *Deſagmatur* legunt.

DISCAPIA. [ Et terras cultas, & incultas, pervia uvida, diſcapia, prata, paſcua &c. In Chron. Eccleſ. Cameracen. ad An. 885.] Eruditiſs. Henricus Spelmanus uniendo ambas dictiones *VVaden iſcape*, intelligentiam præbet ex ſaxonicis dictionibus ſignificare paludoſa loca; nam *VVaden eſcape*, ideſt, vado tranſire, latine ſonare ait. FR. italice tamen melius ſonaret; nam in theutonicis dictionibus duplici, VV. prolatis primum V. vigorem G. deducunt Itali, ſic *VVlielmus*, Gulielmus: *VVido*, Guido; *VVerra*, Guerra, & ſimilia pronunciarunt. Sic etiam *VVaden eſcape*, a *Guado ſcappo* italice pronunciatur, ideſt, evado. Alii tamen *Diſcapia* terminos, & confinia exponunt.

DISCEDO. FR. ſejungor. [Presbyter cum diœceſim tenet, de his, quæ emerit ad Eccleſię nomen, ſcripturam faciat, aut ab ejus, quam tenet, Eccleſiæ ordinatione, di-

diſcedat, can. Presbyter. 12. q. 4. ] Ita dicimus ab opinione alicujus diſcedere, ideſt, diſcrepare, & ſejungi.

DISCENTES, Apoſtoli. [ Ille cui legiones Angelorum, ſi voluiſſet, uno dicto de cælo affuiſſent, ne unius quidem diſcentis gladium ultorem probavit. Tertull. lib. de pœnit. cap. 3.

DISCIPLINA SACRORUM. Vide *Miſſa*.

DISCERPO, lacero [ Et diſcerpens eum ſpiritus immundus, Marc. cap. 1. ] Ubi græca lectio habet· Καὶ σπαράξαν αὐτὸν τὸ πνεῦμα τὸ ἀκάθαρτον.

DISCIDIUM, ſeparatio, ſchiſma, excommunicatio. [ Noviſſime in perpetuum diſcidium relegati venena doctrinarum ſuarum diſſeminaverunt. Tertull. adverſ. Hæret. c. 30. ] Idemque mortem appellat] Diſcidium carnis, atque animæ, de reſurrect. carnis, c. 9.

DICIPLINATUS. FR. Inſtitutum. [ Monachorum enim vita ſubjectionis habet verbum, & diſciplinatus, non docendi, vel præſidendi, vel paſcendi alios, can. hoc nequaquam, 7. q. 1. ] Vide *Diſcipulatus*.

DISCIPLINO, inſtruo, corrigo. [Diſciplinat miſericorditer filios ſuos Pater miſericordiarum, dum momentaneæ percuſſionis igniculo carnem ſimul, & gehennam extinguit. In vita S. Genovefæ Virg. §. 38.

DISCIPULATUS, permanentia in diſcendo. [ Videtis Centurionem, antequam diſcipulatus ſubiret officium, locum magiſterii fuiſſe ſortitum. Chryſol. ſer. 15. ] Vide *Diſciplinatus*.

DISCIPULUS, primum Chriſtianorum agnomen. Vide *Chriſtianus*.

DISCONFITURA, conflictus. [ Et quod in diſconfitura quæ erat in mari, priſiones multos nobiles a nautis Regis, qui eos juſte ceperant. Matth. Pariſ. in hiſt. ] FR. Ubi Voſſius erravit *Confidentiam* interpretando; nam ſatis clarus eſt textus.

DISCOPHORUS, græca dictio δισκοφόρος, ideſt, ferens diſcum; hoc agnomen Habacuco Prophetæ D. Hieronymus indidit, quia dum meſſoribus diſcum ferebat, tunc Angelus Domini per capillos illum ſuſtulit, & ad Danielem Prophetam detraxit: [ Cum vero ad Habacuc veniret, & de Judæa in Chaldæam raptum Diſcophorum lectitaret, in Præfat. ad Danielem. ] Cæſarius vero Monialem *Diſcophoram* appellavit in epiſt. ad Oratoriam Abbatiſſam. FR. An Monialem intelligat, quæ curam habet ferendi in menſa fercula: ſeu potius *Diſcoporam* dicat Monialem, quia confabulatores ferculis ad crates ſuſtineat, quæ alias *Diſcola* dici debuiſſet. Vide hujus Synonym. *Dapifer*.

DISCOLA, FR. Idololatra. [ Et diſcola obſtinatus, ſemper quid Idolo ſuo immolet, ſedulus coacervat. S. Cyprian. in præfatione ad Cornelium Papam.

DISCOPULO, copulam ſepro, ac disjungo. [ Quaſi venator canes venaticos ſuper electores Prælatorum diſcopulandos. Matth. Pariſ. in hiſt. ] Venator enim canes copulatim ligatos in venatione ſolvit.

DISCORDIA. Vide *Diaphonia*.

DISCORDIOSUS, Diſcordans, diſcrepans. [ Statuta regnorum denuo per conditiones diſcordioſas ancipitia redduntur. Sidon. l. 9. ep. 3. ] FR. Plinius etiam, l. 37 c. 10. Diſcordialem appellavit rem, quæ diſcordiam provocat, & cauſat. [ Perſæ achaten hyenæ pelli ſimilem abominantur, diſcordialem domibus. ] Gemma ſiquidem hæc (ait) diſcordiam in domibus juxta Perſarum ſuperſtitionē generat, ideo illi eam abominantur.

DISCREDO, fidem minime præbeo. [ Adhuc inſtruebantur exemplo Scribarum, & Phariſæorum diſcredere Chriſto. Chryſ. hom. 74. in c. 23. Matth.

DISCRETIO, FR. differentia. Vide can. ſtatuimus, in dict. *Quinquageſima*.

DISCUS. Vide *Apalareus*. *Patena*.

DISCUSSOR. Vide *Logotheta*.

DISERTITUDO, Elegantia. [Cumque ſingulos epiſtolarum textus recitans pernicibus pupillarum obtutibus ſpecularer, atque naturali quadam latentium rerum curioſitate contemplarer, uberrimamque verborum facundiam, ac virginalis urbanitatis diſertitudinem magnopere admirarer. Aldhelm. lib. de Virg. cap. 1.

DISLOQUOR, deliro, vane obloquor. [ At illi diſloqui eum, ut ægroti ſolent, putabant. In vita S. Galli, cap. 4.

DISMANO, in judicium voco. [ Neque eos, neque juniores, atque ſucceſſores veſtri ipſum pro hac iniquitate, nec diſmanare præſumatis. Marculf. formular. cap. 31. in Addit.

DISOMUM, duplicis corporis, ex græco δίσωμον: inſcriptio frequens in antiquis monumentis Romæ præcipue. [P. Aurelius Venetianus hoc diſomum ſibi, & Felicitati ſuæ poſuit. Apud Gruter. ] Vide *Biſomatos*.

DISPARAGATIO, diſparilitas. [ Hæredes maritentur ſine diſparagatione. Matth. Pariſ. in hiſt. ] FR. ideſt, diſpar actio. Vide *Diſparago*.

DISPARAGO, FR. diſparilitatem facio. [Puellas nobiles, & alias mulieres nobiles vuardis, ac maritagiis, quas dant ſuis, diſparagant. Matth. Pariſ. in anno 1236. ſed legendum puto *Diſpar agant*.

DISPENSO. FR. ideſt, diſtricte penſo. Gloſſa in Extrav. de pœniten. & remiſſ. cap. 1.

DISPOSITIO, FR. voluntas, arbitrium: [ Patet non ſua diſpoſitione, ſed canonum cenſura a ſubditis eſſe accuſatum, & convictum, can. lator. 2. qu. 7. ] ubi Gloſſa, diſpoſitione (inquit) ideſt, voluntate.

DISPROFICIO, non proficio, ſeu degenero [ Dum impietatis, atque erroris ſpiritu plenus ſacramentum fidei non intelligis, ex ipſo ſæculi ſenſu hæretica habetudine diſproficis. S. Hilar. lib. 10. de Trinit.

DISPUNGO, numero, ſeu annoto. [ Veniebant Paulus, & Macarius, qui pauperes ubique diſpungerent. Optat. Milevit. lib. 3. contra Parmenionem. Vide *Diſpunctio*. *Expungo*. *Expunctus*.

DISPUNCTIO, numeratio. [ Et Tribunal autem nominando, & diſpunctionem boni, & mali operis. Tertull. lib. 5. Adverſ. Marcion.

DISRATIONO, errorem mentis depello, & contraria ratione alicujus deliberationem diſſuadeo. [Ut quæſtio illa per duellum diſrationaretur. Matth. Pariſ. in hiſt.

DISSECRATUS, FR. execratus, conſecratione privatus.

[ Al-

[ Altaria &c. quæ diſſecrata dicuntur, tu ipſe conſecras. Innocent. III. lib. 1. in epiſt. quæ incipit, Octavianus Oſtien. Epiſc. ] Vide *Execratus*.

Distinctio, in quo differat a ſeparatione. Vide *Divortium*.

Distractio. FR. confiſcatio. [ A Regio Juſtitiario capti, de ipſius mandato bonorum omnium delinquentis facta diſtractio &c. in decretal. lib. 3. tit. 21. cap. 5.

Distributio Canonicalis. Vide *Beneficium*. *Victuale*. FR. dicitur etiam *Manuale beneficium*, cap. unico, de Clericis non reſidentibus, in 6.

Districtio, Criminale judicium, & pœnitentiæ rigoroſitas, ſeveritas, l. de furibus, C. de furtis. Quare Hincmarus Sanctum Remigium Epiſcopum commendans, inquit; [ Erga bene agentes Petrus apparebat in vultu, erga delinquentes Paulus in ſpiritu, ac ſic conveniente in uno diverſitate gratiarum illius pietatis, hujus erat æmulator diſtrictionis. ] Sic Jo. Diacon. formam, ac delineamenta corporis S. Gregorii Magni adhuc viventis deſcribens, ait: [ In qua poſſet a ſuis Monachis, non pro elationis gloria, ſed pro cognitæ diſtrictionis cautela frequentius intueri. ] Vide *Dextera*, *Diſtringo*, *Subtilo*, *Subtilitas*.

Districtus, adject. & *Diſtricte* adverb. in eadem ſignificatione, rigoroſus, rigoroſe, & ſtricte. [ Cum diſtrictus dies judicii venerit. D. Gregorius in Regiſt. lib. 1. cap. 1. ] ſic *Diſtricte mandamus*, ſæpe in diplomatibus Papæ. FR. Item dicitur *Diſtrictum* ſubſtant. ideſt, Judicium criminale, & rigoroſum, l. placuit, ut epiſcopi, & Comites invicem ſe adjuvent, & in tom. 2. Bullar. Caſin. conſt. 70. 104. & alibi. Vide *Diſtringo*. *Subtilo*, & *Subtilitas*. Item *Diſtrictum* ſignificat etiam exactionem. Bullar. Caſin. ibid. conſt. 159.

Distringo, FR. rigoroſe ago, per judicium compello. Bullar. Caſin. tom. 2. conſt. 79. & l. ſi quis ſuas res, de ultimis voluntatibus. Vide *Diſtrictus*. *Subtilo*.

Dithalassus, græca dictio διθάλασσος, ideſt, bimare, de promontorio tamen dici ſolet, quod utrobique marinis fluctibus concutitur. [ Et cum incidiſſemus in locum dithalaſſum, impegerunt navim. Act. cap. 27.] Ubi de naufragio Apoſtoli Pauli in Melitæ inſula agitur, in quo promontor. fons eſt, quæ *Ainel Raſul* adhuc dicitur, nempe, *Fons Apoſtoli*; traditur enim, quod ideo ſic appelletur, quia nimirum primiores, & viciniores habitantes, qui D. Paulo, & ſociis ejus occurrerant, hac fontis aqua ab ipſo baptizati ſint, quorum oppidum punice *Naſciar* dicitur, hoc eſt Nazarenorum; nam ſic in primitiva Eccleſia Chriſticolæ vocabantur. Vide *Bithalaſſus*.

Dittochæum, ita intitulatum fuit a Prudentio ejus opus de utroque teſtamento, ex græco Διττοχαῖον, ideſt, duplicatum alimentum. In aliquibus mendoſis codicibus *Dirrochæum* legitur; opus tamen hoc ab aliquibus ob ſtylum incompoſitum, & rudem non creditur eſſe Prudentii; nam ille eleganter ſcripſerat.

Divæ Memoriæ, titulus Imperatoribus deceſſis attributus. Vide *Bonæ memoriæ*.

Divalis, ſubauditur Majeſtas, titulus viventis Imperatoris, quo titulo Imperatores a Sanctis Patribus, Oecumenicis Conciliis, & a Romanis Pontificibus in eorum epiſtolis honorati ſunt. FR. ſignificat etiam regiam epiſtolam. [ Hic ſuſcepit ab illo divalem, ideſt, regiam epiſtolam ſecundum ſuam poſtulationem. can. Agatho, diſt. 63.

Diversorium. Vide *Albergaria*. *Caupona*. *Pandochæum*.

Dives. Vide *Denarialis*. *Poſſeſſor*.

Divestio. Vide *Deveſtio*.

Divinatio. Vide *Hydromantia*.

Divinitas. Vide *Dealitas*. *Theotetha*.

Divitiæ. Vide *Extales*.

Divortium. FR. Diſtinctio. Differt enim ſecundum Scholaſticos *Diſtinctio* a *ſeparatione*; nam illa per intellectum formaliter ſejuncta concipitur; at hæc eſt disjuncta a parte rei: ſic anima in homine, dum viget, intellectualiter concipitur diſtincta a corpore; ſed in homine mortuo eſt realiter ſeparata ab eo. Hoc ſignificare voluit Tertullianus, quando cap. 37. adverſ. Gent. ait. [ Potuimus, & inermes, nec rebelles, ſed tantummodo diſcordes, ſolius divortii invidia adverſus vos dimicaſſe. ] Ac ſi diceret, non eramus, ut rebelles, ſeparati a vobis; ſed uniti ſub eodem imperii jugo, licet religione diſtincti. Item divortium dicitur inter conjugatos; nam non eſt totalis ſeparatio, ſed ad tempus diſconvenientia, quia quod Deus conjunxit, homo non ſeparet, & ſic non eſt quodammodo formaliter ſeparatio, ſicut *Repudium*, quod fuit Moſaicum mandatum ob Hebræorum cordis duritiam; nam a principio non fuit ſic. Matth. 19. & Marc. 10. Unde [ Matrimonium quidem non facit coitus, ſed voluntas, & ideo non ſolvit illud ſeparatio corporis, ſed voluntatis. can. matrimonium 27. qu. 2. ] hinc etiam inter Mariam, & Joſeph dicitur improprie divortium; nam corpore, & non mente ſeparati ſunt. Gloſſa in can. omne, ibidem. Mulier igitur per divortium appellatur *Ejecta*, non vero totaliter expulſa, can. Viduæ, diſt. 34. nam [ Interveniente divortio, non aboletur confœderatio nuptialis, can. interveniente 32. qu. 7. ] Dicitur Divortium a diverſitate mentis, vel quia in diverſas partes eunt, qui matrimonium diſtrahunt. Gloſſ. ibid. Quod fit dupliciter; vel cauſa honeſtatis ad præſervandam caſtitatem, ſeu virginitatem; vel delicti, nempe, defectu naturæ, ſeu culpæ: Quamvis aliquando repudium, & divortium promiſcue accipiantur. Gloſſ. ibidem.

Diurnus. FR. liber, in quo conſuetudines Rom. Eccleſiæ continebantur, quas novus Pontifex obſervare ſpondebat. [ In libro quoque Pontificum, qui dicitur diurnus, ita continetur de poſſeſſione Romani Pontificis. Ivo Carnot. epiſt. 58.

Dius. Vide *Diiticum*.

Do, *das*. Vide *Reddo*. Dare orationem, & data oratione, quid ſignificent. Vide *Collecta*. FR. Item Do pro

Facio. [ Dato igitur mane redivit ad propria. Greg. Turon. de glor. confeſſ. cap. 15. ] ideſt, facto mane.

Doccia, aquæ ductus, ſeu alterius liquoris excepta [ Si quoddam canale aquæ velociſſime currentis deorſum, ut doccia molendini, percuteret in murum, manifeſtum eſt, quod undique redundaret, & diſpergeretur ſic erit gloria animæ ad corpus. Hugo de Prato. Serm. 68. ] Vide *Dogus*.

Doche, vox græca δοχὴ, convivium. [ Non licet ſine Epiſcopo baptizare, nec offerre, neque dochen celebrare. In epiſt. 10. D. Ignatii Mart. ] Ubi agitur de Agapis, de quibus ſuo loco dictum eſt.

Docibilis, FR. aptus ad docendum. [ Ad Theologiæ profeſſionis ſtudium aliquot docibiles deſtinentur. lib. 5. decretal. tit. 5. cap. ultimo.

Doctiloquus, FR. docte loquens. [ Quamdiu veſtigia doctiloqui Pauli fideliter tenuiſtis, Humbert. &c. Card. in Appen. tom. 11. Baronii tit. in marg. confutatio objectionis de azimis. §. Quandiu.

Doctor. Vide *Baccalaureus*. *Catigera*. Doctor Apoſtoli quis dicebatur. Vide *Apoſtolus*. Doctor audientium. Vide *Audientium Doctor*. Doctor juris. Vide *Nomicus*, Doctor Oecumenicus, ideſt Concionator. Vide *Oecumenicus*. Doctor divinitatis. Vide *Theologus*. Doctor Lybicus. FR. D. Auguſtinus intelligitur [ Doctorem Libycum aſſeritis ſublata a ſe pyripoma fleviſſe. Ennodius Ticinen. Epiſc. epiſt. 4.

Doctorius, adject. nomen doctoralem rem ſignificans. [ Non ergo illi doctorium cupierunt honorem ſed doctorii operis lucrum. D. Chryſoſtomus, hom. 44. in cap. 22. Matth.

Doctrina, ſub lactis metaphora. Vide *Pantologia*.

Documentum, FR. Inſtrumentum, ſcriptum, atteſtatio. [ Documenta, quibus Eccleſiæ poſſeſſio firmatur. can. Si quis, de clericis 12. quæſt. 2. Quidquid per abſentiam documentorum damni Eccleſiæ illarum ſit, ibidem.

Dogma δόγμα. FR. ideſt regula: Eccleſia enim variis nominibus nobis regulas tradit, aliquando eas canones vocat. Vide *Canon*, & hæ ſunt regulæ a Conciliis ſancitæ. Aliquando *Decreta* appellat, & tunc ſunt regulæ a Pontificibus cum Cardinalium conſiſtorio ſtabilitæ. Aliquando ſunt *Decretales epiſtolæ*, & ſunt ordinationes ſolius Papæ. Item *Mandatum* dicitur regula circa mores concernens. *Interdictum* vero dicitur, ubi non eſt pœna expreſſa. *Sanctio* eſt regula, cui additur pœna. Tandem *Dogma*, eſt id, quod ſpectat ad fidem: ita Gloſſ. in can. omnes diſt. 3.

Dogmatizo. FR. doctrinas condo. [ Contra fratrum regulam prædictorum dogmatizare, ſcribere, ſeu determinare, prædicare &c. In extrav. Jo. XXII. de verbor. ſignif. cap. 2. ] Ubi Gloſſa male interpretatur ſignificare hoc verbum falſam doctrinam condere; nam ſi ita eſſet, fruſtra poneretur præpoſitio *Contra*. Vide *Peregrinor*.

Dogus, canalis, ſeu aquæductus. [ Foſſas in circuitu Baſilicæ fieri juſſit, ne forte dogis occultis lymphæ deducerentur in fontem. Greg. Turon. de gloria Mart. lib. 1. cap. 25. Vide *Doccia*. *Aquagium*.

Dolichus. FR. græca vox δόλιχος, quæ ſpatium duodecim ſtadiorum ſignificat. [ Etenim qui in ſtadio poſtquam decem dolichos cucurrit, ſi poſt deficiat, totam laudem perdit. Chryſoſt. hom. 1. in epiſt. ad Philippen.

* Δολομέτραι. Menſores fraudolenti, ii ſcilicet, qui non utuntur falſis ponderibus, & menſuris, ſed ingenioſius & aſtutius digitis ludendo furantur, cenſura afficiebantur. Auctor Conſtit. lib. 4. c. 6.

Doma, δῶμα, tectum planum ſecundum Orientalium, & Melitenſium uſum. [ Doma in orientalibus provinciis ipſum dicitur, quod apud Latinos tectum: in Palæſtina enim, & Ægypto, vel ubi ſcripti ſunt divini libri, vel interpretati ſunt, non habent in tectis culmina, ſed domata. S. Hieron. epiſt. ad Sun. & Fretel. ] FR. [ Propoſuerat enim David in die illa præmium, qui percuſſiſſet Jebuſæum, & tetigiſſet domatum fiſtulas &c. 2. Reg. cap. 5. n. 8. ] ubi ſic Dionyſ. Carthuſ. art. 8. Doma vocatur tectum; fiſtula autem canale, per quod ſtillicidia fluunt, ſeu aquæ ductus] & in Eſdr. c. 8. num. 16. [ Feceruntque ſibi tabernacula unuſquiſque in domate ſuo. ] Ex quo colligitur *Domata* fuiſſe plana tecta: ibi enim commode tabernacula erigebantur. Gloſſa tamen in can. ſatis evidenter, diſt. 98. inepte facit differentiam inter *Dogma*, & *Doma*, inquiens: [ Dogma autem per, g, eſt doctrina in fide; ſine, g, eſt angulus, unde illud, Sedebat in domate domus 75. qu. 2. can. ſi quis. ] Sed canon ille a Gloſſa citatus hoc tantum ait, nempe: [ Si quis dogmata, mandata, interdicta &c. ] & nihil de *Domate* agit, bene tamen verba illa ſunt Proverb. cap. 21. n. 9. cap. 25. num. 24. & in utroque capite habetur [ Melius eſt ſedere in angulo domatis, quam cum muliere litigioſa, ] ſi enim in ſenſu Gloſſatoris *Doma* angulum ſignificaret, ubi in Proverbiis ait, *In angulo domatis*, ſenſus eſſet in angulo anguli, atque idem (ut ajunt) per idem diceretur. At qualis Mathematicus unquam invenit, aut aſſignavit hunc anguli angulum? Senſus ergo, & phraſis Sacræ Scripturæ eſt, quod melius ſit habitare extra domum, quam cum muliere rixoſa: hinc ſumit tecti angulum figurate; nam extra domum eſt. Videtur tamen aliquando etiam pro non plano tecto uſurpari, ut ex ſequenti textu liquet: [ Plumbeis igitur domatibus illam totam (*ideſt Eccleſiam*) cum titulo, & utraque porticu, ac veſtibulo decenter operiens. Chron. Caſin. lib. 3. cap. 29. ] Quæ loca non omnia tectum planum habuiſſe credendum eſt. Ejus Synonymum. Vide *Cymatium*.

Domesticus, latino-græcum vocab. Δομέσικος: officium in Eccl. Conſtantinop. qui & *Protopſaltes*, ideſt, ſuperior cantorum dicebatur, ad quem ſpectabat intonare ad officium vigiliarum illa verba Εὐλόγησον, Δέσποτα, ideſt, *Benedic Domine*: idem etiam polycronon inaugurabat, de quo in dict. *Polychronon* dicetur, qui Domeſtici erant triplicis ſpeciei. Primus enim

enim clero patriarchali præſidebat. Secundus clero Cappellæ Imperatoris. Tertius clero Imperatricis Cappellæ, qui *Deſpinicus* dicebatur a *Deſpina* Imperatricis titulo. Item, reperiebantur *Domeſtici* prætoriani, nempe, milites, ac *Megadomeſticus* eorum Præfectus dicebatur. [ Cum eſſet in Imperiali palatio plurimum honoratus, & Megadomeſtici dignitate, quem nos majorem ſeneſcallum nominare conſuevimus, fungeretur. Nicetas in vita Jo: Comneni, c. 11.] Item & *Domeſticatus* officium, [ Gaudentius pater, Scythiæ Provinciæ primoris loci, a domeſticatu exorſus militiam ad magiſterii equitum culmen provectus eſt. Gregor. Turon. lib. 2. cap. 8. [ FR. hoc nomen *Domeſtici* eſt nimis generale, ſic in civili textu, Domeſticum orientis, Domeſticum ſcholarium, Domeſticum menſæ, Domeſticum mœnium, & ſimilia paſſim invenio. In primo ſenſu, Vide *Subdiaconus*, *Syncellus*.

Domi, quid hebraice ſignificet. Vide *Silentium*.

Domicellus, nobilem denotat. Vide *Adelingus*, *Catipanus*, *Macerius*.

Domiducus, domum ducens. Fabuloſus Deus, de quo D. Auguſt. lib. 6. de Civit. Dei, c. 9. ſic inquit: [ Si domum eſt ducenda quæ nubit, adhibeatur Deus Domiducus; ut in domo ſit, adhibeatur Domitius: ut maneat cum viro, adhibeatur Manſurna.] FR. poteſt etiam limax, & cochlea ita appellari, quas alii *Domiportas* a portando, ſeu ducendo dixere.

Domine Labia Mea Aperies, &c. Vide *Verſus aperitionis*.

Dominiædius, Majordomus. [ Natalitium de mea ſolemni ad Dominiæ dium meum cantilena. Paulin. epiſtol. 9.] & alibi idem Auctor cecinit;

——————— Quam, quid mihi teſtis
Ipſe meis, quibus eſt, idem Dominædius egit.

Quare aliqui male nomen Dei interpretati ſunt. Vide *Vicedominus*.

Dominica, prima hebdomadæ dies: quæ *Dies lucis*, & *Dies panis* a D. Jo: Chryſoſt. homil. de Reſurrect. dicitur: *Regina*, *& Princeps omnium dierum* a D. Ignatio Martyre, in epiſt. ad Magneſios, ut infra dicetur: & ſæpe *Una Sabbati*, quia eſt prima hebdomadis dies: *Dierum Domina*, a Sophronio Hieroſolym. Epiſcopo: *Dies pacis* a Theodoro Studita. Item Ἀναστάσιμος, ideſt, Reſurrectionis dies, & Κυριακὴ, ideſt, Dominica. Merito Dominica dicitur: nam hæc dies maximis myſteriis inſignita fuerat; in ea enim creavit Deus univerſa, ac pluere cœpit manna in deſerto, tranſivit Iſraeliticus populus Jordanem, D. Auguſt. ſer. 154. natus eſt Chriſtus, ſexta Synod. can. 8. Et Magis apparuit ſtella; Chriſtus in Jordane a Joanne baptizari voluit, aquam in vinum in Galilææ nuptiis idem convertit; quinque panibus, & duobus piſcibus quinque fere millia hominum ſatiavit in deſerto; mortuos reſuſcitavit; miſit Spiritum Sanctum in terris: omnibus his miraculis a D. Auguſtino, loc. cit. cumulatis ſanctum hunc diem, & memorabilem inſigniri dignata eſt divina clementia. Imo in hoc die in inſula Pathmos appellata D. Jo. Evangeliſtæ revelata ſunt myſteria cœleſtia, & futuri Eccleſiæ eventus in Apocalypſi regiſtrati, ut ipſemet Apoſtolus in principio hujus tractatus fatetur inquiens: [ Fui in ſpiritu in Dominica die &c.] Et aliqui tandem probabiliter exiſtimant, quod in die Dominica futurus erit univerſale judicium. Obſervationem autem hujus ſancti diei ab Apoſtolorum temporibus initium habuiſſe D. Auguſtinus, ſer. 25. de tempore teſtatur; atque occaſione quorundam Hæreticorum, qui tunc temporis myſterium Reſurrectionis negabant, & jejunabant in die Dominico, ut opponerentur Catholicis, qui in hoc die lætantur; inde Apoſtoli, eorum Hæreticorum perfidiam deteſtantes, can. 55. prohibuerunt, ne inter fideles in die Dominico jejunaretur. Idem ſucceſſive confirmatum fuit a D. Ignatio Martyre, epiſt. 8. ubi ſic ait: [Si quis Dominicam diem jejunaverit, Chriſti interfector eſt,] & idem in epiſt. ad Magneſios ſcripſerat: [ Poſt Sabbatum omnis Chriſti amator Dominicum celebrat diem, Reſurrectioni conſecratum Dominicæ, Reginam, & principem omnium dierum.] Idemque cultus in Nicæna Synodo fuerat ſancitus. Imo tunc Magnus Conſtantinus anno, nempe, 321. ad obſervationem Dominicæ diei etiam Gentiles coegit, ut ex Codice Theodoſ. colligitur, ubi *Dies ſolis*, juxta eorum ſuperſtitionem, appellatur Dominica, ut in dict. *Dies ſolis* dictum eſt. Item Honorius Imperator pie conſtituerat, quod in omnibus Dominicis in carceribus detenti, per eorum vigiles conducti, extraherentur, ut a fidelibus eleemoſynas expoſcerent, & ad balnea conducerentur, atque pœnam triginta auri librarum judicibus impoſuit, qui tranſgrederentur hanc legem, quod in Theodoſ. codice, lib. 7. de cuſt. reor. habetur. Item celebrantur Dominicarum Vigiliæ. Concil. Matiſconen. can. 47. & Agathen. Multa de hac die colligi poſſent ex variis Auctoribus, quæ brevitatis gratia relinquuntur. Diebus Dominicis ſemper in Miſſa dicitur Credo. Vide *Symbolum*. Item Dominica appellatur Eccleſia. Vide *Cyriaca*, *Dominicum*.

Dominica In Albis. Vide *Baptiſmus*. In hac hebdomoda Papa albo birro induitur. Vide *Birrus*. Vide *Diaconiſimus*, *Dominica nova*.

Dominica III. Adventus, Diaconus, & Subdiaconus non induuntur caſula. Vide *Caſula*. Sic etiam in Dominica IV. Quadrag. ibid. & *Dominica lætare*.

Dominica Excarnaliorum. Vide *Carniſprivium*.

Dominica Indulgentiæ. Vide *Palmarum feſtum*.

Dominica Lætare, ideſt, IV. Quadrag. ſic appellata ex introitu ad Miſſam *Lætare Jeruſalem &c.* quæ denominata etiam fuit *Dominica panis*, quia legitur Evangelium multiplicationis panis ſignificaturque in ea populi Chriſtiani liberatio a tyrannica idolorum ſervitute, Durand. lib. 6. c. 53. Unde in ſignum læti diei Cardinales induuntur veſtibus roſaceis, & Pontifex eundo, ac redeundo a Cappella in ſymbolum lætitiæ

titiæ fert in manu roſam auream ab eo benedictam, quam deinde alicui Regi, ſeu Magnati mittere ſolet: ver enim denunciat, qui poſt turbines diri hyemis ſuccedens, mundum lætificat, & antiquitus ſolebat hæc cæremonia fieri in Eccleſia S. Crucis in Jeruſalem, tanquam cæleſtis Jeruſalem figura, ita Innocent. III. in ſermone hujus diei; Romani enim Pontifices ſolebant in hac die tractatum ad populum habere, quos imitatus eſt Pius II. nam in hac die etiam ſermonem habuit, & roſam ab eo benedictam ad ſuam Senenſem patriam miſerat. Sixtus vero IV. in ſignum ſui gentilitii ſtemmatis ann. 1471. quercus aurei ramum Cathedrali Savonæ ejus patriæ dono miſerat. Quæ ſolemnitas antiqua eſt, & ante Leonis IX. tempora, qui regnavit ann. 1050. de qua Cencius Camerarius ait, quod hic Pontifex penſionem annuam pro expenſa hujus roſæ ſuper reditus Monaſterii S. Crucis Lotaringiæ impoſuerat. FR. Alexander III. Venetiis 1177. celebravit hanc cæremoniam in Eccleſia Sancti Marci, ut teſtantur Petrus Bleſenſis, ſer. 15. qui eodem ſæculo ſcribebat, Baron. ann. 1177. n. 18. & idem ex Cardinali Beſſarione, ibid. & Benedicto Zani Venetiarum Duci dono dederat. Flav. Blondus, decad. 2. lib. 6. qui omnes antiquiſſimam hanc cæremoniam eſſe teſtantur. Clemens Papa VI. Ludovico Regi Neapolis miſerat. Odoric. Raynal. ad an. 1348. n. 11. Erat etiam antiquiorum Chriſtianorum mos roſam in ſepulcris formare in ſymbolum tranſitoriæ vitæ, ad verba Job alludentium, qui cap. 14. ait: [ Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis, qui quaſi flos egreditur, & conteritur, ] quam vitæ vanitatem etiam Gentiles conſiderantes, in teſtamentis jubebant ad eorum ſepulcra ſpargere roſas, ut in antiquis lapidibus inſcriptum legitur, ſub his formulis, nempe; [ Ut quotannis roſas ad monumentum ejus deferant, ] ſeu; [ Ut quotannis tempore roſæ Julio ternæ eis ponantur, vel ] Roſa quotannis ornandum. ] De quo ſymbolo antiquus cecinit ille Vates:

Mirabar celerem fugitiva ætate rapinam,
Et dum naſcuntur conſenuiſſe roſas.

Et inter Chriſtianos Poetas Jo: Jovianus dixerat:

Neque roſa brevius nil eſt, æqueve caducum.
Sic cito, ſic breviter, & tua forma perit.

Item Hieronymus Angerianus:

Pulcra brevi duras roſa tempore forma, brevique
Tempore, ſic formæ par roſa tempus habes.

Quare etiam roſæ aureæ cæremonia poſſet alluſive ad Lazari ſepulcrum applicari; nam in Dominica Lazari hæc cæremonia fit, quæ fortaſſe Dominica, *Lætare*, non ſolum propter introitum Miſſæ illius diei; ſed etiam ob lætitiam reſurrectionis quatriduani Lazari, quod miraculum inter alia a Chriſto oſtenſa ex majoribus fuerat. Introitus Miſſæ hujus diei. Vide *Introitus*. Error Raynaudi, qui hanc roſam auream perperam Roſam medianam appellaverat. Vide *Dominica mediana*.



Dominica Mediana, hanc aliqui crediderunt eſſe Dominicam IV. Quadrageſimæ, quia hæc media reſpectu quadrageſimalis tractus. Gloſſa tamen in can. Principalis, diſt. 63. aſſerit eam eſſe, quæ dicitur *Ad ſitientes*. FR. idem affirmat ad can. in parochia, 16. q. 1.:||: Quæ opinio Gloſſæ confirmatur, ex epiſt. 1. Gelaſii Papæ, c. 13. & ex Ordine Romano, ubi lectiones Prophetæ Hieremiæ diſponuntur in Dominica mediana, quæ reperiuntur in Dominica paſſionis in primo nocturno. FR. Idem ex Ivone Carnot. ep. 63. habetur, ſcilicet: [ Apoſtolica inſtitutio, & paterni canones habent, ut non fiat levitica, vel ſacerdotalis ordinatio, niſi jejunio quarti menſis, ſeptimi, decimi, aut initio quadrageſimæ, vel ſabbato medianæ. ] :||: Fuit igitur ſic appellata, ut aliqui autumant, quia in ejuſdem lectionibus fit mentio lunæ quartædecimæ, & quintædecimæ, quæ ſunt lunariæ periodi medietates, ideo *Mediana Dominica* dicitur. Theophylus ergo Raynaud. abſque fundamento cogitavit hanc Dominicam eſſe quartam quadrageſimæ; inde roſam præfatam, ubi de ejus benedictione egit, medianam perperam vocavit, dum adductæ auctoritates omnes Dominicam *Ad ſitientes* eſſe demonſtrant. Vide *Paſcha*.

Dominica Nova, a Græcis ea ita dicitur, quam nos Dominicam in albis per errorem vulgi ita appellamus; nam recte *Dominica poſt albas*, ut in Sacramentario, appellari deberet; & *Dominica in albis depoſitis* in ritu Ambroſiano vocatur, quia in ſabbato præcedenti Neophyti deponunt albas veſtes: ideo recte *Sabbatum in albis* dicitur, quæ *Dominica Thomæ* propter occurrens Evangelium, ſeu *Octava Paſchæ* a nonnullis appellatur. FR. in ritu Ambroſiano per totam hanc octavam duæ Miſſæ celebrantur, una, ſcilicet, officii occurrentis & alia, quam vocant pro *Baptizatis*. Idem obſervant in feſto Pentecoſtes, & in ejus octava. Item *Dominica nova* videtur potius eſſe Dominica Reſurrectionis; nam D. Auguſtinus Homil. 24. Catechumenos ad diſcendam orationem Dominicalem exhortans, inquit: [ Tenete ergo rationem hanc quam reddituri in die Sabbati noviſſimi, quo baptizandi eſtis. ] Dominica in Albis a Græcis ἀντιπάσχα, ideſt, oppoſita Paſchæ dicitur. Vide *Dominica in albis*. Nihilominus Dominicam novam crederem eſſe Dominicam Palmarum ex argumento, quia de conſecr. diſt. 3. in can. 6. habentur hæc verba: [ Non licet quinta feria fratres noviſſimæ ſeptimanæ jejunium ſolvere, & omnem exhonorare quadrageſimam &c. ] Et in can. ſequenti: [Non oportet in quadrageſima quinta feria ultimæ hebdomadæ jejunium diſſolvi, & totam quadrageſimam inhonorari.] Item in can. baptizandos, de conſecrat. diſt. 4. habetur, quod: [ Baptizandos oportet ſymbolum diſcere, & quinta feria ultimæ ſeptimanæ, vel Epiſcopo, vel Presbytero reddere. ] In can. autem ſequenti idem habetur ſub his verbis: [ Ut ſymbolum diſcant, & in quinta feria noviſſimæ ſeptimanæ Epiſcopo, vel Presbytero reddant. ] Item in can. quando ejus, ead. diſt. ſancitum

eſt: [ Ut ſanctum Baptiſmum in noviſſima ſua expiratione ſuſcipiat. ] Sic in Evangelio: [ Erunt primi noviſſimi ] ubi per noviſſimos, ultimi intelliguntur. Igitur per noviſſimam Dominicam, & noviſſimam hebdomadam ultimas intelligo in ordine quadgageſimæ.

Dominica Orthodoxiæ, prima Dominica quadrageſimæ a Græcis dicitur, quia in ea celebrant exaltationem ſacrarum imaginum, quas poſt mortem Theophyli Imp. earum perſecutoris, Theodora piiſſima Auguſta reſtituerat, contra Iconomachorum vota, de quibus vide in dict. *Iconomachus*, & in hac die Iconomachi, una cum aliis hæreticorum ſectis a populo in publica Eccleſia anathematizabantur, & execrabantur; quæ ſolemnitas a Methodio Patriarcha inſtituta fuiſſe dicitur. FR. Errat Junius, dum hanc ſolemnitatem cum alia, quæ *Magnus canon* a Græcis dicitur, confundit; nam hæc in feria V. primæ quadrageſimalis hebdomadæ celebratur, ut ex Triodo, ſeu quadrageſimale rituali Græcorum colligitur: & *Magnus canon*, ab eis dicitur, quia alii canones triginta troparia continent ad ſummum; ſed hic biſcentum, & quinquaginta continet, per quæ efficaciſſima verba ad compungenda fidelium corda, ab Andrea Archiepiſcopo Cretenſi compoſita, habentur: ideo *Aliptes*, ideſt ad conflictum exercitatus, ſeu confortator dicitur. Vide *Alipta*.

Dominica Palmarum. Vide *Baja*, *Dominica nova*, In ea competentibus prædicabatur ſymbolum. Vide *Capitilavium*. *Catechumenus*. Deferebatur in proceſſione Evangelium. Vide *Evangelium*, *Evangeliſmus*, *Palmarum feſtum*.

Dominica Panis. Vide *Dominica Lætare*.

Dominica Passionis. Vide *Icona*.

Dominica Quadragesimæ. Vide *Quadrageſima*.

Dominica Quinquagesimæ. Vide *Carnis privium*, *Quinquageſima*.

Dominica Resurrectionis. Vide *Anaſtaſis*, *Hermes*, *Paſcha*. Ubi in hac die poſſet ante auroram celebrari. Vide *Miſſa*.

Dominica Sanctorum, Myrophorum. Vide *Myrophori*.

Dominica Secunda Epiphaniæ, quare in principio ejus Miſſæ habeatur, *Omnis terra adoret te*. Vide *Introitus*.

Dominica Septuagesimæ. Vide *Septuageſima*.

Dominica Sexagesimæ. Vide *Sexageſima*.

Domihica Vacans. Vide *Adventus*, & Sabbatum vacans in dict. *Sabbatum*.

Dominicale, Sudariolum, ſeu quid ſimile, [ Unaquæque mulier quando communicat, dominicale ſuum habeat. Concilium Altiſiodor. can. 39.

Dominicalis, *Dominicata*, *Indomin.cata*, & *Dominica*. FR. poſſeſſio loci, ſeu terræ in emphyteuſim ad tempus conceſſa; in qua tamen directus dominus reperitur, qui Dominicatus titulum habere dicitur. [ Annonam de Dominicatis terris Collectam. Hincmarus, epiſt. 1. ] Vide *Dominicata*, *Dominicatura*, *Indominicatus*.

Dominicalis Oratio. Vide *Pater noſter*.

Dominicani. Regularium Ordo, ad quorum pertinentiam. Vide *Altare*, *Communio*, *Corbicularius*, *Corporale*, *Epiphania*, *Evangelium*, *Flabellum*, *Hodegitria*, *Ordo*, *Pedules*, *Stola*.

Dominicata. FR. res, ſeu prædium, quod dominus ejus ſuis manibus, vel ſumptibus colit. Bullar. Caſin. tom. 2. conſtit. 69. 107. & alibi. Vide *Dominicalis*, *Donnicata*.

Dominicatura, dominium abſolutum, & directum. [ Retinemus vero portionem noſtram, & dominicaturam. In vita Oldegarii Epiſc.] Vide *Dominicalis*, *Indominicatus*.

Dominicida, Hæbræus, ideſt, Domini occiſor, ſic Antiochus, homil. 55. ubi de invidia agens, inquit; [ Ab ipſo enim ( *ideſt Diabolo* ) vix dum originem traxerat. & ecce e veſtigio in fratricidam Cainum tranſilivit, atque ordine deinceps curſu prono in Dominicidas Judæos devoluta eſt.

Dominicum, ita appellatum fuit templum, quia Domini Domus eſt: [ Non oportet cœnas in Dominicis ponere. Concil. Laodicen. can. 28.] FR. *Dominicum aureum* templum illud famoſum Antiochenum appellatum eſt, quod a Conſtantino Magno incœptum, & ab ejus filio Conſtante perfectum fuerat, atque a nonaginta Epiſcopis conſecratum, inter quos triginta ſex, pſeudoepiſcopi Ariani erant, qui omnes an. 341. pro celebratione Concilii intervenerant, cujus decreta in partem reprobata fuere, tum propter confirmationem depoſitionis S. Athanaſii; tum etiam propter Canones nonnullos Catholicis dogmatibus diſſentientes :||: Vide *Cyriaca*. Item aliquando Miſſæ ſacrificium ſignificat. [Nunquid ergo Dominicum poſt cœnam celebrare debemus? S. Cyprian. epiſt. 63. In collecta fui, & Dominicum cum fratribus celebravi. In Act. S. Saturnini Mart. Dominicum convivium celebrare. Tertull. de fuga. Dominicum agere. D. Aug. contra Donatiſtas.

Dominicus, nomen male, ac bene de Chriſto intellectum. Vide *Dimœrita*.

Dominus Vobiscum, ſalutatio Sacerdotalis, quæ populo datur, ex libro Ruth excerpta, & in primitiva Eccleſia ex traditione Apoſtolica ordinata. Concil. Bracaren. I. c. 21. a S. Clemente confirmata, Gemin. lib. 1. c. 87. Dionyſ. Carthuſ. in c. 2. Ruth. & can. hoc quoque, de conſecrat. diſt. 3. ſeu a D. Anacleto, ut Hugoni, lib. 2. c. 11. placet. *Divina ſalutatio* a S. Dionyſio de Eccl. Hierarch. appellatur; quæ antequam populo a Sacerdote communicetur, oſculatur ille Altare, quod eſt Chriſti typus a quo omnis ſalus, & pax noſtra derivat. Semper pronuntiatur in plurali, licet unus tantum, aut nemo aderit, can. hoc quoque, de conſecrat. diſt. 1. & ratio hujus ritus ſic a Petro Damiano affertur. [ Sacerdotalis autem ſalutatio idcirco fit in Eccleſia, ut ſe Sacerdos pacem habere

cum

cum tota plebe fidelium doceat.] Et inferius: [ Si vero venerabilium Sacerdotum conſuetudo laudatur, ut ſolus ſoli recte dicat Dominus vobiſcum, & neque ſit abſonum, neque ab Eccleſiaſtici ordinis cenſura ſemotum, quid officit, ſi & ſingulariter quis poſitus idipſum dicat? Opuſc. de Dominus vobiſcum, cap. 4.] & Navar. Miſcell. 67. de orat. n. 5. Quare Sacerdos excommunicatus non poteſt id pronunciare, licet privatim, ac ſolus officium recitet. Idem Navar. de Orat. c. 7. n. 16. Diaconus ex Durandi opinione, l. 4. cap. 14. non debet hanc ſalutationem proferre in horarum Canonicarum recitatione, ſed ſolum in Evangelii lectione & in benedictione Cerei Paſchalis, quia ibi ex perſona Chriſti loquitur, & eundem reſuſcitatum repræſentat; ſed alii penes Navarr. loc. cit. putant poſſe in recitatione divini officii illud proferre, dummodo ſecum non adſit Sacerdos, & in ea recitatione, de ejus tamen licentia, id poſſet licite pronunciare. In ritu autem Ambroſiano Sacerdos in præfata ſalutatione non vertitur ad populum, quod etiam Romana conſuetudo obſervat in illis Altaribus, in quibus Sacerdos celebrat ad populum reſpiciens, ut dictum eſt in dict. *Altare*, & dict. *Eccleſia*, §. in Eccleſiis autem. FR. hoc obſervari vidi in aliquibus Eccleſiis etiam Monialium, ubi poſt Altare reperiuntur crates, per quas Celebrantem illæ reſpiciant; ſed an ſit licitum, dum alii ſæculares in Eccleſia idem ſacrum auſcultant; in hoc ad prudentum judicium me remitto. Soter tamen Papa celebrari vetuit, niſi duo ſaltem auſcultantes reperiantur in Miſſa, can. hoc quoque, de conſecrat. diſt. 1. & ibi Gloſſ. Epiſcopus in Miſſa prima vice dicit, *Pax vobis*. Vide ſuo loco. Quare non dicatur *Dominus vobiſcum*, quando canitur Paſſio. Vide *Paſſio*.

DOMIPORTA. Vide *Domiducus*.

DOMITIALIS. FR. res, quæ titulo domini poſſidetur. [ Et vero domitialis res ablata reddita eſt. Erempert, in Epitom. an. 887.

DOMNUS, Vox ab Eccleſiaſticis loco Domini uſitata; nam Dominus eſt titulus ſolius Dei, & ideo hominibus ſyllaba dempta Domni titulus datur. FR. juxta illud:

Cœleſtem Dominum, terreſtrem dicito Domnum. [ Glorioſiſſimas autem filias meas Domnam Dominicam, & Domnam Eudochiam mea vice ſalutate. D. Greg. l. 6. epiſt. 27.] & Sulpitius [ Domnum Martinum obiiſſe nuntiant, epiſt. 1.] Eodem defectivo titulo utuntur Græci, nempe, κυρὸς, κυρὰ, vel κυρὴ. Igitur Magnatibus titulus *Domnus* etiam tribuebatur. [ Ravennæ cum Domno Decio patritio fuit, ipſe poſſit quæcumque judicaveris, Domno Imperatori ſuggerere. In epiſt. Pelagii Papæ II.] qui ad Gregorium tunc apud Conſtantinopolitanum Imperatorem legationem fungentem ſcripſerat: apud Blondum in Roma inclin. decad. 1. l. 8. In ſæculo ignorantiæ *Dopnus* pronuntiabatur. [ Sanctæq. Sedis Apoſtolicæ Dopno Leoni Summo Pontifici, penes Torrigium, de Cryptis Vatican. ſecundæ impreſſ. pag. 503. Quæ ſita eſt in Civitatem novam, quam Dopnus Leo Papa ædificavit. Ibidem pag. 504. & 506.] Item Dompnus. Ibidem pag. 507. ||: In Officio divino, & in Miſſa quando petitur a Celebrante benedictio, dici debet *Jube Domne*; ſed quando quis ſolus recitat, debet dicere *Jube Domine*. Idem obſervatur a Sacerdote, quando privatim celebrat in poſtulando benedictionem ſecrete ante Evangelii prolationem. Gavant. ſect. 5. c. 11. FR. [ Solebant forte lecturi in pulpito aliquam ſalutationem nobis ignotam præmittere, vel dicebant Dominus vobiſcum; ubi modo dicunt Jube Domne benedicere. Gloſſ. in can. placuit, ut ante, diſt. 77.] Item quando in choro Epiſcopus caneret lectionem, dicere deberet *Jube Domine*; nam tam Sacerdos privatim recitans, quam Epiſcopus lectionem canens, a Deo immediate benedictionem poſtulant. Gavant. loc. cit. Vide *Jube Domne &c.* Vide *Titulus*.

DONATIO. Vide *Dotalitium*, *Scotatio*. Donatio propter nuptias. Vide *Antiphatum*. *Folderphium*, *Mephium*, *Hypobolon*.

DONATISTÆ, ſeu *Donatiani* hæretici. Vide *Circelliones*, *Epiphania*, *Montani*.

DONATUS, Monachus oblatus, laicus, ſive converſus. Monachi duo, & converſi omnes, quos Donatos uſitato vocabulo nuncupamus. Trithemius, l. 1. epiſt. 75.] Qui etiam *Coadjutores* appellantur.

DONNICATA, & *Donnicatus*. FR. Dominicum Bullar. Caſin. tom. 2. conſt. 73. 79. Vide *Dominicata*.

DONUM. Vide *Behem*, *Invectum*.

DOPNUS. Vide *Domnus*.

DORCAS, græca vox δορκὰς, capra ſylveſtris, dama. [ Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas. Auctor c. 9.] Quæ mulier propter ejus oculorum perſpicacitatem ita eſt appellata ex græco verbo δέρκω, ideſt, circumſpicio, ſeu potius ex Hebræo vocabulo, quod netricem ſignificat: Arabicus vero textus *Ghazela* habet, quod tam ſylveſtrem capram, quam netricem ſignificat, cujus poſtremus ſignificatus magis fœminis adaptatur.

DORIX. Vide *Dioryx*.

DORLINDANA. Orlandienſis. Vide *Campana*.

DORMITIUS. FR. ita per ludibrium ab Hæreticis Vigilius Tapſenſis Epiſcopus, & Eccleſiaſticus ſcriptor Africanus appellatus eſt, de quo Baron. ad ann. 400.

DORMITATOR. Vide *Interdiarius*.

DORMITIO, inter Chriſtianos mortem ſignificat, Torrigius de Crypt. Vatican. impr. ſecundæ, pag. 576. Vide *Pauſatio*.

DORSALE, pannus in choro a dorſo clericorum pro aeris impedimento pendens, ita appellatus. [Dorſalia ſunt panni in choro pendentes a dorſo clericorum. Durand. in Rational.] a recentioribus *Poſtergale* dicitur. Alii *Doſſale*, & *Doſſarius* dixere, quem cappam eſſe nonnulli crediderunt, quia ſupra dorſum imponitur, ſed re vera poſtergale erat. [ Pallium magnum cum elephantis, quod doſſale cognominant. Leo Oſtien. in Chron. Caſin. l. 3. c. 3.] nimirum, cum elephan-

tum picturis; ut ex hoc alio, quod erat cum figuris paſſionis S. Albani: [ Doſſale unum, ſive tapetum, in quo paſſio S. Albani figuratur. Matth. Pariſ. in vita S. Richardi Abb. ] itali *Toſellum* dixere. FR. [ Dorſale centum ſolidorum, apud Torrigium de Cryptis Vatican. edit. ſecunda, pag. 322. ] ubi Altaris paramentum explicat. Vide *Dorſale*.

Dorsenus. [ Tolluntur ex familiis ſibi pertinentibus, de diverſiſque gregibus dorſeni. S. Valerius, §. 7. ] Iſidorus hoc vocabulum paraſitum ſignificare putat ex Plauto, qui paraſitum quemdam introducit Dorſeni nomine; ſed in D. Valerii loco adducto paſtorem gregis mercenarium denotat.

Dorsiani, & *Dorſiothita*. Vide *Herodiani*.

Dorsuale. Jumenti inſtratum, italice *Gualdrappa* dicitur. [ Proceſſerunt centum albi boves, dorſualibus ſericis diſcoloribus perfulgentes. Jul. Capitol. in Galieno. ] Synonima. Vide *Dorſale, Inſtratum, Mappa*.

Dorsum Redimire, legis ſalicæ phraſis, tit. 43. ſignificat pecunia ſe redimere a flagellorum mulcta. Vide *Quadragena*.

Dorychnium. Vide *Jus*.

Dos Nuptialis. Vide *Mephium*. *Phaderphium*.

Dosithei, Δωσιθεοι, Samaritanorum ſecta, quæ ab animatarum rerum eſu abſtinebant, credebant in reſurrectionem mortuorum, & Sabbatum ita & taliter obſervabant, ut immoti in eo ſitu, ac poſitione remanerent, in quibus præventi eo die reperiebantur. Baron. in Apparatu Annal. n. 13.

Dossale. Vide *Dorſale*.

Dotalitium. FR. donatio propter nuptias. [ Falſitate expreſſa &c. caſtrum illud ad eandem Reginam ratione dotalitii pertinere, cum ab initio, nec durante matrimonio, a viro ſibi fuerat in donationem propter nuptias aſſignatum, in decretal. c. 15. de foro competenti ] & ibi Gloſſa. Synonima. Vide *Donatio*, *Hypobolon*.

Doxa, græca dictio δόξα, gloria, exiſtimatio, ſplendor, majeſtas. [ Et admirabilem doxam Virginis tam egregiæ. In vita S. Gudilæ Virg. Item opinio celebris, atque pro axiomate reperitur.

Doxologia. δοξολογία. FR. Sacrificium, glorificatio. [ Cum ſacra doxologia perageretur, ſæpe interfuiſſe, & cum Patriarcha locutum eſſe &c. Nicephor. Gregora, lib. 4. hiſt. ] Vide *Gloria in Excelſis*.

Drachma. δραχμή. FR. moneta, & pondus, quæ moneta ejuſdem valoris, ac ſicli erat, Gloſſ. in can. denique & puellæ, 36. qu. 2. ſed erroris convincitur in dict. *Siclus*. Vide *Didrachma*. *Talentum*.

Draconarius, de hoc vocabulo paſſim in M. SS. cæremonialibus antiquis Romanis; Draconarii enim milites erant, qui comitabantur Pontificem in publicis functionibus: ſed de ratione hujus nominis variæ ſunt opiniones; nam Angelus Rocca eos ita appellatos fuiſſe putat, quia draconis ſignum ferebant. Alii tamen ſolos ſigniferos nomẽ hoc habuiſſe autumant, quia in vexillis ſignum draconis portabant, ad imitationem antiquorum draconariorum, qui in labari culmine effigiem draconis geſtabant: quod ex eo confirmant, quia in Ord. Rom. Draconarii appellantur hi, qui in proceſſionibus crucem ferebant, licet affirment alii, quod in litaniarum majorum, ac rogationum proceſſionibus dracones in haſtarum culminibus ſub Crucis ſigno ferebantur, ad denotandum infernalem draconem virtute ſanctæ Crucis ſuperatum, ac debellatum fuiſſe. [ Labarum, quem dicunt draconem, in ſpeciem Crucis Dominicæ, Jo. de cultu Imag. Poſtea ſequuntur vexilla, ſi portanda ſunt, deinde portentur ſerpentes, & dracones ſuper perticam, & maxime in rogationibus: dehinc Accoliti cum cereis duobus, vel quatuor: poſtea Crux, deinde Clericis minoribus præcedentibus, &c. In Sacerdotali Alberti Caſtellani, in tract. ſecundo tertiæ partis, c. 4. de ritu, & modo proceſſionum faciendarum. ] Quinimo in aliquibus Eccleſiis ſolebant ſuper haſtas deferri luporum etiam figuræ in rogationum proceſſione, in memoriam cur primo inſtituta fuerat hæc proceſſio, pro liberatione, nimirum, a ſimilium animalium infeſtatione; [ In aliquibus Eccleſiis ſolent portari dracones, & lupi ſuper perticas, ad denotandam cauſam, quare inſtituta fuerit hæc proceſſio, ibid. in Rubr. de proceſſ. in trib. dieb. rogat. ] De militibus Papam comitantibus. Vide *Clave ſignati*. FR. Ego tamen exiſtimo idem eſſe Guelfus, ac draconarius, & hoc ſignum, ſeu vexillum draconis principium habuiſſe circa annum 1265. quo tempore cœperunt Florentini Cruces, & dracones pro vexillis ſex regionum illius Civitatis uti, qui Cruces, & dracones ſecundum varios colores unam ab altera regione diſtinguebant, ut refert Jo. Villanus, cap. 40. ſuæ hiſt. Sed Villanus, qui vixit circa annum 1300. ex Ricordano Malaſpina Florentino, & antiquiori hiſtorico præcipuam ſuæ hiſtoriæ partem excerpſerat, ut evidenter patet, & Thomas Porcacchius in Annotationibus ad Guicciardinum ad annum 1494. demonſtrat. Hinc eſt, quod ubi de talibus draconum vexillis Villanus loquitur, ex Malaſpina deſcripſerat, qui cap. 176. ſic ait loquens de Clemente IV. [ Volle, che per ſuo amore la parte Guelfa portaſſe ſempre la ſua arma propria in bandiera, & in ſugelli, la quale fù un campo bianco con un' Aquila vermiglia ſopra un ſerpente verde, la quale portavano li detti Guelfi, e tennero ſino a' preſenti noſtri tempi, avegnache aggiunſero i Guelfi un Giglietto vermiglio ſopra il capo dell' Aquila, ſi partirono da Lombardia in compagnia de' Franceſchi del Conte Carlo, quando paſſarono a Roma. ] Quod fuit, ut ipſemet Malaſpina, cap. ſequenti refert, de an. 1265. nempe, in principio Pontificatus ipſius Clementis. Guelfi enim erant ad favorem Romanæ Eccleſiæ contra Ghibellinos, qui erant Imperiales, ut in dict. *Guelfus* dicemus: & cum hi Guelfi in ſervitium ejuſdem Pontificis Romam tranſiviſſent, habentes draconis ſignum; veriſimile eſt, quod ideo draconarii appellati ſint; nam, ut vidimus ſupra, uſque ad Malaſpinæ tempora durabat

hoc vexillum inter eccleſiaſticos militesGuelfos. Quare error quidem fuit Alphonſi Ciacconi apponendo huic Pontifici pro gentilitio ſtemmate ſex lilia, dum ex coetaneo ipſius Quarti Clementis Malaſpina conſtat, Aquilæ draconem ſuppoſitum ejus ſtemma fuiſſe. In Eccleſia autem, *Graduum* appellata, Dominicanorum Viterbii, ubi eſt depoſitum præfati Pontificis Clementis IV. appoſitum fuit pro ejus inſigne gentilitio Aquila nigra Coronata, & ſcutum faſcia nigra circumdatum cum octo argenteis globis, quod inſigne eſt nimis recens, ut apparet ex diplomate Caroli V. Imperatoris, Catalano, nempe, Groſſo conceſſum, apud Claudium Clementem in vita Clementis IV. cap. 2. qui Groſſi ex familia hujus Pontificis eſſe ſe exiſtimant; nam ante Papatum Guido Groſſus appellabatur hic Pontifex. Cæterum D. Antoninus Florent. Archiep. par. 3. ſuæ hiſt. c. 4. tit. 20. §. 1. & Abrahamus Bzovius in hiſt. Eccleſ. ad ann. 1260. cum Malaſpina, & Villano concordant, quod, nimirum, primum Clementis IV. inſigne erat draco Aquilæ ſuppoſitus. Sed re vera, ut ad propoſitam cum draconibus in haſtis delatis proceſſionem redeamus, ego quidem valde ſuſpicor, quod talis uſus (ſicut, & nonnullæ aliæ cæremoniæ) a Gentilibus proveniſſet: apud Trebellium enim Pollionem in Gallieno Imp. hujuſmodi ritum fuiſſe legimus: ait enim ille: [ Omnes viæ ludis, ſtrepituque, & plauſibus perſonabant ipſe medius (*ideſt*, *Gallienus*) cum picta toga, & tunica palmata inter patres (ut diximus) omnibus Sacerdotibus prætextatis Capitolium petiit. Haſtæ auratæ altrinſecus quingenæ, vexilla centena, & præter ea, quæ Collegiorum erant, dracones, & ſigna templorum, omniumque legionum ibant, &c. ] Nam dracones inter Romanæ militiæ ſigna erant, ut Ammianus Marcellinus, cap. 8. ſimiles dracones ad pompam delatos refert; licet tamen Chriſtiani deinde his, ac ſimilibus ethnicorum cæremoniis perfecto, ſanctoque fine ad Deum, nempe, directo, uſi ſint laudabiliter. Itaque penes Romanos milites antiquitus reperiebantur draconum ſigna, quorum legionarii draconarii dicebantur. [ Templum ſane Solis, quod apud Palmyram aquilifer legionis tertiæ cum vexilliferis, & draconario, & cornicibus, atque liticinibus diripuerunt. Fl. Vopiſcus in Aureliano Imp. c. 31. ] De quibus draconibus, & draconariis paſſim, cit. Ammian & ejus ætatis ſcriptores; erant tamen antea Perſarum ſigna, Vopiſc. ibid. c. 28.

Dracus. FR. monetæ ſpecies. Vide Latinium in Joſephum Hebr. lib. 3. c. 9.

Dragumanus, barbaro-græca dictio δραγυμάνος, linguarum interpres, italice *Torcimano*. FR. aliqui putant etymon a Chaldaico vocabulo *Targum* derivari, quod interpretationem ſignificat, hinc in Oriente peregrinarum linguarum interpres *Turgeman* dicitur: &: de Dragumanis incidenter Eccleſiaſtici ſcriptores non raro agunt. Vide *Targum*.

Dramatis Canticum. Vide *Canticum dramatis*. *Hierolexicon Macri*.

Drappus, textilis pannus, & veſtis. [ Et ſicut quando ſolemus de iſtis frequentibus itineribus reverti ad manſiones noſtras detonſi, & decalvati cum drappis, & calceamentis deppannatis, & tunc nos reficimus, & reparamus. Sinod. Piſtenſis, c. 1. ] Reperitur etiam Drappalia. Vide *Fundatum*.

Dromicus, δρομικὸς, dicitur Eccleſia, quæ tectum laqueatum non habet; ſed tantum anguſtum pontem ex aſſeribus ſuper trabes per longitudinem porrectum, ut adhuc Romæ in Eccleſiis S. Pauli, S. Cæciliæ, aliiſque perſpicitur: ita a Græca dict. δρόμος ideſt, curſus dicitur, qui pontes italice *Corridori* dicuntur. [ Ubi & ſacrum illius ſepulcrum, & templum dormicum eſt. Phocas, c. 29. In magna Eccleſia S. Sophiæ, quæ prius dromica erat. Codinus apud Leonem Allatium de templis Græcorum.

Dromon, δρομῶν, navis velociſſimi curſus, ex ſupra dicta etymologia. [ Et cum fas fuerit revertendi, veſtros concedite miſſos, & tales, qui dromonibus congruis eos Romam, favente Deo, Apoſtolorum precibus ſtudeant referre. Nicolaus I. epiſt. 2. ] Vide *Dromundus*.

Dromundus. FR. Dromon navis, de qua ſupra: ] Apparavit ei navis quædam permaxima, quam dromundum vocant: Matth. Paris ad ann. 1191. ] Vide *Dromon*.

Dructe, ſponſa, Saxona vox: [ Si quis puellam, quæ dructe dicitur, ad maritum, &c. In lege ſalica, tit. 14. §. 10. Alii tamen *Druthe* legunt.

Drudus, fidelis, germanicum etymon *Dron*, ideſt, fidelis. [ Et ſine comitatu drudorum, atque vaſſorum: In Capitulis Epiſcoporum Rhemenſis, & Rhotomagenſis Regi Ludovico miſſis. ] Romæ *Fideles* dicuntur Senatoris famuli.

Drungarius, Δρȣγγάειος, Exercituum Dux, in aula Imperiali Conſtantinop. officialis; ſed *Drungari*: a Luitprando in ejus legatione appellatur, inquiens: [ Drungaris enim, ſub cujus manu navium eſt omnis poteſtas &c. ] ubi mendoſe in aliquibus codicibus *Delongaris* legitur. Vide *Bigla*.

Drusus, patiens, rigidus, ſecundum Iſidorum; at gygas, validus, bellator, ſecundum Kilianum in ſuo Belgico Dictionario, ex voce *Drou*.

Ducarius, ductor: [ Scrofa ducaria. In lege ſalica, tit. 2.

Ducatrix. FR. Duciſſa: [ Ego Matilda Marchioniſſa, & Ducatrix ] & paſſim in ejuſdem privilegiis, ac donationibus.

Ducenarius. Vide *Diæceta*.

Duciculus, Dolii epiſtomium, ſeu fiſtula, per quam exhauritur vinum. [ Ligamina vaſorum gladiis præciderunt, duciculos abſtraxerunt. In vita S. Urbani Epiſcopi, c. 1. §. 4. ] Alii *Ducibulos* legunt. FR. Non deſunt qui *Duciolum* ſcripſere. [ Et ſerraculum, quod duciolum vocant, manu ferens. Theodorus Eremita, in vita S. Magni Confeſſ. ] ſed primum vocabulum rectius proferri videtur, cum ejus derivatio ſit a verbo *Duco*: nam per hoc inſtrumentum liquor ex dolio ducitur, & ideo aptius fortaſſe *Duciculus* diceretur.

Dulcoro. Vide *Edulcoro*.

Duellum. FR. pugilum lucta, 5. decretal. tit. 14. c. 2. Eſt etiam abjurationis genus de aliqua contentione infamiæ, ſeu apice vani honoris, vel poſſeſſionis rei, quæ *Purgatio vulgaris* dicebatur, cujus tit. habetur, 35. in l. 5. Decret. ad diſtinctionem purgationis canonicæ. Prima eſt prohibita per eccleſiaſticas conſtitutiones. Secunda eſt *Abjuratio*. Vide *Purgator, Juramentum, Judex compurgationis*. Duelli Syn. Vid. *Monomachia*.

Dulia, Δȣλεία, ideſt, ſervitus, quo vocabulo Eccleſia utitur ad ſignificandum cultum Sanctis debitum. FR. Qui cultus a novatoribus perperam negatur; nam Dominum in Sanctis ſuis laudare jubemur, c. unico in Clement. de reliquiis & veneratione Sanctorum: || : *Hyperdulia* vero, ὑπερδȣλεία debitus Sanctiſſimæ Virgini cultus dicitur, quæ cum præ cæteris puris creaturis meritis, ac dignitate ſupereminent; ideo ſingularem cultum, & obſequium ei debetur. Tandem *Latria* λατρεία, quæ ſervitutem denotat, per quam Theologi adorationem ſoli Deo debitam intelligunt. Vid. *Theoprepia*. Inde Miſſæ ſacrificium, & Eccleſiæ dedicatio, licet in honorem alicujus Sancti agantur, cultu latriæ dicuntur fieri, quia directe ſoli Creatori diriguntur. Vide *Colideus*. FR. Vide can. venerabiles, de conſecr. diſt. 3. & ibi Gloſſa, Quare in Canone Miſſæ non fit mentio de Sanctis Confeſſoribus, & quomodo in Liturgia Græcorum intelligatur orare pro Sanctis. Vide *Canon Miſſa*.

Duliani, Δȣλιανοὶ, hæretici ex Arianis, qui Verbum divinum, non filium Æterni Patris conſubſtantialem, ſed ſervum aſſerebant eſſe. Vide *Ariani, Chriſtianocatogorus*.

Duna, colliculus; vox Belgica *Dun*, qua appellant arenæ grumos, quos mare ad littora coacervare ſolet. Hinc D. Bernardus epiſtolam ſuam 337. ad Abbatem de Dunis dirigit, & recentiores Belgici *Dunkerken*, ſeu *Dunkerka* appellant, quæ latine *Duynkerka* dicitur, arcem illam munitiſſimam Flandriæ, quæ vernacula eorum lingua colliculorum Eccleſiam, ſeu Parochiam ſignificat. Imo etiam antiquitus Celtica lingua vocabulum *Dunum*, ut Plutarchus in tractatu de fluminibus teſtatur, locum eminentem ſignificabat.

Duodecima, & *Duodena*. Vide *Completorium*.

Dupla, vel *Duplicia*. FR. ea Monaſteria dicuntur, in quibus Monachi & Moniales cohabitant ſimul, vel contigue: quod prohibetur in can. Difinimus, can. in nullo, cum ſeqq. 18. quæſt. 2. Vide *Eceta*.

Dupex, utitur Eccleſia hoc termino ad denotandam qualitatem divini officii in choro recitandi: non enim, ut Jo: Frontonus perperam credidit, duplex, nempe, officium inde dictum fuiſſe, quia in eo die de duobus Sanctis, ſeu de feria, & de Sancto recitatur; ideoque Auctor hic, motus vanis conjecturis, in ejus Calendario poſuerat in numero duplicium aliquos Sanctos minus ſolemnes, atque ſolemniſſimas feſtivitates excluſerat: male enim Durandi verba interpretaverat; nam ille officium duplex, recte illud appellaverat, in quo antiphonæ integre duplicantur, ſeu quando duo Cantores in choro, pluvialibus induti canunt verſiculos, itaut majori ſolemnitate in apparatu, in numero candelarum, in campanarum pulſatione, & ſimilibus ordinetur, ut in c. unico, de reliq. & venerat. Sanctor. in 6. ubi ſic habetur: [ Nos itaque piis ducti Conciliis, digniſque ſtudiis excitati, nonnullos prædeceſſores noſtros Rom. Pontificum (qui ſpecialis devotionis proſequentes affectum, aliquorum feſta Sanctorum ſub duplici ordinaverunt officio celebranda) imitari ſolicite intendentes: eorumdem Apoſtolorum, Evangeliſtarum, & Confeſſorum feſtivitates præcipuas (de fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu) ſub officio duplici per univerſas orbis Eccleſias volumus &c. ſolemniter celebrari ] & ibi Gloſſa: [ Dicitur quidem officium duplex, cum tota antiphona dicitur ante pſalmum, & tota poſt pſalmum; alias non tota, (*nempe quando non eſt duplex*) ſed ſolum principium dicatur ante pſalmum, alii aliter, clericis hoc relinquo. ) Intelligit nimirum Gloſſator per illud: *alii aliter*, quod, ut antea dixi, aliqui putant dici officium duplex, ratione majoris ſolemnitatis: duplicantur autem Cantores, & candelæ, & ideo variis nominibus *Cantoris* ſcilicet, Officium; *Septem candelarum*, & *Annale* Officium duplex appellatur, ut in dictionibus *Annale, Candela, Cantor* dictum fuit; & Officium ſemiduplex *Succentoris, Quinque candelarum, Semiannale* denominatum eſt. In cujus explicatione fallitur etiam idem Frontonus, exiſtimans ſemiduplex exinde dici, quia in recitatione Sancti, & feriæ ſemireductus ſit; ſed revera ſic dictum fuit ex eo, quia cum ſemiantiphona pſalmodia initiatur.

Duplicitas. FR. ſimulatio, hypocriſis, & aliquando peccatum mortale denotat: [ Si forte quid duplicitatis pro humana fragilitate in eodem flagitio incurrerint, 23. q. 5. can. Excommunicator. ] Ibique Gloſſa.

DupIoma, ſeu *Dupplomate uti*. FR. die, noctuque iter agere. Gloſſa in l. ſi quis aliquem, de præjudiciariis actionibus.

Duricordium, obſtinationem, & duritiam cordis ſignificat, Tertulliani phraſis, ſicut inobediens jumentum Buccadurus dicitur. Vide *Buccadurus*.

Duropellum, januæ limen, quod pedibus calcatur. In lege ſalica, tit. 61. FR Alii tamen *Durpilum* legunt: [Poſtea intrare debet caſam, & ſtare in durpilo, hoc eſt in limitare, lex ſalica, ibid.] vox tamen belgica *Dorpel*.

Dusius, dæmon incubus: [ Dæmones, quos Duſios Galli nuncupant, hanc aſſiduam immuditiam & tentare, & affligere plures aſſeverant, D. Aug. lib. 15. de Civit. Dei. ] Flandri enim (Kiliano teſte) *Dunſe* concubinam vocant, unde ab Italis *Donzella* viripotens vocatur. Vide *Dæmon*.

Dux. Vide *Bigla, Diaſoſtis, Ducarius. Drungarius, Guido, Herotochius*.

* Δύναμις. Phraſis in Juſtin. Martyr. apol. 2. ὅση δύναμις αὐτῷ *quantum pro civili ſua poteſt, preces & gratiarum actiones fundit*; quam quidam Chryſoſt. de

de Sacerd. lib. 6. c. 4. pro puritate, devotione, & igne ſancti in montibus accipere videtur.

DYORIX. Vide *Dioryx*.

DYSSENTERIA, δυσεντερία, morbus, Vide *Beſentericus morbus*.

DYSTRUS, Martii menſis, [ Anno decimo Imperii Diocletiani menſe dyſtro, qui Romanis Martius eſt. Euſeb. lib. 8. c. 3. hiſt. eccleſiaſt.

DYTICUS, græcum δυτικὸς, ideſt, occidentalis; legitur enim in tomo 2. Conciliorum, quod Concil. Conſtantinop. V. *in Meſaulio dytico* celebratum fuit, nempe, in aula, ſeu palatii parte occidentem reſpiciente: quare corrigi non debet hoc vocabulum, ut arbitrantur aliqui.

# E

EARINUS, virens, a græco ἐαρινὸς, ideſt, vernus: [ Non placet Deo, quod non ipſe produxit, niſi ſi non potuit purpureas, & carinas oves naſci jubere: ſi non potuit, ergo noluit. Tertul. de habit. mulier, c. 8.] Quia ver vireſcere facit, hinc ſumitur cauſa pro effectu.

EBIONÆI. FR. hæretici ab Ebione ſeducti, de quibus Ruffinus, c. 27. Auguſt. hæreſ. 10. tom. 2. lib. 1. Epiphan. hæreſi, 10. Niceph. lib. 3. c. 13. & Euſeb. l. 3. hiſt. eccl. c. 21. & lib. 4. c. 7. Ebion autem hebraice pauperem, & egenum ſignificat, unde Ebionæi mentis, & intelligentiæ inopes interpretantur. Euſeb. ubi ſupra, lib. 3. cap. 21. Vide *Hebionitæ*.

EBORATUS, eboreo opere elaboratus. [ Hic teſſera frequens eboratis reſultatura pyrgorum gradibus. Sidonius, lib. 8. epiſt. 12.

EBRIAMEN, liquor, qui ad ebrietatem inducit [Et vinum, inquit, & ebriamen non bibet. Tertull. de Jejun. c. 9.

EBRIUS. Vide *Bria*, *Debriatus*.

EBRYMIUM, legitur hæc dictio in Regulis S. Pacomii, quæ locum deſtinatum in choro ſignificare videtur: fortaſſe legendum eſt *Epiphymnium*, quod locum in choro denotat, in quo hymni canebantur.

ECBOLA, & *Ecvola* ἐκβολὴ ideſt, res minima, & parvæ æſtimationis. [Scripſit autem Secundus, & ad ſe miſſos a curatore, & ordine centurionem, & beneficiarium, qui peterent divinos codices exurendos, eiſque reſpondiſſe, Chriſtianus ſum, & Epiſcopus, non traditor: & cum ab eo vellent aliqua ecbola, aut quodcumque accipere, neque hoc eis dediſſe, apud Baron. ann. 305.

ECCLESIA, græca vox, Ἐκκλησία, ideſt, adunatio, inde uſus poſtea obtinuit, ut pro loco ad cultum divinum deſtinato acciperetur. FR. [Et cum hoc dixiſſet, dimiſit Eccleſiam. Actor. 19. ] Item pro univerſo etiam catholiciſmo, unde dicitur, Eccleſia unus thalamus Chriſti eſt, can. quamvis: diſt. 21. ] & ideo catholica dicitur, ideſt, univerſalis. Vide *Catholicus*. Et Apoſtolica; Apoſtoli ſiquidem unam fidem elegerunt, quam tenens Eccleſia, poteſt ideo Apoſtolica dici. Gloſſa in c. 1. extrav. comm. de major. & obed. quæ antonomaſtice Romana intelligitur, can. non licet Papæ, 12. q. 2. §. Quod non ſolummodo. Item intelligitur poteſtas eccleſiaſtica, unde: [Eccleſia nulli claudit gremium redeunti, de hæreticis in ſexto, c. 4. ] Eccleſiæ judicium non ſemper dicitur divinum, quandoque enim differens eſt; nam: [ Judicium Dei veritati ( quæ non fallit, nec fallitur ) ſemper innititur: judicium autem Eccleſiæ nonnumquam opinionem ſequitur, quam & fallere ſæpe contigit, & falli; propter quod contigit interdum, ut qui ligatus eſt apud Deum, apud Eccleſiam ſit ſolutus &c. in 5. Decretal. tit. 39. c. 28.] quod intelligendum eſt non clavium, ſed diſpoſitionis defectu; nam Eccleſia non judicat de internis: ſecus vero in rebus, quas declarat de fide; nam hæ infallibiles ſunt. Quid autem ſignificet Extra Eccleſiam. Vide *Extra catholicam Eccleſiam*. Igitur quo ad Eccleſiam materialiter ſumptam. Vide *Baſilica, Cœleſtis, Confeſſio, Cubiculum, Gyriaca, Dominica, Martyrium, Paſtophorium, Plebs*. Porphira in dict. *Porphyrogenitus, Templum*. Quo ad ejus partes. Vide *Altare, Androna, Apſis, Aſpaticum, Cancelli, Cappella, Capſum, Catechumenum, Chorus, Concha, Confeſſio, Coſmites, Cromicus, Ebrymium, Fletus, Galilæa, Garzonoſtaſium, Gazophylacium, Ganæcona, Hyemantes, Matronæum, Narthex, Nymphæum. Oratorium, Paradiſus, Parviſium*. Peribolus in dict. *Perivolium, Presbyterium, Propitiatorium, Sancta Sanctorum, Sacrarium, Solea, Sphynx, Suggeſtus, Tranſenna, Tribuna, Trichorus*. Eſt navis inſtar. Vide in Proluſione hujus operis, & in dict. *Vector*: || : Gregorius Thaumaturgus a Balſamone adductus quinque Eccleſiæ diviſiones aſſignavit, cujus hæc ſunt verba: [ Fletus, ſeu Luctus eſt extra portam Oratorii; ubi peccatorem ſtantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro ſe precentur. Auditio eſt intra portam in porticu, ubi oportet eum, qui peccavit, ſtare uſque ad cathecumenos, & illinc egredi, audiens enim, inquit, ſcripturas, & doctrinam, ejiciatur, & precatione indignus cenſeatur. Subjectio autem, ſeu ſubſtractio eſt, ut intra templi portam ſtans cum cathecumenis egrediatur. Congregatio, ſeu Conſiſtentia eſt, ut cum fidelibus conſiſtat, & cum cathecumenis non egrediatur. Poſtremo eſt participatio Sacramentorum. ] Quæ diviſiones adhuc videntur in ſumptuoſa, & magnifica Montis regalis Eccleſia Siciliæ, a Rege Gulielmo cognomento bono mirifice ædificata, ac muſivis picturis ſumme nobilitata. Ritus deinde conſecrandi Eccleſias a Silveſtro Papa I. introductus fuit, qui prima vice Lateranenſem Eccleſiam conſecraverat, de qua in dict. *Conſtantiniana* dictum fuit; nam ante Conſtantini Magni imperium adunatio fidelium propter perſecutiones, in Oratoriis privatis, & in cryptis fiebat. FR. Hoc tamen intelligendum puto quo ad conſecrationes publicas, & ſolemnes; nam de privata Eccleſiæ conſecratione in officio S. Cæciliæ

V. & M. hunc ritum antiquiorem fuiſſe oſtenditur, dum ibi de eadem Sancta dicitur, Deum precaſſe, nempe; [ Triduanas a Domino popoſci inducias, ut domum meam Eccleſiam conſecrarem. ] quod quidem obtinuiſſe legitur. Eccleſia ſemel conſecrata, non debet iterum conſecrari, niſi aut ab igne exuſta, aut ſanguinis, vel ſeminis humani effuſione polluta fuerit. Concil. Nicen. apud Gratian. can. Eccleſiis ſemel, de conſecrat. diſt. 1. :||: Vide *Altare*; ubi etiam dictum fuit, in uſu antiquorum fuiſſe Eccleſias ſemper orientem verſus reſpicere, & hoc propter varias rationes a SS. Patribus tum Græcis, tum Latinis adductas; primo quia tali poſitione adorabatur Dominus verſus locum, ubi ſteterunt pedes ejus, juxta illud Pſalm. 131. *Adorabimus in loco &c.* Secundo quia (ut ait D. Athan. de plur. & neceſ. quæſt. 14.) in Oriente repræſentatur nobis myſterium veræ lucis, quem uſum idem Sanctus Doctor ex traditione Apoſtolica fuiſſe affirmat. Tertio ad aſpiciendam paradiſi terreſtris ſituationem, quæ orientalis erat. S. Clem. lib. 18. conſt. Apoſt. c. 15. & Nyſſen. de orat. Quarto quia Oriens eſt præcipua mundi pars. Juſtin. Mart. ad orthod. quæſt. 118. Quinto ad adorandam Chriſti faciem, quia crucifixus fuit verſus Occidentem reſpiciens, & eadem poſitura ad cœlum aſcenderat, & quemadmodum viſus eſt aſcendere, ſic veniet in fine mundi. Damaſc. de fide Ortod. cap. 13. Sexto quia de mane, cum ſol adhuc in parte orientali eſſet, Spiritus Sanctus in forma ignis ſtetit ſupra Diſcipulos Domini. Tertull. contra Valent. c. 3. Septimo ne conveniamus cum Judæis, qui verſus occaſum orant. D. Thom. part. 2. quæſt. 3. art. 3. ad 5. FR. poſſet etiam & octava ratio addi, nempe, ad differentiam Priſcillianiſtarum, ut in Concil. 1. Bracar. can. 21. habetur: [ Omnis retinet Oriens, & non ſicut Priſcilliana hæreſis permutavit. ] Itaque hi hæretici antiquum ritum mutavere in primitiva Eccleſia introductum, ut habetur 11. diſt. can. Eccleſiaſticarum. Ubi ſic affirmatur: [ Alia plura adjicimus magnam quaſi vim commendatitia myſteriis, quæ Orientem verſus nos literarum orare forma docuit? ] Ibique Gloſſ. alias hujus myſterii rationes affert. Vide Baron. ann. 34. n. 232. 251. 252. an. 58. n. 106. & 107. :||: Et hæc cæremonia obſervabatur etiam in ſacramento Baptiſmi. [ Ad occaſum inverſus Sathanam abjurabis, rurſumque ad Orientem te convertens, Deum confiteberis. Nazian. orat. 40. de Sacram. Bapt. ] atque Baron. an. 58. n. 107. In Eccleſiis autem, in quibus presbyterium reſpiciebat verſus Occidentem, ſituabatur Altare in medio, ita ut celebrans, ex parte poſteriori Altaris poſitus, reſpicere verſus Orientem, ac populum; ſicut adhuc in aliquibus Eccleſiis Romæ obſervatur. [ Unde in Eccleſiis oſtium ab Occidente habentibus, Miſſam celebrans in ſalutationibus ad populum ſe vertit, quia quos ſalutamus, facie ad faciem præſentamus, & deinde oraturus ſe ad Orientem convertit. In Eccleſiis vero oſtia ab Oriente habentibus, ut Romæ, nulla in ſalutatione eſt neceſſaria converſio: Sacerdos in illis celebrans ſemper ad populum ſtat converſus. Durand. lib. 5. cap. 2. ] Qui tamen ritus uſque ad Leonem Papam I. in Eccleſia rigoroſe obſervatum fuit; ſed contrarium poſtea cautum fuerat. Vide Baron. ann. 443. num. 6. prout dictum eſt in dict. *Dominus vobiſcum*. In eo vero ſitu pro Eccleſia ædificanda deſtinato erigebatur Crux in ſignum poſſeſſionis. Eccleſia Nutrix dicitur Eccleſia parochialis. [ Nos ab Eccleſia non recedimus, nec ſpernimus nutrices Eccleſias. Agobardus Abb. de privil. & jure Sacerd. cap. 12. FR. Eccleſia Matrix, ſeu Nutrix dicitur illa, in qua reperitur fons baptiſmalis. Gloſſa in Clement. cap. unico de Baptiſmo. Eccleſia dicitur etiam ſecretum cœleſte, can. prædia, 12. quæſt. 2. & ibi Gloſſa. Vide *Contina*. Eccleſia Cath. unica Chriſti Sponſa. Vide *Monogamus*. In quo differat Eccleſia Parochialis a Curata, & Baptiſmali. Vide *Parochia*. Ad quantam diſtantiam ejus immunitas extendatur. Vide *Paſſus*. Cæremonia in Eccleſiis conſecrandis. Vide *Stauropegium*.

* Ecclesia, & Eccleſiaſtirium. ἐκκλησία καὶ ἐκκλησιαστήριον, Iſidorus Peluſiota, lib. 2. epiſt. 246. *aliud eſt*, ait, *Eccleſia, aliud Eccleſiaſtirium; nam ea ex immaculatis animis conſtat; hoc autem ex lapidibus & lignis exædificatur.*

Ecclesiarcha, Ἐκκλησιάρχης, Eccleſiæ primarius.

Ecclesiastes, vox græca Ἐκκλησιαστής, liber Sacræ Scripturæ a Salomone compoſitus, & Concionator, ſeu Adunator interpretatur; multitudini enim congregatæ directus eſt hujus libri diſcurſus. Vide *Panaretos*.

Ecclesiasticus, Ἐκκλησιαστικός, eſt item alius Sacræ Bibliæ liber a Sidrach compoſitus; ita denominatus, quia in eo eruditiones pro concionatore, & in congregata plebe ſermonem habenti expediuntur.

Ecclesiastici Ordines. Vide *Ordines Eccleſiaſtici*.

Ecetæ, ſive OEcetæ, ex græco *οἰκηταὶ*, ideſt commorantes; aliqui Monachi hæretici fuerunt ita appellati, quia cum monialibus habitare conſueverant, & cum ipſis ſaltabant, quo actu imitare aſſerebant Sororem Moyſis Mariam, quæ poſt tranſitum maris rubri cecinit, & cum populo ſaltabat. Vide *Dupla*.

Echidna. FR. ex græco ἔχιδνα, ideſt, vipera: [ Non eſt echidnæ venenum malitia illius. Greg. Nazianz. de modeſt.

Echina. FR. vocabulum, quod librariorum errore, in epiſt. 18. lib. 2. B. Petri Damiani male appoſitum fuit; cum corrigi deberet *Echeneis*, vox quidem græca ἐχενηΐς, quæ remoram piſciculum denotat, de quo S. Euſtachius in Examer. [ Eſt parvus admodum piſcis echeneis appellatus, ingentes naves plenas ventis adhærens moratur, ] a Plinio tamen, lib. 9. c. 31. *Echinometra* vocatur.

Echoicus, ἠχοϊκός, genus carminum: ] Faciebat ſiquidem verſus oppido exactos, tam pedum mira, quam figurarum varietate, hendecaſyllabos, lubricos, & enodes, exametros crepantes, & cothurnatos, elegos

vero nunc echoicos, nunc recurrentes nunc per anadiploſim, principiiſque connexos. Sidon. epiſt. 11. lib. 8. ] FR. aliqui codices *Eſichios* habent; ſed *Echoichos* ab echo in fine cujuſcumque verſus oppoſita legendum eſt, de quibus figuris habetur apud Auſonium in Echoicis recurrentibus per anadiploſim, principiiſque connexis exemplum, hoc eſt:

Res hominum fragiles alit, & regit, & premit fors
Fors dubia, æternumque labens, quam blanda fovet ſpes
Spes nullæ finita ævo cui terminus eſt mors
Mors avida, interna mergit caligine quam nox
Nox obitura vicem, remeaverit aurea cum lux
Lux dono conceſſa Deum: cui prævius eſt ſol
Sol &c.

Apud Auſonium edylio, 5. Alio modo verſus recurrentes, qui retro ſcandentes appellantur, tradit idem Sidonius, lib. 9. epiſt. 14. inquiens: [ Igitur interrogas, per pugillatorem, quos recurrentes aſſeram verſus, ut celeriter explicem; ſed ſub exemplo. Ii nimirum ſunt recurrentes, qui metro ſtante, neque literis loco motis, ut ab exordio ad terminum ſic a fine releguntur ad ſummum, ſic eſt illud antiquum.

Roma tibi ſub to motibus ibit amor.

Et illud

Sole medere pede, ede perede melos. ]

De aliis verſuum ſpeciebus. Vide *Verſus*.

Ecstasis, vox græca ἔκςασις, ſtuporem, & mentis alienationem ſignificans, qua utuntur Sancti Patres ad denotandum vigilantem ſomnum in contemplativis perſonis, quando ſenſibus deſtituti, earum mens a contemplatione profundorum, & cœleſtium myſteriorum rapitur. FR. Auctor Vocabul. Eccleſ. qui nedum in orthographia vocum non raro errat; ſed etiam in derivatione earum ſæpe fallitur, & græca vocabula hebraica cenſet, & vice verſa: ſic hoc vocabulum hebraicum facit.

Ecthesis, ita appellatus fuit liber quidam hæreticalis a Sergio Patriarcha compoſitus, ac Heraclio Imp. in hæreſim monothelitarum lapſo, oblatus. Vox quidem græca ἔκθεσις, ideſt, expoſitio, ubi aſſertive exponere, & declarare veræ fidei profeſſionem oſtentabatur; ſed tamquam impietatibus refertus, a Severino Papa, & ejus ſucceſſore Joanne IV. damnatus eſt. FR. ob quam impoſturam S. Martinus Papa, aliique Sancti Doctores exilium paſſi, ac tandem inter Eccleſiæ Martyres computati ſunt, de quibus in Collectaneis Anaſtaſii a Jacobo Sirmondo Soc. Jeſu in lucem editis, & apud Baronium, an. 639. & an. 640. n. 1. agitur.

Ectroma, ἔκτρωμα, abortivum [ Scilicet, de enthymeſi, & ectromate. Tertull. adverſ. hær. cap. 7.

* Εκτυπώματα. Donaria quæ Eccleſiis offerebantur, quia beneficii ac favoris a Deo accepti, ſymbolica quædam monumenta, ſive hieroglyphicæ repræſentationes erant. Theodoretus Serm. 8. de Martyr. Hodie quoque idem uſus viget in *votis* ad altaria.

Ecuola. Vide *Echola*.

Edad, quid hebraice ſignificet. Vide *Scenopeja*.

Edem; hebraica vox, quid ſignificet. Vide *Paradiſus*.

Edictalis. FR. Edicti poſſeſſivum. [ Hac noſtra edictali conſtitutione ſancimus, extrav. comm. de crimine falſi.

* Edicta. Imperatorum Edicta vocatæ Epiſtolæ Sacræ cum Primatum Eccleſiaſticorum *Synodicas* conſociarent.

Edicium. Vide *Leges*.

Edra, ſive *Hedra*, ἕδρα, eſſedum, lecticæ genus. [ Ipſe edram auream conſedens Heracliam venit. In vita S. Gulielm. ] FR. & Lecticarii Eſſedarii dicti fuerunt.

Educere Se Per Æneum, legis Salicæ phraſis, in tit. 59. & eſt, quando reus cogitur ſuam innocentiam probare, ſummergendo brachium in aqua ferventi, & ita purgatur a calumnia, abſque idoneis teſtibus ei impoſita; alia genera purgationum reperiebantur, de quibus in dict. *Duellum, Miſſa judicii, Juramentum, Judex purgator*, *Purgatio vulgaris*, habetur, quæ omnia in jure can. prohibita ſunt.

Edulcoro, dulcoro, dulcem reddo. [ Fons Marà ( *ideſt amarus* ) per lignum dulcoratus. S. Ambroſ. de inſtit. Virg. cap. 5. ] Reperitur etiam *Indulcoro* verbum. [ Hoc enim lignum tunc in ſacramento erat, quo Moyſes aquam amaram indulcoravit. Tertull. adverſ. Judæos.

Edulitas, caritas, & difficultas eſcaria. [ In argumentum illius filii perditionis generaliter mundus in maligno poſitus eſt, deſævit morbus peſtilens, & edulitas invaleſcit. Petr. Bleſen. epiſt. 43. ] qui uſus eſt ſententia Evangelica: [ Erunt peſtilentiæ, & fames ] ſic loquens: [ Certe cum albeſcunt regiones ad meſſem, nec adhuc in hac edulitatis clade unum pauperem refeciſti. Idem epiſt. 91. ] dicitur edulitas; nam in cibariæ difficultatis tempore, ac privatio magis appetitum edendi generat.

Eduli, Edaces. Vide *Vorarrinus*.

Efficacia. Vide *Energema*.

Effoeminatio. FR. actio, & uſus fœminilis. Inter effœminationis modos &c. Tertull. de ſpectac. c. 25.

Effoeminatus. Vide *Femellaris, Femellarius, Langus*.

Effrico, ſcobino; [ Spicas decerptas manibus effrixerant. Tertull. lib. 4. adverſ. Marc. cap. 22. ] de Diſcipulis Chriſti, qui manibus confricantes ſpicas in die Sabbati, cœperant manducare, loquitur; in antiquis Codicibus *Effinxerant* legebatur, ſed Pamelius reſtituit *Effrixerant*.

* Εγγαςριμυθοι. Deteſtanda Divinationis ſpecies, qua Pythoniſſæ ex imo ventre per umbilicum loquebantur.

Egrigorus, græcum vocabulum ἐγρήγορος, ideſt, vigilans; ubi enim in Daniele, c. 4. latina lectio habet: [ Et ecce Vigil. & Sanctus de Cœlo deſcendit: ] græca habet ἐγγορος. & Clem. Alexand. lib. 2. Pædag. c. 7. inquit: [ Beati enim, qui ad ipſum vigilarunt, ſe ipſos aſſimilantes Angelis, quos nos egrigoros, hoc eſt, vigilantes, vocamus. ] LXX. etiam ex Hieronymi

mi teſtimonio eundem vocabulum Angelum vertunt. Item liber, qui ſub nomine Henochi reperitur, ejus titulus eſt *de Egrigoris*, ideſt, de Angelis.

EGUMENARCHIUM. Vide *Gegumenus*.

EGUMENUS. Vide *Hegumenus*.

EJECTA. Vide *Divortium*.

* ELCESÆI. Hæretici formam baptiſmi mutantes.

ELECTA. Vide *Sorek*.

ELÆON. ἐλαιών, Olivetus mons, ex græco vocab. ἔλαιον, oleum ſignificans. Ideo Tertull. lib. 4. adverſ. Mar. c. 39. loquens de Domino noſtro, quando in montem Olivetum ſecedebat, ait: [ Ad noctem vero in elæonem ſecedebat.

ELATE, abies, tenerum palmarum germen, ſive lanugo, quæ ad inſtar capillaris formæ fructum obtegit: eſtque græca dictio ἐλάτη. [ Comæ ejus ſicut elatæ palmarum. Cantica. cap. 5. ] ex quo verborum ſenſu manifeſte eſſe nomen ſubſtantivum colligitur, quod in ſingulari abſque diphtongo ſcribitur, licet in plurali *Elatæ* dicatur.

ELECTIO. Vide *Chirotonia*. Electio Epiſcopi quomodo fiebat antiquitus. Vide *Suggeſtio*.

ELECTOR. Vide *Aſſumptor*. Qui debet in ſingulari ſchedulam ſui voti ſcribere. Vide *Singularis*.

ELECTUS, in ſenſu ſubſtantivo ſignificat electionem: [ Quod cum boni electum accepiſſem, malui, quod nocebat, appetere. D. Paulinus, epiſt. 7. ad Sever. ] FR. In ſenſu autem adjectivo nonnumquam voluntarium ſignificat. [ Ita ſane, ut ſi ille, ad quem pertinuiſſe videbantur, probare potuerit magis illius electam negligentiam ab hæreticis, ut impune ibi ſint, & ſuam diligentiam fuiſſe præventam &c. can. placuit, ut quicumque, 16. q. 3.

ELEEMOSYNA ἐλεημοσύνη. FR. ſtipes collectitia, ex dictionibus hebraicis *Eli*, ideſt, Deus, & *Moys*, nempe, aqua; nam, ut dixit Sapiens: [ Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum, ] & Gloſs. in can. qui vult ordinare, de pœnit. diſt. 2. Quomodo autem eleemoſyna a peccatorum pœnis liberet, habetur in can. miror. de pœnit. diſt. 1. & ibi Gloſs. Ut a fidelibus eleemoſynam acciperent detenti in carceribus, die Dominica eos extrahi ſub cuſtodia, Imp. Honorius ſanciverat. Vide *Dominica*. Eleemoſyna dicitur. *Benedictio beatica, Eulogia, Oblatio. Offertorium*. Vide ſuis locis. Vide etiam *Laturarius, Matricula, Paracellarius, Stipes, Viaticum*.

ELEEMOSYNARIUS. Vide *Phagolidorus*.

ELEGANTIA. Vide *Diſſertitudo, Sophiſta*.

ELEISON. Vide *Kirie eleiſon*.

ELELEGMUS. Vide *Alalagmus*.

ELEPHANTINUS MORBUS. FR. lepra, ita dicta, quia cutem ſcabioſam reddit ad inſtar elephantum. [ Nam quatuor Monachi, qui eundem urſum occiderant, ſtatim elephantino morbo percuſſi ſunt, ut membris putreſcentibus, interirent. D. Greg. l. 3. dialog. c. 15.

ELEUSINA. Vide *Epopta*.

ELITIGATUS, ineluctabilis. [ Ut ipſam terram Abbas habeat evindicatam, atque elitigatam, ne ſit poſtmodum ex hac re omnique tempore ſubita cauſatio. In Marculfi formulario a Bigonio correcto. FR. in vetuſto autem codice *Elidiatam* mendoſe legebatur.

ELOGIUM, teſtamentum. [ Et quoniam ſcribitis Dulcinam deceſſorem ipſius nihil de rebus Eccleſiæ ſuæ fuiſſe teſtatum; ſed de propriis, ac magis quæ in prædicto Monaſterio fidelium oblatione collata ſunt, elogium condidiſſe. D. Greg. in regiſt. l. 8. cap. 33. ] In aliquibus codicibus *Eulogium* mendoſe habetur. FR. [ Et ſupremæ voluntatis elogio, in 3. decretal. tit. 24. cap. 3. ] ubi *Supremæ*, ideſt, ultimæ intelligendum eſt. Idem vocabulum habetur in C. de teſtamentis, l. jubemus. Item reperitur *Elogicus*, pro teſtamentario. [ Ex ipſius elogica ſcriptione conjecturam capeſſo. Aldhel. lib. de Virgin. c. 14.

ELUDIUM. Vide *Colludium*.

ELUL. FR. ſextus Hebræorum menſis. Pereira, diſp. 1. in c. 12. Exod. n. 4. Ribera, in c. 2. Aggæi, n. 6. Matthæus Beroaldus, l. 1. chronolog. c. 6. Salianus, tom. 2. anno mundi 2544. n. 94. in quo volumine tabulas expanſas exhibet Calendarii Hebræorum.

ELUMINATUS, excæcatus. [ Nam quis ab hominum tam procul ſenſu; quis gemino obtutu eluminatus? Sidonius, l. 8. epiſt. 12.

ELUSIO DONATIONIS PAPÆ. FR. dicitur quando quis a Sede Apoſtolica aliquod beneficium obtinuerat, deinde ab Ordinario loci ſuper idem beneficium conceſſionem impetrat. In decretal. de ſententia, & re judicata, cap. 12. & ibi Gloſſa.

ELYMAS, ἔλυμας, Magus ab hebraica dictione *Elem* ſapientem, ſeu Dei conſiliarium ſignificante. [Reſiſtebat autem illis Elymas magus; ſic enim interpretatur nomen ejus. Actor. c. 13.

EMANSOR. FR. miles, qui cauſa furandi, ab exercitu diſcedit, & regreditur: hinc Itali domeſticum furem, qui frequenter, ac paulatim furatur *Ladro manſo* appellant. [ Tempus diſcernit emanſorem a furtivo, & effractorem a fure, vel furem diurnum a nocturno, can. aut facta puniantur, de pœnit. diſt. 1. ] & ibi ſic Gloſſ. [ Emanſor eſt ille, qui diu vagatus eſt, & ad caſtra revertitur, ff. de re milit. l. 3. §. 1.

EMBOLA. Vide *Embolus*.

EMBOLISMUS, græcum vocab. ἐμβολισμός, ideſt, intercalatio, ſic appellata fuit oratio illa, quæ poſt Pater noſter dicitur ſubmiſſe in Miſſa, nempe, *Libera nos quæſumus, Domine &c.* & dicitur emboliſmus, quia interponitur in hoc loco, & repetitur id, quod in Dominicali oratione poſtulabatur. [ In emboliſmo ſecreto orat pro pace danda. Petr. Bleſen. ſerm. 46. Tertio dicit emboliſmum ejuſdem orationis, quæ eſt Libera nos, quæſumus &c. Idem ſerm. 43. ] Dicitur ſubmiſſa voce, ad denotandum ſilentium tempore Chriſti ſepulturæ, quando tacuere ( ſicut Innocentius Papa notavit ) & quieverunt omnes præter ipſum Redemptorem, cujus tunc anima ad Limbum deſcenderat, ad Sanctos Patres liberandos; ideoque Sacerdos Chri-

Chriſtum repræſentans ſub ſilentio orat: ſed die Veneris Sancti alta voce pronuntiatur, ad ſignificandam manifeſtam Salvatoris victoriam, Cruce mediante, obtentam. In ritu vero Ambroſiano ſemper alta voce pronunciatur.

Embolus, ambulacrum, ſeu porticus, grece, ἔμβολος, a verbo ἐμβάλλω, ideſt, ingredior, dicitur. [ Ille jacebat in occidentali embolo ejuſdem plateæ. Cyrill. Scyopolit. in vita S. Sabæ. Mauritius porro Carianum embolum in Blanchernis condidit, in eoque omnem ſuam a pueritia uſque ad imperatoriam dignitatem vitæ hiſtoriam ſuæ depingit. Cedren. ] Iſidorus tamen *Imbolum* appellat. Vide ſuo loco. Item repetitur *Embolis* nedum in ſignificatione ingreſſionis, ſed etiam egreſſionis, & in hoc ſenſu intelligenda ſunt verba Gunteri apud Ganiſium, in hiſt. Conſtantinopolitana, ubi ſic ait: [ Tempore autem illo miſſus eſt ad exercitum noſtrum Cardinalis quidam Petrus, videlicet, Capuanus, quem Summus Pontifex ad hoc direxerat, ut præfatam ſedaret controverſiam, ageretque cum Venetis, ut felici embole, ideſt, Chriſti militiæ, maturum verſus Alexandriam præſtarent navigium. ] Tandem *Embola* Conſtantinopolitani ingreſſum, ſeu advectionem frumenti in illam Civitatem appellabant.

Embrimium, pulvinaris ſpecies, ſuper quod Ægyptiaci Monachi ſedebant, & ad dormiendum caput reclinabant, ex faſce ſtramentorum, ſeu juncorum: fortaſſe a verbo græco ἐμβρίμω, derivatur, quod ſtrepitare ſignificat; nam ſimile ſtramentum ſolet conculcatum ſtrepitum reddere, ſeu, ut alii malunt, a verbo etiam græco *αείζειν*, ideſt, dormitare, propter reclinatoris incommodum, & quieſcendi modum, in quo perfectum ſomnum capi minime poterat: [ His itaque Beatus Moſes collationi noſtræ dans finem adhuc nos avidos, & de ore ſuo pendentes, deguſtare ſomnum pauliſper hortatus eſt, iiſdem ipſis, quibus inſidebamus, pſiathiis admonens incumbere, embrimiis pariter capiti noſtro cervicalium vice ſuppoſitis. Caſſian. collat. 1. cap. ult. Stratum autem quid erat aliud, quam ſtorea, & quæ ſolent appellari centonium, & embrimium, in vita S. Euthymii apud Surium 20. Januar.] FR. ergo non pulvinar, ſed ſtoream ex Euthymi vita colligitur fuiſſe; quare ex citata Caſſiani collat. ſatis colligitur, quod auditores B. Moſis, avidi illum audiendi; dormire minime curabant; ſed Magiſtri hortatu, & ne ab ejus præſentia diſcederent, ea aviditate detenti, conati ſunt pſiathiis, in quibus ſedebant, pauliſper dormitare, ut denuo excitati illum audirent, qua neceſſitate uſi ſunt ſtoreis, ſive embrimiis involutis pulvinaris loco, non quod embrimium pulvinar erat ex ſe, ſed per accidens.

Emberoche, a græco vocabulo ἐμβροχή; medicorum terminus, quo denotantur potiones, in quibus per aliquod temporis ſpatium aliquod ingrediens poni debeat, ut is virtutem ſuam communicet, quo vocabulo utitur in ejus epiſt. 7. D. Ignatius Martyr.

Embryorectes, formatur ex græcis vocibus ἐμβρυορέκτης, ideſt, chirurgicum inſtrumentum quo diſcinditur embrio, ut ex materno utero fruſtatim extrahatur, quo vocabulo utitur Tertullianus, in libro de anima.

Emenda. FR. taxatio pœnæ. [ Quod tertia pars emendarum, quas homines quinque parochiarum pro ſuis exceſſibus ſolvere compelluntur. In decretal. de offic. jud. ordin. c. 18.

Emeriani. Vide *Hemiariani*.

Eminentiæ Titulus. Vide *Titulus*.

Emologo. Vide *Homologium*, *Omologo*.

Empedocles, philoſophus, in flammis Ætnæ ſe projecit. Vide *Thamnus*.

Emphanistica, græca dictio ἐμφανιστικά, ideſt, manifeſtativa, a verbo ἐμφανίζω, manifeſto. Emphaniſtica igitur erat ſolutio, quæ ab initiatis fiebat, quando alicui Eccleſiæ aſcribebantur; nam ſic inter Clericos manifeſtabantur annumeratos eſſe: [ Si quis in Conſtantinopolitana Civitate Clericus factus fuerit, ſi quidem magnæ Eccleſiæ Clericus factus ſit, emphaniſtica præſtet, quæ ex conſuetudine præſtare oportet; ſin autem alterius Oratorii Clericus factus fuerit, nihil ab eo emphaniſticarum nomine exigatur. Julian. Anteceſſor. conſt. 50. ab aliis tamen *Inſinuativa* dicitur.

Emphyteusis, & *Emphyteoſis*, ἐμφύτευσις. FR. inſitus ſurcularis, ſeu plantatio, a verbo græco ἐμφυτεύω, ideſt, inſero: contractus penes Juriſtas intelligitur, quo directus dominus alicujus fundi uſumfructum ejus concedit, cum pacto meliorandi, & ſolvendi annuales reſponſiones; atque hujuſmodi fundus, adimpletis conditionibus in contractu appoſitis, numquam ad directum dominum pro tempore in obligatione appoſito revertitur, quod a Zenone Imperatore pro ſtabilibus ſterilibus, & ad infructuoſas terras meliorandas introductum fuit; hodie tamen pro fructiferis etiam conceditur: qui vero hujuſmodi obligationibus ſuccumbit *Emphyteutes* appellatur, cujus melioramentum a Juſtiniano *Emponema* dicitur a græco ἐμπόνημα, ideſt, fatigatio, ſeu labor; melioramenta enim ſudoribus fatigantur. Vide *Accenſator*, *Dominicata*, *Gaphans*. *Precaria*.

Emponema. Vide *Emphyteuſis*.

Emporium. FR. locus ubi merces concurrunt. Hinc ubi in Deuter. c. 32. n. 20. habet Vulgata: [ Qui inundationem maris quaſi lac ſugent, & theſauros abſconditos arenarum.] LXX. legunt ἐμπόρεια, ideſt, [Divitiæ maris lactabunt te, & emporia maritima habitantium] & Theodoretus [ Emporia negotiatio ] vertit.

Emunctoria. FR. forficulæ, quibus ellychnii fungus emungitur. Torrigius in tract. de Cryptis Vatican. edit. ſecunda, pag. 514. [ Facies lucernas ſeptem, & & pones eas ſuper candelabrum, ut luceant ex adverſo. Emunctoria quoque, & ubi quæ emuncta ſunt, extinguantur, fiant de auro puriſſimo, &c. Exod. c. 25. n. 37.] ac idem habetur, c. 37. n. 23. & Numer. c. 4. n. 9.

Emunitas, immunitas. Sic in Synodo Papienſe, ubi Epiſcopi

ſcopi a Ludovico Italiæ Rege ſub hac forma poſtulaverunt: [ Ut emunitates progenitorum veſtrorum ita conſervari præcipiatis, ſicut a glorioſo genitore veſtro conſtitutum eſt. Quibus reſpondit Rex: [ Statuimus, ut Eccleſiæ Dei per totius Regni noſtri fundatæ terminos, ſub noſtræ emunitatis tuitione ſecuræ cum rebus, & familiis permaneant. ] FR. [ Et dum iidem maligni, juxta noſtri prædeceſſoris Bonifacii decreta, pro violata emunitate illud emendare noluerunt, can. cum devotiſſimam, 12.q.2.]&ibi Gloſſa,can.ſi ſæculi. Ibidem. [ Pro emunitate nongentos ſolidos Epiſcopo componat, can. ſi quis contumax, 17. qu. 4. ] Idem vocab. habetur in Regiſtro Farfen. n. 319. 321.

Enacim, Gygantes. Vide *Golgotha*.

Encænia, græcum vocab. ἐγκαίνια, ideſt, innovatio, ſeu dedicatio, applicatur ad Eccleſiæ anniverſarium dedicationem. [ Facta ſunt encænia apud Conſtantinopolim, & recondita ſunt lipſana Andreæ, & Lucæ Apoſtolorum. Paul. Diacon. lib. 16. ] Quæ ſolemnitas Ἀνοίξιον, *Anoixium* a Balſamone appellatur, ideſt, novæ Eccleſiæ aperitio. Vide *Dedicatio*.

Encaustum, color liquidus, & incorporeus ad miniandum,ſeu ſcribendum aptatus. [ Imputet ergo ſibi encauſti immunditiam, quæ corio inhæſit agnino. D. Auguſt. lib. 13. contra Fauſtum,c. 18.] Græca ἐγκαυστὸν, pictura inuſta. FR. hujuſmodi picturæ, & ſcripturæ genus Plin. lib. 35. c. 11. ſic deſcribit,in principio; [ Sed aliquanto vetuſtiores encauſticæ picturæ extitere &c. ] & inferius. [ Encauſto pingendi duo fuiſſe antiquitus genera conſtat, cera, & in ebore, ceſtro,ideſt,viriculo. ] Turnebus *Vericulo* legit. *In cera* ait, quia in tabulis ceratis veteres ſcribebant, Ovid. [ Tabulaſque coloribus uris, dixit: & Martialis lib. 1. [ Encauſtus Phaecon tabula tibi pictus eſt. ] Inde italice *Enchioſtro*,ſeu *Inchioſtro* ab Encauſto atramentum dicitur.Itaque non ſine erroris nota *Encauto* pro *Encauſto* in Theodoſiano Codice legitur,ubi ſic habetur: [Encauto nomina adnectant, lib.11. tit.16.] Et quod antiquitus characteribus coloratis ſcribebatur. Vide *Rubricas*,*Smaltum*,*Titulus*.[Litera quoque recentior videbatur, quam charta,& a qua videbatur encauſtum infectum, ut antiquius appareret. In decretal. de fide inſtrument. c. 6.

Enchiridion,ἐγχειρίδιον,ideſt,manuale,& dicitur quidquid ad manus promptum eſt,ut pugiunculus; liber uſualis,quo tit. d. Aug. quoddam ejus opuſculum appellavit,quod vulgo *Manuale* dicitur.Vide *Procherium*.

Enchirium, ἐγχείριον, manualis res, quo vocabulo uſus eſt D. Hieronymus in denominatione Epigonatii, quod eſt ſacrum Græcorum indumentum, & ſecundum ejuſdem opinionem, linteum ſignificat, quo Pilatus poſt lotionem manuum ſe abiterſit in extentione condemnationis Chriſti, & ſic S. Doctor ait: [ Enchirium, quod eſt in zona, linteum eſt, quo manus extерſit ſuas. In Theor. ] Vide *Epigonation*.

Enclistus,Clauſtralis,& ſolitarius,ex græco ἐγκλειστός, ideſt, abſconſus.

Encolpium, ἐγκόλπιον, parva Crux pectoralis Epiſcopi; ſignificat etiam quodlibet pectorale reliquiarium, fortaſſe a verbo græco ἐγκολπίζω, quod continere in ſinu ſignificat. [ Impoſuit ſuper colla noſtra encolpium,ideſt,Crucem cum pretioſo ligno,vel reliquiis, ſuſpenſam ex collo Imperatoris, & Epiſcoporum: Synod. VIII. act. 5. Mittimus encolpium aureum,cujus una facies cryſtallum incluſam, altera picta nigello, & intus habet alterum encolpium, in quo ſunt partes honorandi ligni in figura Crucis poſitæ. In act. Concil. Epheſ. ] Fuit encolopium hoc donum Nicephori Conſtantinop.Patriarchæ Leoni Papæ III.miſſum. Dicitur etiam *Phylacterium*, *Crux pectoralis*. Vide ſuis locis.

Encratitæ, ἐγκρατῖται, continentes, ab ἐγκράτεια, continentia,temperantia,moderatio. Ita dicti quidam Hæretici,qui magnam continentiam,& abſtinentiam præ ſe ferebant. Eorum originem Tatiano attribuit Iſidorus, dum ait: *Tatiani a Tatiano quodam vocati, qui & encratitæ dicti ſunt, qui abominantur carnes,* Orig. lib.8. c.5.Hanc hæreſim enumerat Epiphanius ordine 47. de quibus ita ſcribit: *Nuptias, palam diabolicas eſſe decernunt; animata vero abominantes interdicunt, non continentiæ gratia* &c. *Vino vero omnino non utuntur,diabolicum eſſe dicentes.* De iiſdem ſimilia habet Auguſtinus de hær.25. referens eos nuptias pares fornicationibus facere, aliiſque corruptionibus,nec eos in ſuorum numerum recipere conjugio utentes.Præterea *prolationes quaſdam*,ait,*fabuloſas ſæculorum etiam ipſi ſapiunt:ſaluti primi hominis contradicunt.Epiphanius Tatianos, & Encratitas diſcernit, ut Encratitas Tatiani ſchiſmaticos dicat*. Addit Anaſtaſius Sinaita in Hexam. lib. 11. eos non ſolum a muliere, tamquam a re mala abſtinuiſſe; ſed etiam ab arborum fructibus, ut quia ſint peccati efficientes,propter arborem,quæ dicitur inobedientiæ.

Encryphias, ἐγκρυφίας, panis ſubcinericius dicitur, ad ἐν, in, & κρύφος, occultus. Quia nempe dum coquitur, in cineribus deliteſcit. Vox hæc ab aliquibus Latinis uſurpata: & de pane ſubcinericio pluries in Scripturis mentio. Panis erat paratu facilis, & apud Hebræos ſatis uſitatus.Quapropter Abraham, tribus Angelis hoſpitio receptis, ut pane ſuaviori, & recenti eos paſceret, Saræ præcepit: *Fac ſubcinericios panes*, Gen. 16. 6.

Encyclius Codex. FR. ita appellatus fuit liber ille, in quo collectę ſunt omnes epiſtolæ,quas Patres Concilii Chalced. Leoni Imperatori miſerant circa opiniones Timothei Alexandrini, qui codex ab Epiphanio ſcolaſtico ex græco idiomate in latinum tranſlatus fuit; *Encyclius* enim ſecundum vim Grecæ dictionis circularem ſignificat; nam circummittebatur ad veritatem catholicam manifeſtandam.

Endelechismus ἐνδελεχισμός, ideſt, aſſiduitas, ſic vertunt LXX. verba illa, *Holocauſtum juge*,quæ in Num. c. 28. & Danile, c. 11. reperiuntur: hoc vocabulo etiam utitur D. Chryſoſt. hom. 2. adverſ. Judæos.

ENDOTIS, Altaris mappa, cujus Græca etymologia ἐνδύτης, ex verbo ἐνδύω, ideſt, induo, quod ſecundum vim Græcæ dictionis *Endytes* ſcribi deberet. [ Donavit & endotin byſſinam pretioſiſſimam, omnem Chriſti Dei Hiſtoriam continentem, qua in die Epiphaniæ aram maximam exornari conſueviſſe teſtatur. Agnel. in vita S. Maximi Epiſcopi Raven. ] Eodem verbo Euchologium utitur, ubi de cæremonia mentionem facit, quæ in feria V. cœnæ Domini a Patriarcha agitur. Vide *Mappa*.

ENDROMIDATUS. Vide *Endromis*.

ENDROMIS, ἐνδρομίς. FR. hirſuta, ſeu villoſa veſtis ex græco ἐν, in, & δρόμος, curſus; ad equitandum enim inſerviebat. Legitur etiam *Endromidatus*: [ Tu endromidatus exterius, interius faſceatus. Sidon. Apollinar. lib. 2. epiſt. 2. ] Vid. *Amphimalla*.

ENERGEMA ἐνέργημα, operatio, efficacia, & accipitur in malum ſenſum, ſcilicet, pro operatione diabolica in Energumenis excitata. Hinc Tertullianus de Philomena a Marcione hæreſiarcha vitiata, & ab eo tamquam prophetiſſa propalata, loquens, ait: [ Poſtea vero immane proſtribulum, & ipſam, cujus energemate circumventus, quæ ab ea didicit, phaneroſeis ſcripſit. Adverſus hæret. c. 30.

ENERGUMENUS, ἐνεργούμενος, a dæmone agitatus. [ Energumenum, qui ab erratico ſpiritu agitatur, hujus nomen neque ad Altare cum oblatione eſſe recitandum, neque permittendum, ut ſua manu in Eccleſia miniſtret. Concil. Eliber. can. 9. ] Energumeni ex conſtitutione Apoſtolica ab ordinationibus, & communione fidelium arceantur. [ Si quis dæmonem habeat, ne fiat clericus; ſed neque cum fidelibus precetur. Purgatus autem recipiatur, & ſi ſit dignus, fiat, can. 18. ] Item dicitur *Arreptitius*. [ Arreptitios ſe ſimulantes, & qui morum improbitate, eorum figuram, & habitum ſimulate præferunt, viſum eſt omnimodo puniri. Concil. Conſtantinop. III. can. 6. in Trull. ] In Liturgia S. Clementis Papæ Energumeni expellebantur tempore conſecrationis, & Diaconus alta voce dicebat, *Ite Energumeni*. FR. nam locum habebant in Eccleſia [ Energumeni vero pavimenta domorum Dei intrent, can. omni die, de conſecrat. diſt. 5. ] Ubi Gloſſa, ex Archidiacono, in can. Exorciſta, diſt. 23. male ait, quod energumenus ab *Erge*. quod eſt labor, & *Mene*, quod eſt defectus, dicatur. Vide *Obſeſſus*. Quare energumeni, & publici pœnitentes in Miſſis defunctorũ non excludebantur. Vid. *Pax*.

ENEUS, ſtupefactus attonitus mutus. [ Et nimio ſtupore perculſi, quaſi enei quidam effecti ſunt. In vita Abrahæ, c. 5. ] Vox quidem græca ἐνεός, ideſt, ſtupidus, ſeu potius ab æneo metallo ſic dicitur.

ENGARIA. Vide *Angaria*.

ENERVO. Vide *Inervo*.

ENGASTRIMITUS. FR. Græcum vocabulum ἐγγαστρίμυθος, ideſt, ventriloquus: ſic ab Origene appellatus eſt quoddam ejus opus, in quo de ſpiritibus pythonicis egit, qui ex ventre reſponſiones proferebant; contra quem S. Euſtachius Antiochiæ Archiep. ſcripſerat. Vide *Pytho*, *Pythonicus*, *Pythoniſſa*.

ENGITHECA. Vide *Entheca*.

ENIDIOS, marmoris genus, ita frigidiſſimum, ut in aquam convertat ambientem aerem: [ Eſt certa ſpecies lapidis in genere marmorum, quæ cnidios appellatur cujus natura per magiſtros mineralia conſcribentes talis aſſeritur, quod ex frigidiſſima naturali ejus complexione aerem circumſtantem ingroſſando, transmutat in aquam: Gulielmus, de Terra Sancta, apud Caniſium, ] & inferius: [ Unde Conſtantinopoli in veteri palatio imperiali ſub terra quaſdam conchas marmoreas vidi de ſimili lapide, quæ plenæ exiſtentes aqua, evacuantur aliquoties, & revoluto anno, ſine omni humano ſtudio plenæ inveniuntur aqua, ut undique effluant. Ex quibus effectibus potius legendum puto ἔνυδρος, quod ſignificat *In aquam*, quia in aquam convertere facit ambientem aerem. FR. an potius ἔνυδρος dicendum, qui lapis inter pretioſos a Plinio, lib. 37. c. 11. ponitur, & ita appellatur quia, ut ipſe inquit: ] Ad motum fluctuat intus in ea, veluti in ovis liquor.

ENEADECATTERIS. Vide *Aureus numerus*.

ENNEAFOIA, *Ennafodius*, & *Enaforus*. Vide *Enofotius*.

ENOCH. Vide *Sabbatum Enoch*.

ENODE. FR. abſolute: [ Ecce enode eſt, quodquod ad laqueum præparaſtis. Ennodius in apologetico.

ENOPHOTIUS, lampas unius luminis ex græca dictione ἑνὸς φωτὸς, ideſt, unius luminis, ſicut *Enneaphotius* ab ἐννέα, ideſt, novem luminum denotat. [ Obtulit caniſtra enophotia ex argento puriſſimo: Anaſt. in Benedicto III. ] In aliquibus mendoſis codicibus *Enaforus* legitur; alii *Ennafodius* legunt. Item *Caniſtra*, *enneafotia*. Idem in Leone II. ideſt, novem luminum. Reperitur etiam *Exafotia*, ideſt ſex luminum; apud eundem. Vide *Exafoci*.

ENORMIS. Vide *Exlex*.

ENOTICUS, & *henoticus*, ex græca dictione ἑνωτικὸς, ideſt, unitivus, ſic appellatus fuit quidam liber a perfido hæretico Zenone Imp. ad inſtigationem Acacii Patriarchæ Conſtantinop. compoſitus; in eo enim de unione differentiarum in dogmatibus fidei inter Catholicos, & Eutychianos agebatur; cujus Auctor callide ſub ſpecioſitate formulæ, & nomine reconciliationis catholicos decipere ſatagebat, ac tacite Concilii Chalcedonenſis decreta abrogare nitebatur. Qui liber a Felice Papa III. in Concilio XL. Epiſcoporum Italiæ damnatus fuit. FR. & ideo præfatus Pontifex Vitalem, & Miſenum Epiſcopos ad Zenonem una cum Felice defenſore miſerat, ac citato Patriarcha Romam, is tamen in vindictam temere a ſacris diptychis, nomen Pontificis delere conatus eſt, ac duo legati Pontificis ſtulte agentes cum perfidia Acacii concurrerunt; ſecus vero defenſor Felix, qui ob id in vinculis juſſu Imperatoris poſitus fuerat, ac ejuſdem Imperatoris ſequaces *Pacifici* appellati ſunt, ex eo quia hanc opprobrioſam concordiam defendebant. Vide Baronium, ann. 483. num. 19. ann. 484. num. 27. & ſeqq.

& ſeqq. ann. 495. num. 5. & ſeqq. ann. 496. num. 53. & ann. 519. num. 2. & ſeqq. Ejus etymon. Vide *Synodicum*.

ENSALMUS, incantatio, quæ in certis ſuperſtitioſis orationibus continetur, cujuſmodi eſt oratio illa *Crux Chriſti ſalva me*, a quodam Archiepiſcopo Græco compoſita; de qua Dian. part. 4. tom. 3. reſol. 62. Hieronymus Bardus in ſuo tractatu medicopolitico, Athan. Kircher, tom. 2. Magiæ Ægypt.

ENTATICUS, vox græca ἐντατικὸς, ideſt, extenſivus; hinc Fulgentius, lib. 3. Mythol. de Peleo, & Thetide: [Emplaſtrum entaticum dixit] quem locum aliqui *Emplaſtromentaticum* perperam legunt.

ENTELMA, præceptum, ex græco verbo ἐντέλλομαι, ideſt, jubeo; [Entelma fecit prædicto Abbati, lib. 1. Chron. Caſinen. c. 49.] Alii tamen *Entilma*, *Entalma*, *Entolima*, ſeu *Entolina* legunt. Sed optime dicitur Entalma a græco ἔνταλμα, mandatum, præceptum.

ENTHECA, ἐνθήκη, pecuniam a menſariis ſepoſitam ſecundum Libonium ſignificat. [Cumque totam enthecam cœnobii ſuam credat eſſe ſubſtantiam. Caſſiod. lib. 4. c. 14.] Item *Enticham aulicam* idem Caſſiod. alibi dixit. FR. Sed potius theſauri reconditorium ſignificare videtur, ſicut *Argyrotheca* capſam denotat, in qua argentum conſervatur. [Enthecam habere non licet. Non eſt Epiſcoporum ſervare aurum, & a ſe revocare mendicantis manum. Quotidie tam multi petunt, tam multi gemunt, tam multi inopes nos interpellant, ut plures triſtes relinquamus, quia quod dare omnibus poſſimus, non habemus. Non habemus ergo enthecam, apud Gratianum, can. nolo, 12. q. 1.] Idem habet Iſidor. lib. 15. c. 5.

ENTHECATUS. Conſervatus.

ENTHRONISTICUM. Vide *Xenium*.

ENTHUSIASTÆ. Vide *Precatores*, *Eucheta*.

* ENTHUSIASTÆ. Vates ex inhabitantis dæmonis impulſu vaticinantes.

ENTHYMESIS, ἐνθύμησις, animatio. [Scilicet, de enthymeſi, & actromate. Tertull. adverſ. Hæret. c. 7.] FR. Calepinus vero cogitationem, & commentationem hunc Tertullianicum terminum interpretatur.

EPACTA, græcum nomen ἐπακτὴ, intercalares dies denotat; ſignificat, nempe, dierum anni ſolaris exceſſum ultra lunarem annum, hic enim 354. dies habet, ſolaris vero 365. & aliquid plus: itaque ſolaris annus excedit lunarem in undecim diebus, præter horas, & minuta. Hinc epactæ notitia nedum ad invenienda mobilia feſta inſervit; ſed etiam ad internoſcendas lunationes. Regula autem ad dignoſcendam in quolibet martii menſe novam epactam hæc eſſet. In quocumque recenti anno undecim dies ſupra epactam anni præteriti adjugendi ſunt; at quando numerus excedit trigeſimum, tunc exceſſus trigeſimi erit numerus recentis Epactæ. Vide *Aureus numerus*.

EPAGNOSTICON, ἐπαγνωστικὸν, ſcriptura publica cunctis expoſita, & patens, quæ vulgo *Manifeſtum* dicitur: talis appellatus fuit libellus, qui pro parte Baſilii Imperatoris in Concilio Conſtantinopolitano IV. Bahane Patritio ejus Vicario porrectus fuerat. Verum *Epagnoſticon* pro *Epagnoſtico* ſupra poſitum eſſe cenſeo, a græca dictione ἐπαναγνωστικὸν aliquid ſuper legibile, ſeu ſupra omnia, quaſi ante omnia legibile ſonat. Eo quod videlicet illa Baſilii exhortatio in Synodi principio, ante alia, aut coram omnibus, legi deberet. Baron. anno 869. n. 16.

EPANOCLISTUS, ex ſuperiori parte intectus, & coopertus, ex græcis dictionibus ἐπάνω, adverb. quod ſonat ſupra, & κλειστός, ideſt, clauſus, ſeu tectus. [Regnum de auro puriſſimo epanocliſtum cum catenulis ſuis, habens in medio Crucem auream. Anaſt. Bibl. in Hormiſda.] Ubi de corona loquitur, quam Clodoveus Galliæ Rex Apoſtolorum Principi obtulit, de quo in dict. *Mitra* etiam agemus. Vide *Panocliſtus*. FR. Antiquiſſimam hujus chamauri figuram, eadem prorſus forma, qua adhuc in capite S. Petri extantem ſupra ciborium Lateranenſis Eccleſiæ attulimus delineatam in dict. *Bulla*, quam tamen coronam, ſive chamaurum Joſeph Maria Soreſinus in tractatu deCapitibus SS. Petri, & Pauli, pag. 7. inquit non eſſe amplius illam, quam Clodoveus miſerat, ſed aliam a Joanna utriuſque Siciliæ Regina dono datam. De reliquis hujus Tiaræ ſynonymis. Vide *Calyptra*, *Camelaucium*, *Corona*, *Diadema*.

EPARCHIA, & *Eparchus*. FR. officium, & officialis in aula græcorum Imp. ἔπαρχος enim provinciæ præſidem denotat: ex Codini tamen narratione, ſtabuli præfectum fuiſſe colligitur; licet ipſe hujus officii genus non ſatis explicet; nam dum Theophilus Imperator quodam die equitaverat, occurrit ei muliercula, quæ equum, quo ipſe Imperator inſidebat, ſuum eſſe ajebat, quod ille an verum eſſet perquiri juſſerat, cognitaque fœminæ juſtitia, ſtatim ex equo deſiluit, eique reſtituit; repererat enim, quod Eparchi dolo equus a muliere ablatus fuiſſet; unde proviſum deinde fuit, & mos inolevit, ut ſemper equos inanes paratique pro fortuitis occurrentiis in magnat equitatum conducerentur. Cæterum Eparchus, ut Meurſio placet in ejus gloſſa, officium erat inter magnum Pappiam, & magnum Drungarium biglæ. Et ἔπαρχος græce eſt nomen nimis genericum, auxiliatorem, idoneum, & ſufficientem ſignificans. Lexicon Græco-Lat. Junii.

EPARCHICON. FR. liber in quo notabantur publica Eparchorum, ſive Præſidum Edicta.

EPENDYTES, tunica, ſeu ſcapulare: alii vero Monachi interiorem veſtem fuiſſe credunt, & nonnulli mantum, ſeu cappam; vis tamen græci vocabuli ἐπενδύτης, quamlibet exteriorem veſtem denotat. [Lavit ependytem ſuum. In vita S. Anton. c. 23. Pelliceum habens ependytem. In vita S. Hilar. c. 3.

EPHEMEREUTA, ἐφημερεύτης; officium religioſæ Eſſenorum familiæ, quorum acta Philo Hebræus deſcripſerat, atque nonnulli, ut D. Hieronymus teſtatur, Chriſtianos eos eſſe crediderunt. Nomen igitur hoc for-

fortaſſe ex græco ἐφημερία, ideſt, viciſſitudo derivatur; nam viciſſim ad unumquemque illorum hoc oneris exercitium pertinebat, quod erat ſignis communitatem commonere, ſicut etiam inter Chriſtianos Religioſos hebdomadarii officium alternatim exercetur. [Ubi vero convenere candidati, & læti cum ſumma gravitate ad ſignum datum a quopiam ephemereuta, priuſquam diſcumbant ſtantes una ſerie decenti, ſublevatiſque in cœlum manibus, atque oculis; his quoniam didicerent cœleſtia; illis utpote incorruptis a muneribus, & a quæſtu illicito; precantur, ut placeat Deo id convivium. Philo de vita contemplat.

Ephesina. Synodus falſificata. Vide *Falſor*. Epheſina grammata. Vide *Ephod*.

* Ephpheta. Verbum in Baptiſmo uſitatum, quod eſt aperire, quodque *Petrus Chryſologus* Serm. 52. cum impoſitione manus, & exorciſmis conjungit & myſticam ſignificationem ei tribuit, quando *veniens ex gentibus*, inquit, *impoſitione manus & exorciſmis ante a dæmone purgatur, & apertionem aurium percipit, ut fidei capere poſſit auditum*.

Ephi, menſura aridorum, quæ decimam cori partem continebat, nempe, quatuor modios circiter, de qua ſæpe in Sac. Biblia.

Ephod, vox hebraica, ſignificat ſuperhumerale, quo induebatur Summus Hebræorum Sacerdos, & aliquando additur dictio *Bad*, ideſt, lini, quæ ſacra veſtis erat communis tam Sacerdotibus, quam Levitis; nam *Ephod* ſummi Sacerdotis erat nobilius, nempe, auro, hyacintho, coccino, & byſſo contextum; reperiebatur denique tertium *Ephod* politicum laicis permiſſum, ſicut fuit illud a Rege Davide ante adductionem Arcæ ſaltante, & a Samuele adhuc puero delatum, ut D. Hieronymus notavit. FR. erat autem *Ephod* duabus quadratis partibus formatum, quæ partes inter ſe ſuper humeros conjungebantur, quarum anterior pectus, & poſterior tergum tegebant; at ex lateribus minime conjungebantur: ſuper anteriorem partem pendebat *Eſſyn*, in quo illæ duodecim gemmæ erant cum duodecim filiorum Iſrael nominibus, & a Joſepho Hebræo, lib. 3. Antiq. c. 8. ſic deſcribitur: [Super hanc tertiam (*nempe veſtem*) etiamnum induit vocatam Ephodem, græcanicæ epomidi ſimilem, ea fit hoc modo ex variis coloribus auro intermixto, ita contexitur, ut circa medium pectus lacuna quædam relinquatur, maniculis quoque ita extantibus, ut plane tunica appareat. Lacunæ vero inſeritur fruſtum amplitudine palmi; auro eiſdem coloribus, quibus ephodes, variegatum, id vocatur Eſſen, ac ſi dicas rationale: quod ita quadrat, ut adamuſſim ſpatium illud circa pectus a texente relictum expleat, id committitur cum tunica annulis aureis per ſingulos angulos ex oris tunicæ, ac eſſenis extantibus intercurrente tænia hyacinthina, & ne quid inter circulos hiet filo hyacinthino ſuturam explente; in utroque autem humero ſinguli ſardonyches auro incluſi fibularum vice epomidem adnectunt: his inſculpta ſunt Jacobi filiorum nomina literis vernaculis linguæ noſtratis, in utroque lapide ſena, ita ut ſeniores dextrum humerum obtineant; quin & Eſſenem ipſum duodecim gemmæ diſtinguunt, eximia vel magnitudine, vel pulcritudine, ornatus hominibus propter enorme pretium incomparabilis, cui ternæ per ordines quatuor inerant, conſertæ coronulis aureis, ita ut excedere non poſſint: in primo ordine ſardonyx, topazius, ſmaragdus: in ſecundo carbunculus, jaſpis, ſaphirus: in tertio lyncurius, amethyſtus, achates: in quarto cryſolithus, onyx, beſyllus. His erant inſculpta filiorum Jacobi nomina, quos tribuum auctores habemus, ordine, quo olim ſinguli nati fuerant. Cum autem per ſe illi, quos diximus, annulli ſint infirmi, nec poſſint pondus gemmarum ſuſtinere; alios duos majores in extremitate rationalis, quæ reſpicit ad collum, eminentes a textura fecerunt, qui ſuſcipiant catenas aureas, opere plexili, venientes per fiſtulas quaſdam ad extremitates humerorum; quarum catenarum ſummitas aſcendens reducitur poſt tergum, & circulo, qui eſt a tergo in epomidis fimbria connectitur: id quod præcipue ſuſtinet ephodem, ne quo pacto defluere poſſit. Eſſeni autem aſſuta erat zona jam dictis coloribus, & auro diſtincta, quæ totum complexa, rurſumque ſupra ſuturam nodata, deorſum propendere ſinebatur. Omnes autem fimbriæ, quibuſdam oris fiſtuloſis utrimque includebantur.] In his autem gemmis divina Oracula recipiebant Hebræi, quod loc. cit. c. 9. Joſephus prædictus inſinuavit his verbis: (Quod mirabilius dicam, per duodecim enim lapides, quos ſupra pectus Pontifex ſutos in Eſſyn, ideſt, rationale portat, victoriam pugnaturis Deus prænuntiabat; tantus enim ſplendor fulgebat in eis, cum nondum exercitus moveretur, et omni fieret multitudini manifeſtum eorum auxiliis adeſſe Deum. Ceſſavit itaque, & eſſyn, & ſardonyx ſplendeſcere annis ducentis ante hæc ego ſcriberem.] Unde credendum eſt, quod antiqua Græcorum ſuperſtitio, quæ ſæpe ex ſacra ſcriptura, & ex hebraicis cæremoniis furabatur, etiam id, quod de ephodinis literis inſculptis miraculoſe narrabant Hebræi, uſurpaverit; Græci ſiquidem eodem pacto de eorum epheſinis characteribus mendaciter commentati ſunt, nimirum, quod ἐφέσια γράμματα fuiſſent magicæ virtutis, per quos quicquid optarent aſſequerentur, & in omni negotio victores evaderent, ut Suidas, Euſtachius in Homeri Odyſſea 19. Diogenianus, & Eraſmus referunt. Summus Pontifex Chriſtiani Orbis loco *Ephod* Fanone utitur. Vide *Fanon*. Aliquando in Sac. Scriptura per *Ephod* Sacerdotium intelligitur. Vide *Theraphim*.

Ephodion. FR. ἐφόδιον, viaticum. [Videturque Græcos ſecutus, qui ἐφόδιον, ſumptum viæ ad aliarum quoque rerum apparatus traducunt, ac ſepe ἐφόδιον pro eo dicunt, quod eſt inſtitue, & inſtrue. Aulus Gellius, lib. 17. cap. 2.] vide *Viaticum*.

Ephonotrophium. Vide *Æphonotrophium*.

Ephron,

* Ε'φοροι. Ephori. Epiſcopi hoc nomine appellati. Philoſtorg. Hiſt. lib. 3. n. 4.

EPHRON, FR. quare in *Ephran* mutatus fuerit, D. Hieronymus in Geneſ. ſic explicat: [Poſtquam pretio victus fuit Ephron, ut ſepulchrum venderet, & acciperet argentum, licet cogente Abraham, Vau, litera, quæ apud illos pro, O, legitur, ablata de ejus nomine eſt, & pro Ephron appellatus eſt Ephran, ſignificante ſcriptura non eum fuiſſe conſummatæ, perfectæque virtutis, qui potuerit vendere memoriam mortuorum, apud Grat. can. poſtquam 13. qu. 2.] ubi Gloſſa ſic explicat: [O, eſt ultima litera Græcorum, & A, prima, & deſignat, O conſummationem, & perfectionem A, initium & imperfectionem &c.] Ad quod etiam facit illud Hieremiæ c. 6. & 14. Ezech. c. 4. & 20. atque Joel cap. 1. quando dixerant *A. A. A. neſcio loqui &c.* eorum, ſcilicet, imperfectionem indicantes. Sequitur itaque in d. can. Gloſſ. inquiens. [Ephron, ideſt, perfectus, Ephran, ideſt, imperfectus.

EPIBATES, ἐπιβάτης. FR. pirata, ſeu maritimus miles [Epibatis autem totius fraternitatis multitudo ſit ſimilis, ipſum quoque mare hic mundus habeatur: S. Clemens, epiſt. 1.

EPICAJA, ſeu verius, *Epiicia*, græce ἐπιείκεια, æquitas, benignitas, moderatio; Theologorum & Canoniſtarum terminus, quo ſignificatur id, quod abſque ſuperioris oraculo æque interpretari poſſet. FR. Interpretatio triplicis generis eſt. Gloſſa in can. ſicut enim 11. qu. 1. Interpres autem Proxeneta dicitur, Vide *Proxeneta*.

EPICEDIUM. Vide *Fletobotomia*.

EPICITHARISMA, ἐπικιθάρισμα, citharæ epilogum, quo conſueverant Antiqui in fine comœdiarum uti, ut ea dulcedine lenitos auditores dimitterent. Hinc natum adagium, quo Tertullianus adverſus Valent. c. 33. uſus eſt, nempe: [Veluti epicithariſma poſt fabulam:] FR. pro vitæ activæ ſymbolo. Vide *Cithara*.

EPICOMBIA, græce ἐπικόμβια, quæ a Cantacuzeno, l. 1. c. 41. ſic declarantur: [Die, quo Imperator unctus erat, exit e templo, ab aliquo ejus optimatum, quem ad hoc delegerit, in populum jaciuntur epicombia: ſunt autem faſciculi ſegmentis linteis, illigata habentes numiſmata aurea tria, totidem argentea, aut plura, & obolos æreos totidem; ſparguntur hujuſmodi faſciculi circa decies mille in veſtibulo præcipue.] Idē refert Curopalata de off. Aul. Vide *Strena*. *Roga*.

EPIDAPHNE, Vide *Theopolis*.

EPIGONATION, indumentum ſacrum Græcorum ad modum calicis burſæ formatum, quod ab Epiſcopis, & aliquibus dignitatibus illius ritus in celebratione uſque ad genua pendens, & ad lævæ latus geſtatur; ideo ἐπιγονάτιον, ſeu ὑπογονάτιον, ideſt, ſupergenuale dicitur: ſignificat autem juxta Balſamonis ſenſum, linteum, quo Salvator noſter in ultima cœna ad lavandos Diſcipulorum pedes ſe præcinxerat; ſeu, juxta mentem Simeonis Theſſalonicenſis, gladium divinæ prædicationis denotat, quod eſt proprium Epiſcopi munus. FR. eundem ſignificatum affert in ſuo Gloſſario Cabaſila, inquiens: [Figura romphεæ circumdat illum, genuale appellatum, quod in forma gladii efformatum eſt] :||: ſed hujuſmodi ſignificatus potius ſitui, in quo defertur, quam figuræ materiali burſæ adaptatur, & quando eum celebrans alligat inquit: [Accingere gladio tuo ſuper femur tuum.] ideoque in ea depingunt effigiem Seraphim, quem Deus flammeo gladio, atque verſatili ante paradiſum voluptatis in cuſtodiam collocaverat, Geneſ. c. 3. & quia Seraphim ſapientiæ ſymbolum eſt, quæ verius Prælati gladius eſſe debet. A Sancto Germano Patriarcha Conſtantinopolitano ἐγχείριον enchirium (ideſt, linteum quod ad manus adhibetur) appellatum fuit, ac linteum, quo Pilatus manus coram populo poſt lotionem abſterſerat, ſignificat. Hodie tamen in Eccleſia latina ſolus Papa in ſolemni celebratione utitur, quod in forma exigui manipuli, & in cæremoniali Romano *Subcinctorium*, & *Subcingulum* appellatur, de quo in dict. *Cingulum* egimus. Anno 1570. Græci epigonatium eadem, qua Latinorum forma ferebant, ut in quadam epiſtola Archidiaconi Soliti Majorano Molphetæ Epiſcopo miſſa legeram; ubi de ſacerdotalibus Græcorum orientalium habitibus diſtincte agit, & inter alia de epigonatio hæc ait; [Dopo ſi cinge un altra ſorte di cingolo pendente ſino al ginocchio come ſtola picciola, la quale ſolo quelli, che ſono in dignità, l' uſano, come diſtributori de' beni.] Quæ epiſtola inter m. ss. Latini Latinii in Bibliotheca Cathedralis Viterbienſis aſſervatur. FR. Balſamon in ejus primo tomo de Jure Græco Romano hunc habitum tantum Epiſcopis fuiſſe conceſſum aſtruit, atque abuſum recentiorum Græcorum damnat, quod illud Abbatibus, aliiſque dignitatibus permittant, inquiens: [Sacratiſſimus epimaniciorum, & epigonatiorum amictus ſolis Epiſcopis conceſſus eſt, tanquam figuram Domini, & Servatoris noſtri Dei Jeſu Chriſti gerentibus.] Cachinni cenſuram profecto meretur etymologia, quam huic vocabulo affert Salomon Suveigerus Pſeudoprædicans, lib. 2. ſui Hodoporici, c. 62. ubi hoc ſacrum indumentum πωγωνάτιον vocat, quod barbarum ſignificat. In dict. Cherubim ſcribitur *Epigonathium*. Cætera. Vide *Enchirium*. *Epimanicion*.

EPIGRAPHUS, titulus. Vide *Pſeudopigraphus*.

EPILEPSIA. Vide *Eunuchizo*.

EPILEPTICUS, morbus, ideſt, comitialis, græcum vocabulum ἐπιληπτικός. [Phronimus igitur Agathenſis Epiſcopi famulus epileptici morbi acceſſu fatigabatur, ita ut plerumque cadens, ac ſpumans, linguam ſuam propriis dentibus laceraret. Gregor. Turon. in vita S. Nicetii.] Ideo corrigi debet textus ejuſdem Auctoris, lib. 2. de miraculis S. Martini, cap. 18. ubi mendoſe habet *Epilenticum*. FR. An, & quando talis infirmus poſſet celebrare, ſi eſſet Sacerdos. Vide 8. Quæſtion. 2. per totam, & ibi Gloſſa.

EPIMANICION, græcum nomen ἐπιμανίκιον, ideſt, manipu-

pulus, eſtque ad inſtar ſemimanciæ, quæ uſque ad cubitum pertingit, atque duæ ſunt pro utroque brachio quælibet ponenda, quibus manicis antiquitus ſolis Epiſcopis licitum erat indui, ut Balſamon, & Theſſalonicenſis Simeon teſtantur, quorum poſtremus addit manicas has vincula Chriſti patientis ſignificare, in ep. ſupra allata in dict. *Epigonation*. Hodie tamen omnes græci Sacerdotes utuntur. Vide *Brachialia*, *Manipulus*, & §. FR. in dict. *Epigonation*. In cappella Papali Diaconus, & Subdiaconus præter manipulū, geſtant in albæ manicis fruſtilla coloris currentis feſti expanſa, juxta antiquū ritum, ut dictū eſt in dict. *Alba*.

EPINEPHRIDIA Vide *Umbilicus*.

EPIPHANIA, & *Theophania* voces græcæ Ἐπιφάνεια, quæ apparitionem, & Θεοφάνεια, divinam manifeſtationem ſignificat; feſtum ſolemniſſimum, ita ut pro impiis haberentur Imperatores, ſi ad hoc feſtum non interveniſſent: hanc demonſtrationem ſimulare voluit idemmet Julianus Apoſtata, dum in Gallia morabatur, ut Ammianus Marcellinus, lib. 21. refert, quod etiam fecerunt alii Auguſti, licet Ariani fuiſſent. Quod feſtum, immo triplicata ſolemnitas ab Apoſtolis inſtituta fuit, ob tria miracula in hac feſtivitate memorata; nam in hoc die ſtella Magos duxit ad præſepe, ad Galileæ nuptias aqua in vinum converſa, ac in Jordane Chriſtus baptizari voluit. Græci in hac die agunt feſtum baptiſmatis Chriſti in Jordane; ſed Eccleſia latina præcipue Magorum adorationem celebrat. Ægyptii tamen per errorem Nativitatis Chriſti agunt feſtum. Caſſian. collat. 10. Idem aſſerere videtur Zonara; nam ubi Ammianus Marcellinus ait, quod Julianus Apoſtata ſe ad Eccleſiam contulerat, quando, nempe [ Menſe Januario Chriſtiani Epiphania dictitant; ] Zonara de eodem acceſſu loquens, die Natalis Salvatoris hoc accidiſſe inquit. Ratio autem hujus erroris, qui penes Græcos adhuc viget, ea fuit, nam ab Orientalibus utraque feſtivitas *Epiphania* appellata erat; hinc D. Gregorius Nazianz. quandam ejus orationem de Chriſti Nativitate denominavit, quæ in codicibus antiquis reperitur cum titulo *De Epiphaniis*, ſive *de Natali Domini*. Itaque difficultas hæc ad quæſtionem de puro nomine reducitur; nam recte Nativitas Domini epiphania dicitur, ideſt manifeſtatio Paſtoribus, qui in illa regione erant vigilantes; ſecunda vero feſtivitas, quæ tamen ad revelationem Magorum, & Gentium fuit, *De luminibus*, & *De ſecundis epiphaniis* feſtum ab Antiquis appellata fuit, quod Gregor. Nazianz. *Feſtum luminum* appellat. Dominicani ſolent magno luminum apparatu hac nocte in Eccleſia eorum, matutinum celebrare, in quo genealogiam Chriſti ſecundum Lucam ad tertium nocturnum canunt. FR. De Theophania hæc apud Sacros Scriptores habentur, nimirum; [ Ab apparendo quidem nomen Theophaniæ dictum eſt. Greg. Nazian. Orat. in Chriſti nativitatem. ] Suidas autem ſic ait: [ Theophania eſt cum Deus ſe manifeſtum facit, & eſt nomen generis muliebris. In genere autem neutro multitudinis dicitur hæc theophania; numero ſingulari hoc theophanion. ] Inde dies natalis Domini a Sanctis Patribus Θεοφάνεια appellata eſt. [ Nunc autem theophania, ſive Natalis dies preſens eſt ſolemnitas: utroque enim appellatur modo, duobus nominibus uni, eidemque rei impoſitis. Greg. Nazian. Orat. ſupra cit. ] Rationemque nuncupationis infert ibidem [ Apparuit enim Deus hominibus per generationem. ] Cui adſtipulantur Baſil. Cæſar. inquiens: [ Appellemus noſtrum hoc feſtum theophania. Celebremus quæ ſalutis ſunt mundi, natalem, ſcilicet, humanitatis diem. Orat. de Chriſti generat. ] Item Aſterius, hom. in Kalend. At non modo Natalem Domini; ſed etiam ejuſdem baptiſmi diem theophania feſta appellarunt S. Jo: Chryſoſt. homil. de B. Philogonio, tom. 3. inquiens; [ Niſi enim ſecundum carnem natus eſſet Chriſtus, nequaquam baptizatus eſſet; nam id eſt feſtum Theophaniorum. ] Item in Horolog. græco die 6. Januarii hæc habentur: [ Sancta Theophania Domini, & Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Troparion, Tonus primus. In Jordane baptizato te, o Domine, Trinitatis declarata fuit adoratio. ] Gregorius Alexandr. in vita S. Jo. Chryſoſt. græce cap. 3. [ Die feſto Theophaniorum appropinquante, qui dicitur dies luminum. ] At τὰ ἅγια φῶτα, nullus eſt, qui inficiatur feſtum diem eſſe baptiſmi Jeſu Chriſti, ut ex Greg. Naz. aliiſque innumeris liquet. Ipſa autem græca vox communi uſu in latinam apud Latinos etiā tranſit. Vigilius enim Papa, qui tempore Juſtiniani Imperatoris floruit, in ſuo conſtituto de tribus capitulis, hæc habet: Exemplar profeſſionis, quam reſidui Epiſcopi Theophaniorum die nobis fecerunt ] Martyrol. Notkeri, qui vixit circa annum Dom. 912. apud Caniſium, tom. 6. antiq. lect. ſic habet: [ Octavo Idus Januarii Epiphania Domini, quod interpretatur Manifeſtatio. Apud Romanos autem eadem feſtivitas Theophania nominatur, ut ex compoſitione nominis, quod Dei ſit apparitio, manifeſtetur; quo die Magi &c. ] Et ex Concil. Lugdunenſ. habetur in c. pronunciandum, de conſecrat. diſt. 3. apud Gratian. [ Feriandi vero per annum iſti ſunt dies: Natale Dom. Santi Stephani, S. Jo. Evang. Innocentium, S. Silveſtri Octava Dom. Theophania. ] Quare ab eventu nomen hoc Epiphaniæ diei indiderunt SS. PP. quia per plura miracula in tali die Domini gloria manifeſtata fuerat, de quibus Eccleſia canit: [ Tribus miraculis hunc ſanctum diem ornatum colimus &c. ] ac alia prodigia, de quibus ſupra: unde factum eſt poſtea, ut per Theophaniam Epiphania intelligeretur, ac Theophaniorum dies, ideſt, plurimarum manifeſtationum diceretur; in quo ſenſu S. Nilus Abbas ait, quod Paulus, Joannes, & Theodolus [ Mortui autem ſunt, conſummati ſeptimo die poſt theophaniam, qui eſt quartus decimus menſis Januarii. De Interempt. Sanctor. Patrum in Sina, & Rhaiti. ] In Biblioth. S. Andreæ de Valle Romæ reperitur m. s. græcus Codex vetuſtiſſimus,

in quo notantur Evangelia totius anni, ubi die 6. Jan. habentur hæc, quæ latine ſonant: [ Sancta Theophania. Evangelium ad matutinum ſecundum Marcum: Venit Jeſus &c. Ad Miſſam, ex Evangelio ſecundum Matthæum: Venit Jeſus a Galilæa in Jordanem &c.] & Marcus in vita S. Porphyrii, cujus ipſe familiaris miniſter extiterat, hæc ibi habet. [ Pluit Dominus noſter Jeſus Chriſtus aſſidue ab octava Lydenæi uſque ad decimam. Eſt autem apud eos ( *ideſt Gazæos* ) Lydenæus, apud Romanos Januarius. Præcedunt autem quinque diebus eorum menſes Romanos. Undecimo vero die peregimus diem Theophaniorum Domini noſtri Jeſu Chriſti cum gaudio laudantes.] Quod ſi ab undecim diebus quinque demas, ſexta Januarii die utique erit dies Theophaniorum. Cum enim Gaza ſit Civitas Palæſtinæ in confinio Ægypti, ægyptiorum more gazæos menſes computare facile credendum eſt; & hoc eſt, quod S. Epiphanius Hæreſ. 51. dixerat: [ Invenimus enim ab hoc Conſulatu ante Piſonem, uſque ad undecimam menſis Tybi, & ad diem ante octavam Iduum Januarii, quando re vera Theophania contigit.] Et fortaſſe hic modus conciliandi ritus Ægyptiorum cum cæteris, nam eadem die ac nos, illi Theophaniorum ſolemnitatem celebrant. Cæterum etiam apud Gentiles hoc vocabulum in uſu erat: diem enim Theophaniæ appellabant, quando eorum falſa numinum ſimulacra, tam in ipſorum templis, quam extra populo oſtendebant. Herodot. in Clio. lib. 1. de donis, quorum & meminit Strabo, lib. 9. in Phocis ) a Cræſo Phythiæ exhibitis [ Argentea patera &c. ſexcentarum amphorarum capax, in qua miſcebatur vinum a Delphis Theophaniorum feſto ] Et pollux, lib. 1. Onomaſt. De temporibus feſtorum. [ Tempora porro ſacra ſunt, Panegyres, Feriæ, Calendæ, Theophania, Theoxenia. [Hæc tamen Chriſtianorum ſolemnitas, quæ ab alienigenis fidei celebrata erat, ut ſupra dictum eſt, minime Donatiſtæ in hoc convenire paſſi ſunt, quos ſic D. Aug. ſer. 32. de tempore increpans, inquit: [Merito iſtum diem numquam nobiſcum hæretici Donatiſtæ celebrare voluerunt, quia nec unitatem amant, nec orientali Eccleſiæ, ubi apparuit illa ſtella, communicant. ] Et fuſius idem S. Doctor contra Priſcillianiſtas, & Manichæos, epiſt. 86. :||: Eccleſia tamen latina principaliter Magorum adorationem celebrat in hac die; ideo non canit invitatorium ad Matutinum, quia, ut inquit Microl. de Eccleſ. obſerv. cap. 40. [ In Epiphania ad nocturna juxta Romanum Ordinem invitatorium reticemus, ut a doloſa invitatione Herodis diſcrepemus ] Vel quia Magi non fuerant ad adorationem filii Dei invitati manifeſte, ſicut fuere Paſtores per patentem Angelorum annunciationem; ſed nutu tantum ſtellæ. Durand. l. 6. c. 16. Alcuin. de divin. off. Item reticetur matutinus hymnus, qui cum ſit perfectorum ſymbolum non pronunciatur, quia tunc haud perfecta, ſed inchoata tantum Gentilium converſio erat. In hoc die Sacerdos pluviali indutus ( juxta ordinationes Concil. Aurelian. IV. can. 1. Concil. Tolet. IV. cap. 4. & Pontificalis Romani ) ambonem aſcendens, mobilia totius anni feſta annuciat. Antiquitus circulari Patriarchæ Alexandrini epiſtola per Eccleſias in die Paſchæ publicabatur; nam cum in Ægypto floreret Aſtrologia, ideo ex ea Eccleſia vera mobilium feſtorum computatio expectabatur. Græci igitur in memoriam Chriſti baptiſmi multis cæremoniis benedicunt aquam, in qua trina demerſione Crucem infundunt, & ex hac aqua benedicuntur domus, & pro infirmitatibus utuntur, ac de ejus incorruptibilitate D. Chryſoſtomus homil. de baptiſmo Chriſti ſic teſtatur: [ Fitque miraculum evidens, dum nihil temporis longinquitate aquarum illarum natura vitiatur; ſed integro anno, atque adeo biennio, & triennio, quæ hodie fuit hauſta, incorrupta, & recens permaneat. ] Ex hoc facto occaſionem arripiunt Græci ſchiſmatici Latinos impugnandi, quod qualibet hebdomada aquam benedictam renovent: unde argumentantur nos eſſe hæreticos, & conſequenter tali incorruptibitate indignos; ſed ſimilibus objectionibus Emanuel Caleca Græcus ſcriptor, lib. 4. cap. 13. ſufficienter reſpondet, & inter alia demonſtrat, quod etiam penes occidentalem Eccleſiam aqua baptiſmalis fontis incorrupta aſſervatur, & bis tantum in anno renovatur. Quæ miraculi gratia aquis Jordani etiam attribuitur; nam exhauſtæ per multos annos incorruptæ ſervantur; fortaſſe ex privelegio contactus incarnati Verbi. Lubet etiam hic addere, quæ de duobus fontibus S. Epiphanius loquens de aqua ad Galileæ nuptias in vinum mutata, hæreſi 51. refert, nempe; [ Quapropter etiam in multis uſque in hanc diem fit, quod tunc factum eſt in teſtimonium incredulitatis, velut teſtantur in multis locis fontes, ac fluvii in vinum converſi. Cibyres quidem Cariæ fons, qua hora hauſerunt miniſtri, & ipſe dixit date Architriclino, teſtatur, & in Gerſa Arabiæ fons ſimiliter. Nos bibimus de Cibyres fonte; fratres noſtri vero de eo, qui eſt in Gerſa in Martyrum templo, & multi in Ægypto de Nilo hoc teſtantur.] Simile prodigium in Andro, una ex Cycladum inſulis nedum a recentioribus ſcriptoribus narratur, præſertim a Mutiano in ejus Geographia, & mihi aſſeveranter a Dominico Grammatica ejuſdem inſulæ Epiſcopo confirmatum fuit, quod, ſcilicet, ſit ibi fons, qui in hac die Epiphaniæ vini ſaporem acquirit; ſed & Plinius etiam de hac re fidem facit, inquiens; [ In Andro inſula templo Liberi patris fontem nonis Januarii ſemper vini ſapore fluere &c. lib. 2. cap. 103. ] Quare Dominica, in qua occurrit octava Epiphaniæ, anticipatur ejus officium. Vide *Octava*. Dicitur *Feſtum ſtellæ*, & ab hac die Septuageſimæ Dominica computatur. Vide *Septuageſima*. Myſterium munerum trium Magorum. Vide *Stacte*.

Epirhedium, parva rheda. [ Quem etiam opprobrio Chriſtianorum in die proceſſionis ſuæ ante epirhedia ſua protrahi fecit nudum, & ligatum. In Vita S. Marcelli Papæ & Mart.

Epirius , & *Epirus* . Vide *Epiurus* .

Episcopa , erat fortaſſe Epiſcopi uxor , antequam ille in ea dignitate conſtitutus fuiſſet ; ſed factus deinde Epiſcopus , ab illius conſortio ſejungebatur . In Eccleſia S. Praxedis Romæ in quodam lapide, ubi de reliquiis a S. Paſchale Papa I. ibi translatis fit mentio , leguntur infraſcripta verba a me deſcripta : Quo circa & in ipſo ingreſſu Baſilicæ manu dextra , ubi utique benigniſſimæ genetricis, ſcilicet,Dominæ Theodoræ Epiſcopæ corpus quieſcit,&c ]Erat enim Theodora ejuſdem Papæ Mater, forſan Abbatiſſa, quæ Antiſta etiam dicebatur . Vide *Antiſto* ; nam ſicut Epiſcopus , & Antiſtes Synonyma ſunt , ſic Epiſcopa , & Antiſta . Cæterum in Concil. Turonen. de Epiſcopi uxore, can.13. & 14. fit mentio his verbis : [ Epiſcopus Epiſcopam non habentem nulla ſequatur mulierum turba . ] Ubi cavetur, quod tanquam ſororem illam tractare Epiſcopus debuiſſet .

Episcopium , Ἐπισκοπεῖον , & *Antiſtatum* dicitur.Vide *Antiſto* . Aliquando pro Epiſcopali palatio accipitur , ſic Anaſtaſius Bibliot. de Eccleſia Lateranenſi agens , ait : [ Quæ prima in toto mundo conſtructa eſt, & ſtabilita a beatæ memoriæ Conſtantino Imperatore , & eſt juxta Epiſcopium . ] Aliquando pro Diœceſi uſurpatur : [ Carolus Rex Rigobertum epiſcopatu deturbavit , & cuidam Miloni ſola tonſura clerico , quod ſecum proceſſerat ad bellum , dedit hoc epiſcopium . Flodoar. lib. 2. cap. 12. Poſt Ægidium Rhemenſe rexit epiſcopium . Idem , lib. 2. cap. 4. ] FR. [ ut jam dilectus Suffredus Epiſcopus proprio reſtituatur epiſcopio , can. denique Suffredus . 6. qu. 3. Cum a Normannis de epiſcopio depellaris , can. ſciſcitaris 7. qu. 1.] Nonnunquam ipſa Cathedralis Eccleſia intelligitur : Vide *Diœceſis* . *Parochia* . *Præſulatus* .

Episcopo , verbum , creo , ſeu eligo aliquem in Epiſcopum . [ Intendit epiſcopare fratrem Comitis . Petrus Bleſen. epiſt. 10. ] FR. [ Miramur quod L. Apamien. electum in Tripolitanam Eccleſiam tranſtuliſti , & novo quodam mutationis genere parvificaſti majorem , & magnum quodammodo minoraſti , epiſcopare Archiepiſcopum , imo potius dearchiepiſcopare præſumens . Innocent. III. ad Antiochenum Patriarcham in tit. de tranſlat. epiſcopi , cap. 1. ] ubi *Parvificaſti* , ideſt , parvum reddidiſti , & *Dearchiepiſcopare* , ideſt Archiepiſcopatu privare intelligit :||: Reperitur in ſenſu paſſivo *Epiſcopor* in eadem ſignificatione[Lex divina nullum præciſa aure epiſcopari permittit . Petrus Bleſen. epiſt. 23. ] eodem modo uſus eſt D. Bernard. in vita S. Malachiæ . Quando eſt jam in actu epiſcopus , utitur verbo *Antiſto* . Vide ſuo loco , & in dict. *Præſulo* .

Episcopus , Ἐπίσκοπος ; [ Græcum eſt enim, atque inde deductum vocabulum , quod ille qui præficitur, ſuperintendit , curam, ſcilicet , eorum gerens , ἐπὶ, quippe ſuper σκόπος vero intentio eſt . Ergo ἐπισκοπεῖν , ſi velimus , latine ſuperintendere poſſumus dicere , ut intelligat non ſe Epiſcopum eſſe qui præeſſe dilexerit , non prodeſſe . Aug. lib. 19. de Civit. cap. 19. Quid aliud interpretatur Epiſcopus , niſi ſuperinſpector , maxime cum ſolio in Eccleſia editiore reſideat , & ita cunctos reſpiciat , ut cunctorum oculi in ipſum reſpiciant ? D. Ambroſ. de Sacerd. dignit. c. 6.] Atque in hoc ſenſu Euſebius in vita Conſtantini Magni , lib. 1. cap. 37. illum [ Communem orbis Epiſcopum ] appellavit , ideſt , totius orbis univerſalem ſuperintendentem : nam antiquius Epiſcopus erat magiſtratus officium , & annonæ præfectura . Arcadius in, l. final. ff. de muner. & hom. §. Irenarchæ , & §. Item Epiſcopi , & apud Gentiles Epiſcopi dicebantur Viſitatores provinciarum . FR. apud Gentiles etiam ſpeculatorem ſignificabat . [ Vult enim Pompejus me eſſe , quem tota hæc Campania, & maritima ora habeat Epiſcopum , ad quem delectus , & negotii ſumma referatur . Cic. lib. 7. Epiſt. ad Atticum . ] Præſidet ergo Sacer Epiſcopus in loco eminenti ex S. Clementis decreto , ut tanquam vigilantiſſimus Paſtor, ejus oves reſpiciat . In Apocalypſi *Angelus* etiam dicitur; nam Epiſcopus Angeli Cuſtodis officium adimplere debet. Sic Procurator , Vide *Procurator* . Sic Archiater , ideſt Protomedicus . Vide *Archiater* . Sic Antiſtes. Vide *Antiſtes* . Item Presbyter . Vide *Presbyter* . Item Præſul,& Diœceſanus . Item Epiſcopi dicuntur *Communicatores* . can. de Judiciis 3. qu. 3. & ibi Gloſſa . Dicitur etiam *Hierarcha*, ideſt , Sacer Princeps. Item *Summus Sacerdos* ad differentiam inferiorum Sacerdotum . Vide *Protomyſtes* . Vide etiam *Archiepiſcopus* . *Collega* . *Comprovincialis* . *Ordinarius* . *Pontifex* . *Primas* . *Sacerdos primi ordinis* . Vide etiam *Conculcare Epiſcopum* , ubi de munere Epiſcopi agitur . Quid D. Paulus intellexerat , quando dixerat , [ Epiſcopum non debere eſſe Neophytum ] Vide *Neophytus* :||. Antiquitus erat Epiſcopus a Populo poſtulatus , & forma electionis ex epiſtola 22. Nazianzeni nomine ſui patris ad favorem D. Baſilii Cæſarienſibus ſcripta colligitur , & Tertullianus in Apocalip. de modo eligendi Epiſcopum inquit : [ Præſunt probati quippe Seniores , honorem iſtum non pretio , ſed teſtimonio probati [ Quamvis rigoroſe loquendo, plebs non dabat ſuffragia ; ſed tantum teſtificabat , applaudebat , & acclamabat virtutes , & merita Electi , ſicut optime probat Cardinalis Bellarminus , quod dictio illa *Vota* ſæpe apud Auctores mentionata , non intelligatur fuiſſe ſuffragia , ſed deſideria : itaque concludit fuiſſe ſemper in clero facultatem eligendi Epiſcopum , ſic Chriſti Vicario permittente ad majorem Eccleſiarum utilitatem.Solebant omnes Epiſcopi diem eorum ordinationum celebrare , quem græci ἑορτὴν , ideſt, feſtum appellant, & Natalis Pont. Natalis dies , ſeu Annua feſta Paſtoris dixere Latini . Sanctus tamen Leo proper ſuam humiliationem] Servitutis noſtræ natalitium diem ] vocavit . *Natalis Sacerdotis* , D. Ambroſius . *Dies ſolemnis Epiſcopatus* , & *Dies anniverſarius ordinationis* , S. Auguſt. *Dies dedicationis* , Ennodius . *Solemnitas Natalitii* , Greg. Tu-

ronen. *Feſta Natalitia*, Petrus Chryſologus. *Natalis Pontificis*, Anaſtaſ. Bibliot. inquiens: [ Conſtituit, ut quatuor vicibus in anno ipſum pharum accenderent, ideſt, in Nativitate Domini, in Paſcha, in Natali Apoſtolorum, & in Natali Pontificis. In Adrian. I. ] Atque circumvicini Epiſcopi invitabantur ſimul, & viri doctrina, ſeu nobilitate conſpicui, qua occaſione de negotiis ad curam ſpectantibus conſultabant. FR. Eccleſia græca in ordinatione Epiſcopi ſolet in pavimento templi ex gypſo efformare tria flumina, civitatem, & aquilam, ſuper quas progreditur ordinandus; tria enim flumina doctrinam denotant, de qua loquutus eſt Dominus inquiens: [ Flumina de ventre ejus fluent. ] Aquila puritatem, & ſacræ Theologiæ eminentiam ſignificat: ſiſtit deinde aliquantulum ſupra Civitatis effigiem ordinandus, ut contemplet Diœceſim ſuam, cujus curam habiturus erit, pro qua vigilantiſſima cura hæc D. Aug. apud Gratianum admonet: [ Qui enim nec regiminis in ſe rationem habuit, nec ſua delicta detorſit, nec filiorum crimen correxit; canis impudicus dicendus eſt potius, quam Epiſcopus, 2. quæſt. 7. can. 3. & can. nemo, diſt. 83. ] Vide *Pax vobis*. Epiſcopus in expenſis taxatur, cap. 9. lib. 3. tit. 24. decretal. Vide hic *Procuratio*. *Menſa*. Item taxatur in numero equorum & aliis expenſis in actu viſitationis, cap. 6. lib. 3. tit. 39. decretal. Quid autem inquirere debet in actu viſitationis. Vide can. Relata. can. Decrevimus, can. Epiſcopum, can. Placuit. 10. qu. 1. Item quomodo ſe gerere debeat in eadem viſitatione, habes can. cavendum. can. inter cætera. can. illud. 10. qu. 3. & quo ad reliqua circa viſitationem, de cenſibus in ſexto. Vide hic in dict. *Friſchinga*. Quo ad jura, & munera Epiſcoporum, in dict. *Baptiſterium* diximus ad Epiſcopum antiquitus baptizare ſpectaſſe, ac Chriſmatis collationem ad eundem pertinere. Vide *Chriſma*. Tenetur in die Dominica ſuam Eccleſiam adire, can. Epiſcopus, de conſecrat. diſt. 3. Item epiſcopalia jura notantur in cap. 16. & 18. de offic. judic. ordinarii, & ibi Gloſſa. [ Dilatatas defunctorum voluntates epiſcopali decens eſt ſtudio adimpleri, c. 3. lib. 3. tit. 26. decret. & C. de epiſcopis, & cler. l. nulli. Item applicare tenetur quartam funeralem pro cœmeteriis reparandis. Vide *Cœmeterium*. Utrum Epiſcopus poſſit diſpenſare in pluralitate beneficiorum. Vide Gloſſam in can. ſi quis jam 21. qu. 2. Non poteſt res Eccleſiarum in proprium uſum retinere. Vide *Plebs* :||: Epiſcopus regularis debet ſe conformare in recitatione officii divini non juxta regulam ſui inſtituti, ſed ad ritum ſuæ Diœceſis, & cum ipſo commenſales ejus etiam regulares. Sac. Congreg. Rit. 11. Julii 1605. Epiſcopi Sac. Congregationi de Propaganda Fide ſubordinati extra limites Diœceſium ab eadem Sac. Congreg. aſſignatarum non poſſunt epiſcopales functioues exercere ſub pœna ſuſpenſionis, non obſtante, quod a locorum Ordinariis ſint invitati, ex decreto ejuſdem Sac. Congreg. Propagandæ Fidei coram Innocentio X. habitæ die 28. Martii 1651. ac ordinati contra formam prædictam declarantur ſuſpenſi. Sac. Congreg. Epiſc. & Regul. 23. Apr. 1655. in regiſt. fol. 35. Quando debeat Epiſcopus celebrare in faldiſtorio. Vide *Faldiſtorium*. Quomodo manus lavet. Vide *Manutergium*. Pontificaliter celebrans; quo ordine ante communionem debeat dare pacem. Vide *Pax*. Quare *Pax vobis* dicat prima vice populum ſalutans in Miſſa. Vide *Pax vobis*, quod tempore Adventus, & in Sabbato Sancto non dicitur. Ibidem. Epiſcopi Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjecti antiquitus erant LXXII. ad numerum Diſcipulorum Chriſti. Ugel. tom. 1. Ital. Sac. Indumenta epiſcopalia. Vide *Baculum*. *Birrum*. *Bugia*. *Caliga*. *Colobium*. *Encolpium*. *Gremiale*. *Mandyas*. *Pectorale*. *Rochetum*. *Veſtis*. Quo non utuntur Epiſcopi Regulares. Vide *Rochetum*. Antiqua Pontificalia indumenta, & eorum forma. Vide *Rochetum*, & ibi quando deferri debet. Quomodo ferat ſtolam. Vide *Stola*. Non debent Epiſcopo complicari Tunicellæ, & Dalmaticæ manicæ. Vide *Tunicella*. Quando conſecratur. Vide *Evangelium*. In Pontificali quomodo a Clero honoretur. Vide *Genuflexio*. Quando illi debet imponi manipulus. Vide *Manipulus*. Abſente Epiſcopo, in ejus Capella celebrari non poteſt. Vide *Oraculum*. Utrum in Miſſis privatis ante benedictionem populi debeat uti illa forma: [Sit nomen Domini benedictum. ] Vide *Benedictio ſolemnis*. Solus Epiſcopus in die palmarum ſuſtinere debet in manu ramum palmæ tempore elevationis. Vide *Palmarum feſtum*. Gravis ejus culpa de indigne promotis. Vide *Ordo*. Quando Diœceſum juriſdictionem cœperint Epiſcopi obtinere. Vide *Diœceſis*.

Episcopus Vagans, ſeu *Ignotus*. FR. ſic appellatus fuit Epiſcopus abſque Diœceſi in Conc. Ravennaten. atque ſimilium Epiſcoporum conſecratio fuit valide recognita in Concil. Viennen. can. 13. & Innoc. III. cap. inter alia, de translat. Epiſc. ubi de Epiſcopis renunciantibus cum retentione tituli hæc habentur: Epiſcopali præditus dignitate, nullius tamen Eccleſiæ poſſit eſſe Epiſcopus, quemadmodum de illo contigit, qui oneri epiſcopali renuntiat, non honori.

Episcopus Villanus. Vide *Chorepiſcopus*.

Episcynium, ex græco vocabulo ἐπισκύνιον, quod ſupercilium ſignificat, & eo ſenſu uſus eſt Tertull. [Enim vero jam dubium cenſoriæ intentionis epiſcynio diſperſo, de pallio cap. 4. ] FR. vide Turnebum, lib. 7. Adverſ. cap. 20.

Episemum, ita lib. 1. cap. 13. S. Irenæus vocat literam græcam ϛ, ex duabus literis compoſitam, quæ numerum ſenarium denotat; ἐπίσημον enim nota, ſeu ſignum latine dicitur.

Epistates, & *Epiſtata*, ἐπιστάτης. Director, præfectus, præſes, cuſtos, paſtor, ſeu ſuperintendens arietum, ſeu palæſtræ. [ Itaque Epiſtates veſter Chriſtus Jeſus, Tertull. ad Martyres, cap. 3.

Epistola, græce ἐπιστολή, ſignificat proprie mandatum, ſeu

ſeu commiſſionem. Epiſtola in Miſſa dicitur ex traditione Apoſtolica, quem ritum Alexander Papa decreto confirmavit, & omnes lectiones, quæ ante Evangelium in Miſſa leguntur epiſtolæ vocantur, quamvis rigoroſe ſolum Apoſtolorum *Epiſtolæ* eſſent appellandæ; ideo in Concil. Tolet. IV. miſſæ epiſtola *Apoſtolum* dicitur: [ In quibuſdam quoque Hiſpaniarum Eccleſiis laudes poſt Apoſtolum decantantur. ] Laudes, ideſt, Præfatium. Vide *Laudes*. D. Hieronymus diſtribuit omnes Epiſtolas, & Evangelia per annum in Miſſa recitanda, quæ confirmata ſunt a S. Damaſo. Non erat munus Subdiaconi antiquitus canere epiſtolam, ſed Lectoris. Vide *Subdiaconus*, qui ideo exuitur caſula, quando illam canit: [ Miniſtri caſula ſe exuunt, quando Lectoris officium aſſumunt. Amalar. lib. 3. cap. 15. ] Quem ritum adhuc obſervant Græci: ſemper enim Lector canit epiſtolam, quæ nunquam veteris teſtamenti eſt; ſed tantum novi. Latini tamen id obſervant in omnibus anni Dominicis, quæ ſunt memoriale Dominicæ Reſurrectionis, quia epiſtolæ novi teſtamenti ſignificant ſtatum gratiæ. Durand. lib. 2. cap. 18. Carthuſiani vero per Lectorem in choro recitant epiſtolam; nam cum Celebrante apud eos nunquam aſſiſtit Subdiaconus, ſed ſolus Diaconus. Epiſtola imperialis. Vide *Sacra*.

Epistolariter, ideſt, per epiſtolam. [ Supraſcripto autem lateri, quem nobis epiſtolariter commendaſti. D. Gregor. in Regiſt. lib. 5. c. 136.

Epistolarium, liber, in quo totius anni epiſtolæ legendæ in Miſſa ſeorſim continentur, quem ſolent Græci habere. Vide *Lectionarium*.

Epistolella, in ritu Ambroſiano dicitur capitulum, quod in horis canonicis ante reſponſoria legitur. Vide *Capitulum*.

Epistomium, ἐπιστόμιον. FR. a græco verbo ἐπιστομίζω ideſt, ſuffræno, contineo, ſignificat operculum, quod in aquarum conductis, ſeu fiſtulis fit ad ſiſtendam aquam, italice *Grilletto* appellatur. [ Et caſtella plumbea, puta opercula puteorum, epiſtomia, fiſtula applumbata &c. Ulpian. in, l. fundi, ff. act. emtp. §. ult. ] In aliquibus codicibus legitur mendoſe *Ephitonea*. Vide Catel. Cottæ memorabilia in dict. *Epiſtomion*.

Epistomonarcha, Ἐπιστομονάρχης, doctrinæ Eccleſiaſticæ præfectus, & rerum fidei pertinentium rector, officium in aula imperiali Conſtantinopolitana, quod correſpondebat oneri Magiſtri Sacri Apoſtolici Palatii.

Epitaphista, qui epitaphia componit. [ Merito enim collata veſtris mea carmina, non heroicorum phaleris, ſed epitaphiſtarumm næniis comparabuntur. Sidon. lib. 1. epiſt. 9.

Epithema, ἐπίθημα, quod operimentum ſignificat; ſed pro decocto aromatico, quod Itali *Pittima* vocant, accipitur. ] infundens oleum conſolationis cum vino mordaci epithematis. In vita Sancti Gulielmi.

Epitimium, pœna, ſeu pœnitentia, terminus Canoniſtarum, ex græco nomine ἐπιτίμιον, mulcta, & ἐπιτιμάω, mulcto, caſtigo: in aliquibus Codicibus mendoſe *Epitone* legitur: [ Quia antequam exiret de hac vita, non ſolvit eum ab excommunicationis epitimio. Jo. Diac. in vita S. Greg. ] FR. Catelianus Cotta in ejus Memorabilibus errat in orthographia, ac in ſignificatione hujus nominis; nam ex Modeſtino in l. ſcire oportet, §. 1. ff. de tut. & curat. dat. ab his, Epithymiam ſcribit, quod vocabulum, conſcientiam, & deſiderium ait ſignificare; ſed corrigendus eſt ex canonum textu 21. quæſt. 4. can. omnis jactantia, ubi evidenter *Epitimium* ſcribitur, per quod pœnitentia, ſeu pœna denotatur, & ſic habetur: [ Eos ergo Epiſcopos, vel Clericos, qui ſe fulgidis, & claris veſtibus ornant, emendari oportet, quod ſi in hoc permanſerint, epitimio contradantur, ] & in fine ejuſdem canonis habetur etiam: [ Igitur ſi inventi fuerint deridentes eos, qui vilibus, & religioſis veſtibus amicti ſunt, per epitimium corrigantur ] Ubi Gloſſa [ Epitimio contradantur, ideſt, ſuſpenſioni unius ſeptimanæ, ut infra canone proximo, vel epitimium dicitur increpatio, vel genus pœnæ. ] Epitimium, ideſt, mulctare, Poſtillator in eod. can. ſignificare etiam ait.

Epitogium, vox Græco latina, ἐπιτόγιον, ſupra togam ſignificans, erat veſtis ſuprema Clericorum loco palli. Vide *Tabardum*.

Epitome, vel *Epitomes*, Græce ἐπιτομή. FR. opus conciſum dicitur, vel compendium, quod Breviarium a noſtris vocatur: quæſtionem ſuper hoc vocabulo. Vide apud Catelianum Cottam in ſuo memoriali ſub hac dictione.

Epitrachelion, græcum ἐπιτραχήλιον, quod torquem, vel collare ſignificat; ſed recentiores Græci eccleſiaſtici ſtolam intelligunt, & eſt ſymbolum funis, quo Chriſtus in paſſione ligatus fuit. [ Significat locum illum, quo vita ad mortem tracta eſt. Balſamon. ] Simeon Theſſalonicenſis ait ſignificare Spiritus Sancti gratiam, quod concordat cum oratione Græcorum, quæ in tali indumento dicitur, nempe; [ Benedictus Deus, qui effudit gratiam ſuper Sacerdotes ſuos. ] Sanctus vero Germanus ait, quod pars ſtolæ dextera arundinem ſignificet, quæ illuſorie poſita fuit in Salvatoris manu; ſiniſtra autem denotat Crucem, quam idem bajulans ſuper humerum portavit. Ex hoc græco vocabulo Maronitæ, & cæteri Arabes Chriſtiani corrupte *Battirſcin* vocant ſtolam Sacerdotalem.

Epiurus, clavus ligneus, aſſula, lignorum ramentum, ex græca dictione ἐπίουρος. [ Si poma decurrant oleaſtro epiurum terebratæ inſige radici. Pallad. lib. 11. cap. 8. [ Quare puto per errorem librariorum in textu D. Aug. ſcriptum fuit *Epiros*, ubi ſic habetur: [Lignum ligno per ſubſcudines, epiros, clavos, & gluten bituminis non poteſt adhærere, lib. 15. de Civit. Dei, cap. 19. ] Idem error in Iſidoro, lib. 19. reperitur his verbis: [ Epigri clavi ſunt, quibus lignum li-

ligno adhæret. ] Sic etiam in Seneca, lib. 3. de beneficiis, cap. 13. ubi aliqui male *Pigros* pro *Epiuros* interpungere cogitant, ac etiam in aliis ſcriptoribus.

* Epoda. Doxologia *Gloria Patri* vetuſtis Scriptoribus vocata.

Epopsia. FR. græca vox ἐποψία, viſio, ex verbo ἐπόπτομαι, inſpicio; ſic appellatur Apocalypſis liber a D. Dionyſio Areopagita, qui ſic ait: [ Arcanam, & myſticam dilecti Diſcipuli epopſiam. De cæl. hierar. cap. 13.

Epopta. FR. græca vox ἐπόπτης, ideſt, cenſor, inſpector, & rerum ſacrarum arbiter, ſic appellabatur ille, qui ad majora, ſuperſtitioſaque Deæ Eleuſinæ ſacrificia admittebatur, nam qui ad Eleuſina minora prius admiſſi erant, *Myſtæ* vocabantur. [ Nam illa eleuſina hæreſis, & ipſæ atticæ ſuperſtitionis, quod tacent, pudor eſt. Idcirco aditus prius cruciant, diutius conſignant, quam inſtituant, cum epoptas ante quinquennium inſtituunt, ut opinionem ſuſpendio cognitionis ædificent. Tertull. adverſus Valent.

Equaritium, equorum ſtabulum. [ Qui laſciviens, ex ducentium manibus ſe excuſſit, & curſu velociſſimo ad equaritium properavit. Cæſarius, lib. 7. cap. 39. ] FR. ſed equitium rectius legendum eſt, ita apud Ulp. in l. plenum. §. equitii uſu. ff. de uſu, & habit. & in l. 1. ad fin. ff. de rei vind. ac alio vocabulo ab eod. Ulpian. *Polia* appellatur in l. ædiles ajunt §. ult. ff. de ædil. edict. Et inde *Equitiarius* dictus eſt armenti cuſtos, quaſi præfectus equitii, ac Firmicus Maternus refert equitiarium futurum, qui natus eſt oriente Centauro.

Eques. Vide *Sellarius*.

Equisonum primus. Vide *Protoſtrator*.

Equitbs. Vide *Crucigerus*.

Equites Aurati. Vide *Majorenſes*.

Equites Militenſes. Vide *Albergia. Arreragium. Cabimentum. Cabreum. Cancellarius. Carena. Chorus, Clocca. Collecta. Conceptio S. Jo. Bapt. Conclave. Eſgardium. Evangelium. Filius Arnaldus. Flabellum. Frerius. Gabbatha. Gramalla. Guba.* Icona B. Mariæ Philermi in dict. *Altare*. Vide *Litania. Mareſchallus. Miſſa ſicca. Mitra. Mortuarium. Motitio. Paſſagium. Pillerius. Planta. Recepta. Receptor. Rhodianus. Siclus. Turcopolerius. Xenodochium.* Eorum Magno Magiſtro competit Eminentiæ titulus. Vide *Cardinalis*.

Equitium, & *Equitiarius*. Vide *Equaritium*.

Equito. Vide *Aſino*. Quare in equitando Magnates equos inanes conducant. Vide *Eparchia*. Equitatio. Vide *Evectio. Redequito*.

Equuleus, genus martyrii in Plebejos. Vide *Plumbatæ*.

Equus. Vide *Runcinus*.

Eranista, a græca dictione ἐρανίςης, ideſt, mendicator; ſic Euthychiani hæretici a Theodoreto appellati ſunt, ad quorum ſimilitudinem Belgici hæreticos *Gueux* vocant, quod Gallice mendicum ſonat.

Erciscundus. FR. ideſt, dividendus, a verb. antiquo *Erciſco*, quod dividere ſignificabat. ] An habeant poſtea; defuncto patre, cum cæteris hæreditatis familiæ erciſcundæ conſortium, can. Nunquid 28. q. 1. ] Ubi quæritur de filiis ex conſortio infidelis ſuſceptis, utrum participent in hæreditate cum aliis, qui ex fideli, ac legitimo matrimonio procreati ſunt, quæ familia *Erciſcunda* dicitur, nempe, ad quam de jure hæreditatis diviſio ſpectat. [ Si una, eademque ſit uxor ejus, qui ante cathecumenus, poſtea fit fidelis, filioſque ex ea, cum eſſet cathecumenus, ſuſceperit, & poſtea alios filios, cum ſit fidelis; utrum ſint fratres appellandi: an non habeant poſtea defuncto patrefamiliæ erciſcundæ hæreditatis conſortium &c. can. deinde, diſt. 26.

Erectus. Vide *Reburſus*.

Eremita, vox græca ἐρημίτης, ideſt ſolitarius. In quo autem differat Eremita ab Anachoreta, dictum fuit in dict. *Anachoreta*. FR. de hoc antiquiſſimo, ac venerabili Anachoretarum ſtatu egit D. Hieronymus in vita S. Pauli primi Eremitæ, qui inter alia, cap. 5. ſic ait: [ Vidiſſe me monachos, de quibus unus triginta jam per annos clauſus hordeaceo pane, & lutulenta aqua vixit. ] Hæc autem eremitica abdicatio non ſine licentia Ordinarii, vel Abbatis cum eorum benedictione permittebatur, quam Balſamon *Conſueta cantica* vocat. Varia eremitarum genera in Palæſtina. Vide *Laura*.

Eremodicium, FR. ἐρημοδίκιον, cauſa deſerta. Onomaſt. Ciſtercien. ἔρημος, enim deſertum græce ſignificat, δίκη, cauſa, ſeu lis: *Dica* enim reperitur in hoc ſenſu etiam apud Latinos. Vide *Dica*. Apud Ulpianum mendoſe *Hermodoticum* in l. & ſi ſine §. ult. & in l. ait Prætor. ad fin. ff. de minor. Sed clare habet Imperator de Eremodicio in l. properandum, §. ſin autem reus, & ibi Accurſius. Vide Alexandr. Genial. cap. 15. lib. 4.

Eremus. FR. deſertum. [ Iſraelitarum cadavera profligavit *ideſt Deus* ) in eremo, nempe, in deſerto, can. quid ergo 23. qu. 5. ] Vide *Eremita. Heremia*.

Ergasterium, græcum vocabulum ἐργαςήριον, officina fabrilis; metaphorice tamen pro Monaſterio ſumitur, in quo exercitia ſpiritualia, & manualia aguntur: [ Siquidem plura Monachorum ergaſteria in celeberrimo municipio Alexandriæ, quæ eſt Metropolis Ægypti, opitulante Chriſto conſtruxere. Aldelmus de Virg. cap. 19. ] Item denotat tributum, ſed datium ſuper officinas impoſitum. Item tabernam meritoriam, ſeu proſtribulum. FR. Notatur errore Gloſſa in can. Nulli clerico licet tabernam, aut ergaſterium habere, diſt. 44. ubi *Ergaſterium* ſtationem ſignificare exponit. Item Ant. Auguſtinus, qui in emendat. Gratian. dial. 8. in addit. num. 6. Ergaſterium d. can. nulli clerico, tabernam, cauponam, exponit: ſed ſi hoc eſſet, fruſtra in eo canone ergaſterium poneretur; nam tabernam jam dixerat. Vide *Argaſteria. Ergodocium*.

Ergastulum. FR. carcer. can. his a quibus 23. qu. 8.

Ergodioctis, Præfectus operum. [ Ubi eſt ille ergodioctis? D. Hieronym. epiſt. 3. ] græcum vocabulum ἐργοδιώκτης, quo uſi ſunt LXX. in cap. ult. Exodi, ubi prædictus S. Doctor vertit, Præfectus operum.

Ergodocium, officina, & taberna fabrilis, ex græco ἐργοδοχεῖον. [ Qualiter illum Deus de lanificii ergodocio ſuſtulit. Petr. Dam. Serm. de S. Severo.

Ergolabus, alicujus manualis operis conductor, græca vox ἐργολάβος; operatio autem *Ergolabia* dicitur.

Eribannus. Vide *Heribanus*.

Eriophoron. FR. Junci genus. Plin. lib. 19. cap. 2.

Erodius. Vide *Herodion*.

Erones. Vide *Hero*.

Erelim Facere. FR. deſerere exercitum, & arma projicere tempore belli, l. ſi quis contumax, de exercitalibus, l. finali, &, ſi poſtquam Comes, eod. tit.

Erogator. FR. exequutor teſtamentarius. Bald. in, l. nulli in ſecunda col. de Epiſcop. & Clericis. Cujus etymon a dict. *Rogus* derivatur. Vide *Erogo*.

Erogo, hoc verbum communiter diſtribuere ſignificat, ſed apud eccleſiaſticos ſcriptores nonnumquam comburere, ſeu calore conſumere intelligitur. Itaque *Erogo* quaſi in rogum do, ſeu trado. [ Non enim ab ſumit, quod exurit, ſed dum erogat, reparat. Tertull. Apolog. cap. 49. ] ubi de infernali igne agit. Errat ſiquidem Jacobus Pamelius, dum Tertulliani textum corrigere falſo nititur in cap. 2. adverſ. hæret. de præſcr. ubi de febri Tertullianus ſcribens, inquit: [ Febrem denique inter mortiferos, & cruciarios exitus erogando homini deputatam. ] Gloſſator *Erodendo* male appoſuit, cujus error ex eodem Tertulliano evidens fit; nam alibi dixit: [ Apud tumulos erogabant, de ſpectac. cap. 13. ] & Minut. de flammis infernalibus agens, eodem verbo in ſignificatione tamen paſſiva uſus eſt, inquiens; [ Ætnæ, & Veſuvii, & ardentium ubique terrarum flagrant, nec erogantur: ita pœnale illud incendium non damnis ardentium, ſed inexeſa corporum lauratione nutritur.

Erraticus. Vide *Gyrovagus*.

Eruca. FR. Vermis ab erodendo dicitur; ita Columella, lib. 11. De quo vocabulo fit mentio in Joel. cap. 1. num. 4. & cap. 22. num. 25. in Amos. cap. 4. n. 9. can. Revertimini 16. qu. 1. & in ff. locati ex conduct.

Erugo. FR. Ros, ſeu potius gelicidium. [ Sed fieri poteſt, ut agros irrigantibus pluviis ſit quidem fertilitas; verum aut locuſta veniat, aut brucus, aut erugo, aut eruca: & labores hominum vaſtabunt. can. Revertimini 16. qu. 1.

Erithrotaon. Vide *Tetrao*.

Erza. FR. Lampadarium in Bibliotheca Cluniacen. in ſtatutis Ordinis. Stat. 52. pag. 1368. ſed Melitenſes *Erzam*, ſeu *Herzam* vocant tabulam lapideam in muro affixam ad imponenda utenſilia.

Erytrhræum Vinum. Vide *Colatum*.

Escarlatum, purpureus, vel coccineus ex lana perfecta pannus, italice *Scarlatto*. [ Telas de eſcarlato. Matth. Pariſ. in hiſt.

Escatilis Pluvia, eleganter de manna, quæ ad manducandum Iſraelitis pluit in deſerto. Tertull. lib. de pall. cap. 5. dixit; ſic virgam Moyſis, quæ ſilicem percutiens, aquam provocabit, *Aquatilem ſequelam* idem appellavit; nam hujus virgæ beneficio populus ille ſecum hoc elementum circumvehere non indigebat, ad hujus enim virgæ virtutem aqua in omni loco obſequens erat.

Esculanus, ſeu *Eſculenſis*. FR. Aſculanus, 5. decret. tit. 3. cap. 44.

Esgardium. In ſtatutis equitum Melitenſium tribunal appellationis in rebus criminalibus eorundem Religioſorum ſignificat, vocabulum gallicum *Eſgard*.

Esophorium, græcum ἐσωφόριον, veſtis interior, ſeu induſium. [ Ille ergo putans, quod egenus eſſet, expoliavit ſe eſophorium ſuum. Anaſt. in vita S. Jo. Eleemoſ. cap. 21. ] & ab eodem Auctore *Hypocamiſum* alibi appellatur. [ Dicebat ſemper, quod poſſet intentione dandi pauperibus expoliare divites, & ipſum etiam hypocamiſum ab eis benevole auferre. ] Vide *Hypocamiſum*. *Poliris*.

Esox, piſcis genus ab Italis *Salomone* appellatum. [ Ad primum jactum reti permodico immanem eſocem Diaconus extraxit. Sulpit. Sever. lib. 3. Dial. c. 13. Tunc in Dei, & ipſius nomine laxantes rete, gemino ditati gaudent eſoce. Flodoard. lib. 2. hiſt. cap. 8. ] In mendoſis codicibus *Iſocem* habetur. Alii tamen melius crediderunt *Exoſem* legendum. FR. *Exoſem* nempe, putant proferendum aliqui, ideſt, ſine oſſibus; ſed hic piſcis oſſibus, ſeu ſpinis non caret, & a Plinio, lib. 9. cap. 15. *Eſox* etiam dicitur. Sciendum autem hos & ſimiles piſces in Thraciæ mari gigni, & ideo vocatum fuit *Mare Carpatium* a Καρπάθιον, ideſt, fructuoſus. Mare ergo Carpathium, ideſt, fertile, quod etiam piſcatoribus noſtratibus eſt notum; nam vocant piſces primi tranſitus, quando prima vice ex eo mari ad nos perveniunt; & redeuntes ibi, ſecundi tranſitus appellantur; quia piſces ſunt, ſicut aves, quæ ſtationem calidam ſecundum anni tempora quærunt; ſed mare per antiperiſtaſim in qualitate frigoris, & caloris aeri eſt contrarium; vireſcit enim mare, quando terra in æſtate areſcit; & eſt calidum, quando aer frigeſcit, & e contra. Igitur piſces ſemper migrant oppoſite reſpectu avium, ratione antiperiſtaſis. Quare multæ piſcium ſpecies nomen habent ex aliquo Thraciæ loco, ubi gignuntur, ſic *Thynnus* piſcis denominationem ſumit a Thynnis Thraciæ litoribus, & populis, de quibus Strabo libro 7. quæ litora non longe ab antiqua Troja diſtant, ac Marcialis Thynnaam Civitatem appellat, dum, lib. 4. epigr. 43. inquit:

Antipolitani nec quæ de ſanguine Tynni. Et alibi:
Antipolitani fateor ſum filia Thynni.

Antipolitani, ideſt, tranſtyberini; ſic Solinus, & Plin. lib. 3. c. 5. [ Antipolis, quod nunc Janiculum ] græce, nempe, ſonat ante, vel contra Civitatem ſaturniam, ſeu latialem, quæ nunc Roma. Dicuntur

enim tranſtyberini de ſanguine, ſeu filii Thynni; nam Thynnus ex Strabone ſupra cit. non longe ab antiqua Troja diſtat,& adhuc adagium Romæ viget vulgariter prolatum, *Traſteverini ſangue trojano*. Igitur *thynnus* piſcis a Thynno Thraciæ urbe provenit: unde Plinius, lib. 9. cap. 15. inquit de thynnis: [ Intrant e magno mari Pontum verno tempore gregatim, nec alibi fœtificant. ] Pelamides vero piſces a Pelamedio Thraciæ oppido, de quo Plinius, lib. 5. cap. 30. & licet hic auctor, lib. 9. cap. 15. dicat, quod pelamides poſt annum incipiant vocari thynni; verum de hac re piſcatores Melitenſes rident, qui illos quoque *Palamid* vocant, & optime callent thynniculos a pelamidibus eſſe diverſos; ideo puto hanc ſententiam ab aliquo fuiſſe additam in Plinii textu, cum ipſemet, lib. 32. cap. ult. multas pelamidum ſpecies recenſeat. Cordyla piſcis; idem lib. 6. cap. 15. & Martial. lib. 11. Cordylus enim eſt Thraciæ urbs. Stephanus. Eſt item alia pelamidum ſpecies, quam Melitenſes *Cobrytes* vocant, ſcilicet, a *Cobrys* Thraciæ urbe, a qua fit gentile *Cobrytes* Stephanus. Item *Silurus* piſcis, quem Melitenſes *Sallur* appellant, anguillarum ſpecies a Sillura inſula in mari Britannico, de qua Solinus: unde falſo exiſtimat Paulus Jovius ſilurum eſſe ſturionem in libello de piſcibus romanis. Item Oxyrinchus Piſcis, & Civitas, vide ſuo loco. Sic ergo *Eſox*, ab *Eſſo* Locridis urbe, de qua etiam Stephanus; quem piſcem Itali *Salamonem* appellant a Salamis etiam in Thracia; & ſic de reliquis piſcium nominibus ex Thraciæ locis, ubi gignuntur, denominationem ſumſere, licet etiam *Eſox* piſcis in Rheno reperibilis ſit, & magnitudine thynni, ut Plin. lib. 9. cap. 15. refert.

ESSENI, una ex hebræorum ſectis, quæ nimia auſteritate, & a reliquis ſegregate vivebat, & ideo a cæteris Hebræis tanquam Schiſmatici habebantur Eſſeni, tum ex hoc, tum etiam quia nolebant ſacrificare in Templo, aſſerentes ſanctioribus cæremoniis eos uti, ac teſte S. Epiphanio, tantum Pentateuchon ex ſacra Scriptura admittebant, reliquos vero ejuſdem ſacræ paginæ libros rejiciebant, non credebant in mortuorum reſurrectionem; nihilominus, quoad mores ab omnibus laudantur. Illi tamen, de quibus egit Philo, a prædictis, ut D. Hieronymus ſenſit, differentes erant: nam ait Sanctus Doctor, quod Philo de Chriſtianis S. Marci in Ægypto diſcipulis ſub nomine Eſſenorum loquebatur, cogitans hebræus ille auctor extollere ejus nationem, dum ibi adhuc Eccleſiam aliquo modo judaizare inſpiciebat: erant enim Chriſtiani tunc Eſſeni, ideſt, *Eſſei*, ſive *Jeſſei* a Jeſu ſic vocati. Vide *Ephemereuta*.

ESSENTIA. FR. pro ſubſtantia, & natura, Gloſſa in cap. 1. Clement. de ſumma Trinit.

ESSYN. Vide *Ephod*.

ESTOVERIUM, aſſignatio, ſeu proviſio pro victu, & veſtitu: [ Et viduæ maneant in domo mariti ſui, & habeant rationabile eſtoverium, Matth. Pariſ. in hiſt.] Derivatur a gallico vocabulo *Eſtover*, fovere, & ſuſtentare ſignificante, & ab Anglis animalium alimentum *Stover* dicitur.

ETÆRIARCHA. Vide *Mega hetæriarcha*.

ETHANIM. FR. ſive *Thiſri*, ſeptimus Hebræorum menſis: Auctores in dict. *Elul* citati.

ETHNICUS ἐθνικός. FR. ab ἔθνος, ideſt, gens; inde *Ethnicus*, ideſt, gentilis. Gloſſa in cap. quemadmodum. de jurejurando. Vide *Paganus*. *Nudipedalia*, In numerando ethnica ſuperſtitio. Vide *Kyrie eleiſon*.

ETHNOPHRONES, hæreticorum ſecta, ex græco ἐθνόφρονες, quia ritus, & cæremonias Gentilium imitabantur.

ETIAM CUM, FR. pro quamvis, ſeu etiamſi; Gloſſa in can. Nos conſuetudinem, diſt. 12.

EVACUARIUM, ſeu *Apoca evacuatoria*. FR. apoca in qua apparabatur debitoris ſolutio. Marcul. in ejus formulario. Itaque D. Aug. de cura pro mortuis, inquit, [ Ubi eſſet recautũ, quo illa cautio vacuata fuerat, indicavit.

EVAGOR. FR. de clerico dicitur, qui abſque ſui Epiſcopi licentia a Diœceſi diſcedit. can. ſi forte, 21. qu. 1.

EVANGELISMUS, feſtum Annunciationis Virginis Deiparæ, ex voce græca εὐαγγελισμός. [ Quinto menſis Januarii veſpere feſtum Evangeliſmi celebrant ( *ideſt Armeni*) Nic. de relig. Armen. ] Nullum enim feſtum in quadrageſima celebrare ſolent Armeni, ideo hoc feſtum anticipant; quod tamen feſtum, & quadraginta Martyrum tantum intra quadrageſimale tempus a Græcis celebratur, reliqua alia excludentes. FR. Sed Balſamon Evangeliſmi Palmarum feſtum, Dominicam Palmarum intelligit. Vide *Palmarum feſtum*.

EVANGELIUM, εὐαγγέλιον, ideſt, fauſta annunciatio. Aliqui tamen ab hebraica voce *Eban*, nempe, petra, & *Ghelion*, ideſt, manifeſta, etymologiam deduxerunt, quia in Evangelio generi humano propalatur Meſſia, qui fuit angularis lapis a perfida ſynagoga reprobatus, ſic Joannes Baptiſta Jona in proœmio Evangeliorum, quæ in hebraicam linguam traduxerat, ſignificare oſtendit: contra quendam improbum Rabbinum, qui *Evanghelion*, ideſt, manifeſtam offenſam doloſe interpretaverat. FR. Item hoc vocabulum non quatuor Evangelia ſignificat aliquando; ſed miſſionem, nuntium & prædicationem. [ Gratia Domini noſtri Jeſu Chrſti cum omnibus vobis. Amen. Ei autem, qui potens eſt vos confirmare juxta evangelium meum, & prædicationem &c. ad Romanos, c. 16. ] Sic etiam idem Apoſtolus; [ Et contuli cum illis evangelium, quod prædico in gentibus. Et inferius: [ Sed contra cum vidiſſent, quod creditum eſt mihi evangelium præputii, ſicut & Petro circumciſionis: ] nam Paulus præputium evangelizabat, ſive prædicabat; Petrus vero circumciſionem; unde Paulus inquit, Petrum [ Ad veritatem evangelii non recte ambulaſſe. Galat. c. 2. ] Quare perperam Toſtatus q. 10. in Præfat. Evangelii Matth. per Evangelium intelligit concilium: ||: Cæremoniæ, quæ obſervari ſolent circa prolationem Evangelii in Miſſa ſunt, quod quando legitur, audientes erigunt ſe; nam, [ Juxta decretum Anaſtaſii Papæ non ſedetur, dum

dum

dum Evangelium legitur, quæ reverentia, ut ajunt, & Apoſtolicę lectioni exhibetur apud Græcos. Microlog. de Eccleſiaſ. obſervat. c.9. FR. De Epiſcopo Alexandrino Sozomenus admiratur, ſic inquiens: [ Novum & illud apud eoſdem Alexandrinos eſt, quod Epiſcopus, dum recitatur Evangelium, non aſſurgat, quod apud alios uſquam fieri, equidem neque comperi, neque audivi, lib. 7. hiſt. eccl. cap. 19. ] :||: Quinimo Græci Epiſcopi pro hoc interim deponunt pallium in memoriam ovis amiſſæ, de qua in Evangelio, & Diacono tradunt, ſeu, ut ait Simon Theſſalonicenſis; [ Dum Evangelium legitur, Epiſcopus omophorion deponit, ſervitutem, ac ſubjectionem ſuam demonſtrans; quoniam enim ille per Evangelium loqui cognoſcitur, & tanquam coram adeſt. ] Eandem cæremoniam a Latinis quoque fieri ſolitam fuiſſe, Iſidorus Peluſiota, lib. 2. epiſt. 36. ad Hermanum Comitem teſtatur, inquiens: [ Nam cum ipſe Paſtor per adorandorum Evangeliorum aperitionem accedit, tum demum Epiſcopus aſſurgit, atque imitationis habitum, ideſt, pallium deponit, hinc, nimirum, ipſum paſtoralis artis ducem, ac Deum, & herum adeſſe ſignificans. ] Maronitæ, qui in Eccleſia ſtant tecto capite, tempore tamen Evangelii, ac tempore conſecrationis illud detegunt. Vacuis manibus Diacono præcedit Subdiaconus, quia in apparitione veræ, ac evangelicæ lucis, evanuerunt veteris teſtamenti tenebræ, cujus figura eſt Subdiaconus. Innocent. III. Durand. lib. 4. cap. 24. qui ſubjungit in aliquibus Eccleſiis antiphonam, ante Evangelium appellatam cani ſolitam fuiſſe, de qua etiam, ac de antiphona poſt Evangelium, mentionem facit Rodulphus Tungrenſis, inquiens: [ Ante quod, & poſt quod, ( *nempe Evangelium* ) cantantur antiphonæ, quæ dicuntur ante Evangelium, & poſt Evangelium, quibus carent Romani, de can. obſervat, propoſ. 13. ] Diaconus igitur cantaturus Evangelium prius Celebrantis manum oſculatur; Subdiaconus vero poſt epiſtolæ lectionem, quia vetus lex terminata eſt in Chriſto, a quo nova ſumpſit exordium; hæc enim in Diacono figuratur, ſicut in Subdiacono illa, & hoc etiam in Miſſis privatis figuratur; cornu enim epiſtolæ veteris, & cornu Evangelii, novi teſtamenti ſunt ſymbola, ideo quando legitur Evangelium à dextero latere ad ſiniſtrum transfertur; ſeu ut ait Hugo de S. Victore. [ Quod Evangelium a parte dextera ad ſiniſtram transfertur, & ibi legitur; Judæa enim reſpuente Verbum Dei, Apoſtoli tranſierunt ad Gentes. In ſpec. eccleſ. cap. 7. ] Diaconus ad meridiem ſe vergebat in pronunciando Evangelium, ubi erat virorum manſio; ſed deinde ex abuſu cœperat ad aquilonem ſe vergere, ex eo quia Celebrans privatim ſic faciebat in lectione Evangelii, hic tamen id libere facere poterat, dum circa Altare mulieres non habebant acceſſum. Microlog. loc. cit. ſed Innocent. III. lib. 2. de myſt. Miſſæ, c.43. hunc Diaconi actum myſterioſe defendit, inquiens: [Adverſus ergo Aquilonem legitur Evangelium, ut aquilo ſurgat, & auſter adveniat, ideſt, ut Diabolus fugiat, & Spiritus Sanctus adveniat. ] Nos autem quia prædicamus Chriſtum, & hunc crucifixum, ideo Diacono Evangelium cantaturo, præcedebat Crux. Durand. lib. 4. c. 24. Quod adhuc Dominicani obſervant. Ponebatur Evangeliorum liber, dum Diaconus id canebat, ſuper dorſum aquilæ lapideæ, quæ adhuc in multis Romæ Eccleſiis perdurant. In Eccleſia tamen conventuali Melitæ ritus hic obſervatur; canitur enim Evangelium ſuper æneam aquilam mira pulchritudine fabrefactam. Præcedunt etiam in hac functione lumina per ceroferarios delata, non ad expellendas tenebras, quia tunc non reperiuntur, ſed ad denotandum Evangelii ſplendorem, ut D. Hieronymus ait: [Quando legendum eſt Evangelium, accenduntur luminaria, jam ſole rutilante, non utique ad fugandas tenebras; ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum; unde & Virgines illæ evangelicæ ſemper habent accenſas lampades. Adverſ. Vigilantium. ] Ac aliud morale ſignificatum meditatur in hoc Innocent. III. nimirum: [ Acoluthi cereos ferunt accenſos, dum legitur Evangelium, non ut tenebras aeris illuminent; ſed ut proximis opera bona oſtendant, lib. 1. de myſt. Miſſæ, c. 3. ] De trino autem ſigno Crucis, quo ſimul cum Diacono circumſtantes in principio Evangelii ſeſe ſignant, ſic præfatus Innocentius ait: [Signare ſe debet in fronte, ſignare ſe debet in ore, & in pectore, ac ſi dicat, ego Crucem Chriſti non erubeſco, ſed credo corde, quod ore prædico, l.2. de myſt. Miſſæ c.43.] & de oſculo Evangelii addit ibidem, quod eo mediante pacem a Chriſto recipimus: Per quem conſolationem recepimus. ] In eccleſia hieroſolymitana S. Sepulcri Diaconus in die Paſchæ quando illa verba: [ Surrexit, non eſt hic ] pronunciabat; tunc digito Sanctum Sepulcrum indicabat, quod ab oculato teſte Rolando Epiſcopo in ſua m.s. hiſt. de anno 1349. refertur, quod opus apud q. Michaelem Joannem Bellaguer Milivet. Epiſc. conſervabatur. In Nazareno templo Deiparæ dicato, ac ſito in eodem loco, ex quo Sacra Lauretana Domus per Angelorum manus mirabiliter in Picenum tranſlata fuit, Philippus a Sanctiſſima Trinitate Carmelita diſcalceatus, in ſuo itinerario narrat, quod inter alia illius Eccleſiæ privilegia per totum annum celebrari licet Miſſam Annunciationis, & quando legitur Evangelium in hac forma dicitur, nempe: Miſſus eſt Gabriel Angelus in hanc Civitatem &c. ] Et in finali Miſſæ Evangelio dicitur: [ Verbum caro hic factum eſt. ] In fine Evangelii oſculatur liber, ut recipiatur pax a Chriſto; ſicut ſupra dictum eſt; ſed ſi adeſt aliqua dignitas ſuperior, ut in rubricis Miſſalis diſponitur, celebrans tunc non oſculatur librum; ſed ſolus ſuperior, & nullus alius: ſi vero plures æqualis dignitati ibi adeſſent, nullus tunc eorum oſculatur, quia unus ſolus eſt Chriſtus, & non diviſus in partes. Gavant. part. 2. tit. 6. & Romæ obſervatur, quod quando plures interſunt Cardinales, tunc Evangelium nulli præbetur ad oſculandum. FR. At hæc cæremonialis regula in matrimonio recentis

Chri-

Chriſtianiſſimi Regis fefellerat, quando ad pyreneos limites Infantam Hiſpaniarum Regis filiam in uxorem duxerat, qua occaſione ambo Reges fœdus inierant; tunc enim uterque Rex ad propria confinia acceſſerat in ſimultaneo inſtanti, ac Gallus Hiſpanum cum titulo Patris ſalutavit, & vice verſa hic illi titulum Filii dederat, & genuflexi intra eorum limites audierant Sacrum in Altari in collimitanea linea erecto; in oſculo autem Evangelii, & pacis iconis, duo Cappellani ſeorſim, ac eodem tempore has cæremonias præbuerunt ambobus :||: Honorius III. ſub pœna excommunicationis an. 1221. in ep. decretali, quæ incipit, Ad audientiam, cuicumque Sæculari Principi Evangelii oſculum præberi vetuit, niſi eſſent Reges oleo ſancto uncti. Antiquitus tamen etiam populus ad hujuſmodi oſculum admittebatur. Gem. lib. 1. cap. 119. FR. Quo ad Reges quando uncti ſunt, nedum Evangelium oſculari poſſunt, ſed etiam illud canere in Miſſa, ſicut de facto anno 1347. in ejus chronica Albertus Argentoratenſis narrat, quod Baſileæ in nocte Nativitatis Domini Carolus IV. Romanorum Rex poſt refectionem ſacræ communionis alta voce in Miſſa legiſſet Evangelium, quod incipit: [ Exiit edictum a Cæſare Auguſto &c. ] tenens in manu denudatum gladium. Quo ad gladium, & pugionem denudatos tempore Evangelii, in Miſſa Nativitatis B. V. M. etiam M. Melitenſis Magiſter ſolet idem facere :||: In quadam Collegiata Caſtri cujuſdam territorii Forili-ienſis Diaconus die Epiphaniæ canit Evangelium, habens in manu evaginatum enſem, & capite galea tecto in ſignum mixti, & meri Eccleſiæ imperii. Cæterum quo ad obſequium, & reverentiam Evangelii, dicendum, quod in Rhemenſi Eccleſia Subdiaconus in principio Miſſæ exhibet Evangeliorum librum Archiepiſcopo celebranti, ut oſculetur, dicens illi: [ Hæc eſt lex Sancte Pater, ] & Archiepiſcopus reſpondet: [ Credo, & confiteor. ] Mos erat deferre librum Evangeliorum in proceſſionibus, & præſertim in ea, quæ fit in Dominica palmarum: tunc enim ſuper humeros bajulabant Diacones ornatam machinam, in qua deferebatur Evangeliorum liber, qui Chriſtum triumphantem denotabat. Alcuin. de div. off. cap. 24. Romæ ad præſens Papa celebrans Pontificaliter, dum ex Throno proceſſionaliter ad Altare pro incipienda Miſsa dirigitur, latinus Subdiaconus Evangelium argento contectum ante pectus defert, quod etiam fit dum celebrat Epiſcopus, Cærem. Epiſcop. lib. 1. cap. 10. & in ea proceſſione, dum Pontifex ad Altare dirigitur, ei obviam veniunt ultimi tres Cardinales ex ordine presbyterorum, oſculantes eum in facie, & in pectore, & hi tres Magos orientales denotant, qui Chriſtum infantem adorare venerant; duplex oſculum ſignificat duplicem Chriſti naturam. [ Tres Sacerdotes, qui Pontifici venienti coram Altari reverenter occurrunt, & inclinantes os ejus oſculantur, & pectus, tres illos Magos ſignant. Innocent. III. lib. 2. de Myſt. Miſſæ, cap. 11. ] & inferius: [ Per geminum oſculum geminam in Chriſto naturam confitentur, divinam, ſcilicet, & humanam, divinam quaſi latentem in pectore, humanam quaſi patentem in ore. ] Græci autem nedum ferunt dictum librum, quando Sacerdos accedit ad Altare, ſed in quacumque proceſſione, & qui illum deferre ſolebat, *Præfectus Evangelii* a Conſtantinopolitanis appellabatur, atque in ſolemnitatibus majoribus hoc ad Archidiaconum Patriarchalem ſpectabat, qui etiam *Doctor Evangelii* dicebatur, eique incumbebat ſuper Evangelia currentia ſermonem ad populum habere. In Andegavenſi Eccleſia ſemper quando fit proceſſio, fertur Crux, & Evangeliorum liber, illa, nempe, uti ductrix, & hic tanquam lumen. Fuit etiam laudabilis ſemper conſuetudo Oecumenicorum Conciliorum, in primario, & venerabiliori confeſsorii loco erigere thronum ſpeciale pro dicti Sacri Codicis depoſito, pro cujus eximia reverentia, inquit Chryſoſt. homil. 7. ad popul. [ Evangelium quidem dum capere oportet, manibus lotis, & cum multa reverentia, & religione tremens, ac timens ſumis. ] Quod Moſchi adeo obſervant, ut antequam illud tangant, profundiſſima reverentia ſignent ſe ſigno Crucis, & caput detegant. Inter veteres Chriſtianos vigebat pia devotio ferendi in pectore Evangelium, non ſecus, ac ſi eis eſset pretioſiſſima reliquia: quare Chryſoſtomus, homil. 19. ad populum ajebat: [ Non cernis, ut mulieres, & parvi pueri præ magna cuſtodia collo Evangelia ſuſpendunt? ] Et de Glorioſa Virgine, ac Martyre Cæcilia ejus acta teſtantur, quod ſemper Evangelium Chriſti gerebat in pectore. Item D. Gregorius in ejus Regiſt. lib. 12. epiſt. 7. hæc ſcribit: [ Excellentiſſimo filio noſtro Adulovaldo Regi tranſmittere phylacteria curavimus, ideſt, Crucem cum ligno Sanctæ Crucis Domini, & lectionem Sancti Evangelii theca perſica incluſam. ] In quadam epiſt. S. Joannis Damaſceni ad Theophilum Imperatorem ex greco in latinum idioma a Franciſco Combefis traducta, & Pariſiis de anno 1664. impreſsa, hæc ſequentia verba leguntur: [ Evangelium S. Matthæi poſt annos octo a Chriſto in cœlum recepto ſcriptum eſt; Marci vero poſt annos decem; Lucæ poſt annos quindecim; Joannis poſt annos triginta duos. ] FR. In catalogo librorum Chaldæorum Auctore Hebedieſu Metropolita Sobenſi, quem ex chaldaico idiomate in latinum Abraham Ecchellenſis tranſtulit, Romæ impreſs. Typis de Propag. Fide 1653. fol. 7. §. Abſoluta, hæc habentur: [ Matthæus, qui hebraice in Paleſtina conſcripſit. Poſt illum autem Marcus romane loquutus eſt in celeberrima Urbe Roma. Lucas vero Alexandriæ grece loquutus eſt. Joannes autem Epheſi græce conſcripſit Evangelium. ] De qua re. Vide fuſius in dict. *Camelus*. Cæremonia ponendi librum Evangeliorum ſuper humeros novello Epiſcopo in actu conſecrationis ejuſdem, a Græcis *Sancti Evangelii jugum* dicitur, & tunc tam a Græcis, quam a Latinis in aperitione libri obſervabantur prima texti verba, ex quibus fauſtum, vel infauſtum omen ſuſcipiebant; hinc

in ordinatione Athanaſii Conſtantinopolitani Patriarchæ verba illa evangelica in oculos objecta fuerant, nempe, [ Qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus. ] quod ex indignis ejuſdem Patriarchæ actionibus verificatum fuit, quare ſede illa privatus eſt. Pachimera, lib. 2. cap. 15. E contra vero in conſecratione Lanfranchi Cantuarienſis Archiepiſcopi occurrerunt evangelica verba: [ Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. ] Qui Præſul in largiendo eleemoſynas fuit valde inſignis & in ejus ſucceſſore S. Anſelmo, qui reformationis cauſa paſsus eſt multas Coepiſcoporum contrarietates, in ejus conſecratione apparuerant verba: [ Vocavit multos &c. ] At quando hic Radulphum Ruſenſem Epiſcopum ordinaverat, viſa ſunt verba: [ Erunt ſimiles angelis Dei; ] & e contra conſecrans Harfaſtum peſſimum Epiſcopum, lectus occurrerat hic textus: [ Non hunc, ſed Barabbam. ] Narratur ulterius in actis S. Eupulii Diaconi, & Martyris Catanenſis, quod, quando a ſatellitibus captus fuit, Evangelium meditabatur, & a Præfecto interrogatus, aperuit Sanctus Evangelia, & reperta ſunt verba, [ Beati qui perſecutionem patiuntur &c.] ac cupiens denuo Præfectus tale prodigium experiri, iterum illum interrogavit, & interrogatus iterum aperiens eundem librum, oblata ſunt myſterioſa verba, [ Qui vult venire poſt me &c. ] Item evangelium dicitur canticum. Vide *Canticum*. Vide *Goſpel. Monaſterium. Paſſio*. Evangelium Dominicæ in fine Miſsæ non dicitur, ſi in ea die celebratur de Vigilia Nativitatis Dom. V. *Vigilia*.

EUANGELIUM ÆTERNUM. FR. parvus, at pravus liber ita appellatus; de quo Odoricus Raynaldus ad An. 1256. n. 20.

EUBOICUM TALENTUM. Vide *Talentum*.

EUCHARIS, græcum vocab. εὔχαρις, facetus, docilis. [ Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, & lingua eucharis in bono homine abundat. Eccl. cap. 6.

EUCHARISTIA, nomen græcum εὐχαριστία, ideſt, gratiarum actio, ſeu grata memoria. FR. dicitur, ab *Eu*, quod eſt bonum, & *Charis*, quaſi bona gratia. Gloſsa in Clemen. de privil. cap. 1. Euchariſtia dicitur *Perennis victima*, can. quia corpus, de conſecrat. diſt. 2. Item *Communio*, quia in ea communicatur Chriſtianis Corpus, & Sanguis Redemptoris. Dicitur *Hoſtia*, quia Patri Æterno Unigeniti ejus Filii hoſtia viva offertur. Dicitur *Sacramentum*, ex profunditate myſteriorum. Item *Sacrificium*, quia in ea habetur verum, & incruentum Agni immaculati ſacrificium. Item appellabatur *Reliquia*. Dicitur *Viaticum*, quia pro demigrantibus de hac vita eſt provida alimonia. Item appellatur *Antitypon*. Dicitur tandem *Synaxis*, quod ſignificat adunationem, quia ubi eſt hoc Sacratiſſimum Corpus, ibi Chriſtiani tanquam aquilæ congregantur, quod antiquitus ſub utraque ſpecie etiam Laicis concedebatur, de qua re dictum eſt in dict. *Communio*. At quamvis tenerentur in Miſsa Chriſtiani illius ſæculi ſub utraque ſpecie hoc ſacramentum ſuſcipere; extra tamen eam ſub ſola ſpecie panis reficiebantur, quia perſequutionum tempore concedebatur Chriſtianis deferre ſecum Euchariſtiam, ut ad martyrium prompti ſtatim illam potuiſsent ſuſcipere, cujus uſus multas Sanctorum Patrum atteſtationes invenies. De Monachis in eremo D. Baſilius refert, quod propter Sacerdotis carentiam, ſecum illi hunc conſecratum panem conſervabant, & propriis manibus ſuſcipiebant, quod in occidentali Eccleſia uſque ad Hormiſdæ tempora perduravit, & propter devotionis relaxationem in Cæſarauguſtano Concilio can. 3. ablatum fuit. FR. eadem prohibitio etiam in Rhemenſi Concilio cap. 2. ordinata fuerat, apud Gratian. can. pervenit. de conſecrat. diſt. 2. Sed in Eccleſia orientali diutius remanſit. Solebant præterea Chriſtiani in itineribus hoſtiam conſecratam ſecum deferre; ac de Satyro ejus fratre D. Ambroſius, & de S. Maximo Syracuſarum Epiſcopo D. Gregorius teſtantur. Euchariſtia in mari delata. Vide Baron. An. 635. num. 10. Ejus ſynonyma ſupra relata. Vide *Antitypon. Communio. Corporale. Corporale feſtum. Corban. Dominicale. Confirmo. Hoſtia. Synaxis. Viaticum*. Non eſt danda mortuis. Vide *Communio laica*. Conferebatur adultis, & infantibus. Vide *Baptiſmus*. Ubi eſt palam expoſita Euchariſtia, in eo Altari non aſpergitur. Vide *Acqua benedicta*. Non debet cum Euchariſtia populus benedici in illis verbis: *Sit & benedictio*. Vide *Benedictio*. In die Annuntiationis Deiparæ non debet adminiſtrari Fidelibus niſi in caſu neceſſitatis, ſi in feria VI. Paraſceve occurrerit. Vide *Paraſceve*. Nec in eadem Paraſceve Euchariſtiæ Sacram. in proceſſione deferri. Vide *Paraſceve*. Item Euchariſtia hierarchica appellatur Symbolum Fidei a B. Dionyſio. Item Euchariſtiam quodlibet Sacramentum D. Cyprianus vocat in Concilio ab eo celebrato, ubi de Baptiſmo ab Hæreticis collato agens, inquit: [ Ut Antiſtes diaboli audeat Euchariſtiam facere ] Sic de Chriſmate idem in ſermone de ablut. pedum ait: [ Quia poſt Baptiſmum, & Euchariſtiam, quæ ſui reverentia non patitur iterari. ] Et clarius de eodem Chriſmate in epiſt. ad Januarium, [ Porro autem Euchariſtia eſt, unde Baptizati unguntur.] FR. Papa Joannes XXII. Feſtum Corporis Chriſti cum multis Indulgentiis renovavit. Jo: Villanus par. 1 ſuæ hiſtor. lib. 9 cap. 78. Quomodo antiquitus Euchariſtia conſervabatur. Vide *Ciborium*.

EUCHARISTICUM, εὐχαριστικόν. FR. Sic ſermonem de ejus vita Ennodius Ticinen. Epiſcopus appellavit.

EUCHETÆ, *ſive* EUCHITÆ, Hæreticorum ſecta, a vocabulo græco εὐχῖται, ideſt, *Oratores*, quia locum Sac. Scripturæ ubi ait, [Oportet ſemper orare; ] male interpretantes, continuo orabant. Diverſis nominibus appellati ſunt hi Hæretici, nempe, *Adelphiani. Enthuſiaſtæ. Maſſiliani. Pſalliani. Sathaniani*. De eorum ineptiis, & erroribus dicetur in dict. *Precatores*.

EUCHOLOGIUM, Εὐχολόγιον, ſic vocant Græci eorum Rituale, in quo præter orationes, & preces ad Sacramen-

menta adminiſtranda, aliæ etiam functiones Sacerdotales, & Epiſcopales continentur.

Eucrates, εὐκρατὴς, bene tenens, bene compos, bene potens. Vide *Encratra*.

Evectio, iter, ſeu potius eductio, exportatio, a verbo *Eveho*, ideſt, extra veho. [ Datis literis, & pueris deſtinatis cum evectione publica. Gregor. Turon. lib. 9. cap. 9. ] FR. ſumitur etiam pro equitatione, ut Concil. Tolet. VII. can. 4. ubi in actu Viſitationis taxatur numerus equorum pro epiſcopi evectione. Item etiam fidei publicæ licentia, & charta ſalviconductus, ſeu, ut Itali dicunt, *Paſſaporto*,

Evectus, idem, quod ſupra. [ Evectu navali. Gregor. Turon. lib. 3. c. 3. ] Item ſublevationem denotat. [ Sic te Apoſtolicæ Sedis evectu, quaſi ſuper candelabrum ſublime conſtituit. Paulin. epiſt. 27. ad Victric.

Eversor. Vide *Interverſor*.

Evestigio, FR. ſtatim, vel continuo. Gloſſa in ſexto, de ſtatu regular. cap. unico, §. verum.

Eugumenus. Vide *Hegumenus*.

Evitudo, evidentia. [ Æmulos tuos ingenti evitudine vibrat. In vita S. Theodori Ducis.

Eulogia, εὐλογία, ſignificat benedictionem. FR. ab εὖ, ideſt, *bene*, & λέγω, *dico*. :||: ſumitur pro oblatione, & eleemoſyna. [ Ut de benedictionibus, quæ offeruntur a populo, & conſecrationi ſuperſunt, vel de panibus, quos deferunt fideles ad Eccleſiam, vel certe de ſuis convenienter partes inciſas habeat in vaſe nitido, & convenienti, & poſt Miſſarum ſolemnia, qui communicare non fuerint parati, eulogias omni die Dominico, & in diebus feſtis exinde accipiant. Ex Decret. Pii Papæ. Apud Baron. ad Ann. 313. num. 51. & ſeqq. ] FR. ex his Papæ Pii verbis nonnulli hanc dictionem ſignificare ſolum benedictum panem (de quo in dict. *Fermentum*) exiſtimarunt: ſed falluntur; nam *Eulogia* ſignificat benedictionem in abſtracto, eleemoſynam, & munus; ſic Papæ præfati verba *De eulogia accipiant*, ideſt, de eleemoſyna, intelliguntur, (quæ & benedictio dicitur) quod idem eſt ac de munere accipiant; ſic Eulogiæ dicuntur munera, quæ deferunt ſubditi ſuis Prælatis Gloſſ. in can. de eulogiis, diſt. 18. Sic etiam intelliguntur verba Sancti Paulini. [ Panem campanum pro eulogia (*ideſt*, *pro munere*) de cellula noſtra miſimus epiſt. 1. ] Hinc Baronius loco cit. non dixit, quod *Eulogia* ſignificabat benedictum panem tantum; ſed quod *Eulogia* dicebatur panis benedictus ad differentiam Euchariſtiæ; nam ibi contra Novatores probat, quod benedictio, & eulogia non intelligatur Euchariſtia, ſed panis benedictus, qui de eulogia, ideſt, de eleemoſyna, & oblatione fidelium ſupererat, in quo ſenſu dixit D. Gregorius: [ Ex parva eulogia, quam bonus Monachus accipit, lib. 9. epiſt. 42. ] ideſt, ex parva eleemoſyna; ſic etiam donum, benedictio ſæpe apud eundem Gregorium dicitur. [ Unum autem caballum, quale invenire potuimus, de benedictione Sancti Petri tranſmiſimus. ] In ſignificatu oblationis, ſeu eleemoſynæ etiam ait Gelaſius Papa; [ Ut quidquid dedicationis, vel natalis Martyris die, quorum in eodem Monaſterio reliquiæ ſunt, per fidelium oblationes intraverit, medietatem quidem habeat ipſum Monaſterium, medietas autem Epiſcopo offeratur, ] & inferius: [ Sin vero nil tale inter eos conſtiterit, mediante te quid Epiſcopo nomine eulogiæ offerri debeat &c. 18. quæſt. 2. can. Eleutherius, ] & ibi Gloſſa. Item [ De eulogiis ad ſacra Concilia deferendis (*ideſt*, *de muneribus*) nil invenimus a majoribus terminatum, ſed ſicut unicuique Presbytero placuit; nam ſi conſtitutum fuerit aliquod illo tempore benedictionis afferri (*ideſt*, *tempore Concilii*) forſitan minus libenter ad ſynodos occurrerent, & magis venire obtrectarent, quæ non ſunt (ut arbitror) rationabiliter requirendæ, nec ultro delatæ, can. 7. diſtinct. 18. ] Ridiculum enim eſſet, ſi *Benedictiones*, & *Eulogias* hic fruſtilla panis benedicti deferenda Patribus Concilii a Sacerdotibus intelligerentur. Vide ergo hujus dictionis ſynonyma. *Benedictio beatica*. *Collecta*. *Eleemoſyna*. *Fermentum*. *Oblatio* :||: In textu vero S. Gregor. lib. 8. epiſt. 33. legitur *Eulogium*; ſed Elogium corrigendum eſt, quod, ut ſuo loco diximus, teſtamentum ſignificat.

Eulogimenopolis, εὐλογημένόπολις, Ita appellata fuit a S. Germano Civitas, quæ ad radices montis Caſinenſis per Bertarium Abbatem ædificata fuerat; vocabulum quidem græcum eſt Benedicti Civitatem ſignificans; at cum deinde ibi corpus S. Germani tranſlatum fuerit, S. Germani Civitas appellata eſt: Chron. Caſin. lib. 1. cap. 33.

Eunomiani, hæretici. V. *Ætiani*. *Anomæi*; ab Eunomio ita appellati, cujus errores. Vide *Trinitas*.

Eunuchizo εὐνουχίζω. FR. caſtro, virilia amputo. [ Qui ſe propter epilepſiam curandam eunuchizavit. Ivo Carnot. epiſt. 233. ] licet in mendoſis Codicibus *Eunuchiſlavit* legatur. Epilepſia vero eſt morbus, qui comitialis, ſacer, & herculeus dicitur.

Eunuchus, εὐνοῦχος, eviratus. FR. tripliciter a Chriſto Domino diſtinguitur, ideſt, naturalis, artificialis, & ſpiritualis. De ſecunda ſpecie Eunuchorum dubitatum fuit, utrum ad ordines eccleſiaſticos illi admitti poſſint. Gloſſa in can. præcepta canonica, diſt. 55. ſtante Juris Civilis prohibitione, & inhabilitate ad militiam, ff. de re militari, l. qui cum uno; nam Eunuchi infames declarantur ab Imp. Domitiano. Baron. Ann. 83. num. 2. Conſtantino Magno. Idem Baron. An. 314. n. 74. Juſtinian. Idem Baron. An. 529. num. 18. & 19. & ideo Stephanus Papa ait: [ Infames dicimus quoſcumque leges ſæculi infames pronunciant, apud Gratianum, in §. hinc colligitur. 2. quæſt. 3. poſt can. 7. ] Propterea tanquam infames ab ordinibus arcentur, ut Concilia, & Pontifices ſtatuerunt. Baron. An. 325. num. 144. can. Apoſtol. cap. 3. de corpore vitiatis 33. quæſt. 2. & 3. can. 8. can. te quidem 11. quæſt. 1. & alibi; nihilominus canones a ſu-

a ſuſceptione ordinum illos eunuchos tantum prohibent, qui ad exemplum Origenis propter continentiam caſtrari paſſi ſint can. ſi quis, diſt. 56. & Baron. ad An. 529. num. 20. &c. Synonyma hujus vocabuli. Vide *Caſamatium. Spado. Archigallus. Truncatus.*

Evochia, publicum convivium, εὐωχία [ In cœlis eſt hoc cœleſte convivium, quod evochia græce dicitur. Clemens Alexand. lib. 2. Pedag. cap. 1.

Euphrates flumen. Vide *Chobar*.

Eusebia, εὐσέβεια, pietas, religio. D. Auguſt. lib. 10. de Civit. Dei, & D. Gregor. Niſſen. lib. de homine, cap. 1.

Eusebius Vercellensis Epiſc. S. Athanaſii adjutor fuit in traducendo latine ejus ſymbolum. Vide *Symbolum*.

Eutrapelta, εὐτραπελία, urbanitas, & comitas; alias ἀστεϊσμός appellata: hæc ab ἄστυ urbs formatur; etſi aſteiſmus pro ſermone urbano & eleganti ſumi ſoleat. Sed D. Paulus eutrapeliam in malam partem accepit, quando de variis loquens vitiis, quæ nec in nobis debent nominari, ſubjungit: ἢ εὐτραπελία, τὰ οὐκ ἀνήκοντα, ideſt, *& eutrapelium, quæ non decentia*, ſeu convenientia. Quod noſter vertit, *aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet:* Epheſ. 5. 4. Accepit ergo Paulus pro facetia ſcurrili, & viro Chriſtiano indigna. Derivatur autem iſta vox ab εὖ bene, & τραπελός, mutabilis, quaſi qui in occaſionibus ſcit bene ſe vertere ad ſeria, & faceta. Attamen doctrinæ Ariſtotelis, & Theologorum inſiſtendo, eutrapelia abſolute, eſt virtus moralis in medio conſiſtens, inter ſcurrilitatem, & ruſticitatem, cum auream mediocritatem obſervet.

Eutychiani, hæretici. FR. a quodam Conſtantino Abbate, qui Eutyches vocabatur, a Theodoſia Auguſta protecto, & per quem nimis anguſtiata fuit Eccleſia Dei, qui hæretici in Chriſto naturam ſolum divinam admittebant. 24. qu. 3. can. 39. quibus aſſociati ſunt Theodoſiani a Theodoſia Juſtiniani Imp. conjuge, eorum fautrice, ut ſupra diximus, ita appellati, ſeu potius a Theodoſiano, qui ſimul cum Gajano furore populari in eadem die ambo in Diœceſi Alexandrina pro Epiſcopis intruſi ſunt; hi enim duo Eutychidis, & Diſcoridis erroribus adherentes, & Concilii Chalcedonenſis decreta negantes, aſſerebant unicam tantum in Chriſto naturam, cum hac tamen differentia, quod corruptibilem admittebat Theodoſianus, Gajanus vero incorruptibilem. 24. q. 3. can. 39. ] Stat apud conſcientias veſtras, quanta Neſtorius, & Eutyches, gemina diabolicæ informationis oſtenſa, diu caſtam Eccleſiam, Orientalium diſciplinam, perfidiæ fornicatione corruperint. Ennod. Ticinen. Epiſc. de Hæret. & Synodo dict. 6. ] Vide *Neſtoriani*. *Enoticus*.

Eutychius, latine Bonaventuram ſignificat. Vide *Bonaventura*.

Evva, lex, ſeu conſtitutio, ex voce gallica antiqua, adhuc tamen in uſu apud Anglos. [ Secundum legem, & evvam ille, cui domus fuerit infracta, & ſpoliata, in triplum componat. In conſtitut. Caroli Magni, lib. 2. cap. 65. ] Quare in capitulis Marci VVelſeri legendum eſt: [ Correpti ſecundum evvam Bojoriorum, vel legem.

Ex. FR. deformitatis nota eſt. Gloſſa in can. pudenda 24. quæſt. 1. §. Execratus.

Exacto, exigo. [ Et qui ulterius in talibus locis, vel de eis, qui ad palatium, ſeu in hoſtem pergunt theloneum exactaverit, cum ſua lege theloneum reddat, in conſtit. Caroli Magni, lib. 4. cap. 31. ] Idem vocabulum reperitur in Cabylonenſe Synodo, can. 18. FR. & in l. ſi quis alienam, de raptu, & l. de heribannis, eod. tit.

Exafoci: hoc vocabulum in Anaſtaſio Biblioth. duplicem errorem evidenter continet; primus namque eſt in ſeparatione literarum, ſecundus vero in variatione earundem; ſcribit enim in Benedicti III. vita: [ Simili modo & in Monaſterio B. Martini fecit caniſtra exafoci duo ex argento. ] juxta meam cenſuram ſcribendum erit *Exaphota*, quod ſignificat ſex luminum, ex græcis dictionibus ἕξ, ideſt, ſex, & φῶτα, lumina, ſeu ſplendores. Vide Exafotia in dict. *Enofotius*.

Exagella, lances, ſtatera, ſeu pondus, apud S. Zenonem, Serm. 6. ad Neoph. & Ennodium in vita S. Epiphanii Papienſis Epiſcopi, diminutiva fortaſſe ex græco vocabulo ἑξάγιον, quod ſextam unciæ partem ſignificat. [ De ponderibus quoque, ut fraus omnis amputetur, penitus a nobis aguntur exagia. In Novell. Theodoſ. & Valent. Impp. tit. 25. ] Quamvis ibi Gloſſa omne ponderis genus ſignificare ait. FR. *Exagellam* puto eſſe modicam exactionem: & normam victualem, quam Itali *Livellum* appellant; nam *Livellare* italice, latine librare a libra dicitur. Ex Ennodii verbis hoc aſſerere inducor, qui loco ſupracitato virtutes S. Epiphanii exaltans, ac præcipue de ejus munificentia ait: [ Omnibus Sacerdotibus in itinere poſitis munificus, communis, affabilis, & quaſi exagellam relinquens ſe ipſo præſtantior. ] Quod in notis ad eundem Sirmondus normam, & exemplum interpretatur. Ac in Monaſticis regulis etiam de quodam juvene habetur, qui civiliter mundo moriens, ſuam hæreditatem carnalibus fratribus *Exagellario titulo* diviſerat.

Examitus, pannus ſex filis contextus. [ Aliam quoque planetam examitam, lib. 3. Chron. Caſin. cap. 20.

Exancontæ. Vide *Tzacon*.

Exarchus, ἔξαρχος: officialis, Princeps, ſeu Capitaneus in utroque foro; nam Patriarcha Conſtantinopetiam Exarchum habebat tanquam ipſius delegatum, qui decimas, & alios Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ proventus exigebat, atque in Conciliis poſt Patriarcham, & ante Metropolitanos ſubſcribebat. At *Exarchus provinciæ* metropolitanum, ſeu Archiepiſcopum ſignificabat; Exarchi provinciæ, dico autem Epiſcopi metropolitani. Concil. Sardicen. can. 6. ] Ubi ſic Balſamon exponit: [Exarchus Diœceſis non uniuſcu-

cujuſque provinciæ Metropolitanus eſt; ſed Metropolitanus totius Diœceſis: Diœceſis vero dicitur, quæ multas in ſe provincias continet.] Itaque tres Exarchi, ſeu Primates ſub Patriarcha Conſtantinopolitano numerabantur, ideſt, Epheſinus pro univerſa Aſia minori, Cæſareæ Cappadociæ pro univerſo Ponto, & Heracleus pro tota Thracia. Dicebatur etiam *Exarchus Diœceſeos*, ideſt, Primas. [Si autem cum ipſius provinciæ metropolitano Epiſcopus, vel Clericus controverſiam habuerit, vel Diœceſeos exarchum adeat. Concil. Chalced. can. 9.] Reperiebatur, ut ſupra notavimus, hujuſmodi dignitas etiam ſæcularis, & Exarchus Italiæ erat Imperialis Vicarius. FR. Exarchatus autem Italiæ erat etiam eccleſiaſticum dominium, licet Græcorum Imperatorum temporibus a laicis exerceretur, atque Ravennæ reſidebat; ideo enim a Papino illud dominium recuperatum Eccleſiæ reſtitutum fuit; ſic etiam ſecunda vice Carolus Magnus fecerat, & Stephanus II. tunc Leoni Ravennati Archiepiſcopo illud adminiſtrandum commiſit, qui ac ejus Succeſſores ſemper Italiæ exarchatus titulum retinuerunt, ita Sigonius, lib. 3. de Regno Italiæ, Anno 755. ſed nomine S. Sedis Romanæ gubernabatur; non vero, quod Ravennæ Exarchatus fuiſſet Archiepiſcopis Ravennatibus annexus, ut Ughellius, & de Rubeis apud Hieronymum Fabrum in Sac. Memoriis Ravennæ pag. 49. aſſerunt: quinimo recuperato a Carolo Magno exarchatu Ravennæ, non Stephano II. ut Fabrus ait, ſed Adriano I. reſtituerat Imp. qui Pontifex non ſolo Leoni Epiſcopo; ſed ſimul cum aliis Tribunis exarchatum illum commiſerat: [Siquidem Leo tunc quadrageſimus primus Archiepiſcopus, & Julianus, Petrus, ac Vitalinus Ravennates Tribuni Plebis Ravennam, exarchatumque pro Romano Pont. adminiſtrabant. Blond. decad. 2. lib. 1.] Ejus titulus. Vide *Titulus Exarchi*. Vide *Hexarchia*. Erant Viſitatores. Vide *Periodeutis*. Hexarchus dicebatur, quia ſextam partem Imperii gubernabat, ſicut *Tetrarcha*, qui quartam regni partem regebat.

Exateuchum. Vide *Extaticum*.

Exautoratio, degradatio, de qua dictum eſt in verbo *Degrado*. Penes Tertullian. legitur etiam *Exautoro* verbum. FR. rectius *Exauctoratio*, & *Exauctoro*, ſeu *Exauthoratio* &c. ſcribendum. Apud Ulpian. in l. 2. §. ignominiæ, ff. de his, qui not. infam. exponitur, inſignia militaria detrahere, & infamem efficere, ſed contra Ulpianum Laurentius Valla Elegantiarum, lib. 6. ait, quod *Exauctorare* eſt Ducem ab imperio ſuo dimittere, vel miſſum facere militem; apud Quintilianum in Milite Mariano, ubi inquit; [Pater huic emeritis bello ſtipendiis, tum cum tota ſubnixum Numidia fregimus Jugurtham, exauctoratas armis manus agreſti labore ſubegit.] Et Titus Livius ab Urbe condita lib. 35. [Volonum quoque exercitus, qui vivo Graccho ſumma fide ſtipendia facerat, velut exauctoratus morte Ducis, ab ſignis diſceſſit:] & l. 39. ubi hoc modo: [Exauctoratum equitem cum gratia Imperatoris viderunt, ſe quiſque excuſare, & vicarium accipere.] Et lib. 6. belli Macedonici de Cornelii Scipionis triumpho loquens, inquit: [Milites exauctoratos dimiſit.] Ex quibus datur intelligi Exauctorare in ſignificatione Livii, & Quintiliani diverſificari ab Ulpiano ſupra relato; *Exauctorare* tamen cum infamia legitur apud Lampridium, qui Alexandrum tumultuantes legiones exauctoraviſſe ſcribit; & apud Hermolaum Barbarum, exauctorati milites dicuntur, qui aliqua de cauſa militiæ ſacramento ſolvuntur; ſicut reſignati, quibus ob delictum adimitur ſtipendium; & ideo hoc modo poſſunt conciliari Auctores ſuperius allati, cum videamus verbum Exauctorare in bonam, & malam partem accipi, ut patet in l. qui cum uno, §. non omnis, & §. exauctoratus, & in l. proditores. ff. de re militari; ubi proinde Juriſconſultus verbum dubium declaravit. In Jure tamen canonico in malam partem accipitur: [Si quis a proprio Epiſcopo depoſitus Presbyter, vel Diaconus, aut etiam a Synodo quilibet Epiſcopus fuerit exauctoratus, moleſtiam imperialibus auribus inferre non præſumat. 21. qu. 5. can. 2.] Cujus Synoyma. Vide *Degrado*. *Execratus*. De origine hujus pœnæ exauctorationis apud Eccleſiaſticos. Vide Baron. ad An. 57. nu. 22.

Excanonico, & *Excanonicor*, a dignitate canonicali deponere, & deponi ſignificat. [Cum eſſes literatoriæ artis omnino ignarus, ſcis, quia amici tui epiſtolæ, quas depravaſti, te fecerunt canonicum, teque per eaſdem facile excanonicari poſſe, ſi ſignificent Summo Pontifici cum aliis enormitatibus tuis damnatæ uſurpationis officium, quod exerces. Petr. Bleſen. epiſt. 11. & apud eundem *Canonico*, & *Canonicor* pro canonicum efficere, & fieri reperitur; [Fili vis canonicari? Ser. 13.] de S. Auguſtino loquens. Vide ſimiles phraſes in dict. *Canonicus*.

Exceptio, dicebatur feſtum S. Martini. Vide *Subventio*.

Exceptor. Notarius, licet in rigore Abbreviatorem ſignificet: ſed quia plerumque ſolent Notarii abbreviationibus uti ſcribendo; ideo etiam ipſi Exceptores appellantur, [Brevi exceptorum numero dedicatus enituit. In vita S. Buſiridis Confeſſ.] Quorum Collegium *Schola exceptorum* dicebatur. Vide *Protonotarius*.

* Exceptores. Notarii, per notas & compendia celeriter ſcribere edocti, quod in miniſterio cui præcipue adhibebantur neceſſe erat. Primus enim eorum uſus erat, ea, quæ ab ethnicis Judicibus contra Chriſtianos Martyres eſſent geſta, in acta referre, & quaſvis circumſtantias in ipſorum examinatione, & paſſione obſervatas literis ſigillatim conſignare; quænam quæſtiones eis propoſitæ; quæ reſponſiones datæ; & quæcumque geſta eſſent dum cauſſa eorum audiretur, & de ipſis pro confeſſione Chriſti ſumeretur ſupplicium. Unde iſtæ conſignationes geſta Martyrum appellabantur, quæ monimenta autographa de Martyrum ſuorum paſſione quælibet Eccleſia aſſervabat.

Excerebror. FR. cerebro privor, ſeu cerebrum amitto. [ In quacunque obſtantia ruendo excerebrantur. Pet. Bleſen. Serm. 47.

Excessus, ut plurimum apud Tertullianum mortem ſignificat, [ Præcipio igitur tibi, quanta continentia potes, poſt exceſſum noſtrum renunties nuptiis, lib. 1. ad Uxorem, cap. 1. Poſt exceſſum omnino non nubitur. Idem adverſus Valent. cap. 32. ] In eadem ſignificatione Matthæus Evangeliſta ait. [ Loquebantur de exceſſu, cap. 17. ] Nonnunquam vero idem Tertull. in ſignificatu relaxationis, vel tranſgreſſionis hoc vocabulo uſus eſt; quemadmodum quando dixit: [ Adde, quod & hæc ipſa hujus conſilii interjectio, quaſi interrogationem exceſſus ſui paſſa, ſtatim ſe refrænat, & revocat. Exhortat. ad Caſt. cap. 4.] Vide *Delictum*.

Excetra, ἔκχετρα, hydra, ſerpens in aquis degens, & translative pro impatientia accipitur a Tertulliano. [ Talis igitur excetra delictorum cur non Dominum offendat? de patientia, cap. 5. ] Aliqui tamen *Exhedram* legere mallent, quia impatientiæ defectus eſt omnium delictorum ſedes; ſed melius videtur excetram legendum; hydra enim aptius impatientiæ eſt typus, ex qua cætera vitia pullulant. FR. De hac ſerpentis ſpecie mentionem facit D. Hieronymus in epiſt. ad Julianum Diacon. inquiens: [ Hibera Excetra ore dilaniet. ] Alii hunc locum legunt *Hydra Excetra*.

Excionita. Vide *Stylita*.

Excæcatus. Vide *Eluminatus*.

Excommunicatio, eccleſiaſtica cenſura, per quam Chriſtianus nedum a fidelium conſortio ſejungi cogitur, ſed omni ſpirituali adjumento privatur: hinc Excommunicatio dicitur, ideſt, *Extra communicationem* quæ pœna uſque ab Apoſtolorum temporibus fuit in uſu; invenitur enim in epiſt. prima Corinth. cap. 5. quod Apoſtolus quendam excommunicaſſet, de quo dicitur ibi: [ Tradidi eum Satanæ in interitum carnis ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Jeſu Chriſti. ] Quem locum expoſitores de excommunicatione intelligunt; nam qui a myſtico Eccleſiæ corpore ſeparatus reperitur, in manu Satanæ remanet, quo loquendi modo uſi ſunt etiam Sancti Patres. [ Qui ab Eccleſiæ corpore reſpuuntur, quæ Chriſti eſt corpus, tamquam alieni a Dei corpore, dominatui diaboli traduntur. S. Hilar. in pſal. 118.] Quæ excommunicatio ne contemptibilis apud fideles efficiatur, Sacr. Trident. Synodus Prælatos admonet, ut cum moderamine adhibeatur: quod D. Gregor. etiam adverterat, inquiens: [ Sub magno moderamine Paſtores Eccleſiæ, vel ſolvere ſtudeant, vel ligare, hom. 29. in Evang. ] Antiquitus omnes excummunicati exoſi, & abominati erant a fidelibus, tum in ſpirituali, tum etiam in temporali participatione; ſed poſtea Martinus V. vigore ejus bullæ publicos Clericorum percuſſores, & excommunicatos denunciatos tantum vitandos eſſe declaravit. Hujuſmodi damnationis ſpecies apud Druidas Gallorum gentiles Sacerdotes antiquitus reperiebatur, de qua Cæſar. lib. de bello Gallico ait: [ Si quis aut privatus, aut publicus eorum decreto non ſtetit, ſacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos eſt graviſſima quibus ita eſt interdictum, ii numero impiorum, ac ſceleratorum habentur, ab iis omnes decedant, aditum eorum, ſermonemque defugiunt, ne quis ex contagione incommodi accipiat, neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur. ] FR. quod excommunicatio pro re levi non ſit infligenda, habetur in can. nemo Epiſcoporum, & can. nullus Sacerdos 11. qu. 3. De differentia autem inter majorem, & minorem excommunicationem. Vide Gloſſam in can. ſi quem, de ſentent. excom. Ulterius in regulis monaſticis hæc vox *Excommunicatio* non ſemper accipitur rigoroſe pro eccleſiaſtica cenſura; ſed pro quadam corporali mortificatione, ac ſegregatione a cæteris Monachis; ſic etiam D. Auguſt. verbo *Excommunicor* pro abſentari, & abſtineri uſus eſt, qui ſic ait: [ Qui enim, ſicut dixi, cognoſcens reatum ſuum, ipſe ſe humiliter ab Altari Eccleſiæ pro emendatione vitæ removere voluerit, ab æterno illo, & cæleſti convivio excommunicari penitus non timebit. Serm. 253. de tempore. ] Vide *Acrimonia, Anathema. Clauſura. Noto. Preſſura*. Excommunicatio in bulla Cœnæ. Vide *Proceſſus*.

Excommunico. Vide *Anathematizo. Noto*.

Excondico. FR. promiſſionem, ſeu dictum retracto, revoco. [ Quod Hadulpho miſſaticum tuum commiſeras, de quo miſſatico ſe non excondixit. Hincmar.

Excultores Fontium. Vide *Facularum accenſores*.

Excusatio. Vide *Sunnis*.

Excuso, pro excludo: in regula S. Benedicti. cap. 65. §. 1. Ita etiam Pontius in Cypriani vit. inquit: [ Magis enim dignus efficitur, qui quod meretur, excuſat.

Execratus. FR. degradatus. [ In divinione eſt non conſecratus, ſed execratus Epiſcopus, can. pudendæ 28. qu. 1. ] dicitur etiam dignitate exutus, can. ait Cæleſtinus 24. qu. 1. Ejus Synonyma. Vide *Diſſecratus. Degradatus. Exautoratio*.

Exedra ἐξέδρα Vide *Gazophylacium*, & in dict. *Abſida. Perivolium*. FR. Exedra eſt abſida quædam ſeparata modicum quidem a templo, vel palatio, & inde dicta, quod extra hæreat, græce autem *Cyclon* vocatur. Vvalfrid. de rebus Eccl. cap. 6.

Exegesis. FR. expoſitio ſacra; vocabulum Ægyptiacum exiſtimat Budæus, nam ait, *Exegetes* appellant illi rerum ſacrarum interpretes. Latini vero *Exegetica* libros Pontificales denominarunt, & a Floro Caroli Calvi coætaneo *Exegeſis* appellatus eſt ejus tractatus de expoſitione Miſſæ ſacrificii, in Biblioth. Patrum editionis ſecundæ, tom. 6. pag. 262.

Exemplo, tranſcribo. [ Nocturno ſub tempore, famulante lumine, celeriter exemplavit. Gregor. Turon. lib. 1. miracul. cap. 64. ] FR. de hoc verbo, ſæpe in inſtrumentorum, & privilegiorum tranſcriptionibus. [ Ita

[ Ita diligenter exemplavi, & ſcripſi. In privilegio Caroli Magni, apud Torrigium de Cryptis Vatican. edit. 2. pag. 510.

**Exenium**. Vide *Xenium*.

**Exequiæ**, funerale officium, ita dicitur, quia defuncti voluntas exequitur, ut Mutio Capuccino, de off. mort. cap. 6. placet; vel juxta Durandi opinionem, quia officium defunctorum extra horas canonicas recitatur; vel ex eo quia, ut aſſerit Donatus, ad aliam vitam defunctos ſequuntur viventes. S. Zeno Epiſc. & Martyr. Serm. 3. de Abrahamo, *Vivas exequias* ſacrificium Iſaach ejus filii argute appellavit. FR. An liceat pro viventibus exequias celebrare, diſputant Theologi; ſed pro affirmativa varia hujus rei exempla afferuntur, ut de Carolo V. Imperatore ex Famiani Stradæ hiſtoria, qui, dum viveret, ex Joannis Regulæ Ordinis S. Hieronymi conſilio, ſibi exequias celebrari juſſerat, imitando in hoc Albertum Magnum, ſicut Ferdinandus de Caſtillo. lib. 3. in S. Dominici hiſtoria, c. 43. refert. Idem fecerat Petrus Vellius, de quo in vita S. Franciſci Xaverii legitur. Nihilominus hoc non licere alii docent, quos citat, & ſequitur Laym. lib. 5. moral. tract. 5. cap. 2. n. 15. :||: In exequiis fit aſperſio aquæ benedictæ ſuper cadaver, vel tumulum, incenſoque benedicto thurificatur, in ſymbolum fidei, quod corpora, nempe, illa incorrupta reſurrectura ſint in die Judicii. Prudent. in hymno de exequiis mortuorum. Solebant Antiqui ſub cadavera ſpargere arborum folia, ad denotandam futuræ reſurrectionis ſpem; de hedera, & lauro mentionem facit Durandus, lib. 7. c. 35. his verbis; [ Hedera quoque, vel laurus, & hujuſmodi, quæ ſemper ſervant virorem, in ſarcophago corpori ſubſternuntur, ad ſignificandum, quod, qui moriuntur in Chriſto, vivere non deſinunt. [ De hac conſuetudine Gregor. Turonen. de gloria Confeſſorum, cap. 84. agens de S. Valerio Epiſc. inquit: [ Lauri etiam folia ſub ſe habebat ſtrata, de quibus aſſumens Epiſcopus, multis infirmis præbuit medicinam.] Ac noſtris temporibus quando remota fuerunt corpora Sanctorum Apoſtolorum Simonis, & Judæ in Vaticana Baſilica, ſub ea ſacra depoſita inventa ſunt aliqua lauri folia, quod in actis publ. ejuſdem translationis teſtatur. FR. ſub corpore incorrupto per XIV. ferme ſæcula S. Cæciliæ V. & M. de ann. 1599. invento, adhuc extabant viridia cedri folia, ut mihi teſtata fuit quondam Donna Theodora Jacubilli oculata teſtis ejuſdem Monaſterii Sanctæ Cæciliæ Transtyberinæ monialis :||: In Melita ſub mortuorum capita pulvinar cedri, vel chryſomali foliis refertum ſolent imponere. In eadem inſula a defunctorum hæredibus, ac conſanguineis etiam pauperibus pro anima defuncti, præter panis quantitatem, diſtribui ſolent fabæ coctæ, quas *Beghillam* vocant, ex turcico vocabulo *Begala*, ideſt, fabæ; quod in multis Italiæ locis pro animabus defunctorum erogari vidi; ritus quidem gentilis, ut ex Feſto colligitur; nam propter languidam, & decoloratam fabæ ſpeciem, mortis figuram repræſentabat. Debent autem ſuperfluæ expenſæ in exequiis evitari: nam, ut bene Chryſologus, Serm. 9. advertit, inquiens: [Sunt enim oſtentationis nundinatio, non autem commercium charitatis.] Vide *Defunctus, Miſſa defunctorum*.

**Exequialis**, quod ad exequias pertinet.

**Exequutor Testamentarius**. Vide *Erogator*.

**Exercitalis**. FR. miles, qui in exercitu militat ad differentiam præſidiariorum militum, & ſimilium. [ Si quiſque exercitalium in eandem bellicam expeditionem proficiens, minime Ducem ſuum ſecutus fuerit &c. In conſtit. Viſigothorum, lib. 6. tit. 2. l. 9. & l. ſi quis, de exercitalibus.] Item operarius etiam intelligitur, l. recolimus, de homicidio liberi hominis.

**Exercitium**. Vide *Aſceticon, Exercitivum*.

**Exercitivum**, exercitium; ita Luitprandus, lib. 2. c. 3. de Theodoræ Auguſtæ duabus filiis agens inquit; [Sibi non ſolum æquales, verum etiam Veneris exercitivo promptiores.

**Exercito**. FR. verbum, quod exercitum ducere ſignificat: [ Et hoc promittimus, ut ibi volueritis exercitare in alio Ducatu &c. In capitulare Sicardi, c. 19. apud Camillum Peregrinum in hiſt. Longob. Princ.

**Exerte**, maniſeſte. [ De nubendo vero in Domino cum dicit, Tantum in Domino, jam non ſuadet; ſed exerte jubet. Tertull. lib. 2. ad Uxor. c. 1.

**Exertus**, clarus, & manifeſtus. [ Si enim & hoſtes exertos non tantum vindices occultos agere vellemus; deeſt nobis vis numerorum, atque copiarum. Tertull. adverſ. gentes, c. 37.

**Exfestuco**, a poſſeſſione demoveo, & e contra *Infeſtuco*, in poſſeſſionem mitto; antiquitus enim virga, ſeu feſtuca ſignum poſſeſſionis tradebatur, & quando poſſeſſio cedebatur, ſeu quid ſimile, tunc poſſeſſor antiquus removebat a ſe, ſeu projiciebat virgam, vel feſtucam. [ Tandem miſer juvenis a villico perſuaſus Creatorem ſuum ore ſuo negavit, manu exfeſtucavit, diabolo homagium faciens. Cæſar. lib. 2. c. 13.] Vide Etymon in dict. *Fiſtucus nodatus*.

**Exfibulo**, fibulam exſolvo. Apud Prudentium.

**Exhæredem Facere**. FR. hæreditate privare, l. de eo præcipimus, de neceſſario relinquendis.

**Exhedra**. Vide *Abſida, Excetra*.

**Exigo**. Vide *Exacto*.

**Exinuatus**, involutus, implicatus. [ Ut vix rudentem attigerit, cum velum videret jam exinuatum in contos ſuos. Paulin. epiſt. 34.] qua phraſi modum nauticum in colligendis velis, & circum antennam illa involuta ſignificare voluit. Uſitatius tamen *Exſinuatus* diceretur.

* **Exite** in pace. Formula Diaconi populum, finita Euchariſtiæ celebratione, dimittentis. Chryſoſt. homil. 52.

**Exlex**, ſicut enormis, ideſt, extra normam; ſic exlex extra leges dicitur, qua dictione Simeon junior Pater Græcus uſus eſt orat. 9.

**Exmero**, purgo: [ Ipſum argentum exmerent, & ſine frau-

fraude. In conſtit. Caroli Calvi, tit. 31. cap. 13.

Exocatacoeli, ἐξωκατάκοιλοι, ſic aliqui Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ officiales appellabantur; nam extra patriarchium pernoctabant, erant enim in civitate Parochi; ideo in eorum parochiis pernoctare tenebantur. Hi ſex erant, nimirum, Magnus Oeconomus, Magnus Sacellarius, Magnus Scevophylax, Magnus Chartophylax, Præpoſitus parvo Sacello; ſeu Sacellion, & Protecdicus: Balſamon autem quinque tantum numerat, quia ſextus, & ultimus a Patriarcha Gregorio Xiphilino ſub imperio Alexii Comneni additus fuerat; quorum officia in eorum propriis locis explicabuntur. Erant itaque hæ dignitates maximæ auctoritatis, & præeminentiæ; ita ut in publicis confeſſionibus Epiſcopos præcederent, cum illius Eccleſiæ veluti Cardinales eſſent, & uti tales in Florentino Concilio habiti ſunt, in cujus actis hæc habentur: [ Patriarcha Papam ſtantem oſculatus eſt in gena; nos vero cum Exocatacœlis ſedentes dexteram, & genam oſculati ſumus. ] In patriarchatu Diaconorum officium exercebant, ut in dict. *Archidiaconus* diximus; in qua functione planeta utebantur. Hinc recentiorum Græcorum error convincitur, dum Latinos calumniantur, quia in officio Diaconi aliquando Sacerdotes ſuccumbere permittant, adverſus quos calumniatores Emmanuel Caleca, lib. 4. c. 21. inter alia affert hoc eorumdem exemplum ſupradictarum dignitatum, quibus cum præditi eſſent Presbyteri, in Miſſa tamen Patriarchali Officium Diaconi exercebant. Quę dignitates, licet ſex numerentur; tamen re vera erant ſeptem; nam dignitas Archidiaconalis, cum ſit ad nutum Patriarchæ amovibilis, non connumeratur. FR. Adrianus vero Junius primam ſyllabam diviſim legit, nempe, ἓξ κα, ακοιλοι, idest, ſex Catacœli, quia (ut ait) erant eorum parochiales Eccleſiæ in vallibus ſituatæ: at præterquam hoc ſine fundamento commentatur; inveriſimile quoque videtur, quod in illa tam magnifica CivitateConſtantinopolitana non amplius, quam ſex parochiæ reperirentur, & omnes in vallibus ſitæ; & a fortiori, quod tempore Balſamonis, quando, nimirum, non ſex, ſed quinque tantum erant hujuſmodi Parochi, tunc etiam *Exocatacœli* appellarentur. In Novellis Alexii Comneni Imp. a Leumclavio collectis legitur motam fuiſſe litem inter Epiſcopos ex una parte, & Chartophylacem ex altera, unam, ſcilicet, ex ſupradictis dignitatibus ſuper præcedentia, in cujus favorem ſcripſit his verbis Imperator: [ Quod ſederet ante Epiſcopos, quoties illos convenire ob aliquam neceſſitatem oportebat. ] Et Silveſter Sguropolus Exocatacœlus, quod in Florentino Concilio ante Epiſcopos ejus æquales non ſediſſent, conqueritur, & talia in eorum favorem ibi ſect. 4. c. 10. adducit: [Nam ut illi quinque ſenſus numquam ab homine vivo removentur; ita nec illi a latere Patriarchæ diſcedunt. Semper ſupra Archiepiſcopos capiebant loca, ac ut præſides Patriarchici Senatus celebrabantur. ] De Conſtantinopolitanis Cardinalibus mentionem facit Joannes Papa VIII. ad Auguſtum Baſilicum Leonem ſcribens, & Adrianus Papa, quando in ſede Patriarchali reſtituerat Photium, qui a Summis Pontificibus ejus prædeceſſoribus ea ſede privatus fuerat, hanc conditionem Adrianus adjecit, nempe. [ Ut poſt mortem Photii fratris noſtri, nullus ex dignitate mundana ad Pontificalem honorem aſcendat; ſed ex Presbyteris Cardinalibus ejuſdem Eccleſiæ, vel Diaconibus, aut ex aliis Sacerdotibus, qui ſub Eccleſia Conſtantinopolitana conſiſtunt, apud Baron. ] Vide *Protonotarius*.

Exoche, ἐξοχὴ, eminentia, excellentia, & tumor, ſumitur etiam pro hæmoroide. [ Nec ambulare, nec ſedere poſſum thagadis, & exochadis dolore, & tumore. D. Aug. epiſt. 148. ad Fratr. ] De ſignificatione hujus vocabuli a Clemente VIII. ejus Medicus interrogatus reſpondere neſcivit. Vide *Rhagas*.

Exochionium, & *Exocionita*. Vide *Stylita*.

Exodius, ἐξώδιον, cantus. Adriani Junii lexicon Græco-Lat. de quo D. Hieronym. lib. 2. contra Ruff. licet aliqui commentum in Exodum ſignificare putent.

Exodus, unus ex Pentateuchi libris; ἔξοδος enim græce exitum ſignificat; nam in hoc libro de liberatione Iſraelitici populi ex Ægypto agitur.

Exomologesis, ἐξομολόγησις, confeſſionem denotat; aliquando tamen non ſignificat ſacramentalem confeſſionem. [ Ut qui libellos a Martyribus acceperunt, ſi incommodo aliquo, aut infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectent præſentiam noſtram, quin apud Presbyterum quemcumque præſentem, vel ſi Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologeſim facere delicti ſui poſſint. D. Cyprian. epiſt. 17. lib. 3. ] Ac proprie ultimum actum publici pœnitentis ſignificat, quando, ſcilicet, poſt ſatisfactionis complementum, ab Epiſcopo in Eccleſiam conducebatur; ubi ad terram proſtratus, & coram Clero, ac populo commiſſa crimina deteſtabat cum propoſito emendationis. [Tanto operoſior probatio, ut non ſola conſcientia, ſed etiam aliquo actu adminiſtretur, is actus, qui magis græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, exomologeſis eſt. Tertull. de Pœnit. cap. 9. Si de exomologeſi retractas, gehennam in corde conſidera, quam tibi exomologeſis extinguet &c. Ibidem, cap. 12.] Et clarius S. Cyprian. lib. 1. epiſt. 11. ait: ] Æſtimato juſto tempore, poſtea exomologeſi facta, ad Eccleſiam redeat. ] Aliquando etiam hoc vocabulum proceſſionem in ſignum pœnitentiæ ad implorandam divinam miſericordiam denotat, quando, ſcilicet, Deus per turbines, & ærumnas contra humanum genus iratum ſe oſtendit. [ Pro incolumitate Principis noſtri, atque ſalvatione populi, & indulgentia totius peccati, & a cunctorum fidelium cordibus expulſione diaboli, exomologeſes votis gliſcentibus celebrentur. Concil. Tolet. XVII. can. 6. ] In eodem ſenſu, eodemque vocabulo Concilium Lugdunen. III. can. 32. utitur. FR. Gloſſ. in can. quod ſi pœnitentiam, 27

qu. 1. exomologeſim, pœnitentiam, vel ſatisfactionem intelligit. Vide Baron. an. 56. n. 16. 17. & 18. De confeſſione vero ſacramentali. Vide *Confeſſio ſacramentalis*, *Humilifico*.

Exonia. Vide *Sunnia*.

Exorbitatio, deviatio, diſtractio. [ Ideoque & a primordio exorbitationis capacem. Tertull. de anim. c. 4.] Ubi de homine loquitur, qui, nimirum, quatenus corporalis ſit, ab ejus creationis primordio ad vitium, & ad malum devius eſt, ac diſtractus. In eodem ſenſu D. Aug. [ Exorbitare ab itinere ſapientiæ, lib. 9. de Civit. Dei ] dixit.

Exorcismus, ἐξορκισμὸς, adjuratio, a verbo græco ἐξορκίζω, adjuro, religione obſtringo.

Exorcista, ἐξορκιςὴς, adjurator: unus ex quatuor minoribus ordinibus, cujus officium eſt Energumenos adjurare. Refert Beda Salomonem exorciſtas conſtituiſſe, ac eos in modo exorcizandi inſtruxiſſe, auctorem afferens Joſephum hebræum, lib. 8. c. 2. Amalar. de Eccleſ. off. lib. 2. cap. 9. Et Origines c. 35. in Matth. teſtatur Salomonis exorciſmorum librum ad ſui uſque tempora conſervatum fuiſſe. Prudentius in Apoth. contra Judæos exorcizandi hujuſmodi carmina compoſuit.

Intonat Antiſtes Domini: fuge callide ſerpens.
Exue te membris, & ſpiras ſolve latentes.
Mancipium Chriſti fur corruptiſſime vexas.
Deſine, Chriſtus adeſt humani corporis ultor.
Non licet, ut ſpolium rapias, cui Chriſtus inhæſit.
Pulſus abi, ventoſe liquor, Chriſtus jubet, exi.

Erat etiam Exorciſtæ officium Cathecumenos ante Baptiſmum exorcizare. Cyprian. epiſt. 76. Optat. Milevit. Catechum. myſt. 2. Nazianz. lib. 4. Baſil. orat. de baptiſmo. Ambroſ. ad Amphiloc. Chryſoſt. de Sacram. lib. 1. c. 5. Exorciſtæ, de quibus Ulpianus Chriſtianorum inimiciſſimus loquitur, erant idololatræ; qui ſuperſtitioſis incantationibus a Dæmonibus vexatos curare oſtentabant; ſic enim inquit ille: [ Non tamen ſi incantavit, ſi imprecatus eſt, ſi ( ut vulgari verbo impoſtorum utar ) exorcizavit, in l. 1. ff. de var. & extraord. cognit. ] per impoſtores tamen Chriſticolas intelligit, quorum vulgari vocabulo *Exorcizare* utitur, ut Hieronymus, epiſt. 16. ſenſerat. Item exorciſtæ *Actores templi* appellantur. Iſid. lib. 2. cap. 13. de Eccleſ. offic. FR. Joſephus hebræus ſupra allegatus addit ibid. ſe vidiſse Eleazarum hebræum quendam in conſpectu Veſpaſiani Imperatoris annulo, in cujus lapillo inſculpta erat quædam radix a Solomone tamquam dæmonum expulſatrix indicata, qua energumenum liberaverat, applicando, ſcilicet, ad patientis nares hujuſmodi ſigillum; fortaſse erat *Radix Baras*, quæ in officinis *Herba paris*, ſeu *Radix paris* communiter vocatur, quam exorciſtæ ad hunc effectum valde commendant. Quod ſupra dicitur *Cathecumenos ante baptiſmum exorcizare &c.* id bis fieri ſolebat, nempe viginti dies ante baptiſmum can. Ante viginti, de conſecrat. diſt. 4. ubi Gloſs. *Exorcizare* in hoc loco adjuvare interpretatur; ſecunda vero vice exorcizabantur ante baptiſmum, can. dehinc iterum exorcizantur, eadem diſt. 4. ideſt, per tres dies ante baptiſmum. Gloſsa ibid. Cæterum *Exorciſta* dicitur *Defenſor*, quia corpus a dæmonibus defendit. Gloſsa in can. Monachus, diſt. 77. De Exorciſtis mentionem facit Valentinus Imp. in l. Presbyteros, 6. Cod. de Epiſc. & Cler. Vide *Anagnoſta*, *Probabilis*.

Exorno, pro deorno, ſpolio. [ Nam Eccleſias B. Petri & Pauli exornare fecit ejus ſanctitas, & cuncta eorum cimelia & ornatus in hanc Civitatem Romanam introduxit. Anaſtaſius Biblioth. in Adriano I. ] ubi refert, quod propter metum hoſtilis Deſiderii Longobardorum Regis adventus in Urbem, Pontifex omnia pretioſa ornamenta prædictarum Eccleſiarum abſtulerat, & in tuto repoſuerat.

Exors. Extra ſortem poſitus. [ Primitiæ ergo quieſcentium Chriſtus. Sed utrum ſuorum quieſcentium, qui quaſi mortis exortes, dulci quodam ſopore tenentur. an omnium mortuorum ? D. Ambroſ. de fide Reſur.

Exos. Vide *Eſox*.

Exotericus; ἐξοτεικὸς, externus, trivialis, pervagator, ab ἐξώτερος, exterior. Exoterica quædam ſcripta vocaverunt acroamatica, de quibus Cicero dicit: [ De ſummo autem bono, quia duo genera librorum ſunt, unum populariter ſcriptum, quod exotericon appellabant, alterum limatius, quod in commentariis reliquerunt. lib. 5. de Finibus. ] Exoterica bona ſunt bona externa, & fortuita, apud Ariſtotelem 7. Politic. & exotericus principatus, ideſt externus.

Exoticus, ἐξωτικὸς, peregrinus, extraneus. Vox formata ab ἔξω, extra, foris: & ab ea exotica unguenta, quæ a Cicerone, in lib. de Oratore, adventitia dicuntur. Eam habet Tertullianus, luxus peregrinos improbans: *Quid tibi Europa cum exoticis munditiis*? lib. de Pallio, c. 4.

Expalmatus, alapis percuſſus. [ Vidi eum in horto ligatum, in atrio Pontificis expalmatum. Petrus Bleſen. Serm. 18. ] Eodem ſenſu reperitur vocabulum *Palmatus*. [ Attendamus filium Virginis illitum ſputis, palmatum colaphis. Idem Serm. 24. ] *Vide Palmata*.

Expecto. Vide *Obſervo*.

Experior. FR. pro defendo. Item pro ago. Gloſſa, in c. 1. de Judiciis.

Expilo. FR. res jacentis hæreditatis ſubſtraho, Gloſſa, in can. aut facta, de pœnit. diſt. 1.

Explorator. FR. Agens, procurator. [ Si quando in cauſa capituli, vel cauſa ſtatus interpellatum fuerit, non per exploratores, ſed per ſe ipſos eſt agendum, can. ſi quando, 2. qu. 6. ] ibi Gloſſa. Item explorator ſumitur in malam partem. Vide *Scamera*, *Speculator*, *Sculta*.

Expono. Vide *Intimo*.

Expudoratus. FR. ſine pudore, & verecundia: aliqui tamen corrupte *Expuderatum* ſcribunt; a pudore

re

re enim componitur hoc vocabulum,& non a pudere.

EXPULSOR. Vide *Pellax*.

EXPUNGO. FR. proſolvo, & debiti notam cancello. [Cumque ego vos pro me vicarios miſerim, & expungeretis neceſſitates fratrum ſumptibus. S. Cyprian. epiſt. 38.] Item *Expungor* pro abſolvor a creditore: [Ille intercelſerit, ne quis poſſit expungi. Ibidem.] Quod tamen *Interceſſerit* cum aliqua interpoſitione impedire in hoc loco ſignificat. Vide *Intercedo*. Synonymum. Vide *Diſpungo*.

EXPUNCTUS. FR. liber abſolutus. [Expuncta morte. Cyprian. de bono patientiæ. Expunctos contumelia Martyres. Tertull. lib. ad Martyr.] qui etiam verbo *Diſpungo* pro eodem ſignificatu utitur, ita & Optatus Milev. contra Parmenianum. Vide *Diſpungo*.

EXSINUATUS. Vide *Exinuatus*.

EXSUFFLO, & *Exſuflo*, diſſipo, diſperdo, [Conciditur unitas Chriſti, blaſphematur hæreditas Chriſti, exſufflatur baptiſma Chriſti. Auguſt. epiſt. 162. contra Donatiſtas. [Item *Exſuflo* unico *f*, pro deteſtor, maledico,] Quis rogo fidelium non ſtatim cum ipſa magia primo deteſtetur, & exſuflet? Beda lib. 5 hiſt. Anglic. c. 22.] & de quodam Chriſtiano, qui ob timorem Idolis incenſum obtulerat, Tertullian. lib. de Idololatria inquit. [Quo ore Chriſtianus thurarius, ſi per templa tranſibit, aras expuet, & exſuflabit, quibus ille proſpexerit?] Erat enim mox antiquorum in ſignum deteſtationis in expulſione malignorum ſpirituum inſufflare: [Latebis ne tecum lectulum tuum, cum corpuſculum tuum ſignas, cum aliquid immundum flatu expuis? Tertull. lib. 2. ad Uxor.] ſic etiam in exorciſmis fieri ſolet. Hinc etiam Monacho excommunicato porrigebatur maledictum vinum, & cum deteſtatione. [Et hoc ab Abbate exſuflatum, & non ſanctificatum. In Regula S. Fructuoſi, c. 14. §. 2.] FR. In can. ſi propterea, 23. qu. 5. de injuria ſacramentorum Chriſti a Regibus vindicanda inquit ibi Aug. [Quomodo vindicandum eſt a Regibus, quod Chriſti Sacramenta exſufflantur &c. Ecce quomodo Rex alienigena ſævit, ne blaſphemetur Deus Iſrael, qui potuit tres pueros de camino ignis liberare, & tamen nolunt, ut ſæviant Reges Chriſtiani: quia Chriſtus exſufflatur, &c.] Et inferius: [Quando vident Chriſtum, a quo liberati ſunt, exſufflari in Chriſtianis, can. Quando vult Deus, 23. qu. 4.

EXIA. Vide *Thyas*.

EXTALES, viſcera ab exta. Vide *Thyas*. Hinc Petrus Belvacen. de divitiis, epiſt. 102. ſcribens, pro doloribus colicis vocabulum hoc uſurpavit. [Hæ ſunt muſcæ, quæ exterminant ſuavitatem unguenti; aves, quas abigebat Abraham; mures, qui de terra, ideſt, affectione terrena ebulliunt, qui extales, ideſt, interiora corrodunt.

EXTASIS, ἔκστασις, percuſſio, ſtupor, mentis alienatio ex pavore aliquo repentino. Apud Theologos, ex Dionyſio, eſt abſtractio mentis a corpore ad cœleſtia contemplanda, quæ etiam anagoge, ſeu ſurſum ductio, dicitur. Vox autem hæc oritur a verbo ἐξίστημι, extraho, mente emoveo &c.

EXTATICUM. [Habemus adhuc in extatico ſub ſimplici, & pari ſigno ſacræ redemptionis inſignia. Euſeb. Emiſſenus, hom. 14.] Qui per dictum vocabulum primos ſex ſacræ Scripturæ libros intelligit, ſed mendoſe; ἑξάτευχον enim, ideſt, Exateuchum legendum eſt: at ſcripta, quæ ſub nomine Euſebii Emiſſeni, partim apocrypha, partim ex aliis Sanctis Patribus decerpta, & partim ab Abbate quodam, qui multum poſt prædictum Euſebium vixerat, addita ſunt; ita Bellarminus, & Labbè de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Euſebio Emiſſeno.

EXTERA POTESTAS. FR. forum ſæculare.

EXTIPICES. FR. qui ſuperſtitioſe ex animalium extis vaticinabantur. [Mexentius intra muros incluſus Diis victimas offerebat, & Extipices de belli eventu conſulebat. Zoſimus Comes in hiſt. nova; lib. 2.] Vide *Hydromantia*.

EXTOLLO. FR. deturbo, ſuſcito, diſtraho, [Qui vacat otio, aut fabulis, & non eſt intentus lectioni; non ſolum ſibi inutilis eſt, ſed etiam alios extollit. In Regula S. Benedicti, c. 48.

EXTORRIS. Vide *Confeſſor*.

EXTRA CATHOLICAM ECCLESIAM, non eſt locus veri ſacrificii, 1. qu. 1. can. 70. FR. ideſt, extra formam Eccleſiæ Catholicæ, Gloſſa ibi. Item extra Eccleſiam eſſe dicitur, qui cum Epiſcopo non eſt. Gloſſa in can. qui cathedram, diſt. 93.

EXTRALEGALIS. FR. Gentilis, infidelis. [Numquid Pagani extralegales poſſunt cantare Deo? Optat. Milevit. lib. 2.

EXTRAMURANEUS. Vide *Intramuraneus*.

EXTUMULOR. FR. exhumari ſignificat, 3. decret. tit. 28. c. 12.

EXULATICIUS. FR. profugus, dictio barbara in Cyrilli gloſſa, quæ etiam habet *Fugitivoſus* in eodem ſenſu.

EXULOR, in exilium mittor. [Rogabat enim Sanctus ille, ut fineretur in eadem cuſtodia, quouſque exularetur, & ad horam auferretur de cuſtodia. Collect. Anaſtaſii de exilio S. Martini Papæ per Jacobum Sirmondum edita.

EXULTET JAM &c. Vide *Cereus Paſchalis*. Verba ibi ex D. Hieron. corrigenda. Vide *Paſcha*.

EXUNNIA. Excuſatio. Vide *Sunnis*.

EXUTUS DIGNITATE. Vide *Execratus*.

EXUVIÆ. Vide *Baptiſmus*.

# F

F. quid ſignificabat apud antiquos. Vide *Pandecta*.

FABALIA. FR. locus ubi fabæ ſatæ ſunt. [Pythagoras vero, ne per fabalia quidem tranſeundo, diſcipulis ſuis tradidit. Tertull. de anima. c. 31.

Fabana, faba fracta, ſeu fabarum polenta. [ Tantam fabanam coxit, ut per totam hebdomadam ſatis haberet. In vita S. Carulephi. ] In aliquibus mendoſis Codicibus *Fabianam* reperitur.

Fabarius, perantiquum Cantorum vocamen. [ Antiqui pridie, quam cantandum erat, cibis abſtinebant, pſallentes tamen legumine in cauſa vocis aſſidue utebantur. Unde & Cantores apud Gentiles Fabarii dicti ſunt. Iſidor. de Eccleſ. off. lib. 2. c. 12. [ FR. Plinius hoc leguminis genus ait eſſe pectorale medicamentum. [ Allium tuſſim ſanat fractæ incoctum fabæ, atquæ ita in cibum ſumptum, lib. 20. c. 6.

Faber Lignarius. Vide *Dendrophorus*.

Fabricensis. FR. qui publica arma fabricat. Gloſſa in cap. 12. lib. 5. de ſent. excommun. in ſexto. Vide *Signatus manu*.

Fabula, ſumitur aliquando pro hiſtorica narratione; verbum enim hoc a *For faris*, ideſt, loquor, narro, originatur,& in hoc ſenſu D. Hieronymus c. 13. Commentariorum, Suſannæ hiſtoriam fabulam appellavit, unde aliqui hæretici ſumpto prætextu, eam hiſtoriam fabuloſam fuiſſe aſſeruere, ſed idem Sanctus Doctor ſufficienter ſeſe declarat in Apologia ad Ruffinum, inquiens: [Quod autem refero, quid adverſum Suſannæ,& hymnum trium puerorum, & Belis draconis fabulas, quæ in volumine hebraico non habentur. [ Sic fabulas appellavit res,quæ vere eidem acciderant, inquiens: [ Et ne veteres replicando hiſtorias longum faciam, brevem tibi fabulam referam, quæ infantiæ meæ temporibus accidit.Idem ep.24.] Fabulas vocavit ſermones ſpirituales etiam D. Cyprianus.[Hic jucundum ſermonibus diem ducere,& ſtudentibus fabulis in divina præcepta conſcientiam pectoris erudire,ep.1.] In eodem ſenſu, ep.1. lib.1. ad Juſtum D. Ambroſius ita ſcripſerat:] Pulchre admones frater, ut epiſtolares fabulas &c.] ideſt,narrationes. Et D. Lucas Evangeliſta,c.24. inquit:[Et factum eſt dum fabularentur,] ideſt, dum diſcurrerent, & tractarent de Chriſti paſſione.Et verbum *Adfabulor* contractare ſignificat.FR.ſic etiam apud Veteres.Stabant forte una in veſtibulo palatii fabulantes Fronto Cornelius, & Feſtus Poſthumius. Gell. lib.19. c. 13. ] & Seneca: [Sic ſervata nobilis fabula,& exemplum duarum urbium,lib.3. de beneficiis,c.23.] ubi fabula pro hiſtoria intellexit; atque inter ſylvam Deorum Fabulinum Numen infantium habebant Gentiles,quod ita ſuperſtitioſe appellabant, ex eo quia credebant ab eo infantium linguas ad fabulandum,ſeu loquendum diſponi. Fabula etiam ſignificat pactum,converſio,contractus,l.ſi quis ſponſaverit, de ſponſalibus, l.ſi dixerit, eod. tit. & l. ſi quis peculium,de eo, qui peculium.Ridicula quidem eſt Gloſſæ expoſitio in can. cum multa,diſt.86. ubi ſic textus habet:[Sed poſt hoc pervenit ad nos(quod ſine verecundia memorare non poſſumus) fraternitatem veſtram grammaticam quibuſdam exponere &c. ] Ibi autem duas ineptias committit Gloſſator, prima enim, quod pro *Grammatica* fabulam intelligit: ſecunda, quod *Exponere*, prædicare in Eccleſia vertit;ſed textus clare loquitur, dum ait *Quibuſdam* ergo non publice in Eccleſia, ſed privatim docebat grammaticam ille, de quo agitur, & ex ſequentibus texti verbis melius intelligitur; nam idem Epiſcopus, qui in hoc textu, reprehenditur, nedum quia grammaticam quibuſdam exponebat; ſed etiam quia canebat, ſic inquiens: [ Et quam grave ſit Epiſcopis canere quod nec religioſo conveniat, conſidera. ] Sed canere in Eccleſia nec Epiſcopo, nec Religioſo dedecus eſſet; ergo de canto profano, quod quidem haud in Eccleſia, ſed in domo privata,quibuſdam audientibus, intelligitur illum exprobratum fuiſſe. Anilis fabula. Vide *Dicibulum*.

Facella, facula. [ Et mox tres facellæ veluti ſtellæ apparuerunt ſupra ipſorum corpora, quæ furtim ſubtraximus, & abivimus, præcedentibus nos cœleſtibus illis lucernis. In Actis S. Tharacii Martyris.

Facialis, ſudarium; facialis dicitur a facie, a qua ſudores &c. extergit. [ Hic Sanctus uſque ad horam obitus ſui nil lineum guſtavit extra facialem. Pallad. in Lauſiaca, c. 1. ] Ideo *Facitergium* etiam dicitur: [ Acupicta nunquam, niſi in mappulis, ac facitergiis, in quibus juſſerit, fiant;in regulis S. Cæſariæ Virginis.] FR. *Mappula* autem, & *Facitergium*,ſtolam, ſeu manipulum non raro ſignificant. Vid.*Mappula*.*Orarium*,

Facio, pro ſacrifico. [ Placuit inter eos, qui poſt fidem baptiſmi ſalutaris adulta ætate ad templum idolatraticus acceſſerit,& fecerit, quod eſt crimen principale, & ſummum ſcelus,placuit in fine eum communionem accipere. Concil.Eliberitan. ] In eadem ſignificatione reperitur in c. 22. Lucæ, [Hæc quotieſcumque feceritis:]ideſt,ſacrificaveritis.In græca Licurgia S.Joann. Chryſoſtomi legitur, quod Diaconus antequam incipiatur Miſſæ ſacrificium,coram celebrante ſe inclinet, & petens ab eo benedictionem dicat: [Tempus faciendi Domine,benedic Domine.] Eodemque modo apud Varronem, [ Agnam Jovi facere, ] pro ſacrificare, habetur. Hoc idem verbum cum Dativo,ſeu Ablativo apud Tertull. concurrere,ſeu conſentire ſignificat, ut [ Facere cum Sanctis. ] Item ponere denotat, ut facere in tutum. [ Et ea diligenter inquirere, & cum omni cautela in tutum facere. D. Gregor. lib. 7. ep. 45. ad Sergium Defenſorem.

Facitergium. Vide *Facialis*.

Facularum Accensores. FR. dicebantur Chriſtiani, qui Gentilium ſuperſtitiones retinentes, lucernas ad fontes,quæ tamquam numina ab Ethnicis habebantur, accedebant,quæ ſuperſtitio a Conciliis Toletano, Antiſiodorenſi, & Nannatenſi aliiſque condemnata fuit; & *Excultores fontium* etiam dicebantur, de quibus Burcardus ſic inquit; [ Vel ſi aliquis vota ad arbores, vel ad fontes, vel ad lapides faciat, vel ibi candelam, ſeu quodlibet munus deferat, veluti ibi quoddam numen ſit, lib. 8. cap. 94. ] Eademque ſtultitia a Carolo Magno in ejus capitulari, lib. 1. c. 64. damnata ſub his verbis fuit: [ De arboribus, vel petris, vel fontibus, ubi ſtulti luminaria, vel alias obſervationes faciunt,

ciunt, omnino mandamus, ut iſte peſſimus uſus, & Deo execrabilis, ubicumque ſit, tollatur, & deſtruatur, ] de petris terminis agrorum intelligit, apud antiquos pro Numinibus habitis, ut auctor eſt. Feſtus, & cit. Liv. 1. ab urbe Cond. Vide *Acervus Mercurii*.

FACUNDIA. FR. facultas, vel jus ad aliquid agendum. l. ſi quis alium, de culpis ſervorum.

FADERFIUM. FR. Hæreditas paterna a Longobardicis vocibus, *Fader*, ideſt, Pater, & *Erſe* hæreditas, de quo vocabulo ſæpe in Longobardorum legibus fit mentio.

FÆLICIS RECORDATIONIS. Vide *Bonæ memoriæ*.

FAGOLIDORUS, & *Phagolidorus*. FR. ex græco φαγολοίδορος irriſiones deguſtantem ſignificat. [ Si autem amici mei & hanc ſubſannaverint; & dicit eis, quod nemo eos compellat, ut ſcribant. Sed vereor, ne illud in eis eveniat, quod græce ſignificantius dicitur, ut vocentur fagolidori, quod eſt manducantes ſannas. D. Hieronymus in præfat. ad Ezechielem] φάγω enim græce manducare ſignificat; at Vocabularii Eccleſiaſtici Auctor *Fagoldori* mendoſe ſcribit.

FAIA. FR. Glans, ſeu arbor ferens glandes, l. ſi quis roborem, de damno, & injuria.

FAIDA, gravis, & manifeſta inimicitia ex aliqua occiſione oborta; alii tamen vindictam intelligunt ex inimicitia genitam, quam Germani *Feid* dicunt. [ Si quis propter faidam fugiunt in aliam patriam, & dimittunt uxores ſuas, nec illi viri, nec illæ fœminæ accipiant alterum conjugium. In Synodo ſub Pipino Rege celebrata, c. 118. [ FR. & l. ſi quis pro faida, de faidoſis. Sæpe G in F. in multis dictionibus mutatum legimus, ſic fortaſſe a dictione *Ghaida*, quæ Arabice odium ſignificat, in *Faidam* mutatum eſt. Item faida pro pœna ſolvenda ad inimicitiarum compoſitionem, l. ſi quis Longobard. de homicidio hominis liberi.

FAIDOSUS, od oſus, ſeu qui inimicitiam nutrit in ſe, aut animum vindicandi habet; [ Si faidoſus ſit quis, diſcutiatur, qui ex duobus contrarius ſit, ut pacati fiant, & ſtringantur ad pacem, etiam ſi noluerint. In capitular. Caroli Magni c. 6. [ FR. *Faidoſus*, inimicus, rixoſus, l. ſi quis pro faida, de faidoſis.

FALCASTRUM, ſeu *Falcaſter*, ſparum, runca, runcina, ſeu aliud inſtrumentum ferreum ad modum falcis formatum, quo ſpinæ, ceſpites, & ſimilia extirpantur. [ Quadam vero die ei dare ferramentum juſſit, quod ad falcis ſimilitudinem falcaſtrum vocatur, ut de loco quodam vepres abſcinderet, quatenus illic hortus fieri deberet. D. Greg. lib. 2. dialog. c. 6. ] FR. Apud Fulbertum Carnotenſem mendoſe legitur *Falcaſtis*, pro falcaſtris, ſic: [ Et lanceis falcaſtis. & gladiis in ipſo atrio principalis Eccleſiæ trucidaverunt, ep. 45.

FALCONISTA. FR. qui falconibus ad venationem utitur. [ Quem ſoporantem Giſelbertus de Acmeſtel a ſomno ſuſcitans, indetinenter monuit, ut cum falconiſtis urbem exiret, quoniam inaudita copia volatilium in campeſtribus reſideret. In Vita Joan. 11. Epiſc.] Sed Falconarius ab Hincmaro, ep. 3. c. 16. appellatur. Vide *Fulcarius*. Uſus falconum pro venatione Conſtantini Magni temporibus inventus fuit, & primus, qui de hac venatione ſcripſerat, Julius Firmicus extitit.

FALDISTORIUM, Epiſcopi, ſeu Abbatis mitrati ſedes humilis, cujus forma ad inſtar antiquæ ſellæ curulis eſt; ejus vero etymologia eſt juxta Paridis de Graſſis opinionem quaſi *Fandiſtorium*, ideſt, fandi, & perorandi locus. Cencius Camerarius *Fateſtorium* appellat; alii tamen a *Falda* Saxonica voce, quæ clauſum locum ſignificat, originem trahunt. Greg. Turon. *Faldeonem* vocavit ſellam ſtercorariam: [ Ad ventrem purgandum in faldeone ſedebat. In ſupplemento Gallicarum, hiſt. c. 34. ] FR. Atque alii *In faldone*, prædicti Gregorii locum legunt, quare exiſtimo Faldiſtorium a faldæ ſtrato dici; ſic italice *Faldes montium*, ideſt fimbriæ & pedes montium dicuntur: ſic ſella iſta, quia in extremitate ſtrati quod a throno, & ſublimitate cathedræ dependet, ſolet collocari, ideo ita appelletur.: || : Nam in cornu epiſtolæ ponitur ob reverentiam cathedræ, quæ digniorem in Evangelii parte locum obtinet; ſic etiam Celebrans in faldiſtorio ſedens, ac verſus populum reſpiciens, ejus dexteram reſpective ad cathedram honoris cauſa præbet. In hoc ergo faldiſtorio ſolemniter celebrant Epiſcopi, ubi juriſdictione carent, ſeu in propriis Diœceſibus, quando nempe, aliqua major eccleſiaſtica dignitas præſens ſit, ſeu quando in collatione ordinum ſedet ante Altare, ſeu in memoriam paſſionis Domini Feria VI. paraſceve celebrans, tunc ſedens vergere debet faciem ad cornu Evangelii. Cærem. Epiſc. lib. 2. c. 29. Maximum præjudicium epiſcopali dignitati committunt Epiſcopi, qui in propria Diœceſi apud Regularium Eccleſias, ſeu alibi ſolemniter celebrantes faldiſtorio hujuſmodi utuntur, exemplum Romanæ Urbis arripientes, ubi Epiſcopi, & Cardinales in Eccleſiis Regularium faldiſtoriis utuntur: æquivocant enim, quia ibi non ex eo, quod Eccleſia Regularium ſit; ſed ob reverentiam Pontificis hoc fit, ſicut etiam Concionatores Sacerdotes Romæ ſtolis ob eandem reverentiam non utuntur: & licet Cardinales in his locis, & coram Pontifice ſolemniter celebrantes in Faldiſtorio ſedeant: quando tamen in eorum titulis ſolemniter celebrant, habent ibi cathedram, & baldachinum. Celebrans igitur in faldiſtorio, eo etiam pro gentiale utitur.

FALLARIS MONETA. Vide *Folleralis*.

FALSARIUS. Vide *Paracharacta*.

FALSATUS. FR. adulteratus. [ Privilegia &c. vel falſa reperta ſunt, vel falſata. In decret. de fide inſtrum. c. 4.

FALSIFICO, nedum alterare, ſeu falſum aliquid efficere; ſed & falſitatem evidenter demonſtrare ſignificat: [ Omnes iſtas depulſiones veridicis aſſertionibus locis ſuis, & temporibus falſificare. Ivo Carnotenſ. epiſt. 137.

FALSO, *as*, altero. [ Bene hæc omnia poterunt ad ſolos hæreticos pertinere, quia falſaverunt ſymbolum. Optat. Milevit. lib. 1.

FALSOR. FR. falſificor. [ Quia ſicut Chalcedonenſis Synodus

nodus in uno loco ab Eccleſia Conſtantinopolitana falſata eſt, ſic in Epheſina Synodo factum eſt. D. Gregor. in Regiſt. lib. 5. epiſt. 14.

FAMELLARIS. FR. effœminatus, mulieroſus. Iſidorus. Vide *Famellarius*. *Mulierarius*.

FAMEN, a *for, faris*; nomen, fama, prolatio, divulgatio, ſæpe apud Paulum Diaconum, in hiſt. Longobard. & in hymno Præcurſoris Chriſti, ante Urbani tamen VIII. correctionem:

Ne levi ſaltem maculare vitam
Famine poſſes.

FAMILIA. FR. terræ ſpatium, ad familiam ſuſtinendam ſufficiens; alii putant eſſe terræ ſpatium, quod in unica die arari poſſet, quod *Hida* dicitur, & a pleriſque *Carruata* appellatur. [ Donavit terram quinquaginta familiarum, ad conſtruendum monaſterium. Beda lib. 4. c. 3. ] ubi Interpres pro familiarum dictione *Hidarum* tranſtulit. Vide *Carruata*.

FAMULA. Vide *Lida*.

FAMULARIS. Famulus; [ Et populum vectigalem, & famularem ſibi ad fidem revocare. Tertull. adverſ. Gent. cap. 21.

FAMULO, nedum in ſenſu activo communiter intellecto, nempe, pro actu ſervitutis, & famulatus; ſed in paſſivo pro famulatu, & ſervitute alterius juſſu præſtita intelligitur. [ Elementa ipſa famularet compeſcens procellas. Tertull. adverſ. Gent. cap. 21. ] ubi de Chriſto loquitur, qui increpuit ventum, & tempeſtas aquæ ceſſavit. Matth. 8. 23. Marc. 40. 30. & Lucæ 8. 24. FR. in eodem ſenſu idem Tertull. [ Famulabat elementa Chriſtus. Apolog. c. 21. ] ideſt, jubebat Chriſtus ab elementis obtemperari.

FANATICUS, & *Phanaticus*, φανατικός, Ethnicus, a Fano Deorum, ubi advertendum, quod Chriſtiani, licet ſynonymice Gentilium vocabulis uſi ſint ad Eccleſiam ſignificandam, utpote *Templum*, *Cappella*, & ſimilibus; nunquam tamen Eccleſiam *Fanum* appellare volueruut. [ Eo tempore multæ Eccleſiæ a Clodovei exercitu deprædatæ ſunt, quia erat ille adhuc fanaticis erroribus involutus. Gregor. Turon. lib. 2. c. 27. ] Sic etiam dicitur *Phanaticus morbus*, ab Idolis, ſeu verius a dæmonibus inflictus. Item Phanatici furioſi dicti. FR. D. Hieronymus *Phanaticos* Idolorum miniſtros appellavit, inquiens [ Et pro Levitis Fanaticos habebant, c. 6. in Iſai. ] Et in eodem ſenſu D. Auguſt. ; [ Sedent Pagani, & computant ſibi annos, audiunt Phanaticos ſuos, in Pſalm. 40.

FANON, ſignificat velum, ſive pendens in haſta veluti brandeum, & vexillum, quod Confanon, & italice *Confalone* dicitur: quod vocabulum videtur germanicum; nam hoc modo vexillum Germani vocant: ſive velum in manica pendens, nempe, manipulus, qui apud veteres nil aliud erat quam lineum velum ad abſtergendas lacrymas; & ſudores, ut ſuo loco dicetur. [ Ad extremum Sacerdos fanonem in ſiniſtrum brachium ponit, qui & mappula, & ſudarium vocatur. Gem. lib. 1. c. 46. & c. 208. ] Sed in cæremoniali Romano ſubtiliſſimum ſericum velum variegatum ſignificat, eoque utitur Papa, quando Pontificaliter celebrat, quod poſt albam induitur, & circa collum ligatur ad nodum capucii, ac ſupra caput ejus imponitur, uſquequo planeta induitur, ſupra quam deinde ad modum mozettæ adaptatur, & pallium ſuperimponitur: itaque pars fanonis inferior ſub planetam concluditur. Variegatio autem quatuor colorum eſt, qui in Ephod Moſaicæ legis comprehendebantur, ut in dictione *Ephod* dictum fuit, erantque quatuor elementorum ſymbolum; ideo Innocent. III. inquit [ Romanus Pontifex, poſt albam, & cingulum aſſumit orale, quod circa caput involvit, & replicat ſuper humeros, legalis Pontificis ordinem ſequens, qui poſt lineam ſtrictam, & zonam induebatur Ephod, lib. 1. de myſt. Miſſæ, cap. 53. ] Et Durandus iiſdem prorſus verbis utitur inquiens: ] Sane Romanus Pontifex poſt albam, & cingulum aſſumit orale, quandam, videlicet, ſindonem, quod capiti quaſi in modum veli imponit, & replicat ſuper humeros, & ante pectus, lib. 3. Rational. cap. 9. ] Aliquando vero in præfato Epiſcop. Cærem. habetur *Favon*, & hoc ejus uſitatius vocabulum eſt: [ Et mitram habens in capite ſupra favonem. ] Ex quibus verbis evidens fit, quod antiquitus ſuper humeros non plicabatur, ſed ſuſtinebatur in capite, quod in aliquibus muſivis picturis vidiſſe, ac in pervetuſto Davantriæ cæremoniali legiſſe memini. Crediderunt vero nonnulli hujuſmodi habitum fuiſſe & ſacerdotibus communem, ex eo quia in Ordine Romano quando Epiſcopus novellos Sacerdotes conſecrabat inter alias admonitiones illis pronunciabat: [ Nullus cantet ſine amictu, alba, ſtola, favone, & caſula. ] Sed revera ex partium enumeratione clare apparet per *Favonem* manipulum ibi non mētionatum intelligi. FR. etiam in auctoritatibus Innocentii III. & Durandi ſupra allatis de ſtola non fit mentio, ergo per *Orarium* ibi ſtola intelligitur; Orarium enim communiter ſtolam denotat, ut ſuo loco dicetur; at credibile eſt, quod favon, ſtola, manipulus, orarium, & brandeum promiſcue antiqui unum pro alio capiebant. :||: Quando igitur Papa in feria quinta cœnæ duodecim Subdiaconorum pedes lavabat ( ad quod lavacrum nunc juſſu Alexandri VII. nonniſi Sacerdotes admittuntur ) in myſteritm duodecim Apoſtolorum; tunc caput ejus favone tegebat: legitur enim iu quodam vetuſto Miſſali Eccleſiæ S. Damiani Æſiſſii Civitatis, nempe; [ Exuit ſe planeta, & aſſumit mantum in ſcapulis, impoſito ſuper caput favone ſine mitra. ] In die Veneris Sancti favone non utitur Papa. [ Paratur conſuetis paramentis, exceptis ſandaliis, ſubcinctorio, favone, & chirothecis. Cærem. Rom. ] Vide *Cingulum*, *Orale*.

FANTASMATICI, hæretici. Vide *Manichæus*.

FARA, Longobardicum vocab. [ Faras, ideſt, generationes. Paulus Diacon. lib. 2. hiſt. cap. 2. & 9. ] FR. item pro ſubſtantiis, & bonis familiaribus aliquando ponitur, l. ſi quis liber. qualiter cum fara ſua &c.

FA-

FARINARIUM, molendinum tritici. [ Quapropter præſentem auctoritatem noſtram, quam perpetualiter manſuram eſſe jubemus, ut farinariis, adjacentiis, appendiciis &c. Marculf. lib. 1. formal. cap. 14. ] Et de eodem fit mentio in Bulla Caroli Regis ad favorem S. Martini Monaſterii, [ Cum vineis, culturis, ſylvis, pratis, farinariis &c. ] FR. Bignonius in notis ad ejuſdem Marculfi formularium, hoc vocabulum autumat furnum ſignificare: ſed quo fundamento aſtruat, neſcitur.

FARSURA, adimplementum, affluentia. [ Ferrem patientius, ſi ad Ciſtercienſis Ordinis obſervantiam te transferres. Si enim in propoſito religionem habes probatiſſima religionis ſchola eſt, ſummus ibi modeſtiæ uſus, morum regularitas, fraternitatis affectio, pax animi, omnium communicatio, mutua obſequia, diſciplinæ vigor, amor obedientiæ, vinculum charitatis, carnis ſervitus, hoſpitalitatis exhibitio, legendi libertas, vigiliarum excubiæ, quies meditationis, devotio pſalmodiæ. Quid quæſo dulcedinis, aut devotionis invenies apud eos, quibus verſa eſt in nauſeam numeroſa, atque confuſa iteratio, & farſura pſalmorum? Petr. Bleſen epiſt. 86. ad Magiſtrum Alexandrum Monachum. ] Optima quidem pro Eccleſiaſticis admonitio, dum in adimplemento quantitatis pſalmodiæ putant obligationem recitationis conſiſtere, quaſi nil aliud exigat Deus, quam externam, ac frivolam recitationem. FR. advertendum tamen eſt, quod Petrus Bleſenſis de poſtremis in allata auctoritate verbis ſe retractaverat, ſeu melius ſuam intentionem explicaverat, inquiens: [ Propter hoc adverſus Magiſtrum Alexandrum in epiſtola quadam nuper excandui; & verba, quæ ipſum ſpecialiter contingebant, paſſus ſum in quorumdam offenſam licentius, quam oportuit, evagari: fateor, quod pſalmodiæ prolixitas, ſi ex devotione procedit, ſaluberrima eſt, ſi acediam non habet ſociam: occupatio tamen eſt honeſta, & ſi vagos excurſus mentis omnino non reprimit, per eam ſaltem ſtudiis honeſtioribus aſſueſcit, epiſt. 97. circa finem.

FARTUS. FR. monetæ ſpecies in Sicilia. [ Quod mille quidem fartorum annuam penſionem ( in qua pro eodem Regno ipſi Eccleſia Romana tenebatur ) per novem annos, & amplius ſolvere prætermiſit. De ſententia, & re judicata, in ſexto, c. 2.

FASCINATOR. Vide *Caragus*, *Hydromantia*, *Obligator*.

FASTELLA, faſcia, ligamen. [ Fecit coopertorium ſuper Altare cum clavis, & faſtellis. Anaſtaſ. Biblioth. in Benedicto II. ] In aliquibus codicibus *Fiſtellis* legitur. FR. fortaſſe *Faſtella* encarpus, & columnæ capitellum eſt, quod etiam faſtigium a ſublimiori columnæ parte dicitur, hinc Virg. Æneid. 1.

—— Et faſtigia ſuſcipit Urbis.

Itali *Feſtone* appellant.

FASTI, ethnicum vocabulum; ſed a Chriſtianis Calendarium intelligitur, in quo totius anni ſolemnitates notabantur, & ab his faſtis deinde, uti ait Baronius, originem habuit Martyrologium. [ Habes tuos cenſus, tuos faſtos; nil tibi cum gaudiis ſæculi. Tertull. lib. 1. de coron. milit. c. 13.

FASTIGIUM, Baldachinum. [ Fecit argenteum faſtigium battutile, quod habet in fronte Salvatorem ſedentem. Anaſtaſius in Silveſtro. ] Argenteum battutile, ideſt, ex lamina argentea. Vide *Battutilis*. Vide *Baldachinum*.

FASTIGIATISSIMUS, ſuperbiſſimus. [ Sed ſervata pace reliquorum, duo faſtigiatiſſimi conſulares Gennadius Avienus, & Cecinna Baſilius præ cæteris conſpiciebantur. Sidon. lib. 1. epiſt. 9. Ad arcem faſtigiatiſſimæ fœlicitatis evectus. Idem lib. 2. epiſt. 4.

FASTOSUS. Vide *Philocompicus*.

FATALITAS. Apud Scriptores Eccleſiæ pro neceſſitate naturali uſurpatur; ſed non abſque concurſu divinæ providentiæ. [ Gratias ago Deo, qui adverſus neceſſariæ fatalitatis urgentias benigne pro afflictis excipiens, ſuſcitat, juxta verbum Amos, de filiis Prophetas, & de juvenibus Nazaræos. Petr. Bleſen. ep. 127. Ut ſicut turbato fatalitatis ordine filius vos præceſſit ad mortem; ſic ordinato hujus mortalitatis excurſu cæteros præcedatis ad vitam. Idem epiſt. 2.

FATESTORIUM. Vide *Faldiſtorium*.

FATIBILIS, & *Fatitius*. FR. Advena, ſeu adventitius, Bullar. Caſin. tom. 2. conſtitut. 46. 79. & 117.

FATIGIUM, labor: hinc *Fatiga* italice. [ Numquam fatigii montis hujus aſcenſus, nimis tunc erat clivoſus, arctus, & horridus. In Chron. Caſin. lib. 3. c. 28.

FAVON. Vide *Fanon*.

FEBRICITAS, febris. [ At nunc & febricitates, ò Marcionita, & cæteros tribulos, & ſpinas dolor carnis tuæ tibi edit, Tertull. lib. 1. adverſ. Marcion. c. 24. ] ſic corrigit hunc locum eruditiſſimus Latinius contra Pamelium, qui febricitas, ac ſi eſſet verbum, exponit, ſcilicet; *Et febricitas ò Marcion*.

FEBRIENS, febricitans. [ Quis febriens ægrotanti tactu pulſum diſtinguat incolumen. Sidon. lib. 6. epiſt. 1. ] Vide *Frigoriticus*.

FEBRIS. Vide *Inæqualitas*. *Typus*.

FEGUM. FR. territorium, vocabulum adhuc in Sicilia, & Melita retentum. [ Concedimus &c. exceptis oblationibus &c. & exceptis equitum fegis, ſive beneficiis, ex quibus, videlicet, de beneficiis equitum, & manualis conventus, ſi poterimus, alibi eis concambium dabimus, & ipſa omnia fega, & manualia ] & infra [ Præfata Caſtella ad hoc perficiendum opus conſtituemus. Ex Regiſt. Farfen. Abbatiæ, n. 1156.

FELLITO, exſugo, mulgeo, verbum frequentativum. [ Exugerent fellitantes mammæ. Arnob. lib. 2. adverſ. Gentes.

FELONIA, rebellio. [ Felonia, culpa, ſive injuria, propter quam vaſſallus amittit feudum. Hoſtien. ] Ex verbo germanico *Felen* derivatur, quod errare ſignificat.

FEMELLA, ferrea anſula, ex qua januæ pulſatile pendet. Regia monaſterii circellum habeat ferreum in femel-

la, quo ab adveniente concuſſo &c. In Reg. Magiſt. c. 95. §. 3.

Femellarius, effœminatus. Gloſſ. Iſidor. Vide *Famellaris*.

Fendica, lucanica. [Non fendicas, quæ & ipſæ ſunt hiræ. Arnob. lib. 1. contra Gent.

Fenolium, Planeta. Vide Hieronymum Fabrum in ſac. memor. Ravenn. part. 1. pag. mihi 10.

Ferdinandus. FR. eſt nomen Arabicum a *Fer-din-han-du*, ideſt, Gaudium fidei habet ipſe, ſive Gaudium fidei apud eum; ideo hoc nomine appellatus fuit primus B. Ferdinandus Rex Hiſpaniæ, eo quia hoc Regnum a Saracenorum tyrannide ipſe liberaverat.

Ferdoni. FR. monetæ ſpecies. [Habebat enim mille ſexcentas piſcatorias naves, quarum quælibet per totum annum ad quatuordecim dies fiſco regio perſolvebat nummum aureum, qui perperam vocari ſolet ferdoni, ideſt, quarta parte marcæ unius æquivalens. Guntherus in hiſt. Conſtantinop. apud Caniſium tom. 5. Antiquar. Lection.

Feretrum, ſandapila, quo mortui ad ſepeliendum feruntur. Vide *Libitina, Loculus*. Item pro triumphali curru. [Quale in illo viro feretrum Deus de diabolo extraxit? Tertull. lib. de patient. cap. 4.] de Job loquitur.

Feria, Ethnicum vocab. ad Chriſtianos translatum; ſed in diverſo ſignificationis uſu, ſcilicet, ad feriandum in ſolemnitatibus Sanctorum Martyrum. Baron. ann. 44. n. 86. Item, ut tolleretur ſuperſtitioſa Deorum majorum Gentilium in hebdomadæ diebus tutelaris denominatio. Baron. ibid. n. 88. & an. 58. n. 87. Falluntur ſiquidem, qui aſſeruere hanc inter Chriſtianos denominationem tempore Silveſtri Papæ cœpiſſe; nam Tertullianus, qui ante Silveſtri tempora floruerat, ſæpe de hoc feriæ vocabulo inter fideles uſitato mentionem facit; quin S. Ignatius Martyr. in epiſt. ad Philippen. & Juſtinus Martyr. quæſt. 65. hujuſmodi Chriſtianorum ferias commemorant, qui ætatem D. Silveſtri præceſſerant. In Eccleſia Ambroſiana omnes currentes dies ab ultima Dominica Adventus, uſque ad Chriſti Nativitatem, *Feriæ de excepto* dicuntur; majori enim ſolemnitate celebrantur. Vide *Feſtus Profeſtus*..

Feriæ Augusti. Vide *Gula Auguſti*.

Feriæ Legitimæ, in ſacris canonibus dicuntur ſecunda, quarta, & ſexta feria, quia hi dies pro pœnitentium jejunio erant aſſignati, can. presbyter diſt. 82. Ideo Monachi græci in præſenti, præter jejunium quartæ, & ſextæ feriæ, quæ Laicis ſunt communes, jejunant etiam in feria ſecunda, ob memoriam Chriſti jejunii, quod ab hoc die incæperat. Vide Baron. an. 57. n. 99. & 100.

Feria II. Dicebatur prima Sabbati. Vide *Sabbatum*.

Feria IV. Cinerum. Vide *Cinerum dies*. In hac die ſi occurrerit feſtum XL. Mart. Vide *Collecta*. Fer. IV. poſt Domin. IV. Quadr. Vide *Introitus*.

Feria V. In coena Domini. In hac feria Sacerdotes omnes, ac Clerus ex decreto Soteris Papæ communionem recipere debent, can. in Cœna Domini, de conſecrat. diſt. 2. Quod renovatum fuit a Sac. Rit. Congreg. 27. Septemb. 1608. In quo actu Sacerdotes, & quandocumque communicari debent, cum ſtola in collo faciant. Conc. Bracar. III. can. 3. Communio autem cleri facienda eſt intra presbyterium; laicorum vero extra. Conc. Tolet. III. cap. 17. Antiquitus tamen hæc communio poſt cœnam celebrabatur, in quo tempore etiam conſecrabatur. Sinod. 3. Carth. de quo uſu D. Auguſt. epiſt. 118. ad Januar. ita ait: [Non ideo putari debet inſtitutum eſſe multis locis, ut illa die poſt refectionem offeratur.] Et in Concil. Matiſconen. II. habetur: [Sacramenta altaris nonniſi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniverſario, quo Cœna Domini celebratur. [Vide *Capitilavium, Chriſma*, *Natalis calicis*. Quare pax in hac die non datur in Miſſa. Vide *Pax*. In hac die Papa communicabatur abſque fiſtula. Vide *Siphon*. Quare in hac die legitur publice excommunicatio. Vide *Proceſſus*. Utrum Sacerdotes non celebrantes in hac die peccent mortaliter, ſi abſque ſtola ſe communicaverint. Vide *Stola*. Lotio pedum in hac die. Vide *Mandatum*. Quare non dicatur Credo. Vide *Symbolum*. Feria V. totius anni erat celebris in primitiva Eccleſia. Vide *Jejunium*. Feria V. Quadrageſimæ dicebatur *Vacans*: Microl. de Eccleſ. obſervat. cap. 59. Vide *Panetaria*.

Feria VI. Paraſceve, quomodo in ea dicenda eſt oratio pro Imperatore, ſi jam obierit. Vide *Cereus Paſchalis*. Epiſcopus in hac die non utitur chirothecis. Vide *Chirotheca*. Vide *Cœna pura*, *Concionator*. Quid ſignificet *Confeſſoribus* in oratione hujus diei. Vide *Confeſſor*. Papæ Indumenta in hac die. Vide *Cingulum*, *Croccea*, *Fanon*. Crucem adorat Sacerdos. Vide *Crux*. In Miſſa profert alta voce, *Libera nos quæſumus Domine*. Vide *Emboliſmus*. Reliqua ad hanc diem ſpectantia. Vide *Cingulum*, *Cœna pura*, *Faldiſtorium*. *Genuflexio*, *Hoſtia*, *Laus tibi Chriſte*, *Lectio*, *Paraſceve*, *Paſſio*.

Feria Propter Messem, & *propter vindemias*. FR. in quibus non compellitur quis in judicio reſpondere. Gloſſ. in cap. 21. de judiciis. Vide *Meſſivus*.

Feria Scrutinii. Vide *Scrutinium*.

Feriale, dicebatur Kalendarium, in quo feſta notabantur, quæ *Ferias divinas* Aſterius appellavit.

Ferita. FR. vulnus, plaga, l. ſi quis in curte, de homine in curte aliena. Paulus Diac. Hiſt. Longobard. lib. 3. cap. 31.

Fermentarii. Vide *Azymitæ*.

Fermentum, panis benedictus, qui in Eccleſia diſtribuebatur, ita quidem ad diſtinctionem azymi panis pro Euchariſtia deſtinati, appellatus. [De fermento vero, quod ore Dominico per titulos (*ideſt, Eccleſias*) mittimus per Acoluthos. Anaſt. Biblioth. in vita Melchiadis.] Aliqui putant *Eulogiam* appellari; ſed pro ſpecifico nomen genericum intelligunt; nam Eulogia benedictionem, munus, eleemoſynam, & oblationem ſigni-

ſignificat, de qua ſuo loco diximus. [ Ut de oblationibus, quæ offeruntur a populo, & conſecrationi ſuperſunt, vel de panibus, quos deferunt fideles ad Eccleſiam, vel certe de ſuis convenienter partes inciſas habeat, in vaſe nitido, & convenienti, & poſt Miſſarum ſolemnia, qui communicare non fuerint parati, eulogias omni die Dominico, & in diebus feſtis exinde accipiant, ex decreto Pii Papæ c. 4. ] *Eulogias*, ideſt, eleemoſynas, vel munera, quæ & benedictiones dicebantur, Sic. & *Oblata* generice etiam dicebantur. [ Deinde diſtribuit fidelibus oblata non conſecrata; ſed ſigno tantum Sanctæ Crucis benedicta, in memoriam Cananeæ, quæ micas ſolas optabat menſæ Domini. In Liturgia Armena. ] Et hæc cæremonia erat unionis ſignum. Baron. an. 645. Idem affirmavit D. Auguſtinus inquiens: [ Panem unum quem unanimitatis indicio miſimus charitati tuæ, rogamus accipiendo benedicas, epiſt 31. ] Atque Paulinus: [ Panem, quem miſimus, uberior benedictio fiet dilectione accipientis, epiſt. 34. ] Itaque per oblationum, & eulogiarum reſidua, nedum panis, ſed etiam vinum intelligebatur; nam utraque ſpecies, quæ non conſecrata ſupererat, ſimplici benedictione adhibita, populo in Eccleſia congregato diſtribuebatur, quæ in ſacrificii rationem offeruntur, poſtea, [Quæ in Sanctorum uſum conſumuntur, Clerici dividunt, & nec Cathecumenus ex iis bibat, aut comedat; ſed ſolũ Clerici, & qui cum eis ſunt fideles fratres. Theophil. Alexand.] Concil. Laodicenſe can. 4. ſancivit, ut hæc diſtributio fieret poſt Miſſam: ſed in die Paſchæ fieri vetuit; tunc enim omnes fideles Euchariſtiam ſumere tenentur. Tempore jejuniorum Diaconus in Miſſa cantata, & in privata Sacerdos ante orationem ſuper populum dicunt *Humiliate capita veſtra Deo*. Quod erat ſignum propter jejunium, fermentum, & cæteras oblationes, ſeu eulogias non diſtribui, de qua cæremonia jejuniorum tempore. Vide *Collecta*. Inter eruditiſſimas Latini Latinii epiſtolas, quas Romæ nuper typis mandari curavimus, in to. 2. pag. 167. & ſeqq. invenies Lector ſatis longam, doctamq; illius Auctoris de hoc fermento opinionem, & ibid. pag. 171. habes ſuper eandem quæſtionem Antonii Auguſtini reſponſionẽ. Quibus addendum, quod in Pariſienſi S.Genovefæ con. ventu reperitur quoddam pervetuſtum calendarium de ann. 720. in quo notatur hæc cæremonia in Sabbato ante Dominicam palmarum, nempe: [Sabbato datur fermentum in Conſiſtorio Lateranenſi. ] Vide Baron. an. 313. n. 48. uſque ad 54. Nicolaum Card. Cuſanum epiſt. 7. ad Boemos, Theophilum Raynaud. contra Juſtellum. Petrus Damianus *Fermentum* vocavit Adamum, quia transfudit in nobis originale peccatum. Tertullianus hæreticos Valentinianos irridens, quia quandam generationem ſpiritualem aſſerebant per modum contemplationis, ut ajebant, ſic inquit: [Simulque contemplatione ipſa Angelicorum luminum, ut ita dixerim, ſubfermentata pudet, c. 11.] FR. Fermentum Ἄρτον Græci appellant: [Vos quidem panem, nos Arton dicimus. Artos aut interpretatur elevatus, & ſurſum portatus; a fermento; & ſale calorem, & elevationem habens. In Dialogo Humberti tit. S.Priſcæ Cardinalis in Append. 11. tom. Baronii aſſerit Conſtantinopolitanus.] Quam tamen etymologiam ibi idem Cardinalis negat. Vide *Antidoron*, *Zyma*.

FERONYMOS, φερώνυμος, id eſt, ſecum ferens nomen: ſic D Hieronymus ad Deſiderium de Serenilla, quæ ſecum ſerenitatem attulerat, ſcribens ait: [Gratulor tibi, & ſanctæ, atque venerabili ſorori tui Serenillæ, quæ feronymos, calcatis fluctibus ſæculi, ad Chriſti tranquilla pervenit, epiſt. 154.

FERQUIDIUM, & *Ferquidum*. FR. traditio rei ſimilis, ſeu æquivalentis. Gloſſa in l. de eo præcipimus. De eo, quod pater filiis neceſſe habet relinquere. *Ferquidum* autem ſimile quid alterius rei, l. ſi quis ſacuſſit. De damno, & injuria. Item compoſitionem, reſtitutionem, ſeu compenſationem in rem ſimilem ſignificat, l ſi quis reſ. 4. De damno, & injuria, & l. de pœnis. De eo, qui peculium. *Reſtituere ferquidum*, ideſt, ſimile, vel conſimile, in Regiſt. Farfen. n. 223. & 770.

FERRATACALCE. FR. violenter ab equino ferrato calce translative deſumptum pro violenti, & convincenti argumento. [ Sed fœtidum opus veſtigiis inſequar, & ferrata, ſi valeo, calce contundam. Ennod. Ticinen. Epiſcop. in Apolog.

FERRUGO, aliquando non pro rubigine, ſed pro eodem ferro ſumitur. [ Gladios ferruginis perfectæ. Tertull. de reſur. carnis.

FERTUM, offertorium, ſeu oblatio, quæ in Sac. Altari fit. [Offertorium tali ex cauſa ſumpſit vocabulum. Fertum enim dicitur oblatio, quæ Altari offertur. Iſid. lib. 6. cap. 19.] a verbo fero, qui a Sacerdote ad Altare fertur. *Ferta* Melitenſes vocant eleemoſynam, quæ tempore offertorii in Eccleſia colligitur.

FERULA. Vide *Baculus Epiſcopalis*. *Narthex*.

FESTINANTIA, feſtinatio, properatio. D. Bernardus in vita S. Malachiæ Hyberniæ Epiſc.

FESTUS, & feſtum, dies ſolemnis pro aliquo Sancto. De feſtivitatum antiquitate, ac ritu Baronius an. 58. n. 81. & ſeqq. quæ in honorem SS. Martyrum tantum celebrabantur, ut dictum eſt in dict. *Feria*. Sed deinde an. 813. ex decreto Moguntini Concilii etiam ad honorem Sanctorum Confeſſorum feſta celebrari cœperunt Bellarm. lib. 2. de Miſſa cap. 20. Itaque Bonifacius IV. in honorem omnium illorum Sanctorum Martyrum, quorum feſta in diurno anni circulo celebrari nequeunt, ad primam diem Novembris celebrari Romæ ſtatuit, in qua die Chriſtiani jejunare ſolebant, ut Iſidorus refert. Gregorius vero IV. ( ut in Chronica Sigiberti ad an. 835. habetur) eandem feſtivitatem per univerſam occidentalem Eccleſiam celebrari ordinavit, quam Græci in Dominica poſt Pentecoſtem ſolemnizare ſolent, quando Latini Sanctiſſimæ Trinitatis feſtum agunt. Ambroſiana, & Græca Eccleſia nullum feſtum celebrant in quadrageſimali tempore, ſed Græci excipiunt Annunciationis, & Quadraginta Martyrum feſta,

feſta, ut alibi diximus. Imo Toletanum Concilium ordinaverat, quod feſtum Annunciationis Virginis celebrari deberet ad diem 18. Decembr. de quo uſu adhuc aliqua memoria remanet in Eccleſia;nam in feria quarta quatuor temporum Decembris Miſſa tota ad myſterium Incarnationis directa legitur. Ambroſianum Breviarium hoc feſtum Annunciationis in Dominica ultima Adventus notat. Cæterum feſtum dicitur *Natalis*, & *Natalitium*, quia in hac die Sancti moriendo ad gloriam naſcuntur. Ac alia ſynonyma. Vide *Annale, Duplex, Feria, Profeſtus.* Abſque Sedis Apoſtolicæ licentia non poſſunt amplius Epiſcopi feſta Sanctorum ſuperaddere in Calendario. Sac.Congreg.Rit. 8. April. 1628. Imo nec feſta de præcepto ſtabilire, niſi unius Sancti tantum in quolibet Civitate, ſeu pago ſub titulo Protectoris; & aliud feſtum univerſale totius Provinciæ, ſive Regni; ex prohibitione Urban. VIII. vigore ejus Bullæ, quæ incipit, [Univerſa per Orbem] cm nata de anno 1642. in qua etiam jubetur, ne tam faciliter concedant Epiſcopi laborandi licentias, & in caſu neceſſitatis concedatur gratis, ſine ulla ſolutione. De feſtivitatibus in primitiva Eccleſia. Vide *Feria, Jejunium, Profeſtus*.

FESTUM CANTORIS, & *Succentoris*. Vide *Cantor*.

FESTUM EPULARUM, feſtum Cathedræ S. Petri, in quo die Chriſtiani præcipue in Africa epulari ſolebant, de quibus D. Auguſt. lib. 6. Confeſſ. c. 2. inquit: [Cum ad memorias Sanctorum, ſicut in Africa ſolet, pultes, & panem, & merum attuliſſet. ] Mos ex Gentilium ſuperſtitione introductus, qui in eodem prorſus die ſuper mortuorum ſepulcra cibos collocare ſolebant, contra quem abuſum invehitur idem Sanctus Doctor Ser. 15. de Sanctis, ubi de S. Petri Cathedræ feſto agens, inquit: [Cum ſolemnitatem hanc Eccleſiis merito religioſa obſervatio introduxerit; miror cur apud quoſdam infideles, hodie tam pernicioſus error increverit, ut ſuper tumulos defunctorum cibos, & vina conferant, quaſi egreſſæ de corpore animæ carnales cibos requirant.

FESTA FUGALIA. E Vide *Fugalia*.

FESTUM HEBDOMADUM, meſſis, primitiarum. Vide *Pentecoſtes*.

FESTUM LUMINUM. Vide *Epiphania*.

FESTA MOBILIA totius anni in die Epiphaniæ anuncianda. Vide *Epiphania*. Et a Septuageſima regulanda. Vide *Septuageſima*, Et in quo Miſſæ tempore. Vide *Breviculum*.

FESTA PAGANALIA. Vide *Septimontium*.

FESTUM QUINQUE CANDELARUM, & *Septem candelarum* Vide *Candela*.

FESTUM STELLÆ, dicitur Epiphania. Vide *Septuageſima*.

FEUDUM. FR. eſt jus a Rege, vel Imperatore conceſſum cum dignitate, & ſtatu, vel prædio, beneficii nomine. Sigon. de regno Ital. lib. 7. Bullar. Caſin. tom. 2. conſtit, 32. 42. 187. n. 4. & 11. Vide *Beneficium*. Sed poſtea feudum etiam dictum fuit conceſſio hæreditaria fundi a privatis, & directis dominis cum recognitione aliqua, vel ſolutione conceſſum. [Conſtat poſſeſſiones tenere in feudum, cap. cæterum quia, de Judiciis. ] Feudum autem a fœdere dicitur: quamvis aliter teneant alii. Dicitur etiam *Fodrum*. Vide ſuo loco. Vide *Hauberticum*, *Paradogum*.

FEUDATARIUS. FR. qui feudum fruendi uſum habet, & ad ejus obligationes reſpondere tenetur. Sigon. de Regno Ital. lib. 7. Vide *Relevium*.

FEUGANDUS. FR. fur manifeſtus, latro, l. ſi quis jugum, de furtis, l. 1. ſi quis togas, Gloſſa in l. ſi liber homo, de furtis. Vide *Fingardus*.

FIALA, Organum muſicale. [Cum vice quadam jocularem introduxiſſet, & ille dulcedine fialæ dormientem excitaſſet. Cæſarius lib. 6. mirac. c. 7. ] Quod ex ejus ſequentibus verbis declarat, inquiens, [Monachi Tuitienſes in organis cantant.

FIALARIUS, miniſter in Palatio Apoſtolico, cui incumbebat pro lucernis ellychnia adaptare, & præparare. Cencius Camerar. in ejus Cæremonial. M. S. in aliquibus ejuſdem codicibus corrupte *Foliarius* legitur.

FIBRAMEN, lucis radium. [Plus licet ex centro Titan fibramina fundat. Aldhel. de Virg. ] deſumpta metaphora ab extremitatibus rerum, quæ fibriæ dicuntur, quamvis alii *Vibramina* legant in hoc loco.

FIBRINUS. Vide *Caſtorinatus*, *Vibrinus*.

FIBULA. Vide *Annulus*, *Axungia*, *Fibulatorium*, *Firmaculum*, *Morſus*, *Sentis*; item Fibula in homine unio animæ, & corporis tranſlative intelligitur. [Subſtantiarum duarum, quemadmodum fibula. Tertullianus de reſurrect. carnis.

FIBULAM CARNI SUPREMAM IMPONERE, il lib. de monog. caſtitatem intellexit Tertullianus, & vice verſa de immoderata licentia: [Ut etiam voluntarii delicti fibulam laxant. Idem de coron. milit.

FIBULA RHETORICA. FR, ideſt, ratio conſtringens. [Rhetorica fibulam momorditis. Ennod. Ticin. Epiſc. in Apologet. ad Schiſmaticos. [& ibidem pro unione: [Quos fibula Religionis pio mordens dente conjungit. De duobus Patribus loquitur, qui zelo religionis ad pie ſchiſmaticos mordendos concordantur.

FIBULATORIUM, fibula. [Fibulatoria majora, & minora quinque. Anaſt. in Leone IV. Amulas ſuperauratas paria duo pendentes, fibulatoria numero quinque. Idem in Greg. III.

FICONES, calceamentorum genus, ſeu calones potius ex materia lignea confecti. [Tunc invenit a Deo bonum conſilium, & implevit duos ficones ſuos carbonibus ignis, & infixit pedes ſuos in eis. In vita S. Brigidæ ad primam diem Februarii. ] Vide *Cuſtus*, *Socculus*.

FICTA, dolor in homine, quaſi clavi cuſpis infixa, quæ punctio, ſeu punctura dicitur, & aliquando frigidum humorem in nervis conſtipatum ſignificat, qui arteticus morbus appellatur. [Matri vero meæ hoc ordine Sanctus ſubvenit. Tempore, quo tranſactis parturitionis doloribus me edidit, dolorem in uno tibiæ muſculo incurrit; erat autem ſubitaneus tanquam clavus affigens,

figens, atque ita fictam graviſſimam dabat, ut plerumque eclyſim generaret, neque erat, quod eum mitigare poſſet. Gregor. Turon. l. 3. miraculor. S. Martini c. 10. ] FR. ſic intelligenda ſunt illa verba Pontificis: [ Tanta nequitia ad aures noſtras de ſenectute tua pervenit; ut eam, niſi humanitus penſaremus, ficta jam maledictione feriremus, can. tanta, diſt. 86. ] ideſt, cuſpidata maledictione.

Fictio. Vide *Fucus*.

Ficus. FR. morbi ſpecies. [ Erat vir quidem, qui ficus ægritudine vehementer virente &c. in vita S. Anſelmi Lucenſis Epiſcopi a Luca Uvadingo edita, c. 74. ] Arbor, & fructus. Vide *Sycamen*, & *Sycomorus*.

Fidagium. FR. vectigal pro paſcuis. Bullar. Caſin. tom. 2. Conſtit. 177. Et dicitur etiam *Fidentia*, de quo vocabulo Falco Benevent. [Imperator ipſe Beneventanos liberaret, videlicet, de vinearum fidentiis, & angariis & terratico &c. in Chron. ad an. 1137. ] Ibid. etiam in juramento Rogerii habetur idem vocabulũ.

Fidamen, confidentia. [ Corrige delictum fidamine. Tertull. in carm. ad Senat.

Fidelis. Vide *Chriſtianus*, *Catholicus*, *Drudus*. FR. Utrum fidelis dicatur infans poſt baptiſmum, & ante uſum rationis? affirmative reſolvitur in can. parvuli fideles, de conſecrat. diſt. 4.

Fidentia. Vide *Fidagium*.

Fides Athanasii, ideſt, ejus Symbolum, [ Die Dominica, dum ad Primam ſtaret, & chorus pſalleret fidem Athanaſii, illa de myſterio ſummæ Trinitatis cogitans &c. Cæſarius, lib. 9. cap. 39.

Fidei Doctores. Vide Patrini in dict. *Baptiſmus*.

Fidejussor, ideſt, patrinus, in dict. *Baptiſmus*. Item pro ſponſore. Vide *Plegiaria*.

Fidiculæ. FR. [ Nullus omnino, cui inconſultis, ac neſcientibus nobis fidicularum tormenta offeruntur, militiæ, vel generis, aut dignitatis defenſione uti prohibeatur: excepta tamen majeſtatis cauſa, in qua ſola omnibus æqua conditio eſt, lib. 9. eod. tit. ad l. Juliam majeſt. & can. nullus, 6. q. 1. ] Ubi Gloſſa [ Fidicularum, ideſt, chordarum, quæ ligantur circa frontem hominis, & ſtringitur caput per eas, & eſt fides eadem ac chorda.] Sed Baronius in Notis ad Martyrol. 22. Januarii lit. *E*. ſic invehitur, inquiens: [ Increbuit hactenus complurium error, ut fidiculas, a filibus derivatas putarent, nihilque aliud eſſe fidiculas, quam vincula nervea, quibus ad equuleum manus, pedeſque hominis ligarentur; ſicque torquere fidiculis reum, idem eſſe, quod ligatum in equuleo fidiculis hominem intendendo, oſſium commiſſuras cum immenſo dolore diſtrahere: ſenſit hæc Sigonius lib. 3. de Judic. c. 18. Sic etiam erravit in his & Valla lib. 1. c. 5. dum ait, fidiculas eſſe inſtrumentum ex duobus obliquatis lignis compactum; ita dictum, vel ab extorquenda fide, vel a nerveis funibus, quibus torquendi alligantur. Omittimus alias hic referre complurium Jure-conſultorum de fidiculis a veritate prorſus remotas ſententias. Miratus ſum vehementer, cum S. Iſidorus, lib. 3. Origin. exacte monſtrarit, quid ſint fidiculæ, eruditos viros, eo prætermiſſo, in perquirendo de illis adeo laboraſſe, ac a rei veritate tantopere aberaſſe. Fidiculas enim idem eſſe, quod ungulas teſtatur, cum ait: Ungulæ dictæ, quod effodiant: hæ & fidiculæ, quia iis rei in equuleo torquentur, ut fides inveniatur. Hæc Iſidorus. Cum itaque fidiculis æque, ac ungulis finderentur latera hominis in equuleo diſtenti, eaſdem ungulas ea de cauſa dictas eſſe puto fidiculas, quod reorum latera finderent, ſicque a findendo dictas fidiculas eſſe, quaſi findiculas, vel a fodicando, quod illis latera reorum fodicarentur, dictaſque eſſe fidiculas, quaſi fodiculas; fodicare latera fidiculis, uſurpatum apparet ab Ammiano, ut dicemus paulo inferius. His in primis adſtipulatur Prudentius hym. 10. Periſt. in Romano, cum quas vocat fidiculas, eaſdẽ ungulas dicat. Sunt hæc verba Aſclepiadis Judicis:

Vertat ictum carnifex
In os loquentis; inque maxillas manum,
Sulcoſque acutos, & fidiculas transferat,
Verboſitatis ut rumpatur locus.

Et paulo poſt, per fidiculas Aſclepiadem intellexiſſe ungulas, quę mox Auctor ſubdit, declarant his verſibus:

Implet jubentis dicta lictor improbus,
Charaxat ambas, ungulis ſcribentibus:
Genas, cruentis & ſecat faciem rotis.
Hirſuta barbis ſolvitur carptim cutis,
Et mentum ad uſque vultus omnis ſcinditur.

Hæc Prudentius. Eodem ſenſu fidiculæ accipiuntur, l. Decuriones. Cod. de quæſt. nam fidiculis torqueri Imperator appellat cruentam conditionem, Sic apud Ammianum lib. 29. qui hæc genera cruciamentorum recenſens, ait: Intercluduntur equulei, expediuntur pondera plumbea, cum fidiculis, & verberibus. Cumque paulo inferius reorum majeſtatis latera dictis tormentis fodicata dicat, fidiculis id factum apparet. In hac eadem ſententia fidiculas accipere tam apud Senec. l. 3. de ira, quam apud Valerium de patientia l. 3. c. 3. 4. 5. vel alios, nihil vetat. Tantum apud Svetonium in Tiberio aliud genus cruciamenti invenies dictas eſſe fidiculas, dum ait: Excogitaverat inter genera cruciatus etiam, ut larga meri potione per fallaciam oneratos repente veretris deligatis, fidicularum ſimul, urinæque tormento diſtenderet. Hæc Sveton. Sed remotiſſimum eſt ejuſmodi genus tormenti ab eo, quod in actis Sanctorum Martyrum, aliiſque citatis locis per fidiculas teſtatum apparet. Invenies frequenter equuleo junctas eſſe fidiculas, vel ungulas, ea nimirum ex cauſa, quod extento corpore in equuleo, fidiculis, vel ungulis a tortoribus membra ſulcarentur, quibus aliquando ſuccederet ignis tormentum. Hæc cum habeas in nonnullis actis Sanctorũ Martyrum, S. Cyprianus demonſtrat, dum ait lib. de Lapſis: Nunc equuleus extenderet, nunc ungula effoderet, nunc flamma torreret. Et Aug. ep. 59. ad Marcellin. Non extendente equuleo, non ſulcantibus ungulis, non urentibus flammis &c. Eadem Hieronymus

epiſt.

epiſt. 49. Prudentius ſæpe, & alii. Ante hos omnes, Seneca lib. 3. controverſ. 14. pluribus.] Huc uſque Baronius; ſed Latinus Latinius, qui priorem opinionem ſequitur, fidiculam nerveam chordam fuiſſe putat, cum qua ſuper equuleum condemnatorum membra diſtendebantur, & pro ſe auctoritatem Quintiliani adducit, qui 19. ideſt, ultima declamat. ait: [Ideo enim equuleos movebam artifex, ſenex tendebam fidiculas ratione ſævitiæ, ut leviter ſedibus ſuis emota compago per ſingulos artus membra laxaret.] Alii tamen Codices loco *Tendebam*, habent *Tenebam*; ſed magis conſona eſt prima lectio.

FIERNALDUS. Vide *Filius arnaldus*.

FIGURA, hæc dictio apud Originem non excludit veram realitatem: quare quamvis ſcripſerit ille in Euchariſtia Corpus Chriſti *In figura* reperiri; non ideo negavit ibi realem Chriſti præſentiam adeſſe: ſed ultra divinam exiſtentiam realis Chriſti Corporis, alluſive complura alia myſteria ibidem contineri; hinc fruſtra recentiores Hæretici, ad negandam realem Chriſti præſentiam in hoc Sacramento, hac Origeniana auctoritate abutuntur: probatur enim ex multis ejuſdem Auctoris locis, quod per dictionem *In figura* realitatem intellexiſſet Origenes, quemadmodum quando ſcripſerat D. Joannem Evangeliſtam *In figura* ſupra pectus Domini recubuiſſe. Eodem modo dixerat, quod quando Judas in horto Chriſtum oſculatus eſt, noctem *In figura* fuiſſe. Et tamen de fide evidens eſt tam Joannem realiter ſupra pectus Domini recubuiſſe, quam realiter de nocte fuiſſe acceſſum Judæ in horto. Igitur Origenes ſignificare voluit, quod actiones illæ myſterioſas figuras, & ſpirituales alluſiones continerent. FR. alio modo huic objectioni Bellarminus contra Petrum Martyrem reſpondet lib. 2. controver. de Euchariſtia cap. 8.

FILA. FR. terræ ſpatium. [Concedimus etiam novem filas ad ſalem faciendum &c. in privil. Caroli M. apud Torrigium de Cryptis Vatican. ſecunda impreſſ. pag. 506.] & inferius,] Alias tres filas ad ſalem faciendum.

FILAUNECHILD. FR. donatio, ſeu remuneratio rei ſingularis propter meritum, l. ſi quando de ſponſalibus.

FILIA IN CAPILLO. FR. filia in domo paterna degens, l. ſi quis Longobardus de ſucceſſion.

FILIASTRA, & *Filiaſtrum*. FR. Privigna, & privignus, can. noſſe, & can. de his, 30. qu. 1.

FILIOPARES. Vide *Lithopharius*.

FILIUS. Vide *Tegnon*.

FILIUS ARNALDUS, eques recentior in tempore reſpective receptus in Sac. Melitenſi Relig. ex voce gallica, & communiter *Fiernaldus* appellatur eques, qui reſpectu alterius minus antiquior ſit, ac tali vocabulo agnominabantur in Terra Sancta adventitii Chriſtiani occidentales, & recentiores; & econtra, qui ibi naſcebatur, *Polanus* dicebatur.

FILIUS LEGITIMUS. Vide *Fulboran*. Natus tempore ſponſalium. Vide *Gamalis*. Illegitimus. Vide *Manzer*.

FILTORTUS, & *Flitortus*, fugitivus, ex Germanico vocab. *Fliet eſt*, de quo in l. Salica, tit. 1.

FIMBRIA. Vide in dict. *Phylacterium*.

FINAIDA. FR. confinium, terminus, ſeu linea finalis, l. ſi quis propter. de eo, qui terminum &c. Vide *Fingualdia*. An ſit idem ac Fiuvaida. Vide ſuo loco.

FINETENUS. FR. adverbium, uſque ad finem, ſeu omnino, ſignificans: [Sed auxiliante Deo, illud, quod prædicamus, finetenus obſervandum cenſemus. Zacharias Papa epiſt. ad Bonifacium Epiſc. in tom. 3. Concil. edit. Pariſ. de ann. 1585.

FINGAGIUS. Vide *Feugandus*, *Fingardus*.

FINGALDIA. FR. idem ac finaida, ibidem.

FINGARDUS. FR. publicus latro, l. ſi quis jugum, de furtis, qui etiam *Feugandus*, & *Fingagius* dicitur. Vide *Feugandus*.

FINGUNDUS. Vide *Feugandus*, *Fingardus*.

FIRMA. FR. penſio: [Puta ad penſionem, vel firmam annuam. Extrav. comm. c. unico, de decimis,] & infra [Præceptores penſionis, vel firmæ] Item: [De ipſa penſione, vel firma, ibid.] Vide *Burdatio*, *Firmanus*. Sed in Bull. Caſin. videtur genus locationis fuiſſe, ubi ſic habetur: [Beneficia &c. propter acconſumationem, ſeu ejuſdem fructuum locationem, vel ad firmam, dationem &c.] & inferius: [Beneficia &c. poſt ceſſum, & deceſſum aut aliter, quomodocumque ad firmam, ſeu coptimum, vel locationem &c. conſt. 314. tom. 2.

FIRMACULUM, clithrum, ſera. [Domum illam ſpiritualem, in qua multis obſerata firmaculis ſcripturarum intelligentia clauſa eſt, intrare ſatagimus. Joach. Abb. in Apocal.] Aliqui tamen Codices mendoſe *Obſecrata firmaculis* habent. Item fibulam etiam denotat. [Ipſe Archiepiſcopus cappam illam pretioſam, qua ſuperius indutus erat, dilaceravit, & firmaculum, quod vulgariter morſus dicitur, avulſit. Matt. Pariſ. ann. 1250.] Vide *Fibula*, *Formalium*.

FIRMARIUS. FR. penſionarius, a firma, ideſt, penſione. Vide *Firma*. Pro Vicario etiam accipitur. [Sed eccleſiaſtica perſona, quæ in Eccleſia ſua, vel beneficio (quod reſidentiam perſonalem requirit) non reſident; ſed facit in eodem per firmarium, vel vicarium deſerviri, deputando ipſi vicario, vel firmario certam ſuorum proventuum portionem, non de vicariatus, ſeu firmarii portione &c. in Extrav. comm. de decimis.

FISCALINUS. FR. de fiſci familia, ſicut a Curia Curialis dicitur, l. ju lices, de officio judicis: ſunt tamen de genere ſervorum fiſco addictorum, l. Aldiones, qua lege Aldiones vivere debent, & l. de Eccleſiaſtico, & Fiſcalino, de homicidio liberi hominis. Eſt etiam nomen familiæ in Italia.

FISTUCUS NODATUS. FR. palea cum nodo, quam tradebat venditor emptori in ſignum venditionis, & ceſſionis bonorum ſtabilium, quod hodie fit per tactum pennæ. Hic etiam ſtylus in donationibus una cum aliis cæremoniis obſervabatur, de quibus in Bullar. Caſi-

Caſinen. tom. 2. conſtit. 52. 76. 137. & alibi paſſim ibidem. Ubi etiam *Feſtuchum* legitur unde *Exfeſtuco*, & *Infeſtucho*. Vide ſuis locis. Vide etiam *Gurpio*. Variis enim terminis, & cæremoniis renunciabant, tradebant, ac vendebant eorum bona. [ Tedgarius Caſtaldius de Turcone cum Odila ejus uxore bona ſua tradidit Monaſterio Farfenſi ſecundum legem ſalicam per feſtucam, & andilaginem, & per guaſonem, & per leulangon, & per cultellum, & per ramos arborum, ex Reg. Farf. n. 352. Helperinus, & Drogo filii Hactonis ex natione Francorum, tradiderunt Ratfredo Abb. Farfen. bona eorum, & inveſtierunt per feſtucam, & andilaginem, per guaſonem, & andilagon, & per terram, & cultellum, & ramos arborum, & per oſtium domorum juxta legem ſalicam. Actum in Amiterno ann. Dom. 934. in eodem Regiſtr. n. 375. Ingebaldus filius Ingelberti, & Theudoranda Romana filia Gratiani conjuges, lege viventes ſalica donarunt Monaſterio Farfen. Caſtellum Bucinianum per feſtucam nodatam, & per cultellum plicatum, ſeu guaſonem, atque guandilaginem, & per ramos arborum, & fuſtuum de ipſis domibus. Ibid. n. 400. Benedictus, qui pronomine Nitto Sproccus vocor, refutavi per virgulam &c. Ibid. n. 503. & 509. Bucco, & Cava la foſſa apprehenderunt partem fuſtis in manibus, & refutaverunt bona Monaſterio Farfen. n. 527. Refutare per fuſtem, n. 499. 804. 1027. ] Item dicebatur tradere poſſeſſionem per aſſem portæ, ibid. n. 225. Item dabatur inveſtitura per vexillum: [Honorius Papa III. inveſtivit Marchionem Eſtenſem de Marchia Anconitana, tradendo in ejus manibus vexillum, ann. 1222. Febr. 18. Cencius Camerar. fol. mihi 517. ] Item per cuppam argenteam: [ Innocentius Papa III. inveſtivit Comitem Ildebrandinum de Caſtro Montis Alti, & Comitatu de Roſellis per cuppam argenteam, anno 1207. Julii 31. Cencius, fol. 503. Idem Innocentius inveſtivit Comitem Ricardum de Sora de Comitatu Sorano per traditionem cuppæ argenteæ deauratæ, an. 1208. Octob. 6. Idem Camerar. fol. 507. ] Dabatur etiam inveſtitura per oſtium, & clavem, [Rainerius Vercellenſis Epiſc. inveſtivit Bernardum Abb. Farfen. de Eccleſia S. Valentini in Burgo S. Valentini per oſtium, & clavem. Regiſtr. Farfen. num. 1101.] Item per annulum aureum, Cencius Camer. fol. 549. Item per Inſulam capitis Epiſcopi, cui traditur poſſeſſio, & a quo recipitur nova poſſeſſio. Item Camerar. fol. 581. Item Refutare, ideſt, cedere bona per camattum. [ Nicolaus quondam Jo. de Gualtalbrano apprehendit cammattum in manu ſua, & refutavit &c. In Reg. Farf. n. 1142.

Fistula. Vide *Siphon*.

Fiuvaida. FR. paſcua communia. In Regiſtr. Farfen. n. 318. Vide *Finalda*.

Fixa. Vide *Ficta*.

Flabarius. Suarius, porcarius, porcorum cuſtos. Iſidorus in ejus Gloſſario; qui tamen hujuſmodi vocabuli etymon non reddit.

Flabello. Vide *Conflabello*.

Flabellum, ſeu *Flabrum*, ventulum muſcarium, ventilabrum, inſtrumentum, quo ventilando muſcæ, calidusque circumambiens aer expellitur. Flabellum autem eccleſiaſticum ex pavonum pennis efficitur, eoque Diacones tempore ſacrificii ab altare muſcas repellunt. Duo Diaconi ex utraque parte altaris teneant flabellum ex tenuibus membranis, vel ex pavonum pennis, vel ex velo, quibus leniter abigant prætervolantes beſtiolas, ne in pocula incidant, lib. 8. conſtit. Apoſtol. c. 19. ] Hinc in collatione diaconatus Græci inter alia, quæ Diacono traduntur, conſignant in ejus manibus etiam hoc inſtrumentum, quod ipſi ῥιπίδιον vocant; & ideo in vita S. Nicetæ hæc verba habentur: [ Sanctus vero Athanaſius aſſiſtebat cogitatione, & mente tota intentus, miniſterii flabellum tenens; erat enim Diaconus. Apud Surium, 3. April. ] Notatur ignorantia Robertus Greygton circa hoc græcum vocabulum hic in dict. *Monobambylum*. Alluſio autem hujus inſtrumenti ad ſeraphicos ſpiritus ante Divinam Majeſtatem cum timore, & tremore aſſiſtentes dirigitur; propterea ex oculatis pavonum pennis formatur. Græci in medio ejus Seraphim depingunt. [ Flabella vero, & Diaconi indicant Seraphim ſex alis prædita, & multi oculorum Cherubim effigiem. S. German. in theor. rer. Eccleſiaſt. ] quod etiam Latini formare conſueverant. Vide *Cherubim*. Alium ſignificatum S. Hidelbertus affert, inquiens: [ Dum igitur deſtinato tibi flabello, deſcendentes ſuper ſacrificia muſcas abigeris, a ſacrificantis mente ſupervenientium incurſus tentationum catholicæ fidei ventilabro exturbari oportebit, epiſt. 7. ] Maronitæ vero orbiculatis flabellis ex argenteis, ſeu cupreis laminibus utuntur, ac circumcirca tintinnabula addunt, quæ a duobus clericis hinc inde poſt Celebrantem tremulo motu agitantur; imo & ipſe Sacerdos pronuntiando illa verba *Sanctus &c.* tremorem Beatorum Spirituum manibus repræſentat, qui tremor tunc in organi pulſatione ſolet etiam penes varias Eccleſias formari. Prior Conventualis Equitum Melitenſium, & Archiepiſcopus Meſſanenſis, ut mihi relatum fuit, ſolent hujuſmodi flabellis uti. Epiſcopus Trojæ in Apulia utitur eiſdem in proceſſione feſti Corporis Chriſti. Etiam Dominicanorum cæremoniale n. 6. hanc cæremoniam in ſolemni ſacrificio fieri præcipit, ubi ſic habetur: [ Tempore quoque muſcarum debet eas Diaconus flabello amovere, ne moleſtent Sacerdotem, & abigere a ſacrificio. ] Per has oculatas pennas admonetur Prælatus, quod in ſuis actionibus ſummopere circumſpectus incedere debeat, in quem numeroſiſſimi populorum oculi aſſidue collimant; ob eandem enim cauſam Romanus Pontifex, quando Pontificaliter in ſella defertur, ex utroque latere ſimilibus flabellis obumbratur. Tandem hoc inſtrumentum in D. Epiphanii vita Ventilabrum miniſteriorum vocatur his verbis: [ Primus obſervat Diaconum, qui a ſiniſtris tenebat ventilabrum miniſteriorum.

Flamineatus, Sacerdos habitibus ſacris ornatus: [ Eo autem rationabiliter flamineato, accedit ordinate omnis proceſſio. Abbas Rotaldus in ejus cæremoniali MS.

Flammigeri. FR. ſic filii Ranulphi Flammandi ab Jvone Carnotenſe appellati ſunt; intruſerat enim ille in Cathedram Dunetmenſis Eccleſiæ duos ejus filios, quorum major vix duodecimum ætatis annum attigerat, ac pro eo inveſtituram a Normandiæ Comite extorſerat, cum conditione, ut unus poſt alterum ex natis ejus in ea Eccleſia ſuccederet; ſed ambo a Gulielmo Rothomagenſi Archiepiſcopo expulſi ſunt, de qua juſtitiæ vindicatione Gulielmo gratias egit præfatus Ivo epiſt. 174. inquiens: [ Cum & ipſos flammigeros pueros de prædicta Eccleſia ejici feceris &c.

Flammula, & *Flammularis*. Vide *Tufa*.

Flamonium. [ Honor, qui datur Flaminibus. Iſidor. ] Et Sidonius Epiſcopus de invidioſis loquens, ait: [ Hi ſunt, qui invident tunicatis otia, ſtipendia paludatis, viatica veredariis, mercatoribus nundinas, munuſcula legatis, portoria quadruplatoribus, prædia provincialibus, flamonia municipibus, lib. 5. epiſt. 7.

Flasco. Oenophorum, lagena. [ Flaſconemque vino a ſe benedicto plenum dedit, præcipiens, ut tam longe ad bellum procederet, quandiu illi, & ſuis illud vinum non deficeret. Florentius in Chron. ] Eodem vocabulo D. Gregor. uſus eſt, inquiens: [ Quodam quoque tempore Exhilaratus noſter, quem ipſe converſus noſtri, tranſmiſſus a Domino ſuo fuerat, ut Dei viro in monaſterium vino plena duo lignea vaſcula, quæ vulgo flaſcones vocant, deferret, lib. 1. dialog. cap. 18.

Flaton, placenta, cruſtum, panis ſubcinericius: nomen gallicum *Flaon*. [Flatones in litaniis unumquodque triginta. In vita S. Aigilberti Abb.

Flaturalis, res, quæ ventum, & flatum ſpirat. [ Idcirco ea ſpiritu carere, quia flaturalibus artubus ſtructa non ſint. Tertull. lib. de anima, cap. 10.

Flectamus Genua. Vide *Genuflexio*.

* Flentes. Sic dicti potius candidati pœnitentiæ, quam pœnitentes. *Gregorius Thaumaturgus*, & *Baſilius* diſertam in Canonibus ſuis de flentibus faciunt mentionem. *Gregorius* quidem ait; *Fletus ſeu luctus eſt extra portam oratorii, ubi peccatorem ſtantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro ſe precentur*, & *Baſilius*, quatuor pœnitentiam ſtationes deſcribit in hunc modum, oportet eos anno primo a precibus expelli, & ipſos deflere ad fores Eccleſiæ: ſecundo autem &c. Gregor. c. 11. Baſili: Can. 22.

Fletobotomia. FR. Oratio funebris, quæ græce, & latine epicedium, & nænia dicitur, arabice *Nauhh*, hebraice autem Threni. Vide *Threni*. Quo vocabulo utitur S. Odilo Abbas in Vita S. Adeleſiæ, quæ primo Lotarii Italiæ Regis, deinde Othonis I. Imperatoris fuerat uxor. In Biblioth. Cluniacen. Vide *Plangimonium*.

Fletus, locus antiquitus extra Eccleſiam pro publicis pœnitentibus aſſignatus, colligitur ex Synodo Neocæſarienſi apud Matthæum Blaſtarium, ubi ſic habetur: [ Si quis ex perfectioribus catechumenis peccaverit, peccare ceſſans, cum audientibus ſtet: ſi ex audientibus eſt, & a peccando non abſtinet, in deflentium locum ab Eccleſia extrudatur, ] de quo ſupra in dict. *Eccleſia* dictum fuit. Vide *Hyemantes*, *Narthex*.

Flexumines, Celeres. Vide *Troſſulus*.

Flocus, capucium monachale, cujus diminutivum nomen *Flocellus*, & mozettæ parvum capucium ſignificat, ut in dict. *Capucinus* dictum fuit. [ Dominus Ernaldus, quem Diaconum veſtrum dicitis, ſi ſibi ſecundum juſtitiam placuiſſet, teſte flocello de capite ſuo, potius in noſtra, quam in veſtra ſorte manere debuiſſet. Goffredus Abb. & Cardinalis S. Priſcæ. ] Reperitur etiam *Frocus* in eadem ſignificatione, ut Turrecremata in regulis Sancti Benedicti tract. 221. cap. 15. notavit, eratque Canonicale inſigne, ut ex decreto Urbani II. colligitur. FR. Froccus, & Frocca ab Henrico Spelman veſtem monachalem fuiſſe affirmatur, quæ ſubtunicalis erat; nam certe ex Ingulphi Saxonis verbis in hiſt. Croilandæ diſtinctam a cuculla, & tunica fuiſſe colligitur; ſic enim ibi ait: [ Induit omni anno totum Conventum cum ſecta ſua de tunicis; altero anno de cucullis; omni tertio anno de froccis. ] Itaque aliquibus R. in L. commutare placuit. Aimon de Epiſcopis, & Abbatibus Turonenſibus agens, ait: [ Et inſuper ordinavit, quod floccum cum cuculla portaremus, ſicut modo deferimus. In Abb. 19. ] Ita etiam Galli utroque modo vulgariter proferunt *Floc de moine*, ſeu potius *Floc de moine*. Sed juxta Romanum ſtylum Flocus dicendus eſt. Vide *Cuculla*. §. FR.

Florio, floreſco, ſic legit S. Bonifacius Mogunt. Epiſcop. & Martyr. verſiculum illum Pſ. 102. [ Homo ſicut fœnum dies ejus, & ſicut flos agri ſic floriet. In ejus epiſt. 1. ] Verbum quidem aut barbarum, aut nimis obſoletum eſt.

Floriani, hæreticorum ſecta. Vide *Collitiani*.

Floridus. Vide *Confeſſor*.

Fluctivagus. FR. qui per fluctus vagatur, vel agitatur. Item ipſius maris epithetum; [ Ex ipſius portu fluctivagi maris. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſt. 49.

Focaria, contectalis, concubina. [ De focariis Sacerdotum prohibendis. Matth. Pariſ. in hiſt. ] Vide Synonyma in dict. *Concubina*.

Focumetes, Sabaudiæ populi. Vide *Forcalquerii*.

Foderatus, vox barbara, ſubſutus. [ Die quadam, Deo permittente, omnium bonorum inimicus diabolus ante oſtium Militis ( *id eſt Gerardi* ) pulſans ſub forma, & habitu peregrini, in nomine Sancti Thomæ hoſpitium petivit, quo ſub omni feſtinatione intromiſſo, cum eſſet frigus, & ille ſe algere ſimularet, Gerardus ſuam cappam foderatam bonam ſatis, qua ſe tegeret, jens cubitum, tranſmiſit. Cæſarius lib. 8. cap. 59.

Fodrum. FR. frumenti portio, quæ Imperatori, vel Re-

Regi in Italiam venienti, populi ſolvere tenebantur. Sigon. de regno Italiæ. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſt. 66. num. 2. & conſtit. 98. ubi ſic habetur: [ Servitium, quod vulgariter dicitur fodrum: ] & can. præterea, de jur. patron. [ In alios transferre præſumant fodrum, albergarias, regium, & ſimilia. ] Ubi Gloſſa ait eſſe Longobardorum vocabulum. Vide *Albergaria*, *Collecta*, *Cenſus*. [ Ut quoties in Italiam veniret, conſuetum munus præſtaretur, fodrum germanica voce nominatur, latine vero aurum coronatum ex ſententia Alciati. Gaudentius Merula lib. 2. de antiqua Gallia Ciſalp. cap. 9. ] Et idem eſt ac *Behem*, de quo ſuo loco diximus.

Foedere Solutus. Vide *Desfœderatus*.

Foetorosus, fœtidus, [ Qui fœtoroſis prandiis cadaveribus ſacrificant mortuorum. S. Zeno Serm. 49. ] Vide *Cantero*.

Foetus, etymon. Vide *Neophytus*.

Foffinger. FR. campus, ſeu pratum, in quo fœnum antea, vel herbæ reſecatæ ſint, l. nulli ſit, de itineribus.

Folderphium. FR. donum poſt mephium, ſeu donatio propter nuptias. l. ſi pater filiam, 2. de ſucceſſion. Vide *Mephium*.

Foliarius. Vide *Fialarius*.

Follaris, moneta. Vide *Folleralis*.

Folleo, inflor, a *Follibus* verbum deductum. [ Omnis his cura de veſtibus, ſi bene oleant, ſi pes laxa pelle non ſolleat. Hieronym. ad Euſtoch. ] FR. de eadem vanitate in calceis, Sidonius lib. 8. epiſt. 9. in contrario, ſcilicet, ſenſu reprehendens: [ Laxo pes natet in cothurno eleganter dixit. Quæ pellis diſtenſio a Latinis Tentipellium dicebatur. [Tentipellium Artorius putat eſſe calciamentum ferratum, quo pelles extenduntur, indeque Afranium dixiſſe in primo. Pro manibus credo habere ego illos Tentipellium. Titinium, ait Verrius, exiſtimare id medicamentum eſſe, quo rugæ extendantur, quum dicat, Tentipellium inducitur, rugæ in ore extenduntur: ] : || Apud Tertullianum legitur verbum frequentativum *Follico*: [ Oſcitans veſcitur, follicans ruminat, de pallio, c. 3. ] ubi de Camaleonte loquitur. Reperitur etiam verbum *Folleſco*, ideſt, ſtolidus fio, ac vento plenus. Ejus antitheſim. Vide *Inflabellatus*.

Folleralis, vilis monetæ ſpecies, valoris unius quadrantis. [ Nummis quos Romani Teruntianos, Græci Follerales vocant, Anaſtaſius ſuo nomine figuratis placabilem plebi commutationem diſtraxit. Marcellin. in Chron. ] Fortaſſe hæc grecæ monetæ denomintaio a dictione φολὸς derivatur, quæ piſcis ſquammam ſignificat, a ſimilitudine parvitatis nomine deſumpto. Unde Aug. lib. 22. de Civitate Dei c. 8. ait: [Trecentis follibus vendidit. ] Melitentes *Fallari* antiqua numiſmata vocant. FR. diverſam tamen de Melitenſium Fallari vocabulo opinionem affert Auctor Melitæ Illuſtratæ lib. 2. Notitia 4. pag. mihi 185. ubi de Phalaridis Agrigentini Tyranni cum Melitenſibus amicitia, ac pecuniarum commodatione loquens, ut in epiſtolis, quæ ſub ejus nomine circumferuntur, ibi inter alia hæc citatus Auctor habet: [Anzi che le medaglie, o antiche monete, che ſi ritrovano tal'ora per la campagna, o in altri luoghi, ſono da Malteſi comunemente chiamati Fallari, memoria forſe rimaſta da i danari da quello preſtatigli; benchè il Boſio dica, che i Malteſi altresì preſtaſſero a lui ancora ec.] Quæ tamen Sicula moneta introducta poſtmodum fuit in Regno Neapolitano a Rogerio Siciliæ Rege, de quo ſic Falco Benevent. [ Inter cætera enim ſuarum diſpoſitionum edictum terribile induxit, totius Italiæ partibus ad horrendum, & morti proximum, & egeſtati, ſcilicet, ut nemo in toto Regno viventium romaſinas accipiat, vel in mercatibus diſtribuat, & mortali conſilio accepto, monetam ſuam introduxit; unam vero, cui Ducatus nomen impoſuit, octo romaſinis valentem, quæ magis, magiſque ærea, quam argentea, probata tenebatur. Induxit etiam tres follares æreos romaſinam unam appretiatos. In ejus Chron. ad ann. 1140. ] Vide *Romaninus*.

Follesco. Vide *Folleo*.

Fons in Ecclesia. Vide *Aqua benedicta*, *Nymphæum*.

Fontium Excultores. Vide *Facularum accenſores*.

Foralis. Forenſis. [ Sicut ſtudii noſtri eſſe concedet a litigiis foralibus monachos ſubmovere, ut divinis monaſteriis pie, ac ſolerter invigilent; ita neceſſe eſt noſtra proviſione quemadmodum negotia eorum diſponi debeant ordinare, ne diſtenta mens per varias cauſarum curas defluat, & ad celebrandum opus conſuetum enervata torpeſcat. D. Gregor. lib. 4. epiſt. 67. ] Qui etiam epiſt. 62. ſic inquit: [ Cauſas enim prædictæ fœminæ, ſive ſint, ſive fuerint, noſtro volumus judicio terminari; ut foralis illi inquietitudo ſubmoveri debeat, & tamen a judicii juſtitia nullatenus excuſetur. FR. [ Nil de forali ſtrepitu. Idem Gregor. In decretal. de præſumpt. cap. 2. ] ideſt, de contentioſo foro. Gloſſ. ibid.

Foraminatus. FR. perforatus: [ Nauticis cuſpidibus foraminato fundi glutino ſordidaretur. Sidon. lib. 1. epiſt. 5. ] ubi per verba *Glutino ſordidaretur*, limum fluminis, qui nauticis contis commotus, cœnoſam reddit aquam, intelligit.

Foraneus, extrinſecus, quod foris expoſitum eſt: [ Sicut ergo foranei lapides nullum debent habere nodum, aut angulum, nec debet eſſe alter lapis intus, alter foris; quia ſi ſic fuerint, omne ædificium deturpant; ſic & Clerici, ſenes, & viduæ continentes, & virgines nullam debent habere maculam. Chryſoſt. hom. 40. in cap. 21. Matth. ] Foraneus Vicarius. Vide *Vicarius*.

Forasticus, alienus; accipitur etiam pro infideli, qui foris, & extra Eccleſiam reputatur. [Nam cum talibus, & cum paganis, & cum plebeja multitudine noſtri labores, & pugnæ foraſticæ videntur eſſe: intimæ vero, quando de gremio matris Eccleſiæ Presbyter, vel Diaconus, Eccleſiaſticus, vel Monachus diſcedit a fide, & ve-

veritate. S. Bonifacius Epiſc. Moguntinus, & Martyr. epiſt. 3.] FR. in eodem propoſito D. Auguſt. hom. de pœnit. in Gratiani decret. can. multi corriguntur, 2. qu. 1. ait; [ Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, judicare? ] Ubi Gloſſa exponit. [ Foris, ideſt, non noſtri juris.

Forbannum, exilii bannum. [ Ut Comes latronem in forbannum miſerit, vicinis ſuis, & aliis Comitibus notum faciat eundem latronem a ſe eſſe forbannitum, ut illi eum non recipiant. In conſt. Caroli Magni lib. 3. cap. 50. ] & in eodem ſenſu *Forbannio* verbum, & *Forbannitus* nomen, ideſt, exulo, & exiliatus.

Forbora. FR. filius unicus, l. ſi quis dereliquerit, de ſucceſſion.

Forcalquerii. FR. Comitatus in Gallia ciſalpina. [Nec non in Delphinatu, Burgundiæ, Sabaudæ provinciæ, & Forcalquerii comitatibus. Extrav. comm. de Cenſibus exact. & procur.] Puto, quod ſint *Focunates* populi in Sabaudia, de quibus Bigonius, qui vulgariter *Foucignii* appellantur.

Forceps, quæ in carnificinis Sanctorum Martyrum adhibebatur, & erat triplicis ſpeciei. Vide Baronium in notis ad Martyrolog. 26. Junii. Quarum una ex his ſpeciebus in Vaticana Baſilica adhuc oſtenditur. Græci antiquitus adhibebant aureas forcipes ad tangendam reverentiæ cauſa Euchariſtiam, quas λαβίδας appellabant, & *Divinam forcipem* S. Theophanes epiſt. 3. appellavit; ſed vocabulum hoc a Græcis translatum fuit deinde ad cochleare, quo ipſi Græci Euchariſtiam ſæcularibus conferunt. In cæremoniali Romano fit mentio de aureo cochleare, quo utebatur Papa ad ponendam in calice aquam; ſic enim habetur ibi: [ Subdiaconus vero Latinus accipit cochlear prædictum, ſuper quod Sacriſta imponit aquam ex ampulla, lib. 2. cap. 34. ] Vide *Emundoria*. *Tenacula*.

Forefacio, erro, delinquo. [ Ut, videlicet, ſatisfactio unius omnibus imputaretur, ſicut omnium peccata unus ille portavit; nec alter jam inveniatur, qui forefaciat, alter, qui ſatisfaciat, quia caput, & corpus unus eſt Chriſtus. D. Bernardus, epiſt. 190. ] FR. [ Cum deprehenditur in aliquibus foris factis, 5. decretal. tit. 33. cap. 27. ] & ibi Gloſſa: [ Foris factis, ideſt, maleficiis, delictis, vel exceſſibus. ] Vide *Forfacta*.

Foresta. FR. Sylva, ſaltus, eremus, ſolitudo, l. de foreſtis eod. tit. Sed Gloſſa in cap. 6. decretal. lib. 3. tit. 24. ait, quod foreſta ſit locus, in quo feræ includuntur, & habet quis uſum venandi. Vide *Foreſtes*. *Garena*.

Forestarius, ſylvæ, ac foreſtæ cuſtos. [ Unde conceperis ſuperbiendi materiam; niſi quia cum Foreſtariis addictus, ut tyrannicas exactiones, quibus opprimuntur, redigas in ſcripturam. Bleſen. epiſt. 21.] Ac idem epiſt. 29. cujuſdam ſylvæ cuſtodis hoſpitalitatem exaltans, ſic ait: [ Proſapia Regis Angliæ, quia unus de anteceſſoribus ejus cuidam leproſo, quem in hoſpitio receperat, gratiam officioſæ humanitatis exhibuit, ab officio foreſtarii, in eminentiam regiæ dignitatis aſcendit.

Forestes, idem ac *Foreſta*, de quo ſupra. [ Poſt hæc memoratus Rex Carolus exercitio venationis more deditus, per circum adjacentem foreſtem turbabat rabidas feras a ſuis ſaltibus. In vita S. Gundulæ. ] Dicitur etiam *Foreſteria* apud Regulares locus, in quo hoſpites recipiuntur.

Forfacta Res. FR. bona, ſeu res ad bannum, vel ſub haſta poſita, l. de rebus forfactis, eod. tit. Vide *Forefacio*. Dicitur etiam *Forisfacta*. [ Comeſtiones, banna, placita, & forisfacta, de præſcriptionibus, cap. ad audientiam. ] Ubi Gloſſa: Forisfacta, ideſt pecuniarias pœnas deliquentium. Et 5. decretal. tit. 33. cap. 27. ] Cum deprehendatur in aliquibus forisfactis. ] Et Gloſſa ibi. [ Forisfactis, ideſt, maleficiis, delictis, vel exceſſibus.

Forfactus. FR. Exul, ſeu exilio mulctatus. In Regiſt. Farſen. num. 269.

Forficula. Vide *Emundoria*. *Forceps*.

Forinseca Potestas. FR. laicalis juriſdictio, can. ſi quis Epiſcopus in Conc. 11. quæſt. 3. Vide *Judex*.

Forisfacta. Vide *Forfacta*.

Forjudico, mittere in exilium, in Siculis conſt. 4. lib. 1. tit. 14. ſignificat, & adhuc vulgariter ibi *Forgiudicare*, & *Forgiudicato*, ideſt, exulare, & exul dicitur.

Forma Verborum, in numero ſingulari, & plurali quando adhiberi debeat. Vide *Singularis forma verborum*.

Formalium; Gemma, ſeu aurea lamina gemmata, poſita in fibula pluvialis Epiſcopi. [ Capiat paramenta, videlicet, amictum ſuper rochetum, aut cottam, & ſuper eo pluviale tempori congruum, ſine tamen formalio. Cæremonial. Epiſc. lib. 1. cap. 7. ] ubi de Sacerdote Aſſiſtente loquitur. Aliquando tamen *Firmale* dicitur. Vide *Firmaculum*. *Pectorale*. *Rationale*. *Ephod*.

Formaria; Monialium Vicaria. [ Primiceriam etiam, vel formariam admoneo. In Regul. S. Cæſariæ. ] Ita fortaſſe dicta, quia ad obſervantiæ formam invigilare teneatur.

Formatæ Litteræ. Vide *Littera*.

Formaticum. FR. Caſeum. [ Eodem die Dominus Papa, & cæteri Romani ova manducant, & formaticum. Ord. Rom. de offic. divino. ] ubi de die Sabbati Sancti agitur, in quo ob gaudium Reſurrectionis Chriſti lacticinia comedebantur.

Formido. FR. ſic quædam curioſa antiquorum venatio appellabatur, cui Propheta Iſaias his verbis alludit: [ Formido, & fovea, & laqueus ſuper te, qui habitatores terræ, & erit, qui fugerit a voce formidinis, cadet in foveam, & qui ſe explicaverit de fovea, tenebitur laqueo, cap. 24. ] Erat itaque hæc ferarum venatio tali artificio diſpoſita; ex una enim parte extendebatur funis variarum avium pennis referta, quam agitando venatores feras terrebant, quæ in fugam poſitæ, in præparatis laqueis, vel in foveis incidebant; ſic enim illam Seneca deſcribit, ac ſignificatum *Formidinis* declarat inquiens: [ Nec eſt mirum, cum maximos ferarum greges linea pennis diſtincta contineat

neat, & in inſidias agat, ab ipſo effectu dicta Formido lib. 2. de ira, cap. 12. ] & alibi idem de hac venatione ait: [ Si feras lineis, & pinna cluſas contineas &c. lib. 2. de Clementia, cap. 12. ] Atque eleganter Nemeſianus.

Linea quin etiam magnos circumdare ſaltus,
Quæ poſſit, volucreſque metu concludere prædas,
Digerat innexas non una ex arte pinnas;
Namque urſos, magnoſque ſues, cervoſque fugaces
Terrificare, linique vetant tranſcendere ſeptum.

FORMULA. FR. ſedes, ſeu ſtallum in Choro, quod Galli *Forme* dicunt. [ Cum nocte devota vigilat ſuper formulam. In vita S. Radegundis Reginæ.

FORNAX FERREA. FR. captivitas filiorum Iſrael in Ægypto. Deuteron. cap. 4. n. 20. 3. Reg. cap. 8. num. 51. Jerem. cap. 11. n. 4. & can. porro 16. quæſt. 3.

FORNIX, idest, arcus triumphalis. Vide *Manus*. In propria ſignificatione. Vide *Spiculus*.

FORRATUS. Subſutus: [ Cappa choralis pellibus variis forrata. Matth. Pariſ. in hiſt.

FORTE FORTUNA. FR. fortuito. [ Forte fortuna Epiſcopus, qui ipſum a communione ſegregaverit, defunctus eſt. D. Clemens in can. apoſtol. can. 31.

FORTIA, vis, fortitudo; barbara vox. [ Eo quod pagenſis veſter ille eidem terram ſuam in loco nuncupante illo per fortiam tuliſſet, & poſt ſe retineat injuſte. Marculf. lib. 1. formular. cap. 28.

FORUM REI SEQUENDUM. Vide *Pulſo*. Dicitur etiam *Forus* ex Iſidoro in cap. forus, de verbor. ſignific.

FOSSARIUS, antiquum, ac pium Clericorum officium, [ Primus igitur in Clericis foſſariorum ordo, qui in ſimilitudinem Tobiæ ſancti ſepelire mortuos admonentur. D. Hieron. epiſt. 13. ] & de Muliere ſepties icta idem ait: [ Clerici, quibus id officii erat, cruentum linteo cadaver obvolvunt, & foſſam humum lapidibus conſtruentes, ex more tumulum parant. ] FR. Vide Baron. An. 34. n. 288. & hic *Bordinatus*. Decanus in dict. *Decania*. *Laborantes*. *Lecticarius*. *Libitinarius*. *Porticani*.

FOSSATA. FR. fovea, cavea: [ Illæ quoque expenſæ, quæ fiunt pro foſſatis, & alias pro terris ædificandis, ut uberiores fructus producant. Extrav. comm. de decimis §. Illæ quoque.

FOSSATUM. FR. exactio quædam, cap. 4. lib. 3. tit. 49. Decretal.

FOSSORES PUTEORUM. Vide *Laccarius*.

FOSSORIUM, fovea, cavea: [ Foſſoria habetis, venas aquarum viventium poſſidetis. Petrus Cellen. lib. 3. epiſt. 2. ] Aliquando Eremitarum lectum denotat, quia ad inſtar foveæ formabatur. [ Sequenti die conventus a labore rediens, & ante portam, facto primo ſigno nonæ, ſecundum expectans, ſenior ex eis cum ſtans ſuper foſſorium ſuum, ſe reclinarit, & nonam de Domina noſtra diceret, ſic ſtando leviter obdormivit. Ceſarius lib. 7. cap. 39. ] FR. aliquando vero ligonem ſignificat. [ Secures, & foſſoria accipiunt. In vita S. Godardi cap. 11. L. Presbyter Canonicus Eccleſiæ regularis præfatum iniquitatis filium, foſſorio arrepto, percuſſit. lib. 5. decretal. tit. 12. cap. 18. ] Et inferius ibidem clarius ſignificatum vocabuli explicatur, ſic: [ Si vero ( quemadmodum perhibetur ) Sacerdos iſte prius ab illo percuſſus, ſacrilego mox cum ligone in capite repercuſſit; ] Et poſt pauca ſequitur: [ Non videtur idem Sacerdos in pœna homicidii penitus excuſari, tum ratione inſtrumenti, cum quo ipſe percuſſit, quod cum grave ſit, non ſolet levem plagam inferre &c.

FOTINIANI. FR. hæretici a Photino ex Galatia, ſeu Gallogræcia Smyrnenſi Epiſcopo ita denominati, qui aſſerebant Jeſum a Maria ex Joſepho generatum, ac cum Ebionitis conveniebant. 24. quæſt. 3. can. 39. Vide *Ebionitæ*.

FOTRUM, armarium, quod vulgo *Credentia* dicitur, in quo vaſa reponuntur, ſeu capſa, quæ italice *Forciero* dicitur. [ Quomodo pertinet ad ſtatum tuum viſio fotri hujus. Cæſarius lib. 9. miracul. cap. 29. ] Ubi ex verbis ejuſdem Auctoris ſatis clare colligitur fuiſſe capſam pro vaſibus ad fercula menſæ neceſſariis conſervandis, ut hodie in Principum ſervitio credentiæ formari ſolent.

FOVEA. Vide *Foſſata*. *Foſſorium*.

FRAGRASCO, fragrantiam reddo; hinc Petrus Cellenſis de Eccleſia in perſecutionibus ſublimata loquens, ait: [Sententia dubia quæſtionibus ventilata clareſcit, ſpecies aromatica piſtillorum tunſione fragraſcit, Eccleſia oppreſſione malorum creſcit, lib. 5. epiſt. 4.

FRAMEA. FR. Haſta, ſeu lancea. [ Inimici defecerunt frameæ in finem, pſalm. 9. n. 7. Eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ, pſal. 13. n. 14. ] Idem nomen in pſal. 21. & pſal. 34. nu. 3. [ Frameam ſuſcitare ſuper paſtorem meum Zachar. cap. 13. ] Tacitus multis locis de moribus Germanorum lanceam, ſeu haſtam denotare oſtendit; Divus vero Aug. ſuper pſalm. ait: [ Gladium bis acutum, hoc eſt framea.

FRANCIA. FR. Diſtincta a Gallia: [ Sic in honorem duodecim Apoſtolorum eligimus quatuor plane de Francia, quatuor de Aquitania, quatuor de Gallia. ] Et inferius. [ Vocatur denique Prior hujus ſcholæ Raino, Ingelbertus, & Ingelerii de Francia. Alii de Aquitania Doſde, Amis, Amat, & Bernardus: de Gallia Frederig, Octone, Mellitus, Stefanus. ] Et poſt pauca: [ Pro qua cauſa annuatim volumus de Regnis noſtris Francia, Aquitania, & Gallia remunerari. In Privileg. Caroli Magni apud Torrigium de Cryptis Vatican. editione 2. pag 507. & 508. Volumus atque præcipimus, ut omnes noſtræ ditioni ſubditi tam Romani, quam Franci, Alemani, Bavari, Burgundiones, Saxones, Turingi, Friſones, Galli, Britones, Longobardi, Guaſcones &c. Idem Carolus Magnus apud Gratianum in can. volumus. 11. qu. 1. ] Hæc tamen ratio differentiæ a variis Auctoribus varie affertur. Robertus Canalis in primis Arboriacen. Epiſc. in ſua galliacana hiſt. ait, quod tempore Attilæ Gallo-francia vocari cœpit. Gordonius vero in ejus Chro-

nica ad annum 451. inquit: [ Ab hac victoria Moroveus ditionem ſuam in Galliam dilatavit, occupataſque provincias Galliam nominavit.] Ivo tandem Carnoten. in ejus Chronicon ſcribit: [ Francos lingua attica Valentinianus Imp. a feritate vocari voluit. ] Sed quicquid ſit; Roberti tamen Canalis relatio non ſubſiſtit; nam multis ſæculis poſt Moroveum, nempe, temporibus Caroli Magni, ut ſupra viſum eſt, adhuc nomina Galliæ,& Franciæ a cæteris Celtiberis provinciis diſtinguebantur, imo multo poſt præfatum Carolum Francia a Navarræ provincia,& Delphinatu diverſificabatur. In Extrav. comm. de cenſibus. Vide *Borbinatus*. *Gallia*. *Porticani*.

Francigena. FR. in Francia genitus. [ Zacharias, ſcilicet, Regem Francorum, non tam pro ſuis iniquitatibus, quam pro eo, quod tantæ poteſtati erat inutilis, a regno depoſuit, & Pipinum Caroli Imperatoris patrem in ejus locum ſubſtituit, omneſque Francigenas a juramento fidelitatis abſolvit. can.alius item 15. quæſt. 6.

Franci. FR. Vaſſalli ſine feudo. Gloſſa in l. penult. de maleficiis.

Francisca, ſecuris, bipennis, [ Accepit autem Rex franciſcam ejus, quæ vocatur bipennis, & projicit in terram. Hincmar. in Remig. ] De eadem etiam inquit Flodoardus: [ Rex ergo ſtructas circumiens rite phalanges, ad eum, qui dudum percuſſerat urceum, pervenit, ſpretiſque ipſius armis ejus franciſcam projecit in terram, lib. 1. hiſt. Rhemenſ. cap. 13.] Alii tamen gladium, ſeu enſem ſignificari exponunt. [Et extenſa manu franciſcam ejus terræ dejecit, quæ ſpatha dicitur. Ammon. de Geſtis Francorum, lib. 1. epiſt. 12. ] Vide *Biſacutum*.

Franciscani, Regulares, de quibus hic fit mentio in dictionibus. *Breviarium*. *Cereus Paſchalis*. *Cippus*. *Cordigeri*. *Gardianus*. *Genuflexio*.

Frascatæ Ædes. Oratorium in Vaticana Baſilica. [ Quidam de Anglorum gente Romam venerunt, qui in Oratorio B. Gregorii Papæ, & Confeſſoris Chriſti in Principis Apoſtolorum æde Fraſcatæ conſtructa, unam tabulam argenteam poſuerunt. Anaſt. Biblioth. in Benedicto III.

Frater. FR. titulus Religioſorum etiam tempore Jo. Chryſoſtomi ſolitus,& Monachi *Fratres* dicebantur, can. ad menſam 11. quæſt. 3. hodie tamen prænomen *Domni* uſurpant. *Fratres* vocat Papa Cardinales, & Epiſcopos. Vide *Frerius*. Quatuor modis in Scriptura frater dici notat Hieron. adverſ. Helvidium.

Fraticelli, Hæretici. Vide *Beguardi*.

Frea. FR. fatidica. Apud Septentrionales olim pro Dea habebatur. Hiſt. Longobar. cap. 8. & ejus Annotat. in lib. 1. Item *Frea* dicebatur Mulier, quæ ſub tutore, vel curatore poſita erat, l. ſi quis fream. De his, qui ſine voluntate Mundualdi.

Freda, & *Fredda*. FR. pœna pecuniaria juxta formam bannimenti, ſeu banni, vel legis, l. ſi quis alienam, de raptu l. ſi quis cum altero, de teſtibus l. ſanguinis, de reverentia Eccleſiæ, & Bullar. Caſin. tom. 2. conſt. 21. 40. 41. a Germanica voce *Frid*. Vide *Fredum*.

Fredum, pœna pecuniaria, ſive compoſitio. Gregor. Turon. lib. 4. de miraculis S. Martini cap. 26. a vocabulo germanico *Frid*, quod pacem ſignificat; nam mediante pœnæ ſolutione, componitur pax inter eum, & fiſcum.

Frendor, fremitus, & ſtridor dentium in rabie; [ Docuiſti calcandos eſſe frendores diabolicos. S. Athanaſius in epiſt. ad Luciferum. Epiſc. ] de comminatione hæreticorum agens ait, de quibus alibi idem inquit: [Tanquam frendoribus tuis poſſis ſervorum Dei vigorem ſuperare.

Frequentia. FR. ex duabus vicibus intelligitur. Vide *Monialis*. Item frequentia malorum actuum. Vide *Paſſivitas*.

Frerius. Frater, nomen a Græcis corrupte Religioſis attributum. Greg. Pachim. in hiſt. lib. 5. cap. 8. Hinc Equites Hieroſolymitanos, hodie Melitenſes, *Freiros* Cantacuzenus appellat, Hiſpani *Frailes*, & Galli *Frere* dicunt.

Freta. FR. bona, ſeu poſſeſſiones. Bullar. Caſin. tom. 2. conſtitut. 22.

Fribusculum, indignatio, livor parum conſiderabilis, ut ſolet inter cognatos, & amicos evenire. Alii vero *Frivoluſculum*, *Friviculum*, & *Griguſculum* legunt, a frivola paſſione.

Frictrix. Mulier inhoneſta, & libidinoſa. [ Aſpice lupas popularium, libidinum nundinas, ipſas quoque frictrices, & ſi præſtas oculos abducere ab ejuſdem propudiis occiſæ in publico caſtitatis. Tertull. de pallio, cap. 4. ] quas mulieres *Latrinarum antiſtites* ibidem vocat.

Frig, idem ac *Frea* in locis ibi cit.

Frigora. Vide *Frigoriticus*.

Frigoratio. Vide in dict. ſequenti.

Frigoriticus, quartana, ſeu tertiana febricitans. [Frigoritici quidam cum fide venientes, candelam in votis offerunt, & abraſum ſepulcri pulverem ſumunt, quem aqua mixtum bibunt, & ſanitatem hujus Sancti meritis adipiſcuntur. Flodoard. lib. 2. hiſt. cap. 14. ] Eodem vocabulo uſus eſt Gregor. Turonen. inquiens. [ Poſtquam mihi vir ille retulit, & hanc mihi pallam tradidit, præſumpſi fateor eam abluere,& frigoriticis potum dare: ſed mox, opitulante divina virtute, ſanabantur. De gloria Mart. lib. 1. cap. 6. ] Hinc hujus febris acceſſio *Typus frigoriticus* dictus eſt: [ Nam ſi quis typos frigoriticos incurrens, nocte una ad ejus tumulum deprecans vigilaverit; mox compreſſo acceſſu, adipiſcitur medicinam. Idem Turonen. lib. de gloria Confeſſorum, cap. 15. ] Eadem febris ſpecies a frigore *Frigoratio* etiam ab eodem ibidem appellatur, ubi ſic: [ Dato igitur mane redivit ad propria, nec ultra hoc modo frigorationis, vel confractionis ullius pertulit gravitatem. ] FR. talis morbus dicitur

etiam

etiam *Frigora*; ſic in vita S. Cæſarii Epiſcopi: [ Si habes, da mihi de drappo S. Cæſarii propter frigora, quia multum valet.

FRISCHINGA, ſucula, porcula. Quando parochias circuitis, nolite graves eſſe Presbyteris, petentes friſchingas. Hincmarus. ] Et alibi idem de ordinatione Epiſcopi Hidenulphi loquens ait: [ Exigendo denarios, vel caballos, aut verres, ſeu friſchingas. ] Recentes Rheni colones *Friſchling*, & Tholoſani *Fretigues* hujuſmodi tenera animalia vocant. Reperitur etiam in eodem ſenſu penes ſcriptores *Friſcinga, Frincinka*, & *Friſgunga*.

FRIXUM. FR. ſagitta, jaculum, italice *Frezza* l. de omnibus, l. ut omnis, de quantitate ſolidorum.

FROCCA, *Froccus*, & *Frocus*. Vida *Flocus*.

FRONTELLUM. Vide *Brudatus*.

FRUMENTARIUS. Vide *Cerealis*.

FRUSTRATORIUS. Vide *Dilatorius*.

FUCUS. FR. Ceruſſa, & purpura, qua fœminæ faciem ornant, & colorant; ſic *Fucatus* eadem ceruſſa coloratus dicitur; metaphorice tamen pro fictione accipitur. [ Nunc patenter excuſationibus fucatis, & frivolis innitentes. Clementina de ſentent. excom. cap. 1. Si vitium frontis alienus fucus inauret, de conſecrat. diſt. 5. Fucatis tamen coloribus aſſerentibus, ob fugam melioris vitæ, aut arctioris obſervantiæ &c. In extrav. comm. de regularibus tranſeuntibus ad aliam relig. cap. 1.

FUCO. FR. infuco, ſeu fuco illinio; [ Fucare figmentis, quo vel rubicundior, vel candidior, vel verecundior appareat, adulterina fallacia eſt, can. fucare, de conſecrat. diſt. 5. ] Hinc diſtichon illud:

Si vitium frontis alienus fucus inauret,
Gloria frontis obit, cum color hoſpes abit.

FUGALIA. FR. feſta Romanorum in menſe februarii ob memoriam recuperatæ Reipub. libertatis, Regibus deletis, quæ a Cenſorino *Regifugium* appellantur, in quibus diebus inhoneſte, & libidinoſe debacchari ſolebant. [ Quare D. Aug. ait: [ Et vere fugalia, ſed pudoris, & honeſtatis, lib. 2. de Civit. Dei cap. 6. ] Qua immoderantia in eodem prorſus menſe abutuntur etiam nunc Chriſtiani in bacchanalibus, cujus ſynonyma. Vide in dict. *Bacchanalia*.

FUGITIVUS. Vide *Exulaticius*.

FULBORAN, vox Saxonica *Follaberen*, ideſt, bene genitus; ſic in legibus Longobardicis filius legitimus intelligitur. [ Si quis dereliquerit filium legitimum unum: quod eſt fulboran. lib. 2. tit. 4.

FULCARIUS, qui Principis falconum cuſtodiæ præeſt: [ Raynaldus Joly civis Toloſanus Fulcarius Ducis Andegaviæ. In vita S. Thomæ Aquinatis. ] Vide *Falconarius*.

FULCIMENTUM. Vide *Deſtina*. *Fulmentum*.

FULCINATORIUM. Scipio, baculus incumbitorius. [ Fulcinatorio, quo utebatur, terram paulatim egerens, ſubito fideli famulo ſuo largam fonticuli undam donavit. In vita S. Deicoli, cap. 3. §. 14. ] Alii tamen melius *Fulciatorium* legunt. Vide *Baculus*.

FULFREA, ſeu caſtigatius *Fulfreal*. FR. Ingenuus. [ Si mulier libera, ſeu fulfreal ſuper furtum comprehenſa fuerit. In legib. Longobard. lib. 1. tit. 25. leg. 6.

FULGETRIDO, ſplendor. [ Columnæ priſcorum fulgetridine emergunt. In vita Sancti Boniti Epiſc.

FULINA. Coquina, a fuliginum copia ita denominata. Iſidor. in Gloſſa.

FULINARIUS. Coquus. Iſidor. ubi ſupra.

FULLO. Vide *Sarculum*.

FULMENTUM, fulcimentum, pro columna etiam accipitur. [ Fulmentis aquitanicis ſuperba. Sidon. lib. 2. epiſt. 10.

FUMAGIUM, ſolutio pro panis coctione piſtoribus debita quæ etiam *Furnaticum* denominatur.

FUMENTERIA. FR. vectigal pro quocumque camino, ſeu domo ſolvendum. Bull. Caſin. tom. 2. conſtit. 303. 304. 313. 314. 315. 316. 329.

FUNCTIONES PUBLICAS AGERE, vel *habere*. FR. collectas, gabellas, impoſitiones, ſeu tributa exigere, idem ac redhibere, l. audivimus, Ne liberi homines opprimantur. Bullar. Caſin. to. 2. conſtit. 71.

FUNDA, marſupium. [ Invenit in via burſam magnam, quaſi plena eſſet denariis tumeſcentibus, quam uſitato vocabulo fundam appellant. Sanctus Bonaventura in vita D. Franciſci cap. 7. Reverſus eſt ergo ad fundā cum fratre & juvene quodam, qui erat in via. Ibidem.] Vide *Sacciperium*.

FUNDATUM, & *Fundata*, textile ex ſerico. [ Fecit vela holoſerica majora ſigillata, habentia periclyſim, & crucem de blattis, ſeu fundata. Anaſtaſ. Bibl. in Leone III. ] Et alibi idem; [ Calicem octogoni fundatum in foliis. ] FR. Adhuc tamen inexplicabile hoc vocabulum remanet, an *Fundatum Calicem* dicat, ideſt, fuſum a *Fundo* verbi ſupino corrupto an *Fundatum*, ideſt, fuſum; ſic idem Bibliothecarius in eodem Leone inquit: [ Calices majores fundatos ex argento, ] ubi recte fuſos, ad differentiam malleati metalli diſtinguere videtur; de textili ſiquidem erit facilis intelligentia, ideſt, attalica periſtromata, quæ gallice *A fond dor*, & Italice *In fondo d' oro*, ſeu *d' argento*, dici ſolet. At cum oculatiſſimo Henrico Spelmano in hujus vocabuli ſignificatione dicere oportet, [ Tu tibi Oedipus eſto. ] Cæterum. Vide *Blattum*. *Drappus*.

FUNERALE. Vide *Baldachinum*. *Libitina*.

FUNERARII. Vide *Decani*. *Foſſarius*. *Laborantes*. *Porticani*.

FUNIS CONTENTIOSUS. Tertullianica metaphora de prolixa contentione dicitur. [Sed non decet ultra funem contentioſum alterno ductu in diverſa diſtendere. De pudicit. cap. 2. ] Ac alibi idem de longa, & infructuoſa Chriſtiani cum Hebræo diſputatione loquens, ait: Alternis vicibus contentioſo fune uterque diem in veſperam traxerunt. Adver. Jud.

FUR. Vide *Derectarius*. *Emanſor*.

FURBATTO, præter intentionem homicidium per le-

vem vapulationem committo. In l. Salica tit. 38.

Furnio. FR. in furnum imponere, ideſt, panem coquere. [ Invenimus eidem conventui domos convenientes, & neceſſarias ad braſiandum, & furniandum. Matth. Pariſ. in hiſt. ad An. 1258.

Furor, verbum. Vide *Derobo*.

Furiosus. Vide *Fanaticus*.

Furtum. FR. eſt omnis illicita uſurpatio rei alienæ can. pœnale 14. quæſt. 5. Vide *Peculatus*. Furtum verborum quid ſignificet. Vide *Signum*.

Fusio. Vide *Indictio*.

Fustanum, tela ex lino, & bombace contexta ad modum (ut vulgo dicitur) ſpinæ. [ Quicquid ex privata pecunia fuſtani, & purpuræ coemere poteris, his jumentis in Pomeraniam dirigas. Andreas Abbas in vita Ottonis Bambergenſis Epiſcopi. ] Italice *Fuſtagno* dicitur.

Fustigo, & *Fuſtigor*. FR. baculo percutio, & percutior, 5. decretal. tit. 39. cap. 23.

Fusiis, frutex, arbuſcula. [ Si quis in ſylva fuſtem ſignaverit, & non capulaverit, in l. Salica tit. 27.

Fuxolium. FR. Gabellæ chartula. Italice *Bolletta*. Bullar. Caſin. tom. 2. conſt. 308.

---

# G

G FR. Ultramontani in ſæculis corruptis, quando, nimirum, barbara vocabula, & orthographiam in latinum ſermonem immiſerunt, hujus litteræ vicariam V. appoſuerunt, ſic VVlielmus pro Gulielmo, VVido pro Guido, VVerra pro Guerra, Vadium pro Gadium. Vide *Gadium*, & ſimilia, de quibus dictum eſt in dictione *Diſcapia*.

Gabalus, in prima impreſſione hujus tractatus dixi hanc vocem patibulum, ſeu crucem ſignificare, ab etymologia germanica, in quo idiomate *Gabal*, patibulum, ſeu furcam ſignificat; ſed deinde melius hujus dictionis ſenſum perquirens, montem ſignificare detexi; ſic nomen *Heliogabali* Imperatoris, qui *Gabalus*, a vocabulo *Gebel* Arabice, ideſt, mons appellabatur, deinde vocabulo Græco arabico *Heliogabalus*, hoc eſt, ſolis mons denominatus fuit: ſic etiam ſimile perobſcurum vocabulum ex Aldhelmo cap. 3. de Virg. delucidatur, ubi ſic ait, de Chriſto loquens: [ Verticem Gabali ſcandens ſexta ſabbati, hoc eſt, paraſceve ] ac bene intelligitur Redemptorem noſtrum in hac die montem aſcendiſſe calvarium, ut crucifigeretur. FR. Nihilominus adhuc primus ſenſus ſuſtinetur; nam ut ait Capitolinus in Opilio Macrino, quod hic Imperator duo nomina *Pii*, & *Felicis* a Senatu ei oblata primum recuſans, ſecundum acceptavit, ob id in eum græcum epigramma publicatum fuit, cui Imperator ſic reſpondit:

Si talem grajum retuliſſent fata poetam,
Qualis latinus Gabalus iſte fuit,
Nil populus noſſet, nil noſſet curia, magno
Nullus ſcripſiſſet carmina terra mihi.

Ubi hæc Caſaubonus notavit: [ Crucem vocabant gabalum, ut eſt apud Nonium: Hic gabalus, homo cruce dignus.

Gabaonita, ſeu *Gebanita*. Vide *Stacte*.

Gabarus. FR. Stultum, & inſipidum ſignificat. Iſidori gloſſa.

Gabasta, vas ad vinum ferendum. [ Iterum in Gabaſta bibiſti. Paul. Diacon. lib. 17. ] Fortaſſe ex græco idiomate χάβος, quod eſt vas pro vini menſura.

Gabæ. Vide *Publicanus*.

Gabain. FR. hebraica vox Publicanos, & *Gabba* Publicanorum Principem ſignificant, unde *Gabellæ* nomen deductum exiſtimat Baron. An. 31. n. 73. Vide *Pariſim*. *Publicanus*.

Gabbara, Ægyptiaca vox ſignificat cadaver exſiccatum, & aromatibus conſervatum, quod vulgariter in officinis *Mumia* dicitur. [ Ægyptii ergo ſoli credunt reſurrectionem, quia diligenter curant cadavera mortuorum. Morem enim habent ſiccare corpora, & quaſi ænea reddere, Gabbaras ea vocant. D. Aug. tract. 1. de Reſurrect. mort. cap. 12.] Et ibidem Plinium irridet, qui putavit hoc vocabulum fuiſſe alicujus perſonæ nomen. Iſidorus tamen *Galbares*, & *Gabares* habet. FR. apud Baron. Anno 34. n. 145.

Gabatha, vas rotundum, & concavum, quod pro penſili lychno inſervit, ad cujus ſimilitudinem Romæ præſertim in Lateranenſi Baſilica ad Altare majus nonnullæ perſpiciuntur, ex dono Aſcanii Cardinalis Columnæ. In ſacello Pontificio, ubi Euchariſtiæ Sacramentum aſſervatur, noctu, dieque exiſtunt duæ gabathæ, in quibus loco olei ardet continuo cera, quarum formam pro curioſa Lectoris eruditione hic delineandam curavi



Qui lychni pro luminis alimento olim oleum habebant: ſed Paulus IV. deinde (ut Jo: Baptiſta Tufus in illius vita refert) cereo pabulo in eis lumen perenne

ne ſervari ordinavit. FR. Torrigius vero de Crypt. Vatican. editione ſecunda pag. 513. addit inſuper, quod præfatus Pontifex ad curam harum gabatharum duos miniſtros deputaverit, & quod Gabatha *Gavata* etiam dicebatur, quæ patinam ſignificat, quarum aliquas vidiſſe memini ad lagenæ figuram ex Rhodo inſula allatas, quando, ſcilicet, Equites Hieroſolymitani ex ea inſula expulſi ſacra utenſilia ſecum in Melitam attulerant, ad uſque ad noſtra tempora hæ Gavatæ conſervabantur. Patina enim planiformis potius exiſtit; hinc Ennodius Ticinen. Epiſc. ad ſubjecta ejus carmina hic allata hujuſmodi titulum ſuper ſcripſerat, nempe: [ De compoſitile habente ſeptem gavatas. ] Carmina vero ſunt hæc: epigr. 22.

Diverſis dapibus confinia proxima ſervat,
Dum claudit variis fercula multa viis
Limitibus certis, quod junctus dividit ordo
Unus in argento, quam bene ventor habet.

Itaque *Gavata*, vel *Gabatha* patinariam formam retinebat quam tamen in ſacello pontificio diverſificatam fuiſſe exiſtimo; quando ceram loco olei adhiberi Paulus IV. mandaverat, & in formam phialæ decollatæ ab Artificibus fabricata fuit, ea ratione, quia cera liqueſcens, & rarefacta creſcit, ac diffunditur. Cæterum apud Torrigium loco cit. pag. 505. in privil. Caroli Magni habetur: [ Fecimus ibi tres Cruces, unam argenteam cum gavata, auream habentem auri libram unam, & aliæ duæ Cruces, argenteæ cum gavatis ſuis, habentem duodecim libras argenti unam, & duodecim argenti alteram, & gavatas duo lib. argenti unam, & ſimiliter & alteram ] & inferius. Duodecim gavatas duo aureas, & decem de argento cum catenis de oricalco ] :||: Item *Gabatha* etiam dicitur. [ Obtulit in Baſilica S. Petri buttonem de argento puriſſimo cum gabathis argenteis pendentibus in catenulis ſeptem. Anaſt. Biblioth. in Leone IV. ] Et ibidem. [ Gabatham ſaxicam ex argento puriſſimo penſantem libras tres. Dicitur *Saxica*, quia ad formam conchiliæ marinæ fabricata erat, & *Saxica* dicitur conchilia, quia in ſaxis nutritur. Corrigendus igitur eſt Tertulliani locus, lib. 5. c. 5. adverſ. March. ubi ait [ Vaſculorum, & gabatharum purgatio. ] Latinus enim Latinius in ejus Biblioth. Sacra ad d. Tertull. locum *Gabatharum* corrigit. Item hæc vox ex vi hebraicæ vocis locum eminentem ſignificat, ut in dict. *Gabalus* diximus; ſic D. Jo: cap. 19. in ſignificatione tribunalis uſus eſt, inquiens; [ Pilatus autem cum audiſſet hos ſermones, adduxit foras Jeſum, & ſedit pro tribunali in loco, qui dicitur lithoſtrotos, hebraice autem Gabbatha, ] Quæ vox hebraica, licet non ſit ſynonyma græcæ dictioni; in utroque tamen idiomate idem locus ſignificatur; erat enim locus iſte, in quo Pilatus reſederat, cum pavimento lithoſtroto, ideſt, variis coloratis lapidibus ſtrato, atque pavimento elevato, quia [ Gabbatha dicitur, quod pavimento elevatus eſſet locus. Trimel. in notis. Vide *Lithoſtrotos*. *Huſtingus*.

Gabellum, nonnulli exiſtimant gabellam, & datium hoc vocabulum ſignificare in Anaſt. Bibliot. qui in Stephano III. ſic ait: [ Rex reddere promiſerat Faventiam, cum Caſtro Tiberiaco, ſeu Gabellum. ] Itaque caſtrum, & non datium erat; nam *Tyberiacum* terra eſt, quæ hodie vulgariter *Bagnacavallo* dicitur, & antiquitus *Gabbeum*, & *Ad caballos*; quare *Gabellum*, & *Gabbeum* idem eſt.

Gabriel. FR. hebraica vox, & eſt nomen Angeli, latine ſonat *Vir Dei*; nam ut habetur in Iſaia c. 22. n. 17. dictio *Gaber* homo intelligitur; unde legunt LXX. [ Homo, qui non proſperabitur. ] & *El* Deus hebraice dicitur: quare S. Proclus orat. 1. in laudem V. M. de ejus Annuntiatione loquens, inquit: [ Reverere ſaltem ò homo, Archangeli appellationem: is namque, qui lætum illum nuntium Mariæ detulit, Gabriel vocabatur. Et quid quæſo Gabriel interpretatum ſonat? Arrige aures, & diſce: Deus & homo. Quia itaque ille, quem annuntiabat, Deus erat, & homo; quo facilius diſpenſationis myſterium perſuadeat, rei miraculum notatione nominis anticipat. ] Sed aliter D. Hieronymus, qui ſic inquit: [ Gabriel in lingua noſtra vertitur *Fortitudo Dei*, vel *Robuſtus Dei*: unde eo tempore, quo erat Dominus naſciturus, & indicturus bellum dæmonibus, & triumphaturus vi de mundo: Gabriël venit ad Zachariam, & Mariam: In Dan. lib. 1. cap. 8.

Gadium, pignus, ſive arrha, & ſpecialiter in duellis in ſignum manifeſtum obligationis ad duellandum. [ Cumque inſtaret rurſum, ei judices præceperunt, ut ſecundum morem regionis, illud, quod ipſi vocant gaudium, rei, videlicet, ab eo probandæ argumentum, manu propria in ejuſdem Gerardi Prioris manu poneret, qui velut ex bona conſcientia audacter gadium in manu ejus ponens ait; hujus, ut dixi, rei ego teſtis ſum, aliis quoque teſtibus, vel duello idipſum probaturus. Petrus Muric. lib. 1. de mirac. c. 8. ] Alii tamen *Vadium* & nonnulli *Gagium* a gallica dictione *Gage* pignus vel arrhabonem ſignificante deducunt. Vide *Gageria*.

Gageria. FR. idem ac ſupra, & ſignanter denotat pignus, quod ratione debiti cenſus recipitur. [ Gageriæ ulterius non recipiantur. Nom. Ciſterc. part. 1. cap. 3. Inſinuatione præſentium declaramus, quod gageria, quam de feudo Eccleſiæ tuæ ab M. dignoſceris recepiſſe, a te poteſt libere detineri, fructibus non compenſatis in ſortem. 3. decretal. de feudis c. 3. ] Ubi inepte Gloſſa hoc vocabulum explicat his verbis: [ Gageria, ideſt pignus, ſive feudum, vulgare Theutonicorum. ] Si autem Gageria feudum ſignificaret, quomodo ibi diceretur, *Gageria, quam de feudo?* ergo ſenſus eſſet, feudum, quod de feudo; at qualis ineptia? ſtultiſſimi inſuper eſſent Ciſtercienſes præcipientes recipi feuda, quandoquidem dixere ſupra, [ Gageriæ ulterius non recipiantur. ] Vide *Gadium*.

Gagium, & *Gaja*, lucus, & denſa ac opaca ſylva. Si quis accipitres de ſylva tulerit, excepto de gajo Re-

gis, habeat ſibi. In legibus Longobar. lib. 1. tit. 25. leg. 28.

Gajanitæ hæretici. Vide *Eutychiani*.

Gaja. Vide *Gajum*.

Galæa, & *Galea*, navis longa, trieris, vel triremis. [Ubi galæam bene armatam aſcendi, & ad proſequendum iter ultramarinum, nautæ remis, & velo ſollicite inſiſtebant. Gulielm. de terra Sancta, apud Caniſium.] Reperitur etiam vox græca γαλέα in eodem ſignificatu. Item latine abſque diphthongo. [Convenire fecimus apud Piſas victorioſum ſtolium galearum, Chron. Auguſt.] Fortaſſe a *Galea*, piſcis ſpecie, propter figuram ſic appellata. FR. ſeu potius a *Galea*, ideſt, caſſis; hinc verſus ille

Armo caput galea, pelagus percurro galea. [Et lignamina deferant galearum &c. Sunt etiam qui pro cupiditate ſua in galeis, & piraticis Sarracenorum navibus regimen, & curam gubernationis exercent. 5. decretal. tit. 6. cap. 6. Omnium tam Clericorum, quam laicorum, quos ceperat in galeis, de ſentent. & re judicat. in ſexto cap. 2. Mallem habere pauciores galeas bene armatas, & de bona gente, quam plures non ſic. Sannutus de ſecretis fidelium cap. 5.

Galatia. Vide *Gomorra*.

Galdonia. Vide *Geldonia*.

Galeatus. Vide *Prologus galeatus*.

Galeria, locus, ſeu cubiculum variis curioſitatibus ornatum. [In curte alia, quæ galeria dicitur, fecit latam, & ſpatioſam, ut ampliſſime Pontifices cum famulis hoſpitarentur, Anaſtaſ. Bibl. in Greg. IV.] Vide *Curtis*.

Galerus, & *Galerum*. FR. pileus; hodie vero de Cardinalitio pileo fere intelligitur, quo in ſolemnibus equitationibus, & feſtivis proceſſionibus utuntur, at in illis pro tegumento, in iſtis pro umbraculo adhibetur. Antiquitus autem in Conſiſtorio quoque, & in Conciliis deferebatur, ut in dict. *Conſiſtorium*, & dict. *Calyptra* ſcenographice demonſtravimus. Quod conceſſum fuerat in Concilio Lugdunenſi ab Innocentio IV. [Lugdunique ab eo Pontifice, quod ſervatur, primum conſtitutum, ut Rom. Eccl. Cardinales in publicum adequitaturi, galero rubente inſignirentur, non ſolum, quo a cæteris ſint inferioribus conſpicui, ſed ut ipſi admoneantur debere, qui illa poſt Pontificalem majore omnium ornentur dignitate, ad effundendum pro fide catholica, & Chriſtiani populi ſalute ſanguinem paratos eſſe. Blond. decad. 2. lib. 7.] Circa vero hujus Concilii tempus, ſic idem refert: [At Philippus Rex Franciæ ad annum, qui jam inchoaverat, duo de quinquageſimo, & duodecies centenum, ad Pontificem Innocentium Lugduni agentem ſe contulit:] qui Regis acceſſus ante celebrationem præfati Concilii interveniſſe idem ait. At Odoricus Raynaldus Baronii continuator ad annum 1245. hoc Concilium ponit. Bernardinus vero Corius in Mediolanenſi ejus hiſtoria inquit Innocentium anno 1242. galerum rubrum Cardinalibus conceſſiſſe ante prædicti Concilii intimationem. Vide *Calyptra*. *Hura*. *Pileus*.

Galgulus, avis. Vide *Aurugo*.

Galilæa, quo vocabulo totum tempus Paſchale uſque ad Aſcenſionem Græci appellare ſolent, quia Chriſtus in toto hoc temporis ſpatio in Galilæa regione viſus fuerat. Item *Galilæa* locum in Eccleſia denotabat, ubi in omnibus Dominicis per annum proceſſio terminabatur, in qua præcedebat Epiſcopus, & ſequebatur Clerus ad denotandum Chriſtum poſt reſurrectionem Diſcipulos ſuos in Galilæam præceſſiſſe. Vide *Proceſſio*.

Galilæus, agnominatus eſt Chriſtus, ac etiam Chriſtiani ejus ſequaces ex contemptu. [Quando autem me Galilæus ille convenit recalvaſter, naſo aquilo, qui in tertium uſque cœlum per aerem ingreſſus eſt. Lucianus,] qui de D. Paulo loquitur, de Chriſtianis vero apud Theodoretum ſic habetur: [Ac primum vetuit, ne Galilæi (ſic fidei Servatoris noſtri conſecratos nuncupabant) poeticam, rhetoricam, aut philoſophiam diſcerent, lib. 3. hiſt. eccleſ. can. 7.] ubi de Juliano Apoſtata agit, qui ſemper Chriſtum, ac Chriſtianos Galilæos appellare ob contemptum delectabatur, quod Chryſoſtomus etiam teſtatur inquiens, [Galilæos nos in edictis ſuis pro Chriſtianis tum ipſe appellans, tum Principes, ut idem factitarent, exhortans, Orat. contra Gentes.

Gallia. FR. diſtincta a Francia. Vide *Francia*. Ejus provincia Vide *Ambro*. Galliæ item ſunt tres, *Bracata*, *Togata*, & *Comata*. Gloſſa in can. In Galliarū 25. quæſt. 2. Quoad ejus res Eccleſiaſticas, ac alia. Vide hic *Alleluja*. *Almutium*. *Annale*. *Baculus*. *Candela*. *Cantor*. *Capitilavium*. *Cereus paſchalis*. *Charivarium*. *Chriſma*. *Ciborium*. *Conceptio B. M. V. Corbicularius*. *Diaconus*. *Euangelium*. *Excommunicatio*. *Heribanus*. *Hoſtia*. *Hugonottus*. *Inquiſitio*. *Mitra*. *Noel*. *Octava*. *Onocrotalus*. *Organum*. *Paraclitenſe*. *Paſcha*. *Subventio*. *Viaticum*. Rogationes in Gallia primo inſtitutæ. Vide *Litania*. Tota Gallia morbo diſſenteriæ laborabat. Vide *Beſentericus morbus*. Provincia Galliæ comitatus quomodo latine dicatur. Vide *Speculator*. Galli primi ſaponis inventores. Vide *Smigma*. Item Auctores ſolearum. Vide *Solea*.

Gallia Comata. Vide *Tonſuratus*.


Galliarum Rex. Ejus filii miraculum in Baptiſmo. Vide *Amen*. Quando titulum Chriſtianiſſimi obtinuerit. Vide *Chriſtianiſſimus*. In ejus conſecratione conceditur illi communio ſub utraque ſpecie. Vide *Communio*. Reliqua ad eum ſpectantia. Vide *Chorus*. *Defenſor*. *Epanocliſtus*. *Hoſtia*. *Miſſa ſicca*. *Mitra*. *Numiſma ſacrum*. *Organum*. Umbertus Princeps renunciavit illi delphinatum de anno 1350. Vide *Ordo*. Recens ejus moneta habet figuram Gammadiæ. Vide *Caſula*. Poſt Lotharii Regis mortem quinque Reges diviſim inter Francos regnare cœperunt. Vide *Pentiſarie*. Robertus Rex Rhythmum compoſuit *Veni Sancte*

*cte Spiritus*. Vide *Proſa*. Philippo Galliæ Regi decimæ ſuper beneficia Eccleſ. conceſſæ. Vide *Saladina decima*. Ludovicus XI. ſigni pulſandis in meridie pro ſalutatione Angelica inſtitutor. Vide *Salutatio Angelica*. Pipinus Rex in Gallia a Zacharia Papa coronatur. Vide *Francigena*. *Schola Græcorum*. Ludovici XIV. cæremoniæ in ejus ſponſalitio. Vide *Evangelium*.

GAMALIS, uſitatum in Longobardicis legibus nomen, quod in aliquorum ſenſu filium legitimum ſignificat, trahendo illud ex græca etymologia γαμήλιος, ideſt, nuptialis, quia natus eſt ex legitimo matrimonio. [De proximis legitimis, aut naturalibus, aut de gamalibus, idem, confabulatis, l. 2. §. 7.] Ex quibus verbis potius natum ante conſummatum matrimonium ſignificare videtur, ideſt, tempore ſponſalium, quia hujuſmodi lex triplicem filiorum ſpeciem diſtinguit, nempe, legitimos naturales, & gamales, quorum ultima ſpecies geniti intelliguntur ſub promiſſione futuri matrimonii, ſicut ibi ſequens dictio, ideſt, *Confabulatis* declarat, a verbo *Confabulor*, quod negotiari, promittere paciſci, & ſimilia ſignificat. FR. *Gamalus* etiam dicitur, l. ſi contigerit. Qualiter quis ſe defendere debeat &c. Ubi unum de proſapia, ſeu familia ſignificare videtur.

GAMBUCA. Vide *Baculus epiſcopalis*.

GAMMADIA, γαμμάδια. Veſtis ſacra cum figuris in forma litteræ græcæ Gamma Γ contexta, qua utebantur etiam Latini, ut in muſivis, & antiquis Romæ picturis conſpicitur, ad præſens autem in planetis utuntur Græci Epiſcopi, ut in dict. *Caſula* oſtenſum fuit. Vide etiam *Polyſtaurium*. *Stauracinus*. Quæ Figuræ ſimul unitæ multas Cruces formant hoc pacto: [Fecit vela ſerica de praſino quatuor habentia tabulas de chryſoclavo cum effigie Chriſti, & in medio



Cruces, & gammadias de chryſoclavo cum orbiculis, in quibus ſunt imagines Apoſtolorum, Anaſt. Biblioth. in Leone IV.] Et alibi idem: [Gammadia duo, & columnas argenteas octo.] Igitur hoc vocabulum nedum veſtem, ſed etiam textile hiſce characteribus angularibus formatum ſignificat, ad denotandum, ut Balſamon inquit, quod Chriſtus ſit angularis lapis; item in paramentis figuratur etiam litera græca, Ita, hoc pacto H, quæ nomen Jeſus denotat. In muſivis Latinorum picturis, ut jam diximus, leguntur etiam prima elementa, denotantia principium nominis alicujus Sancti depoſiti [Item *Gammadion*, γαμμάδιον, velum, aut ſimile quidpiam, ſimilibus litteris, quæ *gamma* dicuntur, ornatum.

GANNATURA, ſubſannatio, quam Itali *Sogghigno* appellant. [Sed quid mirum, ſi Apoſtolorum oracula, & Juriſperitorum ſcita præfatas frivolorum nænias abominantur? Cum etiam Gentiles Gentilibus, & Paganis Pagani, quaſi ridiculoſum ſubſannatis gannaturæ opprobrium legantur improperaſſe: Aldhelm. de Virg.] Lacerda vero illicitum lucrum hoc vocabulum ſignificare putat, ſed ex verborum ſenſu clare ſignificatum a nobis expoſitum eluceſcit. FR. deceptus eſt a Lacerda fortaſſe, quia nomen ab ejus patrio, & hiſpanico verbo *Ganar*, quod lucrari ſignificat, originem trahere exiſtimaverat.

GAPHANS, FR. cohæres proximior debitoris l. 3. de debitis, & gaudimoniis. Vel is qui retinet uſumfructum donationis. Gloſſa ibidem.

GARALIS, vaſis genus. [Tulit in coronis, ac baziis, atque amulis, garalibus, & cochleariis argenti. Chron. Caſin. lib. 1. cap. 28.] ubi *Bazius* porro vaſis barbare ſcribitur.

GARATINX. FR. legitima hæreditatis, clara, & univerſalis donatio l. ſi quis ancillam, de ſponſal. & l. ſi quis res 2. de Donat.

GARBA. Manipulus ſpicarum, qui theutonice *Garb* dicitur; hinc Anthelmus de cœlibatus fructu cecinit:

Qui modo diſrumpunt connubia nexa thororum,
Et demunt proprias devota mente latebras,
Mundanæ licita aſpernentes gaudia pompæ,
Sic demum decies metens ex æquore garbas,
Ternas accipiet, qui vincla jugalia nectit.

GARDINGUS, magnæ exiſtimationis in Hiſpania Viſigothorum temporibus dignitas. [De accuſatis Sacerdotibus, ſeu etiam Optimatibus Palatii, atque Gardingis. Concil. Tolet. XIII. can. 2.] Voſſius putat fuiſſe Palatii Cuſtodem, quem Itali *Guardiano* vocant. Garzias tamen Loaiſa Toletanus Archiepiſcopus in Collectione Hiſpanorum Conciliorum recognoſcit in hoc officio eximiam dignitatem, in Viſigothorum enim legibus, lib. 2. tit. 1. l. 1. interveniebat in condendis ſtatutis ſimul cum Sacerdotibus, & poſt Duces, & Comites in eiſdem legibus lib. 9. tit. 2. l. ult. nominatur, ubi ſic habetur: [Si majoris loci perſona fuerit, ideſt, Dux, Comes, ſive etiam Gardingus,] & paſſim inter hujuſmodi digniorem regii palatii triumviratum connumeratur.

GARENA. FR. hoc vocab. habetur in Clement. de ſtatu Monachorum, ſic: [Porro venationibus, aut aucupationibus omnes ſemper abſtineant, nec eis intereſſe, aut canes, vel aves venaticos, aut per ſe, vel per alios tenere præſumant, nec a familiaribus ſecum morantibus teneri permittant; niſi ſaltus, vivaria, vel garenas proprias, vel jus venandi in alienis haberent &c.] Ubi Gloſſa ſic explicat: [Garenæ non eſt nomen vulgare, & forte dicuntur a garrio, garris.] Sed hic Gloſſator ultra quam quod nil explicet quoad ſubjectam materiam, nullum etiam cum *Garrio* verbo connexionem habet *Garena*; quia ſi hoc eſſet, duplici R. ſcribi deberet. Item ſi canon ſtrepitoſas venationes Monachis hic prohibet, quomodo garritus illis permittat? Sed animalium, ſeu ferarum conſeptum proprie ſignificat ex Gallico vocab. *Garant*, ideſt, ſecurus, ſeu *Garentia*, ſecuritas; nam per talia conſepta tuto animalia conſervantur, ne poſſint ex incluſione aufugere, quod conſeptum, etiam gallice *Garens* dicitur. Proba.

batur inſuper ex Vincentio Salerna Monacho Lerinenſi in deſcriptione inſulæ Lerinenſis, quæ hodie S. Honorati, teſte Maſſonio, dicitur, ac S. Margaritæ inſulæ adjacet in Narbonenſi pelago: hæc habet in præfat. Chron. Lerinen. [ Eſt ipſa inſula oblonga, parum ſublimata, in petroſæ rupis portus plaga. Ibi torpens ſtagnum, in quo olim albidum ſal coagulabatur ad uſus mortalium: nunc omnia dirupta, & ſolo æquata, tum fertilis rei frumentariæ, pavidos nutrit cuniculos; eratque antiquitus quaſi per dimidiam partem, muris lapideis circumcincta ad diverſigenas animalium ſpecies includendas, more garenarum &c. ] Vide *Foreſtes*. *Guarenum*. *Sarajum*. *Vvarrena*.

GARGANGUS. FR. Advena, l. omnes gangangi, de Advenis. Vide *Allophylus*.

GARGATANGUS. FR. ſcilicet ſecundum qualitatem perſonæ, l. in omnibus, de plagis, & compoſitionibus.

GARRENS. FR. Actor laudatus, l. ſi quis equum, & ibi Gloſſa. De rebus intertiatis.

GARRHARA, Corona, ſeu clerica Eccleſiaſticorum. [ Et nos garrharam in capite facimus in honorem omnino Principis Apoſtolorum, ſuper quem Dei magna Eccleſia exædificata eſt. Quod enim impii ad Sanctum diffamandum excogitaverunt, id nos pie facientes, in gloriam illius, & honorem agimus. Petrus Antioch. epiſt. ad Cerularium.] Quod vocabulum a voce *Kerac* Arabica, quæ ſphæram ſignificat, corruptum fuiſſe cenſeo, ſeu potius a dictione *Kura*; nam græce κυρὰ coronam ſignificat clericalem, ex verbo κείρω, nempe, tondeo. FR. Erat enim antiquitus damnatorum pœna, & præcipue Chriſtianorum: quando enim hi ad metalla damnabantur, tondebantur illis capita, ita Paulus Diacon. lib. 24. Ac de eiſdem S. Cyprianus inquit; [ Semitonſi capitis capillus horreſcit, ep. 77.] Vide *Corona*. *Tonſura*.

GARSIO, famulus, quem etiam Itali *Garzone* dicunt, ac proprie de ephebo dicitur: [ Interim exeunt de domibus hoſpitum garſiones cibariis onuſti, & ebrii, ut de ſuperfluitate illorum pauperibus ingeratur cumulatior doloris,& tormenti materia. Petrus Bleſen. epiſt. 102.] FR. dicitur etiam *Gartio*. [Et ipſa gartionibus,qui eam rapere nitebantur. lib. 2. decretal. tit. 18. cap. 11.

GARTIO. Vide *Garſio*.

GARZONOSTASIUM, vox barbaro-græca ex vocabulo vulgari Garſio, ſeu Garzo, ideſt, puer, & σάσις, nempe, ſtatio: locus in medio Eccleſiæ ſituatus, & pro pueris tempore divinorum officiorum deſtinatus.

GASACHIO, Adverſarius, collitigans. [ Rogo te Judex, ut hominem illum denominatum gaſachionem meũ, qui mihi fidem facit de debito tali denominato, ſecundu legem ſalicam mihi eum aſtringas. ] Vocabulum compoſitum ex theutonicis vocibus *Ga*, nempe, cum, & *Sache*, ideſt litem ſignificantem. Reperitur etiam in lege ſal ca *Gaſachius*: ſic [ Tunc judex dicere debet, ego gaſachium tuum illum in hoc malo, quod lex ſalica habet &c. ] Ex hoc forſitan vocabulo *Goſacchi* denominati ſunt inter Rutenos armigeri eorum militia ſtrenui, qui ſæpe Ottomanicum Imperium exagitant. Quamvis nonnulli a dictione *Goſa*, quæ in eorum idiomate capram ſignificat, etymon trahant; ſunt enim hujuſmodi milites ad ſimilitudinem capræ in curſu agiles, & quaſi rupicapræ præcipitoſa loca ad deprædandum adſallientes.

GASINDIUM. FR. ſervitium, l. cognovimus, de ſeditione, & ibi Gloſſa. Item pro ſervitutis tempore, l. ſi libertas, de ſucceſſion.

GASINDIUS. Vide *Gaſindus*.

GASINDUS, ſervus; [ Dum & nos ad præſens Apoſtolicum virum, aut illuſtrem pro noſtris utilitatibus ibi ambulare præcipimus; ideo jubemus, ut dum illis partibus fuerit demoratus, omnes cauſæ ſuæ, ſuorumque amicorum, aut gaſindorum, ſeu undecumque ipſi legitimo redibit mittio, in ſuſpenſo debeant reſidere Marculph. lib. 1. formular. cap. 23. Ubi dictio *Mittio* eſt poſita loco *Miſſio*: ſic alibi idem; [ Si aliquæ cauſæ adverſus eum, vel ſuo mittio ſurrexerint. ] FR. Item legitur *Gaſindius*, ut [ Gaſindius Regis ] ideſt. Regis famulus, l. ſi quis cauſam, de offic. Jud.: || : Videtur vocabulum ex *Caſe* gallice, ideſt, domus, & *Hynde* ſaxonice, nempe. famulus compoſitum, ac proinde *Caſhyndus* ſcribi deberet.

GASMULICA. FR. gens erat, quæ tempore Baldoini Conſtantinopolitani regnantis, cum Græcis, ac Latinis neutralis vivebat, quæ tandem in factionem ſe poſuerat. [ Gaſmulica, quæ inter Romanos ( *ideſt, Græcos*) & Latinos vivebat &c. Nicephor. lib. 4. ] a *Caſma*, ſcilicet, ſeparatio.

GASMULUS, qui ex parentibus amborum rituum Latinorum, ſcilicet, & Græcorum genitus eſt. Pachimer. lib. 4. hiſtor. cap. 24.

GASTALDUS, erat antiquitus Aulæ regiæ officialis, qui hoſpitum curam gerebat, idemque fuiſſe a Comitem, ex variis diplomatibus imperialibus ſatis liquet: dicebatur etiam *Caſtaldio*, & *Caſtalduis*. Vide *Caſtaldio*. FR. Ac etiam *Gaſtaldius* vocabatur actor, ſeu negotiorum geſtor. Item turris, vel curtis regiæ, ſeu alienæ cuſtos, & conſequenter idem, ac comes, ut in dictionibus citatis dictum eſt, & colligitur ex l. ſi mancipium, de furtis atque clarius ex Eremperto, [Adenulfus autem gaſtaldatum capuanum ſingulariter ſuſcipiens, continuo ſe comitem appellari juſſit, in ejus Chron. An. 886. ] Vide *Guaſtaldus*.

GASTRIMARGIA, gulæ vitium. Vide *Caſtrimargia*.

GASTRIMARGUS. FR. guloſus. Vide *Ambro*.

GASTROLOGIA: FR. de crapula loquutio.

GASTROLOGUS. FR. qui de crapula loquitur.

GASTROMANTES. FR. Divinaculus ex ventre obſeſſorum.

GASTROMANTIA. FR. In amphora, ſeu ex ventre obſeſſorum divinatio.

GASTRONOMIA. FR. lex de ventre alendo.

GASTROPHILUS. FR. ventris amicus.

GAVATAS. Vide *Gabatha*.

GAUCIUM. Vide *Caucus*.

GAUDIMONIUM, vanagloria, ſuperbia. [ Et amputabitur

exul-

exultatio multitudinis ejus, & gaudimonium ejus erit in luctum. Baruch. cap. 4.] Græcus enim Codex γαυρίαμα habet, quod ſuperbiam, & vanam lætitiam ſignificat [ Aliquando tamen in bonum ſenſum pro vera lætitia uſurpatur. [ Quibus auditis Imperator immenſo profuſus gaudimonio. In vita S. Celſi Epiſc. Trevir.

Gaviscor, gaudeo, [ Et ſi in aliqua re viſus fuerit ſibi frater multum gaviſci. In reg. Magiſt. c. 82. §. 21. ] Plautum imitatus eſt, qui *Fruiſci* pro *Frui* dixerat.

Gavisorius, lætabundus, ſeu lætificans: [ Reſonat tota Eccleſia vocibus gaviſoriis. In vita S. Adelardi.

Gauspina. Vide *Amphibalum*.

Gazari. FR. hæretici, qui & *Patareni*. 5. Decretal. tit. 7. c. 8. vocantur. Item & *Cathrei, Pathanii, Pauperes de Lugduno, Paſſagini, Toſſapini, Arnaldiſtæ, Septroniſtæ* dicuntur, ibidem cap. 15. Qui etiam *Inzapati* dicebantur a calceamentis apertis, quæ Hiſpanice *Sapados* appellantur.

Gazetum, prælibatum vinum, ex Gaza Syriæ Civitate. [ In die, qua Domino pro ejus anima delibaſſet, ſemper ſextarium gazeti vini præbuit in ſacrificium Baſilicæ Sanctæ; ſed Subdiaconus nequam, reſervans gulæ gazetum, acetum vehementiſſimum offerebat in calice. Gregor. Turon. cap. 65.

Gazophilacium, γαζοφυλάκιον, arca, in qua divitiæ conſervantur, a *Gaza* voce Perſica, ideſt, divitiæ; Gaza enim Civitas erat, in qua Perſæ eorum theſaurum condebant, & φυλακὴ, cuſtodia, conſervatorium, ſeu repoſitorium denotat. Tria repoſitoria reperiebantur in Salomonis Templo, in quibus oblationes ponebantur diſtinctæ. Vide *Corbona*. FR. [ Oblationes diſſidentium fratrum, neque in ſacrario, neque in gazophylacio recipiantur: ſimiliter dona eorum, qui pauperes opprimunt, a Sacerdotibus refutanda ſunt, can. oblationes, diſt. 90. ] & ibi ſic Gloſſa [ Gazophylacium a Gaza, quod eſt divitiæ, & phylacin, quod eſt ſervare ] & Pomp. Mela ait: [ Gazam Perſæ ærarium vocant.] Item Q. Curtius inquit: [ Igitur quaſi parum munimentis oppidi fidens, ante ſolis ortum pecuniam regiam ( gazam Perſæ vocant ) cum pretioſiſſimis rerum efferri jubet, ſimulans fugam, l. 3. in fine.] Et Cic. 2. de offic. ait: [ Omni Macedonum gaza, quæ fuit maxima, potitus eſt Paulus. ] Horatius autem arabum vocab. gazas eſſe dixit; Gaza enim nomen Civitatis in Perſide, ita dicta, eo quod Cambyſes in eam, velut in munitiſſimam totius Regni arcem, omnes opes, pecuniaſque conjecerit. Herodot. Sed vera Gazophylacia *Exedræ* a LXX. appellantur. Vide in dict. *Perivolium*.

Gebellinus. Vide *Guelfi*.

Gehenna, vallis erat, in qua Idolo *Moloch* ſacrificabantur infantes, hinc ex horroris ſimilitudine ſic appellatus eſt infernus, quare hoc nomen eſſe græcum male arguit Theophylactus in cap. 10. Matth. Quæ vallis dicebatur Ben ennom. [ Tranſireque fecit filios ſuos per ignem in Valle Ben ennom. 2. Paralip. c. 33.] Eandem eſſe ac Vallem Gehennæ affirmat Hieronym. in c. 7. 19. & 32. Jeremiæ, vocavitque ait *Tophet* in Jer. 7. & Iſai. 30. Joſias vero, ut abominaretur locus hujuſmodi idololatriæ, præceperat, quod cadavera animalium projicerentur ibi, 4. Reg. c. 32. Itaque antiquiſſimum fuerat inter Iſraeliticos a tempore Joſue hoc nomen vallis: [ Aſcenditque per convallem filii Ennom. Joſue cap. 15. n. 8. ] Origenes enim docet in cap. 23. Matth. quod idem ſit in Sacra Scriptura Vallis Ennom, ac Vallis filii Ennom; ſed in ſignificatione inferni, inquit Hieronymus in c. 33. Paralipom. & in cap. 10. Matth. primo uſus eſt Chriſtus. FR. Joannes vero Druſius in libro vocum novi teſtamenti in dict. *Gehenna* ait: [ Diſſentio hic a Hieronymo, cum reperiam in Avoth pro inferno, & in Zohar libro antiquiſſimo cap. 16. ] Sed in duplicem errorum foveam incidit Druſius: primum, quia Hebræi Auctores ab eo citati, licet *Gehennam ignis* hanc Vallem nominent; non ideo per hoc infertur, quod infernum ſignificare illi voluiſſent, quia ex locis veteris Teſtamenti ſupra allatis ſatis conſtat *Gehennam ignis* vocatam fuiſſe, ex eo, quod in igne ibi Moloch Idolo ſacrificabantur infantes. Alterum æquivocum Druſii fuit in temporum diſtinctione; Auctores enim ab eo citati adhuc non fuerant in humanis ante Chriſtum, quia Rabbi Simeon auctor libri Zohar ex Buxtorphio, & ex Rabbi Davide Ganæ in Chronologia Scriptorum Hebræorum a Joanne Voſſio latinitati donata, ſatis conſtat tempore Adriani Imp. illum vixiſſe, & Pirchæ Avoth eſt titulus in deteſtabili Talmuth, ſignificatque capitula Patrum. Talmuth autem poſt Chriſti adventum excogitatum fuiſſe patet. Appellatur etiam *Topheth* vallis iſta. Jerem. cap. 9. Vide *Infernus*. Gehenna ſulphuratior, ideſt, ardentior. Vide *Sulphuratior*. *Topheth*.

Gelda. Vide *Geldonia*. *Suffocatus* in fine.

Geldonia, Confraternitas, nomen ex Belgico, *Gilda*, quod ſocietatem denotat, & *Gildo*, ideſt, ſocius. [ Ut de collectis, quas geldonias, vel confratrias vulgo vocant, tantum fiat, quantum ad auctoritatem, & utilitatem, atque rationem pertinet. Hincmar. c. 6.] Reperitur etiam *Geldonia*, & *Gilda* in eodem ſignificatu.

Geldus, monetæ genus. [ Si quis liberum de terra effoderit, quidquid ibi tulerit, novem geldos reſtituet. Lex Aleman. tit. 2. ] Vocabulum proprie pretium, & valorem ſignificans, a *Geldan* Saxonico, ex quo formatur nomen barbaro græcum χέλτον, ideſt, pretium. FR. Locus ab Auctore citatus non eſt in leg. 2. bene quidem in lege ultima, ubi ſic habetur: [ Si quis liberum de terra effoderit, quicquid inde tulerit, novem Vveregildis ſolvat. Vide *Vvirgildus*.

Gelina, faciculus, ſeu manipulus ſpicarum, ex gallico vocabulo *Glain*, quod idem ſignificat: [ Archonium eſt acervus gelinarum inculmatus, & in ſummo acutus. Hugo Card. in poſtilla ad Ruth cap. 3. ] Vide *Archonium*. *Gerba*.

Gello. Vide *Gillo*.

Ge-

Gemellarium. Vide ſequens vocabulum.

Gemellio, urceolus, a γέμω fortaſſe, ideſt, impletum eſſe, ſeu ideo gemilliones, quia gemini ad Miſſam præparantur & ratione conſimilitudinis, quaſi gemelli dicuntur. FR. Reperitur etiam *Gemellarium* in eodem ſignificatu. Ejus ſynonyma. Vid. in dict. *Urceolus*.

Genæ Pars. Vide *Suboculare*.

Genearchicum, hæreditas, quæ ratione primogenituræ præ cæteris fratribus primo diſtincte relinquitur, qua fœminæ excludi ſolent. Vox quidem græca γενεαρχικόν, quæ primogenituram ſignificat.

Generalis Capitaneus. Vide *Drungarius*. *Dux*.

Generalis, ſuperior totius Ordinis alicujus Religionis. Vide *Pantocratorenus*.

Generamen, FR. germen. [ Stirpis generamina. Aldelmus in lib. de Virg.

Generatorium, generandi facultas. [ Non eſt dubium, quin rationabile animæ noſtræ in quinque ſenſus dividatur, & vocem, & generatorium. D. Ambroſ. lib. de Noe, & Arca.

Generia. FR. generoſitas: [ Ac Regum filiis, qui propter ſublimitatem eorum, ac generias claritatem, ſunt potioris prærogativa gratiæ attollendi &c. Extrav. Jo. XXII. de præbendis, & dignit. cap. unico.

Genesis, Γένεσις, ideſt, generatio, primus Sacræ Scripturæ liber, ita appellatus, quia in eo de antiquorum Patriarcharum genealogiis agitur. Vide *Originalia*.

Genethliaci, γενεθλιακοί. FR. Aſtrologi. [ Neque illi ab hoc genere ſuperſtitionis pernicioſæ ſegregandi ſunt, qui olim Genethliaci propter natalium conſiderationes dierum, nunc autem vulgo Mathematici vocantur &c. can. illud 26. qu. 2. De iiſdem habetur in can. illos planetarios, can. ſed & illud, & can. licet aliquid, ibidem. Item in can. igitur genus, 25. qu. 3. hæc referuntur: [ Aſtrologi dicti ſunt, eo quod in aſtris augurantur: Genethliaci appellati ſunt, propter natalitiorum conſiderationes dierum; Geneſes enim hominum per XII. cœli ſigna deſcribunt, ſyderumque curſu naſcentium mores, actus, & eventus prædicare conantur, ideſt, quis quali ſigno fuerit natus, aut quem effectum habeat vitæ, qui naſcitur, interpretantur. Hi ſunt, qui vulgo Mathematici vocantur: cujus ſuperſtitionis genus conſtellationes Latini vocant, ideſt, notationes ſyderum &c.] Vide *Aſtrologia*.

Geniculum, & *Geniculus*. FR. generatio, ſeu linea, vel gradus generationis. Derivatur enim geniculum a genu diminutivum, hinc pro generationibus ſumitur; ſic etiam vernacula lingua a Melitenſibus computantur generationes, quas *Rkuh*, ideſt, genus, ſeu generationis gradus appellant, atque in terminis Canoniſtarum bina genicula unicum generationis gradum efficiunt, ſic uſque ad octo genicula incluſive impedimentum contrahendi canonice obſiſtat, & in lege Longobardica habetur, quod: [ Omnis parentela uſque ad ſeptimum geniculum numeratur, lib. 2. tit. 14. ] Vide *Genitium*. FR. Item geniculus filium minorem ſignificat, l. ſi quis aurum, de furtis.

Genitei, ſic appellabantur inter Hebreos illi, qui veram originem, & deſcendentiam ex Abrahamo trahere oſtentabant; nam in captivitate Babilonica multi utriuſque ſexus Hebræi cum infidelibus, & alienigenis matrimonio conjuncti fuerant, ſed obſervantiores nonniſi cum fœminis Iſraeliticis paſſi ſunt commiſceri. Iſidor. lib. 8. c. 4. Nomen tamen hoc græcum eſt γνῆται, & ejuſdem proſapiæ gentium ſignificat.

Genitius. FR. aliquis ex propria generatione, quem recte *Gentilitium* dicimus, vel agnatum, ſeu cognatum, l. ſtatuimus de ſanctimonialibus.

Genitura, generatio [Quoniam genitura perverſa eſt. Tertull. lib. 4. adverſ. Marc. cap. 31.

Genium, mos, ritus, cæremonia. [ Itaque pallium ad ſacra Miſſarum ſolemnia utendum ex more tranſmiſſimus, cujus vox volumus per omnia genium vindicare. D. Gregor. lib. 7. cap. 126. ] Ubi verba *Genium vindicare* ritum in uſu pallii præſcriptum obſervare ſignificat. FR. ego tamen *Per omnia genium vindicare* intelligerem, per omnia, & in omnibus ad libitum exercere.

Gennades, appellantur fœminæ nobiles, quæ a propria nobilitate degenerantes viris plebeis in matrimonio junguntur, de quibus agitur in l. 1. cod. de dign. l. fœmina, de ſenat. quarum filii conditionem patris ſequuntur, l. cum legitimæ, ff. de ſtatu homin. apud aliquas tamen nationes id non eſt in uſu.

Gentilis. Vide *Ethnicus*. *Fanaticus*. *Foraſticus*. *Paganus*. Gentilis Sacerdos. Vide *Fanaticus*. *Laniſta*.

Gentilitas. Vide *Pagania*.

Genuale. Vide *Cherubim*. *Cingulum*. *Epigonation*. Genuale, ideſt, ſcabellum. Vide *Pectorale*.

Genuculus. FR. genu, l. ſi quis homini libero, de convitiis.

Genuflexio, ex veteri Teſtamento in novum ab Apoſtolis introducta. [ Petrus ponens genua oravit. Act. cap. 9. ] Item Paulus: [ Et cum hæc dixiſſet, poſitis genibus ſuis oravit cum omnibus illis. Actor. c. 20. ] Idem ad Epheſ. cap. 3. [ Flecto genua mea ad Patrem. ] Idem. [ Et poſitis genibus in littore oravimus. Actor. 21. ] ſic de D. Stephano dicitur: [ Poſitis autem genibus, clamavit voce magna, dicens, Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. Ibid. cap. 7. ] Optatus Milevitanus *Genua figere* lib. 1. dixit. Itaque hic actus pœnitentiæ, humilitatiſque in nobis ſignum eſt, quo Protoplaſti lapſus recordamur. Sed [ Die Dominico jejunium nefas dicimus, vel de geniculis adorare, eadem immunitate a die Paſchæ in Pentecoſtes uſque gaudemus. Tertull. de coron. milit. cap. 3. ] Idem Juſtinus Martyr refert, inquiens: [ Quod vero die Dominico genua non flectimus, ſignum eſt, & deſignatio reſurrectionis. ] FR. Idemque ex Concil. Nicæno apud Grat. in can. quoniam, de conſecrat. diſt. 3. ſtatutum habemus ſic: [ Quoniam ſunt in die Dominica quidam ad orationem genua flectentes, & in die-

bus Pentecoſtes; propterea ſtatutum eſt a Sancta Synodo (quoniam conſona, & conveniens per omnes Eccleſias cuſtodienda conſuetudo eſt) ut ſtantes ad orationem vota Domino reddamus.] Quæ conſuetudo ab Apoſtolis laudabiliter introducta demonſtratur in can. ſi quis Presbyter, diſt. 30. Eadem vero genuflectendi immunitas in præfatis privilegiatis dieb. per Alexandrum III. renovata fuit in decretal. lib. 2. tit. 9. cap. 2. de feriis. Ubi ſic habetur: [In diebus autem Dominicis, & aliis præcipuis feſtivitatibus, ſive inter Paſcha, & Pentecoſten, genuum flexio nequaquam debet fieri: niſi aliquis ex devotione id velit facere in ſecreto.] Hodie tamen ſcandalum fratribus præbere videtur, qui in publico etiam in prædictis feſtivitatibus non genuflectatur. Quod autem genuflexionem in ſignum adorandi Altiſſimum ex veteri Teſtamento Apoſtoli in Eccleſiam introduxerunt; de Salomone 3. Reg. cap. 8. habetur: [Surrexit de conſpectu Altaris Domini: utrumque enim genu in terra fixerat, & manus expanderat in Cœlum &c.] & ſic paſſim in Sac. Script. de hac genuflexione in ſignum adorationis Dei :||: Quando in Miſſa dicitur *Flectamus genua*, omnes id facere debent, celebrante excepto, qui, ut ait Amal. lib. 4. cap. 4. Chriſti perſonam gerit: quod in Miſſa cantata intelligendum eſt; nam in privata ſolet etiam Celebrans genuflectere. In Miſſa vero Sabbati Sancti, & Quatuor temporum non dicitur *Flectamus genua* poſt ultimam lectionem, in qua fit mentio trium puerorum, ad denotandam eorum repugnantem conſtantiam in adoratione ſtatuæ; ſic etiam in Feria VI. Paraſceve non dicitur *Flectamus &c.* quando oratur pro perfidis Hebræis, qui in eo die illudentes Jeſum, genuflectebant ante eum, quia, ut idem Amalar. de Divin. off. cap. 13. advertit, inquiens: [Nos ad demonſtrandum, quod fugere debeamus opera, quæ ſimulando fiunt, vitamus genuflexionem in oratione pro Judæis.] Eandem rationem Cencius Camer. in ſuo M. S. Cærem. aſſignat ſub his verbis: [Cum ad orationem Judæorum devenerit, non dicitur, Flectamus genua, quia ipſi hac die Domino genua flectebant: Eccleſia eorum horreſcens facinus, genua pro ipſis non flectit.] Antiquitus non reſpondebat Subdiaconus *Levate*; ſed idem Diaconus poſt aliquod genuflexionis, & orationis ſecretæ ſpatium dicebat *Levate*, ſic enim colligitur ex Rhemenſis codicis verbis: [Et nunciat Diaconus Flectamus genua, & populus ſilet, & dicit Levate.] FR. Ego vero puto, quod verba illa *Populus ſilet* intelligantur, interim non cantat, quia in Gallicana Eccleſia in divinis officiis etiam populus canere ſolet :||: Quando Sacerdos profert confeſſionem, qui ſunt in Choro genuflectere debent, exceptis Prælatis, qui habent uſum rochetti, & Canonicis ſacris veſtibus indutis. Cærem. Epiſcop. lib. 2. cap. 8. Quin & Gavantus Canonicos etiam eximit, qui rochetti uſum habent, licet non ſint parati ſacris veſtibus. Qui in Choro ſunt, etiam genuflectere debent a *Sanctus* uſque ad *Agnus Dei*. Oſculum enim pacis, ut ait Innocentius lib. 6. cap. 4. cum ſit reſurrectionis ſymbolum, ſtando accipitur. In Miſſis Defunctorum, Vigiliarum, quatuor temporum, Feriarum Adventus, & Quadrageſimæ, (exceptis vigiliis Nativitatis Domini, Paſchæ, & Pentecoſtes cum ejus quatuor temporibus) dum celebrans Collectas canit, genuflectendum in Choro eſt; in quo tempore obſervavi in Cappella Pontificia, quod idemmet Papa de throno deſcendit, ut genuflectatur. Celebrans vero, ſi cum Miniſtris ſedet, dum in Choro canitur ſymbolum, ad illa verba *Et incarnatus eſt* non genuflectit; ſed tantum detegit caput, illudque inclinat cum Miniſtris, in die tamen Annuntiationis, & Nativitatis Domini una cum Miniſtris genuflectit, ſicut etiam facit Pontifex deſcendendo de throno, qua actione humiliatio Incarnati Verbi in his diebus denotatur. Si vero occurrerit feſtum Annuntiationis transferri, tunc transfertur etiam genuflexio, quemadmodum in Cappella papali a me obſervatum fuit. In illis verbis, in quibus genuflectere oportet, quando canitur Evangelium; tunc Subdiaconus, qui Evangeliorum ſuſtinet librum, & Accoliti tenentes candelabra a genuflexione abſtineant. Cæremon. Epiſc. lib. 1. cap. 10. Ad illa matutinalia verba *Adoremus, & procidamus &c. Te ergo quæſumus famulis tuis &c.* utrobique genuflectendum eſt. Cærem. Epiſc. lib. 2. cap. 6. ſic ad ſtrophas hymnorum *Ave maris ſtella &c. Veni Creator Spiritus &c. O Crux ave ſpes unica &c.* & quando expoſitum eſt Euchariſtiæ Sacramentum, eadem cæremonia fit ad ſtropham *Tantum ergo Sacramentum &c.* In cæremoniali Minorum part. 1. cap. 12. ordinatur genuflexio in hymno Nativitatis Domini ad ſtropham *Nos quoque qui ſancto tuo redempti ſanguine ſumus*. Genuflectendum etiam eſt in Vigilia ejuſdem Nativitatis, quando in Martyrolog. leguntur verba: *In Bethlehem Juda &c.* ſic enim in ultima ejuſdem Martyrologii recognita impreſſione diſponitur. Dum in Altari expoſitum eſt Sacramentum, utroque genuflectendum eſt, quod etiam Romæ Cardinales ipſi obſervant, atque in plano ſolo hoc faciendum a Celebrante, & non ad gradus, dum accedit ad faciendum Sacrum, vel eo peracto, deſcendit. Fitque inſuper Epiſcopo genuflexio, ſed unico genu, a Clero, in propria Diœceſi, dum in Throno reperitur, quoties occurrerit tranſire ante eum, a quo actu exempti ſunt Canonici Cathedralis. Cæremon. Epiſcop. lib. 1. cap. 11. Eandemque cæremoniam Cardinalibus fieri obſervavi, dum ad thronum eorum tituli ſedent in ſolemnibus officiis, ſic pariter eiſdem in Sede vacante. De aliis genuflexionibus ſatis expreſſe habetur in generalibus Rubricis. Græci (excepto die Pentecoſtes, dum in officio legitur Evangelium) nunquam genua flectunt; ſed tantum profunde inclinantur, idemque inter Carthuſianos obſervatur; raro enim genuflectunt, nec etiam ad Euchariſticum Sacramentum, ſed profunde inclinantur, tam in celebratio-

tione Miſſarum, quam in aliis functionibus. Quando vero debeat in Choro caput inclinari. Vide *Gloria Patri*. Aliæ inclinationes. Vide. *Metanœa*. *Suffragium*.

GEOMANTIA. Vide *Hydromantia*.

GEOMETRIA. Vide *Lineator*.

GEORGIANI. Vide *Tonſura*.

S. GEORGIUS Martyr. Vide *Trophæophorus*.

GEPHYREUS. Vide *Pontifex*.

GERBA, ſpicarum manipulus. [ Compulit Gilbertus ruſticum illum ex grangia bladum ejicere, & per ſingulas gerbas coram ſe numerare. In vita S. Gilberti. ] Ex gallico vocabulo *Gerbe*. Vide *Gelina*. Item ſignificat maris fœcem. Vide. *Nagerba*.

GERBIDA. FR. terra. Bullar. Caſin. tom. 2. conſtit. 73. Vide *Zerbolaris*.

GERGENNA, anulus, ſeu alicujus vaſculi anſula, [ Quod illico valde concurſum eſt, gergennaque operculi per ſua bina foramina retruſa, longius projecta eſt, operculum terra tenus cecidit, lac ex majori menſura in ſolum defuſum eſt. Sanctus Adamannius in vita Sanctæ Columbæ.

S. GERMANI CIVITAS, in radicibus Caſini montis poſita. Vide *Eulogimenopolis*.

GERMANIÆ, *arum*, ſicut Galliæ, *arum*, can. Invenimus, de conſecrat. diſt. 1. Apud Germanos jus hoſpitandi Sanctiſſimum. Vide *Xenoparochus*. Germanus bombardæ inventor. Vide *Zarabotana*.

GERMASCO, pro germinaſco, ſic Petrus Cellenſis, lib. 2. epiſt. 7. ubi conditiones veræ amicitiæ deſcribens, inquit: [ Repentina quoque non omnimodo approbanda eſt amicitia; ſed quæ germinat cognatione, creſcit familiaritate, frondeſcit conſuetudine, germaſcit cordis familiaritate, fructificat perfecta identitate; hæc arbor fici plantanda, & circumfodienda eſt, ut dulcedinis fructum in agro amicorum afferat.

GERONTOCOMIUM, γεροντοκομεῖον, hoſpitale pro decrepitis. [ Quin etiam ſuis Monachis, quorum propter ſenium, & labores longæ exercitationis ſoluta erat vis membrorum, iis cum loco ſeparato aptum extruxiſſet gerontocomium, id eis permiſit ad recreationem diuturnæ afflictionis, tamquam bonis viatoribus longa via, & aſpera defeſſis, accomodatum diverſorium. Metaphraſt. in vita S. Theod. Cœnobiarchæ. Vide *Archigerontes*. *Brephotrophium*.

GEROPREPES. FR. ſenex venerandus, & pulchri aſpectus, ex græcis vocabulis γέρων, ideſt, ſenex, & πρεπὴς, nempe pulcher. [ Retulit ſe vidiſſe quendam geroprepem, vultum angelicum, & fulgidam ſpeciem gerentem. In Vita S. Remachi Epiſc.

SS. GERVASII ET PROTASII Miſſa quare incipiat, *Loquetur Dominus pacem &c.* Vide *Introitus*.

GERULUS. FR. portatilis, levis, a verbo gero. [ Piſciculum Petrus piſcatur cujus in ore invenit ſtaterem gerulum didrachmati auri. Gloſſ. in can. tributum. 23. quæſt. 8. ] Ibi Poſtillator declarat. [ Gerulum dicitur id, quod eſt aptum ad portandum ſine gravitate ponderis.

GESILIS. Vide *Giſilis*.

GESTA. FR. purgatio, & ſignificat purgationem fœcis in ceruſia, qua utuntur poſtea piſtores ad reddendum panem leviorem. In ſale obulum, & in geſta obulum, & in candela quadrantem. Matth. Pariſ. An. 1203.

GEVISTI, Saxones. Baron. An. 635. num. 9.

GHET. FR. repudium, vox hebræa, qua utuntur Judæi ad denotandum repudium in damnatione mulierum, & ſignificat hodie locum ſeparatum ac ſeptum, in quo, ubi rectum Urbium Chriſtianorum regimen viget, a fidelibus ſecluſa & repudiata hebraica natio habitat; Italice *Ghetto* etiam denominatur, quod vocabulum ſecundum Kabalæ regulas numerum duodecim ſignificat, ac quidem recte duodecim eorum tribuum repudium manifeſtat.

GIBELLINUS. Vide *Guelfi*.

GIA. Vide *Boja*. *Taraga*.

GIBEROSUS. Gibber, in civilibus legibus.

GILDA, & *Gildo*. Vide *Geldonia*.

GILLO, guttum, vas aquarium. [ Si quis igitur gillonem fictilem, quem bucalem nuncupant, aut hujuſmodi aliud caſu aliquo fregerit, aut perdiderit aliquid, non aliter negligentiam ſuam, quam publica diluet pœnitentia. Caſſian. lib. 4. cap. 16. ] Reperitur etiam *Gello* in eodem ſignificatu. [ Gello cum aqua, quem ad potum ſibi præparaverat, vertebat ſe. Ruff. lib. 3. n. 14. ] Vide *Baucus*.

GINGINCUS. FR. regium genus a primo Rege Longobardorum Agelmundo. Paul. Diacon. Hiſt. Longobar. lib. 1. cap. 14.

GISILIS, & *Geſilis*. FR. teſtis, l. ſi quis res, de donationibus.

GITH, μελάνθιον, μελάνσπερμα, ſemen vile ſecundum D. Hieronymum, quod a Latinis Nigella dicebatur, & in officinis *Niella* vocatur [ Nonne cum adæquaverit faciem ejus, feret gith, & cyminum ſparget, & ponet triticum per ordinem &c. Non enim in ſerris triturabitur gith, nec rota plauſtri ſuper cyminum circuibit; ſed in virga excutietur gith, & cyminum in baculo. Iſaias cap. 28. ] Vide *Nigella*.

GLADIATORIUS LUDUS. Vide *Ludus*. *Pancarpium*.

GLADIUM MITTERE. FR. ideſt, diſcordiam, & ſeparationem inferre. Gloſſ. poſt can. 5. cauſa 33. quæſt. 2. ſuper illa Matthæi verba: [ Non veni pacem mittere in terram, ſed gladium, cap. 10.

GLADIUS imperialis, a Pontifice benedictus. Vide *Lectio*.

GLAUCOMA, infirmitas, & defectus oculorum, vox quidem græca γλαύκωμα. [ Contuebatur itaque iſtorum glaucomina fugatis tenebris. In translat. S. Sebaſtiani ] FR. eſt cæcitas, quæ ſolet evenire hominibus glaucos oculos habentibus, ad quem defectum ſemper iſti tales ſubjecti ſunt, quos Melitenſes *Hama Eſrach*, ideſt, cæcum cæruleum vocant.

GLAREA. Vide *Cocytus*.

GLEBA, apud Eccleſiaſticos ſcriptores ſignificat compagina-

ginationem reliquiarum alicujus Sancti, ſicut *Terræ gleba*, *Auri gleba*, ideſt, globus, & involucrum. [Quæ latro ſecum omnia aſportans, diripuit, ſolo relicto ſarcophago cum ſacra Virginis gleba. In vita S. Gundulæ.] Sic etiam de corpore S. Martini Gregor. Turonenſis lib. 1. cap. ult. ait: [Igitur ubi Turonici eos conſpiciunt obdormiſſe, apprehenſam ſanctiſſimi corporis glebam, alii per feneſtram ejiciunt, alii a foris ſuſcipiunt.] Ac Flodoard. lib. 8. cap. 8. de translatione S. Helenæ Conſtantini Magni Genetricis loquens, ait: [Denique, ut perlata eſt ad præfatum Monaſterium ſacratiſſima gleba; quibuſdam dubitantibus, an ipſa foret Helena Conſtantini Auguſti Genitrix.] Item hoc vocabulum in Cod. Theodoſiano ſignificat penſionem, & recognitionem Principi a Senatoribus ſolvi ſolitam, & dicebatur *Onus glebale*, fortaſſe quia in aliquo globo, ſeu involucro ei præſtabatur.

Globuli, dicuntur calculi illi, quibus in corona B. Mariæ, ſeu ſimili pie utimur, numerando, ſcilicet, tot Salutationes Angelicas, & tot Dominicales orationes, cujus pius uſus jam pridem in Eccleſia ortum habuit ad imitationem Antiquorum in veteri Teſtamento, qui ſolebant quinquaginta Davidicos pſalmos recitare, ſic Chriſtiani centum, & quinquaginta vicibus orationem Dominicalem conſueverunt perſolvere, quæ recitationis combinatio *Pſalterium Chriſti*, ſicut Alanus Copus in ſua Apologia refert, dicebatur; deinde cœptum fuit totidem Angelicas ſalutationes recitari, quod & *Pſalterium Virginis* vocabatur; hinc ad memoriæ adjumentum pro hoc numero præfixo, utebantur hujuſmodi globulis, qui, ut idem Alanus refert, tempore Venerabilis Bedæ erant in Angliæ Eccleſiis ad publicum uſum appenſi. Palladius, qui floruit de anno 429. in ejus Lauſiaca cap. 23. Paulum Abbatem tercentum ſimiles preces quotidie recitare ſolitum fuiſſe his verbis teſtatur: [Habebat Paulus trecentas preces expreſſas, & præſtitutos totidem habens calculos in ſinu & unaquaque oratione jaciens unum calculum.] Non fuit ergo Petri Eremitæ inventio hæc pro calculandis precibus, ut male ſenſit in ſua ſecunda Centuria de Scriptoribus Anglicis Joannes Balæus hæreticus. Numerus proinde piorum globulorum non eſt ſuperſtitioſus, ſicut recentiores hæretici latrant; ſed quidem ad tot divina myſteria meditanda inſtitutus, & hujuſmodi orandi modus: [Cum ipſa pene Eccleſia pullulavit] inquit Judocus Beyſſelius in ejus libro de Corona.

Glomex, glomus. [Ubi cum duabus vicibus ex glomice, ſive trama, quam manu tenebat, in tela fila transponeret. In Vita Sanctæ Valburgis Virg.

Gloria. Vide *Doxa*.

Gloria In Excelsis Deo &c. Hymnus Angelicus, cujus additiones a S. Hilario Pictavienſi Epiſcopo auctæ fuerunt, a Græcis Patribus *Doxologia*, ideſt, glorificatio, ſeu glorificationis verba, vocatur. Teleſphorus Papa, ut in Miſſa caneretur, ſancivit. FR. apud Baron. An. 154. num. 2. : || : Symmachus vero Pontifex, tantum in Dominicis diebus, & in feſtivitatibus SS. Martyrum, quæ tunc ſolemniores erant, cani ordinaverat. Alcuin. de div. off. cap. de celebrat. Miſſæ. Baron. Ann. 514. n. 12. FR. varios Auctores hujus hymni affert Gavantus in Rubric. Miſſal. par. 1. tit. 8. nu. 3. : ||: Antiquitus ſolus Epiſcopus in Dominicis, & feſtivitatibus prædictis canere poterat hymnum Angelicum; inferiores tamen Sacerdotes in die Paſchæ tantum hanc facultatem habebant; ſic enim ex Gregoriano Sacramentario habetur: [Canitur Gloria in Excelſis Deo, ſi Epiſcopus fuerit, tantummodo die Dominico, ſive diebus feſtis. A presbyteris autem minime dicitur, niſi in ſolo Paſcha.] Ideo Epiſcopis Cardinalibus in Vaticana Eccleſia celebrantibus concedebatur. Vide *Ruga*. FR. Zacharias proinde ex privilegio Caſinenſi Abbati ſub his verbis ſingulariter conceſſit: [Hymnum quoque Angelicum in Dominicis, & feſtivis diebus concedimus in Miſſarum ſolemniis decantandum. Bullar. Caſin. to. 2. conſtit. 7. num. 6.] : || : Item Durandus ait: [Epiſcopus tamen Bethlemitanus ex abuſu omni die, & omni Miſſa etiam pro defunctis Gloria in Excelſis decantat, pro eo quod hymnus ille, Luca teſtante, primo in Bethlemitana regione cantatus eſt, lib. 4. cap. 13.] Bonifacius ordinavit, ut in feria quinta Cœnæ Domini decantaretur ob ſignum lætitiæ in publicorum pœnitentium reconciliatione, quæ in hoc die celebrabatur. Idem Durand. lib. 6. cap. 75. Secundum autem regulam generalis Rubricæ, tunc in Miſſa dicendum eſt *Gloria in Excelſis*, quando in officio recitatur *Te Deum*; ſed licet hoc in feria quinta Cœnæ Domini & Sabbato Sancto non dicatur; tamen in Miſſa ambarum ſolemnitatum *Gloria* dicitur, 3. decretal. tit. 41. cap. 2. Ac licet in Miſſis votivis B. M.V. (exceptis ſabbatis) non dicatur; in ſacra tamen Lauretana Domo, in quacunque votiva de B. M. ex privilegio ſpeciali nunquam omittitur, ut ex ſynodo ab Em. Card. Roma ibidem celebrata tit. 11. num. 4. liquet. Item in ſignum mœſtitiæ in Dominicis Adventus, Septuageſimæ uſque ad Paſcha, & in feſto SS. Innocentium relinquitur; ſic etiam ceſſant decantari *Alleluja*, & *Te Deum*. Micrologus, & Alcuinus putant, quod ideo in feſtivitate Innocentinm mœſtitiæ ſignis utatur Eccleſia, quia ad Limbum poſt eorum necem deſtinati illi fuerant; ſed hæc ratio minime adæquat; D. enim Jo: Baptiſta etiam poſt decollationem ibidem fuerat deſtinatus, & tamen in ejus decollationis feſto dicitur *Gloria*. Melius ergo Burcardi ſatisfacit reſponſio, ajentis, Eccleſiam Rachelis ploratus, & ululatus figuram gerentem, talem proinde mœſtitiam propter Innocentium trucidationem demonſtrare, quæ opinio ab Amalario lib. 1. de Ecc. off. cap. 41. approbatur, qui etiam addit propter genetricum dolentium commiſerationem, Eccleſiam in hac die ceſſare ab hujuſmodi lætitiæ ſignis. Imo in Cæremoniali M. S. Benedicti, qui de anno 1140. fuerat Baſilicæ Vaticanæ Canonicus, legitur propter doloris ſignum, quod [In iſto

, iſto die Romani non comedunt carnem, niſi venerit in Dominica, ] in quo die reaſſumuntur lætitiæ verba, ut in Miſſalis Rubrica. Quando in Miſſis votivis dicatur Gloria. Vide *Miſſa votiva*.

GLORIA, LAUS, ET HONOR &c. quod canitur ad proceſſionem in Dominica Palmarum, a quo compoſitum. Vide *Palmarum feſtum*.

GLORIA PATRI &c. Hunc laudis hymnum ex traditione Apoſtolica inſtitutum fuiſſe docet D. Baſilius apud Baron. An. 325. nu. 173. & 174. Ac ibidem oſtendit Concilium Nicænum addidiſſe illa verba, *Sicut erat in principio &c.* ad confutandum Arianorũ errorem, aſſerentium Filium Dei non fuiſſe ab æterno; nam hi hæretici, ſicut formam baptiſmi depravarunt, ſic etiam adulterarunt hujuſmodi hymnum, blaſphemantes hoc pacto: [ Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto. D. Baſilius ibidem. ] Non tamen verum eſt præfatum Concilium hunc hymnum decantari ſtatuiſſe in fine cujuslibet pſalmi, quod clare ibidem demonſtrat Baronius. Sed quantæ virtutis ſit hic ſacer hymnus, ſufficeret referre id, quod de quodam ſimoniaco Epiſcopo narrat Baronius An. 1055. nu. 15. & ſeqq. nam cum in Lugdunenſe Synodo ab Hildebrando ( qui poſtea fuit Papa Greg. VII. ) Apoſtolicæ Sedis Legato ſimoniacus ille examinaretur, & nullus teſtis contra illum inventus eſſet; corruperat enim reus omnes ejus accuſatores pecunia; tandem Legatus illi juſſit, ut prædictum hymnum pronuntiaret, qui nunquam potuit *Spiritui Sancto*, quem offenderat, proferre. FR. Fuit & Leontius genere Phryx in Epiſcopatu Antiocheno Stephani ſucceſſor, & Arianus, quem Theodoretus, lib. 2. eccl. hiſtor. cap. 10. animo verſutum, & ſaxis in undis maris latentibus ſimilem appellat; qui ut ejus perfidiam ſimularet, in pſalmodia præfatam SS. Trinitatis glorificationem ſubmiſſe cantabat, ut refert idem Auctor. loc. cit. cap. 24. ſic inquiens: [Primum, tametſi ſordibus erat arianæ blaſphemiæ inquinatus; tamen eas callide admodum occultare ſtuduit. Etenim cum Clerum, & laicam etiam multitudinem in duas partes diviſam cerneret & alteram, quo laudes Filii magis celebrarent, hanc conjunctionem (ET) adhibere; alteram autem, hanc propoſitionem (PER) in eodem ponere, & cum ad Spiritum Sanctum ventum eſſet, præpoſitionem (IN) adjicere; ipſe totam glorificationem tacitus ſecum recitaret, adeo ut qui prope eum erant, ſolum hanc particulam IN SÆCULA SÆCULORUM audirent. ] De quo etiam Nicephorus lib. 9. cap. 23. 14. & 29. Erat etiam laudabilis Sanctorum Patrum ſtylus conciones terminandi glorificando trinas Dei Perſonas, & ob diverſum declinandi Divinarum Perſonarum modum, ortæ ſunt ex ſcrupulo variæ quæſtiones, & apologiæ a laudato Baronio An. 371. nu. 71. & ſeqq. relatæ, Et quomodo varie proferebatur in Occidentali Eccleſia, & in Orientali. Vide eundem Cardinalem An. 382. n. 20. Itaque Damaſus Papa hunc hymnum in fine pſalmorum decantari ſtatuit. Baron. ibidem: ||: Fictitia tamen eſt ſub nomine Hieronymi ad Damaſum epiſtola, in qua Pontificem exhortatur, ut ad exemplum Orientalium in Eccleſia Romana hymnum Gloria Patri introduceret. Vide Baronium loco proxime citato. Concilium Toletanum IV. cap. 12. ſtatuit ſub pœna excom. ut in Eccleſ. Hiſpaniæ in fine pſalmorum pronunciarentur verba Apocalypſis: [ Gloria, & honor Patri, & Filio, & Spiritui Sancto in ſæcula ſeculorum. Amẽ. ] In prolatione Gloria Patri detegere caput, illudque inclinare, qui in Choro ſunt: non vero ſe erigere debent, ex præſcriptione Epiſcopalis Cæremonialis lib. 2. cap. 1. Eadem cæremonia adhibenda eſt ex laudabili conſuetudine ad verba inter pſallendum occurrentia, nempe, [ Sit nomen Domini benedictum &c. Sanctũ, & terribile &c. Benedictum nomen Majeſtatis &c. Benedictus Dominus quotidie &c. Benedicamus Patrem, & Filium, cum Sancto Spiritu. Gavant. ſect. 16. cap. 2. n. 9. ] Omittitur Gloria Patri ex decreto præfati IV. Concilii Toletani in ſignum mœroris ad reſponſoria hebdomadæ Paſſionis, ſic etiam in introitu Miſſę ejuſdem temporis, & ad Pſalmum *Lavabo*, ſicut & in Miſſis defunctorum; ſed in aliis pſalmis hujuſmodi finalis non relinquitur, niſi in triduo majoris hebdomadæ; Pſalmi enim operationes ſignificant; ideo Eccleſia non incipit deſiſtere, niſi in dicto triduo, quia Judæi in hebdomada Paſſionis, verbis, conſiliiſque in Chriſtum machinabantur, ſed in triduo majoris hebdomadæ ejus divinam perſonam conculcantes, operibus malignati ſunt. Durand. lib. 6. cap. 6.

GLORIA TIBI DOMINE, quare non non dicitur in Evangelio Paſſionis. Vide *Paſſio*.

GLOSSA, γλῶσα, linguam ſignificat, ſic appellatur textus interpretatio; nam ſicut illa explicat ſenſum mentis, ſic gloſſa mentem textus declarat. *Gloſſa ordinaria* utriuſque Teſtamenti a Strabone Fuldenſi Monacho Rabani diſcipulo ann. 840. compoſita fuit. quæ poſtea aucta, & ornata eſt a poſterioribus. Bellar. de Script. Eccleſ. Anſelmus vero Laudenſis Scholaſticus interlinearem gloſſam compoſuit. Idem Bellar. FR. Vel dici poteſt etiam a verbo latino *Glos*, quod ſororem ſignificat, l. 4. §. gradus. ff. de gradibus, & affin. quaſi ſit ſoror textus.

GLOSSEMATARIUS, Gloſſator.

GLUMULUM, idem ac gluma, grani, nempe, frumenti folliculus. [Licet quidam certiſſimi fructus manipulos Evangelicis novalibus ubertim pullulantes, granigera ſpicarum glumula germinantes, Aldhelm. lib. 3. de Virg. cap. 9.

GLUTO. Guloſus, [ Ipſe hoſpes nudus, &, a glutonibus exinanitus, in Reg. Magiſt. §. 2. ] FR. licet mẽdoſe in originali habeatur *Gluttonibus*; ſed unico, T, ſcribendum docet Ambroſius, inquiens: [ Sic amat diabolus filios ſuos, ut perdat, ſicut amat gluto porcellam, ut comedat. ] Nomen enim a verbo *Glutio*, cujus compoſitum *Deglutio* proveniens eſt.

GNATHO, gena, maxilla, aut bucca, a vocabulo græco γνάθος idem ſignificante; hinc apud Terentium *Gna-*

*Gnatho* paraſitus introducitur, ſed proprie Alopum ſignificat, qui ad populi oblectamentum propter mercedem genas inflat, alapaſque patitur. [ Qui his præſunt muſicos, muſcas, ſaltatriculas, tibicines, ridiculos gnathones, paraſitos, turbam vanitatis comitem, atque pediſſequam. Aſterius Epiſc. homil. de Divite, & Lazaro. ] Unde *Ganaſſa* ( idest, maxilla) Itali dicunt.

Gnidium Vinum. Vide *Colatum*.

Gnoitæ hæretici. Vide *Agnoetæ*.

Gnosimachi, hæretici, & græco vocabulo Γνωσιμάχοι, ideſt, ſapientiæ inimici; renuebant enim hi Sacræ Scripturæ peritiam, illam meram curioſitatem appellantes, ac ſolum opera bona ad ſalvationem neceſſaria eſſe aſſerebant. FR. Utrum iidem fuerint, ac *Gnoſtici* & *Gnoitæ*. Vide Baronium An.68. n.12. An.120. n. 21. 25. 26. 37. & 38. An. 145. n. 7. Et Latini Latinii epiſt. tom. 1. par. 2. pag. 344. & 345.

Gnostici, hæretici propter excellentiam ſcientiæ ſe ita appellare voluerunt. Animam, naturam Dei eſſe dicunt; bonum, & malum Deum ſui dogmatibus fingunt: quos proprie Menandri ſequaces fuiſſe, S. Irenæus lib. 3. cap. 4. docet. Vide *Menandriani*. Nihilominus multæ aliæ ſectæ hunc ſpecioſum titulum uſurpatæ ſunt, qua de re inter ſacros Scriptores orta eſt deinde opinionum diverſitas circa Gnoſticorum hæreſiarcham, cum multæ hæreticorum ſectæ gloriatæ ſint hoc nomine; imo nonnulli Catholici ab hæreſis macula immunes, ex ſuperbia, & ambitione nomen hoc affectabant, ita Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædag. cap. 6. teſtatur. Vide Latinium loc. cit. & hic *Scorpiacum*.

Gog. Vid *Mogog*:

Golgotha, vox hebraica, quæ cranium ſignificat. Vide *Cranium*. Mons eſt, in quo Chriſtus crucifixus, fuerat, quod hebraice proprie dicitur *Golgoleth*, ut Origenes Auctor eſt tract. 35. in Matth. quem ſecuti ſunt Tertullianus lib. 2. contra Marcion. cap. 4. Baſilius in Lev. cap. 5. Athanaſius Serm. de Paſſione, & Cruce domini, Cyprian. Serm. de Reſurrect. Dom. Epiphanius hæreſ. 46. Chryſoſt. in Joan. hom. 84. Ambroſ. epiſt. 5. lib. 9. Atque ingegnioſe quidem D. Auguſt. rationem affert, quare Chriſtus in Calvariæ loco crucifigi voluit, ubi Adam ſepultum fuiſſe traditur, ſic inquiens: [ Et dignum erat fratres, ut ſanguis ille pretioſus etiam corporaliter pulverem antiqui peccatoris, dum dignatur ſtillando contingere, redemiſſe videatur. Serm.71. de tempore. ] Contrariæ tamen opinionis fuit D. Hieronymus, quia Adam in Hebron ſepultus eſt,ex Joſue c. 14. ubi ſic habetur: [ Nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe: Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt. ] Ideo exiſtimat Hieronymus *Calvarium* ita vocari,ex eo quia ibi reorum capita detruncabantur, ibique humi eorum crania diſperſa reperiebātur:ſed ultra quam quod hoc nomen *Adam* hebraice hominem ſignificat; propterea verba Joſue. [ Adam maximus inter Enacim ] intelligi poſſet, Homo maximus inter Gygantes: *Enacim* enim hebraice Gygantes ſignificat, quorum oſſa in Hebron Joſeph Hebræus uſque ad ſui ætatem oſtenſa fuiſſe l. 5. Antiq. cap. 2. teſtatur. Baronius autem An. 34. n. 115. Sanctos Patres pro affirmativa ſententia cōtra Hieronymum defendit. Inſuper Villalpandus in Apparatu Urbis Hieruſ. lib. 1. cap. 9. & Martinus del Rio in panegyrico 7. de Beata Virgine ex opinione Honorii Auguſtodunenſis, Noemum, ajunt in Arcam corpus Adami convexiſſe, & poſt cataclyſmum illius oſſa ad inſtar pretioſiſſimi theſauri pro diviſo ejus filiis conſignaſſe, unde Semo Noemi primogenito cum craniū habere contigiſſet,in præfato monte illud condiderat. Hac fortaſſe de cauſa uſus pingendi obtinuit, ut ad Crucifixi Redemptoris imaginis pedes cranium primi mortalis effigiari ſoleat; nam æque a mortis Triumphatore illius cranium calcari debuiſſet, per quem mors introducta fuerat; deque eo concinit Eccleſia: [ Qui mortem noſtram moriendo deſtruxit. ] Fuiſſe etiam traditionem, in hoc monte Abrahamum ſuum unigenitum pro divina obedientia ſacrificio deſtinaſſe, SS. Patres apud Baron. loc. cit. affirmant, & uſque ad præſens ex relatione peregrinorum locus ad illud ſacrificium deſtinatus oſtenditur. S. Baſilius Seleuciæ Epiſc. orat. 38. contra Judæos inquit, quod ante Chriſti crucifixionem, quædam mulier in hoc monte infantem cum cornibus in capite peperiſſet, per quod omen,multi tunc prædixerant locum illum pro aliquo reali ædificio deſtinatum fore, ac Chriſti cœleſtis Regis crucifixione poſtea verificatum fuit, cui glorioſæ ædes ſacratæ ſunt. FR. Adrianus aute Imp. idolo Veneris hunc montem profanaverat, indeque *Venerarium* montem appellatum fuiſſe Baron. An. 137. n. 6. & 7. refert.

Golia, de familia Goliæ qui dicuntur. Vide *Goliardus*.

Goliardus, Joculator, ſcurra. [ Statuimus, quod Clerici ribaldi, maxime qui goliardi vulgo dicuntur, & nuncupantur, per Epiſcopos, & alios Eccleſiæ Prælatos præcipiantur tondi, vel etiam radi; ita, quod non remaneat in eis clericatus tonſura. In quodam Concil. a Bochelio in decret. lib. 8. tit. 70. c. 6. allato.] In quadam Synodo Pariſienſe hujuſmodi Clerici appellantur *De familia Goliæ*. FR. [ Clerici qui &c. ſe joculatores, ſeu goliardos faciunt, aut buſones; ſi per annum artem illam ignominioſam exercuerint, ipſo jure ſint infames, de vita, & honeſt. Cleric. in ſexto cap. 1. ] Gloſſa tamen in additione ibi ait eſſe gallicum verbum; ſed Jo: Andreas ibidem habet Gloſſam pro ſuſpecta.

Goliardensis, idem ac *Goliardus* ſupra. [ Recedentium autem quidam famuli, vel mancipia, vel illi, quos ſolemus goliardenſes appellare. Matth. Pariſ. an. 1229.

Gomor. Menſuræ ſpecies in Sac. Scriptura, quæ duodecim ſextarios continet; licet ſecundum communiorem opiniomem quinque tantum ſextarios continebat. *Gomor* namque erat decima *Ephæ* pars: ſextarium con-

continebat mediam *Cotylan.* In Ezechiele autem c.45. eadem eſt menſura *Bati*, & *Epha*; ergo menſura *Gomor* erat decima pars *Bati*, centum & viginti libras continentis. FR. Vide Latinium in ejus Biblioth. Sac. in Epiphanium, tit. de menſuris, & ponder.

Gomorra. FR. Galatia regio. [ Qui nunc a Græcis Galatæ nuncupantur, olim dicti ſunt Gomorritæ, quos Gomor inſtituit. Joſeph Hebr. lib. 1. Antiq. cap. 11. [ De Gomorra, & Gomorritis ſæpe in Sac. Script.

Gomphus, clavus. [ Cervices ponimus ante plumbum, & glutinum, & gomphos; ſine capite ſunt dii veſtri. Tertull. adverſ. Gentes. ] Vox græca γόμφος, quæ non ſolum clavum ferreum, ſed etiam aſſulam ſignificat.

Gosacchi, populi. Vide *Gaſachio*,

Gospel, Evangelium ex antiquis Saxonis dictionibus *God Spol*, ideſt, Dei expoſitio, ſive hiſtoria.

Gothia. Vide *Septimania*. Gothicus ritus. Vide *Mozarabicus*. Gothi. Vide *Alani*. *Mogog*.

Grabatarii, dicebantur illi, qui expectabant ſuſcipere Sacramentum Baptiſmi, quando infirmi jam deſperabant ſalutem in lecto jacentes, qui *Clinici*, & *Lecticarii* etiam dicebantur.

Grabatus, vox græca κράββατος, lectus humilis. [Tolle grabatum tuum, & ambula. Jo: cap. 5.

Gradilis Panis. FR. de quo ſæpe in Theodoſiano Codice, dicebatur panis, qui pauperibus in quodam eminenti loco Civitatis Conſtantinopolitanæ diſtribuebatur; & Metaphraſtes ait, quod pro tali quotidiana diſtributione numerus octuaginta millia panum requirebatur.

Gradingus. FR. perſona in gradu dignitatis conſtituta, ſic in vita S. Fructuoſi Bracarenſis Epiſcopi, in qua, ut oſtendatur Benedictæ nobilitas, dicitur: [ Benedicta clara genere, atque gradinga, Regis ſponſa.

Graduale. Antiphona, quæ poſt Epiſtolam notatur. Vide *Cantatorium*. Dicitur etiam *Membrana*. Vide Conc. Laodic. hic in dict. *Cantus.* In ritu Ambroſiano *Pſalmellus* vocantur, quia penes Ambroſianos quoddam reſponſorium ſignificat, quod in Matutino feriali Quadrageſimæ recitatur. Dicitur *Graduale*, non quia in gradibus Altaris canebatur, ut quidam male autumant; ſed ex eo, quia dum Diaconus ad petendam benedictionem Celebrantis, & dum aſcendebat gradus ambonis ad canendum Evangelium, ne in ſilentio vacet totum illud tempus ſine cantu, tunc in Choro canitur graduale, ita Bellarm. lib. 1. c. 16. de Miſſa. FR. Imo ſolet Romæ a Cantoribus Graduale celerius, ſeu tardius canendo reſpective ad functiones Diaconi commenſurari :||: Non deſunt tamen pro opinione priori inſigniti Auctores, qui in verbis Ord. Romani innitantur, ubi ſic habetur, [ Cantor cum cantatorio aſcendit, & dicit reſponſorium Graduale.] FR. ſed verbum *Aſcendit* non intelligitur tantum de gradibus Altaris, verum etiam de gradibus ambonis :||: Gradualia autem a DD. Gregorio, & Ambroſio, nec non a Gelaſio compoſita fuere, quæ Cæleſtinus I. in Miſſa cani juſſit, Sigibertus ann. 426. & Rupert. lib. 2. de divin. off. c. 11. quæ ordinatio in ſui initio apud Hiſpanos non modicam difficultatem paſſa eſt, eo quia Conc. Toletanum IV. inter epiſtolæ, & Evangelii ſpatium pro eo interim aliquid cani prohibuerat. Symbolum laboris, ac pœnitentiæ eſſe graduale docet Rupertus, ſic inquiens: [ Graduale ad pœnitentiæ reſpicit lamentum, cantus aſper, & gravis, adeo ut illud excellentibus efferre vocibus, nec uſus, nec decus ſit; ſignificat enim non requiem remuneratorum, ſed laborem operantium. De divin. offic. lib. 1. c 34. ] Quare tempore paſchali, quod eſt ſymbolum beatitudinis, & requiei æternæ, non dicitur graduale; excepta tamen hebdomada prima tantum propter Neophytos, ut ex graduali intelligant, ac diſcant, quod in vocatione, qua vocati ſunt, laborare, & continuo ſe exercere debeant, ut Rupertus inſinuat, inquiens: [ Graduale, quod eſt cantus laborantium in hac peregrinatione, jam dictum eſt, ad hos dies Reſurrectionis uſque ad Pentecoſten non pertinere; ſed propter baptizatos per hanc hebdomadam in officiis additum eſſe; ita tamen, ut ſicut his, propter quos additum eſt, militiæ laborem, quem arripuerunt, præſens ſublevet gaudium de recenti remiſſione peccatorum, de divin. off. lib. 8. c. 1. ] In Octava tamen Pentecoſtes, licet Neophyti præſentes fuiſſent, nihilominus Graduale non canebatur, cum gloriæ ea hebdomada ſit ſymbolum: [ Propter quod diebus poſt Pentecoſten de officio tollitur, quia, videlicet, dies illi futurum in regno Dei felicem ſanctæ Eccleſiæ ſtatum ſignificant. Idem Ruper. lib. 1. de divin. off. cap. 34. ] Item graduale dicitur etiam liber, in quo gradualia continentur, ſicut *Cantatorium* quoque dicebatur; a Joanne tamen Beleth c.59. de divin. offic. *Graduarius* vocatur.

Graduales Psalmi. Vide *Pſalmus*.

Græcatim, & *Græcatus*, græco more ſignificat. Vide *Depallo*.

Græcitas. FR. græca facundia, l. unica, Cod. de ſtat. lib. Urb. Rom. ubi aliqua exemplaria *Gravitas* mendoſe habent.

Græcolonus, qui Græcam linguam callet: [ Græcolonum meum, ideſt, græcæ linguæ gnarum, qui non ſignorum ſignis, ſed digitorum, ſeu capitis nutibus cum venditore emptor loquebatur: tantique nummis emebat quatuor, quanti græcolonus obſonium uno. Luitprand. in legat. ] Sed dubito, an inſcitia Librariorum ſcribendum ſit potius *Græcoſonus*, ſeu melius *Græcologus*.

Græcorum Ritus, & alia. Vide *Acolutus*. *Aqua benedicta*, *Aquæmanile*, *Archidiaconus*, *Archiepiſcopus*, *Aſteriſcus*, *Baptiſmus*, *Brachialia*, *Breviarium*, *Calix*, *Camelaucium*, *Camilabo*, *Camiſatus*, *Campana*, *Caſula*, *Candela*. Pſaltes in dict. *Cantor*, *Canon*, *Cantus*, *Cartophylax*, *Cherubim*, *Chaſma*, *Cingulum*, *Cinerum dies*, *Communio*, *Comple-*

*torium*, *Conceptio B. M. V.* *Concha*, *Concionator*, *Corporale*, *Crucigerus*, *Dalmatica*, *Deo gratias*, *Diacaniſimus*, *Diaconicum*, *Diaconiſſa*, *Dominica*, *Dominica nova*, *Dominica orthodoxia*, *Domnus*, *Epigonation*, *Epimanicion*, *Epiphania*, *Epiſcopus*, *Epiſtola*, *Epitrachelion*, *Evangeliſmus*, *Evangelium*, *Euchologium*, *Exocatacœli*, *Facio*, *Feſtus*, *Flabellum*, *Forceps*, *Galilæa*, *Gammadia*, *Genuflexio*, *Hoſtia*, *Hymnus*, *Jejunium*, *Immerſor*, *Lectio*, *Legatus a latere*, *Linoſtima*, *Mandyas*, *Manipulus*, *Margarita*, *Melchita*, *Menæum*, *Menologium*, *Metanæa*, *Miſſa*, *Miſſa ſicca*, *Mitra*, *Monobambylum*, *Myrophori*, *Myrum*, *Myſtagogia*, *Myſtagogus*, *Myſtes*, *Myſtarchus*. *Necorus*, *Neophylax*, *Nimbus*, *Nobiliſſimus*, *Nomen*, *Monicus*, *Octava*, *Offertorium* in ſignificatione tobaliæ. *Officium B. M. V.* *Officium Defunctorum*, *Oleum Sanctum*, *Orarium*, *Ordo*, *Oſius*, *Pallium*, *Panhyperſebaſtus*, *Papa*, *Papalethra*, *Pappias*, *Paraſceves*, *Paſcha*, *Patena*, *Patriarcha*, *Pax*. *Pentecoſtarium*, *Pentecoſtes*, *Periodeutis*, *Perizoma*, *Piſcina*, *Præſentatio B. M. V.* *Proceſſio*, *Procerus*, *Protecdicus*, *Protheſis*, *Protonotarius*, *Protopapas*, *Protoplaſtus*, *Protopoſtulator*, *Protopſaltes*, *Protoſebaſtes*, *Protoſecretarius*, *Protoſtator*, *Protoveſtiarius*, *Pſachnion*, *Pſalmiſta*, *Pyxis*, *Referendarius*, *Sabbatum*, *Saccus*, *Saccellarius*, *Saccularius*, *Sacrarium*, *Sanctificatus*, *Scevophylax*, *Scola Græcorum*, *Scriniarus*, *Sebaſtocrator*, *Secretarium*, *Semanterium*, *Septimum*, *Sequeſter*, *Stauracinus*, *Stauropegium*, *Staurophylax*, *Sticarium*, *Subdiaconus*, *Suppedanea*. *Symandrum*, *Synapta*, *Syncellus*, *Tonſura*, *Transfiguratio*, *Triedium*, Troparium in dict. *Tropus*, *Tuſa*, *Viaticum*, *Viſitatio B. M. V.*

Gramalla, veſtis longa, & lugubris. Errat tamen Jo. Garzias in Annotationib. Concil. Bracar. can. 1. exiſtimans hanc veſtem appellatam etiam fuiſſe *Granum*, quia, ut ſuo loco dicetur *Granus* potius comam ſignificat. FR. Ego tamen puto eſſe eandem gramallam, ac *Amphimallam*; nam particula græca ἀμφὶ nonnunquam latitudinem, & magnitudinem ſignificat, ut ἀμφιβρότης, ideſt, latus clipeus, qui totum corpus tegit, quo antiquorum mos erat uti, quorum unum in Armaria, quam vulgo vocant Equitum Melitenſium vidi adhuc aſſervatam: ſic ἀμφιλαφὴς, nempe, abundans, magnus, copioſus, ingens, & ſimilia græca vocabula: hinc Amphimalla dictio eſt compoſita ex *Amphi*, ſcilicet, ampla, longa, grandis, & *Malla*, hoc eſt, villoſa: eodem modo *Gramalla* ſignificat *Grandis malla*; nam ſolet fieri lata, & longa ex laneo & lugubri panno villoſo, italice *Bajetta* ſive *Saja a riverſo* appellata, & adhuc in Sicilia, ac Melita ſimilis lugubris veſtis *Gramaglia* dicitur. Vide *Amphimalla*, *Granus*.

Grammatica. FR. pro fabula. Gloſſa in can. cum multa, diſt. 86. Hic obiter notandum, quod ad Honorii III. uſque tempora nulla alia Grammatica extabat niſi Donati, argum. ex cap. 15. de ætat. & qualit. ord. Itaque antiquitus Poetarum interpretes (teſte Suetonio de Illuſtribus Grammaticis) Grammatici dicebantur; imo idem Sveton. in præfat. ejuſdem opuſculi inquit, quod tales Grammatici Poetæ, & Oratores ſemigræci erant. In præallegato canone Grammaticam, ideſt, poeticam fabulæ expoſitionem denotat.

Grammatophorus; γραμματοφόρος, litteras ferens, tabellarius. D. Baſilius, epiſt. 1.

Granarium. FR. horreum. In extrav. Jo. XXII. de verborum ſignif. Vide *Granicum*.

Granatarius. FR. qui cuſtodiam granarii habet. In Conſtitut. Cluniacen. can. 64.

Granaticum, penſio, ſeu canon, qui in frumento ſolvebatur. [ Abjectis ſiliquis, oneribus, vel granaticis. S. Gregor. in Regiſt. lib. 1. c. 42.

Granditer, ingenter, magnopere. [ Quamquam mirandum granditer non ſit. Sidon. lib. 3. cap. 3.

Grangia, territorium ad Monaſterium ſpectans. [ Ibique Abbas grangiam inſtruxit, & ædificavit, in vita S. Rogerii.

Grangiarius. FR. Monachus exactor proventuum ex grangiis. [ In Cellerarios, & Magiſtrum Novitiorum, Sacriſtanos, & Grangiarium, & omnes alios Officiales nominatim ordinavimus, ut decet. Bullar. Caſinen. tom. 3. Conſtit. 371.

Granicum, horreum.

Granus, hæc vox reperitur in decreto Concil. primi Bracar. can. 29. ubi ſic habetur: [ Item placuit, ut lectores in Eccleſia habitu ſæculari ornati non pſallant, neque granos gentili ritu dimittant. ] Sic etiam ubi nos in vulgata Sacræ Scripturæ lectione legimus: [ Diſcriminavit crimen capitis ſui, Judith. cap. 10. ] quidam antiquus interpres ſic legit, *Granos fecit &c.* Itaque errat Jo. Garzias, qui putavit hoc nomen apud Iſidorum veſtem laicalem Clericis vetitam ſignificare, ut in dict. *Gramalla* aſſertum fuit. FR. Sed in correctis Codicibus præfati Concilii *Gradus*, & non *Granos* legitur; ſic habetur in tomo Conciliorum Coloniæ Agrippinæ per Jo. Quentel. 1551. edito. Item in editione Veneta ſub auſpiciis Sixti V. per Dominicum Nicolinum 1585. & in aliis ſubſequentibus impreſſionibus ſemper legitur *Gradus*. Dictus igitur canon de indumento in Choro, ac de modo pſallendi agit, ſicut & ſequens can. 30. ubi inquit, [ Placuit, ut veteris teſtamenti nil poetice compoſitum in Eccleſia pſallatur; ſicut & Sancti præcipiunt canones. ] Seu ſi de veſtium ornamentis ſermo eſt, fortaſſe *Granus* idem ac *Guarnachium* erit. Vide ſuo loco. Seu potius ubi antiquus ille, ac innominatus Auctor de Judith dixerat, quod granos fecerat, intelligendum eſt illam capillos ſuos cincinnatos, ac criſpos diſcriminaſſe, & quodammodo criſpoſam villoſitatem in panno laneo reſultantem (Italice *Bajetta*, ut in dict. *Gramalla* dictum eſt) imitaſſe.

Graphia, græca dictio, ideſt, ſcriptura, a verbo græco

co γράφω. [ De graphia pro latore, ut eam affirmet. In capit. Ludov. Imp. Addit. 3. c. 73.

Graphio, ſcriba, notarius; apud Anaſt. Biblioth. in Hadriano *Graphones*, & *Graphiones* legitur. Apud Baron. ann. 774.

Gratia, ideſt, colluſio. Vide *Colludium*, *Inſufferibilis*.

Gratianus Decreti collector. Vide *Canon*, *Palea*.

Gravio, Comes, a dictione theutonica *Graf*, inde *Langravius*, ideſt, Provinciæ Comes. Leges Salicæ, & hiſt. Longobard. lib. 5. cap. 36. Vide *Catipanus*.

Gregorius Magnus. Vide *Dialogus*, *Nimbus*, *Schola cantorum*, *Suboculare*.

Gregorius Nazianzenus, dicitur Theologus junior. Vide *Theologus*.

Gregorius Neocæsarienſis. Vide *Thaumaturgus*.

Gremiale, pannus pretioſus, qui ponitur in gremio Epiſcopi, quando in cathedra, ſeu faldiſtorio Pontificaliter celebrando ſedet; ſolet in medio ejus poni Crux.

Gremium. Vide *Cœtus*.

Griseus Monachus, ideſt, Ciſtercienſis, quia in primordio illius inſtituti griſei coloris habebant cucullum, ut Scriptores illius ſæculi referunt. FR. potius laicum, ſeu converſum Ciſtercienſem ſignificat; nam laici iſtius ordinis griſeo colore veſtiuntur. Generaliter autem Ciſtercienſes S. Bernardi tempore *Albi* dicebantur, ut ex ejus, & Petri Cluniacenſis epiſtolis liquet.

Grossa. FR. dicitur portio, ſeu præbenda canonicalis, quatenus a diſtributione ſit diviſa; alias menſa communis dicitur. Quaranta in ſumma Bullar. de reſidentia. Vide *Victuale*.

Grossesco. FR. Craſſeſco, ] Sicque fit, ut quotidie deteriores, fiant, dum in eis culpa groſſeſcit. D. Gregor. in Regiſt. lib. 7. epiſt. 53.

Grumus. Vide *Chomatum*.

Grunna, locus cœnoſus, in quo grunniendo ſues ſe revolvere ſolent. [ In grunna profunda. In vita S. Brigittæ ] ubi perperam *Gronna* Caniſius legit.

Grutaria. [ Qui vendebat grutaria. Palladius in S. Macario ] ubi male ejus Interpres vertit, *Vendebat bellaria*; nam græca dictio, γρυτάρια, rem frivolam, & levis momenti ſignificat.

Grympa, ſic a Catanenſibus prodigioſum D. Agathæ velum appellatur; fortaſſe a verbo græco γρυμπάνω, quod involvere ſignificat; ſolet enim ad haſtam hoc ſacrum velum involutum populo oſtendi, vel quia involutum conſervatur, vel tandem quia ad caput martyris obvolvebatur: eſt quidem ſatis longum, coloriſque caſtanei, & in extremitatibus auro ornatum, quod vidi, & veneratus ſum; alii tamen *Grymphia*, vel *Grypa* ſcribunt.

Guadia. FR. obligatio, vadimonium, vel fidejuſſio ſolvendi, aut aliud faciendi. Gloſſa in l. ſi quis alii guadiam, de debitis, & guadimoniis. Bullar. Caſin. tom. 2. conſtit. 207. n. 2. [ Si non habuerit unde ſummam perſolvat, ſemetipſum per guadiam in ſervitio Principis tradat. In iiſdem legibus lib. 1. tit. 15. Unde verbum *Inguadio* derivatur, ideſt, pignoro, ſeu obligo, l. ſi quis liber homo, de exercitalibus, & in Bullar. Caſinen. paſſim; eodemque ſenſu vulgariter in aliquibus locis *Inguadiare*, ideſt, matrimonium contrahere dicitur ratione mutuæ obligationis. Vide *Guadianus*, *Guadigio*, *Invadio*, *Pignora*, *Plegiaria*, *Replegio*, *Vador*.

Guadianus: FR. fidejuſſor, l. final. ut de debito ſcandalis, & compoſitionibus.

Guadigio. FR. fidejubeo, vadimonium præſto, l. ut omnia, de debitis, & guadimoniis. Ex tali contractu italicum verbum *Guadagnare*, nempe, lucrari derivatum cenſetur.

Gualapur. FR. furtivis, vel alienis veſtibus uti, ſeu alienis veſtibus quis ſe transformari, ne cognoſcatur ob malum finem, ſignificat, l. final. de eo, qui aliis anteſteterit.

Gualdimonia. FR. adunatio, l. de Sacramentis, de aggreſſione in vico, quæ etiam *Gvildonia* dicitur ibidem.

Gualdum, nemus, ex theutonico vocab. *Vvald*. [ Cellam de Gentiana, cum gualdo, terris, & ſylvis. Leo Oſtien. in Chron. Caſin. lib. 1. c. 39. 53. & 55. ] Vide *Vvaldora*.

Guanilo. FR. proditor, inſidiator: ortum habuit hoc vocabulum a quodam *Gvanilo*, ſeu *Vvanilo* nomine, qui communiter Epiſcopus Sennonenſis appellabatur; is enim a devotione Caroli Calvi, in contrariam factionem Ludovici Caroli fratris tranſiverat, hinc rebelles poſtea *Gvanili*, ſeu *Gvanilones* appellati ſunt. Matth. Pariſ. Sic etiam antiquitus violator fidei *Bara* dicebatur, a quodam Barcinonenſi Comite *Bara* nomine, qui a fide Imp. Ludovici Pii diſceſſerat.

Guanto. Vide *Chirotheca*, *Gula*, *Manitia*, *Vvanto*.

Guardianus. FR. in Franciſcanorum regula ſuperior. Extrav. Jo. XXII. de verbor. ſignif. c. 1.

Guarnachium. FR. veſtis ornamentum. Gloſſ. in clement. de ſtatu Monachor. cap. 1. Vide an idem ſic ac *Granus* ſupra.

Guarenum. FR. conſeptum beluarum [ De piſcibus ſtagnorum, vel beluis guarenorum, quos pro uſu, vel eſu ſuo conſumi, vel ſine fraude donari contigerit, decima non ſolvitur. Extrav. comm. de decimis. ] Vide *Garena*.

Guarento. FR. defendo alterius cauſam ex evictionis obligatione. In lege Longobar. Alii tamen *Guarentiſo* legunt.

Guastaldus, idem ac *Gaſtaldus* ſupra.

Guba, ſive *Cuba*. [ In ciſterna veteri, quam gentili ſermone Syri cubam vocant, quinque caricis per ſingulos dies ſuſtentabatur. D. Hieronymus in vita S. Pauli Erem. ] Ex hoc Syriaco vocabulo, quando ibi morabatur equitum Hieroſolymitanorum Religio, originem habuit denominatio *Guva*, quæ eſt penes ipſos carcer profundus, & obſcurus. FR. Hiſpani tamen

men *Algoa* perangustum cubiculum, & Catalauni *Algorfa* cameram superiorem denominant a syriaco, seu potius arabico vocabulo *Gorfa* in eodem significatu, quo etiam Melitenses utuntur. Latini etiam *Cubam* teste Festo lecticam appellabant, unde postea *Cubiculum* dictum est, ubi cubatur.

Guelfi, & *Gibellini*. FR. diuturnæ, & perniciosæ factiones In Italia, & in reliquis deinde Europæ partibus, de quibus inter sæcularis historiæ scriptores agunt Jo. Villanus, Scipio Ammiratus tom. 1. hist. Florent. Flau. Blondus decad. 2. lib. 7. Cherubinus Ghirardaccius in hist. Bonon. par. 1. pag. mihi 146. ac alii. Et inter Ecclesiasticos Scriptores, Odoricus Raynaldus, ann. 1304. Auctor vitæ Gregor. Papæ IX. in calce ejusdem Decretalium. Inter Juristas vero Bald. in l. 1. ad fin. ff. quod cujusque, Marian. consil. 22. colum. 2. lib. 1. post Nellum in tract. ban. in 1. part. 2. temp. q. 16. Bart. in l. si quis a filio §. ult. de legat. 1. Martinus autem Crusius de etymologia horum nominum hæc habet [ Initium Sibelinæ (Vvaibelinæ a patria Conradi Regis) & Vvelficæ concertationis. In Annal. Svevicor. part. 2. lib. 10. c. 3. ] Vide quæ diximus in dict. *Draconarius*.

Guerra, bellum, quod licet barbarum vocabulum sit; usitatissimam tamen penes Juristas, quibus barbarizatio familiaris est, quod & apud Ecclesiasticos Scriptores non raro reperitur, præsertim apud D. Bernardum serm. 3. de Resur. ubi ait: [ Hæc enim adversus Deum inimicitias exercens est, & guerram crudelissimam &c. Volumus igitur vobis significare, quanta mala, & quantæ hominum strages in terra nostra ex guerris quorundam nobiliorum hominum acciderunt. Petr. Cellen. lib. 6. ep. 16. ] FR. [ Quandiu inter nos, & illos guerra duraverit, 5. decret. tit. 6. c. 12. Armis acceptis, seditionem fecit, & guerram. Ibid. tit. 19. cap. 22.

Gueux. Vide *Eranista*.

Guidacium. Vide *Pedagium*.

Guidelbora. FR. res libera, l. si quis Ancillam de sponsalibus, seu libertate donata. Vossius.

Guido. FR. idem ac Dux, a ducendo. Vide *Ducarius*, & *Ducatrix:* Luitprandus in ejus hist. ait, quod idem sit *Guido* ac *Ugo*, seu *Hugo* · similiter *Luido*: unde [ Luidonem, sive ut aliqui habent, Guidonem Spoletanum Ducem. Blondus decad. 2. lib. 2. [ Item, *Guidones* dicebantur Clerici a Carolo Magno Romæ instituti ad ducendos Peregrinos in visitatione sacrorum ejusdem Urbis locorum, eosque mortuos ad sepeliendum obligaverat, quæ Clericorum Congregatio dicebatur *Schola Guidonum*. De qua satis dictum est in dictionibus *Brodinatus*, *Diasostis*, *Francia*, & in dict. *Porticani* dicitur.

Guidonea Porta. FR. erat una ex quinque portis Vaticanæ Basilicæ, ubi nunc est porta sancta. Auctores apud Torrigium de Cryptis Vatican. secundæ editionis, pag. 582. ita appellata, quia ibi *Guidones* (de quibus supra diximus) residebant. Secunda porta dicebatur *Romana*, ex qua cives utriusque sexus ingrediebantur. Tertia, quæ est in medio, vocabatur *Argentea*, quia ab Honorio Papa I. argento contecta fuerat, & a Leone IV. restaurata; tandem ab Eugenio IV. ex ære cooperta eo modo, quo nunc videtur, (additione tamen excepta, quæ a Paulo V. pro conformatione ejusdem portæ amplioris redditæ facta fuerat) Quarta dicebatur *Ravenniana*: nam ad Ravennates, idest, Transtyberinos proximior respiciebat. Quinta vocabatur *Porta Judicii*, quoniam per eam tantum mortui inferebantur. Torrigius ibid. Vide *Porticani*.

Guidrigild. FR. pœna pecuniaria, l. si portunarius 17. de furtis. Vide *Geldus*, *Vvirgildus*.

Guifa. FR. ablatio rei alienæ, l. de decimis. Eod. tit. Vide *Hiufo*.

Guiffare. FR. aliquid alterius sibi appropriare, l. si quis sua, de invasionibus, l. de decimis, tit. de decimis. Vossius tamen signum apponere explicat, quod in diem significatum incidit: nam signum in titulum dominii apponitur in re aliena sibi appropriata. Italice vero *Graffiare* pro usurpare dicitur.

Guildonia. Adunatio. Vide *Gualdimonia*.

Guilisarius. FR. idem ac Belisarius, dux, nempe, ille, cujus fortuna nimis tragica fuerat. Vide *Velum*.

Gula, chirotheca: [ Chirothecas ex pellibus arietum rubricatis, quas gulas vocant. S. Bernard. in epist. ad Henericum Senonen. Archiep.

Gula Augusti. Durandus lib. 7. c. 19. ait, quod ita appellatum fuerat festum S. Petri ad Vincula, quia Tribuni filia sacras illas catenas osculans, a vexatu gulæ liberata fuit, ac ob tale miraculum illud festum institutum est; sed Breviarii Romani lectiones in hoc festo aliter narrant, quibus major est fides præstanda. FR. Mombritius tamen altius originem trahit, ubi de S. Petro in Vincula agit; quod, scilicet, hoc festum ab Octavio Aug. institutum fuisset ob victoriæ consecutionem contra Antonium, quæ festiva memoria usque ad Theodosii Imp. tempora duraverat; sed deinde ob filiæ ejus Valentiniani uxoris salutem applicatione vinculorum S. Petri recuperatam, prohibuit, ne imposterum in memoriam augustalis triumphi amplius hæc dies celebraretur, cujus loco festum S. Petri ad vincula solemnizari jusserat. Hæc, nempe, est una ex tribus causis, propter quas hoc festum S. Petri ad Vincula institutum fuisse refert idem Mombritius in historia hujus solemnitatis. Romæ tamen exorbitantes comessationes ab Augusto Imperatore institutæ adhuc tolerantur, quæ vulgo *Feragosto* dicitur. Vide *Strena*,

Gulielmus Durantes, sive *Durandus*. Vid. *Speculator*.

Gulosus. Vide *Lecator*.

Guna, & *Gunna*, tunica: [ Orarium, & coculam, & gunnam brevem nostro more consutam. S. Bonif. ep. 74.

Gunnatus, qui gunna indutus est. [ Nec ipsa capiet eum, in quo ortus est pauper, & gunnata &c. Luitprand. in legat.

Gurceboldus, textrinum instrumentum, quod ex verbali contextu radium textoris, quo subtegmen stamini in.

inſeritur, ſignificare videtur. Itaque in vita S. Valburgis Virg. ſic habetur: [ Eam forte deſpiciens zetas hyemales, & operoſas ingrediens, gurceboldum, quem prius ad texendum erexerat, flexis digitulis texere cœpit, ubi cum duabus vicibus ex glomice, ſive trama, quam manu tenebat, in tela fila tranſponeret, &c. FR. de quo fortaſſe inſtrumento. Virgil. 6. Æneid.

Excuſſi manibus radii, revolutaque penſa.

Gurdonicus. FR. ſtultus, ineptus. [ Audietis me tamen ut gurdonicum hominem. Sulpit. dialogo 1. cap. 20. ] Idem eſt ac *Gurdus*, de quo vocabulo Quintilianus ait: [ Gurdos, quos pro ſtolidis accepit vulgus, ex Hiſpania traxiſſe originem audivi, lib. 7. cap. 9. ] Sed ad Hiſpaniam ex Africa tranſmiſſum fuiſſe hoc vocabulum, ex Liberio teſtatur Gellius lib. 16. c. 7. ſic affirmans: Se gurdum ex Africa venientem accepiſſe. ] Hodie tamen *Hominem gordum*, ideſt, pinguem intelligunt Hiſpani.

Gurdus. Vide *Gurdonicus*.

Gurpio, relinquo, relaxo. [ Galerenus ſæpe mittit ad me licentiam ineundi connubii petens, illam ſe gurpiſſe, ſuamque pecuniam recepiſſe, licet vere proteſtans. Fulbert. Carnoten. epiſt. 51. ] Et clarius ex Ademaro in vita Caroli Magni, ubi ait: [ Ibique multitudo Saxonum baptizata eſt, & ſecundum morem, omnem ingenuitatem illorum, & allodem gurpierunt. ] Alii tamen Scriptores *Vverpio* in eodem ſignificatu ſcribunt. [ Nobis voluntario ordine viſus eſt læſo vverpiſſe, vel condonaſſe. Marculfi formular. lib. 1. c. 13. ] Et in Chron. S. Benigni, ubi de Ruperto Viccecomite agitur, ſic habetur: [ In ipſo placito in præſentia Principum eoſdem ſervos vverpivit, & Sancto Benigno reddidit. ] Verbum hoc a vocabulo germanico *Vverpen*, quod ſignificat ejicere, derivatur. Vide *Fiſtucus nodatus*.

* Gustate et Videte. Cum his verbis invitatio ad Sacram Cœnam fiebat. Hoc autem non corporeo palato ut iſtud dijudicent eis præcipi dicit, ſed potius fide certa, & omnis dubitationis experte. Cyrill. Cathec. Myſtag. 5. §. 17.

Gustrum, vaſis genus [ Guſtrum perniciter adfore prȩcipit. in actis SS. Tyrſii, & Soc.] FR. Gutturnium vocat Feſtus.

Gutteria, dolor arteticus, ſeu articularis morbus: Nulla enim hujus generationis perſona extitit, quin clauda, vel aliqua pedum debilitate detenta, vel etiã dira affecta gurteria præteritum luat facinus. In vita S. Gundulæ. ] FR. Hæc autem expoſitio eſt ex opinione Jo. Lodovici de la Cerda, qui tamen fallitur; *Gutteria* enim eſt in jugulis tumor ex humore pituitoſo, frigido, nempe, & humido, in fœminis præcipue exuberante: hinc *Gutteria* non a vocabulo Italico *Gotta*; ſed a *Gutture* denominata eſt; de qua ſic Vitruv. l. 8. c. 3. [ Equicolis autem in Italia, & in Alpibus, natione Medullorum eſt genus aquæ, quam qui bibunt, efficiuntur turgidis gutturibus. ] De Alpinis incolis audivi, quod ii turpem, & deformem utriuſque ſexus perſonam hac gutteria carentem exiſtimant; imo quando alienigenæ hinc tranſeunt, non habentes jugulum ſine hoc ampullaceo tumore, illuduntur a pueris illius regionis, & tunc eorum genitrices filios redarguunt, ne illos irrideant, ajentes, quod ſicut eos illuſos Deus cum tali defectu creaverat, ſic etiam illudentes potuerat efficere. Itaque *Gutteria* nedum ex ſupradictis tumorem jugularem denotare manifeſtatur; ſed & ex Actis S. Urſmari apud Surium 19. Aprilis clare probatur: ibi enim ſic habetur, [ Orta eſt quædam in ejus collo ſæva nimis infirmitas, quæ gutteria dicitur ſermone gallico. ] Atque Hubertus in vita S. Gundulæ cap. 6. §. 23. inquit, [ Fœmineum genus gutteria obſcœnat. ] Vide infra *Gutturnoſus*, quare gutteria in fœminis ex Hevæ peccato perveniſſe Hincmarus credidit.

Gutterosus. Vide *Gutturnoſus*.

Gutturnosus, qui jugulari tumore aggravatur. Quare Hincmarus in S. Remigio refert omnes illos, qui collectas ſegetes S. Remigii combuſſerant, tum eos, cumque deſcendentes eorum utriuſque ſexus a Deo mulctatos eſſe hac, nempe, pœna; ut viri ponderoſitate, hoc eſt, calculis laborarent, & fœminæ gutturali tumore, ſic ſcribens: [ Verumtamen omnes, qui hoc egerunt, & qui de eorum germine nati fuerint, viri ponderoſi fiant, & fœminæ gutturnoſæ ſint ] Fortaſſe melius *Gutteroſus* dicendum eſſet. FR. Gutteroſum appellat hunc tumore gutturali laborantem Ulpianus, inquiens: [ Si quis natura gutteroſus ſit, aut oculos eminentes habeat, de ædil. edict. ] Dictio vero *Ponderoſus* non calculi morbum, ſed herniæ potius denotat, quod D. Gregorius prima parte Curæ paſtoralis cap. 6. & ult. ſatis declarat, inquiens: [ Vitium, quippe, eſt ponderis, cum humor viſcerum ad virilia labitur, quȩ profecto cum moleſtia dedecoris intumeſcũt.] Præfatus Hincmarus ibidem moraliter docet ambos hos tumores ex primorum parentum peccato nobis provenire, nempe, hernia, ſeu ponderoſitas in viris ex Adamo, qui nos cum originali peccato generavit, & in fœminis gutteria ab Heva, quæ pomum vetitum prȩguſtaverat. Synonimum. Vide *Ramex*.

Gynæcona, γυναικῶν, locus pro mulieribus in Eccleſia deſtinatus, de quo alibi ſatis diximus. Refert Joſeph Hebræus lib. 6. de bello Jud. cap. 6. quod in Jeroſolymitano Templo murus diviſorius inter mares, & fœminas extabat. Dicitur etiam Gynæceum, γυναικεῖον. Item ſignificat locum, ubi fœminæ Conſtantinopoli pro Imperatore veſtes texebant. Vide *Tranſenna*.

Gynæciarius; qui Gynæceo incumbebat, vel præſidebat.

Gypsa, vocabulum penitus ignotum, apud Aldhelmum.

O ſuperi talem terris avertite gypſam.

Aliquid ærumnoſum profecto ſignificare videtur, fortaſſe a dictione græca γύψ, quæ vulturem ſignificat, & allegorice rem peſtiferam Aldhelmus intellexerat; nam hoc volatile campos cadaveribus plenos frequentare

tare ſolet. FR. ſeu potius idem malum augurium a mortalibus avertere ſuperos rogavit hic Auctor, ad Antiquorum ſententias alludens, qui vulturis apparitionem infelix pæſtilentiæ nuncium reputabant: quandoquidem Plinius lib. 10. cap. 6. ſic ſcripſerat: [ Umbricius aruſpicum noſtro ævo peritiſſimus tradit vultures triduo ante, aut biduo volare ubi cadavera futura ſunt.] Ac Plautus in Truc. clarius expreſſit, cum de quibuſdam divinatoribus lepide dixerat: [ Jam quaſi vulturii triduo prius prædivinabant.] Quod tamen poſſet naturaliter ſuccedere, cum ex aeris infectione vultures aſſueſacti animalium mortacinia frequentare, eis funerum fercula abundare prævideant: ſicut & halcedines aves in rigido hyemis tempore prænoſcunt halcyoniadum quindecim ſerenitatis dies, in quibus ad littora earum ova pariant, foveant, ac pullos illico educant: ſic etiam cæteræ marinæ volucres ante tempeſtatem, ejus adventum naturaliter prænoſcunt.

Gyrovagus, erraticus, apud Patres uſitatiſſimum. [Quartum genus eſt Monachorum, quod nominatur gyrovagum, qui tota vita ſua per diverſas provincias ternis diebus per diverſorum cellas hoſpitantur, ſemper vagi, & nunquam ſtabiles, & propriis voluptatibus, & gulæ illecebris ſervientes, in Regula S. Benedicti reg. 1. Venerunt ad nos duo Sacerdotes gyrovagi, ingreſſum petentes; de quorum perſeverantia cum pene nulla eſſet nobis ſpes, negatum eſt eis, quod poſtulabant, Cæſar. lib. 1. cap. 10.

Gyrum. FR. circuitus, & translative capitis vertiginem ſignificat. [ Et ſicut, qui corporaliter ſaltat; volubilitate membrorum ſe exercens, gyrum ſibi ſalutationis acquirit. D. Ambroſ. Serm. 80.] quem locum perperam Antonius Dadinus *Syrum* legit.

# H

Habacuch Propheta. Vide *Diſcophorus*.

Habeo, pro debeo: [Subrogato in loco meo Epiſcopo, quod nondum factum eſt, & ſpero, quod nec aliquando fieri habet. Anaſt. in Exil. S. Martini Papæ. Habebat induere hominẽ. Victorinus lib. 1. adverſus Arium.] Phraſis quidem Græcorum, qui verbum ἔχω, pro habeo, & debeo promiſcue uſurpant, hinc Nazianzenus inquit: [Habeo brevius loqui. Orat. 20.] ubi *Habeo* ſtat loco debeo. FR. verbum *Habeo* ſub prædicta ſignificatione paſſim in Sacra Scriptura reperitur, ut: [ Quid ergo habeo juſtæ querelæ, aut quid poſſum &c. 2. Reg. c. 19.] idem, quid debeo, aut quid poſſum. [ Simon habeo aliquid tibi dicere. Lucæ c. 7.] nempe, debeo tibi aliquid dicere [ Quotidie morior per veſtram gloriam fratres, quam habeo in Chriſto Domino noſtro, 1. Corinth. c. 15.] hoc eſt, quam debeo in Chriſto &c. [ Nihil habens dicere de vobis, ad Titum c. 2. Dabo autem operam, & frequenter habere vos poſt obitum meum, ut horum memoriam faciatis, 2. Petri c. 1. Plura habens vobis ſcribere, epiſt. 2. D. Jo. Multa habui tibi ſcribere, ejuſdem Jo. epiſt. 3.] Sed re vera in hujuſmodi phraſibus intelligenda eſt dictio *Neceſſe*, ut in epiſt. Judæ ponitur explicite, hoc pacto: [ Neceſſe habui ſcribere vobis.] De qua expreſſione ſæpe in novo teſtamento. [ Jeſus autem dixit eis, non habent neceſſe ire, Matth. c. 14. Primus dixit, villam emi, & neceſſe habeo exire, Luc. c. 14. Neceſſe autem habebat dimittere eis per diem feſtum unum, ibid. c. 23. de charitate autem fraternitatis non neceſſe habemus ſcribere vobis, 1. Theſſal. cap. 4. Et non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos, epiſt. prima Jo. c. 2.] licet e converſo, ut dixi in dict. *Debitum*, quod aliquando dicitur, non ſolum reſpectu illius, qui habet ſolvere; ſed etiam intelligitur reſpectu illius, qui jus habet exigendi; unde *Habeo*, & *Debeo* promiſcue, ſed inuſitate unum pro alio uſurpatur.

Habiaticus. Vide *Abiaticus*.

Habitus Prælatitius. Vide *Veſtes prælatitiæ*, *Religioſus*.

Haceldama, vox Chaldæa *Kakeldam*, ideſt, ager ſanguinis, Matth. 27. Acta Apoſt. 1. FR. Andricomius in deſcriptione Hieroſolymitanæ Urbis n. 216. *Haceldama* ait eſſe ad latum Auſtralem Montis Sion, cujus longitudo eſt ſeptuaginta duorum pedum, & latitudo quinquaginta, a Sancta Helena muro circumdatum, arcuatumque cum ſeptem ſpiraculis, per quæ ſepeliuntur defunctorum Chriſtianorum cadavera.

Hæc Dies, Quam Fecit Dominus &c. verſus, qui recitatur in officio Paſchali. Vide *Verſus*.

Hæmorrhoides. Vide *Ezoche*, *Rhagas*, *Viſcus*.

Hæmmorrhoiſſa. Mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur, & a Chriſto Domino ſanata eſt, de qua Matth. c. 9. & Luc. c. 8. & de eadem Euſebius lib. 7. hiſt. c. 14. refert, quod cum eſſet ditiſſima, & nobiliſſima fœmina, ex Cæſarea Philippi oriunda; duas ſtatuas æreas ejus ſumptibus ob memoriam accepti beneficii erexerat, unam ſcilicet, quæ ſuam effigiem genuflexam, manibuſque extenſis in actu implorandi repræſentabat, & alteram Jeſu Chriſti ſtantis, talari veſte induti, atque ejus dexteram ad eandem fœminam porrigentis; ad baſem autem Chriſti ſtatuæ herba quædam naſcebatur, quæ ad fimbriam veſtimenti ſuccreſcens, ac pertingens, virtutem acquirebat prædictum morbum ſanandi; hanc narrationem idem Auctor ut oculatus teſtis refert apud Baronium an. 31. n. 75. Qua ſtatua a Juliano Apoſtata demolita, in ejus loco ſuam poſuit. Baron. an. 362. n. 158. Attamen in quadam M.S. græca hiſtoria in Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi aſſervata, & a Franciſco Combeſis latinitate donata, ac Pariſiis ann. 1664. impreſſa habetur, quod Julianus non ſuam effigiem, ſed duas ſtatuas, Jovis, ſcilicet, & Veneris erexerat, cum inſcriptione: [ Jovi omnium inſpectori. Julianus &c.] Narratur inſuper ibidem, quod Hæmorrhoiſſa illa a Chriſto ſanata

*Berenices* vocabatur. FR. *Berenices* eadem eſt, ac Veronica, Baron. an. 34. n. 138. An autem Berenices nomen ex Civitate, quæ multæ ſic appellatæ ſunt, vel nomen proprium erat, ambigitur; hoc tamen verum eſt, quod Berenices ſive civile, ſive proprium idem eſt, ac *Beronica*; quare Joſephus Hebræus lib. 8. Antiq. Jud. c. 8. inquit: [ Beronica Civitas, quæ in ſinu ægyptiaco a Salomone ædificata ob commoditatem fabricæ navium Aſiongabar appellata fuit, non procul a Civitate Hellena. ] Unde ſatis conſtat *Veronicam*, *Beronicam*, & *Berenicem* eſſe idem nomen, & conſequenter dubitari licet, an Hæmorrhoiſſa a Redemptore liberata ipſamet fuerit, quæ eidem crucem bajulanti ſudorem, ut fertur, abſterſerat.

Hæredipeta, adiens hæreditatem, ſicut Romipeta adiens Romam. D. Hieron. de evit. ſuſpect. contub. Vide *Cretio*.

Hæreditas. Vide *Diatheca*.

Hæresis, error cum pertinacia, aliquando tamen uſurpatur in bonum ſenſum, ſic Syneſius per *Hæreſim* Philoſophiam intellexerat, & Conſtantinus Imper. ut Euſeb. lib. 5. hiſt. refert, hoc vocabulo Chriſtianam religionem appellavit, quam etiam *Divinam ſectam* Tertull. de pallio cap. ult. vocavit; ſed communiter in malam partem accipi ſolet. Vide *Cacodoxia* in dict. *Orthodoxia*. FR. quid ſit Hæreſis. Vid. can. inter hæreſim, & can, Hæreticus, 24. q. 3.

Hæreticus. FR. quem D. Auguſt. lib. 2. contra Creſconium c. 3. & ſeqq. ſic definit: [ Hæræticus eſt, qui non ſequitur Catholicam unitatem, Schiſmaticus eſt, qui non amplectitur Catholicam pacem. ] Hæreticus dicitur *Titubans*. Gloſſ. in can. aperte, §. titubabat, 24. qu. 1. & cap. in noſtra, de procuratoribus. Item appellatur *Alienigena*. Vide ſuo loco. Vide *Conſcontinus*. Item dicitur *Heterodoxus*. Vide *Orthodoxus*, Qui in Spiritum Sanctum hæreticalia aſſerit, *Pneumatomachus* dicitur. Vide ſuo loco.

Hæsitantes, hæretici. Vide *Acephalus*.

Haga, locus conſeptus, ex germanico vocab. *Kag.* de quo Ekardus in vita S. Galli. Itaque æquivocantur, qui originem hujus dictionis a græca, ἅγια, ideſt, Sancta, trahunt, FR. Ego tamen aliter ſenſi in ea Apologia, quam in Hieronymum Bruſonem Italico idiomate ſcripſi, cujus titulus eſt: [ Il valor Malteſe difeſo da Carlo Magri contro le calunnie di Girolamo Bruſoni, Romæ edita MDCLXVIII. ] Ubi ad propoſitionem IV. §. I. Turchi, dixeram, quod Turcæ Scythiæ populi antea *Agathyrſi* vocabantur, & quod hinc *Aga* penes ipſos adhuc manet, titulus, nempe, præfecti in conſepto fœminarum libidini Turcarum Tyranni inſervientium; indeque *Thyrſi* mutata, Y, in, V, lene *Turſi*, & corrupte poſtea Turcæ dicti ſint. Vide Nicephor. hiſt. lib. 2. cap. de Scythis. Poteſt tamen eſſe, quod tam conſeptum, quam ejus cuſtos idem nomen habeat, ſicut in dictione *Bidellus* dixi tam atrium, quam ejus cuſtodem Bidellum appellari; ſicut etiam in dict. *Boja* ſupra vidimus, inſtrumentum eſſe ad collum reorum poſitum; hinc tortorem, ſeu lictorem Italice *Bojam* etiam appellari.

Hagiographus, ἁγιογράφος, (cujus antitheſis eſt *Apocryphus*) ſignificat rectum, ſanctumque Scripturæ textum.

Hagiomachus. Vide *Iconomachus*.

Halabarches, ſeu *Alabarches*. ἀλαβάρχης, apud Ruffinum, quam dictionem Euſebius Principem ſalis interpretatur; ſed ſi hoc eſſet, ἁλιάρχης, deberet ſcribi. Alii tamen *Harabarches* legunt, ideſt, Arabum Princeps. Cujacius vero lib. 1. obſer. c. 37. putat eſſe datii præpoſitum, etymologiam a dictione ἄλαβα trahens, ſcripturam ſignificante, in qua rationes notabantur; hanc tamen opinionem rejicit Fullerius lib. 1. miſcel. Theolog. cap. 16. Nam dictio hæc atramenti Principem denotat; imo nullibi legitur, Hebræos cum Ægyptiis habuiſſe commercium pecudum, ut Cujacius aſſerit, & continuæ Nili inundationes talem commercium impediebant. FR. Differt *Halabarches* ab *Arabarche*. Halabarches enim Alexandriæ magiſtratus erat, ſi Joſepho Judæo lib. 20. Antiquit. c. 3. credendum eſt: ubi ſic ait: [ Fado autem ſucceſſit Tiberius Alexander, ejus Alexandri filius, qui Alabarchiæ magiſtratum geſſit, ] quem Tacitus lib. 15. & 17. Equitem Romanum, ſed natione Ægyptium appellat. Item idem Joſephus eod. lib. c. 5. inquit: [ Eodemque tempore etiam Marianna dedignata Archelaum, migravit in thalamum Demetrii primi inter Alexandrinos Judæos, tam opibus, quam genere, & tum Alabarchiæ Magiſtratum gerentis, ex quo filium Agrippinum genuit. ] Ex quo liquet, magnum, & æſtimabile fuiſſe hoc officium. Arabarchen, ſeu, ut alii legunt *Anabarches*, Summus Sacerdos Templi dicebatur, ut idem Joſephus teſtatur, inquiens: [ Nunc reſtat dicendum de veſtitu tam reliquorum Sacerdotum, quos illi Chaneas vocant, quam Pontificis, quem Arabarchem nominant, ſic ſummum Sacerdotem ſignificantes, & primum de vulgo Sacerdotem &c. lib. 3. Antiq. c. 8. ] Item *Arabaneth* apud Hebræos antiquos tunicam Sacerdotalem denotabat: [ Arabaneth appellavit Moyſes, nos autem a Babyloniis diſcentes, Hemſaneum vocamus; ſic enim hæc apud eos tunica nuncupatur. Ibidem.

Haliæetus, ἁλιαίετος, aquila marina, vel volatile ex ſpecie accipitrum. [ Hæc ſunt, quæ de avibus comedere non debetis, & vitanda ſunt vobis: aquilam, & gryphem, & haliæetum, & milvum, ac vulturem juxta genus ſuum &c. Levit. cap. 11. ] FR. Idem habetur in Deuter. nempe: [ Omnes aves mundas comedite; immundas ne comedatis: aquilam, ſcilicet, & gryphem, & haliæetum, ixion, & vulturem, ac milvum juxta genus ſuum, cap. 14. ] & eſt idem volucris, ac *Niſus*, de quo Virg. 1. Georg.

Apparet liquido ſublimis in aere Niſus.

Hinc ſolet aliquando proponi hoc ænigma: [ Regulares Tereſiani non comedunt carnem niſi die veneris. ] Ubi apparenter ſenſus eſſet, quod hi Religioſi nu-

nunquam comedunt carnem, die veneris excepta; ſed revera ſenſus eſt, quod non comedant carnem Niſi avis in die veneris. Nomen igitur hujus Niſi a Niſo Megarenſium Rege in hoc volatile fabuloſe mutato inditum fuiſſe Ovid. lib. 8. Metamorph. ait:

Et modo factus avis, fulvis haliæetus alis

Et Thuanus in haliæeti deſcriptione lib. 1. de re accipitraria inquit:

Forma eadem huic, lanioque eadem eſt, atque inter utrumque.
Obſcurum diſcrimen habet, quo quiſque marinus,
Vel lanius dici poſſit. Quin ſæpe periti
Ambiguo peccant decepti lumina vultu;
Et niſi diverſo paſtu gauderet uterque,
Sæpe repertores artis turpiſſimus error
Argueret

Sed Thuanus fruſtra in dubium revocat hujus volucris qualitatem, & nomen dum Ovidius ſupra adductus ait fuiſſe niſum, ſicut idem Niſo lib. 13. Metamor. ait Diomedem Ætoliæ Regem, & ejus ſocios in *Diomedeas* aves, quas alio nomine herodias vocant, mutatos fuiſſe; ſic a Niſo Rege Niſum accipitrem dixit, quem etiam *Haliæetum* vocavit.

Halsberga, thorax, lorica, ex Saxonica dictione *Hals*, ideſt, collum & *Bergen*, nempe, corpus, quia a collo uſque ad præcipuam corporis partem deſcendit, invenitur hoc vocab. in Caroli Magni conſtitutionibus. Itali *Usbergo* appellant. Vide *Clibanum*.

Hama. Vide *Ama*.

Hamartigenia; ſic appellavit ejus Apologiam in Marcionem Prudentius: vocabulum quidem græcum eſt ἁμαρτιγένεια, ideſt, peccatorum origo; nam Marcionitæ duos Deos, bonum, ſcilicet, unum, & malum alterum, actiones rectas illum, & hunc malas cauſantem aſſerebant; ideo Prudentius hunc falſum malorum Deum inveniri negans, ejus proinde impugnationem *Hamartigeniam* intitulavit.

Hamula. Vide *Ama*.

Hanc Igitur Oblationem &c. Vide *Canon Miſſæ*.

Hannapus, incenſi navicula. [ Incenſaria argentea auro parata quatuor, hannapi argentei ſuperaurati tredecim. In vita S. Gilberti Abb. 18. Feb. ] Ejus Synonyma. Vide in dict. *Navicula*.

Hannipa, vas. [ Vas, quod hannipa nominatur. In vita S. Valburgis Virg. 25. Febr.

Haracium, grex, ſeu ſtabulum equorum ſobolis cauſa detentorum, ex gallico vocabulo *Haras*, quod Itali *Razza* appellant. [ Sciatis me regia largitione conceſſiſſe Poncio Abbati Cluniacenſi, ejuſdemque ſucceſſoribus Abbatibus, & Monachis Cluniacenſibus totam decimam haracii. Privileg. Henrici I. in Biblioth. Cluniacen.

Harmiscara, in legibus Longobardorum obſcurum vocabulum; denotat tamen coercitionem, qua reus infamis habebatur: fortaſſe ex theutonico vocabulo *Har*, ideſt, honor, & *Schade*, nempe, damnum, vel ærumna. FR. Melitenſes *Har* vocant dedecus; forſan ex Arabico vocabulo ad Italos translato *Mashhara*, quo illi ſcurram, & hi ludibrium bacchanale intelligunt :||: Alii tamen *Harniſcaram* legunt.

Harmonia. Vide *Tonus*.

Harnasca, armatura, germanicum *Harnaſch*. In Diplomatibus Caroli Magni.

Haruspex. Vide *Hydromantia*.

Hasta. Vide *Siromaſtes*.

Hastarium, locus, ubi bona ſubhaſtabantur. Hinc de Idolis, quæ ſub haſta vendebantur Paganis, Tertullianus ſcribit: [ Quos in haſtario vectigales habetis. Apolog. cap. 13.

Hastilla, haſtula, diminutivum ab haſta: [ Quando enim venit ad eam Elias, illa colligebat haſtillas. Chryſoſt. hom. 40. in cap. 23. Matth. ] ramunculos, aſſulas, ſtirpes, & frutices intelligit.

Hastiludium. Vide *Torneamentum*.

Hastula, extenſorum menſura. [ Haſtulas vinearum numero quatuor. D. Gregor. in Regiſt. lib. 8. ep. 63. ] In aliquibus tamen ejus Codicibus *Jaſtulas* legitur.

Haubercicum, feudi genus, quod vaſſallis concedebatur cum obligatione militandi loricate, quæ lorica a Gallis *Haubert* dicitur.

Haveri. FR. poſſeſſiones. Item officiales in Civitate Bononienſi. Bullar. Caſin. t. 2. conſt. 320. & 330.

Hebdomas, & *Heddomadas*. Græce ἑβδομάς. FR. per hanc tamen dictionem nedum ſpatium ſeptem dierum; ſed ſeptem annorum in Sacra Scriptura, & in jure canonico intelligitur; ita in Geneſ. c. 29. poſtquam Jacob pro Rachelis deſiderio Labano ejus patri ſeptem annis ex pacto inſervierat, quibus tranſactis inſtante Jacob, ut Laban conventionis pactum adimpleret; ait Laban: [ Imple hebdomadam dierum hujus copulæ, & hanc quoque dabo tibi pro opere, quo ſerviturus es mihi ſeptem annis aliis. Acquievit placito, & hebdomada tranſacta, Rachel duxit uxorem, ] & Levit. c. 25. [ Numerabis quoque tibi ſeptem hebdomadas annorum, ideſt, ſepties ſeptem, quæ ſimul faciunt annos quadraginta novem &c. ] Sic etiam evangelicus Propheta Daniel tempus veri Meſſiæ commonſtravit, dicens: [ Scito ergo, & animadverte; ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem uſque ad Chriſtum Ducem hebdomadas ſeptem, & hebdomadæ ſexaginta duæ erunt &c. ] Canones quoque pro hebdomada aliquando ſeptem annos intelligunt: [ Ad imitationem namque illius Dominicæ ſententiæ David de adulterio, & homicidio reprehenſus, unius hebdomadæ jejunium in ſatisfactionem admiſſi ſceleris Deo legitur obtuliſſe. Hinc etiam eccleſiaſtica conſuetudine eſt uſurpatum, ut majorum criminum pœnitentia ſeptem annorum ſpatio concludatur. Gratian. poſt can. Hoc ipſum 33. qu. 2. ] ſeptem hebdomadæ plenæ ſpatium eſt a ſeptuageſima uſque ad Paſcha, can. ſtatuimus, diſt. 4. :||: Aliquando hæc dictio *Hebdomada* Dominicam ſignificat, ut in Kalendario M.S. apud S. Genovefæ Pariſienſe Monaſterium ſervato habetur.

HEBDOMADA CRUCIS. Vide *Crucis hebdomada*.

HEBDOMADA DE EXCEPTO. FR. ſic in ritu Ambroſiano appellatur ultima hebdomada Adventus, quia in ea excluditur omne aliud officium.

HEBDOMADA MAJOR, ideſt, ultima quadrageſimæ. Conſtit. Apoſtol. lib. 8. conſtit. 39. Chryſoſt. homil. 30. in c. 10. Geneſ. Major dicitur ex pluribus cauſis; in ea enim magis ſpecialiter Paſſio Domini noſtri memoratur: majus, ſeu longius officium in hac hebdomada celebrabatur, & arctius jejunabatur. [ Per ſex dies ipſius Paſchatis omnes populi in ſiccorum eſu perſeverant, pane, inquam, & aqua, & ſale tunc utentes ad veſperas. Epiphan. lib. 1. contra Hæreſes.] Ideo *Hebdomadam ſanctam*, & *pœnoſam* appellat Durandus, lib. 6. cap. 67. quæ maxime colitur ab Orientalibus Chriſtianis; imo Æthiopes, & præcipue nobiles per totam hanc hebdomadam lugubres veſtes deferre, parum loqui, ac raro e domo exire ſolent. Godign. lib. 1. c. 19. Dicitur eaiam *Hebdomada indulgentiæ*. Gemin. lib. 3. c. 71. quia in ea reconciliabantur publici pœnitentes. Item *Hebdomadam ultimam* eam appellavit Ambroſius epiſt. 33. in cujus ritu dicitur quoque *Authentica*. Vide *Lamentationis dies*. Item in ejus triduo relinquitur capitulum ad horas. Vide *Capitulum*.

HEBDOMADARIUS, dicitur ille, ad quem ſpectat in Choro officium in ea hebdomada ordinare. Antiquitus Cardinales Epiſcopi Hebdomadarii dicebantur. Vide *Cardinalis*.

HEBIONITÆ, ſeu *Ebionitæ*. FR. Hæretici. [ Ebionitæ ab Ebione dicti, ſive a paupertate: Chriſtum enim per provectum ſolum virum juſtum putant effectum. Unde competenter Ebionitæ pro paupertate intelligentiæ appellati ſunt. Hi enim Judæi ſunt, & ita tenent Evangelium, ut legem carnaliter ſervent, adverſus quos Apoſtolus ad Galatas ſcribens invehitur. [ Photiniani a Photino Gallo græciæ Smyrnæ Epiſcopo nuncupati, qui Ebionitarum hæreſim ſuſcitans, aſſeruit Chriſtum ex Maria per Joſeph nuptiali coitu fuiſſe conceptum, 24. quæſt. 3. can. quidam. Ebiones Hæretici dicti pauperes propter paupertatis intelligentiam, putantes Chriſtum ſolum hominem. Otho Epiſcop. Friſing. in Chron. lib. 3. cap. 21. ] Vide *Ebjonæi*.

HEBRÆUS. Vide *Cidaris*, in dict. *Mitra*, *Calicolæ*, *Colentes*, *Dominicida*, *Doſitei*, *Ephemereutæ*, *Ephod*, *Eſſeni*, *Genitei*, *Gheth*, *Hebionitæ*, *Hemerobatiſtæ*, *Herodiani*, *In capillo*, *Lautia*, *Macabæi*, *Manus*, *Metempſychi*. Nathinei, in dict. *Subdiaconus*, *Nazareus*, *Neomenia* *Noheſtan*, *Nudipedalia*, *Palæſtini*, *Phariſæus*, *Philiſtæ*, *Phylacterium*, *Rechabiti*, *Recutiti*, *Sabbatum*, *Sabbatum recutitum*, *Sabbatarii*, *Sabbatum Enoch*, *Sabbati iter*, *Sadducæus*, *Samareus*, *Sanhedrim*, *Scenopegia*, *Scriba*, *Selah*, *Siclus*, *Solemnitas*, *Spathiſter*, *Synedrus*, *Talentum*, *Talmud*, *Targum*. Quare includi jubentur Hebræi in hebdomada majori. Vide *Lamentationis dies*.

HERÆUS SACERDOS. Vide *Laniſtæ*. Hebræorum menſes. Vide *Menſes Hebræorum*.

HECATONTARCUS, ἑκατόνταρχος, centurio, quo vocabulo uſus eſt Balſamon in can. 6. in Trull. ad exprimendos ſenes quoſdam, qui in arte diabolica cæteros inſtruebant, quoſque *Primicerios*, & *Pſeudotheos* appellat, ideſt, Deos mendaces.

HEDERA, planta. Vide *Helix*. Habet virtutem præſervandi a vertiginis capitis morbo. Vide *Helucus*, *Vitem dare*.

HERIGA, ſic fugam Mahometi pſeudoprophetæ appellant ejus ſequaces, quando, ſcilicet, ex Civitate Mecchæ expulſus fuerat, ubi ejus perfidam ſectam cœperat ſeminare, ex qua *Hegira*, ſive fuga Mahometani ſuam Æram numerant, ſicut nos a Nativitate Chriſti calculamus. Fuga autem hæc ſucceſſerat 16. Julii anno noſtræ redemptionis 62. die Veneris, quem ipſi ſolemnizant, ſicut nos Dominicam diem feriamus.

HEGUMEMUS, ἡγούμενος, ideſt conductor; ſed inter eccleſiaſticos Scriptores Abbatem Monaſterii denotat. [ Theodorus Hegumenus Studii. Paul. Diacon. ] ubi dictio *Studii* ſignificat quoddam Monaſterium, ita appellatum, quorum Monachi *Studitæ* dicebantur, ut ſuo loco dicemus. [ Scilicet, Pardum hegumenum Beati Sabæ. Anaſt. Biblioth. in Adriano.

HEGUMENARCHIUM, ἡγουμεναρχεῖον, Abbatia primaria, apud eundem Anaſt. Biblioth.

HELENA MATER CONSTANTINI IMPERATORIS. Vide *Stabularia*. Quomodo invenerit Crucem Domini. Vide *Aqua benedicta*.

HELEPOLIS, bellicum inſtrumentum ad expugnanda inimicorum mœnia: etymon græcum ἑλέπολις, quo vocabulo metaphorice utitur Philo Hebræus in tractatu, cujus titulus eſt; *Quid vir bonus &c.* ad exprimendam eloquentiæ vim animorum debellatricem; ſic inquiens: [ Sunt enim iſta helepoles quædam animorum imbecillium, nec bene recta ratione confirmatorum.

HELIOCAMINUS, vox græco latina, caminus, per quem ſol ingreditur. FR. Plinius epiſt. 17. lib. 2. ad Gallum de ſua Laurentina Villa ſcribens, ait: [ Amores mei revera amores ipſe poſui. In hac helio caminus quidem, alia xyſtum, alia mare, utraque ſolem &c. ] Quo vocabulo uſus eſt Ulpianus in l. ſi arborem, ff. de ſerv. urban. præd. Solaris fornax a Budæo in prioribus annot. in Pandect. interpretatur.

HELIX, pampinum vitis ex græco ἕλιξ. [ Deligans ad vineam pullum ſuum, & ad helicem pullum aſinæ ſuæ. Geneſ. c. 49. ] juxta verſionem græcam, ubi nonnulli hujus linguæ imperiti perperam *Ilicem* verterunt. FR. Plinius tamen lib. 16. c. 34. ait eſſe hederæ genus, ſed ita appellatum ex ſimilitudine pampini vitis; ſic etiam Theophraſtus lib. 1. hiſt. plantarum c. 16. de variis hæderæ ſpeciebus loquens, ait: [ Folia vero pluribus ipſa quoque differentiis inter ſe diſtare videntur: quippe, cum arborum aliis ampla ſint, ut viti, fico, platano &c. [ Ubi manifeſte vide-

detur, quod ſpecies hæc hederæ folia ſimilia pampinis vitis obtineat.

HELUCUS, capitis obtuſio, ſeu vertigo. [ Liberum eundem apud Ægyptios Oſirim, Harpocration induſtria hederatum argumentatur, quod hederæ natura ſit cerebrum ab heluco defenſare. Tertull. de corona milit. c. 7. ] Vide *Scotoma*, *Scotomaticus*.

HELVIDIANI. FR. Hæretici, ab Helvidio hæreſiarcha, qui blaſphemabat alios filios Mariam Virginem ex Joſepho ejus ſponſo ſuſcepiſſe, 24. qu. 3. can. 39. Et D. Hieron. adv. Helvid.

HEMEROBAPTISTÆ, ſecta judaica, ita appellata, quia tales ſequaces quotidie ſe lavabant ad ſanctitatem acquirendam, (qui error penes Mahometanos viget.) Imo hominem vivere non poſſe aſſerebant abſque quotidiano lavacro, ut de eiſdem refert Sanctus Epiphanius; hi namque fuere; qui Chriſti Diſcipulos inlotis manibus panem manducare exprobrabant. Vide Baronium in Appar. n. 14. & ann. 33. n. 14. Nomen vero hoc græcum eſt ἡμεροβαπτιςής, ideſt, qui quotidie lavatur.

HEMEROBIUS. Vide *Imerobius*.

HEMERODROMUS, quotidianus curſor, græcum vocabulum ἡμεροδρόμος. [ Et ad eum quidam mittunt ex iis, qui apud ipſos hemerodromi vocantur. In vita S. Nili Abb.

HEMIARIANI, ἡμιαριάνοι Semiariani, ab ἡμὶ, in compoſitione *ſemi* ſignificat. Ita dicti nonnulli hæretici, eo quod partim Arianis viderentur conſiſtere, & Spiritum ſanctum aſſerebant creaturam. Ideo D. Hieronymus ait: *Credis quod univerſitatis Trinitas ſit creatrix? iſtud Ariani, & Emeriani negant, Spiritum ſanctum non conditorem, ſed conditum blaſphemantes*, ad Param. Epiſt. 61.

HEMICYCLUS, ſemicirculus. Vide *Tribuna*.

HEMSANEUM. Vide *Halabarches*.

HEMIOLIA. FR. exactio ſeſclupa ratione uſuræ, can. quoniam multi, diſt. 47.

HEMITRITÆUS, qui febri tertiana laborat; græca tamen dictio ἡμιτριτής, proprie ſemiternarium ſignificat; nam tertiana in quolibet triduo accedit, ideſt, ex tribus diebus duæ extremæ ſunt liberæ, ſecus vero intermediatrix dies. [ Nemo ſupra unam febrem cupit adhibere pejorem, ne incipiat hemitritæo inſanabili labore. S. Cypr. de Sing. Cler. cap. 6.

HENERGUMENUS. Vide *Energumenus*.

HENERICIANI, & *Henriciani*. FR. Hæretici ſymoniaci Henrici Imp. ſequaces, illius, nempe, qui Sanctum Gregorium Papam VII. perſequutus eſt, & Uvibertum, ſeu Gubertum Antipapam, de quo Baron. an. 1080. num. 21. intrudere in papatum conatus eſt. [ Henricianos vero penitus, penituſque, niſi poſt magnam demum converſionem, & pœnitentiam reprobavit. In vita S. Anſelmi Lucenſis Epiſc. à Luca Uvadingo in lucem edita, & comentariis illuſtrata, §. 38. ] Inter alios Henrici errores, aſſerebat, quod quando dixerat Petro Chriſtus Dominus *Paſce oves meas*; tunc Reges exceperit. Blond. decad. 2. lib. 3.

HEPTALISMUS, ſic legitur apud Petrum Chryſ. in ſerm. 134. de S. Felicitate inquiens: [ Beata, quæ non ſolum pro lege patitur; ſed ipſius legis heptaliſmum meruit Mater Sancta generare: ] ſed *Heptalychnum* legendum ex græco vocabulo ἑπτάλυχνος: ſic enim ſeptem lucernarum candelabrum, de quo Exod. cap. 25. appellavit Nazianzenus, ad quod alludens Chryſologus, ei ſeptem Felicitatis filios comparat. Sanctus vero Irenæus idem antiqui teſtamenti candelabrum ἑπτάμυξον denominavit, ideſt, ſeptem myxis; ſicut enim dicimus *Dimyxos*, *Diomyxos*, *Trimyxos*, *Polymyxos*; ſic etiam Heptamyxos dicendum. [ Ubique enim Eccleſia prædicat veritatem, & hoc eſt heptamyxis lucerna Chriſti bajulans lumen. S. Irenæus lib. 5.

HEPTALYCHNUM, & ) Vide *Heptaliſmus*.
HEPTAMYXIS )

HEPTATEUCHUM. Vide ſequentem dictionem.

HEPTATICUM. [ In ſeptuageſima Paſchæ ponunt heptaticum uſque in quintam decimam diem ante Paſcha. Ord. Rom. Idem vocabulum reperitur in vita S. Gregorii Magni, ideſt, [ Scripſit præterea ſuper Proverbia, ſuper Cantica, de Prophetis, de libris Regum, de Heptatico. ] Sed rectius *Heptateuchum* dicendum eſt ex græco vocab. ἑπτάτευχον, quod ſeptem volumina ſignificat? nam *Pentateuchum* dicuntur quinque Moyſis libri, quibus additis Joſue, & Judicum, tunc, Heptateuchum, ideſt, ſeptem libri appellantur. Quare de eodem ritu, quo Romanus Ordo ſupra, Micrologus agens correctius, ſic inquit: [ In Septuageſima heptateuchum incipiunt. De Eccleſ. Obſerv. c. 47. [ Vide Gloſſam in can. qualiter, 7. qu. 1. §. Heptateuchi. FR. Probatur inſuper, quod textus Joannis Diaconi in vita S. Gregorii fuiſſet a Librariis depravatus; quia non de *Heptatico*, ſed de Heptateucho compoſuerat Gregorius; nam tractatum de ejus ſucceſſore Stephano II. Cantorum Scholæ donatum fuiſſe habetur. [ Reverentiam B. Gregorii prædeceſſoris ſui præ oculis cordis habens, tribuit idem Summus Pontifex in hoſpitali ipſius B. Gregorii in porticu B. Petri Apoſt. ſermonum librum unum, & in ſchola Cantorum, quæ pridem Orphanotrophium vocabatur, Heptateuchum. Gulielm. Biblioth. apud Torrig. de Cryp. Vatican. ſecunda impreſſ. pag. 189.

HERACLITÆ. FR. Hæretici ab Heraclio ſeducti, qui nimis ſuperſtitioſe cœlibatum colebant; nam conjugium eſſe malum aſſerebant; negabant inſuper infantes poſſe cum baptiſmo regnum æternum conſequi, 24. qu. 3. can. 39.

HERA DIANA. Vide *Noctiluca*.

HERBILIA, piſum, legumen. [ Piſum, quod ruſtici Herbiliam vocant, ex adventus ſui tempore per ſingulos annos ſponte naſcitur. In vita S. Columbani Abb.

HERCEA, ſeu *hercia*, famula domeſtica, & Græce, ἑρκεία. Aliqui tamen *Stercejam* legunt. Vide *Stercеja*. Tertullian. adverſus Valentinian. inquit: [ Quare

re

re enim non & quinquaginta, & centum procreantur? Quare non & Herciæ, & Syntrophi nominantur?

Herculis Cognomentum. Vide *Scytaloſagitti pelliger.*

Heremia, eremus, ſolitudo, deſertum, græca vox ἐρημία. [ Laſſati ſumus iniquitatis in via, & perditionis, & ambulavimus heremias difficiles; viam autem Domini ignoravimus. Lucifer Caralitan. lib. 1. ad Conſtant. Imp. ] Verba enim ſunt Sapientiæ c. 5. nempe: [ Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus. ] Vide *Eremus*.

Heribannus, ex theutonicis dictionibus *Here*, nempe, exercitus, & *Bannus*, ideſt, acclamatio, ſæpe de hoc vocabulo in canonibus. [ Ideo non videtur mihi juſtum eſſe, ut heribannum ſolvere debeant, qui non alibi fuerunt, niſi ubi ipſe Imperator præcepit, Einhard. epiſt. 22. ] FR. *Heri-bannus* potius ex *Heri*, ideſt, Domini, & *Bannus*, ſeu *Bandus* ſignum, & vexillum ſignificat; nam *Heribannus* impoſitionem Domini, ſeu Principis quotannis illis a vaſallis ſolvendam denotat, quæ vulgariter *Caput ſolidum* dicitur, l. Heribannus, eod. tit. Sed pro pœna ſumitur in l. Quicumque liber homo, de exercitalibus. Vide *Heribergo*. Galli tamen adhuc ex antiquis Franconibus hoc vocabulum retinent, aliquando variant *Arriereban* pronuntiando, apud quos ſignificat, quod univerſi ad bellum incedere debent.

Heribergium. FR. caſtrenſe tabernaculum, ſeu tentorium; ex theutonicis vocibus *Heir*, quæ aciem, & *Bergen* diverſorium ſignificant. Ubi enim legimus in Cantica c. 1. [ Sicut tabernacula Cedar ] Gulielmus Abbas in ejuſdem Canticæ præfatione, [ Sicut heriberga Cedar ] vertit.

Heribergo. FR. Verbum, hoſpitor, diverſor; [ Nec pro heribergare, nec pro alio banno heribannum Comes exactare præſumat. In capitulis Caroli Magni lib. 3. c. 68.

Herisilitium, genus pœnæ in profugos milites, exercitum relinquentes. Vox quidem germanica *Heriſiliez* armorum depoſitionem ſignificans, de qua fit ſæpe mentio in legibus Longobar.

Heristallus. FR. locus, in quo caſtrametatur exercitus, ex *Heir*, ideſt, exercitus, & *Stal* manſio, germanicæ voces. Hinc Perdebonenſis ille Monachus in Vita Caroli Magni cecinit lib. 1.

Nomen Heriſtalli dederat, cui barbara lingua &c.

Herlininus Milis, hoc vocabulo ex contemptu Aulicos appellavit Petrus Bleſenſis; quia magis cum poculo in manu, quam cum gladio dimicant, ſic inquiens: [ Nunc autem ſunt Martyres ſæculi, mundi profeſſores, diſcipuli curiæ, herlinini milites; per multas ſi quidem tribulationes intrant juſti in regnum cœlorum; hi autem per multas tribulationes promerentur infernum, epiſt. 14. ] ſeu potius ita denominati ad cujuſdam Herlinini nomine Angli ſimilitudinem, qui ævo ejuſdem Bleſenſis extitit, & cum eſſet exercitus in Sarracenos Ductor, ſed parum in arte militari peritus, in ea acie una cum ejus ſequacibus trucidatus ſuccubuit, quod ita incautis Aulicis poſt longos, & laborioſos ſervitutis conflictus evenire inquit Bleſenſis.

Herma, *Herman*, ſeu *Hermes* ἑρμῆς. FR. latine Mars. Eſt inter duos purpura & eruditione Eminentiſſimos ingens quæſtio, Baronium, ſcilicet, & Bellarminum; hic enim de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in primo Chriſtiano ſæculo florentibus, tit. de Auctore libri, qui Paſtori inſcribitur, ait: [ Quis autem iſte Hermam fuerit, non parva quæſtio eſt. ] Atque eundem fuiſſe Baronius ad an. 159. num. 6. quem Paulus in epiſt. ad Romanos ſalutaſſe ex auctoritate Origenis, Euſebii, Hieronymi, & aliorum contendit. Contra vero Bellarminus, cui non videtur fieri poſſe, ut Hermes frater Pii Pontificis ille ſit, quem Apoſtolus ad Rom. ſcribens ſalutari juſſerat; nam inter illam ſalutationem, & Pontificatum Pii intercedunt ad minus anni centum: inſuper quando Hermes ab Apoſtolo ſalutatus fuerat, non erat infans, ſed provectæ ætatis. Ergo diverſus eſt Hermes ab Apoſtolo nominatus, ab Hermete Pii fratre aſſerto libri Paſtoris auctore. Sed reverentia amborum Præſtantiſſimorum contendentium, dicere audeam, quod uterque ſibi contradicat. Baronius enim affirmans eundem eſſe Hermetem, quem ſalutaverat Paulus, eodem loco ex libro geſtorum Pontificum fratrem Pii Papæ fuiſſe aſſerit; hinc manifeſte ex oppoſitione Bellarmini ſupra adducta duos, & non unum Hermetem fuiſſe convincitur. E contra Bellarminus qui auctoritate Damaſi de Geſtis Pontificum utitur ad affirmandum Hermetem juniorem fuiſſe Pii fratrem; in eodem deinde ejus de Scriptoribus Eccleſiaſticis libro ad an. 367. in Damaſo Papa negat illum librum de vitis Pontificum a Damaſo fuiſſe compoſitum, ſic inquiens: [ Tribuitur S. Damaſo liber de vitis Pontificum, qui extat in tomo primo Conciliorum; ſed liber ille eſt Anaſtaſii Bibliothecarii, non Damaſi, ut notum eſt. ] Igitur liber de vitis Pontificum, dum non eſt illius Papæ, non eſſet proinde tantæ auctoritatis, ac multo magis, quia non conſtat ex ejuſdem Pontificis Pii confeſſione Hermetem ejus fratrem fuiſſe. Pro qua re ſciendum eſt, quod tempore ejuſdem Pontificis Pii inter Romanam Eccleſiam, & nonnullas alias vertebat quæſtio; An in Dominica celebrandum eſſet Reſurrectionis Paſcha. Pontifex autem Pius pro Apoſtolica traditione inſtabat, quod, nempe, a D. Petro celebrari Paſcha in Dominica ſtabilitum fuerat, ut ex eodem Baronio an. 58. n. 82. & ſeqq. & an. 159. n. 1. & ſeqq. & l. 7. Conſtit. Apoſt. c. 37. apparet. Scripſit igitur his verbis Pius apud Gratian. De conſecr. diſt. 3. can. 20. ubi talis titulus habetur, [ Pius Papa IX. a Petro Apoſt. in primo capitulo ſuarum decretalium, ] ( quod juxta ſeriem Pontificum a Baronio traditam legendum eſt Pius Papa X. a Petro &c. ) cujus reſcriptum talis eſt, [ Noſſe volumus, quod Paſcha Domini tantum die Dominico annuis temporibus ſit celebrandum.

Iſtas

Iſtis enim temporibus Hermes Doctor fidei, & Scripturæ effulſit inter nos. Et licet nos idem Paſcha prædicto die celebremus; quia tamen inde quidam dubitabant, ad corroborandas animas eorum, eidem Hermeti Angelus Domini apparuit in habitu Paſtoris, & præcepit ei, ut Paſcha Domini die Dominico ab omnibus celebraretur: unde & nos Apoſtolica auctoritate inſtituimus, omnes eadem ſervare debere, nec debetis a capite quoquomodo diſcedere. ] Quæ epiſtola regiſtrata etiam reperitur in 1. tom. Conciliorum. Igitur ſi Hermes fuiſſet frater Pii, idem Pontifex de hac ejus conſanguinitate in ea decretali epiſtola mentionem feciſſet. De hoc Hermete Paſtore plura, & erudite congerit Labbè de Scriptoribus Eccleſiaſticis pag. mihi 429. & ſeqq. Item in Addenda pag. 791. Sed bona venia omnium tam Eminentiſſimorum Auctorum, quiſnam fuerit iſte Hermes, (cui agnomen ut Baronius, ann. 159. n. 8. Paſtoris fuiſſe putat) unuſquiſque eorum anceps defectu veræ hiſtoriæ redditur. At ſi illum recte internoſcere quis deſideret, legat in 2. tomo Mombritii, ubi agit de S. Petro ad Vincula, & ibi inveniet iſtum Hermetem virum inſignem ex idololatra ab Alexandro Papa ad fidem converſum, & quomodo illi prima vice Angelus Domini apparuit, ac alia de eo lectu digna ibidem. Ceterum aliqua etiam de hoc Paſtore adjecimus in noſtro Transtyberi illuſtrato ad notitiam ſextam Italice exarato.

Hermaphroditus, ἑρμαφρόδιτος. FR. an teſtis eſſe poſſit. Vide Gloſſam in can. ſi teſtes, 4. qu. 2. & 3. §. Hermaphroditus.

* Hermeneutæ. Genus Miniſtrorum in Eccleſia, quos Epiphanius in expoſit. fid. n. 21. ἑρμενευτὰς videlicet *Interpretes* vocat, & quorum id officii erat, ut linguam aliam in aliam transferrent, tam in lectionibus ſcripturarum, quam in concionibus ad populum habitis.

Herminium. FR. muſtellina pellis, quæ vulgo *Armellino* appellatur. [ Mille vero nobiliſſimis juvenibus comitatus eſt, qui omnes herminio induti, fercula cum ipſo miniſtrabant. Guelfridus lib. 9. c. 13.

Hermoditium. Vide *Eremodicium*.

Hermogeniani. FR. Hæretici, quorum ſeductor fuerat Hermogenes: [ Hermogeniani ab Hermogene quodam vocati, qui materiam, non naturam introducens, Deo, non naturæ eam comparavit, matremque elementorum Ideam aſſeruit quos Apoſtolus improbat elementis ſervientes, 24. q. 3. can. quoniam autem. ] Sed ſi D. Paulus contra eos ſcripſit, non eſt intelligendus Hermogenes ille, quem Baron. extitiſſe ait ann. 170. Verum potius illum Hermogenem Magum fuiſſe credendum eſt, de quo idem Baron. an. 44. n. 2.

Hernesium, germanica vox *Harniſch*, ſeu potius Italica *Arneſe*, armaturam in utroque idiomate ſignificans. [ Monachus non habeat herneſium. Matth. Pariſ. in vitis Abb. ] Sed Italice *Arneſe* denotat tam armaturam, quam aliud corporis indumentum, & metaphorice pro domi ſupellectilibus etiam accipitur; unde de eo, qui compte inſtructam habet domum, dicere ſolent Itali: [ La caſa di colui ſtà bene in arneſe. ] Ex gallico vocab. *Harnois*.

Herniæ Morbus. Vide *Gutturnoſus*, *Ramex*.

Hero, *heronis*. FR. In hoc vocabulo errore lapſi ſunt Calepinus in dict. *Pero*, Joſeph Laurentius in ejus Amalthea Onomaſt. in ead. dict. & alii, Budæum ſequentes, per quem etiam varii Antiquorum Codices alterati ſunt in hac dictione, ut inferius oſtendemus; ita ut contra hanc dictionem alterantes jure his verbis inſurgat Adrianus Turnebus lib. 24. Adverſ. c. 2. inquiens: [ Hic me aſſertorem veterum librorum auctoritatis, & vindicem contra primarios homines, ipſaque literarum culmina præſtare non verebor &c. ] Hoc itaque vocabulum, nedum apud Profanos, ſed etiam penes Sacros Scriptores reperitur, quod defectu intelligentiæ diverſimode corruptum fuit. Apud Plinium in primis lib. 36. hiſt. natural. c. 14. ubi de magnifico Dianæ Epheſinæ Templo agens, inter alia, hæc ait: [ Summa miracula epiſtylia tantæ molis attolli potuiſſe, id conſecutus eſt beronibus harena plenis, molli pulvino, ſuper capita columnarum exaggerato paulatim exinaniens ab imo &c. ] Sed librariorum incuria litteram *b.* pro, *h.* tranſcripſerunt. Budæus tamen in ejus Annotat. in pandect. mendoſe *B*, in *P*, mutavit, & *Peronibus* male correxerat, ea ratione motus, quia *Pera* ſaccum ſignificat, unde *Perones* ſaccos intelligi putat; nam de ſaccis harena plenis videtur loqui Plinius in textu præallegato: unde recentiores Pliniani Codices ex conſilio Budæi *Peronibus* mendoſe retinent; ſed in antiquis Codicibus ex teſtimonio Turnebi, Cujacii, Jacobi Daleccampii, & ipſius Budæi loc. cit. ac aliorum *Eronibus*, & *Heronibus* reperiebatur. Item in M. Vitruvii textu lib. 5. c. 12. etiam Amanuenſium negligentia *Meronibus* pro *Heronibus* reperitur, ita in Codice Venetiis per Joannem de Tridino, alias Tacuino de ann. 1551. impreſſo habetur, nempe, [ In quibus autem locis pulvis non naſcitur, his rationibus erit faciendum, uti arcæ duplices relatis tabulis, & cathenis colligatæ in loco, qui finitus erit, conſtituantur; & inter deſtinatas creta, & meronibus ex ulva paluſtri factis calcetur. Cum ita bene calcatum, & quam denſiſſime fuerit, tunc cocleis &c. ] Sic etiam habet Italicus Codex Venetiis per Franciſcum Lutium Durantinum de ann. 1535. impreſſus, nempe: [ E tra le ordinate tavole la creta con li meroni di erba paluſtre fatti ſia calcata ec. ] Item in editione latina Argentoratenſi de ann. 1550. eodem modo: [ Et inter deſtinatas creta meronibus &c. ] Eodemque pacto in textu latino Veneto per Franciſcum Senenſem, & Cragher Germanum anno 1567. impreſſo *Meronibus* habetur. At Veneta Italica editio per Gotardum de Ponte ann. 1521. ex opinione Budæana *Peronibus* habet; ubi Gloſſator omnes rationes Budæi pro hac verſione aſſerit. Item in l. in navem, ff. locati, habentur hæc verba. [ Quod ſi ſeparatim tabulis, aut heronibus, aut in alia cuppa clauſum uniuſcujuſ-

cujuſque triticum fuiſſet. ] Sic in impreſſione Pariſienſi primo per Sebaſtianum Nivellum, & poſtmodum Venetiis 1584. ſub ſigno Aquilæ renovantis; ſed ibid. in textu Veneto apud Juntas 1598. excuſo ex opinione Budæi *Peronibus* mendoſe habetur. *Pero* autem non ſaccum, ſed calceum ruſticum ſignificat, in quo ſenſu uſus eſt Juvenalis Satyr. 14. inquiens.

Nil vetitum feciſſe volet, quem non pudet alto.
Per glaciem perone tegi, qui ſummovet Euros
Pellibus inventis, peregrina, ignorataque nobis.

Et pro tibialibus uſus eſt Virgilius Æn. 7. ſic canens:

——— Crurum tegit altera pero.

*Peronatus arator*. Perſius. Item *Pero* genus navigii apud Feſtum; unde *Myoparo* piraticum. Concludendum ergo eſt cum Turnebo loc. cit. quod in Plinii, Vitruvii, atque Pandectarum ſupra allegatis textibus, non *Beronibus*, ſive *Meronibus*, aut *Peronibus*, ſed *Heronibus* reſtituendum ſit; ait enim Turnebus: [Herones autem accipio texta quædam ſtoriarum, & tegetum more, in quibus interdum pauperes dormiebant, & fruges reponebantur; ſed & vaſa ſic viminea vocabantur, tegetibus ſimilia, & cophinis; φόρμοι a Græcis dicuntur. Hæc obſignabimus teſtimonio interpretis Terentiani in Prologo Phormion; cujus hæc verba ſunt: Phormio non a formula, ſed a phormione dicitur ſparteo, quem nos Heronem dicimus trivialiter, & pro conſuetudine. ] De quo vocabuli uſu etiam penes Sacros Scriptores reperitur. Mombritius enim in paſſione S. Theodoſiæ Virg. & Mart. ſic habet: [ Poſt hæc ait Præſes; rebellem Virginem in anguſtiam heronem coarctate, & ejus collo graviſſimum ſaxum alligate, eamque in mari projicite: ] Sed Vincentius Belovacenſis in Speculo hiſtor. lib. 12. c. 48. corrigit: *In anguſtam heronem*. Ac tandem uterque corrigitur ex antiquiſſimo M. S. in Bibliotheca Vallicellana aſſervato tom. 9. pag. 66. a tergo; nam hoc vocabulum non in fœminino, ſed in maſculino genere ponit, hoc pacto: [ Et rebellem virginem, quia nobis contumax fuit, in anguſto herone coarctate, & ſaxum ei graviſſimum ligate &c.

HERODIADES, pro Hera Diana. Vide *Noctiluca*.

HERODIANI, una ex Hebræorum ſectis, qui Herodem Meſſiam exiſtimabant, ex eo quia tunc temporis ablatum eſt ſceptrum de Juda &c. juxta Jacobi prophetiam Geneſ. cap. 49. Nam Herodes, qui intruſus fuerat in Judaicum regnum, alienigena erat; ſed D. Hieronymus hanc aſſertionem refellit, inquiens: [ Quidam Latinorum ridicule Herodianos putant, qui Herodem Chriſtum eſſe credebant, quod nuſquam omnino legimus. In cap. 2. Matth. ] Aliqui tamen putant Herodianos appellatos fuiſſe, quia de Herodis familia erant. Alii dixere ita eſſe denominatos, quia celebrabant annualem Herodis diem; ſed magis conſona Damaſceni opinio videtur, qui exiſtimat Herodianos exinde dici, quia ad Herodis complacentiam Romanis ſolvebant tributum: quod veriſimilius apparet, dum hi cum Phariſæis ad Chriſtum acceſſerant, interrogantes, an liceat dare tributum Cæſari; hæc ergo habet Damaſcenus de hæreſib. [Herodis milites, ſeu quos illudentes Phariſæi, quia Romanis tributa ſolvebant, Herodianos vocabant, & non divino cultu deditos. ] Hinc refellitur Philaſtrii opinio, qui putavit Herodianos illos fuiſſe, qui alium Herodem ab Angelo percuſſum, ut in Act. Apoſt. cap. 12. dicitur, pro Meſſia habuerunt. FR. In quodam Hebræorum libro *Ghe marà* appellato, in capite *Silluah H iken*, legitur Herodianos græcos fuiſſe & ab Herode ex deſerto conductos, cujus verba latine ſic ſonant: [ Herodes Rex adduxit ſecum Græcos ex deſerto, & educavit eos in terra habitata, & fecerunt ſectam, vocatique ſunt Herodiani. ] Qui etiam a loco, ubi amoti fuerant, *Doſothæi*, & *Dorſiani* dicebantur, de quibus ſuo loco dictum fuit.

HERODION, & *Herodius*, ἐρωδιός, avis quædam apud Hebræos immunda: [ Hæc ſunt, quæ de avibus comedere non debetis &c. herodionem &c. Levit. cap. 11. Aves immundas ne comedatis &c. herodium &c. Deuter. c. 14. Penna ſtruthionis ſimilis eſt pennis herodii, & accipitris. Job 39. Herodii domus dux eſt eorum &c. Pſal. 103. ] Græca vox ἐρωδιός, ubi Suidas Ciconiam exponit, aut aliquid ſimile; ait enim, Herodium quaſi ἑλώδιον, ideſt, paluſtrem dictum fuiſſe. D. Auguſtinus fulicam eſſe credidit, Theodoretus ardeolam, Ambroſius ſturnum, Hieron. milvum. FR. ubi in vulgata Pſal. 103. legitu *Herodii domus*, Hieronymus vertit, *Milvo ab jetes*. Paraphraſis Chaldaica, *Ciconiæ candidæ abjetes* habet. At in ſenſu Hieronymi adhuc difficultatis nodus indiſſolubilis eſt, quia c. 11. Levitici, & c. 14. Deuter. ſupra adductis, ubi ad veſcendum *Herodion* prohibetur, etiam ſpecialiter *Milvus* interdicitur, quare fruſtraneum videretur bis in quolibet ſupradicto capite eandem avem ſpecificare. Contra tamen Divum Auguſtinum, Auguſtinus alter Steuchus Egubinus in interpretatione dicti Pſal. 103. ait: [ Hebræi magis ciconiam ſentiunt: D. Auguſtinus pro herodio vertit fulicam, cum fulica ſit, ut idem ait, avis marina, non amans arbores; ſed abjetes arbores ſunt altiſſimæ &c. ] de hac volucre mentionem facit Homerus, Iliad. 10. inquiens, ex verſione Budæi.

*His autem proſperum miſit Erodium prope viam*
*Pallas Minerva*,

Spondanus vero legit;

*His autem fauſtam miſit Ardeolam prope viam.*
*Pallas Minerva.*

Et in ejus Commento ſubjungit: [ Cum hanc avem mittat Minerva, poteſt facile colligi eam ſacram Minervæ exiſtimatam a Poeta, quod & Claudium philoſophum exiſtimaſſe refert Etymologus; cum alii contra dicant avem eſſe Veneream, unde etiam Ἐρώδιον, quaſi ἐρωτίδιον appellatum volunt, quod Etymologus ita reconciliari putat, cum multa Ardearum genera ſint ſecundum Ariſt. lib. 9. hiſt. cap. 1. poſſint quædam Minervæ, quædam Veneri eſſe ſacra.] Ardeolum etiam Scapulæ Lexicon habet.

He-

Heroides, pro Hera Diana. Vide *Noctiluca*.

Herotochius. FR. Exercitus Dux, ex Saxonis dictionibus, *Heir*, de qua ſæpe diximus ſignificari exercitum, & *Tog*-conductor. In Anglicis legibus poſt Vicecomites collocatur: ſic [ Comites, Vicecomites, Herotochii.

Hesycasta, ἡσυχάςις Monachus dicebatur, a communi vita ſegregatus & ab aliorum conſortio ſeparatus, ut cœleſti contemplationi vacaret, ex græco verbo ἡσυχάζω, quieſcere, & ſilere ſignificante. [ Heſycaſtæ, ideſt, quieſcentes. Juſtin. Novel. 5. tit. 3.

Hetæriarcha, Romanorum, ideſt, Græcorum Ductor: [ In hoſtem lento paſſu, & ordine Exotrocho Magno Hæteriarcha ducente producebat. Cantacuz. lib. 1. cap. 6.] Idemque Capitaneus a Gulielmo Tyrio *Megaetæriarcha* appellatus fuit [ Erant per id tempus Hieroſolymis Domini Imperatoris Nuntii Andronicus, Angelus Joannes vir magnificus Megaetæriarcha, hiſt. ſac. lib. 1. c. 16. ] Derivatur hoc vocabulum a græco ἑταιρειάρχης, ideſt, confidentium, & amicorum caput.

Heterodoxus, ἑτερόδοξος. FR. alterius opinionis (cujus antitheſis Orthodoxus) ſumitur pro Hæretico, ſive ſchiſmatico. [ Quam inepti ſunt plerique heterodoxi recentiores. Philippus Labbè de Scriptorib. Eccleſiaſticis in S. Irenæo.] Vide *Cacodoxus* in dict. *Orthodoxus*.

Heterousios, ἑτερούσιος, *qui eſt alterius eſſentiæ*. Fit enim ab ἑτέρα, *altera*, & ὀυσία, *eſſentia*, Ariani qui Verbum faciebant alterius eſſentiæ a Patre, utpote ejus creaturam, ipſum quoque *heterouſion* dicebant. Quem terminum, cum ſuo ſignificatu, ingentibus animis repellunt, & explodunt orthodoxæ Fidei hyperaſpiſtæ, Filium Dei homouſion, ideſt ejuſdem eſſentiæ, magna cum victoria propugnantes. Inter quos, etiam ex adverſariorum confeſſione, eminuerunt Baſilius, Gregorius Nazianzenus, & Apollinarius, prout teſte Suida retulit ipſe Arianus Philoſtorgius, *Baſilius*, inquit, *in Cæſarea Cappadociæ per eam florebat ætatem, qua & Gregorius Epiſcopus præfuit Nazianzenis: eſt autem ſtatio, ſive portus Cappadociæ. Apollinarius vero in Laodicea Syriæ. Sane viri iſti tres tunc propugnatores homouſii fuere adverſus heterouſion, multo cæteros antegreſſi, tam qui præ ſe fuerunt, quam qui ad meam uſque ætatem pervenerant iſtius hæreſis patronos, adeo ut Athanaſius iſtis collatus cenſeri poſſit puer*. In Hiſt. adv. Baſ. & Greg. Nazianz. Vide *Homouſius*. *Homœuſius*.

Hexameron, ἑξαήμερον, ideſt, ſex dierum opus, ſic appellata ſunt opera D. Baſilii, & D. Ambroſii, in quibus de operibus ſex dierum mundi Creatoris agitur.

Hexapla, græca dictio ἑξαπλᾶ, ideſt, ſextuplicata, ſic appellat Euſebius lib. 6. hiſt. editionem Sacræ Scripturæ, opus Origenianum ingens, pro quo longo labore Tyrum Auctor ſe abdicaverat, atque ſex columnaribus diviſionibus diſtinxit pro ſex ejuſdem variis verſionibus, ideſt, duobus hebraicis, & quatuor græcis, Symmachi, nempe, Aquilæ, LXX. atque Theodotionis. Compoſuerat namque prius idem Origenes aliam Bibliam quatuor verſiones continentem, quam *Tetraplam* nominaverat; ſicut tandem aliud ejuſdem opus exegerat octo biblicarum verſionum, quod *Octopla* intitulavit. Vide Baron. an. 231. num. 9.

Hexarchus. Vide *Exarchus*. Ejus tituli. Vide *Titulus*.

Hida. FR. Prædium cum caſa, in qua unica familia habitare poſſit. [ Semperque ad finem ſæculi in omnis ſuæ hæreditatis decima hida pauperum veſtiri, & cibari præcipit. Guliel. lib. 1. de geſt. Reg.] Itaque male exiſtimavit Polydorus Virgilius, quod territorium viginti jugerum ſolum intelligatur. Vide *Familia*.

Hibeo. FR. Obſoletum verbum, ex quo *Cohibeo* componitur, ac idem valet: [ Horruit, & erubuit Tribunus; & ita juſſit illos manibus hiberi. In paſſ. SS. Perpetuæ, & Felicitatis per Lucam Holſtenium typis mandata. pag. 28.

Hiera. Vide *Hiera*.

Hierarchia, ſacer principatus, græce Ἱεραρχία; ſic ejus opus de Angelorum principatu, & Militantis Eccleſiæ appellavit Dionyſius Areopagita, qui ob eandem rationem Epiſcopum *Hierarcham* vocat, ideſt, ſacrum Principem.

Hieromartyr, ἱερομάρτυρ, Sacerdos, Epiſcopus, ſeu Diaconus Martyr.

Hieromnemon, Ἱερομνήμων, rerum ſacrarum præfectus, diaconale officium magnæ æſtimationis erat in Conſtantinop. Civitate, ad quod pertinebat Patriarcham pontificaliter induere, preces in libro indicare, in throno locum electis, ac conſecratis aſſignare, contacium ordinationis conſuetum intonare; itaque officio Cæremoniarum Magiſtri correſpondebat.

Hieromonacus, Ἱερομόναχος, Sacer Monachus. Alii tamen melius nomen hoc a vocibus græcis ἱερός, & μοναχός, ideſt, Sacerdos Monachus compoſitum eſſe docent. [ Viris, & fœminis illuſtribus, & probatis hieromonachis, & Deo conſecratis Virginibus veniam annuebat. Pharanz. in Chron. lib. 2. cap. 5.

Hierophanta, Ἱεροφάντης, Sacerdotis titulus apud Athenienſes, qui, (ut D. Hieronymus contra Jovinianum ſcribit) ad extinguendos venereos ardores cicutæ ſuccum abſorbebant; & alibi idem. [ Hierophanta apud Athenas eviratur, & æterna debilitate fit caſtus, epiſt. 11.] FR. quod minime tamen conſulendum eſt; nam cicuta hominibus venenum eſt, quamvis pecudibus ſit cauſa pinguedinis, hinc Lucretius lib. 5. cecinit.

Quippe, videre licet, pingueſcere ſæpe cicuta
Barbigeras pecudes, hominique eſt acre venenum.

Hierophylax, Sacriſta, græca dictio Ἱεροφύλαξ, ideſt, ſacrarum rerum cuſtos.

Hierosolymitani Equites. Vide *Equites Melitenſes*.

Hierotheca ἱεροθήκη, ſacrum repoſitorium, ſeu tegumentum; accipitur pro pyxide, vel alio ſacro vaſe, in quo ſacræ Reliquiæ conſervantur. Item ſacrum ſepulchrum, ſacræ veſtes, & ſimilia.

Hin,

Hin, liquidorum menſura, quæ juxta D. Hieronymi ſententiam in cap. 4. Ezech. binos italos ſextarios capiebat, cui alii Sacri Expoſitores adſtipulantur. [Quod habeat menſuram quartam partem hin. Exod. c. 29. ] Vide *Sextarium*.

Hinnula, genus ludi. Vide *Cervula*.

Hippagius, ἱππάγιος, equorum conductor ex græco ἵππος, ideſt, equus, ἄγω, conduco, accipitur etiam pro ſervo, vel ephebo, pediſequo, unde vocabulum italum *Paggio* provenit, ideſt ephebus, qui dominum ſuum pedeſter famulatur; ſic etiam *Equipaggio* italice, ideſt, ſarcinæ, aliaque impedimenta intelliguntur, quæ in itinerario Principum ſequuntur. FR. hinc, Hippoperæ, Feſto auctore, dicebantur ſacculi, ſeu bulgæ, quæ equis imponuntur.

Hipoperæ. Vide *Hippagius*.

Hirenarcus. Vide *Jerenarcha*.

Hirrio. Ringo, ſeu ringor, quod proprium eſt canis rabioſi [Veluti eſt canibus innatum, ut & ſi nõ latrent, tamen hirriant. Sidon. Epiſcop. lib. 7. epiſt. 3.

Hirritus, actus caninus ringendi. [Prodat hirritu rabiem canino. Sidon. Epiſc. lib. 8. epiſt. 16.

Hirrundineus Adventus, ideſt, ver: unde adagium,] Una hirundo non facit ver.] & Sidon. Epiſc. [Uſque ad adventum hirundineum, & ciconium, lib. 2. epiſt. 14.

Hispaniæ Ecclesiæ Ritus, & alia ad eandem pertinentia. Vide *Aera*, *Altare*, *Amagabari*, *Aſpergillum*, *Baptiſmus*, *Barbacanum*, *Bethilica*, *Boja*, *Burſa*, *Calix*, *Chias*, *Confeſſio*, *Ferdinandus*, *Graduale*, *Hoſtia*, *Hydria*, *Icona*, *Litania*, *Malachinus*, *Marabotinus*, *Maran Atha*, *Miſſa pro morte inimicorum*, *Mitra*, *Moatra*, *Mozarabicus*, *Myſtarchus*, *Oleum Sanctum*. Canebant Præfatium poſt epiſtolam. Vide *Laudes*. In Hiſpanis navibus conſecratur. Vide *Miſſa ſicca*. Diaconi hiſpani quandoquidem duas ſtolas ambiebant geſtare, & in aliis temporibus eos pudebat patenter ſtolam deferre. Vide *Orarium*. Cætera. Vide *Palmatus*, *Portingherius*, *Præſtimonium*, *Priſcillianiſtæ*, *Quadragena*, *Rumigerius*, *Saccularius*, *Salampona*, *Scholaſticus*, *Spanicus*, *Sparta*, *Spartea*, *Zanca*. Realis Moneta. Vide *Siclus*. Rex Aragoniæ Petrus in papali cappella de anno 1355. communionem per manus Innocentii IV. ſub utraque ſpecie ſumpſerat. Vide *Siphon*. Juvencus Presbyter Hiſpanus tempore Conſtantini Poeta ſacer. Vide *Tetravangelium*. Hiſpani pronunciant *A.* pro *V.* & quare. Vide litt. V. in principio. Habent innumerabilia vocabula arabica. Vide *Amagabari*, *Verſus leoninus*. Canunt Veſperas de nocte, Vide *Veſpera*. Hiſpaniarum Regis Philippi VI. cæremoniæ occaſione matrimonii ejus filiæ cum Galliarum Rege. Vide *Evangelium*.

Historia, ἱςορία, aliquando ſignificat reſponſorium officii divini: [Pro quo prænotetur, quod antiphonæ, & reſponſiora ad unum diem, vel obſervationem pertinentia vocantur hiſtoria. Radulphus lib. de can. obſerv. cap. 12.] FR. dictio *Hiſtoria* a Radulpho allata non cadit ſuper *Reſponſoria*, ſed ſuper *Obſervationem*: nam obſervatio græce hiſtoria dicitur; quare nemo ſcribebat hiſtoriam, niſi qui res ipſas, de quibus agebat vidiſſet, obſervaſſet, ſeu cognoviſſet. [Hiſtoria ſecundum Iſidorum in 1. lib. Etymologiarum dicitur ab hiſtore in græce, quod eſt latine cognoſcere, vel videre; apud Veteres enim nullus ſcribebat hiſtoriam, niſi qui interfuiſſet. Alii dicunt, quod dicitur ab hiſtoron græce, quod eſt geſticulatio, ideſt geſtuum repræſentatio; unde & hiſtrio vocatur geſticulator, ideſt, aliorum geſtorum recitator, & repræſentator. Archidiac. in poſtilla ad can. Jejunium quarti, diſt. 76. [Et confirmatur ex eodem Radulpho ibid. ubi inquit: [Sancti ergo dominici dies excellentius in Romano, quam in Ambroſiano officio hiſtoriis ſolemnibus ſunt decorati.] Ideſt, ritibus, ac obſervationibus ſolemnioribus honorantur. Sic *Hiſtrio* ſecundum Archidiac. ideſt, aliorum geſtorum obſervator, recitator, ac repræſentator: quare Gellius inquit: [Earum tamen proprie rerum ſit Hiſtoria, quibus rebus gerendis interfuit is, qui narret, lib. 5. cap. 18.] ideſt, obſervavit. Senſus igitur Radulphi in textu allato eſt [Et ad obſervationem pertinentia vocantur hiſtoria] nam illud *Vel* ſtat loco *Et*, ut in particula *Vel* dicemus. Ex quo infertur hiſtoriam eandem eſſe, ac obſervationem. Hiſtoria dicitur fabula. Vide *Fabula*. Item hiſtoria una eſt ex quatuor Sacræ Scripturæ ſenſibus. Vide *Biblia*. Hiſtoria tripartita. Vide *Palea*.

Histrio unde dicatur. Vide *Hiſtoria*. Synonymum. Vide *Hypocrita*.

Histrix, animal. Vide *Chœrogryllus*.

Hiufo, verbum, pro fiſco ſignare, vel ſequeſtrare. [Caſæ eorum hiufentur, quouſque pro ipſa decima, ſicut ſupra dictum eſt, ſatisfaciant. In Capitul. Caroli Magni,] a germanico vocab. *Hufar*, ideſt, poſſeſſio, vel a *Guiffa*, ideſt, ablatio rei alienæ. Vide *Guiffa*.

Hoba. FR. prædium, ſeu fundus, quantum Colonus colere poſſit. [Duas hobas ſerviles. In traditionibus Fuldenſibus. Dotem Eccleſiæ, ideſt, duas hobas poſſeſſas, & beneficium Presbyteri in eodem loco deſervientis, ideſt, unam hobam. In quadam Bulla Othonis I. Imper. apud Torrig. de Cryptis Vatican.] Legitur etiam *Hobunna*, & canis poſſeſſionis cuſtos *Hobavvaſth* ex germanico *Hoube*, dicitur.

Hodegitria, ſic appellatur imago illa Conſtantinopolitana miraculoſa Beatiſſimæ Mariæ Virginis, quam Divum Lucam depinxiſſe creditur, ex græco ὁδηγήτρια. ideſt, viæ ductrix, eo quia in expulſione Latinorum, quando Imp. Michael Palæologus Conſtantinopolim triumphans ingreſſus eſt, hanc ſacram imaginem ſibi præcedere ordinaverat, quam pedeſter Imperator ſequebatur, ut refert Gregoras lib. 4. qui ſic ſubdit ibidem: [Poſt dies complures Imperator Conſtantinopolim intrat; non prius tamen, quam ſacroſanctæ Deiparæ, quam quaſi viæ monſtratricem Hodegitriam vocant, imago per portam quam Auream di-

dicunt ingreſſa eſt. ] Hæc prodigioſa imago Conſtantinopolitanam Urbem ſæpe a Barbarorum incurſionibus liberavit. Hodie in Sicilia, & Melitæ præcipue Deipara ſub titulo *Odegitria* ſumme veneratur, quam corrupte *Itria* dicunt, Romæque ipſi Siculi ſub eodem titulo Eccleſiam habent propriam, ubi vulgariter Conſtantinopolitana appellatur. FR. cujus fundatores fuerunt etiam Melitenſes. Floravantes Martinellus in ejus Roma Ethnico-ſacra, in tit. S. Mariæ Conſtantinop. ¶. Solet depingi ſupra arcam a duobus Calogeris, Monachis, nempe, græcis ſuper humeros delata, eodem modo, quo qualibet feria III. proceſſionaliter per Urbem Conſtantinopolitanam deferebatur. Nicephorus lib. 15. Inde vulgus commentari cœpit, quod ita depingatur, quia hæc imago ex Itria Byzantium miraculoſe per mare in arca deportata, & a duobus Monachis græcis ad litus inventa fuerit, quod fabulam eſſe demonſtrat Baronius. Itaque Siculi qualibet feria III. ob devotionem hujus Iconæ jejunant. In ejus honorem Pulcheria Imperatrix magnificum templum erigi curavit. Nicephor. loc. cit. & a Dominicanis conſervabatur ibi in vico *Ballata* nuncupato; at quia Templum illud in Meſchitam a Turcis profanatum fuerat, ideo ann. 1629. mediante ingenti pecuniæ largitione Oratoris Veneti, a miniſtris Turcarum Tyranni conceſſa fuit eiſdem Dominicanis licentia, ut ad alterum eorum Conventum Civitatis Peræ ſub titulo S. Petri hæc Sacra Imago collocaretur. FR. Triumphus Michaelis Palæologi poſt Latinorum expulſionem ex Conſtantinopolitana Civitate, refertur a Fl. Blondo decad. 2. lib. 8. & ab Oderico Raynal. an. 1261. n. 29. & ſeq. atque a Georg. Logotheta deſcribitur. Eadem imago triumphaliter delata ad eandem Urbem ab Imp. Jo. Comneno pedibus tamen præcedente deſcribitur a Niceta Coniata apud Baron. an. 1123. n. 7. Alia quoque Latinorum expulſio ab eodem Cardinali ex eodem Niceta in Andronico affertur, an. 1183. n. 8. & ſeq. Sed quo in loco prædictam hiſtoriam uti fabuloſam refellat Baronius, non inveni. Qui tamen de hac imagine hodegitria noſcere cupit, legat opuſculum Michaelis Juſtiniani Romæ in typogr. Rev. Cam. Apoſt. de ann. 1656. impreſſum.

Hodeporicum, græcum vocabulum ὁδοιπορικόν, nempe, itineris relatio, itinerarium. [ Hodeporico licet difficiliter expleto. In vita S. Sebaſtiani Mart.

Holoberus, ex ὅλος, ideſt, totus, & πυῤῥός, nempe, fulvus. [ Obtulit pallia holobera. Anaſt. Biblioth. in Hormiſda. ] Vide *Oloberus*.

Holocaustum, ὁλόκαυςον; ὅλον, totum, & καυςόν, combuſtum; in hoc enim ſacrificio victima tota in igne conſumebatur, ita ut nulla reliquia remaneret, ad differentiam *Hoſtiæ* ſacrificii, quæ non conſumebatur totaliter; ex ea enim detrahebatur Sacerdotis portio. Dicitur etiam *Holocauſtum* a verbo græco ὁλοκαυτόω, ideſt, totaliter comburo. FR. [ Sententiam, quæ vetat miſericordiam, non ſolum tenere fratres, ſed etiam audire fugite; quia potior eſt miſericordia omnibus holocauſtomatibus, & ſacrificiis, can. ponderet, diſt. 50. ] Gloſſa autem ſic interpretatur. Holocauſtum ab *holon*, totum, *cauma*, incendium, in can. ſic populus, 1. quæſt. 1. ] Holocauſtum juge. Vide *Endelechiſmus*.

Holochrysum, totum ex auro, ὅλος, totus, & χρυσός, aurum. [ Leo ex Abbate S. Martini ordinatur Epiſcopus. Fuit enim faberlignarius: faciens etiam turres holochryſo tectas, ex quibus quædam apud nos retinentur. Gregorius Turon. lib. 10. cap. ult. ] FR. dictio *Turres* ſignificat ciboria. Vide *Ciborium*.

Hologrammaton. Vide ſequentem dictionem.

Holographus, plenarie, & abſolute ſcriptus: græca dictio ὁλογραφος. [ Ubi holographa manus eſt, falſum dici non poteſt. Ambroſ. in epiſt. ad Galatas cap. 6. Tamquam non ſit holographas membranas arbitratus. Sidon. epiſt. 11. lib. 9. ] Dicitur etiam *Hologrammaton* in eadem ſignificatione.

Holophorus, *Olopherus*, ſeu *Olophorus*. Vide *Oloberus*.

Holoporphorus, & *Holoporphyrus*. Vide *Oloberus*.

Holosericus. FR. Heliogabalus fuit primus Romanorum, qui holoſerica veſte uſus eſt, cum antea ſubſerica in uſu eſſet. Lamprid. in Heliogab. Vide *Chryſoclavus*, *Oloberus*.

Holovitreum, vox græco-latina, mere vitreum: [ Vas illi holovitreum valde pretioſum, & Alexandrini operis arte compoſitum, cum tritis eſt pigmentis allatum. Surius in vita S. Odilonis 1. Januar.

Homoeoteleuton. Vide *Verſus Leoninus*.

Homagium. FR. Actus ſubjectionis, ſeu fidelitatis profeſſio. Gloſſa in cap. indignum, de regul. juris. Atque Sigonius de Regno Italiæ ait, quod Homagium ſit jus a Rege acceptum cum dignitate pro feudo beneficii nomine. [ Indignum eſt, & a Rom. Eccleſiæ conſuetudine alienum, ut pro ſpiritualibus facere quis homagium compellatur, lib. 2. Decretal. tit. 41. cap. 11. ] & de eodem vocab. fit mentio ibid. tit. 1. c. 15. & tit. 3. c. 17. ¶. Contigit, ut die quadam infirmaretur, & ecce Satan adfuit, qui diceret ei, vis mihi facere homagium, & ego tibi dabo ſcientiam omnium litterarum? Cæſar. lib. 1. cap. 32. Deteſtabile, quippe, eſt in Monacho, ut ſub quocumque coloris habitu, honore, aut titulo poteſtatis, habeat feuda, ſervos & ancillas hominia, & fidelitates. Petr. Bleſen. epiſt. 102. ] Dicitur etiam ab aliis *Hominatio*, *Hominiſcum*, *Hominiſcatus*. Alia ſynonyma. Vide *Hominium*, *Vaſſallagium*.

Homilia, ὁμιλία, populi coadunatio; hinc poſtea Sancti Patres eorum ſermones homilias appellavere, ad denotandum actos fuiſſe eorum ſermones ad populum congregatum. FR. Sed aliter ex SS. Patribus colligitur: Sanctus enim Victor Uticen. lib. 1. inquit: [ Auguſtinus ducentos jam triginta & duos confecerat libros, exceptis innumerabilibus epiſtolis, atque tractatibus popularibus, quos Græci Homilias

vocant.] Inde Tractatores dicti ſunt, qui ſermocinarentur ad populum, ut in dict. *Tractator* dicetur. Diſcrimen autem inter λόγον, & ὁμιλίαν, oſtendit Photius in ejus Biblioth. num. 174. in B. Jo: Chryſoſt. §. 1. de ejuſdem homeliis in Geneſim inquiens: [Orationum nomen præferunt libri (ſic enim in iis reperi exemplaribus, quæ legi) Homeliis tamen ſimiles magis eſſe videntur cum cæteris rebus, tum quod ſæpenumero tanquam præſentes reſpiciens auditores, ſermonem ad eos convertit, interrogat, reſpondet, ac pollicitationibus utitur, ut poſſit maxime alio in dicendi genere, quam homiliarum iſto, ſimilia formare, atque exhibere; quia tamen illud aſſidue, conſtanterque ſine ullo diſpenſationis ordine ſervat, homilias illas eſſe ſatis, ſuperque declarat: habuit ſiquidem eas ad populum,] ubi docet, quod Oratio ſit, quæ Oratorum adſtricta præceptis, conſtanti diſpoſitionis ordine diſpoſita, ornataque ſit: homilia vero ſine diſpoſitionis ordine, & popularis potius allocutio erit appellanda.

Hominiculæ. FR. Sic per ludibrium vocabantur Chriſtiani ab Apollinariſtis, quia nos in Chriſto duas naturas confitemur: [Calumniam in nos ſtatuentes, duos filios dicere nos dicitis, & hominiculas appellatis. Athan. de Incarn. Domini.

Hominium. FR. idem ac Homagium ſupra: [Indignum eſt igitur, ut clericus, qui jam in Dei ſortem eſt aſſumptus, & jam laicorum dignitatem exceſſit, pro terrenis lucris hominium faciat laico. Lucas VVaddingus in Notis epiſt. S. Anſelmi lib. 3. epiſt. 45. Hominium, & fidelitatem jurantes. Petr. Ciſtercien. Vallis Sarnien. Monachus in hiſt. Albigen. c. 25. Contra Ordinis veſtri regulam, Villas, Eccleſias, & Altaria poſſident, fidelitates, & hominia benigne ſuſcipiunt, 3. decretal. cap. 3. tit. 35.

Homo. FR. dictus eſt Diabolus a Chriſto Domino: [Inimicus homo hoc fecit. Matth. cap. 13.] Gloſſa in c. licet, de elect. & elect. poteſt. ſic explicat: [Diabolus dictus eſt homo ab eventu, quia devicit hominem; ſicut Imp. dictus eſt Africanus ab eventu, quia Africam devicit.] Homo vero a Chriſto dicitur *Omnis creatura*, quod de aliis creaturis nequit prædicari. [Sed creaturæ nomine ſignatur homo; omnis autem creaturæ aliquid habet homo; habet namque commune eſſe cum lapidibus, vivere cum arboribus, ſentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. D. Gregor. homil. 29. in cap. 16. Marci.

Homodiana, pro Hera Diana. Vide *Noctiluca*.

Homoeusius, ὁμοιούσιος, qui eſt ſimilis eſſentiæ. Eſt enim a verbo Græco ὅμοιος, ſimilis, & οὐσία, eſſentia. Contumaces ac perfidi Ariani cum cernerent de ipſorum hæreſi homouſion negante, in legitimis ſynodis conclamatum eſſe: homœuſion commenti ſunt: aſſerentes Filium non eſſe quidem *homouſion* cum Patre, ideſt, ejuſdem eſſentiæ; ſed *homœuſion*, ideſt, ſimilis eſſentiæ. Cum tamen ſacræ ſcripturæ ſatis aperte inculcent tres Perſonas eſſe ejuſdem eſſentiæ, & dicat Chriſtus, Joan. 10. 30. *Ego & Pater unum ſumus*: De ὁμοιουσία, homœuſia, ideſt, ſimili eſſentia, frequenter in D. Athanaſii Operibus legitur. Et D. Ambroſius in libr. de Filii divinitate & conſubſtantialitate contra Arianos, cap. 2. ait: *Denique ſublato homouſion ideſt unius ſubſtantiæ vocabulo*, ὁμοιούσιον, homœuſion, *ideſt ſimilem factori ſuo poſuerant, cum aliud ſit ſimilitudo, aliud veritas. Heterouſios.* Vide *Homouſion*.

Homologium, ſeu *Homologatum*. FR. laudum, & arbitrum pronunciatum. Ancaranus, & Jo. Bapt. Caccialupus, quos citat, & ſequitur Decius conſil. 198. col. 3. Dicitur etiam *Emologare* in eodem ſenſu. Dictionar. Alberici verbo Emologo. Baldus in tit. de pace Conſtan. §. ſententiæ, & conſil. 342. §. fuit factum, in fin. lib. 3. Quamvis non pauci errent in hoc. Vide *Omologo*.

Homologo. Vide *Omologo*.

Homologus, ὁμόλογος, aſſenſor, & uſurpatur pro Vaſſallo, qui ratione fidelitatis ſuo legitimo Principi ſubjacere conſentit; de quo fit mentio in Cod. Theodoſ. l. ultim. de patroc. vic. Itaque non a dictione *Homologius*, ut aliqui exiſtimant, hoc vocabulum derivatur.

Homophagia, vel *Omophagia*, crudorum ciborum comeſtio, græce ὠμοφαγία. [Non enim magno labore corporis fatigatur, quia nec tanta cura inter nos parandorum ciborum, vel coctionis impenditur, quippe qui maxime verophagiis, & omophagiis utuntur. Caſſian. lib. 4. cap. 22.] FR. *Xerophagia* ſignificat ſiccarum rerum comeſtio. Vide ſuo loco. *Omophagi* appellati ſunt Ætoli populi a Thucydide :||: [Bachanalia etiam prætermittimus inania, quibus nomen omophagiis græcum eſt, in quibus furore mentito, ſequeſtrata pectoris ſanitate, circumplicatis vos anguibus, atque, ut vos plenos Dei numine, ac majeſtate doceatis, caprorum reclamantium viſcera cruentatis oribus diſſipatis. Arnob. lib. 5. adverſ. Gent.

Homousius, ὁλούσιος, & ὁμούσιος, *conſubſtantialis, ejuſdemque eſſentiæ*. Et ita ὁμουσία, vel ὁμουσία, *eamdem eſſentiam*, ſeu *eſſentiæ identitatem* ſonat; a Græco vocabulo ὁμοῦ, *ſimul*, & οὐσία, *eſſentia*. FR. Sanctiſſimæ Trinitatis attributum, ideſt, conſubſtantialitas. [Ego Berengarius &c. Jurans per Sanctam, & homouſion Trinitatem, & per hæc Sacroſancta Chriſti Evangelia. De conſecrat. diſt. 2. can. Ego Berengarius.] Ibi Gloſſa: [Homouſion, ideſt, ejuſdem ſubſtantiæ] Ibique Archidiac. [Humouſion in græco idem eſt, quod idem, vel unum Uſia, ideſt, ſubſtantia; ideo dicitur Trinitas homouſion, ideſt, unius ſubſtantiæ,] & Anaſtaſius de pſeudoſynodis loquens: [Quæ contra homouſion factæ ſunt juſſiones Imperatorum firmant, & non pia fides. In diſputat. S. Maximi Mart. in ejus Collectan. a Jacopo Sirmondo in 8. edit. pag. 161.] In aliquibus codicibus D. Aug. *Homuſion* perperam legitur. [Homuſion verbum, unius, ejuſdemque ſubſtantiæ ſonat in græco, tom. 2. epiſt. 177. ſeu potius altercatio inter Auguſtinum, & Paſcen-

ſcentium. ] Vide D. Ambroſ. lib. 3. de fide cap. ult. Vide etiam hic *Deivirilis*, *Heterouſios*, *Homauſios*.

Homousiones, *Homouſiani*, & *Homouſioniſtæ*, FR. ſic Ariani, & cæteri Hæretici negantes in divinis conſubſtantialitatem Filii, Catholicos appellabant; hinc Rex Hunericus Arianus in ſuo edicto contra Epiſcopos Catholicos ſcripſit: [ Rexu Hunerius Vandalorum, & Alanorum univerſis Epiſcopis homouſianis, apud Victor. Uticen. lib. 4. de perſecut. Vandalica. ] Et D. Auguſt. epiſt. 177. ſupra citata inquit; [ Abſit, ut erubeſcamus Catholici in univerſo manentes, nos appellari propter fidem veram *Unius, ejuſdemque ſubſtantiæ*, a nonnullis verbum græcum non intelligentibus, Homouſiones, qui nos appellari gaudemus de Chriſti nomine Chriſtianos. ] Et idem in libro contra Arianos tom. 6. ait: [ Ecce qui nos quaſi macula novi nominis vocant homouſiones; nec ſe ipſos, cum iſta ſentiunt, intuentur inſanos.

Homoypostata, ὁμοϋπόςατα, ea quæ ſunt ejuſdem hypoſtaſis, ſeu ſubſiſtentiæ. Ita cum duæ totales naturæ, aut partiales habent eamdem ſubſiſtentiam, homoypoſtata dicendæ. Totales quidem, ut in Chriſto Natura humana, & divina: quia unam & eandem habent ſubſiſtentiam, unde & idiomatum communicatio formata. Partiales vero naturæ, ut anima & corpus, quæ una ſubſiſtentia, eaque ſimplici, ut multi volunt, aut compoſita, ſecundum alios, donantur. Quod a Damaſceno in log. c. 32. inſinuatur, dicente: *Homypoſtata ſunt, cum duæ naturæ in una hypoſtaſi uniuntur, & unam tenent hypoſtaſim compoſitam, & unam perſonam, ut anima & corpus*. Vide *Hypoſtaſis*.

Homuncionistæ. FR. Hæretici, qui & Photiniani a Photino appellati ſunt, negabant in Chriſto duas naturas. Baron. An. 357. num. 8. Ubi enim textus S. Dionyſii ajebat in Chriſto *novam Dei virilem operationem*, illum adulterantes hi hæretici, legebant *unam Dei virilem* &c. Baron. An. 649. n. 18. De his quoque Prudentius, in Apotheoſ. poem. 4. cecinit:

Sunt qui Judaico cognatum dogma furori
Inſtituunt, media Chriſtum ratione ſequuti,
Hoc tantum, quod verus homo eſt, at cælitus illum
Adfirmant non eſſe Deum, pietate fatentur,
Majeſtate negant, morum pro laude ſacratum
Concelebrant.

A quo tamen *Homuncionitæ* etiam nuncupantur.

Homuncionitæ. FR. hæretici, qui aſſerebant imaginem Dei non in hominis anima, ſed in corpore conſiſtere, ut notat Sirmondus in lib. cui tit. Prædeſt. l. 1. hær. 76. An autem iidem ſint ac Homuncioniſtæ, de quibus Prud. ſupra, videant Eruditi.

Honoratus. Qui aliqua dignitate functus eſt. Vide *Poſſeſſor*.

Honorigera Virginitatis Nota, dicitur Velum Monialium. Vide *Velum profeſſionis*.

Hoplotheca. FR. græca dictio ὁπλοθήκη, ideſt, armorum theca; ſic appellatus eſt liber, in quo omnes Sanctorum Patrum ſententiæ ad confutanda Hæreticorum falſa dogmata compilatæ erant, quod opus Petrus Poſſinu in ejus eruditiſſimis notis ad Hiſtoriam Pachimeræ, ab eodem latinitati donatam, putat juſſu Emanuelis Comneni Græcorum Imperatoris fuiſſe compoſitum.

*Hier plexiton Macri*.

Hoqueta, ex Gallico *Hoquet*, ideſt, ſuſpiria, & ſingultus, quos Cantores affectare ſolent. [ Sed nonnulli novellæ ſcholæ diſcipuli, dum temporibus menſurandis invigilant, notis novis intendunt fingere ſuas, quam antiquas cantare malunt, in ſemibreves, & minime eccleſiaſtica cantantur, notulis percutiuntur; nam melodias hoquetis interſecant, diſcantibus lubricant, triplis, & motetis vulgaribus nonnumquam inculcant; adeo ut interdum antiphonarii, & gradualis fundamenta deſpiciant. In extr. Jo: XXII. c. unico, de vita, & honeſt. Clericor.

Horæ Canonicæ, quas recitare tenentur Eccleſiaſtici, quæ in Gallia *Curſus* appellabantur. Vide *Curſus*. Canonicæ dicuntur, quia ſunt regulares, ſeu quia canonis penſio eſt, quam tenentur Deo quotidie perſolvere Eccleſiaſtici; nam pſalmodia canon noſter dicitur. [ Sane quemadmodum unus aliquis agricola, niſi ſuum canonem plenum, ac bonum reddiderit, in carcerem conjicitur, ſuſpenditur, conſcinditur plagis, quouſque omne redditur creditori debitum; ita continget Monacho, cum per oſcitantiam ſibi præſcriptum tranſmiſerit canonem. Antioch. homil. 105. ] Diviſæ igitur ſunt hujuſmodi, preces in ſeptem horas; nam [ Septem horas canonicas in die quaſi ex debito canimus pro ſeptem gradibus, quos a ſeptiformi ſpiritu ſuſcipimus; formam autem habemus ab Apoſtolis, & aliis Sanctis, ut ſepties in die Creatorem noſtrum laudemus. Gem. lib. 2. cap. 53. ] Divus vero Hieronymus has ſeptē horas ſic diſtincte recenſet: [ Aſſueſcas quoque ad orationes, & pſalmos nocte conſurgere, mane hymnos canere, tertia, ſexta, nona hora ſtare in aciem, quaſi bellatorem Chriſti, accenſaque lucerna reddere ſacrificium veſpertinum. De Reg. Monach. ] Itaque fallitur Polydorus Virgilius exiſtimans has horas canonicas a D. Hieronymo ſive ab Eleutherio Papa inſtitutas fuiſſe: ex Divis enim Clem. Baſilio, aliiſque Patrib. ſatis colligitur ab Apoſtolis ad imitationem antiquæ Synagogæ, eas in primæva Eccleſia laudabiliter introductas eſſe; quandoquidem pſaltes Regius cecinit: [ Septies in die laudem dixi tibi Pſal. 118. ] Neque can. Eleutherius, diſt. 91. aliud probat, quam Vigiliarum obſervantiam ipſum tantum reſtituiſſe. Circa vero horarum numerum, non ſatis inter ſe conveniunt Auctores, alii enim laudes tanquam horam a Matutino diſtinctam aſſignant, ita Amalar. lib. 4. de Eccleſ. off. c. 7. ſeu 10. D. Antoninus, & Navarrus; quorum inter alias rationes ab eis allatas, hæc præcipua eſt, nimirum, Eccleſiæ uſum, quæ in nocte Nativitatis Domini a laudibus ſeparare ſolet matutinum. Communis vero Patrum, ac Conciliorum enunciatio in ſeptem canonicas horas ſemper diſtinguit; licet antiquitus diſtincte a

Matutino recitarentur laudes, ut ex quorundam opinione in dict. *Laudes* dicetur; ſeptenarium tamen numerum ſemper myſterioſum fuiſſe Innocentius III. in proœmio ſeptem pſalmorum ſatis demonſtrat, & Philo Hebræus numerum hunc ſeptenarium: [ Ingeneratum, immortalem, victoriæ ſymbolum, virginem, perpetuum, & Deum ipſum, ] in tractatu de opificio mundi appellat. Prima itaque hora ad ſolis ortum recitanda eſt, in memoriam Chriſti Reſurrectionis; ita communiter Canoniſtæ in cap. 1. de celeb. Miſſ. atque ante Caſſianum hanc horam canonicam inſtitutam fuiſſe, ex conſtitutione apoſtolica lib. 8. c. 40. & ex D. Athanaſio lib. de Virgin. conſtat: & quamvis Sancti Patres Chriſtū media nocte reſurrexiſſe dicant; fuiſſe tamen ipſam Sanctis Mulieribus revelatam ſumo mane exiſtimatur, quo inſtanti temporis Chriſtum execrabilibus ſputis ſpretum, & alapis percuſſum, atque ad Pilatum ductum fuiſſe Rupertus meditatur. Hora tertia, quæ *Aurora* etiam dicitur, atque *Hora ſacra*, can. non liceat, diſt. 44. Sacra, nempe, appellatur, quia tunc ſacrum celebratur: in hac hora Salvator noſter ad mortem damnatus fuit, & Spiritus Sanctus ſuper Diſcipulos congregatos deſcendit dict. conſtit. apoſtol. lib. 8. c. 40. D. Ignatius Mart. epiſt. 8. ad Trallian. Tertullian. lib. 1. de jejun. cap. 10. Sexta vero hora ab Antiquis Patribus magis ferv idæ preces fundebantur, quia ad expugnandos ſpiritus meridiani aggreſſiones præparabantur, quod ex hymno iſtius horæ, [ Aufer calorem noxium ] colligitur, & in ea Adamum fuiſſe creatum Origenes tract. 35. in Matth. meditatur, quam opinionem ſequuntur Theophyl. in Matth. & alii, qui putant eadem hora Cruci affixum fuiſſe Chriſtum: quare inquit Theoph. [ Qua igitur hora Deus hominem condidit, eadem & lapſum curavit. ] Et Cyrill. hieroſol. [ Quo tempore everſio fuit, eodem rurſus facta eſt reparatio. Catacheſ. 14. ] Aliqui tamen textui Evangeliſtæ Marci inhærentes exiſtimant in hoc temporis ſpatio Chriſti crucifixionem ſequutam fuiſſe; nam c. 15. inquit Evangeliſta: [ Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum. ] Quod re vera de crucifixionis ſententia intelligendum eſt potius, quia Joannes crucifixionis actum accidiſſe refert, quando, nempe, [ Erat hora quaſi ſexta; ] & ita declarant Conſt. apoſt. lib. 8. cap. 40. ſupra cit. Cyprian. de orat. Domini, Athanaſ. de Virg. additque Moſes Barcepha eadem ſexta hora e terreſtri Paradiſo eliminatos primos parentes fuiſſe. Nonam tandem horam tempore Apoſtolorum fuiſſe in uſu ex Actis Apoſtolicis cap. 3. ſatis conſtat, ubi habetur: [ Petrus autem, & Joannes aſcendebant ad horam orationis nonam, ] in quo temporis termino Chriſtum in Cruce expiraſſe dicitur. De Matutino autem, Veſperis, & Completorio, in peculiaribus eorum locis agitur. Myſteria igitur, quæ in ſingulis horis contemplanda ſunt, in his verſibus continentur, nempe:

Matutina ligat Chriſtum, qui crimina purgat,
Prima replet ſputis, dat cauſam Tertia mortis s
Sexta Cruci nectit, latus ejus Nona bipertit,
Veſpera deponit, tumulo Completa reponit.

Invocatio autem divini auxilii ſemper in quolibet horæ principio ſub illis davidicis verbis; [ Deus in adjutorium meum intende &c. ] recitanda eſt, cujus Auctorem Damaſum Papam (ex hieronymiana ſuaſione) facit Navarrus de orat. cap. 3. num. 64. Alii vero hanc cæremoniam D. Gregorium inſtituiſſe putant, apud Polydorum Virgil. lib. 6. de invent. cap. 2. Cæterum ex Caſſiano lib. 12. cap. 23. & collat. 10. cap. 10. a Monachis antiquitus verſiculum præfatum proferri ſolitum fuiſſe conſtat. Vide *Breviarium*, *Officium divinum*.

Ad Horam. FR. ideſt, tunc, quod Itali *All' ora* dicunt. [ Rogabat ergo Sanctus ille, ut ſineretur in eadem cuſtodia, quouſque exularetur, & ad horam auferretur de cuſtodia. Exilium S. Martini Papæ & Mart. in collectan. Anaſtaſ. a Jacobo Sirmondo in 8. edit. pag. 101. Quoniam etſi contriſtavi vos in epiſtola, non me pœnitet, etſi pœniteret, videns quod epiſtola illa; etſi ad horam vos contriſtavit, nunc gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam, 2. Cor. cap. 7.

Horama. Vide *Horoma*.

Horarium. Vide *Orarium*.

Horebitæ. Vide *Orebitæ*.

Hornus, ideſt, currentis anni tempus. [ In Synodo apud Vermarium palatium olim ab horno habita. Flodoard. l. 3. c. 22. ] Ideſt, Synodo hoc anno celebrata.

Horoma, & *Horama*. FR. Viſio. [ Poſtridie quam pugnaremus, video in horomate hoc veniſſe Pomponium Diaconum &c. In paſſione SS. Perpetuæ, & Felicitatis per Lucam Holſtenium edita ] in cujus notis ſic habet: [ Res exigit, ut reſcribatur horamate; niſi hæc vox ita deformata in uſu populari Afrorum erat. Eſt autem ὅραμα vox græca, ſonans viſum, ſive viſionem. Uſurpatur in Actor. c. 12. v. 9. Latini Scriptores ea rarſus uſi ſunt; tamen Aldhelmus lib. de Virginit. c. 3. ubi de S. Jo. Evangeliſta loquitur, ait eum in Patmo raptum in oromate; ubi Meurſius recte Oramate ſubſtituit in Mantiſſa Critica (ſicque in Bibliotheca SS. Patrum editum reperio) fruſtra reprehendente Suvartio Analectorum lib. 3. c. 9. qui horoma ibi reſcribendum perſuadere nequicquam conatur. Reperio etiam apud Alcuinum lib. 1. de vita S. VVillebrodi cap. 2. hæc verba: Mater intempeſta noctis quiete cœleſte in ſomnis vidit horama. ] Sed bona venia dictorum Eruditorum utroque modo dici poteſt a verbis græcis ὁρόω, & ὁράω, quæ videre ſignificant, licet ultimum uſitatius ſit.

Horoscopus. Vide *Hydromantia*.

Horripilatio, horror, qui criſpat, & echinatos capillos format, quod ex ſubitaneo timore accidere ſolet. [ Loquela multum jurans horripilationem capiti ſtatuet. Eccleſ. cap. 27.

Hortalia. FR. hortenſia. Bull. Caſin. tom. 2. Conſt. 75.

Hoſa, calceamenti genus, ex germanica dictione *Hoſe*. [ Calcei his erant ad ſummum pollicem pene aperti, & alternatim laqueis corrigiarum retenti; poſtea vero cœperunt hoſis uti. Paul. Diac. de geſtis Longobard. lib. 4. c. 23. Cumque omnes ad obſequium domini cuncti hoſas ſuas vellent extrahere, ille prohibuit. Monach. Sangellen. in hiſt. Caroli Magni, lib. 2.

Hosanna, hebraica vox *Hoſcianna*, ideſt, ſalvum fac nunc, ſeu ſalvum fac: ſecundum vero phraſim Hebraicam *Hoſcihanna*, vel ſecundum paraphraſim Chaldaicam pronunciatur. Baronius infra citandus. *Hoſciha* enim denotat, *Salvifica*, & interjectio *Na* valet quantum apud Latinos *Quaſo*. S. Hilarium non recte hoc vocabulum *Redemptionem* interpretatum fuiſſe Hieronymus teſtatur, in quem errorem etiam Ambroſius inciderat. Vide Baron. An. 34. num.6. & ſeqq. Inquiunt Rabbini; quod hæc proclamatio *Hoſanna* dicebatur ab Hebræis, quando die prima feſtivitatis Tabernaculorum excidebant ramos ex arboribus, ut habetur in Levit. cap. 23. ſcilicet: [ Celebrabitis ferias Domini &c. ſumetis vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, ſpatulaſque palmarum, & ramos ligni denſarum frondium, & ſalices de torrente, & lætabimini &c. & habitabitis in umbraculis ſeptem diebus. ] Quæ deprecatio *Hoſanna* in ſenopegiis fiebat. Vide eundem Baron. ibidem num. 6. Igitur ex acclamatione turbæ, [ Quæ venerat ad diem feſtum; cum audiſſent, quia Jeſus Hieroſolymam, acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obviam ei, & clamabant, Hoſanna. Jo: c. 12. num. 12. ] Remanſit hæc acclamatio tam in græca, quam in latina Eccleſia, quæ bis in Miſſa dicitur, ſemel, nempe, Angelorum vice, ac iterum hominum nomine. FR. In poſtilla Jo: Andreæ in cap. firmiter, de ſumma Trinit. habetur ſignificare, ſalva nos, & deberet ſcribi *Oſianna*; ſed eliſa vocali, corrupte dicitur *Oſanna*.

Hospitalarii. V. *Equites Melitenſes*. *Parabolus*.

Hospitale. V. *Brephotrophium*. *Gerontocomium*. Metatorium in dict. *Aſpaticum*. *Noſocomium*. *Orphanotrophium*. *Ptochotrophium*. *Typhlocomium*. *Xenodochium*.

Hospitalitas, eſt ſignum prædeſtinationis. Vide *Xenoparochus*.

Hospitiolum, FR. parvum hoſpitium, can. ſi quis de ſervis, 12. qu. 2.

Hospitium. Vide *Pandocheum*.

Hospitium Novum. FR. ideſt, ſepultura [ Qui certe rationis cauſa novum ſuo corpori quærit hoſpitium. D. Gregorius apud Gratianum poſt can. 7. in §. ſed aliud 13. qu. 2.

Hostia, victima, *Hoſtia* ab hoſte victo dicta; nam poſt obtentam inimicorum victoriam offerebatur; ſed inter Chriſtianos Hoſtia, tam ea, quæ adhuc in panis ſubſtantia, pro Euchariſtia præparatur; quam etiam jam conſecrata, & in corpus Chriſti tranſubſtantiata intelligitur, & præparanda eſt de azymo apud Latinos, quod in fermentato fit a Græcis. Honorius Papa III. anno 1220. ut in ea imago crucifixi imprimeretur mandavit. Antiquitus in elevatione Hoſtiæ conſecratæ fideles manus attollebant. [ Illas manus, quas ad Dominum extuleris, poſtmodum laudando hiſtrionem fatigare. Tertullianus de ſpectaculis, cap. 25. ] FR. in Melita, & in multis Italiæ locis ſolent ruſtici extendere palmam verſus hoſtiam elevatam, & tangere poſtea proprios oculos, quem actum faciebant Gentiles, oriente ſole, & Mahometani faciunt, luna recenter viſa; unde inter Chriſtianos mos iſte creditur, quod tempore Leonis Papæ introductus fuerit; nam Romani ſolebant ejus tempore, more paganico, hos actus in reverentiam ſolis agere, quos idem Papa ſerm. 7. de Nativitate ſic increpaverat: [ De talibus inſtitutis etiam illa generatur impietas, ut ſol inchoatione diurnæ lucis exſurgens, a quibuſdam inſipientioribus de locis eminentioribus adoretur, quod quidem nonnulli etiam Chriſtiani adeo ſe religioſe facere putant, ut priuſquam ad B. Petri Apoſt. Baſilic. quæ uni Deo vivo, & vero eſt dedicata, perveniant; ſuperatis gradibus, quibus ad ſuggeſtum Aræ ſuperioris aſcenditur, converſo corpore ad naſcentem ſolem reflectant, & curvatis cervicibus, in honorem ſplendidi orbis inclinant &c. ] & inferius: [ Abjiciatur ergo a conſuetudine fidelium damnanda perverſitas nec honor uni Deo debitus eorum ritibus, qui creaturis ſerviunt, miſceatur ] Et verſus finem [ In ipſo Sacramento Natalis Domini cogitemus, quod naturæ noſtræ gratia divina contulerit] :||: In Hoſtiæ elevatione etiam aliquæ acclamationes decantari ſolebant, atque Ludovicus Galliarum Rex a civilibus conjurationibus oppreſſus, etiam in actu dictæ elevationis decantari ordinaverat verba hymni:

O ſalutaris Hoſtia,
Quæ cœli pandis oſtium:
Bella premunt hoſtilia,
Da robur, fer auxilium.

Clitov. lib. 5. hymn. eccleſiaſt. Erat etiam Galliæ uſus, ut Sacerdotes novelli in ordinatione eorum ab Epiſcopo conſecratam hoſtiam intra candidiſſimam pergamenam reciperent, quam ipſi poſtea intra quadraginta dierum ſpatium conſumebant, quotidie, nempe, particulam ſumendo in eorum celebratione; in ſymbolum videlicet, ut Fulbertus Epiſc. epiſt. 2. refert, quadraginta dierum, in quibus Salvator noſter poſt Reſurrectionem ſuam cum ejus Diſcipulis manſerat. Ponebatur antiquitus Hoſtia non ante calicem, ut modo fit, ſed ad ejus latus, ad denotandum, ut ait Microlog. de Eccleſ.obſerv. cap.14. Sanguinem Chriſti de ejus latere emanatum, cujus hæc ſunt verba: [ Unde & congrue calix ſub brachio ejus collocatur, quaſi de latere Dominico ſanguinem Domini ſuſcepturus. ] In Eccleſia Mileti vidi antiquum Miſſale de anno 1509. m.s. ubi Hoſtia ad latus calicis depicta erat: eandem cæremoniam obſervant Græci, & ob eandem rationem Summmo Pontifici, ſolemniter

celebranti, ad thronum per Subdiaconum ſiſtentem ad ejus lævam, defertur Hoſtia conſecrata, ſtante Diacono cum calice ad dexteram ejus. Vide *Communio*. Quo vero ad cæremoniam fractionis Hoſtiæ, varia ſymbola adducuntur ab Auctoribus; Microl. enim loc. cit. cap. 18. inquit: [ Cum dicit: Per Dominum noſtrum, rumpit Hoſtiam ex dextero latere juxta ordinem, ad deſignandam Dominici lateris percuſſionem. Deinde majorem partem in duo confringit, ut tres portiones de Dominico corpore efficere poſſit; nam unam in calicem, faciendo Crucem, mittere debet, cum dicit, Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, ad deſignandam corporis, & animæ conjunctionem in Reſurrectione Chriſti. Alteram vero ipſe Presbyter neceſſario ſumit ante calicis participationem, juxta Dominicam inſtitutionem. Tertiam autem communicaturis, ſive infirmis, neceſſario dimittit. ] Alii hanc triplicem Hoſtiæ diviſionem triplicem Eccleſiæ ſtatum ſignificare docent, nempe, particula in calice, Eccleſiam continuo militantem in calice tribulationis agitatam denotare dicunt, ac alias duas partes Eccleſiam triumphantem in purgatorii, ſcilicet, & Paradiſi ſtatu. Biel. in can. & Durand. lib. 4. cap. 51. Divus autem Thomas 3. part. qu. 83. art. 5. ad 8. particulam in ſanguine immerſam Chriſtum triumphantem ſignificare inſtruit, & illam, quam Sacerdos abſumit, denotare corpus Chriſti converſantis; tertiam denique, quæ in tranſactis ſæculis uſque ad finem Miſſæ conſervabatur, (quod & Græci adhuc obſervant) Chriſti corporis in ſepulchro ſymbolum eſſe. Ac alibi idem Sanctus Doctor ait, quod hæ tres Hoſtiæ partes, divinitatem, animam, & corpus Chriſti ſignificent. FR. Quæritur inter doctores, utrum ex hac Hoſtia diviſa poſſit Sacerdos unam partem laico ad communicandum dare: quod communiter negatur; quia ſacerdos debet conſumare totam ſacrificii materiam, quam ſibi deſtinavit ſumendam, ut colligi videtur ex cap. relatum, & cap. comperimus, de conſecr. diſt. 2. cui etiam favet Rubr. Miſſ. de defect. tit. 10. n. 3. ſic tenent Jacob. de Graſſiis, & alii apud Magiſtrum meum Paul. Mariam Quartum in Rubr. Miſſ. part. 2. tit. 10. ſect. 3. dub. 3. difficul. 4. Sed affirmative reſpondendum cum Auctoribus ibidem citatis, quos ſequitur idem Præceptor, & præter rationes ab eo cumulatas, addendus mihi videtur antiquorum uſus, non ſolum Latinorum, ut ſupra ex Microlog. ubi ajebat: [ Tertiam autem communicaturis, ſive infirmis neceſſario demittit ] & ex D. Thoma citat. habetur, quod Latinus Sacerdos unam tantum portionem ſibi ſumebat, & aliam uſque ad finem Miſſæ nonniſi pro communicaturis relinquendam eſſe colligitur; ſed etiam ex Græcorum ritu comprobatur. Nam antequam græcus Sacerdos ſumat conſecrationem, diſcedit ab altari, circuitque cum Sacramento in manibus uſque ad mediam Eccleſiam, & hoc facit, ut ante conſummationem Sacramenti inveſtiget, an aliquis ex Laicis communicaturus ſit. Ad contraria argumenta ſatis ibidem Quartus reſpondet. Notandum hic quoque eſt, quod in Liturgia gothica, quam aliquæ Hiſpaniæ Eccleſiæ adhuc obſervant, & vulgariter eam *Mozarabicam* appellant (de qua ſuo loco dicemus) dividitur in eo ritu Hoſtia in novem partes in memoriam novem præcipuorum vitæ Chriſti myſteriorum, attribuendo, ſcilicet, cuilibet parti ſuum peculiare nomen, ideſt, *Corporatio*. *Nativitas*. *Circumciſio*. *Apparitio*, (videlicet Epiphania) *Paſſio*. *Mors*. *Reſurrectio*. *Gloria*. *Regnum* :||: Ulterius quæritur, an particula Hoſtiæ, quæ in calicem immergenda ſit, debeat frangi ex parte ſuperiori, vel inferiori. Petrus Ruitz in ſuo cæremonial. & Graffius lib. 2. cap. 4. tenent, quod ex parte ſuperiori demenda ſit: contrarium tamen ſentiunt Gavantus, & Quartus. Advertendum tandem eſt, quod in Feria VI. paraſceves, quando Sacerdos immittit prædictam particulam in calicem, non debet facere conſuetas cæremonias in illius orificio. Congr. Rit. 28. Aug. 1627. & clarius in Cæremoniali juſſu Innocentii X. correcto lib. 2. cap. 26. ubi habet: [ Sed ſine ſigno Crucis ] Hoſtiæ ſynonyma. Vide *Holocauſtum*. *Communio*. *Margarita*. Cæremonia adhibenda in oblatione Hoſtiæ, & alii caſus in offertorio Hoſtiæ occurrentes. Vide *Offertorium*.

Hostia Semiplena. FR. ſacrificium extra catholicum ritum. [ Unquam pro deſideriis veſtris ſine ritu catholico, & cano more ſemiplenas nominati Antiſtitis hoſtias obtulerunt? Ennodius in Apologet.

Hostiaria, theca, in qua Hoſtiæ conſecrandæ ſervantur. [ Diaconus latinus accipiens tres Hoſtias ex hoſtiaria, ponit eas ordinatim ſuper patenam. In cæremonial. pontific. lib. 2. cap. 24.

Hranne, porcorum grex. [ Porcellum de hranne, in leg. ſalica tit. 4.

Hugo. Vide *Guido*.

Hugonottus. FR. ſic vocatur in Gallia Calviniſta, cujus etymon varie a diverſis deducitur. Florimundus Remundus in tractatu de Antichriſto cap. 3. inquit, quod Calviniſtæ conjurati ad necandum Regem, dederant inter ſe hoc ænigmaticum ſignum, *Huc nos*, ut ſe ſe cognoſcerent ad invicem. Alii malunt, quod ſic Hæretici ad tribunalia citati ad ſe purgandos dicere ſolebant *Huc nos*. Famianus Strada lib. 3. hiſt. Flandriæ inquit, quod Turonis, ubi primo hoc vocabulum divulgatum fuerat, matres ad terrendos pueros fingere ſolebant adeſſe nocturnum phantaſma, Hugonem ab eis nominatum; hinc quia Calviniſtæ nocturno tempore cœperant ibi congregari, Hugonotti appellati ſint; ſed aliter Petrus Matheiu in hiſtoria Henrici IV. Galliarum Regis refert, nimirum, a quodam Hugone in cujus crypta congregabantur Calviniſtæ, denominatos eſſe Hugonottos.

Humana Tentatio, per quid differat a diabolica. Vide *Tentatio humana*.

Humerale. Vide *Amictus*. Ad differentiam ſuperhumeralis. Vide *Superhumerale*. V. *Rebrachiatoria*.

Humiliate Capita Veſtra Deo, quare jejuniorum tempore dicatur. Vide *Fermentum*.

Humilifico. FR. humilio [ Exomologeſis, proſtrandi, & humilificandi hominis diſciplina eſt. Tertull. de pœnit. cap. 9.

Humilitatis Sarcina, dicitur velum Monialis. Vide *Velum profeſſionis*.

Hunniscus, gladius. Matt. Pariſ. in vita Abbatum.

Hunnus. FR. Scytha; Hunnorum enim natio eſt, quæ paludem meotidem ad mare uſque glaciatum incolit. Ammianus, lib. 21. in principio regionem, & mores deſcribit. Sic etiam Sidon. carm. 2. pro Anthemio in ſtropha quæ incipit: [ Albus Hyperboreus. ] De Hunnis agit Baron. An. 383. n. 2. An. 395. n. 13. & ſeqq. An. 396. num. 13. & ſeqq. An. 468. n. 26. An. 527. n. 56. An. 539. n. 10. An. 552. num. 18. An. 558. num. 6. & ſeqq. An. 568. num. 3. An. 788. num. 5. & 6. An. 795. num. 65. An. 902. num. 16. An. 924. num. 2. An. 933. num. 6. Ac D. Hieronymus de Hunnis in epiſt. ad Oceanum in epitaphio Fabiolæ.

Hura, pileus villoſus, ex gallico vocab. *Hure*, ideſt, caput urſi, ſeu alterius feræ, [ Capitis ſui galerus, qui hura dicitur. Matth. Pariſ. in vita Abbatum ] in quo tempore ſolebant Epiſcopi pileum geſtare. Vide *Galerus*.

Hussitæ, hæretici. Vide. *Orebitæ*. *Thaboritæ*.

Hustingus, locus, in quo juſtitia adminiſtratur, ex Saxonicis vocibus *Hus* domus, & *Dingh* judicium. [ Lodinenſes, facta communicatione in ſuo huſtingo. Matth. Pariſ. in hiſt.

Hyacinthina Vestis. Vide *Thycinina*.

Hyades, ſignum cœleſte. Vide *Arcturus*.

Hybernandi Locus. Vide *Parachemadion*.

Hydra. Vide *Excetra*.

Hydraulum, ὕδραυλος, muſicale organum, quod aquæ artificio ſonum emittit. Iſidorus tamen lib. 3. Etym. cap. 21. non recte illud determinat, inquiens: [ Organum vocabulum eſt generale vaſorum omnium muſicorum; hoc autem, cui folles adhibentur, hydralum Græci nominant; ut autem organum dicatur, magis ea vulgaris eſt conſuetudo. ] Quia non illud cui folles adhibentur *Hydraulicum* dicitur, ſed quia mediante aqua ſonum emittit, ut Tertullianus lib. de anima cap. 14. optime deſcribit, inquiens: [ Specta portentoſiſſimam Archimedis munificentiam, organum hydraulicum dico, tot membra, tot partes, tot compagines, tot itinera vocum, tot compendia ſonorum, tot commercia modorum, tot acies tibiarum, & una moles erunt omnia; ſic & ſpiritus, qui illic de tormento aquæ anhelat, non ideo ſeparabitur in partes, quia per partes adminiſtratur, ſubſtantia quidem ſolidus, opera vero diviſus. ] FR. Tertullianus Archimedem hujus inſtrumenti auctorem facit, ſed Plinius lib. 7. cap. 37. Creſibium inventorem fuiſſe ait: Svetonius vero in Nerone cap. 41. refert Romæ ante Neronem fuiſſe incognitum: ubi de eodem Nerone loquens, hæc ait: [ Reliquam diei partem per organa hydraulica novi, & ignoti generis circumduxit. ] Quinimo Vitruvius quodlibet inſtrumentum pro attrahenda aqua, ſive quod trahitur ab ea hydraulum appellat. Reliqua. Vide *Organum*.

Hydria, ὑδρία, vas ad ferendam aquam; nam ὕδωρ græce aquam ſignificat. Oveti in Hiſpania ſumma veneratione conſervatur hydria, una, ſcilicet, ex illis ſex, in quibus Chriſtus Dominus primum ſignorum ſuorum oſtenderat, quando aquam ad Canæ galilææ nuptias in vinum mutaverat. Marian. lib. de rebus Hiſpan. Alia ſimiliter ex his ſex hydriis Andreas Hungariæ Rex una cum aliis venerabilibus reliquiis ex Syria evexerat. Annal. Flandr. lib. 8. FR. Etiam Ravennæ in Eccleſia S. Mariæ in Portu alia ex eiſdem hydriis porphyretica aſſervatur, in cujus fundo Julius Papa II. foramen fieri juſſit, ne ad aliud opus inſerviret. Hieronymus Fabrus in ſacris memoriis Raven. part. 1. pag. mihi 280.

Hydromantia, ὑδρομαντεία. FR. Divinationis ſuperſtitioſum genus. [ Igitur genus divinationis a Perſis fertur eſſe allatum; Varro autem dixit divinationum quatuor eſſe genera, terram, aquam, aerem, & ignem. Hinc Geomantiam, Hydromantiam, Pyromantiam, Aeromantiam dictas autumat. Divini dicti ſunt, quaſi Deo pleni; divinitate enim ſe eſſe plenos ſimulant, & aſtutia quadam fraudolenta hominibus futura conjectant. Duo autem genera divinationis ſunt ars, & furor. Incantatores autem dicti ſunt, qui artem verbis peragunt. Arioli vocati ſunt, propterea quia circa aras idolorum nefarias preces emittunt, & funeſta ſacrificia offerunt, hiſque celebrationibus Dæmonum accipiunt reſponſa. Haruſpices nuncupantur, quaſi horarum inſpectores: dies enim, & horas in agendis negotiis, operibuſque cuſtodiunt, & quid per ſingula tempora obſervare debeat homo, intendant; ii etiam exta pecudum inſpiciunt, & ex eis futura prædicunt. Augures ſunt, qui volatus avium, & voces intendunt, aliaque ſigna rerum, vel obſervationes improviſas hominibus occurrentes ferunt. Iidem ſunt Auſpices; nam & auſpicia ſunt, quæ iter facientes obſervant. Dicta autem ſunt Auſpicia, quaſi avium ſpicia; & Auguria, quaſi avium garia, ideſt, avium voces, & linguæ. Item augurium, quaſi avigerium, quod aves gerunt. Duo autem ſunt genera Auſpiciorum, unum ad oculos, alterum ad aures pertinens: ad oculos, ſcilicet, volatus, ad aures ex avium. Pythoniſſæ a Pythonio Apolline dictæ, quod is auctor fuerit divinandi. Aſtrologi dicti ſunt, eo quod in aſtris augurantur. Genethliaci appellati ſunt propter natalitiorum conſiderationes dierum. Geneſes enim hominum per XII. cœli ſigna deſcribunt, ſyderumque curſu naſcentium mores, actus, & eventus prædicere conantur, ideſt, quali ſigno fuerit natus, aut quem effectum habeat vitæ qui naſcitur, interpretantur. Hi ſunt qui vulgo Mathematici vocantur: cujus ſuperſtitionis genus conſtellationes Latini vocant, ideſt, notiones ſyderum, quomodo ſe ha-

habeant cum quis naſcitur. Primum autem genus, ideſt, ſtellarum interpretes Magi nuncupabantur: ſicut de his legitur in Evangelio, qui natum Chriſtum annunciaverunt; poſtea hoc nomine ſoli Mathematici dicti ſunt, cujus artis ſcientia uſque ad Chriſtum fuit conceſſa, ut Chriſto edito, nemo exinde nativitates alicujus de cœlo interpretaretur. Horoſcopi dicti, quod horas nativitatis hominum ſpeculentur diſſimili, & diverſo facto. Sortilegi ſunt, qui ſub nomine &c. *ut ſupra.* Salitores vocati ſunt, qui dum eis membrorum quæcumque partes ſalierint, aliquid ſibi exinde proſperum, ſeu triſte ſignificari prædicunt, ex D. Auguſtino lib. de natura Dœmonum] ita apud Gratianum can. Igitur genus 26. quæſt. 3. Sed Auguſtini liber talis nedum extat; imo nec verba illa: Cujus artis ſcientia uſque ad Chriſtum fuit conceſſa &c. Auguſtino ullo pacto nequeunt convenire; bene tamen lib. 7. de Civitate Dei cap. 35. de Hydromantia hæc habet: [ Quibus hæc artibus fiant, ipſi viderint. Nolo enim dicere has artes etiam ante noſtri Salvatoris adventum in ipſis Civitatibus gentium legibus ſolere prohiberi, & pœna ſeveriſſima vindicari. Nolo, inquam, dicere: fortaſſis enim talia tunc licebant. ] Ex quibus Gratianus, ſeu alius quiſpiam male verterat. Sed lib. de divinat. Dœmonum to. 3. nil ſive pauca de iis egit Auguſtinus. Gratiani tamen Poſtillator Iſidorum lib. 8. etymolog. cap. 9. citat. De aliis ſimilibus ſuperſtitioſis artibus. Vide hic *Caragus*. *Extipices*.

HYDROMYSTA, ὑδρομύςης, qui curam habet in Eccleſia conficiendi aquam benedictam, & eadem Eccleſiam intrantes aſpergere. Syneſius epiſt. 121.

HYDROPARASTATÆ, ὑδροπραςάται, hæretici, qui puram aquam in Miſſa offerebant; inde Aquarii etiam appellati ſunt. Vide *Aquarii*; contra quos D. Jo. Chryſoſtomus ſcripſerat, ex cujus auctoritate male intellecta Armeni ſeducti, ad aliud erroris extremum exceſſerunt, non adhibendo aquæ guttas in calice, ſolum vinum offerentes, quorum error in Synodo Trullana can. 36. damnatus fuit. Hydroparaſtatarum autem ſeductor Marcion fuit, qui docebat merum eſſe diaboli ſanguinem, qui ut fabulabatur Severus, ſub forma ſerpentis cum terra ſub fœminæ figura conjunctus fuerat, & nata eſt vitis, ex qua fabula etiam originem habuit Manichæorum error, qui fellem diaboli vinum eſſe aſſerebant, & tempore Leonis Papæ non conſecrabant ſub ſpecie vini. S. Jo. Chryſoſtomus, & Irenæus Ebionem faciunt hujus hæreſis auctorem. FR. Baronius tamen An. 174. num. 3. Tatianum ex Syria Platonicum refert ex D. Auguſtino aquarium fuiſſe; ſed revera Marcioniſtam hunc fuiſſe ex eodem Baronio ibidem n. 5. & ſeqq. conſtat: || : Aliud genus aquariorum reperiebatur, qui tamen Catholici erant; ſed in Miſſa, quæ celebrabatur de mane, aquam offerebant ob metum, ne ab odore vini tanquam Catholici detegerentur a perſequutoribus fidei; in ſacrificio vero veſpertino vinum offerebant, contra quorum errorem S. Cyprianus ſcripſerat. V. Baron. An. 257. n. 9. & 10.

HYDROPHOBUS, ὑδρόφοβος, qui aquam timet. [ Nam & enectos, & lymphatos, & hydrophobos, vocant, quos aquæ necaverunt, aut amentia, vel formidine exercuerunt. Tertull. de bapt. cap. 5. ] ubi ait: *Enectos*, ideſt, quos aquæ necaverunt, *Lymphatos*, nempe, quos amentia aquæ exagitavit, & *Hydrophobos*, quos formido aquæ terrebat intelligendum eſt. Solent, ut ajunt, hunc aquæ timorem apprehendere illi, quos rabibi canes mormoderant.

HYDROPHYLAX, ὑδροφύλαξ, aquarum cuſtos, quem Latini *Caſtellarium* nuncupabant. Vide *Signatus manu*.

HYDROSCOPIUM, ὑδροσκόπιον, aquæ ſpeculatio; atque pro aquæ inſtrumento libratorio accipitur, quod a Syneſio Epiſc. epiſt. 15. ita deſcribitur: [ Eo ſum infortunii redactus, ut hydroſcopio opus habeam, jube mihi fabricari, ac coemi. Tubulus eſt cylindri figuram habens, tibiæ magnitudine, atque forma. Hic in una redacta linea inciſiones habet, quibus aquarum libramentum cognoſcimus; obturat enim illum altera ex parte conus æquabili poſitura inſertus; ita ut communis ſit amborum baſis, coni, videlicet, atque tubi. Hoc ipſum eſt, quod baryllum appellant. Jam cum tubulum inde poſueris, erectus ſubit, ut in eo inciſiones facile numerare poſſis, ex quibus libramentum cognoſcitur. ] Vide *Baryllum*.

HYEMANTES, erant illi, qui propter enormia & gravia delicta manebant ſub dio prope Eccleſiam, agentes publicam pœnitentiam; non enim admiſſi erant in Eccleſiæ porticu cum aliis pœnitentibus. [ Eos, qui rationis expertia animantia inierunt, & qui leproſi ſunt, vel fuerunt, juſſit Sancta Synodus inter hyemantes orare. Concil. Ancyr. can. 17. apud Balſamonem. ] De his enim loquutus eſt Tertullianus, ubi de pudicitia agens, ſic inquit: [ Reliquas autem libidinum furias impias, & in corpore, & in ſexu ultra jus naturæ, non modo limine, verum omni Eccleſiæ tecto ſubmovemus, quia non ſunt delicta, ſed monſtra. ] Eſt autem ſcitu dignum, quod in primitiva Eccleſia quinque gradus publice pœnitentium fuerant, de quibus S. Gregor. Thaumaturgus mentionem facit. Primi enim *Flentes*, ſeu *Lugentes*, & a Latinis *Hyemantes* nuncupabantur: hi cilicio induti, & extra Eccleſiam humi proſtrati a fidelibus Eccleſiam intrantibus veniam de commiſſis ſcandalis poſcebant, de quibus in d. tractat. de pudicitia cap. 3. Tertullianus ait: [Conciliciatos, concineratos, cum dedecore, & horrore compoſitos, proſtratos in medium ante viduas, ante Presbyteros, omnium lacrymas ſuadentes, omnium veſtigia lambentes, omnium genua detinentes. ] Secundus pœnitentium ordo eorum erant, qui *Audientes* dicebantur; hi namque in Narthece cum Cathecumenis admiſſi erant, quibus audire verbum Dei permittebatur; expulſi tamen erant tempore conſecrationis. Tertii vocabantur *Subſtrati*, vel *Subjecti*: quia aliquanto diutius cum illis Cathecumenis permanebant, ac ſubſtrati recipiebant ab Epiſcopo manuum impoſitionem, qui ſuper eos aliquas preces recitabat: [ Subſtra-

ſtrati vero intra Eccleſiam retro ambonem ſtant, atque cum cathecumenis egrediuntur ipſi. Blaſtarius.] Quarti gradus erant *Conſiſtentes*, qui conſiſtebant cum cæteris fidelibus in Eccleſia, ſed in oblationibus minime admittebantur. [ Conſiſtentes porro ſunt, qui fidelibus comprecantur, & ſimul pſallunt; myſteriorum vero participatione abſtinent. Idem Blaſtar. ] Tandem quintus, & ultimus ordo erat illorum, qui peracta jam pœnitentia, participes fiebant Sacramentorum, ſed a cæteris fidelibus aliquatenus diſtinguebantur; non enim omnibus privilegiis cæteris Chriſtianis conceſſis fruebantur, & ideo ſedebant in humiliori loco. Verba autem Thaumaturgi a Balſamone allata, hæc ſunt: [ Fletus, ſeu luctus eſt extra portam oratorii, ubi peccatorem ſtantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro ſe precentur. Auditio eſt juxta portam in porticu, ubi oportet eum, qui peccavit, ſtare uſque ad catechumenos, & illinc egredi. Audiens enim, inquit, Scripturas, & doctrinam ejiciatur, & precatione indignus cenſeatur. Subjectio autem, ſeu ſubſtractio eſt, ut intra templi portam ſtans, cum cathecumenis egrediatur. Congregatio, ſeu conſiſtentia eſt, ut cum fidelibus conſiſtat, & cum catechumenis non egrediatur. Poſtremo eſt participatio Sacramentorum: ] Supra in dictione *Catechumenus* diſtinximus duplicem Catechumenorum gradum, quorum unum *Competentium* eſſe demonſtravimus, qui ante prædictam benedictionem Epiſcopalem non diſcedebant. Vide *Pœnitentes*.

Hyems Legalis, a D. Epiphanio Epiſcopo hoc titulo appellata eleganter fuit Synagoga in ſermone de Dominica Palmarum a Gonſalvo Ponceleone in latinum his verbis tranſlato: [ Plantati in domo Domini in aulis ipſius, verno tempore efflorеſcentes feſtum ducimus diem, legalem hyemem abeuntem cernentes. ] Synagoga enim figura rigidiſſimæ hyemis fuit, cui placidiſſimum evangelicæ gratiæ ver ſubſecutum fuit.

Hyeracis Civitas in Calabria. Vide *Cyriaca*.

Hymnarium, FR. liber, in quo hymni continentur, at in corruptis ſæculis *Imnarium* dicebatur: ſic in quodam lapide tempore Joannis Papæ IX. in S. Maria ad ſcholam græcam legitur, ubi ſic incipit: *Sume Valeriane*; ibi enim inter cætera relinquitur eidem Eccleſiæ *Unum Imnarium*.

Hymnista, Auctor, ſeu cantor hymnorum.

Statæ nunc hymniſtæ pro receptis parvulis.

Prudentius: qui verſus corrigi non debet, quemadmodum aliqui exiſtimarunt; nam quamvis tertius pes deberet eſſe trocheus; tempore tamen Prudentii diphthongus eundem quantitatis valorem habebat communiter, ac ſi eſſet ſimplex, E, breve.

Hymnizo, hymnos, compono, recito, ſeu canto. [ Et qui pro indulgentiæ deſiderio iniquitates ſuas annunciant, in tabernaculis juſtorum hymnizant. Gregor. in prologo ad Pſalmos pœnitentiales.

Hymnologia, ὑμνολογία, hymnorum recitatio: [ Signo ſiquidem dato cum fratribus conveniens ( *ideſt*, *S. Remigius* ) horarum laudes perſolvebat hymnologiarum. In hiſt. Remenſi, cap. 25. ] Item *Hymnologiam Catholicam* D. Dyoniſius appellavit ſymbolum fidei, quod in Miſſa recitatur.

Hymnus, ὕμνος, metricus verſus. FR. Differunt hymni a Threnis, quia hymni ſunt cantica laudis, & threni cantica lamentationum. Gloſſa, de reliquiis, & venerat. Sanctorum: ]|: Primus in Sac. Scriptura Auctor hymnorum Moyſes fuiſſe reperitur, ex cujus exemplo in Eccleſia catholica ab apoſtolica traditione introductus eſt hymnorum cantus. [ De quibus hymnis in Eccleſia canendis, & ipſius Domini, & Apoſtolorum habemus documenta, exempla, & præcepta. Auguſt. epiſt. 119. cap. 18. ] Paulus Samoſatenus hæreſiarcha excludebat ſacros hymnos ab Eccleſia, quod unum ex capitibus fuit, per quæ ille in Concilio Antiocheno damnatus eſſet. Quantæ autem efficaciæ ſint ſacri hymni, experientia ipſa demonſtravit; nam S. Ephrem hymnis ab eo compoſitis harmonice Harmonii errores confutavit, quo ſtylo uſi ſunt Gregor Nazianz. contra Apollinarem, Prudentius in diverſa hæreticorum dogmata, ſic & alii ſimiliter. Antiqua eſt quæſtio agitata, qualis, ſcilicet, fuiſſet hymnus, quem Chriſtus Dominus una cum diſcipulis poſt ultimam cœnam cecinerat, de quo Evangeliſta teſtatur: [ Et hymno dicto, exierunt in Montem Olivetum &c. ] D. Auguſt. in epiſt. 253. ad Ceretium Epiſc. aſſerit, quod in ejus ævo hymnus reperiebatur, quem Dominus in ſupradicta cœna ceciniſſe exiſtimabatur; ſed ejus verba apocrypha reputantur a Baronio ad An. 34. num. 65. nam Cardinalis hic docet, quod in Ritualibus Hebræorum reperiebantur aliquæ preces poſt ſolemnes cœnas recitandæ, & pro hac cœna agni paſchalis, in qua Chryſtus hymnum dixerat, ſignanter in eo Rituali pſalmus *In exitu Iſrael &c.* ac alii breves pſalmi reperiebantur præſcripti. Paulus Burgenſis in rebus hebraicis expertus, fuerat enim ille hebræus origine, pſalmum 112. qui apud Hebræos eſt 113. commentans, hymnum a Chriſto dictum pſalmum *Laudate pueri* cum aliis quinque ſequentibus fuiſſe ait; nam Hebræi ſex pſalmos poſt cœnam agni paſchalis canebant, incipiendo a pſalmo *Laudate pueri* cum quinque ſequentibus, omnibuſque ab *Alleluja* incipientibus, qui ſimul uniti *Magnum Alleluja* nuncupabantur. Albinus vero Flaccus ſemel a Carolo Magno ejus diſcipulo de hoc dubio interrogatus, reſpondit ſe exiſtimare non fuiſſe hymnum metricum, quem Chriſtus cecinerat; verum potius ultimum ſermonem Dominicum: *Pater clarifica filium tuum &c.* de quo Evangeliſta Jo. cap. 17. Inter Græcos primus græcorum hymnorum Auctor Hierotheus ab Euſebio lib. 7. hiſt. cap. 19. refertur; ſicut & inter Latinos Hilarius Pictavienſis Epiſc. primus fuerat, ut Iſidorus de Eccleſ. off. lib. 1. cap. 6. teſtatur inquiens: [ Sunt autem divini hymni, ſunt & ingenio humano compoſiti. Hilarius autem Gallus Epiſc. Pictavienſis eloquentia conſpicuus hymnorum carmine floruit primus, poſt quem Am-

broſius Mediolanenſis Epiſc. &c. ] FR. idem teſtatur IV. Toletanum Concil. his verbis : [ Et quia nonnulli hymni humano ſtudio in laudem Dei, atque Apoſtolorum, & Martyrum triumphos compoſiti eſſe noſcuntur, ſicut ii, quos Beatiſſimi Doctores Hilarius, atque Ambroſius condiderunt. In decretal. Gratiani de conſec. diſt. 1. can. 53. ] Auctores hymnorum Officii divini habentur notati apud Gavantum in explicationibus rubricarum, quos vulgari idiomate explicavit Dominicus hujus Operis Auctor, ſub anagrammatico tamen nomine Nicodemo Grima, ideſt, Domenico Magri: ||: Quod autem ſpectat ad eorum cæremonias. Si hymnus incœperit cum invocatione Dei, vel Chriſti; tunc Celebrans debet extollere manus, illaſq; mox conjungere, ac caput verſus Altare inclinare, ut inſtruit Cæremoniale Epiſcoporum, lib. 2. c. 14. In hymno Sanctorum Confeſſorum ab Urban. Octavo correcto mutanda ſunt illa verba *Meruit beatas ſcandere ſedes*; quando, ſcilicet, non celebratur obitus illius Sancti; tunc enim dicendum, *Meruit ſupremos laudis honores*: puta ſi celebranda ſit ordinatio, ſeu translatio alicujus Sancti, & in feſto ſtigmatum S. Franciſci, & ſimlium; non vero quando aliquod Confeſſoris officium a propria natalitii die propter aliquod impedimentum juxta rubricarum ordinationes contingit transferri, quod ſolent in hoc parum cauti typographi in libello, cujus titulus eſt *Ordo Officii*, ſæpe errare; nam ſicut in die Sancti tranſlato in oratione dicitur *Natalitia &c.* ſic etiam licet feſtum ejuſdem transferatur, prædicta hymni verba mutari non debent, quia ſemper eſt celebratio obitus illius Sancti; ſicut nec etiam in translatione officii alicujus Sancti non mutantur hæc verba in hymno laudis poſita:

Dies reſulſit lumine,
Quo Sanctus hic de corpore
Migravit inter ſidera.

In quibus verſiculis hymnorum genuflecti debet. Vide *Genuflexio.* Quare non dicatur hymnus ad Epiphaniæ Matutinum. Vide *Epiphania*. Hymnus Ambroſianus. Vide *Te Deum laudamus*. Hymnus angelicus. Vide *Gloria in excelſis Deo.* Hymnus *Gloria laus &c.* qui in Dominica Palmarum canitur. Vide *Palmarum feſtum*. Reliqua. Vide *Macariſmus. Stropha. Verſus*.

Hyopa, hirſutus. [ Prolixitate, & denſitate comarum ſatis hyopam: Luitprandus. In legat. ] ubi de Nicephoro Imp. loquitur, ὕωπα græce viſionem porci ſignificat.

Hypante, & *Hypapante*, græce ὑπαντὴ, & ὑπαπαντὴ ideſt, humilis occurſus. Baron. An. 544. n. 10. ſic vocant Græci feſtivitatem Purificationis B. M. Virginis, quia S. Simeon Chriſtum infantem, & ſub humili humanitatis indumento exinanitum occurrit. De origine hujus feſtivitatis egit Baronius An. 1. nu. 38. ſed æquivocatur An. 58. n. 77. & An. 544. n. 10. & in Notis ad Martyrolog. ad feſtum Purificationis, ubi inquit ſaturnalia, & lupercalia Gentilium a Gelaſio Papa in feſtum Purificationis immutata fuiſſe: nam licet verum ſit, quod Gelaſius conatus ſit ſuperſtitionem lupercalium auferre; ex ejus tamen Apologia ab eodem Baronio, An. 496. n. 27. & ſeqq. allata, nil conſtat de inſtitutione feſti Purificationis loco lupercalium, vel ſaturnalium; imo ex Innocentio III. in ſermone hujus feſtivitatis hoc feſtum in loco Amburbialium, ſeu Ambarvalium, quæ ſuperſtitioſe colebantur a Gentilibus, inſtitutum fuiſſe liquet. FR. Lupercalia enim Romanorum ad XV. Kalend. Martii Lilius Greg. Gyraldus in hiſt. Deorum, Syntagma 17. de celebritatibus, & feſtis, & Alexander ab Alexandro in Genial. Dierum, lib. 4. c. 12. fuiſſe teſtantur :||: At vero Amburbalia in principio menſis Februarii celebrabantur, quod cum feſto Purificationis coincidit: ut ex Innocent. III. liquet, qui ſic ait: [ In principio menſis Februarii Proſerpina rapta fuit a Plutone, quam facibus accenſis in Æthena tota nocte per Siciliam quæſiſſe credebatur: ipſi ad commemorationem ipſius, facibus accenſis in principio menſis, Urbem de nocte luſtrant; unde feſtum iſtud amburbiale, ideſt, luſtratio, vel proceſſio, ab Urbis ambitu amburbiale dictum. Cum autem Sancti Patres conſuetudinem iſtam non poſſent penitus extirpare, conſtituerunt, ut in honorem B. Mariæ Virginis cereos portarent accenſos, & ſic quod fiebat ad honorem Proſerpinæ, modo fit ad laudem Mariæ, in ſerm. Purificat. ] FR. Cum quo concordat Rabanus Maurus de Eccleſiæ cæremoniis, lib. 2. cap. 33. inquiens: [ Eſt quoque feſtivitas hæc purificationis, incipiente Februario menſe, quia Februo, ideſt, Plutone, qui luſtrationum potens a gentibus credebatur, ita vocatus eſt, luſtrarique eo menſe apud Romanos Civitatem conſuetudo erat, ut juſta Diis manibus ſolverentur; ſed hanc luſtrandi conſuetudinem bene mutavit Chriſtiana Religio, cum in menſe eodem, die Sanctæ Mariæ plebs univerſa cum Sacerdotibus, ac miniſtris, hymnis & modulationibus devotis per Eccleſias, perque congrua Urbis loca procedit: datoſque a Pontifice cuncti cereos in manibus geſtant ardentes &c. ] Itaque Februarius a Februo, nempe, Plutone Proſerpinæ raptore, vel a Februa, ideſt Proſerpina rapta appellatus fuit. Vide Auctores apud prædictum Gyraldum in hiſtoria Deorum, Syntagma 17. tit. de Inferorum ſacrif. :||: Idem referunt Durand. lib. 7. cap. 7. Beda de temp. aliique AA. graviſſimi. Præterquam quod ex ipſa luminum accenſione magis cum amburbialibus, quā cum lupercalibus ſimilitudinem habet. Cœperat hoc feſtum Purificationis celebrari Conſtantinopoli tempore Juſtiniani Imperatoris: ſic enim Landulphus in ejus vita ait: [ An. imperii Juſtiniani decimo quinto menſe Octobris facta eſt mortalitas Byzantii, & eodem anno Hypapante Domini ſumpſit initium, ut celebraretur ſecunda die Februarii menſis. ] Idem affirmat Siffridus presbyter, lib. 1. epiſt. 2. inquiens: [ Sub Pelagio Papa, & Juſtiniano Imperatore ſumpſit initium apud Con-

ſtantinopolim, ut Hypante Domini, ideſt, Purificatio B. M. Virginis ſolemniter celebraretur.] Proceſſio vero, quæ cum candelis fit in hac die, a Sergio Papa fuerat inſtituta, ut ex Ord. Rom. conſtat: ſed quo ad cæremoniam candelarum, cenſendum eſt vetuſtiorem fuiſſe, cum de ea habeatur S. Eligii ſermo; necnon antiquiores Sancti etiam de eadem mentionem faciant apud Baron. in Notis cit. Martyrol. Vide *Candela*.

HYPASPITES, ὑπασπιςής, ſcutifer, adjutor, propugnator. Eſt enim ab ὑπὸ, ſub & ἀσπὶς *ſub, ſcutum, parma*,: quaſi qui ſub ſcuto protegit. Sed uſitatius apud Latinos *hyperaſpites* dicitur, Græce ὑπερασπιςὶς in eodem ſignificatu: ab ὑπὲρ. *pro*, quod in compoſitione auxilium denotat, ſeu a verbo ὑπερασπίζω, *protego, pugno, ſtrenuè*. Hac voce inter ceteros utitur D. Hieronymus, in Præfatione in Pentateuchum: ubi confutat mendacium de 70. cellulis, in quibus, ut aliqui fabulabantur, 70. Interpretes ſeparatim ſacros Libros juſſu Ptolomæi Philadelphi, ex hebraico in græcum, ſpiritu prophetico, & iiſdem verbis tranſtuliſſent. Probat hujus commenti falſitatem, ex eo quod Ariſtæus ejuſdem Ptolomæi *hyperaſpites*, & multo poſt tempore Joſephus nihil tale retulerint. Attamen non deſunt Patres, qui uti veritatem adſtruant, quod D. Hieronymus rejicit ut mendacium.

HYPATE, ὑπάτη, ideſt, principalis chorda citharæ inferior tenoris dicitur, quæ graviorem ſonum præ cæteris reddit; ejus enim tonus principalis in harmonia habetur; [Jam enim hypate quoque, cum ſit nete contraria, eſt tamen una harmonica. Clem. Alexand. lib. 1. ſtrom. cap. 5.] Vide *Nete*.

HYPATUS, ὕπατος, principalis; accipitur tamen pro dignitate conſulari. [Poſt hæc Patritii, Hypati, omneſque Inclyti introjerunt. In vita S. Agathonis Papæ.

HYPERASPISTES. Vide *Hypaſpiſtes*.

HYPERBERETÆUS, October menſis, ὑπερβερεταῖος, eſt ultimus anni menſis apud Macedones, de quo fit mentio in cap. propter Eccleſias, diſt. 18. FR. ac etiam in canonibus Apoſtolicis. [Bis in anno Epiſcoporum celebratur Synodus &c. ſemel quidem quarta feria Pentecoſtes, ſecundo duodecima hyperberetæi, can. 36.] ibi Poſtillator ait: [Secundum vero concilium idibus octobris habeatur, qui dies apud Græcos hyperberetæi menſis decimus invenitur. Concil. Antioch. cap. 20.] In aliquibus Codicibus *Hyperbiti* legitur mendoſe. Item allegorice ætas præceps intelligitur, ideſt, autumnoſa; cum fuerit hic menſis præcipue penes Macedones ultimus anni periodus.

HYPERDULIA. Vide *Dulia*.

HYPERPYRON, ὑπέρπυρον, monetæ genus. [Dotis autem quantitas erat in centum millibus hyperpyrorum juſti ponderis, exceptis decem aliis ejuſdem monetæ millibus. Guliel. Tyrius de Bello Sac. lib. 18. cap. 18.] quæ vox in primæva ejus ſignificatione valde ignitum denotat.

HYPERTHESMUS. Vide *Yperthesmus*.

HYPOBOLON. FR. dotalitium, ex græco ὑπόβολον, ideſt, donatio propter nuptias. Vide *Antiphatum*.

HYPOBRICHIUM, ὑποβρύχιον, maris fundum, ſeu ſubmerſio. [Cæterum inenatabile impactis naufragium eſt, irreſpirabile devoratis, hypobrychium eſt in idolatria. Tertull. de Idolatr. cap. 24.] Vide *Abyſſus*.

HYPOCHAMISUM, induſium, ſubucula, vox græcobarbara ὑπὸ, ideſt, ſub, & camiſum, nempe, induſium: [Dicebat ſemper, quod poſſet intentione dandi pauperibus, expoliare divites, & ipſum etiam hypocamiſum ab eis benevole auferre. Anaſt. in vita S. Jo. Eleemoſyn.] Vide *Eſophorium*. *Polyris*.

HYPOCAUSTUM. Vide *Pyrale*.

HYPOCRISIS. Vide *Duplicitas*.

HYPOCRITA. FR. ὑποκριτὴς, hiſtrio, ſimulator, qui perſonam fictam in ſcena ſimulat: hinc, qui ficte bonitatem vitæ oſtentat, Hypocrita dicitur. Inepta vero Lirani etymologia videtur in Matthæi commento, ubi ſic ait: [Hypocrita dicitur ab Hypos, quod eſt ſub; & criſis, aurum; quia ſub auro, vel ſub honeſtate exterioris converſationis habet abſconditum plumbum falſitatis,] quis unquam in hoc adagio *Sub auro* poſſet nomen ſimulationis excogitare? Alia etiam improprietas eſt; nam aurum *Chryſos*, & non *Criſis* dicitur, & ſic *Hypochryta*; & non *Hypocrita* in ejus ſenſu debuiſſet ſcribi. Vide *Paries dealbatus*.

HYPODIACONUS. Vide *Subdiaconus*.

HYPOGEUM, græcum vocabulum ὑπόγειον, ideſt, ſubterraneum, quo vocabulo Antipodes appellavit Tertullianus. Item ſepulcra, cavernas, cœmeteria, & ſimilia denotat aliquando.

HYPOMIMNISCON. FR. græce ὑπομιμνήσκων, rememoratorius, ut in epiſt. Concilii Lugdunenſis ad Gregorium X. habetur, ideſt, qui ex officio ſuggerere, & rememorare tenetur, quem alii *A memoria* dicunt; hodie *Cæremoniarum Magiſter* dicitur.

HYPOMNEMATOGRAPHUS ὑπομνηματογράφος, memorialium ſcriptor; miniſter erat in Eccleſia Conſtantinop. qui Epiſcoporum conſecrationes regiſtrabat.

HYPOMNESTICUM, ὑπομνηςικόν. FR. Scholion, poſtilla, abbrevatio, compendium; ſic enim ejus compendium intitulavit Anaſtaſius in Collectaneis per Sirmondum in 8. edit. pag. 151. qui Anaſtaſius Joanni Diacono ſcribens, in epiſtola ad initium ejuſdem Collectaneæ, ait. [Exhibeo &c. una cum hypomneſtico, declarante breviter geſta Sanctorum &c.

HYPOSTASIS, ὑπόςασις, ideſt, perſona: diu ſuper hoc vocabulum inter latinos, & græcos Patres olim altercatum fuerat, renuentes latini tres hypoſtaſes in divinis admittere, exiſtimantes, (ut ait Auguſtinus, lib. 7. de Trinit. cap. 8. & 9.) quod hoc nomen ſubſtantiam ſignificaret, quia in Deo unam tantum ſubſtantiam fides eſſe docet, de qua Latinorum renitentia ad Euſebium ſic, ep. 10. conqueſtus eſt D. Baſilius: [Quale nobis auxilium ab Occidentalium ſupercilio, & faſtu aderit, qui veritatem neque norunt, ne-

neque dicere ſuſtinent? ] Sed tractu temporis deinde melius inſtructi Latini hanc vocem, quæ antea illis inſolita, aſpera, ac ambigua videbatur, inter eos etiam antiquitate, ſuavitate, atque claritudine abſque ullo ſcrupulo in ſignificatu perſonæ ſemper adhibita fuit. Vide *Homoypoſtata*. *Sine invicem*. *Stacte*.

HYPOTHECATUS. Vide *Manipulus*.

HYPSOMA ὕψωμα, ſublimitas. [ Poſitus in ſuo hypſomate, & domicilio. Tertull. ad Scap.

HYSTERA, uterus maternus, ex græco, ὑστέρα. [ Diſſolvere opera hyſtera adhortantur. Iren. lib. 1. c. 35.] Ubi de Ophitis hæreticis loquitur, qui ſerpentem adorabant.

# I

I Litera. FR. & L promiſcue ſcribebant Longobardi. Vide Camillum Peregrinum de Princip. Longobard. in caſtigat. Lupi Protoſp. pag. 73. ad An. 886.

JA. Vide *Janthinus*.

JABES. Vide *Naas*.

JACHIN, nomen columnæ dexteræ in porticu Templi Salomonis, quod firmitas interpretatur. Vide *Dextera*.

JACOBITÆ, Hæretici. Vide *Monophyſitæ*.

JACTATIO PENSILIS. Vide *Oſcillum*.

JACTIVUS, contumax, vocabulum legis Salicæ. [ Placitum ſuum neglexit, & jactivus exinde remanſit. Marculf. lib. 1. formular. cap. 37.

JANICULUM, Trans Tyberim, ubi antiquitus erant molendina. Vide *Machinor*.

JANITOR. Vide *Portarius*. *Poſticiarius*.

JANIZERI. FR. Cancellariæ Rom. officiales, qui ſolent ſubſcribere ſupplicationes beneficiorum. Octavius Veſtrius, lib. 1. praxis Cancell. cap. 4.

JANTHINUS, ἰάνθινος, color violaceus; ἴον enim græce violam denotat; [ Calceavi te janthino, vinxi byſſo, & indui te ſubtilibus. Ezechiel. cap. 16. ] FR. Anaſt. Biblioth. hunc colorem *Bizantheum* in Paſchale I. appellat. Plinius autem ab ἴα græco vocabulo, ideſt, viola purpurea, nomen hoc deducit, inquiens: [ Violis honos proximus. Earum plura genera; purpureæ, luteæ, albæ: plantis omnes ut olus ſatæ. Ex iis vero, quæ ſponte apricis, & macris locis proveniunt purpureæ, latiore folio ſtatim ab radice carnoſa exeunt, ſolæque græco nomine a cæteris diſcernuntur, appellata Ja: ab his Janthina veſtis, lib. 21. cap. 6. ] Ac de veſtibus hujus coloris, ibidem c. 8. ſic inquit: [ Alium in amethyſto, qui in viola, & ipſe in purpureum quemque janthinum appellamus. ] Dalecampius vero legit: [Qui ipſe & in viola purpurea.] Quæ purpura ab eodem Plinio ibidem in tertio genere ponitur. Igitur etymon hujus vocabuli ex nominibus græcis ἴον, ſive ἴα, ideſt, viola; & ἄνθος, nempe, flos deducitur, quod vocabulum a Latinis in ſenſu poſſeſſivo Janthinus, na, num, dictum fuit.

JANUA. Vide *Ruga*.

JANUARII, menſis nomen apud Hebræos. Vide *Menſis*. Apud Ægyptios. Vide *Tybi*. Apud Gazæos. Vide *Lydenaus*.

JANUENSIS ECCLESIÆ dignitas. Vide *Majuſculus*.

JAQUINTUS. FR. nomen proprium, ideſt, Jacinthus. Falco Benevent. in Chron. ad Ann. 1137.

JARDINUM. FR. Viridarium. Bullar. Caſin. tom. 2. conſtitut. 187. n. 5.

JASPIS LAPIS. Vide *Chodchod*.

JASTULA, ſed *Haſtula* corrigendum eſt in Reg. S. Gregor. lib. 8. cap. 63. ubi ſic habetur: [ Jaſtulas vincarum numero quatuor: ] extenſorum enim menſura eſt. Vide *Haſtula*.

ICETÆ. Vide *Eceta*.

ICHTHYOPHAGUS, ἰχθυοφάγος, piſcium manducator. D. Hieronym. lib. 2. contra Jovinian.

ICMONICUM CONCILIUM. V. *Oecumenicum*.

ICONA, ex græco εἰκών, pictura, imago, latine quoque *Icon* dicitur. [ Conſidera iconam ejus in Sardanay, quæ in carnem verſa, oleum ſine ceſſatione ſtillat. Cæſarius, lib 7. cap. 25. || FR. Icona non ſolum imaginem picturæ, ſed etiam ſtatuam ſignificat. [ Neminem damnaverunt tres pueri non adorantes iconam; cum hanc omnes homines adorarent. Collect. S. Maximi Mart. per Sirmondum in 8. edit. pag. 127.] Ubi de tribus pueris ſtatuam Nabuchodonoſoris adorare nolentibus ſermo eſt :||: Caveant pictores ſacras imagines laſcive repræſentare, ne eis id eveniat, quod pictori illi acciderat, qui Chriſti imaginem in figuram Jovis depingens, ejus manus exſiccata fuit; licet poſtea miraculo S. Gennadii Conſtantinop. Patriarchæ in priſtinum reſtituta fuerit, de quo Baron. An. 462. num. 1. In cappella papali ſolent imagines in Dominica Paſſionis cooperiri, pronunciatis in Evangelio illis verbis: [ Jeſus abſcondit ſe, & exivit de templo. Cæremonial. lib. 2. cap. 35. [ In Hiſpania autem cooperiuntur tempore Adventus, Vigiliarum, Quatuor temporum, & a Dominica Septuageſimæ, uſque ad Sabbatum Sanctum. Antiquitus non permittebatur Patrem Æternum in figura humana depingi. ] Tale enim ſimulacrum Deo nefas Chriſtiano in templo collocare, D. Aug. de fide, & ſymb. c. 7. & Damaſcenus. lib. 4. Orth. fid. c. 17. ait: [Extremæ itaque dementiæ, atque impietatis fuerit divinum numen fingere, & figurare. [ An non rectius Chriſtiani Orientales Deus repræſentant unicæ manus pictura inter nubila librum tenentis, ſicut antiquitus latinam Eccleſiam ſolitam fuiſſe depingere ſuperſtites adhuc picturæ teſtantur? Commendanda ſane eſt Urbani VIII. memoria, cujus ſanctiſſimus zelus in ignem comburi 11. Aug. 1628. decreverat omnes imagines Sanctiſſimam Triadem in uno corpore repræſentantes tribus faciebus, & quatuor oculis. Permittitur nihilominus in forma columbæ Paracletum de-

depingi ex decreto Conc. Nic. 2. act. 5. Conſtantinop. Conc. act. 2. aliorumque Sanctorum Patrum ſententia. Vide *Iconomachus*, Cætera. Vide *Gharagma*. *Lauratum*. *Supericonico*. *Surtaria*. Agnus Dei, Chriſti typus an depingi prohibitum fuerit. Vide *Agnus Dei*.

ICONOMACHUS, & *Iconoclaſtæ*, hæretici, quorum perfidia, ex ipſomet nomine declaratur; nam εἰκονομάχος, ſacrarum imaginum impugnatorem, & εἰκονοκλάστης, imaginum deſtructorem ſignificant; dicebantur etiam *Hagiomachi*, ex græco ἁγιομάχος, ideſt, Sanctorum inimicus. Baronius, An. 727. num. 3. & alibi. Quibus tamen favere videtur can. 36. Concil. Illiberitani, ſeu Eliberini, ubi ſic habetur, [ Placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere; ne quod colitur, aut adòratur, in parietibus depingatur, can. 36.] FR. cui auctoritati Baron. An. 75. num. 118. & 119. reſpondet primo nunquam tale concilium extitiſſe; de eo enim nullus græcorum, & latinorum ſynodalium ſanctionum collector mentionem facit. Secundo, ſi hoc eſſet, Iconoclaſtę in controverſiis hanc auctoritatem pro eis adduxiſſent; de qua tamen nunquam mentionem ipſos feciſſe conſtat. Tertio, qualem auctoritatem poſſent in Eccleſia præbere decem, & novem Epiſcopi in orbis angulo congregati, quorum decretum ſtatim contrario Eccleſiæ uſu annullatum eſt, imo antequam oriretur extinctum fuit? unde ab aliquo Iconoclaſta falſo inventum fuiſſe hoc decretum creditur :||: Azor. tamē par. 2. lib. 9. c. 7. & Bellarminus de imag. lib. 2. c. 9. veriſimile putant prædictum Concilium non prohibuiſſe in Eccleſia imagines portatiles; ſed tantum in muro depictas, ut ex decreti verbis liquet, & hoc propter perſequutionum pericula, ne venerabiles picturæ ad ludibria infidelium exponerentur. Nihilominus idem Baron. licet tale Concilium Illiberis, ſeu Eliberis ibidem extitiſſe neget: de Anno tamen 305. num. 39. & 40. agens, illud fuiſſe affirmat, & quod ibidem ſupra dixerat, nullum de tali Concilio mentionem feciſſet, in hoc anno 305. num. 41. atteſtationem S. Innocentii Papæ, lib. 3. cap. 2. adducit: fortaſſe Baronius ſupra memoratum decretum, & non Concilium intellexerat negare; ſed quidquid ſit, recte decretum illud ſuſtineri poſſet, nedum perſequutionum conjecturis, ſed etiam in ſenſu rigoroſo, quemadmodum juſſerat Deus: [ Non facietis vobis idolum, & ſculptile, nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, ut adoretis eum; Levit. 26. ] quare nec dei Deorum ſimulacrum efformare permiſerat Moyſes, ne populus, qui recenter ab idololatris Ægyptiis diſceſſerat, facile deciperetur, adorando, ſcilicet, imaginem ipſam, & non repræſentatum in ea; eodem modo credendum eſt, quod Eliberitanum Concilium propter ſcrupulum, ne in primitiva Eccleſia populus ex gentilitate ad chriſtianam fidem converſus, facile laberetur in priſtinam idolatriam; ideo picturas omnimodo prohibuerat, ut adorarentur. Hinc Salomon gratias agens Deo, inter cætera ajebat: [ Non enim in errorem induxit nos hominum malæ artis excogitatio, nec umbra picturæ, labor ſine fructu, effigies ſculpta per varios colores, cujus aſpectus inſenſato dat concupiſcentiam, & diligit mortuæ imaginis effigiem ſine anima. Sapient. cap. 15. ] Nos enim Chriſtiani non ſumus picturæ adoratores, ſed adoramus id, per quod in ea ſpecies noſtræ mentis excitantur, nempe, Dei, & Sanctorum. Cæterum per picturam in pariete intelligi poteſt omnis pictura; nam antiquitus raro in tabulis pingebatur; præterquam quod eſt Sacrę Scripturæ phraſis, ut per parietis picturam, tam effigies appenſa, quam depicta in pariete intelligatur. [ Et ecce omnis ſimilitudo reptilium &c. & univerſa idola domus Iſrael depicta erant in pariete in circuitu per totum. Ezech. cap. 8. Cumque vidiſſet viros depictos in pariete, ibidem cap. 23.] quod tam de pictura appenſa in pariete, quam ibidem depicta intelligi poteſt. Vide *Dominica orthodoxiæ*. *Thymoleontes*.

ICTERUS AVIS. Vide *Aurugo*.

ICTERICUS MORBUS. Vide *Aurugo*.

IDENTITAS, in ſcholis idem in abſtracto ſignificat; ſed aliquando terminus hic pro detentione, ſeu commoratione in eodem loco uſurpatus reperitur. [ Aliquos fratres tranſmiſit recreando, ne identitas in clauſtro in eis, qui puſillanimes erant accediam parturiret. Matth. Pariſ. in vita Abb.

IDERON, & *Iderzon*, FR. Sepes, l. ſi quis ſepem, de damno, & injuria.

IDIOTA, ἰδιώτης, humilitatis agnomen ab Auctore libelli illius ſpiritui, & animæ perutilis uſurpatum, quē ex M. S. Lugdonen. Cod. in integrum reſtituit Theophilus Raynaudus, ac Lugduni ſub tit. *Idiota ſapiens* de Anno 1632. imprimi curavit, & in ejus calce diſerte variis conjecturis hunc Auctorem Raymundum Jordanum appellatum fuiſſe putat.

IDOLOLATRA, εἰδωλολάτρης. Vide *Diſcola*. *Ethnicus*. *Foraſticus*. *Infidelis*. *Paganus*. *Spurcalla*. *Venerarius*.

IDOLOLATRIA εἰδωλολατρεία. FR. dicitur quælibet inordinata concupiſcentia, can. Idololatria, can. non ſolum, 28. quæſt. 1. & utrobique Gloſſa. Quando primum homines ad idololatrandum ſeducti. Vide *Pontifex*. Quid ſit. Vide *Superſtitio*.

IDOLIUM, εἰδώλιον, effigies idoli, vel parvum idolum.

IDOLIUM, εἰδώλιον, templum idolorum. [ Utinam Phinees reſurgeret. Utinam Elias zelo zelatus pro domo Iſrael recumbentes in idolio, igne cæleſti conſumeret. Utinam ſaltem Jeremias captivitatem filiæ Sion triplici luctu, ſcilicet, orationis, prædicationis, exempli doceret, moneret, defleret. Petr. Cellen. lib. 4. epiſt. 13. ] Item *Idoleum* apud nonnullos legitur. FR. ſed rectius *Idolium*; ſic enim 1. Cor. 8. habetur: [ Si enim quis viderit eum, qui habet ſcientiam in idolio recumbentem: nonne conſcientiam ejus cum ſit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? ] Synonymum. V. *Contina*.

IDOLOTHYTUM εἰδωλόθυτον. FR. Idolo conſecratum. [ Sed non in omnibus eſt ſcientia. Quidam autem cum conſcientia uſque nunc idoli quaſi idolothytum manducant. ] Et inferius: [ Ad manducandum idolothyta. 1. Corinth. c. 8. Et manducare de idolothytis. Apocalyp. cap. 2. ] Vide *Suffocatus*.

IDOLUM εἴδωλον, ſimulacrum, imago, ſpectrum, ſeu phantaſma. [ Idolum autem, eſt ſimulacrum, quod humana effigie factum, & conſecratum eſt. Iſidor. lib. 8. Etymol. cap. 11. ] ex græco εἶδος, ideſt, figura. Vide *Antelius*. *Mortuus*. Idolorum multitudo. Vide *Polyteja*. Vide Sigillum in dict. *Sigillarius*. *Theca*. *Teraphim*. Idola dicebantur beſtiæ, & ur. Vide *Damnaticus*.

IDONEARE. FR. purgare ſe a crimine impoſito, l. ſi quis liber, de furto. Vide *Purgo*.

JEBUSÆUS. FR. vox hebraica conculcationem ſignificans a Jebus, quod eſt Hieruſalem, Joſue cap. 18. [ Movet tamen me, quod dixit, quia non potuerunt ejicere Jebuſæos, ideſt, eos, qui interpretantur conculcatio. D. Hieron. in lib. Judicum, & apud Gratianum, 11. quæſt. 3. can. nolite recedere.

JEJUNIUM, abſtinentia ciborum, ex Apoſtolorum traditione inter Chriſtianos laudabiliter uſitata, Baron. An. 57. n. 199. in qua non ſolum ab eſu carnium, lacticiniorum, ſed etiam ſemel in die ad veſperarum tempus ſumebatur cibus; hoc enim erat quadrageſimale jejunium. FR. Solebant etiam Romani gentiles ſuperſtitioſæ religionis cauſa ab eſu carnium abſtinere; ſic de Didio Juliano Imp. ſcribit Spartianus; [ Sæpe autem, nulla exiſtente religione, oleribus, legumi nibuſque contentus, ſine carne cœnare. ] Ubi Salmaſius notavit, inquiens: [ Hoc autem addit, quia religionis cauſſa ſæpe abſtinebant carnibus, & oleribus ſe leguminibuſque oblectabant. ] Sed nobis hic de Chriſtianorum jejunio agendum erit, de quo hæc in Canonibus habentur, nimirum: [ Jejunet autem tribus diebus per hebdomadam uſque ad veſperam, can. latorem 33. qu. 2. Solent plures, qui ſe jejunare putant in quadrageſima, mox ut ſignum audierint, ad horam nonam comedere, qui nullatenus jejunare credendi ſunt, ſi ante manducaverint, quam veſpertinū celebretur officium: concurrendum enim ad Miſſas, & auditis Miſſarum ſolemnibus, & veſpertinis officiis, & largitis eleemoſynis ad cibum accedendum eſt, can. ſolent plures, de conſecrat. diſt. 1. ] Ibique Gloſſa :||: Itaque erraverat Card. Toletus, affirmando quod univerſaliter omnia jejunia ad horam nonæ terminabantur. Imo adhuc apud orientales Chriſtianos hæc laudabilis conſuetudo unicæ comeſtionis veſpertinæ in jejuniis adhuc viget, & de univerſali hujus obſervantia multi Patres ſcripſere, ac præcipue Tertullianus, qui *Semijejunium* appellavit illud, quod uſque ad nonam ab aliquibus terminabatur. Jejunium vero Sabbati Sancti protrahebatur uſque ad mediam noctem ut ex verbis ejuſdem Miſſæ colligitur. FR. Item ex prædicto can. ſolent plures, de conſecrat. diſt. 1. can. de eſu carnium, de conſecrat. diſt. 3. & Baron. An. 34. n. 167. & 174. comprobatur :||: Quod etiam affirmavit Dionyſius Alexandrinus Patriarcha a Baſilide Epiſcopo interrogatus. FR. Ter itaque in hebdomada jejunabatur. Idem Baron. An. 388. num. 81. nempe, Feria IV. VI. & Sabbato. De hoc poſtremo. Vide infra, & in dict. *Sabbatum*, & can. Jejunia ſane, de conſecrat. diſt. 3. :||: de aliis vero duobus ita Clemens Alexandrinus lib. 7. ſtrom. ait: [ Novit ipſe jejunii quoque ænigmata horum dierum, quarti, inquam, & ſexti. Dicitur autem ille quidem Mercurii: hic vero Veneris. Ecce enim jejunat in vita, & ab avaritia, & a libidine, ex quibus omnia oriuntur vitia. ] In primitiva Eccleſia colebatur Jovis dies ad inſtar Dominicæ diei. [ Quia in iſtis duobus diebus fecit Dominus quidquid inſigne fecit; quia die Jovis cœlum aſcendit. Gloſſa in can. jejunium Domini, de conſecrat. diſt. 3. ] Quare [ Melchiades Papa natione Afer trigeſimuſquartus poſt Sanctum Petrum conſtituit, ut nemo præſumeret in prima, vel quinta feria jejunare, in prima propter Domini reſurrectionem, in quinta, quia in ea cœnavit Dominus cum Diſcipulis, & in ea aſcendit ad cœlum. Alcuin de div. offic. ] FR. Baronius autem Melchiadem poſuit trigeſimum tertium incluſo S. Petro in ordine Pontificatus. De ſabbati autem jejunio variæ opiniones erant inter Sanctos Patres; Orientales enim non ſinebant in hac die jejunare. Baron. An. 57. num. 202. Ea ratione, quia ibi Hæretici jejunabant in Sabbato. Catholicos enim cum hæreticis etiam in officiis pietatis convenire minime licebat. Ac Latini, & præcipue Romani in Sabbato jejunabant. Idem Baron. Ann. 57. num. 205. & An. 146. num. 12. Cur autem in hac die Romani jejunare conſueverint, D. Auguſt. ex multorum opinione refert apud Baron. An. 57. num. 204. & quia in ſimili die Princeps Apoſtolorum cum Chriſtianis Romanis jejunaverant pridie quam Simon Magus præcipitaretur, & ſic manſit talis conſuetudo apud eos in poſterum. Eandem rationem refert Caſſianus ibidem adductus, ſed verā rationem Innocentius Papa reddit, inquiens: [ Sabbato vero jejunandum eſſe ratio evidentiſſima domonſtrat: nam ſi diem Dominicam, ob venerabilem reſurrectionem Domini N. J. Chriſti, non ſolum in Paſcha celebramus; verum etiam per ſingulas hebdomadas ipſius diei imaginem frequentamus: ac ſicut ſexta feria propter Paſſionem Domini jejunamus, ſic Sabbatum prætermittere non debemus, quoniam intra triſtitiam, & lætitiam temporis illius videtur incluſum: nam utique conſtat Apoſtolos biduo iſto, & in mœrore fuiſſe, & propter metum Judæorum ſe occultaſſe, quod utique non dubium eſt, in tantum eos jejunaſſe biduo memorato, ut traditio Eccleſiæ habet iſto biduo Sacramenta penitus non celebrari, quæ forma etiam per ſingulas tenenda eſt hebdomadas, propter id, quod commemoratio diei illius ſemper eſt celebranda. Quod ſi putant ſemel, atque uno Sabbato jejunandum, ergo & Dominica, & ſex-

ſexta feria ſemel in paſcha erit utique celebranda, can. Sabbato vero, de conſecrat. diſt. 3. ] Conſtat autem tempore D. Ambroſii Romæ jejunii obſervationem die Sabbati extitiſſe; hinc de hoc jejunio ille loquens, ait: [ Quando hic ſum non jejuno Sabbato, quando Romæ ſum jejuno Sabbato. ] Tempore autem D. Gregorii nonnulli Romanos judaizare cogebant, & inter reliqua ſuadebant, ut ad inſtar Dominicæ diei Sabbatum colerent; quare ad Romanos ſcripſerat Pontifex, jubendo ne Sabbatum colerent, can. pervenit, de conſecr. diſt. 3. :||: De jejunio vero quadrageſimali hæc Petrus Bleſen. ſerm. 13. refert [ Apoſtolica enim traditio fuit triginta ſex diebus jejunare ante Paſcha; audientes enim in lege primitias fructuum; & decimas ſibi Dominum vindicare, nihilominus primitias dierum, & decimas Deo ſacrificare ſtatuerunt, jejunia Quatuor Temporum tanquam primitias inſtituentes, in quibus duodecim dies tanquam primitiæ duodecim menſium obſervantur, & trecentorum ſexaginta ſex dierum decima pars triginta ſex dies; ideo & hos dies tanquam decimam dierum jejunio conſecrarunt; ſubſequentes vero Patres Apoſtolici quatuor ſuperaddiderunt, ut numerus Dominici jejunii adimpleretur. ] Ex hac autem additione orta eſt in Eccleſiis varietas quadrageſimalis in jejunio incipiendo; Ambroſiana enim Eccleſia jejunium incipit poſt primam Quadrageſimæ Dominicam, nam juxta apoſtolicam traditionem offert Deo decimam partem anni, ideſt, triginta ſex dies jejuniorum; eandem decimam offerunt Græci, ac cæteri Orientales; ſed a primo die poſt Dominicam quinquageſimæ jejunare incipiunt, ea ratione, qua ſupra, nimirum, cum ſabbata non jejunent, excepto ſabbato ſancto; ſic demptis ſabbatis, & Dominicis, & incluſo ſabbato ſancto ſumma dierum jejunii aſcendit ad triginta ſex, & non amplius. Hinc falluntur aſſerentes jejunia Græcorum, & reliquorum Orientalium eſſe numero majora; bene tamen per hebdomadam integram augetur a Religioſis latinis quadrageſimale jejunium, de eis dico, qui pro hoc inſtituto habent incipiendi jejunium a Quinquageſima ex canonum ordinatione; nam ſabbata etiam jejunant, ad quod etiam obligantur Clerici ſeculares, can. Statuimus, can. Quadrageſima, & can. denique Sacerdotes, diſt. 4. Polonorum quadrageſima antiquitus incipiebat poſt Dominicam Septuageſimæ, ſed Innocentius Papa IV. eis ad uſum Romanæ Eccleſiæ indulſit. Spondanus anno 1246. FR. Quam rigida fuiſſet hæc quadrageſimæ obſervatio penes Polonos, teſtatur Ditmarus Epiſc. in ejus Chron. lib. 8. tit. de Henrico Imperat. II. in principio, ſic inquiens: [ Anno Dominicæ Incarnationis 1018. Indict. 2. &c. Quicumque poſt Septuageſimam carnem manducaſſe invenitur, abſciſſis dentibus graviter punitur. Lex namque divina in his regionibus noviter exorta, poteſtate tali melius, quam jejunio ab Epiſcopis inſtituto, corroboratur. ] In jejuniis non licet ad nimiam ſatietatem comedere, can. ſint tibi, de conſecr. diſt. 5. De quinque autem gulæ tentationibus habetur in can. quinque modis, ead. diſt. 5. Bonifatius Papa VIII. cum Vincislao II. Boemiæ Rege, ut carnibus, ovis, & lacticiniis comederet in quadrageſima exceptis diebus Veneris, Sabbati, ac S. Mathiæ vigiliæ ea cauſa, quia in ejus ſalute dependebat totius regni conſervatio, diſpenſavit, cum hac tamen conditione, ut in tali comeſtione ſecreto, ac moderate id faceret. Odoric. Raynal. An. 1297. n. 52. :||: Alexander Papa VII. in Sac. Inquiſit. Congr. coram eo die 18. Martii 1666. habita, declaravit ſcandaloſam, & erroneam Theologorum quorundam opinionem, aſſerentium Eccleſiæ conſuetudinem abſtinendi in quadrageſima ab eſu ovorum, & lacticiniorum non obligare. FR. de jejuniis quatuor temporum. Vide Baron. An. 57. num. 206. & 207. An. 1094. num. 2. An. 1095. num. 27. An. 1105. num. 3. De erroribus Armenorum in eorum jejuniis. Vide Iſachum Armenum. Reliqua circa hanc materiam. Vide *Cœna pura*. *Collecta*. *Dominica nova*. *Feria legitima*. *Purim*. *Quadrageſima*. *Sabbatum*. *Statio*. *Superpoſitio*. *Vigilia*. *Xerophagia*. Edictum jejunii publicabatur a Diacono, Baronius An. 57. num. 195. Jejuniorum tempore pacis oſculum non dabatur. Vide *Pax*. De Phariſæorum jejunio. Vide *Phariſæus*.

JENTACULUM, quale debet eſſe in jejunio. Vide *Collecta*.

IERA, Hiera, ἱερὰ, ideſt, ſacra; ſic quædam potio appellata fuit. [ Potionem jera, quam Dominus Præſul tibi mittit, ſumes eam aqua calida ante crepuſculum diei. Fulbertus Epiſc. epiſt. 115.

IERATEON, ἱεράτειον, ideſt, ſacrarium, aut ſacerdotium. Vide *Crux*.

IERURGIA, ἱερουργία, ſacrificium. Vide *Miſſa*.

JESSENI. Vide *Eſſeni*.

JESUS. Vide *Chriſtus*. *Decachordum*. *Zaſus*.

IGNATII MARTYRIS cognomentum, & ejus epiſtolæ negantur a Novatoribus. Vide *Theophorus*.

IGNEO, verbum, igneſco, candeo. [ Ut corda noſtra paſſione ipſorum igneantur. In collecta pro Sanctis Martyribus in Sacramentar. Sancti Gregorii.

IGNEUS. FR. agnomen S. Petri Vallis umbroſæ Monachi, diſcipuli S. Joannis Gualberti Abbatis, de quo Baronius An. 1063. n. 39. & ſeqq.

IGNIS GRÆCUS, aliqua ignea mixtura, tam violenta, ut etiam ſub aqua arderet, nec extingui poſſet, cujus Auctorem Zonaras quendam Græcum facit de anno 670. quando, nempe, pro Conſtantino Pogonato Saracenorum naves combuſſit. [ Erat namque in illa ignis græcus. Matth. Pariſ. An. 1191. ] Vide *Mimax*.

IGNORUS, incognitus, ignotus. [ Horum conſanguinitas nec ignora eſt, nec remota. Ivo Carnot. epiſt. 45.

JIR. FR. Secundus Hebræorum menſis, qui & *Zio* dicebatur. Apud Auctores citatos in dict. *Elul*.

ILLADIONES. FR. ideſt, illi aldiones. [ Non eſt noſtra voluntas, ut homines Placentini per eorum præceptum de curte palatii noſtri illadiones recipiant. In conſtit. Caroli Magni.

IL-

Illatio, dicebatur Miſſæ præfatio. Vide *Præfatio*.

Illecebra. Vide *Lacebra*.

Illiberis, abſque liberis. [ Immo & præcipiente lege, quam ſi frater illiberis deceſſerit, ut a fratre ipſius, & ex coſta ipſius ſupparetur tamen illi. Tertull. lib. 4. adverſ. Marcionem, cap. 24. ] In aliquibus tamen codicibus *Illecebris* mendoſe legitur; Tertullianus enim græcam vim ἄπαις, ideſt, carens liberis, imitatus eſt.

Illuminandi. Vide *Catechumenus*.

Illuminati. FR. hæretici in Anglia recentiores, quos Hiſpani *Adombrados* vocant. Antiquitus tamen ita dicebantur Neophyti.

Illuminatio. Vide *Illuminatorius*.

Illuminatorius, aliquando Baptiſterium ſignificat. [Sed quomodo pulcherrimi ab eo conſtructi illuminatorii, quod quidem ſolemus vocare baptiſterium. In vita S. Marci Presbyteri.] Sic etiam in eadem vita *Illuminatio* baptiſmum ſignificat: [ Jam vero domum venerandæ illuminationis.

Illumino. Vide *Oculo*.

Illusio. Vide *Inludium*.

Illusus; muſivo opere depictus. [ Apſiden ſolo, & parietibus marmoratam camera muſivo illuſa clarificat. Paulin epiſt. 12. ad Sever.

Imago. Vide. *Icona*. *Charagma Surtaria*.

Imaginaria Scriptura. FR. ideſt, imago, & character divinum nobis inſitum. [ Qui hanc receperunt, ( *ideſt, laſciviam* ) non ſolum imaginarias ſcripturas abominati ſunt; ſed etiam omnem reverentiam repulerunt, eos, qui religioſe, ac pie vivunt, offendentes; ac per hoc completur in eis, quod ſcriptum eſt, Abominatio eſt peccatori Dei cultus, can. omnis jactantia 21. quæſt. 4. ] & ibi Gloſſa.

Imaginatus, figuratus. [ Locellum etiam quendam, hoc eſt, capſam majorem, quæ a duobus clericis ferri ſolet, fieri juſſit, argentoque imaginato, ac deaurato veſtivit. Flodoard. lib. 3. cap. 5.

Imbeneficio. FR. Beneficia Eccleſiaſtica concedo. [ Simoniace Eccleſias vendidit, res Eccleſiæ imbeneficiavit, theſauros diſſipavit. Burch. de caſibus S. Galli c. 3.

Imblado, & *Imbladatus*. Vide *Bladum*.

Imbojatus. Vide *Boja*.

Imbojo, boja ligo. Vide *Boja*.

Imbolus. Vide *Embolus*. *Imbolus*.

Imbonitas, improbitas, ſeu incommoditas, vel aſpritudo. [ Nemo miles ad bellum cum delitiis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit; ſed de papilionibus expeditis, & ſubſtrictis, ubi omnis duritia, & imbonitas, & inſuavitas conſiſtit. Tertul. ad Mart. cap. 3.

Imbrevio, ſupellectilium inventarium ſcribo, ſeu breviter noto [ Eccleſiæ quoque luminaria, & ornamentum debitum ordinent, & theſaurum, ac veſtimenta ſeu libros diligenter imbrevient, & breves nobis reportent, in Capit. Caroli Calvi cap. 1.] Vide *Breve*. *Commemoratorium*. *Inventarium*.

Imbrico, imbricibus tego, & *Imbricor*, imbricibus tegor. [ Cum ab angulis quadrifariam concurrentia dorſa criſtarum, tegulis interjacentibus imbricarentur. Sidon. lib. 3. epiſt. 1 ] Alii tamen hoc verbum ab *Imbragare* italico verbo etymon deducunt, quod connectere, & cooperire ſignificat.

Imbulus, Ambulacrum, porticus. [ Imbuli, vel quia ſub volumine ſunt, vel quia ſub his ambulant: ſunt enim portici hinc inde platearum, Iſid. lib. 15. orig. cap. 2. ] Vide *Embolus*.

Imbutum, inſtrumentum e lamina, ſeu ligneo cortice formatum, ad infundendum in vaſibus res liquidas, quod Romæ *Imbottatore*, & in Sicilia *Imbuto* dicitur. [ Alia multa, atque crudelia tanquam utribus, imbutis ori impoſitis, ſine miſericordia porrigebant &c. Victor. de perſecut. Vandal.

Imerobius, & *hemerobius*, ἡμερόβιος, ideſt, qui tantum ad diurnum victum cogitat, & nihil de craſtino curat; quo vocabulo Hieronymus lib. 2. contra Jovinian. utitur, illudque Diogeni philoſopho attribuit. Vide *Hemerobius*.

Imisilum, *Imiſinum*, & *Imizinum*; ſericum, quod Italice *Ormeſino* dicitur. [ Veſtem albatam oloſericam ornatam in circuitu de imiſilo. Anaſtaſ. Biblioth. in Leone V. Veſtem obtulit de imiſino, ibidem. ] Dicitur etiam *Myzinum*. Idem in Nicolao. [ Veſtem de fundato unam habentem hiſtoriam Leonum in circuitu myzinum.

Imitas, declivitas, ſeu ſitus in imo poſitus. [ Partem meam de prato, quod Lauduni juxta vos habeo, ad imitatem montium poſito, & quæ jovia ſunt pratella, quæ tenui, ad te revocabis. Flodoard. in vita S. Remigii.

Immanto. FR. aliquem manto induo in ſignum inveſtituræ alicujus dignitatis. [ Rolandum Cancellarium immantaverunt. ] Et inferius: [ In Romanum Pontificem electus immantatus eſt. Radevicus Friſingen. de geſtis Federici Imp.

Immersor, quem Græci βαπτιςής, appellant, & ad quem in baptiſmo infantem ſpectabat immergere; nam Græci ſolent in hoc Sacramento tres miniſtros adhibere, ex quibus dignior aquam benedicit; ſecundus exorciſmum profert; tertius, qui & immerſor dicitur, ideſt, baptizans, Sacerdos erat; ſicut Romæ in Baptiſmo Catechumenorum, eorum Rector exorciſmum, ac alias cæremonias facit, poſtea Epiſcopus ſolemniter baptizat.

Imminentia, præſentia, ſeu potius inſtantia. [ Joannem Subdiaconum noſtrum ad hoc, Deo favente, tranſmiſimus, ut Electum noſtrum ſua imminentia cum Dei Omnipotentis ſolatio, ſecundum morem prædeceſſoris ejus, faciat Epiſcopum conſecrari. D. Gregor. in Regiſtr. lib. 2. cap. 68.

Immunitas Ecclesiastica. Vide *Emunitas*. *Paſſus*. Immunitate gaudent Coloni Eccleſiaſticarum poſſeſſionum. Vide *Submanſor*. *Vocibilitas*.

Immuratio. FR. inter muros recluſio. [ Religioſi etiam ſunt immurationis pœna, vel alia gravius puniendi, quam ſæculares, ſi inventi fuerint in hæreſi, vel conſimi-

ſimilibus deliquiſſe, de hæreſi in 6. cap. 8. §. Sacerdotes.

Immuro. FR. inter quatuor muros includo. [ Cum pro hæreſi fuerit curiæ ſæculari relinquendus, aut immurandus, de hæreſi, in ſexto, cap. 1.

Imnarium. Vide *Hymnarium*.

Impalare. FR. palo transfigere, l. ſi quis caballus, de damno, & injuria.

Impanator. Vide *Companator*.

Impans. FR. ſervus, l. ſi quis ſervus, de manumiſſionibus, legendum puto potius *Imphans*; quaſi infans, nam dominorum famuli, ac ſervi ſolent pueri appellari. [ Reverſus eſt Abraham ad pueros ſuos. Geneſ. 22. ] ideſt, ad ſervos; unicum enim filium habebat Abraham, de quo vocabulo in hac ſignificatione ſæpe in Sacra Scriptura. Itali quoque *Fante* appellant ſervum, ac pediſſequum, & *Fanteſca* famulam. Vide *Infans*. *Puer*.

Impensio, expenſio. [ Summam vero impenſionum cum feſtinatione tranſmitto. In Regiſtr. S. Greg. lib. 1. cap. 37.

Imperialis Corona. Vide *Infula*.

Imperator. FR. quare dicitur *Auguſtus*. Vide *Nobiliſſimus*. *Prophyrogenitus*. Quomodo coronatur. Vide *Infula*. Quomodo ornatur gladio, & pileo a Pontifice. Vide *Lectio*. Imperatoris titulus. Vide *Divalis*. *Neocorus*. Titulus mortui Imperatoris. Vide Divæ memoriæ in dict. *Bona memoria*. Imperatoris Græci coronatio. Vide *Epicombia*. *Prothesis*. Ejus ſolemne ſceptrum. Vide *Acacia*, Ejus thronus. Vide *Anabathra*. Quomodo per Civitatem equitabat. Vide *Anacara*. Electores Eccleſiaſtici Rom. Imperatoris, ſi carent pallio, non poſſunt eligere Imperatorem. Vide *Pallium*.

Impetor, accuſor, interrogor, citor, poſtulor, [ Impetebatur tunc Guntheramnus de interitu ( ut dixi ) Theodoberti. Greg. Turon. lib. 5. hiſt. cap. 14. [ FR. [ Et quidquid providit cautio convocatorum, ducitis ad crimen impetiti. Ennodius in Apologetico. ] Vide *Pulſo*.

Impetitio, accuſatio, citatio. Vide *Pulſatio*.

Implacabiliter. Vide *Infœderabiliter*.

Implacito. FR. cito, poſtulo [ Qui ſingulis annis eos implacitaverunt. Matth. Pariſ. an. 1136. Vide *Admallo*. *Pulſo*.

Implorans. Vide *Sperans*.

Imponere Manus, ordinis Sacramentum conferre. [Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus. Actor. 6. Tunc jejunantes, & orantes, imponenteſque manus dimiſerunt. Ibid. cap. 13. Manus cito ne impoſueris. 1. ad Timoth. cap. 5. ] De quo ſæpe in Conciliis, & penes Sanctos Patres.

Impostor. FR. nedum deceptor dicebatur, ſed etiam qui pallio ſuper tunicam induebatur. V. *Chriſtianus*.

Imposturor, calumnior. [ Alienis a Beato Gregorio verbis impoſturati. Hincmar. Rhemen. cap. 15.

Impotus, iſitus. [ Si quis impotos de melario, aut de pirario tulerit. In l. Salica tit. 29. §. 8. ] Vox Belgica. *Impoten*.

Impressio. Vide *Coinus*,

Imprisius. FR. Vir ſtrenuus, ſeu æſtimabilis, ex gallica voce *Prix*, ideſt, pretium. [ Videntes igitur magnates moram trahere periculum, juſſerunt diſtricte toti familiæ ſuæ, & omnibus ſuis impriſiis ad arma, & equos celeriter avolare. Matth. Pariſ. An. 1258.

Impuderatus, abſque pudore. [De impuderato patre veſtro diabolo. Lucifer Caralitanus adverſ. Conſt. Imp.

Imputribilis. FR. immarceſcibilis. S. Paulinus Nolanus Epiſc. epiſt. 2.

Inadibilis, inacceſſibilis. [ Siquidem ſane circa principia ſui ſolo plauſtri voraginatus, & veſtigio inſpectoris inadibilis eſt. Sidon. lib. 2. epiſt. 28.

Inadvertentia. Vide *Irrecogitatio*.

Inæqualitas, aliquando pro febri ſumitur, ex eo quia temperamentum corporis ſoleat ſubvertere, ſeu ab inæqualitate pulſationis arteriæ. [ Paulatimque inæqualitate vexatus, curſum vitæ præſentis explicavit, in vita S. Eugendi Abb.

Inalphabeti, ita vocabantur Fratres de plumbo, de quibus in dict. *Bulla*.

Inaltaro. FR. conſecro, dedico, ac Eccleſiæ dono. Diaconiam Romæ, quam S. Mariæ in Coſmodin vulgariter nuncupant, ſibi Cardinali Diacono a Domno Papa Paſchali commiſſam, in auro, vel argento, in libris, ſeu paramentis, in domibus innumeris, in fundis, atque caſalibus, in Religione præcipue, in quantum Roma patitur, ſuper omnes alias inaltaravit. In vita Gelaſii Papæ a Pandulpho Piſano ſcripta, atque per D. Conſtantinum Cajetanum typis mandata.

Inaltero, confundo terminos ex inſcientia diſtinguendi. [ Diviſa eſt mulier, & virgo: igitur, quas non diviſit, tacendo inalteravit. Tertullian. de Virg. vel an. cap. 4.

Inanimalis, inanimatus. [ Omnia denique moventur, aut a ſemetipſis, ut animalia, aut ab aliis, ut inanimalia. Tertull. adverſ. Hermog. cap. 36. ] Ubi etiam habet Incorporale, ideſt, incorporeum.

In Antea, in poſterum. [ Capitula prænotavi, ut facilius a quærenti in antea ſcripta reperiantur. Marculf. in præfat. formul.

Inaudientia, inobedientia. [ Perniciem ſibi, & mortem per inaudientiam, & intemperantiam, provocent. S. Cyprian. epiſt. 27. ] ideſt, peccatores.

Inauguratio. Vide *Polychronion*.

Inaurare. Opera inaurata & muſiva in Eccleſiis, quæ Hieron. lib. 2. in Zachar. in epiſt. 2. ad Nepotia: & in epiſt. 8. ad Demetriad. deſcribit, quamquam ea omnia non admiretur, ſed ut Caritatis opera commendet.

Inauris. FR. ornamentum, quod pendet ab aure. [Execranda autem eſt ſuperſtitio ligaturarum; in quibus etiam inaures virorum in ſummis ex una parte auriculis ſuſpenſæ deputantur, ſuperſtitioſa res eſt, can. Fucare, de conſecr. diſt. 5.

In-

Incantatio. Vide *Enſalmus*. *Rapſodomantia*.

Incantator. V. *Caragus*. *Hydromantia*. *Obligator*. *Remediator*. Incantatrix. Vide *Incarminatrix*.

In Capillo. Virgo ſub patria poteſtate adhuc poſita, quia tunc in capillis Virgines incedebant, & e contra nuptæ velo capillos tegebant. [ Qui filiam in caſa habuerit in capillo. Longobar. conſtit. lib. 2. cap. 24.] Vel ita dicitur, quia Virgo in primis nuptiis capite detecto comparebat, quod ab Optato Milevitano contra Donatiſtas ſcribente, inſinuari videtur, dum inquit: [ Inveniſtis hujuſmodi virgines, quæ jam ſpiritualiter nupſerunt, quaſi ſecundo coegiſtis ad nuptias, ut crines iterum ſolverent imperaſtis. ] Qui ſequitur deinde, oſtendens, quod viduæ tranſeuntes ad ſecundas nuptias, has cæremonias minime adhibebant, inquiens: [ Hoc nec mulieres patiuntur, quæ carnaliter nubunt, ex quibus ſi alicui maritum mutare contigerit, non reperitur illa temporalis feſtivitas. ] In inſtrumentis, & contractibus matrimonialibus adhuc hic ſtylus, & modus loquendi viget in Sicilia, & *Filiam in capillo* virginem nubentem nominant. In Melita inſula mea patria rigoroſe præceptum eorum Præceptoris, & Gentium Doctoris obſervatur, qui fœminis capita velare juſſerat: ideo in quolibet ſtatu velatæ incedunt, & tantum in die deſponſationis Sponſa capillos demonſtrat. Hebræorum virgines capite detecto incedunt? ſed nuptis numquam permittitur proprios capillos oſtendere, & ad ornatum ſuppoſititios applicant. Vide *Soror in capillo*.

Incardino, verbum D. Gregorio frequentiſſimum ſignificat immittere in poſſeſſionem, in Epiſcopum, Sacerdotem, vel in aliam dignitatem ordinare. FR. Sed proprie Cardinalem creare denotat. [ Propterea te Joannem ab hoſtibus captivatum, Leſinianæ Civitatis Epiſcopum, in Squilitana Eccleſia Cardinalem neceſſe duximus conſtituere Sacerdotem.] Et inferius: [Sin autem prædicta Civitas continua captivitatis calamitate premitur; in hac, in qua a nobis ordinatus es, vel incardinatus, debeas Eccleſia permanere, can. paſtoralis, 7. qu. 1. ] Ubi Gloſſa Cardinalem Eccleſiæ Squilitanæ Epiſcopum intelligit.

Incardinatus, ſtabilitus, & in poſſeſſionem jam poſitus.

Incarminatrix, incantatrix. [ Comes tranſiturus erat per pontem juxta incarminatricem. In vita Sancti Caroli Comitis, ] ejus Synonyma. Vide in dict. *Maga*.

Incarnatio Verbi Divini. Vide *Oeconomia*.

Incastello, *as*, verbum. FR. appropriare denotat. [ Et Eccleſias a laicis incaſtellari, aut in ſervitutem redigi, auctoritate Apoſtolica prohibemus, can. Sanctorum Patrum, 10. quæſt. 1. ] Gloſſa tamen ita explicat verbum *incaſtellari*, ut inde fiant propugnacula, quod poteſt etiam hoc pacto intelligi. [ At Romanus populus cum Patricio ſuo Jordano (*ideſt*, *Petri Leonis filio*) in favorem verſus Præfecturæ dignitatem abolentes, omnes principes, ac nobiles ex civibus ad ſubjectionem Patricii compellunt, & non ſolum quorundam illuſtrium laicorum turres; ſed & Cardinalium, ac Clericorum domus ſubruentes, prædam immenſam diripiunt. Eccleſiam etiam B. Petri omnium Eccleſiarum caput incaſtellare ſacrilege, ac profaniſſime non metuunt; peregrinos cauſa orationis advenientes, ad oblationem, quæſtus gratia, plagis, ac verberibus cogunt, & quoſdam ex ipſis offerre nolentes, in ipſa porticu, & veſtibulo templi nefario auſu occidere non verentur, quos venerabilis Pontifex (*ideſt*, *Eugenius III.*) percuſſo prius cum quibuſdam fautoribus ſuis anathematis gladio Jordane, adjuncta Tyburtinis Romanorum antiquis hoſtibus militia coercuit, tandemque pacem petere coegit. In epiſt. Lucii Papæ III. ad Corradum Imp. apud Ottonem Friſing. lib. 7. cap. 31. ] Item in appendice ad Radevicum Friſing de geſtis Feder. Imp. de eo ſic habetur: [ ann. 1168. Imperator Anconam obſidet &c. ceciderunt ibi Romani fere 9000. & capti fere 300. ſubſequitur eos Imp. Leoninam Urbem, & Porticus Sancti Petri cremat, Eccleſiam incaſtellatam capit.

Incautela. FR. Incuria, & ſine cautione. [ Unus incautior periit, ne multi per incautelam poſtea deperirent. Salvianus lib. 6. de guber. Dei.

Incensarium. FR. Thuribulum. [ Incenſaria argentea auro parata quatuor. In vita Sanct. Gilberti Abb. 18. Febr.

Incensatio. Vide *Bulla*, *Thuribulum*, *Thuriſico*.

Incensorium, hoc nomen, quod reperitur lib. 2. Chron. Caſinen. cap. 98. non poteſt denotare thuribulum, quia ibi in quibuſdam donis monaſterio factis poſtquam de thuribulis facta eſt mentio, ſequitur referendo: [ Incenſorium de argento unum. ] Itaque naviculam incenſi ſignificare videtur.

Incensum. Vide *Olibanum*.

Incisio. FR. inſectio, quæ in propriam carnem prohibetur in Levitico cap. 21. & etiam in aliis a Clerico fieri cavetur lib. 3. Decret. tit. 50. de clericis, & Monachis, cap. 9. Ubi ſic habetur: [ Nec ullam chirurgiæ artem Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos exerceat, quæ aduſtionem, vel inciſionem inducit.

Incisores Dentes. FR. dentes primiores. Iſidor. Etymolog.

Incisorium. Culter, novacula, vel quid ſimile. [Hæc (*ideſt*, *charitas*,) non delebitur in diluvio aquarum multarum, quia aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Hæc nullo inciſorio ſolicitudinum, ſive occupationum radetur. Hæc nullo igne tribulationum, & malorum conflagrabit. Charitas enim noſtra nunquam excidit. Petr. Cellen. lib. 6. epiſt. 20.

Inclamatus. FR. publico monitorio ad tribunal citatus. [ Edictis ſolemniter inclamatus ad judicem, cujus præceptione conventus eſt, venire neglexit. In edicto Theodorici Regis cap. 155.

Inclinatio Capitis, quando in Choro fieri debeat. Vide *Gloria Patri*.

Inclinis, flexibilis, propenſus. [ Inclinem ad miſeren-

rendum ſupernam didicit Majeſtatem. Chryſolog. ſerm. 93.

Inclusus, clauſtralis Monachus. [ Ex Presbyteris, & incluſis in exilium, in Romanam directi ſunt Civitatem. Anaſt. in Agathone.

Incognitus. FR. Auctor, qui ſcripſerat in Pſalmos, & propter humilitatem ejus nomen celavit; ſed ex mſſ. Benedicti XII. quæ extant in Biblioth. Vaticana num. 4006. & alibi conſtat illum Michaelem Ayguanum appellatum fuiſſe.

Inconcilio, disjungo, implacabilem reddo. Qui per obedientiam pietatis ſuæ reconciliavit Patri mundum, quem inconciliaverat primi parentis inobedientia. S. Paulin. epiſt. ad Sever.

Inconfusibilis. FR. ſine confuſione. [ Sollicite curate ipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem, recte tractantem verbum veritatis, 2. Timothei cap. 2. ] ejus ſynonimum. Vide Zorobabel in dict. *Papa*.

In Continenti. FR. [ Mandamus, quatenus actione plebani, & clericorum propoſita, & reſponſione facta, monitione præmiſſa, compellatis eoſdem &c. in continenti coram vobis ſuper ſuis quæſtionibus reſpondere &c. de mutuis petitionibus c. 1. ] Ubi Gloſſa ſic exponit: [ Iſtud in continenti intelligendum eſt nullo actu medio interpoſito, & eſt ſimile illi, mox, quod habes ſupra de electione, c. quia propter, ubi habes multas interpretationes de hujuſmodi dictionibus. Iſtud in continenti intellige durante judicio, ut dicitur in prima notula in fine.

Incontradicibilis, inconteſtabilis, inconvincibilis, & ejus comparativum *Incontradicibilior*, Tertull. lib. 4. adver. Marcion. ait: [ Quid enim ſapientius, & incontradicibilius confeſſione ſimplici?

Incordor. FR. cordi inſpiro. [ Divina clementia largiente, aliæ fidei forori dignatus eſt Dominus incordari. In vita S. Ruſticulæ Abbatiſſæ.

Incorporalis. Vide *Inanimalis*.

Incredulus, pro incredibili. [ Iſti vituperantes incredulum, & ſtultum aſſerunt. D. Ambroſ. cap. 8. in epiſt. ad Romanos.

Incremento. FR. verbum, accreſco. [ Dominus, qui incrementat, ] vertit D. Auguſt. textum D. Pauli 2. Corint. c. 3. ubi habetur, ] Deus incrementum dat.

Incroco, inunco, unco traho, vel ſuſpendo; Siculi *Incroccare*, & *Croccare* dicunt a gallico *Croc*, ideſt, uncus. [ Si quis hominem ſine conſenſu Judicis de ramo, ubi incrocatur, deponere præſumpſerit. In lege Salica tit. 69. §. 2. Vide *Inhamo*, *Obunco*.

Incubator. FR. uſurpator, occupator. [ Ab his, qui ſuarum rerum incubatores, vel utilitatibus ſervientes, atque vacantes fuiſſe noſcuntur, can. hæc hujus 12. qu. 2. ] ubi de bonorum eccleſiaſticorum uſurpatoribus loquitur; ſic Macrobius de Dionyſio Syracuſarum Tyranno agens, [ Aulæ incubatorem, ideſt, injuſte occupatorem illum appellavit.

Incubo, lethargicus morbus, qui maximam ſomnolentiam cauſatur. [ Genus fuerat gravioris aliquanto ſoporis, ut de incubone præſumptio eſt. Tertull. de anima cap. 43. ] Vide *Myctages*.

Incultus, adjectivum nomen, ideſt, deformis, inornatus. [ Tota domus horret inculta. S. Ambroſius, lib. 1. Exam. cap. 9.

Incurro, falli, & labi ſignificat. [ Ecce Maria interrogat, & ſi qui interrogat, dubitat, cur ſolus Zacharias, velut querulus percunctator incurrit? Chryſol. ſerm. 142.

Incursax, incurſans, qui incurſione vexat. [ Ac ſi tibi nunc eſſet ad limitem Danubium contra incurſaces Maſſagetas proficiſcendum. Sidon. lib. 8. epiſt. 12.

Indefectus, indefeſſus, infatigabilis. [ Jejunus, ſcilicet, ſemper, & indefectus, oſcitans veſcitur, ſollicitans ruminat. Tertull. de pallio cap. 3.

Indefinitum. FR. dictio, quæ univerſali æquivalet. Gloſſa in cap. 22. 5. decret. tit. 33.

Indentor, utitur hoc barbaro verbo Lucifer Caralitanus Epiſcop. ubi pro S. Athanaſio ſcribens, ait: [ Et vos veritati reſiſtentes indentemini Epiſcopi interventu. ] Aliqui exiſtimant eſſe hoc verbum paſſivum, quod ſeparari ſignificet. Ludovicus de la Cerda inintelligbile hoc verbum eſſe fatetur, quod ideo pro *Indentemini* corrigit *Integerrimi*; ſed Voſſius eruditiſſimus noſtri ſæculi vir *Indeptemini* legit, quod conſequi, & acquiri ſignificare docet; atque Luciferi verba ſignificant, quod Athanaſii calumniatores, ejus interventu, veram cognitionem illius integritatis conſequi debuiſſent: qui ſenſus conſonans eſt, nam etiam nomen *Indeptor* in eadem ſignificatione apud alios Eccleſiaſticos Scriptores reperitur: ſic Salianus ep. 5. ſcripſerat: [ Gaudeo, quod poſt gravamen, diutinumque morbum ſpem etiam præſentis vitæ indeptæ es, ] & Greg. Turon. lib. 10. c. 28. inquit, [ Cujus nomen indeptus eſt. ] Tandem Latinus Latinius oculatiſſimus Sanctorum Patrum obſervator in Biblioth. ſacra ad ejuſdem Luciferi opera inveniri affirmat verbum *Indento*, quod convincere ſignificat. Sic in hoc ſenſu Luciferiana verba ſupra allata, quod accuſatores Athanaſii ejus præſentia convicti eſſent, intelliguntur.

Indeptor. Vide *Indentor*.

Index, erat tabella quædam, qua loco campanulæ utebantur Monachi, ad præbenda exercitiorum ſigna. [ Cum index in oratorio percuſſus fuerit, mox omnes audientes, antequam currant, faciant ſibi crucem in fronte, reſpondentes, Deo gratias; & tunc laborantes opus projiciant, artifices ferramenta dimittant, ſcriptores litteram non integrent, omnis fratrum manus deferat, quod agebat. Smaragdus Regulæ Benedictinæ Commentator, in cap. 4.

Indi, Populi, quare per triduum tantum ſinebant diverſare advenas? Vide *Xenoparochus*.

Indictio. FR. eſt revolutio quindecim annorum, qua peracta iterum incipitur ab unitate, initiumque ſumit a Januario; in bullis Pontificiis. Rubrica Brevia-

rii can. 5. Sed in diplomatibus imperialibus, & in aliis inſtrumentis principium ſumebat ab 8. Kal. Octobr. [ Conſtantino imperante anno Chriſti 313. ante diem 8. Kalend. Octobris, quo die victus eſt Maxentius, Religioque Chriſtiana in libertatem vindicata eſt; ergo quaſi primordiis Chriſtianæ libertatis Nicæni Conventus auctoritate inſtitutum eſt, ut ſublatis olympiadibus, annorum ratio ab eo tempore iniretur: ſic ut quindecimo quoque anno nova eſſet indictio; anni autem ſinguli indictionis computarentur. Hotomannus ] :||: ſed aliter colligitur ex Gratiani Imperatoris reſcripto lib. 18. de annona, & tributo in Cod. Theodoſ. nimirum, quod 8. Kal. Octobr. incipiebat indictio, quia tunc jam annona collecta erat, ita ut unuſquiſque ſolvere poterat indictionem. FR. hinc in can. Majores, 16. qu. 17. hæc habentur, nempe: [ Majores noſtri ideo copiis omnibus abundabant, quia decimas Deo dabant, & Cæſari cenſum reddebant. Modo autem, quia diſceſſit devotio Dei, acceſſit indictio fiſci. Nolumus partiri cum Deo decimas; modo autem tollitur totum. Hoc tollit fiſcus, quod non accipit Chriſtus. ] :||: Itaque Indictio duplex erat, Imperialis, & Pontificia, illa incipiebat ab 8. Kal. Octobris, Baron. ann. 312. n. 109. hæc autem a die Nativitatis Domini, ideſt, poſt tres menſes indictionis Imperialis inceptæ, quæ prima vice in Concilio Conſtantienſi in uſu poſita fuit. Item *Indictio* appellata eſt *Diſtributio*, & *Faſio*, adi Baronium ad an. 312. num. 108. Appellata autem eſt indictio, quia Imperator illam denunciabat, idem Baron. ibid. nu. 110. Quando, & quare inventa ſit indictio, ibid. nu. 106. 107. & 108. Juſtinianus Imperator, ut in ſcripturis apponeretur, juſſerat, idem Baron. ann. 537. num. 19. Caſſiodorus indicat modum inveniendi indictionem apud eundem Baron. an. 562. n. 5. In Græcorum autem faſtis habetur, quod prima vice cœpiſſent indictiones nominari in prædicto an. 312. ubi ſic habetur: [ Indictionum Conſtantinianarum hinc exordium. ] FR. Aliquando indictiones cum nomine Imperantis notantur, ut *Indictio Valentiaca*, a Valente Imperatore, l. 10. de indulg. & debit. c. 75. :||: In ſcripturis eccleſiaſticis prima mentio invenitur in Concilio Romano ſub Julio Papa Primo, & in epiſt. S. Ambroſ. ad Æmiliæ Epiſcopos. Vide *Epacta*.

INDICULUS, citationis cedula. [ Indiculus Regis ad Epiſcopum. Marculf. lib. 1. formul. c. 6. ] Et clarius idem: [ Si ſacramentales homines cum ipſo venire renuerint, juſſione dominica, aut indiculo, aut ſigillo ad palatium venire cogantur, lib. 3. cap. 38. ] nomen enim eſt diminutivum *Indicis*, quia cedula Superioris præceptum indicat.

INDIGERIES, indigeſtio. ] At dives variis crapulatus ferculis, in digeriem ſuam ructabat ad cœlum. Chryſol. Serm. 121.

INDIGNUS. FR. [ Indignis portæ dignitatum patere non debent, lib. 5. decretal. tit. 31. cap. 11. Vide *Inemeribilis*.

INDISCUSSUS. FR. ſolutus a rationibus adminiſtrationis. [ Sed ſcholaſtici dixerunt, quia de fraudibus indiſcuſſus eſſe non poteſt. D. Greg. lib. 1. epiſt. 42.

INDITIUM. Vide *Interſignium*.

INDIVIDUITAS, inſeparabilitas. [ Ad initium revocat matrimonii individuitatem. Tert. de monogam. c. 5.

INDOMINICATUS, appropriatus, de quo vocabulo ſæpe in donationibus Eccleſiæ favorabilibus, ut Vinea indominicata, Horreum indominicatum, & ſimilia, ideſt, ſub ſola proprietate directi domini. Vide *Dominicalis*, *Dominicatura*.

INDUCO, illinio, caſſo, aboleo. [ Poſſumus jam conſultationem tuam inducere. Tertull. de fuga in perſecut. cap. 4. ] ideſt, ineptam illius conſultationem a memoria delere. [ Ampliſſimis verbis collaudatum, in integrum reſtituit, inducto priori decreto. Sveton. in Cæſar. ] FR. Et alibi ibidem: [ Multa & deleta, & inducta, & ſuperſcripta inerant. ] Verbum juris eſt, & origo ea eſt, quia quæ in pugillaribus cereis ſcripta erant, ducto per ceram ſtylo interlini ſolebant, & obliterari.

INDULCORO. Vide *Edulcoro*.

INDULGENTIA, in feſto alicujus Sancti conceſſa acquiritur quamvis in eo die feſtum non celebretur ex impedimento dignioris officii. Vide *Octava*, *Statio*.

INDUMENTA SACRA. Vide *Arma Sacerdotalia*, *Veſtis*.

INDUSIATUS. FR. inveſtitus. [ Cujus dignitatis honore induſiatus, & a Principe regni legaliter inthronizatus. In vita S. Adelardi Abb.

INEBRIOR. Vide *Debrior*. Inebriatus. Vide *Debriatus*.

INEMERIBILIS, qui non meretur. [ Non quia aut ſubſtantiæ ipſi inemeribile ſit, aut Deo impoſſibile. Tertull. adverſ. Valent. ] Vide *Indignus*.

INERVO. FR. Enervo, debilito.

Humor in venis dominetur ægrum,
Corpus inervat.

Prudentius in hymno poſt Jejunium.

——— — Ne torpens, & inexercita virtus
Robur inervatum gereret ſine laude paleſtræ.

Idem lib. 2. contra Symmachum.

INEVENTILO. FR. Eventilo. [ Paleis vero lectuli ineventilatis multo tempore, velique ſagello conſtrictis, pellicioque ſuperpoſito conquievit. In vita S. Eugendi Abb. 1. Januar.

INFABRICATUS, incompoſitus, inornatus. [ Si infabricata verba intra verecundum penetrale contineam. Ennod. Ticin. Epiſcop. in 7. Dictione.

INFANO, profano: [ Quem in contemptum Dei, & Sanctorum ejus non fuerant creduliter infanare reveriti. In vita S. Caroli Comitis.

INFANS, apud eccleſiaſticos ſcriptores nonnunquam pro ſervo & miniſtro accipitur. [ Saturninus Presbyter cum filiis quatuor, primo Saturnino juniore, & Felice lectoribus, Maria ſanctimoniali, Hilarione infante. Sur. in vita SS. Dat. Fel. & Apul. ] Qui omnes dum in quadam privata domo ſacra miniſtrabant, Tyranni juſſu comprehenſi ſunt, ergo Hilarion infans ſervus,

& miniſter erat. In eadem ſignificatione uſus eſt Fortunatus lib. 2. inquiens.

Pontificis monitis clerus, plebs pſallit, & infans. Vide *Impans*, *Puer*.

INFANTO, verbum, infantes educo; alo, nutrio. [ Sed ille nec aquam reprobavit Creatoris, qua ſuos abluit, nec oleum, quo ſuos ungit, nec mellis, & lactis ſocietatem, qua ſuos infantat. Tertull. Adverſ. Marcion. lib. 1. c. 14. ] Ad liquores alludit, qui baptizatis præberi ſolebant, de quibus in dict. *Baptiſmus* dictum eſt.

INFERI, dicuntur mortui. Vide *Superi*.

INFERNUS. FR. locus damnatorum. Quare autem juſte ibi æternaliter detenti crucientur? erudite Gregorius Papa reſpondet inquiens: [ Voluiſſent iniqui, ſi potuiſſent, ſine fine vivere, ut potuiſſent ſine fine peccare. Oſtendunt quia in peccato ſemper vivere cupiunt, qui nunquam deſinunt peccare, dum vivunt. Ad magnam ergo juſtitiam judicantis pertinet, ut nunquam careant ſupplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato. Apud Gratian. in can. voluiſſent, de pœnit. diſt. 1. ] Sic ergo econtra dicendum, quod Beati in gloria æternaliter remunerentur, quia ſi infinitas vitis habuiſſent, nunquam Deo diſplicere voluiſſent. Inferni proditor. Vide *Lazarus*. Infernus *Chaos* etiam dicitur: [ Similiter & mulieri, quæ tali fuerit ſcelere lapſa, ut fornicationis non ducatur ad chaos, can. ſi quis cum duabus ſororibus, 33. qu. 2. ] Vide *Gehenna*.

INFERTOR. Dapifer. [ Si quis majorem infertorem occiderit, in lege ſalica tit. 2. ] Vide *Dapifer*.

INFESTUCO. FR. immitto in poſſeſſionem. Ejus etymon. Vide *Fiſtucus*. Synonymum. Vide *Quanto*. Antitheſis. Vide *Exfeſtuco*.

INFEUDO. Vide *Imbeneficio*.

INFIDELIS. FR. dicitur etiam peccator; nam concupiſcentia idololatria dicitur. Vide *Idololatria*. Hinc Concubina infidelis appellatur. [ Quotieſcumque autem Natalis Domini, aut reliquæ feſtivitates devenerint, non ſolum ab infidelium concubinarum conſortio; ſed etiam a propriis uxoribus abſtinere debemus, can. Quotieſcumque, 33. qu. 4. ] & ibi Gloſſa. Infideles, nempe, Pagani poſſunt in Eccleſia manere uſque ad Miſſam catechumenorum. Gloſſa in can. Judæi, de conſecrat. diſt. 4. Vide *Paganus*, *Foraſticus*.

INFIDUCIO. FR. oppignoro. [ Si infans res ſuas vendiderit, vel infiduciaverit, lib. 2. tit. 29. l. 2. de prohibita alienat. minor.

INFIRMITAS. Vide *Morbi genera*.

INFIRMUS. Vide *Clinicus*.

INFISCOR, confiſcor. [ Quod ubi Rex annuiſſet, audiens Dominus Hincmarus Præſul, qui ſedem tenebat Eccleſiæ Rhemenſis, hanc infiſcari Villam, regalis præcepti chartam in archivio hujus Eccleſiæ repertam, dationis hujuſce ſeriem continentem, Carolo mittit. Flodoard. lib. 1. hiſt. Rhem. cap. 24.

INFLABELLATUS, non agitatus a ventis, ſeu inſufflatus: [ His omnibus elementis, atque corporibus ignis inflabellatus eſt. Tertull. adverſus Valent. ] Ejus antitheſis. Vide *Folleo*.

INFLORO. FR. ſane æquivocavit Jo. Lud. de la Cerda hoc verbum exponens pro flores colligere; nam *Defloro* diceretur potius, in quo ſenſu *Deflorationes* Anaſtaſius Biblioth. appellavit opera ex variis auctoribus excerpta, quæ a recentioribus *Florilegia* dicerentur. Itaque *Infloro* floribus adornare ſignificat; ſic enim populum ad feſtivitatem D. Benedicti concurrentem florum ſerto, corollæque comparans Oddo Abbas in ſermone pro eodem inquit: [ Nam non quique Pagenſes; verum etiam plebs urbana nobilibus viris conſerta, Clericorum etiam honeſtis quaſi inflorata perſonis lætabunda conflavit.

INFOEDERABILITER, implacabiliter. [ Orationibus, & eleemoſynis quorundam adverſus eos infœderabiliter certantium. Petr. Damianus in vita S. Odilonis, cap. 10. §. 22.

INFRA. FR. pro intra. [ Infra Urbem, & porticum S. Petri. Bullar. Caſin. tom. 2. conſtit. 112. Qualem fratres alicujus Monaſterii Cluniacenſis infra Italiam commorantes &c. Ibidem conſt. 180. Omnia, quæ D. Benedictus infra Urbem Capuanam poſſedit. Herempertus in epitom. ann. 887. Obſitus vallo infra Urbem. Ibidem ann. 909. ] In propria ſignificatione. Vide *Juſum*.

INFRA ACTIONEM. Vide *Actio Miſſæ*, *Canon Miſſæ*.

INFUGO. FR. in fugam impello. [ Etſi ſuſpicio fuerit, ut poſt Sacramentum pacis, direxerimus eos quocumque, vel infugaverimus &c. in capit. Radelchiſi, cap. 16. apud Camillum Peregrinum in Hiſt. Princ. Longobard.

INFULA. FR. Imperialis diadema, C. de quadr. præ. l. finali in fin. antiquum enim uſum coronandi Imperatorem, ex Alciato Laurentius Merula lib. 2. de Antiq. Galliæ Ciſalp. c. 9. ita refert: [ Coronandi autem hic mos obſervabatur. Ante arma Pontificiis veſtibus indutus Antiſtes, petentem ſe coronari Romanorum Regem, ſacro oleo dextro in humero perliniebat: in medio dextræ manus digito annulum mox collocabat, deinde enſem nudum tradebat, ſubinde capiti coronam, dextræque ſceptrum imponebat; hancque omnem ſolemnitatem publicis documentis jubebat eſſe teſtatam: ſceptri faſtigio pomum aureum ſtabat, quo Aſiæ, Africæ, & Europæ inſcriptio brevis ineſt; ſupra pomum Crux aurea inſeritur &c. ] Cætera quæ ad Imperatoris coronationis ſpectant. Vide *Pectorale*. Item Infula mitram ſignificat. [ Cum Apoſtolicis infulis celebrantem. Anaſtaſ. Biblioth. in Adriano II. Hoc anno (*nempe* 1244.) Papa Innocentius (*ideſt*, *IV.*) conceſſit Decano majoris Eccleſiæ, uſum Mitræ, ſeu infulæ in præcipuis feſtivitatibus. Trithemius in Chron. Sponimenſe. Extranearum habitatores urbium tanto ſe tripudio jactabant, quaſi ipſis propriæ profuturus infulas ſacerdotales exceperit. Ennodius Ticin. Epiſc. in vita S. Epipha-

phanii. ] Item Inſula aliquando pileum denotat. Clement. c. 2. de vita, & honeſtate Clericorum, & ibi Gloſſa, §. Inſulam. [ Domino chariſſimo Summi Pontificatus inſula prædito, viro Apoſtolico Zachariæ Bonifacius ſervus ſervorum Dei, in tom. 3. Conc. pag. 428. edit. Venetæ. ] Vide *Mitra*.

Infundarium, ſeu *Infuſidarium*, quælibet leguminum ſpecies in aqua infuſa; ideo Romæ lupinos in aqua infuſos *Inſufaglia*, ſeu *Fuſaglia* vulgus appellat. [ Totidem aliquando diebus nullo refeciſſe cibo, niſi parco leguminum infundario, in vita S. Petri Damiani.

Ingenitura, ſterilitas, impotentia generandi. [ Ingenituram, & ſterilitatem ſuam eidem Patri referens. In vita Sancti Vitalis Abb.

Ingenium. FR. inſtrumentum Notarii. [ Sive per traditiones, ſive per chartularum inſcriptiones, ſive per aliquo legali ingenio, vel tenore. Bullar. Caſin. tom. 2. Conſt. 90.

Ingenuilis. FR. res libera. [ De unoquoque manſo ingenuili exiguntur ſex denarii, & de ſervili ſex. De geſtis Normand.

Ingenuus. FR. licet nomen hoc ſit liberi hominis appellativum, ſeu illius, de quo Juſtinianus, lib. 1. inſtitut. tit. de ingenuis; in decretalibus tamen aliquando pro libertinis ſumitur. [ Forte dicit aliquis, Clericus fieri non permittitur, niſi ante clericatum ingegenuitatis dignitate potiatur, can. inſtruendi, de ſervis non ordinandis. ] Ibi Gloſſa. Vide *Fulboran*.

Inglandor, glandibus cibor, veſcor. [ Sed & porcos, qui annue ſæpius dictę domocultæ inglandati fuerint, capita centum exinde occidantur, & in eodem paracellario reponantur. Anaſt. Biblioth. in Adriano I.

Ingratia, ingratitudo. [ Pœnitet fidei, amoris, ſimplicitatis, patientiæ, miſericordiæ, prout quid in gratiam cecidit. Tertull. de pœnit. c. 1.

Ingratificentia, ingratitudo. [ Dum ingratificentiam reddunt gratiæ Salvatoris. Fulg. lib. 3. ad Max.

Ingratitudo, pro offenſa, & indignatione. [ Sed ut longius ſe ingratitudo noſtra, quam tu tibi excitaſti, produceret. D. Gregor. in regiſt. lib. 7. cap. 8. Vos noſtram incurriſſe ingratitudinem judicaſtis. Ibidem cap. 3. ad Marcellinum Proconſulem, ] ac paſſim ibi hoc loquendi modo idem utitur.

Ingravedo, odium intrinſecum, animi averſio, antipathia. [ Nullas in hac contentione ingravedo vires accipiat; ſed ſola inter te, & filios tuos pax, ſicut decet, & charitas perſeveret. S. Gregor. in regiſtr. lib. 7. cap. 108.

Ingressa, & *Ingreſſora* idem ſignificant. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſt. 61. Vide *Introitus*.

Inguadlo. Vide *Guadia*, *Invadio*, *Vador*.

Inhamo, hamo capio. [ Nam ſectatores chriſtiano dogmati, ac ſenſui ſi repugnaverint, mox te magiſtro vernaculis implicaturis, in retia ſua præcipites implagabuntur, ſyllogiſmis tuæ propoſitionis uncatis volubilem tergiverſantium linguam inhamantibus, dum ſpiris cathegoricis lubricas quæſtiones tu potius innodas, acrium more medicorum, qui remedium contra venena, cum ratio compellit, & de ſerpente conficiunt. Sidon. Epiſc. lib. 9. epiſt. 9. ] Vide *Incroco*.

Inimicitia. Vide *Faida*. Inimicus. Vide *Faidoſus*.

Initiatores, dicti ſunt Apoſtoli. Vide *Apoſtolus*. Dicuntur *Initiatores* etiam Patrini. Vide *Baptiſmus*.

Initium Noctis. Vide *Completorium*.

Injuria. Vide *Parœnia*.

Inludium, illuſio. [ Præſumens, ſcilicet, nihil aliud ſe, quam inludia animarum ſomniaturum urguentium, & inquietantium ſanguinis ſui concubinum. Tertull. de reſurrect. carnis, cap. 16. ] Dictio *Urguentium* pro urgentium, eſt Tertulliano familiaris. Vide *Colludium*.

Innocentiæ Primus Gradus. FR. eſt odiſſe nefanda, can. odio, diſt. 86. Innocentia, ideſt, ſceptrum Gręci Imperatoris. Vide *Acacia*.

Innotesco. FR. hoc verbum penes D. Gregorium in ſenſu tranſitivo reperitur, ideſt, notum facere. [ Petrus Diaconus nobis innotuit &c. lib. 7. epiſt. 112.

Innuptus, cœlebs. [ Quando noviſſimus Adam, ideſt, Chriſtus innuptus in totum, quod etiam primus Adã ante exilium. Tertullian. de Monog. c. 5.

Innobedientia. Vide *Inaudientia* )( *Obedientia*.

Inofficiosum teſtamentum, quid ſignificet: Vide *Teſtamentum*.

Inordinabiliter, abſque ordine, confuſe: [ Ipſi nos fallimus, quoties inordinabiliter credimus. In lib. cujus titulus eſt, de ſingul. Cleric. ſect. [illegible] ] qui tractatus communiter S. Cyprian. exiſtimatur.

Inormis. FR. pro *Inermis*, fortaſſe ſcriptoris error eſt:

Flammis combuſſit inormen. Aldelmus.

Inoro, in oram uſque corono: antiquitus enim cratera triumphantium coronabatur. [ At enim & calix bene ſibi conſcius, & diligentia miniſterii commendatus, de coronis quoque potatoris ſui inorabitur. Tertull. de reſurrect. carnis, c. 16. ] FR. & in ſenſu accommodatitio intelligi poſſet illud Eccleſiaſt. [ Et coronavit eum in vaſis virtutis, c. 45.

Inquisitio. FR. Sic appellatur inquiſitionis tribunal contra hæreticam pravitatem. De origine, & progreſſu hujus tribunalis tractatum compoſuit Ludovicus Paramus; ſed nimis late ab Adamo rranſgreſſore divini præcepti, coram Deo inquiſito, ejus exordium refert. Conſtat tamen antiquum fuiſſe, & dicebatur Decania. Vide *Decania*, cujus præſes *Decanus* dicebatur. De Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis fuſe agitur in ſexto, de hæreticis, & recenter Sebaſtianus Salelles, & Thomas del Bene eruditiſſime ſcripſerunt. *Inquiſitor* in rigore non dicitur Judex, [ Quaſi non Judices, ſed inquiſitores proprie exiſterent, lib. 2. decretal. cap. 19. de Judiciis. Antiquitus erat etiam rigoroſiſſimum in Gallia hoc tribunal; ſic enim de anno 1310. Joannes Villanus, part. 1. lib. 9. c. 3. teſtatur: [ Arnoldo di Villanova Provenzale ſi partì da Parigi per tema dell'Inquiſitione, e ſe n' andò in Sicilia. ] Concilium poſtea Viennenſe, de ann. 1312.

auctoritatem Inquiſitoribus ampliavit. Odoricus Raynaldus in hoc anno, n. 21. Ejus pœna. Vide *Immuratio.*

Inrufatus. Rubens. [ Si tibi lenticulam defruto inrufatam obtulero, ſtatim totos primatus tuos vendes. Tertull. de jejun. adverſ. Pſych. c. 17. ] Ubi contra guloſos loquitur, qui ad inſtar Eſau, qui primogenitură rubentibus lenticulis comutavit. Vide *Rubrico.*

Infangentheof. Vide *Saca.*

Insepultam Facere Sepulturam, Optati Milevitani phraſis, ideſt, de indignis defunctis nullam in Altari commemorationem facere, imo illos ſepultura privari intelligit, dum inquit: [ Clarius Presbyter in loco Sabbulenſi ab Epiſcopo ſuo coactus eſt, ut inſepultam faceret ſepulturam. ] De Donatiſtis loquitur qui in loco ſacro ſepeliri non debuerant.

Insigne Subjectionis, dicitur velum mulieris. Vide *Velum profeſſionis.*

Insinuativa. Vide *Emphaniſtica.*

Insinuativum. FR. donum a Clericis præſtitum Epiſcopo in principio ſui ingreſſus, ut ejus gratia inſinuarentur. Vide *Xenon.*

Inspeciatus, deformis. [ Spiritualem tamen ſubſtantiam illam, ut naturalem quendam impetum Æonis, ſed informem, & inſpeciatam. Tertull. de reſurr. carn. cap. 16. Vide *Infabricatus.*

Installo. FR. in poſſeſſionem immitto per ſeſſionem ſtalli in choro. [ Inveſtientes eundem, & ſolemniter inſtallantes, de conceſſ. præbendæ, c. 7. Vide *Inthronizo.*

Installatio, poſſeſſio per ſtalli ſeſſionē tradita. [Quod tam in curia Romana, quam alibi, pro confirmatione electionum, admiſſione poſtulationum, proviſione, inſtallatione, & inveſtitura de Eccleſiis Cathedralibus, de cætero nihil penitus exigatur ratione literarum. Concil. Baſilien. ſeſſ. 21.

Instratum Equi. Vide *Dorſuale, Mappula, Nacus, Synthema.*

Instrigo. FR. viſcera transfodio, l. ſi quis cervum, de damno.

Insubstantivus, ſine ſubſtantia; ſic atomos appellavit D. Ambroſius, inquiens: [ Qui ſic minuta, & ſubſtantiva principia cœlo, ac terris darent, lib. 1. Hexamer. c. 2. ] Ubi contra philoſophos loquitur, qui rerum principia atomos eſſe aſſerebant, quæ principia D. Baſilius ἀνυποςάτυς ἀρχὰς appellavit.

Insufferibilis, intolerabilis. [ Ideo lex inſufferibile pondus; gratia autem delectatio cordis eſt Chryſoſt. hom. 28. in c. 11. Matth.

Intaria, & *Intartizo* mendoſe. Vide *Antarta.*

Interaneum, inteſtinum. [ Et juſſit eum extenſum in equuleo unguibus radi, ut patefacta ejus interanea viderentur. In vita S. Hilarii Epiſc. & Soc. mart.

Intercalaris Dies. Vide *Epacta.*

Inter Canem, et Lupum, hic modus loquendi apud Eccleſiaſticos Scriptores ſignificabat crepuſculorum tempus, quo defectu luminis non diſcernitur canis a lupo. [ Intra horam Veſpertinam inter canem, & lupum venerunt, & interfecerunt dictum Joannem. Marcul. Vide *Crepuſculaſcens.* ] FR. Gallice etiam dicitur *Entre chien, & loup.*

Intercapedino, interponor. [ Intercapedinante etiam tantummodo noctis ſpatio. In vita Sancti Marcelli Papæ, lib. 2. cap. 3. §. 10. ] Vide *Interſtes.*

Intercedo. FR. Sancti Patres Africani pro obſto, & contradico uſurpant aliquando: [Cumani ſenes interceſſerunt. Auguſt. lib. 3. de Civit. c. 11. Quos Deus non interceſſerit adverſus ea. Tertull. lib. 2. contra Marc. c. 7. ] Vide *Expungo.*

Intercessor. FR. Viſitator Sede vacante. Gloſſa in can. conſtitutum, 7. qu. 1.

Interdiarius. FR. latro diurnus, & econtra nocturnus latro *Dormitator* dicitur.

Interdictum. FR. Eccleſiaſtica cenſura. Quomodo ſepeliantur mortui tempore interdicti. Vide lib. 5. decretal. tit. 18. c. 11. Quomodo in reliquis functionibus tempore interdicti agendum ſit. Vide in eodem, lib. 5. decretal. tit. 40. cap. 17. Vide etiam hic in dict. *Clauſura, Dogma.*

Internecida. Vide *Internecinum.*

Interibilis, qui interire poteſt, mortalis. [ Aut ſi & anima interibilis, ideſt, non immortalis. Tertull. de reſurrect. carnis, cap. 43. ] FR. In eodem ſenſu Arnobius, lib. 2. adver. Gent. ait: [ Argumenta quibus animas paſſivas, atque interibiles invenitur.

Interemptor. FR. Idem ac Proxeneta, in can. Clericus quilibet, diſt. 91. quaſi ſit medius inter emptorem, & venditorem. Gloſſa ibid. Vide *Proxeneta.*

Internecinum. FR. falſum teſtamentum, cujus cauſa ſcriptus hæres interfecit teſtatorem, ut videlicet, ex eo acquiri hæreditas poſſet. Notarius autem, & alii fraudem hanc committentes *Internecida* appellantur, & revelantes in præmium hæreditatem acquirunt, l. qui vel internecini, C. Theodoſ. de accuſat. Gloſſa Ibid. Cujacius in obſervat.

Internundinium. FR. ſpatium novem dierum, in quo durant nundinæ, & non nonus, & ultimus nundinarum dies, ut aliqui æquivocarunt. Alii tamen, *Internundinum* legunt, qui reprehenduntur a Victorino Afro.

Interpolo. FR. obſcuro, ſeu interrumpo. Gloſſa in extrav. de pœnit. & remiſſ. cap. 1. §. Interpolatis.

Interprisa. FR. ex gallica dictione *Entrepriſe.* Italice vero *Sorpreſa* dicitur, ideſt, aggreſſio. [ Si forte Rex Francorum contra formam treguarum aliquas feciſſet interpriſas. Matth. Paris, ann. 1242.

Intersatilis. Vide *Diacopoton.*

Intersignum. FR. argumentum, ſignum, congruentia, indicium. [ Unde præfatus Poteſtas ad eundem ſcholarem nuncios deſtinavit; ut exponeret, ſi quæ ſciret de fure prædicto, vel traderet interſignia- ] Et inferius: [ Poteſtas igitur receptis talibus interſigniis, latronem ipſum apparitoribus ſuis tradidit puniendum, lib. 5. decretal. tit. 12. cap. 19.

Interstes, interpoſitus, [ Et ſi defierunt vetera, cœperunt

runt nova, interſtite Joanne. Tertull. lib. 4. adverſ. Marcion.

INTERSTITIUM. Vide *Paraſtitia*.

INTERTIO, depoſitatio pignoris apud tertiam perſonam, unde formatur poſtea adjectivum *Intertiatus*, depoſitatum, & ſequeſtratum in manus tertii ſignificans: [ Si res intertiata furto ablata fuerit, liceat ei, ſuper quem intertiata fuerit, ſacramento, ſe excuſare de furto. Benedictus Levita, lib. 6. c. 209.

INTERTIUS, pignoris depoſitarius, ſeu conſervator.

INTERVERSOR. FR. Dilapidator. Cod. Theod. lib. 10. tit. 1. quem D. Auguſt. lib. 3. Confeſſ. cap. 3. *Everſorem*, & alibi *Decoctorem* appellat.

INTESTABILIS. FR. is, qui teſtis eſſe non poteſt, can. ſi teſtes, 4. quæſt. 2. & 3. §. in teſtimonium. Sed in Extravag. Jo. XXII. de pœnis Inteſtabilis dicitur active, & paſſive, ibi Gloſſa.

INTESTATUS. FR. qui abſque teſtamento deceſſerit. Gloſſa in c. 7. lib. 3. decretal. tit. 26.

INTESTINUM. Vide *Interaneum*.

INTHRONIZO, poſſeſſionem trado in throno collocando. [ Beatus Valerius Epiſcopus, dum ſibi providit ſucceſſorem, magnum Auguſtinum Eccleſiæ Hipponenſi inthronizat. Petr. Damian. Epiſt. 9. ] FR. [ Nam ſicut Epiſcopi habent poteſtatem ordinare Epiſcopos, & reliquos Sacerdotes: ſic quoties utilitas, aut neceſſitas coegerit, ſupradicto modo mutare, & inthronizare poteſtatem habent; non tamen ſine ſacroſanctæ Romanæ Sedis auctoritate, & licentia can. mutationes, 7. quæſt. 1. Principes enim inthronizaverunt eum, can. ſane, 16. qu. 7. ] Vide *Inſtallo*.

INTHRONISTICUM, ſtipendium, quod pro conſecratione Epiſcopi ſolvebatur, quod ſimoniacum eſſe declaratum fuit.

INTIMO, affigo, impono. [ Nullus clavus argentum intimat tabulis. Tertull. de habit. mulier. c. 5. ] Ac idem, exponens, cap. 4. epiſt. D. Pauli ad Epheſios, in tract. de reſurrect. carnis, c. 40. inquit: [ Senſibus utique intimandum Dominum ſignificavit. ] FR. Hinc quia citationes affigi ſolent, & exponi, *Intimationes* poſtea dictæ ſunt. [ Henericus Presbyter nobis humiliter intimavit, quod cum laicum quendam &c. lib. 5. decretal. tit. 14. c. 2. ] ubi *Intimavit*, ideſt, expoſuit, ac ſequitur facti expoſitionem; ſæpe enim in ſac. canonib. *Intimare* pro exponere uſurpatur.

INTOLERABILIS. Vide *Inſufferibilis*.

INTRA. Vide *Infra*.

INTRAMURANEUS, intra ambitus murorum contentus. [ Ad intramuraneam eum Caſtri Eccleſiam detulerunt. In vita S. Gregor. Epiſcopi Ligonen. ] Ita e contra apud S. Ambroſum; *Extramuraneus*, legitur.

INTROITUS, principium recitationis Miſſæ, quod fit in cornu Altaris ſiniſtro. *Introitus* dicitur, quia canitur dum celebraturus Sacerdos ingreditur ad Altare; ideo *Ingreſſa* in ritu Ambroſiano denominatur: a Sancto vero Gregorio *Antiphona* dicitur, quia alternatim canitur. Valaf. lib. de reb. Eccleſ. cap. 12. qui exiſtimat hanc Miſſæ partem a Cœleſtino Papa I. inſtitutam fuiſſe, ſic inquiens: [ Antiphonas ad introitum dicere Cœleſtinus Papa quadrageſimuſquintus inſtituit, ſicut legitur in Geſtis Pontificum, cum ad ejus uſque tempora ante ſacrificium lectio una Apoſtoli tantum, & Evangelium legeretur ] Sed ex Caſſiano, lib. 3. de inſtitut. Monach. c. 11. ante Cœleſtinum cani Introitum ſolitum fuiſſe colligitur. Quare Baron. ad ann. 432. num. 34. Introitum ad Miſſam pro Eccleſia Romana decretaſſe Cœleſtinum putat, idem quoque opinatur Bellarm. lib. 2. de Miſſa, cap. 16. In introitu antiquitus pſalmus integer canebatur; ſed poſtea propter populi tœdium ( ut ait D. Aug. ſer. 115. de tempore ) detruncatus eſt; ita ut unicus Pſalmi verſiculus cum replicatione antiphonæ cani cœperit. De introitu Dominicæ II. poſt Epiphaniam refert Durandus, lib. 7. cap. 19. quod Cæſar Auguſtus juſſerat omnibus Civitatibus Romano Imperio ſubjectis, ut in ſignum Subjectionis, Romam quotannis pugillum terræ mitterent, quo in determinato campo projecto, in collem tractu temporis creverat; ubi deinde Chriſtiani Eccleſiam ædificaverant, quæ in præfata Dominica dedicata fuit; ideo in introitu ejus Miſſæ habentur illa verba: *Omnis terra adoret te, &c.* Introitus feriæ IV. poſt Dominicam IV. Quadrag. totus ad ſanctum Baptiſmum alluſivus eſt, quia in eo die tertium, & ſolemnius Catechumenorum ſcrutinium fieri ſolebat. Durand. lib. 6. cap. 56. Quare in Dominica Septuag. dicitur Introitus *Circumdederunt me, &c.* & quare ad Sabbatum in Albis Introitus incipit: *Eduxit &c.* Vide *Septuageſima*. In feſto S. Agathæ dicitur *Gaudeamus omnes, &c.* ad denotandam ſingularem, inſolitamque lætitiam, qua Beata hæc Virgo ad martyrium inceſſerat. Durandus, lib. 7. cap. 47. In Miſſa SS. Gervaſii & Protaſii habetur Introitus; *Loquetur Dominus pacem, &c.* a Gregorio Magno compoſitus, quia in eo die concluſa fuerat pax cum Agiſulfo Longobard. Rege, Durand. lib. 7. cap. 13. Introitus *Salve Sancta parens* de Sancta Maria ex Sedulii verſibus decerptus fuit. Symbola autem Introitus, denotant in primis Salvatoris noſtri in terris adventum; ideo eo tempore canitur, quo Celebrans de ſacrario, ſive Pontifex de throno ad Altare procedunt. Hierarcha igitur ſacra facturus; de throno, in quo aliis circumſtantibus ſedet, deſcendens, Dei Verbi ad nos condeſcenſionem figurat. Simon Theſſalonic. lib. de Templ. c. de myſtag. ] Quin & tam thronus, ſeu cathedra Epiſcopalis, quam ſacrarium ad auſtralem Eccleſiæ partem collocabatur, ut illis propheticis Habacuch verbis alluderetur, nempe [ Deus ab auſtro veniet ] extant enim adhuc in pervetuſtis Eccleſiis Sacriſtię in earum auſtrali parte, & ex lib. de divin. offic. habetur, quod: [ Ab auſtrali parte ſit, declarat Dominum Jeſum a parte meridionali ortum eſſe; nam Hieruſalem in meridie habet Bethleem, a quo loco ipſe Salvator venit. ] FR. Torrigius etiam de Cryptis Vatic.

tic. impreſſ. ſecunda, pag. 436. ex Jacobo Grimaldo refert picturam inveniri, quæ Joannem Papam XXII. repræſentat indutum planeta ſub baldachino ex ſacriſtia exeuntem : || : Item denotat *Introitus* reiteratas SS. Patrum veteris teſtamenti preces pro adventu futuri Meſſiæ, & ideo replicari Introitum ait Innocentius III. lib. 1. de Myſt. Miſſ. cap. 18. In Sabbato Sancto,& Sabbato Pentecoſt. non dicitur Introitus.Quando autem in Introitu non dicitur Gloria Patri. Vide *Gloria Patri*. Introitus *Cum ſanctificatus fuero &c.* Vide *Scrutinium*.

INTRUSIO. Vide *Purpreſtura*.

INVADIO. FR. pignoro, cautionem exhibeo. [ Poſſeſſeſſionem pro CXC. marcis, & libris denariorum invadiavit. Burcher. de caſib. S. Galli, cap. 11.] Dicitur etiam *Inguadio*. Vide *Guadia*, *Pignora*, *Vador*.

INVECTIVALITER, invective. [ Qui ſatis invectivaliter abuſi nominum nuditate, carpebant plurimum vitia. Sidonius, lib. 1. epiſt. 11.

INVECTUM, donum. [ Siquidem rector animus facile communicat ſpiritui invecta. Tertull. de pallio. ] Vide *Behem*.

INVENTARIUM. Vide *Breve*, *Commemoratorium*.

INVENTIO S. CRUCIS. FR. ad Nonas Maji celebrari juſſit Fabianus Papa, quia hoc die Crux inventa fuerat, can. Crucis Domini, de conſecr. diſt. 3.

INVESTIS, nudus, ſine veſte. [ Nudus, & inveſtis figulo ſuo conſiſtit. Tertull. de pall. c. 3.] Ubi de Adamo loquitur. Item puerum denotat.

Tradidit inveſtem rectorem forte Magiſtris,
Ut puer indocilis librorum diſceret artes.

De Sancto Chryſanto puero cecinit Aldhelmus: & in eodem ſenſu uſus eſt S. Felix Papa in ejus decretal.ubi de pœnitentia pueris imponenda ait: [ Pueris autem, quibus, quod adhuc inveſtes ſunt &c. ] Synonymum hujus vocabuli. Vide *Veſticeps*.

INVESTIO, *Inveſtitor*, & *Inveſtitura*. FR. poſſeſſionem trado. [ Eccleſiæ pro quiete Monachorum a Sanctis Catholicis Epiſcopis traditæ per Sacerdotes ab eis ordinatos, & inveſtitos debeant inſtitui, can. viſis literis, 16. quæſt. 2. ] & inferius: [ Majus enim fuit poſſeſſionem dare, quam inveſtituram concedere. ] Et mox: [ Quomodo poſſeſſoris jura cognoſcentur, & ſuarum rerum ſibi tributa reddentur, ubi quod ſuum eſt, per alterum datur, & cum voluerit, aufertur? ] & inferius:[ Monachis deinceps omnino licentiam damus ſuarum Eccleſiarum inveſtitores fieri. ] Vide *Redinveſtio*. Varias cæremonias Antiquorum in inveſtituris bonorum. Vide *Fiſtucus nodatus*.

INVESTITUS. Vide *Induſiatus*.

INVESTITURÆ ANTIQUORUM, qua cæremonia ſolemnizabantur. Vide *Fiſtucus nodatus*, *Vvarpio*.

INVICEM, quid ſignificet apud antiquos Theologos. Vide *Sine invicem*.

INVIDI DESCRIPTIO. Vide in dict. *Flamonium*.

INVITATORIANUS, Officialis Monachorum Ciſtercienſium, qui curam habebat intonandi in choro. Item *Subinvitatorianus*, ad quem defectu primi Choriſtæ intonare pertinebat, ſeu ſecundario intonabat.

INVITATORIUM, Antiphona, quæ replicatur ad pſalmum *Venite exultemus*, qua invitatur populus ad adorandum Deum. In officio Mozarabico appellatur *Sonus*. In regulis monaſticis denominatur *Verſus aperitionis*, ſive *Reſponſorium hortationis*. Vide *Verſus aperitionis*. Et in nonnullis pervetuſtis cæremonialibus vocatur *Antiphona invitatoria*. Igitur in triduo hebdomadæ majoris relinquitur, ne unire cum judaico populo Chriſtum adoremus, quem illi in paſſione ejus illudentes adorabant: ob eandem rationem in feſto Epiphaniæ etiam reticetur, ut dictum eſt in dict. *Epiphania*. Amalarius autem ait, c. 5. de ord.Antiph. quod: [ Solet Apoſtolicus canere in vigiliis, & in Eccleſia S. Mariæ ad Præſepe ſine invitatorio. ] Fortaſſe, quia ibi eſt idem Chriſti Præſepe, ut ſignificaretur, quod idem infans ibidem proprio vagitu ad ejus adorationem populum invitet. Invitatorium in Converſione S. Pauli, quod incipit *Laudemus Deum noſtrum in converſione*, *&c.* ab Hermanno contracto compoſitum fuit.

INVITO. FR. induco. Gloſſa in cap. 1. extrav. Jo.XXII. de verbor. ſignif.

INUXORA, Virginitatis epitheton. [ Non tibi ſufficit de ſummo illo inuxoræ Virginitatis gradu, in ſecundum deliquiſſe nubendo. Tertull. de exhort. ad caſtit.c.9.] græcam phraſim imitavit ἄγαμον. In aliquibus tamen codicibus mendoſe *Junxere* habetur, quod a Pamelio correctum fuit.

INZAPATI hæretici. Vide *Gazari*.

JOANNIS BAPTISTÆ CAPUT. Vide *Lucar*. *Equites Melitenſes*. Ejus Miſſa. Vide *Miſſa Nativitatis* S. Jo. Luminaria in ejus feſto. Vide *Nedfratres*. Joannes Evangeliſta. Vide *Theologus*.

JO. DAMASCENUS. Vide *Chryſoras*, *Manſur*.

JOCALIA, res pretioſæ, ut ſunt gemmæ, & ſimilia ornamenta. De etymologia hujus nominis, quo Latini numquam uſi ſunt, eſt proinde maxima inter Auctores opinionum diverſitas; ſed magis conſona mihi videtur Angeli Roccæ ſententia, qui a Joco nomen hoc deducit,quæ a Doctore Jo. Franciſco,lib.2. conſ.452. n. 5. confirmatur, qui inquit: [ Jocalia dicuntur,quæ joci, ac feſtivitatis gratia parantur. ] FR. puto tamen *Jocalia* a jugulo dici: in quo loco ligantur,& pendent, ut ſunt aureæ murenulæ, viriolæ, viriæ margaritarum, & aliarum gemmarum fila, catenæ aureæ, torques, & ſimilia; ſive a *Jugalitate*, ideſt, ſponſalitio, quia tunc jugalia ſolent ſponſis donari. Vide *Jugalitas*, *Jugulum*.

JOCISTA, jocularis: [ Jociſta ſæpe jocis intendit. Gloſſa vet. ] Vide *Goliardus*.

JOCULARIS. Vide *Jociſta*.

JORDANIS aquæ incorruptæ. Vide *Epiphania*.

JOVINIANI. FR. hæretici, can. fugerat. & can. ſi enim, de pœnit. diſt. 2. Dicuntur etiam *Joviniamiſtæ* a Joviniano Monacho, qui non admittebant differentiam ali-

aliquam inter continentiam, & coitum, inter abſtinentiam, & crapulam, 24. qu. 3. can. 39.

Jovis Dies in primitiva Eccleſia celebris. Vide *Feria quinta, Jejunium*.

Irenæus, εἰρηναῖος, pacificus, quietus. *Jerenæum* appellatum eſt quoddam in Bithinia monaſterium, ex eo quia remotum a populari ſtrepitu erat. FR. Irenæum pacis ſtudioſum interpretat. Euſebius lib. 5. hiſtor. Eccleſ. cap. 24. in fin

Irenarcha, εἰρηνάρχης, Princeps pacis, nomen Chriſto Domino adaptatum, quia nos Æterno Patri conciliavit. [ Vere princeps paſtorum, & irenarcha Chriſtus ab omnibus concorditer habetur. Michael Syngellus. ] Erat etiam ſæculare officium: [ Irenarchæ, qui ad provinciarum tutelam quietis, ac pacis per ſingula territoria faciunt ſtare concordiam, a decurionibus judicio præſidum provinciarum idonei nominantur. Codex Juſtiniani lib. 10. cap. 75. ] FR. incumbebant etiam tales Irenarchæ ad publicas morum diſciplinas, & vitia corrigenda, l. ult. §. Irenarchæ, 7. de muneribus, & honoribus. Sed ex abuſu deinde propriæ auctoritatis Irenarchæ publicæ quietis turbatores evadendo, ab Impp. Honorio & Theodoſio abrogati ideo fuerunt, ut in Cod. Theodoſ. lib. 1. de Irenarch. habetur. Juſtinianus vero denuo eos reſtituit, ut in leg. unic. Cod. de Irenarch. habetur.

Iringus. FR. pacis internuntius. [ Mittitur igitur Iringus ab Irminfrido cum ſupplici legatione, & omnibus ſuis theſauris ad Theodoricum pro pace, ac ſpontanea deditione: & accedens Iringus, hæc ait, miſit tibi quondam tuus propinquus, modo ſervus &c. Uviti chindi Monachi hiſt. Saxonum lib. 1. ] dictio quidem ex græco vocab. εἴρειν, quod eſt nunciare; unde *Iris* dictus eſt arcus cœleſtis, quia pluviæ ceſſationem nunciat.

Irim de cœlo miſit Saturnia Juno.

Virg. 5. Æn. ex Homero, qui ſæpe hac fabula utitur

Irrecogitatio, advertentia. [ Quaſi irrecogitationem exceſſus ſui paſſa ſtatim ſe refrænat, & revocat. Tertull. de exhortat. ad caſt. cap. 4.

Isaac. Vide *Senile pignus*.

Iscariotha, patria Judæ Redemptoris Diſcipuli, & proditoris, de qua patria varii varia; ſed ſi advertamus, quod omnes Chriſti Diſcipuli ex Galilæa fuerant, recte non extra eam regionem Judæ patriam inveniri debet; at cum *Carioth* ſituata ſit in tribu Judæ, Joſue cap. 15. & *Iſch*, hebraice hominem ſignificet, *Iſcarioth*, recte homo ex Carioth interpretatur. FR. Oddo autem Cluniacenſis Abbas in ſermone de Magdalena *Scarioth* illum appellat.

Isidis Deæ veſtigia: Romæ per errorem in quodam lapide pro Sancti Angeli veſtigiis diu adorata. Vide *Litania*.

Isidos Plocamon. Vide *Spatalium*.

Isotypon. Vide *Antitypon*.

Itali, nonnullis Arabicis vocabulis utuntur. Vide *Verſus Leoninus*.

Ite Energumeni, proferebat Diaconus ante Miſſæ conſecrationem. Vide *Energumenus*.

Ite In pace. Vide *Ita Miſſa eſt*.

Ite Missa Est. Verba in fine Miſſæ, quibus fidelis populus dimittitur: nam benedictio a Sacerdote non poſt *Ite Miſſa eſt*, ut modo fit; ſed poſt communionem dabatur: hinc Alcuinus inquit: [ Finitis omnibus adſtanti, & obſervanti populo abſolutio datur, inclamante Diacono, Ite miſſa eſt, de divin. off. ] Quam cæremoniam a Leone Papa inſtitutam fuiſſe Radulphus refert; ſed antiquior reperitur, in Liturgia, ſcilicet, Sancti Petri. Dicitur autem in diebus feſtivis, quando populus adeſſe ſupponitur. In ferialibus vero dicitur *Benedicamus Domino*, quia tunc fere Eccleſiaſtici reperiri ſolent, quibus non fiebat miſſum, cum ad divina officia perſolvenda remanere deberent in Eccleſia. Hinc in prima noctis Nativitatis Miſſa *Ite Miſſa eſt* non dicitur, ne populus, qui ad laudes audiendas remanere debet, dimittatur: [ In prima Miſſa Natalis Domini non debet dici Ite miſſa eſt, ne videatur populus licentiam habere redeundi. Jo. Beleth. c. 49. Rat. divin. off. ] qui Auctor floruit circa annum 1153. Tempore autem adventus, & a ſeptuageſima uſque ad Sabba tum Sanctum ratione mœſtitiæ non dicitur, licet ſit populi concurſus. In antiquis græcis Liturgiis ſimilis dimiſſio reperitur, ubi Diaconus hæc verba proferebat: ἀπολύεσθαι ἐν εἰρήνη, ideſt, *Ite in pace*. Quæ verba dimiſſionem denotant Apoſtolis ab Angelis factam, quando illi poſt Aſcenſionem Redemptoris ſtabant admirantes in Cœlum.

Itineraria Tabula. Vide *Altare*.

Itinerarium. Vide *Hodeporicum*.

Itinero, iter facio. [ Itinerantibus per deſertum ad viam trium dierum. Petrus Celleri. lib. 3. cap. 4.

Jube Domne &c. petitio benedictionis ante lectionem officii divini, ubi verbum *Jube* non præcipere, ſed velle ſignificare, ait Nonnus Marcellus cap. 4 Quando Sacerdos privatim celebrat, & ſecrete petit benedictionem ante Evangelium, quia eam a Deo poſtulat, debet dicere *Jube Domine*. Gavant. tom. 2. ſect. 5. c. 11. Similiter faciet Papa quando in Cappella matutinalem lectionem canit, cui nemo reſpondere debet in precatione benedictionis, idemque Epiſcopis fit, Cærem. Epiſc. lib. 2. cap. 7. ſed non cæteris ſuperioribus, ut in ſuo cæremoniali aſſeruit Gaſtaldus, qui contradicitur a Gavanto. loc. cit. n. 4. Reliqua. Vide in dictione *Dominus*.

Jubilate, quando in Matutino relinquatur. Vide *Matutinum*.

Jubilæum, ex voce hebraica *Jobel*, ideſt, cornu, quo promulgabatur Jubilæi annus; ita Lyranus, R. Salomon in cap. 25. Levit. Alii tamen etymon a *Jebul*, ideſt, germen trahunt; nam per totum Jubilæi annum inter Hebræos non colebatur terra; ſed præcedenti anno miraculoſe dupliciter germinabant campi. Joſeph vero Hebræus lib. 3. antiq. cap. 10. exiſtimat derivari a *Jobal*, quod ſignificat libertatem, ſeu

remiſſionem, quia in anno Jubilæi in libertatem remittebantur mancipia, reſtituebantur poſſeſſiones emptæ, cancellabantur obligationum contractus: hodie tamen ſpiritualiter in Eccleſia celebratur Jubilæum a Bonifacio VIII. quolibet ſæculi fine inſtitutum de anno 1300. ſed a Clemente VI. de anno 1450. ad inſtar Jubilæi antiqui teſtamenti quolibet ſemiſæculo reductum, & ab Urbano VI. ad annos triginta tres limitatum, tandem Sixtus IV. de anno 1474. humanæ vitæ brevitatem conſiderans, ad terminum quinque luſtrorum ſtabilivit, ſicut ſemper poſtea uſque ad noſtra tempora obſervatum fuit. Quo ad cauſam inſtitutionis Jubilæi, non eam fuiſſe dicimus, quam aliqui dixere, ut nempe, ſynagoga imitaretur; ſed potius quia ſemper Pontifices vanas obſervationes Gentilium in ſacras cæremonias erga Dei cultum convertere conati ſunt, ideo ad tollendum ſuperſtitioſum Romanorum ſæcularem annum, annum Sanctum indulgentiis Romani Pontifices inſtituerunt. FR. Non videtur circa rei materiam Jubilæi de ann. 1650. popularem concurſum, devotionem, & cæremonias ex Chriſtophori Ranzovii relatione hic deſcribere, quæ fuerunt ſuæ ad fidem converſionis cauſa; ſic enim ille in epiſtola ad Georgium Calixtum hæreticum licet eruditum ſcripſerat, quæ impreſſa fuit Romæ per hæredes Ludovici Grignani ann. 1651. ubi pag. 7. ita loquitur: [Atque iſtam tunc conjecturam minime me fefelliſſe abunde deinceps Catholicorum hominum uſu, & converſatione expertus ſum; maxime cum ad Urbem acceſſiſſem. Nam ubi tu ſuperſtitionibus, nugis, & novitatibus me offenſum iri exiſtimaſti, ibi inſpirato, planeque admirando ſpectaculo univerſæ Catholicæ Eccleſiæ facies antiquæ pietatis ſanctitatiſque plena oculis, animoque meo ſeſe aperuit, in ipſo Jubilæi anno, quod Innocentius X. Pontifex Max. Orbi Chriſtiano indixerat. Vidi enim ſolemni ſupplicationis ritu, ad Baſilicam Vaticanam procedentes numeroſiſſimas infantium ſcholas, agmina Monachorum, & Religioſorum hominum ſodalitia, inde Collegia diverſa Clericorum, & Eccleſiarum presbyteria. Clerum ſuum ſequebatur Pontifex, veneranda Epiſcoporum corona circumfuſus. Hunc populi Chriſtiani Ducem, & Antiſtitem ſupremum immenſa fidelium turba ſequebatur, eo animi ardore, ut Cœlum ipſum expugnaturi, manuque violenta direpturi viderentur, homines plerique omnes ſacco tantum, & cilicio tecti, & ſcipione viatorio armati. Ubi in porticum ad limen Eccleſiæ perventum, Pontifex in genua provolutus, cum, oratione ſuper plebem data, miſericordiam divinam imploraſſet, occluſas valvas non tam aperiens, quam diruens, primus templum ingreditur, rectaque pergit ad altare, preces ſolemnes inchoaturus. Interim non ſine ſtupore ſpectavi, quo impetu populus ille ingens in Eccleſiam irrueret, limina certatim exoſculantes, genibuſque perreptantes; templum ingreſſi pars in terram poni, totoque proſtrati corpore, pars B. Petri, ut vocant, Confeſſioni, & Altaribus provoluti lacrymas, preceſque funderent; & ad miſericordiam Dei extorquendam, non tam pectus palmis, quam Cœlum ipſum invidia tunderent. Hæc fateor nova tum viſa mihi, cui nihil ſimile apud noſtros antea obſervatum, ubi homines ad orationem genuflexi non niſi in ſepulchrorum memoriis picti, ſculptive conſpiciuntur. Sed novitas illa clariſſimum antiquæ ſanctitatis indicium mihi præbuit; unde Eccleſiam etiam nunc vitali vigore Spiritus Sancti vegetari, regique certo perſpicerem. Eaque in ſententia magis confirmatus ſum, ubi populum illum agmine immenſo, & continua ſerie cæteras Eccleſias precibus ſtationibuſque præſtitutas obventum vidi, ſupplicationibus interim, & litaniis ſuo quoque ordine, ſed uno conjunctoque pietatis certamine divinam opem expoſcentes. Tum vero perſpexi, quanta pietatis æmulatione peregrini ad Urbem confluentes, & publicis Eccleſiæ, ſuæ quique nationis privatis hoſpitiis excipiantur; ad hæc quo ſtudio, curaque foveantur ægroti, quod fidem propemodum excedit. In tanto populorum, & nationum numero facile perſpexi, quod Catholica Eccleſia a ſectis, factionibuſque privatis diſtet, cum hic omnes gentes, omneſque linguæ unius fidei, & charitatis vinculo foveantur &c.] At re vera de recenti Jubilæi portento memoriæ nunquam proditum fuit, ubi ſupra quam quod facile credi poſſet, tot Romipetarum myriades concurrere viſum eſt, ut dubitari queat, an triumphantis Urbis tempore intra ſui mœnia tam ingens populorum numerus annuatim confluxerit; & quod ſane ſpectandum in hoc ultimo Jubilæo magis dignum fuit, indefeſſa, nempe, piarum ſodalitatum Hoſpitalitas, devotaque Sacras Baſilicas litantium modeſtia, cum divinarum laudum frequentatione, ac prodigioſa Sanctiſſimi Patris noſtri Clementis X. providentia in victualium abundantia, ſecuritatis viatico, paciſque vinculo, qui tandem omnibus proficiſcentibus dimiſſorialem benedictionem largiendo ſpiritualiter lætificavit, adeo ut ipſimet Hæretici, qui curioſitatis gratia in magna copia huc acceſſerant, in Catholicæ Eccleſiæ gremio genus Dei electum, Regale Sacerdotium, populumque acquiſitionis vere reperiri, libere faſſi ſunt.

Jubilæus, ſic appellatus eſt S. Remigius Rhemenſis Archiepiſcopus, quia XCVI. annis vixerat, ac prope ſæculi ad ætatem pervenerat. Flodoard. lib. 1. hiſt. Rhemen. cap. 17.

Jubilatio, ſeu *Jubilus* ab aliquibus appellatur ſequentia, quæ poſt epiſtolam in aliquibus feſtivitatibus canitur.

Jucundor, delector. [Quotidie autem jucundabar ante faciem ejus, Lactantius, lib. cap. 6.] FR. [Jucundabitur in filiis, Eccl. cap. 3. Non jucundabitur in bonis, Ibid. cap. 14. Ne jucunderis in filiis impiis, Ibid. cap. 16. Qui jucundatur in malitia, Ibid. c. 19. Qui jucundatur in filiis, Ibid. cap. 25. Et inhabitatores terram gaudebunt ſuper illos, & jucundabuntur, Apocalyp. cap. 11.

Ju-

Judæus. Vide *Hebræus*.

Judas. Vide *Iſcariotha*.

Judex. Vide *Cognitores*, *Miniſtralis*. FR. in italicis Rebuſpublicis Judex *Poteſtas* dicitur. [ Florentina poteſtas &c. definitivam ſententiam promulgavit, in lib. 2. decretal. de judiciis cap. 21. Vulneratum juvenem Poteſtati Vincentiæ tradiderunt, lib. 5. decret. tit. 12. cap. 19. ] & hic Poteſtas declinatur. [ Unde Præfatus Poteſtas &c. in eod cap. 19. ] In Sabaudia *Conſules Juſtitiæ* denominabantur [ Si vero Conſules juſtitiæ, tanquam merito ſuſpecti, fuerint recuſati, lib. 2. decretal. de foro compet. cap. 10. ] Ubi Epiſcopo Vercellenſi Innocentius III. ſcribit. Item *Judices* appellabantur Conſules artium. [ Venienti Romam Carolo, Pontifex obvios, qui deducerent, miſit clerum, & Romanos cives, quos miror Bibliothecarium fuiſſe triginta millia judices affirmare: quamquam non ea tunc fuit, quam noſtra habet ætas, conſuetudo, ut ſoli juris civilis doctrinæ addicti judices dicerentur; ſed eo nomine appellatos fuiſſe invenio omnes, qui a fabrilibus vilioris exercitii opificiis temperantes, ſive magiſtratibus adminiſtrandis, ſive contrahentium adſtipulandis conventionibus, ſive ipſo dicendo, interpretandove juri erant dediti. Flav. Blond. decad. 2. lib. 1. ] Sed adhuc intelligentiæ duritia reſtat; nam omnes, quos Blondus ſub vacabulo judicium, concludit non potuiſſent ad tam copioſum numerum, nimirum, 30000. aſcendere. Plinius enim ſecundus lib. 6. epiſt. 33. ait, quod Romæ ſuo ævo omnia urbana conſilia ſimul, quæ erant quatuor, non amplius, quam centum, & octuaginta Judices conſtituebant, ſic inquiens: [ Sedebant judices centum, & octuaginta ( tot enim quatuor conſiliis conſcribuntur ) ingens utrinque Advocatorum &c.] Probabilius ergo erit, ſi cum D. Hieronymo intelligamus judices eſſe Presbyteros, 2. quæſt. 7. can. non omnes Epiſcopi. Ubi Judices a Daniele damnati Presbyteri appellantur. Sic de eiſdem Lucifer Calarit. [ Venerunt duo Presbyteri pleni iniqua mente adverſus Suſannam, ut mortificarent eam, lib. 2. ] Judices cleri, & Judices militiæ reperiuntur apud eundem Anaſtaſium Biblioth. in Hadriano, quorum primi Eccleſiæ Primates, ſecundi militiæ optimates erant, & 30000 Romanos Judices Senatores intelligit Camillus Peregrinus de Princip. Longobar. in Caſtigat. ad Falconem Benevent. pag. 150. & 152. Puto tamen illum Anaſtaſii locum curiales ſignificare, ut habetur in quadam Bulla Silveſtri Papæ II. nempe: [ Poſt hæc autem idem Reverendiſſimus Papa cum Romanis judicibus decrevit. Bullar. Caſin. tom. 2. conſtit. 72. ] Item Conſultores dicuntur Judices. Cæterum Judices Sacri Palatii octo ſubſcribuntur in conſtit. 61. tom. 2. Bullar. Caſinen. Item Imperiales Judices alii Spectabiles erant, alii Illuſtres, can. anteriorum, 2. quæſt. 6. Ubi ſunt plures Judices, ſeu Arbitri, unus pro omnibus numero ſingulari reſpondere poteſt. Vide *Singularis forma verborum*. Judex ad quid incumbere debeat antea ſententiam. Vide *Rimor*. Vide *Centenarius*, *Judicium*, *Sagi baro*, *Sculdaſcio*.

Judex Compurgationis. FR. dicitur Judex delegatus ad cogendum aliquem canonice ſe purgare ab imputato delicto, qui & *Compurgatores* dicebantur. Vide *Juramentum*, *Purgator*, *Judicium peregrinum*.

Judex Pedaneus. FR. [ Nunquid non præfatæ Eccleſiæ derogatur honori, ſi ipſam oporteat nunc in foro eccleſiaſtico, nunc in ſæculari, & interdum quoque coram pedaneis judicibus, & plerumque pro rebus parvis, & vilibus litigare? in Extrav. Jo. XXII. c. 3. de verb. ſignif. ] Pedaneus enim eſt Judex, qui pro rebus vilibus, & parvis judicandis conſtituitur, C. de pedaneis judicibus per totum, & præcipue in l. ultima. In Melita *Judex idiota* appellatur.

Judicatus. FR. Judicis officium. [ Judicatus, & tabellionatus officiis ſe noverint eſſe privatos de elect. in ſexto cap. 17. ] Item ſumitur pro arbitrio, & voluntate. [ Hanc enim chartulam judicati mei, & ordinationis meæ Joanni notario &c. ad ſcribendum dedi atque rogavi; in qua ſubtus confirmans, teſtibuſque obtuli roborandum: unde dues (*ſic*) chartules judicati uno tenore ſcriptæ ſunt (*ſic*) In donatione Monaſt. Thealdus Marchio Matildis Comitiſſæ avus, Bullar. Caſin. tom. 2. conſtit. 73.

Judiciaria. FR. diſtrictum, in quo extenditur Judicis juriſdictio, l. & hoc, de exercitalibus. Vide *Juſtitiaria*.

Judicium Dei, & Eccleſiæ quomodo differant. Vide *Eccleſia*.

Judiciun Forense. FR. eſt illud, quod conſtat ex quatuor perſonis; ideſt, electo Judice, idoneo accuſatore, congruo defenſore, & legitimis teſtibus. Judices autem debent uti æquitate, teſtes veritate, accuſatores intentione ad amplificandam cauſam; defenſores ad illam minuendam, can. nullus unquam 4. qu. 4.

Judicium de Plano. FR. quid ſit, in Clementina c. 2. de verb. ſignif. his verbis declaratur: [ Sæpe contingit, quod cauſam committimus, & in earum aliquibus ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu & figura judicii procedi mandamus &c. Nos autem dubitationem hujuſmodi ( quantum nobis eſt poſſibile ) decidere cupientes &c. ſancimus, ut judex cui taliter cauſam committimus, neceſſario libellum non exigat, litis conteſtationem non poſtulet, in tempore etiam feriarum ob neceſſitates hominum indultarum a jure procedere valeat; amputet dilationum materiam &c.] Vide de *Plano cauſam cognoſcere*.

Judicium Peregrinum. FR. erat duellum. Vide *Duellum*. Dicebatur *Purgatio vulgaris*, ideſt, ſæcularis; ſic etiam judicium peregrinum ad differentiam judicii eccleſiaſtici nuncupabatur. Vide *Judex compurgationis*, *Miſſa judicii*, *Palea*, §. Sed huic digreſſioni. Gloſſa tamen ſibi contradicit; nam in can. privilegia, 25. quæſt. 2. bene exponit eſſe ferri candentis; ſed in cap. 8. lib. 5. decretal. tit. 34. §. peregrina judicia, aliter exponit. Vide *Juramentum*.

Ju-

Jugalitas, matrimonialis ſocietas, & conjunctio. [ Jugalitas, quæ ad propagandam poſteris ſobolem, & liberorum procreandorum gratia licitis connubii nexibus traditur. Aldhelm. de virg. c. 4.

Jugalis, conſors, de viro in ſuo Regiſt. lib. 1. cap. 17. D. Greg. ſic ait: [ Felicem jugalem ſuum hæredem inſtituiſſe. ] Et de uxore in Synodo Valent. [ Dominus Rex, vel ſupra nuncupata jugalis ſua.

* Jugatio & Juga. Terræ modum ſignificat, cui colendo per annum jugo boum opus eſt: Et quoniam Tributi cujuſdam exactio ſecundum hanc æſtimationem fiebat, inde nomen jugationis, & jugoſum ſortita eſt; quod Tributum Athanaſius intelligit, quando Canonis, in uſum eccleſiæ Alexandrinæ Ægyptiis impoſitis, nomine injuſte ſe delatum eſſe conqueritur. Athan. Apol. 2.

Juges, par [ Et juges ſuos, hoc eſt, corpus, & animam vulnerabit. S. Maximus, hom. 10.

Jugulum. Vide *Jocalia*. Anaſtaſius in Nicolao. [ Jugulum de auro mundiſſimo fecit in confeſſione ipſius Baſilicæ, penſans libras duas.

Jugum, dicitur velum profeſſionis. Vide *Velum profeſſionis*.

Julianus Apostata, quando in Eccleſiam Chriſtianorum interveniebat. Vide *Anagnoſta*: *Epiphania*. Cætera Vide *Labarum*, *Miſopogon*, *Thurifico*.

Juncaricum. FR. pagus prope montem Caſinum, qui adhuc nomen retinent. Bullar. Caſin. tom. 2. conſt. 182. num. 2.

Juncita. FR. conterminatio. Bullar. Caſin. tom. 2. conſtit. 74.

Juncus. Vide *Sparta*, *Eriophoron*.

Junior, nedum quo ad ætatem inferior; ſed etiam quo ad gradum intelligitur: ſicut econtra de ſenioribus dicitur. [ A junioribus Eccleſiæ juſſit banno exigi pro eo, quod in exercitu non ambulaſſent. Gregor. Turonen. lib. 5. cap. 26. ] Et de utriſque dicitur. [ Ut primo omnium ſeniores ſe ipſos de ebrietate caveant, & eorum junioribus exemplum bonum ſobrietatis oſtendant. In capitul. Caroli Magni.

Junioratus, minoratus, ſeu minoritas. [ Super hæc dedimus junioratum Eccleſiæ de Pontegodonis cum omnibus hominibus noſtris. Ivo Carnoten. epiſt. 286.

Jupanus, titulus dignitatis in Regno Serviæ, qui ſolebant ſecundogenito Regis tradi: [ Ut videre eſt ex litteris Stephani ejus filii Magni Jupani Serviæ, in vita S. Sabæ Epiſcop. [ FR. inter Innoc. III. epiſtolas reperitur quædam Magno Jupano Serviæ miſſa, quæ eſt epiſt. 167. lib. 2. Vide Joannem Lutium in ejus hiſt. de Tragur.

Juppiter. Vide *Thur*.

Juramentum. FR. non eſt obligatorium contra bonos mores, de regul. jur. in ſexto, regul. 58. item *Juramentum* pro confeſſione accipitur aliquando, can. & jurabunt, 22. q. 1. *Jurare ad arma ſacrata*, ideſt, per inſtrumenta Sacrificii, ſicut in dict. *Arma Sacerdotalia* dictum eſt, de quo modo loquendi in l. ſi qualiſcumque cauſa, & ibi gloſs. & l. ſi contigerit. qualiter quis ſe defendere debeat. Sacerdotes jurare non debent; ſed vice juramenti per ſanctam conſecrationem interrogentur, & interrogatus ſub hac formula juramenti reſpondere debet: [ Illam teſtem profero, cui nuda ſunt omnia, can. ſi quis presbyter, & can. presbyter, vel quilibet ſacerdos, 2. quæſt. 5. ] Itaque Canonica lex prohibuit juramentum per purgationem peregrinam, can. Mennam. ead. q. 5. ubi ſic habetur [ Vulgarem denique nulla Canonica ſanctione fultam legem, ferventis, ſcilicet, ſive frigidæ aquæ ignitique ferri contactum, aut cujuslibet popularis inventionis, ( quia fabricante hæc ſunt omnino ficta invidia ) nec ipſum exhibere, nec aliquo modo te volumus poſtulare: imo Apoſtolica auctoritate prohibemus firmiſſime, ] & Anacletus in can. privilegia, 25. qu. 2. ait: [ Peregrina ſubmovemus judicia. ] Quod Gloſſa exponit: [ Ideſt, ferri candentis ] de quo etiam c. 9. lib. 3. decretal. tit. 50. & in can. dilecti filii lib 5. decretal. de purgatione vulgari. Vid. *Purgatio vulgaris*, *Duellum*, *Judicium peregrinum*. Licet Palea (& fortaſſe apocryphe) dicat, quod Conc. Triburienſe decreverat, quod qui ingenuus non erat, ferventi aqua, vel candenti ferro ſe expurgaret, §. Nobilis homo, 2. qu. 5. Igitur Canonicum juramentum judicium, ſeu purgatio explicatur in c. 5. & 16. lib. 5. Decretal. tti. 34. Vide *Profeſſio*. Landulfum in dict. *Septimum*.

Jurare Per Crucem. Vide *Stauropata*.

Jurare Per Deos. Vide *Dii*.

Jurare Super Lapidem Falsum. FR. exponit Gloſſa [ Forte coopertum ab adverſario, ut credantur eſſe Evangelia, in can. ecce, 22. qu. 5.

Jurare, in quibus diebus non licet. FR. Vide can. decrevit, 22. qu. 2. Tandem qui jurat ſuperiori ſuo, ſex ſemper in memoria debet habere. [ Incolume, tutum, honeſtum, utile, facile; & poſſibile, can. de forma, 22. qu. 5.

Juratorius, FR. [ Præter juratoriam cautionem, in decretal. de præſumptionibus, cap. 14.

Juridicina, juriſdictio. [ Idem Cato juridicinæ ſuæ tempore humerum exertus, haud minus palliato habitu Græcus fuit. Tertull. de pall. cap. 3.

Juritæum. Vide *Colatum*.

Jurnale, campus in unico die arabilis. Uno jurnali in terra arabili. In vita S. Lugder. Epiſcop. ] Vide *Gerbida*, *Zerbolaris*.

Jurulentia. FR. juris coctionis abundantia. [ Arguunt nos, quod etiam xerophagias obſervemus, ſiccantes cibum ab omni carne, & omni jurulentia. Tertull. de jejunio.

Jus. FR. liquor eorum, quæ coquuntur. Quare quidam perperam verba illa in libro Judicum cap. 6. num. 19. *Jus carnis* juriſdictionem carnis interpretatus eſt, quod non niſi carnis liquorem ſignificat. Sic in eodem cap. num. 20. [ Jus deſuper deſunde. ] Et in Iſaia cap. 65. num. 4. [ Jus profanum in vaſis, ]

Quo

Quo vocabulo uſi ſunt Latini. [ Cancri marini decocti jus contra dorychnium efficax habetur. Plin. lib. 32. c. 5. ] Dorychnium enim venenoſa planta eſt. [ Medici curationem non probo, jus tibi dandum non fuit. Cicero, lib. 16. epiſt. 6. ] Hinc *Juſculum* diminutivum, quando, ſcilicet, jus maxima decoctione minuitur, & conſumitur, quod Itali *Brodetto* vocant. [ Juſculum frigidum ſorbere. Cato de re ruſtica cap. 156.

JUSCELLUM, idem, quod juſculum: [ Propter te hæc juſcella paravi. Gregor. Turon. lib. 1. hiſtor. c. 18. ] Vide *Jus*.

JUSSORIUM, præceptum. [ Juſſorium veſtrum accepimus una cum exemplari de litteris Domini Sulpitii, ubi Domnus innotuit, quod juſtum placitum de iſta Synodo frater veſter Domnus Sulpitius viſus eſt immutaſſe. Paulin. epiſt. ad Deſiderium.

JUSTA. Vide *Juſtitia*.

JUSTINIANUS IMP. Vide *Analphabetus*, *Pandecta*. Item dictus eſt *Chalcedonienſis*, & quare. Vide *Melchita*. Juſtiniani corona in incendio deperdita, & poſt aliquod tempus inventa. Vide *Septimum*. Juſtinianus II. Imp. Vide *Rhinotmetus*.

*JUSTINIANUS IMPERATOR. Hanc inſcriptionem in altari S. Sophię faciendam curavit. Scilicet. *Tua de Tuis Tibi offerimus Servi Tui, Chriſte, Juſtinianus & Theodora: Ea Tu propitius accipe, Tibi & Verbum Dei, qui noſtra cauſſa carnem aſſumpſiſti, & Cruci affixus fuiſti ac nos in certa fide conſerva, & quum nobis commiſiſti Rempublicam, eam ad Tuam Gloriam auge, ac tuere, intercedente Sancta Deipara Virgine Maria*. Cedren. Hiſtor. Comp. an. 32. Juſtin.

JUSTITIA, vinarium vas. [ Apto pede torna vaſcua vinaria, quæ juſtitias vocant, vel ſimilia concavare, & componere tenta. Petrus Cluniacen. lib. 1. c. 20. Statutum eſt, ut non in vaſis illis vinariis, quæ juſtitiæ vocantur, ſicut olim facere cogebantur; ſed propriis ſcyphis unuſquiſque bibat eo tempore, quo poſt nonam ad potum fratres pergere ſolent. Idem in regula Cluniacen. ] Item hoc vas *Juſta* etiam appellatur: [ Tres quotidie panes, & quatuor vini juſtas. Andreas Quercetanus. Vide *Miſericordia*.

JUSTITIARIUS, FR. Juſtitiæ Præſes. [ A regio juſtitiario capti fuerunt, 3. decretal. tit. 21. cap. 5. Ut Juſtitiarius eorum fiat, clericorum quiſquis exercere præſumat. Ibidem, tit. 50. cap. 4. ] Vide *Quæſtionarius*.

JUSTITIARIA. FR. Vide ſupra *Judiciaria*. [ Epiſcopus Dunelmenſis habuit juſtitiariam a magno flumine uſque ad Scotorum mare. Matth. Pariſ. ann. 1188.

JUSTRA. Vide *Torneamentum*.

JUSUM, infra. [ Apud Ligonas Natale SS. geminorum Speuſippi, Eleuſippi, & Meleuſippi; qui ligatis manibus ſurſum, & pedibus juſum &c. In martyrol. Adonis, 17. Januar. ] Siculi ſolent hoc vocabulo uti, *Juſo*, & *Suſo*, pro Infra, & Surſum. Vide *Suſum*.

# K

*HÆC littera per legem *Remmiam* falſis teſtibus ſive, calumniatoribus in fronte inurebatur τὸ K, qua nota Kalumnia ſignificabatur. * Quamquam vera lex Chriſtiana legem hanc aboleverit, tamen hujuſmodi ſceleſtorum hominum genus pœnis ſpiritualibus mulctavit. Concil. Illiberit. cap. 74. Agath. cap. 37. Arelat. I. cap. 14. II. cap. 24.

KABALA, Hebraicum, ſeu Syriacum nomen, a *Kabil*, ideſt, occurſus, congruentia, aſſimilatio; accipitur pro illa ſymbolica ſcientia, per quam aliquod vocabulum cum altero, ſeu per numerationes arithmeticas aliquid aliud myſtice deſignatur. Hanc ſcientiam fertur ab Angelis Adamo traditam, ſucceſſive ad poſteros perveniſſe, quæ tantum inter Patriarchas, & antiquos Dei amicos conſervabatur, nec vulgo communicabatur; ſed ea abuſus fuit Cham Noemi filius, qui Ægyptios eam ſuperſtitioſe docuit, veluti in idololatriæ cultu, in hieroglyphicis: atque Eſdram de veris patrum traditionibus in hanc ſcientiam tractatum reaſſumpſiſſe dicitur, verens, ne ob continuas populi electi captivitates inter Idololatras recta traditio ſuperſtitionibus denuo corrumperetur, ſicut recentes Hebræos abuti videmus, quorum Rabbini veras jam traditiones fabuloſis narrationibus, & ſuperſtitioſis obſervationibus depravarunt. Hodie tamen per ſcientiam Kabalæ ſolet tantum intelligi numerica productio, quæ ex dictionum litteris extrahitur, & dum Catholicæ diſciplinæ terminos non excedat, ab Eccleſia toleratur, adi Bullam Clementis VIII. ſub data pridie Kalend. Martii MDXCII. Pontificatus ſui anno II. Itaque ex permiſſa Kabala profundiſſima myſteria colliguntur, ut habetur in Apocalyp. cap. 13. in quo per numeros Antichriſti nomen exprimitur, inquiens: [ Numerus ejus ſexcenti ſexaginta ſex, ] ſic etiam Sibylla per numeros nomen futuri Meſſiæ expreſſerat, ideſt, Ἰησοῦς, Jeſus; nam Jota valet decem, Ita octo, Sigma 200. Omicron 70. Ypſilon 400.] & aliud Sigma 200. quæ faciunt ſummam 888. per quem numerum ipſa Sibylla loquuta fuit. Vide *Mammona*, *Sadducæus*.

KALENDÆ. Vide *Neomenia*.

KALENDARIUM, cujuſlibet menſis Sanctorum, nota, quod Radulfus *Matriculam Sanctorum* appellavit. [ Ne obliviſcaris Kalendarium, in epiſtola S. Pachomii ad Cornelium Archimandritam apud Gennadium. ] Vide *Calendarium*.

*KALENDARIA. Hujus vocis uſitatior ſenſus neminem fugit; at peculiaris quædam ſignificatio apponenda videtur. Eccleſia ſuos habere ſolebat faſtos, ſive Kalendaria Martyrum, & publicos notarios, qui dicta, & geſta Martyrum, quæque cum illis agebantur in eorum paſſionibus, ſcriptis mandarent; ex quibus poſterior acta Martyrologia, hiſce particularibus nar-

narrationibus in unum corpus collectis, confecit. *Pagius* Critic. in Baron. an. 64. n. 6. Quid vero de poſterioribus legendis ſentiendum ſit, in *Ludovico Vives* & *Melchiore Cano* perſpici poteſt.

Kalendaticum. FR. impoſitio quædam: [ Dimittimus, & condonamus vobis ea omnia, quæ nos, & prædeceſſores noſtri Normandi circa Beneventanam Civitatem habuerant fidentias ſubſcriptas, videlicet denariorum, redditus, ſalutes, angarias, terraticum, herbaticum, carnaticum, Kalendaticum, vinum, olivas, relevum &c. apud Falconem Benevent. in chron. ad ann. 1137.

Kalendatim, menſtruatim, in quolibet menſe. [Ubi Kalendatim diverſas ſpecies erogat. In vita S. Gregorii Papæ cap. 26.

Kaliphi. Vide *Amiras*.

Kanna, cyathus, [ Comes argenteam Kannam emerat. In vita S. Caroli Comitis ] vox quidem Germanica, & Belgica.

* Κάπηλοι, Caupones quorum oblationes ab Epiſcopis rejiciebantur. Per caupones vero ſtricte non intelligebantur ii, qui cibaria vendunt, vel alii mercatores, licet hoc vocabulo aliquando indigitentur; ſed fraudulenti propolæ qui merces ſuas corrumpunt & adulterent ut majus ex illis lucrum capiant. Quomodo ex loco illo apparet, quam ſecundum ſeptuaginta Interpretum verſionem, ex Iſaiæ 1. 22. auctor conſtitutionum citat *οἱ κάπηλοί σου μίσγουσι τὸν οἶνον ὕδατι. Caupones tui miſcent vinum aqua*. Hanc in rem *Lactantius* adverſum *Carneadem* diſputavit lib. 5. cap. 27. 28.

* Καταγώγια, habitacula, ſic ab *Euſebio* in vit. Conſt. lib. 4. 59. dicta, Janitorum ſeu cuſtodum Eccleſiæ.

* Καταπέτασμα μυστικόν. Vela Myſtica. Chryſoſtomo ἀμφίθυρα quod inſtar Januarum plicatilium utimque aperirentur. Horum uſus erat partim proſpectum illius Eccleſiæ partis, quæ Sancta Sanctorum dicebatur, infidelibus obſtruere, partim Sacrificium Euchariſticum conſecrationis tempore obtegere Chryſoſt. hom. 3. in Epipha.

Katapapa, ſic cognominatus fuit Guilbertus Antipapa in chronica Caſinen. lib. 3. cap. 70. qui nomen Clementis ſumpſerat. Igitur hoc vocabulum aliqui ex græco *Sub Papam* interpretantur, & nefarie Lauretus ejuſdem Chronicæ mendax commentator *Beatum Papam* interpretatus eſt. Sed rectius Angelus de Nuce olim Caſinenſis Abbas, hodie meritiſſimus Roſanenſis Archiepiſcopus, ad notas ejuſdem chronicæ *Kacopapam* legendum cenſuit, in ſequentium ipſius Chronicæ verborum conjectura innixus, ubi de eodem pſeudo-Clemente dicitur, ſic: [ Idem vero Guilbertus, qui multo rectius Papa demens, quam Papa Clemens dici debuit. ] FR. legendum ut in priori modo; nam κατὰ græce ſignificat etiam *contra*, *adverſus*.

Katipanus. Vide *Catipanus*.

* Κεφαλαί Metropolitani Epiſcopi ſic dicti, propterea quod aliorum ſibi ſuffraganeorum Caput eſſent Can. Apoſt. cap. 23. „ Epiſcopos uniuſcujuſque gentis noſ-„ ſe oportet eum, qui in eis eſt qui *Primus*, & exi-„ ſtimare ut *Caput*. & nihil facere quod ſit arduum „ & magni momenti, præter illius ſententiam.

* Κοινωνικόβιον. Vita in Communi, vulgo Communitas Religioſa.

* Κρότος. Acclamationes plauſuſque dati in Eccleſia Concionatoribus. Hoc nonnumquam expreſſis verbis, nonnumquam etiam aliis ſignis, & conſenſus ac probationis ſuæ teſtificationibus auditores facere ſolebant. Hæ acclamationes factæ, interdum, verbis laudum uti in homilia quadam *Pauli Emiſeni* de Incarnat. Conc. tom. 3., præſente *Cyrillo Alexandrino* dicta, invenimus; quum enim ea verba protuliſſet in concione *Paulus*, quæ doctrinæ *Cyrilli*, qui prius concionatus erat, apprime convenirent, *Peperit itaque Deipara Maria Emanuelem*, ſtatim populus, ut ſe & intellexiſſe & firmiter credere, quæ dicebantur, declararet, dicentis curſum interrumpens acclamavit in hunc modum „ *Ecce fides eadem* „ *eſt donum Dei*, *Cyrille orthodoxe*, *hoc audire cu-* „ *piebamus*; *qui non ita loquitur*, *anathema ſit*. Interdum alio modo approbationem ſuam teſtificabantur, manu plaudentes, & ſimilibus utentes geſtibus. Ita *Hiernoymus* Epiſt. 75. ſcribens ad *Vigilantium*, ſtultas ſibi concionanti ab ipſo quondam factas acclamationes, plauſuſque, datos memorat. *Recordare inquit*, *quæſo illius diei*, *quando*, *me de reſurectione & veritate corporis prædicante*, *ex latere ſubſaltabas & plaudebas manu*, *& applodebas pede*, *& orthodoxum conclamabas*.

Knez, & *Knezi*. Vide *Satnicus*.

Kyriaca. Vide *Cyriaca*.

Kyriachi. Vide *Cyriacha*.

Kyrie Eleison, ex græco Κύριε ἐλέησον, ideſt, *Domine miſerere*, quæ crebro in græcorum Miſſà, & aliis divinis officiis replicantur; ſic etiam in Miſſa Ambroſiana. In Eccleſia autem Latina introductæ ſunt hæ preces a S. Silveſtro; ſed intermiſſæ, deinde a D. Gregorio renovatæ ſunt, ut ipſemet ad Joannem Syracuſanum Epiſcopum epiſt. 63. lib. 7. ſcribens, excuſatur ab impoſita ſibi calumnia, quod ipſe, nempe, fuerat Græcorum rituum in Eccleſia Latina introductor; nam centum, & quinquaginta annis ante ipſum per totam Italiam erant in uſu. Vide Bellarm. lib. 2. de Miſſa cap. 16. Dicuntur ergo ter Patri, ter Filio, terque Spiritui Sancto. Innocent. III. lib. 2. c. 19. & D. Th. 3. part. quæſt. 83. art. 4. Quibus Sacerdos ante orationes poſtulat a Deo ejus Divinam miſericordiam, ut apud illum dignus efficiatur pro populo Chriſtiano interceſſor. In Anglicana autem Eccleſia cœpit cani *Kyrie eleiſon* anno noſtræ ſalutis milleſimo, quando Dunſtanus Epiſcopus Miſſam celebraturus, ſomno ſopitus, & in extaſi raptus audivit Angelos Sanctiſſimæ Triadi has eaſdem preces canere. Vincentius Bellovac. lib. 24. Specul. hiſtorial. c. 85.

FR.

FR. Dunſtanus Epiſcopus Dorovernenſis, ſeu Cantuarienſis, quod idem eſt. Baron. an. 971. n. 1. Obiit ſecundum eundem Baron. an. 988. ibid. num. 3. : || : Solebant Gentiles aliqua verba ſuperſtitioſe pronuntiare, quando infundebant in doliis vinum, menſuras, nempe, numerando, in principio numeri non dicebant unum, ſed *Multa*: ita refert Varro de lingua latina lib. 4. fortaſſe multa fortunæ bona implorantes, quare Chriſtiani, ut Gentilium vitiis pie opponerentur, in principio numerandi ſolebant *Kyrie eleiſon* proferre, ut refert Balſ. in can. 62. Synon. 6. in Trull. ubi ait: [ Et quod Agreſtes frequentius dicant in unaquaque fere menſura Kyrie eleiſon. ] In noſtra vero ætate Chriſtiani numerando, ad trigeſimum numerum pervenientes, ſolent pronuntiare verba *In nomine Domini*, ſeu *in Bonum*, quod in deteſtationem triginta denariorum Judæ introductum fuiſſe autumat Menochius in ejus ſtoreis part. 3. centur. 6. c. 44. FR. Kyrie eleiſon etiam acclamationum ſynodalium ſignum erat: [ Univerſa ſynodus ſurgens acclamavit: Ut ita fiat, rogamus: Dictum eſt octies &c. Exaudi Chriſte ( *ideſt, Chriſte eleiſon* ) Symmacho Papæ vita, (*nempe vivat*). Dictum eſt duodecies, can. in canonibus, 16. qu. 1.] Et in gratiarum actione Melitenſes a Saracenorum ſervitute per Rogerium Normandum an. 1089. ſeu ut alii volunt 1090. liberati, liberatori obviam occurrerunt, ut ait Goffredus Malaterra lib. 4. cap. 7. [ Ligno, vel calamis, prout quiſque primo inveniebat, compoſitas cruces in dextris ferentes, Kyrie eleiſon proclamando. ] Monachi Cluniacenſes quaſdam proſaicas preces canere ſolebant, quæ incipiunt, [ Clemens Rector, Æterne, Pater, Immenſe Eleiſon, in ſtatutis S. Petri Abb. ſtatuto 74. extant in Biblioth. Cluniac. ] : || : In Sabbato Sancto, & Sabbato Pentecoſt. Miſſa incipit a *Kyrie eleiſon*. Vide *Introitus*. Item ab aliquibus Auctoribus dictæ preces *Litaniæ* dicuntur, quia Græce Λιτανεῖαι, preces ſignificant. FR. Romæ in proceſſionibus canebatur centies Kyrie eleiſon, centies Chriſte eleiſon, & iterum centies Kyrie eleiſon. Auctores penes Floravant. Martinellum in ejus Roma Sac. pag. 157. Ad Kyrie eleiſon neuma canebatur. Vide *Neuma*. Kyrie eleiſon loco Deus in Adjutorium dicebatur tempore Paſchali. Vide *Veſperæ*. Cætera. Vide *Rogus Dei*.

KYRILIES. FR. adjectivum, ideſt, preces Kyrie eleiſon. [ Peractis rite Miſſarum ſolemniis fit lætitia ab omnibus clericis hymnum concinentibus, ſignaque compulſantibus; laicis vero Kyrilies celebrantibus. In vita S. Berlendis Virg. Belgicæ 3. Februarii.

KYRION MEGAN, denominabatur Princeps Bœotiæ, & Thebarum. Vide *Dapifer*.

KYRUS. Vide *Domnus*.

# L

LABANDAGO, vox quidem obſcura apud Luciferum Caralitanum; ſed ex ejus verbis inſtrumentum dilaniandi fuiſſe colligitur, qui ſic inquit in ejus tractatu, ubi deberi mori pro Dei Filio probat: [ An ad palum me, an ad crucem alliges, igne torreas, an vivum humo condas, ſaxo præcipites, an in maria mergas, labandagine magnis viribus conatus uno vaſtiſſimo ictu longe a me meum caput excutias, an in omni ſubtilitate ſubtilior ſagitta diutiſſime figens in meo corpore ludas, centum millia licet formas pœnarum crudelitas tua faciat. ] Fortaſſe genus baliſtæ fuerat, quam adhuc Hiſpani *Bandoge*, ſeu *Bandoque* appellant. FR. in aliquibus codicibus *Labadagine* legitur. An a *Labeda* ideſt, forcipe. Vide *Forceps*.

LABARUM, λαβάρον, vexillum militare, quo Conſtantinus Imp. uſus eſt in exercitu: erat haſta longa, cui alia tranſverſa conjugebaaur, ex qua pendebat velum, & in eo hi aurei characteres depingebantur, qui aliquando in culmine haſtæ ponebantur, & in velo erat Imperatoris effigies; ſignificabant autem hæ græcæ litteræ Chriſtum. Vide *Chriſtus*. Ante tamen Conſtantinum reperiebatur Cantabrum. FR. de quo Baron. an. 312. n. 33. & 34. 35. & 36. Vide *Cantabrum*. Item *Alabarum* fuſum dicebatur. Vide Calepinum in hac dictione: || : De labaro Prudentius lib. 1. contra Symmachum in tit. de Cruce ſic cecinit:

Chriſtus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum. Clypeorum inſignia Chriſtus
Scripſerat. Ardebat ſummis Crux addita criſtis.

Gretſerius tamen, lib. 2. de Cruce c. 38. tom. 1. affert numiſma Ptolemæi Ægyptii Regis, quod in Biblioth. Ingolſtadii ſe vidiſſe teſtatur cum labaro, & littera prædicta, quam ipſe Gretſerius χειςὸς exponit, ideſt, unctus, & conſequenter, lenis, mitis, clemens, benignus, alluſive ad boni Principis qualitates referri ait, quibus ſignis prudenter uſus eſt Conſtantinus ex Antiquorum more, ne quid inter Gentiles innovaret: ſed cum applicatione ad Chriſtum Redemptorem. FR. non bene fortaſſe advertit Gretſerius, cujus Ptolemæi memoratum numiſma eſſet; nam nemo Antiquorum de eo ſigno ante Magnum Conſtantinum mentionem fecit unquam, & multo minus in Ptolemæis Ægyptiorum Regibus: poſſet quidem eſſe hoc numiſma de Ptolemæo Romæ Tyranno, qui temporibus Paſchalis II. & Gelaſii II. vixerat, de quo Blondus, & Baronius. Ulterius, quod hoc ſignum a Conſtantini Chriſtiana pietate adinventum ſit, evidentia patet; nam a Juliano Apoſtata in odium Chriſti hujuſmodi ſignum ex labaro detractum. Baron. ann. 363. n. 27. & 30. refert, quod temporibus deinde Gratiani Imp. reſtitutum fuerat. Idem Baron. an. 378. n. 18. Denuo ab Attila Apoſtatæ Juliani imitatore detractum fuit. Idem Baron. an. 415. n. 59. Igitur index Chri-

ſtia-

ſtianæ Religionis erat :||: Cæterum quo ad etymologiam, & alia labari documenta. Vide eundem Baron. an. 312. n. 35. & ſeqq. Adrianus Schenkius etymon ex belgico *Lab Hair*, ideſt, panniculus exercitus deducit. FR. Sed mihi magis ad hiſtoriam, & originem hujus ſigni accedere videtur Euſebius in vita Conſtantini lib. 2. c. 8. ubi ait, quod *Laborum* ſignum prius dicebatur; unde poſtea corrupte *Labarum* dictum fuit, ut etiam loc. proxime cit. exiſtimat Baronius. Ac eo magis hoc credere inducor, quia de Sept. Severo hæc ſcribit Spartianus: [ Juſſit deinde ſignum Tribuno dari Laboremus, quia Pertinax, quando in imperium adſcitus eſt, ſignum dederat Militemus. ] Ac idem refert Dio. Unde hoc *Laborum* ſignum, ſive *Labarum* corrupte nomen traxerat :||: Qui uſus retentus eſt in proceſſionibus Eccleſiaſticorum, in quibus præfertur crux haſtata cum velo pendenti, ſeu primo: clerus enim ſpiritualem militiam deſignat. De vexillis eccleſiaſticis. Vide *Draconarius*, *Supparum*.

LABEDA. Vide *Forceps*.

LABENA, labecula, lapſus. [ Uſitatum humani generis vitium eſt, ut B. Gregorius ait, & labena peccatum committere, & commiſſum non confitendo prodere. Burcardus, lib. 19. c. 4. ] Mendoſe tamen in textu D. Hieronymi ep. 113. *Lavina* pro *Labina*, ſeu rectius *Labena* legitur, ubi inquit: [ Cæterum amat Deus hominem, ut artifex fabricam: ſed odit mala opera, quibus fabrica vergit in lapſum, & cogitur in lavinam.

LABOR. Vide *Fatigium*.

LABORANTES, Clerici dicebantur, qui ſepeliendi mortuos curam habebant. [ Saluto hypodiaconos, lectores, janitores, laborantes, exorciſtas. S. Ignatius Martyr. epiſt. 112. ad Antioch. ] Item dicuntur *Copiatæ* ex græco *κοπιάται*. Vide Synonyma in dict. *Foſſarii*.

LABORICUM. FR. fatigatio, labor in abſtracto, de verbor. ſignif. in ſexto lib. 5. tit. 12. cap. 3.

LABRA. FR. Parochia, ſeu vicus, Ægyptiaca vox [ Quæcumque Eccleſiæ Alexandrinæ ad Catholicam Eccleſiam pertinent, uni ſubſunt Archiepiſcopo; ſpeciatim vero Presbyteri, ſive ſeniores illis præfecti ſunt propter neceſſitates eccelesiaſticas habitatorum ſuam Eccleſiam, ac colentium regionumque circumſtantium, vel paræciarum, quæ voce patria dicuntur labræ ab iis, qui Alexandriam colunt. Epiphanius contra Ariomanitas.

LABRATUM & *Lauratum* oſculum. C. de pub. læt. nunt.

LABYRINTHUS, λαβύρινθος, mons eſt in Creta, habens antrum ſinuoſum, difficile ingreſſu, & reditu difficilius. Ita dictus, quod januam non capiat, ſeu eam non admittat. Videtur λαβεῖν, *capere*, & θύρα, *janua*: ab ejus ſimilitudine labyrinthi dicta illa ſinuoſa, anfractibus & mæandris ita intricata, ut in eis vix reperiri poſſit exitus. Quale ſatis famoſum in ipſa Creta, magna mole, magnis expenſis, majore ineptia, inutiliter fabricatum fuit. Hinc interrogatio labyrinthica, etiam apud antiquos, & labyrinthus res valde implexa & intricata vocari ſolet.

LACCARIUS. FR. puteorum foſſor ex græco λάκκος, ideſt, foſſa, puteus, vel cavea, ſeu potius Cruſtarius.

LACCUS. FR. foſſi cruſtari, ſeu colatorium, in quo uva calcata in muſtum deſcendit, & non torcular, ut Budæus exiſtimat, ut ex ante dicta etymologia græca patet.

LACEBRA, pro illecebra, unde cecinit Althelmus:

Qui modo diſrumpunt connubia nexa thororum,
Et demunt proprias devota mente lacebras.

LACERNA, ſeu *Lacernum*. Vide *Birrum*, *Penula* in fine.

LACONISMUS, λακωνισμός, breviloquium, quali utebantur Lacones; his enim prolixa loquacitas erat maxime odioſa.

LACORA. FR. lacus. [ Lacora, portora, piſcationes, per ſingulas aquas, lacoras, & flumina. Bullar. Caſin. tom. 2. conſt. 20.

LACERTA CHALCIDICA quænam ſit, & quare ſic appellata. Vide *Seps*.

LACRYMÆ. Vide *Fletobotomia*, *Threni*.

LACTICINIA. Vide *Formaticum*, *Sementina*.

LACTENUS, & *Lactinius*, lacteus. [ Intra monaſterium interdum ſoleas accipiebat, frequenter nudis ambulabat, caſulam pretioſam, vel ſuperbi coloris nec ipſe habuit, nec monachos ſuos habere permiſit. Subtus caſulam nigello, vel lactinio colore pallio circundatus inceſſit. In vita S. Fulgentii cap. 18. Tinctura in monaſterio nulla fiat niſi, ut ſupra dictum eſt, laja, & lactena. In Regula S. Cæſariæ Virg.

LACTORONES, herbæ ſic denominatæ, quas edunt pecudes ad augendum lac: [ Unus quidem deferebat nuces, alius lactorones. Ruf. in vita Patrum l. 3. n. 200.

* LACUNARIA. Interſtitia tecti in Eccleſiis. Hæc duobus modis perficiebantur, nimirum aut opere vermiculati, quod *muſivum* vocabant; aut lacunato, tectum dividente in varia interſtitia, architectis *Laquearia*, ſive *Lacunaria*, a lacu dicta, quorum alia rotunda, quadrata alia erant, ut Origen. lib. 19. „ Laquearia „ ſunt, quæ cameram ſubtegunt, & ornant: quæ & „ *Lacunaria* dicuntur, quod lacus quoſdam quadra„ tos vel rotundos ligno vel gypſo, vel coloribus ha„ beant pictos, cum ſignis intermicantibus.

LÆTANIA, lætitiæ dies, ſive feſtivus: [ In lætaniis ſolemnibus, ideſt, Natalis S. Joannis Baptiſtæ &c. D. Gregor. lib. 4. c. 54. ad Archiep. Ravennat. ] Ubi ſequitur numerare reliquas feſtivitates, in quibus uti debeat pallio, nec intelligi poteſt de Litania; nam ibidem cavetur, ne uti poſſit pallio extra Eccleſiam, quod ſi de litaniis diceretur, occaſione proceſſionis, uti deberet pallio etiam extra Eccleſiam: *Lætania* igitur a verbo *Lætor* derivatur.

LÆVA. FR. ſeditio. [ Sed huic tam præſentium, quam futurorum avaritiæ, aut nequitiæ obviantes, omnes ſeditiones, quas lævas dicunt, ſeu direptiones in cujuſcumque morte, aut electione fieri auctoritate Apoſtolica interdicimus. Bullar. Caſin. tom. 3. conſt. 235. n. 15.

LAGANUM, λάγανον, placenta ex ſimila & oleo recente. Athe-

Athenæus laganum recenſet inter panes delicatiores, Dipnoſ. lib. 3. In hoc a collyra diſtinguitur, quod legana in clibano coquerentur, collyrides autem in ſartagine. Eorum diſtinctio ex Levitico colligitur, ubi tamquam res diverſæ enumerantur: & a ſeptuaginta etiam λάγανα ἄζυμα, *lagana azyma* nominantur, Levit. 7. 12. Laganum autem eſt placenta tenuis: & ideo in Textu hebraico vocatur *rakik*, quaſi tenue, a radice *rakak*, tenuis fuit. Dicitur etiam artolaganum, græce ἀρτολάγανον, ab ἄρτος, panis: eſt enim panis delicati genus. In variis ſacrificiis Moſaicis lagana offerebantur: ut in Sacerdotum conſecratione: *Lagana quoque azyma oleo lita*, Exod. 29. verſ. 2. Et ita ſeptuaginta uti ſupra: atque Textus hebraicus habet *rekikè* in regimine a *rekikim*, quod eſt plurale dictæ vocis *rakik*. Horum unum ponebatur ſuper manus Sacerdotis conſecrandi: & ſimiliter pro gratiarum actione *Lagana azyma uncta oleo* offerebantur, Levit. 7. 12. Laganum a voce λαγαρὸς, *vacuus*, Suidas deducit: forte quod intus edulium iſtud vacuum eſſet. Vide *Collyrida*.

Laguncula. Fr. [ Decem enim jugera vinearum facient lagunculam unam. Iſaias c. 5. n. 10. ] ideſt, parvam lagenam, quæ etiam *Laguncubum* appellatur: [ Proinde cum venabere, licebit, & panarium, & laguncubum, ſic etiam pugillares feras. Plin. ep. lib. 1. ep. 6. In iis inventæ ſunt quinque lagunculæ matronarum. Cic. ep. ad Atticum lib. 4. ] ubi *Imagunculæ* aliqui legendum autumant.

Laica Communio. Vide *Communio laica*.

Laicus, λαϊκός. FR. ſæcularis, ideſt, non eccleſiaſticus: [ Aliud vero genus eſt Chriſtianorum, ut ſunt laici; laos enim græce, eſt populus latine, 12. q. 1. can. Duo ſunt. ] Item accipitur *Laicus* pro eccleſiaſtico converſo, qui etiam clericus dicitur: [ Clerici Deo devoti, videlicet, converſi, ibidem ] ubi Gloſſa clericos ſæculares, & ordines equitum intelligit. Item laici aliquando dicuntur *Lupi*, & aliquando *Oves*. Gloſsa in can. Nihil diſt. 8?. Item *Laicus religioſus* nonnunquam pro pio ſæculari accipitur. Vide *Religioſus*.

Laisus, curva linea inguinis, terminus legis ſalicæ tit. 48. FR. vide Gloſſa Lindembrogii ad Cod. II. antiq: ſſ: & Burgundi *Un lais* partem veſtis curvam dicunt: ac proinde ſortitum eſt vocabulum, quo alicujus rei ceſſio denotaret, in cujus ſignum feſtucam, ſeu chirothecam in ſinum acceptantis in actu donationis Donatarius projiciebat, ſic *Feſtucam*, ſeu *antum*, ideſt, *Guantum* (latine Chirothecam) *in laiſum jactare* dicebatur.) Et ipſi in cujus laiſum feſtucam jactaverit. Marculph. in formular. ] ubi diffuſe de hac cæremonia agit. Vide *Fiſtucus*. *Vvarpio*. Ex quo ritu *Laiſverpio*, ſeu *Laiſivverpio*, ideſt, in ſinu projicio dicebatur. [ Ipſas villas in ſupra ſcriptis locis, nobis voluntario ordine viſus eſt laiſverpiſſe, & condonaſſe. Marculf. lib. 1. form. cap. 13.

Lajus, λάϊος, color naturalis pili caprini, [ Tinctura in monaſterio nulla fiat, niſi, ut ſupra dictum eſt, laja, & lactena. In regul. S. Cæſariæ Virg. ] cujus etymologia ſumitur a græco λαῖς, ideſt, Caper, ex cujus candido pilo texebantur Monialium veſtes.

Lama, piſcina: [ Et qui eum de piſcina, quæ eorum lingua lama dicitur, abſtulit, lamiſio eidem nomen impoſuit. Paulus Diac. lib. 1. cap. 55. de geſtis Longobard. ] Adhuc inter Saxones *Alam* piſcatorium rete ſignificat. Vide *Lavina*.

Lamentationis Dies. FR. triduum majoris hebdomadæ. [ In diebus autem lamentationis, & Dominicæ paſſionis in publico minime prodeant; (*ideſt, Judæi*) eo quod nonnulli ex ipſis talibus diebus (ſicut accepimus,) & ornatius non erubeſcunt incedere, ac Chriſtianis, qui ſanctiſſimæ paſſionis memoriam exhibentes lamentationis ſigna prætendunt, illudere non formidant, cap. 15. lib. 5. decretal. tit. 6.

Lamia, λαμία. Ita vocatæ antiquitus mulieres ſagæ, ſeu ſtriges quædam, quæ infantium ſanguinem credebantur ſugere. Ita quoque dicta phantaſmata quædam, quæ larvæ, aut lemures. & empuſæ dicebantur, pulchrarum mulierum forma præferentia, & ad Venerem incautos allicientia, ut ſic eos devorandi daretur facultas. Ad Venerem enim eſſe propenſa, & carnes humanas, maxime formoſorum, belluina feritate cenſebantur appetere. Alii lamias dæmones ſuccubos eſſe contendunt. Eſt præterea lamia quidam terreſtris draco, ſuperiore corporis parte ſpecioſæ mulieris adinſtar, qui viatores ad amorem allicit, & accedentes invadit, ac devorat: inferiore parte in draconis figuram deſinente. Alii attribuunt ei pedes equinos, aut, ſi cum Empuſa confundatur, unum pedem æreum, alterum aſininum. Sicque dictam volunt ab ἐν, *in*, & πὸς, *pes*: quia in uno pede ſtare fabulantur. In Scripturis potius accipi debet pro illa beſtia truculenta, ſuperiore corporis partæ formoſæ mulieris ſpecie inſignita, de qua dixit Jeremias: *Sed & lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos ſuos: filia populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto*. Thren. 4. Septuaginta legunt δράκοντες, dracones, nempe Textum hebraicum ſequentes, qui habet *thannin*, ideſt, *draco*, & hic abbreviatum ponitur pro *thanninim*, dracones. Lamiæ ſiquidem (ſeu tales dracones) quantumvis ſævæ, & feræ, tamen porrectis uberibus ſuos alunt catulos: ſed iſtis crudeliores fuerunt filiæ Jeruſalem, quæ graſſante ingenti famæ lac filiis ſuis non præbuerunt, & aliquæ ipſos filios comederunt. Ad hoc in crudelitate merito æquiparandæ, ſi non præferendæ, ſtruthioni, qui ova propria arena tecta deſerit: dum ſola vi ſolis pulli generantur, & in lucem prodeunt. Ad ſignificandam autem totalem vaſtationem, & ultimum Idumeææ excidium, dicit Propheta, quod in terra ejus ita vaſtata, *ibi cubavit lamia, & invenit ſibi requiem*. Iſaiæ cap. 34. Septuaginta legunt, *ibi requieſcent* ὀνοκένταυροι, ideſt, *onocentauri*: & Hebræus habet *lilith*, ſtrix, beſtia ſolitaria, avis noctu volans, lamia, quæ nempe loca deſerta libenter incolit.

lit. Ita varie *lilith* a variis accipitur, & Aben Eſrah avem noctu volantem, ſed D. Hieronymus vertit lamiam. Hunc locum aliqui myſtice damnatis applicant, per horribilia ſpectra cruciandis. Allegorice lamia deſignare poteſt hypocritas & hæreticos, qui rationem humanam prætendunt, ſed finem habent brutalem. Nonnulli hanc vocem, ob lamiarum voracitatem, a dictione λαιμὸς, guttur, ingluvies, deducunt.

LAMINA. Vide *Batutilis*. *Bractea*. *Charta*. *Petalum*.

LAMISIO. Vide *Lama*.

LAMPADARIUS. Vide *Candela*.

LAMPAS. Vide *Butio*. *Enoſotius*.

LAMPENA, currus reſplendens, ex græco λαμπηνῶν; quod tamen regium currum, ſeu lecticam ſignificat. [ Adducent fratres veſtros de cunctis nationibus donum Domino cum equis, & rhedis in lampenis mulorum. D. Hieronymus exponens verſionem LXX. in cap. 66. Iſaiæ ] Ubi Sanctus Doctor myſtice Sanctorum Corpora ſplendeſcentia intelligit.

LAMPIUM. Vide *Ambo*.

LAMUEL, hebraice dilectum Deo ſignificat, ſic appellatus eſt Salomon. in proverb. cap. 31.

LANCEA. Vide *Lunchus*. *Siromates*. Lancea ex uno de Chriſti clavis. Vide *Clavatum* in fine.

LANCEO, vibro, ſeu lancea transfodio; [ Qui ante norint lanceare, quam lancinare. Tertull. lib. 3. adverſ. Marc. cap. 13.

LANCEATUS, vibratus, & lancea transfoſſus.

LANCES, & *Statera*. FR. metaphorice ratio intelligitur, 24. quæſt. 1. can. 3. Ibi Gloſſa. Vide *Biſantinus*. *Exagella*.

LANCINO, lanceam tracto. [ Qui ante norint lanceare, quam lancinare. Tertull. adverſ. Marc. lib. 3. cap. 13.] Pamelius ibi. Quamvis non raro pro lacerare accipitur, in quo ſenſu Arnobii textus lib. 3. adverſ. Gentes, ſic habet: [ Et membratim conjugem lacinatum ] redde *Lancinatum*. Sic etiam in Flodoardo lib. 4. cap. 52. hiſt. Remens. ubi ait: *Lacinator ejus*, reſtitue *Lancinator ejus*, ideſt, carnifex.

LANDA. Vide *Lanna*.

LANGRAVIUS, ſeu *Lantgravius*. Vide *Gravio*, ſeu Langravius. Vide *Lanna*.

LANGUS, effœminatus, mollis, fortaſſe ex græca dictione λάγνος, ſive λάγνης, ideſt mollis.

> Lot quoque, qui langos ſceleratos vixerat inter,
> Hoſpes hoſpitibus præbens umbracula tecti.

Aldhelmus, ubi octo capitalia vitia deſcribit. Roſveidus putat Longobardos antea *Langobardos* appellatos, & ex hoc nomine deductum etymon fuiſſe, quia effœminati erant: ſed aliter hiſtorici referunt, quod, nimirum, a *Langbard*, ideſt, longa barba denominati ſint, eo quod longam barbam nutriebant, & ulterius non conſtat eos molles, imo ſtrenuiſſimos milites fuiſſe, ac feroces.

LANICUTIS, aries. Vide *Teſtitrahus*.

LANIENA. FR. accipitur aliquando pro Martyrio: [ Laniena gravior adhuc diu perſeveravit, non ut ſtantem fidem dejiceret, ſed ut homines Dei ad Deum velocius mitteret. D. Cyprian. lib. 2. epiſt. 6.

*Hierolexicon Macri.*

LANIPENDIA, Monialis, quæ curam habebat veſtiarii, & per conſequens lanam pendendi: [ Omnis lanificii cura, unde veſtimenta ſanctis ſororibus miniſtrentur, ad ſollicitudinem Præpoſitæ, vel Lanipendiæ pertinebit. In Regul. S. Cæſariæ Virg.

LANISTA. In pleriſque m.ſs. inveni hanc inſcriptionem: NN. Presbyter laniſta. FR. in explicatione hujus vocabuli Lipſius lapſus eſt tripliciter. Primo enim lib. 1. Satur. ſerm. cap. 15. ubi ſic ait: [Hi iidem laniſtæ honeſtiori invidendo verbo doctores dicti. ] Nam licet *Magiſter Laniſtarum*, & non Doctor apud aliquem Auctorem reperiatur: differunt tamen æra lupinis, quia quælibet ars vilis ſuos Magiſtros, & Præceptores habere poteſt, ac Doctor in liberalibus artibus tantum dicitur. Itaque Laniſta dicitur de eo, qui lanienam artem in macello exercet. [ Defeſſus ſum quærere per medicinas, tonſtrinas, in gymnaſio, atque foro, per myropolia, & lanienas. Plautus in Epid.

> Teſtandum cum ſit leonibus atque laniſtis.

Juvenalis Satyra 6. ubi Joannes Britannicus commentator ait, lenones dici non ſolum, qui quæſtum lenonium exercent, ſed etiam qui cauponariam artem, ſi quæſtuaria mancipia habuerit miniſtrantia, l. Athleta, 4. §. ait Prætor ff. his, qui not. infam. atque idem Juvenalis Satyr. 11.

> Scripturus leges, & regia verba laniſtæ
> Multos porro vides, quos ſæpe claſus ad ipſum
> Creditor introitum ſolet expectare macelli,
> Et quibus in ſolo vivendi cauſa palato eſt.

Ubi evidenter de his, qui eſcariam carnem in macello laniant, Poetam loqui patet. Item Martial. Epigr. 82. lib. 6.

> Quidam me modo, Rufe, diligenter.
> Inſpectum, velut emptor, aut laniſta.

Poetæ ſenſus eſt, nempe, ſe fuiſſe, a quodam inſpectum, eo modo, quo res emibiles ab emptoribus, ſeu animalia pro macello a laniſtis diligenter inſpici ſolent. Ac idem epigr. 67. lib. 11.

> Et delator es, & calumniator:
> Et fraudator es, & negotiator.
> Et fellatores, & laniſta; miror
> Quare non habes Vacerra nummos.

Quibus vitiis laniones abundare ſolent. Hinc miror Lipſium tam erudit iſſimum hominem veloci calamo excurriſſe, & in ſenſu gladiatorum prædictas auctoritates expendiſſe, quod fuit ſecundus error per me notatus loco ſupra citato. In ſenſu vero gladiatorum loquutus eſt A. Hirtius de bello Africano inquiens; ] Cæſar contra ejuſmodi hoſtium genera copias ſuas, non ut Imperator exercitum veteranum, victoremque maximis rebus geſtis, ſed ut laniſta tyrones gladiatores condocefacere &c. ] Et in eodem ſenſu Svetonius in Julio Cæſare ait lib. 1. cap. 26. [ Gladiatores notos ſicubi in feſtis ſpectationibus dimicarent, vi rapiendos, reſervandoſque mandabat. Tyrones neque

in ludo, neque per laniſtas, ſed in domibus per equites romanos, ac etiam per Senatores armorum peritos erudiebat.] Et Jul. Capitolinus in Marco Philoſ. Imp de ejus filio Commodo inquit: [ His moribus fuit, quibus nullus laniſta, nullus ſcenicus, nullus harenarius, nullus poſtremo ex omnium dedecorum, ac ſcelerum colluvione concretus.] Tertius denique Lipſii error fuit, dum ibidem injuſte his verbis Prudentium reprehendit, nempe: [ Pro ipſis gladiatoribus Prudentius uſurpat parum proprie, imo improprie.] At quis non ſtuperet de hac incauta Lipſiana calumnia contra tam benemeritum Eccleſiæ virum; cujus hymnis illa inoffenſo pede in pſalmodia uſa eſt? Quinimo ſe ipſum lædit, & contradicit Lipſius; nam ſi antea largo modo laniſtam gladiatorem ſignificare aſſeruerat; quare ergo Prudentium improprie laniſtam pro gladiatore uſurpaſſe increpat? Sed videamus, utrum recte, an male Prudentius hanc uſurpationem adhibuiſſet. Præbuerat, inquam, libellum Imperatori Symmachus Paganorum defenſor contra Chriſtianos, in quo inter alia hæc porrigebantur: [ Quanto commodo ærarii veſtri Veſtalium Virginum prærogativa detracta eſt? Sub largiſſimis Imperatoribus denegatur, quod parciſſimi præſtiterunt. Honor ſolus eſt in illo velut ſtipendio caſtitatis, ut vitæ capiti decus faciunt, ita inſigne ducitur ſacerdotii vacare muneribus &c.] Cui non minus eleganter, quam nervoſe reſponderat Prudentius lib. 2. contra Symmachum ſect. 8. ac præciſe ſuper hoc Veſtalium caput. Oſtendit primo virtuoſam appellari caſtitatem, quæ in Chriſtianis Virginibus Deo dicatis reperitur, inquiens Verſu 146.

Sunt, & Virginibus pulcherrima præmia noſtris,
Et pudor, & ſancto tectus velamine vultus,
Et privatus honos, nec nota, & publica forma,
Et raræ, tenueſque epulæ, & mens ſobria ſemper,
Lexque pudicitiæ vitæ cum fine peracta.

Ac deinde contraponendo Veſtalium vitia, earum opprobria demonſtrat. Mitto reliqua, ſed tantum locum male criticatum a Lipſio referam, ubi Prudentius Veſtalium immodeſtiam in gladiatoriis ſpectaculis deſcribit, ſic inquiens:

Pilento reſidens molli, ſeque ore retecto
Imputat attonite virgo ſpectabilis Urbi,
Inde ad conſeſſum caveæ, pudor almus, & expers
Sanguinis it pietas, hominum viſura cruentos
Congreſſus, morteſque, & vulnera vendita paſtu
Spectatura ſacris oculis; ſed & illa verendis,
Vittarum inſignis phaleris, fruiturque laniſtis
O tenerum, mitemque animum! conſurgit ad ictus,
Et quoties victor ferrum jugulo inſerit, illa
Delicias ait eſſe ſuas &c.

Vides jam Lector, quam immerito ſit calumnioſus Lipſius in Prudentium, de quo ait ille improprie uſum fuiſſe hoc vocabulo *Laniſta* in ſenſu gladiatoris; at ſi de ſpectaculis ſermo ejus erat, & gladiatores Laniſtæ per eundem Lipſium appellantur, quare ejuſdem Prudentii in eodem ſenſu uſurpationem parum proprie imo improprie ibi appoſitam fuiſſe ait? Dicitur etiam *Laniſta* Gentilium Sacerdos, qui animalia mactat, de quo idem Prudentius lib. 1. contra Symachum cecinit:

Credere monſtra Deos, quos ſanguinolentus edendi.
Mos juvat, ut pinguis luco lanietur in alto
Victima, viſceribus multa inter vina vorandis.

Et Ennodius Ticinen. Epiſcop. dictione 2. pro dedicatione Baſilicæ Apoſtolorum, ubi templum fuerat Idolorum, inquit: [ Hic ante fallacibus dedicata præſtigiis, & turpi pecudum cruore perfuſa veteres ſimulacra coluerunt &c. Hic juvencum exta ſemivivis palpitantia motibus miſero inquiſitori futura cecinerunt. Hinc fumus ſordidis aerem ipſum polluit ſparſus per multa contagiis. Ad ultima hinc mactata per laniſtas hoſtiarum multitudo quicquid Deus eſt effugavit, dum farra, ſanguis, thura, veruina Idolis exhibentur.] Accipitur item pro Hebræorum Sacerdote, in quo ſenſu Petrus Bleſenſ. ſerm. 46. inquit: [ Eſt ergo caro Chriſti thuribulum aureum, in quo omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ ſunt abſconditi. Hæc eſt urna aurea manna plena, quæ dum peteretur, erat in manibus laniſtarum.] Alludit ad Hebræorum Sacerdotes, de quibus Apoſtolus ait, in ep. ad Hebr. cap. 9. ] Poſt velamentum autem ſecundum, tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna &c. His vero ita compoſitis: in priori quidem tabernaculo ſemper introibant Sacerdotes, ſacrificiorum officia conſummantes &c.] ſic per laniſtam Sacerdotem hebræum etiam Ennodius præfatus in benedictione 2. cerei intellexit, inquiens: [ In virtute tenemus quidquid colorata legis umbra promiſerat. Tempus eſt, quo corpora noſtra, vel animæ Redemptori Chriſti feriato mucrone dedicentur, quo ſalus per vulnera non quæratur, quo Sacerdotis dextera laniſtæ opus abjuret.] Et clarius in benedictione prima Cerei: [ Procul hinc abjerit laniſta Judaicus, qui per cicatrices inguinum animas ſibi acquiſitas tot ſolet numerare, quot vulnerat. Chriſti noſtri libamina infucata ſimplicitate complentur. Peragit dedicationem corporis noſtri Crux, unde confeſſio.] Inſcriptione igitur ab Auctore in m. ſs. repertæ, & ſupra adductæ, nempe, *Sacerdos laniſta* nullo modo de Sacerdote Chriſtiano, ſed de hebræo, vel gentili intelligendæ ſunt. Cæterum alias inſcriptiones mihi non contigit invenire, niſi duas apud Gruterum, videlicet [ P. Poetillus P. L. Syrus laniſta ] pag. 33. num. 1. & [ Cn. Maetius Fœlix laniſta Auguſt. ibid. num. 2. ] Vide *Criobolium*.

LANNA. FR. nomen corruptum in vita S. Gildæ, corrigi debet *Landa*, ideſt, territorium, a Saxonica voce *Land* in eodem ſignificatu; unde *Landgravius*, nempe terræ comes. [ Quæ inſula uſque in hodiernum diem

diem Lanna Hilduti vocitatur. In præfata vita.

LANOSITAS, lanugo. [ Nam & de mari vellera, quæ muſcoſæ lanoſitatis lautiores conchæ comant. Tertull. de pall. cap. 3.

LAPIDES. Vide *Asbeſtos. Chodchod. Chryſocolla. Endius. Sylenites*. Mercurii in trivio cumulabantur. Vide *Acervus Mercurii*.

* LAPIDES Sacri. Limites agrorum ſic dicti, quorum occultationi, aut translationi lex Divina maledictionem denuntiat. *Maledictus*, inquiens, *qui movit terminum proximi ſui & dicet totus populus. Amen*. Deuter. 27. 17.

LAPSANA, agreſtes herbæ, ex græco λαψάνη, quod proprie herbarum haſtulam ſignificat: [ Lapſana, id eſt, agreſtia olera, & herbas alias præter oleum conſueverunt edere. In vita S. Palæmonis.

LAPSUS, excipulus, ſeu naſſa, qua piſces capiuntur; in hoc enim inſtrumento facilem piſces habent ingreſſum, ſed egreſſum difficilem. [ Tandem abjerunt ad lapſum, aſpicienteſque invenerunt eum ita refertum piſcibus &c. Gregor. Turonen. in libel. S. Nicaſii. ] Item ſignificat Apoſtatam. Vide *Stantes*.

LARCANX. Vide *Larnax*.

LARDARIUM. Cellarium; ſic in quodam antiquo Rituali Abb. Grimaldi legitur: [ Oratio in lardario ] aliquando *Laridiolum*, ſeu *Lardulum* acum, nempe, ſignificat, quo in carnibus aſſandis lardi fruſta tranſponuntur.

LARDARIUS, cellarius. Vide *Cellarius*.

LARGICA. FR. coxa, l. ſi quis homini, de convitiis.

LARNAX, λάρναξ urna, capſa, repoſitorium. [ Adduxerunt ſanctum corpus ejus cum canticis, & hymnis ſpiritualibus in ſextam regionem, & poſuerunt in onychinum larnacem. In vita Sanctæ Martinæ Virg. & Mart. ] FR. in quodam m. s. antiquo in Archivio Baſilicæ Vaticanæ, dum de Corporibus SS. Epiphanii & Concordii Martyrum agitur, quæ juxta corpus præfatæ D. Martinæ jacebant, ſic habetur: [ Ibi juxta arcum triumphalem poſuerunt in honorabilius larcancem S. Martinam; Epiphanius vero, & Concordius in ſingulis collocavit ſarcophagis. Apud Torrigium de Cryptis Vaticanis ſecundæ impreſſionis pagin. 551. ] qui optime *Larnacem* corrigit.

LARVA. Vide *Cervula. Maſca*.

LARUS, λάρος; avis marina, rapacis voraciſque naturæ; cap. 11. Levit.

LATERALIS. FR. concubina, ſic appellata eſt Bertrada illegitime cum Philippo Galliarum Rege conjuncta. [ Convenit etiam Rex, & lateralis ſua. Ivo Carnot. epiſt. 169.

LATERANENSIS ECCLESIA. Vide *Conſtantiniana Eccleſia*.

LATERANENSIS CARCER. Vide Cellarium in dict. *Cellarius. Incaſtello*. Lateranenſe Archivium olim copioſiſſimum. Vide *Arcibum*.

LATERANENSE PALATIUM. Vide *Conſtantiniana Eccleſia. Patriarchium*.

LATERULENSIS, tabellio, qui in laterculis notare tenebatur.

LATERCULUS, tabella, in qua feſta mobilia adnotantur, ut ſunt illa in Breviario appoſita. [ Ut Sanctum Paſcha ſecundum laterculum Victoris ab omnibus Sacerdotibus uno tempore celebretur. Concil. Aurelianenſe IV. can. 1. Diverſa enim obſervantia laterculorum paſchalis feſtivitatis interdum errorem parturit. Concil. Tolet. IV. can. 4. ] Apud Tertullianum vero ſignificat tabellam, in qua magiſtratus notabantur; ſic enim contra Valentinianum ſcripſerat [ Ex eorum ergo laterculo, & in Reges, & in Sacerdotes allegare conſueverat.

LATINA SIGNA, quid inter nautas ſignificent. Vide *Tufa*. Latine loqui. FR. pro vulgari italica loquutione aliquando intelligitur. Camillus Peregrinus, de Princip. Longob. tit. fines Ducatus Benevent. ad ſeptentr. pag. 66.

LATRINARUM ANTISTA, meretrix. Vide *Frictrix*.

LATRIA. Vide *Dulia*. Vide Colideatus in dict. *Colideus*.

LATRO. Vide *Derectarius. Emanſor. Pariſim. Pharſaus*.

LATROCINALIS, furtivus; *Latrocinalem Synodum* appellavit Nicolaus Papa conciliabulum per Photium Patriarcham Conſtantinopolitanum anno 863. contra eundem Papam congregatum.

LATURARIUS, delator, ſic D. Aug. ſerm. 40. pauperes appellavit, quia elargientium eleemoſynas, ſeu eleemoſynæ meritum in cœlum deferunt. [ Quid ſunt pauperes, quibus damnus, niſi laturarii noſtri, per quos in cœlum de terra migramus? Si laturario tuo das ad cœlum portat quod das.

LAVABO, Pſalmus in miſſa. Quando in ejus fine non dicitur Gloria Patri. Vide *Gloria Patri*.

LAUDANA, ornamentum aureum, vel argenteum, inſtar virgæ, quod ſuſpendebatur ante Altare, ita dictum, quod ad laudem, & honorem Martyrum ponebatur, id ex opinione Calepini. [ Fecit laudanas duas de argento penſantes libras octonas, quas poſuit ſupra rugas de presbyterio, ubi arcus de argento exiſtit. Anaſt. in Adriano. ] Vide *Ruga*.

LAUDA SION SALVATOREM &c. Miſſæ ſequentia a quo compoſita. Vide *Proſa*.

LAUDEMIUM, ſolutio, ſeu penſio, quæ fit pro emphyteotici contractus renovatione. Aliqui tamen etymon trahunt a verbo *Laudo*, & alii a voce Longobardica *Laden*, ideſt, impoſitio, ſeu invitatio.

LAUDES, ita denominatæ, quia in eis recitantur pſalmi *Laudate Dominum &c.* Vide Benedictiones, & laudes in dict. *Benedictio beatica*. Non vero ſicut putavit Durandus, quia incipiunt ab hymno *Te Deum*. Secundum communem opinionem non diſtinguuntur a Matutino, ut variis rationibus in dict. *Hora Canonica* probatum eſt, præter quas addendum etiam eſt, quod Epiſcopus Diaconibus, & Subdiaconibus in eorum ordinatione ſolet imponere onus recitandi his ver-

verbis: [ Dicetis nocturnum talis feriæ, ] & non ait, *Dicetis matutinum*, ne comprehendat etiam laudes, quæ tamen ſeparari poſſunt a matutino, & tunc terminabitur hoc cum ſolita oratione currenti, in cujus fine dicetur *Benedicamus Domino*. Utrum autem in tali caſu recitanda ſit Dominicalis oratio, una cum ſalutatione angelica, ſicut in principio cujuſcunque horæ fieri ſolet; affirmativam partem tenent Navarrus, de orat. cap. 3. cap. 3. num. 64. Nam laudes aſſerit eſſe a matutino diſtinctas, & quod horæ canonicæ ſint octo. Alii tamen affirmantes horas canonicas eſſe ſeptem, ut viſum eſt ſupra in dictione *Hora Canonica*, putant, quod dicendum ſit in ejus principio *Pater*, & *Ave Maria*. Habent Laudes maximam cum Veſperis ſimilitudinem, ideo eiſdem prorſus cæremoniis, & ſolemnitatibus cani ſolent. Cærem Epiſc. lib. 2. cap. 7. Item per Laudes nonnunquam Miſſæ Præfatio intelligitur. [ In quibuſdam quoque Hiſpaniarum Eccleſiis laudes poſt Apoſtolum, ( *nempe, epiſtolam* ) decantantur. Concil. Tolet. IV. in quo talis ritus damnatur. Canticum *Benedictus* in laudibus poſitum. Vide *Canticum*.

Laudis; inſtrumentum muſicum, italice *Leuto*, & a quibuſdam ſcriptoribus etiam *Leutus* appellatur; [ Laude, tuba, cithara feſta coluntur. Gotifrid. Viterb. in Chron. par. 9.

Laudo. Vide *Pandoxo*.

Laudum. Arbitri ſententia ex communi conſenſu partium electi, terminus legalis eſt. Vide *Homologium*.

Lavina. FR. Lacuna, piſcina. Paulus Dia. lib. 1. hiſt. cap. 15. & lib. 23. cap. 23. Vide *Lama*.

Launegild. FR. ideſt, donum. [ Donamus omnia ea parti veſtræ Longobardorum per Launegild receptum a vobis exiguum, & faciendum omnia exinde, quæ volueritis. In pacto DD. Neapolis cum Principe Landulfo I. apud Camillum Peregrin. de Princip. Longobard. pag. 324. ] & Bullar. Caſinen. tom. 2. conſtit. 122. ubi *Launechilt* ſcribitur. Non ergo donum propter nuptias tantum, ut Voſſius exiſtimat, vel donum propter maritum, ut Cornelio Margarino placet, ſed quodlibet munus ſignificat, ut ex pacto Landulphi ſupra adducto liquet, quamvis donum propter nuptias quandoque ſignificet, ut in l. ſi quando, de ſponſal. & in l. ſi quis, de præſcript. & ibi Gloſſa.

Laura, Conventus, Monaſterium: ſed videtur fuiſſe aliqua differentia inter *Lauram*, & *Monaſterium*; nam ex Cyrillo in vita S. Sabæ *Laura* habitationem eremiticam pro Monachis fuiſſe colligitur, qui in anguſtis cellis ad inſtar Camaldulenſium, ſeu Carthuſianorum incluſi per totam hebdomadam vivebant a cæteris ſeparati, cum quibus tamen congregabantur in ſolis Dominicis diebus in Choro, & Refectorio. Etymon tamen hujus nominis græcum eſt λαῦρα, quod Pagum ſignificat; multitudo enim cellullarum illarum invicem ſeparatarum ad inſtar Pagi videbantur. FR. Parum conſona videtur differentiæ aſſignatio inter Monaſterium, & Lauram a Franciſco Quareſimo tom. 2. lib. 6. Peregrin. c. 3. cap. 9. ex mente cujuſdam Græci, ut ipſe ait, adducta, nimirum, quod *Laura* intelligatur Monaſterium, in quo ſolet excedere familia mille monachorum; nam præterquam quod regulariter impoſſibile videtur reperiri poſſe in unico Monaſterio numerum tam exorbitantem, ac confuſionem generantem Monachorum; legimus etiam in vita S. Euthymii apud Surium 20. Januarii, quod ejus Laura in Palæſtina non continebat, niſi quinquaginta Monachos; ſic etiam in Laura S. Geraſini apud Surium ibidem, & Sophronium prat. ſpirit. cap. 107. quæ juxta Jordanis flumen erat, ſolebant ſeptuaginta Anachoretæ habitare: & licet in Laura S. Sabæ aliquando mille Monachos habitare contigerit; in ejus tamen exordio non erant pluſquam ſeptaginta, ut ex Cyrillo in ejus vita colligitur. Vide Jo. Stephanum Menochium in ejus ſtoreis p. 4. cent. 8. cap. 54. ubi diffuſe de his Lauris egit. Euagrius tamen lib. 1. cap. 21. inquit, Eudociam Imperatricem multas Lauras in Palæſtina erexiſſe, in quibus degentes omnia in communi habebant, exceptis aliquibus voluntariis pœnitentiis, de quibus. Vide *Yperthesſmus*. Licet aliam ſpeciem Monachorum hic Auctor ibidem fuiſſe narret, qui ſiquidem ſeparatim vivebant, de quibus ita ſcribit: [ Alii autem aliud ingrediuntur vivendi genus, idque diverſum a ſuperioribus. Nam ſe ſeparatim in ædiculas concludunt, quæ tantum habent latitudinis, altitudiniſque, ut in illis neque corpore erecto conſiſtere, neque ſe libere inclinare poſſint. Quorum alii, ut eſt apud Apoſtolum, in ſpeluncis, & cavernis vitam aſſidue degunt, unaque cum beſtiis habitant, & in quibuſdam occultis, & ignotis terræ latibulis Deo precationes adhibent. Quin etiam alius vivendi modus a nonnullis eorum excogitatus eſt, qui omnem fortitudinem & vim ſuperat; etenim viri, ac mulieres in ſolitudinem ardoribus efferveſcentem ſe abdunt, & ſolis illis membris, quæ naturæ ſerviunt neceſſitati, obtectis, reliquum corpus frigoribus immenſis, & fervidis aeris caloribus nudum exponunt, æſtu æque, atque algore contempto; eo accidit, quod alimentis, quibus homines veſci ſolent, penitus ejectis, depaſcuntur terram; unde, βόσκοι, ideſt, pabulatores appellantur &c.

Lauratum. Imperatoris imago lauro coronata [ Lauratis, & iconibus, quæ mittuntur ad Civitates, vel regiones, obvii adeunt populi cum cereis, & incenſo, non cera perfuſam tabulam, ſed Imperatorem venerantes. Optat. Milevit. ] ſic etiam Chriſtiani non coloratas, telas, ſed repræſentatos in eis Sanctos colunt, & thurificant, de quo cultu. Vide *Dulia*. *Iconomachus*. Has imperiales imagines Sophronius in epiſt. ad Leonem Papam, & Concil. Chalcedonenſe *Laurata Sacra* appellat. Vide an. 603. num. 1. in Baronio.

Laureatus. Vide *Baccalaureus*.

Lauretana Domus. Vide *Evangelium*. *Gloria in excelſis*.

Lau-

Lauretanæ Litaniæ. Vide *Litaniæ* in fine.

Laus tibi Christe, verba, quibus in fine Evangelii reſpondetur, quorum qui primus inter ſcriptores mentionem faciat, eſt Burchardus: antiquitus tamen varie reſpondebatur, qui enim *Amen*, qui *Deogratias*, qui *Benedictus, qui venit in nomine Domini* dicebant. Durand. lib. 4. cap. 24. In feria ſexta Paraſceve non dicitur ob memoriam improperiorum Chriſti.

Laus tibi Domine &c. Dicuntur hæc verba in principio horarum loco *Alleluja* a Dominica Septuageſimæ uſque ad Paſcha ex decreto Alexandri Papæ II. Gemmn. lib. 4. cap. 117. Baron. ann. 1073. & ſignificant idem, quod *Alleluja*; nihilominus in ſignum mœſtitiæ pronunciantur latina lingua, quæ inferior, & humilior eſt hebraica. Alcuin. cap. de Septuageſima.

Lausiaca. Λαυσιακὴ, ſic appellatum fuit Palladii opus, quod Patrum geſta continet, quia a Lauſo Præpoſito ſcripta fuerant, ſolebatque in determinatis temporibus legi, ut ex Triodio habetur.

Lautia. FR. pro azymelis hebræorum. [ Si quis Epiſcopus &c. cum Judæis jejunaverit, aut lautia feſti, nempe azyma &c. S. Clementis in can. apoſtol. can. 69. ] Antiquitus etiam *Lautitia* dicebatur farina ex tritico aqua conſperſa. Feſtus. In alio ſignificatu apud Latinos. Vide *Xenoparochus*.

Lazarus. FR. dicitur primus inferni proditor a Gloſſa in can. quantuslibet. de pœnit. diſt. 1. Vide *Loculatus*.

Lazul, Armeniam, & lapidem ſignificat. Vide *Chryſocolla*.

Lazzus. Vide *Lidus*.

Lebitonarium, & *Lebiton*, ſeu *Leviton*, & *Levitonarium*, græce λεβιτωνάριον, & λεβιτὼν, ideſt, tunica ſine manicis, qua monachi Ægyptii utuntur. [ Nihil habent in cellis præter pſiathium, & duo lebitonaria, quod Ægyptiis monachis genus veſtimenti eſt ſine manicis. Hieronym. in præfat. ad regulam S. Pachomii. Levitonarium eſt colobium ſine manicis, quali Monachi Ægyptii utuntur. Iſidor. lib. 19. c. 22. Induuntur autem noctibus levitonis lineis præcincti lumbos. Dionyſius Exiguus, in Vitis Patrum. ] FR. Puto hanc tunicam *Levitonarium* ſeu *Leviton* a levitica tunicella dictam fuiſſe; antiquitus enim tunicella ſine manicis erat, ut dictum eſt in dict. *Colobium*.

Leccator. FR. guloſus [ Ante converſionem leccator opere, vino, & teſſeribus dedicatus totus. Cæſarius Heiſterbachenſis lib. 4. miracul. cap. 6. ] corrigendum tamen eſt *Teſſeris*, loco *Teſſeribus*. *Lecca* eſt proprietas lingendi, inde *Leccaciatas*, *Leccator*, & *Leccatrix*. Leccator reperitur etiam in Gloſſa Iſidori.

Lectarium, lectiſternium, lecti utenſilia. [ Lectaria vero ipſa ſimplicia ſint, in reg. S. Cæſariæ Virg. ] Dicitur etiam *Lectuale*, vel *Lectiſternium* in Chronica Ciſtercien. [ Lectualia, vel lectiſternia moderata diſpenſatione Magiſtri unuſquiſque habeat. ] FR. *Hierolexicon Macri*. in Clement. de ſtatu Monachorum cap. 1. etiam *Lectiſternium* dicitur. Vide *Stratilectilium*.

Lecticarius, libitinarius clericus, a ferenda lectica, ſeu ſandapila ita dictus. Vide ſynonyma in dict. *Foſſarius*.

Lectio, tam in Miſſa ( quæ alias epiſtola dicitur ) quam in officio divino ita appellatur, quia legitur, & non canitur. Durand. lib. 5. cap. 2. Lectiones Breviarii collectæ ſunt a D. Hieronymo, qui librum compoſuit Lectionarium, ſive Comes S. Hieronymi appellatum. Legendæ ſeu vitæ Sanctorum, quæ ponuntur in ſecundo Nocturno a Paulo Diacono, & ab Uſuardo juſſu Caroli Magni compoſitæ fuerunt; ſed quæ hodie habentur, juſſu Clementis VIII. a Baronio, & Bellarmino correctæ ſunt. Lectiones, quæ recitantur in triduo hebdomadæ Sanctæ, non habent titulum, quia Eccleſia in illo triduo orbata videtur ejus titulari, & capite Chriſto Jeſu. Gem. lib. 3. cap. 89. Rupert. cap. 9. lib. 7. Et Sabbati Sancti lectiones etiam non habere titulum Alcuinus ait, quia in illo die cœcitas catechumenorum, qui nondum illuminati ſunt, denotatur. Nec dicitur, [ Tu autem Domine miſerere nobis, ] quæ verba in fine lectionum totius anni ideo dicuntur, ut a Domino venia poſcatur de defectibus in legendo commiſſis. Rupertus lib. 1. cap. 13. Et ideo flexis genibus dicuntur. Cærem. Epiſc. lib. 2. cap. 5. In quorum fine oſculatur Epiſcopi manus, ſi aderit; exceptis tamen Canonicis, qui hanc cæremoniam non tenentur adhibere. In lectionibus etiam officii Defunctorum non dicitur *Jube &c.* nec *Tu autem &c.* in aliquibus tamen Eccleſiis ſolent terminari his verbis [ Beati mortui qui in Domino moriuntur. ] Durand. lib. 7. cap. 35. Antiquitus antequam legi incepiſſet lectio, Diaconus ſilentium obſervari monebat. [ Facto autem ſilentio, ſcripturarum ſunt lecta divina ſolemnia. Auguſt. de Civit. Dei lib. 22. cap. 8. ] Et Iſid. lib. 1. de Eccleſ. offic. ſubjungit: [ Ideo & Diaconus clara voce ſilentium admonet. ] Quod adhuc in Eccleſia græca obſervatur, ubi Diaconus ante lectionem alta voce profert πρόσχωμεν, ideſt, *Attendamus*, quod ab ipſo Sacerdote in defectu Diaconi dicitur, & in Eccleſia Ambroſiana ante lectionem elata voce dicitur, [ Silentium jubete, habete ſilentium. ] Antiquitus ante lectionem auditores ſignabant ſe crucis ſigno: [ Cum lectio legitur, facto ſilentio, æque audiatur a cunctis; nam & ſi tunc ſuperveniat quiſque, cum lectio celebratur, adoret Deum, & præſignata fronte, aurem ſollicite accommodet. Iſidor. lib. 1. de divin. off. cap. 10. ] Lectio audiebatur ſedendo, ſicut etiam nunc fit. Amalar. de Eccleſ. off. lib. 3. cap. 10. Græci tamen ſtant, dum lectiones novi teſtamenti leguntur, & ſedent in lectionibus veteris teſtamenti. In Matutino Nativitatis Domini, quando occurrit gladium a Pontifice benedici una cum ejus pileo, Dux ſi præſens fuerit, debet canere quintam lectionem ſuperpellicio indutus, ſuper quod cingit gladium, & ſuperinduitur pluviali

albo cujus aperitio, ſeu ſciſſura erit a latere dextero, & caput pileo tectum habet, quod tamen detegit, & adſtanti miniſtro conſignat, dum lectionem canit: ſed antequam incipiat, & ſolitam benedictionem poſtulet, gladium evaginabit, quo ter percutiet terram, terque vibrabit in aerem, & ſuper ſiniſtro brachio illo deterſo, in vaginam reponet, atque finita lectione præfatis paramentis exuitur. Sed ſi contingit eandem cæremoniam Imperatori fieri, tunc eiſdem paramentis indutus erit; ſed pluviale more ſolito, ac recte ante pectus gerit, pileoque non tegitur, cum ſit ducale inſigne; illum tamen in manu ejus ſcutiferi ferunt; itaque ſic indutus Imperator incedit ad canendam lectionem, quæ erit octava, nempe, [ Exiit edictum a Cæſare Auguſto &c. ] duobus Cardinalibus aſſociatus, & facit ante lectionem ſupradictam cæremoniam evaginandi gladium &c. ſic in praxi obſervatum fuit tempore Pauli Papæ Secundi cum Imperatore Federico III. de anno 1468. Si vero Imperator noluerit integram lectionem canere, ſufficit ut uſque ad homeliam proferat, quam ſubinde unus ex duobus aſſiſtentibus Cardinalibus Diaconibus perficiet. Itaque in Nocte Nativitatis Domini a Pontifice gladius, & pileus benedicuntur, qui deinde alicui ſupremo Principi dono mittuntur, ad denotandum, quod ſæcularis poteſtas, & adminiſtratio juſtitiæ gladii a Regum Rege recipi debeat, pro cujus recta adminiſtratione indigent regnantes Spiritus Sancti directione, ideoque pileus mittitur, in quo margaritis columba eſt effigiata: quæ myſteriorum ſignificationes a Reginaldo Cardinali Polo in quadam epiſtola Regi, & Reginæ Angliæ miſſa, quibus Julius Papa III. gladium, & pileum in Nativitatis nocte benedictos miſerat, explicantur. In Capella Papali duodecim lectiones Sabbati Sancti in Miſſa papali leguntur græce, & latine; ſicut etiam in eadem Miſſa papali ſemper Epiſtola, & Evangelium in utraque lingua canuntur: idem faciebat Conſtantinopolitanus Patriarcha, ut ex epiſtola Nicolai Papæ ad Michaelem Imperatorem data liquet, in qua Papa oſtendit Imperatorem male ex contemptu linguam latinam appellaſſe barbaram.

Lectionarium. Vide *Breviarium* in fine, *Epiſtolarium*. *Lectio*.

Lectiuncula. Vide *Capitulum*.

Lectisternium. Vide *Lectarium*.

Lector, qui lectoratum eccleſiaſticum ordinem habet, cujus officium eſt lectiones recitare, & antiquitus legebat etiam epiſtolam in Miſſa, Concil. Tolet. I. ſicut etiam nunc inter Græcos. Vide *Anagnoſta*. A Balſamone appellatur, λιτὸς παππᾶς, hoc eſt, ſimplex presbyter. In Africana Eccleſia lector ſolebat ſuper ambonem legere Evangelium, ut ex epiſtolis S. Cypriani colligitur, nimirum, ex epiſtola 33. in qua de Aurelio lectore, & epiſt. 34. in qua de Celerino lectore mentionem facit. FR. lector etiam intelligitur Magiſter, qui in aliqua univerſitate doctrinam aliquam docere tenetur, quibus Magiſtris crepitaculum a Gloſſa pulſatur, in can. Ponderet unuſquiſque, diſt. 50. §. docuit, ſub hoc tono: [ Doctorem ſe promiſit, & ſic eo ipſo, quod quis promittit ſe velle docere Deo obligatur &c. ] Lectores enim nedum promittunt, ſed jurant ſe docere. Item *Lector* Notarius dicitur. Vide *Notarius*.

Lectricium, lectorium. [ Accipit Diaconus textum S. Evangelii, quod bajulans ad lectricium &c. Rup. de div. off. cap. 26. ] & ab Iſidoro *Lectrum* appellatum eſt. Synonyma. Vide *Ambo*.

Lectorium. Vide *Ambo*.

Lectualia. Vide *Lectarium*.

Lectularii, dicuntur infirmi diu in lecto jacentes. Item Medici, qui circa infirmorum lecta verſantur. Vide *Clinicus*.

Lectus. FR. campus, planities. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſt. 218.

Ledo, maris æſtus. [ Semper peragitur, & per alternatas hebdomadas ledonis, & malinæ viciſſitudo comitatur. De mirabilib. Sacræ Scripturæ cap. 7. inter opera D. Aug. ] In quodam autem pervetuſto Martyrol. m. s. *Lido* legitur. [ Friſones, ubi martyrum ſanguis erat effuſus, aggeſta terra collem excitarunt propter lidonis & malincæ quotidianæ eruptiones ex maris æſtu quotidiano provenientes, ubi Eccleſiam extruxerunt.

Legatia, legatio: [ Præterea Dominus Papa conceſſit Rogerio Eboracenſi Archiepiſcopo Legatiam in Scotia. Rog. annal. tom. 2.

Legatarius, Nuncius, Miſſus: [ Legatarius animi felle commotus, quod Abbas loci ſibi non dediſſet occurſum. Flodoardus, lib. 1. cap. 25.

Legatus, miſſus, aut nuncius. Inde *Legatus a latere*, Pontificis miſſus, qui ſolet eſſe Prælatus, & ut plurimum Cardinalis. Dicitur *A latere*, quia ſumit inſigne ſuæ juriſdictionis, & facultatis ſtans a latere Pontificis ſub ejus baldachino, quem Græci *Legatum a facie* appellant: [ Legati qui a facie dicuntur, qui & particularem habent juriſdictionem. Balſamon in ſextam ſynodum. ] Item etiam Legati Principum *A latere* dicebantur: [ Quatenus præſente miſſo noſtro illuſtri viro illo, quem ex noſtro latere illuc pro hoc direximus. Marculf. lib. 1. formul. cap. ultim. ] Sed hæc formula antiquiſſima apud Sedem Apoſtolicam fuerat, ut ex D. Greg. Regiſtro lib. 12. epiſt. 12. colligitur, ubi ſic habetur: [ A quo cum veneritis, quem a latere noſtro tranſmiſimus: eas poſſit accipere ] FR. Cardinalis legatus a latere novem habet privilegia. Vide Gloſſam in extrav. cap. unic. de præbendis. Et hic in dict. *Cardinalis* :||: Multæ legatorum ſpecies creantur, alii, qui ad ſponſalitia Principum mittuntur, alii ut Baptiſmalem cæremoniam pro Regum primogenitis celebrent, alii ad gubernandas ſtatus Eccleſiaſtici provincias, ſive ut præſideant in Oecumenicis Conciliis: [ Cum enim propter cauſam fidei, quam Eutyches perturbare tentavit, de latere meo mitterem, qui defenſioni veritatis aſſiſterent.

rent. S. Leo Papa epiſt. 14. ad Fauſt. ] Sed in rigore *Legati a latere* illi tantum dicuntur, qui a latere Pontificis ſolemnibus cæremoniis creantur, & pro aliquo publico Chriſtianitatis negotio ad Reges mittuntur. Item ſunt & *Legati nati*, metropolitani, nempe, qui ratione Eccleſiarum, quas poſſident, annexa ex privilegio hac dignitate fruuntur, ut ſunt in Anglia Eboracenſis, ſeu Cantuarienſis Archiepiſcopus; in Gallia Rhemenſis; in Italia Ravennatenſis, & Piſanus Archiepiſcopi, & ſic alibi alii, quorum tamen Privilegia nonniſi ad facultatem ordinariam Archiepiſcopi, ſeu Primatis extenduntur; nam nequeunt ferre Crucem extra Provinciæ limites, can. antiqua, de privileg. & exceſſ. lib.5. decretal. Nec poſſunt clericorum publicos percuſſores abſolvere, c. 9. de offic. legati lib. 1. decretal. tit. 30.

**Leges**. Vide *Lex*.

**Legibus**, pro legitime. [ Si quis ad mallum legibus monitus fuerit, & non venerit &c. in Conſt. Caroli Magni lib. 3. cap. 45.

**Legitimum**. Vide *Canon Miſſæ*.

**Legitimus Filius**. Vide *Fulboran*.

**Lenticulum**, vaſculum ad conſervandum oleum, de quo ſæpe in S. Scriptura, a forma lentis ita denominatus.

**Lento**. FR. laxo, negligo. [ Ut ea, quæ ei a nobis mandata ſunt, diſtrictius exequi, & nulla debeant occaſione lentari. D. Greg. in Regiſtro lib. 10. ep. 35.

**Leoninus Versus**. Vide *Verſus Leoninus*.

**Leporarius**, canis lepores inſequens. Matth. Pariſ. in Vita Abbatum.

**Lepra**, morbus. Vide *Elephantinus morbus*. FR. lepræ ſpecies ſunt quatuor, quæ in Levit. cap. 13. Dominus per Moyſen præceperat oſtendi Sacerdotibus, §. ex his. poſt can. 60. de pœnit. diſt. 1. & ibi Gloſſa.

**Lepta**, moneta. Vide *Talentum*.

**Lethargici**. Vide *Nyctages*.

**Lethe**, λήθη, carcer in Perſide. [ Et deſcendens in Perſidem retruſus eſt in carcerem, qui appellatur lethe, ideſt, oblivio. S. Joannes Eleemoſynarius c. 25.

**Leva**. FR. ſignificat direptionem & expoliationem. Leo Oſtienſis in Chron. Caſin. & Petrus Damianus.

**Levamentum**, cymba, qua levantur onera ab ingentibus navibus onerariis: [ Et tertia feria venit ad me omnis clerus & multi erant, qui ſe paraverunt ad navigandum mecum, qui res ſuas jam immiſerant in ea, quæ vocabantur levamenta. Anaſtaſ. Biblioth. in exilio S. Martini Papæ, & mart.

**Leucothea**, aurora, λευκοθέα, ideſt, aurora, ſeu Dea Matuta, ita a candore denominata? [ Revertente leucothea plane ſequentis diei. In vita S. Vincentii Presb.

**Leudes**, Regis familiares: [ Chlotarius cum proceribus, & leudibus Burgundiæ Trecaſſinis conjungitur. Greg. Turon. lib. 9. c. 54. Burgundiæ Barones vero tam Epiſcopi, quam cæteri leudes timentes Brunichildem. Ibidem cap. 41.

**Levigabilitas**, alleviatio. [Super infirmitatis ſuæ gravitudinem invenire promeruit aliquantulam levigabilitatem, de miraculis S. Majoli, lib. 2. cap. 33.

**Levita**, & *Levites*, de tribu levi, apud quos in veteri teſtamento erat hæreditarium ſacerdotium; ſed in novo teſtamento Diaconum ſignificat. Vide *Diaconus*.

**Leviathan**. Vide *Behemoth*.

**Leviton**, & *Levitonarium*. Vide *Lebitonarium*.

**Lex**. Vide *Evva*. FR. & per antitheſim. Vide *Exlex*. Leges Gothorum, & Longobardorum. Vide *Auricabeones*. Lex Saxonica, & Francigena. Vide librum 4. decretalium, tit. 1. c. 1. Lex mundialis, ideſt, civilis, can. Prima. 16. qu. 3. *Leges rubræ* dicuntur Rubricæ ex eorum titulis, quia rubro colore ſcribuntur. *Lex ſenſualitatis*. [ Si Paulus vidit legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ, & captivantem in legem peccati, can. ſi Paulus 32. qu. 5. ] Ubi Gloſſa inquit: [ Aliam legem, ideſt, ſenſualitatem, ſive concupiſcentiam, quæ dicitur lex, quia ligat, & trahit ad peccatum: unde dicit alibi, Ago quod nolo in legem peccati, ideſt, peccatum, quia ligat hominem ] Lex Eccleſiaſtica conſiſtit in canonibus, de quibus ſuo loco actum fuit. Item *Statuta*, quæ eadem ſunt ac *Motu proprio*. Item *Decretales*, quas hodie *Reſcripta* dicimus. Gloſſa in procem. decretal. §. conſtitutiones, & Baron. an. 142. n. 9. Suntque ad ſimilitudnem annotationum Principum, quia [ Annotatio dicitur ſcriptura, quam Imperator proprio animi motu facit de aliquo negotio, nemine rogante. Gloſſa in can. Dicenti, 25. qu. 2. ] Vide *Præceptum*. Pragmatica eſt ſæcularis conſtitutio, quæ ventilata eſt coram Principe, & de hoc facta eſt ſcriptura. Gloſſa in can. dicenti 25. q. 2. Vide *Pragmaticus typus* Dicitur etiam *Pragmatica* Eccleſiaſtica Sanctio, lib. 3. decretal. tit. 19. cap. 1. Cæterum leges nullum bene facere cogunt; ſed male facere prohibent. Gloſſa in cap. 8. de oſt. Jud. ordinar. Item deceptis, & non decipientibus ſubveniunt, lib. 3. decretal. tit. 19. c. 8. & tit. 24. c. 8. Utrum autem lex recens deroget antiquam? dic quod non, niſi expreſſe derogatur. Argumentum ex can. hoc ipſum 33. q. 2. ubi ſic ait: [Illius ſententia magis teneatur, cujus antiquior, & potior extat auctoritas ] Idem etiam habetur in can. Domino Sancto, diſt. 50. in fine, & ibi Gloſſa.

**Libacunculum**. Lacrymatorium vas, italice *Lambicco*, ex græco λείβω, ideſt, ſtillo. [ Proinde habe, ac ſi ſtillicidia mellis de libacunculo venenato. Tertull. de ſpect. c. 27. ] ſed in aliquibus codicibus juxta ſtylum illius temporis, v, pro, b, ponitur, ideſt, *Livacunculum*.

**Libatorium**, locus, in quo oblatio fiebat. Item vas oblationis.

**Libellarium**, proceſſus ſcripturarum. [ Similiter & hi, qui conſequentes erant ei, ſtupentes, accepto libellario, ſeriatim cuncta dicta a Beato viro conſcribentes, receſſerunt. Anaſt. Biblioth. in exilio S. Marcelli Papæ. ] Vide *Libellus*.

Libellarius. Vide *Tremiſſis*. Item colonaticum canon, ſeu ſolutionem penſionis ſignificat. [ Sive ipſi tenebant, ſive libellario nomine ad cenſum pleriſque conceſſerant. Chron. Caſin. lib. 1. cap. 7. ] Vide *Canon*. *Colonitium*. *Libellus*.

Libellaris; marſupium; ſacculus. [ Interim ut erat acris ingenii, filiam ejus deſponſare deſiderans, loricam, ut ferunt, in libellari, quo chartæ abdi ſolent, recondit, dicens mulieri, conjugique Urli, quia multitudinem aureorum meorum amplius, quam ſexdecim millia in hoc libellari reconditam tibi commoneo, quod tuum eſſe poterit, ſi mihi filiam tuam præſtiteris deſponſari. Gregor. Turon. lib. 4. hiſt. c. 41. ] Ubi aſtutiam illius refert, qui in ſacculo loricam ferream oſtenderat, ſimulans eſſe monetam, ut ſic commode uxorem ducere poſſet. FR. ſed hæc lorica dum in ſacculo includebatur, ex lamellis eam compactam fuiſſe oportet.

Libellatici, lapſi in idololatriam ob martyrii timorem, qui duplicis generis erant; aliqui enim dicebantur *Sacrificati Sacrificiati*, & *Thurificati*. Vide *Thurifico*. *Thurificatus*. Thurarius in dict. *Exſufflo*. Et communi nomine *Idololatra*; alii *Libellati*, *Libellatici*; alii *Mittentes*. Sacrificati dicebantur, qui ſacrificia Idolis præſtabant. Thurificati, qui thus Idolis dederant. Idololatræ qui Idolis tribuerant aliquem publicum religionis cultum. Libellatici autem, quos pudebat manifeſte fidem Chriſtianam negare; ſed occulte id per ſe, vel per alios præſtabant, & ſic ab inſectationibus per magiſtratus libellum ſecuri reddebantur, mediante pecunia. Mittentes, qui incenſum tantum in ignem mittebant; uti fecit S. Marcellinus Papa. Baron. an. 253. n. 18. & 19.

Libellensis. Vide *Regeſtum*.

* Libelli Famosi. Falſi rumores clandeſtinis ſcriptis contra famam hominum ſparſi. Imperatores Chriſtiani nihil non agebant ut omnes iſtiuſmodi nefarias machinationes de aliorum fama detrahendi retardarent, reprimerentque, ut ex variis legibus, *Conſtantini*, *Conſtantii*, *Valentiniani* & *Valentis*, *Theodoſii* & *Arcadii* in Cod. Theodoſiano *ſub tit. de fam. Libell.* videre eſt. Lex vero Eccleſiaſtica eos qui iſtiuſmodi libellos compoſuiſſe, vel diſſeminaſſe detecti fuerint excomunicationi reddit obnoxios. Ita enim Concilium *Illiberitanum* c. 52. Canone quodam ſtatuit: *Si qui inventi fuerint Libellos famoſos in Eccleſia ponere anathematizantur*.

Libellus. FR. Scriptura, in qua continetur res, quæ petitur, & cauſa petendi, & nomen actoris, & rei, & coram quo Judice. Multipliciter *Libellus* dicitur, ſcilicet, *Reclamationis*, ſeu *Poſtulationis*, qui datur in civilibus actionibus. Gloſſa in tit. de libelli reclamatione cap. 1. Semper autem offerendus eſt libellus Judici, & per ipſum reo, ut ipſe reus poſſit deliberare, 3. q. 3. can. Judicia, §. offeratur. Item ſemper debet dari in ſcriptis, tit. de libelli oblat. c. 1. & in authent. offeratur. Cod. de lit. conteſt. & in decretal. de probat. cap. quoniam contra. Quod debet fieri in principio litis, d. Authent. §. offeratur. Non eſt tamen neceſſarius libellus in judicio de plano procedente. Vide *Judicium de plano*. De libello famoſo. Vide *Conteſtatio*. Item libellus conventionalis, de quo Gloſſa in c. 3. de libelli oblat. Item *Libellus* ſignificat canonem, colonaticum, libellarium, quod Itali *Livello* vocant, de quo ſæpe D. Greg. in ejus Regiſtro hoc modo *Libellos facere*. Vide *Canon*. *Colonitium*. *Libellarius*. Et dicitur etiam Livellus. [ Tam fictus, quam livelli, vel emphytheoſis, aut feudi nominibus poſſidentur &c. Bull. Caſin. tom. 2. conſt. 352. ] Item libellus ſignificat Miſſale. Vide *Miſſalis*. Item libellus officialis. Vide *Rituale*,

Liber Officialis. Ita a Radulpho appellatum fuit Officium divinum. Vide *Officium divinum*.

Liber Pastoris. Vide *Hermes*.

Liber Mysteriorum, & *Liber Sacramentorum*. Vide *Miſſalis*.

Libera, inferorum pars, quæ penes Theologos Sanctorum Patrum limbus dicitur, ubi Chriſtus in triduo mortis deſcendit: [ A quo boni immunes ſunt tantum, quod in inferno erant, ſed in ſuperiori quaſi in libera. *D.* Ambroſ. in ep. ad Rom. cap. 1. ] Fortaſſe ita dicitur, quia locus libertatis futuræ erat. Sed hæc commentaria S. Ambroſii minime fuiſſe probat Bellarm. de Scriptoribus Eccleſ. in Ambroſio, & plane videntur eſſe alterius, ac linguæ græcæ parum periti.

Libera Nos Quæsumus Domine &c. preces in Miſſa poſt orationem Dominicalem poſitæ. Vide *Emboliſmus*.

Liberalis. FR. ideſt, homo liber, & ingenuus. [Quantum denotavi paſſivitas offert, libertinos in equeſtribus, ſubverbuſtos in liberalibus, dedititios in ingenuis, rupaces in urbanis, ſcurras in forenſibus, paganos in militibus. Veſpilo, leno, laniſta tecum veſtiuntur. Tertull. de pallio cap. 4.

* Liberatio. Magni alicujus beneficii in Eccleſiam, vel in Popnlum Chriſtianum collati Memoria; exempla extant apud *Sozomenum* lib. 6. c. 2. apud Euſeb. Hiſtor. lib. 10. c. 9.

Liberator. Vide *Remediator*.

Liberi. FR. non modo filii, ſed deſcendentes uſque ad trinepotes intelliguntur, & ultra, l. fin. §. parentes, ff. grad. cogn. l. liberorum, 220. ff. verb. ſign. l. liberos 10. ff. Senat. Gloſſa in Clement. de Baptiſmo §. Liberi. Regulariter tamen *Liberi* dicuntur, qui ex libero matrimonio orti ſunt, can. liberi 32. qu. 4.

Liberor. Vide *Remedior*.

Liberum Arbitrium. Vide *Autexuſion*.

Libitina, funerale, mortuorium. [ Sed cum libitinam flerent omnes. Sidon. lib. 1. ep. 8. ] Item aliquando feretrum ſignificat. [ Sed nullo conamine quieverunt elevare libitinam. In vita S. Gudulæ Virg.

Libitinarii, funerarii. Vide *Foſſarii*. *Laborantes*. *Porticani*.

Libitinensis, Theatri porta. Vide *Sanavivaria*.

LIBITUDO, voluntas, deſiderium, complacentia. [ Cum non ſit in eorum arbitrio, & poteſtate, cum voluerint Abbatem deponere, & aliam ad libitudinem ſuæ voluntatis inſtruere. Flodoard. lib. 4. cap. 7.

LIBRA. FR. moneta, quæ italice *Lira* dicitur: [ Et expenſas, & damna tali occaſione ſecuta taxatione juramento præmiſſo in mille libris uſualis monetæ prædicto Epiſcopo ſententialiter duximus condemnandum, l. 4. decretal. tit. 36. cap. 7. & tit. 37. cap. 9. ] Vid. *Marca*.

* LIBRA. Epiſcopi Suffraganei Pontificis Romani hoc ethnico nomine vocati, quod numero eſſent Septuaginta. *Romana* enim *Libra* ſeptuaginta partibus conſiſtebat. Baron. ann. 302. c. 92.

LIBRARIUS. Vide *Antigraphus*. *Antiquarius*.

LIBRIGER, libros, vel librum gerens. [ Iterum poſtulaſti per eundem librigerum, ut tibi pluribus, ſi poſſim; ſcriptis eſſem moleſtior. Paulin. epiſt. 9. ad Sever.

LIBURIA. FR. Provincia in regno Neapolitano, quæ vulgariter *Terra di Lavoro* dicitur. [ Guido &c. in Gariliano caſtrametatur &c. Is autem appropians ad pontem, qui Theudemundi vocatur, caſtrametatus recedit aliquandiu, & ablato ex Liburia frumento, aliiſque victualibus delatis ad Capuanos &c. Eremperti Epitome an. 878. Sicut ſacramento pollicitus fuerat, & Liburiam, & Capuanam ſuo jure jurando illi conceſſit. Ibid. an. 886. ] ac ſæpe idem de hoc vocabulo in ea ſignificatione.

LICENTIANUS. Vide *Baccalaureus*. *Lyta*.

LICIATORIUM, lignum, ſeu axis, ſuper quem in telario involvuntur fila texenda. [ Haſtile autem haſtæ ejus erat quaſi liciatorium texentium, 1. Reg. c. 17. ] Licia enim ſtamina, ſignificant aliquando. FR. Italice *Subbio*, ſic italus poeta Franc. Petrarca, verſ. 201.

Perchè deliberando ho poſto al ſubbio
Gran parte omai della mia tela breve.

Et verſ. 442.

Poi con gran ſubbio, e con mirabil fuſo
Vidi tela gentil teſſer Cleante.

LICIUM. FR. Civitas, & Provincia in Regno Neapolitano, quæ vulgo *Lecce* dicitur: [ Tancredus comes Licii, qui apud Trojam cum quibuſdam aliis juraverat fidelitatem Conſtantiæ Uxori Henrici Regis Theutonicorum. Anonym. Monach. Caſin. in Chron. an. 1190.

LIDA. Famula [ Si quis lidam alienam in conjugium ſociaverit, in lege ſalica, tit. 15.

LIDO. Vide *Ledo*.

LIDUS, homo mediocris conditionis inter liberum, & ſervilem ſtatum, qui aliquo proprio fruitur, ſed cum obligatione alicujus ſervitii, ex *Laſſen* Germanico verbo, quod tolero ſignificat, cum ſit quaſi relaxatus. Ab aliquibus tamen ſcriptoribus habetur *Litus, Lazzus*.

LIGA, italice *Lega*, confœderatio.

LIGANTIA. Vide *Ligius*.

LIGATURA. Vide *Annulus*.

LIGIUS, & *Ligia*. Vaſſallus, & vaſſalla, ideſt ligatus, & aſtrictus. [ Quod in coronæ ſuæ diſpendium Comitem S. Ægidii in ligium hominem recepiſti. Petrus Bleſenſis ep. 153. Nam illa die filii Petri Leonis omnes ſimul humiliaverunt ſe ad pedes Domini Papæ, & facti ſunt homines ligii ejus, juraverunt ei ligiam fidelitatem. Idem ep. 320. ] ſic in abſtracto reperitur *Ligantia*, ideſt, vaſſallagium. [ Deteſtabile quippe eſt in Monacho, ut ſub quocunque coloris habitu, honore, aut titulo poteſtatis habeat feuda, ſervos, & ancillas, homagia, fidelitates, atque ligantias. Idem Bleſen. epiſt. 102. ] FR. Gloſſa tamen in Clementina de Appellationibus cap. 2. §. Homo ligius, aſſignat aliquam differentiam inter *Ligium*, & *Vaſſallum*.

LIGNAMEN. FR. Lignum, vel navis. [ Ut qui gloriantur nomine Chriſtiano, Sarracenis arma, ferrum, & lignamina deferant galearum, lib. 5. decretal. tit. 6. cap. 6. Et in extrav. Jo. XXII. de Judæis, & Saracenis cap. unico.

LIGO, *onis*. Vide *Foſſorium*.

* LILIA. Suprema *Ciborii* pars formam ſphæræ referens, floribus ornata. *Lilia* dicebatur.

LIMBUS, fruſtillum ſerici panni, quod in parte anteriori, & poſteriori Albæ, & in ejus manicis ſuebatur, de quo in dict. *Alba* dictum eſt. Vide *Liſta*. *Periclyſis*. Limbus, ideſt, pars inferioris terræ. Vide *Libera*.

LIMENARCHA, λιμενάρχης. FR. Maritimi portus Præfectus l. 1. & 2. Cod. Quæ res export. non debet. Ubi Accurſius perperam Cuſtodem limitum, & terminorum Imperii exponit; nam ſi hæc vox fuiſſet latinogræca, ut ipſe exiſtimat, dici deberet *Limitarcha*. Hoc autem vocabulum compoſitum eſt ex binis græcis dictionibus, nempe λιμὴν, ideſt, portus, & ἀρχὸς, Princeps: ſic Limina Apoſtolorum dicitur, Baſilica S. Petri, quia ibi ad ſecuros & optatos portus poſt laborioſam peregrinationem viatores perveniunt. Vide *Portulanus*.

LIMINA. Vide *Confeſſio*, *Limenarcha*.

LIMNIOTA, *lacuſtris*, *paluſtris*. FR. S. Georgii Monachi cognomentum, de quo mentionem faciunt Martyrol. Rom. 24. Aug. & Menolog. Græc. qui coronam martyrii pro cultu ſacrarum imaginum obtinere meruit. Nomen autem hoc græcum eſt λιμνιώτης, ideſt, ſtagni, vel lacus habitator.

LINEA. Vide *Rochetum*.

LINEATOR, Menſurator, Geometra. [ Quia ſecundum conſuetudinem lineatoris fecerunt. Paulus Diacon. lib. 3. ]

LINGUATA, ita cognominata eſt Athenarum Civitas propter ejus eloquentiam. FR. minime vero *Locutulejam*, *Blatronam*, aut *Linguacem*, ut Jo. Stephanus Menochius in ejus ſtoreis par. 4. centuria 7. c. 56. exiſtimavit. Vide *Caupona*. De qua Civitate Tertullianus inquit [ Athenis enim expertus Linguatam Civitatem, cum omnes illic ſapientiæ, atque facundiæ caupones deguſtaſſet, lib. de anima c. 3. ] De gentium Doctore loquitur, de quo etiam Arator lib. 2. in Act.

Apo-

Apoſtolorum ex Tertullianæ imitatione cecinit.

Ingeniis claras, & linguis Paulus Athenas
Ingreditur.

Linostima, ad inveſtigandum ſignificatum hujus nominis maxima difficultas eſt: Pallam enim Linoſtimam, quam S. Silveſter Papa Diaconibus conceſſerat, Gavantus putat fuiſſe manipulum; ſed hic etiam Subdiaconibus communis eſt: ego tamen exiſtimo fuiſſe ſtolam, quam Græci *Orarium* dixere, de quo ſuo loco; & quam ipſi ſuper ſiniſtrum humerum deferunt, cujus anteriorem partem ad brachium revolvunt, ac pendentem relinquunt poſteriorem partem; idem obſervant Carthuſiani, ſed hi latino ritu eam ad dextrum latus ligant, ac longiorem partem in brachio ad inſtar manipuli ſtringunt, quæ opinio antiquiſſima SS. Petri, & Pauli imagine confirmatur, quæ ejuſdem S. Silveſtri Papæ fuerat, ac magna veneratione in Baſilica Vaticana conſervatur, in cujus inferiori parte idem Sanctus Pontifex eſt depictus, cum aſſiſtentia duorum Diaconorum Conſtantinum baptizans, Diaconi vero induti antiquo *Colobio*, a quorum ſiniſtris humeris pendet ſtola, ſive manica: quæ revera non alia eſſet, niſi *Linoſtima palla*. Confirmatur ſecundo hæc noſtra opinio verbis Rodulphi prop. 23. ubi de hoc Silveſtri decreto agens inquit [ Ut Diaconi Dalmatica uterentur in Eccleſia, & palla Linoſtima eorum læva tegeretur ] ergo ſtola eſt, quæ ad lævam antiquitus, tanquam in parte tunc, ut dictum eſt in dict. *Bulla*, nobiliori pendebat. Etymologia vero acute ab aliquibus traditur ex græco λινοςήμον, ideſt, Lini ſtamen, fortaſſe ad differentiam ſtolæ, quæ lanæ ſtaminis in illis ſæculis erat. FR. Quod Palla Linoſtima videatur fuiſſe Orarium, ſeu ſtola; ex eo conjectari poſſet; nam veſtem illam talarem Medorum, quam Herodot. lib. 6. Xenophon. lib. 8. Plutarch. in Alexandro, Arian. lib. 4. & 6. ςολὴν vocant. Q. Curtius lib. 3. *Pallam* appellat, & Horatius Satyr. 2. Lib. 1. pallam pro faſcia ſumpſit, inquiens.

Ad talos ſtola demiſſa, & circumdata palla.

Ut & Seneca in Troad. 25.

Cingat tunicas palla ſolutas.

Atque ut palla linoſtima læva Diaconi tegeretur nedum a Silveſtro, ſed etiam a Zoſimo Papa ordinatum fuerat. Synonyma. Vide in dict. *Orarium*. *Stola*.

Linteum. Vide *Othone*. *Manutergium*.

Lintres. Vide *Chelandium*.

Lio, verbum græcum λείω, ideſt, lærigo, explano, polio, [ Scit albarius tector, & tecta ſarcire, & tectoria inducere, & ciſternam liare. Tertull. de Idol. cap. 8.

Lipsana; λείψανον, ideſt reſiduum, reliquia. [ Prope Lipſana ſacræ Virginis ire religioſum duxit. In vita S. Gundulæ. Erat namque cernere prope Lipſanas ſacræ Virginis ſe admiſiſſe, & ſub tanta protectrice a ſtrepitu perſequentium jam ſecurum procubuiſſe. Ibidem. ] FR. legitur etiam *Lipſanum* [ Facta ſunt encænia apud Conſtantinopolim, & recondita ſunt Lipſana Andreæ, & Lucæ Apoſtolorum. Paulus Diaconus lib. 16. ] Vide *Reliquia*.

Lis. Litis expenſæ. Vide *Delatura*.

Lista, Fimbria, limbus, linea, quæ ex aliquo textili, ſeu acu picta, in veſtium, & paramentorum extremitatibus ornamenti gratia ſolet apponi, quam Calepinus, neſcio quo fundamento, in dict. *Litania* inepte ait vulgum Litaniam appellare [ Fecit ſuper Altare majus veſtem de fundato cum cruce in medio, & in gyro liſta de fundato unam. Anaſt. in Leone IV. ] Ejus Synon. V. in dict. *Limbus*.

Litania, λιτανεία, Supplicatio, Rogatio, atque Proceſſio. Differt a *Latania*. Vide ſuo loco. [ Litanias non tantum dici illam recitationem nominum, qua Sancti in adjutorium vocantur infirmitatis humanæ, ſed etiam cunctas, quæ fiunt ſupplicationibus, orationes appellari. Valaf. de reb. Eccleſiaſt. c. 28. ] Hinc Melitenſes *Liti* vocant proceſſionem. Litania major appellari ſolet illa, quæ fit in die S. Marci, a D. Gregorio inſtituta, dum Romæ graſſabatur peſtis, quæ *Septiformis* denominata fuerat. [ Septiformis autem Litania ideo dicta eſt, quod totius Urbis populus a Beato Gregorio in ſeptem partes Deum deprecaturus diviſus eſt. Paulus Diac. lib. 3. de geſtis Longobar. cap. 25. ] Idem confirmatur ab eodem Gregor. in epiſt. 34. Regiſt. lib. 11. indict. 6. ad Lucidum Epiſc. Leontinum, a Gregorio Turonenſi in ejus hiſtoria, & a D. Antonino Florent. Archiep. to. 2. tit. 12. cap. 3. de S. Gregorio Magno §. 1. Quæ tamen litania per plures dies continuata fuit ab eodem Pontifice imaginem ſacratam Virginis Mariæ deferente, uſquequo in tranſitu per Adriani molem vocem Angelorum audiverat *Regina Cœli*, &c. quibus ille reſpondit, *Ora pro nobis Deum*, qui meruit deinde Angelum Dei videre ſupra eandem molem in vaginam mittentem gladium, in ſignum ceſſationis peſtis, iræque Dei. Sigonius tamen lib. 1. affirmat prædictam cœleſtem viſionem anno ſequenti, dieque Paſchæ accidiſſe, quo die Sanctus idem Papa in gratiarum actionem tanti memorati beneficii quotannis præfatam proceſſionem ordinaret, ut ex ejus Regiſtro in indictione poſita ad principium libri ſecundi colligitur, ubi ſic inquit: [ Solemnitas annuæ devotionis, filii dilectiſſimi, admonet, ut Litaniam, quæ major ab omnibus appellatur, ſollicitis, ac devotis debeamus, auxiliante Domino, mentibus celebrare ] Et poſt multa ibidem tandem concludens, Litaniam ob memoriam prædicti accepti beneficii inſtitutam fuiſſe, his verbis inſinuat: [ Tam de antiquioribus, quam de præſentibus beneficiis pietati ejus, in quantum poſſumus, referre gratias mereamur. ] Itaque prima Litania in menſe Septembris peſtis imminente periculo celebrata eſt; ſed annua deinde pro acceptis beneficiis commemoratio in die S. Marci inſtituta fuerat, ut uſque ad præſens per univerſalem Eccleſiam obſervatur, atque ex Aquiſgranenſi II. Concilio colligitur, ubi ſic in can. 10. habetur: [ Ut Litania major more Romano ab omnibus in ſeptimo Kalendas maii celebretur. ] FR. puto, quod *Major* exinde di-

catur

catur, quia ad Majorem Sanctam Mariam progreditur, & minorem Litaniam dictam fuiſſe, quia ad Minorem Sanctam Mariam proceſſio dirigebatur. Vide hic *Maria Virgo*. Item per Litaniam intelligitur quilibet concurſus populi. ] Ad hoc interdicatur his omnibus, ad Litanias faciendas, nocte, vel die profanis coire conventibus. In decreto Arcadii, & Honorii Imp. in Cod. de Hæreticis l. cuncti hæretici. ] Qua occaſione minime prætermittenda eſt vulgi inadvertentia, quod in Eccleſia S. Mariæ Ara-cœli Romæ appellata veſtigia Deæ Iſidis, quam ſuperſtitioſe Gentiles pedum tutelatem habebant, ibi pro S. Angeli, ſupra memorati, impreſſis veſtigiis adorabant; ex ejus enim inſcriptione clare liquet. FR. In ſecunda impreſſione hujus operis habet *Adorantur*, quod in ultima editione Auctor ſcripſerat *Adorabantur*; noluit enim ex modeſtia ejus laudes referre; nam zelo Auctoris Alexander VII. fœlicis recordationis in viſitatione, quam fecerat Eccleſiarum, de hac erronea credulitate ab Auctore commonefactus, dum ad Aram Cœli acceſſiſſet, oculariter voluit hoc inſpicere, quod præ annoſa copia tabellarum votivarum fieri non potuiſſet, juſſerat exinde ut amoverentur tabellæ, quæ inſcriptionem occultabant (nam veſtigia ſolum conſpiciebantur inſculpta, & invenit veram Auctoris relationem; inſcriptio enim hæc ſubrelata erat *Deæ Iſidi*. Quare Papa mandaverat lapidem illum penitus aboleri, votivasque tabellas auferri. Sed redeundo, unde ſumus digreſſi, ab aliquibus Scriptoribus vocatur hæc *Proceſſio nigra*, quia nigro tegumento cooperiebantur. FR. In Conventuali Eccleſia Equitum Melitenſium, ubi in feriis ſextis per annum ſolet fieri proceſſio cum vero ligno S. Crucis, poſt ſolemnem de eadem Cruce Miſſam, me adhuc puero memini, quod in feriis ſextis martialib. hæc proceſſio fieri ſolebat totius Cleri nigro velo contecta, an hæc fortaſſe univerſæ Eccleſiæ fuerat conſuetudo, unde proceſſio nigra dicebatur? Si vero Litaniæ majores in die Paſchæ occurrerint, tunc ad diem tertium ejuſdem octavæ transferri ordinavit Sacra Rituum Congregat. ſub die 25. Septembris 1627. ut fideles frequentius interveniant, cum ſit dies feſtivus, ac Miſſa de Rogationibus dicatur abſque commemoratione Octavæ, cum violaceis paramentis, & præfatione feriali Paſchæ, atque ejus *Communicantes*. Item Litaniæ, quæ *Triduanæ* dicuntur, ideſt, in triduo ante Aſcenſionem, quæ & *Minores* vocantur, a Sancto Mamerto Viennæ Allobrogum Epiſcopo de an. 474. inſtitutæ fuerunt, occaſione Luporum infeſtationis, quod confirmatur auctoritate cujuſdam Libri, cujus titulus *Sacerdotalis* dicitur, ubi deſcribendo proceſſionem Rogationum mentionem facit luporum, qui in culmine haſtarum ferebantur his notis: [In aliquibus Eccleſiis ſolent portari dracones, & lupi ſuper perticas ad denotandam cauſam, quare inſtituta fuerit hæc proceſſio in tribus diebus Rogationum. FR. Auctor hujus libri Sacerdotalis fuit Albertus Caſtellanus Venetus Ordinis Prædicatorum, qui Venetiis de anno 1560. per Joannem Varſcum, & ſocios impreſſus fuit, & citata Caſtellani verba habentur in tract. 1. par. 3. c. 4. Præter quam quod cauſam inſtitutionis non refert, ſed obſcure inſinuat, & nos diffuſe in dict. *Draconarius* egimus, convincitur errore ex Baronio ad annum 475. n. 11. & ſeq. ]. ubi manifeſte auctoritate Sidonii oſtendit Mammercum Viennenſem Epiſcopum propter terræmotus, aliaque cœleſtia prodigia Rogationes renovaſſe. Quod potius Concilium Aurelianenſe 1. inſtituiſſe videtur, dum ait: [ Rogationes, ideſt Litanias ante Aſcenſionem Domini placuit celebrari &c. de conſecrat. diſt. 3. can. Rogationes.] Quæ deinde Rogationes a Leone III. Romæ introductæ fuerunt. [Ipſe vero a Deo protectus, & præclarus Pontifex conſtituit, ut ante tres dies Aſcenſionis Dominicæ, Litaniæ celebrentur. Anaſt. Biblioth. in Leone III. ] Sed Jacobus de Vitriaco in ſermone fer. ſecundæ *Rog.* introductorem rogationum Liberium Papam facit. FR. Eſt quidem plane ridicula Hæreticorum noſtri temporis opinio, quæ, quoniam Sanctorum ſuffragia acerrime impugnare conatur, Epitomen proinde ex noſtris prorſus Litaniis decerpſerat; demptis Sanctorum invocationibus, atque pro Eccleſia, & pro Papa, rogationibus. Sed proh fatui ſacrarum Obſervationum Reformatores! ſeu Deformatores (ut verius vos appellem) a quibus ſemper contra Catholicas traditiones reſponſio illa a dura Caſauboni cervice contra Baronium excogitata aſſeritur, nempe: *A principio non erat ſic*. Eja nunc, ut dicatis expoſco, hæc veſtra detruncata litania erat ne ſic a principio? Sane a veſtra ſecta ſectam illam fuiſſe negare pudebit. Veſtrum ergo telum ad omnia promendo paratum, quod *A principio non erat ſic*: non eſt profecto (ut vocitatis) achilleum, dum crebro in jactantem inflectitur. In quibus Rogationibus jejunari ſolebat. [ Qui triduo omnes abſtineant, & quadrageſimalibus cibis utantur. Idem Concil. can. 39.] Sed jejunari deinde prætermiſſum fuit, ut ſententiis Sanctorum Patrum conformaretur, jejunium tempore Paſchali minime permittentium. Equitum tamen Melitenſium antiqua regula jejunandum ſtatuit; quod etiam nunc ipſi obſervant. Eccleſia vero Ambroſiana, ut debite jejunari poſſit, has rogationes poſt Aſcenſionem celebrat. Andegavenſis Eccleſiæ Clerus in proceſſione feriæ quartæ Rogationum diverſe ab aliis diebus incedit; in eo enim die Dignitates prope Crucem ambulant, quas ſequuntur Canonici, & ultimo Clerici, quod fit ad denotandum in cœleſti patria noviſſimos futuros eſſe primos, ac primos noviſſimos, juxta Redemptoris effatum. Rogationes autem a Sancto Gallo Epiſc. inſtitutæ, de quibus agit Greg. Turon. lib. 4. c. 5. non ſunt, quæ fiunt ante Aſcenſionem; nam in medio quadrageſimæ celebrantur; ſic etiam illæ, de quibus in Concilio Lugdunenſi primo, quæ in menſe Novembris ibi ordinantur. Item quæ ſtatutæ fuere in Gerundenſi Concilio de an. 517. In Hiſpania diverſæ etiam ſunt, quia poſt Pentecoſtem

ordinantur. Item *Kyrie eleiſon*, quod in Miſſa dicitur, etiam appellatum fuit *Litania*, ex eo quia ſupplicatio ſit, ut ſuo loco dictum fuit; & ita in quibuſdam M.SS. antiquis Ritualibus legimus, quod in Sabbato ſancto dicebantur *Litaniæ Septenæ*, *Quintenæ*, *Ternæ*, ſive *Septenariæ*, *Quinariæ*, *Ternariæ*: ideſt, quia in illo die ad fontem baptiſmalem *Kyrie eleiſon* primo ſepties, deinde quinquies, & ultimo ter proferebatur. De *Kyrie eleiſon* centies prolato dictum etiam fuit ſuo loco. Item in ordine Romano reperitur hæc phraſis, *Imponere Litaniam*, quæ incipere *Kyrie eleiſon* ſignificat. Hodie autem per nomen *Litaniæ* non niſi invocationem Sanctorum, qua Eccleſia uti ſolet, intelligitur, qui uſus non fuit ante D. Hieronymi tempora, ut vult Valaf. de reb. Eccl. c. 28. Sed hoc in Eccleſia Romana intelligendum; nam in Neocæſarea Eccleſia erat in uſu antea, ut ex Epiſt. D. Baſilii 63. colligitur. Advertendum inſuper eſt, quod Litaniis a B. Pio Papa V. reformatis non poſſunt ſine licentia Sedis Apoſtolicæ alii Sancti titulares addi, juxta reſponſa Sac. Rit. Congregat. ad Canonicos Regienſes ſub die 22. Martii 1631. data: multo minus poſſunt Sancti non canonizati adjungi. Bellarm. de Sanctor. beatitud. cap. 10. Quod nedum publice, ſed nec privatim docet Sanchez lib. 1. c. 3. n. 5. ſum. fieri licere. Item Clemens VIII. decreto prohibuit anno 1601. ne imprimantur, neve in Eccleſia canantur aliæ litaniæ, niſi conſuetæ de Sanctis, & de Beata Maria, quæ communiter *Lauretanæ* dicuntur. De Reliquo. Vide *Proceſſio*. Quid dicendum ſit in Litaniis majoribus tempore Sedis Vacantis, loco, *Ut Domnum Apoſtolicum*, &c. Vide *Apoſtolicus*.

Lithoparius, ex græcis dictionib. λίθος, ideſt lapis, & πάειος, inſula hoc nomine appellata, quæ ſemper lapidicina pretioſorum fuit [ Juxta alias antiquas ſex lithoparias ſuperpoſuit trabes. Anaſt. Gr. III. ] Sed in aliquibus Codicibus corrupte *Filopares*, legitur.

Lithostrotos, λιθόςρωτος, muſivum opus de quo dictum eſt in dict. *Gabbatha*. FR. quam artem a Græcis inventam fuiſſe, Plin. lib. 36. c. 25. affirmat, ita inquiens [ Originem habent eborata arte picturæ ratione, donec lithoſtrota expulere eam &c. parvulis ex teſtulis, tinctiſque in varios colores ] Et inferius narras, quando hæc ars Romam fuerat delata: [ Lithoſtrota cæptavere jam ſub Sylla parvulis certe cruſtis, extat hodieque, quod in Fortunæ delubro Præneſte] Dionyſius Carthuſianus mendoſe habet, *Lycoſtrotos* Hugo Cardinalis, & Gloſſa ordinaria interpretantur *Lithoſtrotos*, ideſt, *Judiciale*. At licet Lithoſtrotos erat ubi jus dicebatur; non tamen re vera hæc eſt nominis interpretatio, ut in dict. *Gabbatha* dictum eſt. Hoc opus dicitur etiam *Sarſorium*. Ennodius enim epigr. 91. cujus titulus eſt [De marmoribus opere Sarſorio ], hos verſus compoſuit.

Viſceribus lapidum permixta lege coactis,
Naturam faciunt artificum ſtudia.
In ſolidum fractis riguerunt marmora membris,
Partibus in cruſtam colligitur genius.
Unam de variis ſpeciem componere fruſtis
Qui potuit, ſaxum duxit in obſequium.

Vide *Muſivum*, *Sarſorium*.

Litidium. FR. Lis, controverſia. Bullar. Caſin. tom. 2. Conſtit. 11. )( Vide *Elitigatus*.

Litera, FR. elementum alphabeticum: [ Unius litteræ defectus non vitiat reſcriptum, in decretal. de fide inſtrumentor. cap. 11. ]

Literæ, ſeu *Littera*, epiſt. Vid. *Syllaba*, quæ apud Eccleſiaſticos variæ ſunt, ideſt, *Communicatoriæ*, *Canonicæ* ſeu *Pacificæ*. Baron. an. 142. n. 6. & 7. Item *Dimiſſoriales*, *Memoriales*, *Commonitoriæ*, *Synodicæ*, *Encyclicæ*, *ſeu Circulares*, *Catholicæ*. Ibid. n. 8. Item *Commendatitiæ*. Vide in dict. *Chorepiſcopus*. Item *Confeſſoriæ mancipiorum*; *Paſtorales*. Ibid. n. 9. *Apoſtolicæ*, *Breviæ*, *Clericæ*, ſeu *Clericales*. Ibid. n. 10. *Tractoriæ*, ſeu *Tractatoriæ*, *Privatæ*. Ibid. n. 11. Item *Feſtivæ*. Idem Baron. an. 263. n. 14. Item de modo ſcribendi, & ſigillandi Eccleſiaſticas litteras. Idem Baron. anno 1179. n. 52. & 53. an. 253. n. 72. & an. 517. n. 20. & ſeqq. S. Cletus Papa primus in epiſtolis uſus fuit illis verbis: *Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem*, quæ poſtea a ceteris Pontificibus adhibitæ fuerunt. Joannes Diaconus aſſerit D. Gregorium Magnum litteris apoſtolicis verba illa *Servus ſervorum Dei* adhibuiſſe; veruntamen eadem verba initio tertiæ epiſtolæ S. Damaſi Papæ ad Stephanum Archiep. reperiuntur. FR. Epiſcopos etiam iiſdem verbis in epiſtolis uſos fuiſſe conſtat in inſcriptione allata in fine dict. *Infula*. De litteris circularibus vide etiam can. non oportet de conſecrat. diſt. 5. De litteris Dimiſſorialibus. Sufficit habere litteras ſolius Epiſcopi ubi Epiſcopus notus ſit; ſed in remotis Epiſcopis requiruntur quinque ſigilla. Gloſſa in can. quoniam, 22. qu. 3. Argumentum ex cap. 1. in extrav. clericis peregrin. Vide *Diploma*. De litteris formatis. Vide *Chorepiſcopus*. De litteris tractatoriis, comendatitiis, ſeu commiſſoriis. Vide l. ſi quis litteras noſtras eod. tit. Vide etiam in dict. *Chorepiſcopus*. De Titulis in litteris apponendis. Vide *Titulus*. Litteræ Piſanæ. Vide *Pandectæ*. De aliis litterarum generibus. Vide *Decretales*. *Paſchales*, *Reverendæ*. *Sdera*. *Suggeſtio*. *Syſtaticæ*.

Litteralis Sacræ Scripturæ Sensus. Vide *Anagogia*.

Litteratim, Adverbium, [ Mandato mihi, ut litteratim ſcriberem vobis: Fulbertus Carnot. Epiſt. 108. ]

Litteratura. FR. ideſt, negotiatio. Ubi enim Pſalmiſta ait [Quoniam non cognovi litteraturam, introibo ad potentias Domini, pſal. 70. Symmachus, & Genebrardus, legunt [Quoniam non cognovi numeros.] At Gelaſius Papa vertit [ Quoniam non cognovi negotiationes, can. conſequens diſt. 88. ] & in ead. diſt. Palea in §. Quoniam, ubi aliqui codices habent *Negotiatores*, quæ negotiatio a D. Paulo *Miniſtratio damnatio-*

*natio*.

*nationis* appellatur, ubi inquit [ Nam ſi miniſtratio damnationis gloria eſt; multo magis abundat miniſterium juſtitiæ in gloria, 2. Corinth. cap. 3. ] Senſus eſt comparativus, nempe, ſi negotiatio damnationis animæ, gloria eſt apud homines; multo magis glorioſa juſtitiæ, & virtutum negotiatio apud Deum: quam conſequentiam ex præmiſſis infert ſupra ab eodem adductis, ſcilicet [ Sufficientia noſtra ex Deo eſt, qui idoneos nos fecit miniſtros novi teſtamenti, non littera, ſed ſpiritu: littera enim occidit, ſpiritus autem vivificat. ] Hebræi enim & Græci per litteram ſeu litteraturam computum intelligunt aliquando; nam apud eos litteræ alphabeti pro arithmeticis figuris uſurpantur, ſic eundem Pſalmiſtæ verſum, [ Quoniam non cognovi litteraturam introibo in potentias Domini ] Chryſoſtomus legit, [ Quoniam non cognovi negotiationes. Vide can. ejiciens Dominus vendentes, diſt. 89.

LITTERATUS. FR. dicitur Clericus, ſeu Eccleſiaſticus; [ Ex parte tua fuit propoſitum, quod nonnulli litterati terræ tuæ ( habitu & tonſura clericali relictis) publice ducunt uxores. ] Et infra: [ Ut tamen conſuetis juſtitiis, & debitis obſequiis te defraudent, tonſuram reaſſumunt abjectam. In decret. de Clericis conjugatis c. 9 ] & ibi Gloſſ. [ Ex parte tua fuit propoſitum, quod nonnulli litterati, quos nec habitus, nec tonſura clericos profitentur, lib. 5. decretal. tit. 33. cap. 27.

LITURGIA, λειτουργία, hoc eſt publicum munus. Vide *Miſſa*. FR. Ideoque non ſemper ſignificat Miſſæ ſacrificium, quare in cap. 12. Concil. Sardicen. habetur [ In Eccleſia ne alienus a communione videatur, conveniat, & officia divina obeat. ] Ita in nupera edit. romana: græca tamen editio λειτουργεῖν habet: ubi Zonaras ſic notavit: [ Liturgiæ porro nomine hoc loco, non ſacrorum celebritatem, incruentique ſacrificii oblationes; ſed ſtatas preces, & hymnos, qui ſolemni more Deo concinuntur, intelligi oportet. ] Quando vero PP. græci vocabulo *Liturgia* in ſignificatione Miſſæ uſi ſunt, ſemper ut plurimum cum adjuncto *μυστικῆς*, vel *ἱερᾶς*, ideſt myſtica, aut ſacra, uſi ſunt: ſic Theodoret. in cap. 8. Epiſt. ad Hebr. inquit: [ Cur novi teſtamenti Sacerdotes myſticam Liturgiam, ſeu Sacrificium peragunt, &c. ] Et Euſebius Cæſar. [ Divinis cæremoniis & myſtica liturgia ſanctarumque precationum ſocietate perfrui, lib. de vita Conſtantini cap. 71. ] dixerat: quod etiam in can. 32. Trull. obſervatur, licet penes PP. latinos per *Liturgiam* Miſſæ Sacrificium abſolute intelligatur, ut S. Ambroſii epiſt. 33. ad Marcellam ſoror. S. Aug. ſerm. 251. de temp. Alexandr. epiſt. 1. cap. 4. Damaſus in Pontifical. Leo Papa 1. epiſt. 81. cap. 2. Ennod. de Synod. atque Concil. Milevit. cap. 12. Agathenſe, cap. 21. Roman. ſub Symmacho in fin.

* Λειτουργία. Liturgia. Omnes Divini cultus partes generaliter complectens; Licet hæc vox ſenſu latiore accepta, quodlibet officium publicum, ſeu miniſterium ſignificat; quomodo ea utitur *Paulus* apoſtolus ad Phil. II. 30. & 2. ad Cor. IX. 12. pro miniſterio Caritatis: & Scriptores Eccleſiaſtici idem faciunt, ſæpius eam applicantes ad Civiles pariter & ſacras functiones. Antiquæ vero Liturgiæ proſpectum habere cupienti adeundæ ſunt Homiliæ, & Genuina ſcripta *Chryſoſtomi*.

LITURO, caſſo, cancello [ Tunc certius te probaſſe reliqua gaudebo, ſi lituraſſe aliqua cognovero. Sidon. lib. 9. epiſt. 2. ]

LITUS. Vide *Lidus*. *Plagia*.

LIVELLUS. Vide *Libellus*.

LIVORO, percuſſionibus lividum reddo [ Me malo ordine adſalivit, vel ( *Pro*, *&* ) livoravit, Marculf. formul. c. 31. Quaſi nos nulla manente cauſa in vita adſaliſſetis, & graviter livoraſſetis. Idem lib. 1. c. 28. ]

LOBIUM, Porticus, ex *Lauben* germanico vocab. [ Solus in quodam lobio cum Epiſcopo Spirenſi & aliis duobus, ſcilicet, Camerario, & Dapifero ſuo remanſiſſet. Godefridus S. Pantaleonis Monachus ad ann. 1203. ] Vide *Porticus*.

LOCATIO, FR. cujus relativum eſt conductio [ Per ſola locationis inſtrumenta nec proprietas, nec ad plenum poſſeſſio probatur: In decretal. de fide inſtrumentor. cap. 6.

LOCELLUS, idem ac loculus, & capſa, ſeu theca. [ Ipſum corpus ſanctiſſimum ſicut in anteriore translatione ab Epiſcopis Rhemorum diœceſeos integrum inventum eſt, & brandeo rubro involutum] & poſt pauca [ Cum de ipſo ſepulcro in locello argenteo eſt tranſpoſitum. Hincmar. in Vita S. Remigii. Locellum etiam quendam, hoc eſt, capſam majorem, quæ a duobus clericis ferri ſolet. Flodoard. lib. 3. cap. 5.

LOCULATUS. Vide *Loculus*.

LOCULUS, anguſtus locus. Item pro feretro uſurpatur; [ Acceſſit, & tetigit loculum, Lucæ, c. 7. ] Item *Loculum* ubi Sanctorum corpora ponuntur Anaſtaſ. Biblioth. Item ſepulchrum; hinc Zeno Veronenſis in ſermone de Lazaro, vocat illum *Loculatum*, ideſt, ſepultum. Ac in numero plurali marſupium ſignificat, quare in Evangelio de Juda dicitur: [ Et loculos habebat. ]

LOCUM TENENS. Vide *Servator loci*.

LOCUTIONIS infructuoſæ digreſſiones. V. *Nyſſa*.

LOCUTORIUM, Monaſterii locus ad loquendum deſtinatus.

LOCUSTA. Vide *Bruchus*.

LOGARIASTES, FR. λογαριαστής, officialis in aula græca, cui incumbebat numerare milites, illiſque ſolvere ſtipendia.

LOGICO, argumentor, diſcurro. [ Ariſtotelico more logicat, Petrus Cellen. lib. 9. cap. 108. ]

LOGISTRIUM, & *Logiſta*. Vide *Logotheta*.

LOGIUM, λόγιον, rationale, quia miraculoſe futura demonſtrabat, & quaſi loquebatur, ac rationabatur, ideoque Rationale etiam dicebatur [ Vel qualiter Aron eam portat in logio. Greg. Turonen. lib. 3. cap. 1. ]

Lo-

Logographus. FR. λογογράφος, ratiocinator, calculator [ Logographi, vel Tabellarii in ff. l. 50. tit. 4. leg. 18. §. 10. ] Item orationis ſcriptor.

Logotheta, λογοθέτης, Cancellarius a Niceta interpretatur, potius vero calculatorem ſignificat, ex vi nominis, quem Symmachus *Diſcuſſorem* appellat inquiens: [ Nemo fiat diſcuſſor aliter, quam ex juſſione Principis, lib. 4. cap. de diſcuſſionib. ] Itaque duplex erat Logotheta Eccleſiaſticus, & Palatinus. FR. λογοθέτης, latine Rationalem proprie ſonat ἀπὸ τ̃ λόγε τίτιθημι, ideſt a poſitione ſeu redditione rationis; unde Rationalis appellari poſſet, quo vocabulo uſus eſt Lampridius in Maximino inquiens [Hic per ruſticanam plebem interemptus eſt, ſed cum per eos qui Rationalem in honorem Maximini defendebant &c. ] In Sicilia, & in Regno Neap. Rationalis Dignitas adhuc in maximo honore viget. Officium igitur Logothetæ a rationibus exigendis ita dicebatur. [ Logotheta præeſt diſcutiendis & conſcribendis rationibus, tam eorum quæ redduntur ab iis qui ſunt ex plebe, quam ex Principibus. Codinus Curopal. de Off. Conſtant. Palat. in 2. pentade] Licet etiam Cancellarium interpretari poſſet. [ Quod & latina voce appellatur Cancellarius, græce autem dicitur Logotheta. Nicet. in Man. Comneno, lib. 7. ] Apud Athenienſes Logiſtæ dicebantur. [ Logiſtæ vocabantur, qui referendis rationibus obnoxios ad populum ducebant. Erat autem & quidam Logiſtarum magiſtratus. Ulpian. in Orat. Demoſt. de falſis legat. ] & clarius Harpocrat. & Suidas. [ Logiſta erat magiſtratus, ita ab Athenienſibus appellatus. Sunt autem Logiſtæ decem numero viri qui rerum culpas expendentes, pœnas exigunt intra dies triginta, quando magiſtratu funguntur Principes; Logiſtria vero ſunt curiæ, ſeu prætoria Logiſtrarum. ] Logiſta idem erat ac Rationalis [ Primum enim Senatum Areopagiticum apud Rationales rationes referre jubet, eumque qui illic triſtis, ac ſeverus, rerumque maximarum dominus eſt, ſententiis veſtris ſubiicit, Æſchin. Orat. in Cteſiphontem. ] Itaque apud Græcos deinde Logothetæ, ſeu Rationales varii erant [ Rationalis ſecretorum, & judiciorum, factus inſuper & cognitor, ac judex limitis. Nicet. lib. 1. ] Vide *Cancellarius*.

Loliatus, Lolio mixtus, [ Ad Curiales redeo, apud quos in accipiendo cibo, in equitatione, in vigiliis non eſt ordo, non eſt ratio, non eſt modus. Apponitur Clerico, aut militi curiali panis non elaboratus, non fermentatus, confectus ex cerviſiæ fecibus, panis plumbeus, loliatus, & crudus. Vinum vero, aut acore, aut mucore corruptum, turbidum, unctuoſum, rancidum, piccatum, vapidum. Vidi aliquando vinum adeo fœculentum magnatibus apponi, quod non niſi clauſis oculis, & conſertis dentibus cum horrore, & rictu cribari oportebat potius, quam potari. Cerviſia quæ in curia bibitur, horrenda guſtu, abominabilis eſt aſpectu. In curia propter frequentiam populorum, animalia venduntur, indifferenter ſana & morbida, piſces etiam jam quatriduani, nec tamen aliquid de pretio putredo, aut fœtor imminuit. Petr. Bleſ. ep. 14.] Qui Auctor poterat libere ex experientia loqui, cum per multos annos Aulam regiam Angliæ frequentaſſet. Dicitur etiam *Loliaceus* in eadem ſignificatione. [ Abſurda aras, & loliaceos dimittis zizaniorum fructus in combuſtionem ignis. Antioch. hom. 48. ] Vide *Zizania*.

Lolium. Vide *Zizania*.

Lollardi. FR. hæretici, ideſt, Dei laudatores Odericus Raynaldus an. 1318. num. 44. ubi errore notatur Prateolus.

Longi Monachi. FR. dicti ſunt Dioſcorus, Ammonius, Euthymius, & Euſebius germani fratres Monachi in Ægypto, ita Georgius Epiſc. Alexandr. Vita B. Chryſoſt. apud Photium in ejus Biblioth.

Longobardus. Vide *Langus*. *Vuinili*.

Lordico, curvatim incedo, ex græco vocabulo λορδὸς, ideſt curvus, quod gallice etiam *Lourdaut* dicitur. [ Ceditur, pungitur, fuſtillatur, lordicat miſer aſellus. S. Benedic. de generib. Monachor. cap. 3. §. 2.

Lorica. Vide *Clibanum*, *Halsberga*, *Hauberticum*, *Soſania*.

Lorum. Vide *Pallium*.

* Λώταγες. Mendici circumeuntes, qui, quod mendicatione obtinent, ludendo & luxurioſe epulando conſumunt. Chryſoſt. homil. 13. in Epheſ.

Lotophagus, vox græca λωτοφάγος, eum ſignificat, qui fructum arboris λωτȣ̃ comedit, de quibus apud Homerum his alludit D. Paulinus epiſt. 37. ad Jovium, dum ait [ Quaſi illos patriæ obliteratos de baccharum ſuavitate lotophagos, & Syrenarum carmina blandimentorum docentium cantus evita. ] Aliqui putant hanc arborem eam fuiſſe quæ a Siculis *Legno Santo* appellatur.

Loxias, λοξίας, ideſt, ambiguus locutor, a verbo λοξέω, quod torquere ſignificat; ſic enim falſum Oraculum a D. Baſilio Seleuciæ Epiſcopo appellatum fuit, dum ait [ Quod oraculum, ſive ut loxias ediderit, judicio id accipientis committens lib. 10. epiſt. 4. ] de Apollinis oraculo loquitur.

Lucanica. Vide *Fendica*.

Lucar, præmium, & merces injuſta: hoc cognomine a Tertulliano appellatum fuit caput Joannis Baptiſtæ, quod ſaltatrici injuſta merces fuerat. [ Ipſe clauſula legis, & Prophetarum, nec Prophetes, ſed Angelus dictus, contumelioſa cæde truncatur in puellæ ſalticæ lucar, adverſ. Gnoſt. cap. 8.

Lucerna. Vide *Bimyxion*. *Gabbatha*. *Lucubrum*. *Myxum*.

Lucernales, pſalmi. Vide *Veſpera*.

Lucernarium, in ritu Ambroſiano ſic appellatur Reſponſorium, quod canitur ad Veſperas. Imo etiam a quibuſdam Eccleſiaſticis Scriptoribus Veſperæ recitandæ ſic appellantur. Vide *Veſpera*.

Luciada. Vide *Abſida*.

Lucianea, Sacræ Scripturæ translatio a S. Luciano Martyre expoſita, qua omnes orientales utebantur, ita ut a Græcis tanquam vulgatior haberetur, præcipue in regionibus a Bizantio, uſque ad Antiochiam, ita D. Hieron. epiſt. 107. ad Cromatium.

Luciferiani. FR. hæreticorum ſecta. [ A Lucifero Smyrnæ Epiſcopo orti, qui Epiſcopos Catholicos, qui conſtanti perſecutione perfidiæ Arianorum conſentientes erant, & poſtea correcti in Catholicam redire elegerunt, damnantes, ſive quod prius crediderant, ſive quod credidiſſe ſimulaverant, ( quos Eccleſia Catholica materno recepit ſinu, tamquam Petrum poſt fletum negationis ) hanc illi matris charitatem ſuperbe accipientes, eos recipere nolentes, ab Eccleſiæ communione receſſerunt, & cum ipſo Lucifero auctore ſuo, qui mane oriebatur, cadere meruerunt, can. Quidam autem hæretici, 24. qu. 3. [ Hic tamen textus ex Iſidoro excerptus varios errores continet; primo enim Luciferus non fuerat Smyrnenſis, ſed Caralitanus Epiſcopus; itaque pro Smyrnæ Sardiniæ ex Theodoreto lib. 3. cap. 5. reſtituendum eſt. Secundo ubi ait, inſtanti perſecutione, Poſtillator in hoc can. corrigit *Conſtantii perſecutione*. Tertio Luciferanos non fuiſſe hæreticos, ſed ſchiſmaticos, ſatis probat Baronius An. 362. num.213. & ſeq. n.219. Nihil enim de fidei dogmatibus innovaverant. Idem Baron. An. cit. nu. 220. &c.

Lucifugæ. FR. Ita ex contemptu a Rutilio Numatiano gentili appellati fuerunt Monachi, lib. 1. itinerar.

Lucro. Vide *Ambro*.

Lucubrum; lucerna, vocabulum in antiquiſſimo Gloſſario M. S. in operibus Alcuini repertum, quod apud Avenionenſe S. Andreæ Monaſterium conſervatur.

Ludus. FR. genus pœnæ, quæ duplex erat, nempe; *Ludus venatorius*, quando Reus cum feris dimicare aſtringebatur: quod a Tertulliano *Schola beſtiarum* in Apologet. c. 35. appellatur. Alius Reorum ludus *Gladiatorius* erat, quando, ſcilicet, cum gladiatoribus dimicare cogebantur. At in Cod. Theodoſ. ſimiles pœnas Chriſtianis inſtigere prohibetur, lib. 9. tit. 40. ubi ſic habetur: [ Quicunque Chriſtianus ſit, in quolibet crimine deprehenſus ludo non adjudicetur. ] Quæ ſanctio valde pia eſt; nam tales rei dimicando regulariter contriti mori nequeunt. De variis ludorum generibus. Vide *Cervula*.

Luido. Vide *Guido*.

Lugentes, qui dicebantur. Vide *Hyemantes*.

Lunchus, græcum λόγχη, ideſt, lancea. [ Incumbens, & requieſcens ſuper lunchô, quo perfoſſum eſt latus Chriſti. Tertull. de corona milit. cap. 11.

Luminositer, clare [ Inſtinctu Dei, quod celaverant, luminoſiter, & pattile proferebant. In vita S. Eulogii mart.

Luna. V. *Pandoxis*. *Panſelenos*. *Noctiluca*. *Synelites*.

Lunatim, menſtruatim. Palatinum lunatim manſionis ſervitium ageret. In vita S. Eulogii M. ] Invenitur etiam in eodem ſenſu, *Lunaliter*.

Lunula, muliebris capitis ornamentum adinſtar plenilunii formæ. Chryſoſtomus exiſtimavit, quod a Græcis μηνίσκος dicebatur. Sed D. Hieronymus lunaris formæ numiſma, quod in fœminarum fronte pendebat, exiſtimat fuiſſe, ut ad præſens numiſmatibus in capite pendentibus ornari orientales mulieres ſolent, de quo in meo itinerario ad Montem Libanum egi, deque hoc ornamento D. Cyprianus ait, [ Et crines, & cincinnos, & lunulas, & diſcriminalia &c. de diſcip. & habitu virg.

Lupanar. FR. poſtribulum, & ganeum, ubi Meretrices degunt. Aliquando pro conſeptu ferarum accipitur; nam in paſſione SS. Chryſanthi, & Dariæ habetur, [ Daria vero in lupanar compulſa, leonis tutela, dum in oratione defixa eſt, a contumelia divinitus defenſa eſt ] Vide Virginal.

Lupax, lupinus. [ Contemplatus S. Papa Martinus introeuntes teſtificari, ſubridens dixit: iſti ſunt teſtes? ſic habet ordo? Erant enim primi ingredientes nomine quidem milites; lupaces autem, & beſtiales ſententia. ] Anaſt. Biblioth. in S. Martin. Papa & mart.

Lupercalia. FR. Quando, & quare introducta, & quomodo celebrabantur. Vide Baron. an. 496. n.29. & ſeqq. Superſtitioſa feſta, uſque ad Anthemii Imperatoris tempora Romæ extabant, idem ann. 467. num. 2. a Gelaſio tamen Papa ſublata.

Lupus, dicitur Laicus. Vide *Laicus*. Luporum ſigna, quæ in proceſſionibus ferebantur. Vide *Draconarius*, *Litania*.

Lustardis. Aqua. Vide *Aqua Benedicta*.

Lustrationes Gentilium. FR. quales erant apud Gentiles. Vide Baron. an. 324. n. 26.

Lustrici dies. FR. quales erant apud Gentiles. Vide Baron. in Appar. n. 92. Ultimum luſtrum ſub Veſpaſiano fuiſſe refert idem Baron. an. 76. n. 1.

Luter, λουτήρ, vaſis genus. FR. æneum mare in templo Salomonis collocatum, de quo 3. Reg. cap. 7. quod Dionyſ. Carthuſ. 161. art. 11. ſic exponit [ Dicitur luter, quaſi lautus uter: quoniam multam in ſe continebat aquam, vel luter a luendo, prout luere uno modo deſignat abluere, quia in aqua illa abluebantur manus, pedeſque Sacerdotum, prohibita jure, non obſtante Senatorum licet Chriſtianorum reſiſtentia. Idem anno 496. n. 27. & ſeqq. Quando celebrabantur, & alia. Vide etiam hic in dict. *Hypante*.

* Lutum. Cærimonia *Ambroſio* memorata de Sacrament. lib. 3. c.2. quæ erat conſuetudo illiniendi Luto oculos ad imitationem ſervatoris cœcum ſanantis faciendo lutum ex ſputo, eoque illius illiniendo oculos. Jo.9.6. ſcopus hujus cæremoniæ auctore illo interprete eo ſpectabat, ut Catechumeni peccata ſua confiteri, ut conſcientiam ſuam recognoſcere, ut pœnitentiam agere delictorum, hoc eſt, ſortem humanæ generationis agnoſcere, conducerentur. *Auguſtinus* Tract. 44. in Joann. quoque ad hunc morem in ſermone ſuo de cœco, quem curavit ſervator, reſpicere videtur, quan-

quando Cathecumenos ante Baptiſmum inungi dicit, quemadmodum cœcus a Chriſto inunctus, & hoc ipſo fortaſſis Cathecumenus factus ſit.

Lydeneus, menſis Januarii apud Gazeos. Vide Marcellum ſcriptorem vitæ S. Porphyrii in dict. *Epiphania*.

Lyntres, naves. Vide *Chelandrum*.

Lyræ pars. Vide *Magas*.

Lyta, λύτης, ſolutor dicitur. Sicque verus Lyta noſter eſt Chriſtus Dominus, qui pro peccatis noſtris inæſtimabile ſãguinis lytrum ſolvit, & mortis vincula reſolvit. Sed Litæ a Juriſperitis olim dicti, qui juris quæſtionibus ſolvendis erant idonei. Juſtin. de concept. digeſt.

Lytrum, λύτρον, redemptionis pretium ſignificat, a verbo Græco λύω, ſolvo, libero.

# M

Macariana Tempora, dicta ſunt illa, quando Macarius Conſul a Conſtante Imperatore miſſus fuerat in Africam una cum Paulo Conſulari viro ad componendas fidei controverſias inter Catholicos & Donatiſtas. Baron. anno 348. num. 16. 19. & 20.

Macarismus, μακαρισμός, beatitudo, & beatificatio; ſic appellati ſunt ſacri hymni, quia in honorem beatitudinis Sanctorum canuntur.

Macedoniani. FR. hæretici a Macedonio Epiſcopo ſic appellati, qui tertiam perſonam SS. Trinitatis negabant, 24. quæſt. 3. can. 39. Quam a Patre, Filioque creatam fuiſſe aſſerebant, can. eos qui, 1. quæſt. 1.

Macerius, Sac. Apoſtolici Palatii officialis, qui Papam aſſociabat in equitatione: [ Quando duo ejus domicelli ſeu marcerii debent eum ducere per frænum equi. In Cæremonial. Davantriæ M. S. ] Et alibi idem: [ Servientes armorum, vel vocati Macerii habent præcedere Papam. ] Hodie *Mazzieri* vulgo dicuntur.

Machabæi, ſic dicti ſunt omnes Mathathiæ Sacerdotis filii viri fortiſſimi a Juda Machabæo, qui pro religionæ patriæ juſtum bellum geſſit adverſus Syros; nam in militari vexillo hos characteres ferebat MI. CHA. BA. J. & hæc verba deſignabant MI, CAMOCHA, BAELIM, JEHOVA? ſuntque verba cantici Moyſis, [ Quis ſimilis tui in fortibus Domine? ] poſita in Exodo c. 15. Hæc eruditio Rabbi Iſaac Benſchola a Sixto Senenſi in lib. 1. ejus Biblioth. Sanctæ allata eſt.

Machalus, granarium ſine tecto, ſive acervus manipulorum ſpicarum ex *Mangels* germanica dictione: [ Si quis ſpicarium, aut machalum cum annona incenderit. In lege ſalica tit. 20. ] Alii tamen legunt *Macholum*.

Machinor, molo, ſeu mola frango, & tero. [ Ex qua diverſę molę in genuculo machinabantur aqua. Anaſt. Biblioth. in Adriano. ] Sed in aliis Codicibus, & melius fortaſſe, *Macinabant* legitur. FR. dictio *in Genuculo* in *Janiculo* denotat; nam ibi antiquitus erant ut plurimum molendinæ, pro qua re curioſitatis lectorum gratia viſum eſt hic ex Grutero pag. 426. n. 6. apponere hujuſmodi edictum, nempe: [ Claudius Julius Ædeſius Dynamius. V. C. & Jul. Præf. Urbis. Amore Patriæ compulſi. Ne quid diligentiæ deeſſe videatur ſtudio noſtro, adjici volumus, ut omnium molendinarum fraudes amputentur, quas ſubinde Venerabili Populo, atque Univerſitati fieri percipimus, quas in Janiculo conſtitui noſtra præcepit auctoritas. Unde hoc programmate univerſitatem noſſe decrevimus. Frumenta quum ad hæc loca detulerint, conſueta fraudibus licentia poſſit amoveri, primo penſare non differant, deinde poſtquam fregerint, propter fidem integræ obſervationis adhibitis iiſdem ponderibus agnoſcant nihil ſibi abſtuliſſe licentiam fraudatorum, accipere autem ſecundum conſtitutum brevem molendinarum tam in Janiculo, quam per diverſa loca præcipimus per modium unum nũmos tres; ita quod ſi quis eorum inclita præſumptione farinam tradiderit poſtulandam, deprehenſus, ut mulctæ ſubjaceat, & fuſtuari ſupplicio ſe noverit ſubdendum &c. ] Ex quo colligitur in Janiculo fuiſſe molendinas, quæ deinde Beliſarius in tyberim tranſportari juſſerit, hac occaſione, ut Blondus Decad. 1. lib. 4. refert, inquiens: [ Gothi circa Urbem profecti aquæductus omnes interruperunt. Erant hi quatuordecim aquæductus mirabili opere effecti, per quos aqua in Urbem labebatur. Ea ex interruptione non tantum aquarum incommoda nocebant Romanis, quantum carentia piſtrinorum. Nam ex eo aquæductu, qui ex ſummo Janiculo, quæ Tranſtyberim defluebat, ut pote declivi, ac rapido, magna vis piſtrinorum conficiebatur. Ex aliis quoque aquæductibus, quibuſdam in locis eadem commoditas molendi fuerat inſtituta, qui tunc interrupti magnas obſeſſis difficultates afferebant. Adverſus hæc incommoda Beliſarius in hunc modum remedia excogitavit. Bini lembi parvo inter ſe diſtantes ſpatio tignis conjuncti, molas in medio continebant, quæ rapido fluminis curſu percite volvebantur: funes vero ab utraque ripa, quam maxime intenti, lembos in flumine ſuſtinebant. Hujuſmodi lembos ſecus pontem, qui primus trans Tyberim fert, collocavit: poſt eos lembos, alios eodem ordine poſuit. Ne vero hoſtes mittendo de ſuperiori loco materiam, & ignem officere lembis valerent: catenæ in flumine ad ipſum pontem objectæ omnem materiam excipiebant, exceptam autem homines ab utraque ripa diſpoſiti auferebant, & adverſus piſtrinorum defectum, hæc optime ſunt proviſa: lembi enim piſtrina largiſſime ſuppleverunt.

Machometes, pſeudopropheta, & ejus ſecta. Vide *Acervus Mercurii*. *Baſilidiani*. *Cerdoniani*. Item ex Manichæis ſumpſit falſum dogma prohibendi totaliter potum meri; nam illi aſſerebant vinum fellem eſſe diaboli. Vide *Hydroparaſta*. Eorum ritus. Vide *Cælicolæ*. *Hemerobaptiſtæ*. *Hoſtia*. *Nolarium*. *Oſcillum*. *Tonſura*. Falſa aſſertio, quod Machometes fuiſſet Ni-

co-

colaus Diaconus tempore Apoſtolorum, ſive Cardinalis S. R. E. & alia. Vide *Nicolaitæ*. Item alia de hac ſecta. Vide *Mahomeria*, *Meſquita*. Machometanorum æra. Vide *Hegira*.

Macræna, μακραῖνα, porticus ſive ambulacrum, ex græca dictione μακρός, ideſt [ Macrænam Lateranenſis palatii, quæ extenditur a campo ultra imagines Apoſtolorum. Anaſtaſius Bibliot. ] qui iterum habet: [ Camera ipſius Macrænæ. ] Item reperitur in eadem ſignificatione *Macrona*.

Macrim. FR. Stagira Ariſtotelis patria. [ Stagira monte, quem Macrim multi appellant. Georgius Logotheta in Chron. Conſtantinop.

Macrologia, μακρολογία, prolixus diſcurſus, ſeu locutio. Iſid. cap. 11. lib. 33.

Macto. FR. divido, ſeparo, ſeu punio, mortifico. [ Jubemus experientiæ tuæ, ut eum cum ipſa quoque adultera non differas mactare, & calvatos ab invicem ſeparare, can. de Benedicto, 32. qu. 1.

Madius. FR. Majus menſis: [ Ac etiam in Kalendis Madii, apud Torrigium de Cryptis Vatican. ſecunda impreſſ. pag. 312. ] & in Bullar. Caſin. tom. 2. conſtit. 128. & 246. in data. Hoc anno menſe Madii. Anonym. Monach. Caſinen. Chron. an. 1207. Hoc anno menſe Madio Roffredus Abbas hujus loci mortuus eſt, ibid. an. 1209. Sequente menſe Madii obiit Ludodicus inclitus Rex Siciliæ, ibid. an. 1362.

Mænidium, græcum μαινίδιον, halecula piſcis ſpecies, quem Italice *Menola* dicitur. [ Non enim magno labore fatigantur, quia nec tanta cura inter eos parandorum ciborum, vel coctionis impenditur, quippe qui maxime xerophagiis, vel homophagiis utuntur, & apud quos ſecta ſingulis menſibus porrorum folia, lapſana, ſal frictum, olivæ, piſciculi minuti ſalliti, quos illi mænidia vocant, ſumma voluptas eſt. Caſſianus lib. 4. cap. 22. ] FR. Melitenſes *Sciurraf*, & Siculi *Minnoli* hos piſces vocant: || : Error eſt quorundam, qui ibi *Menominia*, ſive *Menomia* tranſcripſere; nam vere *Mænidia* reſtitui debet.

Mafortes, & *Mafortium*. Vide *Maphorium*.

Maga. Vide *Incarminatrix*, *Pithoniſſa*, *Sortiaria*, *Stria*, *Tegularia*. Magus. Vide *Agyrta*. *Hecatontarchus*, *Medicamentarius*, *Obligator*, *Pyto*, *Tempeſtarii*.

Magas, μαγάς, pars lyræ, ubi reſonant chordæ: [ Et monochordi ſonori magade reperies notas. Petr. Diac. in vita S. Victor. Papæ.

Magi tres adorantes Chriſtum. Vide *Stacte*.

Magia μαγεία. Scimus enim magiam elicere explorandis occultis catabolicos, & paredros, & pythonicos ſpiritus. Tertull. de anima cap. 28. ] Vide *Engaſtrimythus*, *Hydromantia*, *Paredrus*, *Pythonicus*, *Pytho*, *Rapſodomantia*. Vide etiam *Maga*.

Macellum. FR. pro macello, apud Torrigium de Cryptis Vatic. pag. 487. ſecunda impreſſ.

Magiſter. Vide *Lector*. FR. titulus Magiſtri præfecturam ſignificabat; ita dicebatur *Magiſter militum*, *Magiſter Curiæ*, *Magiſter Palatii Imperialis*, *Magiſter Juſtitiarius*, & ſimilia; ſed deinde honoris gratia hic titulus *Magiſtri* conceſſus fuit doctoribus, ac tandem ironice pedagogis attributus eſt, & ſic Ludi Magiſtri hi dicti ſunt. Vide Angelum de Nuce olim Abbatem Caſinenſis Cœnobii, nunc Archiepiſcopum Roſſanenſem in ejus annotationibus Chronicæ Caſin. ad lib. 2. cap. 58. n. 1057.

Magiſter Cæremoniarum. Vide *Cæremoniarum Magiſter*.

Magiſter Græcorum, ſic ab Amalar. Fortunato cap. 21. de Ord. Antiph. vocatus fuit Origenes. [ De qua re quidam Magiſter Græcorum dicit. hom. 2. ſup. lib. Numer.

Magiſter Sac. Apoſtol. Palatii, Vide *Epiſtomonarcha*.

Magiſteria, Magiſtri dignitas, quam Hiſpani *Maeſtraſgo* dicunt. [ Sume igitur Magiſteriæ infulas dignitatis, uſurus omnibus privilegiis, quos tuos habere conſtiterit deceſſores. Caſſiod. epiſt. 12.

Magiſtratus, inſtructus, eruditus. [ Accedit ad maritum alia Heva magiſtrata conſilio ſerpentis. Victor Uticen. de perſecut. Vandalica lib. 1.

Magiſtro, inſtruo, doceo. [ Præterea jubetur omnibus Eccleſiis magiſtrare. In vita S. Adelard. Abb.

Magiſtrianus, agens Imperialis. [ Interim repurgatur locus, venit magiſtrianus epiſtolas afferens Imperatoris. Metaphraſt. in vita S. Porphyr. Epiſc. Tunc baptizati ſunt Beati Proceſſus, & Martinianus Magiſtriani Principes. In eorum Actis.

Magnidicus, magniloquus. ] Probet etiam mihi mulierem apud ſe prophetaſſe ex illis ſuis ſanctioribus feminis magnidicam. Tertull. lib. 1. adverſ. Marcion.

Magnificat. Canticum B. M. V. Vide *Canticum*.

Magnus Canon. Vide *Alipta*, *Dominica Orthodoxia*.

Magnus Domeſticus. Vide *Syncellus*.

Magnus Introitus. Vide *Deputatus*.

Magog. FR. Nonnulli Sacræ Scripturæ Expoſitores valde hæſitant, quid per hoc vocabulum ibi ſignificetur. Sed ſciendum eſt, quod in Sac. Pagina dupliciter intelligitur; primo, nempe, in Geneſi pro uno ex filiis Japheth. Filii Japheth Gomer, Magog &c. Geneſ. cap. 40. ] ſic etiam in 1. Paralip. cap. 1. Secundo loco intelligitur Regio ab hoc Japheth filio primo inhabitata, a quo nomen ſumpſit. [ Immittam ignem in Magog. Ezech. 39. ] De eadem fit mentio in Apocalyp. cap. 20. & Scythia intelligitur Joſepho Hebr. teſte, qui ſic inquit: [ Magog vero Magogas a ſe nominatos inſtituit: iſti a Græcis Scythæ ſunt appellati, lib. 1. Antiq. cap. 11.

Magonale, & *Magonellus*. Vide *Manganum*.

Magus. Vide *Elymas*. Synonyma. Vide *Maga*.

Mahometus. Vide *Machometes*.

Mahomeria. Templum Turcharum, quod *Moſchea*, & *Meſchita* vulgo dicitur. [ Legatus de maxima Mahomeria Civitatis fecit Eccleſiam. Matth. Pariſ. in hiſt. ] Vide *Meſquita*.

Major Domus. Vide *Dominiadius*, *Syncellus*, *Vicedominus*.

Major S. Maria. Vide *Maria Virgo*.

Majorenses, Sacri Palatii Apoſtolici prætoriani equites, qui a Cencio Camerario *Stimulati* dicuntur, ideſt, calcaribus muniti; eos exiſtimo eſſe, quos nunc *Lancie ſpezzate* Italice appellantur. FR. vel eos fuiſſe crediderim, qui Equites aurati, & Italice *Cavalieri dello Speron d' oro* nuncupantur, quos Papa decorare ſolet.

Majoriſſa, Abbatiſſa, [ Septem, & dimidium a Teſcia Majoriſſa. In quadam Bulla Eugenii Papæ,] in qua aliqui mendoſe tranſcripſere *Dividuum* pro *Dimidium*.

Majuma, feſtum, græce Μαϊȣμᾶς, a Majo menſe, ideo quod in ejus Kalendis celebrabatur, quod permiſſum fuit ab Imp. Arcadio, & Honorio, dummodo honeſte celebraretur. [ Clementiæ noſtræ placuit, ut Majumæ provincialibus lætitia reddatur; ita tamen, ut ſerventur honeſtas, & verecundia caſtis moribus perſeveret. Cod. Theodoſ. lib. 15. tit. 6. ] Quod poſt quadriennium, propter inhoneſtatis abuſum, denuo ab eis prohibitum fuit: [ Ludricas artes concedimus agitari, ne ex nimia harum reſtrictione triſtitia generetur. Illud vero, quod ſibi nomen procax licentia vindicavit, Majumam, fœdum, atque indecorum ſpectaculum denegamus. Idem Cod. Theodoſ. ibid. ] & tandem damnatum fuit a Synodo in Trull. can. 62. de qua inhoneſta celebratione. Vide Baron. an. 399. n. 27. 28. & 29. FR. in honorem Caſtorum celebrationem hanc fuiſſe inſtitutam putat Lipſius in lib. 11. Annal. Taciti. Sed feſtum Caſtorum in menſe Julii celebrabatur teſte Dionyſio Halicarnaſſeo, qui lib. 6. ſic ait: [ Romæ multa extant monumenta, cum ipſa ædes Caſtoris, & Pollucis, quam in foro Pop. Rom. ædificavit in eo ipſo loco, ubi viſæ fuerunt illorum imagines &c. tum etiam magnifica ſacrificia, quæ quotannis Pop. Rom. per primarios equeſtris ordinis viros Idibus Quintilibus peragit, quo die bellum hoc feliciter eſt confectum. ] Quintilis enim menſis quintus eſt poſt Martium, qui apud Rom. primus erat. Ovid. Faſt. 1. & 3. Vide hic in dict. *Martius* Quintilis menſis Julius dictus fuerat. Cic. epiſt. ad Atticum lib. 14. Svetonius in Cæſare, & Macrob. Satur. lib. 12. Feſta autem, quæ in menſe Majo fiebant, erant in honorem Majæ Mercurii Matris, vel Majorum. Ovid. Faſt. 5. ſive *Argeorum feſta*, de quibus Dionyſ. Halicarn. lib. 1. c. 4.

Majuſculus, canonicalis dignitas in Cathedrali Eccleſia Januenſi, quæ cantoris dignitati aliarum Eccleſiarum correſpondet; nam curam habet de chori cantu, ut de Cantore dictum eſt in dict. *Cantor*.

Malachinus, monetæ ſpecies, quæ ſeptem ſolidos continebat: Davantria in ejus m. s. Cæremoniali. Ab aliis tamen *Melechinus* dicitur, quæ ſecundum etymologiam Arabicam *Melchi* duo ſignificat, ideſt, Græcus, & Regius; fortaſſe regia dicebatur hæc moneta; ſicut Hiſpani eorum moneta *Real* appellant.

Malagma, *atis*. FR. græca dictio μάλαγμα, & ſignificat emollitivum fomentum. [ Etenim neque herba, neque malagma ſanavit eos. Sapien. cap. 16.

Maldrum, menſuræ genus, [ Portarius centum libras ſuas recipiens, non ex eis vineas, vel agros; ſed totidem maldra ſiliginis apud Confluentiam comparavit, quibus ſatis ſufficienter uſque ad meſſem pauperes ſuſtentavit. Cæſar. lib. 4. cap. 66. ] ex germanico *Malder*, ideſt, modium.

Maledictio Pessima, de qua 3. Regum, c. 2. quæ ab Hebræis *Nimerezeret* dicitur; quinque enim verba contumelioſa continebat, quibus ab arrogante Seme improperatus eſt David. [ Qui maledixit mihi maledictione peſſima. Ibidem. ] Nam prima lietera Nun-*Noef* deſignat, ideſt, Adulterum; ſecunda Mem, *Moabitam* ſonat; tertia Reſc, *Raſa* denotat, nempe Impium; Quarta Zain, *Zara* ſignificat, ſcilicet, Leproſum. Quinta Tau, *Teoba* exponit, ideſt, Abominatum. Utrum, & quando maledicere liceat. Vide *Subtilitas*.

Maledictum. FR. pro maledicendo, can. oportet, 2c. quæſt. 2. ibi Gloſſa.

Maliloquus, maledicus, detractor. Apud S. Maximum hom. 1. de jejunio.

Malinca, & *Malina*. Vide *Ledo*.

Mallare. FR. trahere, compellere in judicium, l. ſi quis aliquem, de præjudiciariis actionibus, & ibi Gloſſa. Vide *Admallum*, *Mallum*.

Mallenses. Vide *Admallo*.

Mallones, vellus, coma, ex græco μαλλὸς, ideſt, lana, coma, offerebantur in ſignum ſubjectionis paternæ, Vide Baron. an. 684. n. 7.

Mallota, μαλλωτὴ, lanea veſtis, quam Arabes *Malluta* vocant, ex græco vocabulo μαλλὸς, ideſt, lana.

Mallum. FR. Judicium, tribunal. [ Si quis ad mallum legibus monitus fuerit, & non venerit, ſi eum ſunnis non detinuerit, XV. ſolid. culp. judicetur, in Capit. Caroli Magni, lib. 3. cap. 45.

Mallum Publicum. FR. locus eo tempore ad judicium deputatus, l. ſi quis cum altero, de teſtibus, & l. ibi juramenta, qualiter quis ſe defendere debeat. Unde *Ad mallum venire*, ideſt, ad judicium venire ſignificat, l. ut nullus, de armis ad placitum non portandis.

Malus, abſolute Dœmon intelligitur. Vide *Dœmon*.

Mamburgium, *Mandiburdium*, *Mandeburdum*, ut *Mandiburnium*, patrocinium, cura. [ Omnibus, ut monuiſtis, legem, juſtitiam, & rectum marburgium auxiliante Deo conſervate. Guliel. Paradin. lib. 1. Annal. Burgundior. Unus aureus perſolvatur Romæ quotannis, ut Cœnobium ſub Romanæ Eccleſiæ mandiburdio, & majeſtate ſecurum ſemper ſtabiliatur, & defendatur. Trithem. pag. 88. Providendum eſt regiæ majeſtati, ut monaſteria, quæ ab hominibus Deum timentibus in ſua proprietate conſtructa prædeceſſores illius cauſa defenſionis, & mandeburdi ſuſceperunt, ut libera libertate, ſpe remota, hæreditaria de illorum propinquitate ibidem religio obſervetur. Synod. Melden. cap. 41. ] Item reperitur *Mandeburdes*, ideſt, pro-

protectio : [ Volumus , ut Eccleſiæ , & cauſæ Dei , & Epiſcopi , Dei homines Clerici, & Monachi, & Nonnæ talem mandeburdem , & honorem habeant , ſicut tempore Anteceſſorum noſtrorum habuerunt . In Synod. Confluentiæ , ubi acta eſt pax inter Carolum , & Federicum Reges . ] Item reperitur *Mamburno* verbum , quod patrocinare ſignificat . [ Qui quaſi pueros mamburnire videbatur. In vita B.Ivettæ.] Item *Mamburgius* , *Mamburnus* , & *Mandiburnus* pro Patrocinatore , Advocato , ſeu Defenſore ; quæ omnia hæc vocabula ex theutonicis dictionibus videntur compoſita , nempe , *Mundt* , ideſt , os , & *Bahr* , ſcilicet , promptus ; nam promptum os ad loquendum pro clientum defenſione habere debent Advocati , & Patrocinatores. FR. in Bullar. Caſinen. ſcribitur *Mundiburdium* , & *Mundburdum* , quod privilegium, defenſionem , & protectionem regiam , ſeu imperialem denotat : [ Si quis vero hoc noſtrum mundburdum violare temptaverit &c. Bullar. Caſin. tom. 2. conſtit. 62. ] Idem vocabulum habetur Conſtit. 38. 48. 63. 84. 89. 90. 96. 120. & paſſim ibidem tom. 2.

Mammona , vox Syriaca *Mammon* ; ideſt , divitiæ , ſeu Divitiarum Deus, alii Dominum perverſum interpretantur . [ Non poteſtis Deo ſervire , & Mammonæ . Matth. 6. ] Alii vero etymon trahunt ex verbo *Iana* hebraico , quod vim inferre ſignificat ; nam dives res alienas ſibi violenter appropriare ſolet . Sed Hieron. epiſt. 15. inquit. [ Mammona autem non Hebræorum, ſed Syrorum lingua , divitiæ nuncupantur , quod de iniquitate collectæ ſunt : ] & Auguſtinus lib. 2. de ſerm. Dom. in Monte cap. 14. ait : [ Congruit & punicum nomen; nam lucrum punice Mammona dicitur.] Alii tandem hoc nomen ſuperiorem cujuslibet rei ſignificare docent , juxta hebraicam dictionem *Mamon*; ſic Kabaliſtæ hebræi quatuor Angelos, qui quatuor mundi plagis præſident , Mammonas appellant . Sed re vera *Mammonam* divitias tam licite , quam illicite acquiſitas ſignificare puto , ex eo quia de male acquiſitis divitiis loquens Chriſtus , ſubjungendo ait : [ De mammona iniquitatis . ] FR. Gloſſa tamen , in can. ſic non ſunt , 32. q. 4. Mammonam iniquitatis pecuniam per ſollicitudinem acquiſitam , ſeu iniquitatis , ideſt , inæqualitatis exponit .

Mammotreptus , græce μαμμότρεπτος, mammis diutius nutritus , ideſt , infans . [ Si attendis adhuc hominem , & eum quæris imitari, & ex illo pendere , & adhuc lacte vis nutriri , & fies mammotreptus, quales ſane dicuntur pueri , qui diu ſugunt , quod non decet D. Aug. in Pſalm.30.] Romæ *Mammucciato* dicunt .

Mamzer . Vide *Manzer* .

Mana , græce μάνα, ideſt , mater . [ In ſtuporem verſæ mulieres mana , mana clamabant . Luitprandus in legatione .

Manapiatus . FR. Hypothecatus, l. ſi quis comparaverit , de præſumpt.

Mancipare Effectui , exequi , phraſis Gregoriana , Cuncta quæ in hujus præcepti pagina continentur , effectui mancipare feſtina . D. Greg. in Regiſt. lib. 1. cap. 71.

Mancipes . Vide *Mancipium* .

Mancipiolum Ecclesiæ . FR. hoc eſt parvæ poſſeſſiones : can. caſellas , vel manciploia 10. qu. 2. & can. ſi Epiſcopus , qu. 3.

Mancipium, furnus. [ Et animal portans ſiligines a mancipio . In vita S. Jo. Eleemoſ. cap. 21. ] Quare *Mancipes* dicuntur Piſtores , ſeu furnorum, & macellorum univerſitatis conductores . [ Erat ab initio in Urbe Roma domus ingenti magnitudine fabricata , in qua panis fiebat , horum mancipes tempore procedente piſtrina publica latrocinia eſſe fecerunt . Paul. Diac. lib. 13. Hiſt. ] Quare corrigendus eſt textus in l. unica , Cod. de piſtoribus lib. 11. ubi perperam dictio *Mancipiis* pro mancipibus habetur , quod etiam Briſſonius notavit . FR. *Mancipium* ſervum proprie ſignificat , qui a domino ſuo pro ejus anima Deo , & Sanctis ejus in Eccleſiæ ſervitium oblatus eſt , cap. 3. & 4. lib. 3. decretal. tit. 19. de rerum permutatione, & can. ſi quis de ſervis , & ſeqq. 12. qu. 2. Item dicitur de ſubditis [ Eadem ſcilicet ratione præcipimus, ut Eccleſia , quæ uſque ad decem habuerit mancipia, ſuper ſe habeat Sacerdotem quæ vero minus , aliis conjungantur , can. unico , 10. qu. 3.

Mandatum . Vide *Dogma*. FR. dicitur etiam pedum lotio , quæ fit in feria quinta Cœnæ Domini . [ Ablutioni , & mandato intereſſe tenetur Succentor Eccleſiæ noſtræ . Hugo Pariſien. Decanus . [ Dicitur ita , quia Chriſtus quemadmodum fecerat , ita a ſuis fidelibus fieri mandavit .

Mandatarius . FR. commiſſarius, & pro homicida, cui cædes commiſſa eſt , etiam accipitur . [ Is qui mandat, aliquem verberari ( licet expreſſe inhibeat , ne occidatur ullatenus , vel membro aliquo mutiletur) irregularis efficitur , ſi mandatarius fines mandati excedens mutilet , vel occidat cap. 3. de homicid. in ſexto .

Mandeburdium , *Mandeburdum* , *Mandeburdes*, *Mandiburdium* , & *Mandeburdus* . V. *Mamburgium* .

Mando , haud jubeo , ſed mitto ſignificat , quod Italice etiam *Mandare* , ideſt , mittere dicitur . [ Inſtructam huc debetis mandare perſonam , ut cauſæ qualitas trutinata ſine veſtra poſſit invidia terminari. D. Greg. in Regiſt. lib. 4. cap. 61.

Mandra , μάνδρα , ſpelunca , cubile , caula . Hinc metaphorice pro monaſterio dicitur . [ Divinus Daniel veniens ex mandra Simeonis. Theodor. Anagnoſta Ecloga 1. ] In eadem ſignificatione hoc vocabulo uſus eſt Aldhelmus de S.Babyla agens in tract. de Virgin. c.7. inquiens : [ Mandras Eccleſiæ adverſus truculentam tyrannorum rabiem ſolertia paſtorali tuebatur. ] Ideo Archimandrita ſuperior Monaſterii, & Monachus *Mandrita* dictus eſt , ut ſuis locis notatur .

Mandragerontes, græcum vocabulum μανδραγέροντες, ſtabularii in aula Conſtantinop. [ Haud quaquam hæc veſtis fieri poteſt , cum penes nos obolariæ mulieres . & mandragerontes his utantur . Luitp. in legatione .]

FR. hic tamen ſenſum eſſe puto de mulieribus, quæ inhoneſtum quæſtum exercent, dum ibi dicitur *Obolariæ mulieres*: Turcæ enim qui multis Græcis, ac Arabicis vocabulis utuntur, Meretricem ex græco *Mandra*, & arabico *Kabbe* vocant.

Mandragora, μανδραγόρα. Eſt herba valde ſoporifera quæ (ut aliqui putant) juxta mandras, ſeu circa ſpeluncas provenit. Ejus radix eſt figura humana efformata, & quidem maſculina, aut fœminina: & inde a plerisque vocatur ἀνθρωπόμορφος; Nam ἄνθρωπος, eſt homo, & μορφὴ, figura, forma. Hinc Iſidorus lib. 17. Orig. cap. 9. ait: *Mandragora dicta, quod habeat mala ſuaveolentia. Hanc Poetæ anthropomorphon appellant, quod habeat radicem formam hominis ſimulantem.*

Mandrita, Monachus. V. *Archimandrita*, *Mandra*.

Mandyas, græcum vocabulum μανδύη, ſive μανδύον mantum, ſeu cappam græcorum Epiſcoporum ſignificat, quæ eſt aperta ex parte anteriori, atque talaris, & circa collum criſpata nigri coloris, ſericis raſis rubris, albiſque virgata ad inſtar fluminum ſerpentum, quæ prædicationem ſignificant, juxta illud Chriſti effatum [ Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. ] Colores autem rubeſcens, & albeſcens ſanguinem, & aquam de latere Chriſti in Cruce emanatos deſignant. Gregoras lib. 6. cap. 1. Habet ulterius ad quatuor latera hæc cappa totidem fruſta quadrata colorum diverſorum applicata, quæ quatuor Evangeliorum librum denotant. Papa matutinum ſolemniter celebraturus, & in aliis peculiaribus functionibus ſolet uti manto aperto, quod a Cencio Camerario *Mantum rubrum* appellatur. Mantum Imperiale a Valentino Imperatore Joanni Archiepiſcopo Ravennæ, & ſucceſſoribus ejus conceſſum fuiſſe teſtatur Ughellius tom. 2. Ital. Sac. in tract. de Ravennæ Epiſcopatu. Vide *Sticharium*.

Maneries, modus, ab Italis *Maniera* dicitur. [ Maneries locutionis. D. Bernard. epiſt. 39.

Manerium, manſio, ſeu habitatio ruralis [ Civitates, Villas, Caſtra, & Maneria, quæ ad dotalitium præfatæ Reginæ ſpectare noſcuntur. Innocent. III. epiſt. 5. lib. 3. ] Reperitur etiam *Maneria* fœminini generis in eodem ſignificatu. FR. [ Quod cum ipſi quoddam manerium cum pertinentiis ſuis &c. lib. 5. decretal. tit. 3. cap. 15.

Manganum, græca vox μάγγανον, qua utitur Paulus Diacon. lib. 21. bellicam machinam ſignificat, qua violenter ſaxa aliæque materiæ jaculabantur. Sed diverſimode hoc vocabulum corrupte apud ſcriptores invenitur, nempe, *Manga*, *Mangum*, *Manganetum*, *Mangonale*, *Magonellas*, *Mangatella*, *Magonale*, *Magonellus*, *Monango*, *Monangon*, *Marga*, *Manga*, & ſimilia.

Mango, vagivagus, erraticus, vulgivagus. [ Item iſti mangones, & cogciones, qui ſine omni lege vagabundi vadunt, per iſtam terram non ſinantur vagari. In conſtitutionibus Caroli Magni lib. 1. cap. 79. ] ex germanico vocabulo *Mangon*. FR. Inter Siculos adhuc extat memoria cujuſdam famoſiſſimi latronis, qui Benedictus Mangon dicebatur. De Cogcionibus. Vide *Coccio*.

Mania, μανία, furor; unde *Maniaticus*, furibundus. [ Eum viderunt uſque ad oſtium ſynodi venientem, & inde ut maniaticum redeuntem. Flodoard. lib. 3. hiſt. Rhemenſ. cap. 13. ] Vide *Manichæus*. Hinc Itali *Smania*, & *Smaniare* in eadem ſignificatione dicunt.

Manicæ. Vide *Chirotheca*, *Vvanto*. FR. ſignificant etiam ferreas armillas, quibus rei vinciuntur. [ Ad alligandos Reges in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Pſal. 149. Vincti manicis pergent. Iſai. cap. 45. Tute cuſtodire, ac mancipare, ponendo etiam in compedibus, vel manicis ferreis. Clement. de Hæreticis cap. 1. ] De quibus manicis ſæpe Acta Sanctorum Martyrum mentionem faciunt. Vide *Columbar.* Item ſignificant ſemimanicas. Synonyma. Vide *Brachialia*, *Epimanicion*.

Manichæus, hæreſiarcha natione Perſa, a quo Manichæorum ſecta pullulavit, at revera *Manes* appellabatur, quod in eo idiomate adunationem ſignificabit, ad denotandum ejus præſumptam doctrinam, qua ſibi populos adunabat, & a veritate Catholica ſeducebat; ſed eum Græci aliter per hoc nomen intelligebant, nempe Furentem; μανία, ſiquidem furorem ſignificat, ut ſupra in dict. *Mania* explicatum fuit; hinc ejus ſequaces nomen Manichæi mutarunt, ideſt, Mani-chæus, quod ſonat *Mane*, nempe, congregationis, & *Chæum*, ideſt, defenſorem FR. De his hæreticis, deque eorum Auctoribus. Vide Baron. an. 170. n. 12. an. 277. n. 2. 3. De variis eorum nominibus. Ibid. num. 10. 17. & 42. Atque de illorum vitiis, ac falſis dogmatibus. Ibid. num. 28. 29 Quibuſque artibus propagati fuerint. Ibidem num. 43. 44. Inſuper præter alias hæreticas opiniones aſſerebant duas univerſales naturas; unam, ſcilicet, bonam, aliamque malam, & quod anima a Deo proveniebat tanquam a fonte; negabant vetus teſtamentum, & novum in partem admittebant, 24. qu. 3. can. 39. & quia dicebant Chriſtum eſſe phantaſma, male intelligendo errorem Diſcipulorum Chriſti, quando putaverunt illum eſſe phantaſma. Matth. 14. & Marc. 6. ideo *Phantaſmatici* a Prudentio in Apoth. Poem. 6. appellati ſunt Manichæi, negantes verum corpus Chriſtum habuiſſe, contra quos ſic cecinit.

Eſt operæ pretium nebuloſi dogmatis umbram
Prodere, quàm tenues atomi compage munita
Inſtituunt; ſed caſſa cadit, ventoque liqueſcit
Aſſimilis, fluxu nec ſe ſuſtentat inani.
Aereum Manichæus ait ſine corpore vero
Protuliſſe Deum, mendax phantaſma, cavamque
Corporis effigiem, nil contractabile habentem.

Vide *Acuanitæ*, *Bema*.

Manico, de mane accedere. [ Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum, Lucæ cap. 21. num. 38. ] Apud Petrum Chryſologum mendoſe

*Man-*

*Mannicare* habetur, ubi inquit: [ Quia tunc ſol, ut mane faceret, mannicavit, & qui ante noctem fugerat, nunc noctem prævenit fugaturus, ut reddat luci nox horas, quas terror Dominicæ Paſſionis invaſerat, ſerm. 82.] FR. Porro erravit recentior Calepini Amanuenſis in dict. *Manicare*, inquiens: [ Manicare per manum tenere. Item frequenter manere: ] at ſe ipſum redarguit, dum immediate ſequitur, dicens: [ Sol manicat, radios emittere incipit: ] Melius ergo ipſemet Calepinus in verbo *Manico* ſcripſerat.

Manifestatio. Vide *Oſtentamen*. *Phaneroſis*.

Manifestativa. Vide *Emphanaſtica*.

Manio. Vide *Mannio*.

Manipulus, ſacrum indumentum Subdiaconi. Antiquitus erat linteum, ſeu ſudariolum, ad extergendum ſudorem, vel lacrymas, & Subdiaconus illum ferebat præcipue ad polienda ſacra vaſa; quare diverſa nomina ſortitus fuerat, nempe *Aer*, *Brachiale*, *Brandeum*, *Cincticulum ſacerdotale*, *Epimanicion*, *Facialis*, *Fanon*, *Linteum*, *Manica*, *Mantile*, *Orarium*, *Sudarium*, quæ omnia Vide ſuis locis. Alludit ad funem, qua Chriſtus in paſſione ligatus fuit, & moraliter deinde pœnitentiam, & fletum, ut ex oratione, [ Merear Domine portare manipulum fletus & doloris: ] liquet. Indui debet ita ut non excurrat brachii cubitum. Græci, & Maronitæ duos manipulos, unum, ſcilicet, pro unoquoque brachio geſtant. Epiſcopo manipulus imponitur celebranti, facta jam oris confeſſione ſuorum peccatorum: [ Deinde Subdiaconus ponit manipulum in ſiniſtro brachio Pontificis ſuper planetam. Ord. Rom. ] Dicitur, *Super planetam*, quia in illis temporibus ea erat forma, quæ nunc Græcorum, ampla, ſcilicet, ut in dict. *Caſula* dictum eſt, ita ut tegeret brachia. Diaconus, & Subdiaconus in veſtiendo ſacris paramentis Epiſcopum, dum illi comminiſtrant, non debent habere manipulum in eorum brachiis: ſed poſtquam ille jam indutus fuerit. Cæremon. Epiſc. lib. 1. cap. 9. Et hoc fit, ut expeditiores ſint in adminiſtrando, atque in hoc etiam moralem ſignificatum affert Durandus lib. 3. cap. 7. nempe: [ Quod in tali obſequio non debent fructum quærere temporalem. ] Imo in ſæculo Davantriæ Diaconus non ſumebat manipulum, niſi quando cantaturus erat Evangelium, ut in ejus m.s. Cærem. aſtruit. Manipulus numquam in proceſſionibus ferri debet, nec ad Veſperas, quamvis pluviali indutus ſit celebrans: ratio eſt, quia extra ſacrificium lacrymæ, ac ſudor abſtergi poſſunt ordinario ſudariolo. Contraveniunt Rubricis, qui in proceſſione feſtivitatis Corporis Chriſti manipulum portant.

Manitia, in plurali, chirothecæ. [ Manitia, quæ nos peregrina lingua Vantos vocamus. In vita B. Philiberti. Vide *Chirotecheca*, *Guanto*, *Vuanto*

Manna. Vide *Eſcatilis pluvia*, *Panificus imber*.

Mannio, & *Manio*. FR. moneo, cito, denuncio in judicium, l. ſi quis ad mallum, de his, qui ad placitum venire coguntur, & l. ſi quis de ſtatu. eod. tit.

*Hierolexicon Macri*.

Mannina, citatio, denunciatio: [ Comites, ut Vicarii, vel etiam Decani plurima, & ii ibi non venerint, compoſitionem ejus exſolvere faciunt, & quia prius per manninas veniebant, excogitaverunt quidam, ut per bannos venirent ad placita, quaſi propterea melius eſſet, ne ipſas manninas alterutrum ſolverent. Hincmar. epiſt. 4. c. 15.

Mannitio, & *Manitio*. FR. monitio, ſeu monitorium, citatio, denunciatio, l. ſi quis ad mallum. De his, qui ad placitum venire coguntur.

Mannitus. FR. monitus, citatus, denunciatus, l. ſi quis ad mallum. De his qui ad placitum venire coguntur: || [ Anſgarius regia poteſtate ipſas obtinuit, non advocato meo ad mallum, ut publicæ ſe habent leges, pro rebus ipſis mannito. Hincmar. Laudunen. ad Rhemenſ.

Manocossis, manu cuſſus, veluti numiſmata & ſimilia. [ Obtulit crucem de auro unam, habentem in medio manocoſſim. Anaſtaſ. Biblioth. in Leone IV. ] & alibi idem *Mancoſſum* ſcripſerat: [ In auro ſolidos mancoſſos numero ducentos. In Adriano ] ideſt, moneta, quæ etiam denominabatur *Mancuſus*, & *Manucuſa*, quæ Marca aliter dicitur. Vide *Marca*.

Mancusus, & *Manucuſa*. Vide *Manocoſſis*.

Manopero, manuale opus. [ De manopera in ſcuria battere nolunt, & tamen non denegant, quia manoperam debent. In Conſtit. Caroli Calvi cap. 29.] Quid *Scuria* ſignificet. Vide ſuo loco.

Mansellum, manſiuncula. [ Excepta ſellula manſelli ipſius cappellæ. Hincmar. Rhemenſ. epiſt. 1.

Mansionale. Vide *Manſus*.

Mansionarius, reſidens in Eccleſiæ cuſtodia. [ Vade ad Abundium manſionarium, & roga illum. D. Gregor. lib. 3. Dialog. cap. 25. ] Erat idem ac Sacriſta: [ Manſionarius dictus eſt cuſtos, & conſervator ædium Eccleſiaſticarum, templorum: & altarium; item familiaris, & domeſticus a manſione. Panvin. de interpretat. voc. obſcur. eccl. ] cujus ſynonyma. Vide in dict. *Sacriſta*. In curia autem regia, ſeu Imperiali *Manſionarius* erat Præcurſor, ſive Prodromus, qui *Foriero* Italice dicitur. [ Inter quos etiam & manſionarius intereat, ſuper cujus miniſterium incumbebat; ſicut & nomen ejus indicat, ut in hoc maxime ſollicitudo ejus intenta eſſet, ut tam ſupradicti actores, quam & ſuſceptores, quo tempore ad eos illo, vel illo in loco Rex venturus eſſet, propter manſionum præparationem, ut opportuno tempore præſcire potuiſſent. Hincmar. epiſt. 3.

Mansionaticum. FR. hoſpitatio, & albergatio Regis, vel militum. Sigon. de Regno Ital. lib. 7. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſt. 40. 41. & 155.

Mansuarius. Vide *Manſus*.

Mansuetudo. Vide *Mititas*, *Philochriſtia*.

Mansur, Arabica dictio, ideſt, adjutus, auxiliatus, quo titulo. D. Jo. Damaſcenus appellatus eſt, ex eo quia auxilio Beatæ Mariæ Virginis, in priſtinum conjuncta ei fuit manus, quæ ab Iconomachis detruncata

ſuerat: longe itaque Bzovius æquivocavit, qui opera medica a Joanne Meſue compoſita Damaſceno Joanni attribuit in lib. de medit. Sanctorum: confundendo, ſcilicet, cognomentum *Manſur* cum cognomine *Meſue*.

Mansura. FR. pro menſura, l. de manſuris, eod. tit.

Mansurna Dea. Vide *Domiducus*.

Mansum. Vide *Manſus*.

Mansus, poſſeſſiuncula, terræ clauſura. [ Item manſos aliquos emit pluſquam quatuor. Flodoard. lib. 2. c. 10. ] FR. Manſum dici puto, ideſt, comeſtibile, ex Mandeo ſupino, quod *Manſus* facit; ideo hoc nomen ſubſtantivum, & ſecundum Grammaticos eſt quartæ declinationis, ideſt, *Manſus*, *manſus*, *manſui*, vel *Manſum*, *manſi*, ſecundæ. [ Secundum canonicam auctoritatem, & conſtitutionem Domini Imperatoris Ludovici de eccleſiaſtico agro,& de manſo, & de mancipiis, quæ ipſe ſuis capitulis conſtituit &c. 23. qu. 8. can. 23. ] Ubi Gloſſa facit differentiam inter agrum, & manſum. [ Oportet primum vos tam de invaſis Civitatibus, & Monaſteriis, & manſis, quam de reliquis generaliter rebus redinveſtiri faciatis, 3. q. 2. c. 3. Sancitum eſt, ut unicuique Eccleſiæ unus manſus liber abſque ullo ſervitio attribuatur, can. ſancitum, 23. q. 8. Sancitum eſt, ut unicuique Eccleſiæ unus manſus integer abſque ullo ſervitio tribuatur, lib. 3. Decretal. tit. 39. c. 1. ] & Gloſſator inquit, quod: [ Manſum vocat hic agrum, unde percipitur frumentum, & vinum ad Euchariſtiam faciendam: de tali nunquam præſtatur tributum, Cod. de Sacroſancta Eccleſia: licet manſus dicatur vulgari Italicorum quantitas terræ, quæ ſufficit duobus bobus in anno ad laborandum. Ibid. Fridegiſo Abbati trado manſum noſtrum &c. ] Hic in dict. *Condita* [ :||: Dicitur etiam *Manſum* [ Dedit S. Benigno ſeptem manſa cum ſylva ibi adjacente. In chron. S. Benigni, ann. 1007. ] Unde *Manſionale* dicitur habitaculum coloni, ſeu procuratoris agrorum. [ Manſionale conabatur auferre. Flodoard. lib. 3. hiſt. Rhemenſ. c. 26. ] Atque *Manſellum* manſi diminutivum. Vide ſupra. Item *Manſuarius* operarius in manſo. Dicitur etiam *Maſſa* pro manſo. [ Qui miſit ſuggeſtionem Sereniſſimo Conſtantino Principi, qui miſſum, & Reſponſalem Apoſtolicæ Sedis ad Sedem abſolvit Apoſtolicam & juxta quod Beatiſſimus Pontifex poſtulaverat, donationem in ſcriptis de duabus maſſis, quas Nymphas, & Formias appellant, juris exiſtentes publici, eidem Sanctiſſimo Papæ jure perpetuo direxit poſſidendas. Anaſt. Biblioth. in Zacharia. ] Vide *Submanſor*.

Mantum. Vide *Cappa*, *Crocea*, *Mandyas*.

Manuale Beneficium. Vide *Diſtributio Canonicalis*.

Manualis, ſtrophium, ſudarium. Et quo precis ſuæ fidem faceret, manualem, quo oculos fuerat ligatus, in partes duas diſcidit. In paſſione S. Montani. ] Vide *Manuariolum*. In alio ſenſu. Vide *Enchiridion*.

Manuariolum, ſtrophiolum, ſudariolum. [ Et in æſtate habeant ſingula manuariola linea propter ſudores. In Reg. Magiſt. §. 27. ] licet ibi corrupte habeatur *Mannariora*. Vide *Manualis*.

Manus. FR. pro numero diſtributivo. [ Quatuordecim manus, lib. 5. Decretal. tit. 34. cap. 10. ] Et ibi Gloſſa. Item *Manus* arcum triumphalem ſignificat: Nam ubi Vulgata habet, [ Erexit ſibi fornicem triumphalem, 1. Reg. cap. 15. ] de eo, nempe, loquitur, quem Rex Saul erexerat poſt victos Amalecitas: in textu hebræo legitur *Iad*, LXX. autem χεῖρα, verterunt, quæ voces in utraque lingua manum ſignificant. Solebant enim ſupra triumphalem fornicem manus figuram ponere in ſignum, quod ſtrenua manu ſuperati ſint hoſtes atque hos arcus ex variis frondibus ſolebant Hebræi conſtruere. Hieronym. in traditionibus hebraicis. Vide etiam quæ diximus in dict. *Bahem*. Inſuper Expoſitores intelligunt, loqui de fornicibus triumphalibus, ubi Salomon dixerat: [ Diſſipat impios Rex Sapiens, & incurvat ſuper eos fornicem, Proverb. cap. 20.

Manus Carnea. FR. Romæ vicus prope S. Marcum, in Roma Sacra Floravantis Martinelli pag. 43. §. Manus carnea. Vulgo *Macel de' Corvi* dicitur.

Manus Impositio, ſeu elevatio. Vide *Chirotonia*, *Chriſma*, *Manutergium*.

Manus Mortua, dicitur Eccleſiaſtica acquiſitio ſtabilium bonorum, quia non transferuntur bona Eccleſiæ, nec alienari poſſunt. [ Ubi vero manus mortua interjacet, aut alia quælibet cauſa irrationabilis inventa fuerit, diligenter deſcribatur, & ad noſtram notitiam deferatur. Carol. Mag. lib. 4. de legib. Francor. Legibus magnæ chartæ ſancitum eſt, ut nemini liceat dare prædia Collegiis Monachorum, & legem hanc ad manum mortuam vocarunt, quod res ſemel datæ Collegiis Sacerdotum non utique rurſus venderentur, velut mortuæ. Polyd. Virg. lib. 17. hiſt. ] Vide *Amortizatio*, *Quindennium*.

Manus, ſive *Palmas ſuſpendere*. FR. eſt ſignum lætitiæ. [ Suſpenſis ad æthera palmis gratias Deo egimus. In epiſt. Bonifacii Epiſc. ad Zacariam Papam in tom. 3. Concil. pag. 428. edit. Venetæ de anno 1585.

Manutergium, linteum, mantile. [ Ubi cum ventum fuerit, & Epiſcopus ſedem petierit, accedant duo Accolyti cum manutergio, & genuflexi ante eum totum illi ſinum cooperiant, ne lavans manus, aqua caſulam aſpergat. Ord. Rom. ] Et de Subdiaconis in eorum ordinatione Iſidor. lib. 2. de Eccleſ. off. c. 10. inquit: [ Hi igitur cum ordinantur, ſicut Sacerdotes, & Levitæ manus impoſitionem non ſuſcipiunt: ſed patenam tantum, & calicem de manu Epiſcopi, & ab Archidiacono ſchyphum aquæ cum aquimanili, & manutergium accipiunt.

Manuthia, μανθια, boleti per terræ exalationes producti [ Cum nos autem aliquando colligeremus alimentum in ſolitudine: id vero erat, quod vulgo ſolet nominari manuthia. In Vita S. Euthymii.

Manutus, qui magnas manus habet. Gloſſa Iſidor.

Ma-

MANZER, Nothus, ſpurius, vox hebraica *Mamzer*, per quam hebræi ſolum ſpurium ex adulterio procreatum intelligunt; ſed penes Latinos intelligitur quilibet nothus. [ Opes opibus cumulant non ſibi, ſed nepotibus, quos educaverunt, vel quod deterius eſt, manzeribus, quos de concubinis ſuis ſuſceperunt. Petr. Bleſen. ſerm. 42. ] FR. In lege tamen canonica diſtinguitur *Manzer* a *Spurio*, & *Notho*; [ Illo diſcretionis adhibito moderamine, ut inter nothos & manzeres, naturales & ſpurios diſtinguatur, lib. 1. decretal. cap. Niſi cum pridem, de renunciation. ] Ubi inquit Gloſſa [ Manzer proprie dicitur de Scorto natus: Spurius de Concubina: Nothus de adultera. ] Et affert ſequentes verſus.

Manzeribus ſcortum; ſed mœcha nothis dedit ortum,
Ut ſeges a ſpica, ſic ſpurius eſt ab amica.
Dant naturales, quæ nobis ſunt ſpeciales.

[ Non ingrediatur manzer, hoc eſt, de ſcorto natus in Eccleſiam Domini uſque ad decimam generarionem. Deuter. cap. 23. ] Aliqui ex hoc vocabulo nomini Hiſpanico *Manſebo*, quod juvenem ſignificat, etymon deducunt, ſed errant; nam ex gothico-arabico hoc nomen provenit, ſcilicet, *Man*, ideſt, homo gothicum, ſeu ſaxonicum, & *Sebi* vel *Sabi* arabicum, nempe, juvenis.

MAPHORIUM, anguſtum pallium, quod in Monachorum collo pendebat. [ Maphorium faſciale, ideſt, anguſtum pallium, quo utuntur Monachi, collum pariter, ac humeros tegens. In Gloſ. Arabico-Latin. ] a Caſſiano vero *Maſortes* dicitur [ Poſt hæc anguſto pallio, tam amictus humilitatem, quam vilitatem pretii compendiumque ſectantes, colla, atque humeros tegunt, quod maſortes tam ipſorum, quam noſtro nuncupatur eloquio, de habit. Monach. lib. 1. cap. 7. ] Idemque Caſſianus: [ Quos ita novimus omni ex parte nudos exiſtere, ut præter colobium, maſortem, caligas, melotem, & pſiathium, nihil amplius habeant, lib. 4. de inſtit. c. 13. ] Igitur erat ad inſtar ſcapularis, quod vulgo *Pazienza* dicitur, ex dictione græca Μαφορις. Invenitur in eadem ſignificatione *Mavortes*, quod tamen Iſidorus velum, quo nuptæ tegi ſolent, eſſe putat, in ſignum virilis ſubjectionis, ſic inquiens [ Vocatum autem mavortem dicunt, quaſi Martem; ſignum enim maritalis dignitatis, & poteſtatis in eo eſt, caput enim mulieris vir eſt, inde & ſuper caput mulieris eſt, lib. 1. de divin. off. cap. 19. ] Velo enim obnubebantur ſponſæ. Vide in dict. *Annulus*, §. Hæc igitur ligatura. Quod adhuc in Melita obſervatur. De quo velo etiam mentionem facit D. Hieronymus ad Euſtochium ſcribens, ubi inquit: [ Per humeros hyacinthina lana mavorte volitans. ] Tandem reperitur etiam *Maphortium* in eodem ſignificatu.

MAPPA, tobalia, ſive lineum velum, ex qua materia pro tegendo Altari juxta Bonifacii III. decretum eſſe debet, quæ a D. Clemente epiſt. 2. appellatur *Palla*, ſive *Sindon* ab aliis; item *Endotys*. Vide ſupra ſuo loco. Itaque ſuper Altare, ubi incruentum ſacrificium celebratur, debent ultra corporale tres mappæ extendi, cap. ſi per negligentiam, de conſecrat. diſt. 2.

MAPPAM MITTERE, antiquorum phraſis, quæ ſignum Prætoris in ludis circenſibus referebat; cum enim deberent aurigæ curſum incipere, mittebat ille mappam pro ſigno, de qua Ethnici Auctores, atque Svetonius originem a Nerone habuiſſe inquit: & Martialis ait hanc mappam ceratam fuiſſe:

Ceratam Prætor quum vellet mittere mappam.

Atque Tertullianus de ſpectaculis cap. 16. inquit: [ Non vident miſſum quid ſit, mappam putant, ſed eſt diaboli ab alto præcipitati figura. ] Et adverſ. Valent. cap. 36. Idem: [ Sed mappa quod ajunt, miſſa ] ideſt, dato ſigno.

MAPPALIA, appellabatur locus, ubi conditum erat corpus S. Cypriani: [ Aliam (*ideſt*, *Eccleſiam*) ubi ejus ſepultum eſt corpus, qui locus Mappalia vocatur. Victor. Epiſc. Uticen. lib. 1. de perſecut. vandalica. ] Locus erat extra Carthaginen. ideo *Mappalia* ſcribendum puto, ideſt, domus rurales.

MAPPULA, Baldachinum. [ Quatuor autem miniſtri ſuper Pontificem ferunt mappulam quatuor baculis colligatam, propter quod ipſi miniſtri mappularii nuncupantur. Innocent. III. lib. 2. de myſt. Miſſæ, cap. 7. ] Ubi aſſignat etiam moralem horum quatuor baculorum ſignificatum, nempe, ad quatuor Bibliæ Sacræ ſenſus, ideſt, *Litteralem*, *Allegoricum*, *Tropologicum*, & *Anagogicum*. FR. Falſo exiſtimarunt aliqui ſignificare manipulum, ſive ut Hugo notavit in can. non nonnulli diacones, diſt. 93. denotare Mitram. Nam baldachinum, & non mitram ſignificat, ut clare ex Innocentio ſupra; licet enim ibi dicat: [ Super Pontificem ferunt mappulam ] bene tamen explicatur per ſubſequentia verba: [ Quatuor baculis colligatam. ] Item *Mappula* inſtratum equi ſignificat, quod perperam aliqui etiam manipulum intellexerunt, §. Conſtantinus, l. 2. diſt. 96. ubi ait: ] Et ut ampliſſime Pontificale decus perfulgeat, decernimus, ut clerici ejuſdem Rom. Eccleſiæ, mappulis & linteaminibus, ideſt, candidiſſimo colore decoratos equos equitent. ] Idem habetur in cod. nulli licere infrænis, l. unica lib. 11. Idem exponit Gloſſa in can. nonnulli Diacones, diſt. 93. Toloſanus apud Jacobum Cohelium in Notitia Cardinalat. cap. 11. Imo Torrigius de Cryptis Vatican. impr. ſecunda, pag. 386. inſtratum ex albo in rubrum a Paulo Papa II. Cardinalibus mutare conceſſum fuiſſe refert, ſic inquiens: [ Inſtitui, che le mule de' Cardinali ſi addobaſſero di roſſo, uſandoſi prima drappo bianco nelle loro gualdrappe, chiamate nell' autentica Mappæ, come ſcrive il Cardinal Papienſe, che fu a quel tempo. ] Atque de hoc inſtrato intellexerat D. Greg. per mappularum nomen, quando Joanni Archiep. Ravennati ſcripſerat his verbis: [ Illud autem, quod

pro utendis a Clero veſtro mappulis ſcripſiſtis, a noſtris eſt Clericis fortiter obviatum, dicentibus nulli hoc unquam alio cuilibet Eccleſiæ conceſſum fuiſſe &c. epiſt. 54. lib. 2.] Hæc enim controverſia inter Clerum Romanum, & Ravennatem non fuerat pro uſu manipuli (ut aliquis male intellexerat) agitata; nam Clericis minoribus nullibi unquam talem uſum permiſſum fuiſſe noſcitur; ſed quæſtio erat inter Clericos majores ex utraque parte in dignitate conſtitutos, puta Cardinales, qui etiam Ravennates hoc titulo gaudebant, de quibus non eſt veriſimile, quod manipuli uſus negari nequiverit; ſed præſumptio dignitatum Ravennæ erat circa uſum inſtrati in equitando, de quo jure Cardinales Romani inſiſtebant, ajentes: [Nulli hoc unquam alio cuilibet Eccleſiæ conceſſum fuiſſe.] Nam, ut ſupra diximus, Conſtantinus ſolis Romanis Clericis tale privilegium conceſſerat, & quod de hujuſmodi inſtrato agitaretur, clare ex alia ejuſdem Pontificis epiſtola liquet: Ravennatenſes enim Clerici præſcriptionem pro ſe adducebant, quod etiam Romæ ipſi palam cum inſtratis, ſive mappulis equitaſſent, pro quibus Joannes eorum Archiepiſcopus Gregorio ſic ſcripſerat; ubi nota, quod non de ſimplicibus clericis agebatur: [Quoties ad epiſcopatus ordinationem, ſeu reſponſi Sacerdotes, vel Levitæ Ravennatis Eccleſiæ Romam venerunt, quod omnes in oculis Sanctiſſimorum Deceſſorum veſtrorum cum mappulis ſine reprehenſione aliqua procedebant; quare etiam eo tempore, quo iſthic a Prædeceſſore veſtro peccator ordinatus ſum, cuncti Presbyteri, & Diaconi mei in obſequium Domni Papæ mecum procedentes uſi ſunt, Apud D. Greg. lib. 2. epiſt. 55.] Cui idem Greg. epiſt. 54. lib. 2. reſpondit: [Nec Ravennates Clericos vel illic, vel in Romana Civitate tale aliquid cum ſua conſcientia (*ideſt Clero Romano advertente*) præſumpſiſſe, nec ſi tentatum eſſet, ex furtiva uſurpatione, ſibi præjudicium generari; ſed nos ſervantes honorem Fraternitatis tuæ, licet contra voluntatem antedicti Cleri noſtri; tamen primis Diaconibus veſtris, quos nobis quidam teſtificati ſunt, etiam ante eis uſos fuiſſe, in obſequio dumtaxat tuo, mappulis uti permittimus.] Alia Synonyma. Vide *Chaſidius*, *Nacus*.

Mappularii. Vide *Mappula*.

Marabotinus, monetæ ſpecies, de qua ſæpe Cencius Camerarius in ſuo Cæremon. m. s. quam monetam ſolebat Pontifex in aliquibus feſtivitatibus Cardinalibus diſtribuere. FR. legitur etiam *Marabotinus*, fortaſſe nummus hic erat, qui in Hiſpania *Maravedis* dicitur. [Præterea quia M. prædeceſſor tuus fuerat Canonicus regularis, & duo millia marabatinorum, quæ acquiſierat, in Epiſcopum jam promotus Monaſterio dederat memorato, lib. 5. decretal. tit. 33. cap. 14.] Extat hodie Urbeveteris familia nobilis hoc vocabulo cognominata.

Maran atha, Syriaca vox, quæ ab Hebræis pronunciari ſolebat in ſignum maledictionis, & ſignificat *Dominus venit*, quaſi adeſſet ultionum Deus. [Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit Anathema, & Maran atha, 1. Cor. 16.] Ex hoc vocabulo exiſtimat Mariana provenire hiſpanicam dictionem *Marrano*, qui lib. 7. c. 6. ſuæ hiſtoriæ affert quoddam donationis monumentum, ubi Gallæciæ Rex de an. 775. ejuſdem Monaſterio aliqua bona tradens, ſimilia verba profert contra violatores præfatæ donationis. FR. de ſimilibus maledictionibus in fine donationum appoſitis, paſſim in inſtrumentis, ſeu chartis ſeptimi, octavi, noni chriſtiani ſæculi, & infra per totam Europam invenies :||: ſed probabilius nomen *Marrano* hiſpanicum ex hebræa voce *Maran* provenire exiſtimo: *Maran* enim vocant Judæi illum, qui ex eorum ſecta Chriſtianus apparenter fit, ſed occulte hebraicam legem ſectatur: quod evidentia patet: nam hujuſmodi pſeudo-chriſtiani in Hiſpania detecti *Marrani* dicuntur. Frivola tamen eſt eorum conjectura, quod *Marrano* ſignificet Mauritanum. FR. Gloſſa in can. Guiliſarius, 23. qu. 4. ait, quod Maran atha *Adventum Domini* ſignificet, & ſic explicat. Maran atha, ideſt, uſque ad adventum Domini ſit excommunicatus, ſupple, niſi pœniteat, ſic. 27. qu. 1. de Viduis,] de quo vocab. fuſe 24. qu. 3. §. ſed qui pro, can. 11. Vid. *Anathema*.

Marca, ponderis genus, quod ſecundum aliquos erat ſemilibræ, ſecundum alios integræ libræ. Cujacius tamen putat fuiſſe bilibris ponderis. Item ſignificat monetam. FR. *Marca* tam pondus, quam moneta, ſunt ſynonyma libræ. [Poſſeſſionem pro CXC. marcis, & libris invadiavit. Buchar. de caſibus S. Galli c. 11.] Item *Marca* moneta eſt eadem cum *Mancuſo*. Vide *Manocoſſis* :||: Marcha ulterius territorii terminum ſignificat, de quo. Vide *Marchia*.

Marchanus. FR. Marchiæ incola [Quod ſi ſuſpicio fuerit, ut per conſenſum Marchanorum noſtrorum per noſtras Marchas extra terram noſtram exierint, ſatisfiat ab his Marchanis: In capitulare Radelchiſi, cap. 17. apud Camillum Peregrin. in hiſt. Princip. Longobard.

Marcharizatus. FR. in Marchia adſcriptus, vel appropriatus. [Expellamus de iſta provincia noſtra omne Saracenos &c. præter illos, qui temporibus DD. Siconis, & Sicardi fuerunt Chriſtiani, ſi marcharizati non ſunt. In capitulare Radelchiſi cap. 24. apud Camillum Peregrinum in hiſt. Princ. Longobar.] Ubi mendoſe *Margarizati*, & *Mazarizati* habetur, quod Voſſius fruſtra ait eſſe punicum verbum; nam punica, quæ mihi vernacula eſt, hanc dictionem non habet.

Marchia. FR. marchionatus, territorium, in quo Marchio dominatur, & jura reddit. Sigonius de regno Ital. lib. 7. :||: ex theutonica dictione *Mark*, ideſt, confinium, a verbo *Marken*, nempe, ſigno, noto; quia lapidibus conterminabantur poſſeſſiones; ille vero, qui curam gerebat conterminati territorii, *Marchio* vocabatur, quod deinde ex officio in dignitatem, & feu-

& feudale dominium tranſiit, ut in præſenti fieri adſolet.

Marchio. FR. Is, qui marchiam, ſcilicet, Civitates cum ſubjectis territoriis, & limitaneis a Principe in feudum acceperat, & habebat facultatem juriſdicendi. Sigonius de Regno Italiæ lib. 7. & Bullar. Caſinen. tom. 2. conſt. 47. Vide *Marchia*.

Marcio, Faber murarius. [ Cum Marcionibus, & Carpentariis. In Reg. Sancti Aureliani.

Marchionitæ, ſeu *Marcioniſtæ*, FR. Hæretici Marcionis philoſophi ſtoici ſequaces, qui ad inſtar Cerdonianorum duos Deos, duaque principia, boni ſcilicet, & mali, aſſerebant, 24. qu. 3. can. 39. Contra Marcionem ſic Prudentius in Hamartig. initio cecinit.

Quo te præcipitat rabies tua perfide Cain,
Diviſor blaſpheme Dei? tibi conditor unus
Non liquet, & bifidæ caligant nubila lucis?
Inſyncera acies duo per divortia ſemper
Spargitur in geminis viſum fruſtrata figuris.
Terrarum tibi forma duplex obludit, ut excors
Dividuum regnare Deum ſuper æthera credas.
Bina boni, atque mali glomerat diſcrimina ſordens
Hic mundus Domino &c.

Vide *Baptiſmus*, *Hamartigenia*.

Mardi Populi. Vide *Saracenus*.

Mardochæus Dies, ideſt dies XIV. menſis lunaris Februarii juxta morem hebraicum, qui hebraice *Adar* dicitur. [ Exivit menſis duodecimus? dixitque Aman Regi Aſuero: Eſt populus per omnes provincias regni tui diſperſus, & a ſe mutuo ſeparatus, novis utens legibus & cæremoniis &c. ſi tibi placet, decerne ut pereat &c. Eſther cap. 3. ] ubi *Menſis duodecimus* intelligitur Februarius, a menſe Martio in ordine duodecimus. Hinc Hebræi ob memoriam decreti regii in eorum exterminium, quos Mardochæus deleri machinabatur, feſtum quotannis celebrant, & dicitur Mardochæi dies. [ Pridie Mardochæi diei, 2. Marchab. c. 15. ] Mardochæum igitur diem, ſive feſtum celebrant die 14. Lunæ Februarii. [ Dies autem tertiuſdecimus menſis Adar, primus apud omnes interfectionis fuit, & quartadecima die cædere deſierunt. Quem conſtituerunt eſſe ſolemnem, ut in eo omni tempore deinceps vacarent epulis, gaudio & conviviis. Eſther. cap. 9. ] Quem diem hebræi vocant *Purim*, ideſt, *Phur* quod latine urna dicitur. [ Miſſa eſt ſors in urna, quæ hebraice dicitur Phur. Eſther. cap. 3.

Mare Carpatium, quare ſic dicatur. Vide *Eſox*.

Mareschalus, ſtabuli Præpoſitus. Saxonica vox ex *Mar*, equus, & *Stal*, ſtabulum. [ Ut cæteras taceam, moleſtias Mareſcalorum ſuſtinere non poſſum; hi ſiquidem blandiſſimi ſunt adulatores, detractores peſſimi, improbiſſimi emunctores. Petr. Bleſenſ. epiſt. 14. ] In aliquibus Codicibus *Mariſtallus*, invenitur, quod eſt magis Saxonicæ voci conſonum. [Beati viri Mariſtallus totus corruptus corpore miſerabiliter inflatus erat. In vita S. Laurentii Dublenſis Epiſc. ] Hodie tamen hoc officium dignitatis eſt apud nonnullas nationes, & inter Melitenſes Equites eſt Primas linguæ Alverniæ, qui Generalis Dux terreſtris eſt, & penes quem adſervantur portarum Civitatis claves.

Marca. Vide *Manganum*.

Margarita, gemma. Vide *Bdellium*. Græci inſuper μαργαρίτην minutum hoſtiæ fragmentum appellant, quod re vera pretioſiſſima Margarita eſt. Vide *Hoſtia*, *Particula*.

Margellus, vox græco-latina μαργέλλιον, diminutiva a *Margine*, veſtis limbum ſignificat, qua Balſamon in can. 17. concil. VI. uſus eſt.

Margia. Vide *Caſtrimargia*.

Maria Virgo. Vide *Hodegitria*, *Panagia*. FR. *Sancta Maria Major* Romæ Baſilica ad diſtinctionem *Sanctæ Mariæ Minoris*, quæ *Eccleſia Nova*, ſeu *S. Maria Nova* dicebatur, hodie Sanctæ Franciſcæ Romanæ templum ob ejus corporis depoſitum appellatur. Floravant. Martinell. in ſua Roma Sacra pag. 157. Hæc etiam dicebatur *S. Maria in Palatio*, ex eo quia Palatio olim Imperiali propinqua erat, cujus ſitus pro viridario Ducis Parmenſis ad præſens inſervit. [ Cellam S. Mariæ in Palatio, quæ dicitur Minor. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſt. 159. ] In S. Maria Majori feria IV. ante ordinationem ſolebat ibi Pontifex celebrare, & ordinandos populo præponebat. Vide *Ordo*. Item Cæremonia, quæ ibi fiebat in Vigil. Nativ. Domini. Vide *Statio*. S. Maria in Secundicerio Romæ. Vide *Secundicerius*.

Mariola, denominativum a Maria, ſic appellata fuit ejus imago. [ Cereum conſtituit accendi ante nobilem Mariolam. Matth. Pariſ. in vita Abb.] & clarius idem alibi: Ante majus Altare, & Mariolam, quæ eidem ſupponitur.

Maristallus. Vide *Mareſcallus*.

Maritina. FR. maritima. Extrav. Jo. XXII. de privileg.

Maritus. FR. Maritus dicitur, quia in fœminam Maris ritum gerit. Gloſſa. in can. Vidua, diſt. 35. Diſferentia autem inter Maritum, & Commaritum. Vide *Commatrona*.

Marmor. Vide *Lapides*.

Marmotinus, monetæ ſpecies floreno minor. [ Annuatim debent præſentare ad Cameram Papæ unum marmotinum, qui bene noſcitur a Curia, & eſt minoris valoris quam florenus de Florentia. Albertus in Chron.

Maronita. FR. antiqua Catholicorum natio, ſub eorum Antiocheno Patriarcha in Monte Libano præcipue incolens, de qua meritiſſima generatione nonnulli Auctores errando male aſſeruere, fuiſſe, nimirum, hæreſi monothelitica infectam, & a paucis ſæculis ad catholiciſmum reductam, quod falſum eſſe evidenter demonſtrare nititur amantiſſimus in Bibliotheca Alexandrina Archigymnaſii Romanæ Sapien-

pien-

pientiæ Collega meus, ac præfati ſtudii linguæ Chaldaicæ Profeſſor Dominus Fauſtus Naironus in tractatu, quem de hac Natione typis parat mandare. De Maronitis agitur hic in dict. *Agape*, *Alba*, *Amictus*, *Anachoreta*, *Archiepiſcopus*, *Baculus*, *Campana*, *Candelaptis*, *Chorepiſcopus*, *Cœnobium*, *Completorium*, *Culla*, *Dyſtrus*, *Epitrachelion*, *Evangelium*, *Flabellum*, *Jejunium*, *Manipulus*, *Orarium*, *Palmarum feſtum*, *Patriarcha*, *Pentecoſtes*, *Transfiguratio Domini*, *Viſitatio B. M. Virginis*.

Marpahis. FR. ſtrator. Paulus Diac. hiſt. Longobardor. lib. 2. cap. 6. & 9. & ibi ejus Annotat.

Marritio, ammioſſi, Italice *Smarrimento* dicitur. [Sin autem ipſæ res ſine ulla marritione ad ipſam Monaſterium revertantur. In chartis Monaſt. S. Galli. Charta 61. [ FR. Devium Voſſium cenſeo in tradendo hujus nominis ſignificatu, dum detractionem, & murmurationem interpretari ait.

Martinalia, nempe, Feſta S. Martini Turonenſis Epiſcopi, quæ in aliquibus Regionibus ad inſtar ſecundorum Bacchanaliorum intemperate celebrantur in comeſſationibus.

S. Martini Papæ Martyrium. Vide *Pſachnion*.

Martius Mensis. FR. a Romanis in honorem Romuli inſtitutus. [ Sed & menſibus impoſuerunt nomina Deorum ſuorum; propter honorem, quippe, Romuli, quia eum Martis filium crediderunt, primum menſem Marti dicantes, Martium vocaverunt. Eugyppus Abb. African. lib. 1. cap. 67.

Martyr, μάρτυρ, latine teſtis, ſive confeſſor, qui in teſtimonium, ac confeſſionem fidei propriam vitam obtulit, ſeu tormenta paſſus eſt. FR. hinc *Bis martyr* appellatus eſt S. Urbanus Papa I. quia bis pro fide paſſus eſt. Antonius Bolius Melitenſis in Notis ad paſſionem S. Urbani Papæ & Martyris: || : Et Euſebius *Triplicatos Martyres* illos Chriſtianos appellavit, qui ter pro Chriſti confeſſione paſſi ſunt carnificum tormenta. FR. martyr interpretatur confitens. Gloſs. in can. Baptiſmi vicem, de conſecrat. diſt. 4. Vide *Alipta*, *Concilium*, *Confeſſor*, *Expunctus*; ſed in rigore dicitur Martyr, qui pro Chriſti nomine ſanguinem fuderit. Vide *Reſponſorium*. Item poteſt deduci etymon ex dictione hebraica *Meathyr*, ideſt, orans. Calepinus Paſſeratii in dict. Orans.

Martirarius. FR. Sacerdos addictus ad aliquam Eccleſiam, quæ alias Martyrium dicitur. [ Abbates Martyrarii, Recluſi, vel Presbyteri Apoſtolia dare non præſumant. Concil. Aurelian. can. 13.] Phileſacus in hunc textum *Matricularii*, *& Epiſtola* correxit; ſed Jacobus Sirmondus maluit priſtinam lectionem reſtitui, affirmans *Apoſtoliam* dimiſſorialem epiſtolam ſignificare. ]

Martyrialis, res ad martyrium pertinens. [ Neceſſarium, quippe, fuerat athletas fortiſſimos voluntariis abſtinentiæ laboribus ad omnem tolerantiam præparatos perſequentium paululum tradi manibus, ut martyrialis agonis participes effecti illata diſcerent ſupplicia tolerare, probatum, quod profeciſſent, ſi flagellis membra omnia diſſipantibus, a fide vera minime defeciſſent. In vita S. Fulgentii cap. 9. ] FR. eodem vocabulo utitur Victor Uticen. Epiſc. de martyrio Victorini Carthaginis Proconſulis, & Adrumentini civis agens: [ Qui tripudians in Domino martyrialem coronam accepit, lib. 3. de perſecut. Vandal.

Martyrium. FR. paſſio alicujus Sancti Martyris. [ Vide quantum bonum eſt charitas, ſi ita martyrium fecerimus, ut noſtras velimus ab omnibus reliquias honorari, & ſi opinionem vulgi ſectantes intrepidi ſanguinem fuderimus, & ſubſtantiam noſtram uſque ad mendicitatem dederimus; huic operi, non tam præmium, quam pœna debetur, & perfidiæ magis tormenta ſunt, quam corona victoriæ, can. Vide 1. qu. 1.] Et ibi Gloſſa. At e contra quomodo ex pœna ſupplicii fit martyrium. Vide Gloſſ. in can. importuna, de pœnit. diſt. 1. Martyrii genera. Vide *Cyphoniſmus*, *Diaſphendon*, *Fidiculæ*. Ejus Synonyma. Vide *Munus*. || : Item ſignificat Eccleſiam, [ Clerici martyriorum. Conc. Chalcedon. IV. can. 8. ] ſive *Memoriæ Martyrum*, quo loquendi modo ſæpe Cyprianus, aliique Eccleſiaſtici Scriptores utuntur. Item μαρτύριον, ſive latine *Confeſſio*, accipitur pro ſpeciali loco in Eccleſia, ubi depoſita Sanctorum martyrum recondita ſunt; ſed deinde per rhetoricam figuram uſurpatum totum Eccleſiæ corpus pro ejus parte. Vide *Cœmeterium*, *Concilium*, *Confeſſio*, *Munus*, *Stantes*.

Martyrologium, μαρτυρολογίον, nota, ſive catalogus, quem ad Eccleſiæ Notarios antiquitus ſpectabat confici ex Sancti Clementis Papæ inſtitutione; ſed in recenti Martyrologio, nedum martyrum, verum & Confeſſorum, aliorumque Sanctorum Natales notantur. FR. varia Martyrologia apocrypha inventa ſunt, ſive ex hæreticorum commento, ſive ex nonnullorum indiſcreto Catholicorum cultu; quemadmodum cujuſdam Aſiani Sacerdotis Martyrologium reperiebatur, de quo S. Cyprianus in lib. de Baptiſmo, & S. Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis teſtantur, qui varia commenta de S. Paulo Apoſtolo excogitaverat; ſed falſitate convictus ſuum errorem confeſſus eſt, ac proinde ex ſuo officio in pœnam culpæ depoſitus fuit, & a Gelaſio Papa in Concil. Roman. & in can. 63. ſextæ ſynodi multa acta, & hiſtoriæ Sanctorum apocrypha declarantur. Epiſcopi Græcorum in viſitatione Eccleſiarum ſolebant diligenter Acta Sanctorum in Eccleſiis inventa recognoſcere, hinc Balſamon in prædictum canonem 63. ſextæ Synodi refert Nicolaum Muzalum Epiſcopum in ejus viſitatione narrationem cujuſdam ſanctæ fabuloſe ſcriptam invenientem, ſtatim illum comburi eam juſſiſſe. Vide *Kalendarium*, *Catalogus ſacer*, *Datarium Calendarii*, *Faſti*, *Menologium*, *Paſſionalia*. Quando in lectione Martyrologii genuflectere oportet. Vide *Genuflexio*.

Marrucci. FR. populi Alpium incolæ. Oddo Abb. Clun. in vita S. Geraldi Comitis Aurelianenſis, lib. 2. c. 17.

Ma-

**Maſcha**, ſive *Maſca*, larva, facies fictitia, Italice *Maſchera*. Hinc Anthelmus de ſeptem capitalibus vitiis agens, cecinit:

Sic quoque maſcharum facies criſtata laceſſit,
Cum larvam, & maſcham miles non horreat audax,
Qui proprio fretus præſumit ſtridere geſtu.

Quare & ſtrigam, ſeu veneficam etiam ſignificat, [Nullus præſumat aldiam alienam, aut ancillam, quaſi ſtrigam, quæ dicitur Maſcha, occidere, l. nullus, de homicidio ſervorum, & l. ſi quis mundum, de mundualdo, & mundi amiſſione can. nullus presbyterium, de conſecrat. diſt. 5. In primo ſignificatu. V. *Cervula*.

**Maſnada**. FR. militia, armatorum pedeſtris copia: [Gulielmo Sorello (*corrige Borello*) Regiæ privatæ Maſnadæ Solidario, Hugone de ſexto regiæ privatæ Maſnade Solidario. Bultar. Caſinen. tom. 2. conſtit. 200. in fine.

**Maſoricus**, ægyptius, ex hebræo *Meſorim*, & arabico *Maſar*, & *Maſri*, ideſt, Ægyptus, & Ægyptius [Obtulit maſoricas oleas tres ſerico textas, coloreque depictas, quæ in circuitu Altaris penderent. Anaſtaſ. Biblioth. in Leone IV.

**Maſpha**. Vide *Synagoga*.

**Maſſa**. Vide *Manſus*.

**Maſſaliter**, unite, & in maſſam redactum communiter. [Maſſaliter totum Eccleſiæ tributum ſibi irrogarunt. Tertull. de fuga in perſecut. cap. 13.] FR. ibidem cap. 16. reiteravit, inquiens: [Atque ita maſſaliter ſolidata definit.

**Maſſalis**, unitus, communis, integer. [Redactum, ſcilicet, in Dominum, ut in maſſalem ſuam ſummam. Tertull. lib. 4. adverſ. Marcion. cap. 18.] Maſſalem, ideſt, integram.

**Maſſara**. FR. Molendinum ad cannas mellis frangendas. Bullarium Caſinen. tom. 2. conſt. 185. n. 5. In Sicilia ex græco, *Trapeto* vocatur.

**Maſſarius**, qui in maſſa, ſeu prædio cæteris præeſt, & curam adminiſtrandi vice domini habet. FR. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſtit. 48.: ||: Hodie tamen omnes maſſæ, ſeu territorii operarii *Maſſari* in aliquibus Italiæ Provinciis vocantur.

**Maſſiliani**, Hæretici. V. *Eucheta*, *Precatores*.

**Maſtichis**, productio. Vide *Schinus*.

**Maſticinus**, maſtichis patronymicum, quod alio nomine *Acantica* dicitur: *Maſticina crocea* veſtis, videlicet, ideſt, ſubflavi coloris, de qua Iſidor. lib. 19. c. 28. ubi agit de coloribus veſtium.

**Maſtigophorus** μαςιγοφόρος, a *Maſtige*, ideſt, ſcutica, dicebatur Miniſter flagellifer, qui, ſcilicet, agonothetas in ſacris certaminibus comitabatur, virgam præferens ad ſubmovendam turbam, & cohibendas ſeditiones. Budæus. [Maſtigophori, qui agonothetas in certaminibus comitantur, l. ult. §. Maſtigophori, de mun. & honor.

**Mater**. Vide *Manz*.

**Mathematicus**. Vide *Aſtrologia*, *Genethliacus*, *Hydromantia*. *Remediator*.

**Mathiæ Apoſtoli**, quare de eo non fit mentio in Canone Miſſæ ante conſecrationem cum cæteris Apoſtolis; ſed tantum de eo fit mentio poſt conſecrationem. Vide *Canon Miſſæ*.

**Matricarius**, faber lignarius. [Intereſſe Prætores oportet, vicenos ſecum habere milites, & tricenos matricarios Julian. Anteceſſor. conſtit. 23.

**Matricula**, catalogus, in quo pauperes pro eleemoſyna largienda notabantur. [Matricula Sanctæ Mariæ, quæ dicitur Xenodochion, ubi duodecim pauperes ſtipem expectant, ſolidus dabitur. In teſtamento S. Remigii.] Item catalogus in quo Clerici ſtipendiarii notabantur, & *Tabula matricularia* dicebatur.

**Matricularius**, qui in matricula connotatur: [Dictum eſt mihi, quod matricularios a miniſtro meo conſtitutos de illa matricula ejeciſti. Flodoard lib. 3. cap. 26. Hildovinus humilis Chriſti famulus, & Domini mei Dionyſii Pretioſi, & ſociorum ejus matricularius. Hildovin. in epiſt. ad Ludovic. Imp.] ideſt, in matricula Eccleſiæ S. Dionyſii, & ſociorum adſcriptus.

**Matricuria**. Matrona, quæ Eccleſiæ curam habebat [Mulieres, quæ apud Græcos Presbyteræ vocantur, apud nos viduæ, ſeniores, univiræ, matricuriæ vocantur, can. Mulieres diſt. 32.

**Matrimonium**. FR. conjugium: dicitur Matrimonium quaſi matris munium, ideſt, officium, Gloſs. in principio, 27. qu. 1. Aliud eſt legitimum, & non ratum; aliud legitimum, & ratum, can. ſi quis Judaicæ, 28. qu. 1. Ad matrimonium contrahendum tria ſunt neceſſaria, nempe, conſenſus, & quod ſit pubes, & ad coeundum potens. Gloſſa in §. ſponſalia 30. qu. 2. Adde ex Concil. Trident. quartum requiſitum Parochi præſentiam. Perficitur autem matrimonium per conjunctionem, quo ad ſui ſignificationem, ſcilicet, animæ fidelis ad Deum & Chriſti ad Eccleſiam. Gloſſ. in can. qua propter, 27. qu. 2. Ejus enim bona ſunt tria, hoc eſt [Omne itaque nuptiarum bonum impletum eſt in ipſis parentibus Chriſti, proles, fides, ſacramentum. Prolem cognoſcimus ipſum Dominum Jeſum. Fidem, quia nullum adulterium, Sacramentum, quia nullum divortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poteſt ſine pudenda carnis concupiſcentia, quæ accidit ex peccato, ſine quo vere concipi voluit, qui futurus erat ſine peccato can. omne itaque 27. qu. 2.] Ubi inquit Gloſſa [Gandulphus dixit duo eſſe tantum bona matrimonii, ſcilicet, fidem, & prolem; ſed ipſum Sacramentum non eſſe bonum matrimonii, niſi tranſitive intelligatur, ideſt, bonum, quod eſt ipſum matrimonium, quia Sacramentum matrimonii, (ut dicit) nil aliud eſt, quam ipſum matrimonium; ſed dic, quod Sacramentum matrimonii dicitur hic inſeparabilis conjunctio animorum, vel etiam mutua ſervitus, quorum utrumque eſt bonum matrimonii, ſine his autem bonis matrimonium contrahi non poteſt:

teſt: poſtea vero ſine his eſſe poteſt.] Imparia autem conjugia tribus modis dicuntur. Vide Gloſſam in §. Utrum vero, in principio, 28. qu. 3. Ejus Synonyma. Vide hic *Conjugatio*, *Jugalitas*, *Votum*. Ejus conſenſus. Vide *Scrutinium*, *Subarro*. Matrimonii exercitium impedire conantur Præſtigiatores. Vide *Tempeſtarii*.

MATRINA, ſpiritualis mater; ſicut enim dicitur Patrinus, ita & Matrina. Item Novercam ſignificat; l. nulli liceat. De ſucceſſion.

MATRIX. Vide *Eccleſiā* prope finem. Pro fœminæ utero. Vide *Hyſtera*, *Umbilicus*.

MATRONÆUM, quod Græci *ματπονικὸν* appellant, locus in Eccleſia pro matronis aſſignatus. [ Fecit cameram, & matronæum, & ſuper confeſſionem imaginem argenteam cum Salvatore, & duodecim Apoſtolos poſuit, qui penſant libras vicenas. Anaſtaſ. Bibliothec. in Symmacho.

MATTÆA. FR. [ Cum obſoniis, & mattæis tibi parentas, ad buſta recedis. Teutull. de teſtam. animæ c. 4. ] Mattæa, ſive Mattya ſecundum Athenæum, cibum, delicatum, & pretioſum ſignificat, & *Mattelicus* guloſus dicitur. Calandrinus.

MATTHÆUS. FR. hebraice Scipionem ſignificat. Calep. Paſſerat. in dict. *Scipio*.

MATUTINUM, officii ſeptem horarum canonicarum prima pars, a voce *Matuta*, quæ Auroram ſignificat. Dicitur etiam *Nocturnum*. Uſus recitandi matutinum in Bethlem ex Iſidori relatione lib. 1. de Eccl. off. c. 23. incœpit, qui citat Caſſianum; condecens enim erat, ut, ubi nato Domino tempore nocturno Angelicus cantus reſonabat, ibi etiam in laudem Domini recitari nocturnæ horæ cœpiſſent. In Matutino etiam ſolemniſſimo non utendum eſt pluviali, vel alio paramento, niſi tempore nonæ lectionis, quæ dicenda erit ab Hebdomadario, qui una cum duobus præcantoribus paratur pluvialibus, & continuabunt deinde laudum recitationem iiſdem ſolemnitatibus ſolitis fieri ad Veſperas ejuſdem diei. Cæremon. Epiſc. lib. 2. c. 6. & 7. Sed quando dirigitur officium ab Epiſcopo; tunc ipſe indutus ſua cappa conſueta, nonam lectionem recitabit; excepta tamen nocte Nativitatis Domini, in qua induetur pluviali ad dicendam orationem in fine matutini. Cærem. Epiſc. loc. cit. c. 14. Erravit quidem Fœlix Nicolius, ſive Hieronymus Romanus, ut ipſemet mihi faſſus eſt, in ejus Floſculis dict. horæ canonicæ, §. Probatur demum; aſſeverans, quod in Viterbienſi Eccleſia recitetur anticipate Matutinum, nempe, hora XX. nam quotidie per anni curſum, ſemper ibi hora XX. pulſatur ſignum campanæ ad ſolvendas Veſperas, pro quibus poſt mediam horam ingreditur ad Chorum, & poſt veſperas recitatur completorium. Itaque tranſacta jam XXI. hora incipitur Matutinum recitari. In matutino Sabbati, cum recitatur Officium B. M. V. omittitur pſalmus *Jubilate*, cujus vice canitur *Bonum eſt*, ne idem pſalmus bis iteretur. Idem fit, ſi vigilia Nativitatis Domini in Sabbatum incidat, ob eandem rationem. Reliqua. Vide *Nocturnus*.

MATZUCA. FR. clava. Italice *Mazza*, vox græcobarbara *ματζεκα*. [ Loco ſceptri fert eam, quam vulgus vocat matzucam. Curopalat. de off. Conſtantinop.

MAUMETANI. Vide *Machometes*.

MAVORTES. Vide *Maphorium*.

MAUSOLEUM. *μαυσώλειον*. FR. licet hoc vocabulum proprie ſignificet ſepulchrum illud magnificum ab Artemiſia ſuo defuncto viro Mauſolo Cariæ Regi conſtructum, quod inter ſeptem Mundi miracula ab hiſtoricis connumeratur; nihilominus inter Scriptores Eccleſiaſticos pro Adriani mole hoc vocabulum uſurpatur ubi habitabat Prætorii Præfectus, ac Regis Odoacris Prorex, qui electionem Pontificis ſibi uſurpare nitebatur, ſub prætextu, quod in ſimili eventu politicus ſtatus urbis propter concurſum populi perturbabatur; ſed ejus tyrannico edicto nullus Eccleſiaſticorum conſentire paſſus eſt in Synodo Romana, ubi lectum eſt tale ejus edictum, nempe: [ Cum in Mauſoleo, quod eſt apud Beatum Petrum Apoſtolum, reſideret ſublimis, & eminentiſſimus vir Præfectus prætorii, atque patricius, agens etiam vices præexcellentiſſimi Regis Odoacris, Baſilius dixit &c. can. bene quidem, diſt. 96. ] Item ſignificat quodcumque ſepulcrum. Vide Baron. an. 836. n. 14. & hic in dict. *Natta*. Mendoſe apud Anaſt. Biblioth. legitur in Leone III. *Muſilæum*, ſic inquiens: [ Pharos, Cantharos in muſilæo B. Petronillæ.

MEDELA. Vide *Modela*.

MEDIANA DOMINICA. Vide *Dominica mediana*.

MEDIASTINUS. FR. dicitur ſervus ex abjectioribus, qui domeſtica viliſſima miniſtrat. [ Juriſconſult. in l. ult. ff. de oper. ſerv. & in l. item apud Labeonem, §. Prætor ait, ff. de injuriis, & Ulpian. in l. 1. §. de exercitorib. ff. nautæ, caup. ſtabul.

MEDICAMENTARIUS. FR. qui incantationibus, aliiſque ſuperſtitioſis artificiis ad corporales infirmitates curandas utitur. Cod. Theod. lib. 3. tit. 16. de repud. l. 1.

MEDICUS. Vide *Lectularius*, *Remediator*. Medicorum terminus. Vide *Embrocha*.

MEDIOCRIS. FR. civis, qui nec nobilis quidem eſt, nec ruſticus. [ De Uvaregnanis nobilibus, mediocribus, & ruſticis hominibus &c. in capitulare Radelchiſi cap. 12. apud Camillum Peregrin. in Hiſt. Princip. Longobard.

MEDITATORIUM. Locus ad meditandum, & ſtudendum. [ Gravi ægritudine preſſus jam ſæpius in lectulo accumbo, quam ad ſcribendum, vel ad legendum in meditatorio ſedeo. Rabanus in Jeremiam.

MEDO, genus potionis ex aqua, & melle confectum. [ Commendanſque domum ſuam Apoſtolorum Principi, reliquit in ea imaginem, & ipſe abiit ad bibendum medonem. Andreas Presbyter in Chron. Bavar. ] Ab Ultramontanis hujuſmodi potio *Meth* appellatur, de qua Beda: [ In unaquaque ſeptimana

tres

tres dies ſine vino, & medone, & carne jejunent uſque ad Veſperas, de remed. peccat. c. 7.] In Æthiopia utuntur hac potione loco vini, quæ in magna quantitate hauſta inebriat.

MEGA DOMESTICUS. Vide *Domeſticus*.

MEGA HETÆRIARCA, μέγα ἑταιριάρχης, ideſt, magnus conductor, qui tanquam Generaliſſimus præerat aliis conductoribus, qui *hetæriarchæ* dicebantur: ἑταιρία enim græce agmen, & cohortem ſignificat. [Erant per idem tempus Jeroſolymis Domini Imperatoris Nuntii Andronicus, Angelus Joannes vir magnificus Mega etæriarcha. Guliel. Tyrius lib. 21. de bello Sac. cap. 16.] Ubi librariorum incuria *Megaitiriarcha* legitur.

MEGAN KYRION. Vide *Kyrion megan*.

MELAGRIUM, μῆλον ἄγριον, ideſt, malum, & pomum ſylveſtre; accipitur pro quocumque fructu agreſte. ut in ſequenti textu: [Cibus autem nobis erant radices melagriorum. In vita S. Euthymii apud Surium 20. Januarii.

MELCHISEDECHIANI. FR. Hæretici, qui aſſerebant Melchiſedech non fuiſſe hominem, ſed Dei virtutem, 24. qu. 3. can. 39.

MELCHITA, agnomen Catholicis poſt Concilium Chalcedonenſe ab adverſariis impoſitum, Arabica vox *Meleek*, quæ Imperialem, vel regium ſignificat; ita enim appellati ſunt, quia ſequebantur Imperatoris Conſtantinopolitani opinionem, qui acerrimus præfati Concilii defenſor extiterat. Sicut nos, qui Eccleſiæ univerſalis viſibile caput Pontificem Romanum agnoſcimus, a recentioribus Hæreticis *Papiſtæ* vocamur. [Qui Imperatoris ſententiam ſunt ſecuti, vocati ſunt Melchitæ, ideſt, Imperiales. Nicephorus Calyxtus lib. 18. cap. 52.] Ob eandem rationem *Chalcedonenſem* appellabant Juſtinianum Imperatorem, ſicut in eorum Chronica an. 561. legitur, nempe: [Eo tempore defunctus eſt Imperator Chalcedonenſis.] FR. contra quam hæreticorum calumniam ipſe Imperator Apologiam divulgavit, quæ habetur in l. 7. Cod. de Summa Trinit. de qua Baron. ad an. 533. n. 19. & ſeqq. :||: Ad præſens autem vocantur in oriente *Melchiti* Arabes Chriſtiani, qui ritum græcum ſequuntur.

MELECHINUS. Vide *Malachinus*.

MELIORO. FR. pro remunero, l. ſi quis Longobard. de neceſſario relinquendis.

MELITENSES EQUITES. Vide *Equites Melitenſes*. Melitenſium incolarum ritus, & vocabula. Vide *Agapæ*. Aſſiſa, in dict. *Colliſtrigialis*, *Averrunco*, *Baculus*. Ballud. in dict. *Bolluca*, *Baptiſmus*, in §. Solebant Gentiles. *Blembus*, *Boja*. Cobrytes, in dict. *Eſox*, *Curmi*, *Cymatium*, *Dagua*, *Diaconiſſa*, *Diaſphendon*, *Didymus*, *Dithalaſſus*, *Erza*, *Exequiæ*, *Fegum*, *Geniculus*, *Glaucoma*, *Harmiſcara*, *Hoſtia*, *In Capillo*, *Judex pedaneus*, *Kyrie eleiſon*. Lembi in dict. *Colimbus*, *Litania*, *Manidium*. Mavortes in dict. *Maphorium*. Medien. in dict. *Debitum*, *Meretricalis*, *Meta*, *Myrum*. *Neophytus*, *Olea*, *Ololygmus*: *Orgia*, *Oſcillum*, *Paraſceve*, *Pelegiaria*, *Rumbula*, *Schinus*, *Strena*, *Tarenus*, *Thia*, *Tracones*, *Tuto*, *Veſpera*, *Viriola*, *Viſula*, *Vvarda*, *Zarabotana*, *Zizania*. Melitenſes una cum Siculis habent Romæ Templum. Vide *Hodegitria*.

MELODIMA, melodia, μελῳδία [Pſalmorum nihilominus concentum dulciſſimo ultra omnes diſtinguens decoravit melodimate, in vita Sancti Gulielmi Abbatis.

MELLUM, malum, pomum, in quodam pervetuſto inventario Eccleſiæ Collegiatæ S. Fauſtini Viterbii hæc verba leguntur: [Crux cum quatuor Evangeliſtis, & cum mellis de ramine.

MELOTE, μηλωτὴ, pellis ovina, aut alterius quadrupedis. [Ultimus eſt habitus eorum pellis caprina, quæ melotes appellatur. Caſſian. lib. 1. inſtit. cap. 8. Circujerunt in melotis, in pellibus caprinis. Epiſt. ad Hebræos cap. 11.] Tractu deinde temporis uſurpatum fuit hoc nomen pro quocunque pellicio indumento.

MEMENTO, in canone Miſſæ. Vide *Canon Miſſæ*. Vide *Diptychum*, *Nomen*, *Oblatio*.

MEMORIA SANCTORUM. Vide *Commemoratio*. Memoria ſubjectionis dicitur velum monialium. Vide *Velum profeſſionis*.

MEMORIALIS, ſeu *A Memoria*, Officialis in Aula Græcorum Impp. qui negotiorum ſuggeſtor erat: [Palatina omnia officia, hoc eſt, Memoriales, Agentes in rebus, Apparitores diverſorum commodorum. S. Ambroſ. epiſt. ad Marcell. Curandæ Reipublicæ præpoſiti erant Spanopolinus a memoria, & Joannes Melitenſis. Cantacuzenus lib. 3. cap. 15.

MEMORPHIN. FR. verba contumelioſa, l. ſi ſervus. De culpis ſervorum.

MENÆUM, Μηναῖον, Græcorum liber, in quo continentur preces, & hymni in choro recitandi in duodecim tomos diviſus pro duodecim anni menſibus.

MENANDRIANI. FR. hæretici ſequaces Menandri Magi, qui Simonis Magi diſcipulus fuit; aſſerebant mundum non a Deo, ſed ab Angelis eſſe creatum, 24. qu. 3. can. 39. Vide *Gnoſtici*.

MENDACIUM. FR. quotuplex ſit. Vide can. primum eſt, 22. qu. 2.

MENIANUM, tabulatum, quod ex muro prominet, ubi expatiatur, quod Romæ *Mignano* vulgo appellatur, a Menio Cenſore ita denominatum. FR. ut Feſtus auctor eſt, & Aſconius inquit, quod: [Menius, quum domum ſuam venderet Catoni, & Flacco Coſſ. ut ibi Baſilica ædificaretur, exceperat jus ſibi unius columnæ, ſuper quam tectum projiceret ex prævolantibus tabulatis, unde & ipſe, & ejus poſteri ſpectare munus gladiatorum poſſent, ex illo Menia columna vocata eſt.] Hinc menianum dictum ſimile ædificium: [Pauci ex proximis menianis ſpectabant. Sveton. in Caligula] :||: Male igitur aliqui *Mœnianum* ſcripſere. De *Menianis* paſſim in Romanis Diariis M. SS.

An-

Antiquis, cum de benedictione publica Pontificis agitur, ex quibus locis in hac functione proſpiciebatur, quod ab aliis *Podium* appellatur.

Menologium, μηνολόγιον, ideſt, calendarium, in quo notantur feſtivitates cujuſcumque menſis occurrentes, Sanctorumque acta continet, quæ ad matutinum leguntur. FR. Baſilius Macedo Imp. Græcorum auxit, & pulcherrimis imaginibus menologium græcum ornavit, ubi martyria plurimorum Sanctorum ſeparatim exprimebantur, quod Baron. an. 886. n. 14. originaliter vidiſſe teſtatur; ſed a Catholicis caute legendum eſt, quia multi, qui ſchiſmatici extiterant, pro Sanctis in hoc calendario celebrantur.

Mensa. FR. dicebatur corbona. Baron. an. 40. num. 69. & S. Paulinus epiſt. 52. Unde menſa Epiſcopalis dicitur.

Mensis primus apud Ægyptios. Vide *Theut*. Menſium Hebræorum nomina. Primus. Vide *Niſan*. Secundus *Iir*, ſive *Zio*. Tertius. Vide *Sivan*. Quartus. Vide *Thammus*. Quintus. Vide *Ab*. Sextus. Vide *Elul*. Septimus. Vide *Thirſi* & *Ethanim*. Octavus. Vide *Merhuſim*, alias *Bul*. Nonus. Vide *Chaſleu*. Decimus. Vide *Tebeth*. Undecimus Vid. *Sabath*. Duodecimus. Vid. *Adar*, *Mardochæus dies*. Quod duodecim menſibus circumſcriberetur Hebræorum annus, colligitur ex 3. Reg. c. 4. ubi ſic habetur: [ Habebat autem Salomon duodecim præfectos ſuper omnem Iſrael, qui præbebant annonam Regi, & domui ejus; per ſingulos enim menſes in anno, ſinguli neceſſaria miniſtrabant.] Porro aſſignata vocabula menſium ſunt Chaldaica in Babylonica captivitate ab Hebræis percepta; nam antiquitus vocabuntur primus, & ſecundus menſis &c. de quo ſpecialiter Paralipom. lib. 1. c. 27. & cum Paulo Burgenſi Additione prima ad c. 12. Exod. atque Aben-Ezra in eod. Exod. cap. 12. verſ. 1. concordant recentiores.

Mensurarum Species. Vide *Aripennus*, *Artaba*, *Arura*, *Badus*, *Ephi*, *Gomor*, *Haſtula*, *Maldrum*, *Paleſtes*, *Paſſus*. Aridorum. Vide *Satum*. Soma in dict. *Sagmarius*. Liquidorum. Vide *Hin*, *Metreta*, *Saites*, *Sextarium*.

Menstruatim. Vide *Lunatim*.

Mensurnus, menſtruus. [ Lunæ candentem globum ad ſolatium noctis menſurnis incrementis orbis implevit, Novat. de Trin. c. 1. Cæterum Presbyterii honore dignaſſe nos illis jam ſciatis, ut & ſportulis iiſdem cum Presbyteris honorentur, & diviſiones menſurnas æquatis quantitatibus partiantur. S. Cyprianus epiſt. 34.

Mensurnantes, qui ſalarium menſtruum recipiunt. Idem Cyprianus.

Mentio, mendacium, a verbo *Mentior* derivatum: [ Si mentionem ſuadet frequenter, legatur ex diverſis, ubi præcipit veritatem. In Regula Magiſtr. c. 15. §. 8.

Mentiolus, mendax. Eadem Reg. Magiſt.

Mephium. FR. Donatio propter nuptias, l. Adveniente, de prohibitis nupt. Vide *Folderphium*.

Mercada, Italice *Mercato*. Nundinæ. Marculf. in ejus formular.

Merces Injusta. Vide *Lucar*.

Merciamentum. FR. Pœna pecuniaria leviſſima. [Tam iſti, quam illi compellantur ſolvere merciamenta per poſſeſſiones laicales, ſi quas habent. Matthæus Pariſ. in Additione.] Ubi alio etiam Synonimo vocabulo ibidem *Amerciamenta* utitur.

Mercurius Fabulosus Deus. Vide *Acervus Mercurii*, *Vvodan*.

Merenda. Vide *Recinum*.

Meretricalis. FR. Meretricis poſſeſſivum, [ Lex ſæcularium Principum huic reſponſo ſatis efficax afferat argumentum, qua maniſeſte cautum habetur, matronam, cujus pudicitia attenta fuerit, non poſſe injuriarum agere, ſi in veſte meretricali fuerit deprehenſa, lib. 5. decretal. tit. 39. cap. 25.] Nam ſic perdit privilegium, ff. de ritu nuptiarum, l. Senatoris filia. Hodie tamen non videntur amplius differre veſtes *Meretricales* a veſtibus honeſtarum; in Melita tamen ex tegumento contradiſtinguitur meretrix ab aliis honeſtis fœminis.

Meretrix. FR. cujus turpitudo publice venalis eſt, 32. qu. 4. can. Meretrices. Vide *Concubina*, *Contectalis*, *Focaria*, *Frictrix*. Nimbata in dict. *Nimbus*, *Obolores mulieres*.

Mergulus, avis rapax, latine *Mergus*, Italice *Smergo*. Ex eo quia in aquis ad capiendos piſces mergitur. [ Non enim furva voracis mergulæ factura confunditur, & atra corporis creatura contemnitur, licet verſicolor pavonis gloria tereti circulorum rotunditate præcellat, cujus pennæ pulchritudo nunc crocea qualitate flaveſcit, aut purpurea venuſtate rubeſcit, nunc glauco coloris virore fulgeſcit, aut flava auri ſpecie ſplendeſcit. Aldelmus lib. de Virg. cap. 4.

Merhusim. FR. octavus Hebræorum menſis, qui & *Bul* dicebatur. Vide Auctores citatos in dict. *Elul*.

Meritorium. FR. nomen ſubſtantivum, & ſignificat ſtabulum, ſive publicum hoſpitium. [ Meritorium factus eſt mundus, inſulam Feliculam credas, tanta tabulata cœlorum neſcio ubi. Tertull. adverſus Valent.] Ubi Sanctam Feliculam Virg. & Mart. laudat.

Meritorius. FR. adjectivum, ſignificat ſtabulatus, ſeu ſtabulatio; hinc *Taberna meritoria* Romæ regionis tranſtyberinæ locus, ubi fontem olei in Chriſti Nativitate emanaſſe dicitur, de quo Euſebius, lib. 1. hiſt. Eccleſiaſt. Itaque [ Taberna meritoria dicitur, quæ vulgo diverſoria, vel fullonica appellatur. Julianus in l. ſi uſusfructus, 16. ff. §. Item ſi domus, de uſufructu.

Meritum. FR. in voluntate conſiſtit. Poſtillator in can. Ad fidem nullus cogendus, 23. qu. 5.

Merones. Vide *Hero*.

Merulana, & *Merulanum*, Romæ locus, ubi erat. Vide *Baptiſmus*. *Chriſmarius*.

Mesagium. FR. domus locata, ſeu aliud ſtabile. [ Prior, & Conventus in bonis ſuis, & juribus anguſtiantur, quia

quia redditus, quos a meſagiis fratribus collatis rece-perant, ſibi nunc pereunt. Matthæus Pariſ. an. 1259.

MESAULIUM, aula, ſive conclave, ex græco vocabulo *μεσαυλιον*, quod habitationem in medio domus ſitam denotat; ſic legendus eſt textus in tom. 2. Concilior. ubi de Concilio Conſtantinopolitano V. agitur *ἐν μεσαυλίῳ δυτικῷ*. *In meſaulio dytico* celebrato, ideſt, in aula occidentali; omnes enim lectiones mendoſæ ſunt.

MESCIUCHIM, quid hebraice ſignificat. Vide *Spathiſter*.

MESONAUTA. FR. vilis in navi ſervus. Vide Hermolaum Barbarum, & Ulpian. in l. 1. §. 1. ff. nau. caup. & ſtab.

MESOPICATUS. FR. dictio græco-latina, ex *μέσος*, ideſt, ſemis, & picatus, ſeu piccatus, & ſonat ſemi-piceatus, pice ſemi-illitus.

MESOTROPUS, *μεσότροπος*, habetur hæc dictio in ſermone D. Cypriano attributo de ultima Chriſti cœna, ubi Auctor varia Sanctorum antiqui teſtamenti veſtimenta aſſignat, & ad eorum actiones alludens, ait: [ Elias aeream, Heva arborinam, Job. biplagiam, Eſaias meſotropam. ] Quæ ultima dictio ſignificat ſemiſectam, quia Eſaias per medium ſectus obiit.

MESQUITA. FR. Superſtitioſum Machometanorum Templum. Clement. de Judæis, & Saracenis. Vide *Mahomeria*.

MESSAGITÆ, ſeu *Maſſagetæ* Populi. V. *Samaraus*.

MESSALIANI. Vide *Aſceticon*, *Precatores*.

MESSANA, in Sicilia nobiliſſima Civitas: quo ad ejus eccleſiaſticos ritus, & alia. Vide *Archimandrita*, *Cameus*, *Mitra*, *Palmatina*, *Pentecoſtes*, *Protopapas*, *Rheuma*, *Succentor*, *Veſpera*.

MESSIA. Vide *Siloe*.

MESSIS. Vide *Feria propter meſſem*.

MESSIVUS, adjectivum nomen, ad meſſem pertinens. [ Ipſi vero reſponderunt ſe meſſivo tempore occupatos. Fulbert. epiſt. 39. ] & ferias propter meſſem: [ Meſſivas ferias, epiſt. 18. ] idem appellat.

META, Acervus frumenti. [ Acervos, quos metas dicimus, fecit, ut populo fame poſtea laboraturo, inde ſubvenire valeret. Hincmar. Rhemenſis Archiep. in vita S. Remigii. ] Item pretium rerum comeſtibilium ſtabilitum, & taxatum, quod in Sicilia, & Melita adhuc *Meta* dicitur: [ Acceptiſque clavibus metas annonæ, quæ aderant, elidit. Greg. Turonen. lib. 5. cap. 41. ] FR. Accipitur quoque pro quocunque termino, ac ordine [ Nonnulli Inquiſitores per Sedem Apoſtolicam contra pravitatem hæreticam deputati, metas ſibi traditas excedentes &c. Clement. c. 1. de Hæret. ] Vide *Nyſſa*. *Raſta*. Item *Meta* ſignificat quartam dotis taxatam, l. ſi quis ſponſaverit, de Sponſalib. & l. ſi puella, de his, qui ſine volunt. Mundualdi.

METACISMUS, imperfectio in crebra pronunciatione litteræ M, in eodem periodo; aliqui tamen *Mytaciſmum* appellant; ſed ſequendus eſt potius eloquentiſſimus D. Gregorius, qui in epiſt. ad Leandrum Epiſc. cap. 5. ſic habet: [ Nam ſicut hujus quoque epiſtolæ tenor enunciat, non metaciſmi colliſionem fugio; non barbariſmi confuſionem devito.

METALLOPUS, ideſt, metalli opus: accipitur pro metalli fodina in Cod. Theodoſ. lib. 7. tit. 18. cap. 8. ubi ſic: [ Vel metalloperi publico deputetur. ] Vide *Minera*.

METALLUM. Vide *Altare*.

METANGISMONITÆ, Hæretici, a *Meta*, & *Ango*, ideſt, termino anguſto, coarctato, qui & *Metangi* dicebantur. Vide *Colluciani*; nam termino anguſtiabant Filium in divinis, aſſerentes illum reſpectu Patris eſſe tanquam continens in contento, 24. qu. 3. can. 39.

METANOEA, græca dictio *μετάνοια*, quæ proprie mentis, ſeu animi, & propoſiti converſio ſignificat: verum apud nonnullos poſterioris ævi Auctores pro inclinatione profunda, vel proſtratione ſolet uſurpari; at quia græci Presbyteri in confeſſione ſolent pro pœnitentia profundas inclinationes imponere, quas uſitatas apud Græcos eſſe diximus in dict. *Genuflexio*. Hinc eſt, quod promiſcue *Metanœa* pro pœnitentia ſæpe tum apud græcos Patres, cum latinos uſurpetur. [Surrexerunt omnes cum gladio. & lacrymis, & miſerunt metanœam & oratio facta eſt. Anaſt. Biblioth.] Quare referens pia opera Petrus Damianus, quæ ab Eremitis pro defunctis fratribus ſolebant impendi, inquit: [ Cum frater quidam ex noſtris objerit, unuſquiſque pro eo ſeptem diſciplinas cum millenis ſcoparum ictibus accipit, ſeptingentas metanœas facit, triginta inſuper pſalteria &c. ] ubi metanœas profundas inclinationes intelligit. Item *Metanœa* ſignificat Aſceterium pœnitentium mulierum, quod nomen accepit a celebre Monaſterio Alexandrino, cujus fit mentio in act. Concil. Chalcedonen. actione 3. in præfat. ad Regulam. Vide *Palmata*.

METATORIUM, *Metator*, & *Metatus*. Vide *Aſpaticum*.

METAXA, ſericum ex græco *μέταξα*, & proprie crudum, intinctum, ac rude ſericum latine ſignificat [ Sericoblattæ, & metaxæ ſpecies. Cod. Juſt. lib. 10. tit. 8. ] & in pandect. l. 39. Hinc Itali corrupte *Mataſſa di ſeta* dicunt.

METEMPSYCHI, a græca dictione Μετεμψύχωσις, ideſt, animæ tranſmigratio, Hæretici dicuntur, qui ad imitationem Pythagoricorum tranſmigrationem animarum aſſerebant. [Nemo cum hæc audit metempſychos imputet. Chryſol. ſerm. 88. Itaque metempſychoſin neceſſario imminere, ſi non in primo quoque vitæ hujus commeatu omnibus inclytis ſatisfiat. Tertullian. de anima c. 11. ] Hanc impiam doctrinam aſſerunt Rabbini, blaſphemantes, quod Adami anima tranſmigratura ſit in futurum Meſſiam; igitur hæc pythagorica opinio fuit antiqua inter Hebræos a tempore Chriſti in terris degentis, qui illum putabant Eliæ, aut Jeremiæ, vel alicujus alterius Prophetæ animam in ſe habuiſſe. Imo & Herodes cogitavit Joannis animam in Chriſtum tranſmigratam, quando dixit:

[ Quem ego decollavi, hic a mortuis reſurrexit. Matth. 14. Lucæ 9.

Metensomatosis, græca vox μετενσωμάτωσις, quæ proprie tranſincorporatio latine verteretur; unde pro transmigratione corporum hic terminus uſurpatur: quæ ſententia Empedoclis fuit, docentis unum corpus elementare in aliud transformari; quemadmodum Pythagoras animam transmigrari aſſeruerat de uno ad aliud corpus; qui tamen merito a Tertulliano irridetur ſic ajente: [ Plane, ut piſcis, ne aliqua ſepulturæ conditio reputeſceret, aſſum ſe maluit in Æthnam præcipitando, atque exinde in illo finita ſit metenſomatoſis. De anima cap. 32.

Metreta, liquidorum menſura, nomen græcum μετρητὴ, continebat viginti ſextarios; de quo vaſe. Vide Baron. ann. 324. n. 115. Fit etiam de hac menſura mentio in Jo. 2. [ Capientes ſingulæ metretas binas, aut ternas.

Metrocanorius, Poeta: [ Merito, ut quidam metrocanorius in ſuo pompavit poemate. In vita S. Reguli Epiſc.

Metrocomia, μετροκωμία, Villa principalis, ſive matrix. [ In metrocomiis non Epiſcopi, ſed Chorepiſcopi inſtituti. Conc. Laodicen. can. 57.

Metropolita, ſive *Metropolitanus*, μητροπολίτης. V. *Archiepiſcopus*. Exarchum Provinciæ in dict. *Exarchus*. Qualis dicatur. Vide *Provincia*.

Metropoliticus. FR. quicquid ad Metropolitanum ſpectat. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſtit. 123.

Metus, in quo differat a triſtitia. Vide *Noluntas*.

Michael Archangelus. Vide *Archiſtrategus*.

Michelatus, μιχαηλάτος, monetæ ſpecies a Sancti Michaelis Archangeli figura, ſive Imperatore hujus nominis ita denominata. [ Centum michelatos pro pictura capituli. Chron. Caſin. lib. 3. cap. 57. ] Et in hiſt. Annæ Comnenæ a Petro Poſſino ex græco in latinum translata Auctore Pachimera.

Migma, μίγμα, mixtio. [ Tauri tui, & pulli aſinorum, qui operantur terram, commixtum migma comedent, ſicut in area ventilatum eſt. Iſai. 30. ] ideſt, propter copioſam abundantiam animalia prædicta paleam frumento mixtam comedent; ideo hebraica lectio *Mixtam*, pro *Migma* habet. Vide *Mimax*.

Miles. FR. titulus nobilis. [ Honorius III. Illuſtri Regi, Baronibus, & Militibus &c. ] titulus appoſitus in cap. 8. Decretal. de confirmat. util. vel inutil. & idem ſignificabat ac Eques, qui titulus in ea ſignificatione uſque ad Greg. XIII. tempora perduraverat; ita ut etiam familia nobiliſſima Romana, quæ nunc *De Cavaleriis* dicitur, etiam *De Militibus* appellabatur, ut idem Greg. in quadam bulla ſic ait. [ Ad Domitium de Militibus, ſeu de Cavaleriis, & ejus ſocios; nec non illud Torre di ſaſſo, ad Thomam etiam de Militibus &c. Bullar. Caſinen. tom. 2. Conſtit. 442. ] Milites Cæſariani Silentiarii dicti, & quare. Vide *Silentiarius*. Item hoc vocabulum de iis omnibus uſurpatur, qui ſub alienis ſtipendiis merentur; ita Reges Burgundiorum modo Imperatoris, modo Regis Francorum milites ſe appe'lant apud Avitum Viennenſem, & alibi.

Militissa, uxor militis, hoc eſt, Equitis: [ In corde cujuſdam potentis Dominæ Militiſſæ. In vita B. Coletæ. ] Vide *Milito*.

Milito. FR. verbum, quod etiam in rebus eccleſiaſticis uſurpatur. [ Nemo cogitur ſuis ſtipendiis militare. In Decretal. de præſumptionibus, cap. 16.

Millenarii. Vide *Cerinthiani*.

Mimax. FR. [ Sæva inſuper jam per ripam Alemannorum barbaries tela contra nos mixta toxico jaciebat: minitabantur etiam nos intra aquas natantes numaci igne cremare, niſi Pap[a]m, & nos in manibus eorum redderemus. In vita S. Gelaſii Papæ II. a Pandulpho Piſano ſcripta, & a Conſtantino Cajetano typis mandata. ] Dicitur hic *Mumax*, ſequendo nempe regulam latinorum, qui græcum y, in u lene vertebant, ut in littera Υ, dicetur. Dictio ergo *Mimax*, vel a migma quod mixturam ſignificat, ut in dict. *Migma*, & *Ignis græcus* dictum eſt, & ſic in hoc loco mixturam igneam ſignificaret, vel fortaſſe hic mendoſe pro *Minaci igne* mimaci igne Amanuenſis poſuerat, vel tandem ex græco vocabulo μύσαξ, ideſt, ſtridulus, teſte Heſychio, eo modo, quo a Latinis *Ignis ſtridens* dicitur, ſeu potius a μύμαρ, quod eodem teſte, timorem denotat, unde *Mimax* ignis terribilis, & minax intelligatur. Cæterum apud antiquos Romanos hæ igneæ mixturę etiam reperiebantur, teſte Dioniſio Halicarnaſſeo lib. 10. ubi ſic habet? [ Undique arces expugnabantur; nam alii propinquis ædibus vaſa bituminis, & piſcis incenſæ in fundis accomodata jaculabantur.

Mina, moneta. Vide *Mna*. Ejus valor. Vide *Talentum*.

Minans, ducens. Vide *Mino*.

Minera, pro minerali. [ Nam, ut rude, infectumque aurum, vel adulteratum, multiſque aliis infectum mineris. Cyrillus Jeroſolymitanus catech. 1. Vide *Metallopus*.

Minerva. Vide *Athenogeron*.

Minister. FR. [ In Miſſis ſolemnibus, & pontificalibus, non in faſtum, ſed in teſtimonium adhibentur miniſtri, can. Epiſc. Deo, & can. Hoc quoque, de conſecrat. diſt. 1.

Ministerium, vas pro Altaris ſacrificio deſtinatum. [ Conſtituit, ut miniſteria ſacrata non tangerentur, niſi a miniſtris ſacratis. Anaſtaſ. Biblioth. in Sixto. Urbanus Papa omnia miniſteria ſacra fecit argentea. Strab. de reb. Eccleſ. c. 24. Vide *Calix*.

Ministralis. FR. ſervus, & familiaris, domeſticus, & aliquando ſumitur pro Judice, vel Nuncio, l. ſi quis litteras, eod. tit. [ Prohibemus inſuper, ne quis Epiſcopus, vel miniſtralis ejus &c. Bullar. Caſin. tom. 2. conſt. 206.: || : Item Calix, quo ſanguis Chriſti fidelibus miniſtrabatur, quando Euchariſtia ſub utraque ſpecie diſpenſabatur. Item pro miniſtro Eccleſiæ accipitur: [ Hic conſtituit in Urbe miniſtrales, qui circuirent conſtitutas ſtationes. In actis Hilarii Papæ. ] Vide *Statio*.

Mino, ideſt, duco. [ Tollite, ut habeatis qualiter hoc jumentum minare valeatis. S. Greg. lib. 1. Dialog. cap. 2. ] Item *Minans*, nempe, ducens. [ Agaſones equos agentes, ideſt, minantes. Paul. Diacon.

Minores Fratres. Vide *Franciſcani*.

Minuo. Vide *Minutus*.

Minutalis, res minuti, ſeu vilis pretii. [ Si minutalibus, ut ita dixerim, regnis, undique conferantur in examinationem. Tertull. lib. 1. adverſ. Marcion. cap. 4. ] qui etiam de habit. mulier. cap. 6. margaritas [ Terræ minutalia ] appellavit. Item pro vili moneta: [ Cum fuiſſet octo minutales libra carnium. Luitprand. in vita Alexandri Severi. ] Vide *Minutum*.

Minutalarius, vectigalium conductor, ſive locator. D. Aug. de Civit. cap. 4. eſt tamen ibi mendoſa lectio *Munuſcularius*, ſeu *Minicularius*.

* Μήνυτρα. Premium inventionis, aut judicii rerum perditarum aliter ὕρετρα. Digeſt. lib. 47. tit. 2.

Minutum, quadrans moneta. [ Cum veniſſet autem vidua una pauper, miſit duo minuta, quod eſt quadrans. Marci cap. 12. ] Arabicus textus *Felſein* habet, ideſt, bina minuta. *Fels* enim apud eos eſt vilior moneta. In textu Lucæ habetur fuiſſe ex ære hanc monetam. [ Mittentem ærea minuta duo, cap. 21. Dabant omnibus, qui in templo erant, duo minuta. Jo. Moſchus c. 127. ] FR. [ Ut per quatuor dies unam tantum oblationem manducaret minutorum viginti. Idem Moſchus cap. 42. ] Vide *Minutalis*.

Minutus, qui per emiſſionem ſanguinis curatur, a verbo minuo; nam *Minuere ſanguinem* penes veteres illum alleviare per extractionem ſignificabat. [ Et notandum, quia quater in anno minui poſſunt; quarta vero minutio circa feſtum S. Jo. Baptiſtæ. In conſtitutione Ciſtercienſium cap. 90. de minutis. ] FR. In quadam Bulla Innocentii III. in Archivo S. Petri Vaticani conſervata, quæ incipit: [ Ea quæ de mandato facta ] ſub data IV. Idus Januar. Pontificatus, an. VIII. ubi Pontifex ille ejuſdem Baſilicæ canonicis in miniſterio eorum normam præbet, hæc habentur: [ Medicinati etiam per dies tres, minuti per dies duos, balneati per diem unum, ab hujuſmodi pœna, ( *ideſt, amittendi diſtributiones* ) cenſeantur immunes. ] Cæterum Galeni Traductor paſſim utitur hoc dicendi modo, nempe, *Sanguinem minuere*, pro emittere, præſertim in lib. de curat. per ſanguinis emiſſionem cap. 12. ubi ſic ille tranſtulit: [ Sic rurſum ſanguinem minuere, ] & ibidem cap. 17. [ Sanguinem minues. ] Item in can. nec tales, de conſecrat. diſt. 5. ex Aphoriſmis Hippocr. [ Niſi cito oblatione ſanguinis minuatur. ] Vide *Obeſus*,

Mirificentia, prodigium, portentum, miraculum. [ Reſurrectionis tantum contemplemur effectum, quia hoc ſignum videmus eſſe ſignorum, virtutum cernimus eſſe virtutem, mirabilium eſſe mirificentiam pervidemus. Petr. Chryſol. ſerm. 63.

Miſericordia, quædam relaxatio, quæ Monachis præſtatur, [ Ut deteſtabiles ingurgitationes miſericordiarum ( in quibus profecto non erat miſericordia ) prohiberentur. Matthæus Pariſ. in vita Abbatum. ] Nonnulli vas vinarium intelligunt, cujus antitheſis vas juſtitiæ dicebatur. Vide *Juſtitia*. FR. Aliquando partem ſtalli choralis ſuperiorem ſignificat, ſupra quam ex miſericordia Monachis divinorum officiorum tempore adniti indulgebatur. [ Reclinans ſe ſuper miſericordias. In Nomaſt. Ciſtercien. par. 1. cap. 10.



Miſopogon, græca dictio Μισοπώγων, ideſt, odium barbæ; ſic appellata fuit apologetica Juliani Apoſtatæ ad Antiochenos reſponſio, ut refert Gregor. Nazian. Orat. 2. in Julianum, quæ denominatio irriſorie ab eiſdem Antiochenis impoſita ei fuerat, ad Juliani philoſophicam, caprinamque barbam alludentibus, qui ex eadem barba *Caper* appellatus fuit. FR. de aliis ignominioſis titulis huic Apoſtatæ ab Antiochenis attributis. Vide Baron. an. 362. nu. 81. & ſeqq.

Miſpriso. FR. vilipendo, vitupero. [ Et ut illi homines, qui in iſto regno contra ſeniorem noſtrum Dominum Karolum miſpriſerunt. In conſtit. Caroli Calvi cap. 5.

Miſſa, quæ ſolet definiri, [ Oblatio Deo facta per immutationem alicujus rei ſenſibilis in ſignum, & proteſtationem ſupremi dominii ipſius Dei publica auctoritate inſtituta. ] Ita Suarez tom. 3. in 3. par. diſput. 73. ſect. 6. Layman de ſacrif. Miſſæ c. 1. Coninch. in 3. par. qu. 83. art. 1. dub. 1. & alii. Cujus etymon aliqui trahere putant a voce hebraica *Minchà*, quæ ſpontaneam oblationem ſignificat. Alii tamen exiſtimant eſſe latinam dictionem, ut Albin. de divin. Off. dum ait: [ Miſſa autem dicitur quaſi tranſmiſſa, eo quod populus fidelis de ſuis meritis non præſumens, preces, & oblationes, quas Deo omnipotenti offerre deſiderat, per miniſterium, & orationem Sacerdotis ad Deum tranſmittat ] ſive, ut Iſidoro lib. 6. Orig. c. 6. placuit, [ Miſſa tempore ſacrificii eſt, quando Catechumeni foras mittuntur, clamante Levita: Si quis Catechumenus remanſit, exeat foras; & inde miſſa, quia Sacramentis Altaris intereſſe non poſſunt. ] Pluribus autem nominibus a Sanctis Patribus appellata fuit Miſſa, exempli gratia *Anaphora*, *Doxologia*, *Liturgia*; ut ſuis locis videre eſt. Item *Myſtagogia*, μυςαγωγία, *Diſciplina ſacrorum* a Nazianzeno: *Thyſia*, θυσία, *Sacrificium*, & *Proſphora*, προσφορὰ *Oblatio* in can. 3. Apoſt. *Ierurgia*, ſeu, *Hierurgia*, ἱερȣργία, *Sacrum munus* a D. Ignatio Martyre, *Teleta*, τελετὴ, *Cæremonia*. FR. De nomine *Teleta* D. Aug. lib. 4. de Civit. Dei cap. 31. ſic inquit: [ Et ideo Græcos, teletas, ac myſteria taciturnitate, parietibuſque clauſiſſe ] S. vero Dionyſius appellavit Chriſtum *Teletarcha*, ideſt, caput, ac inſtitutorem ſacrarum cæremoniarum: || : Miſſa inſuper aliquando ſolemnitatem, & feſtivitatem alicujus Sancti ſignificat, ſicut in Concil. Piſtenſ. cap. 3. leguntur hæc verba: [ Communi placito conſtituimus, ut uſque ad Miſſam S. Remigii, ideſt, Kal. Octobris &c. ] Unde Baronius in No-

Notis Martyrol. ad diem 1. Octobris ſic verba præfati Concilii interpretatur: [ Miſſa ibi pro ipſa ſolemnitate accipitur more Francorum; ſic & in capitularibus Reg. Franc. lib. 2. cap. 18. legitur: [ Ut abſque ulla excuſatione, cito poſſit emendari, ſpatium uſque ad Miſſam Sancti Martini dare decrevimus. ] Item aliquando ſignificat quamlibet adunationem ſacram occaſione Miſſæ, ſive horarum canonicarum, ut apud Caſſianum, lib. 2. de inſtit. Monachorum cap. 13. & 15. in titulo, & lib. 3. cap. 5. 6. & 8. Iſidorum, aliosque ſcriptores legitur, præcipue in Regulis S. Benedicti. FR. In Regulis Monaſticis cap. 6. legitur: [ Operam vero dabunt ſinguli fratres, ut tempore, quo miſſæ fiunt, ſive die, ſive nocte. ] Et in Concil. Agathenſe can. 30. etiam habetur: [ In concluſione matutinarum, vel veſpertinarum Miſſarum poſt hymnos capitella de pſalmis dicantur. ] Vide *Miſſa ſicca*: || : Itaque agendo nos hic de ſolo miſſæ ſacrificio, dicimus, in Eccleſiæ primordio, quod in conſecratione, & in oratione Dominicali conſiſtebat; cui poſt modum Apoſtoli addidere Epiſtolam, & Evangelium. Greg. Papa epiſt. ad Jo. Syriac. Epiſc. & dictum fuit in dict. *Introitus*. Poſtea ſucceſſive tam Romani Pontifices, quam Concilia in variis occaſionibus diverſas orationes, ac cæremonias in miſſa ampliavere. In Ritu Ambroſiano per omnes Ferias ſextas non ſolet celebrari, & in Ritu Romano tempore quadrageſimali, exceptis Dominicis, & Sabbatis diebus, ac Annuntiationis feſto, nunquam celebrabatur, quod uſque ad annum 700. duraſſe affirmant Maur. lib. de inſtit. Cler. & Microl. de Eccl. obſer. cap. 49. Græci etiam in diebus quadrageſimæ ferialibus, excepto Sabbato, celebrant ſine conſecratione; conſumant tamen Euchariſtiam in præcedenti Dominica conſecrata, eo modo, quo nos ſolemus in die Veneris Sancti; quæ Miſſa προηγιασμένη, ideſt, *Præſanctificatam* vocant; fit enim in ſignum mœſtitiæ. [ In omnibus quadrageſimæ jejunii diebus, præterquam Sabbato, & Dominica, & Annuntiationis die, fiat ſacrum præſanctificatorum myſteriorum. Sexta Synod. in Trull. can. 52. ] Quam inſtitutionem ipſi Græci a Gregorio Magno habuiſſe tradunt. Circa vero tempus celebrandi Miſſam in Rubricis ab Aurora uſque ad Meridiem præſcribitur. Aurora autem intelligitur communiter incipere per horam cum dimidio ante Solis ortum, excipiendo nihilominus menſem Martii, ac Junii, in quibus tam tempus antelucanum per horam anticipari, quam meridianum prolongari juſtis de cauſis, ac Epiſcopi licentia poſſet, ut ſenſit Suar. diſput. 80. ſect. 4. Item occaſione Viatici moribundo præſtandi poſſet media nocte tranſacta celebrari. Ita Vict. de Euchariſt. n. 95. Layman. lib. 4. tract. 5. c. 4. Item Sacerdos in die feſtivitatis de precepto ex itinere ſero proveniens, poſſet per horam poſt meridiem celebrare. Ita Suar. Layman. & Diana. Itaque peccaret mortaliter Sacerdos huic præcepto adverſans notabiliter, quod ſecundum Azor. lib. 10. c. 25. quæſt. 9. eſſet tertia pars unius horæ; ex eo enim, quod Papa ex ſingulari privilegio dilatationem unius horæ ſoleat concedere, manifeſtum ergo eſt, quod licite fieri nequeat. In illis climatibus, in quibus naturalis Aurora non apparet, attendenda eſt moralis Aurora, quæ eſſet, quando communiter quies terminari ſolet; ſic definitum fuit a Sac. Congr. Rituum 18. Septemb. 1634. Urbani VIII. juſſu, atque Gavanto interveniente, ut ipſemet teſtatur. Aliqui Auctores claſſici affirmant, in die Reſurrectionis Dominicæ celebrari poſſe ante auroram; ubi tamen mos eſt hoc fieri in memoriam temporis Reſurrectionis, ſicut univerſaliter fit in Nocte Nativitatis. Hora autem pro celebratione conſueta erit hora tertia in diebus feſtivis, hora ſexta in ferialibus, hora nona in diebus jejuniorum. [ Eſt Eccleſiaſtica conſuetudo, ut ad nonam reficiamur, cum ad ſextam Miſſam celebramus; ad Veſperum autem, cum ad nonam ſacrificamus. Microl. de Eccleſ. obſerv. c. 49. ] FR. hoc tamen tempus præfixum celebrandi de Miſſa conventuali intelligitur, ut in dict. *Miſſa Conventualis* oſtendam. De Miſſa veſpertinali. Vide aliqua initio dict. *Jejunium*, & eſt eadem ac Miſſa ſicca. Vide *miſſa ſicca*. Circa vero tempus anticipatum mediæ noctis Nativitatis Domini in Cappella Papali. Vide *Miſſa Nativitatis Domini*. Miſſa celebrari poteſt ſub dio, ſeu in tentoriis, can. concedimus, de conſecrat. diſt. 1.: || : Si in Miſſa adhuc Sacerdos non conſecravit, & alia Miſſa non reperitur in die feſto, poteſt illam denuo incipere in adventu Epiſcopi, vel alterius Magnatis. Nav. de Orat. notab. 16. nu. 55. Azor. lib. 10. cap. 32. qu. 3. Poſſev. de off. cur. cap. 2. nu. 11. FR. ampliarem etiam concurrente populo; nam coram Deo non eſt acceptio perſonarum, præcipue ubi agitur de animæ intereſſe. Imo Toletus affirmat, Sacerdotem non facta adhuc ablutione, ſi populus in die feſti concurrat ad audiendum ſacrum, poſſe donuo aliam Miſſam celebrare, quod habetur in fine dict. *Miſſa Nativitatis Domini*: || : Non poſſunt fœminæ inſervire Miſſæ; bene tamen Moniales ex choro Miſſæ cantatæ reſpondere. In caſu neceſſitatis permiſſum eſt Sacerdoti abſque miniſtro celebrare, quæ neceſſitas intelligeretur pro præbendo viatico, ſeu in celebratiſſima ſolemnitate: Facundez lib. 3. cap. 21. & in caſu neceſſitatis Viatici Sacerdotem non jejunum celebrare poſſe nonnulli affirmant; contraria vero opinio probabilior cenſetur. Non reperto Miſſali Romano in Eccleſia Regularium, poſſet Sacerdos Romani ritus uti Miſſali Regularium ad celebrandum. Diana par. 4. tract. 4. reſol. 95. Sic etiam univerſalem aſſenſum Doctorum opinio jam obtinuit, quod Latinus Sacerdos inter Græcos degens, ubi Latinorum Altare non reperitur, celebrare poſſet in fermentato, & eodem modo vice verſa Græcus Sacerdos, quod erudite probat Nicolaus Baldellus. Cæterum Miſſa ſine candelis, ſaltem duabus, non licet celebrare: quod ſi ita celebretur, gravis eſſet culpa, ut colligitur ex cap. fin. de Celebr. Miſſæ. Ubi Honorius tertius Sacerdotem officio,

cio, & beneficio privavit, quia ſine luminibus celebraverat. In caſu tamen neceſſitatis unam lumen ſufficere aliqui Doctores docent, & Azor lib. 10. cap. 28. candelas ſebaceas permittit; ſed Suarez olei tantum lumen concedit. FR. An una Miſſa proſit tantum omnibus, quantum uni. Gloſsa in can. Non mediocriter, de conſecrat. diſt. 5. aſsentire videtur, dum ait. [ Vel hoc referas ad ipſum Celebrantem, quia tantum valet ei, ut Miſsam celebret pro centum, ſicut pro uno &c.] Eandem ſententiam tenet Bordonus tom. 1. variar. reſol. 25. qu. 9. quam tamen ſententiam non eſse probabilem poſt decreta citata a meo Magiſtro Pauli IV. in commentario Rubricæ Miſsalis in appendice de ſacrificio, quæſt. 4. puncto 3. difficul. 2. ſatis oſtenditur. Item Miſsam cantare poteſt ſolus Sacerdos, ubi Clericorum copia non adſit. Gloſsa in can. Hoc quoque, de conſecrat. diſt. 1. Miſsæ partes. Vide *Anaphora. Benedictio. Campana. Candela. Canon Miſſæ. Collecta. Communicantes. Communio. Complènda. Confeſſio. Diptychum. Epiſtola. Evangelium. Gloria in excelſis. Gloria Patri. Graduale. Hoſanna. Hoſtia. Introitus. Item Energumeni. Ite Miſſa eſt. Kyrie eleiſon. Lavabo. Laus tibi Chriſte. Lectio. Libera nos quæſumus Domine. Oblatio. Offertorium. Pater noſter. Pax. Pax Domini. Pax vobis. Præfatio. Poſtcommunio. Proſa. Sanctus &c. Tractus*. Miſſa bipartita in Miſſam Catechumenorum, & Miſſam Sacramentorum. Vide *Catechumenus*. An liceat Sacerdoti plures Miſſas in die celebrare. Vide *Miſſa Nativitatis Domini*. Utrum in mari vere ſacrum confici poſſet. Vide *Miſſa ſicca* §. In primariis Hiſpaniæ. Item. Quando prima Miſſa ab Apoſtolorum Principe celebrata fuit. Vide *Pencecoſtes*.

Missæ Applicatio. Vide *Beneficium*.

Missa B. Mariæ Virg. Vide *Sabbatum*.

Missa Conventualis. FR. quam Rectores Eccleſiarum quotidie celebrari facere tenentur, vel cum cantu, ſive privatim juxta temporis conformitatem poſt Tertiam. [Miſſa conventualis debet celebrari poſt Tertiam, quia illa hora Chriſtus paſſus eſt, can. nocte ſancta, c. & hoc de conſecrat. diſt. 1.] :||: Ex præcedentibus rigoroſis obſervationibus in aſſignando cuilibet horæ conventualem Miſſam reſponderi poteſt ad dubium a paucis animadverſum, & a Francolino agitatum; quare, nempe, in diebus Dominicis, in quibus celebratur feſtum duplex, non dicantur duæ Miſſæ conventuales, cum majoris gradus ſit Dominica, quam feria privilegiata? Reſpondet idem auctor, quia in Dominica neceſſe eſſet utramque Miſſam Conventualem poſt tertiam celebrare, quod non permittitur ab Eccleſia, quæ annectit conventualem Miſſam cum aliqua hora canonica, & ob eandem cauſam non dicuntur duæ Miſſæ conventuales in Vigiliis, quia ambæ poſt nonam celebrari deberent; nam (ut ſupra viſum eſt) tempore jejuniorum poſt nonam conventualis celebrari debet; antiquitus autem rigoroſe obſervabatur tempus celebrandi conventualem Miſſam; legitur enim in Vitis Sanctorum Patrum, quod Incolæ cujuſdam Villæ eorum Presbyterum apud Epiſcopum accuſaverant, dicendo: [ Accedit Miſſam celebrare die Dominico, nunc hora tertia, nunc autem hora nona, ut ſibi viſum fuerit, neque obſervat ſolemnem, ac legitimum ordinem ſanctæ oblationis.] Sed Sanctus Presbyter ab Epiſcopo examinatus, revelavit, quod poſt matutinum expectabat prope Altare, donec viſibiliter appareret Spiritus Sanctus, & tunc Miſsam ille celebrabat. Jo. Moſchus in vita Patrum lib. 10. cap. 27. FR. Circa dubium, utrum in Dominica cantari debeant duæ Miſſæ Conventuales, quando in eo occurrit feſtum duplex, conſule præfatum meum præceptorem Quartum in Rubricæ Miſſalis commentario par. 1. tit. 7. de commemorat. dub. 1.

Missa Catechumenorum. Uſque ad Miſsam Catechumenorum licet Judæis, & Gentilibus intervenire, can. Epiſcopus nullum prohibeat, de conſecrat. diſt. 1. Reliqua. Vide *Catechumenus. Scrutinium*.

Missa Cum Nota, ideſt, cantata: ſic legitur in Collegiata Malliani Sabinen. Bulla Pii II. pro ejuſdem Collegiatæ erectione, quam nuper Alexander VII. in Cathedralem totius Sabinæ erexit.

Missa Defunctorum: contra hanc antiquam, & laudabilem Eccleſiæ pietatem nova hæreticalis impietas latrare non ceſſat, cujus dentes ſic D. Auguſtinus obtundit, confringitque, inquiens: [ Non parva eſt univerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret auctoritas; ubi in precibus Sacerdotes, quæ Domino Deo ad ejus Altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum, lib. de cura pro mortuis agenda cap. 1.] Pro mortuorum enim ſuffragio non ſiſtit tantum Eccleſia in quotidianis Miſſæ, & horarum canonicarum precibus, ita ut in fine cujuslibet horæ expiabilem requiem expoſcat; ſed etiam in quolibet menſis principio Officium, ac Miſſam pro illis recitat, ex antiquiſſimo inſtituto, ut Alcuin. de divin. off. teſtatur. Cum pſal. *De profundis*, & collecta pro defuncti terminat horas Canonicas Lugdunenſis Eccleſia. Miſſam cantatam poſt conventualem Cathedralis Pragenſis quotidie pro eis celebrat, ac univerſaliter prius uſus obtinuit, ut in quocumque primo ſeptimanæ die variæ pro animabus purgantibus fundantur a fidelibus preces; hanc enim dici dedicationem de anno 1056. ex inſtituto quorundam Monachorum initium habuiſſe Baronius, & Petrus Damianus teſtantur; devotam vero feriæ ſecundæ meditationem pro defunctis ob eam rationem applicatam fuiſſe idem Damianus refert his verbis: [ Quælibet animæ defunctorum in diebus Dominicis requieſcunt, atque a ſuppliciis feriantur; ſecunda vero feria ad ea, quibus aſſignata ſunt, pœnarum ergaſtula revertuntur. Idcirco ipſo potiſſimum die Angelis Miſſarum honor impenditur, ut & mortuis, & morituris patrocinalis eorum defenſio procuretur, lib. 2. epiſtolar.] Quam meditationem Joannes Betleth in Ration. divin. off. c. 5. confirmans, inquit: [ Eodem

quoque die Miſſa pro defunctis celebratur, quoniam, ut plerique ajunt, feria prima refrigerium habent ii, qui ſunt in purgatorio, ſtatimque altera die poſt ad pœnas ſolitas, & ad laborem redeunt; ita ut eo die, quo eorum laboribus aliquo modo ſubvenitur, Miſſa pro illis cantatur.] Solet etiam Eccleſia tertio die poſt obitum alicujus Miſſam defunctorum celebrare ob memoriam Reſurrectionis Chriſti, quæ fuit die tertio poſt ejus mortem. S. Clemens lib. 7. Conſtit. Apoſtol. cap. 48. Item die ſeptimo in ſymbolum æternæ quietis. D. Ambroſius in oratione de fide reſurrect. Sanctus vero Auguſtinus eos damnat, qui die nono depoſitionis celebrant pro defuncto, his verbis: [Neſcio utrum inveniatur alicujus Sanctorum in ſcripturis celebratum eſſe luctum novem dies, quod apud Latinos Novemdial appellant. Unde mihi videntur ab hac conſuetudine prohibendi, ſi qui Chriſtianorum iſtum in mortuis ſuis numerum ſervant, qui magis eſt in Gentilium conſuetudine. Septimus vero dies auctoritatem in Scripturis habet &c. lib. 1. quæſt. ſuper Exod. quæſt. 172.] atque idem Aug. lib. 2. quæſt. Evang. c. 40. novenarium numerum imperfectum eſſe aſſeruit. Item die trigeſimo, quia ex Sac. Scriptura habetur Aaronis mortem per triginta dies a populo deploratam fuiſſe; quare D. Gregor. lib. 4. dialog. cap. 55. Abbati Specioſo ordinavit, ut per triginta continuos dies Miſſam pro anima Juſti Monachi celebraret, his verbis: [Vade, ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo ſacrificium, ſtude, ut nullus omnino prætermittatur dies, quo pro abſolutione illius hoſtia ſalutaris non offeratur.] Ex quibus verbis colligitur prædictas trigintaMiſſas ab eodem Sacerdote celebrandas, vel de defunctis dicendas eſſe non oportere,dummodo celebrationes ſint currentes,& non interpolatæ; aliter enim non eſſent Miſſæ illæ a D. Gregorio inſtitutæ, & a Sac. Rituum Congregatione 28. Octobris 1628. approbatæ, quæ quaſdam Miſſas prohibuit ſub nomine pro vivis, & defunctis, eaſque a miſſali 8. April. ejuſdem anni 1628. removeri mandavit. Græci ſolent in tertio, nono, & quadrageſimo depoſitionis die pro defunctis celebrare. FR. nonum diem ſupra viſum eſt non licere, & quadrageſimum tanquam a ſuperſtitione Gentilium provenientem D. Auguſt. alibi impugnat :||: Anniverſaria depoſitionis commemoratio tam Græcis, quam Latinis in uſu eſt, de qua Tertullian. de corona milit. cap. 3. ſic ait: [Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus.] Tandem anniverſaria generalia pro omnibus defunctis ad diem ſecundum Novembris ſtabilita, putant Petr. Damianus, & Sigibertus in Chron. a Sancto Odilone Abb.de anno 998. introducta fuiſſe; ſed hujuſmodi commemoratio in eodem die, nempe, poſt diem feſti omnium Sanctorum, apud Amalarium, qui floruit in octavo Chriſtiano ſæculo, reperitur in ejus tractatu de off. Eccleſ. Alii vero Bonifacium IV. de anno 607. hujus ſanctæ inſtitutionis Auctorem faciunt. In tali autem die omnes Sacerdotes pro defunctis in generali ſacrificium applicare tenentur, licet aſtricti alias ſint pro particularibus quotidie celebrare; lex enim univerſalis prævalet particulari teſtatorum. Gavant. part. 4. tit. 15. Fraxin. de oblig. Sacer. Miſſ. ſect. 4. concl. 4. §. 22. FR. de tertio, ſeptimo, trigeſimo, ſeu quadrageſimo die pro mortuis deſtinato. Vide can. quia alii 13. quæſt. 3. :||: Advertendum tamen eſt, quod in diebus feſtivis de præcepto, præſente cadavere, poſſet una tantum Miſſa pro defuncto celebrari ex decreto Sacr. Rit. Congregat. 23. Maii 1603. Rituale Rom. a Paulo V. reformatum prohibet exequias agere, & publice deferre mortuos in die Paſchæ. Circa Anniverſaria defunctorum particularis praxis Vaticanæ Baſilicæ ita ſe habet, ut celebrentur in die, quo incidunt, etiam ſi tunc officium duplex concurreret: non vero in Dominicis, ſeu feſtis de præcepto, & in octavis duplicia excludentibus. Eadem prorſus regula obſervanda eſt in die tertio, ſeptimo, & trigeſimo. Decedens aliquis longinque, ſtatim ac habita de ejus obitu notitia poſſet celebrari Miſſa, ut *In dies obitus:* cum collecta tamen tertii diei relicto verbo *Tertium*. Ita Gavant. part. 4. tit. 18. num. 14. Advertendum eſt inſuper, quod nomen defuncti, nonnunquam pro incipiente, & non terminante aliquam functionem uſurpetur; hinc de eo, qui in evangelica parabola dicitur, quod cœpit ædificare &c. Tertullianus de Idolatr. cap. 12. ſic loquitur: [Qui prius ſumptus operis cum viribus ſuis ſupputat, ne ubi cœperit defunctus, poſtea erubeſcat.] Item apud eundem in ſenſu ſubſtantivo: [Quo congreſſui, & ſuſpecti, & defunctui ingratis ſubjaceret. Adverſus Valent.] FR. Item penes Eccleſiaſticos, qui objerat non dicebatur mortuus: nam per mortuum Idolum intelligebant. Vide *Mortuus*; ideo *Defunctum* ſive *Dormientem* appellabant, & mors *Dormitio* nuncupabantur: hinc [Sacrificium pro dormitione alicujus celebrare] dicitur in can. Cyprianus 21. quæſt. 4. Ubi cavetur, ne Miſſa celebretur pro defuncto, qui in teſtamento Sacerdotem exequutorem teſtamentarium, vel tutorem reliquerat, quod habetur etiam in can. neque, diſt. 88. Sed pœna iſta ardua, præter quam quod ad terrorem impoſita cenſeatur, ut notat Gloſſa, in d. can. Cyprianus, non obligaret niſi Africanos: nam ab eorum Epiſcopis ſancita fuerat. Quæ autem ſpectant ad functiones mortuorum, ſparſim hic habentur in dictionibus. *Agenda*. *Aquarii*. *Candela*. *Defunctus*. *Diptychum*. *Exequiæ*. Item quod Epiſcopus in Miſſa Defunctorum non utatur ſeptima candela decrevit Sacra Congr. Rit. 19. Maii 1607. Neque baculo. Vide *Baculus*. Neque chirothecis. Vide *Chirotheca*. Non oſculantur manus Sacerdotis. Vide *Oſculum*. *Evangelium*. Item quod oratio per defunctis penultimo loco dicatur. Vide *Collecta*. Quod non dicatur Gloria Patri in pſalmo *Lavabo*. Vide *Gloria Patri*. Ejus offertorium difficilis intelligentiæ explicatur in dict. *Offertorium*. Ubi etiam oſtenditur, quod anti-

quitus non dicebatur Miſſa defunctorum, niſi in agonia. Vide *Officium Defunctorum*. Quare in hac Miſſa ſicut in cæteris Subdiaconus non ſuſtinet patenam. Vide *Patena*. Quare pacis oſculum non datur. Vido *Pax*.

Missa Judicii, erat Miſſa, in qua aliquis ſæculari more ſe purgabat ab aliqua calumnia, de qua purgatione, in canonibus prohibita. Vide *Duellum*. *Educere ſe per aneum*. *Judex compurgationis*. *Juramentum*. *Odalium*. *Purgatio*. *Purgator*. Vide etiam cap. ſententiam, lib. 3. decretal. tit. 5. Ritus hujus Miſſæ in eum, qui ad purgationem damnatus erat, deſcribitur a Dunſtano Dorobernenſi Arciepiſcopo; Miſſæ autem introitus incipiebat: [ Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum &c. ] ejus collecta ſequentibus verbis continebatur: [ Abſolve quæſumus Domine tuorum delicta famulorum, ut a peccatorum ſuorum nexibus, quæ pro ſua fragilitate contraxerunt, tua benignitate liberentur, & in hoc judicio, pro ut meruerunt, tua juſtitia præveniente, ad veritatis cenſuram pervenire mereantur. Per Dominum &c. ] Epiſtola deſumebatur ex Decalogo in Deuteronomio inſerta, nempe, [ Ego ſum Dominus Deus tuus &c. ] Evangelium ex Marco, in quo de obſervantia ejuſdem Decalogi fit mentio, ideſt, [ Magiſter bone quid faciam &c. ] Offertorium conſiſtebat in illis pſalmi verbis: [ Immittet Angelum Dominus in circuitu &c. ] Habebatur etiam Præfatio eidem functioni adaptata, ac quando communicabatur imputatus de delicto, dicebantur illi a Celebrante verba: [ Corpus, & Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit tibi ad probationem hodie. [ Poſtcommunio hanc orationem habebat: [ Perceptis, Domine Deus noſter, ſacris muneribus, ſuppliciter deprecamur, ut hujus participatione ſacramenti, & a propriis nos reatibus indeſinenter expediant, & in famulis tuis veritatis ſententiam declarent. Per Dominum &c. ] Poſt Miſſam Sacerdos ad deſtinatum locum ferventis aquæ accedebat, quam exorciſmis variis præparans, effectum divini judicii implorabat, hauſtumque illius bullientis elementi imputato ad bibendum præbebat; hic exutus veſtibus, oſculatoque prius Evangeliorum libro, ſe in ferventem aquam projiciebat, vel ſupra ferrum candentem nudis pedibus incedebat, aut manibus tangebat; & ſic a calumnia ei impoſita, ſi incolumis evaſiſſet, purgabatur: quod de S. Cunegunda, aliiſque fœminis innocenter calumniatis actum fuiſſe legitur.

Missa Mozarabica. FR. a D. Leandro Hiſpalen. Epiſcopo peculiariter in Hiſpania uſitata reperitur in Tom. 6. Biblioth. SS. PP. colum. 102.

Missa Nativitatis Domini. Antiquitus nedum in hac die plures Miſſas celebrare licitum erat Sacerdoti, ſed etiam quotidie, ita Rupertus Archidiaconus de Sancto Alberto loquens, ait: [ Factus presbyter duas in die celebravit Miſſas, pro vivis alteram, alteram pro defunctis. ] Leo III. Papa novem Miſſas in die celebrabat. Baron. an. 816. n. 54. Concilium Saleguſtadienſe cap. 5. Sacerdotes ad tres Miſſas quotidianas celebrandas limitavit, & tandem Alexander Papa ad unicam quotidianam Miſſam celebrandam Sacerdotes reſtrinxit, can. ſufficit Sacerdoti, de conſecr. diſt. 4. FR. ſed ibidem dicitur etiam, quod [ Quidam tamen pro defunctis unam faciunt, & alteram de die, ſi neceſſe fuerit. ] Quod feciſſe Sanctum Albertum dictum eſt ſupra. Plures igitur celebrationes in die expreſſius Sacerdoti prohibitæ ſunt in cap. conſuluiſti lib. 3. decretal. tit. 41. de celebrat. Miſſarum. At quomodo in Nocte Nativitatis Domini quilibet Sacerdos tres Miſſas celebrare poteſt? Reſpondetur, hoc ex privilegio Leonis Papæ, quod habetur in can. nocte ſancta, de conſecrat. diſt. 1. Ubi Gloſſa hujus triplicati, ſanctique myſterii explicationem his verbis tradit: [ Celebretur una ante diem, quæ ſignificat tempus ante legem, quando eramus in tenebris. Secunda, dum dieſcit, & ſignificat tempus in lege, quando nondum plena agnitio Dei habebatur. Tertia in die, & ſignificat tempus gratiæ, quando jam plena cognitio habebatur. Unde verſus.

Nocte prior, ſub luce ſequens, in luce ſuprema;
Sub Noe, ſub David, ſub Cruce, ſacra nota. ]

Sunt etiam alii verſus in quodam pervetuſto Miſſali,

Quarum prima tibi tempus, quo lege carebant.
Altera dat Moyſen; deſignat tertia Chriſtum.

Ac eadem Gloſſa in can. Conſuliſti ſupra, de celebr. Miſſ. ait: [ Celebrantur etiam tres Miſſæ propter myſterium: quoniam per illas tres Miſſas repræſentatur triplex ſtatus; ſcilicet, ſtatus ante legem, ſub lege, & ſtatus gratiæ. Illa, quæ cantatur in nocte, repræſentat ſtatum illum, qui fuit ante legem, quando omnes erant in tenebris; unde dicitur in Miſſa illa prophetia: Populus gentium, qui ambulabat in tenebris. Secunda, quæ dicitur in aurora, repræſentat tempus ſub lege, in quo jam incipiebant ex parte cognoſcere Chriſtum; ſed non plene propter dicta legis, & Prophetarum, & ideo cantatur inter diem & noctem, & dicitur officium; Lux fulgebit hodie. Tertia dicitur in die, per quam deſignatur tempus gratiæ, ſcilicet præſens; unde dicitur officium: Puer natus eſt &c. quod potes intelligere his verſibus:

Tres in Natali debent Miſſæ celebrari.
Quarum prima ſacram Chriſti ſignat genituram;
Altera venturi deſignat gaudia Chriſti:
Tertia jam factum, quod lex fore ſacra figurat. ]

Atque Poſtillator ibidem alia myſteria tradit, inquiens: [ Prima Miſſa deſignat generationem æternam, quæ occulta eſt, & ideo in nocte celebratur prima Miſſa. Secunda ſignificat nativitatem naturalem, ſcilicet, ex muliere, & quia ex virgine, ideo partim naturalis, partim occulta, ideo celebratur in mane. Tertia ſignificat generationem ſpiritualem, quæ fit per gratiam, & iſta in tertia, quia clareſcit, & ex ſtudiis eorum cognoſcetis eos. Oritur enim Sol juſtitiæ, cum convertitur malus, & quiſquis facit voluntatem Patris. Vincen. Jo. Andr. ] Divus vero Tho-

Thomas in 3. part. qu. 83. art. 2. ad 2. ait denotare has tres Miſſas triplicem Chriſti Nativitatem, quarum prima eſt æterna, nobis occulta, & ideo cantatur in nocte. Secunda eſt ſpiritualis, quia Chriſtus oritur tanquam Lucifer in cordibus noſtris, & propterea cantatur in aurora. Tertia eſt corporalis, ſecundum quam nobis viſibilis apparuit, natus ex Virgine, & ideo cantatur in die. & clara luce poſt Tertiam. :||: Quo ad ritum eas celebrandi, multi Auctores claſſici docuerunt eſſe peccatum mortale celebrare ſecundam, & tertiam Miſſam ante auroram, cum hoc ſit contra Pontificum decreta; & licet contraria opinio aliqualem probabilitatem habeat, tutius tamen erit cæremonias ab Eccleſia ſancte inſtitutas obſervare. FR. Auctores autem primæ ſententiæ, qui videri poſſunt apud Dianam de celebrat. Miſſæ, reſol. 35. part. 2. loquuntur ſecundum generalem prohibitionem non celebrandi ante auroram, & poſt meridiem, & ſignanter, ex ultima ſanctione Tridentinæ Synodi, quæ ſeſſ. 22. in decreto de evitandis in celebratione Miſſarum, ubi inter alia cavetur, ne Sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent, ideſt, in Eccleſia conſuetis. Unde privilegium Sacerdotibus a Teleſphoro Papa conceſſum non derogatur, cujus verba ſunt hæc: [Nocte ſancta Nativitatis Salvatoris Miſſas celebrant presbyteri &c. Quoniam, & ead. nocte &c.] Igitur in nocte nativitatis Domini diſpenſat Sacerdotibus celebrare, quod privilegium in fine limitavit, inquiens: [Reliquis vero temporibus Miſſarum celebrationes ante horam diei Tertiam minime ſunt celebrandæ, can. nocte ſancta, de conſecrat. diſt. 1.] quæ conſuetudo Sacerdotum libere celebrandi ſimul tres Miſſas poſt mediam noctem jam longo uſu Urbis, & Orbis confirmata eſt. Et quod dicitur de uſu celebrandi interpolate unam Miſſam in media nocte, ſecundam in aurora, tertiam poſt tertiam horam, intelligendum eſt de Miſſis conventualibus, non vero privatis. Graviſſima item eſt inter Theologos quæſtio de Miſſa, quæ in hac nocte ante ejus medietatis periodum in Cappella Pontificia, & in Eccleſia Sancti Marci Venetiis celebrari ſolet: quæ enim in papali Cappella celebratur, ſæpe obſervavi, quod per duas horas circiter ante mediam noctem confici ſolet. Quare communiter docent Auctores hoc fieri ex privilegio Summi Pontificis, ſive ex ejuſdem diſpenſatione: cenſetur, quippe, diſpenſando, declarare Summum Pontificem tunc eſſe mediam noctem, cum ad hominis arbitrium dependeat (ut ipſi aſſerunt) denominationem diurnalis principii. Sed utraque ratio (bona illorum venia) non arridet; nam quis unquam ocularis teſtis fuit privilegii iſtius, ſive pro Cappella papali, ſive pro Veneta Eccleſia? Nemo profecto: aut quis unquam mentem Pontificis exploravit de hujuſmodi anticipationis diurnalis diſpenſatione? Namque ſi phyſice illa verba Sac. Scripturæ intelligenda ſunt, quod, dum medium ſilentium tenerent omnia, Verbum Dei de regalibus ſedibus in terram venerat, quem periodum Univerſalis Eccleſia celebrando imitari conatur: dicendum eſt, quod Papa nec privilegium concedat, nec diſpenſare cenſeatur, quia non conſtat de primo, nec de ſecundo: non enim verificatur aſſertio, eſſe in arbitrium hominis phyſicum diei initium declarare, licet verum ſit, quod in ejus arbitrio eſt incipere horas diei numerare ab uno ex quatuor cardinalibus punctis: ſic a Solis ortu Babylonicum horologium, ab occaſu Italicum, a meridionali, & ejus oppoſita perpendiculari linea aſtronomicum, ſed omnia horologia Solis poſituram minime variant, ac ſemper eſt verum dicere nunc, verbi gratia, eſt media nox, quamvis ſupradicta horologia varias horas ſecundum variam directionem pulſent. Hoc poſito dico ſecundo, quod tam Cappella papalis, & Veneta S. Marci Eccleſia, quam univerſalis Eccleſia phyſicam mediam noctem imitantur in celebratione Miſſæ Natalis Domini, quod probatur primo in ordine ad papalem Cappellam, Venetamque Eccleſiam; nam cum Hieroſolyma regio, ubi mundi Salvator nobis natus fuerat, per longitudinis lineam, ab Aſtronomis ponatur ad gradus 66.0. Roma vero ad ejuſdem lineæ gradus 38. 30. igitur differentia, quæ inter utriuſque longitudinis zenit interjacet, eſſet gradus 27.30. cum minutis; ſed cum Sol per quamlibet horam 15. gradus conficiat, ergo Bethlehemitica media nox præcurrit Romanam, & Venetam per duas horas incompletas: unde evidens fit, quod dum in Cappella papali, & in Eccleſia Sancti Marci Venetiarum Miſſa Natalis celebretur per duas horas incompletas ante mediam noctem orizontis Romani, & Veneti, ibi phyſicam mediam noctem Bethlehemiticam, ubi, ac quando vere natus eſt Chriſtus imitantur, & ideo non eſt opus Pontificium privilegium, vel diſpenſationem inaniter ſpeculari, cum de illis nullibi mentio fiat expreſſa, dumque ratio ſuadet, quod ſcientia, ac prudentia Pontificum, aſtronomica, piaque contemplatione tempus, & horam, qua Dominus in Bethlehem natus fuerat, imitari voluerit. Quo denique ad Eccleſiam univerſalem, phyſice etiam imitari mediam noctem dicimus; non tamen Bethlehemiticam, ſed uniuſcujuſque proprii regionalis orizontis. Eſt locus perobſcurus apud Rupertum lib. 3. c. 17. ubi inquit, quod in hac die duæ Miſſæ celebrari debent, ſed intelligitur ante tertiam horam; nam tertia Miſſa poſt tertiam horam celebrari debet; intelligendo, ſcilicet, ſemper de Miſſis ſolemnibus, ut ſupradixi :||: Multos caſus affert Valentia, in quibus Sacerdos, non facta ablutione, poſſet denuo in eodem die celebrare, at in uſu amplius non extant; ſed tantum in die Nativitatis Domini conceditur, & quando Parochus haberet duas parochiales Eccleſias, quarum utraque ex inopia proprium Sacerdotem non valeret ſuſtinere. Toletus vero lib. 1. cap. 3. n. 5. docet Sacerdotem non facta ablutione, ſi in die feſti concurreret ingens populus ad audiendam Miſſam, vel ob neceſſitatem dandi viaticum, poſſe denuo

nuo

nuo celebrare. Inter alia privilegia, quæ eorum Miſſionaris Sac. Congregatio de Propaganda Fide concedit, unum eſt, ut poſſint, quando opus erit, plures in die Miſſas celebrare.

Missa Nativitatis S. Jo. Baptistæ. In hac die celebrabantur etiam tres Miſſæ. Ord. Rom. Albinus, & Amalar.

Missa Pro Morte Inimicorum frequentabatur in Hiſpania, quæ tanquam ſuperſtitioſa, & vindicativa, de ann. 694. in XVII. Conc. Tolet. can. 5. ſub graviſſimis pœnis prohibita fuit. FR. de qua in can. quicumque Sacerdotum. 26. qu. 1. ſic habetur: [ Plerique etiam Sacerdotum ſauciati inimicitiæ dolo, Miſſam pro requie defunctorum promulgatam fallaci voto pro vivis ſtudent celebrare hominibus; ut is, pro quo ipſum offertur ſacrificium, mortis incurrat periculum.

Missa Nautica. Vide *Miſſa ſicca*.

Missa Sabbati Sancti. Vide *Miſſa ſicca*. *Sabbatum* in fine.

Missa Scrutinii. Vide *Scrutinium*.

Missa Sicca, dicitur illa, quæ a navigante Sacerdote in navi dici ſolet ſine conſecratione, & ſecretis. Ideo *Miſſa nautica* ab aliquibus appellatur. FR. Item *Miſſa ſicca* eſt eadem reſpective cum veſpertinali; nam realiter non erat Miſſa, quæ veſpertinalis dicebatur, ſed dictio *Miſſa* pro officio ſuſcipiebatur, ut dictum eſt in dictione *Miſſa*, paulo poſt initium, & clare colligitur ex can. ſolent. de conſec. diſt. 1. ubi ſic habetur: [ Si ante manducaverint, quam veſpertinum celebretur officium: concurrendum eſt enim ad Miſſas & auditis Miſſarum ſolemnibus, & veſpertinis officiis &c. ] Canon ergo hic diſtinguit Miſſas ab officiis veſpertinis: æquivocum igitur illorum eſt, qui aſſeruerunt Miſſas celebrari ad veſperas, quæ æquivocatio oritur ex eo, quia prædictus canon videtur loqui, quod Miſſa in quatuor temporibus ad veſperas ſit celebranda; ſed ſi canon attente inſpiciatur, recte non de Miſſa, ſed de jejunii quadrageſimalis ſolutione loqui colligitur. Ibi enim ſic ait; [ Veſpertina hora completa oratione ſua jejunium ſolvant. ] Deinde immediate ſequitur: [ In jejuniis etiam quatuor temporum circa veſpertinas horas, in Sabbato vero Sancto circa noctis initium Miſſarum ſolemnia ſunt celebranda. ] Quare dictiones *Veſpertinas horas* non cum periodo ſubſequenti, ſed cum antecedenti conjugendæ ſunt, nempe, cum ſolutione jejunii quadrageſimalis ad veſpertinam horam; ut per copulativam clauſulam *Etiam* ſatis intelligitur; licet verum ſit, quod in Sabbato Sancto celebrabatur circa noctis initium. Probatur enim manifeſte, quia, ut dictum eſt in dict. *Miſſa*, paulo poſt initium, tempore quadrageſimali in Ritu Romano nunquam celebrabatur. Ergo tempore jejuniorum conſumebat celebrans Euchariſtiam Dominicæ diei, ſicut adhuc Græcos obſervare ex latino inſtituto, ſcilicet, per D. Gregorium Magnum eis tradito, ibi refertur, & hoc uſque ad ſeptimum chriſtianum ſæculum obſervatum fuiſſe dictum fuit ibidem. Igitur Miſſa veſpertinalis erat illa, in qua a Sacerdotibus ante ſolutionem jejunii conſecrata hoſtia Dominicæ præcedentis ſumebatur; itaque conveniebat hæc Miſſa cum ſicca, quia non conſecrabatur, & ab eadem diſconveniebat, quia in veſpertinali conſumebatur Euchariſtia, cum in *Sicca* nulla conſecratio efficiatur, ſive abſumatur: || : Imo ex quodam Graduale vetuſto M. S. D. Gregorii in Bibliotheca Angelica de Urbe aſſervato legitur de hac Miſſa Sabbati Sancti talis titulus: [ Viſa ſtella ingreditur ad Miſſam, ] ideſt, noctis principio, in primæ ſtellæ apparitione, quod etiam colligitur ex precibus ejuſdem Miſſæ, ubi fit mentio noctis. FR. In dicto can. Solent, Gratianus, loquendo de hac Sabbati Sancti Miſſa nocturna, ſubjungit: [ Unde Leo Epiſcopus, quod a Patribus noſtris, ] nempe, can. quod a Patribus, diſt. 75. ubi ſic habetur de ordinatione ſacerdotali, & levitica: [ Sed poſt diem Sabbati ejuſdem noctis, quæ luceſcit in prima Sabbati, ] ubi loquitur de Miſſa conſecrationis ordinandorum. Sequitur inſuper ibidem Gratianus: [ Item Gelaſius ordinationes Presbyterorum ] corrige *Zephyrinus*. can. ordinationes Presbyterorum, diſt. 75. : || : Legitur etiam apud D. Auguſt. ep. 118. ad Januar. quod in Africa duas Miſſas celebrabant, unam, ſcilicet, de mane, & aliam de nocte. Orientales tempore jejuniorum circa Veſperas celebrare ſolent. Igitur quo ad Miſſam ſiccam, celebratur cum cotta, & ſtola, fit confeſſio de more, dicitur tantum Introitus, Gloria, & Credo ( ſi occurrerit ) Epiſtola, Evangelium, Offertorium, Pater noſter, Agnus Dei, datur Pax, Poſtcommunio, orationes, quæ clara voce dici ſolent, datur benedictio, & Evangelium Joannis in fine; quem ritum habes penes Albertum Caſtellanum in ſuo Sacerdotali lib. 1. tract. 4. c. 34. Hanc Miſſam Navarrus in miſcel. de orat. in novis miſcell. 88. approbatam fuiſſe a Leone X. inquit. FR. non debet coram infirmo recitari Miſſa ſine licentia Epiſcopi, ut docet Magiſter meus Quartus in Comment. Rub. Miſſalis par. 1. tit. 14. dub. 4. §. Dico 3. Sed non eſt verum, quod talis uſus, ideſt, pro navigantibus in deſuetudinem abjerit, ut ibidem refert Quartus; nam in omnibus triremibus ferentibus ſecum Cappellanos, præſertim Melitenſibus, hæc cæremonia adhuc fieri ſolet : || : Sanctum Ludovicum Galliarum Regem jam in captivitate penes Saracenos detentum, ſolitum fuiſſe hanc Miſſam ſiccam audire quotidie, refert Gulielmus Carnotenſis in ejus vita his verbis: [ Totum officium Miſſæ abſque ſacramenti conſecratione aſſidue cum uno Presbytero prædicatore, me adjuncto, ſibi tunc temporis Clerico ſuo, jugiter exolvebat devoto corde. ] Idem affirmat Gaufridus in vita ejuſdem, quam *Miſſam ſine canone* appellat. FR. In primariis Hiſpaniæ univerſitatibus celebris quæſtio agitata fuit, nempe utrum in mari ſacrum licite confici poſſet, ex occaſione novæ Luſitanorum, ingentiumque prætervectionis navium in oceano; pro parte negativa afferebatur prohibitio ex conſuetu-

dine ob periculum effuſionis Chriſti ſanguinis, ac indecentiam, dum in navi vix locus poſſet inveniri honeſtus, quæ ſententia a D. Antonino, Navarro, Suarez, & aliis penes Dianam p. 5. tract. 13. reſol. 40. & p. 9. tract. 5. reſol. 45. §. caſus ſextus, ſuſtinebatur. Sententia vero affirmativa uti probabilior amplexa fuit a Salmaticenſium, Complutenſium, Conimbricenſium, & Eboracenſium Academiis, ut cum licentia Pontificis poſſet in navibus conſecrari, quia ſicut in caſu neceſſitatis (ex negantibus Auctoribus ſupra citatis) liceret extra locum ſacrum celebrare, dum debita reverentia obſervari poſſet, ne fideles diu priventur ſacro, vel decedant abſque Viatico, ſic etiam a pari &c. Nec in navibus onerariis deeſt locus aptus, ac honeſtus, in quibus etiam adhiberi poteſt cautela effuſionis ſanguinis, ſi alter Sacerdos calicem teneat firmum poſt conſecrationem, ac de oppoſita conſuetudine non conſtare viſum fuit: quin olim in mari Baronius an. 700. ſolitum fuiſſe celebrari affirmat, & Sanctus Gregorius Papa lib. 3. Dialog. cap. 36. refert Nautas in mari ſub utraque ſpecie (juxta illius temporis conſuetudinem,) communicatos fuiſſe. Fautores hujus ſententiæ, quæ jam diu in praxi poſita eſt, apud Dianam loc. cit. & Averſam quæſt. 11. ſect. 14. referuntur. Noſtris temporibus etiam Pontifex pro ſimili privilegio interpellatus fuit, quo ad triremes, quibus ratione minoris commoditatis, decentiæ, majoriſque periculi, tum quia eorum navigatio in mediterraneo mari concluſa, littoralis ferme eſt, ubi commode in terra poſſunt, ac aſſolent Altaria erigere, & celebrare; ideo negatum fuit, ut ſatis Magiſter meus Cardinalis de Lugo de Euchariſtia diſp. 20. ſec. 3. probat.

Missa Votiva, ideſt, voluntaria, nempe, quæ non eſt juxta calendarii ordinationem, ita tamen, ut hæc voluntas ſit rationabilis, & ut rubricæ limitationes non excedat. Hercules Matthiolus in ejus impreſſa oratione pro duce Mantuano Carolo II. refert, quod quidam ducalis Sacerdos coram eo Duce vivente in Sabbato quatuor temporum celebraturus, dubitans, ne illa prolixa Miſſa tœdio afficeret ejus Dominum, aliam Miſſam, nempe, votivam celebrare propoſuerat; at pius Dux Miſſam currentem celebrari juſſit; non enim (ajebat) ſibi viſurum fuiſſe longum illud tempus, quod vivo horario ſolis divini, & ſacramentati commenſurabatur: ex quo ſane diſcere debemus, quod ob tœdium rubricarum obſervantiæ in hoc incruento, veroque fidei articulo negligendæ minime ſint. Non debent celebrari Miſſæ votivæ in diebus duplici feſto, vel ſolemnibus octavis duplicia excludentibus impeditis, Congreg. Rit. 28. Auguſt. 1627. niſi tamen aliqua cauſa gravis, ſive publica aliter urgeret, in quibus caſibus diceretur Gloria, & Credo: cauſam autem gravem intelligi declaravit eadem Congregatio 19. Maii 1607. quando, nempe, Epiſcopus cum Clero, populique concurſu interveniret: quod etiam intelligendum eſt, quando Miſſa non dicitur cum paramentis violaceis, quia tunc non dicitur *Gloria*, & *Credo*, ut in eodem decreto diſponitur, niſi tamen eſſet in Dominica, tunc enim diceretur *Credo*; ex quo infertur, quod ſi Miſſa votiva cantari occurreret in duplicibus cum paramentis violaceis, in quo feſto recitari *Credo* ordinatur; tunc in votiva etiam dici deberet, ſicut in praxi accidit Viterbii de anno 1656. peſtilentiæ tempore, ubi cum interventu Eminentiſs. Dom. mei Card. Brancatii, Cleri, ac Magiſtratus, tunc mihi, uti ejuſdem Cathedralis a cæremoniis Præfecto, viſum fuit, ratione feſtivitatis Præſentationis B. M. V. in qua *Credo* ordinatur, ut Miſſa votiva tempore peſtis cum *Credo* caneretur, quod nonnullis ibi renuentibus, ideo Romæ hoc cum conſultum eſſet, a peritiſſimis Regularibus approbatum fuit, & ſignanter a Patre Hieronymo Romano in ſuis Floſculis verb. Miſſa num. 41. & a Theophilo Pitonillo in ejus Sac. Enchiridio lib. 2. cap. ult. nu. 6. In Miſſis votivis nunquam legitur in fine aliud Evangelium niſi S. Joannis. Rubr. Miſſalis par. 1. tit. 13. Quod non obſervari expertus ſum anno 1664. die 4. Auguſti in Dominica occurrente; in qua die fel. mem. Alex. VII. ſe ad S. Mariæ de Anima Templum tranſtulerat, ut in gratiarum actionem pro obtenta Imperatoris Victoria contra Otomannos Miſſam votivam celebraret, & ei præbitum fuit ad legendum in fine Miſſæ Evangelium Dominicæ. Quando in octava alicujus Sancti de eodem, cujus eſt Octava, Miſſam votivam celebrari occurrerit; tunc currentem celebrari debet. Gavant. par. 1. tit. 4. De quo caſu Rubricam nil agere inquit Guyetus lib. 4. de Miſſa votiva cap. 9. nam ſuperfluum eſſet agere de concluſione tam evidenti; de quare Cæremoniarum Magiſtri Vaticanæ Eccleſiæ parum admoniti ſeſe exibuere, cum in eadem Eccleſia de anno 1667. in Sede vacante præfati Alexandri VII. concurrente Pentecoſtes octava celebrata fuit Miſſa votiva de Spiritu Sancto, cujus erat Octava. Item ſi Miſſam votivam alicujus Sancti celebrari contigerit in ejus natalitia die, de qua tamen non fit officium, tunc dicitur *Gloria* cum tribus orationibus, quarum ſecunda erit de Sancto, de quo fit officium, ut accidere ſolet in titulo alicujus ſacelli, ſive Sancti ſimplicis in die officio duplici, aut ſemiduplici impedito, quæ Miſſa *Semivotiva* appellari ſolet. *Miſſæ Myſteriorum*, ſive *Vitæ Chriſti*, & *B. Virginis*, juſſu Pauli V. a Sac. Rit. Congr. prohibitæ fuere in Regiſt. fol. 2. quamvis ad inſtantiam Commiſſarii Terræ Sanctæ, ſequentes votivas Miſſas celebrari indultum fuerit, videlicet, *Nativitatis Chriſti* in Sac. Præſepii Eccleſia; *Reſurrectionis* in Sacello Sancti Sepulchri; *Aſſumptionis Deiparæ* in valle Joſaphat, ubi ejus ſepulcrum veneratur; in quibus omnibus Miſſis propter eximiam illorum Sanctuariorum reverentiam *Gloria*, & *Credo* recitari mandavit eadem Sac. Congregat. 29. Maii 1615. Item in votivis Miſſis ejuſdem Virginis non dicitur *Gloria*, niſi in Sabbato, in quo die etiam ſi de ea non fiat officium, & Miſſa de eadem dicatur, ſemper tamen *Gloria* dici debet; nam Sabbatum eſt Sanctiſſimæ Virgini

gini dicatum. Item in Sacra Lauretana Domo in qualibet Miſſâ B. Virginis votiva ſempre dicitur Gloria, licet non ſit in Sabbato. De Miſſa votiva B.M.V. Vide *Sabbatum* paulo poſt initium.

Missalis, liber continens Miſſarum celebrationes, cujus coordinatorem Gregorium Magnum Amalarius fuiſſe autumat lib. 4. cap. 3. Nam ex traditione habetur, ut Baronius anno 102. refert Apoſtolorum Principem præcipuarum latinæ liturgiæ rerum fuiſſe auctorem, ſucceſſiveque ab ejus diſcipulo Papa Clemente in ſcriptis traditas, ita refert Proclus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, qui tamen liber *Sacramentale* a Lindano, *Liber myſteriorum* a D. Hieronymo, *Liber Sacramentorum* a Rhemenſi Concilio; *Libellus* a Gregorio Turonenſi appellatus fuit; & tandem Concilii Tridentini juſsu Ægidius Foſcarius, Leonardus Marinus, & Franciſcus Fererius Miſsale, & Breviarium corrrexerunt, atque Catechiſmum Romanum compoſuerunt. Ughellius tom. 2. Ital. Sacræ. Abs que Miſsali celebrare eſset mortale peccatum, Navar. cap. 25. num. 86. Azor. lib. 10. cap. 29. quæſt. 4. Vaſquez in 3. par. tom. 4. disput. 23. cap. 3. nu. 26. In caſu vero neceſſitatis Sacerdos propriæ confidens memoriæ, poſset memoriter celebrare absque Miſsali. Ledeſma in Sum. tom. 1. de Euchar. cap. 20. concl. 8. Sed deberet ponere ſuper Altare aliquem librum Miſsali ſimilem fingendo legere, ut a circumſtantibus removeret ſcandalum. Vaſq. loc. cit. diſp. 233. cap. 3. num. 26. FR. Ego audivi Miſsam pro defunctis a quodam cœco Sacerdote Dominicano celebratam. In alia ſignificatione. Vide *Miſſaticus*.

Missam Tenere, & *Miſſam facere*. FR. phraſes diverſæ ſignificationis ſunt; nam prima, de qua in Regulis S. Benedicti, aliqui dicunt, quod *Miſſam cantare* ſignificet; ſed potius Miſsam audire, ſive Miſsæ aſſiſtere denotare videtur, ſicut vulgo dicitur *Habuiſſe*, vel *Tenuiſſe Miſſam*, pro audiviſse. Sed *Facere miſſam* ſignificat conficere ſacrum; unde Agathenſe Concil. diſtinguit audientem Miſsam ab eandem celebrante, inquiens: [ In Oratoriis niſi jubente, aut permittente Epiſcopo, Miſsas facere, aut tenere voluerint, can. 21. ] Itaque *Facere*, celebrare, & *Tenere*, audire denotant, quod clarius explicat idem Concil. can. 47. ubi ſic habetur: [ Miſsa die Dominico ſæcularibus totas tenere ſpeciali ordine præcipimus. ] Et Concil. Bracaren. 1. can. 16. clarius ſic habet: [ Si quis feria quinta paſchali, quæ vocatur Cœna Domini, hora legitima poſt nonam jejunus Miſsas non tenet &c. ] Aliquando tamen *Miſſam facere* ſignificat in tempore conſecrationis Cathecumenos dimittere. [ Poſt ſermonem ſit Miſsa cathecumenis. D. Aug. ſerm. 237. ] ideſt, peracto infra Miſsam ſermone Catechumeni ante conſecrationem dimittendi ſunt.

Missaticum, legatio. [ Poſtea vero contigit, ut Dominus Imperator patruelem meum miſerit in miſſaticum ſuper Elbam cum his inferius ſcriptis. Bonifat. Mart. epiſt. 115. ] FR. Item ſignificat commiſſionem: [ Juſtum miſſaticum tranſmiſit Dominus Rex Glorioſus Karolus per Adalardum Abbatem. In Conſt. Caroli Calvi tit. 48.

Missaticus, djectivum nomen, ſignificat ad Miſſam pertinens, hinc *Miſſatica*, & *Miſſalia* paramenta dicta ſunt Miſſæ veſtimenta. [ Sacerdos, & omnis Clerus conveniant in Eccleſiam miſſalibus indumentis induti. Ord. Rom. ] FR. ſignificat etiam commiſſarium: [ Pagi per miſſaticos qualiter fuerunt ordinati In Conſt. Caroli Calvi, tit. 12.

Missorium, vas, ſeu theca. [ Baſilicam Beati Remigii præcipue ſibi hæredem inſtituit, ubi & ſepulturam ſe habiturum delegit, ibique miſſorium argenteum deauratum deputavit. Flodoard. lib. 2. cap. 5. Nobis miſſorium magnum, quod ex auro, gemmiſque fabricaverat, in quinquaginta librarum pondere oſtendit. Greg. Turon. lib. 6. hiſt. cap. 2.

Missus. FR. executor. Gloſſa in cap. 1. decretal. lib. 3. tit. 49. Sigonius de Regno Ital. lib. 7. l. qui filium, de adoptionibus, l. ſi quis de furto, tit. de furtis.

Mistagogia. Vide *Miſſa*.

Mistum. Vide *Mixtum*.

Mititas, manſuetudo. [ Turtur etiam caſtitatem Chriſti ſignificat: Columba vero, quæ ſine felle eſt, ejus mititatem, ſecundum illud Matthæi 11. Diſcite a me quia mitis ſum. Lyran. in Geneſ. cap. 15.

Mitra. Epiſcopale capitis ornamentum, græce μίτρα, a μίτος, ideſt, ligamen cum quo ligabatur mitra, quam fœminæ ferebant; in Africa erat ſignum virginitatis Deo dicatæ, ſicut hodie eſt velum in Monialibus, quæ erat lanea, purpurei coloris, & dicebatur *Mitrella*, & *Mitella*. Latinus Latinius in Optato Milevitano ſemper hanc vocem *Mitellum* corrigit. FR. de *Mitrella*, ſive *Mitella* Franciſcus Baldoinus in eundem Optatum lib. 6. ait: [ Ut autem erant virginales, ſic & matronales. Nam nuptæ matronæ aliter quam Virgines caput velabant, & ornabant. Unde Propertius.

Cinxit, & acceptas altera vitta comas. ]

De matrimonialibus mitris. [ Vide in dictione *Niblatus*. Mitra ab Orientalibus; ſed a Latinis *Vitta* dicebatur. Inter ornamenta muliebria enumeratur ab Ulpiano in l. arg. §. muliebri. ff. de auro, & arg. ſed magis capitis tegendi, quam ornandi cauſa comparatur, juxta Ulpian. in l. veſtis §. muliebria, eod. tit. Papinius tamen Perſarum more *Mitram* pro ſole poſuit, Thebad. primo, dum inquit:

Indignita ſequi torquentem cornua mitra: ||:

Mitra igitur *Apex* ab Auguſtino appellatur; *Sertum cum gemmis* ab Ennodio, loquente de mitra S. Ambroſii; *Corona* a Hieronymo. [Precor coronam tuam] ad D. Aug. ſcribente, idem a Sidonio replicatur lib. 3. epiſt. 8. ad Euphronium Epiſc. nempe [ De minimis, videlicet, rebus coronam tuam maximiſque conſulerem. ] Item *Corona Sacerdotalis* ab Ammiano Marcellino; *Corona Gloriæ* ab Euſebio; *Pileum*, *Galea*;

*lea*; & *Tyara* ab Iſidoro; *Infula* ab Hugone de S.Victore, de qua. Vide ſuo loco. Item *Cidaris* ab Alcuino. FR. etiam ab Anſelmo Lucenſi Epiſcopo in ejus epiſt. ad VVibertum Antipapam num. 17. his verbis appellatur. [ Depone cidarim, aufer coronam &c. ] Cidaris enim antiquitus Regis Perſarum corona erat; ſic Q. Curtius lib. 3. refert, inquiens [ Cidaris Regum capitis vocant inſigne ] eodemque modo a Hieronymo vocatur Mitra Hebræorum Pontificis, in qua nomen Dei ſcriptum erat: || : A Nicephoro *Phrygius* dicitur; ſic etiam a Balſamone, qui de pretioſa mitra, quam Cœleſtinus Papa Cyrillo Patriarchæ Alexandrino dono miſerat, loquens, ait [ Cœleſtinus phrygium Cyrillo Epiſcopo Alexandrino dedit. ] FR. Atque in donatione Conſtant. Magni in decreto Gratiani diſt. 96. ſub tit. Palea, hæc verba habentur: [ Deinde Diadema, videlicet, capitis noſtri, ſimulque phrygium, nec non & ſuperhumerale, videlicet, lorum, quod imperiale cir cundare aſſolet collum. ] Et infra clarius [ Ipſe vero Beatiſſimus Papa, quia ſuper coronam clericatus, quam gerit ad gloriam Beati Petri, omnino ipſa ex auro non eſt paſſus uti corona; Nos phrygium candido more ſplendidum, reſurrectionem Dominicam deſignans, ejus ſacratiſſimo vertici manibus noſtris impoſuimus] ita etiam Innocentius apud Baron. an. 34. qui tamen Cardinalis a Rhodigino deceptus, licet illum non citet, putavit *Phrygium* eſſe idem, ac Pallium; ſic enim Eminentiſſimus ille an. 336. nu. 63. inquit: [ Haud arbitror me rem penitus habuiſſe compertam; dicam tamen, quæ conjectura ſuggeſſerit &c. Phrygium idem dictum, quod Phrygionum opere crucibus contexi ſoleret. ] Hinc concludit eſſe Pallium; ſed in primis Tiraquello in lib. 5. cap. 18. in Alex. ab Alex. Genial. non placet eandem dici *Phrygiatam*, ac *Phrygianam* veſtem: quare ibidem corrigit. Alex. ab Alex. textum inquiens: [ Phrygianam veſtem, & non phrygiatam, ex Plin. lib. 8. cap. 48. ] Differt enim *Phrygium* ſubſtantivum a Phrygio adject. ſic dicitur Judex Phrygius Catull. epital. 56. Lapis phrygius, Horat. 3. carm. ode 1. Plin. lib. 36. cap. 19. Item Cantibus Phrygiis, Cic. lib. 1. divin. Arces phrygiæ. Ovid. 13. metamor. Clades Phrygiæ. Ibidem. Catervæ Phrygiæ. Lucret. lib. 2. Æquor Phrygium. Virg. Æneid. Itaque per nomen *Phrygium* non tantum veſtimentum; ſed diverſæ res ex Phrygia delatæ intelliguntur. Quare ergo potius pallium, quam aliud ornamentum intelligendum ſit? Imo [ Clamidem phrygiam Virg. 3. Æneidos ] dixit; ſed quis hoc aſſeruerit? Error ergo Rhodigini talis fuit, qui lib. 25. cap. 30. dixerat: [ Tutulum Fulgentius pallium accipit, quo ex ſacro ritu caput obnuberent Sacerdotes, ſic apud optimum maximum Poetam:

Et capita ante aras phrygio velamur amictu ]

Fulgentius enim non ait, quod tutulus, ſive pallium ſint idem ac Phrygium, de quo Virgilius 3. Æneid. in citato carmine. Conſtat enim ex Macrob. lib. 3. Saturnal. cap. 12. quod primi Latini adhuc rudes, quando Diis ſacrificabant, lauro, populo, & ſimilibus ſe coronabant; ſed proceſſu deinde temporis majori faſtu coronas aureas, ſive phrygias, acus, nempe, pictura, ac diademata adhibebant in ſacrificiis, quod alludere voluit Virg. loc. cit. [ Phrygio velamur amictu. ] Sufficeret enim ex Virgilio oſtendere phrygium aliud non eſſe, quam capitis velamen. Quare, ut ſupra viſum eſt, ex Gratiani, ſive Paleæ textu, Conſtantinum Pontificem Sylveſtrum phrygio decoraſſe loco diadematis, & coronæ in memoriam capitis raſi Principis Apoſtolorum, quod Phrygium ipſemet Imperator Pontificis vertici impoſuit. Vertex enim (ſi Calepino credimus ajenti) [ Propter flexuram capillorum pars ſumma capitis vertex dicitur, ſive quia ad occipitium in declive vertitur, in dict. Vertex. ] Pallium enim non ad verticem, ſed circa collum, ſeu ſuper humeros ponitur. Adde, quod ex Nicephoro, & Balſamone *Phrygium* Mitra intelligatur. Item ſemper pallium fuit ex candida lana aliquibus ſimplicibus crucibus contextum, non vero opere phrygio, ſeu acupicto: ſic enim ex Agnello antiquiſſimo ſcriptore refert Blondus, quod, nempe, Valentinus Imperator pallium ex candida lana Epiſcopo Ravennati dederat. Atque clare Iſidorus, lib. 19. Orig. cap. 31. inquit [ Mitra eſt pileum phrygium, quale eſt ornamentum capitis Devotarum &c. ] Atque clarius Juvenalis Satyr. 6.

Et phrygia veſtitur bucca tiara. : || :

Innocentius III. Mitram *Antiphrygium* vocat. Ex traditione habetur, quod in Eccleſiæ primordio Epiſcopi in ſacris functionibus mitram geſtabant: quare de S. Jacobo Apoſtolo uti Epiſcopo Hieroſolymitano uſum mitræ aureæ habuiſſe Epiphanius, & Hieronymus apud Baron. ann. 34. num. 294. referunt; idem de S. Joanne Evangeliſta ſcribit Polycrates Epheſin. Epiſc. in epiſt. ad Victorem Papam apud eund. Baron. loc. cit. Et adhuc in Eccleſia S. Martini de Monte Romæ conſervatur S. Silveſtri Papæ mitra, quæ eſt rutundæ formæ, in vertice acuta, altitudinis unius palmi, opere phrygio acupicta, ſerico cæruleo, & auro, in qua Beatæ Mariæ ejus unigenitum infantem amplectentis, & hinc inde duorum Angelorum conſpiciuntur effigies; Angeli vero ſunt Diaconalibus Dalmaticis induti. FR. ejuſdem formæ erat mitra in pictura S. Paſchalis Papæ ſub porticu S. Cæciliæ Transſtyberinæ Eccleſiæ, quam vetuſtate jam pene collapſam renovari curavi; ſed Pictor, me abſente, ad recentis mitræ formam renovavit, quod mihi valde diſplicuit: eundem errorem Antonius Tempeſta delineator commiſit in ejuſdem picturæ exemplari poſito in hiſtoria paſſionis S. Cæciliæ, notis illuſtrata ab Antonio Boſio Melitenſi pag. 46. in qua ad proportionem originalis mitræ nimis altiorem figuravit; ſed in Cryptis Vaticanis Torrigius par. 2. cap. 3. eandem antiquam ma-

mitræ formam in alio ſimili originali intacto adhuc reperiri aſſirmat, quod ne defraudentur antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudioſi in hoc digredi malui, ac Bonifacii VIII. eadem parvitatis forma fuiſſe in dict. *Papa* in fine oſtendetur. Aliam Gelaſii Papæ II. mitram ex antiqua pictura a Conſtantino Cajetano in principio ejuſdem Papæ vitæ appoſita, Lectorum curioſitatis gratia hic apponere curavi.



Quare phrygium puto fuiſſe idem, quod Italice *Freggio* corrupte dicitur, & erat ligamen, ſive velum quatuor digitos latum more phrygio acupictum, quod circundabat limbum mitræ, eamque conſtringendo firmabat, & a tergo remanebat per duos palmos pendens, quæ pendentia adhuc in mitris obſervatur, & ideo *Vitta*, & *Ligamen*, *Sertum*, *Corona*, & ſimilia. de quibus ſupra, dicebatur; indeque pars pro toto in denominatione ſumebatur: quod ex eo aſſerere inducor, quia mitra S. Paſchalis Papæ I. de qua ſupra dixi, depicta in porticu S. Cæciliæ, plana erat, & habebat faſciam ad limbum phrygiatam, & retro pendentem, quæ erat cærulei coloris :||: Eodemque modo Valentiæ Hiſpaniarum monſtratur mitra ex albo ſerico, cum faſcia in limbo circundata ſerici cærulei, auroque phrygiata. Ex quibus antiquitatibus recentiorum Hæreticorum calumnia evincitur, quæ mitram aſſerit eſſe novum adinventum, contra quam aſſertionem Andreas du Sauſſai in ejus Panoplia ſcripſit erudite. Summus Pontifex præter uſum mitræ utitur *Camauro*, quod alias Regnum dicitur: [ In ſignum Imperii Pontifex utitur regno; in ſignum Pontificis utitur mitra. Innocent. III. ſerm. de S. Silveſtro. ] Vide Camaurum in dict. *Camelaucium*. *Epanocliſtus*. Aliqui putant, uſum regni ſive camauri tempore Clodovei Franciæ Regis incœpiſſe, quando, ſcilicet, ille Rex ad fidem converſus ornatiſſimam coronam ab Imperatore Græcorum Anaſtaſio accepit, quam poſtea Clodoveus in ſignum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ obedientiæ Hormiſdæ Papæ dono miſit, ut in dict. *Epanocliſtus* diximus, qui Pontifex cœperat coronam geſtare. Ita Surius 13. Januar. Sigiber. an. 550. Sed hunc uſum tempore S. Silveſtri incœpiſſe ſupra demonſtravimus. Solitum erat quando Pontifex ad Eccleſiæ januam perveniebat, depoſito Regno, ſumere mitram. Cencius Camerar. in ejus Rituali. Antiquitus hoc regnum unica corona cingebatur; ſed Bonifacius VIII. addidit reliquas duas, ut denotaret triplice Pontificis dominium, regium, nempe, imperiale, & ſacerdotale. FR. Effigies muſiva Bonifacii VIII. poſita in Lateranenſi Eccleſia non longe ex parte interiori a porta Sancta unam tantum coronam in camauro habet :||: Porro Spondanus ex Nicolao Alemanno de Lateranen. pariet. & ex Rogerio Abb. ait Bonifacium ſecundam coronam addidiſſe: tertiam vero Urbanum V. quod ex eo probabile videtur. Nam Joannes XXII. qui fuit multo poſt Bonifacium, duas tantum coronas in regno geſtavit, ut ex ipſius depoſito in Avenionenſi Eccleſia ſito apparet. Paulus tamen Secundus tres pretioſiſſimas coronas ab ejus Anteceſſoribus prætermiſſas in Camauro renovavit, ac Nicolaum Beneventanum Archiepiſcopum uſu triregni prohibuit. Quando primus Diaconus Cardinalis ponit prima vice novo Pontifici Camaurum, dicit hæc verba: [ Accipe thiaram tribus coronis ornatam, & ſcias te eſſe Patrem Principum, & Regum, Paſtorem orbis in terra, Vicarium Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti, cui eſt honor in ſæcula ſæculorum. Amen. ] Mitra autem ſignificat Chriſti reſurrectionem ob Conſtantini Imp. verba ſupra adducta. Item ſecundum Innocent. III. ſignificat magnificentiam Chriſti; duo cornua denotant ſcientiam utriuſque teſtamenti, quæ debet reſplendere in Eccleſiaſticorum Paſtorum capite, duæ faſciæ ſuper humeros pendentes ſymbolum ſunt ſpiritus, ac litteræ in divina Scriptura abſconditæ, quia Præſul debet ſuper humeros portare totum id, quod ore docet: hæc præfatus Innocent. cap. 50. Habent uſum Mitræ ex ſerico albo Cardinales ex conceſſione Pauli II. quando ſacris paramentis ſunt induti. Annal. Eccleſiaſt. ann. 1464. Epiſcopi Græci non utuntur mitra, excepto tamen Alexandrino Patriarcha, ut dictum eſt ſupra. Rutheni nihilominus Sarmatiæ Europeæ Epiſcopi ferunt mitram rotundam variis ornamentis decoratam, eademque forma Moſchorum Epiſcopi utuntur, ſed nigri coloris; excepto tamen Novogradenſi Epiſcopo, cujus mitra alba eſt, & ad formam Latinorum Epiſcoporum. De Abbatibus habentibus uſum mitræ, dictum eſt in dict. *Abbas*. Sunt præterea multæ Cathedrales, in quibus Canonici, vel Dignitates ex indulto Papæ uſum mitræ habent,

ut

ut ſunt quatuor dignitates Toletanæ Cathedralis, nempe, Decanus, Archidiaconus, Cantor, & Theſaurarius, ex conceſſione Honorii III. de anno 1217. ut ex ejus epiſtolis lib. 2. epiſt. 771. conſtat, & Prior Conventualis Eccleſiæ Melitenſium Equitum cum cæteris pontificalibus ornamentis. Item Canonici Cathedralis Eccleſiæ Meſſanenſis utuntur mitris ex ſerico albo. FR. ita Carolus Morabitus in Annal. Meſſan. Eccl. tit. 1. num. 18. :||: Dignitates Cathed. Mamphredoniæ, & Cathed. S. Michaelis Montis Gargani, item Canonici Lugdunenſes, qui habent titulum Comitis, in Eccleſia Cathedrali S. Joannis Baptiſtæ, & omnes Canonici Eccleſiarum Collegiatarum dictæ Civitatis mitram geſtant coloris currentis diei; in Choro vero ferunt clericale biretum Canonici in Sacris conſtituti; nam minoris ordinis Canonici detecto capite in choro aſſiſtunt. Sic etiam in Eccleſia Conventuali Equitum Melitenſium, qui non eſt in ſacris, non poteſt ferre biretum. Item Neapolitanæ Cathed. Canonici utuntur mitris telæ byſſinæ, & Canonici Lucenſes damaſceni ſerici. Habet ulterius uſum mitræ Præpoſitus Eccleſiæ S. Marci Venetiarum, ex indulto Alex. III. Item Præpoſitus Cath. Caſurgis, ſive Pragæ in Bohemia. Bzovius an. 1378. Item Præpoſitus Collegiatæ Pratenſis. Congreg. Rit. 12. Novemb. 1601. Item Viſitator, ſive Corrector Hoſpitalis Neapolitani. Eadem Congr. 29. Maii 1621. Item Cappellanus Regis Norvegiæ ex conceſſione Clem. V. ann. 1312. & Theſaurarius regiæ Cappellæ Pariſienſis ex indulto Clem VII. ad inſtantiam Franciſci Primi Galliarum Regis. Ex religioſis vero Generalis Monachorum Hieronymianorum in Italia. Eadem Congr. 14. Mart. 1571. Præpoſitus Monaſterii Chotieſcovienſis. Eadem Congreg. 12. Mart. 1618. Ac Guardianus S. Sepulchri in Jeruſalem in ſolemnibus functionibus. Item ex Laicis Uratislaus Boemorum Dux ex conceſſione Alex. II. anno 1008. Nunquam conceſſa Laicis mitra, ut in confirmatione ejuſdem indulti a ſucceſſore ejuſdem Alexandri Gregor. VII. per epiſtolam eidem Duci directam fit mentio. Cæterum omnes Canonici mitrati in diſtributionibus candelarum, cinerum, atque palmarum, licet habeant mitram, debent nihilominus ſurgere, ac ſtare, ad differentiam Epiſcopi, quem ſedere decet. Sac. Cong. Epiſc. 18. Feb. 1650.

Mittentes. Vide *Libellatici*.

Mittio, quid ſignificat. Vide *Gaſindus*.

Mixtum, matutinum jentaculum: dicitur mixtum, quia in ſola offa, ſive mixtione panis, & vini conſiſtebat. [ Frater hebdomadarius accipiat mixtum, priuſquam incipiat legere, ne forte grave ſit ei jejunium ſuſtinere. In Nomaſt. Ciſtercienſi part. 1. cap. 23. ] Sed corrupte tam in Benedictinorum regula, quam Camaldulenſium *Miſtum* legitur.

Mizinum. Vide *Imiſilum*.

Mna, Μνᾶ, monetæ ſpecies, de qua loquutus eſt Chriſtus; quando dixit: [ Vocatis autem ſervis ſuis, dedit eis decem mnas. Luc. 19. ] Hanc aliqui expoſitores ſexaginta Siclos continuiſſe dicunt; ſed Joſephus Hebr. lib. 14. cap. 12. antiq. aſſerit duas libras cum dimidio valuiſſe. Latine dicitur *Mina*, cujus valor. Vide *Talentum*.

Moatra, terminus Theologorum hiſpanorum in materia de contractibus, ideſt, quando fide, & non pecunia de contanti emitur, ſed rigoroſiſſimo pretio, & poſtea eidem vendenti vili pretio in compenſationem debiti traditur; ita ut primus emptor re vendita, ex vi primi contractus, adhuc remaneat in parte debitor, qui contractus in Hiſpania prohibitus eſt. In Italia hujuſmodi contractus *Stocco*, & quando replicatur *Biſtocco* dicitur.

Modela. FR. Modus.

Eſt tamen obſeva diuturna modela diætæ
Libra cibi ſolidi, ſimplex hemina falerni.

Fulbertus. Aliqui ex eo quia diæta eſt optimum ſalutis remedium, ideo pro Modela, Medelam legere malunt.

Modiolus, quam partem rotæ ſignificet. Vide *Canthus*.

Modium. Vide *Maldrum*.

Modula Iscol. FR. ideſt, quercus, l. ſi quis roborem, de damno, & injuria.

Moechia, μοιχεία. FR. adulterium, can. Meretrices, can. non mœchaberis, 32. qu. 5. can. non mœchaberis, ibidem qu. 6. Item fornicationem ſignificat. Vide can. omnis mœchia. Ibidem qu. 4.

Moechus, μοιχός. FR. nomen græcum, latine adulter dicitur, can. qui vident. 32. qu. 5.

Moechosynodus, Μοιχοσύνοδος, ideſt, adultera Synodus, coacta pro adulterio Conſtantini Copronymi Imperatoris Leonis IV. filii cum Theodote ejus famula, quam, vera uxore repudiata, imperatricem declarare intendebat. Baron. ann. 795. nu. 42. & 43. propter quod oborta eſt Mœchiana hæreſis, ideſt, defenſorum imperialis adulterii. Idem Baron. an. 809. n. 28. & ſeqq.

Moestifico, mœſtitiam affero. [ Accepimus itaque veſtræ charitatis epiſtolam, quæ noſtrum ex parte relevavit, ex parte vero mœſtificavit exilium. Verba Synodi in operibus Sancti Fulgentii inſerta in tit. de veritate prædeſtinat.

Mogilalus, mutus, ex græco μογιλάλος, quod proprie balbutientem ſignificat; ſed D. Cyprianus pro muto uſurpavit; ſic enim ad Fort. de exhortat. Mart. cap. 10. inquit: [ Qui fecit mogilalum, & ſurdum ] quare ejuſdem pervetuſti Codices Veronenſis, ſcilicet, & Beneventanus habent, [ Qui fecit mutum, & ſurdum.

Mogog. FR. de Gog, & Mogog regionibus in Scythia non raro in ſac. Pagina. Joſephus Hebr. lib. 1. antiq. c. 7. ait, quod a Mogog, qui fuit unus ex Japheti filiis, Mogogæ ita denominati fuere. S. Hieronymus inquit: [ Judæi, & noſtri judaizantes putant Gog gentes eſſe ſcythicas, immanes, & innumerabiles, quæ

quæ trans Caucaſum montem,& Mæotidem paludem, & prope Caſpium mare ad Indiam uſque tendantur. ] Et Chronicon Alex. [ Sunt qui dicant ex Mogog Gothos, Sarmatas, & Scythas eſſe oriundos ] Ego tamen putarem Mogog eſſe Moſchos Aſiæ populos: nam in Ezechiel. c. 39. 1. habetur: [ Ecce ego ſuper te Gog principis capitis Moſoch ] At cum Propheta hic loquatur unite Gog cum Moſoch, ſignum eſt ergo, quod inter Hebræos idem erat dicere Mogog, ac Moſoch. Montanus etiam ait in Appar. Biblico, quod Moſochi in ſacr. literis ſunt, qui hodie Moſcovitæ appellantur.

Mola. Vide *Vox mola*.

Molinum. FR. molendinum l. ſi quis molinum, de damno, & injuria.

Mollio. FR. relaxo. [ Mollientes rigorem. 5. decretal. tit. 34. cap. 10.

Mollities. FR. deliciæ, [ Mollitiis, & ſæcularibus rebus obligari non debent. ] De Clericis loquitur ex Cypriani textu can. Mollitiis, 21. qu. 3. Ubi Gloſſa [ Molitiis, ideſt, delitiis] declarat; ſed textus mendoſe, & Gloſſa inconſulte habent: nam in canone ſequenti ex eodem Cypriano habetur *Moleſtiis*, non *Molitiis*. [ Nec moleſtiis, & ſæcularibus negotiis alligentur. can. Ii qui, ibidem ] Item ex eodem Cypriano clarius: [ Ne quis Sacerdotes, & Miniſtros Dei Altari ejus, & Eccleſiæ vacantes, ad ſæculares moleſtias devocet. can. Sacerdotium, loc. cit.

Momentaliter, ſtatim, repente. [ Ut utriuſque officii momentaliter perciperet plenitudinem. S. Urſus Abbas in vita Sancti Marcelli, lib. 2. cap. 3. §. 9.

Monacha. FR. Monialis. [ In nullo loco Monachos, & Monachas permittimus in unum Monaſterium; ſed nec ea, quæ duplicia Monaſteria vocantur, can. in nullo 18. qu. 2. ] Vide *Monaſtica*. *Monialis*.

Monachalis. Vide *Monachilis*.

Monachatus. Vide *Singularitas*. *Monachium*, & *Monachus*.

* Monachi. Horum antiqua nomina. *Anachoretæ*, *Acœmetæ*, *Apoſtolici*, *Benedictini*, Βοσκοὶ, *Cellulani*, *Cœnobitæ*, *Continentes*, *Culdei*, *Gyrovagi*, *Heſychaſtæ*, *Philothei*, *Remboth*, *Renuntiantes*, *Sarabaitæ*, *Silentiarii*, *Stylitæ*, *Therapeutæ*.

Monachilis, monachalis, quod ad Monachos ſpectat. [ Religioſiſſimi Patris Hildebrandi Cluniacenſis Monaſterii Prioris monachilis diſtrictionis nobile monaſterium expetivit. In Vita Sancti Majoli ] Monachales veſtes. Vide *Religioſus*.

Monachium, μοναχεῖον. monachatus, monachi ſtatus. [ Eccleſiæ vel martyrio, vel Clero, vel Monachio, vel pauperibus, l. Generali Cod. de Sacroſanct. Eccleſ. ] Vide *Singularitas*.

Monacho, as. Monachum facio.

Monachus, græca vox Μοναχὸς, ideſt, ſolitarius,ſeu, ut aliis placet, a græca dictione μόνος, ideſt, ſolus, & ἄχος, mœſtus, ad denotandum ſæculi receſſum Religioſi proprium. FR. ſingularis etiam interpretatur in can. placuit omnibus. 16. qu. 1. [Monachus, ideſt, ſolus, quid facis in Urbibus, quæ utique non ſunt ſolorum habitacula, ſed multorum? can. ſi cupis, ead. 16. qu. 1. Quia ſicut piſcis ſine aqua caret vita, ita ſine Monaſterio Monachus, can. Placuit communi, ibidem. Agnoſcat nomen ſuum; monos enim græce, latine eſt unus; Achos græce, latine triſtis ſonat. Ibidem. ] An Monachus poſſit eſſe Judex, vel Advocatus. Vide Gloſſam in can. de præſentium, 16. qu. 1. An poſſit eſſe tutor, vel curator. Eadem Gloſſa in can. Generaliter ibidem. Quam indecens ſit Monacho forenſibus negotiis ſe implicare. Vide *Foralis*. In quo non debeat Monachus ſe immiſcere. Vide *Diſciplinatus*. Antiquitus titulum *Fratris* habebat. Vide *Frater*. Monachus tenetur potius obedire Epiſcopo, quam Abbati. can. Qui reſiſtit. 11. qu. 3. & ibi Gloſſa. Monachis quare pax in Miſſa non dabatur. Vide *Pax*. Monachi Longi, qui dicti ſunt. Vide *Longi Monachi*. Inepta quidem eſt etymologia in Gloſſa ad l. 4. Cod. de Summa Trinit. ubi inquit [ Monachus græce, latine dicitur Auriga. ] Monachi Synonima & ſpecies. Vide *Aſceta*. Cucullatus in dict. *Cuculla*. *Celliota*. *Clauſtrum*. *Conradium*. *Dupla*. *Ecete*. *Enclyſtus*. *Griſeus*, *Gyrovagus*. *Heſycaſta*. *Hieromonachus*. *Incluſus*. *Lucifuga*. *Mandrita*. *Monazonta*. *Nazareus*. *Nonnus*. *Servitor*. Monachorum officia. Vide *Abbas*. *Archimandrita*. *Canonarcha*. *Circumitor*. *Deuterarius*. *Gangiarius*. *Pantocratorenus*. *Paramonarius*. *Sympactes*. *Synodica*. Item Monachus in S. Gregorii Regiſtro lib. 1. epiſt. 42. eſt cognomen illius Joannis ſæcularis, nempe, de quo ibi dicitur teſtamentum condidiſſe, ex eo quia, ut bene advertit Latinus Latinius in eo loco, Monachi teſtamenta condere non poſſunt. Monachi orientales S. Pauli. Vide *Tonſura*. Monachorum veſtes. Vide *Religioſus*.

Monarchici, Hæreticorum ſecta, quia unum caput in divinis perſonis aſſerebant, quos Sanctus Cyprianus *Monarchianos* vocat.

Monas, μονὰς, unitas. [ Quia monas decies multiplicata in denarium ducitur. S. Greg. lib. 9. moral. c. 2.

Monasterium, μοναςήριον. Vide *Aſceterium*. *Clauſtrum*. *Clauſura*. *Cœnobium*. *Dupla*. *Ergaſterium*. *Hegumernachium*. *Ireneus*. *Laura*. *Locutorium*. *Mandra*. *Metanœa*. *Panetaria*. *Paraclitenſe*. *Phrontiſterium*. *Refectorium*. *Sacelia*. *Semnium*. *Scriptorium*. *Xenodochium*.

Monastica, μοναςικὴ, monialis, [ Ancillis Dei, quas vos græca lingua Monaſticas dicitis. S. Gregor. in Regiſt. l. 6. c. 187. ] Vide *Monaca*. *Monialis*.

Monazontes, μονάζοντες, Monachi ſolitarii. Caſſianus collat. 18. cap. 5. In aliquibus codicibus *Monzontes* mendoſe legitur.

Monela, admonitio, monitum. [ Si manu quis tentaverit provocare, præſto eſt Dominica monela: Verberanti te, inquit, in faciem, etiam alteram genam obverte. Tertull. de Pallio cap. 8. ] FR. *Monella* men-

mendoſe pro Monela legitur apud Luciferum Caralitanum lib. 2. pro S. Athanaſio, hoc pacto: [ Tanquam fugiſſet nos Domini monella, dicentis; Attendite vobis a falſis Prophetis.

Moneta, ejus ſpecies. Vide *Aſprum*. *Biſantinus*. *Dipondium*. *Drachma*. *Fartus*. *Ferdoni*. *Follerahs*. *Geldus*. *Gerulus*. Granaticus in d. *Siliqua*. *Hyperpyron*. *Libra*. *Malachinus*. *Maroabotinus*. *Marca*. *Marmotinus*. *Michelatus*. *Minutalis*. *Minutum*. *Mna*. *Obulus*. *Obryziati*. *Papaletra*. *Papienſis*. *Peculium*. *Proviſinus*. *Pulveraticum*. *Romaninus*. *Saracenus*. *Siclus*. *Siliqua*. *Solidus*. *Stater*. *Talentum*. *Tarenus*. *Teruntianus*. *Tremiſſis*. *Trimeſium*. *Turonis*. *Uncia*. Uſus antiquus ſpargendi monetas in coronatione Summi Pontificis. Vide *Papa*. In coronatione Imperatoris græci. Vide *Epicombia*. Ac in aliis occaſionibus. Vide *Roga*. *Strena*. Qui falſas monetas cudit. Vide *Paracharacta*. De monetis. Vide l. 3. decretal. tit. 39. c. 20. Monetæ aureæ cæremonia, quam Papa in ore Primicerii imponebat. Vide *Antiphona*.

Monialis. Vide *Agapetæ ſorores*. *Aſcetria*. *Begina*. *Caſtimonialis*. *Devotæ*. *Diſcophora*. *Formaria*. *Lanipendia*. *Monacha*. *Monaſtica*. *Nonna*. *Præbendaria*. *Regiſtoria*. Earum velum. Vide *Velum profeſſionis*. FR. Ad moniales accedere præter pœnas, & prohibitiones recentes, invenitur antiqua prohibitio in Concil. Lateran. ſub pœna ſuſpenſionis, quoad Clericos, & excommunicationis, quoad laicos. In Decretal. de vita, & honeſtate Clericor. cap. 8. ubi Gloſſa exponit, quod *Frequentia* pro duabus vicibus intelligatur. Monialis in prolatione *Confiteor* non debet dicere *& vobis Sorores*. Vide *Confeſſio* in fine. Poſſunt Moniales reſpondere Miſſæ cantatæ. Vide *Miſſa*. Moniales quare comam tondunt in profeſſione. Vide *Tonſura*. De velatione Monialium. Vide *Velum profeſſionis*.

Monobambylum, vox greco-latina, ſignificat candelabrum unius candelæ, quæ ferebatur ante Patriarcham Conſtantinop. at in die illius creationis honorabatur ab Imperatore cum candelabro habente duas candelas, quod *Diabambylum* dicebatur. [ At ille recepto paſtorali baculo ab Imperatore, ut fieri ſolet, honoratur diabambylo. Pachimeres hiſtor. tom. 2. lib. 2. cap. 28. a Petro Poſſino latine translatus: ] & ibidem in eruditis ad hunc locum ejuſdem Poſſini notationibus ſatis oſtenditur Meurſii error, qui credidit *Monobambylum* conclave ſignificare, & *Diabambylum* atrium eſſe, deceptus ex falſo Textu Pharanzes, qui lib. 3. cap. 19. hæc habet: [ Secundum hæc Patriarch a cum lampadibus ad diabambylum, ſive atrium deſcendebat, paratumque inveniens equum, aſcendebat. ] Sed verba *Sive atrium* ab interprete addita ſunt. Quare Codinus loquens de cæremoniis eccleſiaſticis Græ orum, ait quod Epiſcopo præibat [Diaconus manu tenens monobambylum] Eſſet quidem non parva ineptia aſſerere, Diaconum deferre in manu machinam conclavis, ſi juxta Meurſium, & Pharanzes interpretem his duabus dictionibus conclavis, & atrii interpretationem daremus. Igitur ſicut *Monobambylum* erat candelabrum unius luminis, ſic *Diabambylum* candelabrum dicitur cum duobus luminibus, quod Imperatori tantum deferebatur. Balſamon enim teſtatur, quod Imperatori duo lumina præferebantur; Patriarchæ vero unum, ut in dict. *Candelæ*, *Corona*, diximus; ſed in die creationis Patriarcha Diabambylo honorabatur, ut ſupra ex Pharanzes viſum eſt. Etymon igitur horum nominum ex dictionibus græcis *Monos*, & *dia*, ideſt, unum, & duo, & latina *Obambulum*, ideſt, circum progreſſivum, provenit: *Obambulus* enim a Latinis dicebatur, a verbo *Obambulo*.

——— Cum ſolus obambulat ipſe.

Ovid. 2. Triſtium.

Ille quidem totam gemebundus obambulat Ætnam.

Idem 13. Metamorph.

Sic etiam male interpretatus eſt Robertus Greygton Anglus in ſuis impoſtoribus notis ad Concilium florentinum, ubi *Monomambylon* ampullam eſſe ait cum unico canaliculo, & *Diabambylon* ampullam cum duobus canaliculis. Fatetur idem inſuper Robertus, quod ῥιπίδιον ſit difficillimæ intelligentiæ, & tamen praxis Eccleſiaſticorum orientalium Rituum docet eſſe flabellum, ut in dict. *Flabellum* dictum eſt. FR. In aliquibus tamen græcis Codicibus legitur μονάμπυλον, & διβάμπυλον, in quo ſenſu poſſet ampullam oleariam ſignificare, & ſic intelligeretur unica ampulla, vel binæ ampullæ.

Monocosmus. Vide *Coſmus*.

Monocrator, μονοκράτορ unicus potens, ſive plenipotens. [ In ſeniori Roma monocratorem conſtituunt, unico imperante. Chron. Caſinen. lib. 4. cap. 127. ] de Conrado loquitur.

Monoculo, oculo privo [ Quem Deus monoculaverat. Matth. Pariſ. in hiſt.

Monogamia. Vide *Monogamus*. *Univiratus*.

Monogamus, μονόγαμος, ideſt, unius ſolius conjunctionis, vel matrimonii, qui ſemel duxerat uxorem. [ Ut igitur in Domino nubas, ſecundum legem, & Apoſtolum (ſi tamen id curas) qualis es, id matrimonium poſtulans, quod eis, a quibus id poſtulas, non licet habere ab Epiſcopo monogamo, a Presbyteris, ac Dia onis ejuſdem Sacramenti, a viduis, quarum in te ſectam recuſaſti. Tertull. lib. de Monogam. ] Qui non habet notitiam Tertullianicorum temporum, difficiliter ſenſum prædicti textus percipere poſſet. Fœminæ enim tunc antequam nubebant, conſilium, & informationem petebant ab Epiſcopo una cum aliis Eccleſiaſticis, viduiſque Diaconiſſis, inquirentes viri conditiones, & hoc dicebatur, Petere matrimonium ab Epiſcopo, a vidua &c. quare perperam aliqui hunc locum de nuptiali benedictione loqui intellexerunt. Nam ſenſus quidem improprius eſſet; non

enim

enim viduæ hanc benedictionem dare poterant. Idem Tertullianus in hunc locum appellavit Chriſtum *Monogamum* propter unicum, ſpiritualeque matrimonium ab eodem cum Eccleſia ejus ſponſa contractum, ſic inquiens [Si vero non ſufficis, monogamus occurrit in ſpiritu unam habens Eccleſiam ſponſam] Hinc *Monogamia* unius uxoris matrimonium dicitur. Vide *Agamus*. *Bigamus*. *Digamus*.

Monogramma, μονογράμμα, unica ſcriptura, ſeu ſubſcriptio; nam ſemel ſubſcribitur in ſignum confirmationis in id, quod in ſcriptura antecedenti continetur; itaque hæc dictio pro ſubſcriptione, & confirmatione uſurpatur. [Facto itaque teſtamento, monogrammate firmatur. Oddo in vita S. Burchardi. Et metaphorice *Monogrammus* ingenue loquentem denotat. [Nam nudi ſermones eorum, & monogrammi videntur, in vita S. Syncleticæ Virg.

Monomachia, ſingulare certamen, duellum, græce enim μονομαχία ſingulare certamen ſignificat. Duellum eſt prohibitum in naturalibus, civilibus legibus, eccleſiaſticiſque conſtitutionibus, præſertim Tridentinæ Synodi. FR. [Salvis nihilominus prohibitionibus de monomachiis, ſive duellis, antea promulgatis. Innocent. III. in lib. 3. decretal. tit. 50. cap. 9.] ibi Gloſſa. [Dicitur Monomachia a monos, quod eſt unum, & machia pugna, quaſi pugna unius contra alterum] :||: Quando in duello inciditur in illis circumſtantiis in bul. Greg. XIII. contentis, tunc intra Italiam erit caſus Pontifici reſervatus, nempe, quando intimatur tempus, & locus ad duellum, & acceditur, licet duellum non fuerit ſubſequutum, & hoc ſecundum probabiliorem opinionem dicitur.

Monophysitæ Μονοφυσῖται Heretici, qui in Chriſto unam tantum naturam aſſerebant, quam opinionem amplexus eſt quidam Jacobus, pro qua cum eſſet acerrimus defenſor, ideo hi ſectarii uſque ad præſens *Jacobitæ* dicuntur; hæc hæreſis præcipue viget in Æthiopia. FR. De Monophyſitis mentionem facit Gregor. in Regiſt. lib. 11. epiſt. 55. & lib. 9. epiſt. 61.

Monotessaron, Μονοτέσσαρον; ſic ab Ammiano Alexandrino appellata eſt hiſtoria ex quatuor Evangeliis in unum contexta, & concatenata, ex dictionibus græcis μόνον, ideſt, unum, & τέσσαρον, quaternarium.

Monothelitæ, hæreticorum ſecta, ex græco vocabulo Μονοθελήτης, ideſt, unica voluntas; aſſerebant enim unicam tantum in Chriſto voluntatem, & licet duas naturas admitterent in eodem Chriſto, unam ſolam voluntatem, ac unicam operationem in eo fuiſſe fatebantur, quam *Theandricam*, latine *Deivirilem* appellabant; licet enim hoc vocabulo etiam catholici, ex S. Dionyſii doctrina, utebantur; tamen diverſum ſignificatum importabat in ſenſu catholico; hi enim Deivirilem in Chriſto profitentur fuiſſe diſtinctam, ut in dict. *Deivirilis* dictum fuit; ſed Monothelitæ aſſerebant hanc Deivirilitatem fuiſſe in unum confuſam. Vide *Theandricus*. FR. Vide hanc quæſtionem apud Baron. an. 563. n. 3. & ſeqq. an. 628. n. 4. & 5. & alibi paſſim. Item can. habeo, diſt. 16. & ibi Gloſſa in can. ab antiqua, de conſecrat. diſt. 4. Vide *Aquarii*.

Montani, ſive *Montenſes*. FR. ſic ab Optato Milevitano appellati ſunt Donatiſtæ Romam incolentes, quia pro eorum exercitiis extra Urbem in montibus ſe conferebant: [Sic ſpeluncam quandam foris a Civitate gradibus ſepſerunt, ubi ipſo tempore conventiculum habere potuiſſent: unde Montenſes appellati ſunt. Optat. Milevit. lib. 2.] Ob id eodem nomine a D. Hieronymo *Campates*, & *Campenſes* appellati ſunt in chronicon. Itaque manifeſtus Eraſmi Roterdami error fuit, aſſerendo Donatiſtas Montanos appellatos fuiſſe a Montano Hæreſiarcha, quia Montanus fuerat Cataphrygiorum hæreſiarcha, ut in dict. *Cathari* viſum eſt; ex can. Hi vero, de conſecr. diſt. 4. Ita etiam Librariorum incuria in Epiphanii Anachoretæ textu habetur, quod *Montanenſes* dicti ſunt *Novatiani*, dum *Donatiani* deberent dici. Hoc etiam ex contemptu a rupibus *Rupitanos*, ſive *Rupitas* D. Auguſtinus appellavit in lib. de unit. cap. 9. & in epiſt. 165. de quodam Donatiſta Epiſcopo ita ſcribens [Præſidens paucis Afris in Urbe Roma, Montenſium, ſive Rupitarum vocabulum propugnavit.] Ubi advertendum, quod in aliquibus Codicibus mendoſe *Cuzupitarum* legitur. In 24. quæſt. 3. can. 39. habentur hæc verba: [Montani hæretici dicti, quod tempore perſecutionis in montibus latuerunt, qua occaſione ſe a Catholicæ Eccleſiæ corpore diviſerunt.] Hi inter alia negabant pœnitentiam. D. Hieronymus in Epitaph. Fabiolæ ad Oceanum. Vide *Agnoſtici*. Montanus hæreſiarcha, quare dictus fuit Paracletus. Vide *Pſychicus*.

Moralis Sensus Sac. Script. Vide *Anagogia*. *Tropologia*.

Morata, mora, temporis ſpatium. [His autem propoſitis Dominus Papa aliquantulum hæſitans poſt moratam cœpit loqui. In Translat. S. Thomæ Aquin.

Morbi Genera. Vide *Beſentericus*. *Cephalagia*. *Dipſas*. *Elephantinus*. *Exoche*. *Fanaticus*. *Ficta*. *Ficus*. *Frigoriticus*. *Glaucoma*. *Gutternoſas*. *Gutteria*. *Helucus*. *Hemitritaus*. *Hydrophobus*. *Inæqualitas*. *Incubo*. *Nyctages*. *Ophtalmicus*. *Opiſthotonus*. *Otalgicus*. *Pannucula*. *Paralyticus*. *Phagedana*. *Ramex*. *Rhagas*. *Scotoma*. *Typus*.

Morchidum. Vide *Mortridum*.

Mordax, inſtrumentum quoddam. Vide *Pavula*.

Mordrum. Vide *Mortridum*.

Morenu, hebraice Prophetam ſignificat. Vide *Videns*.

* Mores. Publici Chriſtianorum mores in templo generatim tales erant, ut magnam in illud tamquam Sanctuarium Dei, & Locum immediatæ præſentiæ ejus reverentiam exprimerent. Intrabant illud tamquam Palatium Magni Regis, ubi adeſſent Angeli miniſtrantes, & ipſum cœlum pateret, ubi Chriſtus ſederet in Solio ſuo, & omnia impleta eſſent incorpo-

poreis poteſtatibus uti *Chryſoſtomus* homil. 15. in Hebr. loquitur. Vide *Mos*.

Morganegiba, maritale donum.] In dote quam morganegiba, hoc eſt, maritali dono, in Franciam venientem certum eſt adæquaſſe. Greg. Turonen. lib. 9. cap. 20.] Ex dictionibus germanicis *Morgen*, ideſt, mane, & *Gab*; ideſt, donum: ſic idem Gregor. Turonen. [Tam in dote, quam in morgengabe, hoc eſt, matutinali dono, certum eſt adæquaſſe] hinc inter Juriſtas adhuc italice dicitur matrimonium *Alla morgana*.

Morganiticum, maritale donum, ut ſupra. [Joannes aſſerens Dominicam ad ſe ſpectare, tanquam matri ſuæ per Rodolphum Regem olim morganitico jure donatam, libenter habuiſſet. Albert. Argentin. in Chron.

Morgengabis. Vide *Morganegiba*.

Morgincap. FR. donatio, ſeu donum maritale, ut ſupra, quod fit in ſponſalibus, illudque eſſe non poterat ultra quartam partem ejus ſubſtantiæ, l. ſi pater, de ſponſalibus, & l. ſi quis Longobardus, de his, quæ a viro.

Morio, fatuus. Vide *Murio*.

Morioc. FR. Brachii pars ſuper cubitum, l. ſi quis homini libero, de convitiis. In lege Longobard.

Morior. Vide Pauſito in dict. *Biothanatos*. *Pauſo*.

Mors. Vide *Diſcidium*. *Exceſſus*. *Exequiæ*. *Miſſa Defunctorum*. *Pauſatio*. *Reditio*. *Spatium humanitatis*. Mortui dicuntur inferi. Vide *Superi*.

Mors Violenta. Vide *Apocartereſis*. *Ahori*. *Biothanatus*.

Morsus, fibula. Vide *Firmaculum*.

Morticinum. FR. animal naturaliter mortuum, cujus carne veſci prohibuit Deus in veter. teſtam. [Morticina vitabitis. Levit. cap. 11.] Vide *Suffocatus*.

Mortificatus, morti damnatus. [Quoniam filii mortificationis eſtis, ideſt, mortipunitionis. Lucifer Caralit.

Mortifico, morte punio. [Et mortificavit ipſe Sacerdotes Domini. Lucifer. Caralit. lib. 1. ad Conſtant. Imp. Venerunt duo Presbyteri pleni iniquæ mentis adverſus Suſannam, ut mortificarent eam. Idem l. 2.

Mortilogium. FR. ideſt, mortis elogium.

Mortridum, homicidium. [Qui ſponte per fraudem, & avaritiam hominem innoxium cæciderit, quod mortridum vocant. Concil. Aurelian.] Alii tamen *Morchidum* legere malunt. Hinc occiſor *Murdrator*, & occiſus *Murdratus* dictus fuit. Item *Mordrum*, & *Murdrum* occiſio, quæ omnia ex germanico *Moorden*, belgico *Moord*, atque gallico *Meurtre*, quæ homicidium ſignificant, derivantur: quin & Galli homicidam *Meurtrier* vocant.

Mortuarium. Vide *Mortuorium*.

Mortuorium, in ſtatutis Melitenſium Equitum dicuntur fructus Commendæ currentes a die obitus Commendatarii uſque ad futurum proximum Maii menſem, qui ad commune Ærarium ſpectant, ad quod etiam pertinet ſubſequens, ac integra annata, a Majo, nempe, prædicto, uſque ad alium Majum, quod *Vacans* dicitur. Sed *Mortuarium* in jure canonico ſignificat quandoque tertiam, quandoque quartam, quandoque medietatem funeralem. Gloſſa in cap. 16. tit. 31. lib. 1. decretal. & cap. 14. lib. 3. decretal. tit. 16. de quo etiam agitur in extrav. comm. lib. 5. cap. 4.

Mortuus. FR. aliquando Idolum intelligitur. Gloſſ. in can. & jurabunt. 22. quæſt. 1. Vide *Necrothyta*.

Mos, & *Mores*. FR. differunt inter ſe. Vide Gloſſam in can. Mos eſt longa, diſt. 1.

Moschorum Ritus. Vide *Baptiſmus*. *Cherubim*. *Concionator*. *Crux*. *Evangelium*. *Icona*. *Mitra*. Eorum Patriarcham *Archipopo* appellant. Vide *Patriarcha*. Eorum etymon. Vide *Mogog*.

Motitio, in ſtatutis Equitum Melitenſium idem eſt ac *Optio*, quando, ſcilicet, Commendatarius habens neceſſaria requiſita relinquit commendam, quam poſſidet, & meliorem optat, vulgariter *Smutire* dicitur a gallica voce *Motire*, ideſt, nominare. Vide *Optio*.

Motu Proprio, Bullæ pontificiæ ſpecies. Vide *Leges*.

Mozarabicus, ritus ſacer quidam, qui in aliquibus Hiſpaniarum Eccleſiis obſervatur, qui & *Gothicus* dicitur, a D. Iſidoro Hiſpalenſi Archiepiſcopo inſtitutus, cujus obſervantia a Concilio Toletano IV. univerſæ Hiſpaniæ commendata fuit; ſed cum eſſet multis erroribus per introductionem dominantium Barbarorum depravatus, juſſu Greg. VII. regnante Alphonſo VI. dimiſſus fuerat, ut ex epiſtolis 64. & 83. lib. 1. præfati Pontificis ad eundem Regem datis liquet. Tandem tempore Franciſci Ximenez Toletani Archiepiſcopi Miſſale, ac Breviarium, juxta catholicos ſenſus correcta ſunt, ac latinis characteribus impreſſa, & inſtituti ſunt aliqui Sacerdotes, qui tenerentur juxta mozarabicum ritum officiare, & in præſenti in quinque Toletanæ diœceſis parochialibus Eccleſiis obſervatur, ac etiam in Cappella ab eodem Archiepiſcopo erecta fit idem. Item in Cappella Doctoris Talabricenſis Salmanticenſis diœceſis. Hic igitur ritus ab omnibus aliis Eccleſiaſticis *Mozarabicus*, ideſt, mixtarabicus appellatus eſt, quia Chriſtiani tunc cum Arabibus, ſeu Agarenis mixti erant: ſive *Mos-arabicus* dicebatur, quia inter eoſdem infideles, tunc ibi regnantes, morabantur fideles; ſed ante horum tyrannicum adventum *Gothicus* appellabatur. Pertinentia. Vide *Hoſtia*. *Invitatorium*. *Miſſa mozarabica*.

Mozzeta. Vide *Bavarum latum*. *Birrus*. *Capuccinus*. Florellus in dict. *Flocus*.

Mpailus. Vide *Bajulus*.

Muccinium, ſudariolum, ſumpto vocabulo a naſi muccoſitate tergenda in Thuſciæ quibuſdam locis *Mocchino*. [Mitra, ſtrophium, faſcia, pulvinus, muccinium. Arnobius lib. 1. adverſus gentes.

Muerdem, Machometanorum Miniſter. Vide *Nolarium*.

Mur.

Muffula, cylindracea, ſemimanica hyemalis ad manus calefaciendas, italice *Manizza*, ſeu *Manicotto* dicitur. [ Abbas provideat, ut unuſquiſque Monachorum habeat vuantos in æſtate, & muffulas in hyeme vervecinas, in Addit. cap. 12. Conſtit. Caroli Magni.

Mulcedo, melodia, harmonia. [ Culto peracto vigiliarum, quas alternantes mulcedine, Monachi, Clericique pſalmicines concelebraverunt. Sidon. lib. 5. epiſt. 17.

Mulco, deſtruo: Anthelmus de ſeptem capitalibus vitiis.

Denique ſi potuit cœli mulcare catervas.

Mulieritas, muliebritas: [ Vertunt capillum, in acu laſciviore, comam ſibi inferunt, crinibus a fronte diviſis, apertam proferre mulieritatem. Tertull. de Virg. Velan. cap. 12.

Mulinarium. FR. molendinum. Bull. Caſin. tom. 2. conſt. 73.

Multa, quando ab Antiquis prolatum. Vide *Kyrie eleiſon*.

Multinuba. FR. Mulier, quæ multis viris nupſerat: refert D. Hieronymus in epiſt. 11. ad Ageruch. quod cum ipſe Romæ moraretur, Papæ Damaſo in officio Subdiaconi inſerviens, reperiebatur ibi quidam vir, qui viginti mulieres ſepelierat, ac etiam quædam mulier, quæ viginti duos maritos ploraverat, qui ſimul in matrimonio conjuncti ſunt; quapropter Romanus populus impatienti curioſitate, quinam in hoc conjugio primus morte diſſociaretur, attendebat. Mors tandem pro mariti victoria inclinavit; quare idem Sanctus Doctor ibidem proſequitur, inquiens: [ Vicit Maritus, & totius Urbis populo confluente coronatus, & palmam tenens, adoreamque per ſingulos ſibi acclamantes, uxoris multinubæ feretrum præcedebat. Quid dicemus tali mulieri? nempe, illud quod Dominus Samaritanæ: viginti duos habuiſti maritos, & ille, a quo ſepelieris, non eſt tuus.

Mumia. Vide *Gabbara*.

Muna, oblatio, munus. [ Apportabant ad ſepulturam ſuam unam munam. In vita B. Ambroſii Senen.

Mundaliter, tute, [ Advocate Angelos ad cuſtodiam puritatis veſtræ, quia ipſa in tenera ſorte mundaliter poſita cum Regina ipſorum etiam futura ſecum eorum ſuffragia ſedula oratione contrahebat. Fulbert. ſerm. de Ort. B. Virg.

Mundburdum, *Mundeburdium*, & *Mundeburdis*. Vide *Mundiburdium*.

Mundialis, mundanus. [ Sed tu flos Sacerdotum, gemma Pontificum, ſcientia fortis, fortior conſcientia, minas, undaſque mundialium ſperne nimborum. Sidon. lib. 9. epiſt. 4. ſub quo Baguam fuiſſe mundiales hiſtorici prodiderunt. Sulpit. in hiſt. ſac. lib. 2. cap. 21.

Mundiburdium. FR. *Mundburdum*, *Mundeburdium*, & *Mundeburdis*, defenſio, privilegium, ſeu tutelaris poteſtas. Bullar. Caſin. tom. 1. conſtit. 48. 63. 84. & tom. 2. 38. 80. 84. 89. 90. 96. 120. & paſſim ibidem. Vide *Mamburgium*.

*Hierolexicon Macri*.

Mundio. Idem ac Mundualdus, de quo infra.

Mundium. FR. jus quod habet Curator, vel Tutor in perſonam, & bona illius, qui ſub ejus cura, vel tutela poſitus eſt, l. ſi vir. de raptu mulieris, & l. ſi pater, de ſponſalibus.

Mundualdus. FR. Tutor, Curator, Fidejuſſor, l. ſi Vir. de raptu mulier. Bullarium Caſinen. tom. 2. conſt. 83. & 115.

Munera. Vide *Epicombia*, *Roga*, *Strena*. Quare prohibita in Circumciſione Domini. Vide *Circumciſio Domini*.

Munerator. FR. Tyrannus, qui Martyres morti tradi jubet: [ Igitur urgente muneratorum decreto S. Martyres in Circi ſpectaculo terdenis cuparum gremiis traduntur. Aldelmus, de Virg. cap. 19. ] Vide *Munus*.

Munibilis. FR. adornabilis. [ Porticus columnis invidioſa munibilibus. Sidon. lib. 2. epiſt. 2.

Munimen, ſive *Monimen*. FR. privilegium, ſeu atteſtatio. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſt. 61.

Munimenta. FR. cumulum probationum ſignificat, in quo fundatur ligantis intentio, [ Comparuerunt procuratores veſtri; ſed quia non attulerunt depoſitiones teſtium, & alia munimenta, dilationem cum inſtantia poſtularunt, lib. 1. decretal. de in integr. reſtit. cap. coram felicis. ] Ubi Gloſſa: [ Munimenta dicuntur, quibus cauſa munitur, & inſtituitur, ut teſtes, inſtrumenta, confeſſiones, & quidquid aliud, quod adjuvet cauſam.

Munus. FR. pro martyrio. [ Conjuncto itaque unito gemitu ad Dominum orationem fuderunt, ante tertium diem muneris. In paſſ. S. Perpetuæ, & Felicitatis per Lucam Holſtenium edita. Quoniam ergo permiſit, & permittendo voluit Spiritus Sanctus ordinem ipſius muneris conſcribi. Ibidem. Ipſius muneris actum ſi quis voluerit, ſcribat. Ibidem. [ Et inferius: [ Venator potius, qui illum apro ſubligaverat, ſubſoſſus ab eadem beſtia poſt dies muneris obiit. ] Vide *Munerator*.

Muragium. FR. impoſitio pro reſarciendis muris publicis. [ Si Rex conceſſerit Civitati, vel Burgo, quod poſſit accipere muragium. Matth. Pariſ. in Additam.

Muratio. FR. Pagus, ſive alia domorum copulatio. [ Murationes, & Caſtra inſuper, quæ ſemper conſueverunt per Monachos cuſtodiri &c. Laicorum cuſtodiæ commiſiſti. Bullar. Caſin. tom. 2. conſt. 230.

Murdo, *Murdator*, & *Murdatus*. Vide *Mortridum*.

Murenæ, ornamenta penſilia in Eccleſia ad inſtar murenæ, [ Murenas praſinales pretioſiſſimas duas. Anaſt. in Leone III.

Murenulæ. FR. Inaures. [ Murenulas aureas faciemus tibi &c. Cantica cap. 1. Dextralia, ac murenulas, num. 31.

Murilegulus. FR. Conchyliarum piſcator, in quibus

bus reperitur murex, ſive purpura, Cod. Theodoſ. lib. 9. cap. 45.

Murilegus, felis, ex eo, quia mures capit. [ Quia murilegi, ſeu cati nil ad hoc valent. B. Odericus in ſua Peregrin. cap. 2. Vide *Muſius*.

Murio, fatuus, furioſus; ſed *Morio* ſcribendum a græco vocabulo μωρὸς; unde *Morari* pro inſanire apud Tranquillum. [ Exurgens turba murionum præfatorum tanta eos in ipſa S. Hilarii Baſilica cæde mactavit, ut corruentibus in pavimento Epiſcopis vix conſurgere poſſent. Greg. Turon. lib. 9. cap. 41.

Murmuroſus, murmurans. [ Quid eſt inanis gloria, quam venantur, niſi muſca viliſſima murmuroſa, ſordida, pungitiva? Petr. Bleſen. epiſt. 14.

Muſach, hebraica vox: [ Muſach quoque ſabbati, quod ædificaverunt in templo, 4. Reg. 16. ] Templi ærarium erat, in quo Reges die ſabbati in Templum ingredientes ad adorandum oblationes ponebant. Vide *Corbona*.

Muſardus. FR. Ita Gulielmus Divionenſis Abbas denominatus fuerat, ex eo quia Muſarum ſtudio incumbebat; quin & Muſarum ſtudioſi *Muſardi* ab Adelberono appellati ſunt.

Si muſas celebres clamant muſarde Sacerdos.

* Musica. Artificialis & melica canendi ratio, cum muſicarum notarum varietate ad majorem ſuavitatem adjiciendam inſtituta, in Eccleſiis æque uſitata, & licita fuit, ac cantus planus & ſimplex. Adeoque *Auguſtinum* non recte intelligi ab iis, qui cum in commendationem alterius, in alterius vero derogationem loqui exiſtimant. Magnam enim utriuſque inſtituti agnoſcere ſe fatetur utilitatem, ſpeciatim illius, quum liquida voce, & convenientiſſima cantatur, ideo quidem, *Ut per oblectamentum aurium infirmior animus in affectum pietatis adſurgat*. Et quoad hæc artificialis canendi ratio, debitis limitibus circumſcripta obtinuit nihil planius eſt, & exploratius, quam quod Religioſorum hominum in Eccleſia adſenſu generatim probata fuerit. Duæ autem corruptelæ graviter vituperatæ. Primum quidem mollities & vana curioſitas in canendo, in imitationem Muſicæ Theatralis. Erant autem (atque utinam adhuc non eſſent) abuſus quidam & vitia, quæ in hanc praxin quam facillime irrepere, & Pſalmodiam ac reliquum Dei cultum in Eccleſia depravare poterant. Et in hæc graviter, ac ſevere declamitabant Eccleſiæ Patres. Præcipue de levitate conquerebantur, & vana curioſitate, qua quoſdam in canendo uti obſervabant, qui exemplum ſibi capiebant ex tenore & praxi theatrorum, introducentes hinc corruptam & effæminatam Muſicam in gravem ac ſolemnem Eccleſiæ devotionem. *Chryſoſt.* Homil. 1. de verbis Iſaiæ. Hieronym. in Epheſ. 5. alterum vitium de quo conquerebantur, erat, quod major Muſicæ verborum, & ſuavitatis compoſitionis haberetur ratio, quam ſenſus eorum, oblectationis aurium, quam elevationis affectionum animæ, quæ tamen vera ratio erat, ad quam Pſalmodia, & Muſica ſpectabat. Hieronym. ibid. Vide *Cantus*, *Harmonia*, *Panharmonium*.

Muſilæum. Vide *Mauſoleum*.

Muſius, & *Muſio*, ab Iſidoro dicitur felis. [ Muſio appellatur, quia muribus infeſtus ſit, lib. 12. cap. 2. ] Vide *Murilegus*.

Muſivum, opus, ex variis coloratis lapillis conteſſellatum. [ Apſidam quoque ipſius aureis muſivo perfuſo coloribus ingenti amore depinxit. Anaſtaſ. in Sergio II. Apſidam, quæ ejus ex muſivo aureo ſuperinducto colore glorifice decoravit. Idem in Leone IV. ] Reperitur etiam *Moſibum*, ideſt, *B.* pro *V.* juxta ſtylum illius ævi. [ Erectus arcus optimo moſibo depictus. Romanus Baſilicæ Vaticanæ Canonicus, qui vixerat Caliſti III. temporibus, in tractatu de eadem Baſilica cap. 7. ] Vide *Illuſus*, *Lithoſtratos*, *Sarſorium*.

Muſſula; lanuginoſa herba, quæ in aquoſis locis adnaſcitur, ex gallico vocabulo *Mouſſe*, quam Itali *Muſco*, & Latini *Muſcum* vocant. [ Nam de muſſulis ſupernatis medicamina populi promerentur. Greg. Turon. de Gloria Confeſſ. cap. 44.

Muſſus, ſtramentum, virgultum, ſarmentum, ex Germanica voce *Mutſaert* proveniens: [ Cum pauperes muſſo, quem de nemore collegerant, oneratos præterire cerneret, emit ipſe. Cæſar. lib. 6. miracul. cap. 5.

Muta, aviarium: [ Quædam in conſervando ſanas etiam quando jam mutant pœnas, ut domuncula, quæ dicitur muta. Frider. II. de Venat. lib. 2. ] hinc adagium *In mutam includere*, de deceptis dicitur. Aliquando campanulam tenuiſſimi ſonus denotat: [Tacta nola, cui muta, vel ſcilla eſt nomen. Matth. Pariſ. in vita Abb.

Mutus. Vide *Mogilalus*.

Mycaula. FR. Sabæ Reginæ nomen, ut Joſeph. Hebr. lib. 8. antiq. cap. 6. aſſerit.

Mygale, mus araneus, de quo mentionem facit Ælianus, ex græco vocabulo μυγάλη, eſt inter immunda animalia in Levit. cap. 11. computatus. Hebraice *Anakàh*.

Myoparo, μυοπάρων, vulgo *Fuſta*. Vide *Hero*.

Myrmecium, copioſitas, multitudo formicarum, ex græco vocabulo μυρμήκιον, quod formicarum agmen ſignificat: translative vero pro caterva viliſſimorum hominum ſumitur. [ Variæ enim, multipliceſque negotiorum circumſtantiæ, dum ubique publica exhauriuntur æraria, paſſimque hoſtium incurſionibus patet aditus, tranquillum imperii noſtri ſtatum repreſſerunt; cum primumque adeo Imperatoriæ Majeſtatis faſtigium conſcendimus, nos a tergo illam malorum myrmecia inſecuta eſt. Alexius Imp. in ea Bulla, quæ aurea appellatur.

Myrobluita, μυροβλύτα FR. ita cognominatus eſt S. Dominicus Martyr a Græcis, quia ex ejus ſepulchro liquor ſcaturiebatur pro infirmitatibus mirabilis;

lis: voces quidem græcæ ſunt, nempe, μύρον, unguentum, & βλύω, ſcateo, mano.

MYROPHORI, ſic appellatæ ſunt tres mulieres, quæ ad Dominicum ſepulchrum ferentes unguentum, ut ungerent Salvatorem, ierant. Græca vox μυροφόροι, unguenti latrices. Græci itaque Dominicam tertiam poſt Paſcha *Dominicam Sanctorum Myrophororum* appellant; ſic enim in Typico S. Sabæ legitur.

MYRUM, unguentum, græcum vocab. μύρον. [ Lavit corpus ſuum, & unxit ſe myro optimo. Judith. cap. 10. ] Græci deinde Sanctum Chriſma *Myron* vocant, & Melitenſes *Myru* idem Sacramentum appellant.

MYSTÆ. Vide *Epopta*.

MYSTAGOGIA. Vide *Miſſa*.

MYSTAGOGUS, rerum ſacrarum director. [ Deum Abraham, protectorem Iſaac, ſanctum Iſrael, Moyſis Myſtagogum. S. Method. de Simeone & Anna. ] FR. dicitur Deus Myſtagogus, quia Moyſen ſacros ritus docuerat: ſic etiam S. Polyeuctus Martyr profani ritus miniſtrum arguerat, inquiens: [ O ſcelerate, & profanorum myſtagoge ſimulacrorum; cur me inſidioſis tuis, & uxoris lacrymis ſtudes abducere a confeſſione in Chriſtum? Ex Metaphraſt. Lippomanus tom. 5. & Sur. tom. 1.

MYSTERIUM FIDEI. FR. verba appoſita in forma conſecrationis ſanguinis. Unde orta eſt quæſtio, cujus reſolutio habetur in cap. 6. lib. 3. decretal. tit. 41.

MYSTES, græce Μύστης, ideſt, peritus, etiam pro Sacerdote uſurpatur, unde *Protomyſtes* aliquando Epiſcopum ſignificat.

MYSTARCHUS, μύσταρχος, Sacerdotum præpoſitus, quo titulo Archiepiſcopus Toletanus fruebatur.

MYSTERIORUM LIBER. Vide *Miſſalis*.

MYSTICUS Sacræ Scripturæ ſenſus. Vide *Anagogia*.

MYTACISMUS. Vide *Metaciſmus*.

MYXUM, μύξος, ellychnium, ex græca dictione μύξα, quæ proprie muccum naſi denotat. Latini enim Y in U lene ſemper transferentes *Muccum* dixere, unde Catullus.

Muccuſque & mala pituita naſi.

Et translative ad ellychnium, ex eo quod trahit humorem ex lucerna, quod Itali ex græco corrupte *miccio* appellarunt: [ Myxum ex ſtuppa amianti. Anaſt. Biblioth. Lucernam ex auro puriſſimo myxorum duodecim. Idem. ] In aliquibus tamen Codicibus *mixum* mendoſe legitur. Vide *Bimyxion*.

MYZINUM. Vide *Imiſilum*.

# N

N.L. quid ſignificabat apud Antiquos. Vide *Pandecta*.

NAAS. FR. nomen proprium viri, & Urbis, in Sac. Script. ſerpentem ſignificat [ Quis eſt ergo Naas Ammonites, quæ eſt Jabes Galaad? Sed Naas interpretatur ſerpens, Jabes exiccata. D. Greg. lib. 5. cap. 1. in primum Regum cap. 10.

NABAL. FR. dementem hebraice ſignificat. Joſeph. Jud. lib. 6. antiq cap. 16. Alii tamen *Naphal* legunt.

NABLUM, ex hebraica voce *Nabel*, quæ multa ſignificata in ſe continet; in primo enim ſignificatu Uter denotat: hinc aliquando pro vaſe vacuo accipitur, rurſus ad hominem fatuum transfertur, ex eo quod intelligentiæ ſit vacuus. Item ſignificat fiſtulam paſtoralem diaulum, monaulium, ſive tibiam; muſicum, ac ruſticale inſtrumentum, cui uter pendet, ac ore inflatur, ut ſonum reddat. [ Dixit David principibus Levitarum, ut conſtituerent de fratribus ſuis cantores in organis muſicis, nablis, videlicet, lyris, & cymbalis, ut reſonaret in excelſis ſonitus lætitiæ, lib. 1. Paralip. cap. 15. In nablis arcana cantabant. Ibidem. Unuſquiſque Iſrael deducebant Arcam fœderis Domini in jubilo, & ſonitu buccinæ, & tubis, & in cymbalis, & nablis, & cytharis concrepantes. Ibidem: Et nablis, & hymnis &c. 1. Macab. cap. 13. ] Errant ſiquidem, qui putant hoc muſicale inſtrumentum pſalterium fuiſſe decem chordarum.

NABLIZO, fiſtula ſono.

NACUS, lanæ pannus, ex græco νάκος, pellis caprina, item vellus, aut pellis arietis, ſive res piloſa. [ Albus paraſrænus cum naco ſcarlati ſuprapoſito, & argenteo fræno præparatus a mareſchalco. ] Loquitur de equo, in quo Papa equitare ſolebat in die Paſchæ, Benedictus-Baſilicæ Vaticanæ Canonicus in ejus M. S. Cæremoniali, quod in Bibliotheca Angelica de Urbe aſſervatur. Innocentius III. in ejus decretalibus epiſtolis lib. 1. inter alias prærogativas, quas in favorem Archiep. Piſani recenſet, hæc etiam reperitur, nempe: [ Equo albo cum naco albo in proceſſionibus utendi. ] FR. Honuph. Panvin. & Laurentius in ejus Amalthæa *Nacchus* ſcribunt; *Nacce* vero, & *Nacta* habet Turnebus, de quibus fuſe in ejus Adverſ. lib. 23. cap. 23.

NÆNIA. Vide *Fletobotomia*, *Threni*.

NAFFUS. Vide *Nauſus*.

NAGERBA, fex ceſpitum, & ſimilia ab undis marinis in littore projecta. In lib. de mirabil. Sac. Scripturæ cap. 24. qui inter opera D. Aug. tom. 3. inſeritur. Alii *Gerbam* legunt, quæ mihi videtur eſſe æquoris aqua indurata in littore. Vide *Gerba*.

NAMA, νᾶμα, latex, unda, aut rivus decurrens, ſic appellavit oleum Prudentius in hym. ad incen. quod in luminibus Eccleſiarum ardet.

Et de pinguidulis fota namatibus.

In Codicibus vero mendoſis perperam *Natatibus* legitur.

NAPHAL. Vide *Nabal*.

NAPINA, terra in qua napus naſcitur, lex ſalica tit. 2.

NARIO. FR. qui nares habet latas, [ Nario ſubſannans. Iſidorus in ejus Gloſſa ] Nonnulli *Subſannator* legunt. Aliis placuit interpretari loquacem, a verbo *Narro* etymon trahentes.

Narthex, ex græco νάρθηξ, quod ferulam proprie ſignificat. Vide *Deputatus*. Hinc Plinius inquit: [ Ferula calidis naſcitur locis, atque trans maria, geniculatis nodata ſcapis. Duo ejus genera. Nartheca Græci vocant aſſurgentem in altitudinem. Nartheciam vero ſemper humilem, lib. 13. cap. 22. ] Et quia prima medicamentorum vaſcula ex narthece efficiebantur, hinc deinde quælibet vaſcula ex quacumque materia in quibus medicamenta reponebantur, *Narthecia* dicta ſunt: unde Cic. 2. de finib. ait: [ Jam doloris medicamenta illa epicurea tanquam de narthecio promant. ] Et Martial. lib. 14. Epigr. 68.

Artis ebur medicæ narthecia cernis habere.

Sed apud Eccleſiaſticos *Narthex* in Eccleſia locum pro publicis pœnitentibus aſſignatum denotat, ſumpta fortaſſe metaphora ex Plinio ſupra ex humili *Narthecia*, quia pœnitentes humiliari debent, vel ex vaſculo medicamentorum, quia pœnitentia eſt medicamentum delens peccata. Eſt tamen maxima controverſia inter Auctores, ubi preciſe in Eccleſia Nathecis locus fuiſſet. Aliqui exiſtimarunt eſſe in porticu, quæ opinio erudite refellitur a Leone Allatio in eo tractatu, quem de Narthece compoſuit, in quo manifeſte demonſtrat, hunc locum fuiſſe prope portam Eccleſiæ; ſed ex interiori parte, ubi Catechumeni, Energumeni, & Pœnitentes ſimul manebant. A Thaumaturgo *Auditio* dicitur, qui etiam ait fuiſſe in eodem loco, ſcilicet, prope januam Eccleſiæ ex parte interiori, & ab Areopagita *Sacrum* dicitur, ex quo loco tempore conſecrationis excludebantur prædicti Pœnitentes, Catechumeni, & Energumeni; nam, ut idem Dionyſius c.3. de Eccleſ. hierarch. ait: [ Ea recitata, extra templi ambitum collocantur Catechumeni, & poſt eos Energumeni, atque ii, quos ante actæ vitæ pœnitet. Manent autem ii, qui divinarum rerum, & aſpectu digni ſunt, & communione. ] Ex quibus ſatis colligitur contra Joſephum Vicecomitem, qui in ejus tract. de Sac. Ritib. Catechumenos locum extra Eccleſiam habuiſſe aſſeruit: licet enim reperiatur apud nonnullos antiquos ſcriptores, quod Catechumeni ab Eccleſia eliminabantur, tunc tamen erat locus ille, qui *Fletus* appellabatur, ut dictum eſt in dictione *Eccleſia*, & dict. *Hyemantes*. Igitur ſi extra Eccleſiam in pœnam delicti patrati extrudebantur, ut ſignanter in dict. *Fletus* demonſtratum fuit, ſequitur proinde manifeſte, quod inculpabiles locum intra Eccleſiam habebant. Hodie tamen inter Græcos, cum amplius Catechumenos non habeant, Narthex in Monachorum Eccleſiis pro Monachis laicis inſervit, & in Eccleſiis ſæcularium pro mulieribus aſſignatur cancellis, tranſennis, & cratibus obſeptus, ſic per totum orientem egomet obſervavi. Imperatoris narthex. Vide *Protheſis*.

Nassa. Vide *Lapſus*, *Nyſſa*.

Natalis. FR. dicitur dies obitus alicujus Sancti. Origen. lib. 3. in Job. Rabanus cap. 43. Alcuin. de divin. off. cap. de ſexta feria. S. Cyprian. epiſt. 37. & 33. quæſt. 4. can. 9. habetur: [ Non licet in quadrageſima natales martyrum celebrare; ſed tantum in Sabbato, & Dominica per commemorationem eorum oblationes offerre: ſed nec natalitia, nec nuptias liceat in quadrageſima celebrare. Ubi Gloſſa colligit, quod *Natalis*, & *Natalitium* habeant diverſum ſignificatum: *Natalis* nempe ſignificare diem alicujus Sancti, *Natalitium* vero hominis.

Jam cum ſe revocat decurſis menſibus annus,
Natalemque diem paſſio feſta refert.

Prudentius.

Natalis. FR. adjectivum, natans, & in aquis degens. [ Reformidant enim univerſa animalia, etiam ipſam Cœli umbram, ſive natalia, ſive terreſtria, ſive volatilia. Theodoret. quæſt. 53. in cap. 8. Geneſis. Poſt diluvium autem pretioſiorem cibum illi confert: (*ideſt*, *homini Deus*) jubens occidere, & comedere volatilia, natalia, & terreſtria animalia. Ibidem quæſt. 55.

Natalis Calicis, dicitur Feria quinta in Cœna Domini. Ex eo quia in eo die Euchariſtiæ Sacramentum fuerat inſtitutum. [ Vocatur hæc dies Cœna Domini, vocatur & Natalis Calicis, S. Elig. ] Ac aliis nominibus, nempe, *Dies panis*, & *Dies lucis* a Chryſoſt. *Dies Indulgentiæ* a S. Maurino Abb. quia tunc reconciliabantur publici pœnitentes. *Dies ſecretorum* a Syris. *Dies Natalis Euchariſtiæ* a Landulpho. Vide *Feria V. in Cœna Domini*.

Natalis Pontificis. Vide *Epiſcopus*

Natalitium. Vide *Feſtus*, *Natalis*.

Natatoria. Vide *Probatica*, *Siloe*.

Nathinei. Vide *Subdiaconus*, *Nathinæi*.

Nativitas, meſſis. [ Frumenta colligentur, quia tantum hic parva nativitas fuit, ut niſi auxiliante Deo frumenta de Sicilia congregentur, fames vehementer immineat. S. Greg. in Regiſt. lib. 1. cap. 70. ] ſed hic potius fructificationem ſignificat.

Nativitas Domini, vulgariter *Sol novus* appellabatur. [ Bene quodammodo ſervatam hanc diem Domini Solem novum vulgus appellat, & tanta ſui auctoritate id confirmat, ut Judæi, atque Gentiles in hac voce conſentiant. D. Ambroſ. ſerm. 16. ] Judæi namque, ac Gentiles ſecundum aſtronomiam vocabant ſolem novum, quia ab hac die creſcere ſolet dies, ſicut lunam novam nos dicimus, quando lunatio ejus numerari incipit, quod non acciderat ſine profundiſſimo myſterio: Aug. enim ſer. 21. de Sanctis inquit: [ Eo die natus eſt Chriſtus, quo incipiunt creſcere dies: magnum ſacramentum &c. ] Quæ omnium feſtivitatum metropolis a Chryſoſt. hom. 21. appellatur, ubi ait: [ Omnium ſolemnitatum auguſtiſſima, & maxime ſtupenda, quam haud erravit, qui metropolim feſtorum omnium dixerit. ] De tribus Miſſis in hac die dici ſolitis, & de Miſſa quæ in hac nocte ante ejus medietatem celebrari ſolet in Capella papali, & in Eccleſia S. Marci Venetiis. Vide *Miſſa Nativitatis*. De benedictione gladii Imperialis, & duca

calis pilei, quam pariter in hac nocte Papa facere ſolet. Vide *Lectio*. Item quod hic dies *Epiphania* dicebatur. Vide *Epiphania*. Item quod ad S. Mariam Majorem in Matutino hujus noctis Invitatorium non dicebatur. Vide *Invitatorium*. Item quod in prima Miſſa non debet dici Ite miſſa eſt. Vide *Ita miſſa eſt*. In officio hujus noctis cooperiebatur Altare tribu velis diverſis coloribus, & quare. Vide *Altare*. Cætera. Vide *Neuma*. *Noel*.

NATHINÆI. FR. [ Vobis quoque notum facimus de univerſis Sacerdotibus, & Levitis, & cantoribus, & janitoribus, & Nathinæis, & miniſtris Domus Dei hujus, 1. Eſdr. cap. 7. & alibi. ] Familia erat quæ Levitis miniſtrabat, ut ex 1. Eſdræ cap. 8. habetur, nempe, [ Et de Nathinæis, quos dederat David, & Princeps ad miniſteria Levitarum.

NATTA, theutonicum vocabulum *Natte*, quod tegetem, ſive ſtoream denotat. Et ut ageretur miraculum, natta, qua accumbere ſolebant orantes, incolumis ante mauſolæum reperta. In vita S. Vulſtani Epiſc.

NATURA. FR. [ Imitatrix vitiorum dicitur, can. Proclivus, 20. quæſt. 3.

NATURALIS FILIUS. Vide *Manzer*.

NAUFRAGARE RES SUAS. FR. diſperdere, vel periculo exponere. Gloſs. in l. 6. de prohibit. alienat. minor.

NATUS. FR. aliquando pro ſatellite uſurpatur. [ Ac ipſe illiuſque nati, ſeu ſatellites, certum officialem, ſeu Locumtenentem Monaſterii veſtri inhumaniter interfecerunt. Bullar. Caſin. tom. 2. Conſtit. 335. Jacobus de Sabellis Domicellus Romanus, tunc in humanis agens, caſtrum Nazani, Nepeſin. Diec. cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis poſſidens, illiuſque nati, ſeu ſatellites, certum Officialem, ſeu Locumtenentem Monaſterii S.P. uli inhumaniter interfecerant. Ibid. conſtit. 407. [ Vide puer curiæ in dic. *Puer* in ſenſu ſatellitis. Sed re vera illud *Seu* ſtare puto loco *Et*, ut in dict. *Seu* dicemus, & ſic Jacobi filii una cum ſatellitibus ad interfectionem prædictam concurriſſe erit intelligendum.

NAUFUS, arca lignea, ſarcophagus, in quo conduntur cadavera [ Sancta corpora paliis, ac naufis exornata. Greg. Turonen. de gloria confeſſor. ] Alii tamen *Naffus* legunt. [ Si quis mortuum hominem, aut in naufo, aut in petra, quæ vaſa ex uſu ſarcophagi dicuntur, ſuper alium miſerit, lex Salica tit. 17.

NAVICULA, vaſculum, in quo ponitur incenſum pro thuribulo, ſic appellata, quia ſolet ovata forma ad inſtar navis formari: ejus ſynonyma. Vide *Acerra*, *Hannapus*, *Incenſorium*, *Pyxis*.

* NAVICULARII. Certa Societas hominum, qui anniverſarium frumenti tributum ex Africa, & Ægypto Romam & Conſtantinopolim tranſportabant. *Auguſtinus* ſerm. 49. de diverſis.

NAVIGO. FR. Uxorem duco. [ Navigaſti, ideſt, uxorem duxiſti, can. nos novimus, 17. quæſt. 2. Ibi Gloſs.

NAVIUM GENERA. Vide *Chelandium*, *Colimpha*, *Dromon*. Myoparo in dict. *Hero*.

NAUPEGUS. FR. Navium fabricator, ex græco Ναυπηγός: ſic appellatus eſt Michael Imperator, quia ejus majores in Paphlagonia navium fabricatores fuerant. Aliquando ſignificat navium reſtaurator, ideſt, καλαφάτης, *Calaphates*.

NAUTA, Vide *Meſonauta*, *Nautologus*.

NAUTICATIO, navigatio [ Per diagrapha, ſeu capita, atque nauticationes. Anaſt. Biblioth. in Vitalian.

NAUTOLOGUS, ναυτολόγος. FR. Nauclerus, navarchus: λόγος enim latine ſermo eſt, quia ſermonibus, & præceptis navem dirigit. [ Hi, qui catechizant, nautologis conferantur. S. Clemens ep. 1.

NAZAREUS. FR. hebraica vox *Nazir*, ideſt, ſegregatus. [ Nazar ſignificat ſeparare ſemet a deliciis mundi, inde fit Nazaræus, qui ſeparatus a vino, & populi frequentia, ut magis ſanctimoniæ incumberet. David de Pomis. [ Nazaræi igitur non ſolum a mero abſtinebant, ſed a quocunque potu inebriante. Item ferre comam, nec novacula uti, nec ad funeralia intervenire ſolebant; imo nefas illis erat tangere cadavera, & mortuorum oſſa, ſive alia defunctorum utenſilia. *Nazaræi* item duplicis ſpeciei erant, quidam ſe aſtringebant ad tempus huic inſtituto, ut in c. 6. Numer. legitur; quidam autem per totum vitæ curſum, ut fuerunt Samſon, Samuel, & ſimiles. Inceperat hoc inſtitutū inter Judæos a Moyſis temporibus, & duravit uſque ad Apoſtolorum ævum; unde de D. Paulo dicitur illum Nazaræum fuiſſe ante converſionem. Licet autem in Geneſ. cap. 49. inveniatur Joſephum Nazaræum fuiſſe, qui tamen multo ante Moyſen vixerat, de quo ibid. [ Et in vertice Nazaræi inter fratres ſuos] non enim Nazaræus ex eo, quod Nazaræorum inſtitutum obſervaſſet, dicitur; ſed quia in multis a ſuis fratribus ſeparatus fuerat, quare dictum Geneſis locum Chaldaica verſio habet: [ Super virum, qui ſeparatus eſt a fratribus ſuis.] *Nazaræi* item appellati ſunt Chriſtiani, quia a Mortuis, ideſt, Idolis alieni, & ſegregati ſunt: mortui enim a Chriſtianis vocabantur Idola. Vide *Mortuus*. Hinc Prudentius l. 1. contra Symmachum Gentilium defenſorem cecinit:

Jamque ruit paucis tarpeja in rupe retectis
Ad ſincera virum penetralia Nazaræorum.

Inter Græcos tamen *Nazaræus* juxta hebraicum ſenſum pro Monacho accipitur, ideſt, ſolus, ſegregatus &c. [ Joannem Andronici filium in Macedoniam abductum, communi aſſenſu, applauſuque Regem deſignat; inito regno, Cantacuzenum in Nazaræorum, ſive Monachorum ordinem tranſtulit, quem mutato nomine Matthæum appellavit. Chalcondila lib. 1. de reb. Turcicis, ] qui auctor ſæpe hoc vocabulo utitur ad ſignificandum Religioſum.

NAZARENUS. FR. gentile a Nazareth, ex Hebræo *Nazer*, quod ſurculum ſignificat, unde poſtea denominata eſt Civitas *Nazareth*. Item *Nazareni* etiam quidam ſectarii appellati ſunt, qui quamvis Chriſtianam Religionem ſectaretur, ritus tamen veteris teſtamenti ſequebantur, 24. quæſt. 3. can. 39.

Neapolis, Campaniæ Civitas. FR. tempore Rogerii Siciliæ Regis MM. CCC. & LXIII. paſſus circuibat. Falco Benevent. in ejus chron. ann. 1240.

Nebulo, *as*. FR. verbum, obſcurare, & denigrare ſignificat. [ Semper cupiunt ſplendorem, & genus Romani nominis nebulare. S. Victor Uticen. lib. 3. de perſecut. Vandal. ] de Vandalis loquitur.

Necessitas. FR. duplex, ſimplex, nempe, & conditionalis, can. vaſis iræ, 24. q. 4.

Necessitosus, egenus, & pauper. [ Quia miſſus Imperatoris erat, & capitula ipſius pro defenſandis advenis, & neceſſitoſis habebat. Flodoard. lib. 3. hiſt. Remen. cap. 26. ] quod ſæpe uſurpari videtur a ſcriptoribus illius ſæculi.

Neco. FR. ideſt, non alo. Gloſſ. in can. inter cætera, 22. quæſt. 4.

Necrologium, νεκρολόγιον, mortuorum catalogus, quo vocabulo uſus eſt Beda in hiſt. Anglicana lib. 4. c. 14. Dicitur etiam *Obitorium*. Item & *Calendarium*, ita Anſelm. lib. 1. ep. 21. inquit. [ Vir ille, qui a nobis nuper moriens monachum ſumpſit habitum, ſi etiam benedictionem aſſumpſit; mandate nobis nomen, & diem obitus ejus, ut in noſtro Calendario ſcribatur.

Necrophorus, νεκροφόρος, *capulus, pollinctor, ſive* mortuorum delator. Vide *Funerarius*, *Funerator*, *Porticani*, *Sandapilarius*, *Veſpillo*.

Necrothytæ, νεκροθύται, res mortuis, ideſt, Idolis ſacrificatæ: quandoquidem Idolum mortuum alio nomine appellabatur. Vide *Mortuus*. ] Si ergo gulam, & ventrem ab inquinamentis liberamus, quanto magis auguſtiora noſtra, oculos, & aures ab idolothytis, & necrothytis voluptatibns abſtinemus? Tertull. de ſpectac. cap. 13.

Nedfratres, luminaria, ſive incendium ſuperſtitioſum ruſticorum in feſto S. Jo. Bap. in cujus nocte funis ligabatur ad palum, qua hinc inde agitata, & confricata, eo motu excitabatur ignis, ad quem deinde imponebant ſtramenta, & ſimilia pabula flammæ, ac cineres conſervabant, ad eas in campis diſpergendas, erucas frondium derodentes tali cinere necari falſo perſuaſi; de qua ſuperſtitione fit mentio in Synodo a S. Bonifacio Papa Caroli Magni tempore celebrata, ubi his verbis expreſſe prohibetur: ] Sive illos ſacrilegos ignes, quos nedfratres vocant. ] Aliqui legunt *Netfratres*, alii *Nefratres*, & alii *Nefri*; ſed cordatiores *Nedfratres* legere malunt, cum ex vocibus anglicis *Nood-frier*, ideſt, neceſſarius ignis, derivetur, quia illum ad fertilitatem germinum neceſſarium putabant.

Negligentia. FR. ſic definitur, Negligentia eſt noverca Eruditionis, can. nihil, diſt. 83. Et ignorantia eſt mater cunctorum errorum, can. 1. diſt. 38.

Negotiatio. Vide *Litteratura*.

Nemoseus, nemorenſis, ſeu nemoralis. [ In novam thecam nemoſeam, honeſtam, & notabilem ſepoſuimus. In vita S. Vinvolei Abb. 3. Mart.

Nemus. FR. nemo, nullus. [ Quia nemus rectius cuſtos præponitur vitæ alienæ, quam qui prius cuſtos factus vitæ ſuæ. Ivo Carnot. epiſt. 217.

Nenia, ſive *Nænia*, oratio funebris. Vide *Fletobotomia*, *Threni*.

Neocorus. FR. νεωκόρος. templi cuſtos, qui titulus Civitatibus illis tribuebatur, in quibus aliquod celebre templum reperiebatur, quemadmodum fuit illud Dianæ Epheſinæ. Salderus vero credidit ejuſdem templi Cuſtodem appellatum fuiſſe *Neocorum*; ſed ex textu Theophylacti cap. 19. clare convincitur, ubi ait: [ Unde Epheſus Dianæ Neocoros dicebatur; ] Licet verum ſit, quod aliquando adulatorie hoc nomen Imperatoribus tribuebatur.

Neomenia, νεομηνία. Eſt nova luna, prima dies lunæ, ſeu menſis. FR. LXX. quodlibet principium menſis *Neomeniam* verterunt: omne enim menſis principium apud Hebræos venerabatur; ſed ab operibus ſervilibus non ceſſabant. D. Hieronymus *Neomenias* Kalendas interpretavit. Abulenſis vero, & Lyranus, *Novus defectus Lunæ* tranſtulerunt. Vide *Sabbatum trigeſimum*.

Neophylax, νεοφύλαξ, cuſtos templi.

Neophytus, νεόφυτος, recens plantatus, nuper genitus, ex νέον, *nuper*, & verbo φύω, *gigno*, *planto*: inde latini fœtum partum dixerunt. Neophyti a Sancto Zenone ſerm. 6. ad Neoph. appellantur *Tripondes homines*. Item *Neophytus* aliquando ſignificat hominem ad ſacros ordines, vel ad Epiſcopatum promotum; ſic enim verba illa Apoſtoli, [ Non Neophytum, ne in ſuperbiam elatus, incidat in judicium Diaboli. 1. Timot. cap. 3. ] intelliguntur. Nam in primitiva Eccleſia omnes, & ipſimet Apoſtoli erant Neophyti, ergo non de Chriſtianis novis in fide ibi Apoſtolus intellexerat; ſed de novitiis in eccleſiaſticis miniſteriis, quos ad Epiſcopatum evehi reprobavit. FR. Unde gratis quidem Salelles tom. 1. de Inquiſit. prolegom. 10. n. 6. tanquam ſummum privilegium Doctoris gentium fuiſſe exaggerat, quod idem contra prædictam ejus ordinationem, Sanctum Publium Melitæ Principem novellum in fide in ejuſdem Inſulæ Epiſcopum ordinarat; bene tamen dici poſſet, eſſe, nimirum, prædictæ regulæ Apoſtoli exceptionem, ſi ille Princeps per ſaltum ad dictum Epiſcopatum promotus fuiſſet. Neophyti igitur dicuntur Laici, qui nullo prævio Eccleſiaſtico ordine ad Epiſcopatum promoventur; ex hoc enim capite Neophytus appellatus fuerat Photius in IV. Conſtantinop. Concil. can. 4. & Patres ibi illius Patriarchalem electionem nullam, & invalidam ob id declararunt, non quia erat fidei, ſed ordinum eccleſiaſticorum Neophytus; conſtat enim illum a nativitate baptizatum fuiſſe, ergo tanquam in adminiſtratione Sacrorum novellus, Neophytus appellatus fuit. Idem Photius Neophytus etiam ab Ivone Carnotenſi epiſt. 285. appellatur. Unde Joannes Papa VIII. quando ad inſtantiam Auguſtorum præfatam electionem reinvalidavit, eiſdem ita ſcripſerat: [ Ut poſt mortem Photii fratris noſtri, nul-

nullus ex dignitate mundana ad Pontificalem honorem aſcendat;ſed ex presbyteris Cardinalibus ejuſdem Eccleſiæ, vel ex Diaconibus, aut ex aliis Sacerdotibus,qui ſub Eccleſia Conſtantinopolitana conſiſtunt:] ubi *Diaconibus* intelligendum eſt de Cardinalibus, quia in ordine anteponuntur hic aliis Sacerdotibus non Cardinalibus. De his in rebus eccleſiaſticis tyronibus loquitur can. ſtatuimus, diſt. 61. ubi ſic inquit: [ Ne his regenda Domini Eccleſia credatur, qui legitimarum inſtitutionem neſcii, & totius humilitatis ignari, non ab infimis ſumere incrementum, ſed a ſummis volunt habere principium;cum valde iniquum ſit, & abſurdum, ut imperiti magiſtris, novi antiquis, & rudes præferantur emeritis ] :||: In hoc etiam ſenſu Caſinenſis Chronica lib. 2. c. 41. de Landulpho non in fide Neophyto, ſed in rebus eccleſiaſticis, a Capuanis in eorum Epiſcopum electo, ait: [ Landulphum quendam de ſuis nobilibus conjugatum,& Neophitum ſibi Epiſcopum elegerunt.] De his ergo in rebus eccleſiaſticis tanquam imperitis eſt ſupra allatus ſermo Apoſtoli. FR. idem inſinuare videtur D. Hieronymus lib. 1. Dialogor. adverſ. Pelagian. ubi ad locum illum Apoſt. alludens, ſic inquit: [ Vult, ut non Neophytus Epiſcopus ordinetur,quod videmus in noſtris temporibus pro ſumma eligi juſtitia. Si baptiſmus ſtatum juſtum faceret, & omni plenum juſtitia, nequaquam utique Apoſtolus Neophytum refutaret; ſed Baptiſmus vetera peccata conſcindit, novas virtutes non tribuit, dimittit e carcere, & dimiſſo ſi laboraverit præmia pollicetur. Aut nullus inquam, aut rarus eſt, qui omnia habeat, quæ habere debet Epiſcopus.] :||:Item *Neophyti* vocabulum pro Novitio in Religione uſurpatur, in quo ſenſu Greg. lib. 7. Regiſt. epiſt. 120. FR. de hoc ſenſu clare in can. ſicut Neophytus, diſt. 48. ibi enim ſic habetur: [ Sicut Neophytus dicebatur, qui initio ſanctæ fidei erat eruditione plantatus, ſic modo Neophytus habendus eſt, qui repente in Religionis habitu plantatus ad ambiendos ſacros ordines irrepſerit. Ordinate ergo ad ordines aſcendendum eſt. ] Gloſſa autem in can.Probentur,diſt.48. Secundam hujus vocabuli acceptionem, ſcilicet, de novello in rebus ſacris, non agnovit, dum ibi tantum aſtruit, nempe: [ Dicitur Neophytus novellus in fide, vel in Religione. ] De Neophytis in fide. Vide *Dominica nova*. *Illuminati*. Eorum proceſſio. Vide *Veſpera*.

Neophitorum Hæresis. FR. laicorum, ſeu immeritorum pervicacia, dum ſimoniace ad Eccleſiaſticas dignitates procurant pervenire, can. quiſque per pecuniam, 1. qu. 1.

Nephalius, græce νηφάλιος, ſobrium ſimul, ac vigilantem ſignificat: [ Quippe utrumque ſignificat ] inquit D. Hieronymus epiſt. 83. ad Oceanum.

Nephesinus. FR. ideſt, Nepeſinus,ex Nepi Civitate, 5. decretal. tit. 12. cap. 21.

Neptunus. FR. fortaſſe ex hebraico vocabulo *Nephtul*, quod agonem ,ſeu certamen ſignificat. Calep. in dict. Agon. unde *Neptunus Enoſigæus*, ex eo quia terram quaſſat, & concutit, dictus fuit.

Nescio Vos. FR. ideſt, non approbo. Gloſſa in can. conſideret, de pœnit. diſt. 5. Item contemno. Gloſſa in can. hac conſona, 25. quæſt. 1.

Nestoriani. FR. Hæretici: [ A Neſtorio Conſtantinopolitano Epiſcopo nuncupati, qui B.Mariam Virg. non Dei, ſed hominis tantummodo matrem aſſeruit, ut aliam perſonam carnis, aliam faceret deitatis: nec unum Chriſtum in Verbo Dei, & carne credidit; ſed ſeparatim, atque ſejunctim alterum filium Dei, alterum filium hominis prædicavit, can. quidam autem, 24. qu. 3.] Hi ab Orientalibus *Syrani* communiter appellantur. Vide *Agnoetæ*, *Eutychiani*.

Nete, græce Νήτης eſt altior citharæ corda, quæ acutum reddit ſonum: [ Jam hypate quoque, cum ſit nete contraria, eſt tamen una harmonia. Clem. Alex. lib. 1. ſtromat. c. 5. ] Vide *Hypate*.

Netorium. FR. fuſus ad filum ducendum, at corrupte apud Iſidorum *Netorſum* dicitur.

Neuma, græce νεῦμα, ideſt, nutus; ſed pro ſuavi, ac jubilationis ſpiritualiter prolato cantu uſurpatur, quo vix verba exprimebantur, dum longa pauſa quæque ſyllaba protrahebatur, ita ut ex oris tantum apertione, ac per ipſius nutum, & motum intelligerentur verba. Hæc cantus ſpecies exercebatur præcipue in Natali Domini; hinc recentiores Muſici in eadem nocte brevioribus ſyllabis *Noel* pronuntiant in cantilenis ſacris. Antiquitus tamen in choro *Neuma* canebatur Kyrie eleiſon, vel ad dictionem *Hieruſalem*, quia cœleſtis patria contemplabatur. Vide *Noel*. Unde Rupertus lib. 1. de Divin. off. c. 35. inquit: [ Jubilamus magis, quam canimus, unamque brevem digni ſermonis ſyllabam in plures neumas, vel neumarum diſtinctiones protrahimus, ut jucundo auditu mens attonita repleatur, & rapiatur in gloria ] Quæ interjectio ſæpe in cantu *Alleluja* poſt epiſtolam apud Græcos frequentatur.

Neumo, verbum, ideſt, cano neumam.

Nibita. FR. aqua pluvialis. [ Nibita aqua ex nubibus facta. Iſidor. ] Sed Voſſius melius exiſtimat dici *Nivitam*, aquam, nempe, ex nivibus liquefactis; nam, ut ſæpe diximus, in illius Iſidori ſæculis B. pro V. ponebatur.

Niblatus, utitur hac barbara dictione Joannes Diaconus in deſcriptione indumentorum S. Silviæ D. Gregorii genitricis, dum ait: [ Ferens in capite matronalem mitram cadentis brandei raritate niblatam, in vita S. Greg. cap. 83. & 84.] ſed mendoſe, dum *Nubilatam* legendum eſt, eratque velum tenuiſſimum capiti ejuſdem Sanctæ involutum ad inſtar turcici vittati, quod Italice *Turbante* dicitur, ut in ejuſdem Sanctæ figura, videre eſt, ex antiqua ejus imagine ſimul cum marito, & filio ad vivum expreſſa, & ab Eminentiſſimo Baronio ad annum 604. adducta. FR. ſed *Turbante* potius videtur fuiſſe pileum turbinatum. Vide *Pileus*.

Nichilianiſtæ, FR. Hæretici, quorum Auctor fuerat Petrus Abaelardus circa annum 1117. & contra quem ſcripſerat Gualterus a S. Victore, ubi in Adverſarium ita concludit: [ Tuo operi non debetur lima, ſed gehenna. Omnis Catholicus, qui legit, non dubitat.] Inter alia enim deliramenta, quæ aſſerebat, erat hoc enorme, quod, nempe Chriſtus erat nihil, inde *Nichilianiſtæ* ejus ſequaces appellati ſunt,

Nicolai Panes, erant panes ingentis magnitudinis, quorum denominationem a quodam Nicolao Damaſceno Julii Cæſaris familiariſſimo ſumpſiſſe teſtatur Suidas, qui ſolebat has ingentes placentas melle ſubactas eidem Imperatori donare, quocirca ab eodem Cæſare *Nicolai panes* appellati ſunt; ac deinde quilibet magnitudine deformis panis *Nicolai* dictus eſt. Aliis vero placuit etymologiam ab eodem Nicolao derivare: ſed non ab ingenti panis magnitudine, verum quia ipſemet oblator ingentis ſtaturæ fuerat, vultus, ac morum jucundiſſimus. FR. apud Photium in ejus Biblioth. ubi de Nicolao Damaſceno, de quo etiam mentionem faciunt Heſychius, Joſeph Hebræus, non raro Suidas, & alii: || : [ Uvas, & mala punica, & ficus, & nuces, omnia intempeſtiva; quin etiam quoſdam inventos mellis favos, & urnam recentis lactis, & nicolaos panes maximos, & mundos, & calidos e regione externa. Palladius in lauſiaca hiſt. cap. 52. ] Ubi colligitur veriorem fuiſſe Suidæ narrationem, dum Palladius ait nicolaos panes eſſe maximos; ſed re vera adhuc ambigitur, an in forma, vel in numero *Nicolai panes*, quos Palladius recenſet, fuiſſent maximi. Quos tamen panes *Palmulas nicoleas* Athenæus lib. 14. c. 23. appellavit.

Nicolaitæ. FR. Hæreticorum ſecta in primitiva Eccleſia, a Nicolao Diacono Jeroſolymitanæ Eccleſiæ denominati, qui Hæreſiarcha una cum S. Stephano, aliiſque ab Apoſtolorum Principe ordinatus fuerat. Actor. cap. 6. cui erat conjuncta in matrimonio pulcherrima mulier, eamque omnibus laſcivire cupientibus conceſſit, 24. qu. 3. can. 39. Hinc in Apocalyp. cap. 2. dicitur: [ Sed hoc habes, quod odiſti facta Nicolaitarum, quæ ego odi.] Poſtillator Nicolaum hunc Machometem Pſeudo-prophetam fuiſſe putat, ad can. Non omnes Epiſcopi, 2, quæſt. 7. in fine, cui Poſtillæ Hugo ſubſignatur; ſed Hugo a S. Victore in ejus Monaſticis expoſitionibus, lib. 6. cap. 3. tit. de Claud. Tiberio Imp. de hoc Nicolao Hæreſiarcha loquens, ait fuiſſe Antiochenum, & in eodem tractatu expoſit. prior. lib. 9. cap. 9. de Machomete prædicto mentionem faciens, ait fuiſſe ex Iſmaelis progenie. Inſuper quaſi omnes Hiſtorici conveniunt, Machometem, de quo diximus, de anno 630. circiter in ruinam populorum extitiſſe. Eſt etiam magis ridicula Benvenuti Imolenſis opinio in Commento ad cantum 28. de Inferno Dantis Aligierii, aſſerentis Machometem fuiſſe S. R. E. Cardinalem. Aliam fabulam de Machometo narrat Gloſſator in Clement. tit. de Judæis, & Sarrac. quam ex Hiſt. Eccl. hauſiſſe aſſerit, ſic inquiens: [ In hiſtoria eccleſiaſtica legitur Machometum nutritum fuiſſe a quodam Clerico nobili Romano, qui cum tempore Bonifacii Papæ IV. quædam petita impetrare non potuiſſet, apoſtatavit a fide, & nutrivit illum cum quadam columba alba, quæ recipiebat grana de aure ejus, & ſic erudita per hoc, quod quando volebat Machometus, illa ponebat in publico os ad aurem, & ſic dicebat, quod Spiritus Sanctus alloquebatur, & inſtruebat illum; iſte poſtmodum dedit legem Sarracenis, ut hæc in hiſtoria Eccleſiaſtica plenius reperiri poſſunt.

Nicolaus, Νικόλαος. FR. græce vincens populos interpretatur: quaſi Νικῶν λαὸς. [ Pheronymus dicitur, qui verum, & congruum ſibi fert nomen. Ergo Nicolaus, qui verum, & idoneum actui ſuo nomen ferre viſus eſt, apte pheronymus dictus eſt, Nicolaus, quippe, vincens populos interpretatur; vicit enim, quippe, recte non ſentientes, ſed inique agentes. Anaſtaſ. Biblioth. in 8. Syn. Act. 10. ] Vide *Pheronymus*.

Nidor. FR. odor aſſatarum carnium: [ Quod irritamenta gulæ non habet, leviori digeſtione concoquitur; nemo enim uno, aut duobus cibis, hiſque vilibus uſque ad inflammationem ventris oneratur, quæ diverſitate carnium, & ſaporis delectatione concipitur. Cum variis nidoribus fumant patinæ, ad uſum ſui pro explenda eſurie, quaſi captivos trahunt, can. Ne tales, de conſecrat. diſt. 5. ] Et ibi ſic Gloſſa: [ Nidor proprie dicitur quidam odor carnium aſſatarum, nidor eſt, eo quod nebula levatur.

Nigella, herba & ſemen, quod græce μελάνθιον dicitur, & in officinis *Niella* appellatur. Item papaver nigrum. Vide *Gith*.

Nigellatum, oleum ex nigella confectum, quod etiam Melanthinum, ex græco μελάνθιον dicitur; & ubi vulgata in cap. 28. Iſaiæ habet: [ Non enim in ſerris triturabitur Gith. ] græca lectio μελάνθιον tranſtulit. [ Quod ſi nigellatum habes, mitte nobis per ea vaſcula, quæ pueris filiis noſtris demandavimus. Paulin. epiſt. 1. ad Severum ] cujus olei virtutem Dioſcorides lib. 1. cap. 36. ſatis refert. Male ergo quidam hunc Paulini locum *Nigellatum* pro vaſculo pretioſo, ex figulina creta vulgo *Porcellana* intelligunt. FR. ſed hanc difficultatem enodat Plinius lib. 20. cap. 17. ubi ſic inquit: [ Gith ex Græcis, alii Melanthion, & alii Melaſpermon vocant. Optimum, quam exactiſſimi odoris, & quam nigerrimum. Medetur ſerpentum plagis, & ſcorpionum.

Niger, ideſt, Dæmon. Vide Aquilus in dict. *Dæmon*.

Nigra Proceſſio. Vide *Litania*.

Nigrorum Ordo, Caſinenſes Monachi, & aliæ Congregationes Ordinis S. Benedicti, qui habitum nigrum ferunt, quo colore induti ſunt ſæculares Clerici, qui tamen ante regimen Eccleſiæ a Benedictinis diu retentum violaceo colore induebantur. Vide *Clericus*. Nam in tranſactis ſæculis nimis prævaluit in Eccleſia Dei Benedictinorum Religio, habuit enim

ex

ex Caſinenſi Congregatione octo Summos Pontifices præter alios quatuor ex aliis ejuſdem Sancti Benedicti Congregationibus; item duo millia Cardinales, ſeptem millia Archiepiſcopos, & Epiſcopos quindecim millia. FR. Item Caſinenſis Congregatio præter bona ſtabilia, & Civitates, ac terras, quas poſſidet in præſenti, alias innumerabiles cum mero, & mixto imperio poſſedit, quas oculis quiſque percurrere poteſt in Bullario Caſinenſi duobus tomis recenter ab Eruditiſſimo, & in ſtudio antiquitatum Conſummatiſſimo Viro, & a me Colendiſſimo Amico R. Abb. P. D. Cornelio Margarino in lucem edito :||: Mirificavit enim Benedictinos Deus in terris, & in Cœlis, ubi nobis cogniti ex hoc ordine æternales cives, ex quodam M. S. antiquo monumento in Monte Caſino aſſervato manifeſtantur: [ Sancti Monachi ſub regula Sancti Patris noſtri Benedicti canonizati ſunt numero quadraginta quatuor millia, & viginti duo, quorum quinque millia quinquaginta quinque fuerant Monachi Sancti Benedicti Monaſterii Caſinenſis, ibidemque ſepulti. ] Imo Tamburinus Sanctos canonizatos 55700. numerat. FR. ſed Joannes Papa XXII. diverſimode calculat, ſic ſcribens: [ Ego Joannes XXII. extrahi feci de Sanctorum Catalogo omnes Sanctos, & Prælatos, Monaſteriaque de Ordine Sanctiſſimi Benedicti, qui ab ipſius tempore uſque ad noſtra fuerunt tempora. Invenimus autem ex Sanctiſſimo illius Ordine Summos Pontifices viginti quatuor: Cardinales ducentos, ( *corrige duo millia* ) Archiepiſcopos ſeptem millia, Epiſcopos quindecim millia, Abbates quindecim millia, & ſeptuaginta quatuor, quorum confirmatio ſpectat ad Papam. Sanctos canonizatos quinque millia quingentos, & quinquaginta quinque, exceptis Martyribus, ex quorum numero iſti pauci admodum deſcribuntur. Sanctus Placidus Abbas, ac Sanctiſſimi Benedicti diſcipulus cum triginta tribus Monachis ſub Mamuca Duce martyrio coronatur. Sanctus Bertarius Abbas Montis Caſini, cum pluribus, peneque innumerabilibus Monachis per martyrium cum Chriſto gaudent in æternum. Quamplurimi præterea Monachi, & quaſi innumeri in Sicilia a Saracenis, & in Monaſterio Nonantulano a Barbaris, & in Monaſterio Sancti Vincentii apud Montem Caſinum a Scod. Rege Chriſti Martyres ſunt effecti. Sancti Monachi mille, & ſeptingenti, & ſexdecim a Rege Joſaphat mortui, per martyrium cœlum aſcenderunt. Sanctus Porcarius Abbas, cum quingentis Monachis martyrii palmam eſt adeptus. Sancti Monachi omni perfectione pleni noningenti in Monaſterio Benchorenſi trucidati. Martyrum Collegio ſunt aſcripti Sancti Monachi centum, & ſexdecim pro Chriſti fide in Monaſterio Turonico martyrizati ſunt. Sanctus Aygulphus Abbas cum plurimis ſociis ſuis, & quaſi innumerabilibus Monachis in India, in Monteque Tabor, & in Monaſterio Lirinenſi diverſis tormentis, & cruciatibus a Saracenis, Turciſque, ac Joſaphat Rege trucidati, cœlo inter Martyres ſunt donati. Hos de multis tanquam Roſarium primitiæ eligimus: cæteri vero præ multitudine a Chriſto ſolo numerantur. Monaſteria vero Ordinis ejuſdem hæc inventa ſunt: Abbatiarum triginta tria millia, Præpoſiturarum quatuordecim millia, abſque mulierum Cœnobiis. Ut autem brevi cuncta ſermone concludam, Romana Eccleſia per quingentos annos ab iſto ſanctiſſimo recta eſt Ordine. Hic autem iſta poſuimus ad Dei laudem, & gloriam, ad honoremque Sanctiſſimi Benedicti, ejuſque Sanctiſſimæ Religionis, & conſolationem ſub ejus ſanctiſſimo magiſterio militantium, ut ſupradictos Sanctos pro interceſſoribus ad Dominum habentes, ad eorum animentur imitanda veſtigia, ut demum ad illorum poſt mortem mereantur pervenire conſortium, & gloriam; ubi æternam cum illius requie fruantur, permaneantque in ſæcula ſæculorum. Amen. Bullar. Caſin. tom. 1. conſt. 41. ] :||: Inſuper Caſinenſis Abbas infraſcriptis titulis fruebatur, ut ex epiſtola Imperatoris colligitur, nempe: [ Lotharius Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus Dilectiſſimo fideli ſuo Guibaldo Caſinenſi Gerarchæ, & Rom. Imperii Cancellario, & Magiſtro Cappellano, Principi Pacis. Chron. Caſinen. lib. 4. cap. 121. ] Unde non immerito ea dignitas nedum ab ipſiſmet Cardinalibus exoptabatur, verum etiam Abbates Caſinenſes ad ſuum Pontificatus apicem perducti priorem titulum retinere voluerunt. Baron. an. 1057. n. 12. Quin & Abbas Caſinenſis conſecrabatur ab eodem Pontifice non raro, ac in Conc. Romano ſub Paſchali II. de ann. 1116. Abbas Abbatum Caſinenſium Superior declaratus fuit. Quæ omnia ſiquidem ſpiritualia, & temporalia, a Deo, & hominibus huic Religioni non alia de cauſa cumulata, niſi ex Sanctitatis odore, quæ *ſua-vi-ter* olet, exacta nimirum obedientia, inconcuſſa obſervantia, atque profuſiſſimis eleemoſynis, qua fragrantia attracti ipſimet Reges, ac Imperatores ſceptra, ac diademata deponentes, ſuperſtitem vitæ curſum in hoc monaſtico inſtituto pie, ſancteque duxere. Igitur eadem devotionis cauſa ſæculares Clerici, ut ſupradictum eſt, nigrum habitum ſuſceperunt. Quare hæc ſanctiſſima Religio mater, ac magiſtra diverſarum clauſtralium, ac militarium ordinum fuit, atque prima noſcitur in Occidente. [ Monaſterium quoddam in Francia: erat autem de ordine nigrorum. Cæſar. lib. 4. cap. 12. Abbas quidam nigri ordinis. Idem cap. 16. ] Eademque de cauſa dicebatur *Umbraticus* Benedictinorum habitus, quemadmodum in vita S. Bercorii Abbatis legitur, ideſt; [ Nequaquam paſſus eſt umbraticum Monachos geſtantes habitum, abſque aliqua ulterius aberrare doctrina. ] Eorum Civitatem. Vide *Eulogimenopolis*. Officium B. M. quando, & a quo eis recitari juſſum fuit. Vide *Officium B. M. Virg.* Reliqua ſpectantia ad hunc ordinem. Vide *Siphon*, *Sympactes*, *Tabula*, *Officialis*, *Te Deum laudamus*, *Temporius*.

Ni-

Nihil Mihi Conscius Sum. FR. Apoſtoli phraſis 1. Cor. 4. ideſt, nullius peccati mortalis conſcientiam habeo. Gloſſ. in can. Adhuc inſtant. de pœnit. diſt. 3.

Nilus, ejus aquæ quando in vinum mutabantur. Vide *Epiphania*. Ejus vocabuli characteres ſymbolice dies unius anni arithmetice denotant. Vide *Abraxas*.

Nimbus, proprie ſignificat vittam, ſeu faſciam auro contextam, qua fœminæ frontem redimebant. [Laminas pertunderent aurium, imminerent frontes nimbis, fuligine oculos inumbrarent. Arnob. lib. 2.] Hinc Plautus *Nimbatam* appellavit meretricem, ſed apud Eccleſiaſticos Scriptores diadema ſignificat quod ſolet addi in Sanctorum Canonizatorum capitibus in forma circulari ſplendente. [Lumen, quod circa Angelorum capita pingitur, nimbus vocatur. Iſid. lib. 19. Etym. c. 31.] Græci in diademate Chriſti ſolent inſcribere Exodi vrba ὁ ὢν, ſcilicet, *Qui eſt*, ad ſignificandum, quod Salvator in ea figura expreſſus, ſit idem Deus, qui Moyſi apparuit. In aliquibus antiquis picturis ad capita figurarum depicta perſpiciuntur diademata in quadrata forma, & Jo. Diaconus in vita S. Gregorii lib. 4. cap. 33. ejus ſignificatum ita declarat: [Circa verticem vero tabulæ ſimilitudinem, quod viventis inſigne eſt.] Imperfectum enim vitæ præſentis ſtatum contingentiarum angulis refertum, ut Angelus Rocca expoſuit, denotat, & econtra rotundum diadema ſymbolum perfectionis eſt. Aliud autem ſignificatum affert Durand. lib. 1. cap. 3. ubi ſic ait: [Cum aliquis Prælatus, aut Sanctus vivus pingitur, non in forma ſcuti rotundi, ſed quadrati corona ipſa depingitur, ut quatuor cardinalibus virtutibus vigere monſtretur.] Ac adhuc Romæ in variis Eccleſiis ſimiles figuræ cum diademate quadrato pervetuſto muſivo formatæ cernuntur, veluti in Eccleſia Sanctæ Praxedis ad tribunam, ubi eſt effigies Paſchalis Papæ primi, qui in cardinalatu fuerat ejuſdem Eccleſiæ titularis, illamque reſtauraverat, ornavitque. In via Numentana extat adhuc effigies Honorii primi Papæ, & nos ſupra in dict. *Baculus* attulimus ſimilem S. Gregorii Papæ. FR. ſimilem etiam pervetuſtam S. Gregorii præfati figuram adducit Baronius ad annum 604. de qua pictura prædictus Jo. Diaconus in vita S. Greg. lib. 4. cap. 84. loquens, excuſat præfatum Pontificem a vanitatis nota, quod, nempe, ſe vivum permiſerat depingi: & ſic inquit: [Ex quo manifeſtiſſime declaratur, quia Gregorius, dum adhuc viveret, ſuam ſimilitudinem depingi ſalubriter voluit, in qua poſſet a ſuis Monachis, non pro elationis gloria, ſed pro cognitæ diſtrictionis cautela frequentius intueri.] Et ſub qua ejus ſimilitudine hoc diſticon inſcribere curavit.

Chriſte potens Domine noſtri largitor honorum,
Indultum officium ſolita pietate guberna.

In tribuna Eccleſiæ S. Cæciliæ Tranſtiberim prædictus S. Paſchalis I. muſivo opere ſe vivum effigiari fecit ejuſdem Eccleſiæ formam in manu geſtans, & cum eadem quadrata corona in capite, hancque inſcriptionem poſuit.

Hæc domus ampla micat variis fabricata metallis,
Olim quæ fuerat confracta ſub tempore priſco,
Condidit in melius Paſchalis Præſul opimus:
Hanc aulam Domini firmans fundamine claro,
Aurea gemmatis reſonant hæc dindima templis.
Lætus amore Dei, hic conjunxit corpora ſancta
Cæciliæ & Sociis, rutilat hic flore juventus,
Quæ pridem in Cryptis pauſabant membra beata.
Roma reſultat ovans ſemper ornata per ævum.

Nimerezet. Vide *Maledictio peſſima*.

Nisan. FR. primus Hebræorum menſis. Vide Auctores citatos in dict. *Elul*.

Nisus, avis. Vide *Haliaetus*.

Niza, prunum, fructus ſpeciei. [Et attulit quidam frater nixas ſiccas. Pelag. lib. 5. de vitis Patrum num. 65.] Cujus etymon ſic Iſidorus explicat: [A multitudine enixi fructus nixam appellant, lib. 17. cap. 7.

Nobilissimus, etiam apud Græcos Νοβελισίμος in eorum Cæremonial. in quo præſcribitur benedictio Nobiliſſimo danda in ejus coronatione. Erat dignitatis titulus, qui ad Imperatoris filios minores, & ad ejus conjunctiores conſanguineos ſpectabat. [Ad libidines cum eſſet pronus, tres uxores duxit, & ex prima quidem Leonem filium ſuſcepit, quem Imperii nomine decoravit; ex aliis vero Chriſtophorum, Nicephorum, & Nicetam habuit, quorum primos duos Cæſares coronavit: Nicetam autem etiam coronavit Nobiliſſimum. Zonara de Conſtantino Copronymo agens.] FR. Gloſſator in can. 2. diſt. 63. ubi in textu legitur: [Ad Baſilium Imperatorem, & ad filios ejus Conſtantinum, & Leonem Auguſtos &c.] parum ille in hiſtoriis verſatus ſe oſtendit; neſciens, quod Impp. viventes ſolebant filios Auguſtos coronare: hinc imperite gloſſavit, inquiens: [Filii Imperatoris dicuntur etiam Auguſti, quia ſperabatur, quod eſſent futuri Imperatores, & quaſi per augurium hoc ſperabatur. Vel ſicut Imperator dicitur Auguſtus, quia illius propoſitum debet eſſe, quod augeat; ſic & filius poteſt dici Auguſtus, quia & hoc propoſitum debet habere, cum habeat Imperium:] ſed tantum abeſt, quod filius Imperatoris non poterat dici *Cæſar*, niſi a Patre declarabatur, ut ſupra ex Zonara habetur. [Leonem &c. quem Imperii nomine decoravit,] ideſt, Cæſaris, ſicut hodie futurus Imperatoris ſucceſſor *Romanorum Rex* ſolet appellari. Vide Juriſconſult. in l. 3. de nat. reſt. Vide etiam Baron. ad an. 336. num. 25. Prima hujus tituli *Nobiliſſimi* mentio in conſanguineis Conſtantini Magni. Vide Baron. an. 336. n. 25. & 26. Imo antiquior inſcriptio adducitur ab Auctoribus, ubi Valerius Junior de an. 260. cum Nobiliſſimatus titulo decoratur. Meurſius in ſuo Gloſ. Græco-barb. refert Conſtantinum, Liciniumque nobiliſſimos appellatos fuiſſe. Vide etiam Landeber. in Ammian. lib. 14. Atque Didacus Le-

Lequille in tract. de Fam. Auſtriaca tom. 1. dilemma 3. n. 11. refert in inſcriptione Magni Conſtantini has notas: [ Et Julianus Nobiliſſimus Cæſar. ] Quinimo hic titulus etiam fœminis filiis, ac deſcendentibus ex Imperiali familia tribuebatur, & de Marina nobiliſſima Arcadii Imp. filia agit Cedrenus. Itaque Nobiliſſimum purpurea indutum fuiſſe toga, cujus limbum auro intextum, ſediſſeque ſupra Præfectos, Zonara lib. 2. teſtatur. Vide *Porphyrogenitus*.

Nocticula. Vide *Noctiluca*.

Noctiluca. FR. ſic appellatus eſt lunaris Planeta, quem Joannes Sariberienſis *Heram Dianam* vocat lib. 2. cap. 17. In aliquibus Codicibus mendoſe legitur, *Herodiades*, *Homodiana*, *Herodes*, & *Nocticula*. Vide *Panagia* in fine.

Nocturnus, tertia Matutini pars; antiquitus enim ad inſtar militum excubitorum noctem trifarie dividebant Eccleſiaſtici: terque ad orandum ſurgebant, & in qualibet vigilia noctis unum nocturnum recitabant, ac diluculo laudes perſolvebant. D. Hieronym. epiſt. ad Euſtoch. At tepeſcente Eccleſiaſticorum obſervantia tres ſimul nocturni cum laudibus recitari cœperunt. Tres nocturni triplicem Eccleſiæ ſtatum denotant, naturalem, ſcilicet, legalem, & Evangelicum, ideo in tertio dicitur Evangelium; ſive tres Chriſti in horto orationes ſignificant. Maſt. de paſſ. Chriſti lib. 1. cap. 4. Hæ quatuor matutini partes, incluſis laudibus, ab Hugone de S. Victore *Canticinium*, *Intempeſtum*, *Gallicinium*, & *Antelucanum* appellantur juxta noctis diviſionem. Vide *Nox*. In diebus autem ferialibus unicum nocturnum duodecim pſalmorum recitatur, quia ſemel Monachis apparuit Angelus duodecim pſalmos canens, quos ſingillatim cum Antiphona *Alleluja* terminabat, Caſſian. lib. 2. Inſtit. Cœnob. cap. 4. De qua viſione etiam mentionem facit Turonen. Synodus, quæ ideo ordinavit, ut in ferialibus duodecim recitentur pſalmi, & eundem ritum obſervandum declaravit Greg. VII. in can. In die de conſecrat. diſt. 5. FR. Monachale tamen officium quatuor habet nocturnos. Nocturnæ convocationes. Vide *Vigilia*. Cætera. Vide *Matutinum*.

Noel, hæc vox gallice *Natalem* ſignificat, ideo in cantilenis noctis nativitatis Domini iterari ſolet; ſed *Nohe* proferendo. Alii tamen a Neuma, ut ſuo loco dictum fuit, deduci putant.

Noetiani. FR. Hæretici. [ A quodam Noeto vocati, qui dicebant Chriſtum eundem eſſe ac Patrem, & Spiritum Sanctum; ipſamque Trinitatem in officiorum nominibus, non perſonis accipiunt. Unde & Patripaſſiani vocantur, quia Patrem paſſum dicunt. Sabelliani ab eodem Noeto pullulaſſe dicuntur, cujus diſcipulum perhibent fuiſſe Sabellium, ex cujus nomine maxime innotuerunt, unde & Sabelliani vocati ſunt. Hi unam perſonam Patris, & Filii, & Spiritus Sancti aſtruunt, 24. q. 3. can. 39. ] & can. His qui baptiſma, 1. qu. 1. Qui etiam ex eo quia in perſonalitate unitam, & non diſtinctam Trinitatem prædicabant, *Unionitæ* appellati ſunt, de quibus Prudentius in tit. contra Unionitas cecinit.

> Cede profanator Chriſti, jam cede Sabelle,
> Depoſitorque Patris, Natique inſane negator.
> Nonne Patrem violas, dum natum ſcire recuſas?

*Natum*, ideſt, Filium intelligit, & non Patrem natum; ut quidem hæreticaliter Prudentii ſenſum ex ignorantia conſtruxit.

Nohestan, hebraica vox, quod æneum opus ſignificat, unde in Sacra Scriptura ita vocatur æneus ſerpens a Moyſe in deſerto erectus, & deinde ab Ezechia Rege confractus, ut aboleret Hebræorum idololatriam, quem illi offerentes ſacrificia, & incenſum adorabant. [ Vocavitque nomen ejus Noheſtan. 4. Reg. c. 18. ] Quod nomen a Rege ex contemptu inditum fuit. FR. Alii tamen ad hebræum textum melius ſe conformantes, *Nehuſtan* legunt.

Nola. Vide *Campana*. *Tintinnabulum*.

Nolarium, campanarum turris, de quo vocabulo ſæpe Romanus Vaticanæ Baſilicæ Canonicus, qui tempore Calixti III. de prærogativis ejuſdem Baſilicæ ſcripſerat. FR. in Eccleſia S. Mariæ ad Martyres Romæ reperitur talis memoria de anno 1270. [ Factæ fuerunt Nolæ, & Nolarium: apud Torrig. de cryptis vatic. ſecunda impreſſ. pag. 561. ] Vide *Campanile*: || : Mahometani tamen loco campanarum in altiſſimis, ac cylindraceis turribus ad Meſchitas contiguis ſolent in earum culminibus quinquies in die conclamando ad ſuperſtitioſas preces deperditum populum convocare, & in die Veneris, qui ſemper eſt feſtivus penes ipſos, conduplicatis vociferationibus dant prędicta ſigna. Parum quidem informatum in hoc ſe præbuit Hieronymus Dandinus in ejus Itinerario ad Montem Libanum, dum aſſeruit Mahometanos ſepties in die ad inſtar Eccleſiaſticorum Chriſtianorum orare, quod falſum quidem eſt; nam ad preces ſolum illi convocantur ad auroram, ad meridiem, ad Veſperas, ad Solis occaſum, & ad primam noctis horam tranſactam. Quin etiam male quaſdam preces arabicas deſcripſit ibidem Dandinus, ac pejus interpretatus eſt. FR. Quo ad viciſſitudines Mahometanarum precum fuſe habetur ex Gloſſa in Clement. de Judæis, & Sarac. his verbis: [ Quælibet Meſquita habet unum Sacerdotem de primis, & unum Miniſtrum, qui vocatur Muerdem, quod ſonat præco, qui ſupplet defectum campanarum, quas licet Sarraceni multum comedent, quia tamen Chriſtiani in eis habendis prævenerunt, nolunt eis uti. ] Sed alia ratione in Turcico Imperio prohibitas eſſe campanas in dict. *Campana*, jam oſtendimus: ſequitur itaque Gloſſa, inquiens; [ Illius præconis officium eſt: quia horis, de quibus infra dicetur, aſcendit turrim Meſquitæ, quadratam, in qualibet parte ſui feneſtram magnam habentem, & ad illarum quamlibet clamat obturatis auribus cum digitis, ut vox fortius reſonet in ſua lingua verba hæc ſonantia; nil aliud poſſe, niſi Deus, &

Ma-

Machometus ejus nuntius : venire ad orationem faciendam in relevationem peccatorum noſtrorum : & poſtea ſubmittit, legalip alle allah, quod eſt dicere, non eſt alius victor, niſi ſolus Deus. ( *Hæc arabica verba, ultimo dempto, ſunt male allata* ) & hæc verba omnes milites Sarraceni portant in ſcutis ſuis: & adhuc ſubmittit, Deus eſt omnipotens. Horæ autem, quibus hoc facit ( de quibus infra ſequitur ) ſunt quinque. Prima eſt in Aurora, quam vocant Zalarazophi, quæ eſt dicere Oratio matutinalis. Et forte hæc fuit cauſa erroris hujus verbi ſecundum eum male recepti, cum ab illo præcone profertur, ( *ideſt, ſecundum eum, qui Gloſſatori retulit, quem antea nominaverat* ) Secunda hora eſt in tertiis. Tertia in Veſperis. Quarta in Completorio, quæ reſonat in cœna. Quinta in crepuſculo noctis, quæ ſua lingua reſonat in tenebris; & qualibet iſtarum horarum Sarraceni faciunt certas genuflexiones: ſicut de ſero nos facimus ad laudem Virginis.

Noluntas, voluntatis negatio. [ Itaque cum diſſentimus ab eo, quod accidere nolumus, talis noluntas metus eſt: cum autem diſſentimus ab eo, quod nolentibus accidit, talis noluntas triſtitia eſt. Divus Auguſtinus de Civitate Dei lib. 14. cap. 6.

Nomen. FR. ideſt, error; [ Et metueret tanti nominis debitor navigare, can. advocavit, 24. qu. 1. Ideo niſi ejus nomine refutato, cæteriſque conſortibus hujus erroris, cum nullo prorſus eorum participare menſæ Dominicæ puritatem, can. Nec quiſquam, 24.q.2. ] Ubi Gloſſa per *Nomen* errorem intelligit: ||· Mos eſt recitare in ſacrificio nomina offerentium, pro quibus preces funduntur: [ Ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum pœnitentia facta, nondum exomologeſi finita, nondum manus eis ab Epiſcopo, aut Clero impoſita, Euchariſtia illis datur. Cyprianus lib. 3. epiſt. 14. Energumenum, qui ab erratico ſpiritu exagitatur, hujus nomen neque ad Altare cum oblatione eſt recitandum; Concil. Illiberit. c. 29. ] In ritu græco, dum præparatur panis in Altariolo pro ſacrificio, ibi dum miniſtri ſeligunt aliquas particulas, nominantur perſonæ ſecundum intentionem, tam vivæ, quam defunctæ, imponendo unam particulam in patena pro quocumque nomine, quæ omnes deinde conſecrantur. Hoc enim fit, quia multi panem pro ſacrificio offerunt, & cum non poſſit tota illa quantitas conſecrari, ſumitur ex quolibet pane una tantum particula. Vide *Canon Miſſæ*. *Diptychum*. *Oblatio*.

Nomenclatoris Papæ Officium. Vide *Saccularius*.

Nomicus, Νομικὸς, legis doctor, qui Νομοφύλαξ ideſt, legum cuſtos etiam dicebatur. In vitis tamen Patrum ſignificat diſpenſatorem, fortaſſe quia in diſtributione leges monaſticas præſcriptas obſervabat. Alii putant fuiſſe Cantorum Præfectum.

Nomocanon, νομοκάνων, diſtributio. ſive collectio canonum, vox a Balſamone uſitata. Νόμος, enim græce, latine legem ſignificat.

Nomotheta, νομοθέτης, legiſlator, legum promulgator. Item Legiſlator.

Nomophylax. Vide *Nomicus*.

Nona Hora. Vide *Horæ Canonicæ*.

Nonna, & *Nonnas*, antiqua Monialis, quam Galli *Nonne* vocant [ Monachi, & Nonnæ. In Synod. Confluentiæ. ] Vide *Nonus*.

* Nonna. Ad antiquum ſacrarum Virginum nomen νοννὶς & *nonna* pertinet. Hoſpinianus nomen Ægyptium eſſe, & *virginem* ſignificare ait. *Ægyptus autem præter ceteras provincias Monachorum gregibus abundavit ab initio, & Hieronymi adhuc ætate. Quorum lingua, puto, Monachos & ſanctos*, nonnas *fuiſſe vocatos: Monachas & virgines* nonnas. *Hieronymus* vero epiſt. 22. ad Euſtoch. ſignificationem paullo latius extendere videtur, ut indiſcriminatim viduas, caſtitatem poſt primum connubium profeſſas, non minus quam virgines denotet; nam ſpeciatim illud viduis, in viduitate poſt primi mariti obitum applicat.

Nonnatus. FR. ita cognominatus eſt S. Raymundus Cardinalis, quia non natus eſt; ſed ex latere mortuæ matris chirurgicis inſtrumentis extractus fuerat.

Non Nego. FR. ideſt permitto. [ Imperatori non dono, ſed non nego, can. tributum, 11. qu. 1.

Nonnus, Monachus antiquus: [ Juniores priores ſuos Nonnos vocant. In Reg. S. Benedicti. ] Vide *Nonna*.

Noo, ſi tamen non ſit error reſcriptorum, pro nugo, [ Dum hinc inde diſcurrerent cum ludentibus, & cachinnantibus pueris choros ducentibus, & frivola quædam, & ſcurrilia noarent. Petr. Damian. lib. 4. epiſt. 17. ] Ubi Conſtantinus Cajetanus legit *Boarent* pro *Noarent*: ego tamen *Nugarent* corrigendum puto.

Norax. FR. peccator in Iſidori Gloſſa exponitur; alii tamen *Noxas* melius legunt.

Noſocomium, Νοσοκομεῖον, Hoſpitale. [ Et primo omnium Noſocomium, ideſt, languentium villam inſtituit, in quo ægrotantes colligeret de plateis, & conſumpta languoribus, atque inedia miſerorum membra refoveret. D. Hieronym. epiſt. 39. ] FR. de hoc vocabulo fit mentio in l. illud §. 1. & in l.pen. C. de Sacroſanctis Eccleſiis, & in Authent. de alien. & emphyt. §. Emphyteuſim per totum; licet in aliquibus exemplaribus mendoſe habeatur; cujus ſynonima. Vide *Brephotrophium*. *Hoſpitale*. *Orphanotrophium*. *Xenodochium*.

Nota, cicatrix. Gloſſa in can. Monachus, diſt. 77. Vide *Notatus*.

Notamen, nomen, notatio. [ Pro foribus autem petræ, ſcilicet, ſuperpoſitæ præfixa erant notamina, quorum interius buſta jacebant. In tranſlat. S. Benedicti Abb. 21. Martii.

Notariatus. Vide *Tabellionatus*.

Notarius, Officium Eccleſiaſticum in primitiva Eccleſia inſtitutum, quod per multa ſæcula duravit, quorum Collegium. *Schola Notariorum* dicebatur; de

de qua ſæpe mentionem facit in ejus Regiſtro D. Gregorius Papa I. Erant tamen duplicis generis; alii Ordinarii, & alii Regionarii, hi curam habebant Eccleſiæ Romanæ patrimonii, & ſæpe ad majores dignitates promovebantur juxta eorum meritorium, ſervitiorumque exigentiam. FR. *Notarius* dicitur a Nota. Gloſſa in can. Monachus, diſt. 77. Vide *Exceptor*. *Graphio*. *Protonotarius*. *Scriniarius*. *Tabellio*. Item notandum, quod quando in Menæo Græco fit mentio SS. Notariorum, intelliguntur SS. Martyres Marcianus, & Martyrius, non quod officium Notariatus exercuiſſent, ut nonnulli crediderunt; ſed quia fuerunt lectores. Ideo in Martyrol. Roman. ſub eadem die 25. Octobris dicitur, quod Martyrius fuerat Subdiaconus, & Marcianus cantor. Sed Subdiaconus eſt Lector apud Græcos, idem etiam Cantor, quem Latini *Confeſſorem Pſalmiſtam* dixere, ut in dict. *Confeſſor*. §. Tandem Confeſſor, diximus. Itaque *Lector*, & *Notarius* erant ſynonima in Eccleſia Romana, ut colligitur ex can. 9. diſt. 77. ubi ſic habetur, [Monachus vero Novitius morum honeſtate fulcitus, continuo Lector, vel Notarius, aut certe defenſor effectus, poſt tres menſes exiſtat Acolytus &c.] & ibi Gloſſa pro *Defenſore* exorciſtam intelligit. Igitur dum Menæus græcus Sanctos Marcianum, & Martyrium Notarios appellat, & Martyrol. Rom. eoſdem Subdiaconum unum, & Cantorem alium vocat, & Lector, Subdiaconus, & Cantor, & Notarius promiſcue nonnumquam accipiuntur; intelligendum ergo eſt, hos Martyres non officium notariatus, ſed ordinis exercuiſſe: confirmatur præterea ex Balſamone, qui notarium a notis muſicalibus, ſive Lectores a perlegendis notis appellat in can. 62. Trull. de his duobus Sanctis Martyribus agens his verbis: [Quæ fiebant in Sanctorum Notariorum feſto a Notariis pueros docentibus, cum ſcenicis perſonis forum obeuntibus, ante aliquot annos exoluerant Sanctiſſimi illius Domini Lucæ Patriarchæ decreto] Sed Notarios pro Ludimagiſtris numquam legiſſe memini, hinc aſſerere inducor fuiſſe hos cantores, ſive lectores, ut ſupra viſum eſt, qui pueros notas canendi docebant, & aliquas cantilenas cum ſcenicis perſonis forum obeuntibus canebant. Hinc fortaſſe eadem erat Romæ *Schola Cantorum*, ac *Schola Notariorum*. Nam Notarii Regionarii, qui Acta Martyrum ſcribebant, non erant plusquam ſeptem, totidemque Diaconi Regionarii, ac defenſores Regionarii, ſi ergo illi ſeptem Regionarii Notarii ſcholam habebant, quare non de ſeptem Diaconibus, defenſoribuſque ſcholas habuiſſe dicatur? Quid autem D. Gregor. in ſuo regiſt. lib. 4. epiſt. 14. ad Jo. Archiepiſc. Raven. intelligit per illud adagium, non facile percipitur, dum inquit: [Deinde grave mihi eſt, quia irriſiones illas, quas habere Notarii adhuc pueri ſolent, uſque hodie frater meus Joannes in lingua ſua retinet.] Et inferius [Emenda illos mores Notarii.] Quos inquam mores pravos ſolent adhuc pueri Notarii habere? Quare puto de Bajulis potius eſſe ſermonem, qui linguæ libertatem, & offenſivos morum terminos habere ſolent; & maxime in pueritia; Notarii enim dicebantur etiam Bajuli, ſi Gloſſario Baſil. credendum ſit a Calepino in dict. *Notarius* adducto. Notarii officium, ideſt graphium, poteſt in diebus feſtivis exerceri, quod ſervile non eſt. Ita Veſtrius de ſtylo Datariæ: errat tamen Gloſſa in etymologia hujus nominis.

NOTATUS. FR. aliqua nota infamis [An vero notatus aliquis ſit, & reprehenſibilis, can. ſi teſtes omnes 4. quæſt. 2. & 3. §. Item teſtium.] Quare cicatrix in facie ad reminiſcentiam alicujus infamiæ *Nota* dicitur. Vide *Nota*. Et excommunicare eſt infamia notare. Vide *Noto*.

NOTHOTROPHIUM νοθοτροφεῖον, locus ubi aluntur ſpurii tantum.

NOTHUS. Vide *Manzer*. *Tremuis*.

NOTO. FR. excommunico. [Illicita ergo excommunicatio, (ut ex præmiſſis apparet) non lædit eum, qui notatur: ſed illum a quo notatur.] Et inferius [Sicut ab imprudentibus familiæ potentum pro peccatis dominorum conſueverunt notari, can. certum eſt, 24. qu. 3.

NOTORIA, ita vocabatur epiſtola, vel accuſatio, qua delictum judicibus denunciabatur, ſive citatio ſub pœnis &c. [Circumcelliones quoſdam clericos Donatiſtas cura eorum, qui publicæ diſciplinæ inſerviunt, præmiſſa notoria, ad judicia, legeſque perduxit. Auguſt. epiſt. 160. Qui non accuſantibus noſtris, ſed illorum notoria, ad quos tuendæ pacis vigilantia pertinebat, præſentari videtur examini. Idem epiſt. 159.] Vide *Elogius*.

NOTORIUM. FR. dupliciter dicitur, vel per confeſſionem delinquentis, vel per ſententiam. Gloſſa in cap. 7. de cohabit. Cler. & Mulier. Vide *Diffiteor*. Differentia autem eſt inter notorium, & publicum, nam notorium licet publicum dicatur, publicum tamen non ſemper dicitur; ratio enim differentiæ eſt, quia notorium tunc dicitur, quando nempe adeſt evidentia facti; publicum vero ex ſola fama non raro dicitur, argum. ex cap. 8. ejuſdem tituli.

NOVALE. FR. dicitur terra de novo culta, & redacta ad agriculturam, quæ nunquam fuerat culta in memoria hominum. Gloſſa in cap. 1. de verbor. ſignif. & Innocent. III. in 5. decretal. c. 21. *de verbor. ſignificat.* inquit [Quid per novale vocabulum intelligi debeat, tua fraternitas requiſivit. Licet autem quidam dixerint, quod novale ſit terra præciſa, quæ anno ceſſat:] Hæc aſſertio habetur in ff. de verbor. ſignif. l. ſylva cedua, §. penul. Sequitur ibid. Innocentius. [Aliis aſſerentibus, quod ex ſylva, quæ arboribus extirpatis ad cultum redigitur, fieri novale dicatur: quarum utraque interpretatio ex civilibus legibus colligitur.] Hæc ſecunda aſſertio invenitur in l. illam, ff. de termino, mo. l. ult. §. antepen. Sequitur idem Innoc. [Nos igitur inquiſitioni tuæ Reverentiæ, quum eam credimus, prædeceſſorum noſtrorum intentionem fuiſſe,

ſe, cum piis locis indulgentiam de novalibus conceſſerunt, ut novale intellexerint agrum de novo ad cultum redactum, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuiſſet. ] Hæc autem Innocentii opinio confirmatur Hierem. cap. 4. ubi habetur: [ Hæc dicit Dominus viro Judas, & Jeruſalem, novate vobis novale, & nolite ſedere ſuper ſpinas, ] nam terra quæ ſpinas germinat inculta eſt.

Novatiani. FR. Hæretici, a Novato Presbytero Rom. qui contra Cornelium Papam ſe erexerat, conatuſque eſt ex cathedra eum deponere, apoſtata effectus, jam baptizatos rebaptizabat, 24. quæſt. 3. can. 30. Vide *Cathari*.

Novecuplum. FR. multiplicatio unitatis per novem vices; ſic in legibus Viſigothorum; ſed potius *Novuplum*, ſicut *Decuplum*, & *Septuplum* &c. dicendum eſſet.

Novemdial. Vid. D. Auguſt. in dict. *Miſſa Defunctorum*.

* Novemdiale. Apud Gentiles conſuetudo erat repetendi luctum, quem pro mortuis agebant, ſeptimo, & nono die, quæ ſpecialiter *Novemdiale* dicebatur. Superſtitioſæ hujus conſuetudinis; defuncto tamen victimarum ſacrificio; nonnulla apud rudiores Chriſtianos tempore *Auguſtini* extabant. Loquitur enim de quibuſdam, qui Defunctorum ſuorum reſpectu *Novemdiale* celebrabant, quod ipſe interdicendum illis eſſe exiſtimat. Quæſt. 172. in Geneſ.

Novercor. FR. Eſſe contrarium, & malignum ad inſtar Novercæ, translative adverſari ſignificat, ſic Negligentia eruditionum Noverca, ideſt, contraria dicitur. Vide *Negligentia*. [ Fortuna ſibi novercante &c. captus eſt. Anonym. Caſin. Monachi Chron. an. 1205.

* Novilunium. Superſtitioſa ejus obſervatio ab Eccleſia damnata; hujus vero ſuperſtitionis meminit *Chryſoſt.* hom. 33. „ Qui in tabernis, *ait*, ludi hodie fiunt, illi me maxime excruciant, & impietatis & „ intemperantiæ pleni ſunt; impietatis quidem, quod „ qui hæc faciunt, dies obſervant, & auguriis addicuntur, & putant ſi Novilunium menſis hujus „ cum lætitia & voluntate degant reliquum ſe annum ſic tranſacturos &c.

Novitiolus, Neophytus, ſive potius Catechumenus. [Sed præcipue novitiolis iſtis imminet, qui cum maxime incipiunt divinis ſermonibus aures erigere, quique catuli infantiæ adhuc recentis, nec perfectis luminibus incerta reptant. Tertullian. de pœnit. c. 6. ] Vide *Catechumenus Neophytus*.

Novitius. Vide *Neophytus*.

Nox. FR. cujus ſunt quatuor partes, *Conticinium*, *Intempeſtum*, *Gallicinium*, *Antelucanum*. Gloſſ. in can. ſuperveniente, 1. qu. 1. Sed Iſid. lib. 5. etym. ſeptem partes dividit, nempe *Veſperum*, *Crepuſculum*, *Conticinium*, *Intempeſtum*, *Gallicinium*, *Matutinum*, & *Diluculum*, de quibus diſerte Archidiac. in d. can. ſuperveniente. Vide *Nocturnus*. Et melius Cenſorinus de die natal. cap. 24. & ibidem Lindembrogius.

Noxa, & *Noxia*. FR. verba inter ſe ſignificatus differentis, quod explicatur hoc verſu.

Noxia delictum, delinquens noxa vocatur.

§. noxa. Inſtit. de noxal. act. Gloſſ. in cap. conſuluiſti, de regular. & tranſ. ad relig.

Noxas. Vide *Norax*.

Nudipedalia, ita vocabatur ritus ille antiquorum, cum in ſignum pœnitentiæ nudis pedibus in proceſſionibus, vel aliis eccleſiaſticis, publiciſque functionibus incedebant. Tertull. in Apolog. cap. 4. & in lib. ad Uxor. D. Leo Papa ſerm. 4. de jejun. ſept. menſ. D. Hieron. in c. 2. ep. ad Galatas. Quod etiam Hebræos occaſione luctus, & pœnitentiæ obſervaſſe Joſeph. Hebr. teſtatur. Imo & Gentiles ad impetrandam pluviam. [ Aquilicia Jovi immolatis, nudipedalia populo denuntiatis. Tertull. adverſ. Gentes c. 40.

Nudus. Vide *Inveſtis*.

* Nullatenses. Epiſcopi ſic dicti ſine ſede Epiſcopali, quod *Panormitanus titulares* & *utopiſcos* Epiſcopos appellat.

Nullificamen, nihileitas, nihilipenditas, epitethum, quod Tertullianus Chriſto crucifixo tribuit, quia ad nihilum redactus erat. [ Nullificamen populi Chriſtus crucifixus, lib. 3. contra Marcion. cap. 7.

Numerarius, Arithmeticus, Computiſta. [ Quod Bonifacii numerarii noſtri ſuorum aliquid apud te intereſſe audivimus. D. Greg. in Regiſtr. lib. 10. c. 16. ] Vide *Arithmetica*.

Numerorum Liber ſacræ Bibliæ. Vide *Arithmus*.

Numerus. Vide *Litteratura*.

Numisma Sacrum, quod ſolent fideles in coronis appendere, incœperunt de anno 1566. qua occaſione. Vide Famianum Stradam de Bello Belgico lib. 5. decad. 1. Quamvis antiquior fuerit devotio nu miſmatum ſacrorum ex plumbo, vel ſtanno in peregrinorum pileis, quæ Romæ illis vendebantur, ſcilicet, de anno 1200. ut ex epiſt. 533. Innocentii Papæ III. colligitur, in quibus ex una parte erat effigies Vultus Sancti, ideo in ejus epiſt. ait: [ Vendentes Veronicas, ] & in ejus Bulla. Imo apud Robertum Montenſem Abbatem in ſupplemento ad hiſt. Sigiberti legitur B. Virginem de anno 1183. cuidam fabrolignario apparuiſſe, eique ſacrum numiſma reliquiſſe, in quo erat effigies S. Salvatoris inſculpta, & in ejus circuitu legebantur verba: [ Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem, ] cui etiam juſſerat B. Virgo, quod Epiſcopo Podienſi id deferret, ut per ejus Diœceſim omnibus ſimile numiſma deferre ſecum mandaret, ad fruendam quietem, & pacem: quod exequutum fuit, atque ex tunc extingui cœperunt dira bella, quæ diu totam Europam afflixerant. Vide *Agnus Dei*, *Bulla*.

Numus. Vide *Moneta*.

Nunc Dimittis, canticum ad Completorium. Vide *Canticum*.

Nun-

Nuncius. FR. dicitur procurator, ſeu agens: [ Ut pro Bordinatis, qui fuerint in ipſis loci præd. per ipſorum nunciorum manus deſtinentur, in Bul. Caroli Magni apud Torrig. de Cryptis Vatic. pag. 508. ſecund. impreſſ.

Nundinæ. FR. quæ ſint, habetur in ff. de Nundinis. Qui nundinas impetrat, facit in præjudicium multorum, unde breviori tempore hoc privilegium amittit, cum ſit odioſum; ſecus ſi fiat in præjudicium ſingularis perſonæ. Poſtillator. in can. privilegia, 26. qu. 2. Vide *Catabulum*, *Internundinium*, *Mercada*, *Panegyris*, *Torneta*.

* Nundinæ. In Feſtis Martyrum per abuſum invectæ, deinde abrogatæ. *Baſilius* regul. major. qu. 40. illarum meminit, & tamquam grande pietatis impedimentum acriter reprehendit.

Nupta, ponebatur ei velum in capite. Vide *Mavortes*: & annulus in digito. Vide *Annulus*.

* Nuptiæ. Nuptialis pompæ innocens pars erat, modeſtum habere *Epithalamium*, ſive Carmen nuptiale, neque Chriſtianæ modeſtiæ aliqua injuria fiebat. Feſcennina vero ſive impudica carmina, quæ ſæpe ſub ſpecie nuptialis pompæ, adhibebantur, ceteraque hujus furfuris ex theatris accerſita, in magnis ponebantur vitiis, & quibuſdam Canonibus damnabantur, tamquam res Chriſtianarum nuptiarum modeſtiam ac gravitatem minime decentes. Concil. Laodic. c. 53.

Nutrimas. FR. nutrimentum, pabulum, cibus, l. de nonis, & decimis. De decimis.

Nutrix, dicitur Eccleſia. Vide *Eccleſia*. FR. Quare chriſtianæ nutrices Judæorum infantes lactare prohibentur. Vide cap. 13. lib. 5. decretal. tit. 6.

Nyctages, & *Nyctazontes*, Νυκταγωγοί, Νυκτάζοντες, Hæretici ita appellati, ex eo quia nocturnas vigilias, preceſque damnabant, can. Quidam autem, 24. quæſt. 3. & Iſid. lib. 8. cap. 1. Qui etiam *Lethargici* dicebantur.

Nyctastrategus, Νυκταςρατηγός, Nocturnus Strator, ſive Capitaneus, Romæ Præfectus vigilum dicebatur.

Nycticorax, Νυκτικόραξ, nocturnus Corvus: Factus ſum ſicut nycticorax in domicilio. Pſal. 101. ] Noctuam volucrem communiter intelligunt Expoſitores. S. Paulinus epiſt 26. Nycticoram legendum docet ex græco Νυκτικόρη, ideſt, nocturna pupilla, quia ejus pupillæ noctu tantum vident. Noctua ſiquidem nullam prorſus cum corvo ſimilitudinem habet.

Nympha, νύμφη, locus Romæ in via Cornelia 13. mil. paſ. ab Urbe diſtans. Baron. in notis ad Martyrol. 19. Januar. FR. Item *Nympha*, viri nomen; licet D. Ambroſius fœmininum eſſe crediderit, ubi Apoſtolus ad Coloſſen. c. 4. ait: [ Salutate fratres, qui ſunt Laodiciæ, & Nympham, & quæ in domo ejus eſt, Eccleſiam. ] Nihilominus manifeſtatur eſſe marem; in textu enim græco, & arabico, in quibus idiomatibus pronomen *Ejus* eſt differens maſculinum a fœminino; in græco αὐτῶν, & in arabico *Baitu* generis maſculini legitur, quod ex Theophylacto confirmatur, qui ait: [ Nympha vir egregius erat, qui & domeſticos omnes fideles haberet. ] Haud abſimilis error ex ore cujuſdam egregii noſtri temporis Concionatoris auditus eſt, qui dixerant *Scapulam*, cui Tertullianus ſcribebat, nobiliſſimam Romanam matronam fuiſſe; quaſi deficerent inter Romanos ſimilia nomina fœmininæ vocis, ſignificationiſque maſculinæ, ut *Aquila*, *Catilina*, *Numa*, *Agrippa*, & ſimilia; quin & multi Romani vocati ſunt *Scapulæ*, ut Annius Scapula homo Provincial. & equeſtris, maximæ dignitatis, ac gratiæ, familiaris Q. Caſſii Proprætoris, in cujus tāen necem cum aliis conjuraverat. Hirtius commentar. 4. Cornelius Scapula Conſul anno V.C. CCCCXXVI. Livius lib. 8. Hoſtorius Scapula bello egregius Britanniæ poſt Plautium ſub Claudio præfuit. Tacitus lib. 12. & in vita Agricolæ Inſtitution. lib. 3. c. 9. licet in aliquibus Codicibus appelletur *Aſterius Scapula* pro *Hoſtorio Scapula*. P. Quintius Scapula cum cœnaret apud Aquilium, repente expiravit. Plin. lib. 7. c. 53. T. Quintius Scapula auctor, & concionator belli in Hiſpania cum Q. Aponio, a quibus expulſus eſt Trebonius Proconſul a Cæſare ulteriori Hiſpaniæ præfectus, cujus exitus traditur Commentar. 6. & Dio. lib. 43. Item Tertullo Scapulæ ſcripſerunt Marcus, & Commodus Impp. teſte Marcello de offic. Præſidis. Scapula cui librum direxerat Tertullianus, pro Chriſtianis erat Carthaginis Præſes, qui cenſetur cognominatum fuiſſe Tertullum.

Nymphæum. Fons ad Eccleſiæ januam, ubi manus lavabant Chriſtiani, antequam ad orandum ingrederentur. [ Nymphæum, & triporticum ante oratorium Sanctæ Crucis. Anaſt. Biblioth. in Hilario ] de quo paſſim idem Auctor.

Nymphium. FR. locus fontis, ſive alterius rei intra Monaſterii ſepta, de quo Joannes Diaconus in vita S. Greg. Papæ lib. 4. c. 83. Non vero locus pro mulieribus deſtinatus, quemadmodum falſo exiſtimavit Joannes Mabbilon Benedictinus Monachus in notis ad prædictam vitam; mulieres enim intra Monaſteria non habebant ingreſſum, & quod intra Monaſterii atrium fuiſſe nymphium, ex ejuſdem Joannis verbis ibidem manifeſtatur, ubi ſic inquit: [ In cujus Venerabilis Monaſterii atrio juſſu Greg. juxta nymphium duæ Iconæ veterrimæ artificialiter diſpoſitæ uſque hactenus videntur.

Nyssa, Νύσσα, terminus, meta, & ſepta; unde *Incitare equum juxta nyſſam* proverbialiter, pro eo, qui in diſcurſu extra terminum propoſiti digreditur; ideo monetur, ut incitet diſcurſum juxta nyſſam, ideſt terminum. [ Incita equum juxta nyſſam, & de feſto diſcurre. D. Greg. Nazianz. in ſerm. Paſchæ. ] Ac idem adagium ſub nomine *Meta* replicat in ſerm. Nativitatis Domini inquiens: [ Ne velut equi fervidi, & intractabiles poſteaquam rationem, & ſeſſorem excuſſerimus, & religioſam cautionem pulchre nos ſeptis

ptis cohibentem, procul a meta curramus. ] Vide *Meta*. FR. puto, quod a *Nyſſa*, nempe, ſeptum, etymon trahat *Naſſa* latinum, italumque vocabulum ſeptum, ſcilicet, ex viminibus contextum, intra quod capiuntur piſces.

Nysus. FR. vox Syracuſana, ideſt, claudus; ideo Syracuſani Bacchum *Dio nyſum* ex Διός, & Νύσος, ideſt, Juppiter Claudus appellabant. Nam, ut refert Nonnus in Dionyſiacis.

——— Capiens Atlantide Cretus
Hinc Bacchum, patris illum de nomine dixit
Mox dionyſum, quod geſtans hæc pondera tanta
Poplite claudus iit Saturnius ipſe gravato.
Namque Syracuſii ſolita ſunt dicere Nyſum,
Claudum. Hic aſtutus, nuper natuſque vocatus
Tum fuit: ipſe parens femori namque aſſuit illum.

Apud Natal. Comitem lib. 5. Mythol. c. 13. Hinc *Nyſeus* non eſt nomen Bacchi, ſed illius patronymicum; in quo erravit Calepinus, ut ex Ovid. lib. 4. Metam. colligitur, qui ſic inquit.

Thuraque dant, Bacchumque vocant, Bromiumque, Lyeumque,
Indigenamque, ſatumque iterum, ſolumque bimatrem.
Additur his Nyſeuſque, indetonſuſque Thyoneus,
Et cum læneo genialis conſitor uvæ.

Sic Chori nyſæi Propert. lib. 3. eleg. 17. Palmes nyſæus vitigineus. Sil. lib. 7.

Feſtas nyſæo redimite palmite menſas.

Quod pro libitu cum diphthongo, vel ſine ſcribitur, & idem ſignificat ac Baccheus, licet autem aliquando pro *Nyſeo*, ſive *Nyſæo*, *Nyſias*, *Nyſeidos*, vel *Nyſeidis* reperiatur, ut apud Ovid. 3. Faſtorum habetur: [ Nymphæ nyſeides ] ita etiam pro *Baccheo*, *Baccheis*, *Baccheidos* uſurpavit Statius 2. ſyl. Itaque ſi vera eſſet Calepini aſſertio, Bacchus cognominari deberet non Dionyſus, ſed dio-nyſeus, vel dio-nyſæus.

---

## O

O. FR. hæc littera in Sacra Scriptura eſt perfectionis nota. Vide *Ephron*.

Oasena Deportatio. FR. exilium ad quendam Ægypti locum, qui *Oaſis* dicebatur, de qua pœna fit mentio in Theodoſ. Codice: [ Oaſenæ deportationi confringendis, lib. 9. tit. 32.

Obaudientius, obedientius. [ Quid igitur obaudientius poteſt eſſe, quam ut Chriſti ſequamur exemplum? D. Ambroſ. epiſt. 32.

Obduco, quid ſignificet apud Tertullianum. Vide *Traduco*.

Obedientes. FR. Hæreticorum ſecta. [ Obedientes vocant, qui ex obedientia omnia faciunt, oſculantur ſe mutuo ex obedientia, & alia turpiſſima faciunt, quæ honeſtatis gratia prætermittenda puto, ut patuit de ſocietate Barelotti Bononiæ, qui omnia habebant communia, uxores filios, divitias. Ferdinandus Cordubenſis in tract. de exigendis annatis, cap. de Obedient.

Obedientia. FR. in can. ſciendum, 8. q. 1. ſic commendatur: [ Obedientia victimis jure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur &c. quod contra ariolandi peccatum inobedientia dicitur, ut quanta ſit virtus obedientiæ demonſtretur. Ex adverſo ergo melius oſtenditur quid de ejus laude ſentiatur. Si enim quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere; ſola eſt, quæ fidei meritum poſſidet obedientia, ſine qua quiſquis infidelis convincitur, etiam ſi fidelis eſſe videatur. ] Vide *Obaudientius*.

Obedientialis. FR. chori diſtributor. [ Singuli Canonici, qui ad matutinas ſurrexerint, accipiant per manus obedientialium, qui ad hoc fuerunt inſtituti, duos denarios &c. Innocent. Papa III. apud Torrig. de Crypt. Vatic. impreſſ. 2. pag. 306.

Obeliscus, & *Obelus*. Vide *Aſteriſcus*.

Oberos. FR. Curtis ruptura, ſeu agreſſio curtis alienæ, l. ſi mulier, l. ſi quis peculium, de homine in curte aliena, & l. ſi ſervus, de culpis ſervorum.

Obesus. FR. in duobus contrariis ſignificationibus uſurpatur; aliquando enim *Obeſus*, teſte Nonnio, pro gracili, & corroſo accipitur, aliquando vero pro craſſo, & carnoſo, eodem Nonnio, & Gellio lib. 7. c. 7. teſtibus, deſumitur, in quo poſtremo ſignificatu Hypocr. in aphoriſmis docuit: [ Graſſa, & obeſa corpora, quæ creſcendi menſuram impleverint, niſi cito ablatione ſanguinis minuantur, in paralyſim, & peſſima morborum genera erumpere, in can. ne tales, de conſecrat. diſt. 5.

Objectio, pro repræſentatione, vel ſuggeſtione: [ In peccatis eſſe quatuor gradus dicunt Sancti Patres. Objectionem, ſeu primum motum; luctationem, aſſenſionem, & actum. Quorum duo quidem prima non eſſe pœnæ obnoxia; in duo autem, quæ ſequuntur, pœnam cadere. Balſamon. in can. 4. Nicænæ Synodi.

Obitorium. Vide *Necrologium*.

Oblagium, corrupte ex *Eulogio*. Uſurpatur hic terminus penes germanicos ſcriptores ad ſignificandam panis, & vini oblationem, ibi Parochis pro jure funerali debitam.

Oblatio. FR. [ Ipſæ enim res fidelium oblationes appellantur, quæ a fidelibus Domino offeruntur, can. videntes, 12. qu. 1. Et quæ pro remedio peccatorum, vel pro ſalute, & requie animarum ſuarum unuſquiſque Venerabili Eccleſiæ contulit, can. indigne, 12. quæſt. 2. ] Item pro benedictionibus nubentium, pro exequiis mortuorum, pro emendis in abſolutione excommunicatorum, pro legatis piis, ut colligitur ex

Extrav. comm. de decimis. Item pro fabrica. Item ratione alicujus feſtivitatis. Ibidem §. de eleemoſynis, ſeu oblationibus. Hujuſmodi oblationes ſive eleemoſynæ a largientibus in Eccleſia oblatæ multis modis recipi vetuntur in can. oblationes, diſt. *90*. & ibi Gloſſa. Item *Oblationes*. quæ minutiſſimæ dicuntur, nempe, pro ſepulturis, & dandis pœnitentiis. Ibid. §. Inſuper. Item oblatio ſignificat Miſſam. Vide *Miſſa*: || : Ordo Romanus modum deſcribit, quo Papa in Pontificali celebratione oblationes panis, & vini, acceptare ſolebat. Deſcendebat namque ad *Senatorium*, locus autem erat hic pro Principibus deſtinatus, a quibus propriis manibus oblationes recipiebat, tradens ipſe poſtea panem Regionario Subdiacono, & hic ſecundo Subdiacono conſignabat, qui eum in tobalia munda a duobus Acolytis delata reponebat, quæ *Offertorium* dicebatur. Vide *Offertorium in fine*. Archidiaconus autem accepta a Pontificis manu vini oblatione, illud in calice a Subdiacono ſuſtentato infundebat, & illo impleto evacuabatur in aliud vas, ab Acolyto delatum; tranſibat deinde Pontifex per Matronarum locum, & ab ipſis eadem cæremonia adhibita, ſimiles oblationes recipiebat. Epiſcopus vero hebdomadarius, a populo panem colligebat, illumque in tobalia reponebat, & a Diacono aſſociatus, vinum acceptabat; ex hac maſſa panis oblata Archidiaconus ſumebat quantitatem pro communione populi ſufficientem. Hoc peracto Pontifex in Throno ſedebat, & offerebat vini ampullam in manibus Subdiaconi Oblationarii, hic autem eandem ampullam Archidiacono porrigebat, qui per colatorium argenteum (de quo in dict. *Colatorium*) inſtillabat, & inſtillatum vinum in calice cum aliquibus aquæ guttis delatæ a Subdiacono imponebat. Surgebat a Throno poſtea Pontifex, conferebat ſe ad Altare, ubi recipiebat oblationes a Presbytero hebdomadario; tandem Archidiaconus ex manibus Oblationarii ſumens panem jam oblatum in Throno a Pontifice, ei iterum porrigebat in Altari, ſuper quod Papa propriis manibus reponebat, & interim a parte dextera panis conſecrandi Archidiaconus calicem vino, ut ſupra præparatum collocabat. Hæ cæremoniæ etiam ab Epiſcopis in propriis Diœceſibus adhibebantur, ſed minoribus ſolemnitatibus; ſicque a reliquis Sacerdotibus reſpective, qui propriis manibus panis oblationes a populo ſumebant, ac in tobalia, a duobus Acolythis delata reponebant. Erat enim dedecoris nota inter fideles antiquitus ad communionem accedere ſine prævia oblatione, quod ex Sanctis Patribus manifeſtatur; unde Auguſt. ſerm. 215. de tempore inquit: [ Erubeſcere debet homo idoneus, ſi de aliena oblatione communicaverit. ] Atque Cyprianus ſerm. de eleemoſ. ajebat [ Locuples, & dives in Dominicum ſine ſacrificio venis, & panem de ſacrificio, quod pauper obtulit, ſumis ] Sed Cantores in Choro occupati aquam offerebant. [ At Cantores, qui ſunt de genere Levitarum, propter inſtantem neceſſitatem cantandi, non habent licentiam huc, illucque diſcurrendi, ut ſinguli offerant cum cæteris: ſtatutum eſt eis, ut penitus non ſint extorres a ſacrificio, cuſtodire aquam, & hanc unam offerre pro cæteris. Amalar. lib. 1. de Eccleſ. off. cap. *19*. ] Quod dictum fuit in dict. *Aquarii*, & *Camiſatus*. Recitabantur inſuper elata voce nomina oblata tribuentium, & dicebatur *Nomen offerre*, quæ actio tanquam vana a D. Hieronymo in Hierem. lib. 2. cap. 11. redarguitur, ſic ajente: [ Nunc publice recitantur offerentium nomina, & redemptio peccatorum mutatur in laudem. ] Hanc autem nominum recitationem ad alium Miſſæ locum tranſtulit Innocentius Papa, can 2. ubi ita decreverat: ] De nominibus vero recitandis antequam preces Sacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda ſunt, ſua oratione commendet, quam ſuperfluum ſit, ipſe per tuam prudentiam recognoſcis, ut cujus hoſtiam nec dum Deo offeras, ejus ante nomen inſinuas, quamvis illi incognitum ſit nihil. Prius ergo oblationes ſunt commendandæ, & tunc eorum nomina, quorum ſunt oblationes, edenda. ] De qua re dictum eſt in dictionibus *Canon Miſſa*, *Diptychum*, *Nomen*. In Eccleſia Ambroſiana hic oblationis ritus ſic obſervatur, ut duo Seniores ex virorum parte tres hoſtias, & unum vas albi vini offerant, ſic vice mulierum duæ Matronæ faciunt. Synonima. Vide *Anaphora*, *Fertum*, *Offerſio*, *Peccatum*. Cætera. Vide *Offertorium*, *Scyphus*.

OBLATIO PUERORUM, in aliquo loco ſacro quomodo fiebat. Vide *Palla*.

OBLATIONARIUS, dicebatur Subdiaconus, qui recipiebat oblationes in Miſſa, ut dictum eſt in dict. *Oblatio*: [ Benedictus Subdiaconus, & Oblationarius. Luitprandus lib. 6. cap. 6. ] Ubi de Concil. Rom. agit. [ Deinde Archidiaconus ſuſcipit Oblatas duas de Oblationario, & dat Pontifici. Ord. Rom. de off. Miſſæ.

OBLIGATIO RESIDENTIÆ. Vide *Perſonatus*.

OBLIGATOR. Faſcinator, incantantor: [ Præcipimus, ut nec cauculatores, nec tempeſtarii obligatores faciant &c. In capitulari lib. 1. cap. 64. ] FR. quos Matrimonii invidos appellat D. Hieronymus, inquiens: [ Rei Uxoriæ hoſtes quinque vel perpetuas, vel nimium diuturnas nuptiarum ferias feriali carmine, & nodo indicunt. ] Vide *Caragus*, *Hydromantia*, *Tempeſtarii*.

OBMUSSITO, ideſt, contra aliquem murmuro. [ Anno etiam Poetæ hæc nobis ſemper obmuſſitent. Tertull. de Anima cap. *8*.

OBNOXATIO. FR. conceſſio uſusfructus alicujus rei; retento tamen dominio: [ Charta obnoxationis in filiis facta. Malculf. lib. 2. cap. *9*. ] ideſt, bona materna filiis conceſſa cum clauſula prædicta, ne dominium Pater amitteret, qui ſolum filiis uſumfructum dictorum bonorum conceſſerat.

OBNOXIO, obligo: [ Et ego de rebus meis, unde veſtra beneficia rependere debuiſſem, non habeo; ideo pro hoc

hoc ſtatum ingenuitatis meæ vobis viſus ſum obnoxiaſſe. Marculf. l. 2. c. 28.

Obolares Mulieres, viles meretrices, quæ pro obulo carnes ſuas offerunt. Vide *Mandragerontes*.

Obortio, aborior, ideſt, ante tempus pario, ſive abortum facio.] Non recolis in Exodo dixiſſe Deum, ſi rixaverint duo, & percuſſerint mulierem in utero habentem, & obortiverit non deformatum, detrimentum patientur. Lucifer Caralitanus.] FR. Textus vero habet: [Si rixati fuerint viri, & percuſſerit quis mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit, ſed ipſa vixerit, ſubjacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit. Exod. c. 21. num. 22.

Obryziati, ſolidi dicuntur, quia conſtant ex auro purificato, italice *Di 24. caratti* dicitur, de quibus ſolidis Juſtinian. agit in l. univerſo. Cod. de vet. numis. poteſ. lib. 11. & l. 1. Cod. de obligat. votor. lib. 12. Licet in utroque textu verba mendoſe legantur.

Obryzum, ὄβρυζον, aurum perfectiſſimum, ab *Obradio* ita dictum, ut Iſidorus putat, quia nimis obradiat, atque reſplendet; ſed Hieronymus aliunde etymon trahit in cap. 13. Iſaiæ, nempe, ab *Ophir* Indiarum regione, ex qua Salomon aurum devehi curabat, & ita ait corruptum fuiſſe vocabulum obryzum ex *Ophirizo*. FR. Divus tamen Gregorius inquit: [Obryzum obrude aurum, ideſt, rudis auri molem fiduciam credidit. In c. 31. Job. in ejus expoſit. l. 22. c. 2. in editione Romana de anno 1613.] ſed impreſſio Baſileæ de anno 1551. mendoſe *Obryſum* habet.

Obscarionum Sacramentum. FR. forma quædam particularis juramenti, lege ſi quis in curte, qualiter quis ſe defendere debet.

Obscurio. Vide *Scurio*.

Obsequia, ſervitus, famulatus, concomitantia. [Hic dimiſit per obſequia ſua ad omnem clerum rogam unam integram. Anaſt. in Greg. Hic dimiſit omni clero per obſequia ſua rogam integram. Idem in Bonifac.

Observo, pro attendo, expecto; legitur enim in Romana Synodo ſub Bonifacio II. celebrata, quod Diaconus ad januam aſſiſtens, Patres ejuſdem congreſſus monuerat, Theodoſium Metropolitam foris eſſe expectantem, ad ſuam cauſam exponendam, quibus hic Diaconus dixerat: [Sicut præterita ſeſſione conſtituiſtis, obſervat quid jubetis.] Ubi colligitur Oſtiarii officium in Conciliis ad Diaconum ſpectaſſe, qui uſus adhuc in Conclavi obſervatur; nam primus Diaconus Cardinalis frangit Clauſuram, & annuntiat populo novi Pontificis electionem; itaque etiam in Sac. Scriptura pro attendere, ſeu expectare *Obſervo* uſurpatur: [Obſervat ad poſtes oſtii mei. Proverb. cap. 8.] FR. potius videtur ex ſupra allatis exemplis *Obſervo* invigilandi ſignificatum habere, quod ex aliis auctoritatibus eccleſiaſticorum ſcriptorum manifeſtatur. Gregorius namque Papa in Regiſtr. lib. 7. epiſt. 92. ob defectum Monachorum Sacerdotum Monaſterii Præcoritani, cis ſæcularem Sacerdotem conceſſerat, quem ob id a cura ſuæ Eccleſiæ exemit ſub his verbis: [Atque eum nec in Eccleſia (*ideſt*, *ſua*) nec in alio loco obſervare] nam improprie hic obſervare pro expectare intelligeretur, unde potius invigilare germanus ſenſus eſſet. Item Clerici ad aliquam Eccleſiam addicti *Obſervantes* dicebantur, uti in can. 26. Aurelianenſis IV. Concilii legitur, nempe: [Si quæ Parochiæ in Potentum domibus conſtitutę ſunt, ubi obſervantes Clerici ab Archidiacono Civitatis præmoniti &c.] unde *Obſervantes*, ideſt, inſervientes, & invigilantes denotat. Item in c. 8. Proverb. ſuper allegato, ibi dicitur: [Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſervat ad poſtes oſtii mei,] ubi *Vigilare*, & *Obſervare* ſunt idem: ſolet enim ſæpiſſime Sacra Scriptura ſynonimice loqui: & ne longius exempla petamus, deſumi poſſet ex ſupra allata dictione *Obryzum*. Ait enim Job. c. 31. Si putavi aurum robur meum, & obryzo dixi: fiducia mea:] ubi aurum, & obryzum ſynonima ſunt. Quin multa adduci potuiſſent ex ead. Sacr. Scrip. exempli grat. [Obſerva cuſtodias Domini. 3. Reg. c. 2. Et obſervet excubias Domini. 4. Reg. c. 6. In porta Regis ad orientem obſervabant per vices ſuas de filiis Levi &c. 1. Paralip. c. 9.] & ſimilia, ubi ſemper verbum *Obſervo* invigilare ſignificat.

Obsessus, ideſt, a Dæmone: [Contigit, ut in &c. quidam obſeſſus eſſet, in quo dæmonium tam nequam erat, ut coram aſtantibus improperaret peccata, quæ per confeſſionem veram non fuiſſent tecta. Cæſar. lib. 3. cap. 2. Mulier obſeſſa. Idem lib. 5. cap. 11. Puella obſeſſa. Ibidem cap. 14.] Vide *Energumenus*.

Obstinatus. Vide *Buccadurus*. *Duricordium*.

Obvio, pro contradico: [Quicumque obviaverit Imperatori, feriatur gladio. Sanct. Ambroſ. epiſt. 32.

Obulus. FR. ponderis, & monetæ ſpecies, de quibus can. Judices, 1. quæſt. 1. Atque Terentius: [Obulo emptus] dixit in Adria. Item Raph. Volaterranus Philolog. lib. 30. Comment. Urb. ubi de Siclo. Budæus de aſſe lib. 1. & 5. qui medietatem Scrupuli, & XLVIII. partem unciæ obulum valere aſſerit. Vide hic *Siclus*. *Talentum*.

Obumbro. FR. ſcribo, firmo, ſigno. [Emittens, videlicet, de ſuſcepta per Nomenclatorem ſuum manu ſua obumbrata. Anaſt. Biblioth. in Agathone.

Obunco, inunco: [Quem nefandis ulnarum gremiis procax obuncabat. Althelmus cap. 17.] Vide *Incroco*. *Inhamo*.

Occidens. Vide *Plaga mundi*. Solſatis in dict. *Placitum*.

Occidentalis. Vide *Dyticus*.

Occupator. Vide *Incubator*.

Occupo. FR. verbum, quod ut plurimum uſurpare, vel rapere ſignificat, ut: [Si quis autem ſequeſtrationem hujuſmodi impedire, vel fructus ſequeſtratos quoquomodo præſumpſerit occupare. Clementin. de ſequeſtr. poſſeſſ. cap. unic. Qui &c. bona Eccleſiarum, ſeu Monaſteriorum, aut locorum ipſorum vacantium occu-

occupare præſumant &c. de electione, & electi poteſt. in 6.] & ibi Gloſſa in ſenſu prædicto multa congerit. Aliquando tamen prævenire denotat, ut: [Secus ſi ſint in ſolidum conſtituti; ſed tunc illius melior erit conditio, qui per litis conteſtationem negotium primitus occupabit. Poſt occupationem autem hujuſmodi alter ſe intromittere nequibit ulterius, cum ille litis dominus ſit effectus; niſi dictum in conſtitutione fuiſſet, quod non fieret melior conditio occupantis: tunc enim, ſi eum, qui occupavit, infirmari, mori, abſentari, vel alias impediri contingat &c. de procuratoribus in 6. cap. 6.] In quo ſenſu multa exempla affert ibi Gloſſa.

Occurro, ideſt, poſſum, vel accidit. [Sed quia morte occupatus nec dum hoc occurrit implere. D. Greg. in Regiſt. lib. 5. cap. 144.] qui paſſim hac phraſi utitur.

Octava, prorogatio ſolemnitatum per dies octo. Radulph. prop. 19. Quæ ſolemnitas etiam in Levitico ordinatur, ac Pſalmiſta in multis pſalmis titulum appoſuit *Pro Octava*, quod juxta Rabbinorum expoſitionem ſignificat muſicum inſtrumentum octo chordarum, ut Genebrardus teſtatur, ſive Pſalmum, qui octo notis canitur, ut Jacobus Valentia autumat. Sed Janſenius ait, quod in illis pſalmis, in quibus præfatus titulus habetur, ſemper de univerſali Judicio mentio fit, poſt quod ſequi debet myſtica octava, ideſt, æternæ quietis Beatorum in anima & corpore glorificato, quo ſenſu faciliter verba Ambroſiana lib. 1. in cap. 6. Lucæ, alias vix intelligibilia enodantur, ubi Sanctus Doctor de æterna beatitudine agens, inquit: [Sicut enim ſpei noſtræ octava perfectio eſt, ita octava ſumma virtutum eſt.] Dixerat enim ante: [Et mandatum accipis, octo illis partes dare fortaſſe benedictionibus] ideſt, cum benedictionibus, nempe, cum eleemoſynis; nam benedictio, ut ſuo loco dictum eſt, quandoquidem eleemoſynam ſignificat, quibus verbis ad illud Eccleſiaſt. cap. 2. alluſit, ubi habetur: [Da partem ſeptem, nec non octo, quia ignoras, quid futurum ſit mali ſuper terram.] Itaque D. Ambroſii verba denotant, quod octo beatitudines in largiendo octo partes pauperibus in benedictionibus, ſcilicet, eleemoſynis conſiſtant; hinc concludit, quod octava largitio ſumma virtutum eſt, ſicut ſpei noſtræ octava (ideſt, beatitudo) perfectio eſt. Nam in capite 6. Lucæ ab Ambroſio expoſito loquebatur Dominus de beatitudinibus, ubi valde eleemoſynam commendaverat, inquiens: [Veruntamen, væ vobis divitibus &c. væ vobis, qui ſaturati eſtis &c. ſed vobis dico &c. Et ab eo qui aufert tibi veſtimentum, etiam tunicam noli prohibere: omni autem petenti te tribue, & qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas &c.] Sed ut ad propoſitum redeamus, de octava ab Eccleſia inſtituta, & quo ad ejus antiquam inſtitutionem, atque myſteria. Vide Paulum Quartum in comment. Rubr. Miſſ. part. 1. tit. 2. & licet Græci nunc octavas feſtivitatum non celebrent; conſtat tamen antiquitus illas ſolemnizaſſe, ut ex D. Baſilio Seleucien. lib. 2. de miraculis S. Theclæ cap. 18. ſatis colligitur, ubi octavam feſti diem ἀπόλυσιν vocat, ideſt, diſceſſum, ſeu diſſolutionem; nam in octavo die terminatur, ac diſſolvitur feſtum, dum ait: [Feſtum erat Martyris, & poſtremus jam ejuſdem diei, quam vocant diſſolutionem.] Cur autem occurrens octava Epiphaniæ in Dominica, officium illius Dominicæ anticipatur in antecedenti Sabbato, dum poteſt in propria ejus diei cum nona lectione, & commemoratione fieri, ut in aliis feſtis fieri ſolet? Hoc dubium reſolutum legi in quodam Breviario de anno 1300. manuſcripto, in Sacriſtia Peruſinæ Cathedralis aſſervato, in quo dicitur, quod hic ritus obſervatur, ne confundatur vitæ Chriſti ordo triginta annorum, qui in ea octava repræſentantur, atque duodecim annorum in ſabbato. Octava autem ſolis certis Domini feſtivitatibus, & Beatæ Mariæ conceditur. Item principalibus Patronis, vel Titularibus totius Univerſalis Eccleſiæ, ut ſunt Nativitatis, & Aſſumptionis B. Mariæ Virg. SS. Petri & Pauli, S. Jo. Baptiſtæ Nativitatis, Jo: Evangeliſtæ, Protomartyrum Stephani, & Laurentii, ſive Patronis, & Titularibus particularium Eccleſiarum. Inter Octavas autem Domini fit aliqualis differentia; in primo enim gradu, ſunt Paſchæ, & Pentecoſtes, quæ alias feſtivitates, nec Titularis, nec Patroni admittunt. Secundi gradus eſt octava Epiphaniæ, quæ ſolum Patronos, & Titulares, & Dedicationis diem admittit; ſed non in die octava, quia in eo celebratur baptiſmus Salvatoris. Durand. lib. 7. cap. 17. quam *Octavam ſuppletionis* idem vocat, cum in ea commemoratio præfati baptiſmi ſuppleatur. In tertio vero gradu habetur octava Corporis Chriſti, quæ admittit duplicia; non vero tranſlata, niſi eſſent ſolemniſſima, ex decreto Joannis XXII. qui declaravit, quod Indulgentiæ conceſſæ in die alicujus Sancti; licet propter impedimentum alicujus Octavæ, de eo non fiat feſtum; nihilominus ab intervenientibus ad divina officia currentis diei acquirantur, quod decretum in Bibliotheca S. Iſidori Romæ aſſervatur. FR. Sacr. Rit. Congreg. die 21. Junii 1670. facto prius verbo cum Sanctiſſimo, prohibuit, ne in poſterum infra Octavam Corporis Chriſti Miſſæ votivæ quæcumque, vel pro Defunctis celebrarentur :||: Inſuper in feſtivitatibus Domini Eccleſia non ſolet complere octavam diem; nam in Octava Nativitatis ejuſdem celebratur ipſius Circumciſio; in octava Epiphaniæ fit commemoratio de ejus Baptiſmo. Octava autem Paſchæ, & Pentecoſtes ad Sabbatum terminatur, quod non ſine myſterio fit ab Eccleſia, ad denotandam, ſcilicet, perfectam Salvatoris gloriam, tum animæ, tum corporis. In Aſcenſione ſiquidem tantum tota octava completur perfecta; in ea enim ultimata humanitatis gloria manifeſtatur. In quarto gradu ſunt Octavæ Nativitatis, & Aſcenſionis Domini, & aliorum Sanctorum, in quibus admittuntur etiam ſemiduplicia. Circa dubia, quæ in octavis occurrere poſſunt, ali-

aliqua notanda ſunt, & in primis non debet dici nona lectio ſimplicis feſti; ſed fiat de eo tantum commemoratio, licet aliter alii ſentiant; ſed ego ordinem officii Venetæ Impreſſionis ſequor, in quo habetur: [ Fit tantum commemoratio. ] quæ verba ibi replicantur in octava Epiphaniæ, Paſchæ, & Pentecoſtes, ubi dictio taxativa *Tantum* excipit, & exceptio firmat regulam juxta Juriſtarum axioma, quod etiam ex mente Rubricæ inſtitutoris eſſe probatur, dum in ſola Aſcenſionis octava, & non in aliis appoſuit hæc verba, de ſimplici nempe ait: [ Fit tantum commemoratio cum nona lectione. ] FR. quod confirmari etiam poteſt ex Sacr. Rit. Congregationis decreto, ſub die 8. Junii 1669. emanato, ubi declaratur, quod in Octava Corporis Chriſti non debet recitari nona lectio ſimplicis Sancti, & exinde aliud extortum decretum ſub die 22. Novembris 1659. revocavit, in quo ſub æquivocis prætextis dixerat fieri nona ſimplicis lectio, ex ſuppoſitione, quod octava Corporis Chriſti fuiſſet ejuſdem claſſis, ac Aſcenſionis, in qua conceditur ſimplici nona lectio: ſed re melius conſiderata primum decretum revocatum fuit, ut dixi :||: Et in hoc non ſolum ſæpe ſolet falli director Ordinis officii Romanæ impreſſionis; ſed etiam in aliis caſibus, ut exempli gratia in impreſſo de anno 1662. in die S. Philippi Nerii prætermittit commemorationem Feriæ, aſſignans pro tertia orationem de Beata Maria, & tamen Rubrica eſt evidens, ubi ait: [ Si vero in feria ſexta occurrat feſtum novem lectionum, fit de feſto cum commemoratione officii ejuſdem diei. ] Itaque tunc ſecunda oratio de feria, & tertia de Sancto Eleutherio debebat notari. In impreſſo de anno 1663. propter impedimentum Dominicæ V. transferri ordinat ad diem quintam menſis Maii, nempe, intra octavam Aſcenſionis, contra Rubricam de Tranſlat. feſt. num. 5. Debebat itaque feſtum S. Petri Martyris transferri ad 21. ejuſdem menſis. Item in eodem anno in ſecundis veſperis S. Gregorii Nazianz. præſcribit a Capitulo de Octava Aſcenſionis, quæ habet pro ſe totum veſperarum officium integrum, ut in primo notando tabellæ de concurrentia exprimitur. At notabilior eſt error ejuſdem in S. Gregorii feſto de anno 1668. in Vigilia Aſcenſionis occurrentis, in quo die Ordo officii poſuit in primo nocturno lectiones de ſcriptura occurrente, quæ non extant, ac inde nonam lectionem vigiliæ reliquit. Sic etiam de anno 1671. cadens in Dominica Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Vigilia, ideo anticipata fuit in antecedenti Sabbato, in quo Sabbato Ordo officii præcipit celebrari Miſſam S. Joannis Bapt. cum ex Rubrica Miſſalis debuiſſet de vigilia celebrari. Hæc tamen non in contemptum Directoris ſint dicta, quem compati debeo; nam errorum fragilitati omnes ſubjecti ſumus; ſed tantum annotare volui, ne in aliis ſimilibus occurrentiis iterum in errorem incidatur. Sacræ Rituum Congregationi viſum fuit, ut Gavantus ejuſdem Congregationis olim ſecretarius affirmat, quod a die 17. Decembris, quando in Adventu incipiunt cani ad Magnificat Antiphonæ O, tunc excludi octavas, ſi occurrerent, itaque in ſimili occurrentia in primis veſperis non fit commemoratio, ut exempli gratia occurrens octava dies in feria quarta Cinerum; nam debet relinqui ex Rubricæ ordinatione, & tunc in primis veſperis non debet de octava fieri mentio. Idemque obſervandum eſt in ſimilibus caſibus. Ita etiam quando feſtum habens octavam, transferri contigerit poſt octo dies, octavam amittet pro illo anno, ſi dies octava venerit in Dominica privilegiata, in qua tantum fiet commemoratio octavæ, tunc in primis veſperis recitentur pſalmi feriales Sabbati, & capitulum de Dominica privilegiata, ſolam octavæ commemorationem addendo. Sacr. Rit. Congr. 19. Novembr. 1622. quæ in reverentiam Octavæ relinqui preces, & conſueta ſuffragia in ea Dominica indulſit. Licet generalis rubrica ordinet, quod quando venerit ſemiduplex intra octavam, de eo dicantur Veſperæ uſque ad Capitulum; fallit tamen hæc regula in ſecundis Veſperis SS. Jo. & Pauli, qui ex peculiari privilegio habent integras Veſperas ſic etiam in primis Veſperis feſtorum ſecundæ claſſis non fit commemoratio diei inter octavam, ſi in ſequenti die non fiet officium ejuſdem. Item ex vigore præfati Sacr. Congregationis decreti, occurrente octava in Dominica privilegiata, de qua octava fit tantum commemoratio, ut dictum fuit, inde ſequitur, quod ſi in præcedenti Sabbato venerit feſtum ſemiduplex, tunc recitari debent in Veſperis pſalmi illius Sancti ſemiduplicis, & a Capitulo de Dominica privilegiata, & ſecunda oratio erit de Sancto, tertia de Octava. Reliqui occurrentes caſus clare habentur in Rubricis. Solum dicendum ſupereſt Octavam Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis de an. 1245. ab Innocentto IV. in Concilio Lugdunenſi ex voto Cardinalium in præcedenti Sede vacante Cœleſtini IV. quæ per viginti menſes duraverat, inſtitutam fuiſſe, ita Longin. lib. 7. Blond. decad. 2. lib. 7. quare ſuſpecta redditur mentio hujus octavæ in Bedæ martyrologio, tum quia in eodem opere M. S. de ea nihil agitur, tum etiam quia in Martyrologiis Uſuardi, Adonis, aliorumque illius ævi ſcriptorum, qui Innocentium IV. præceſſerant, de tali octava nunquam egerunt. Alii vero autumant hanc octavam Nativitatis Virginis fuiſſe a fidelibus antiquitus celebratam; ſed majori ſolemnitate celebrari juſſerat Innocentius prædictus. Eccleſia Pariſienſis in octava Aſſumptionis Mariæ excludit feſta cujuslibet claſſis, ac ſi de principalibus octavis eſſet. Qui non tenentur recitare octavam Patroni loci. Vide *Officium Divinum*. Præfatio infra octavam dicenda. Vide *Præfatio*. Reliqua ad octavam pertinentia. Vide *Commemoratio*. *Vigilia* in fine. Titulus aliquorum pſalmorum inſcriptus *Pro octava* quid ſignificet. Vide *Pſalmus*. In octava Paſchæ ordinabatur Neophytorum proceſſio, & non dicebatur, Deus in adjutorium &c. V. *Veſpera*.

Octember, october menſis, [ Octember primam cum daret atque diem. Flodoard. lib. 3. cap. 3. ] eodemque modo habetur in Vandelberti Martyrologio. FR. reperitur in eadem ſignificatione *Octimbrius* [ Cum &c. & curſum martyrii conſummaſſet, menſis Octimbrii die undecima, feria prima, hora tertia, cum diceretur inter ſancta officia, Sancta Sanctis, indictione decima. Hypomneſt. in collectan. Anaſt. Biblioth. a Sirmondo in 8. edit. pag. 256. ] Hæc cæremonia *Sancta Sanctis* ex Liturgia Sancti Jacobi Apoſtoli deſumpta, a Diacono proferebatur illis, qui communionem ſumebant, & populus reſpondebat *Unus eſt Sanctus*. Baron. ann. 63. num. 7. Vide *Sancta Sanctis*. Item October menſis. Vide *Hyperberateus*.

Octogamus, ὀκτώγαμος. FR. qui ad octonas nuptias tranſiit, can. aperiant. 31. qu. 1.

Octogild. FR. compoſitio pecuniaria, l. ſi plures homines, de furtis.

Octopla. Vide *Hexapla*.

Octoneus, ideſt, ex aurichalco. [ Aderant duo candelabra octonea, in Vita B. Andreæ de Galleranis, 19. Mart.

Oculo, verbum, oculos illumino, viſionem reddo. [ Cæcos, & ignaros ad agnitionem veritatis ocularet. S. Cyprian. de Idol. vanit. Excœcatos hirundo pullos novit oculare de ſua chelidonia. S. Pacianus, de pœnit. & confeſſ.

Odalium, purgatio vulgaris, per ferrum candentem, de qua dictum eſt in dictionibus. *Educere ſe per aneum. Judex compurgationis. Juramentum. Miſſa Judicii. Purgatio vulgaris*.

Oecetæ. Vide *Eceta*.

Oeconomia, οἰκονομία, regula domeſtica, ſive domeſtica gubernatio; apud Sanctos Patres tamen, & Sacra Concilia nonnunquam pro Incarnatione, & unione Verbi divini cum carne humana uſurpatur. Hinc eleganter D. Hieronymus de Apollinaris Hæreſiarchæ errore loquens, qui ſolam in Chriſto humanitatem fatebatur, divinitatem negabat, inquit [ Fortiſſimos libros contra Porphyrium ſcribit Apollinaris. Eccleſiaſticam pulcre Euſebius hiſtoriam texuit. Alter eorum dimidiatam Chriſti introduxit œconomiam. Alter impietatis Arii propugnator eſt, epiſt. 65. ad Oceanum.

Oeconomus, οἰκονόμος, regulator domus: erat officium Eccleſiaſticum, cui incumbebat curare reditus Eccleſiæ, Clero ſtipendia diſpenſare, ruinas Eccleſiarum reparare, eleemoſynis egenos ſubvenire; omne tamen id arbitrio Epiſcopi exequebatur. Iſid. in epiſt. ad Laudefred. Epiſc. ubi ſic inquit: [ Ad Oeconomum pertinet reparatio Baſilicarum, atque conſtructio, actiones Eccleſiæ in judiciis, vel in proferendo, vel in reſpondendo, tributi quoque acceptio, & rationes eorum, quæ inferuntur, cura agrorum, & cultura vinearum, cauſæ poſſeſſionum, & ſervitialium, ſtipendia clericorum, viduarum, & devotarum pauperum, diſpenſatio veſtimenti, & victus domeſticorum Clericorum, ſervitialium quoque, & artificum, quæ omnia cum juſſu, & arbitrio ſui Epiſcopi, ab eo impleantur. ] Qui ab omnibus Eccleſiaſticis eligebatur. Metaphraſtes. Idem pios legatos exigebat, §. ſi quis autem, Auct. de Eccl. tit. Mortuo Epiſcopo ad illum inventarium eccleſiaſticarum ſupellectilium formare pertinebat, can. charitatem, 12. quæſt. 2. In Eccleſia Conſtantinopolitana *Magnus Oeconomus* erat ex principalioribus dignitatibus, quem Simeon Theſſalonicenſis S. Stephani Protomartyris, & primitivæ Eccleſiæ Oeconomi ſucceſſorem appellat. FR. merito quidem Eccleſiæ Oeconomus gerit vices S. Stephani Diaconi; nam Eccleſiæ œconomia ad Archidiaconum ſpectabat, ut in dictione *Archidiaconus* dictum fuit; poſtea Camerarius, vulgo *Camerlingo*, appellatus fuit: de eo in can. quoniam, 16. quæſt. 7. Qui Camerarius etiam hodie a cuncto Clero eligitur. Ad Epiſcopos tamen attinet proponere œconomum, ipſis vero negligentibus devolvitur jus ad Metropolitanum: ſic etiam de regularibus dicendum, can. cum ſimus, 9. quæſt. 3. & ibi Gloſſa. Item *Oeconomus* dicitur, qui vacante beneficio, donec provideatur, illud adminiſtrat. cap. 4. de off. Judicis ordin. Item *Vicedominus* appellabatur. [ A. Vicedominus Eccleſiam eandem tanquam ſequeſtratam accepit, de judiciis cap. 11. ] Dicitur etiam Præpoſitus. Vide *Arcarius*. *Armarius*. Cimeliarca in dict. *Cemelium*. *Vicedominus*. *Yconomus*.

Oecumenicus, univerſalis, græc. dict. οἰκουμενικός, quaſi ex tota terra habitabili, quæ a græcis οἰκουμένη dicitur. Nuncupatur enim *Oecumenicum Concilium* illud, ad quod ex omnibus Orbis partibus Præſules adveniunt. FR. FL. Blondus decad. ult. lib. ult. Concilium Florentinum, ad quod quaſi totius Chriſtiani Orbis Epiſcopi tempore Eugenii IV. acceſſerant, *Icmenicum Concilium* appellat. In Tridentina Synodo maxima controverſia inter Patres agitata fuit, utrum Synodus illa appellanda fuiſſet Oecumenica, de qua re. Vide magiſtrum meum Sfortiam Cardinalem Palavicinum in ejus hiſtoria Tridentini Concilii :||: Itaque Univerſale Concilium ab Athanaſio *Magnum* dicitur Apolog. 2. in princip. ubi de Concil. Sardicenſe loquitur. *Plenarium* Epiſt. 162. vocat Auguſt. Oecumenici tituli, quem ſibi arrogant Conſtantinopolitani Patriarchæ, primus uſurpator Patriarcha Joannes fuit cui Pelagius Papa II. obſtitit, ac multo magis ejus ſucceſſor Gregorius. Baron. an. 586. n. 9. ann. 587. num. 2. & ſeqq. an. 593. & ſeqq. ann. 595. nu. 31. 32. 36. 37. 38. & 39. Phoca Imp. propter odium in Patriarcham Cyriacum, eum prohibuit Oecumenicum appellari. Baron. an. 606. num. 7. Imperator tamen Juſtinianus in Cod. Novell. 41. Mennæ Patriarchæ hunc titulum tribuit, ſic ei reſcribens: [ Imperator Cæſar. Fl. Juſtinianus &c. Mennæ Sanctiſſimo, ac Beatiſſimo Archiepiſcopo, & Univerſali Patriarchæ ] ſed ut advertit Baronius ad an. 536. num. 103. & ſeqq. in tomo ſecundo Conciliorum dictio

ctio *Univerſalis* non habetur, ac dato, quod *Univerſalis* appellatus fuiſſet Patriarcha, non debet intelligi, niſi reſpectu ad ejus juriſdictionem, & diœceſim, cum in Concilio, ut ibidem notat Baronius, ab eo celebrato ſæpe, & clare expreſſerit idem Menna ejus Cathedram ſubactam eſſe Papæ Romano, & recentiores Græci Schiſmatici etiam concedunt eorum Patriarcham Oecumenicum, ſive Univerſalē reſpectu Orientalium Eccleſiarum & non alibi ita denominari, ut idem Baronius ibidem teſtatur. Sic etiam pari ſenſu in Concilio Florentino ſub Eugenio IV. Joſeph Patriarcha in ejus profeſſione fidei declaravit, atque Anaſtaſius Biblioth. in præfatione ſeptimæ Synodi ad Joannem VIII. excuſat Græcorum Patriarcharum ambitionem in hoc Oecumenici titulo, quod non reſpectu ad totius Orbis partes intelligatur, ſed quoad univerſalitatem Orientalium: οἰκȣμένη ſiquidem græce, latine univerſum habitabile ſignificat, eo pacto, quo ſuperior univerſalis alicujus Religionis, licet Generalis dicatur; ejus tamen generalitas reſpective ad unam tantum Religionem extenditur, ut in dict. *Pantocratorenus* dictum fuit. Item Concionator *Oecumenicus Doctor* appellatus eſt ab aliquibus. At vero quando hic titulus Papæ tribuitur, intelligitur de univerſalitate totius Orbis: in hoc enim ſenſu præfata Synodus Conſtantinopolitana ſub Menna ſcripſerat Papæ his titulis: [ Domino noſtro, per omnia Sanctiſſimo, ac Beatiſſimo Patri Patrum Archiepiſcopo Romanorum, & Oecumenico Patriarchæ Agapeto. ] Sic Cypri Epiſcopi Synodalem Epiſtolam Theodoro Papæ cum his titulis miſere: [ Sanctiſſimo, ac Beatiſſimo a Deo honorabili Domino meo Patri Patrum, Archiepiſcopo, & Univerſali Papæ Domino Theodoro Sargius humilem in Domino ſalutem. Baron. an. 643. n. 9. & ſeqq. ] ſic etiam Conſtantinus Pogonatus Dono Papæ ſcripſerat: [ Flavius Conſtantinus fidelis, Magnus, Imperator, Dono Sanctiſſimo ac Beatiſſimo Archiepiſcopo antiquæ Romæ, & univerſali Papæ. Baron. an. 678. n. 3. Item Leo Magnus in eodem ſenſu Mariano Imperatori ſcribens hos titulos ſibi appoſuit: [ Leo Romanæ, & univerſalis Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus] quo titulo reliqui ſucceſſores uſi ſunt.

OENANTHE, græcum nomen οἰνάνθη, ideſt, flos vini, de quo vocabulo D. Hieronymus l. 2. contra Jovian. FR. Plinius lib. 12. c. 28. inquit: [ Eodem (*ideſt, in Lycia*) & œnanthe pertinet; eſt autem vitis labruſcæ uva. Colligitur cum floret, ideſt, cum optime olet. Siccatur in umbra ſubſtrato linteo, atque in cados conditur. ] Et inferius de ſecunda ſpecie loquens, ſic ſcripſerat: [ Nam quæ in Africa fit, ad medicos tantum pertinet, vocaturque Maſſaris. Omnis autem ex alba labruſca præſtantior, quam e nigra. Eſt præterea arbor ad eadem unguenta pertinens, quam alii elatam vocant, quod nos abietem, alii palmam, alii ſpathen, ] & poſt pauca: [ Dumtaxat in locis ſitientibus odorata, pingui lacryma, quæ in unguenta additur ad domandum oleum. In Syria gignitur & cinamum, quod caryopon appellant. Hic eſt ſuccus nuci expreſſus (*fortaſſe nuci muſcatæ*) multum a ſurculo veri cinami differens; vicina tamen gratia. Pretium in libras aſſes quadraginta. ] Et lib. 15. c. 7. de oleo factitio loquens inquit: ] Et œnanthium fit de ipſa œnanthe, ut dictum eſt in unguentis. [ Item lib. 23. c. 4. de hoc œnanthino oleo agens, ait: [ Oenanthino idem eſt effectus, qui roſaceo. ] Item [ Oenanthe herba, quæ naſcitur in petris, folio paſtinacæ, radice magna, numeroſa. Idem Plin. lib. 21. c. 24. ] Sed creditur diverſa ab alia, ex diverſis virtutibus a Plinio loc. citatis. Dioſcorid. lib. 5. cap. 334. hanc poſtremam ſpeciem *Geraſcomium* vocat, quæ ab aliis *Corniger*, & ab aliis *Paſtinaca ſylveſtris* dicitur.

OENOPA VESTIS, ideſt, vinacei coloris, quemadmodum fuit Chriſti veſtis. Vide *Birrus*.

OENOCHUS. Vide *Archiœnochus*.

OENOPHORON, οἰνοφόρον, vas, quo vinum fertur: [ Redeo ad Danielem, & fratres ejus, legumenum pabulum, & aquæ potum ferculis, & œnophoris regiis præferentem. Tertull. de jejun. cap. 9.

OFFENSUS, ſubſtantivum nomen pro offenſa: [ Qui lapides ſancti oppoſiti omnium offenſui volutabant. Tertullian. lib. 4. adverſ. Marcion.

OFFERENS, Patrinus. Vide *Baptiſmus*.

OFFERENTIA, opportunitas: [ Conſiderare cauſarum offerentiam. Tertull. lib. 4. adverſ. Marcion. cap. 23.

OFFERSIO, oblatio, donum. [ Et hæc cartula offerſionis nomine firma, & ſtabilis permaneat, in donatione M.S. a S. Specioſo Florentiæ præſule facta ad favorem Canonicorum S. Jo. Baptiſtæ de anno 744. quæ in Archivo Metropolit. Eccleſiæ ejuſdem Civitatis conſervatur. ] FR. in donatione Comitiſſæ Matildis Eccleſiæ Romanæ facta habetur: [ Eidem Eccleſiæ dono offero, & per præſentem chartam offerſionis itidem habenda confirmo. ] Et paſſim in Bullar. Caſin. præſertim tom. 2. conſtit. 57. 75. 78. 131. 149. & alibi. Vide *Oblatio*.

OFFERTORIUM, Miſſæ pars, in quadam brevi antiphona conſiſtens, quæ tempore oblationis canebatur ad imitandum Iſraeliticum populum, ut Innocentius III. ait, de quo in 2. Paralip. cap. 9. legitur: [ Et juſſit Ezechias, ut offerrent holocauſta ſuper Altare: cumque offerrentur holocauſta, cœperunt laudes canere Domino &c. ] Fuerunt hæ antiphonæ compoſitæ, ſive ordinatæ a D. Gregorio. Gem. lib. 1. c. 87. Alii a Cæleſtino, ac alii ab Eutychiano Pontificibus putant. Dicebatur hæc Antiphona etiam *Offerenda*. In Miſſa Sabbati Sancti offertorium non dicitur, quia in eo die oblatio non fiebat, cum adhuc Reſurrectio Salvatoris in eo Miſſæ termino non celebretur. Durand. lib. 6. cap. 8. Seu melius, quia tacent Cantores, Mulieres Dominum quærentes in taciturnitate imitantes: nam illæ nocturni ſilentii favore unguenta Salvatori attulerunt. Albin. de divin. off. Celebrans in offertorio Hoſtiæ, in primis ejus verbis debet oculos ad cœ-

cœlum elevare, & ſtatim dimittere, quemadmodum rubrica: [ Oculis ad Deum elevatis, ac ſtatim dimiſſis ] ordinat: oculus enim cum ſit rectæ intentionis ſymbolum, debet in Deum dirigi, cum ſacrificium ſit actus latriæ, divinitati ſoli debitæ, ut docet Suarez diſp. 84. ſect. 1. §. 3. debet, inquam, ſtatim oculos dimittere, cum ſe ipſum Sacerdos nominet, qui tanquam peccator indignus imitari tenetur Publicanum, non audentem oculos in cœlum levare. In Calicis offertorio Crucifixum aſpiciat; fit enim tunc ſuaviſſimi odoris pretioſiſſimi Chriſti ſanguinis mentio. Diaconus in illo actu manu ſuſtentans calicem, proferre debet una cum Celebrante eandem oblationis orationem, ſignificans, quod Chriſtus proprio ſanguine mediante promulgaverat Evangelium, cujus Diaconus typus eſt. Quid autem ſignificet offertorium. Vide *Schola Cantorum*. Quæritur a Theologis, an peracto offertorio, & ad Altare delata particula conſecranda poſſit licite conſecrari. Negant aliqui, inter quos Bonacina; Diana vero fieri poſſe ait Tract. 14. de celebrat. Miſſæ Reſolut. 71. dummodo tamen non ſit jam Præfatio incœpta, in quo caſu mentaliter Celebrans illam, ſeu illas particulas offerre poſſet. FR. intellectu difficiliſſima ſunt verba offertorii in Miſſa Defunctorum, nempe: [Ne abſorbeat eas Tartarus, ne cadant in obſcurum.] Animæ enim Purgatorii, pro quibus funduntur preces, jam in tuto ſalutis ſtatu ſunt, & Tartarus, ſcilicet, Infernus eas abſorbere nequaquam poteſt, neque in obſcurum infra purgatoriũ cadere periclitantur. Ad quod reſpondetur primo, prædictam Antiphonam antiquitus recitari conſueviſſe in actu agoniæ; tunc enim temporis Miſſa propria Defunctorum non reperiebatur: quod probatur evidenter ex ipſiſmet verbis; [ Fac eas Domine de morte tranſire ad vitam. ] Secundo dicunt, quod per nomen *Tartari*, & *Obſcuri* Purgatorium intelligatur. Sed hæc reſponſio prima fronte non arridet; ſi enim Animæ ſunt jam in Purgatorio, quomodo precamur, ne abſorbeat eas Purgatorium, & ne cadant in obſcurum? Ad quod replicatur, quod pro eis quidem precamur, ne diu abſorbeantur ibi, & ne cadant (ſecundum noſtrum captum) in obſcuritatem oblivionis: ſic etiam intelligenda ſunt Pſalmiſtæ verba in Pſ. 68. ubi ille ajebat: [ Eripe me de luto, ut non infigar,] & tamen jam ſe infixum fuiſſe in ejuſdem Pſalmi principio fatebatur, inquiens: [ Infixus ſum in limo profundi ] rogabat igitur, ne infixus remaneret in luto miſeriæ. Tandem reſpondetur pia, ac favorabili D. Hieronymi opinione, quæ in aliquibus Defunctorum Miſſalibus imprimi ſolet, nimirum [Animæ, quæ in Purgatorio torquentur, pro quibus ſolet Sacerdos in Miſſa orare, interim nullum tormentum ſuſtinent, dum Miſſa celebratur. ] Igitur hæc Offertorii oratio ad ſupplicandum dirigitur, ne iterum cadant in tormentis poſt Miſſam, a quibus pro illo interim ſublevatæ ſunt animæ illæ, pro quibus rogatur, & in ſumma, ne amplius ibi detineantur. Pari modo explanantur verba illa: *Fac eas &c.* ideſt, quod a diris illis, & (ut ita dicatur) mortiferis tormentis, faxit Deus, ut ad tranſitum æternæ gloriæ mox quieſcere mereantur. Offertorii ſynonyma. Vide in dict. *Oblatio* :||: Item offertorium tobaleam ſignificat, de qua in dict. *Oblatio* diximus, in qua nempe oblationes panis recipiebantur, eademque mappa Archidiaconus ſublevabat calicem coopertum cum Hoſtia in Miſſa Pontificali ante prolationem Orationis Dominicalis, ſicut ad præſens, propriis manibus eum ſublevat idemmet Celebrans: [ Levat cum offertorio Calicem per anſas. Ordo Rom. ] ſic faciunt etiam Græci. Cæremoniæ, quæ tempore offertorii fiunt. Vide *Protheſis*. *Oblatio*.

Offertrix. FR. Oblatrix. Bullar. Caſin. tom. 2. conſt. 95. & 115.

Officiosum, quid ſignificet. Vide *Teſtamentum*.

Officialis Liber, ita a Radulpho nuncupatum fuit officium divinum, de quo in dictione ſequenti.

Officium Divinum, quotidianæ preces, ad quas tenentur Eccleſiaſtici ratione ordinis, ſive Beneficii, ſive religioſæ profeſſionis. De quo dictum eſt in dictionibus *Breviarium*. *Canon.* *Curſus*. *Hora Canonica*. *Officialis liber*. *Sacrificium*. Ac memoratim. Vide *Antiphona*. *Duplex*. *Hymnus*. *Laudes*. *Lectio*. *Matutinum*. *Nocturnum*. *Octava*. *Semiduplex*. Et quomodo recitandum. Vide *Farſura*. *Reſponſorium*. *Rubrica*. *Semiduplex*. *Te Deum*. *Verſus*. *Verſus aperitionis*. *Veſpera*. Incipit autem in Subdiacono obligatio recitandi ab eodem inſtanti, in quo recipit ſacrum ordinem; itaque tenetur recitare illam canonicam horam, quæ in eo tempore ſolet in Choro perſolvi. Si vero ante ordinationem, illam canonicam horam anticipaſſet, denuo illam poſt ordinationem recitare tenetur. Auctores penes Bonacinam de horis canonicis diſp. 1. quæſt. 2. punct. 5. nu. 9. Idem dicendum de Beneficiato, cui incipit obligatio recitandi officium ab hora captæ poſſeſſionis. Qui plura beneficia poſſidet, unum tantum officium in die recitare tenetur; ſed qui unum beneficium juſte poſſidet, & aliud injuſte, tenetur duo officia recitare quotidie ex rationib. a Bonacina adductis in d. tract. de Horis canon. diſp. 1. quæſt. 2. punc. 4. num. 4. Non eſt permiſſum dicere officium de quolibet Sancto ſine expreſſa Sedis Apoſtolicæ licentia, dum in Calendario non reperiatur. Nec locorum Ordinarii habent facultatem addendi in dicto Calendario alios Sanctos. Sac. Rit. Congregat. 9. Decemb. 1628. Neque officium mutari poteſt, cum juxta Calendarii præſcriptionem recitari debeat, & qui fruitur beneficio eccleſiaſtico, teneretur ad reſtitutionem emolumentorum illius diei. Congreg. Rituum 8. April. 1628. Quod decretum fuit deinde ab Urbano VIII. approbatum. Excipiuntur tamen, qui per duo ſæcula ante Pii V. Bullam in Breviario appoſitam, ritum diverſum obſervarunt, ut ibidem exprimitur. Quando in Bulla Canonizationis conceditur illius Sancti Canonizati officium, intelligendum eſt, ſi eſſet Patronus ille Sanctus, vel

Titularis, juxta Rubricarum ordinationes. Sac. Rit. Congr. 9. Decembr. 1628. Qui eſt aſcriptus alicui Eccleſiæ, recitare debet officium ſecundum ritum in choro ejuſdem Eccleſiæ obſervatum, non obſtante Aſcripti alibi degentia. S. Congr. 8. Sept. 1602. Regulares tenentur recitare officium Sancti Patroni illius loci, in quo morantur; licet non teneantur ad octavam illius officii. In feſto dedicationis Cathedralis de octava fieri debet tantum in ea Civitate, ubi Cathedralis reſidet, per Diœceſim vero fit officium ſine octava, d. Congreg. 2. Maii 1619. FR. de officio vero ad libitum Sac. Congreg. Rit. ſub die 20. Decembr. 1673. ſub his conceptis verbis decrevit: [ Quamvis Sac. Rit. Congregatio die 18. Julii 1671. annuente etiam Sanctiſſimo, die 16. Septembris ejuſdem anni ad dubium, An de Sanctis ad libitum fieri poſſet translatio, ſicut fit de aliis Sanctis, qui non ſunt ad libitum ſimiliter translatis? Reſponderit affirmative, nihilominus eadem Sac. Congr. habita die 2. Decembris currentis, prædicto decreto non obſtante, cenſuit in futurum officia Sanctorum ad libitum non eſſe transferenda, quando dies eorum feſtivitatum ſunt impediti Dominico, aut aliquo alio die feſtorum mobilium, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro viſum fuerit. Et facto de prædictis verbo cum Sanctiſſimo per me ſecretarium, Sanctitas ſua ſenſum ejuſdem Sacræ Congregationis approbavit, & confirmavit, & in poſterum ita juſſit, & ſervari mandavit, quibuſcumque in contrarium non obſtantibus &c. ] Igitur in caſu concurrentiæ officii ad libitum cum aliquo feſto immobili, poſſet officium ad libitum transferri; nam hoc ultimum decretum de anno 1673. non abrogavit primum emanatum de anno 1671. niſi quo ad dies Dominicos, & ad cætera mobilia feſta; ac propterea in hoc anno 1676. exempli gratia, vigore ultimi decreti nihil fit de Officiis ad libitum S. Canuti, quia cadit 19. Januarii in Dominica II. poſt Epiph. Nec S. Vincentii Ferrerii, quia cadit 5. April. in Dominica Paſchæ Reſurrect. Nec S. Margaritæ Reginæ Scotiæ, quia occurrit 4. Junii in Vigilia Corporis Chriſti. Nec S. Jo. Gualberti Abb. quia occurrit 12. Julii in Dominica VII. poſt Pentecoſt. Contra vero ex priori decreto poſſunt transferri officia ad libitum, quamvis concurrant cum aliis immobilibus feſtivitatibus, ut ſunt S. Eliſabeth Reginæ Portugalliæ infra octavam SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli cadentis. Item SS. VVinceslai cum feſto SS. Coſmæ, & Damiani concurrentis. Officium Sancti Titularis. Vide *Beneficium*.

Officium Ambrosianum, quo Eccleſia Mediolanenſis utitur, non a D. Ambroſio, ſicut aliqui dixerunt, inſtitutum fuit: ſed a S. Barnaba Apoſtolo ejuſdem Eccleſiæ fundatore; ac deinde confirmatum fuit regulis, ritibuſque pſallendi a D. Mirocle ejuſdem Cathedræ Archiepiſcopo, appellatumque fuerat Ambroſianum, quia Doctor ille Eccleſiæ illud ultimo approbaverat. Ita Joſephus Vicecomes l. 2. de Rit. Miſſæ cap. 12. de quo ritu plura indicata invenies in d. *Ambroſianum*.

Officium B. M. Virginis quod parvum dicitur introductum fuit a B. Petro Damiano, qui ſuis Monachis ordinavit, ut poſt canonicas horas illud quotidie recitarent, cujus contradictores Monachi quomodo a Deo mulctati fuerint, ex eo quia nolebant hanc piam Virgini devotionem introducere. Vide Baron. an. 1056. n. 4. & ſeqq. Quod deinde an. 1095. Urbanus II. in Concilio Claramontano ab omnibus Clericis, ut opem Genetricis Dei in calamitatibus illius temporis graſſantibus implorarent, recitari ordinaverat. Baron. in dict. anno n. 51. Sed re vera Damianus potius reſtaurator fuerat, quam inſtitutor: nam ſcribit Vincentius Bellovacenſis in lib. 17. ſpecul. hiſtor. c. 103. quod D. Jo. Damaſcenus: [ Reginæ Virginum horas quotidie ſtudioſiſſime decantabat. ] Qui Damaſcenus per tria ferme ſæcula ante Damianum floruerat. Imo Damianus ipſe in commento ad Regulas D. Benedicti M. S. c. 64. mentionem facit de officio B. Mariæ, tanquam a Zacharia Papa Congregationi Caſinenſi præordinato, aitque Gregor. II. præfati officii Auctorem fuiſſe, atque apud Græcos antiqua fuit ſimilis devotio. Quando in Choro recitandum eſt officium B. Mariæ parvum, poſtponitur ſingulis horis, Matutino excepto. Ciſtercienſes tamen, & Carthuſiani Monachi ſemper illud anteponunt, excepto Completorio, propter quandam revelationem Carthuſiani manifeſtatam, ut in ejus Chronica Petrus Damianus refert. De officio S. Mariæ in Sabbato. Vide *Sabbatum*. De officio Conceptionis ejuſdem. Vide *Conceptio B. Mariæ*.

Officium Capellare. Vide *Breviarium*.

Officium Defunctorum, circa ejus Auctorem ſunt variæ opiniones. Aliqui ex quibuſdam auctoritatibus D. Auguſtini, & Iſidori apud Durandum exiſtimant ab Origene habuiſſe principium. Alii vero Amalarium Fortunatum Auctorem faciunt. Iſidorus Inſulanus D. Ambroſio attribuit. Certum quidem eſt, quod officium Defunctorum uti antiquiſſimus Græcorum, & Latinorum ritus ab omnibus fatetur. De eorum Miſſa. Vide *Miſſa Defunctorum*. *Offertorium*.

Officium Eusebianum, a S. Euſebio primo Vercellenſi Epiſcopo in ea Eccleſia inſtitutum fuerat; ſed opera Franciſci Bonihominis ejuſdem Civitatis Epiſcopi de anno 1572. derelictum eſt, in cujus loco officium Romani ritus introductum fuit; licet in Aſtenſi Pedemontana Eccleſia quidam ritus peculiaris in Officio obſervetur.

Officium Mozarabicum. Vid. *Mozarabicus*.

Olca. Terra fœcunda. Melitenſes appellant *Olgia*, ſive *Ulgia* territorium in planitie ſitum, atque fœcundum: [ Haud procul a Baſilica campus tellure fœcundus; tales enim incolæ olcas vocant. Greg. Turon. de gloria Confeſſor. cap. 79. ] Vide *Orgia*.

Olearium, vas, in quo oleum conſervatur. [ Exinanivit tamen dolia divitum ſiccitas, cum viduæ pauxillum olearium redundaret. D. Ambr. lib. de Vid.

Oleum. Vide *Elæon*. *Nama*.

Oleum Crucis. Vide *Crux*.

Oleum Sanctum, præter Chriſma, de quo dictum eſt in dict. *Chriſma*, & *Myrum*, duæ aliæ ſpecies olei conſecrati ab Epiſcopo in feria V. Cœnæ Dom. reperiuntur, ideſt, oleum *Catechumenorum*, quod Davantria in ſuo Cæremon. M. S. *Oleum exorcizatum* vocat, quo pectus, & ſcapulæ baptizandi liniuntur ad reddendum illum verum Athletam Chriſti, ut in conflictu, & adverſitate toleranter ſuſtinere valeat, tali fortitudine in ingreſſu fidei armatus; eodemque oleo unguntur Sacerdotes in eorum ordinatione, ad denotandum robur in internis animæ potentiis impreſſum, quæ characterizata remanet unctione Sancti Spiritus, ac præcipue ne in ſacerdotalibus manibus ad ſupernaturalia opera eas extollendo, vigor athleticus remaneat. Item eodem oleo Reges conſecrantur, primo unctione capitis ad ſanctificandas cogitationes, ſecundo in pectore, ut conſtans audacia illis conferatur, tertio in ſcapulis, ut patientes reddantur, tandem in dextero brachio, ut chriſtiana fortitudine roborentur. Reginæ autem tantum in ſcapulis, & in brachio liniuntur. Thomas Cantuarienſis in ea epiſtola, in qua de conſecratione Regis Angliæ agit, alios ſignificatus tradit, inquiens: [ Inunguntur enim in capite, in pectore, & brachiis, quod ſignificat gloriam, ſcientiam, & fortitudinem. ] Secunda olei ſancti ſpecies dicitur *Oleum Infirmorum*, quo juxta D. Jacobi præceptum, unguntur infirmi, non ſolum, ut venialium remiſſionem accipiant, ſeu mortalium oblitorum, cum ſit verum, & diſtinctum Sacramentum, ſed & pro corporis ſalute; & ideo ad mortē damnatis non adminiſtratur, cum tali medio corporis ſalutem minime exoptare poſſint. Græci tamen prædicta olea in eo tempore benedicunt, in quo uti debent, quæ benedictio inter eos a ſimplicibus Sacerdotibus fieri permittitur. Dictum jam fuit ſupra, quod Oleum ſanctum dabatur ante viaticum. Tempore autem peſtis poſſet hæc unctio infirmis fieri mediante virga. Dian. tract. 4. de Sacram. reſolut. 167. Imo aliqui ſufficere putant unius tantum membrorum partis unctionem. Silveſt. 3. part. quæſt. 32. art. 7. Quæ quidem opinio ab univerſitate Lovanienſi de anno 1588. comprobata fuit. Mihi tamen placet Dianæ conſilium, qui in tali caſu recte exiſtimat unum tantum ex conduplicatis membris feſtinanter inungi, & ſub unica forma prolata dicere: [ Per iſtas ſanctas unctiones, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid per viſum, auditum, odoratum, guſtum, & tactum deliquiſti. ] Non approbatur in hoc Sacramento a quibuſdam Doctoribus forma illa, quæ in ritu Ambroſiano obſervatur, quia non eſt deprecativa, ſed judiciaria. Apoſtolus enim in forma deprecativa adhiberi docuit, dum ait: [ Orent ſuper eum. ] Nihilominus ſuſtinetur a Suarez tom. 4. diſp. 40. ſect. 3. n. 8. Solebant in Hiſpania perpetuo Dei obſequio dedicare eos, qui ſupervixiſſent poſt acceptum Oleum ſanctum, uti miraculoſe virtute hujus Sacramenti, gratiaque cœleſti a mortis articulo liberati; ideo XIII. Toletanum Concilium nonniſi illis hoc Sacramentum conferendum cenſuit, qui ſui compotes, ac ſana mente illud poſtulaverint. In caſu neceſſitatis oleo currentis anni conſecrato non invento, poſſe uti illo anni tranſacti, Sac. Congreg. Epiſcop. die 20. Maji 1560. decrevit. Antiquitus per manus Presbyteri oleo benedicto cadavera Sacerdotum, ſeu aliorum Eccleſiaſticorum aſpergebantur, quod etiam ad præſens Græci obſervant. [ Tum Antiſtes oleo mortuorum perfundit, ſanctaque precatione pro omnibus adhibita in loco honorato corpus cum aliis ejuſdem ordinis ſanctis corporibus reponit, & condit. S. Dionyſ. de Eccleſ. hierarch. cap. 7.] Qui ibidem myſterium hujus cæremoniæ explicat, inquiens: [ Ac tum quidem olei perfuſio ad ſacra certamina eum, qui initiabatur, vocabat; nunc autem oleum, quod infunditur, eum, qui exceſſit e vita, in ipſis certaminibus certaſſe ac deceſſiſſe declarat ] ex quibus verbis ſatis colligitur, quod Sacerdotes antiquitus oleo ſancto conſecrabantur contra calumniantes recentiores Græcos, qui Latinorum ritum in conſecrando oleo ſancto Sacerdotes, & Epiſcopos, dum ordinantur, calumniare non ceſſant, & tamen evidenter a Dionyſio Græco Doctore, & Apoſtolorum Diſcipulo affirmatur. Aliquando tamen pro oleo ſacro abuſive oleum de lychno, quod in honorem alicujus Sancti ardet, intelligitur, & ſolebat infirmis devotionis cauſa diſtribui, ut hodie etiam fieri ſolet; ſic Palladius in Lauſiaca, ubi de S. Macario Alexandrino loquitur, ait: [ Cujus commiſerans fuſis precibus, & ſacro oleo eam propriis manibus inungens, ad dies viginti immunem a malo redditam in Civitatem propriam dimiſit.

Olibanum, incenſum; Græci λίβανος, & Arabes *Alluban* dicunt, quo vocabulo Romanus Baſilicæ Vaticanæ Canonicus paſſim utitur; is enim (ut alias diximus) ſcripſerat de eadem Baſilica tempore Caliſti III. ſic inquiens: [ Una libra ceræ, & dimidium de olibano per menſem, c. 42.

Olitanus, antiquus ab adverbio *Olim*: ſic Anaſtaſius Biblioth. in Paſchali Papa inquit: [ Et olitanis temporibus nimis emarcuerant. ] Idemque in Adriano in quadam ibi epiſtola ad Regem Francorum ait: [ Sed olitanam traditionem Sanctæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ tenentes.

Oliveti Mons. Vide *Elæon*.

Oloberus. Vide *Holoberus*, ideſt, totum ex purpura; aliqui tamen in eodem ſignificatu con entientes *Holephorus*, & *Olopherus* dixere; vocabulum tamen contractum, & abbreviarum eſt ex *Holoporphyro*. Alii vero autumant eſſe nomen græco-latinum, ac ſignificare totum verum, & non falſificatum, cum ſit textile ſericum, tam in ſtamine, quam in tegimine. Sic etiam reperitur *Holoſericus*, ideſt, totus ſericus.

Ololygmus, ὀλολυγμός, mœſtitiæ clamor. Melitenſes *Laghma*, ſive *Naghma* confuſionis vociferationem appellant. [ Aliud eſt ololygmus, hoc eſt, clamor, aliud alalagmus. Chryſoſt. in pſal. 91. ] Nam *Alalagmus*

*mus* ſignificat acclamationis, & lætitiæ clamorem; hinc nauticum vocabulum *Alare* dicitur, quando nempe Nautæ omnes ſimul funem trahunt, quod læte-ſimul vociferando faciunt.

OLOPHERUS, ſeu *Olephorus*. Vide *Oloberus*.

OLOVITREUM, vocab. græco-latinum, ideſt, totum vitreum. Vide *Holovitreum*,

OMOLOGO, & *Emologo*. FR. confirmo, ratum habeo. Goſtr. in ſumm. de Arbitr. §.effectus. V. *Homologium*.

OMONEA, FR. ὁμόνοια, ideſt, concordia, ſic appellatum fuit SS. Pantaleonis & Marini Martyrum Templum, ex eo quia ibi CL. Epiſcopi Concilium Conſtantinopolitanum celebrantes, omnes concorditer falſam Macedonii Hæreſiarchæ doctrinam condemnarunt.

OMOPHAGIA, & *Omophagi*. Vide *Homophagia*.

OMOPHORION ὠμοφόριον, Epiſcopale pallium. Vide *Pallium*. *Evangelium*. §. Simeon Theſſalonicenſis.

OMOUSION. Vide *Homouſion*.

ONERIFERUS, bajulus, gerulus. Vide *Bajulus*, atque [ Oneriferum animal ] Chryſ. in homil. Aſinum intellexit.

ONESIMUS, miniſter, ſervus, ex græco, ὀνήσιμος, ideſt, utilis, [ Et forſitan parias aliquem oneſimum. Tertull. adverſ. Valent. c. 32.

ONIROCRITICUS, ſomniorum interpres.

ONIROPOMPUS, ex græco verbo, ὀνειροπέμπω, ideſt, ſomnia incito; itaque *Oniropompus* Dæmon ab Irenæo, lib. 1. de Hæreſi Sim. & hæreſ. Carp. appellatur, qui juxta Magorum ſuperſtitionem, hunc ſpiritum malignum mala ſomnia expellere, & bona introducere, putant.

ONISCON. Vide *Tilion*.

ONOCROTALUS, ὀνοκρόταλος, avis ſpecies. Levit. c. 11. Deuteron. 14. Iſaiæ 34. Soph. 2. FR. quam Auctor vocab. eccleſ. ait dici ab onos, quod eſt aſinus, quia faciem gerat aſini, & ſemper eſt famelicus; ſed quis unquam ei talia revelavit? quandoquidem Plinius, lib. 10. cap. 47. inquit: [Olorum ſimilitudinem onocrotali habent, nec diſtare exiſtimarentur omnino, niſi faucibus ipſis ineſſet alterius uteri genus. Huc omnia inexplebile animal congerit, mira ut ſit capacitas. Mox perfecta rapina, ſenſim inde in os reddita inferam in alvum ruminantis modo refert. Gallia hos ſeptentrionali proxima Oceano mittit. ] At quam ſimilitudinis figuram olor cum aſino habet, ſi Onocrotalus olori præter uterum, quem ſub roſtro gerit, omnino ſimilis eſt? Melius ergo cum Samuele Burchardo de animalibus Sac. Script. lib. 2. c. 21. dicendum ex auctoribus ibidem citatis, quod volucris iſta ita dicatur, quia duplicem vocem mutat; aliquando enim voce rudentem aſinum imitari videtur, & aliquando graciliter vocem emittit. Hinc ab ὄνος, ideſt aſinus, & *Crotalus*, ſeu *Crotilus*, ut vult Varro, lib. 6. ideſt, gracilis nuncupatur; ubi perperam Scaliger *Crotilis* corrigit, quia hæc volucris modo aſininam, modo tenuem vocem emittit.

ONONYCHITES, Chriſtianorum Deus a Gentilibus ex contemptu, teſte Tertulliano, appellatus; græce enim ὀνονυχίτης, aſininis unguibus præditum ſignificat, quæ fictio originem traxerat ex Tacito, lib. 5. hiſt. FR. ubi loquens de fuga Judæorum ex Ægypto, inter alia hæc inquit: [ Sed nihil æque quam inopia aquæ fatigabat. Jamque haud procul exitio toti campis procubuerant, cum grex aſinorum agreſtium e paſtu in rupem nemore opacam conceſſit. Secutus Moſes conjectura herbidi ſoli largas aquarum venas aperuit, ] ideſt, quando Moyſes trina virgæ percuſſione ex ſilice aquam emanare fecit. Num. 20. ſequitur ibidem poſt pauca Tacitus: [ Effigiem animalis, quo monſtrante errorem, ſitimque depulerant, penetrali ſacravere cæſo ariete &c. ] At hoc non ignoranter, ſed ficte aſſeruit Tacitus; nam cum Moyſes duos Cherubim, qui alis ſibi facies velabant, ſuper tabernaculum in penetrali poſuerit: hinc alas illas per ludibrium aures aſininas appellavit Tacitus, & Cherubim capita, ac ſi eſſent Onagrorum: || : Eadem ludibrioſa fabula ab Apione Alexandrino Judæis ex nimia averſione appoſita fuit, contra quem Joſeph Hebræus ſcripſerat. Quare cum in Eccleſiæ primordio Chriſtiani a Gentilibus iidem ac Hebræi reputati eſſent, ut alibi diximus, propterea ethnici in Chriſtianorum opprobrium formabant eorum Deum cum capite, & auribus aſini cum hac inſcriptione, ut Tertullianus in Apol. c. 16. refert: [ Deus Chriſtianorum ononychites.

ONUS. FR. [ Onus Babylonis. Iſai. c. 13. Onus Ninive. Nahum cap. 1. ] & ſimilia ſæpe in Sac. Scriptura, Aquila viſionem interpretatur, cum quo concordant LXX. in dict. cap. 13. Iſaiæ, & D. Hieronymus Proverb. 30. & 31. ſed Symmachus, & Theodotion *Sumptionem*, ſeu *Aſſumptionem* vertunt. Iterum LXX. aliquando *Verbum* transferunt, & Hieronymus alibi ait, quod *Maſſah* in hebræo textu habetur, quod proprie onus ſignificat, & translative calamitoſam pœnam denotat. Vide *Sarcina*.

ONYX, ſive *Onychites*, gemma, cadmia, & piſcis. Vide *Solea*.

OPERA, ideſt operator. Vide *Conditionalis*. FR. Item *Opera*, *opera* ſignificat labor, operatio. [ Opera tua non indigeo, 1. Cor. 11. ] Item *Opera operata*, & *Opera operantia*, ſive *Operantis*, Theologorum termini. [ Sic in divinis aliqua attributa conveniunt alicui ex Perſonis, & quæ ſingillatim de tribus non prædicantur. Alia vero Triadi conveniunt. Quæ igitur tribus perſonis divinis æqualiter conveniunt, ſunt opera operata; quæ ſingulis tantum, ſunt opera operantia. Gloſſa in can. ſic enim, §. inſeparabilia, 28. qu. 1. ] Item reperitur duplex gratiæ effectus in Sacramentis, nempe, *Ex opere operato*, & *Ex opere operantis*, quod notiſſimum eſt in Scholis.

OPERATIO. Vide *Energema*.

OPHAZ. Vide *Ophir*.

OPHIOMACHUS, Lacertæ ſpecies, de qua fit mentio in Levit.

Levit. cap. 51. eſtque græcum nomen, ὀφιόμαχος, ideſt, ſerpentis inimicus, contra quem ſolet certare; alii tamen putant eſſe locuſtæ ſpeciem abſque alis.

Ophir. FR. hebraica dictio, aurum ſignificans, unde [ Terra ophir. 3. Reg. cap. 9. ] auriferam regionem denotat. Indagant autem Scriptores, quænam fuiſſet hæc regio, ex qua Salomoni deferebatur aurum. Quod ſi fides præſtanda ſit Joſepho Hebræo, non intelligenda erit India; ait enim ille, quod ſuo ævo, & non antea pro auri terra recognita fuerat. Eupolemus ab Euſebio, lib. 9. cap. 4. præparat. evang. adductus, ait quamdam inſulam in mari Erithræo fuiſſe *Urphe*, ſive *Urſi* appellatam. Marius autem Niger *Cherſoneam* Ptolemæi fuiſſe maluit, quam tamen nullus Auctor ait eſſe auriferam; ſed tantum ex nominis etymologia connectit. Thomas Lopez in ejus indica navigatione refert, habitantes regionis *Cephala* in Æthiopia in eorum antiquis monumentis habere, Salomonem ibi miſiſſe ad extrahendum aurum. Gropius in rebus Hiſpanicis, & Benedic. Arias Montanus aſſerunt, quod ex vocabulo *Ophir* tractu temporis deperdita aſpirationis litera *Opir*, & curruptius *Peru* dictum fuit; tempore tamen Job de aquilonari plaga deferebatur aurum: [ Ab aquilone aurum venit, idem cap. 37. ] tempore autem Davidis de Arabia: [ Et dabunt ei aurum de Arabia, pſal. 71. ] Verum qui cupit in hoc vocabulo Auctorum Sylvam inſpicere, legat Franciſcum Torreblancam, lib. 10. juris ſpirit. pract. c. 4. n. 6. In Jeremia tamen, c. 10. *Ophaz* legitur. Vide *Paz*.

Ophitæ, hæretici ſerpentis adoratores, qui græce ὀφῖται dicuntur. [ Ophitæ a colubro nominati ſunt, coluber enim græce ὄφις dicitur: colunt enim ſerpentem, dicentes ipſum in Paradiſum induxiſſe virtutis cognitionem. Iſidor. lib. 8. etymol. cap. 1. Acceſſerunt enim hæretici illi, qui Ophitæ nuncupantur; nam ſerpentem magnificant in tantum, ut illum etiam ipſi Chriſto præferant. Tertull. lib. de præſcr. hæretic. ] FR. Idem habetur, 24. qu. 3. can. 39. Vide *Hyſtera*.

Ophthalmicus, ocularis; ex græco ὀφθαλμός, oculus. [ Cum vero aures, oculoſve pervaſerit in otalgicum, ſive in ophtalmicum vertitur morbum. Caſſian. collat. 14. c. 15.

Opicus. Vide *Carenum*. *Opirus*.

Opiniosus, ſuæ opinionis tenax. Alii propriam exiſtimationem jactantem, ideſt, ſuperbum intelligunt. Unde Tertullian. l. 2. adverſ. Marc. de decem leproſis a Chriſto ſanatis loquens, ait: [ An tamquam legis illuſor, ut in itinere curatis oſtenderet, nihil eſſe legem cum ipſis Sacerdotibus? Et utique viderit, ſi cui opinioſus videbitur Chriſtus. ] Itaque dicere voluit Tertullianus, non erat legis novator, dum ad legis Sacerdotes leproſos juſſit eis ſe oſtendere. FR. Calepinus tamen ex Catholicon deſcripſerat *Opinoſus*: ſed vitiatum, vel ab Ambroſio Calepino, vel a Typographo fuit; nam Joannes Genuenſis in ſuo Catholicon *Opinioſus* habet, cujus opus vetuſtiſſimum habeo, quod penes me vidiſſe teſtatur Eruditiſſimus Michael Juſtinianus in ejus opere de Scriptoribus Liguris, p. 313. col. 1. Atque Cicero, lib. 4. Academ. inquit: [ Quod duo vel principes dialecticorum Antipater, & Archidamus opinioſiſſimi homines nonne in multis rebus diſſentiunt? ] Ergo *Opinioſus*, & non *Opinoſus*, ut falſo Calepinus ait, ſcribi debet.

Opirus, vox corrupta, cum deberet fortaſse *Apyrus* ſcribi, ex græco ἄπυρος, ex particula α, privativa, ideſt, abſque, & πῦρ, *ignis*, ideſt, abſque igne, quod ſonat non coctus, dum de pane Matth. Pariſ. in hiſt. ait: [ Panis eorum opirus, & mucidus ] ſi non vellet potius fortaſse *Opicum*, ideſt, ſordidum, & immundum intelligere, dum hic Auctor non videtur habere linguæ græcæ notitiam.

Opisthograpgus, ὀπισθόγραφος, pagina ex utraque parte exarata, quam Latini *Atergo* dicebant. FR. nam veteres dumtaxat ab adverſa tantum facie chartæ ſcribebant, quo liceret e regione adjicere, ſi quid placeret poſtea, aut etiam id faciebant ob tabularum vitia. Hinc Plinius, in epiſt. 5. lib. 3. inquit: [ Electorumque commentarios centum ſexaginta mihi reliquit, opiſtographos quidem, & minutiſſime ſcriptos. ] Vide Claud. Min. in obſervat. d. epiſt. 5. quam ſignificationem Alexan. ab Alexan. l. 2. genial. c. 30. approbavit. Corrupte tamen Epiſthographum apud Ulpian. legebatur. Vide Hermolaum Barbarum in comment. ad Plinium, ubi locum Ulpiani, in leg. 4. ff. Bonor. poſs. ſecund. tab. adducit.

Opisthotonus, ὀπισθότονος; dolor in ſcapulis, ubi nervi congregantur, ac taliter indurantur, ut patientum caput vergere non ſinant. Quo vocabulo uſus eſt Origenes, in homil. ſup. lib. Regum.

Oportet. FR. hoc verbum non ſemper importat neceſſitatem; ſed quandoque honeſtatem, & convenientiam ſignificat. Gloſsa in can. confidimus, 25. qu. 1.

Oppassus, objectus, oppoſitus, interpoſitus, [ Solis enim Sacerdotibus adire licitum, & conſpectus cæterorum, velo oppaſſo, interdicebatur. Tertull. adverſ. Gent. cap. 16. ] Loquitur enim de velo, quod Sancta Sanctorum tegebat, ac oppoſitum erat conſpectui populari. In aliis codicibus *Oppanſo* legitur.

Oppignoro. Vide *Infiducio*.

Opportunus. Vide *Temporaneus*.

Oppositus, pignori datus, [ Suppoſitorium aliquod argenteum, pro uno ſolido dicitur eſſe oppoſitum, & calix pro ſex ſolidis. D. Greg. in Regiſtro, lib. 1. cap. 42.

Optio. FR. Curiæ Rom. terminus, quando, ſcilicet, Cardinalis mutat titulum ſui Cardinalatus, quæ tempore Alex. PP. V. inter Cardinales introducta eſt, qui Papa poſt ſedatum ſchiſma invenerat duos Cardinales eundem titulum poſſidentes; unde opus fuit uni eorum mutare titulum, atque exinde introducta fuit optio. Honuphrius Panvinus apud Spondanum

anno

anno 1410. Optio enim dicitur electio. [ Si optio naturæ noſtræ detur. Cic. 4. Acad. ] Quando tamen eſt maſcul. generis, Cuſtodem, Commiſſarium, Vicarium, & ſimilia denotat, unde *Optio carceris*, *Optio fabricæ*, & ſic de cæteris dicebatur. [ Deinde poſt dies paucos Pudens miles optio præpoſitus carceris, qui nos magni faciebat, cœpit intelligere magnam virtutem eſſe in nobis, paſſ. SS. Perpetuæ, & Felicitatis, per Holſten. edita. ] Et inferius ibid. [ Tamen ipſo optione carceris credente ] ac idem vocab. apud D. Ambroſium legitur: Neque Paulus, & Silas Tempus diſtulerunt, quo optionem carceris baptizarent, in epiſt. ad Epheſ. cap. 4. ] Erant etiam in exercitu *Optiones* commiſſarii, ſeu decuriones, de quibus Ulpian. in l. Divus Adrian. de bon. dam. & Caliſt. in l. ult. de jur. immu. & Imperat. in l. pen. Cod. de apocis publ. lib. 10. Item hoc officium, [ Optionatus, ut Decurionatus, Pontificatus dicitur, ut Cato in ea, quam habuit apud equites: Majores ſcorſum, atque adverſum pretium paravere bonis, atque ſtrenuis, decurionatus, optionatus, haſtas donaticas, alios honores. ] ita Feſtus ex Farneſiana Biblioth.

ORACULUM, Cappella, vel Oratorium. [ Intra Baſilicam B. Petri Oraculum miræ pulchritudinis conſtruxit. Anaſt. Biblioth. in Leone. ] Qui habent facultatem audiendi Sacrum in Cappella domeſtica ex Breve Apoſtolico, in eo fere exceptuantur dies ſolemnes; quæ ſolemnitates ſunt Natalis Domini, Epiphania, Paſcha, Pentecoſtes, Annunciatio, & Aſſumptio Virginis, Sanctorum Petri, & Pauli, ac Omnium Sanctorum feſtivitates. Sacr. Rit. Congr. 17. Novemb. 1607. In Oratorio Epiſcopalis Palatii Miſſa celebrari nequit, quando Epiſcopus non eſt præſens; nam privilegium perſonale eſt, & non locale. Diana, part. 4. tit. 14. Reſolut. 15. Vide *Cappella*, *Confeſſio*, *Oratorium*. FR. Idem habetur ex Sacr. Scriptura. [ Propitiatorium, ideſt, oraculum. Exod. c. 37. Per circuitum templi, & oraculi. 3. Reg. c. 6. ] ac paſſim ibidem. Item Oraculum ſignificat Pontificis reſponſum, ſeu reſcriptum. [ Secunda vero aſſertio per oraculum Clementis Papæ fulcitur. In decretal. de reſtitut. ſpol. cap. 13. Poſtulaſti per apoſtolicum oraculum edoceri, utrum &c. Nos igitur reſpondemus. Ibid. de teſtibus cogen. c. 9. Apoſtolicæ Sedis oraculum. Ibid. de donat. cap. 9. Unde per noſtrum oraculum poſtulas edocen. 5. decretal. tit. 12. c. 19. §. Poteſtas. ] Oraculum falſum. Vide *Loxias*.

ORALE. Vide *Fanon*.

ORAMA, neutrius generis, ex græco ὅραμα ſpectrum, phantaſma. Unde Althelmus de Virgin.

Lecto ſopitus cum ſomno membra dediſſet,
Orama per noctem cernebat rite ſupernum.
Cœleſtes fatus ſic fœlix auribus hauſit.

Idem etiam *Oroma* dixit, c. 19. ubi loquens de D. Gregorio Nazianzeno, ait: [ Vidit Chriſtum in oromate. ] Vide *Horama*.

ORAMEN. Oratio, precatio. [ Summumque continuo, ac ſyncerum cernuis oraminibus ſalutavimus. In Vita S. Landoardi. 19. Mart.

ORARIUM, ſtola, græca vox ὠράριον, cujus etymon ſic ab Alcuino de divin. off. cap. 39. explicatur: [ Orarium ſtola dicitur, eo quod Oratoribus, hoc eſt, Prædicatoribus concedatur ] Petrus vero Bleſen. ſerm. 41. aliud etymon affert, inquiens: [ Orarium autem dicitur, quia propter offenſas populi ſui cum humili genuflexione debes ſupplicare. ] Quod debet in modum crucis cingi [ Orarium, quod & ſtola dicitur, ſuper collum geris, cujus brachia ad minus extenduntur uſque ad genua, & cancellari debent per medium pectus in modum crucis. Idem ibidem. ] Quod ad alas Angelicorum Spirituum alludere ait Simon Theſſalonicenſis, quorum officium Diaconus tunc exercet, qui quando communionem ſuſcipiet, debet poſt tergum ſtolam in modum crucis cancellare. Solent Græci in orario hoc laudis nomen Ἅγιος, tripliciter effigiare. Quia vero antiquis temporibus aliqui Diaconi ex arrogantia duo oraria geſtare præſumebant; hinc Toletanum IV. Concilium, can. 39. ſic reſcripſerat: [ Orariis duobus nec Epiſcopo quidem licet, nec Presbytero uti, quanto magis Diacono, qui miniſter eorum eſt? ] Item *Orarium* ſignificat velum, quod devotionis gratia ſuper reliquias Sanctorum ponebatur; de quo D. Ambroſius, & alii. Inde in S. Gregorii Sacramentario (ubi agitur de adoratione Crucis in feria VI. Paraſceve) mendoſe habetur: *In oratorio*, quod *In orario* corrigi debet; ibi enim de velo, quod ſub Cruce extenditur, manifeſtus ſenſus eſt. FR. Quo ad Orarii etymologiam, varii varia dixere. Balſamon in can. 22. Laodicen. exiſtimat a græco verbo ὁράω, ideſt, obſervo derivari, ſic inquiens: [ Orarium ferre eſt tantum Diaconorum: hi enim eis, qui celebrant, adſiſtentes, & ſanctarum orationum myſteria, & Presbyterorum obſervantes, eis, qui ſunt in ſuggeſtu Diaconis per orarium ſignificant, quando debeat fieri pronunciatio, ſeu prolatio petitionum Catechumenorum, & cæterorum. Appellatumque eſt Orarium a verbo ὠρῶ, quod eſt obſervo. ] Quem ſequitur Jo. Durant. lib. 2. de Rit. Eccl. cap. 9. n. 14. Matth. Blaſtar. Fuerunt tamen & ipſi Græci, qui contrarium ſenſere, quod nempe, Orarium ex lat na voce derivatum ſit; ita Suidas [ Orarium latine appellatur. ] Unde aliqui ab *Ore*, vel ab *Ora* Orarium deduci autumant; ab *Ore* utique, quia ori admovetur ad plauſum, & favorem, ut & Veneti ſuis ſtolis ab humero pendentibus; ita Diaconi ſe inclinantes populo, vel ſacro Altari exoſculantur Orarium in venerationis ſignum. Gloſſæ veteres [ Oraria, quibus os obvolvitur ] & Aurel. Prudentius cecinit, lib. Periſteph. hym. 1. verſ. 170.

Hic ſui dat pignus oris (ut ferunt) Orarium.

Quod etiam indicat Flavius Vopiſc. in Aureliano inquiens: [ Sciendum tamen ipſumque primum donaſſe Oraria Populo Romano, quibus uteretur ad favorem ] ideſt, ad favorem reverentiæ ſibi exhibendum.

Alii

Alii vero putantes hoc nomen ab ora, ſeu limbo deduci, aſſerunt Orarium eſſe quaſi indutæ, & oræ partem, ac ornamentum, quod a græcis Πέζα dicitur. Sic Joſephus Hebr. oram tunicæ talaris Aaron, lib. 3. antiq. c. 8. deſcribit his verbis κατὰ πέζαν δ' αὐτῷ, ideſt, ima ejus veſtis ornabatur limbo. Heſych. [ Ubi & peza veſtis dicitur fimbria, ſeu infimæ partes ad pedes. ] Item Suidas. [ Peza extremitas, vel id in quo terminatur tunica, quod nos limbum dicimus. ] Atque Euſtat. Iliad. α inquit: [ Pezam eſſe ornamentum quod ad extremitatem veſtis exiſtens. ] Conſolidant hanc opinionem ex Liturgia S. Jo. Chryſoſtomi, ubi cum Sacerdos ſtolam accipit, dicit: [ Benedictus Deus, qui effundit gratiam ſuam ſuper Sacerdotes ejus, ut unguentum ſuper caput, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti ejus. ] Ubi per oram veſtimenti ſtolam intelligit, ex qua deductum eſt nomen orarii: etymologia autem Orarii a Bleſenſi ſupra adducta deſumpta fuit ex can. unum orarium, diſt. 25. ubi ſic ait: [ Unum orarium oportet Levitam geſtare in ſiniſtro propter quod orat, ideſt, prædicat. Dexteram autem partem oportet habere liberam, ut expeditius ad miniſterium ſacerdotale recurrat ] & ibi Gloſſa: & hoc quo ad etymon. Græci tamen videntur diſtinguere ſtolam ab Orario; illam enim ἐπιτραχήλιον, hoc vero ὠράριον; nam apud eos Orarium eſt Diaconorum, & ſtola Sacerdotum: unde Curopalata de off. Conſtantinop. agens de feſto adorationis S. Crucis, ait quod Archidiaconus affert crucem ab Eccleſia, [ Geſtans tum conſuetam ſuam tunicam, tum inſuper & caſulam; non tamen ſtolam, ſed orarium ] & S. Germanus ſupra adductus in ſua Theoria Eccl. inquit: [ Orarium autem fert Diaconus in ſiniſtro humero ſuper dalmaticam. ] Item in Liturgia S. Jo. Chryſoſt. Romæ impreſſ. habetur: [ Diaconus induitur tunica orans ita &c. & orarium quidem oſculans imponit ſiniſtro humero ] eo autem ſæpiſſime utitur Diaconus ad venerationis ſignum, ibidemque crebro dicitur: [ Diaconus verſus Sacerdotem dicit, inclinans caput ſuum, & orarium in manu tenens] & ante ſymbolum fidei [ Diaconus oſculatur orarium ſuum, & venerabunde inclinans ſe ter dicit &c. ] Sed inter Latinos ſtola, & orarium promiſcue accipiuntur. [ Quintum quoque eſt indumentum quod Orarium dicitur, licet hoc quidam ſtolam vocant. Raban. lib. 1. de inſt. Cleric. cap. 14. ] ſic ſtolam orarium appellavit S. Ambroſius de obitu S. Satyri ejus fratris, inquiens: [ Ligari fecit in orario, & orarium involvit collo, atque ita ſe dejecit in mare Sacramenti tutamine fretus. ] Atque orarium pro ſtola, quæ eſt propria ſacerdotum, in utroque humero, Concil. Brac. III. can. 3. [ Sacerdotem utroque humero orario ambiri præcipitur ] & infra: [ Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſumpturus non aliter accedat ſacerdos quam orario utroque humero circumſeptus; ita ut de uno, eodemque orario crucem pariter & utrumque humerum premens, ſignum in ſuo pectore præparet crucis. ] Item Concil. Tol. IV. cap. 27. ait: [ Si Epiſcopus eſt, orarium, anulum, & baculum: ſi presbyter, orarium, & patenam: ſi Diaconus, orarium, & albam ] quod etiam ex infra adducendis ſtolam, & orarium idem eſſe penes latinos Patres, quod Orarium ad modum faſciæ longiuſculæ fuerit, probatur ex D. Auguſtini teſtimonio, lib. 22. de Civit. Dei, c. 8. Sicut enim in dict. *Fanon* dixi, quod illud promiſcue in ſenſu ſtolæ, & veli accipitur, ſic Orarium, Gavantus item ait, quod *Orarium*, & *Orarius* dici poteſt. In Rubr. Miſſal. par. 2. tit. 1. de præpar. Sacerd. celebrat. §. Imponit brachio ſiniſtro. Maronitæ Lectores, ac Subdiaconi utuntur orario. Variis temporibus variantur etiam opiniones; ſicut enim intumeſcebant Diacones tempore IV. Concilii Toletani, & duo oraria geſtare ambiebant, e contra tempore primi Bracarenſis Concilii pudebat Diaconos patenter orarium deferre, & ideo ſub tunicam abſcondebant, quare d. Concil. can. 27. cap. 1. eis tale præceptum impoſuerat, videlicet: [ Item placuit, quia aliquanti hujus provinciæ Eccleſiæ Diacones abſconſis infra tunicam utantur orariis, ita nihil differre a Subdiacono videantur, ut de cætero ſuperpoſito ſcapulæ ( ſicut decet ) utantur orario. ] Item idem Concilium ex antiqua inſtitutione præceptum Sacerdotibus renovaverat, ut ſemper, & intermiſſive orarium portarent, ac ſub excommunicationis pœna, quod in modum crucis illud deferre deberent, Can. Eccleſiaſtica inſtitutione diſt. 23. Idemque in Concilio Moguntino tempore Caroli Magni cautum fuerat, ſcilicet, [ Presbyteri ſine intermiſſione utantur orariis propter differentiam Sacerdotii dignitatis, cap. 28. ] Quæ obſervantia in ſummo, ſoloque Pontifice remanſit, ita ut hodie pro ſingulari ejus prærogativa reputetur. Erant autem antea Epiſcopi dedecus oratio privari, quare Anaſtaſ. Biblioth. in Agathone ait, quod cum eſſet Patriarcha Antiochenus Macarius in ſexta Synodo tanquam hæreticus damnatus, ibi Baſilius Cretenſis Epiſc. illum publice orario deſpoliavit, quod degradationis ſignum erat: [ Accedens Mauritius Subdiaconus orarium de ejus collo abſtulit, & projecit ante pedes ejus. Idem Biblioth. in Stephano IV.] Qui degradationis modus in omnibus ordinibus quomodo fieri ſolebat, ex reſtitutione ordinum conjectari licet in can. Epiſcopus, 11. quæſt. 3. Nam eis reſtituebatur, quod antea ablatum erat; ibi enim ſic ait: [ Gradus ammiſſos recipiat, & coram Altari de manibus Epiſcoporum, ſi Epiſcopus eſt, Orarium, & baculum, & anulum? ſi Presbyter eſt, Orarium, & planetam; ſi Diaconus, Orarium, & albam. ] Quo autem ad ſignificationem *Veli*, habetur in can. Monacho 27. q. 1. ibi enim ſic ait: [ Monacho orarium in Monaſterio, vel zonas habere non liceat, & ſi poſtea uxori fuerat ſociatus &c. ] Ubi Gloſſa ita exponit: [ Orarium ponitur pro quolibet ornamento mulierum, & ponitur pars pro toto; eſt

enim

enim proprie velum, vel peplum, quo mulieres caput velant,] ac in Hypomneſto ad Collectan. Anaſtaſii Biblioth. inſerto, a Sirmondo in 8. edit. pag. 259. inter reliquias S. Martini Papæ, & Martyris, quas ei Theodorus dederat, inquit: [Donata etiam particula ſancti Orarii, ideſt, facialis, quæ ſibi fuerat ab eo demiſſa:] Ubi dictio *Facialis*, ut ſuo loco dictum fuit, ſtrophiolum, ſive manipulum ſignificat, quod antiquitus velum erat, ut etiam ex Philothei Patriarchæ verbis comprobatur, quæ in dict. *Sticharium* adducentur; quamvis ille cum aſpiratione in prima littera ſcribat, ideſt, *Horarium*. Nihilominus crederem, quod aliquando orarii vocabulum pro illo velo diaconali uſurpetur, quo levita tempore jejuniorum in cantu Evangelii induitur, quod *Stola* etiam dicitur; ſic enim in Miſſalis Rubrica de qualitat. parament. cap. 19. num. 6. habetur: [Planetam Diaconus dimittit, cum lecturus eſt Evangelium, eaque tunc ſuper ſiniſtrum humerum ſuper ſtolam complicatur, aut ponitur aliud genus ſtolæ latioris in modum planetæ plicatæ.] Vide *Fanon*. *Lignoſtima*. *Stola*. Et quo ad ſignificationem veli. Vide *Brandeum*.

* Oratio Dominica. Oratio Dominica, quæ a verbis, quibus incipit dicitur *Pater noſter*, reliquis precibus omnibus tamquam ſundamentum, quo ſuperſtruantur, præmittenda. Hujus orationis, quæ ob nimiam ſui notitiam apud Chriſtianos, haud habetur eo in pretio, cujus eſt, antiqui Eccleſiæ Patres, magnas & ſpecioſas laudes nobis reliquerunt. *Tertullianus* enim de orat. c. 1. ,, Dominus noſter, *inquit*, novis Diſci-,, pulis novi teſtamenti novam orationis formam de-terminavit. ,, Et paullo poſt. ,, Docuerat & Joannes ,, Diſcipulos ſuos orare. Sed omnia Joannis Chriſto ,, præſtruebantur, donec ipſo aucto (ſicut ipſe Jo-,, annes prænuntiabat, illum augeri oportere; ſe ve-,, ro diminui) totum præminiſtri opus tranſiret ad ,, Dominum. Ideo nec extat, in quæ verba docuerit ,, Joannes adorare; quod terrena cœleſtibus ceſſa-,, rent. ,, In eundem modum *Cyprianus* de orat. Domini. ,, Dominus, *inquit*, inter cætera ſalutaria ſua ,, monita & præcepta Divina, quibus populo ſuo ,, conſuluit, ad ſalutem etiam orandi ipſe formam ,, dedit; ipſe quid precaremur monuit & inſtruxit. ,, Adeoque Eccleſia ex mandati Servatoris noſtri intuitu, hanc orationem in omnibus ſanctis officiis ſuis conſtanter uſurpavit, & hodie uſurpat. Cumque etiam in privatarum Chriſtianorum precum quotidianam conſuetudinem abierit, *Oratio quotidiana* vocari cœpit, ut habemus ex ſententia Hilarii, a Concil. Tolet. 4. c. 9. citati. Divina tamen & ipſis Servatoris noſtri verbis dictata Oratio, in qua omnia clara, & clare docemur, humanæ malitiæ ſubtilitatibus atque erroribus fuit petita. *Pelagiani* enim Liberum voluntatis arbitrium viribus non æquis metientes, hujus orationis uſum fidelibus tollere ſtuduerunt. Id ex *Auguſtino* Epiſt. 92. ad Innocentium colligimus, in qua ait. ,, Dicunt (*Pelagiani*) poſſe hominem in ,, hac vita, præceptis Dei cognitis, ad tantam perfe-,, ctionem juſtitiæ ſine adjutorio gratiæ Salvatoris ,, per ſolum liberum voluntatis arbitrium pervenire, ,, ut ei non ſit jam neceſſarium dicere ,, *Dimitte nobis debita noſtra*. Licet vero aliqui improbi homines fuerint, qui hanc petitionem de *dimiſſione* non probaverint, nulla tamen exempla occurrunt eorum, qui illam in univerſum repudiarint. Unde hanc Sanctam atque Divinam orationem, omnibus, & omni tempore, & methodum, & orandi formulam fuiſſe conſtat. Omnes vero intelligendi ut ii, qui cum Deo Patre, Matrem Eccleſiam unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam agnoſcunt.

Oratio. Vide *Oramen*. *Prex*. *Proſeucha*.

Oratio Dominicalis. Vide *Globuli*. *Pater noſter*.

Orator. FR. denotat devotum, & pium Confratrem, can. illi qui peregrinos, vel oratores alicujus Sancti, 24. quæſt. 3. Item Orator, ideſt, Prædicator. Vide *Concionator*.

Oratorium. FR. differt a Cappella, quia hæc dicitur publicum oratorium, & non poteſt erigi abſque Diœceſani licentia, cap. 4. de privileg. in Sexto. Sed Oratorium ſimpliciter, in quo non celebratur, quælibet privata familia abſque ulla licentia erigere poteſt. Gloſſ. in d. cap. 4. de privil. :||: Item Oratorium ſcabellum ad genuflectendum adaptatum aliquando ſignificat: [Qui dum veniens de Sacrario, proceſſerit cum ordine ſuo ante Altare ad orandum ſuper oratorium. Ordo Rom.] In priori ſenſu ſynonyma. Vide *Cappella*. *Confeſſio*. *Oraculum*. Oratorii S. Philippi Nerii commendatio. Vide *Pax*.

Orbatio, cæcitas. [Et hoc eſt, quod Dominus in illa plaga orbationis præceperat. Tertull. de bapt.

Orbiculus, quid ſignificet. Apud Anaſtaſium Biblioth. Vide *Seu*.

Orbitellus. FR. Civitas Tuſciæ, quæ *Coſſa* a Pomponio Mela lib. 2. cap. 4 *Coſa* in Itinerar. Antonini Imp. *Conſa* ab Honuphrio. *Coſſa, arum* a Ptolemæo appellatur: [Grave gerimus, quod cum in Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Orbitello, & quaſdam alias Eccleſias in tua Diœceſi exiſtentes, ad Monaſterium Sancti Anaſtaſii de Urbe ſpectantes &c. lib. 1. decretal. tit. 31. cap. 19.

Orbitus. FR. Circulatio. [Beata nobis gaudia Anni reduxit orbita: In hymn. Pentecoſtes, ad laudes] Ex Virgil. Æneid. 6.

Annuus exactis completur menſibus orbis.

Orca, vas. [Igitur advenientibus tranſmarinis, Vigilii Archidiaconi homines ſeptuaginta vaſa, quæ vulgo orcas vocant, olei, liquaminiſque furati ſunt. Gregor. Turon. lib. 4. hiſt. cap. 38.] FR. Varro de re ruſt. lib. 1. cap. 13. inquit: [Sæpe ubi conditum novum vinum, orcæ in Hiſpania fervore muſti ruptæ, neque non dolia in Italia.] Eodemque vocabulo utitur D. Gregor. in ejus Regiſt. lib. 1. epiſt. 53.

Orcinus, Libertus, dicitur ille, cui directo libertas a teſtatore relinquitur, & dicitur Orcinus, quia ab his

ma-

manumittitur, qui ad Orcum tendunt. FR. Alii dicunt *Orthinum* ab *Orthos*, quod ſignificat directum: [ Alii *Orkinum*. Gloſſ. fin. in l. directis. Cod. de teſtam. Gloſſ. 2. in l. cum teſtamentum. Cod. de Jur. & fact. Gloſſ. Orcinum, & ibi add. marg. in l. 2. §. per contrarium, de Dote prælег.

ORDINALE, Rituale, liber eccleſiaſticorum rituum. [ Sine Ordinalibus, Conſuetudinariis, Miſſalibus, Tropariis. Matth. Pariſ. in vita Abb.

ORDINARIUS. FR. ut plurimum Epiſcopum ſignificat; ſed aliquando Decanum, Archipresbyterum, vel Abbatem denotat, quia ex conſuetudine juriſdictionem ſpiritualem exercent. Gloſſ. de Exceſſib. Prælat. cap. 2. in ſexto. Vide *Epiſcopus*. *Diœceſanus*.

ORDINATIO ejus ſynonymum. Vide *Chirotonia*. Ordinatio. FR. dicitur etiam Benedictio. Gloſſa in can. quamvis Chorepiſcopus. diſt. 68.

ORNATURA. FR. ornatus, can. omnis jactantia, & ornatura corporalis a ſacrato ordine aliena eſt 21. qu. 4.

ORDINO. Vide *Imponere manus*.

ORDO, gradus Eccleſiaſticus ab Epiſcopo collatus tempore jejuniorum ex Apoſtolica traditione. [ Tunc jejunantes, & orantes, impoſuerunt eis manus. Act. 13.] Minores tamen ordines in quocumque die a jejunio feriato conferri poſſunt. [ A tempore S. Petri, uſque ad Fœlicem III. ex vitis Pontificum inter prædictos intermediatorum ſemper ordinationem in menſe Decembris ordinatam fuiſſe colligitur, ut cum Chriſto novelli Miniſtri naſcerentur. Amal. lib. 2. cap. 1.] Gelaſius autem Papa ſacras ordinationes dilatavit ad reliqua anni tempora; ſed ſemper in ſabbato jejuniorum, de quo in ejus vita primum dicitur fuiſſe, qui ordinationem habuerit in menſe Februarii. Epiſcopus in die Dominica ex legitimo impedimento, continuante tamen ſabbati jejunio, tam in ipſo, quam in ſequenti ordinationem continuare poſſet, can. literas, diſt. 63. & in decretal. habetur titulus De temporibus ordinationum; atque clarius D. Leo Papa ep. 81. c. 1. de tali ordinatione ſcribens, inquit: [ Quod ejuſdem obſervantiæ erit, ſi mane ipſo Dominico die, continuato ſabbati jejunio, celebretur,] quod etiam hodie fieri poſſe communiter tenent Theologi, & Canoniſtæ. Sed in Sabbato eſt initianda ordinatio, ut idem Leo ad Dioſcorum Alexandrinum Patriarcham ſcripſerat, nempe: [ Ut non paſſim diebus omnibus ſacerdotalis, vel levitica ordinatio celebretur; ſed poſt diem ſabbati ejus noctis, quæ in prima ſabbati luceſcit, exordia deligantur.] Vide *Dominica mediana*. At quia continuabatur uſque ad Dominicam in ordinando; illa ideo Dominica dicebatur *Vacans*, ut in dict. *Adventus*, videre eſt. Dicuntur ſeptem lectiones, Evangelio incluſo, quæ ſeptem ordines denotant, ac in quocumque ordinationis tempore legitur illa trium puerorum in ardore babylonicæ fornacis poſitorum; ad denotandum, quod Ordinandi eodem modo per hujus ſæculi ardores intacti tranſire debeant. Alcuin. in feria IV. antecedente leguntur in Miſſa duæ lectiones, ad inſtruendos eoſdem in Sacræ Scripturæ lectionibus; nam in hoc die examinari ſolent. Durand. lib. 6. c. 8. Antiquitus publicabantur populo, ut ille de moribus, ac vita ordinandorum teſtificaretur, idemque in conſecratione Epiſcoporum obſervabatur; ac Pontifex ſolebat in eadem feria IV. ante ordinationes ad S. Mariæ Majoris Baſilicam celebrare, ubi poſt primam Miſſæ lectionem populo ordinandos proponebat, ut deponerent hi, qui aliquid impedimenti contra eoſdem, ſi ſcirent. [ Ibi Dominus Papa præparatus cantat Miſſam more quadrageſimali, & ibi nunciat, quem ordinare diſponit, hoc modo: Auxiliante Domino, & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto, eligimus hunc Diaconum in Presbyterum; ſi quis habet aliquid contra eum, pro Deo exeat, & dicat, veruntamen memor ſit conditionis ſuæ. In cæremon. M. S. Benedicti S. Petri Canonici, quod in Biblioth. S. Aug. de Urbe aſſervatur.] Quam laudabilem conſuetudinem antiquiſſimam inter Chriſtianos fuiſſe ex eo colligitur, quod Imperator Alexander Severus, (ut Lamprid. auctor eſt c. 45.) id imitari oſtentaverit in electione provincialium Gubernatorum, ſic enim præfatus hiſtoricus in hac Imperatoris publicatione concludit: [ Cum Chriſtiani in prædicandis Sacerdotibus, qui ordinandi ſunt, id facerent.] Ubi *Prædicare* publicare denotat. Cui publicationi populus reſpondere ſolebat: [ Dignus eſt, & juſtus eſt.] Ad quod de dignit. Sacerdot. c. 5. D. Ambroſius alludens, inquit: [ Neſcii homines, & indocti in ordinationibus eorum clamant, & dicunt: Dignus es, juſtus es, & conſcientia miſera, indignus es, indignus es dicit.] D. Auguſt. in ep. 110. de hiſce popularibus acclamationibus in ordinatione Eradii electi Epiſcopi mentionem facit, quod nempe populus iteratis plauſibus dixiſset: [ Deo gratias, Chriſto laudes, Auguſtino vita, te Patrem, te Epiſcopum.] Idem S. Doctor Notarium juſſerat has acclamationes regiſtrare, ac iterum prædictæ electionis opinione populum interrogare voluit; tunc populus iterum clamans, reſpondit: [ Fiat, Fiat, dignum, & juſtum eſt, judicio tuo gratias agimus. Exaudi Chriſte, Eradium conſerva.] Græci adhuc hunc uſum retinent, in ordinationibus enim Populus crebris vicibus clamat: ἄξιος, ideſt, dignus. Latina vero Eccleſia variis inconvenientibus edocta, hanc popularem, & publicam opinionem non amplius exigit; ſed cautius per trinam Parochorum, ubi ordinandi degunt, denunciationem in conventuali Miſſa diei de præcepto factam, ad curiam Epiſcopalem recurſum præbet eis, qui morum vitæ, vel alterius ordinandorum illegitimitatis impedimenta deducere cupiunt in notitiam. Atque recenter juſſu Gregorii XV. Congregatio EE. Cardinalium ſuper Regno Neapolit. ſub die 22. Junii 1623. decrevit, quod nullus Præſul ejuſdem Regni poſſet primam tonſuram conferre abſque tonſurandi denunciatione in ejus Parochia ſub pœna Clerico ſuſpenſionis, aliorumque in eodem decreto contentorum. Quantum autem epiſcopalis conſcientia

tia in hoc invigilare teneatur, D. Paul. Apoſt. ep. 1. c. 5. ad Timoth. ſic monet: [ Manus cito ne impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis. ] Particeps enim peccatorum ordinati Epiſcopus efficitur, dum indignum ad ordines promovet; quare de Sancto, Magnoque Papa Leone in Prat. ſpiritual. c. 149. dicitur, quod cum per quadraginta dies ad confeſſionem S. Petri pro ejus peccatorum remiſſione preces fudiſſet, tandem hanc cœleſtem vocem audire meruit: [ Oravi pro te, dimiſſa ſunt tibi peccata tua, præter impoſitiones manuum, hoc enim abs te requiretur, ſive bene, ſive fortaſſe aliter egeris. ] Nihilominus oculatiſſimus in hoc ille S. Doctor internoſcitur extitiſſe, præſertim ex ejus ep. 5. ubi quendam Epiſcopum de hac negligentia ſic acriter reprehendit: [ Apud te novo ambitu, fœdoque colluvio Presbyterii ordinem fuiſſe turbatum, ita ut unius feſtina, & immatura provectio, quædam eorum dejectio facta ſit.] Atque calamitoſam nonnullorum recentiorum Epiſcoporum oſtentationem tangit; qui non dignum, ſed humano favore commendatum curant promovere; unde ibidem Sanctus Papa proſequitur: [Tuæ fuerat induſtriæ, atque doctrinæ, ut juſte petentium deſideria rationabili auctoritate cohiberes, ne quem in ſacerdotali propere provehebas honore, ad injuriam eorum, qui ſociabantur, incipere.] Ac etiam promovendus non debet neglectis interſtitiis, palliatoque prætextu ſacrorum ordinum conſequutiones extra tempora per Breve Apoſtolicum ſine ſcrupulo tentare; ſufficerent enim Pontificum exempla Gregorii VII. nimirum, & Innocentii III. qui ad Pontificatum, dum Diaconi fuerant, electi, expectare tamen voluerunt ordinationum tempus, ut Sacerdotium ſumerent. Matth. Pariſ. in hiſt. Angliæ apud Odoricum Raynaldum in Ann. 1198. FR. Idem de Paſchali II. legitur: [Erat, quippe, ut retulimus cum electus fuit, Diaconus, & Cancellarius, qui quidem nonniſi in canonico jejunii tempore conſtituto conſecrari poterat. Falco Benevent. in Chron. ann. 1118. ] :||: Licet proceſſu temporis Clemens VI. ad inſtantiam Philippi Galliarum Regis, ſeu potius Joannis ejus filii Umbertum Principem, qui Delfinatum Regi renunciaverat, ne ei daretur ſpatium ſe retrahendi a renunciatione facta, ipſemet Papa omnes tres ſacros ordines in unico die illi contulerat, qui & habitum Dominicanum ſuſceperat, de qua re non facit mentionem Odericus Raynaldus in ſua Eccleſ. Hiſt. de anno 1350. num. 39. dicit tamen, quod propter hunc finem, inſtante Joanne Philippi Regis filio, Umbertum ad ſacros ordines promotum fuiſſe, & Patriarcham Alexandrinum declaratum, ac in commendam Archiepiſcopatum Rhemenſem habuiſſe. At ego magis diſtincte in quodam pervetuſto M.S. Bibliothecæ Vaticanæ poſito ad n. 3765. hæc legi: [ In prædicto feſto Nativitatis Domini (*ſcilicet, de anno* 1350.) quod fuit Sabbato, Papa ipſum promovit ad tres ſacros ordines. In prima Miſſa galli cantus ordinat ipſum (*nempe, Umbertum*) in Subdiaconum. In ſecunda Miſſa ortus diei ordinat ipſum in Diaconum. In ſumma Miſſa in Sacerdotem. Et eodem die ipſe Delfinus Miſſam celebravit, & poſt octo dies ipſum Epiſcopum conſecravit. ] Legitur etiam in diariis M. S. Brocardi, quæ in rariſſima Dom. mei Card. Brancatii Bibliotheca aſſervantur, quod Cardinalis Alexandrinus in unico die, qui fuit feria IV. majoris hebdomadæ cadentis 26. Martii 1493. Cardinalibus Valentino, & Joanni Borgiæ, ambobus Alexandri VI. nepotibus, minores ordines, Subdiaconatum, & Diaconatum ſimul contulerat. Antiquitus autem, qui aliquem ordinem ſuſcipiebat per manus Papæ, non poterat ab alio Epiſcopo ſine licentia Sedis Apoſtolicæ ad reliquos ordines promoveri, quod tamen Archiepiſcopo Mediolanenſi ex privilegio Innocentius III. lib. 1. epiſt. 2. conceſſerat. Promoti ab Epiſcopis Sacr. Congreg. Propagandæ Fidei extra limites juriſdictionis aſſignatæ ſunt ſuſpenſi, non obſtante Ordinariorum locorum licentia. Congreg. Epiſc. 23. Aprilis 1655. Imo ipſi Epiſcopi conferentes ordines in ſuſpenſionem incidunt, ut in eadem Congr. Epiſcoporum coram Innocentio X. 18. Martii 1651. habita, decretum fuit. Item Gregorius XI. Dominicanis Armeniæ Miſſionariis facultatem conceſſit, ut conferre poſſent ſub conditione ordines minores, ac ſacros in eodem die Eccleſiaſticis Armenis, de quibus dubitabatur, an recte, & rite ab eorum ſchiſmaticis Epiſcopis antea ordinati fuiſſent Odericus Raynaldus in Hiſt. Eccleſ. an. 1374. Antiquitus etiam ſimplices Sacerdotes primam tonſuram conferebant, quod colligitur ex Rhemenſi hiſtoria, ubi de S. Sequano agens, ſic habetur: [ Erat autem tunc temporis in Magnimontenſi oppido Presbyter moribus, & ætate, nomine Euſtadius, vir Deo dignus, atque ſanctiſſimus, quem parentes Beatiſſimi Sequani ad tondendum eum adduxerunt cum lætitia, qui cum veniſſet, & preces Deo profudiſſet, ejus capitis verticem divino charactere ſignatum totondit, & poſt detonſionem, caſta oſcula capiti, atque labiis ejus infigens, benedixit eum &c. ] Ac clarius ex Emeritano Concilio can. 18. ſic habetur: [ Omnes Parochiani Presbyteri, juxta ut in rebus a Deo creditis ſentiunt habere virtutem, de Eccleſiæ ſuæ familia Clericos ſibi faciant. ] Sed hodie hoc privilegium derogatum fuit, ſeu potius non reperitur conceſſum ab habenti facultatem. FR. nam Emeritanum Concilium a Baronio impugnatur. :||. Ordinatus a Papa ſine licentia Papæ non promovetur, lib. 1. decretal. tit. 11. c. 12. FR. hæc eſt propoſitio poſita in titulo, & in rubrica ejuſdem cap. 12. quæ poſita fuit ab aliqui imperito; nam textus hoc non continet, cujus verba talia ſunt: [ Meminimus fuiſſe ſuppliciter poſtulatum, & clementer indultum, ut quia præfatus A. Eccleſiæ Romanæ Subdiaconus erat, mandaremus ipſum per Bononienſem Epiſcopum promoveri. ] Non enim dicit, quod ille talis in Subdiaconum promotus fuerat a Papa; ſed quod erat Eccleſiæ Romanæ Subdiaconus, & conſe-

quen-

quenter illi Diœceſi ſubjectus ; at ſi nullus Epiſcopus ſine dimiſſorialibus litteris Diœceſani poteſt perſonam alterius juriſdictionis ad ordines promovere, quanto magis Subdiaconus Romanæ Eccleſiæ ſubjectus nequiverat ordinari ab Epiſcopo Bononienſi, ſine licentia Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi ; Atque miror Gloſſam juxta tituli ſenſum textum commentantem ponderare, quod potius ſit onus, quam honor Subdiacono Eccleſiæ Romanæ ; dum hæc regula univerſalis eſt, ut dixi ; omnes ſiquidem Clerici cunctarum Diœceſium, qui nonniſi a proprio Epiſcopo, vel de ejus licentia ab alio Epiſcopo ad alios ordines promoveri poſſunt, ad hoc onus etiam ſubjecti ſunt procul dubio. De eccleſiaſticis ordinibus agitur ſingillatim in can. perlectis, diſt. 25. & hic in dictionibus *Acolutus*. *Anagnoſta*. *Ceroferarius*. *Clericus*. *Diaconus*. *Exorciſta*. *Lector*. *Oſtiarius*. *Presbyter*. *Pſalmiſta*. *Sacerdos*. *Subdiaconus*. *Tonſura*. Qui ordinari nequeant. Vide *Energumenus*. *Promotio furtiva*. *Ratiocinium*. Ordines eccleſiaſtici Hebræorum. Vide *Subdiaconus* initio.

Ordo Nigrorum. Vide *Nigrorum Ordo*.

Ordo Officii, ſæpe errat. Vide *Octava*. *Symbolum*.

Ordo Precum. Vide *Canon Miſſæ*.

Orebitæ, & *Horebitæ*, hæreticorum ſecta, ex factione Huſſitarum, ſic appellati a Caſtello *Horeb*, ut ad montem hujus nominis, in quo Deus Moyſi legem tradiderat, alluderent; jactantes ſe in eodem loco eorum falſa dogmata recepiſſe, qui implacabiles Catholicorum adverſarii extitere. Vide *Thaboritæ*.

Organum, ὄργανον. [ Organum vocabulum eſt generale vaſorum muſicorum, hoc autem cui folles adhibentur, Hydraulum Græci nominant. Ut autem organum dicatur, magis ea vulgaris conſuetudo. Iſidor. lib. 3. etym. cap. 28. ] de quo cecinit Venant. Fortunatus in deſcriptione Cleri S. Germani Epiſcopi.

Hinc puer exiguis attemperat organa cannis,
Inde ſenex largam ructat ab ore tubam.
Cymbalicæ voces calamis miſcentur acutis,
Diſparibuſque tropis fiſtula dulce ſonat.
Tympana rauca ſenum puerilis fiſtula mulcet,
Atque hominum reparant verba canora lyram.

Atque D. Auguſtinus, in Pſalm. 98. inquit : [ Rogamus pro illis, ut qui delectabiliter audiunt organum, delectabilius audiant vocem Dei. ] FR. De organo aliiſque inſtrumentis muſicalibus, quæ in Eccleſia permittuntur, & quando ea introducta fuere ; agit Baronius an. 60. num. 36. De organo muſicali a Copronymo Imp. Pipino Galliarum Regi miſſo idem Baron. anno 776. num. 20. refert. Item Cantores Romani docuerunt Gallos organum pulſare. Idem Baron. ann. 787. num. 69. & 70. Vide *Cantus*. *Fiala*. *Hydraulus*.

Organum Armigatum, de quo in 2. Reg. c. 6. habetur ; ] Et David percutiebat in organis armigatis, ] exponit ibi Dionyſ. Carthuſ. [ Ideſt, ad armum, humerumve ligatis, ut fieri in organis portatilibus ſolet. Vel ſecundum nonnullos genus eſt organi, quod fit cum aqua, quia non ſonat, niſi habeat aquam : itaque aqua ponitur in concavitate, ut ſonum reddat. ] Sed ſi organum quodlibet muſicale inſtrumentum ſignificat, ut ſupra viſum fuit, melius ( meo judicio ) exponeretur, quod fuiſſent non organa, ſed alia muſicalia inſtrumenta in humeris, ſeu ab humeris ſuſtentata.

* Organa. Muſica in Eccleſiis æque antiqua eſt atque ſunt Apoſtoli, ſed Muſica inſtrumentalis non item. Nam viri eruditi nunc quidem generatim in hoc conſentiunt, uſum organorum in Eccleſiam poſt *Thomæ Aquinatis* demum tempora introductum eſſe. In ſumma enim Theologiæ hæc verba habet. „ *Eccleſia noſtra non adſumit inſtrumenta Muſica, ſicut cithararas & pſalteria in divinas laudes &c.* „ ut *Cajetanus*, & *Navarrus*, de orat. & horis canonicis, intelligere videntur. ||. Cum vero hæc de organis disquiſitio, neque ad credendorum, neque ad agendorum diſciplinam ſpectet, & tota eruditionis area ſit, pauca a nobis in hoc argumentum proferri Lector non dedignabitur. Vetus Muſicæ ratio tum ſimplicior fuit, tum gravior, etſi noſtris hiſce temporibus ſuaviori & cultiori arte conſtat, & muſici inſtrumenti varietate antiquæ ſit præferenda. Priſcis temporibus nulla fuerunt organa, quæ nec primis Eccleſiæ ſæculis innotuerunt : De organis vero, prout noſtra ætate ſunt, intelligimus. Primum apud Græcos inventa ſunt, hinc ad Latinos tranſierant, quando *Conſtantinus Copronymus* Imperator Græcus, ea *Pipino* Francorum Regi transmiſit. Jam vero in Principum aulis adhibebantur, nondum in Eccleſia introducta. Organa hic intelliguntur *pnauſtica*, quæ maxime differunt ab Hydraulicis, quæ aquæ, concitatione flatum accipiunt, ſonumque edunt, quorum inventor fuit *Cteſibius* Alexandrinus, *Ptolomæo* Evergetę σύγχρονος. Idem pneumatica reperit, cujus argumenti ſunt, quæ ſcripſit *Hero* Alexandrinus: Sed illorum ratio fere deperdita eſt, etſi aliquid ſimile in hortis Romanis & Tiburtinis extet. Erant & organa ſcanica, quibus veteres ſpectatorum aures demulcebant ut exponit *Sabellicus*. Noſtra vero hodierna recte dicuntur *pneuſtica*, quæ ſpiritu follis incitato ſonora fiunt ; hæc primum a Græcis reperta, atque in Occidentem transmiſſa, celebriores ex Francis Scriptoribus teſtantur. Annus, quo novum hoc donum in Occidentem advectum eſt dinumeratur 757, quo Pipinus, Caroli M. Pater publica Regni comitia habuit. Plerique altius arceſſunt, & ad Vitaliani Romani Pontificis tempora originem organorum revehunt, quem & inſignem fuiſſe Muſicum, & inveniſſe organa, affirmant Martinus Polonus, Platina, & Bapt. Mantuanus. Sed magis ex aliorum opinione, quam loculentis monumentis id narrant atque confirmant. Alii vero putant jamdiu ante Vitalianum organorum fuiſſe uſum, idque Prudentii auctoritate ſtabil contendunt, qui in apotheoſi v. 213. & 460. org

commemorat. *Organa, Sambucas, citharas, calamoſque tubaſque*, ſcripſit autem floruitque Prudentius ann. 403. Poſt Aurelium Prudentium de organis commemorarunt Caſſiodorus epiſt. 45. Lib. I. variorum, & quoddam Juliani epigramma, quod etiamnum extat. At enim vero hic quæſtio eſt de Organis accurate confectis, atque ex albo plumbo compactis, ſollibuſque inſpirari ſolitis, qualia primi Græci inveniſſe, & in Occidentem miſiſſe exiſtimantur. Baronius turbaſſe rationes temporum videtur, qui anno 766. organum Pipino miſſum ſcripſit in annal. Ecc. Tomo 9. haud enim concordat cum perantiquis annalibus Metenſibus, in quibus annus 757. memoratur. Juliani carmen εἰς τὸ ὄργανον non probat organum fiſtulis plumbeis compoſitum. *Durantus* vero qui Juliam auctoritatem an. 510. ſcribentis urget auctoris ſua verba perperam accepiſſe videtur, qui non de ſuis, ſed de *Jobi*, & templi *Judaici* temporibus loquitur. Multis hæc illuſtrari poſſunt ex Chryſoſtomo in Pſalmos 144. 149. Illud profecto liquidum eſt organa ope Conſtantini VI. primum in Franciam eſſe perlata: inde uſus organorum in Belgium Germaniamque tranſiit. In artem fabricandi organa primi incubuere Franci tempore Ludovici Pii, at illa organi pars, quæ ab artifice organis canente pedibus cietur, recentior eſt, & pedale vocatur, Venetiis inventum & organo additum. Organis vero in Eccleſia concinendi ſunt hymni divini, quorum ſpectat Conſtitutio Sixti V. an. 1586. promulgata.

Orgia. FR. planities. Bullar. Caſin. tom. 2. conſt. 6. Melitenſes *Olgia*, ſive *Ulgia* dicunt. Vide *Olca*.

Origenes, Ὠριγένης, an unus fuerit. V. *Adamantius*. FR. duos extitiſſe putat Latinius in Obſerv. ad Jo. Trithemium. Contrarium tamen videtur ſenſiſſe Bellarm. de Scriptor. Eccl. in Origene, & qui plura de Origene deſiderat, legat Philip. Labbè de Script. Eccleſiaſt. in Origene, de quo fit mentio hic in dict. *Exapla. Magiſter Græcorum. Officium defunctorum*, & hic inferius *Origeniani*. Ejus Præceptor. Vide *Saccas*. Origenes a Methodio *Centaureus* appellatur apud Photium in ejus Biblioth. tit. Methodius, cap. de creatis excerpta.

Origeniani, ſive *Origenianiſtæ*, ut eos D. Greg. l. 34. in Job. c. 16. & 41. appellat, Hæretici ab Origene ſeducti, quorum argumenta adducit, & confutat idem Gregorius ibidem, & in can. quidam autem hæretici, 24. q. 3. ubi nonnulli eorum errores recenſentur, ſcilicet, [ Quod non poſſit videre Filius Patrem, nec Spiritus Sanctus Filium, animas quoque in mundi principio peccaſſe dicunt, & pro diverſitate peccatorum de cœlis uſque ad terram diverſa corpora quaſi vincula meruiſſe, eaque cauſa factum fuiſſe mundum. ] Errat tamen Gloſſa in can. ſane profertur, 24. q. 2. quæ putat duos fuiſſe Origenes, quod æquivocum manifeſtatum fuit in d. *Adamantius*. FR. ſed aliter in dict. *Origenes*.

Originalia, ſcriptura, quæ de genealogiis, & originibus tractat; hinc *Originalia inſtrumenta* appellavit Tertull. lib. I. de carne Chriſti atteſtationes ſpectantes ad genealogiā Chriſti ſecundum ejus humanitatē.

Originariuss, FR. dicitur ille, qui ex adſcriptitio natus eſt in proprio ſolo. Gloſſa in can. generalis, diſt. 54. Sed aliter habet Gloſſa in cap. quidam vir. 32. q. I. Originarius autem filium in poteſtatem non habet. Gloſſa in can. patrem, 32. quæſt. 3.

Oriolum, ambulacrum, ſive porticus. [ Ut non in infirmaria, ſed ſeorſum in oriolo Monachi infirmi carnem commederent. Matth. Pariſ. in vita Abb. ] Vide *Embolus. Imbolus. Lobium. Macrena. Porticani*.

Orion, ὠρίων, ſignum cœleſte, quid ſit. Vide *Arcturus*.

Ornamenta Sacra. Vide *Veſtis*.

Oroma. Vide *Orama*.

Orphanotrophium, ὀρφανοτροφεῖον. FR. Orphanorum hoſpitale. [ Reverentiam Beati Gregorii prædeceſſoris ſui præ oculis cordis habens, tribuit idem Summus Pontifex in hoſpitali ipſius Beati Gregor. in porticu B. Petri Apoſtoli ſermonum ſanctorum librum unum, & in ſchola Cantorum, quæ pridem Orphanotrophium vocabatur, Heptateuchum. Gulielmus Lateranenſis Biblioth. apud Torrigium de Crypt. Vatican. ſecunda impreſſ. pag. 189. ] Qui Torrigius ibidem ait, hoc Orphanotrophium non fuiſſe illud, quod hodie ad Eccleſiam Æthiopum Romæ reperitur; ſed in platea S. Petri a Sixto IV. demolitum. Quare Eccleſia, & Orphanotrophium non fuerat a D. Gregorio Sancto Stephano Protomart. dicatum; ſed a Stephano Papa in honorem S. Gregorii erectum: quod probat Torrigius teſtimonio Benedicti Canonici, & nos in dict. *Baculus* §. Quod a Stephano IV. notavimus. Iſtius nominis ſynonyma. Vide *Brephotrophium*.

Ortodoxia, ὀρθοδοξία. FR. recta opinio; accipitur pro ſana, ac Catholica doctrina. Vide ejus antitheſim. *Cacodoxia*.

Orthodoxus, ὀρθόδοξος, rectæ opinionis; accipitur pro Catholico, & econtra *Heterodoxos*. FR. & *Cacodoxus*, pravæ opinionis denotat, ſcilicet. Hæreticum, aut Schiſmaticum. Vide *Cacodoxia*. [ Sin autem orthodoxus contra hæreticum litiget, pro orthodoxo quidem hæretici teſtimonium valeat, contra orthodoxum ſolius orthodoxi teſtimonium valeat, can. ſi hæreticus, 2. qu. 7.

Orthographiæ Signa. Vide *Aſtericus, Oxirynchus*.

Ortygometra, ὀρτυγομήτρα, coturnicum matrix, ſeu mater. [ Eſcam parans eis ortygometram. Sapien. c. 16. Ubi ſepultus eſt populus carnis avidiſſimus uſque ad choleram ortygometram cruditando. Tertullianus adverſus Pſych. c. 16. ] Agit enim de populo hebræo; ubi al qui loco *Cruditando* legunt *Eructando*, ut textui D. Hieronymi ſe conformarent, qui in eodem ſenſu ſcripſerat: [ Apud ſepulchra concupiſcentiæ craſſus populus ortygometram ſcribitur ad choleram uſque eructaſſe. ] FR. Calepinus vult, quod *Ortygometra* coturnicum matrix dicatur; ſed po-

potius metrix ; nam metam, terminum, & viam cæteris coturnicibus oſtendit, eas conducendo. Unde Plinius lib. 10. c. 23. inquit: [ Coturnices ante etiam ſemper adveniunt &c. Aquilone ergo maxime volant ortygometra duce. ] Vide Janſenium in dict. Sapientiæ cap. 16. Quo vero fundamento Auctor Vocab. Eccleſ. hoc nomen regionem coturnicum ſignificare dicat, & an recte hoc aſſerat, videat Lector.

ORZOLI, FR. corruptum vocabulum ex urceolis. Bernardinus Corius in hiſt. Mediolanen. ad ann. 1333. Vide *Ama*.

OSANNA, hebræa vox. Vide *Hoſanna*.

OSCILLUM, ludus, qui fit fune ſuſpenſa ab anulo, ſeu arbore ſuſtentata, & in ea ludentes agitatur, qui ludus Romæ *Cannaſiendola*, in Tuſcia *Altalena*, in Gallia *Branlcore*, ſeu *Pandilecre* ; in Sicilia vero, ac in Melita, ubi multa vocabula gallica adhuc retinentur, *Bandola* dicunt, ſed potius ex latino vocabulo *Pendula*, corrupte *Bendula* ſive *Bandula* dictio provenit, de hac 2. Georgic. Virgilius.

Oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia quercu.

Unde autem hoc nomen, & a quo inſtitutum. Vide Calepinum in eadem dictione, & verbum *Oſcillo*. At Tertullianus translative pro ſphera mundiali ab axe ſuſpenſa lib. de anima c. 12. uſurpat, inquiens: [ Initium enim omnium commentatus animum, & univerſitatis oſcillum de illius axe ſuſpendens. ] FR. At idem Tertullianus de pallio cap. 1. in vera ſignificatione hoc vocabulo uſus eſt. Vide *Teſtitrabus*. Machometani autem antiquos Romanos imitantes, qui talem ludum exercebant per tres dies in feriis latinis a Latino Rege inſtitutis, ſive ad exemplum Athenienſium, qui etiam talē ludum in eorum feriis exercebant, ut auctor eſt Germanicus Arati interpres, ſic illi in eorum *Bairam*, ideſt, Paſcha ſolent talem ludum exercere. Bulingerus *Penſilem jactationem* vocat hunc ludum.

OSCULATORIUM, parva tabella cum ſacra aliqua imagine, qua populo oſculum pacis confertur tempore Miſſæ, de qua in dict. *Pax*.

OSCULUM, quod fit in omnibus rebus, quæ Sacerdoti porriguntur in ſacro Altari, quæ prius oſculatur, & dum Sacerdos ad illas reperiendas extendit manum, ea quoque oſculari debet ; eodemque modo fit in traditione patenæ, ſive thuribuli a Miniſtris ; quæ oſcula omittuntur, ſi expoſitum erit Sacramentum. Gavantus. Excepto tamen Subdiaconi oſculo in fine Epiſtolæ, ac Diaconi in poſtulanda benedictione ante Evangelii cantum more ſolito ; nam in prolatione epiſtolæ Sacerdos Chriſtum tanquam legis antiquæ terminum, & in Evangelio illius Auctorem denotat, Innocent. III. lib. 2. de Myſt. Miſſ. c. 21. & Durand. lib. 4. c. 17. In Miſſa vero Defunctorum oſcula prædicta poſt epiſtolam, & ante Evangelium omittuntur, quia cum hujuſmodi ſigna ſuavitatis, dulcitudiniſque ſint, in mortis memoria minime reperiuntur. Quando datur oſculum. Vide *Evangelium*, *Pax*.

*OSCULUM. Veneratio Epiſcopis exhiberi ſolita in manuum ipſorum exoſculatione. Ambroſ. de dignit. Sacerd. c. 2. Paulin. vit. Ambroſ. Chryſoſtom. Hom. 45. in Melet. Par quoque reverentia Templis & altaribus exhibita cum Chriſtiani aliquam illorum partem, januas, limina, columnas ſalutarent atque exoſcularentur. Ambroſ. epiſt. 33. Sidon. Apollinaris lib. 1. epiſt. 5. Hinc multa apud Eccleſiam Romanam erga Sacerdotalem Dignitatem venerationis officia, evincimus eſſe antiquæ Eccleſiæ laudandæ conſuetudines, haud vero ; ut heterodoxis placet ; Sacerdotalis ſuperbiæ, & vulgi ſuperſtitionis argumenta.

OSIRIS, idem ac Bacchus. Vide *Elucus*.

OSIUS, ὅσιος. FR. Sanctus: [ Hæc abrahamicus ille ſenex vere oſius, ideſt, ſanctus, & ſenſit, & ſcripſit. Athanaſ. adverſus Arian. orat. 1. ] Oſium Corduben. Epiſc. intelligit, de quo vide in dict. *Symbolum* in fine.

OSSARIUM. Vide *Cinerarium*.

OSSITIUM, porci, vel alterius animalis caput: [ Piſces non habemus, Monachi ſimplices ſunt, & eſuriunt ; vade, accipe oſſitium, & oſſibus ejectis, cum pipermentis præpara, ſicque appones, & dices: comedite de bono rhombo. Cæſarius lib. 6. cap. 5.

OSTENTAMEN, oſtentatio, manifeſtatio. [ In omnibus perſecutionibus, & preſſuris, quibus ſuſtinetis oſtentamen juſti judicii Dei. Tertull. adverſus Gnoſtic. cap. 13.

OSTIARIUS, unus ex quatuor minoribus, eccleſiaſticiſque ordinibus, cui, [ Pertinent claves Eccleſiæ, ut claudat, & aperiat templum Dei, & omnia, quæ ſunt intus, cuſtodiat, fideles recipiat, & infideles rejiciat. Iſidor. epiſt. ad Lanfred. ] Vide *Anagnoſta*.

OTALGICUS, qui aurium dolore laborat, ex græco ὠτός, ideſt, auris, & ἄλγος, dolor, [ Etenim cum arcem corporis, ideſt, caput vis noxii humoris obſederit, cephalagiæ procreat paſſionem: cum vero aures, oculoſve pervaſerit, in otalgicum, ſive ophthalmicum, vertitur morbum. Caſſian. collat. 14. cap. 15.

OTHONE, ὀθόνη, linteum, tobalia. [ Othone, cum qua miniſtrat Diaconus, deſignat Chriſti humilitatem, quam demonſtravit, cum pedes ſuorum abluerat. S. Germanus in Theor. ] FR. *Othone* ſine ullo diphthongo eſt herba in Syria naſcens ſimilis Erucæ, perforatis crebro foliis, flore croci, quare quidam anemonem vocaverunt. Plin. lib. 27. cap. 12. ſed *Othonæ* cum diphthongo in fine, linteum ſignificat apud Homerum Iliad. 3. ubi loquens de Elena, ait: [ Confeſtim autem ſplendidis amicta Othonis. ] Ubi Didymus interpres dicit *Othonas* ex lino contextas eſſe, alii ex lana, quibus aſſentitur Pollux. In Evangeliſta Joanne cap. 19. de Chriſto humando, hæc verba habentur: [ Et ligaverunt eum linteis: ] Græcus textus habet ὀθονίοις: reliqui vero Evangeliſtæ habent *Sindonem*. Inter linea veſtimenta poſuit Pollux. Vide Cœl. Rhodiginum lib. 16. cap. 10.

*Otium. In aperto eſt, multis quidem chara, hujus vocis ſignificatio; & aliquis fortaſſe mirabitur, quid in Sacrarum vocum Lexico huic voci loci ſit. At Sacrum Lexicon ea complectitur, quæ ad Hieroarchiam ejuſque mores ſpectant, & voces quibus vel bonæ laudantur, vel malæ conſuetudines rejiciuntur. Quærenti itaque vocem *Otii*, hæc ut præſto eſſent operæ pretium duximus. Socrates lib. 4. c. 23. Auguſtin. de opere Monach. c. 17. & Ambroſius de offic. lib. 2. c. 16. vitam otioſam non meliorem credunt, quam vitam, quæ ex ſpoliis pauperum, furtis ac ſceleratiſſimis Latrociniis ducitur; quia ſæpe fraudem & crudelitatem furto adjungit, dum otioſi homines aliorum liberalitatem fictis rationibus a viduis, ac pupillis ad ſe trahunt. Et propterea ut Leges Imperiales in vagantibus crimen faciebant, cui actio intendi poterat (ἀργίας ζίκην Lex ipſa vocat): ita regulæ Eccleſiaſticæ id ipſum velut infamen & cenſura eccleſiaſtica dignam vivendi rationem notabant.

Oves, dicuntur Laici. Vide *Laicus*.

Oxycratum, aceti, & aquæ potio, ex græco ὀξύκρατον. [Omni autem alio tempore contenta erat oxycrato, & pane arido. Pallad. in Lauſiaca cap. 145.] & a Latinis *Poſca* dicebatur.

Oxypterus ὀξύπτερος, avis ex genere accipitrum.] Aliud corpus, & vox eſt aquilæ, & aliud corpus, & vox oxypteri. S. Macarius, homil. 32.] græce autem velocem in volatu ſignificat.

Oxyrynchus, characteris ſpecialis forma, de que Palladius, ubi Heraclides ejus interpres in latinum ſic vertit: [Similiter illam ſcribebat manum, quam oxyryncham vocant Græci,] nomen græcum eſt ὀξύρυγχος, quod ex ὀξὺς acutus, & ῥύγχος, avis *roſtrum*, componitur, quare acutum, longumque characterem fuiſſe colligitur. FR. fortaſſe ex forma piſcis oblongi ita denominatus, qui teſtibus Strabone lib. 17. in Nilo, & Æliano lib. 12. cap. 33. 34. & 35. in Caſpio mari invenitur, ſeu ex Civitatis nomine; nam ita etiam in Ægypto appellata fuit quædam urbs, de qua Strabo ibidem, & Stephanus de Urbibus teſtantur, quæ alio nomine Cynopolis dicebatur :||: Cæterum Chaldæi *Strangheli* quandam characteris formam appellant, quo in ſcribendis librorum titulis utuntur, eundemque pene characterem Græci in eorum eccleſiaſticis libris adhibent, fortaſſe ex *Oxyryncho* corrupte hi ſic dicunt.

# P

Pacatio, ſolutio, vocab. nimis barbarum. [Sine pacationis retributione. Matth. Pariſ. in Hiſt. Anglica.

Patientia, Religioſorum indumentum. Vide *Armilauſa*, *Scapulare*.

Pacificus. Vide *Irenæus*.

Pacis Princeps. Vide *Irenarcha*.

Pacto, verbum, paciſci ſignificans. Et cum ibi exercitus diu ſtetiſſet, pactaverant illi de caſtro cum eis, in vita Caroli IV.

Pactum. Vide *Depactio*, *Stantia*, *Synthica*, *Tranſactio*.

Pæan, παιάν. FR. Hymnus, qui Apollini canebatur, ſicut Dithyrambus dicebatur hymnus Bacchi. Virgil. 6. Æneid.

——— Lætumque choro pæana canentes.

Significat etiam hymnum in Deorum laudem, ſic Pindarus ejus opera de laudibus Deorũ *Pæana* appellavit. Sic etiam in lectionibus Brev. Rom. ſecundi nocturni Dominicæ IV. Octobris D. Jo. Chryſoſt. de Machabæis agens, inquit: [Ad bellum autem euntes, non tragœdias excitabant, non pæana cantabant.

Pæana. Vide *Penula*.

Pædagogo, Græce παιδαγωγέω, ſequor pueros, artem pædagogicam exerceo. [Se invicem pædagogantes pari cuſtodia. In vita S. Severi Epiſcopi.] FR. Item *Pædagogium*, ruſticum, ac vile ſervitium. Vide *Paradogum*. Item *Pædagogium*, locus, ubi pueri, ſive ſervi morantur. Plin. epiſt. 7. ad Rufum ſic inquit: [Puer in pædagio mixtus pluribus dormiebat.] Sed legendum eſt *Pædagogio*. Pædagogium vero pro ſervitio, Ulpian. l. quæſitum, de fundo inſtructo, & inſtrument. legat. Pædagogus, Magiſter, qui pueros inſtruit, & aſſociatur. Vide Proſcholus, & Collector in dict. *Baccalaureus*.

Pæonius, & *Pæon*, παιών dicebatur Apollo, quem medicum fuiſſe fingunt Poetæ, & eſt etiam nomen cujuſdam medici: [Verbum autem paternum ſolus eſt humanarum ægritudinum Pæonius Medicus, & ſanctus ægrotæ animæ incantator. Clem. Alexandr. lib. 1. Pædag. cap. 2.] Inſinuare intendit, quod ſicut Pæonius, de quo Homerus Iliad. 5. inquit Plutonem ſanaſſe; ſic Verbum Patris animas noſtras a Plutonis tartaro liberavit. Dicitur etiam, quod ab illo medico reperta fuiſſet pæonia herba, & tam *Pæan*, quam *Pæon* etymon trahunt ab Apolline.

Pagania, paganiſmus, gentilitas, ſive Idololatria. [Ut populus Dei paganias non faciat. Zacharias Papa in epiſt. ad Gallos,] ubi ſequitur hoc vocabulum explicare, inquiens: [Qui paganas obſervationes in aliqua re fecerit.

Paganalia Festa. Vide *Septimontium*.

Paganus, παγανός, hoc vocabulum diverſimode apud Eccleſiaſticos Scriptores uſurpatur. Originaliter tamen *Paganus* a *Pago* deducitur, hinc pagnus Pagi incola dicitur, & in hoc ſenſu legitur in S. Agathæ officio [Paganorum multitudo fugientes ad ſepulchrum Virginis tulerunt velum ejus contra ignem.] Deinde *Pagani* dicti ſunt inter Gentiles, qui in militia non aſcribebantur, l. 1. C. de milit. teſt. Et in hoc ſenſu Tertull. de Corona milit. inquit: [Apud hunc (*ideſt Chriſtum*) tam miles eſt paganus fidelis, quam paganus eſt miles infidelis] quod vocabulum *Paganus* per.

perperam a Rhenano, & Pamelio pro Gentili intellectum fuit; nam hic, & in aliis locis per paganum, eum, qui miles non eſt, Tertull. intelligit, ac in eodem tractatu ſic ait: [ Chriſtianum hominem militiæ adſcriptum, eadem pro Chriſti nomine præſtare debere, quæ fides pagana condixit. ] Hujuſmodi enim verba nullo modo de Ethnico intelligi poſſunt; ſed de paganis Chriſticolis, ideſt, qui in militia minime ſunt adſcripti, quia Chriſtianus eadem præcepta obſervare tenetur, quando militiæ adſcribitur, quæ promiſerat, quum paganus fuerat, ideſt, non miles. Et confirmatur ex eo, quod Theodoretus lib. 3. c. 3. de Conſtantio Imper. ſcripſerat, qui, nempe, præceperat militibus ſuis, ut qui baptiſmum aſpernabantur, cingulum militare deponere tenerentur, & ad paganitatem redirent, ideſt, quod non fuiſſent pro militibus amplius reputati. Proceſſu autem temporis a Chriſtianis *Paganus* appellatus deinde fuit, qui in Chriſtiani militia non erat adſcriptus, licet alii alia afferant. Vide Baron. in Annot. Martyr. ad diem 31. Januar. lit. D. FR. & uberius Jacobus Gotof. in not. ad Cod. Theod. in tit. de Paganis ſacrif. & templ. imo D. Greg. in ejus Regiſt. lib. 7. epiſt. 55. Paganum vocat, qui in ſacerdotali militia non eſt adſcriptus, de Abrahamo enim ibi loquens, inquit: [ Si ergo tantæ conſiderationis Paganus vir fuit, quanto magis nos, qui ſacerdotes dicimur, hoc facere non debemus?] Certe paganum non appellavit Gregorius Abraham, illum ſcilicet intelligendo fuiſſe idololatram, & infidelem; nam fidelis Deo extiterat; ſed Paganum dicit ad contradiſtinctionem Sacerdotum, nam laicum fuiſſe deſignare intelligit. In ſenſu Idololatræ. Vide *Diſcola*. *Ethnicus*. *Foraſticus*. *Idolatra*. *Infidelis*. *Necrothyta*.

PAGARCHUS, παγαρχος, ideſt, pagi Princeps Juſtin. in Novell.

PAGARE. FR. ſolvere, creditori ſatisfacere, l. de nova, & falſa moneta, eod. tit.

PAGENSIS, plebanus, Pagi incola. [ Cum ante hos annos S. Andreæ ſolemnitas in prima Dominica Dominici Adventus incurriſſet, quidam Sacerdos, ſicut Thuronicæ Eccleſiæ Præceptor aſſerit, pagenſibus ſuis utraſque Miſſas audire præcepit. Oddo Cluniacen. lib. 1. ] Sumitur pro perſona laicali ad diſtinctionem Eccleſiaſtici, ut ſupra in dict. *Paganus* de Abrahamo viſum eſt: ſic in eodem ſenſu Gregor. Turon. lib. 10. cap. 9. inquit: [ Epiſcopus cum Clericis, & pagenſibus ſuis, ] ideſt, cum Clero, & laico populo ſuæ Diœceſis; nam ſi pro pagenſibus, Pagorum incolas intellexiſſet, dicere debuerat; Cum clero, civibus, & pagenſibus.

PAGINE, & *Pagineuma*. In inſcriptione marmorea Civitatis Leoninæ ad Vaticanum, quæ a Leone Papa IV. contra Saracenorum incurſiones ædificata fuit, quod vocabulum aggerem ſignificat. In quibus mœniis uſque ad tempora Martini V. adhuc extabant XLIV. ſcilicet, turres, & MCCCCXLIV. pinnulæ numerabantur. FR. in qua Civitate Leonina duæ inſcriptiones extabant, in una ſic [ ✠ Temporibus Dom. Leonis. Q. PP. hanc pagine, & duas turres ſalti ſine militia conſtruxi. ✠ ] & in alia [ Hanc turrem, & pagine una facta a militia capracorum tēm Dōm Leonis Quar. PP. Ego Agatho ci ..... apud Torrig. de Crypt. Vatic. ſecunda impreſſ. pag. 400. 401. & 406.

PALÆSTRA. Vide *Aſceterium*.

PALÆSTINI, pop. FR. ab Ethinicis Judæi intelliguntur. [Non alieni ab impiorum Palæſtinorum moribus. Nam & illi hoc habent impietatis ſignum, quod Deos eſſe non putent, atque hi a Græcis, atque adeo bonis omnibus quodammodo diſſentiunt; in reliquis quidem rebus umbra ſua magis muti: Ariſtides in Biblioth. Photii tit. ex communi defenſione pro Rhetorica. ] Sed Palæſtini ab Hebræis Philiſtæi intelliguntur. Vide *Philiſtei*.

PALATHA, παλάθη. maſſa ficorum ſiccorum. [ Impoſuit abræ ſuæ aſcoperam vini, & vas olei, & polentam, & palathas. Judith. cap. 10. ] FR. de eodem vocabulo fit etiam mentio in 2. Reg. c. 16. n. 1. & 2. Item in 1. Paralip. c. 12. n. 40.

PALATIUM. Vide *Sarajum*. Palatium vaticanum a quo Pontifice primo ædificatum fuerat. Vid. *Breviarium*.

PALEA, hic titulus ſæpe in Gratiani decreto reperitur. Aliqui putant, quod hæc dictio ſignificet res parvi momenti; ſed contrarium conſtat; nam decreta conſiderabilia, & magni ponderis ibi leguntur. Alii etymon a voce græca παλαιὰ, quæ res antiquas ſignificat, deducunt, dum ibi vetuſta continentur, quod videtur veriſimilius: ſed *Palæa* ſcribendum eſſet. Alii denique ab adverbio etiam græco πάλιν, quod iterum denotat, provenire exiſtimant, quia in illis decretis replicatur idem fere, quod in præcedenti capitulo continebatur. Opinio autem illorum, qui dicunt, quod tales tituli ſint cujuſdam Cardinalis *Protopalea*, non habet ullam ſubſiſtentiam; nullum enim hoc nomine appellatum fuiſſe Cardinalem legitur. FR. Cotta in ejus Memorial. Juris tit. de juriſperitis. §. Poſtquam, ait: Paleam fuiſſe Gratiani diſcipulum, ac ibi addidiſſe omne id, quod inter M.SS. ſui Magiſtri poſthuma repererat, & quod hic Palea ſummaria ad Gratiani capitula præſcripſerat: ac pro ſe Cotta citat Joannem Andream in ſua de ſpec. paraph. tit. de diſp. & allegat. in fine, ac late Joannem Imolam poſt Salicetum in rubr. ff. de verbor. obligat. in 2. & 3. colum. Qui autem exiſtimarunt *Paleam* ſignificare rem frivolam, ac parvi momenti, ex eo inducti ſunt, quia res apocryphæ non raro afferuntur ibi, quæ palea ſiquidem ſunt, dum ſubſiſtentiæ pondere carent; & parum refert, quod antiquæ, ac ſeriæ ſint, dum veriſimilitudinis circumſtantiis non corroborentur: cujuſmodi ſunt exempli gratia in cap. Olius Papa diſt. 56. cujus titulus eſt: [Damaſus Hieronymo ſcribit.] Damaſus enim, qui tempore D. Hieronymi Romanam ſedem rexerat, obiit an. 384. Quomodo ergo hæc potuerat ſcribere, nempe: [Bonifacius Papa fuit filius Jocundi Presbyte-

ri. Fœlix Papa filius Fœlicis Presbyteri de tit. faſciolæ. Agapitus Papa filius Gordiani Presbyteri. ] ſi Damaſo Bonifacius poſt triginta quinque annos ſucceſſerat: nempe de anno 419. quando Bonifacius regnare cœperat. Fœlix tit. faciolæ fuit ipſemet Papa III. poſt Damaſum 99. annis, ideſt, de anno 483. Agapitus per annos 151. poſt Damaſum, quia in Pontificali Cathedra ſedere cœperat anno 535. & ſic de aliis ibi ſucceſſive nominatis Pontificibus, unde verba ſuperant errores. Oſius in primis non fuit Papa, & ſi de Oſio Cordubenſi Epiſcopo intelligatur, tempore Gratiani nomen Papæ non habebant amplius Epiſcopi: deinde valde apocrypha res eſt, Pontifices Sacerdotum filios fuiſſe. Item Palea ſæpe hiſtoriam tripartitam citat, quæ apocrypha reputatur, de qua D. Anſelmus Lucenſis Epiſcopus in ejus Apologet. 1. num. 17. inquit: [ Quod vero in Hiſtoria tripartita legitur &c. Hoc autem nil nobis adverſatur, cum B. Gregorius eandem hiſtoriam mendoſam, & a Romana Eccleſia repudiatam affirmet. ] Quare imperite nimis aliqui, ex ſupra dicta Paleæ auctoritate apocrypha, decepti aſſeruere Damaſum Geſta Romanorum Pontificum ſcripſiſſe, quod nullo modo probatur. Blondus enim in primis lib. 10. decad. 1. ſic affirmat: [ Petrus Gulielmus Lateranenſis Eccleſiæ Bibliothecarius, omnium eſt antiquiſſimus, quos de rebus geſtis Eccleſiæ, & Romanorum Pontificum ordine videmus ſcripſiſſe. ] Atque Baronius, ann. 69. ait: [ Hæc accepta eſſe noſcuntur ex libro vulgato nomine Damaſi de Romanis Pontificibus; ſed a diverſis Auctoribus ( ut verius puto ) collecto ] Item Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Damaſo: [ Tribuitur S. Damaſo liber de vitis Pontificum, qui extat in primo tomo Conciliorum; ſed liber ille eſt Anaſtaſiii Bibliothecarii, non Damaſi, ut notum eſt. ] Philippus tamen Labbè de Scriptoribus Eccleſ. in Damaſo, ex eo inducitur contrarium aſſerere, quia teſtatur ſe vidiſſe MS. codicem optimæ notæ tempore Caroli Magni exaratum, in quo vitæ illæ Damaſo jam tribuebantur, antequam haud natus eſſet Anaſtaſius. At in primis iſte Eruditiſſimus contra proprium ſtylum talia adducit; nam quando m. ss. citat, ſolet illa ſemper, ubi nam reperiantur, manifeſtare, hoc autem m. s. ubi extet, non exprimit. Secundo in characteribus antiquis ſæpe Antiquarii falluntur, & in diverſis ſæculis multi Scriptores antiquos characteres adamuſſim imitari profeſſi ſunt. Tertio ait, quod vitæ illæ Damaſo tribuebantur, ergo non erat Auctor in hoc aſſerto m. s. notatus. Quarto, ſi Damaſus geſta Pontificum ſcripſiſſet, ejus familiaris Hieronymus in tractatu de Script. Eccleſ. ubi ſcripta ejuſdem Damaſi recenſet, certe de hoc Damaſi opere mentionem feciſſet. Ad objecta vero, quod Anaſtaſius poſt Carolum Magnum fuerat in fatis, poſito quod aſſertum m. s exiſtat, & tempore ejuſdem Imperatoris exaratum fuerit. Reſpondetur, inter Carolum, & Anaſtaſium non niſi quinquaginta annos interceſſiſſe, in quo temporis ſpatio veriſimile non videtur, quod in characteribus potuiſſet eſſe tanta varietas, ut Antiquarii valerent de luſtro ad luſtrum differentiam internoſcere. Inſuper reſpondetur, quod æquivocum Auctorum fuit de uno Bibliothecario pro alio, nam Petrus Gulielmus Bibliothecarius, ut ex citato Blondo colligitur, floruerat ante prædictum Carolum, & Anaſtaſius non compoſuit; ſed deſcripſit Pontificum vitas, licet aliqui omnino negent Anaſtaſium talia neque deſcripſiſſe, ea inducti ratione, quia ille vir doctiſſimus fuerat, & lingua latina optime eruditus, ut ex aliis ejus operibus ſatis liquet, ac proinde tale opus græciſmis refertum, ſuum eſſe non creditur: ſed potius ex græco auctore Anaſtaſius illud deſcripſerat, quando nempe Anaſtaſius ad Græcum Imperatorem anno 869. a Pontifice Romano miſſus fuerat, ut in prædicto anno Baronius teſtatur ubi ſextam Synodum ex græco in latinum traduxit, & pari modo vitam S. Dionyſii Areop. a S. Methodio compoſitam, latine ab eo traductam Carolo Calvo miſerat. Baron. an. 876. Item traduxit ex græco Theophanem. Idem Baron. ann. 813. num. 9. & 10. Ac ſignanter ex græco in latinum vitas Pontificum Romanorum a Theophane, & Georgio græcis Auctoribus compoſitas translataſſe, S. Anſelmus Lucenſis Epiſcopus apolog. 1. qui per duo ſæcula circiter poſt Anaſtaſium vixerat, teſtatur his verbis: [ Anaſtaſius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius in Chronica, quam de græco in latinum ſermonem tranſtulit, quamque ex vetuſtiſſimis Chronicis Græcorum compilaverant quidam græci Dei cultores, Theophanes, ſcilicet, & Georgius, quos idem in ejuſdem libri præfatione miris laudibus extollit, in qua chronica de Imperio Anaſtaſii ſic ſcribit &c. ] Ubi clare videtur Theophanem, quem Baronius ſupra ait ab Anaſtaſio traductum fuiſſe, non niſi de Pontificum chronica intelligendum eſſe, ac manifeſte comprobatur id, quod dicit Lucenſis Epiſcopus, dum in præfatione ejuſdem libri de Vitis Pontificum Anaſtaſium laudes illorum Auctorum extollere, itaque Anaſtaſius græcis uſus eſt vocabulis in ejus narratione, quia ipſemet ad Joannem Diaconum ſcribens verba Theophanis alterare noluiſſe teſtatur. Baronius ann. 813. numer. 10. Quamvis alias linguæ latinæ ille eruditiſſimus fuiſſet. Sed huic digreſſioni, quam erudito Lectori non fore ingratam exiſtimo, finem imponendo; ad alias Paleæ implicantias redeamus. Ait enim D. Gregorius in can. Mennam 2. quæſt. 5. [ Vulgarem denique, & nulla canonica ſanctione fultam legem, ferventis, ſcilicet, ſive frigidæ aquæ, ignitique ferri contactum, aut cujuslibet popularis intentionis: ( quia fabricante hæc ſunt omnino ficta invidia ) nec ipſum exhibere, nec aliquo modo te volumus poſtulare; imo Apoſtolica auctoritate prohibemus firmiſſime. ] Si hæc tam rigoroſe a Sanctis Patribus prohibita erant, ut diximus in d. *Judex purgationis. Juramentum. Miſſa Judicii*, & in dict. *Purgator* agemus etiam: quomodo Palea in eadem 2.

quæſt.

quæſt. 5. ſubjungit, quod Triburienſis Synodus, quæ per duo ſæcula poſt D. Gregorium (intelligo priorem Synodum) celebrata fuerat, talia juramenta in certis caſibus auferat ordinare? Hoc liquidem nonniſi apocryphum eſſe dicere oportet. Et ſic in aliis decretis ab eo adductis, quod eſſet longum referre, & cenſuris notare. Quin & ipſius Gratiani, qui fuit Caſinenſis Monachus Monaſterii S. Procli, patria Tuſcus, & Bononiæ Decretalium Profeſſor, de anno 1151. colligere cœperat ad componendum ejus volumen Decretorum, ac de anno 1561. terminaverat, ut Auctor eſt Cherubinus Ghirardaccius in ſua hiſt. Bonon. par. 1. lib. 2. & 3. & Gloſſa in §. forma Apoſtolorum. 2. quæſt. 6. licet in corpore habeatur de anno 1165. de qua re diffuſe Cald. in proœm. decretal. 3. col. Card. Alex. in præfat. decreti in principio, Gratiani inquam, opiniones non ſolent acceptari, & in multis reprobantur. Idem Card. Alexandr. loc. cit. & Felinus, in c. 2. col. 24. de reſcriptis, Auguſt. Barboſ. in proœm. Collectan. num. 8. Quare multo magis improbanda ſunt aſſerta Paleæ decreta. Vide *Canon*.

PALEFREDUS, equus curſor. [ Miſerunt prædicto nobili viro per quemdam familiarem ſuum palefredum albiſſimum. Gulielmus Tyrius de bello ſac. lib. 13. c. 23.] Ab aliquibus tamen *Palifridus* ſcribitur, & ab aliis *Palfredus*.

PALERGIUM, apud Anaſtaſ. Biblioth. ſed ſcribi debet *Perergium* ex græco πάρεργον, quod appendix, & corollarium ſignificat.

PALESTES, græca vox παλαιςὴ, qua utitur D. Hieronymus in, c. 40. Ezechielis: ſignificat menſuram unius palmi minoris, ex quatuor geometricis digitis conſtantis.

PALIFICO, palam facio, & manifeſto. [ Vitam, ordinationem, nec non & obitum ſacratiſſimum qualicumque ſtylo palificare geſtientes. In vita S. Severi Ravennatis Archiepiſc. M. S. quæ in Bibliotheca Vallicellæ de urbe conſervatur.

PALIFICO, ideſt palis munio. Vide *Paxillo*.

PALIFRIDUS. Vide *Palefredus*.

PALI TERMALES, confinia, & termini. [ Palos termales figitis Deo. Tertull. de jejun. cap. 11. ] Ubi metaphorice de Deorum potentia limitata ad peculiares res loquitur.

PALLA, pars corporalis, ſive parvum corporale, quo calix cooperitur. dicitur Palla a *Palliando*, quæ *Animetta* etiam appellatur; quia in corporale, quaſi anima in corpore includitur. Antiquitus tegebatur calix eodem corporale, ut dictum eſt in dict. *Corporale*. Unde *Palla corporalis* dicebatur; nam nomen Pallæ ſimpliciter ſignificat Altaris mappam, quæ debet eſſe lines, & non bombycina, ut inſtruunt Rubricæ. Scribit Franciſcus Hallier in lib. de electionibus, & ordinationibus, quod quando pueri ab eorum parentibus offerebantur alicui Eccleſiæ, involvebantur in mappis Altaris, & ſic remanebant oblati in ſervitium illius Eccleſiæ, ſive Monaſterii. De hac cæremonia fit mentio etiam in c. 54. Regulæ S. Benedicti his verbis: [ Si quis forte de nobilibus offert filium ſuum Deo in Monaſterio, ſi ipſe puer in minoritate eſt, parentes ejus faciant petitionem, quam ſupra diximus, & cum oblatione ipſam petitionem, & manum pueri involvant in palla altaris, & ſic eum offerant. ] Ac eadem functio ſpecificatur in can. præſens 20. quæſt. 3. Ubi pater de nullitate profeſſionis filii ſui in Religione inter alia allegabat, quod: [ Neque ego pater ejus palla altaris indutum illum obtuli. ] Et eodem modo fiebant oblationes Eccleſiæ de rebus ſtabilibus: ſic enim legitur in donatione Tertulli favore Monaſterii Caſinenſis: [ Atque per pallam altaris S. Joannis Baptiſtæ, eidemque Patri obtuli, &c. ] Ubi ſequuntur ejus ſtabilium donationes. In Archivio Cathedralis Viterb. inveni ſcriptum, quod fideles ponebant ſuper caput Altaris pallam in præſentia Archipresbyteri, & ſic conſtituebantur oblati, & eorum bona S. Laurentio offerebant. De Palla calicis. Vide *Animetta*. *Calix*. *Corporale*. Cætera. Vide *Linoſtima*.

PALLIA. FR. fortaſſe Altaris frontiſpicium, ſive culcitra. [ Duodecim pallias, quæ pendent ſub arcis, una cum velo ſerico, quod habet hiſtoriam Nativitatis Domini. Apud Torrigium de Crypt. Vatican. impreſſ. 2. pag. 505.

PALLIO. FR. verbum, abſcondo, tego: ] Tu ergo, quod factum eſt, ſi ſtudeas palliare, ut id in confuſionem tuam, & ad Sedis Apoſtolicæ opprobrium non redundet. De auctoritate, & uſu Pallii, cap. 3. Ad palliandum tantæ præſumptionis exceſſum, lib. 5. decretal. tit. 31. c. 11. Secundo autem dicimus non licere, ne viam aperiamus iis, qui pravitatem ſuam ſatagunt palliare, lib. 3. decretal. tit. 12. cap. ult.

PALLIOLUM. Vide *Birrus*.

PALLIUM, ſacrum inſigne a Pontifice Patriarchis, Metropolitis, atque Archiepiſcopis conceſſum, ab Altari, ſub quo corpora Principum Apoſtolorum quieſcunt, deſumptum, ac loco ſuperhumeralis Summi Sacerdotis antiquæ Legis ſucceſſum, ut inquit Durand. in ejus Rationale, lib. 3. cap. 17. a Græcis ωμοφόριον dicitur. Vide in dict. *Evangelium*. §. Simon Theſſalonicen. & a Latinis *Stola Apoſtolatus*, *Stola Archiepiſcopatus*, *Stola Pontificalis* appellatur. Vide etiam *Pſachnion*. Texitur autem ex candida lana cum aliquibus nigris crucibus, quæ tamen Cruces antiquitus erant rubræ. [Super hæc omnia Summo Pontifici propter Apoſtolicam vicem pallii honor decernitur, quod genus indumenti Crucis ſignaculum purpureo colore exprimit, ut ipſo indutus Pontifex a tergo, & pectore Crucem habeat. Raban. de ordin. antiph. ] Cujus partes ab Innocentio III. de offic. Miſſ. egregie deſcribuntur, nimirum: [ Pallium illud, quo majores Epiſcopi utuntur, eſt de candida lana contextum, deſuper habens circulum humeros conſtringentem, & duas lineas ab utraque parte pendentes, quatuor Cruces purpureas, ante, retro, a dextris,

tris, & a ſiniſtris; ſed a ſiniſtris duplex eſt, & ſimplex a dextris. Tres etiam acus aureæ infiguntur pallio ante pectus, ſuper humerum, & poſt tergum, ſuper dexterum humerum non infigitur. Hæc quælibet acus pretioſum continet lapidem.] FR. appellatur Pallium a Petro Damiano *Tribalthon*, quia trium colorum erat in ſymbolum Sanctiſſimæ Trinitatis. [Pallium tribalthon nuncupatur; trium, quippe, colorum eſt, & balton &c. lib. 4. epiſt. ad Epiſcopos, epiſt. 7. tom. 1.] Magnus vero Conſtantinus *Lorum*, & *Superhumerale* illud appellat. [Necnon & ſuperhumerale, videlicet, lorum, quod Imperiale circumdare aſſolet collum, in can. Conſtantinus, diſt. 96.] Sed non *Phrygium*, ut Baronius autumat; de quo nos in dict. *Mitra* egimus. Pallium eſt plenitudinis Officii Pontificalis inſigne, lib. 5. decretal. tit. 33. cap. 23. Quod Patriarchæ ſuis ſuffraganeis concedere poſſunt. Ibidem. : || : Pallium myſtice denotat ovem, quæ perierat, ac inventa ſuper humeros Paſtoris dilecti poſita fuit: [Epiſcopi humerale ex lana, non ex lino, ſignificat pellem ovis errantis, quam Dominus humeris ſuis ſuſtulit. Iſidor. Peluſiot. lib. 1. epiſt. 136.] Quod ideo ex lana nonnullorum agnorum candidorum conficitur, qui in feſto S. Agnetis, & in ejus Eccleſia poſita in via Numetana a Canonicis Regularibus, S. Salvatoris nuncupatis, ibi commorantibus, duo numero pro canone quotannis Lateranenſi Baſilicæ contribuuntur. Itaque præfatæ S. Agnetis Abbas peracta Miſſa cantata, hos agnos ſuper Altare collocatos, ac floribus coronatos benedicit, qui deinde nomine Lateranenſium Canonicorum ab eorum Cæremoniarum Præceptore recipiuntur, qui Manſionario tradit: hic eos ſuperponit equo, qui tapeto coopertus ſuper ſerica pulvinaria jacentes defert, & ad Pontificis pedes offert, qui ſolita benedictione eos ſignat. Tunc Apoſtolicorum Subdiaconorum Camerarius illos deſumit, & Monialibus alicujus Monaſterii ad placitum Sanctiſſimi nutriendos tradit. FR. Ordo Romanus a Georgio Caſſandro Coloniæ de anno 1561. impreſſus, pag. 65. hæc habet: [Fertur, quod antiquitus nutriebantur candidi Agni ſine macula per Moniales Albas Monaſterii, S. Andreæ prope S. Marcellum de Urbe, & in Dominica in albis, dum canebatur Agnus Dei, circuibant Agni hujuſmodi Altare Sancti Petri.] : || : Cura vero texendi, & ornandi pallia ad Subdiaconorum Apoſtolicorum Decanum ſpectat; quæ perfecta deinde Canonico Altariſtæ Baſilicæ Vaticanæ ille conſignat; & in primis Veſperis feſti SS. Petri, & Pauli ſuper ſepulcra eorumdem Sanctorum collocantur, ibique per totam illam noctem manentia, ac ſequenti die extracta, Canonicis ejuſdem Vaticanæ Sacriſtiæ Præfectis traduntur, ut inter ſacras reliquias aſſerventur, quæ poſtmodum exigente opportunitate ab Apoſtolicis Subdiaconis poſtulantur. Vide *Altariſta*. Pallium Archiepiſcopus, ſeu ejus procurator a Decano Sacri Collegii, & ex ſingulari favore a Papa aliquando accipit. FR. Pro quo nihil ab accipientibus ſolvendum eſt. Baron. ann. 565. num. 58. an. 743. num. 8. & ſeqq. : || : Vide etiam *Paſtellus*. Papa autem, quia plenitudinem poteſtatis a Deo immediate recipit, ideo in ejus conſecrationis die, in principio ejuſdem ſolemnis Miſſæ, peracta confeſſione, ſuis manibus ex Altari pallium deſumit, quo tradito Sac. Collegii Decano, hic ei imponit, dicens: [Accipe pallium ſanctum plenitudinem pontificalis officii &c.] Solo Summo Pontifici dicitur *Accipe*: nam cæteris dicitur: [Tradimus tibi pallium de Corpore B. Petri ſumptum in plenitudinem Pontificalis dignitatis.] Myſterium autem trium aurearum acuum ſic Gemin. lib. 1. cap. 22. explicat, inquiens: [Spinulæ, quibus pallium aſſigitur, ſunt clavi, quibus Corpus Chriſti cruci aſſigitur.] Quomodo autem in aliis ſolemnitatibus Papa induitur Pallio. Vide *Fanon*. Pallii uſum initium habuiſſe a S. Lino Papa I. aſſerit Reverendiſſimus Marcellus in ſuo Cærem. lib. 1. cap. 8. & pro ſe teſtimonia S. Maximi hom. de Veſt. Sacerd. Euſebii Cæſarienſis ſerm. de Epiph. adducit; ſed in S. Maximi opere aſſerta homilia, & in Euſebii ſcriptis ſermo de Epiphania non extant. Rupertus vero pallium introductum ab Apoſtolis fuiſſe ait. FR. ſi non æquivocaret Rupertus, non de pallio Pontificali, ſed de pallio indumentali, quo in primitiva Eccleſia utebantur Chriſtiani, hunc Auctorem intellexiſſe fatendum eſt, de quo pallii uſu diſerte egit Baronius ann. 57. nu. 91. 94. 95. 96. Quo hodie Monachi utuntur. Ibid. nu. 97. Certum quidem eſt, ut idem Cardinalis affirmat ann. 336. n. 63. quod uſque ad annum 32. imperii Conſtantini Magni nullibi de pallio Pontificali fit mentio, nec imaginabile eſt Apoſtolos talia exercuiſſe, dum nec litteraliter, nec interpretative apud ullum probatum, & antiquum Auctorem colligi poteſt. Præterquamquod Baronii atteſtatio prædicta concordat cum can. Conſtantinus ſupra relato. : || : Licet autem ſoli Patriarchæ, & Metropolitæ habeant pallii uſum, tamen reperiuntur nonnulli Epiſcopi ſimili privilegio decorati, ut ſunt, exempli gratia, Epiſcopus Lucenſis in Hetruria ex conceſſione Gregorii VII. Ticinenſis, ſive Papienſis ex indulto Anaſtaſii III. & Veronenſis ambo in Lombardia; ex epiſtola enim Gregor. VII. Brunoni Veronenſi Epiſcopo ſcripta habetur illi uſum pallii conceſſiſſe. Item Epiſcopo Hoſtienſi S. Marcus Papa conceſſerat pallium. Baron. ann. 336. num. 63. Epiſcopo Bambergienſi in Germania, ex conceſſ. Leonis IX. Dolienſi Epiſcopo in Gallia, ex conceſſ. Pelagii I. Auguſtodunenſi, ex conceſſ. Gregor. Magni, ex eo quia cooperavit in converſione Catholica totius Angliæ, auxiliando, nempe, Auguſtinum ab eodem D. Gregorio ad hunc finem ibi miſſum. FR. Pallium non fertur niſi in certis ſolemnitatibus, can. contra morem, diſt. 100. quæ exprimuntur in Gloſſa in, can. ad honorem, de auctorit. & uſu pallii. Ubi etiam tradit formam in collatione ejuſdem : || : Sed Pontifex Romanus ubique, & in omni tempore utitur pallio,

lib.

lib. 1. decretal. de auctoritate, & uſu pall. can. ad honorem. FR. Non poteſt pallium aliis commodari, lib. 1. decretal. tit. 8. cap. 2. Nec uni conceſſo, intelligitur etiam ſucceſſori donatum; ſed ſemper novus Archiepiſcopus debet illud poſtulare a Sede Apoſtolica. Baron. an. 432. n. 9. & Sac. Congregat. Rituum, 4. Mart. 1606. Blondus decad. 1. lib. 2. ex teſtimonio Agnelli Ravennatis ejuſdem Eccleſiæ antiqui ſcriptoris, hæc refert: [ Ornavit Valentinianus Imperator Joannem Epiſcopum Ravennaten. pallio ex candida lana confecto, quo ſolus tunc Imperator uteretur. Quod quidem ſuperbiæ incentivum effeciſſe videmus, ut Epiſcopi Ravennates eas habuerint cum Pont. paritatis contentiones, de quibus ſuo tempore dicemus. ] Quod tamen Baronius negat dicto anno 432. num. 91. Eccleſiaſtici Imperii Electores ſi carent pallio, non poſſunt eligere, nec conſecrare Imperatorem. [ Conradus Imp. &c. qui mox ad palatium Aquis veniens, a prædicto Cardinali (nam Colonienſis, qui id facere jure debuerat, noviter inthronizatus pallio carebat) cooperantibus Colonienſi, & Trevirenſi Archiepiſcopis cum cæteris Epiſcopis in Regem ungitur. Otto Friſingen. lib. 7. cap. 22. :||: Functiones Epiſcopales minime exercere poteſt Archiepiſcopus, antequam pallium recipiat, can. niſi ſpecialis, de auctoritate, & uſu pallii, can. quod ſicut, & can. ſpecialis, de elect. Et hoc currit a die ejus conſecrationis, etſi jam antea in Epiſcopum eſſet conſecratus, a die tamen confirmationis intelligitur; aliter in pœnas cadit, quæ in can. quoniam diſt. 100. continentur. Quod vero limitatur, quando in aliena Diœceſi tanquam ſimplex Epiſcopus munera epiſcopalia de licentia Ordinarii loci exercere vellet. Auctores apud Matthæum Paulum Leonem in tract. de Auctoritate, & uſu pallii Pontificii. Ubi etiam ſuſtinet, quod quando privilegium deferendi pallium eſt locale, & non perſonale, uti ſunt Epiſcopatui conceſſa, de quibus aliquos numeravimus ſupra; hi enim poſſent numera Epiſcopalia libere exercere ante obtentum pallium; itaque pœnæ in canone contentæ ſolum in Archiepiſcopos, & alios Primates tendunt, qui non gaudent privilegio locali. Si pallium deperdi contigerit, tunc Archiepiſcopus non poſſet ex ſe aliud formare; ſed denuo a Sancta Sede aliud impetrare teneretur, ut noſtris temporibus Manfredionenſi Archiepiſcopo accidit, cui quia a pyratis infidelibus pallium deprædatum fuerat, tunc ad Urbanum VIII. pro alio recurrere neceſſe fuit, & in tali caſu Papa ex gratia vivæ vocis oraculo illud concedere ſolet. Quando Archiepiſcopus ſua Sede relicta ad alium Epiſcopatum deſcendit, tunc uti Epiſcopus pallio amplius frui non poteſt. Sac. Rit. Congreg. 16. Octobr. 1604. Si Archiepiſcopus in propria Provincia moritur, tunc pallio indutus ſepeliri debet; at extra Provinciam obiens, cum pallio ſub capite ſepelitur. Caſtal. in praxi cærem. lib. 1. ſect. 10. num. 2. Abuſus autem pallii inter Græcos dupliciter notatur, primo, quod ſolent ex ſerico illud contexere, cum ex lana fieri deberet, ut Græcuſmet Auctor Simon Theſſalonicenſis fatetur, his verbis: [ Ideo enim ex lana quoque texitur, quoniam erraticam ovem, ideſt, naturam noſtram ſignat. ] Et licet Joannes Diaconus in vita S. Gregor. Papæ dicat præfatum Pontificem candido, byſſinoque pallio uſum fuiſſe, vel debet intelligi de tegumento, vel ſi de pallio Pontificali loquatur, fuiſſe lana mixtum indubitanter intelligere oportet. Secundus Græcorum abuſus eſt, quod omnes locorum Ordinarii illud deferant, quum hic illaudatus mos antiquæ eorum Eccleſiæ omnino adverſetur; illorum enim Patriarcha, quotieſcumque ceſſabat ſchiſma, tunc ſemper pallium a Romano Pont. poſcebat; unde Luitprandus in ſua legatione inquit: [ Vidimus Conſtantinopolitanum Epiſcopum pallio non uti, niſi Sancti Patris noſtri permiſſu. Subjungitque, quod temporibus Theophylacti Eunuchi, & Conſtantinopolitani Patriarchæ, qui violenter a Pontifice Rom. pro ſe, & ſucceſſoribus ferendi pallium ſine Sedis Apoſtolicæ licentia indultum extorſerant, atque ex tunc talem abuſum cœpiſſe, nimirum: [ Ex quo turpi commercio vituperandus mos inolevit, ut non ſolum Patriarchæ, ſed etiam Epiſcopi totius Græciæ palliis utantur. ] FR. indultum fuit Joannis Papæ XI. nam Albericus Romæ Tyrannus violenter pro hac conceſſione Pontificem coegit, dum in carcere illum incluſum arctaverat. Baron an. 934. num. 1. :||: Conſtat item, quod Juſtinianus ſuam patriam privilegiis nobilitare cupiens, quam Juſtinianam Civitatem appellaverat, Agapitum Papam I. rogaverat, ut illius Civitatis Epiſcopo pallium concederet. Baron. an. 535. num. 55. Quod tamen, ne in hoc præjudicium Metropolitanis fieret, concedere recuſavit. Baron. ibid. num. 57. & 58. Sed Vigilius deinde Papa crebris inſtantis moleſtatus conceſſerat. Baron. ibid. nu. 56. De quo indulto etiam D. Gregorius, lib. 4. epiſt. 15. mentionem facit; atque vigore hujuſmodi Romanæ Sedis privilegiorum, uſque ad præſens illa Juſtiniana Civitas a Patriarcha Conſtantinopolitani juriſdictione exempta exiſtit. FR. Quo vero ad Patriarcharum auctoritatem concedendi eorum ſuffraganeis pallium, intelligitur facultas hæc, ſi acceperint Patriarchæ a Pontifice pallium cum ſolito fidelitatis Juramento &c. ut cautum eſt in cap. Antiquæ, de privil. & exceſſ. in lib. 5. decretal. :||: Pallium vero, de quo Tertullianus tractatum inſtituerat, eſt longe ab Epiſcopali diverſum; quod a Phariſæis ferebatur. Baron. in Apparat. n. 9. FR. Tiberius item Cæſar circa id legem ſanciverat. Idem Baron. ann. 16. num. 6. Illoque Romæ aqua, & igne interdicti inducebantur, item Virgines Deo conſecratæ. Idem an. 57. num. 91. Poſtea Chriſtiani abjecta toga, illud ferebant, unde apud Gentiles adagium illud: *De toga ad pallium*. Ibid. num. 94. & ſeqq. Quod erat quadrangulum. Ibid. Item de philoſophico pallio, quo utebatur Porphyrius. Ibidem,

num. 96. Eratque fuſci, & obſcuri coloris. Ibidem, n. 97. & anno. 197. num. 7. & ſeqq. Item pallium, quod Auguſtus prohibuerat, Monachis in uſu deinde remanſit. Idem an. 57. nu. 97. Uſique ſunt quandoque nonnulli Chriſtiani. Idem Baron. an. 197. n. 7. Et poſtea omnes communiter. Ibidem n. 8. & 9. :||: Ubi ipſe Cardinalis errorem Pamelii manifeſtat, qui dixerat Tertullianum cœpiſſe religionem Chriſtianam profiteri, ex quo hujuſmodi pallio cœperat uti. FR. Pallium, quod a Phariſæis ferebatur, in quatuor angulis habebat violaceas ligulas, & in extremitatibus fimbriæ ſpinas circumpoſitas, quæ in ambulando pedes compungebant, ſicque emanantem ſanguinem oſtentabant. D. Hieronymus in cap. 23. Matth. num. 15. Vide *Tabardum*.

Palma Arbor. Vide *Baja*, *Elatæ*, *Palmarum feſtum*.

Palma, pro manu. Vide *Manus*, *ſive palmas ſuſpendere*. FR. Item hæc Phraſis *Perductus ad palmam* non ſemper intelligitur *Martyrii*, niſi expreſſe ponatur hæc ultima dictio, quemadmodum ad lectiones S. Vitalis Martyris in pervetuſto Breviario Licienſi de libro S. Ambroſii (ut ibi dicitur) deſumptas habetur, quod Urſicinus: [ Cumque jam veniret ad palmam, & expaviſſet &c. ] & inferius ubi narratur Martyrium ejuſdem Vitalis, ſequitur: [ Poſt equulei tormenta juſſus eſt perduci ad palmam; locus autem, ubi decollabantur Chriſtiani, hoc habebat vocabulum, eo quod arbores palmæ ibi eſſent, 28. April. Ex Epiſtola ſub nomine S. Ambroſii, apud Surium, tom. 3. ad 19. Junii, atque Mombritius, tom. 2.

Palmare, ſic denominatum fuit Concilium Rom. ſub Symmacho Papa in porticu Vaticanæ Baſilicæ celebratum, quæ porticus *Palmaria* dicebatur. FR. ſic Anaſtaſius Biblioth. in Honorio: [ In porticu Beati Petri Apoſtoli, quæ appellatur de palmaria. ] Item ad *Palmam auream* Romæ locus in vita S. Fulgentii, fortaſſe inde *Pallara* hodie corrupte dicitur; nam *Ad palmam* erat locus juxta arcum triumphalem Septimii Severi ad radices Capitolii, Florav. Martinello teſte in ejus Roma ſacra, pag. 45. ideſt, ad Ædes Deorum Penatum, ubi hodie S. Mariæ Liberatricis Templum. Nardinus in ejus Roma antiqua lib. 5. cap. 4. pag. mihi 227.

Palmarum Festum, Dominica nempe palmarum, quæ *Dominica florum*, ſeu *ramorum*, *Hoſanna*, *Paſcha petitum*, ſeu *Competentium* dicebatur, de quo aliqua diximus in dict. *Baja*, *Capitilavium*, *Catechumenus*, *Hoſanna*. FR. in Sacramentario S. Greg. Papæ *Dominica in palmis* dicitur, a S. Ambroſio *Dominica in ramis olivarum*, a D. Hieronym. *Dominica indulgentiæ*, quia in hac die propter proximum Paſchæ feſtum liberabantur in carceribus detenti: ab Iſidoro, & Alcuino *Dies palmarum*; ab Anaſtaſio Nicæno *Feſtum palmarum*; a Philotheo Conſtantinopolitano Patriarcha *Feſtum Evangeliſmi palmarum*; a Balſamone *Dominica geſtationis ramorum*:||: In proceſſione hujus diei ſuper humeros duorum Sacerdotum machina, in qua triumphaliter poſitum erat Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, deferri ſolebat, ad denotandum ejuſdem Chriſti triumphum, Lanfranc. c. 1. §. 4. ſive liber Evangeliorum. [ Hodie præparatur quoddam portatorium honeſtiſſime, in quo intromittitur Sanctum Evangelium, quod intelligitur Chriſtus. Albin. de divin. off. ] Et inferius ait, quod machina, in qua erat liber Evangeliorum, a Diaconibus ferebatur: [ Diaconi ſupradictum portatorium cum Evangelio bajulantes. ] Lepida quidem eſt Maronitarum cæremonia in hac die; arborem enim olivarum in Eccleſiam illi ferunt, quæ, poſtquam benedicitur, in publica auctione ponitur, & tandem majorem eleemoſynam offerenti datur, qui ab ejus conſanguineis auxiliatus in proceſſione defert, ac in culmine arboris filium ſuum, ſeu alium puerum collocat, ibique puer lætitiæ acclamationes profert, in regreſſu autem proceſſionis omnes arborem aggrediuntur, & ramunculos devotionis cauſa abſcindunt. Antiquitus etiam in aliis diebus ſolebat Pontifex peregrinis ramos palmarum in ſignum victoriæ pro reditu viſitationis Terræ Sanctæ diſtribuere, quibus etiam Cruces ad collum imponebat. Rog. in Annal. Anglican. Vide *Palmatus*. FR. Difficultas quidem inſurgit in illis verbis benedictionis palmarum, nimirum: [ Intellexit enim jam tunc illa hominum beata multitudo præfigurari, quia Redemptor noſter humanis condolens miſeriis pro totius mundi vita cum mortis principe eſſet pugnaturus, ac moriendo triumphaturus; & ideo talia obſequens adminiſtravit, quæ in illo & triumphos victoriæ, & miſericordiæ pinguedinem declararent.] Quomodo enim intellexerat illa beata multitudo Hebræorum redemptionis humanæ myſteria? ſi quidem notum eſt, quod turbæ illæ tales cogitationes minime habuerint; ſed eorum ſignis triumphalibus Chriſto exhibitis, illi tanquam Regi, ac Domino occurrere intendebant, putantes non eſſe Chriſtum moriturum; imo nec adhuc ipſimet Apoſtoli, adhuc ineruditi, hæc myſteria, quæ Eccleſia in prædictis verbis canit, in palmarum, olivarumque ramis denotata percipiebant? Dubium hoc ſic reſolvunt Gratianus in 3. part. qu. 2. & Janſenius in Concord. Evangeliſt. quod verbum *Intellexerat* verificatur; nam Spiritus Sanctus turbas taliter operando inſpirabat, eodem modo, quo Caiphas Chriſti mortem Gentibus redemptionem prophetaverat allaturam, & de Magdalena, quæ prævenerat ungere Domini caput, idem Dominus dixerat, [ Ad ſepeliendum me fecit ] licet illa tale obſequium hoc fine non præſtiterit; ſed Spiritus Sanctus ad talia illam impulerat. Hæ tamen reſponſiones, etſi piæ, & ob reverentiam doctiſſimorum Auctorum amplexabiles ſint: nihilominus dubioſæ menti pabulum complete minime ſubminiſtrant, exempla enim allata de pontifice anni illius, ac de Magdalena non probant, dictum, ſcilicet, illius, & actum iſtius ipſoſmet intellexiſſe eo fine, quo Evangeliſtæ notarunt; quamvis a Spiritu divino ad ea inducti fuiſſent. Quare melius reſ-

reſponderi videtur, quod Eccleſia vere, ac ſignificatu proprio in illis verbis: [ Intellexit jam illa hominum beata multitudo &c. ] turbam illam beatam appellat, quia nimirum viſione Verbi Incarnati beari meruit. Igitur cum populo hebræo antea de hoc adventu Chriſti Iſaias, c. 62. prædixerit inquiens: [ Tranſite, tranſite per portas, præparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides, & elevate ſignum ad populos. Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ: dicite filiæ Sion: Ecce Salvator tuus venit: ecce merces ejus cum eo, & opus ejus coram illo.] Et clarius, ac in proximiori tempore vaticinavit *Zacharias*, c. 9. dicens: [ Exulta ſatis filia Sion, jubila filia Jeruſalem: Ecce Rex tuus veniet tibi juſtus, & Salvator: ipſe pauper, & aſcendens ſuper Aſinam, & ſuper pullum filium Aſinæ. ] Ideo tanquam res jam revelata, & ab Hebræis ſatis intellecta ſubjungit Evangeliſta Matth. cap. 21. inquiens: [ Hoc totum factum eſt, ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam, dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus ſedens ſuper aſinam, & pullum filium ſubjugalis. ] Ac Joannes, c. 12. [ Sicut ſcriptum eſt: Noli timere filia Sion: ecce Rex tuus venit ſedens ſuper pullum aſinæ. Hæc non cognoverunt diſcipuli ejus primum: ſed quando glorificatus eſt Jeſus, tunc recordati ſunt, quia hæc erant ſcripta de eo: & hæc fecerunt ei. Teſtimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento, & ſuſcitavit eum a mortuis. Propterea & obviam venit ei turba: quia audierunt eum feciſſe hoc ſignum. ] His igitur præmiſſis; Infertur primum, quoad Apoſtolorum inſcitiam de hoc myſterio, ex textu Joannis ſupra, quod ſcilicet cœperant hoc myſterium cognoſcere diſcipuli, dum ſederat Chriſtus ſuper aſinam, ait enim: [ Hæc non cognoverunt diſcipuli ejus primum] ideſt, cum ſuper jumentum vectari juſſiſſet; ideo ſequitur Evangeliſta Jo. [ Sed quando glorificatus eſt Jeſus, ( *a Turbis nempe*) tunc recordati ſunt, quia hæc erant ſcripta de eo. ] Infertur ſecundo, quod verba, quæ Eccleſia ſupra profert in hoc feſto: [ Intellexit enim jam tunc illa hominum beata multitudo præfigurari, quia Redemptor noſter humanis condolens miſeriis &c.] multitudinem illam hanc Dei commiſerationem abunde intellexiſſe ſignificat, de quibus Eccleſ. c. 18. prædicaverat [ Miſericordia Dei ſuper omnem carnem,] & inferius: [ Senſati in verbis, & ipſi ſapientes egerunt, & intellexerunt veritatem, & juſtitiam, & impleverunt proverbia, & judicia.] Et de eiſdem Iſaias, cap. 43. dixerat: [ Vos teſtes mei dicit Dominus. ] Unde Joannes ſupra: [ Teſtimonium ergo perhibuit turba, ] & ſequitur poſt pauca ibidem Iſaias: [ Et credatis mihi. ] Ideo Eccleſia beatam illam hominum multitudinem appellat, quia credidit, [ Et intelligatis, quia ego ipſe ſum, ] ait ibidem Iſaias; & Eccleſia ſupra: ] Intellexerat enim jam illa hominum &c. ] Et tandem Propheta ibidem concludit: [ Populum iſtum formavi mihi, & laudem meam narrabit, ] quando, nempe clamaverunt *Hoſanna &c.* Item Baruch. c. 2. in idem concinens inquit: [ Et ſcient quia ego ſum Dominus Deus illorum, & dabo eis cor, & intelligent; aures, & audient; & laudabunt me in terram captivitatis ] quia Judæi tempore Chriſti erant ſubditi Romanis: & inferius concludit [ Et ſtatuam illis teſtamentum alterum: ] ergo de ſcientia Domini Dei in populo hebræo loquitur, quando illum eſſe Deum intellexerat, & laudavit, *Hoſanna* dicens, & in ſtatuendo alterum teſtamentum, ideſt, Evangelium. Inſuper jam illa beata hominum multitudo, quod Redemptor noſter eſſet cum mortis principe pugnaturus, etiam jam intellexerat; nam ut allegat. ſupra Evangeliſta Joannes ait: [ Et hæc fecerunt ei ] ſtatim reddit rationem: [ Teſtimonium ergo perhibuit turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento, & ſuſcitavit eum a mortuis, propterea & obviam venit ei turba, quia audierunt eum feciſſe hoc ſignum: ] Signum, inquam, quo ſatis turba intelligere potuerat, quod Redemptor eſſet cum mortis principe pugnaturus, dum Lazarum a mortuis ſuſcitaverat. Intellexerat item ſatis illum eſſe verum Meſſiam ex præmonitis Prophetarum ſignis ſupra adductis, licet erraſſet deinde Deo viduata Synagoga, credendo Chriſti humanitatem fuiſſe immortalem: ||: Hymnum autem *Gloria, laus, honor &c.* qui canitur in proceſſione hujus feſti, Sigibertus in chron. & Crantius in hiſt. Sax. apud Baronium an. 835. n. 2. aſſerunt compoſitum fuiſſe a Theodulfo Floriacenſi Abbate, qui cum eſſet bonus poeta, dum in carcere detineretur de quadam conjuratione contra Ludovicum Imperatorem imputatus, prædictos verſus compoſuerat, quos cecinerat in carceris feneſtra, dum Imperator ille in die palmarum illuc tranſiverat: cui taliter placuere, ut detentum non ſolum a vinculis liberaſſet, quin etiam ad Aurelianenſem Epiſcopatum promoviſſet. Sed hæc narrativa merito tanquam fabuloſa a nonnullis rejicitur; nam Albinus, ſive Alcuinus Flaccus, qui obierat ( teſte Baronio ) an. 804. & conſequenter triginta annis ante relatam conjurationem, mentionem facit de hujuſmodi hymno, lib. 1. de divin. off. c. 14. Inſuper ab antiquis Ludovici Imp. Scriptoribus nulla de tali ſucceſſu mentio colligitur. Imo Enghirardus de ann. 1318. & Teganus de geſtis Ludovici Pii, nu. 22. affirmant Theodulphum Aurelianenſem jam Epiſcopum, una cum aliis Coepiſcopis conjuratis in Synodo ab Epiſcopali dignitate depoſitum fuiſſe, & in Monaſterium detruſum, ut ipſemet etiam ad Monduinam Epiſcopum ſcribit, cujus epiſt. inſerta reperitur apud Caniſium, tom. 5. antiq. lect. par. 3, ubi narrat condemnatum eum fuiſſe abſque Summi Pontificis notitia; fuerat nihilominus una cum cæteris complicibus occaſione nuptiarum Lotarii Ludovici filii tandem liberatus, ut ibidem Caniſius refert. Anonymus vero S. Mammantis vitæ Scriptor, cap. 9. Reinaldum Ligonenſem Epiſcopum hujus hymni auctorem facit, quæ vita in Biblioth. Floriacenſi c. 3. legitur. Sed huic opinio-

nioni obſtat ſupradicta Alcuini auctoritas. Debent palmæ in manu teneri, dum canitur Paſſio. Sed tempore elevationis tantum Epiſcopus palmam habere oportet. Cærem. Epiſc. lib. 2. c. 21. S. Cyrillus Hieroſol. in Catech. 10. refert, quod ejus ætate palma arbor, ex qua ſumpſerunt Hebræi ramos, ut Redemptori obviam irent, adhuc per providentiam Dei extabat, ac intacta remanſerat in illo Hieroſolymitano exterminio tempore Titi, & Veſpaſiani Impp. non obſtante totali arborum projectione in illa regione.

PALMATA, genus afflictionis corporalis apud Monachos uſitatum. [ Super metanœis vero, diſciplinis, atque palmatis, ſive etiam brachiis in orationibus extendendis, cæteriſque ſancti fervoris exercitiis, nulla fratres lege conſtringimus. Petrus Damianus. ] Baronius tamen exiſtimat fuiſſe genus pœnitentiæ, & percutiebatur palma manus cum ferula. Sed expoſitio Gretſerii magis placet, qui ait palmatam fuiſſe violentam ad ſolum percuſſionem manus, quando exercebantur metanœæ, ut ſuo loco diximus, quæ erant quædam ad terram proſtrationes, & confirmatur ex eodem Damiano: [ Lorica eſt homo indutus ad carnem, ferreis membra diviſa circulis ambit, mittit cum labore metanœas, allidit in pavimentum ſæpius manus. ] FR. Item Palmata erat inſigne Conſulatus. Baronius, ann. 508. num. 1. Vide *Purpura*.

PALMATINÆ, caryotæ, ſeu caryotides, phœnico balani, dactyli, palmæ fructus: [ Et quoniam non delectamur zeniis, palmatinas, quas tua direxit Fraternitas, cum gratiarum actione ſuſcepimus. D. Greg. lib. 1. epiſt. 64. ] Baronius tamen genus vini pretioſi fuiſſe exiſtimat; ſed tunc *Palmatianum* diceretur; quemadmodum ſcribit Caſſiodorus, lib. 12. cap. 11. inquiens; [ Vinum quoque, quod laudare cupiens palmatianum nominavit antiquitas. ] Quia inter alia vina palmam vindicabat, ut idem ait: [ Ut merito illi a palma nomen videatur impoſitum. ] Aliud vero genus vini refert Hieronymus, epiſt. 2. quod ex dactylis conficiebatur. Plinius quoddam vinum ex uvis palmis appellatis, lib. 14. cap. 6. recenſet. Vide in dict. *Stips*. FR. opinio quod hæc Palmatinæ fuerint vinum ex palmarum fructibus non videtur ſuſtinenda, primo, quia Palmatinæ a Felici Meſſanenſi Archiepiſcopo D. Gregorio dono miſſæ fuerant: at hujuſmodi fructus non generantur in Sicilia. Item ſi ex uvis palmis appellatis hoc vinum eſſet, *Palmeſium* diceretur, ut patet ex Plinio loco cit. ajente: [ Ex reliquis ( *ideſt*, *vinis* ) a ſupero mari Prætaria, atque Anconæ naſcentia, quæ a palma uva forte enata palmeſia appellantur. [ Cæterum vinum, quod D. Hieronymus ait ex ſucco dactylorum confectum, erat ingratum guſtui, & ſoli Orientales illud bibebant, eodem Plinio, lib. 6. cap. 18. teſte, ex quibus dactylis non ſolum vinum, ſed & panem Orientales conficiebant. Idem Plinius, lib. 13. c. 4. Reperiebatur ſiquidem quoddam vinum in Italia *Palmiprimum* denominatum. Item Plin. lib. 14. cap. 16. Item *Palmeum vinum*, ibid. & lib. 23. c. 1. Vide *Stips*.

PALMATUS. Vide *Expalmatus*. FR. Item *Palmatus* dicebatur Peregrinus, qui ex Hieroſolymitana peregrinatione redibat. [ Nonnulli etiam palmati de Hieroſolyma redeuntes Acris, quæ eſt Accaron, expugnatam nunciarant. Abbas Veſpergen. ] Vide *Palmarum feſtum*, ubi narratur, quod antiquitus Pontifex peregrinis ſolebat palmam tradere. Item in Jure Civili *Palmatus* equus appellatur, ſive ex eo, quod egregius curſor ſit, qui in concurſu aliorum palmam, & bravium conſequi ſolet, ſive ex bajo colore; nam baja græce palmam ſignificat. Vide *Baja*. Item palmatus lapis nigri coloris circa Mundam in Hiſpania. Plin. lib. 16. cap. 18.

PALMESIUM. )
PALMIPRIMUM. ) Vide *Palmatina*.

PALMULÆ NICOLEÆ. Vide *Nicolei panes*.

PAMMYIA, omnis muſca. Vide *Cœnomyja*.

PANACLYSTUS, ex græco πᾶν, ideſt, totum, & κλυςός, nempe diffuſus; ſed in Anaſtaſio Biblioth. mendoſe habetur quandoquidem *Spanalcyſtus*, & aliquando *Epanaclyſtus*. Legi igitur debet [ Calicem aureum præcipuum panaclyſtum.

PANÆRETOS, πανάρετος, ideſt, principalis: ſic D. Hieronymus librum Eccleſiaſtici in præfatione ad Salomonis libros appellavit: [ Fertur & panæretos Jeſu filii Sirach liber.

PANAGIA, Παναγία, ideſt, ſanctiſſima, titulus, quo Græci Beatiſſimam Virginem appellant. Origo hujus nominis in Horologio græco ſic refertur: quod Apoſtoli poſt Chriſti Aſcenſionem, quando ad menſam ſedebant, primum accubitum vacuum relinquebant ob reverentiam eorum Magiſtri, & Domini Jeſu, in quem locum ſuper pulvinar partem panis, de quo comedebant, depoſitabant. Peracta autem menſa, in altum illum panem extollebant, preceſque in gratiarum actionem recitabant, qui pius uſus a ſingulis Apoſtolis per mundum diſperſis continuatus deinde fuerat. At dum iterum in unum divina diſpoſitione in Deiparæ tranſitu congregati, poſt mortuorias functiones, ſcilicet, die tertio illius obitus, cum poſt menſam, ſolitam panis elevationem cum gratiarum actione agerent, apparuit eis Beatiſſima Virgo choris Angelicis conſamulata, quæ aſpectu jucundiſſimo eos ſalutavit: verum illi mente ſtupefacti, ac animi lætitia excitati, confeſtim in tali cœleſti viſione ſolitas preces dimittentes, [ Panagia Deipara adjuva nos ] conclamare cœperunt, & redeuntes ad Virginis ſepulchrum, ejus Beatiſſimum Corpus non invenere, quare certiores facti ſunt illam anima, & corpore in Cœlum aſſumptam fuiſſe. Ex hac hiſtoria originem habuit non ſolum titulus B. V. ( eo modo, quo diximus ) attributus; ſed & ipſemet panis, qui in altum elevatur cum gratiarum actione poſt comeſtionem, ita appellatus fuit; unde ſolent adhuc græci Monachi ad imitationem Apoſtolorum Deo gratias agere poſt corporis refectionem, quem benedictum pa-

panem deinde inter ſe dividunt, & cophinum, ſeu vas, in quo hic panis collocatur, *Panagiarium* vocant. Hinc error Meruſii ſcatuit, aſſerens *Panagiam* panem ſanctum ſignificare, male percipiens ſimilem cæremoniam, quam in menſa Imperiali Græcorum ſolitam fieri refert Codinus, ita inquiens; [ Porro Præfectus menſæ acceptum panegiarium menſæ imponit, & elevans panagiam, dat illam domeſtico menſæ, & ille magno domeſtico, hic Imperatori, & quum primum panagiam ori inſerit, omnes acclamant: Ad multos annos. ] Ex quibus verbis ſatis colligitur, quod nomine *Panagia* panis in altum elevatus ad complementum cœremoniæ, de qua diximus, intelligatur. Itaque nullus græcæ linguæ profeſſor *Panagiam* panem benedictum ſignificare ait; ſed potius *Panagiam* denotare omnino ſanctam. FR. παναγία erat Dianæ epitheton, ut Eraſmo in ejus Chiliad. credimus. Sic etiam παναρχὴς Phœbi epitheton.

PANAGIARIUM. Vide *Panagia*.

PANARIUM, ita S. Epiphanius in ejus librum contra Hæreticos denominavit. FR. arculam medicam ipſemet per hoc vocabulum ſignificare ait: [ Panarium, ſive arculam medicam, ad eorum, qui a ſerpentibus (*id-eſt, Hæreticis*) icti ſunt, remedium. In epiſt. ad Acacium, & Paulum ejus Amicos ] ad quorum inſtantiam prædictum librum compoſuerat.

PANATARIA. Vide *Panctaria*.

PANATHENÆA, Gentilium feſta. Vide *Thallophorus*.

PANCAREA. Vide *Votarea*.

PANCARPIUM, ſive *Pancarpum*, Palæſtra, gymnicus locus, ſpectaculum luctatorum. Inde Caſſianus, collat. 5. cap. 14. ait: [ Ut fieri ſolet ab his, qui coram regibus hujus mundi omnigenis congredi beſtiis præmiorum contemplatione conſueverunt, quod ſpectaculi genus vulgo pancarpum nuncupatur.] Et D. Aug. adver. Secund. [ Nomine pancarpi, quod in ludicris muneribus edi ſolet. ] FR. Pancarpium omnium florum coronam ſignificat. Feſtus manutianæ editionis, & Sipontinus in Martial. Paſchal. de coron. l 2. c. 13. ideo Gladiatores, qui his coronis decorabantur *Pancarpi*, & *Pancratii* dicti ſunt, & locus ſpectaculorum *Pancarpium*, & *Pancratium* appellabatur. Novell. de Coſulib. Vide *Pancratiſta*.

PANCRATIUM. παγκράτιον, FR. certamen gymnicum, quod latine *Quinquertium* dicebatur, eo quod ex quinque certandi generibus conſtaret, curſu, ſcilicet, diſco, ſaltu, lucta, & pugillatu. Hermol. Barbarus, lib. 34.

PANCRESTUM, πάγχρηστον, munuſcula dulcia quibus pueri ad omne obſequii genus pertrahuntur, quaſi cunctis gratum, utile. [ Infantes quoque, & omnes fere parvulos contumaces, quos morigeros minæ, & ferulæ non efficiunt, interdum panchreſta, atque blanditiæ ad obedientiam trahunt. ] FR. ſignificat etiam medicamentum communiter morbis ſalutiferum, & utile. Cic. Ver. 5. [ Adventu L. Metelii Prætoris cum omnes ejus comites iſte ſibi ſuo illo panchreſto medicamento amicos redemiſſet &c. ] ubi pecuniam intelligit, & in ſenſu medicamenti loquitur etiam Plinius, lib. 20. cap. 8. ubi de cichorio agens, ſic inquit: [ Adjiciunt Magi, ſucco totius (*ideſt, omnium cichoriorum ſpecierum*) cum oleo perunctos favorabiliores fieri, & quæ velint, facilius impetrare. Quod quidem propter ſingularem ſalubritatem aliqui chreſton appellant, alii pancration ] legendum fortaſſe panchreſton: & clarius lib. 36. cap. 20. ubi de hæmatitarum quinque generibus agit his verbis: [ Proficit oculorum lacrymis in lacte muliebri, procidenteſque oculos præclare cohibet. Hæc eſt ſententia eorum, qui nuperrime ſcripſere. Sed Sotacus e vetuſtiſſimis Auctoribus quinque genera hæmatitarum tradit, præter magnetem; principatum dat ex iis Æthiopico, oculorum medicamentis utiliſſimo, & iis quæ Panchreſta appellant ] :||: Reperitur etiam Panchreſtarius apud Arnobium, lib. 2. adverſ. Gent. [ Quid fullones, lanarios, phrygiones, coquos, panchreſtarios, muliones, lenones, lanios, meretrices ] quod dulciariorum, & panchreſtorum, coctorem ſignificat.

PANCRESTARIUS. Vide *Panchreſtum*.

PANCRATISTA. FR. Athleta. Gellius, lib. 13. c. 26. Plin. lib. 34. cap. 8. Vide *Pancarpium*.

PANDECTÆ, Πάνδεκται, corpus, juris civilis, quod Digeſtum appellatur, ex græco πᾶν, ideſt, totum, & δέχομαι, nempe, contineo, ſeu comprehendo; in eo enim volumine omnes leges comprehenduntur. Quando igitur pandectas citabant Veteres Græci, primam litteram dictionis tantum notabant, π̄ʹ; ſed Latini hoc ſignum non percipientes æquivocarunt in hoc ſimilis figuræ ſigno, ff. FR. multa quo ad etymologiam, & alias de hoc vocabulo eruditiones ex Budæo præcipue Calepinus congerit; ſed nos hic aliqua addamus, de quibus ibi non fit mentio. Itaque Accurſius in præfatione Pandectarum dict. Digeſtorum, ex Gellio in fine Noctium Atticarum, *Pandectas*, ideſt, omnium receptacula interpretatur. Et Juſtinianus Imp. in, l. 2. §. Sed cum omnia, Cod. de veter. jur. enucl. inquit, Digeſtorum, ſeu Pandectarum nomen inditum propterea, quod diſputationes legitimas in ſe continent, & quaſi digerunt; nam quod undique fuerat collectum, in ſuos ſinus receperunt. De ſigno, ff. ſciendum, quod antiqui Signum condemnandi ſcribebant, C. ſicut Græci K. Signum vero abſolvendi erat, A. & quando judici perplexa, & obſcura cauſa videbatur, (*juxta l. unic. ex pluribus, ff. de re judicata,*) tunc ponebant litteras, N.L. quod ſignificabat, *Non liquet*. Ita Aſconius Pedianus. At cum aliquid factum fuiſſe indicare volebant, hoc duplici FF. per eos ſignificabatur, ut etiam Auctor eſt Probus, qui integrum libellum ſuper hoc compoſuit. Igitur Juſtinianus ſignificare volens, quod in his voluminibus continetur omne rerum, atque doctrinarum genus, Pandectas inſcripſit, volens etiam ex tituli inſpectione admonere Lectorem, quod in his legum libris continentur S. C. & principum conſtitu-

ſtitutiones. Item ea, quæ a Cæſaribus *facta* fuere, FF. duplici denotavit, quaſi diceret *Facta fuere*. Quæ quidem prius diſperſæ, ab ipſo collectæ, & in ordinem redactæ ſunt; ideoque *Digeſta* nuncupavit. Digerere enim, & diſponere, ac in ordinem redigere ſynonyma ſunt; unde Virg. 4. Æneid.

Digerit in numerum, atque antro ſecluſa relinquit. Pomponius in . l. 2. §. ita libri, ff. de orig. juris, ait: [ Libri digeſti ſunt ab Aufidio ] ideſt collecti, ſive diſpoſiti. An autem dicendum ſit *Piſanæ pandectæ*, ſive *Florentinæ pandectæ*. Vide Calepinum in hac dict. Henricus Spelmam *Litteræ Piſanæ* legit; ſunt enim antiquæ pandectæ charactere antiquo Romano majuſculo exaratæ, & *Piſani*, ſive *Piſanæ* appellatæ, quia in Amalphitana Civitate repertæ fuerant, quando a Lotario Imperatore ea Civitas capta fuerat, quas Piſanis dederant; *Florentiæ* tamen ab aliis appellantur, quia nunc in rariſſima Magni Etruriæ Ducis Bibliotheca reperiuntur, ajuntque eſſe Juſtiniani Originale, quod ob reverentiam accenſis funalibus, ut Politianus ſcribit, oſtendebatur.

Pandochæum, πανδοχεῖον, diverſorium, publicum hoſpitium. [ In pandochæum etiam aliquando, cum iter faceres, divertiſti, ibique lectum, menſam, pocula, diſcos, aliaque omnis generis vaſa reperiſti, cum nihil attuliſſes. Aſter. Epiſcop. hom. de Oecon. ] Uſurpatur etiam pro Caupona, ſive Taberna, & dicitur etiam *Pandochium*, ut ex ſequentibus verbis colligitur: [ Erat autem in ipſo emporio pandochium. In vita S. Martinæ. ] Hinc *Pandox* dicitur Hoſtis. Vide *Albergaria*. *Pandoxo*.

Pandochium, & *Pandox*. V. *Pandochæum*, *Pandoxo*.

Pandora, πάνδωρα: puellæ nomen apud Heſiodum, ut cui omnes dii deæque ſuas quiſque dotes adjunxiſſent. Eſt etiam Epitheton telluris, quæ omnis generis fruges profert.

Pandoxis. FR. Luna dicitur, πανδοχὶς a Platone appellata, quod totius generationis ſuſceptrix eſſet.

Pandoxo. FR. emere aliquid ab hoſpite. [ Salliat Abbas carnes, quas mactavit, ne putreſcant, & vendat cerviſiam, quam pandoxavit, ne aceſcat, & panes, quos pinſuit, ne indureſcant. Tho. Valſingamus in Richar. II. πάνδοξ enim Græci hoſpitem appellant, ideo hic Abbas reprehenditur, quod ab hoſpite cerviſiam emerat. Item *Pandoxo* laudare ſignificat; nam Rhetor Caupona dicitur. Vide *Caupona*. Vide etiam Chil. Eraſmi. Hinc Πανδουρὶς, genus muſici inſtrumenti, quo laudes alicujus canuntur. Unde *Pandurus*, & *Panduriſtes*, qui pandura inſtrumento canit. Item ſignificat etiam cultrum cauponæ.

Pandurizo, panduram pulſo. [ Pandurizavit, organo modulatus eſt. Lamprid. in Heliogab.

Panegiris, FR. πανήγυρις, nundinæ, emporium, publicus conventus, quales quolibet luſtro Athenis celebrari ſolitos fuiſſe, Herodot. lib. 6. ſcribit. Cicero. 1. Tuſc. quæſt. mercatum interpretatur; eodem vocabulo πανήγυρις uſi ſunt Sanctus Proclus, Orat. 1. in laudem B. Mariæ Virg. & D. Greg. Nazianz. in Car. de vita ſua, quorum Interpretes emporium, & nundinas vertunt. Et πανηγυρικοὶ λόγοι, ideſt, panegyricæ orationes.

* Panegiricæ Orationes. Earum antiquitas a primis Eccleſiæ ſocculis repetenda, atque earum hodiernus uſus cum primigeno illo conferendus. Antiqui Chriſtiani orationem panegyricam, ſive ſermonem a ſe compoſitum in Laudem virtutum Martyris, cujus Feſtus dies occurrebat, ad excitandam earum imitationem, recitare ſolebant. Iſtiuſmodi orationum exempla omnibus modis abſoluta, habemus in *Chryſoſtomo*, *Baſilio*, *Nazianzeno*, *Nyſſeno*, *Auguſtino &c.* ubi oratores id agunt, ut Sancti, de quo tum verba faciunt, excellentias ita extollant, ut auditores ſuos egregiarum ejus virtutum amore inflamment. Hic ſcopus erat & finis feſtivitatum, partim ut honor & reverentia Sanctis exhiberetur, partim ut Chriſtiani ad imitanda tantarum virtutum exempla excitarentur. Imitatio itaque magna res erat, quam in hiſce eloquentibus ſermonibus Sacri oratores propoſitam ſibi habebant. Neque vero fucatas orationes tamquam buccinatores; ut nunc plerumque fit; prætexebant, quibus ingenii ſubtilitatem potius oſtentant, quam Sanctorum virtutes exornant, multi ex noſtræ ætatis oratoribus. Virtutes vero Sanctorum eo evehunt, ut admirantes potius oculos perſtringant, quam ad imitationem excitent.

Panetaria, Refectorium Monachorum. Item locus in Lateranenſi Palatio, ubi feria V. in Cœna Domini Papa comedebat. [ Vadit ad Baſilicam Zachariæ, quæ panetaria diebus his nuncupatur. Cencius Camerar. in ſuo M. S. Cærem. ] Tempore vero Benedicti Canonici Vaticanæ Baſil. Papa in hac die ad Baſilicam S. Theodori comedebat; ſic enim in ejus M. S. Cæremon. quod in Biblioth. Angelica de Urbe conſervatur, habet: [ Quibus finitis vadunt ad Cœnam in Baſilicam Sancti Theodori, quæ eſt panetaria.

Panetarius, qui in panetaria præſidebat.

Panarmonium, πανάρμόνιον. FR. ſuavis harmonia, plena, & omnibus numeris abſoluta. Suidas.

Panypereſebaſtus. Vide *Sebaſtocrator*.

Panicoctaria, Panifica, Piſtrix, quæ panem coquit. [ In manu panicoctariæ mulieris regni ſui invenit, & format exemplum. Chryſol. ſerm. 166.

Panificus Imber, appellata eſt manna a Chryſol. quæ Iſraeliticis pluebat. Vide *Eſcatilis pluvia*.

Panis Benedictus. Vide *Fermentum*, *Panagia*.

Panis Gradilis. Vide *Gradilis panis*.

Panis Nicolai. Vide *Nicolai Panes*.

Pannucula, tumor, ſeu plaga. [ Unde morbus pannucula dictus, & convulſum eſt femur illius. In vita S. Simeonis Stylitæ. ] Aliqui putant eſſe græcum vocabulum πανουκλα, at equidem tale nomen adhuc non inveni. FR. *Panum* apud Plin. crebro invenio. [ Panos ſanat, & cicatricibus colorem reddit, lib. 20. cap. 1. Sanat & alia vulnera &c. ſic & omnes tumores, col-

collectioneſque cum melle, & uva paſſa. Panos vero ex aceto tritum. Ibid. cap. 20. ] &, lib. 21. cap. 20. agens de nardo gallico, inquit: [ Strama hæc, vel panos, vel inguina diſcurrit. ] Item, lib. 22. cap. 8. ubi de herba centumcapita, ait: [ Extrahit infixa corpori cum melle ſtrumas, parotidas, panos recedentibus ab oſſibus, &c. ] Si ex oſſibus, ulcus gummoſus ergo eſt *Panus*, & non tumor, ex quo formatur diminutivum nomen *Panuculus*, & mendoſe *Pannunculus*.

* Παννυχίδες. Pervigilia & pernoctationes, quibus cœtus in Eccleſia per maximam noctis partem detinebatur *Chryſoſtom.* hom. 4. de verbis Iſaiæ.

PANORMUM; ex græco Πάνορμον, ideſt, univerſale receptaculum. Ibi fuiſſe Barbicanam Eccleſiam. Vide *Deputatus in pœnitentiam.* In ea regione obiit S.Roſalia. Vide *Roracia*.

PANOTII, Scythæ populi, ex longis auribus ita appellati, ut ex vocabulo colligitur, πᾶν enim totum græce ſignificat, ὦτα, aures. Ita Iſidorus. Denotat item hominem ingentibus auribus præditum. FR. Si per Panotios Pannones intelligantur, Herodotus, lib. 1. ait Pannones ex Jonia oriundos. Hinc Paniones duodecim ex Jonia civitates dicebantur a Pan, & Jones, quia Panos Deus ab eis colebatur, & Plin. lib, 4.c.13. ait: [ Aliæ in quibus equinis pedibus naſcantur, Hippopodes appellati. Faneſiorum aliæ, ( *Panotiorum corrigit Turnebus*, ) in quibus nuda alioquin corpora prægrandes ipſorum aures tota contegunt. ] At Pomponius Mela, cap. 6. de Hiſpaniæ, & Septentrionis Inſulis inquit: [ Eſſe equinis pedibus Hippopodas, & Stamalos, quibus magnæ aures, & ad ambiendum corpus omne patulæ, nudis alioqui pro veſte ſint, præterquamquod fabulis traditur, auctores etiam, quod ſequi non pigeat, invenio. ] Quibus ſimiles in India eſſe ſcribit, lib. 15. Strabo, qui *Enotocœti* vocantur, quod auribus pro ſtrato quoque, cum dormiunt,utantur, ex græcis vocibus nomen compoſitum ἐν, ideſt in, ὦτα, aures, κοίτη, cubile, lectus, quaſi dicas in auribus ſomnum capientes. Ita placuit Græcis fabulandi licentiam in remotiſſima quæque detorquere: [ Longinquitas enim non facile redargui poteſt, ] ut idem Strabo, lib. 11. ait.

PANSELENOS, Πανσέληνος, ideſt, tota luna, ſeu plenilunium. [ Cum fuiſſet luna panſelenos. Matth. Pariſ. in vita Abb.

PANTHEON. FR. Πάνθεον, omnium Deorum Templum, Romæ a M. Agrippa erectum, in quo omnes Dii colebantur, & a Bonifacio Papa IV. in omnium Sanctorum honorem ann. 610. conſecratum. Quod S. Mariæ ad Martyres, vulgo *La Rotonda*, hodie dicitur. Licet Templum Sanctæ Mariæ in Coſmedin, & S.Mariæ ad Martyres teſte Martinello in ſua Roma ſacra etiam diceretur.

PANTOCRATON, Παντοκράτωρ. FR. Omnipotens, unius, ac ſummi Dei epitheton.

PANTOCRATORENUS; univerſalis ſuperior alicujus Religioſorum Ordinis, ac ſi Generalis diceres. [ Quod autem Pantocratorenus præfectus præſit multis Monaſteriis, canoni non adverſatur; multa enim Monaſteria, ut unum reputantur. Balſamon. tit. de fide ad, can. 20. Photii.

PANTOLOGIA, Παντολογία univerſalis loquutio, quo vocabulo utitur, loquens de variis doctrinis ſub lactis ſymbolo, Petrus Bleſenſis ſerm. 3. dum inquit: [ Audi adhuc fili, & tace. Conſidera idiomata ſingulorum uberum, ut ſcias cui debeas os admovere, & a quo amovere. Primum uber fuit ſerpentis, ſecundum Ægypti, tertium Philoſophi, quartum Dei, quintum hæretici, ſextum viri Catholici. De primo manavit lac venenoſum, de ſecundo lac acetoſum, quia multis amaritudinibus reſperſa eſt dulcedo humanæ felicitatis, de tertio lac ampulloſum, de quarto lac coagulatum, de quinto lac aqua mixtum; peſſimi enim caupones vinum acqua miſcuerunt: de ſexto lac ſyncerum. ] Deinde ſequitur docens, quomodo Philoſophorum doctrinis uti poſſimus, his verbis: [ Tertium excolendum, ut quod liquidum in philoſophis, reponatur; abjiciatur quod fœculentum eſt. ] Tandem recepilogans has metaphoricas lactis diverſitates, inquit; [ Primum dicitur paralogia, ] ideſt, falſa loquutio. [ Secundum ſcenologia, ] ideſt, obſcura loquutio. [ Tertium phyſiologia, ] nempe, naturalis loquutio. [ Quartum Theologia, ] ſcilicet, divina loquutio. [ Quintum cacologia, ] videlicet mala loquutio. [ Sextum pantologia, ] nempe, univerſalis loquutio.

PAPA, Παππα, ſive Πάππας, ideſt, Pater. Antonomaſtice tamen Summus Romanus Pontifex intelligitur; antiquitus autem communis erat hic titulus omnibus Sacerdotibus, & præcipue Epiſcopis. Vide Baron. ann. 165. num. 10. & fuſius in Notis ad Martyrol. 10. Januar. Et uſque ad præſens Patriarcha Alexandrinus ſolet ſic nominari. [ N. miſeratione divina Papa, & Patriarcha Magnæ Urbis Alexandrinæ, & Judex orbis terrarum. ] In quadam Chronologia Eccleſiaſtica ab Abraham Ecchellenſe Maronita in latinum translata habetur, quod Hierocla Alexandrinus Patriarcha primus fuiſſet, qui Papæ nomine appellari cœpit, ideſt, anno 246. FR. ſi acta S. Cæciliæ ſcripta ſunt, ut creditur, tempore ejus paſſionis, ſcilicet, anno 232. ibi ſic habetur: [ Tunc Valerianus perduxit fratrem ſuum ad Papam Urbanum, ] & Tertullianus, qui ante Alexandrinum Patriarcham Hieroclam extiterat, Pontif. Rom. ut mox infra monſtrabitur, Papam appellaverat. :||: Gregorius VII. in Concilio Romano de an. 1073. quod in Bibliotheca Vaticana M. S. conſervatur, ſancivit, niſi ſolo Romano pontifici titulum Papæ nemini attribui, quod ipſimet Græci ſchiſmatici obſervant, ut Nicetas Chron ites fatetur: nam ſolum Pontificem Romanum illi Πάπας appellant cum accentu acuto ſuper penultimam ſyllabam, & Sacerdotem Παπὰς dicunt cum accentu gravi ſuper ultimam ſyllabam, ut unius titulus ab altero diſtinguatur. Errant, qui putant Papam

ſignu-

ſignificare Patrem Patrum, & ideo has binas ſyllabas dicunt diſtincte ſic *Pa-Pa* eſſe intelligendas; nam, præterquam quod hæc eſſet interpretatio contrario græco vocabulo, videtur etiam titulus Papæ diſtinctus a titulo Pater Patrum, quo etiam Concilia uti ſolebant in epiſtolis ad Pontificem Romanum directis, cujuſmodi eſt illa a Synodi Epiri Patribus ad Hormiſdam Papam directa cum tali inſcriptione. [ Synodus veteris Epiri Joannes, Matthæus Conſtantius, &c. Domino noſtro per cuncta Sanctiſſimo, & Beatiſſimo Patri Patrum, Comminiſtro, ac Principi Epiſcoporum Hormiſdæ Papæ. ] Quod, ut optime Baronius advertit in dict. Not. ad Martyrol. 10. Januar. ſi *Patrem Patrum* Papa ſignificaret, titulus *Papa* ibi non adderetur. FR. Gloſſa affert aliam etymologiam in proœmio Clementinæ, ubi ſic habet: [ Papa, ideſt, admirabilis, & dicitur Pape, quod eſt interjectio admirantis, & vere admirabilis, quia vices Dei in terris gerit. Inde dicit ille Anglicus in poetria nova: Papa ſtupor mundi; & circa finem: Qui maxima rerum, nec Deus es, nec homo, quaſi neuter es inter utrumque. Etymologia vero nominis eſt Pater Patriæ. ] Cæterum tractatum de etymologia nominum Pontificis, & Papæ erudite conſcripſit Ignatius Braccius in libro ejuſdem tituli. ||: De magnificis Papæ titulis ab antiquis ei tributis: Tertullianus de pudicit. cap. 13. ait: [ Benedictus Papa concionaris, & in parabola ovis capras quæris. ] FR. dicitur *Archiater*, ideſt, protomedicus, quia reliqui Epiſcopi animarum Medici ſunt; ſed Papa omnium eſt primus. Vide *Archiater*. Vide etiam *Apoſtolicus*, *Archiclavus*, *Spiritualis homo*. Item *Archiepiſcopus magnæ Romæ*, can. in tantum, diſt. 21. *Æternæ vitæ claviger*, can. omnes, diſt. 22. Item *Canonum Magiſter*, & *Cuſtos*, can. quibus, 25. quæſt. 3. Item *Sanctæ Sedis*, ſeu *Sedis Apoſtolicæ Rector*. Vide *Rector*. Item *S. Romanæ Eccleſiæ ſervus*, can. nemo, 16. quæſt. 3. Item *Totius Catholicæ Parochiæ Curatus*. Aldelmus de Virg. c. 7. Vide *Parochia*. Vide *Oecumenicus*. Item *Nomarcha*, ideſt, Præfecturæ, & Legum ſuperintendens; Νόμος enim græce Præfecturam, atque legem ſignificat. *Patriarcha Univerſi Odoris*. Baron. an. 517. n. 54. Item *Rex Summus*. Idem anno 863. n. 50. Item *Pater noſter*. Idem an. 681. n. 46. Item *Princeps Paſtorum*. Ibid. n. 47. Dicitur *Zorobabel*, ideſt, alienus a confuſione, quia nunquam errare poteſt in rebus fidei, de quo per os Aggæi Prophetæ loquutus eſt Deus, dicens: [ In die illa, dicit Dominus exercituum, aſſumam te Zorobabel ſerve meus, & ponam te quaſi ſignaculum, quia te elegi dicit Dominus &c. Agg. cap. 2. ] Et quod de Eccleſia Catholica loquebatur Propheta, evidens eſt, dum ait: [ Adhuc unum modicum, & ego commovebo Cœlum, & terram, & mare, & aridam, & movebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum, ] & inferius: [ In loco iſto dabo pacem &c. Item [ Suſcitabo Spiritum Zorobabel, ] ideſt, ſpiritum a confuſione alienum. Licet Procopius in cap. 14. Iſaiæ Chriſtum pro Zorobabel intelligat, quod perinde eſſet; nam multa, quæ de Chriſto prædicantur, ejus etiam Vicario conveniunt. Et nota, quod tres viſiones habuerit Aggæus, quæ fuerunt ſemper in die alicujus Sancti Apoſtoli; nam ait; [ In anno ſecundo Darii Regis in menſe ſexto in die una menſis, ] ideſt, prima die ſextilis menſis, qui eſt Auguſtini, in qua cadit S. Petri feſtum ad vincula: [ In die vigeſimaquarta menſis menſe ſexto, ] ideſt, in feſto S. Bartholomæi: [ In ſeptimo menſe vigeſimaprima menſis, ] ideſt, in die S. Matthæi. Quod *Zorobabel* ſignificet a confuſione alienum. Vide interpretationem nominum hebraicorum in principio, vel in calce Sacræ Scripturæ. Et a prophetico Evangeliſta Iſaia *Eliacim*, ideſt, Dei reſurrectio, Papa denominatur, ſic, cap. 22. inquiens. [ Et erit in die illa: Vocabo ſervum meum Eliacim filium Helciæ, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, ( *ideſt, Sacerdotalibus Summi Hebræorum Pontificis indumentis* ) Et poteſtatem tuam dabo in manu ejus: Et erit quaſi Pater habitantibus Jeruſalem, & domui Juda: & dabo clavem domus David ſuper humerum ejus, & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit, qui aperiat: & figam paxillum in loco fideli, & erit ſolium gloriæ domui patris ejus: & ſuſpendent ſuper eum omnem gloriam domus patris ejus &c. ] De mutatione vero nominis in aſſumptione Pontificatus, eſt maxima inter Scriptores controverſia, a quonam, ſcilicet, cœperit hic uſus: Blondus enim decad. 2. lib. 2. initium habuiſſe ait a Sergio ſecundo, Greg. IV. ſucceſſore: [ Suffectus in Pontificem Os porci Civis Romanus id nomen ob deformitatem a Clero, populoque Romano in Sergium mutare coactus eſt. Perſeveravitque poſtea conſuetudo, ut Romani Pontifices, quum primum ſunt creati, inditum ſibi quodcumque volunt alterius prædeceſſoris ſui, proprio abolito, nomen accipiant. ] Sed Pontifices proprium primum nomen non totaliter abolent; nam in ſubſcriptionibus primævo nomine firmant, ut praxis in ſupplicationum libellis manifeſtat. Blondum ſequutus eſt Vvernerus Rolevvinck in faſciculo temporum ad annum Chriſti 844. ubi poſuit Sergium II. Os porci. Sic etiam Polydor. Virgilius. Sed Ditmarus in ejus Chronicon. lib. 6. circa finem inquit Buccam porci vocatum fuiſſe Sergium IV. ubi poſt Sylveſtrum II. Joannem Phaſan ( *Phuſanum* appellat Baron. ) ideſt, hujus nominis XIX. collocat. Sed Baron. Joannem XIX. *Siccum* antea appellatum, intermediat. Itaque ait Ditmarus: [ Huic, ( *ideſt, Silveſtro II.* ) ſuccedebant Sergius, qui vocabatur Bucca porci, & Benedictus, ] nimirum Benedictus VIII. Miror tamen quomodo Ditmarus, cum iſtorum Pontificum coætaneus eſſet; nam, ut habetur in vita ejuſdem Ditmari poſita in principio ejus operis, diem ſuum clauſerat ann. 1018.

Cat.

Cal. Decemb. & tamen de Papa Joanne XIX. a Baronio *Sicco* appellato, non faciat ille ullam mentionem. Igitur ad quæſtionem nominis redeundo, nullo modo relatio Blondi, & ejus Aſſeclarum verificari poteſt. Quia Ditmarus Buccam porci ejus coætaneum affirmat fuiſſe Sergium IV. Secundo quia ante Buccam porci, ideſt IV. Sergium, alii Pontifices primum nomen mutaverant, & iſte Sergius IV. appellabatur Petrus Albanenſis Epiſcopus, ita Baronius. Item illius prædeceſſor Silveſtri II. in minoribus Gubertus, & hujus Anteceſſor Bruno antea, & in Pontificatu Gregorius V. atque Joannes XIV. Petrus Papienſis Epiſcopus prius vocabantur. Quare Baronius ann. 955. num. 4. exiſtimat Joannem XII. primum fuiſſe, qui mutandi nomina uſum introduxiſſet, cum antea Octavianus appellaretur. Symmachus tamen Papa duplex nomen habebat. [Admonitione Beatiſſimi Symmachi Simplicii, quem ante oculos ſemper habere debemus, &c. can. Bene quidem diſt. 96. ] || Honorius tamen IV. Adrianus VI. & Marcellus II. primum eorum nomen in Pontificatu retinuere. Cæremonia imponendi nomen in creatione Pontificis non ab electo fiebat, ſed imponebatur ei: quare de Deſiderio S. Cæciliæ Cardinali, & Caſinenſi Abbate electo Papa habetur, quod: [Victoris ei nomen imponunt. Chron. Caſin. lib. 3. c. 66. ] &, ut Platina affirmat, a Primiſcriniis, ideſt, Protonotariis imponebatur; ſic enim in Paſchali II. inquit: [Cui poſtea Primiſcrinii ſcribæ regionarii Paſchalis nomen indidere.] Patriarchæ Conſtantinopolitani in eorum electione hunc ſtylum etiam ſequuti ſunt; ſed ſemper ob memoriam primi nominis aliud in prima littera ſimile ſibi aſſumpſere, ſic exempli gr. Gregorius Protoſyncellus electus Patriarcha Gennadius appellatus eſt, eumdemque ritum Græci in aſſumptione monachalis habitus obſervant. FR. At Antiochenus Patriarcha Maronitarum ſemper, ob memoriam primi illius Sedis fundatoris, *Petrus* appellatur || Erant autem valde calamitoſa, ac libertati Eccleſiaſticæ nimis odioſa ſæcula illa, quando a Clero Romano electus in Summum Pontificem, non permittebatur illi ab Imperatoribus munera papalia exercere ante illorum confirmationem, abuſus ſiquidem a Gregorio Magno deploratus, qui electus, Mauritii Auguſti confirmationem expectare coactus fuerat, quæ tyrannica ſubjectio ab Arianis Gothis inoleverat, pro quo interim ab Electo cum Archipresbyterio, Primicerio, ac Conſiliario Sedis Apoſtolicæ, regebatur Romana Eccleſia; ſic enim colligitur ex quadam epiſtola in Sede Vacante Severini, ubi electus poſtea fuit Joannes IV. de anno 639. de qua epiſt. cum infraſcripto ordine in ſua hiſt. Anglic. lib. 2. c. 19. mentionem facit Beda his verbis: [Dilectiſſimis Thomajono &c. Hilarius Archipresbyter, & ſervans locum S. Sedis Apoſtolicæ Joannes Diaconus, & in Dei nomine electus. Item Joannes primicerius, & ſervans locum Sedis Apoſtolicæ, & Joannes ſervus Dei Conſiliarius Sedis Apoſtolicæ. ]



Benedictus vero II. obtinuit, ne in poſterum Imperatoris confirmatio expectaretur amplius. Baron. an. 684. nu. 2. & 3. FR. Quo autem prætextu Baſilius Odoacris Prorex ſibi arrogare voluit electionem Pontificis. Vide *Mauſoleum*. Electus in Pontificem pro illo interim ſcribebat in litteris Apoſtolicis: [N. Electus ſervus ſervorum Dei.] Atque in plumbo non imprimebatur ejus nomen, ſed ſolum capita SS. Petri, & Pauli, & in data ponebatur: ] Suſcepti a nobis Apoſtolatus Officii anno &c. Cærem. Rom. lib. 1. ſect. 2. c. 1. ] Blondus enim in ejus decad. 2. lib. 2. ait, quod: [Paſchalis I. qui a Clero, populoque Romano abſque Imperatoris auctoritate præter obſervatam diu conſuetudinem cum electus eſſet, ad illum ſcribens ſuam innocentiam a Cleri, populique Romani violentia purgavit, egitque cum illo mitius omnium opinione Ludovicus, qui non ſolum in bonam partem Pontificis ſcripta accepit, ſed pacta quoque inter utriuſque prædeceſſores ſervari ſolita ſponte confirmavit.] Et inferius: [Tradunt enim Eginardus, Pauluſque & Ricardus Scriptores Ludovicum in Paſchalis Rom. Pontif. manibus renuntiaſſe juri, quod Adrianus I. Pont. Rom. Carolo Magno genitori ſuo conceſſerat. Id cum nullus dictorum ſcriptorum quod fuerit ſcribat, fuiſſe tenemus, quod ſupra in Caroli geſtis rebus veriſimile nobis videri negavimus, aut, ſcilicet, ſummæ modeſtiæ Imperatorem voluiſſe, aut excellentis animi, & ingenii Pontificem conceſſiſſe jus Summorum Pontificum, & omnium Orbis Chriſtiani Epiſcoporum ad libitum ordinandorum. Sive igitur Adrianus Carolo conceſſit, & Ludovicus ſeipſum, poſteroſque ſpoliavit: ſive nihil horum fuit.] De hac epiſtola Ludovico directa a Paſchali in principio ſui Pontificatus tantum mentionem facit Baronius; ſed de ejus tenore nil exponit; remittit tamen Lectorem illam legendi apud ſcriptores de geſtis ipſius Ludovici Pii. Dicimus igitur, quod ſit manifeſtiſſimum mendacium hiſtoria Eccleſiaſtica, quam affert Grat. in can. Adrianus Papa. diſt. 63. il ſecondo. Quod nempe Adrianus I. Carolo Magno conceſſerat jus eligendi Pontificem, & ordinandi Apoſtolicam Sedem. Inſuper Archiepiſcopos, & Epiſcopos per ſingulas provincias ab Imperatore inveſtituram accipere debere. Quia Auctor illius Eccleſiaſticæ hiſtoriæ eſt Sigibertus, qui fuerat in fatis ann. 1112. nempe annis 438. poſt dictos Adrianum Papam, & Carolum Magnum, & cum nemo ex illorum coætaneis ſcriptoribus, ut ſupra Blondus adverterat, neque apud Auctores geſtorum prædicti Caroli, qui omnia ejus geſta diligentiſſime collegerunt, de tali præaſſerto privilegio ullam mentionem fecerit; tum etiam quia Sigibertus in hac re nimis redditur ſuſpectus, quod in gratia Henrici Imperatoris ſchiſmatici, inveſtituram Eccleſiarum uſurpatoris, multa contra Gregorium VII. Urbanum II. & Paſchalem II. aliaſque impoſturas contra Eccleſiam Romanam, ut de ſcriptoribus Eccleſiaſticis Bellarminus, & præſer-

tum Labbè referunt, ſcripſerit. Item mendax ille Monachus in hoc facto ſe oſtendit; dicit enim in præallegato Gratiani can. quod: [ Carolus Romam veniens, Papiam obſedit, ibique relicto exercitu, in ſancta Reſurrectione ab Adriano Papa Romæ honorifice ſuſceptus eſt. Poſt ſanctam Reſurrectionem reverſus Papiam, cepit Deſiderium Regem, deinde Romam reverſus, conſtituit ibi Synodum, &c. ] ubi Adrianus cum univerſa Synodo tradiderunt Carolo præaſſertum jus. Omnes enim Hiſtorici conveniunt, Carolum poſt captam Papiam non rediiſſe Romam; ſed feſtinanter in Galliam iter ſuum direxiſſe, ad bellicam contra Saxones rebelles expeditionem coactum. At quis melius facta Caroli referre potuiſſet, quam Eginardus, qui ſemper in omnibus itineribus Imperatoris eum comitatus fuerat? Hic tamen nil de hoc privilegio ſcripſerat, ut ſupra Blondus advertit; ſed & Caroli adventus ad Urbem ſingillatim refert, nempe, primum ejus adventum de ann. 774. Secundum de anno 780. pro quodam ejus voto adimplendo. Tertium de ann. 786. ad reprimendum Beneventanum Ducem. Quartum de ann. 800. ad reponendum in Petri Sede Leonem Papam. Itaque, ſi vera eſſet Sigiberti relatio, quintus acceſſus Imperatoris ad Urbem ſuperaddi deberet, quod nemo illorum temporum ſcriptor retulit. Atque in Gratiano plus concucullati, & commonachalis Sigiberti prævaluerat auctoritas, quam vera Eccleſiæ Romanæ libertas. Præterquamquod ipſe Gratianus ſibi contradicere videtur, dum in can. nullus Laicorum, ead. diſt. 63. oſtendit Adrianum ſub pœna anathematis ordinaſſe, quod nullus Laicus poſſit ſe ingerere in electione Patriarchæ Metropolitæ, aut cujuslibet Epiſcopi; ergo multo minus in electione Summi Pontificis. Inſuper ſi Papa Adrianus ſanciverat, ne in Patriarcharum, Metropolitarum, aut quorumlibet Epiſcoporum Electionibus, ſub excommunicationis pœna, ullus laicus poſſet ſe ingerere; quonam igitur pacto per eundem Gratianum conciliari poterit facultas laicalis, per eum aſſerta in d. can. Adrianus §. [ Inſuper Archiepiſcopos, & Epiſcopos per ſingulas Provincias ab eo, ( *ideſt, a Carolo Imp.* ) inveſtituram accipere definivit Adrianus? ] Cæterum Theodoricus primus hujus tyrannici juris uſurpator fuerat. Baron. an. 526. n. 22. Et poſtmodum Græci in Italiam intruſi, quorum primus Juſtinianus, ſibi arrogaverant hanc Pontificis confirmationem. Idem Baron. an. 554. num. 1. 2. & 3. Quem ſequutus eſt Mauritius Imp. an. 590. in electione Greg. Magni, de quo Martyrol. 3. Septembr. ſic inquit: [ Romæ ordinatio incomparabilis viri Greg. Magni in Summum Pontificem, qui onus illud ſubire coactus, e ſublimiori throno clarioribus ſanctitatis radiis in orbe refulſit. ] Ubi in notis Baron. & in annal. in prædicto anno de ejus confirmatione ab Imperatore Mauritio diu expectata agit. Quare ob hanc diuturnam expectandi moram Conſtantinus Pogonatus hanc uſurpationem ceſſerat, ut abſque Imperiali requiſitione, novus in Pontificem electus poſſet ſtatim conſecrari. Baron. an. 684. n. 2. Sed ſub Juſtiniano II. Imp. iterum monſtruoſa hæc confirmandi cupido repullulaverat, ac Clero Romano reclamante ob mala occurrentia ex confirmatione nimis in longum protracta, cum tali expedienti juſſerat Imperator, ut nempe, ejus vice ad ſuum Italiæ Exarchum in caſu novæ electionis pro confirmatione in poſterum recurrendum foret. Baron. an. 686. nu. 3. Qui Imperiales Vicarii, deinde, ut Imperio Conſtantinopolitano Romanam Eccleſiam ſubjugarent, ſemper Græcos in Romanum Pontificatum anteferre conati ſunt. Idem Baron. ann. 705. n. 2. Sed illi jam ad apicem Pontificalem evecti novum, Apoſtolicumque ſpiritum reaſſumentes; pro ſancta eorum, Romanaque Sede Græcis Miniſtris Imperatorum ſeſe oppoſuere. Ibid. n. 3. Blondus nihilominus aliquam ſpecialem narrationem in medio adducit decad. 2. lib. 2. ſic inquiens: [ Adrianus III. qui primus, inchoata a Nicolao I. ſed non perfecta lege ſancivit, ne Imperatoribus ultra liceret Pontificum Romanorum electioni aliqualiter ſe ingerere. ] Quare, can. nullus Laicorum, diſt. 73. ſupra relatum Adriani III. fuiſſe dicendum ex Blondo oportet, vel potius ſecundi Adriani, de quo Anaſtaſius Bibliothecarius ait, quod acclamatus in Pontificem confeſtim a populi multitudine ad Lateranum perductus, inſcii Principum Oratores, conqueſti ideo fuerant, quod ad talem functionem non fuiſſent antea invitati; ſed cum intellexiſſent hoc non in contemptum Cæſarum fuiſſe actum, verum ne præberetur occaſio præſcribendi in poſterum, ut in ſimili functione expectari debuiſſent Principum Legati; depoſuerunt iram, & humiliter ad ſalutandum electum acceſſere, apud Baron. an. 867. n. 144. Blondus tamen decad. 2. lib. 3. Othonem I. hanc auctoritatem ſibi aſſumere tentaſſe ait, ſed non habuiſſe effectum; nam Romanus Clerus confeſtim Joannem XIII. elegerat, & tamen in can. tibi Domino, diſt. 63. habetur Othonem medio juramento in manibus Joannis XII. omne jus in Pontificis electione renunciaſſe, quod ibi etiam Gratianus notavit. Nihilominus ex Baronio ann. 993. n. 11. 12. 18. 19. & 20. verum eſſe quod Blondus refert, colligitur. Anno vero 1054. in Sede Vacante Leonis IX. Romani, non inventa in Urbe pro tanto munere perſona idonea, miſerunt ad Imperatorem quemdam Hildebrandum tunc Subdiaconum, cum facultate eligendi, quem aptum ibi reperiſſet in Pontificem, ( quam tamen commiſſionis formulam in futurum amplius fore exemplandam haud crederem ] Gebeardum itaque Oſtienſem Epiſcopum ille ab Imperatore poſtulaverat, quem tamen Cæſar non tam libenter conceſſit, atque Romam conductum in Victorem Papam II. acclamatus eſt. Baron. an. 53.: ‖: Singulariſſima fuit quoque Martini V. ex nobiliſſima Columnienſium familia electio; nam ex tribus ſimul Antipapis, duob. jam vita functis, ſcilicet, Jo: & Benedicto, tertius ſu-

ſuperſtes, cum in Concilio ſuam prætenſam auctoritatem deponeret, eadem ſynodus pro eligendo legitimo Pontifice triginta Eccleſiaſticos Electores Cardinalibus coaddidit, nempe, ſex Italos, totidem Gallos, Hiſpanos, Germanos, & Anglos, qui omnes unanimiter præfatum Martinum elegerunt. FR. Quomodo autem Nicolaus II. electionem Summi Pontificis Henrico III. Imperatori conceſſerat, quæ habetur in can. In nomine Domini, diſt. 23. Vide eundem Cardinalem Baron. in prædicto anno num. 23. & 24. Atque hanc Imperatorum uſurpationem Gratianus ſub can. vota Civium, diſt. 63. ſic excuſat; [ Principibus vero, atque Imperatoribus electiones Romanorum Pontificum, atque aliorum Epiſcoporum referendas, uſus, & conſtitutio tradidit, pro ſchiſmaticorum, atque Hæreticorum diſſenſionibus, quibus nonnumquam Eccleſia Dei concuſſa periclitabatur: contra quos legibus fideliſſimorum Imperatorum frequenter munita legitur &c. ] Anſelmus vero Lucenſis Epiſcopus in ejus Apologetico diſerte hunc abuſum damnat. Primus igitur hujus libertatis uſurpator Baſilius Odoacris Prorex, qui prætextu quietis politicæ tempore Symmachi Papæ ſibi Pontificis electionem arrogare conatus eſt, can. Bene quidem, diſt. 96. ibi Gloſſ. Ac etiam ex tunc temporis demonſtratur, Pontificem Romanum habuiſſe ſuper omnes Eccleſias primatum; unde Ennodius Ticinen. Epiſc. qui eodem tempore vixerat, epiſt. 7. ſic ſcripſerat: [ Me &c. ire ad famoſum officium compuliſti, in quo omnes errorum rami magiſtra vivendi ſolent falce truncari. [ Ubi Romanam Curiam intelligit. Quem vero locum tenebat Electus pro illo interim, quo confirmatio expectabatur. Vide eundem Baron. an. 639. num. 6. In ſynodo Romana ſub Stephano IV. celebrata ſtatutum fuit non poſſe eligi in Pontificem, qui Presbyter, vel ad minus, Diaconus non ſit. Baron. ann. 769. num. 5. :||. Quomodo eligitur Papa. Vide *Conclave*. Si occurrerit tamen Diaconum novum in Papam conſecrari, ( ut aliquando accidit ) tunc obſervari debent aliquæ cæremoniæ, quæ a Reverendiſſimo Chriſtophoro in ejus cæremoniali traduntur, nimirum, Papa tunc comparebit ad ordinationem indutus amictu, manipulo, cingulo, pluviali, & mitra in capite, quæ deponitur, quando Epiſcopus ordinans faciet impoſitiones manus, ſtans ipſe, & Papa in throno ſedens; ſed erigitur, quando ab Epiſcopo recipere debet ſtolam. Mitra tamen coopertus, ac ſedens librum Evangeliorum tangit. Si in Sacerdotem eſſet conſecrandus. Vide *Presbyter*. Si in Subdiaconum. Vide *Subdiaconus*. Quando in Epiſcopum conſecrari deberet; tunc ſolitæ exhortationes, atque interrogationes omittuntur, atque conſecrans, dum litaniæ dicuntur, Papam benedicens, ſtare debet ſine baculo, & genuflexi duo Aſſiſtentes. Dum ponitur illi ſuper humeros liber, ſedebit in throno ſine Mitra Papa; Ordinans vero ſtando. Idem in unctione capitis, & manus obſervandum, nec baculum in manu tenebit; ſed tantum annulum, quem dum illi Epiſcopus ponit, oſculetur Papæ manum. Quo impoſito accedunt Cardinales ad illius pedis, manus, & faciei oſculum, ac idem faciet Epiſcopus ordinans, a quo, tempore Offertorii ſtans Epiſcopus, recipiet faculas, panem, & vinum ſine mitra, & manum offerentis Pontificis oſculetur, Papa vero in throno ſedente; qui tandem a Cardinali Diacono accipiet pallium ſub forma verborum, ut in dict. *Pallium* dictum fuit. Hæ quidem ſunt cæremoniæ in Pontificali cæremoniali præſcriptæ, in quo etiam ordinatur, quid ſingillatim in qualibet ordinis collatione ſit agendum, de quibus nos in ſuis peculiaribus locis dicemus, præter Diaconatus collationem, de qua ſupra jam diximus. Sed ante omnia, ſtatim ac Pontifex electus eſt, in Cathedra collocatur, & ponitur annulus piſcatoris in digito, novoque nomine ſibi aſſumpto, confeſtim primus Diaconus Cardinalis illum populo divulgat, ut in dict. *Conclave* egimus. Electus vero in Pontificem depoſitis Cardinalitiis indumentis, induitur veſte candida lanæ, vel ſerica juxta temporis exigentiam, ac caligis ejuſdem coloris, cum calceamentis rubris, in quibus acupictæ ſint aureæ Cruces. Præcingitur cingulo rubro aureis floccis, atque bireto, rocheto, amictu, alba, cingulo ornatur, & ſtola ad collum pendente, ſi erit Sacerdos, ſeu ad ſiniſtrum humerum, ſi eſſet Diaconus, ſi autem nullum haberet ordinem, non ponitur ſtola. Ac in Sede poſitus a Cardinalibus croceis indutis adoratur, denuo oſculando ejus pedem, manum, & genam; defertur illi interea pluviale, mitraque pretioſa, & ſic indutus ad ſedendum ponitur ſuper Cappellæ Altare, ubi iterum ut ſupra in tribus partibus poſt aliam adorationem Cardinales eum oſculentur. Tunc patefactis Conclavis valvis, ubique lætitiæ ſonitus, acclamationum, campanarum, tormentorumque bellicorum auditur. Atque ſic in Sede collocatus proceſſionaliter, præcedente Vaticanæ Baſilicæ Clero, concomitantibus Cardinalibus, indutis rocheto, & cappa magna, ad eandem Baſilicam S. Petri defertur, populumque conclamantem Pontifex benedicit, tandem ſuper Altare majus deponitur, ibique ſacrum Collegium denuo illum publice, ordinateque adorat, & ſinguli ternam oſculationem, ut ſupra, complent. Interim Purpuratorum Decanus genuflexus intonat *Te Deum*, quo a Muſicorum Choro expleto, Decanus ſuper Pontificem nonnullas preces recitat, poſt quas Papa populum ſolemniter benedicit. In die autem pro Coronatione deſtinato, dum Papa ad Vaticanam Baſilicam defertur, Cæremoniarum Magiſter immediate Pontificem antecedens, defert in manibus duas oblongas arundines, in vertice unius ſtuppa habetur, & in alterius culmine parva candela, qua dum ſtupam incendit, dicit; [ Beatiſſime Pater, ſic tranſit gloria mundi, ] quam cæremoniam facit tripliciter. Cærem. Rom. lib. 1. ſect. 2. cap. 2. & 3. Ciacconus tamen in vita Antipapæ Benedicti XII. alias XIII. quandam cæremoniam antiquitus uſi-

tatam refert, quod, nempe, in coronationis actu Pontifici hæc verba memorabantur: [ Pater Sancte non videbis dies Petri. ] Qua conjectura prædictus Auctor intendit probare Benedictum memoratum non fuiſſe legitimum Papam, quia triginta vixerat annos. Hæc ſiquidem cæremonia nec in canonibus, neque in pervetuſtis cæremonialibus reperitur de longitudine vero vitæ in Pontificatu Succeſſorum Petri ad ejuſdem dies non æquabili, eſt ex communi obſervatione receptum, ſeu potius ex continua tot ſæculorum experientia corroboratur; cum deceſſorum Pontificum nullus ad annos D. Petri Pontificatus pervenire valuerit, qui Apoſtolorum Princeps, juxta Cardinalis Baronii computum, in Pontificia Cathedra per annos viginti quatuor, menſes quinque, dieſque undecim ſedit, & tamen quamplurimi Pontifices in juvenili ætate fuere; de qua re ab Alexandro II. B. Petrus Damianus ſemel interrogatus in epiſt. 17. lib. 1. reſpondit, tribus de cauſis hoc accidere. Primo, ut Eccleſiæ caput ſupremum, agnoſcens, brevibus periodis ejus vitam concludi, ſanctum timorem exinde conciperet, ac laudato fine innocenter morti occurrere præparetur. Secundo quia mundus totus in Pontificis vitam oculos collimat, qui tamquam obſcuratus ſol, ad ſe cunctorum lumina trahit. Tertio, ut dum Papa vitæ uſura fruitur, ad ſpirituale animarum gubernium peculiari incumbat ſtudio, de cujus cuſtodia poſt tempus breve erit ſummo Paſtori Deo arctam rationem redditurus. Quo propoſito etiam Melliflui verba, in epiſt. 237. ad Eugenium III. directa connecti poſſent: [ Quantorum in brevi Romanorum Pontificum mortes tuis oculis aſpexiſti? Ipſi te Prædeceſſores tui tuæ certiſſimæ, & citiſſimæ deceſſionis admonent, & modicum tempus dominationis eorum paucitatem dierum tuorum nunciat tibi. ] Tandem cum ſequenti perutili documento epiſtolam concludit, dicens: [ Quibus ſucceſſiſti in ſedem, ipſos ſine dubio ſequeris ad mortem. ] FR. Uſus ſpargendi ad Lateranum monetas in Pontificis coronatione antiquiſſimus eſt. Baron. an. 867. num. 143. apud quem ibidem, n. 144. alii hujus diei ritus habentur :||: Cæterum electio Summorum Pontificum ſemper a Clero facta fuit, variis tamen modis, ac formis. FR. a quibus ad Cardinales tandem devoluta, can. In nomine Domini, diſt. 23. :||: Ad præſens vero vigore Bullæ Gregorii XV. ſcrutiniis ſecretis fit, & tertia pars Cardinalium in Conclavi præſentium ad validam electionem concurrere debet; quæ quidem ſanctio in libertatem electores conſtituit; hinc quilibet Cardinalis in Galeri receptione prædictam bullam minime mutare jurat, ſi Papa fieri contigerit, qua forma quinque Pontifices Urbanus VIII. Innocentius X. Alexander VII. Clemens IX. & X. electi jam ſunt. FR. & INNOCENTIUS XI. de quo adhuc non emanavit id, quod in dict. *Bulla* promiſeram. Solus Papa ante hymnum Angelicum, ideſt, *Gloria in excelſis*, conſecratur, & poſtmodum ipſe Miſſarum ſolemnia incipit, & perficit conſecratus: cæteri vero Epiſcopi inter epiſtolam, & Evangelium conſecrantur, de elect. & electi pot. c. 28. §. Super eo. Ennod. in Apol. Papam *Petri Vicarium* appellat, idem ait de ſe Zach. Papa [ A die qua nos juſſit divina clementia &c. Apoſtoli vicem gerere, in epiſt. ad Bonifac. Epiſc. tom. 3. Concil. edit. Venetæ. ] quod minime dicendum videtur, cum immediatus Chriſti Vicarius in terris ſit; ſed intelligendum, quod vicem, & ſucceſſivum Petri locum Papa poſſideat, atque in hoc ſenſu D. Gregorius dixerat: [ Ex auctoritate B. Petri Apoſtolorum Principis, cujus vice huic Romanæ Eccleſiæ præſidemus &c. can. quam ſit 18. quæſt. 2. ] atque S. Leo I. ſerm. 2. in feſtiv. anniverſ. aſſumpt. ad ejus Papatum ſic explicat: [ His itaque modis dilectiſſimi rationabili obſequio hodierna feſtivitas, ut in perſona humilitatis meæ ille (*ideſt*, *Petrus*) intelligatur, ille honoretur, in quo & omnium Paſtorum ſollicitudo, cum commendatarum ſibi ovium cuſtodia perſeverat, & cujus etiam dignitas in indigno hærede non deficit. ] Item Innocentius inquit: [ Non niſi ad Petrum, ideſt, ſui nominis, & honoris auctorem referre debere, can. quoties, 24. qu. 1. ] Item Hieronymus ad Damaſum ſcribens inquit: [ Cupimus a te, qui Petri ſedem, & fidem tenens, can. Hæc eſt fides, eadem quæſt. ] ſignificat autem, quod Papa habeat eandem auctoritatem a Chriſto Domino ſibi collatam, ac ſi ipſemet Petrus eſſet, ſuique perſonam repræſentaret, quod declaratur in c. 2. de ſent. & re judicata in ſexto. Ubi ſic Innocent. IV. inquit: [ Cum Jeſu Chriſti vices, licet immeriti teneamus in terris, nobiſque in Beati Petri perſona ſit dictum, quodcumque ligaveris ſuper terram &c. ] :||: Solebat Papa uti Metropolitanus convocare Synodum provincialem, in qua interveniebant ejus Epiſcopi ſuffraganei, & circumvicini, ſed tamquam Primas convocabat omnes Epiſcopos Italiæ, ac inſularum adjacentium, & uti Patriarcha Occidentis congregabat omnes Epiſcopos Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Germaniæ, & Illyrici, tandem uti Summus Pontifex, & univerſalis Paſtor convocat Oecumenica Concilia, ubi tenentur convenire omnes Epiſcopi totius Orbis. FR. Leo IV. ille fuit, qui introduxit ante ſe ferre Crucem. Torrigius in Cryp. Vatican. ſecundæ impreſſ. part. 2. pag. 400. Sed antiquitus ferebatur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum. Baron. an. 753. n. 8. & 9. Taciturnitas eſt maximum vitium in Papa. Gloſſ. in can. officii, 24. qu. 1. Papa quando non poteſt concedere indultum, ſive privilegium. Vide *Privilegium.* Reliqua. Vide *Pontifex*. Papæ indumenta, & cæremoniæ. Vide *Baptiſmus*. *Birrus*. *Bugia*. *Camelaucium*. *Cameſanius*. *Candela* in fine. *Canola*. *Cherubim*. *Cinerum dies*. *Siphon*. Indumenta Bonifacii VIII. cujus ſepulchrum detectum fuerat anno 1605. talia erant, ut inter alia refert Jo. Mucantius apud Torrigium, pag. 373. [ Vidi dictum corpus integrum conſervatum in dicta capſa lignea, in qua fuerat ſe-

pal-

paſtum per 302. annos : facies tantum ejus aliquantulum conſumpta erat, ita ut nec narices, nec labia, ſed tantum mentum appareret, & dentes. Habebat in capite mitram admodum parvam, & ut conjecturari potui, ex tela bombacina ; corpus indutum erat omnibus Pontificalibus indumentis, ideſt, caligis, ſandaliis ex tela aurea, in ſummitate acutis, ſine Cruce, rochetto longo albo, ſtola, cingulo, dalmatica, tunicella, planeta ampla ſericea coloris nigri, phanone, & pallio, quod conſumptum erat ; ſed plumbum apparebat, & pendebat fere uſque ad pedes ; ſpinulæ tres gemmatæ, manus ejus chirothecis albis acu factis, & margaritis ornatæ erant, & annulum pretioſum digito geſtabat, atque zaphirum valoris ( ut dixerunt aliqui ) 30. ſcutorum &c. ] Quæ tamen relatio habebitur integra in dict. *Rochetum*. Item quo ad reliqua Papæ indumenta. Vide *Cappa* prope finem. *Cingulum*. *Compagi*, *Crocea*. *Epigonation*. *Fanon*. *Mandyas*. *Orale*. *Pedules*. Quomodo fert Papa tonſuram. Vide *Tonſura*. Papa in Sabbato ſancto baptizabat tres pueros. Vide *Brachialia*. Electus in Papam, ſi ordinandus erat in ſacris, debebat expectare jejunium Quatuor temporum. Vide *Ordo*. Non induitur Papa ſandaliis, ſubcinctorio, chirothecis, & fanone die Veneris ſancti. Vide *Cingulum*. In proceſſione feſti Purificationis nudis pedibus incedebat. Vide *Planelli*. Ejus ſolemnis communio. Vide *Communio*. Ejus Viaticum Sacramentum in peregrinatione. Vide *Viaticum*. Ejus veſtiarium. Vide *Virgarius*. Papa celebraturus ſolemniter. Vide *Evangelium*. Quare non utitur bugia. Vide *Bugia*. Neque baculo paſtorali. Vide *Baculus*. Ponitur aqua in ejus calice cum cochleari aureo. Vide *Forceps*. Quando debet genuflectere Pontifex. Vide *Genuflexio*. Benedictiones ejus in cereis agnus Dei. Vide *Agnus Dei*. Ejus benedictio gladii. Vide *Lectio*. Quando canit ultimam lectionem matutinalem in Cappella. Vide *Jube Domne*. Quomodo recipiebat oblationes. Vide *Oblatio*. Papa quomodo prima vice pallium ſuſcipiat. Vide *Pallium*. Ubi comedebat in Feria V. Cœnæ Domini. Vide *Panetaria*. Papa ſolemniter celebrans quomodo communionem recipit ex parte ſiniſtra. Vide *Communio*. Quomodo pacem ſumebat. Vide *Pax*. Quando dicit Pax Domini ſit ſemper &c. Chorus non reſpondet. Vide *Pax Domini ſit ſemper &c.* Quomodo ei cinis ad caput imponitur. Vide *Cinerum dies*. Quomodo incenſandus. Vide *Thuribulum*. Peſſimus Hebræus David de Pomis in ſuo Dictionario hebraico in dict. Papa *Peſior* hebraice eum vocat, quod poſtea in dict. Idolum inquit Hebraice *Peſior* ſic denominari, ſic etiam Romæ Hebræi monetam papalem, quam nos *Julium*, ſive *Paulum* dicimus, ipſi *Perſior* appellant, ideſt, *Idolum*, quod quidem Sac. Orbis, & Urbis Inquiſitio talia vocabula in caput Eccleſiæ univerſalis opprobrioſa emendare deberet. Papa eſt omnium Eccleſiarum caput. Vide *Patriarcha*. Quando de jure poteſt privilegia locis piis concedere. Vide *Privilegium*. Papæ equitatio. Vide *Saccularis*. *Vicedominus*. De oſculo ejus pedum. Vide *Sandalia*. Poſſeſſio novi Pontificis in Laterano, ac aliæ cæremoniæ in eo actu. Vide *Sedes Stercoria*. Item ejus juramentum in hac functione. Vide *Sequipes*, Tempore Jejuniorum fert cappam, & pluviale. Vide *Sticharium*. Quando induitur veſte ex candida lana. Vide *Superpellicum*.

**Papalethra**, clericalis corona, ex græco παπαλήθρα ; ſed crederem ſcribendum potius παπαλίτρα, ideſt, presbyteralis moneta ; nam παπᾶς, presbyterum denotat, & λίτρα, monetam, ſive numiſma. [ Statuit canon, ut caput eis tondeatur more clericorum, & habeat papalethram. Balſamon ad Synod. 6. annot. 21. ] Vide *Tonſura*.

**Papinianista**, dicebatur, qui poſt biennalem juris ſtudium, ad tertium tranſibat.

**Papiensis**, papalis, in cæremonialibus antiq. Item *Denarius papienſis* moneta.

**Pappias**, dignitas in Aula imperiali Græcorum, quæ Cæſaris conſangnineis conferri ſolebat, vox quidem græca παππίας, Majori domus correſpondebat [ Dextrum cornu Protoſtrator, ſiniſtrum Zamplaco Magnus Pappias tenebat, medio agmine Imperator ipſe emicabat. Cantacuz. lib. 2. c. 27.

**Papyrus**, πάπυρος, arbuſcula in Ægypto frequens. FR. charta eſt, & non pergamenum, ut aliqui exiſtimant. [ Prædicta privilegia quaſi jam nimia vetuſtate conſumpta cum fuerint, non in pergameno, ſed in papyro conſcripta duximus innovanda. In decretal. de confirm. util. vel inutil. c. 4.

**Parabola**, παραβολή, ideſt, comparatio, vel ſimilitudo. Differt autem ab Hiſtoria, quia hæc eſt relatio rei jam ſucceſſæ ; at parabola eſt veriſimilitudo ingenioſe compoſita, & adinventa : rudes enim facilius hujuſmodi exempla retinent memoriter : hac figura uſus eſt ſæpe Chriſtus. [ Et accedentes diſcipuli dixerunt ei ; quare in parabolis loqueris ei? Qui reſpondens, ait illis : Quia vobis datum eſt noſſe myſteria regni cœlorum, illis autem non eſt datum. Matth. cap. 13. Et dicebat eis : Vobis datum eſt noſſe myſteria regni Dei : illis autem, qui foris ſunt, in parabolis omnia fiunt. Marc. cap. 4. Quibus ipſe dixit : Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis. Luc. c. 8. ] Quare autem Diſcipulis myſteriorum notitiam exponebat Chriſtus, & vulgaribus parabolice loquebatur. Vide *Deividus*. FR. aliquando tamen in ſac. Scriptura accipitur pro re geſta, ſeu hiſtoria. [ Denique quod Salvator in Evangelio tamquam parabolam ponit de Lazaro, ac divite, Expoſitores communiter dicunt fuiſſe rem geſtam, & tamen vocatur parabola, in quantum per ſimilitudinem alterius rei ſignificativa. Dionyſ. Carth. in 2. Reg. c. 14. art. 23.

**Parabolus**, παράβολος, ita vocabatur Clericus, qui in Collegio Alexandriæ ad curandos infirmos erat addictus ; quæ vox præcipitoſum, & audacem in mor-

tis periculis græce ſignificat; nam etiam contagioſis ſerviebant; ſed quia hoc ſanctum inſtitutum in charitate fundatum, in ſeditiones deinde, & diviſiones tranſierat, nimirum, contra prædicti loci pii Præfectos tumultuarii Clerici inſurgendo ad favorem Epiſcopi: ideo congruum Theodoſio Juniori Imperatori viſum fuit, ut prædicti Clerici in eo Collegio commorantes quingenteſimum numerum non excederent, atque potentes, ac divites minime admitterentur, & quod ad aulam Principis viginti ſimul accedere nequiſſent, ſed viciſſim tantum unus. Cod. Theod. lib.42. de Epiſc. & Cleric. Qui etiam *Parabolani*, & *Parabolarii* dicebantur.

PARACELLARIUM. Vide *Paracellarius*.

PARACELLARIUS, Palatii Apoſtolici officialis, cui incumbebat menſæ Pontificiæ largitiones pauperibus diſtribuere. FR. diſpenſatorem proprie ſignificat [Hic beatiſſimus Papa ſtatuit, ut crebris diebus alimentorum ſumptus, qui & uſque nunc eleemoſyna appellatur, & de venerabili Patriarchio a Paracellariis pauperibus, & peregrinis, qui ad B. Petrum morantur, deportari, eiſque erogari. Nec non & omnibus inopibus, & infirmis per univerſas regiones iſtius Romanæ Urbis conſtitutis eandem ſimiliter diſtribui ipſam alimentorum eleemoſynam. Anaſt. Biblioth. in Zacharia. Et erogentur omni die per manus unius fideliſſimi Paracellarii eiſdem pauperibus; accipiens unuſquiſque eorum portionem panis, atque portionem vini &c. Idem in Adriano I.] :||: Item & ipſa diſpenſa *Paracellarium* dicebatur [Capita centum exinde occidantur, & in eodem paracellario reponantur. Idem in eodem Adriano I.] Idem officialis *Subpulmentarius* dicebatur. Anaſt. in eod. Adriano. [Benedictus Subdiaconus ſubpulmentarius. Luitprandus.] FR. an potius Tranſcriptorum incuria *Supplementarius* ſcribendum eſſet, quia egenorum neceſſitatibus ſupplebat, ac ſuccurrebat. Vide *Cellerarius*.

PARACHÆMADION, locus ad hybernandum aptus, ex græco verbo παραχειμάζω, hybernare ſignificante [Abiit ad parachæmadion ſuum, ſive ſtationem hybernationis. In vita S. Anaſtaſii Perſæ. Item παραχειμασία, hybernatio.

PARACHARACTA, falſæ monetæ fabricator, ex græco παραχαράκτης. [Falſæ monetæ rei, quos vulgo paracharactas vocant, Majeſtatis crimine tenentur obnoxii. Cod. Theod. lib. 9. tit. de falſa moneta.] Quare ubi nos in Syneſ. epiſt. 5. legimus [Trapezitas malos, qui velut monetam, ita divinum verbum pervertunt, & adulterant] in græco textu habetur παραχαράκτοντας, ubi Hæreticos monetæ falſariis comparat. Vide *Trapezita*.

PARACHARAGMUM, ex græco. παραχάραγμα, ideſt, inſcriptio, ſeu figura falſa. [Ut imaginem tyrannici cultus, ſub colore nobis auri fallentis objiciat, ſive cum paracharagmis nos conatur illudere. Caſſian. collat. 1. c. 20. ubi aliqui male legunt *Paracharaximum*.

PARACIMOMENUS, & *Paracœmomenus*, Παρακοιμώμενος, ideſt, excubans, accubitor [Ad tuendum palatium, tuendamque rem privatam, ut iſtic moris eſt, Eunucho officium paracæmomenon dedit. Luitprand. de rebus Europæ.] Ivo tamen, lib. 4. de privil. & dignit. Eccleſ. Rom. Concubitorem vocat. [Quemadmodum imperialis potentia diverſis officiis cubiculariorum, nec non oſtiariorum, atque omnium concubitorum ornatur.

PARACLETUS, appellabatur Montanus Hæreſiarcha. Vide *Pſychicus*.

PARACLITENSE. FR. Monaſterium in Diœceſi, vulgo *Troges* appellata in Gallia, ubi Moniales degunt, ita a Paraclito Spiritu Sancto appellatum, quod a Petro Abailardo antea hæretico, ac Arnaldi Brixienſis Magiſtro, ad catholicam fidem opera Petri Abbatis Cluniacenſis reducto, fundatum eſt; ibique ſuam uxorem Heloiſſam Abbatiſſam præpoſuit, & ipſe Monachus Cluniacenſis effectus eſt. Baron. an. 1140. n. 8. & ſeqq. quod Monaſterium dicitur etiam *Paracliti*, ſeu de *Paraclito*; in quo uſque hodie in die Pentecoſtes cani lingua græca officium, Nicolaus Camuſatius in ejus Miſcellanea hiſt. teſtatur, & ſuper Heloiſſæ ſepulchrum hi verſus leguntur:

Hoc tumulo Abbatiſſa jacet prudens Heloiſſa,
Paraclitum ſtatuit, cum Paraclito requieſcit.

Hanc Eugenio III. Papæ D. Bernardus, epiſt. 178. commendavit, inquiens; ] Sed & quod petit Abbatiſſa de Paraclito, per ipſum, ſi dignamini, ſcire poteſtis, & facere, ſi dignum judicatis.

PARACLITUS, Παράκλητος, ideſt, Advocatus, conſolator, Spiritus Sancti attributum; ejus enim adventu afflictum Diſcipulorum conventum conſolavit, & ante Reges, & Præſides Chriſti aſſeclis, quid tunc pro fidei defenſione loquendum eſſet, tamquam Advocatus dictaverat. FR. Inter eruditos controvertitur, an *Paraclitus*, vel *Paracletus*, litera *e*, producta dicendum ſit: nam Haymon Halberſtatenſis Epiſcopus ſuper Evangelia Dominicalia inquit, quod [Quidam Græcus veniens in Palatio Regis, cum legeretur illud Evangelium, & diceretur, Paraclitus, dixit, Paracletus deberet dici. Tamen nos non audemus illud mutare ex conſuetudine.] Quin & Jo. Baptiſta Thiers Pariſienſis Theologus in ejus eruditiſſima diſertatione typis anno 1669. excuſa, *Paraclitum* dici debere evidenter demonſtrat tum vigore græcæ dictionis, tum propter ſacrorum hymnorum proſodiam, tum etiam propter antiquiſſimam Eccleſiæ conſuetudinem. Reliqua Vide *Spiritus Sanctus*.

PARADISUS, Παράδεισος viridarium, & deliciarum locus: hinc cœleſtis patria Paradiſus dicta; nam ſummus deliciarum fœlicitatumque locus eſt. Alii tamen ex chaldaico hujus vocabuli etymon deducunt, ideſt *Farrad*, quod locum amœnum ſignificat, unde Arabes *Fardus* dicunt. Item *Paradiſus* Eccleſiæ atrium, ſive Cœmeterium denotat; nam ibi corpora in pace quieſcunt [In Paradiſo Eccleſiæ tumulari rogavit.

Chron.

Chron. Caſin. lib. 4. c. 8. ] Vide *Perivolium*. FR. & clarius in eadem Caſin. Chron. l. 3. c. 28. de Dionyſio Abb. qui deinde Papa Victor III. fuit appellatus, dicitur: Fecit & atrium ante Eccleſiam, quod nos romana conſuetudine Paradiſum vocamus. ] Apud externos Scriptores nedum hortum, ſeu viridarium; ſed etiam locum immenſæ latitudinis, ut plurima animalium genera ad venationem ſuſtentari poſſint, ſignificat, quod ex Xenophonte, Plutarcho, Philoſtrato. & aliis comprobare conantur Eugubinus in ſua Coſmopœja ad verba: Paradiſum voluptatis &c. Geneſ. c. 2. & diſerte Briſſonius, lib. 1. de Regno Perſarum. §. Palatiis vero Regum. Henericus Stephanus in Theſaur. Ling. Græcæ. Pineda in c. 2. Eccl. verſ. 5. Feci hortos, & pomaria &c. Malvenda de Paradiſo, cap. 3. Gellius vero vivaria intelligit, ſic inquiens [ Vivaria autem, quæ nunc vulgus dicit, ſunt, quos παραδείσους Græci appellant, lib. 2. c. 20. ] At phraſis biblica per *Paradiſum* hortum intelligit; inſuper non raro hortum voluptatis ſimpliciter appellat, ut in eod. c. 2. Geneſ. verſ. 10. & 15. & c. 3. verſ. 23. Ezech. c. 36. verſ. 35. Joel c. 2. verſ. 3. Quapropter Moyſes Barcepha, part. 2. commentar. de Paradiſo, c. 16. ſic habet [ Paradiſus vero appellatur Paradiſus, quod locus ſit cultus plurimis, pulcherrimiſque tum odoratu, tum guſtu jucundis plantis, planeque congruis appoſitus, accommodatus, ut ſit domicilium, ſedeſque, & amœnitas hominum; nam hujuſmodi locum conſueverunt homines appellare ] Inſuper ubi vulgata legit: [ Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis a principio. Geneſ. cap. 2. ] LXX. verterunt [ Plantavit Deus Paradiſum in Eden ad orientem ] Atque D. Hieronym. in quæſt. hebraicis in Geneſ. ex hebræo [ Plantaverat autem Deus Paradiſum in Edem ad orientem ] tranſtulit. Quid autem *Eden* ſignificet idem Hieronym. declarat in eadem dictione, quod delicias interpretetur. Itaque Bellarm. de ſtatu primi hominis, c. 15. Cornelius a Lap. in c. 2. Geneſ. verſ. 8. affirmant Paradiſum diffuſi ambitus fuiſſe, in quo & hortus, & etiam animalia inveniebantur. Sed Chryſoſtomus, hom. 13. in Geneſ. Theodoretus, q. 25. in Geneſ. Hieronymus de dictionibus hebraicis verb. Eden, affirmant *Eden* non fuiſſe ipſum Paradiſum; ſed regionem, ac territorium, in quo plantatus fuerat Paradiſus. Quibus adſtipulatur Moyſes Barcepha, part. 1. de Paradiſo, cap. 16. ubi ſic ait: [ Porro ut regio Eden cunctas præcellit terras, ita & ea ejus pars, in qua ſitus eſt Paradiſus, cætera omnia, quæ Eden complectitur, loca ſuperat; neque enim in Eden ullum eſt ſolum præſtantius eo, in quo Paradiſus eſt conſtitutus. ] Exaggeratio autem nimis exorbitans eſt Anaſtaſii Synaitæ, lib. 9. in Hexameron. nempe, [ Fuiſſe magnitudinis incomprehenſibilis ] ſed veriſimilius Aug. lib. 8. in Geneſ. ad. litt. cap. 10. inquit: [ Neque enim exiguus locus erat, quem tantus fons irrigabat: ] cum quo concordat Moyſes Barcepha, par. 1. commentar. de Paradiſo, cap. 15. dicens: [ Jam vero ex fluminis magnitudine conficitur Paradiſus, qui illo rigatur, ampliſſimum quoque eſſe ] Atque peculiari menſura definit Toſtatus, quæſt. 98. in cap. 13. Geneſ. ubi ſic ait: [ Non enim videtur, quod oporteret majorem magnitudinem, quam habeat inſula, ſcilicet, in longitudine tres, vel quatuor leucas, in circuitu autem duodecim, aut parum plus. ] Eugubinus vero in Coſmopœja in præd. c. 2. Geneſ. Fluvius egrediebatur &c. regionem fuiſſe trecentorum millium paſſuum arbitratur. Malvenda de Paradiſo, cap. 26. putat fuiſſe ejus ambitum quadraginta, vel quinquaginta leucas, uti decebat pomarium magni Principis. Suar. lib. 3. de oper. ſex dier. c. 6. n. 15. ſaltem amplitudinem unius Regni habuiſſe ait. Quo vero ad etymologiam nominis Poſtillator in can. Eccleſia Paradiſo, de conſecr. diſt. 4. ſe parum in græco idiomate verſatum oſtendit, dum ibi ait: [ Dicitur Paradiſus parans Deum, vel Deitatis viſum, quia ibi Deum videbimus facie ad faciem. ] Philo Hebræus, lib. 1. Allegoriar. negavit veram, ac realem terreſtris Paradiſi exiſtentiam; ſed tantum allegorice ſacram Scripturam loqui aſſeruit, quem errorem ſequuti ſunt Origen. lib. 4. Periarchon cap. 2. & Nicetas in commentar. Nazianzenæ orationis de Nativitate, Pſellius, ac recenter Gregorius Venetus in ejus Harmonia mundi, quæ opinio tamquam falſa a Sanctis Patribus rejicitur, ſignanter a D. Auguſtino, lib. 8. de Geneſ. ad litt. cap. 1. & lib. 13. de Civit. Dei, c. 21. Hieronymo, in cap. 17. Jeremiæ, §. In principio regni, & c. 10. in Danielem. §. Die autem, Epiphanio hæreſi, 64. & in epiſt. contra Jo. Hieroſolym. Sophronio Patriarcha in ſex. Synod. act. 11. Anaſtaſio Synaita, lib. 7. Hexameri Moyſe Barcepha, par. 1. comment. de Paradiſo, cap. 1. & 4. De qua re uberius Sixtus Senen. lib. 5. Biblioth. annot. 34. Pereira, l. 3. in Geneſ. diſp. de Paradiſo, quæſt. 1. n. 15. Bellar. lib. de gratia primi hominis, cap. 10. Suarez, lib. 3. de oper. ſex dier. cap. 6. num. 5. Malvenda de Paradiſo, cap. 6. & 7. Ubinam conditus fuerit, varii varia dixere.

Paradogum, vox barbara, qua Longobardi feudum nobile intelligebant; ſic e contrario *Padagogum*, feudum vile, & ruſticum dicebant.

Paradigma παράδειγμα, *exemplum*. Vide *Pœnitentia*. §. Neceſſitas puniendi.

Parænesis, παραίνεσις, admonitio. FR. ſic intitulavit ſuum libellum exhortatorium ad pœnit. S. Pacianus Barcinonen. Epiſc. qui extat in Biblioth. SS. Patrum.

Parafrædus. FR. Fidejuſſor pro ſolutione pœnæ pecuniaræ. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſtit. 38. num. 2.

Paragauda, faſcia, ſive laciniarum ſpecies ſerico, & auro contexta, qua veſtium extremitates ornabantur. [ Nemo auratas habeat, aut in tunicis, aut in lineis paragaudas, leg. 2. de diverſ. holob.

Paragramma, παράφραμμα, ſuperfluitas vocum, aut literarum. [ Si paragrammata repereris, vel minus aliqua deſcripta ſunt, quæ ſenſum legentium impediant,

non mihi debes imputare. S. Hieronym. epiſt. 28.

PARAGRAPHUS, παράγραφος, ideſt, adſcriptus, & ſignum diſtinctivum ſcripturæ denotat, ac diverſitatem periodi ſenſus indicat. Græci utuntur litera Γ, hac forma dimidiata; ſed Latini duplici, s, hoc modo, §. ſignant, quæ litteræ *Signum ſectionis* interpretantur, cum re vera ſeparationem diſcurſus demonſtrent; alii tamen exiſtimant, quod ſit antiquum, gothicumque P, quo paragraphus notatur.

PARALIPOMENON, παραλειπομένων, ideſt, prætermiſſorum, ſic in ſacra Scriptura duo libri appellantur, quia in eis bellicæ expeditiones Hebræorum in libris Regum prætermiſſæ referuntur, ſeu quæ narrantur in libris Regum, in Paralipomenon aliis circumſtantiis referuntur, quos libros *Dibre Hajamim*, ideſt, Verba dierum vocant Hebræi, cum ad inſtar Diarii ſucceſſarum rerum relationes contineant, quorum auctorem Eſdram exiſtimant R. Moyſes Kimchi, ac R. Salomon. FR. D. Clemens Papa in Canonibus Apoſtolicis *Derelicta* appellavit hos duos libros [Derelictorum ex libro dierum duo, can. 84.] De hoc ſic Dionyſius Carthuſianus ait: [Vocatur quippe hic liber Paralipomenon, & ut 6. etymol. ait Iſidorus, græce παραλειπομένων, interpretatur latine prætermiſſorum, aut derelictorum. Circa quod ſcribit Magiſter Adam Pariſienſis, παραλείπω verbum græcum eſt, ſignificans idem quod relinquo, aut prætermitto, & ſecundum Huguitionem dicitur ἀπὸ τ͂ παρὰ, quod eſt præter, & εἴπερ, quod ſupplens, & μλεὼν, quod eſt defectus, quaſi prætermiſſorum ſupplens defectum: quoniam ea, quæ in lege, & præſertim quæ in libris Regum omiſſa ſunt, vel non plene relata, ſummatim, ac breviter in iſto exprimuntur volumine. Propter quod ſecundum Hieronymum liber hic dici poteſt χρονικός, totius Sac. Scripturæ &c. in proœm. primi lib. Paralip.

PARALOGIA, παραλογία, falſa loquutio. Vide in dict. *Pantologia*.

PARALYTICUS, παραλυτικὸς, qui paralyſi, ſive apoplexia laborat, de quo fit mentio in Evang.

PARAMENTA SACRA. Vide *Veſtis*.

PARAMONARIUS παραμονάειος, Monnſterii Miniſter. [Oeconomi autem, Chartularii, Paramonarii, & alii promoventur. Balſamon. in can. 2. Synod. Chalced.

* Παραμονάειοι. Manſionarii. Concil. Chalced. c. 2. de Miniſtro ad Eccleſiam ſpectante facit mentionem, eumque vocat παραμονάειον. Sed interpretes & Critici de hujus vocabuli ſignificatu non concordant. In vetuſta *Dionyſii Exigui* verſione redditur *Manſionarius* & in lectione ad marginem explicatur per vocabulum *Oſtiarii*. Et certe in Eccleſia Romana vivente *Dionyſio Exiguo* hoc erat manſionarii officium. Nam *Gregorius Magnus* non multo poſt in dialogo quodam ſuo loquens de *Abundio manſionario*, cuſtodem etiam Eccleſiæ eum appellat; & in alio Dialogo *manſionarii* officium eſſe dicit, accendere lampades, ſive candelas Eccleſiæ. Gregor. M. Dial. lib. 1. c. 5. & lib. 3. c. 25. Multi vero huic græco vocabulo alium ſenſum dant; alii *actorem poſſeſſionum*, alii *rerum Eccleſiaſticarum adminiſtratorem* ſignificare contendunt. Hæc de ejus veteri ſignificatu, de illius vero præſenti munere conſulendi Canoniſtæ.

PARANGARIA. Vide *Angaria*.

PARANYMPHI. FR. Adoleſcentuli bene compti, qui ſponſam comitantur, l. pervenit, de Aggreſſione in unico.

PARAPHERNA, παράφερνα, *præterdotalia*. A Juriſperitis dicuntur illa bona quæcumque præter dotem feminis nubentibus donata; a παρὰ *præter*, & φερνὴ *dos*. Unde paraphernalia paſſim intelliguntur omnia illa, quæ uxor præter dotem poſſidet.

PARAPHONISTA, παραφωνιςὴς, acclamator; ſed communiter cantor intelligitur, qui divinas laudes canit. In pervetuſtis cæremonialibus Magiſtrum cappellæ, qui muſicam dirigit, ſignificat, ubi ſic habetur [Paraphoniſta cum ſchola (*ideſt, Cantorum*,) vigilias incipit.] Vide *Archiparaphoniſta*.

PARAPSIS, Παράψις, & παροψίς. FR. vas, ſive patina, lanx, catinum, & ſimilia, in quibus obſonia ponuntur. Quidam a rotunditate etymon trahunt. [Unam parapſidem plenam carbonibus, quibus uſtus fuit S. Laurentius. In privileg. Caroli Magni apud Torrigium de Crypt. Vatican. ſecunda impreſſ. pag. 504.] Dicitur etiam *Paropſis*, ut Matth. cap. 23. & 26. ex græco παρὰ, pro, & ὄψον, cibus, ita Pollux, & Euſtath. At Marc. 14. & Luc. 11. *Catinum* ſcribunt, & Juvenal. Satyr. 3.

Quam multa magnaque paropſide cœnat Martialis:
Quæ portat gaudens ancilla paropſide rubra,
Et alibi idem:
Sic implet gabatas, paropſideſque.

& Sueton. in Galba, [Paropſidem leguminis] dixit. Vide *Abſida*.

PARASCEVE, παρασκευὴ, ſignificat diem Veneris. Aliqui exiſtimant ex verbo græco παρασκευάζω, ideſt, præparo, deduci: ita Adrian. Junius in verbo, ἀρασκευάζω; nam in hac die Hebræi comeſtibilia pro ſequenti Sabbati die præparare ſolent, quo vocabulo etiam ipſos uti ſolitos fuiſſe refert Baron. an. 34. num. 154. Male igitur Hugo Cardinalis hoc vocabulum *Parans cœnam* ſignificare ait. Græcos enim Chriſtianos in Eccleſia hoc introduxiſſe vocabulum, Baronius an. 34. n. 153. demonſtrat. Item. *Paraſceve* apud Tertullianum adverſ. Pſych. cap. 14. Sabbatum ſignificat, quare de jejunio ab Eccleſia Occidentali in Sabbato obſervato loquens, ait: [Cur ſtationibus quartam, & ſextam Sabbati dicamus, & jejuniis paraſceven.] Apellatur etiam προσάββατον, ideſt, *Ante Sabbatum*, Epiphan. lib. 4. contr. Hær. in fine :||: Eccleſia tamen per *Paraſceven* Feriam VI. majoris hebdomadæ intelligit Redemptoris morti conſecratam, quæ dies etiam *Cœna pura* appellata fuit ab Irenæo, ut ſuo loco diximus. Eſt quidem antiquiſſima Eccleſiæ traditio minime celebrandi in hac die. Hinc Toletanum XVI. Concilium de anno 693. quotidie pro Regis ſalute celebrandum ſtatuit [Excepto Paſſionis Domini

cæ

cæ die, quando Altaria denudata perſiſtunt, nec cuiquam in eodem die licet ſolemnia celebrare, can. 10.] Et in hac die in ſignum mœroris Papa ſuper nudum ſcabellum ſedebat. [ Hac die ſecundum antiquas cæremonias Papa in camera ſua non conſuevit ſedere ſuper ſedes, ſed ſuper ſcabella, & Cardinalis finito officio, & deducto Pontifice ad cameram deſcendit ſine contabulatione aliqua, Ordo Roman. ] FR. In ritu Ambroſiano, nedum in hac die, ſed in omnibus feriis ſextis non celebratur, in quibus diebus Crux ſuper Altare cum ſex candelabris exponitur :||: Irenæus, lib. 5. Adamum die 25. Martii obiiſſe ait, in quo etiam die communiter Chriſti mortem accidiſſe exiſtimatur, ac in quodam pervetuſto Martyrol. M. S. quod extat in Bibliotheca Reginæ Svetiæ ſub hac die his verbis notatur. [ Hieroſolymæ Dominus crucifixus eſt. ] Quod Martyrologium juxta Holſtenii opinionem in octavo Chriſti no ſeculo ſcriptum fuerat. Itaque de Chriſti crucifixione ſub die præfata etiam mentionem fa iunt M. SS. martyrol. Corbejenſe, & Antverpienſe. Conſtantinopoli in die Paraſceve extra Urbem concionabatur populo, quod idem Chryſoſtomus teſtatur apud Gretſer. tom. 2. de Cruce, in memoriam Chriſti paſſionis extra Hieroſolymæ Civitatem obtentæ; ac in Melita Inſula ex hac devotione fortaſſe in Dominica Palmarum extra Urbem Notabilem in quadam planitie, ubi nunc columna cum Cruce remanſit, cani paſſionem olim ſolitum fuiſſe ſenes affirmabant, ac uſque ad eorum tempora duraſſe. In ſuo M. S. cæremoniali Davantria advertit, quod licet in hac die non conſecret Sacerdos, debet nihilominus aquam in vinum infundere, ad denotandum ſanguinem, & aquam de latere Chriſti emanatum, qui tamen refert in aliquibus Eccleſiis ſolitum fuiſſe merum ſine aqua in calicem ponere, quod, ut Jacobus Cajetanus obſervat, hebraicam crudelitatem ſignificabat. Quando Sacerdos particulam conſecratam immittit in calicem, non debet ſolita Crucis ſigna facere. Sac. Rit. Cong. 28. Aug. 1627. Quod etiam Cæremaniale juſſu Innocentii X. correctum, lib. 2. cap. 26. advertit, ubi hæc verba habentur [ Sed ſine ſigno Crucis ] An ſi in hac die concurrat feſtum Annunciationis Deiparæ, teneantur Chriſtiani loco ſacro audire cæremonias in hac die fieri ſolitas, ſicut de anno 1644. occurrerat. Negative Sac. Rit. Congregatio 19. Februar. 1622. reſpondit, additque minime Euchariſtiam ratione feſtivitatis B. Virginis fidelibus adminiſtrari debere, niſi in caſu neceſſitatis per modum viatici. Imo Albaſpina de veter. ritibus obſervat. lib. 1. non fuiſſe ſolitum antiquitus diſtribuere Euchariſtiam in jejuniorum tempore notat. Item Sac. Epiſcop. Congr. 22. Mart. 1596. abſtulit abuſum deferendi in hac die proceſſionaliter Euchariſtiam. *Hodie tamen dictum Feſtum Annunciationis B. V. Mariæ occurrenti Feria ſexta in Paraſceve, vel Sabbato ſancto, transferri debet una cum præcepto audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus, ad Feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis quocumque alio Feſto, quod non ſit altioris ritus, etiam impeditam, ita ut prædicto caſu eveniente, eadem Feria ſecunda pro ſede propria & fixa, memorato Feſto Annunciationis aſſignata, perpetuo intelligatur. Et in illa eo prorſus modo & forma, præfatum Feſtum quoad Officium & Miſſam celebretur, quibus celebraretur die 25. Martii: protractis tamen ad aliam diem non impeditam, juxta Rubricas Breviarii Romani, omnibus aliis Feſtis, in eadem Feria occurrentibus. Ex Decreto S.R.C. 11. Martii 1690.*] In Eccleſia Andegavenſi Sacerdos, qui in hac die hoſtiam abſumit, non progreditur ad deferendum ex ſepulchro Sacramentum; ſed duo Presbyteri alba, ſtola, & manipulo induti illud deferunt, de quibus Rupertus ait, lib. 6. de divin. offic. cap. 23. [ Duos Presbyteros, qui corpus Domini ad Altare deferunt, ſignificare Joſeph juſtum ab Arimathea, & Nicodemum ] Altaria ſolita denudari in hac die. Vide Baronium an. 1034. num 18. Reliqua ad hanc diem pertinentia. Vide *Feria VI. in Paraſceve*. Item *Paraſceve* Virginis, & Martyris nomen eſt, quam Græci *παρασκευὴ* appellant, & Latini Veneram, ſive Venerandam, quæ a ſuis genitoribus ita appellata fuerat, quia in Feria VI. Paraſceve nata erat, cujus feſtum ſub die 14. Novembris celebrat Martyrol. Rom. ſed Eccleſia græca illius feſtum agit ſub die 26. Julii, ſic etiam in Melita, & in Cataneníi Siciliæ Civitate, ubi ad littus ejus ſacellum extat. Vulgus tamen ignarus, eandem Sanctam cum Deiparæ Genitrice confundit, ex eo quia in eodem die utriuſque feſtum celebratur, & in quodam antiquo Licienſis Eccleſiæ Breviario impreſſo ejus proprias lectiones habentur ſub die 26. Julii.

PARASENELITES. Vide *Synelites*.

PARASTATA, *παραστάτης*, columnæ baſis, ſuper quam antiquitus Altaria erigebantur, quarum ſtructuræ multæ adhuc videntur cum lapide integro deſuper ipſarum, & de eis in deſcriptione Baſilicæ S. Pauli extra Urbem agit Honuphrius Panvinus: [ Octavum in medio paraſtatæ. Item, ſocius, adjutor, opitulator.

PARASTITIA, poſticum, ut aliqui exiſtimant, quam dictionem græco latinam putant ex *παρὰ* græce, & ſtatio, latine, ſicut etiam in Sac. Canonibus *Interſtitium* dicitur temporis ſpatium ad ſacros Ordines ſuſcipiendos interpoſitum. Sed alii melius fortaſſe poſtes intelligunt ex græco nomine *παραστὰς*, ideſt, poſtis. [Ecce enim Angelus Domini ad repetendum aliquod Deo charum miſſus depoſitum, nos deſuper intra Eccleſiam aſpiciens benedixit, rurſumque paraſtitiam Eccleſiæ reverſus, nulla talia veſtigia exitus reliquit. In vita S. Albani.

PARASYNAGOGA, *παρασυναγωγὴ*, illegitima congregatio, ſive conciliabulum. [ Idem conſequutus eſt, ut & matyrii corona exciderit, & a Divis Patribus, qui Nicæam convenerant, eo nomine condemnatus ſit, quia ſeorſum paraſynagogas convocaret. Nicetas l. 5. de fid. orthodox. juxta Morelli interpretationem.

PARASYNELITES. Vide *Synelites*.

PA-

Parata, FR. apparatus, item tributum, vel collecta pro viis & pontibus reparandis. Sigon. de Regno Italiæ, lib. 7. Bullar. Caſinen. tom. 2. Conſtit. 22. 23. 40. 41. :||: [ Non graves ſitis Presbyteris in paratis quærendis, neque ducatis ſuperflue vobiſcum homines, vel veſtros proprios, vel amicos, vel propinquos veſtros, per quos illos gravetis in cibo, & potu, & ſodro ad caballos. Hincmarus ad Archidiaconos ſcribens.

Paratitlum, FR. rerum ſummarium [ Roglerus Odofredi Beneventani præceptor, qui Placentiæ per aliquot tempus primas partes ſibi merito vindicavit. Hic etiam primus paratitla conſcripſit, ideſt rerum ſummas titulatim appoſitas, quod a Juſtiniano promiſſum fuerat, ut legitur in l. prima, §. ult. Cod. de vet. jur. enucl. ubi mendoſe Paratitla, pro Paratitla ſcriptum eſt. Cotta in ejus memor. juris, tit. de Juriſperitis.

Paratorium, præparatorium, ſive credentia vulgo dicta. [ Calicem autem Subdiaconus accipit ſequens, & dat Acolytho, & ille revocat in paratorium. Ord. Rom.

Paratura. FR. ornamentum, quod in limbo veſtium apponebatur. ] Transmiſimus fraternitati veſtræ paraturam unam S. Greg. l. 10. epiſt. 37. ] Et clarius Matt. Pariſ. in vita Abb. [ Albas duas cum paraturis burdatis ] Quo vocabulo ſæpe etiam Anaſt. Biblioth. utitur.

Paredrus πάρεδρος, Aſſeſſor, conſiliarius, accipitur etiam pro malo ſpiritu, qui Incantatoribus, ac Magis aſſiſtere ſolet [ Scimus enim Magiam elicere explorandis occultis catabolicos, & paredros, & pythonicos ſpiritus. Tertull. de anim. cap. 28. ] FR. Salmaſius per Paredros Deos minores intelligit in Notis ad Spartianum in vita Adriani Imp. ſic inquiens: [ Qui autem de hominibus in Deorum numerum referebantur, hi πάρεδροι Deorum fieri dicebantur, quaſi aſſeſſores, & eadem ſede præditi cum cæteris Diis, ] & Tertulliani locum corrigit in Apologet. cap. 13. ubi ſic habetur: [ Cum Simonem Magum ſtatua, & inſcriptione Sancti Dei inauguratis, quum de pædagogiis aulicis neſcio, quem Cinœdum Deum facitis ] legendum putat Salmaſius: *Synodi Deum facitis*, ideſt, in Synodum, & Collegium Deorum cooptatis, ac paredros, nempe cum Diis aſſeſſores.

* Parentalia. Convivia ad buſta mortuorum, quæ in magnos abuſus quarto ſæculo degenerarunt. Auguſt. de morib. Eccleſ. cap. 34. Eccleſia vero hos mores ſemper damnavit; oblationes vero pro defunctis pio animo accepit.

Parentinus, paternus. D. Ambroſ. ſer. 75.

Parentivus. FR. paternus: [ Quiſquis hominum parentivæ mortis expectatione animam paſcit, parricidiali crimine in hæreditate ſuccedit. Valerianus Cimelienſis Epiſc. hom. 20.

Parere. FR. videri, ſeu exiſtimari ſignificat. Bullar. Caſin. tom. 2. conſtit. 91.

Pargum. Vide *Palergium*.

Paribus, Vide *Aparilitas*, *Parilitas*.

Paricla, ſeu *Paricula*, charta, circularis ſcripturæ, quia pari tenore omnibus intereſſatis, ſeu collitigantibus dabatur; *Charta paricla* ſententiæ judicialis copia dicebatur. Marculf. lib. 1. formular. cap. 38.

Paries Dealbatus. FR. a D. Paulo Hypocrita appellatur, can. niſi bella, 23. quæſt. 1.

Parilitas, ſimilitudo, æqualitas. [ Quæ conſequenti unguentariæ ſpatii parilitate conquadrat. Sidon. lib. 2. epiſt. 2. Ut hactenus parentum nobilitate decorabat, ita jam nunc titulorum parilitate faſtigabat. Idem lib. 3. epiſt. 6. ] Vide *Aparibus*, *Pariatio*.

Pario, as, æqualis ſum. [ Æqua enim ſubſtantia pariant inter ſe Chriſtus, & Adam. Tertull. de reſurrect. carn. cap. 53. ] Ex quo verbo fit *Æquiparo, as*.

Parior, aris, æqualis fio, ſive æquiparor: [ Sermo enim Deus, quia in effigie Dei conſtitutus, non rapinam exiſtimavit pariari Deo. Tertull. de reſurr. carn. c. 6.

Pariatio, & *Pariatoria*, ex verbo *Pario, as*, ſupra, ideſt, ſimilitudo, & comparatio, nomina apud Sanctos Africanos Patres uſitata. [ Pariatio plenaria. Beda in epiſt. D. Pauli ad Coloſſen. 1. ] Corrupte tamen in eadem epiſt. D. Anſelmi textus *Paritio plenaria* habet pro *Pariatio*. Sic etiam male in textu D. Auguſtini, in pſalm. 61. in codice Lovanienſi: [ Pariatoria plenaria: paſſionum omnium non erit finis, niſi cum ſæculum finitum fuerit. ] Quare Latinus Latinius tollenda eſſe puncta, & dictio *Finis*, exiſtimat, & ſic corrigit: [ Pariatoria plenaria paſſionum omnium non erit, niſi cum ſæculum finitum fuerit.

Paris, herba, & radix. Vide *Exorciſta*.

Pariſim, hebraica vox, latrones ſignificat, atque Publicanos. Baron. an. 31. n. 73. Sed proprie publicanos ſignificat. Vide *Publicanus*.

Pariſius, pro Pariſiis adverbialiter. [ Dure ſcribitis non merenti. Quid peccavi? Si monui Magiſtrum Robertum Pullum aliquantum tempus facere Pariſius. D. Bernardus. ] Nonnulli corrigendum *Pariſiis* exiſtimarunt, ſed error non eſt; nam apud Eccleſiaſticos Scriptores *Pariſius* etiam legitur, & præcipue apud Petrum Bleſenſem frequentiſſime: [ Dum Pariſius operam ſtudiis dabas, publice dicebatur, quod in hac humana converſatione te Angelum exhibebas, ep. 9.

Parmeniani. FR. hæretici a Parmeniano quodam, contra quem ſcripſit D. Aug. Gloſſa in can. quiſquis, 23. quæſt. 4.

Parochia, græca vox, παροικία, ſignificat domorum adunationem, ſeu habitationes contiguas, hinc juxta græcæ dictionis vim *Parœcia* melius dicitur. Vide *Labra*. FR. dicitur etiam *Plebania*, lib. 3. Decretal. tit. 24. cap. 1. Dicitur etiam *Plebs* :||: Eſt autem differentia inter Eccleſiam Parochialem Curatam, & Baptiſmalem. Nam omnis Parochialis Eccleſia eſt curata, ſed non viceverſa. Ulterius reperiri poteſt Eccleſia Baptiſmalis, quæ nec Parochialis, nec curata ſit; nam Baptiſmum conferre non eſt juridicus Parochi actus, cum poſſet quilibet Laicus illud conferre

in

in neceſſitatis caſu: quæ triplex diſtinctio ex Trident. Synodo, ſeſſ. 21. cap. 5. De reformat. colligitur, ubi ſic ait: [ Poſſint Epiſcopi etiam tamquam Apoſtolicæ Sedis delegati juxta formam juris, ſine tamen præjudicio obtinentium, facere uniones perpetuas quarumcumque Eccleſiarum Parochialium, Baptiſmalium, aliorumque beneficiorum curatorum. ] FR. Regimen animarum dicitur Ars artium. De ætat. & qualit. ord. cap. 14. ||: Parochia per ſpatium quadraginta annorum derelicta, beneficium ſimplex efficitur. Bellarm. in notis ad Concil. Trident. ſeſſ. 21. cap. 7. de Reform. Item Parochia dicitur Diœceſis Parocho ſubjecta: [ Nam peragratis forte Diœceſibus, cum domum veni &c. Sidon lib. 9. ep. 16.] Et e contra Parochia pro Epiſcopi Diœceſi non raro accipitur: [ Unuſquiſque Epiſcoporum habeat ſuæ Parochiæ poteſtatem. Rothiand. in epiſt. ad Nicol. Ingreſſo itaque Beato Archipræſule Martino propriæ Parochiæ fines. Oddo Cluniac. Abb. in vita S. Martini, lib. 2. cap. 10. Nullus Epiſcopus in alterius Parochia ordinationes aliquas facere, vel negotia peragere, quæ ad eum non pertinent &c. In Capit. Caroli Magni, lib. 1. c. 11. ] FR. ſic etiam habet, in can. ſi quis ordinatus, diſt. 92. can. ſi quis Epiſc. ordinatus, & can. ſi quia Epiſc. ead. diſt. Item can. nullus primas, 9. qu. 2. can. Lugdunenſis Parochiæ clericos, ibid. can. Archiepiſcopus, 9. quæſt. 3. Diœceſis enim eſt Parochia Epiſcopi. Gloſſ. in Clement. de privil. c. 1.: || : Item Parochia pro univerſali Eccleſia nonnunquam uſurpatur. Contra Catholicam Eccleſiæ Parochiam cum Ducibus ſuis prolatis gregatim ingruere moliuntur. Aldhel. de Virg. c. 7.] Vide *Diœceſis*.

Parochianus. FR. Parochiæ incola, can. in Dominicis, 9. quæſt. 2. & can. inter cætera, 22. quæſt. 4. Item *Parochiana Eccleſia* pro Parochiali: [ Placuit huic Sancto Concilio, ut nullus provinciæ Luſitaniæ Epiſcopus a qualibet Parochiana Eccleſia tertiam auferre præſumat, can. priſcis, 10. q. 3. Hi enim Pontifices &c. Parochianas Eccleſias pergravantes &c. can. Inter cætera, ead. 10. quæſt. 3.

Parochus, πάροχος, ideſt, diſtributor, quia diſtribuere, ac conferre Sacramenta ſubditis tenetur, pro quibus aliquando ſacrificium applicare debet, Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 1. quod juxta communem Doctorum opinionem intelligendum eſt in Dominicis, & principalibus Domini feſtivitatibus, vel ſaltem ſemel in hebdomada. Bonacina, qu. ult. punct. 3. Sed a pleriſque Theologis, præcipue Suarez, Averſa, & Diana, hujuſmodi obligatio in Parocho minime agnoſcitur, & auctoritatem Concilii Tridentini ſupra adductam explicant intelligi de applicatione quo ad impetrationem, non vero quo ad ſatisfactionem. Parochus enim in Miſſæ ſacrificio tenetur pro ovibus ſuæ curæ commiſſis orare, non autem pro eis ſacrificii valorem applicare; licet congruum mihi videatur in aliquibus ſolemnitatibus pro eis applicare ſacrificium, præſertim ſi pingues decimas, primitias, aliosque redditus ab eis exigat. Item Parochus non tenetur ſubminiſtrare Sacerdotibus ceram in ejus Eccleſia celebrare volentibus, nec ad hoc ab Epiſcopo cogi debet. Sac. Rit. Congreg. 10. Junii 1603. Antiquitus Parochus tenebatur Officium divinum in ejus Eccleſia recitare; ſed ex contraria, univerſalique conſuetudine hanc obligationem abolitam fuiſſe docent Suar. & Bonac. exceptis tamen feſtivis diebus, in quibus Veſperas canere deberet, ſi clericorum copiam haberet, vel ſaltem laicos ad hoc inſtructos; nam ſolus canere non tenetur. Item Sac. Concil. Trident. Congregatio non poſſe Parochum per integram hebdomadam ab ejus Parochia abſentari declaravit, apud Bellarm. in Notis ad Conc. Trident. ſeſſ. 23. cap. 1. de Reform. Vide *Plebanus*. *Decanus*.

Parmensis Dux Rainutius ſacrarium Græcorum cum gladio in fœmore ingrediens prohibitus quid reſpondit. Vide *Sacrarium*.

Paroecia. Vide *Parochia*.

Paroenia, παροινία, injuria inepte, & arroganter prolata; quo vocabulo D. Hieronymus utitur contra Rufinum ſcribens.

Paropsis. Vide *Paropſis*.

Participium, participatio, & communicatio: [ Ita ergo fac, ut impenſæ mercedis tu quoque participium ſortiaris. D. Greg. lib. 4. epiſt. 23. ] ubi Sanctus Pontifex portionem labori debitam intelligit. [ Videntes furem currunt cum eo, & portionem ſuam cum adulteris ponunt, & polluti labii participio peccant, & non corrigunt. Bleſſ. in can. Epiſcop.

Particulæ Consecratæ. Vide *Margarita*. Utrum poſt offertorium particulæ non conſecratæ in Altare delatæ, ſint conſecrandæ. Vide *Offertorium*.

Partio, partus. [ Et partione proſperante in parricidium partus expreſſus. S. Cyprian. lib. 2. epiſt. ad Cornel.

Partitudo, parturitio, parturiendi actus. [ Tolle dolores partitudinis. S. Hilar. adverſ. Arian.

Partum, torneamentum. Ut [ Comites pupillorum, & orphanorum cauſas primum audiant, & in venationem non vadant illo die, quando placitum debent cuſtodire, nec ad partum. In Conſtit. Caroli Magni.] Vide *Torneamentum*. *Tornatrix*.

Parvifico, ideſt, parvum facio, minuo. Vide *Epiſcopo*, verbum.

Parvisium; erat Eccleſiæ pars externa, in qua fiebat pro pueris ſchola, ex voce gallica *Parvis*, ideſt, porticus, ſeu atrium Eccleſiæ, vel, ut alii malent, a *Parvis* latine, ſcilicet, pueris. [ Cogebatur ille pauperculus multis diebus ſcholam exercens, venditis in parviſio libellis, vitam famelicam protelare. Matth. Pariſ. in hiſt.

Pascha. [ Paſcha, hebraice dicitur *Phaſe*, non a paſſione, ut plerique arbitrantur; ſed nec dicitur *Phaſe* a tranſitu maris rubri, id quod Eccleſia canit &c. ſed quod exterminator videns ſanguinem in foribus Iſraeli-

elitarum pertranſierit, neque percuſſerit illos. Ait namque Scriptura: Eſt enim phaſe, ideſt, tranſitus Domini, & tranſibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum. D. Hieronym. in Exod. 12.] Quare ex D. Hieronymo corrigenda eſſent Præconii verba, quæ in Sabbato Sancto canuntur, nempe: [Hæc nox eſt, in qua primum patres noſtros, filios Iſrael eductos de Ægypto, mare rubrum ſicco veſtigio tranſire feciſti.] FR. Deduci etiam poteſt ex Chaldæo *Pheshha*, quod lætitiam ſignificat. Calepinus autem in hoc vocabulo inquit, quod licet hoc nomen neutrum ſit, genitivum non habet *Paſchatis*, ut quidam ex recentioribus aſſerunt, manifeſto errore, cum ſola græca verbalia in *ma* terminata a prima perſona præteriti paſſivi derivata, in *atis* mittant genitivum. Et re vera translatores Sacr. Scripturæ in latinum ſemper genitivum *Paſchæ* ſcripſere. [Erit vobis Paſchæ ſolemnitas. Ezech. 45. In die ſolemni Paſchæ, Luc. 2. Ante ſex dies Paſchæ. Jo. 12. Ante diem feſtum Paſchæ. Idem 13. Erat autem paraſceve Paſchæ. Ibid. 19. Eodemque modo Miſſalis, & Breviarii Rubricæ, nempe [Poſt oct. Paſchæ. Infra oct. Paſchæ. Paſchæ peracto tempore. In hym. ad laudes Domin. Pentecoſt. In Priori Paſcha,] & non paſchate. Microl. in dictione *Annotinum Paſcha*. :||: Paſcha ex traditione Apoſtolica in Dominica celebratur. Vide *Dominica Reſurrectionis*: in eo enim die reſurrexit devicta morte Chriſtus, quæ Dominica debet computari poſt diem decimumquartum lunæ menſis Martii, ne cum Hebræis conveniamus. Antiquitus Chriſtiani in feſto Paſchæ ſolebant ſe invicem ſub hac forma ſalutare: *Surrexit Dominus*, & reſpondebatur: *Deo gratias*, atque oſculum pacis recipiebatur. Jo. Beleth. cap. 116. Rational. divin. off. Romana vero ſalutationis forma ſic erat: *Surrexit Dominus vere*, & reſpondebatur: *Et apparuit Simoni*. Durand. lib. 6. c. 46. Recentiores tamen Græci in Paſchalibus diebus ſic ſalutare ſolent Χριςὸς ἀνέςη, ideſt, *Chriſtus ſurrexit*, & reſponſio ita datur, Ἀληθῶς ἀνέςη, nempe, *Vere ſurrexit*. Myſterioſiſſima enim eſt in hac die eorum cæremonia; nam ad repræſentandum Chriſti triumphum de inferno delatum, ſummo mane ante Matutini recitationem ordinatur proceſſio, in cujus reditu inveniuntur Eccleſiæ portæ clauſæ: tunc Epiſcopus, vel Sacerdos illa pſalmi verba: *Attollite portas &c.* profert, & ex interiori parte Clericus loco Dæmonum reſpondet, *Quis eſt iſte Rex gloriæ &c.* tandem poſt contentionem Epiſcopus percutiens pede valvas intonat: *Surrexit Chriſtus*, ac ſtatim Eccleſiæ janua expanditur; tunc Celebrans in altum extollit cereum triangulum, quod in manu gerit, quod ipſi τρικήριον, appellant; ſic etiam populus aſſiſtens eandem cæremoniam facit cum lumine, quod unuſquiſque eorum in manu gerit. Inſuper in hoc eodem die tam in Matutino, quam Miſſa, & Veſperis ſolet Epiſcopus canere Evangelium, intonando, nempe, primam periodum, quam replicant unus poſt alterum ex Sacerdotibus, & ex Diaconibus deinde, qui omnes aſtantes unus poſt alterum uſque ad Eccleſiæ januam protenduntur, & poſtquam ultimus eorum hanc replicationem expleverit, reaſſumit Epiſcopus ſecundam Evangelii periodum, quæ ordine, quo ſupra, a Sacerdotibus, Diaconiſque omnibus ſucceſſive replicatur, & ſic de periodo ad periodum uſque ad Evangelii finem, quod eſt *In principio erat Verbum &c.* Quod fit ad denotandum prædicationis Evangelicæ conſenſum per totum Orbem ab Apoſtolis uniformiter promulgatum, licet diverſis linguis, & in remotis terræ partibus, ut jure D. Hieronymus exclamaverit, inquiens: Vox quidem diſſona, ſed una eſt Religio.] Igitur in periodi fine percutitur quædam haſta ab eis σημαντήριον appellata, ac datur unica campanæ pulſatio, ad denotandum prædicationis Apoſtolicæ ſonum per univerſum Orbem promulgatum. In Andegavenſi autem Eccleſia in die Paſchæ poſt tertiam Matutini lectionem, præparatur Altare ad modum ſepulchri quibuſdam velis coopertum, in cujus lateribus duo Sacerdotes albis pluvialibus induti aſſiſtunt, qui duos Angelos Chriſti monumentum cuſtodientes ſignificant, ac interea ex ſacriſtia duo Clerici, Corbicularii appellati, alba, ſive rochetto, & dalmatica induti, (ut in dict. *Corbicularius* dictum eſt) habentes in capite amictum rubra faſcia ligatum, qui Sanctas Mulieres ad ſepulcrum euntes denotant, eiſque duo Cantores cum thuribulo præcedunt, qui ad dictum Altare accedentes in muſicali tono his verbis interrogantur: [Quem quæritis in ſepulchro?] ipſi vero etiam canendo reſpondent: [Jeſum Nazarenum Crucifixum.] Tunc duo aſſiſtentes Sacerdotes reaſſumunt: [Non eſt hic. ſurrexit, ſicut prædixit. Venite, & videte locum, ubi poſitus erat Dominus.] Poſt quam reſponſionem prædicti duo clerici ſepulchrum ingrediuntur, & Altare oſculantur, atque dum Thuriferarii ter Altare incenſant, canunt duo Sacerdotes: [Ite, nunciate Diſcipulis ejus, quia ſurrexit.] Itaque ad Chorum accedunt præfati duo Clerici, ſalutant Epiſcopum primum cum oſculo pacis, in ejuſque aurem ſummiſſa voce ſuggerunt: [Surrexit Dominus, Alleluja,] quibus Præſul ſalutationem, & oſculum reddens, [Deo gratias, Alleluja,] reſpondet. Idem cum Canonicis, & in Choro aſſiſtentibus fit, dum canitur Te Deum. Aliter autem in Sennonenſi Eccleſia in hac die obſervatur; nam in Cappella ſatis ornata, ſanctiſſima Euchariſtia expoſita, ad quam ſolemnis proceſſio dirigitur, & in ingreſſu ejuſdem Cappellæ, ubi tres Viceecurati aſſiſtunt, intonat Cantor: [Dic nobis Maria, quid vidiſti in via?] tunc unus ex Viceecuratis reſpondet: [Sepulchrum Chriſti viventis, & gloriam vidi reſurgentis.] Alius canit: [Angelicos teſtes, ſudarium, & veſtes.] Tertius vero concludit: [Scimus Chriſtum ſurrexiſſe a mortuis vere.] Ac Cantor reaſſumit, & canit: [Credendum eſt magis ſoli Mariæ veraci, quam Judæorum turbæ fallaci.]

Dein-

Deinde immediate ab Epiſcopo intonatur Te Deum, qui ex Cappella proceſſionaliter ad majus Altare defert Sacramentum, & genuflexus extremitatem pyxidis oſculatur, & poſt Epiſcopum idem facit Clerus, Magiſtratus, & populus. *Paſcha* nonnumquam tempus quadrageſimale Paſchæ proximum ſignificat, ſic *Jejunare Paſcha* apud Balſamonem jejunium quadrageſimæ denotat, quod ab aliis *Paſchalis obſervantia* appellatur. Atque Timotheus Alexandrinus in ejus interrogationibus 7. 8. & 9. quærit, utrum infirmus, ſeu enixa jejunare teneatur: [ In Sanctum Paſcha ] ut ipſe ait, ubi Balſamon [ ideſt, quadrageſima ] gloſſat. Pelagius inſuper Papa Laurentio Centumcellenſi Epiſcopo ſcribens, ait poſſe ordines conferre [ in Dominica mediana Paſchæ] quam quadrageſimalem Dominicam eſſe oſtendimus in dict. *Dominica mediana*. Item Toletanum Concil. VIII. illos damnat, qui cibis prohibitis *Feſta paſchalia* contaminant. Eodemque vocabulo Sanct. Auguſt. in pſalm. 98. utitur, ubi differentiam jejuniorum inter Chriſtianum, & Gentilem aſſignat. Itaque appellatum fuit tempus illud quadrageſimale Paſchæ proximum, quia ad Paſcha præparatorium erat. Tandem *Paſcha* Agnum Paſchalem ſignificat, qui præſcriptis cæremoniis comedebatur, ita in Evangelio [ Manducare paſcha ] legitur. In feſto Paſchæ quotannis comburebatur ſtuppa in conſpectu Pontificis. Vide *Sedes ſtercoraria*. De paſchæ ſynonymis. Vide *Anaſtaſis*. *Pentecoſtes*. Propter Paſchæ celebrationem ingens diſcordia. Vide *Quartadecimani*. Ratio inveniendi Paſchalem diem. Vide *Aureus numerus*. *Epacta*. De celebratione paſchæ. Vide *Herma*.

PASCHA ANNOTINUM. Vide *Annotinum Paſcha*.

PASCHA CLAUSUM, ita Sabbatum in Albis appellatum fuit, ex eo quia in hac die clauditur Paſchæ octava.

PASCHA COMPETENTIUM, ſeu pœnitentium. Vide *Capitulavium*.

PASCHÆ hebraicæ calculatio. Vide *Pentecoſtes*.

PASCHA MEDIUM, ideſt, Mercurii dies infra octavam Paſchæ. Vide *Pentecoſtes media*.

PASCHALES, dicebantur epiſtolæ, quas de ſolemnitate Paſchali ſcribebat Epiſcopus Alexandrinus; nam in Conciliis paſchalis calculus huic Epiſcopo injungebatur, cum Ægyptus optimis aſtrologis abundaret. Vide *Epiphania*.

PASCHALIS CEREUS. Vide *Cereus paſchalis*.

PASCUA, in ſingulari numero, ideſt, paſcuum, ſive paſcendi locus. [ In loco paſcuæ, ibi me collocavit, pſalm. 22.

PASCUALIS, dicitur de animali in paſcuo campo impinguato. [ Quomodo domum ſuam judicat ovile Dei, ubi non Paſcuale germen Dei pecus dat balatum. Chryſol. ſerm. 10. ] Errant quidem, qui exiſtimarunt hoc vocabulum animal pro Paſchæ tempore impinguatum, & deſtinatum ſignificare. Nam ex lib. 3. Reg. c. 4. aliter conſtat, ubi ſic habetur: [ Erat autem cibus Salomonis per dies ſingulos triginta cori ſimilæ, & ſexaginta cori farinæ, decem boves pingues, & viginti boves paſcuales. ] Ubi hebræus textus *Bakarmitè*, ideſt, boves paſculi, habet.

PASCUAGIUM. FR. herba paſcibilis. [ Quia tunc ſolvitur ex venditione paſcuagii, ſeu herbagii. ] & inferius: [ Si non vendantur paſcuagia. In extrav. comm. de Decimis.

PASCUARIUM, contributio pro jure paſcendi. Marculf. lib. 2. formular. c. 36.

PASSAGIUM. FR. tributum, quod jure tranſitus ſolvitur. Extrav. Jo. XXII. de Torneamentis. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſt. 193. Sed apud Equites Melitenſes eſt quædam ſolutio, quæ fit in receptione equitis communi ærario, & pro expenſis phari turris applicatur in ſuſtinendo lucernas ad navigantium commoditatem tempore nocturno. Dicitur enim paſſagium ex prima inſtitutione, quia ex oriente, quando hæc Religio Hieroſolymis reſidebat, navem mittebat per maritimæ Europæ loca ad colligendos Tyrones, qui in hac S. Militia conſcribi cupiebant; hinc nautica illa ſolutio paſſagium dicta fuit.

PASSAGINI, Hæretici. Vide *Gazari*.

PASSIO, Evangelii pars continens Chriſti paſſionem, quæ in Eccleſia in majori hebdomada canitur ex Alexandri Papæ ordinatione, ut Durandus, c. 68. teſtatur. D. Aug. ſerm. 144. de temp. refert, quod in Africa in unico tantum die hiſtoria paſſionis ſecundum Matthæum legebatur, at cum ipſe per alios dies reliquorum Evangeliſtarum paſſionis narrationes legere ſtatuiſſet, exorta fuerat propterea popularis tumultuatio. In Eccleſia Ambroſiana legitur tantum paſſionis textus Matt. qui dividitur in duas lectiones, nempe, una pars legitur in feria V. Cœna Dom. & alia pars in feria VI. ſequenti, in quo die Diaconus Ambroſiani ritus, qui paſſionem canit, eſt totus rubro colore indutus, gerens Dalmaticam ex villoſo ſerico, ac eodem colore cooperitur Altare, paratur Eccleſia, & Miniſtri, in memoriam pretioſſimi Chriſti ſanguinis in hac die pro nobis effuſi, ad prophetica verba alludendo: [ Quare rubrum eſt veſtimentum tuum? ] Quando autem pronunciantur verba [ Et emiſit ſpiritum: ] ſtatim duo Subdiaconi denudant Altare, ac cætera Eccleſiæ paramenta auferuntur, luminaria extinguuntur, & campanarum ſonus ſuſpenditur, quæ mœſtitiæ ſigna mœrorem in aſtantibus excitant, eorumque animos ad afflictionem diſponunt in audienda paſſionis concione, quæ poſt Evangelium immediate fit. Qui canere debent Evangelium paſſionis, ex Sacriſtia exeant amictu, alba, cingulo, ſtola, ac manipulo induti; & licet in Cæremoniali Epiſcoporum non fiat mentio de manipulo, in Cæremoniali tamen Romano expreſſe habetur his verbis: [ Tres ex eis dicturi paſſionem parantur amictu, alba, cingulo, manipulo, & ſtola in modum Diaconi, coloris violacei. ] Ac debent exire hoc ordine incedendo, præcedente, nimirum, qui textum canere debet, deinde qui turbam repræſentat, & ultimo qui Chriſti

vicem gerit; qui in canendo medium locum inter Evangeliſtam a dextris, & turbam canentem a ſiniſtris ſtare debet; & ante quam canere incipiant, oſculentur Epiſcopi manum. Cærem. Epiſc. lib. 2. cap. 21. Quæ cæremonia omittitur in feria VI. Non petitur benedictio, quia Chriſtus benedictionum Auctor extinctus tunc contemplatur. Non deferuntur lumina, nec incenſum, quia tunc ardor fidei in Apoſtolorum pectoribus deferbuerat. Conſueta ſalutatio ſub verbis *Dominus vobiſcum* omittitur, ob deteſtationem proditoriæ ſalutationis Judæ, quando [ Confeſtim accedens ad Jeſum, dixit: Ave Rabbi, & oſculatus eſt eum. Matth. c. 26. ] Nec tandem dicitur *Gloria tibi Domine*, quia Dominus noſter depoſita gloria, improperio indutus eſt. Durand. c.68. & Microlog. c.52. Dum canitur paſſio, a Celebrante in cornu epiſtolæ ſubmiſſa voce legitur, ubi etiam ſubſequens textus, qui loco Evangelii recitari ſolet, ab eodem Celebrante perſolvitur, ac peracto, faciem vertit verſus Cantores. Cærem. Pap. lib. 2. cap. 39. Advertendum tamen eſt, quod Celebrans non genuflectit ad illa verba: [ Et emiſit ſpiritum ] in ejus privata lectione; bene tamen quando a Cantore eadem verba proferuntur ſimul cum aliis Miniſtris genuflecti debet ambobus genibus: nec quiſquam ſurgere debet ante Evangeliſtam Cantorem, qui primus debet ſurgere, ut in Cærem. Epiſcop. lib. 2. cap. 25. præſcribitur. Unde eſt plane aliquarum Eccleſiarum abuſus, quod Celebrans ſtrepitu percuſſionis manus dat erectionis ſignum. Quæritur quid ſignificent illæ notæ ✠ C. S. Aliqui *Chriſtum*, *Chroniſtam*, *Synagogam*, interpretantur. Alii vero *Chriſtum*, *Cantorem*, & *Succentorem* explicant. Nam Diaconus in Cæremoniali Epiſc. loco cit. Cantor appellatur, [ Surgente Diacono, ſeu Cantore, qui Evangeliſtæ perſonam gerit, omnes ſurgunt. ] Succentor vero quid ſit. Vide *Succentor*. Poſt cantum vero Paſſionis, canitur a Diacono altera poſtrema pars in tono Evangelii cum ſolita benedictione, ac incenſatione, & in fine præbetur liber ad ſolitum oſculum abſque luminibus: ſed Subdiaconum ferentem librum duo Acolythi aſſociant. In feria autem ſexta paraſceve omittitur oſculum manus Celebrantis ante Evangelium, quod ſupra nudum pulpitum legitur, in memoriam Salvatoris nuditatis, & miniſtri induuntur nigris paramentis, quin & antiquitus Cantores nudis pedibus legebant. Durand. lib.6. c.77. Ac in ultima lectionis parte, quæ in Evangelii tono legitur, non petitur benedictio, nec incenſum defertur.

PASSIONALIA, ſcripta, in quibus paſſiones Sanctorum Martyrum continebantur, quæ etiam *Sanctoralia* dicebantur, ex quibus deinde originem habuit Rom. Martyrologium. Antiquitus acta Sanctorum Martyrum legi ſolebant in Eccleſia eo modo, quo nunc legitur Martyrologium: imo in prioribus Chriſtianis ſæculis poſt eas lectiones encomiaſtica concio fiebat, ut paſſim apud Sanctos Patres multæ homiliæ hac occaſione recitatæ leguntur.

PASSIONALIS, paſſibilis: [ Quod & nihil mali, aut boni ſentire poſſis ſine carnis paſſionalis facultate. Tertullian. de teſt. Animæ, c. 4.

PASSIONARIUM, liber continens paſſionis Chriſti Evangelia, ad ea in majori hebdomada canenda; ſic in quodam pervetuſto Collegiatæ Sancti Fauſtini Eccleſiæ Viterbii inventario legitur.

PASSIVITAS, frequentia licentioſæ libertatis, ab adverbio *Paſſim*, ideſt, frequenter male agendo: [ Imo quantum ad paſſivitatem libidinis pertinet, quis non conjugem in numerum ancillarum redegit? Salian. lib. 7. de Gubern. Atque illi, de quibus legimus, & minore, ut reor, numero criminum, & paſſivitatis peccabant. Ibid.

PASSIVITUS, paſſim, frequenter, Tertull.

PASSIVUS, frequens, ab adverb. *Paſſim*, ut ſupra. [ Paſſivus, laſcivuſque oculorum obtutus. Aldhelm. de Virgin. c. 1. ] ideſt, frequens, ac laſciva inſpectio. Item apud Nonnum rem communem, & frequentatam ſignificat: [ Profligare verbum paſſivum ad uſum cœptum eſt, ] ideſt, ad uſum communem, & frequentativum. Apud Auguſtinum vagivagos, qui ubique frequentare ſolent, ſignificat: [ Magis hos implent vagi Romanorum, quos paſſivos appellant. Contra Adim. c. 24. ] Ac *Diſcipulos paſſivos* in eodem ſenſu dixit Tertullianus pro iis, qui vagi ſunt, & diverſos Magiſtros inſtabiliter frequentant. *Corpora paſſiva* pro cadaveribus communibus, & indifferentibus tam bonorum, quam malorum Chriſtianorum, habetur in Conc. Cartag. I. Atque ibidem *Communio paſſiva* de ea dicitur, quæ abſque meritorum inſpectione ab Eccleſia omnibus indifferenter conceditur. Vide *Communio paſſiva*.

PASSUS. FR. extenſionis menſura. In can. ſicut antiquitus, 17. quæſt. 4. diſponitur, quod Eccleſia major debet habere confinia 40. paſſuum per circuitum: Cappella vero, vel minores Eccleſiæ 30. & ibi Gloſſa inquit: [ Paſſus (ut ait Iſidorus) eſt menſura quinque pedum, pes eſt ſpatium quindecim digitorum; iſtud tamen non tenet in Cappellis, quæ ſunt intra ambitum Caſtellorum, ubi propter loci anguſtiam non poteſt iſtud obſervari, ut in can. quiſquis, & in can. quæſtr. Ibidem. ] Item [ Si quis infregerit Eccleſiam, vel triginta Eccleſiaſticos paſſus, qui in circuitu Eccleſiæ ſunt, vel domos, quæ intra prædictos paſſus ſunt. Cap. ſacrilegium committitur, poſt can. quiſquis, & can. definivit, 17. qu. 4.

PASTELLATICUM. Vide *Paſtellus*.

PASTELLUS, ſigillum, ſive ejus impreſſio in paſta cerea, ſicut modo in Brevibus Apoſtolicis, aliiſque privilegiis fieri ſolet: [ Pro ordinatione vero, vel pallio, ſeu chartis, atque paſtello, omnino aliquid dare prohibeo, D. Gregor. Papa, in Regiſt. lib.4. c.88. ] FR. Idem habetur ex eodem D. Gregor. in Concil. generale ab eo Romæ habito, cujus verba ſic in 5. Decretal. tit. 3. c. 1. regiſtrantur: [ Pro ordinatione igitur, vel uſu pallii, ſeu chartis, atque paſtellis, eum, qui ordi-

ordinatur, omnino aliquid dare prohibemus.] Ubi perperam Gloſſa pro *Miniſtro* Archidiaconum intelligit, dum ibi clare de Miniſtro, ideſt, ordinum Collatore loquitur. Item male pro paſtellis, *Paſtoralis* legit :||: Sic etiam Chriſtianus Lupus, in ejus Notis ſuper Concilia, falſo exiſtimat *Paſtellum* parvum convivium ſignificare. FR. quem ſequutus eſt Antonius Dadinus in epiſtola D. Gregor. :||: Nam gregorianis verbis hujuſmodi Expoſitores manifeſte contradicunt, quia ſi pro paſtello nil ſolvendum decreverat, quomodo ergo convivia pro gratiis fieri debuiſſent? præterquamquod paſtellum cum charta annumeraverat Gregor. in qua ſigillum imprimebatur. Reperitur etiam *Paſtellaticum*, quod donum pro ejus ſigilli impreſſione ſignificat, eo enim nomine ſimoniam palliare nitebatur: [Cum vero quoſdam cognoſceret, ad evitanda ſimoniacæ hæreſis crimina, peſtiferæ negotiationis munera paſtellaticum callide vocitare &c. Joan. Diac. in vita S. Greg.

PASTINARE, & *Paſtinatores*. FR. vineam plantare, & vinearum plantatores ſignificant, quod etiam italice, præcipue Romæ, *Paſtinare*, ideſt, vineam plantare vulgo dicitur. Quæ vocabula habentur in can. quod priori, 13. quæſt. 2. & ff. quod vi, aut clam. l. ſemper, §. 1.

PASTHOPHORIUM. Vide *Cubiculum*.

PASTOR, nomen proprium. Vide *Herma*.

PASTORALIS BACULUS. Vide *Baculus*.

PASTORELLI, Hæretici, quorum Auctor Hungaricus quidam fuit, ita appellati, quia in vexillo agni effigiem ferebant. Eorum errores ab Henrico Spondano in anno 1420. referuntur.

PASTORIUM. FR. pedica, qua coercentur animalia, ne longius aberrent, Itali *Paſtoja* vocant, l. ſi quis paſtorium, de furtis.

PATAGIUM, & *Patagiarius*. Vide *Catacliſtus*.

PATARENI. FR. Hæretici, qui Monachali habitu induebantur, cæteroſque aſpernantes, ſe ſolos pro veris Chriſtianis jactabant, cum Albigenſibus Hæreticis conveniebant, quorum errores tam deteſtabiles erant, ut Matth. Pariſius, de eis loquens, melius, inquit, illos ſub ſilentio prætermittere, quam manifeſtare. Vide *Cathari*. *Gazari*.

PATENA, vas ſacrum, ita appellata, quia patens, & ſpatioſa eſt. In Liturgia S. Jacobi *Diſcus* appellatur. *Patina* vero in Ord. Rom. dicitur. FR. In Imolenſi Eccleſia adhuc conſervatur patena argentea S. Petri Chryſologi, in cujus medio eſt delineatum Altare, ſuper quod eſt Crux, atque agnus cum ſequenti dictícho circumcirca.

Quem plebs tunc chara Crucis jam finxit in ara,
Hoſtia fit gentis primi pro labe parentis. :||:

Antiquitus in Miſſa Acolythus ſuſtinebat patenam velo obtectam, ſicut hodie Subdiaconus manu dextra facit; ejus enim rotunditate æternitatem futuræ vitæ deſignat. Durand. cap. 30. Ideo in pervetuſto Miſſæ codice habetur, quod Subdiaconus ſuſtineat patenam manu dextra ad denotandam ſpem certam futuræ gloriæ, & veræ lætitiæ, cum parum antea detulerat ſiniſtra manu Calicem, paſſionum hujus vitæ ſymbolum. Ob eandem etiam rationem hujus ſuſtentationis patenæ cæremonia in Miſſa Defunctorum omittitur, quia in hac Miſſa omnis lætitia excludi debet. Amal. de Eccleſ. off. lib. 3. c. 27. Gem. lib. 1. c. 48. In Miſſis vero privatis patena ſub corporali abſconditur, quia divina myſteria occultanda ſunt: Innocentius autem III. lib. 2. de Myſt. Miſſæ, c. 19. patenam ſolemniter celebrando involvi velo, vel privatim ſub corporali reconditam, Apoſtolorum fugam tempore paſſionis denotare aſtruit; at detectam deinde, & Sacerdoti traditam, Chriſtum reſuſcitatum ejus gregem jam diſperſum revocantem ſignificare ait. Quando antiquitus Acolythus patenam ſuſtinere ſolebat involutam, hic in principio canonis eam tunc Subdiacono tradebat, qui Subdiacono Regionario in principio Dominicalis Orationis conſignabat; & cum Celebrans ad illa verba: *Ab omni tribulatione &c.* perveniebat, Archidiaconus illam accipiebat de manu Regionarii Subdiaconi, & ſecundo Diacono porrigebat. Quæ omnes prædictæ cæremoniæ ſollicitudinem Mulierum ſanctarum, duorumque Diſcipulorum Joſephi, Nicodemi circa Chriſti ſepulturam denotabant, ut Amalarius notavit. Feretrum enim Chriſti allegorice ſignificare, D. Germanus in Theor. docet: [Diſcus lectica eſt, in qua Corpus Domini a Sacerdote, & Diacono componitur, qui ſunt Joſeph & Nicodemus.] Aliquando patena concava fiebat, ut in ea ſacrum Chriſma poneretur, & ideo *Patena Chriſmalis* dicebatur: [Patenam argenteam Chriſmalem obtulit. Anaſtaſ. Biblioth. in Silveſtro.] Pax cum patena non datur, ut in epiſt. S. Pii V. ad Archiep. Tarraconen. 8. Januar. 1571. cautum fuit; tempore tamen Tertulliani hoc erat in uſu. Vide *Pax*. Nec a Miniſtris ſub mento illorum, qui communicaturi ſunt, ſupponi debet patena, niſi quando Epiſcopus communionem miniſtrat, quod fit ratione majeſtatis adminiſtrantis. Græci autem ſuper patenam ſtellã infigunt. Vide *Aſteriſcus*. Qui etiam abſtergere patenam parva ſpongiola ſolent, quam intra corporale complicatum conſervant, ac ſanctã ſpongiam vocant. Armeni autem loco patenæ altero Calice utuntur, in quo componunt panem pro conſecratione. Synonyma. Vide *Suppoſitorium*.

PATERNIANI, hæretici a quodam Paterno exorti; inferiores corporis partes a diabolo ſactas opinantur.

PATER NOSTER. Oratio a Chriſto Domino compoſita; circa quam tres tantum rituum diverſitates ab Eccleſia in ejus recitatione obſervatas referam. Nam aliquando tota hæc oratio ſecrete recitatur, aliquando tota elata voce dicitur, ac tandem aliquando ejus pars voce ſubmiſſa, & pars clara profertur. Primo modo in principio, & fine canonicarum horarum obſervatur, ad demonſtrandum, quod apud Deum ſufficiant cordis, & mentis voces, ut exaudiatur. Secundo modo in Miſſa, & in fine horarum canonicarum juxta mona-

ſticum ritum, ad ſignificandam unanimem concordiam, & catholicum conſenſum in poſtulatione cœleſtium gratiarum, ſeu ut S. Benedictus in ejus conſtitutionibus, c. 13. monuit, ad denotandam fraternam concordiam, & ut adverſitatum vepres, quæ in communi, & monaſtica vita germinari ſolent, extirpentur. Ob eamdem rationem in Lateranenſi Eccleſia, ut Eminentiſſimus Cardinalis Raſponus in ejus eruditiſſimo tractatu de prærogativis hujus Baſilicæ ait, alta voce in omnibus horis canonicis recitabatur, quia hæc Eccleſia Cœleſtis Hieruſalem eſt typus, in qua concordia, & pax perpetua regnat, & ut oſtendatur, quod hæc Baſilica Salvatoris titulo dedicata ſit, qui hujus orationis Auctor fuerat. FR. ſed credibilior videtur opinio in dict. *Collecta* a me allata, quod nimirum Oratio hæc clara voce dicebatur in præfata Baſilica ex introductione Monaſtica, quia ibi Benedictini diu manſerant :||: Tandem tertio modo frequentior eſt recitandi uſus in priora, & poſteriora verba elata voce pronunciando; hoc enim modo demonſtratur, quod petitionibus ſecretis a Celebrante poſtulatis fidelium communiter aſſenſus accedat. Quare Catechumeni nequibant hanc orationem proferre. Vide *Catechumenus*. Ad verba *Dimitte nobis &c.* percutiebatur pectus. Vide *Confeſſio*. In Miſſa Papali in die Paſchæ ad orationem Dominicalem non reſpondetur Amen, & quare. Vide *Amen*. FR. Antiquitus poſt Pater noſter in Miſſa immediate dabatur oſculum pacis. Baron. An. 45. n. 25. Utrum dicatur ante Veſperas Defunctorum. Vide *Veſpera*. Pro hæreſum extirpatione Pſalmum: [ Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi &c. ] cum aliis precibus poſt *Pater noſter* adjungi præceperat Joannes XXII. ut in extrav. de Celebrat. Miſſarum habetur. Amen quando ad Pater noſter non debet reſponderi. Vide *Amen*.

Paternus. Vide *Parentinus*, & *Parentivus*.

Patesco. FR. patens fio: [ Videntibus illis elevatus eſt (*ideſt*, *Chriſtus*) & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Notate verba, & ſignate myſteria. Conveſcens elevatus eſt. Comedit, & aſcendit, ut, videlicet, per effectum comeſtionis, veritas pateſceret carnis. D. Greg. hom. 29. in c. 16. Marci.

Pathani hæretici. Vide *Gazari*.

Patientia. FR. tolerantia. [ Multa per patientiam tolerantur, quæ ſi deducta fuerint in judicium, exigente juſtitia non debent tolerari. De præbendis, & dignitatibus, c. 18.

Patina. Vide *Patena*.

Patriarcha, Πατειάρχης, ideſt, Princeps Patrum, dignitas Eccleſiaſtica. Tres ante Nicænam Synodum erant Patriarchæ, nempe, Pontifex totius Europæ Patriarcha, eo ſenſu quo in dict. *Papa* dictum fuit, item Alexandrinus totius Africæ, & Antiochenus totius Aſiæ, quæ Eccleſiæ fuerunt his præeminentiarum privilegiis decoratæ, ex eo quia ab ipſomet Apoſtolorum Principe erectæ eſſent, ſeu per ejus Diſcipulum Marcum, ut fuit Alexandrina vice Magiſtri ejus adhuc viventis: quæ tres Eccleſiæ in unam ſunt conjunctæ ad inſtar Divinæ Triadis, quæ trina in perſonis, & unica in Divinitate exiſtit: ideo [ Ad inſtar Trinitatis ] illas eſſe ait Symmachus Papa; ideoque Magnus Gregorius, lib. 11. ep. 48. ad Eulogium Patriarcham ſcribens, ſuam Cathedram vocat Alexandrinam Sedem: [ Feſtinare debetis Simoniacam hæreſim, quæ prima in Eccleſia orta eſt, a ſanctiſſima Sede veſtra; quæ noſtra eſt, funditus evellere. ] Itaque omnium trium caput eſt Pontifex Petri eorum fundatoris ſucceſſor. In Concilio autem Nicæno, can. 7. conceſſus fuit Epiſcopo Hieroſolymitano titulus Patriarchæ ob reverentiam loci Chriſti veſtigiis, ac ſanguine conſecrati, abſque tamen præjudicio Ceſareæ Metropolitani, cui Sedes Hieroſolymitana ſubdebatur, & a quo Hieroſolymorum Epiſc. conſecrabatur: quare Hieroſolymitanus ante omnes Præſules, & poſt prædictos tres Patriarchas in ſeſſionibus ſynodalibus locum habebat, ſed abſque alia juriſdictione, ut dicitur in can. Quoniam 85. diſt. temporis vero progreſſu multas Eccleſias ex juriſdictionibus Patriarchatuum Antiochiæ, Alexand. ejuſque Metropolitani ſenſim uſurpavit. Similiter & Præſules Conſtantinop. calore Græcorum Imp. excitati, ſibi Patriarchalem titulum non ſolum arrogarunt, ſed etiam omnes alias dignitates poſt Romanum Pont. auſi ſunt ſibi uſurpare: & ideo in Concilio Conſtantinopolitano primo addiderunt canonē ſuper hujuſmodi novam, intruſamque Conſtantinopolitanam Patriarchatus dignitatem, quæ erectio numquam a Sede Apoſtolica recepta fuit; in eo enim Synodo Romani Pontificis Legati præſentes non fuerant, quando hic canon additus eſt. Simili aſtutia Græci in Chalcedonenſi Concilio uſi ſunt, in quo poſt Dioſcoridis Patriarchæ condemnationem, peracta, ac dimiſſa Synodo, ſequenti die Anatholius Conſtantinop. Epiſcopus præſtita ſibi occaſione vacationis Patriarchæ Alexandrini, qui ſe illi opponere potuerat, & abſentibus jam Sedis Romanæ Legatis conciliabulum orientalium Epiſcoporum coegit, in quo decretum extorſit, quod ejus Sedes primaria poſt Romanam haberi deberetur, contra quam extorſionem reclamarunt notificati prædicti Legati, & ſe oppoſuerunt jugiter Pontifices Romani, ac præcipue S. Leo Papa I. qui Marciano Imperatori ſcribens, demonſtrat, quomodo Urbs Conſtantinopolitana regia quidem, ac Imperialis habenda ſit, non vero Apoſtolica, ſicut Romana, Alexandrina, & Antiochena. Idem etiam Gelaſius Papa ſcripſerat: [ Riſimus autem, quod prærogativam volunt Acacio comparari, quia Epiſcopus fuerit Regiæ Civitatis. Numquid apud Ravennam, apud Mediolanum, apud Treviros multis temporibus non conſtitit Imperator? ] Tandem Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. celebratum contemplatione Magni Conſtantini illius Urbis fundatoris, & Eccleſiæ Romanæ tam benemeriti, prætenſum locum Patriarchæ Conſtantinopolitano poſt Romanum Pontificem concedere annuit, ut habetur in can. Conſtantinopolitana, 22. diſt.

diſt. & in c.§. Antiqua, tit. 33. in lib. 5. Decretal. & ibi Gloſſa. Idemque definitum fuit ab Eugenio Papa IV. anno 1439. in quadam Bulla, quæ incipit Conſentiente. Sed quia ille Epiſc. Metropol. Heracleæ ſubjectus erat; ideo in ſignum antiquæ ſubjectionis uſque ad præſens ab eo Metropolitano Conſtantinopolitanus conſecratur. Patriarcha Conſtant. Superiorem Papæ ſe jactabat. Vide *Stultus*. Ejus cæremonia in demembrationibus juriſdictionum. Vide *Stauropegium*. Quod erat in ſignum tituli. Vide *Titulus*. Anno autem 570. exorto ſchiſmate cum Veneti Epiſcopi, ac Stiriæ, & Liguriæ Romano Pontifici ſubjugari recuſaſſent, Paulinum Aquilejenſem Epiſcopum pro eorum primate elegerant, & in Patriarcham conclamaverant, atque ex tunc primum in Occidente nomen Patriarchæ præter Romanum Pontificem auditum fuit, rebus tamen compoſitis, & prædictis Præſulibus ad obedientiam Romanæ Sedis reductis, ob pacis conſervationem continuatio hujus tituli in Aquilejenſi Epiſcopo a Sancta Romana Sede permiſſa fuit, & ſucceſſive a pleriſque Pontificibus Aquilejenſem Sedem primam poſt Romanam in Italia locum habere, ac tertio Ravennatenſem declaratum eſt. Aquilejenſi Patriarchæ multa etiam privilegia ab Imperat. conceſſa fuere, & ideo nedum monetas cudebat, ſed & Forolivienſis Dux, Iſtriæ Marchio, & ſacri Imperii Princeps appellabatur. Tempore autem prædicti ſchiſmatis Pontifices titulum Patriarchæ Epiſcopo Gradenſi tribuerant, ut illum ſchiſmatico Aquilejenſi opponerent, quare inter hos duos Epiſcopos maximæ contentiones exortæ ſunt, & Aquilejenſi Longobardi Principes favebant, Gradenſem vero Papa, & Ravennæ Exarchus tuebantur, qui tamen Gradenſis Patriarchatus anno 1451. in Venetum Epiſcopum a Nicolao V. translatus fuit, primuſque exinde Patriarcha Beatus Laurentius Juſtinianus fuerat, qui antea Epiſcopus Caſtellanus nuncupabatur; hic enim erat Venetorum Epiſcoporum titulus. Vide Baronium, an. 112. n. 3. an. 570. n. 10. 11. & 12. an. 605. n. 2. an. 630. n. 15. an 698. n. 8. an. 729. n. 7. an. 1047. n. 2. an. 1050. n. 3. an. 1053. n. 4. Hodie vero cunctæ Orientalium ſectæ Patriarcham eorum Eccleſiaſticos Superiores appellant. Moſchorum vero ſecta eorum aſſertum Patriarcham *Archipopo*, ideſt, Archipapam appellat. Cæterum etiam Catholici Archiepiſcopi quandoque Patriarchæ appellati fuere, ita a Gregorio Turonenſi S. Nicetus Lugdunenſis Archiepiſcopus appellatus eſt. Vide *Primas*. Item Pontifex ſolet quatuor Patriarchas titulares creare. Quatuor autem Patriarchæ Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Jeroſolymitanus, poſtquam a Sede Apoſtolica pallium receperint, & fidelitatis juramentum præſtiterint, poſſunt, extra tamen Romanam Urbem, & ubicumque Pontifex extiterit, Crucem ante ſe deferre, c. Antiqua, de privileg. & exceſſ. in lib. 5. Decretal. Patriarchæ Conſtantinopolitani futurus ſucceſſor. Vide *Congellus* & *Syncellus*. Quomodo, & ubi eligebatur, & alia. Vide *Monobambylum*. FR. vide etiam lib. 1. Decretal. tit. 6. c. 40. & 45. : || : Quo pacto mutat nomen novus electus. Vide *Papa*. Antiochenus Patriarcha ſemper habet *Petri* nomen. Vide *Papa*, qui Theopolitanus dicitur. Vide *Theopolis*. Jeroſolymitani Patriarchæ titulus. Vide *Staurophylax*. Ejus præſumptus titulus. Vide *Oecumenicus*. Patriarchæ non poſſunt concedere ſuffraganeis pallium, niſi ipſi prius a Papa pro ſe cum ſolito fidelitatis juramento acceperint. Vide *Pallium*. Patriarchæ indumentum. Vide *Camilabo*.

PATRIARCHIUM, Πατριαρχεῖον. Sic appellatur Lateranenſe Palatium, de quo. Vide *Conſtantiniana Eccleſia*. Extant Romæ quinque Eccleſiæ Patriarchales, ideſt, Lateranenſis, Vaticana, S. Pauli extra Urbem, S. Mariæ Majoris, & S. Laurentii extra muros. Baron. an. 1057. n. 19. & 20. FR. Aliquando Cameram Apoſtolicam ſignificat. [ Unde autem ſumebat ea, quæ ad uſum ſui corporis erant neceſſaria? Dicit Beatus manifeſte de Patriarchio Romano &c. Neſcitis Eccleſiam Romanam? Dico enim vobis, quia quis venit illuc miſerabilis homo hoſpitari, omnia ad uſum præbentur ei &c. In exilio S. Martini Papæ in Collectan. Anaſtaſii Biblioth. per Sirmondum in 8. edit. pag. 99.] ideſt, ſumptibus Cameræ Apoſtolicæ.

PATRICIANI, ſive *Patritiani*. FR. Hæretici, a quodam Patricio Hæreſiarcha Symmachi Marcionitæ præceptore, qui aſſerebant humanam carnem a Diabolo conditam fuiſſe. Baron. anno 203. n. 16. qui etiam *Tatiani* dicebantur. Vide *Encratitæ*.

PATRINUS, vel *Patrimus*. Vide *Baptiſmus*. Catechiſta in dict. *Catechiſmus*. *Chriſma*. FR. Gentiles *Sponſorem* appellabant: [ Cujus pro genitore, me ſponſorem accipe. Plin. epiſt. lib. 3. ad Corollam Viduam,] cui ſe illius filii ſponſorem loco mortui genitoris præbet, ideſt, loco patris mortui.

PATRIOTICUS. FR. Patrius. [ Quam patriotica lingua nominamus Exonia. Hincmarus, in epiſt. ad Carolum Magnum.

PATRIPASSIANI Hæretici. Vide *Neotiani*. Vide etiam Baronium, an. 196. n. 17. & 21.

PATRITIATUS. FR. dignitas, de qua Baron. an. 337. n. 53. an. 508. n. 1. an. 787. n. 71. Item can. Adrianus, can. In Synodo, diſt. 63.

PATRITIUS, ſeu *Patricius*. FR. qui patritiatus dignitate fruitur. [ Et coram Patricio ſæcularia judicentur in communi, can. omnis oppreſſus, 2. qu. 6. ] Patritius a rebellibus Romanis conſtitutus fuerat. Vide Baron. an. 1144. n. 41.

PATRONI, ideſt, Patrini. Vide *Baptiſmus*.

PAVIO, ideſt, pavimentum formo, quo Paulinus, epiſt. 11. ad Sever. in ſenſu paſſivo uſus eſt, ubi de Sacello Montis Oliveti agens, in quo loco aſcendens Chriſtus in Cœlum, veſtigia ejus in pavimento impreſſa reliquerat, affirmat hic Sanctus, quod numquam in eo loco extendi poterat pavimentum; nam ſemper lapides miraculoſe rejecti erant, ita ut minime ſancta illa veſtigia abſcondi potuerint. [ Numquam tegi marmore, aut

aut paviri receperit, ſemper excuſſis ſolo reſpuente, quæ manus adornandi ſtudio tentavit apponere.

Pauliani, ſive *Paulianiſtæ*. FR. Hæretici a Paulo Samoſateno ſic denominati, cujus improba vita. Vide *Docetæ*. Hi Chriſtum blaſphemabant aſſerentes, non aliud principium habuiſſe, niſi a generatione Mariæ, can. quidam, 24. quæſt. 3. §. Pauliani, can. ſi quis confugerit, & can. Paulianiſtæ, 1. quæſt. 1.

Pauliti. FR. Hæretici Severiani. Baron. an. 535. n. 84.

Paulus Apostolus. Vide *Pſeudo Saulus*. Ejus effigies deſcripta. Vide *Galilæus*. Ejus Monachi Orientales. Vide *Tonſura*. Quare de eo fit mentio in Canone Miſſæ ante conſecrationem, non vero de S. Matthia. Vide *Canon Miſſæ*.

Pavo, animal: varia ejus grammaticalis declinatio. Vide *Catacliſtus*. FR. Pavonum Corona a Papa Angliæ Regi miſſa. Baron. an. 1186. n. 9. Item *Pavo* culcitram ſignificare puto in lectionibus Sancti Marcelli Papæ & Mart. in quodam pervetuſto Licienſe Breviario, ubi ſic habetur: [ Poſt dies octo veniens Sanctus Marcellus Epiſcopus cum Lucina Matrona Chriſtianiſſima, condidit corpora Sanctorum aromatibus, & linteaminibus involvit, ac impoſuit nocte in pavone ſuo cum Eunuchis ſuis, & ſuſtulit Martyres &c. ] An iſte Pavo erat Pontificis, & tunc ſuſpicarer eſſe *Favonem*, de quo ſuo loco diximus.

Pauper. Vide *Eleemoſyna*. *Laturarius*.

Pauperes de Lugduno, Hæretici. Vide *Gazari*.

Pausana, interſtitium, proroga, temporis intervallum, pauſa. [ Pauſanas exigit, quas nec te exigere, neque nos concedere ratio ipſa compellit. Luitprandus in ejus legatione. ] Vide *Pauſatio*. *Pauſo*.

Pausans, & *Pauſito*. Vide *Biothanatus*.

Pausatio, diaſtema, temporis intercapedo. [ Pauſatio Sanctæ Mariæ, ] ideſt, quies; ſic appellatur in quodam antiquiſſimo M.S. Calendario Bibliothecæ S. Genovefæ Monaſterii Pariſienſis feſtum Aſſumptionis B. Virginis, quod Græci Dormitionem vocant, & metaphorice mortem ſignificat.

Pauso, quieſco. [ Verumtamen pauſemus hic, ſi placet, hodie. S. Bernardus in ſerm. 3. ad feſtum Omnium Sanctorum.

Pavula, hoc vocabulum in regulis S. Pachomii, c. 72. reperitur, ubi ſic habetur: [ Nullius habeat ſeparatim mordacem pavulam. ] Loquitur de volſellis, cum quibus Monachi ſpinas in eorum pedibus confictas expellebat, dum diſcalceati incedebant: ideoque in ea regula ordinatur, quod prædictum inſtrumentum in communi, non autem in particulari retineri poſſit. Aliqui putant ex græco vocabulo παῦλα, ideſt, quies, hoc nomen derivari, quia tali inſtrumento extrahendo ex pedibus ſpinas, & dolore ceſſante, quies ſentiebatur. Sed cum Petro Poſſino puto nihilominus hæc fruſtra aſſeri, nam inſtrumentum illud *Mordax* appellatum clarum eſt, ac proinde corrigendum *Mordacem parvulam*, ſive potius ſine ulla mutatione Mordacem pavulam; legi enim apud Pacianum *Pavulus*, ideſt, Parvulus.

Pax, quæ in oſculo pie ante communionem a Chriſtianis ex apoſtolica traditione dabatur. [ Salutate vos invicem in oſculo pacis. 1. Cor. 16.] Quare D. Auguſt. ſerm. de vigil. Paſch. inquit: ||: [ Poſt ipſum dicitur Pax vobiſcum, & oſculantur ſe Chriſtiani in oſculo ſancto; ſed pacis Chriſti ſignum, quod oſtendunt labia, fiat in conſcientia, ideſt, quomodo labia fratris tui accedunt, ſic cor a corde non recedat: ] FR. Divus autem Bernardus per hoc ſanctum oſculum myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis contemplatur, nempe, in ambobus labiis Patrem, & Filium conſiderat, & in lingua Spiritum Sanctum. Item D. Auguſt. hanc pacem ſic encomiaſtice, ſerm. 1. de pace ad Fratres in eremo extollit [ Hæc eſt illa pax mater Eremitarum, Cœnobitarum pater, Monachorum ſoror, virginum tripudium, viduarum ſpeculum, conjugatorum ſpectaculum. Tu malorum præſidium, tu gemma Regum, tu o Pax pauperem divitem facis. Pax, quam inter divitias potentes nequeunt invenire, & ſine te jejunia, orationes, eleemoſynæ, cæteraque bona prodeſſe non poſſunt]: ||: Hodie tamen oſculum pacis inter Eccleſiaſticos tantum præberi ſolet, quia oſculorum abuſus inter ſæculares malitioſe concreverat, & furtive mulieres oſculabantur; ideo introductum fuit, ut cum icona ſacra in aliqua tabella depicta pax ſæcularibus daretur. Baron. an. 45. Græci tamen dant pacem ante conſecrationem juxta decretum Concilii Laodicenſis, can. 9. in quo ſic habetur: [ Tum pax danda, quam ubi Epiſcopo Sacerdotes impertierint, laici ſibi invicem dabunt pacem, ſecundum quæ perficiatur oblatio ] a Latinis vero ante communionem datur, juxta decretum Innocentii Papæ [ Pacem ante communionem dari Innocentius Papa decretis ſuis inſtituit. Valaf. de reb. Eccleſ. cap. 22. ] FR. Sed antiquitus immediate poſt *Pater noſter* dabatur pax. Baron. an. 45. num. 25. ||: Igitur Diaconus a Celebrante accipiens pacis oſculum juxta morem Subdiacono donat, & is omnibus illis tantum, quos Diaconus incenſaverat, communicat, eo ordine, quo incenſatio facta fuerat; licet brevitatis gratia ſufficiat hanc cæremoniam peragere cum capitibus ordinum in illis Cathedralibus, in quibus reperiuntur præbendæ diaconales, & ſubdiaconales diſtinctæ; at ubi hic ordo minime extat, ſufficeret primis ex utroque choro hujus functionis actio. FR. Antiquitus Lectori epiſtolam D. Pauli lecturo dabatur pax. Baron. ann. 60. nu. 58. ||: Pax autem datur cum dantis, & recipientis amplexu, cum ſiniſtræ genæ contactu, quia ſunt ex cordis latere, ut ordinant Rubricæ; ac ultimo loco Subdiaconus Acolyto, qui illum aſſociatus eſt, dat pacem, & hic inferioribus clericis, aliiſque ſæcularibus defert: ſæcularibus enim numquam a Subdiacono eſt pax deferenda, licet Magnates, & locorum Domini eſſent; ita Sac. Rit. Congr. ſub die 5. Julii 1614. decreverat. Quando in celebratione reperitur Sacerdos aſſiſtens, tunc hic debet a Celebrante pacem ſumere, & Subdiacono conferre, ut ad chorum, & deinde ad Diaconum illam deferat:

rat, ead Sac. Congr. Rit. 17. Jun. 1606. Si vero Pontificaliter Epiſcopus celebret, tunc ad aſſiſtentem Sacerdotem ſpectat ab eo pacem accipere, qui accedens ad latus Epiſcopi dexterum, & genuflexus oſculando prius Altare, accipit ab ipſo Epiſcopo pacem, & ad chorum eo ordine, quo incenſatio adhibita fuit, defert. Diaconus, & Subdiaconus quando communicantur, ab eodem Epiſcopo pacem ſumant, duo vero Diaconi aſſiſtentes ab eodem etiam poſt Aſſiſtentem Preſbyterum ſumant, facientes prius genuflexionem, ſed Altare non oſculantur. Tandem presbyter aſſiſtens illam cæremoniarum Magiſtro dat, & hic ad alios chori Clericos defert. Quando vero Epiſcopus ſolummodo ad Miſſam cantatam aſſiſtit, tunc presbyter aſſiſtens ſumpta a Celebrante pace, ad Epiſcopum deportat, qui Diaconibus aſſiſtentibus illam communicat. Presbyter autem aſſiſtens, poſtquam Epiſcopo pacem dederit, ad ſuum locum in Choro recedit, ubi accedens Subdiaconus ad recipiendam pacem, eam ad alios juxta conſuetum morem, ut ſupra diximus, defert, ac tandem Diacono communicat. Cærem. Epiſc. lib. 1. c. 24. Nam Diaconus in tali caſu non debet a Celebrante pacem recipere, ſicut in aliis caſibus facit; ſic enim. S. R. Congr. 17. Junii 1606. & 15. Mart. 1608. declaravit. Qui fert iconam pacis, vel librum Evangeliorum ad oſculandum, non debet facere reverentiam perſonæ, cui pacem, vel librum porrigit ad oſculandum in principio. Cær. Epiſc. lib. 1. c. 14. In feria v. in Cæna Domini & feria vi. Paraſceve pax non datur, cujus myſterium Amalar. de Eccleſ. off. lib. 1. c. 13. ſic explicat: [ Similiter & a pacis oſculo in illis diebus nos abſtinemus, non quod pacis oſculum malum ſit, ubi charitate vera profertur; ſed vi demonſtretur, quam injuriam paſſus ſit Chriſtus a ſuo proditore. ] Neque datur in Miſſa Sabbati Sancti, quia adhuc non eam ſuis Diſcipulis annuntiaverat Chriſtus. Tandem relinquitur in Miſſa defunctorum. Nam, ut inquit Durand. lib. 4. c. 53. [ In Miſſa vero pro defunctis pax non datur, quia fideles animæ jam non ſunt nec ulterius erunt in turbatione hujus mundi. ] Ubi enim rixarum, & contentionum reperitur periculum, ibi pacis remedium requiritur. Et ideo in Miſſis defunctorum non excludebantur Energumeni, neque publici pœnitentes, quia non dabatur pax, nec communio porrigebatur, quæ ſemper cum pace unite dabatur, ita ut apud D. Cyprianum, alioſque *Dare pacem* ſignificet porrigere communionem, quæ a S. Ignatio Martyre, epiſt. 14. ad Epheſ. *Pax Chriſti* appellata eſt. Et antiquitus etiam non dabatur Monachis pax, ut Durandus ibidem aſſerit. [ Hinc eſt, quod etiam inter Monachos pax non datur, quia Mundo mortui reputantur. ] Quando Papa ſolemniter celebrabat, Primicerius cantorum ſolebat ejus humerum dexterum deoſculare, ad denotandum Angelum annuntiantem Paſtoribus Chriſti Nativitatem; ita Innocentius III. lib. 2. de Myſt. Miſſæ, c. 10. Deinde duo Aſſiſtentes Diaconi idem faciebant, oſculando prius Altare, ad ſignificandam pacem a Chriſto in terram allatam, & ideo prius Altare oſculabantur; ſic enim Presbyter aſſiſtens, ſed in fine Miſſæ, antequam Pontifex daret benedictionem, faciebat; ideo idem Innocent. lib. 6. c. 13. Myſterium hujus actus oſtendit, inquiens: [ Oſtendens hunc illum Pontificem, qui ſecundum legem figurate dexterum armum ſeparare debet ab hoſtiis ſalutaribus, ve pacificis. ] Tempore Tertulliani dabatur pax cum patena, ( ſed a Beato Pio Papa V. prohibitum fuiſſe in dict. *Patena* diximus) quæ pax, ſubjungit Tertullianus, Aulicis non dabatur, tamquam ambitioſis, ac invidis, paci, & quieti adverſantibus: ] Circumferatur patena pacis inter fideles, præterquam tamen inter Aulicos, quos unanimes eſſe, & pacificos non ſinit ambitio, lib. de orat. ] Pax vero nedum in Miſſa dabatur, ſed etiam poſt publicas Eccleſiæ preces. [ Sub finem precum nos inter nos oſculo ſalutamus. Juſtin. in Apolog. ad Antonin. Imp. ] Et ideo prædictus Tertull. eod. lib. de orat. c. 14. hoc pacis oſculum ſigillum orationis appellavit, quod relinquebatur jejuniorum tempore, his verbis: [ Alia jam conſuetudo invaluit, jejunantes habita oratione, cum fratribus ſubtrahunt oſculum pacis, quod eſt ſignaculum orationis. ] Ideo *ad oſculum convenire*, pro ſimul orare antiquitus dicebatur. Quod pacis oſculum non ſolum in Eccleſiis publicis, ſed & in privatis domibus poſt orationem dabatur. [ Potes domi deferre pacem, ] Tertullianus dixerat. Hæc tamen pia, ac religioſa conſuetudo a D. Philippo Nerio pacis, & concordiæ amatore renovata fuit; in ejus enim conſtitutionibus ſtatuit, ut peracta mentali oratione veſpertina, quam Patres ſimul agunt, pace ſigilletur, dum Sacriſta pacis tabellam ad oſculum circumfert; in qua ſodalitate hujus cœleſtis pignoris effectus mirabiliter, ac jugiter emicat. Antiquitus mos puerorum erat oſculando genitores, alioſque amicos, aures apprehendere, cujus ſignificationem ſic Clem. Alex. ſtrom. 5. explicat: [ Non ergo temere pueris præcipimus, ut apprehenſis auribus amicos oſculentur, hoc utique tacite ſignificantes ingenerari per auditum ſenſum directionis ] quod oſculum χύτρα, græce, ideſt, olla dicebatur, quia caput per aures apprehendebant, eo modo, quo olla per anſas ſumitur. Reliqua. Vide *Oſculum*. De Pace. Vide *Irenaus*. *Irenarca*, *Labarum*. FR. in antiquis inſcriptionibus quando reperiuntur hæc verba *Quievit*, vel *Quieſcit in pace*, ſignum eſt, quod depoſitum illud ſit alicujus Chriſtiani, ita Gruterus de epitaph. Chriſtianorum. Torrigius de Crypt. Vatic. in ſecunda impr. pag. 576. & alii.

PAX DOMINI SIT SEMPER VOBISCUM; verba, quæ dicuntur a Sacerdote, antequam immittat particulam hoſtiæ in Calice. Vide *Hoſtia*. §. Quo vero ad cæremoniam fractionis Hoſtiæ. Quando Papa celebrat in Baſilica S. Mariæ Majoris, ad verba *Pax Domini ſit ſemper*, *&c.* Chorus ſilet in memoriam illius prodigii, quando in die Paſchæ celebranti ibi D. Greg. Angeli reſponderunt: *Et cum ſpiritu tuo*.

**Pax Tecum.** Vide *Deogratias*. FR. dicebatur poſt oſculum pacis. Baron. ann. 45. num. 24. & 25. Dicebatur poſt Pater noſter in Miſſa. Ibidem.

**Pax Vobis**, quæ *Salutatio Epiſcopalis* a Petro Damiano appellatur, nam Epiſcopus prima vice ſalutans populum in Miſſa loco *Dominus vobiſcum* dicit *Pax vobis*; quam formam ſuis diſcipulis Chriſtum ordinaſſe ait Alcuinus de divin. off. ideo Epiſcopi Apoſtolorum ſucceſſores eadem forma ſalutant: ſic miraculoſe corpus S. Joannis Chryſoſtomi, quando S. Proclus Patriarcha illud in Throno repoſuerat, dicens; [ Recipe thronum tuum o Pater ] ex ore defuncti tunc audita eſt ad populum hæc ſalutatio: *Pax vobis*. Baron. ann. 438. num. 11. Hæc ſalutatio relinquitur tempore Adventus. Cærem. Epiſc. lib. 2. c. 13. Non enim adhuc per Chriſti Nativitatem pax in terra hominibus deſcendit. Item in Sabbato ſancto non dicitur, quia adhuc Chriſtus non reſurrexit, qui poſt reſurrectionem his verbis Diſcipulos ſalutavit. Durand. l. 6. c. 85. FR. Gloſſ. in can. Hoc quoque, de conſecrat. diſt. 1. ſic inquit: [ Epiſcopus etiam cum primum ſalutat populum, non dicit Dominus vobiſcum: ſed Pax vobis, quia hæc fuit prima vox Chriſti ad Diſcipulos poſt reſurrectionem: ergo ut ſe oſtendat Vicarium Chriſti, ideo ſic dicit. Poſt vero dicit Dominus vobiſcum, ut ſic oſtendatur eſſe de numero aliorum Sacerdotum. ] Non eſt prætermittenda D. Auguſtini monitio, quæ apud Gratian. 2. qu. 7. can. 29. ſic habetur [ Non omnis, qui dicit: Pax vobis: quaſi columba eſt audiendus: corvi de morte paſcuntur, hoc columba non habet, imo de fructibus terræ vivit, innocens eſt victus ejus. ] Vide ſimilem admonitionem in dict. *Epiſcopus*, qui cani æquiparatur.

**Paxamatium** παξημὰς, quamvis vocem latinam eſſe ait Suidas, & ſignificat panem biſcoctum; in textu tamen græco παξημάδιον legitur [ Præter duo paxamatia, quæ tribus vix denariis diſtrahuntur, nihil amplius unuſquiſque præſumit. Caſſian. lib. 4. c. 14. ] Dicitur etiam *Paximatium* in eodem ſignificatu [ Tantum unum paximatium, & quinque olivas in cibo capiebat. Ruffin. lib. 3. ] Item reperitur etiam in eodem ſenſu *Paxamidium*. [ Fert panes Antonius, & imponit menſæ quatuor paxamidia ſex unciarum, & ſibi quidem unum madefecit. Pallad. in vita Pauli Simplicis. ] Itaque fuit error Iſidori, dum hoc vocabulum panem ſubcinericium ſignificare aſſeruit; nam panem biſcoctum ex allatis textibus ſignificare colligitur, & apud Arabes panis biſcoctus *Baxmas* appellatur adhuc, vox quidem certe ex Paxamatio corrupta; imo aliqui etiam græce *Paximas*, & *Paxamas* ſcripſere; en exemplum prioris [ Rapui unum panem paximatem, & manducavi eum occulte. Pelag. lib. 4. n. 25. ] En ſecundi [ Paxamas panis biſcoctus, eſt autem vox Romana. Suidas. ] Reperitur etiam *Paxamadium*; ita Leo Imp. in tact. c. 10. [ Commeatus paxamadii, aut piſti, aut alterius cujuſquam expeditæ rei habeas viginti, aut triginta libras. [ FR. Advertendum tamen eſt, quod quando Suidas dixerat hanc vocem romanam eſſe, non ideo intellexerat latinam, ſed græcam, ſive Conſtantinopolitanam; nam hæc Urbs nova Roma a Conſtantino Magno appellata fuit, & Græci uſque ad præſens ſe Romæos, ideſt, Romanos appellant: & quod hoc Suidas intellexiſset, ex ſequentibus ejus verbis patet; ibi enim ſubjunxerat, quod paxamas a Latinis Bucellatum dicitur.

**Paxillo**, Palare, palis munire: [ Magnus namque labor impendet in vinea excolenda, utpote, quæ primum eſt putanda, ſecundo fodienda, tertio paxillanda. Petr. Bleſen. ſer. 37. ] Miror quomodo Ludovicus la Cerda tam oculatiſſimus in ſignificatione barbararum vocum, abſque fundamento, hoc verbum herbas noxias extirpare ſignificare aſseruerit, cum notum ſit cunctis *Paxillum* denotare palum. Vide *Pedatura*.

**Paz**, nomen hebraicum, & ſignificat aurum puriſſimum: ſic in Daniele, cap. 10. in textu tamen græco ὠφάζ legitur, at in Codice Vaticano habetur κεφάζ, quod vocabulum lapidem pretioſum, & non aurum Symmachus vertit. Communiter tamen aurum puriſſimum ſignificat. [ De quo dicitur: Caput ejus ut aurum paz. Paulin. epiſt. ad Sever. ] Vide *Ophir*.

**Peccamen**, peccatum: [ Ceſsare autem divina miracula, vel ibi, vel alias, noſtra enormitas pecaminum facit, qui poſt revelatam Chriſti gratiam retro ſumus converſi. Odo Abb. in ſerm. S. Benedict. ] Idem in quodam privileg. Pariſienſis Epiſcopi ad favorem Monaſterii Sancti Dionyſii legitur ſic: [ Decet, & præſertim eos, qui in ſacris ordinibus eminere videntur, privatæ, & publicæ rei ita curam agere, ut & ſua peccamina adnullare ſtudeant. ] Vide *Delictum*, *Duplicitas*, *Peccatum*.

**Peccator.** Vide *Delictor*, *Norax*.

**Peccatum.** FR. Vide *Peccamen*. Peccati gradus quatuor. Vide *Objectio*. Aliquando hæc vox pro oblatione uſurpatur, quæ in remiſſionem peccatorum fieri ſolent. In quo ſenſu Apoſtolus 2. Corinth cap. 5. ait: [ Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit: ] ideſt, fecit oblationem pro noſtris peccatis. In quo ſenſu Oſea, cap. 4. ait: [ Comedent peccata populi: ] nempe, oblationes.

**Pecten**, inſtrumentum, quo caput pectitur. Antiquitus Sacerdotes ante celebrationem Miſſæ nedum manus lavabant, ſed etiam hoc inſtrumento caput poliebant. [ Deinde miniſtretur ei aqua ad manus, & pecten ad caput. In quodam pervetuſto Cæremon. M. S. Abb. Rotaldi.

**Pectorale**, ſic appellatur gemma illa, quæ in Pontificali celebratione ponitur pendens ante pectus Epiſcopi, ita ut fibulam pluvialis cooperiat, vel in fine aperturæ collaris caſulæ. Significat antiquum Summi Sacerdotis rationale; ideo etiam *Rationale* in quodam antiquo M. S. Cæremoniali appellatur. Et in Cæremoniali Epiſcoporum *Formalium* denominatur, ut dictum eſt ſuo loco. Italice etiam *Fermale*, & *Fermaglio* dicitur. Item aliquando *Pectorale* ſcabellum ge-

genuale ſignificat: [ Prior Subdiaconorum cum Subdiacono Romanæ Curiæ, cum Cappellanis Aulæ Imperialis ad pectorale dextrum ante Crucifixum argenteum laudes Imperatoris cantat. Petrus Burgenſis olim Papalis Cæremoniarum Magiſter in ſuo Cæremoniali, ubi de Coronatione Imperatoris agit. ] FR. ſic etiam explicat Torrigius ejuſdem Burgenſis verba, in tract. de Crypt. Vatic. ſecunda impreſſ. pag. 593. & 594. Sinonyma Pectoralis in priori ſenſu. Vide *Formalium*, *Logium*.

Pectoris percuſſio, quando ſit facienda. Vide *Benedictio*. *Confeſſio*. Antiquitus fiebat ad verba *Dimitte nobis &c.* Vide *Confeſſio*. Vide conceptum Bleſenſis in dict. *Scupha*.

Peculatus. FR. furtum pecuniæ publicæ, vel privatæ, non ab eo factum, cujus periculo fuit, l. ſacrilegii, 9. §. 1. ff. ad l. Jul. pecul. Gloſſ. autem dicit eſſe furtum, quo Reſpub. defraudatur, in cap. ut noſtrum, §. Auctore int. tit. ut Eccleſiaſtica beneficia, can. quid ergo 23. quæſt. qu. 4. & ff. ad, l. Juliam pecu. l. 1.

Peculiare, FR. Peculium: [ Peculiare, quod nunc habetis, vel quod deinceps aſſequi potueritis, ſicut vobis placitum fuerit, abſque calumnia poſſideatis. Burcard. lib. 2. cap. 30. Item *Peculiaris* adjectivum in eodem ſignificatu: [ Ut hoc vitium peculiare radicitus amputetur, dentur ab Abbate omnia neceſſaria. In Regul. Sancti Benedicti, cap. 55.

Peculiaritas, FR. Religioſorum vitium contra paupertatis votum, quæ communiter proprietas dicitur: [ Hoc autem prædicto fratri, & Coepiſcopo noſtro omnino dicere ſtudet, ut peculiaritatem quatuor, aut quinque Monaſterii Monachis ſtudioſiſſime compeſcat. D. Greg. lib. 10. epiſt. 22.

Peculium ovium, & pecudum grex. [ De his, quæ Parochis in terris, vineis, mancipiis, atque peculiis quicumque fideles obtulerint, antiquorum canonum ſtatuta ſerventur. Synod. Aurelian. I. can. 17. ] Et Fulbertus epiſt. 96. devaſtationes peſtiferas deſcribens, inquit: [ Pecuila ſola remanebant in paſcuis, nullo aſtante paſtore. ] Quia vero in prioribus mundi ſæculis tota fortunæ facultas in pecudibus conſiſtebat, hinc pecunia, & peculium monetæ quantitas appellata deinde fuit. FR. Peculium in ſignificatione gregis habetur in l. ſi quis caballum, de eo, qui peculium &c. Gloſſa in Clement. de verb. ſignif. cap. 1. hæc addit: [ Nota differentiam inter denarios, & pecuniam, quia denarius eſt, qui pro decem nummis olim computabatur; pecunia vero proprie eſt ſubſtantia de pecoribus proveniens: tamen hoc hodie communiter accipitur pro eodem. ] Vide *Pecunia*. Cæterum *Peculium* armentum, & gregem animalium ſignificat, l. ſi quis Caballum, de eo, qui peculium &c. De differentia pecuniarum. Vide *Moneta*.

Peculium profectitium, adventitium, caſtrenſe, & quaſi caſtrenſe, quid ſit. Vide DD. in §. 1. Inſt. Per quas perſ. nob. acq.

Pecunia. FR. nedum nummos, ſed etiam omnia fortunæ bona ſignificat. [ Totum quidquid homines habent in terra, omnia, quorum domini ſunt, pecunia dicitur. Ideo autem pecunia vocata eſt, quia antiqui quod habebant, in pecoribus habebant, can. totum, 1. quæſt. 3. ] Atque nomen pecuniæ etiam jura continet quandoque, ff. de verb. ſignif. l. pecuniæ. Item & rem quamlibet, ff. de legatis, 3. l. quiſquis. Item quandoque ea tantum, quæ conſiſtunt in pondere, & menſura, ff. de legat. 1. l. talis ſcriptura. Pretium tamen non conſiſtit, niſi in numero tantum, ut inſtit. de empt. & vend. §. item pretium.

Pecusculum, parvum pecus. [ Omnia pecuſcula ſecum invaſores abegerunt. In vita Sanctæ Columbæ.

Pecus, apud Tertullian. reperitur ſemel in ſenſu partus in utero matris extincti. [ Cum hebete unco, quo totum pecus adtrahitur violento puerperio, lib. de anim. cap. 25.

Pedagium, ſeu *Pedaticum*. FR. datium, & tributum, a viatoribus ſolvendum. [ Cum pedagia, guidagia, ſalinaria tibi Legatus interdixerit memoratus: Auctoritate Apoſt. duximus declarandum, illa eſſe pedagia, ſalinaria, guidagia interdicta, quæ non apparent Imperatorum, vel Regum, vel Lateranen. Concilii largitione conceſſa, vel ex antiqua conſuetudine, a tempore, cujus non extat memoria, introducta. De verbor. ſignif. cap. ſuper. ] Ubi Gloſſa ſic exponit: [ Pedagia, quæ dantur tranſeuntibus in locis conſtitutis a Principe &c. Guidagia, quæ dantur pro ducatu per terram alicujus, ut ſecurus vadat. Salinaria, quæ dantur pro ſale: omnia iſta dicuntur portatoria: ] Quæ pedagia nonniſi a Regibus, & abſolutis Principibus imponi poſſunt, cap. innovavimus, de cenſibus, & exactionibus. Ubi Gloſſa multas auctoritates cumulat. Et in 5. Decretal. tit. 40. cap. 25. ibi etiam Gloſſa. Item pedagia, & guidagia a Jure Canonico, & Civili ſunt regulariter damnata, de Cenſibus, in ſexto cap. 4. :||: Aliquando pedagia mercedem Judici, & Curiæ Miniſtris pro aliquo acceſſu ad locum determinatum ratione neceſſariæ inſpectionis, debitam, intelligitur.

Pedaneus Judex. Vide *Judex. Pedaneus*.

Pedatura, pedatio, cum vites pedaminibus fulciuntur; tale enim ſenſu S. Remigii Rhemenſis Epiſcopi verba in ejus teſtamento præbent, ubi ſic habetur: [ Delegoque Benedictæ filiæ Hilariæ Diaconiæ ancillam nomine Nocam & vitum pedaturam, quæ ſuæ jungitur vineæ. ] Apud aliquos tamen Scriptores Eccleſiaſticos legitur mendoſe *Pedecura*.

Pedecura. Vide *Pedatura*.

Pedibulum, invenitur hoc vocabulum in vita SS. Fructuoſi, & Sociorum, hoc pacto: [ Qui cum ſenſiſſet pedibulum ipſorum, confeſtim ſurrexit, & prodiit foras ad eos in ſoleis. ] Ubi Cardinalis Baronius, & Bollandus exiſtimant ſignificare virgam Lictoris, qua ſolebat portas pulſare, quando Conſul ingredi volebat; ſed ego magis ſtrepitum ambulantium pedum ſignificare puto, unde *Pedibulum*, quaſi diceretur *Pe*-

*diambuli*, quod ex Gregorii Turonenſis verbis, lib. 3. hiſt. cap. 15. evidens fit, ubi ſic ait: [ Quibus pergentibus audiunt pedibulum equitum currentium.

PEDISSEQUUS. Vide *Deividius, Sequax, Sequipes, Subciſivus*.

PEDITO, frequentativum verbum a *Pedo, as*, ideſt, pedeſter iter facio. [ Curſores Papæ etiam peditando debent eſſe ante eum. Davantria in ſuo M. S. Cæremoniali, ] ubi ſæpe verbum hoc replicat.

PEDULE. Vide *Suggeſtum, Suppedaneum*.

PEDULES, lintea, calceamenta, ſeu quid ſimile ad pedes tegendos, ut ſupra tibialia ferre ſolent Orientales; nam antiqui Monachi induti cubabant, exceptis pedibus, ut ex ſequentibus verbis colligitur. [ Ut de caligis pedules abſcinderentur, quatenus præter pedes totus Monachus jaceret veſtitus. Dolebat enim nonnullos in religioſo habitu ad ſanctitatis incuriam tibiis dormire nudatis. ] Hodie tamen a Dominicanis obſervantibus hæc regula obſervatur, & proprie tibiale breve, quod pedem tantum munit, ſignificat. De quo Davantria in ſuo Cæremoniali M. S. de domeſticis Papæ indumentis ſcribens, ſic ait: [ Et habere debet caligas de panno rubeo ſine pedulibus, & cum ſtaphilibus. [ FR. de hoc vocabulo mentionem facit Ulpianus, lib. 34. tit. 2. l. 25.

PEJERARIUM, ſic locus ille infamis, in quo glorioſi Martyres ad danda Idolis thura, & pejerandum ab Idololatris cogebantur, de qua actione diximus in dict. *Cæremonior, Facio*, & infra in dict. *Prolito*, & *Thurifico* dicemus. [ Et cæterorum Martyrum, quorum nomina ſubjicio, Baſſi in pejerario, Mappalici in quæſtione, Fortunionis in carcere, Cyprian. epiſt. 22. ] In aliquibus tamen Codicibus mendoſe *Pererarium*, & in Codice Vaticano *Imperarium* legitur, quas dictiones Pamelius Commentator ſe non intelligere fatetur.

PELAGIANI. FR. Hæretici a Pelagio Monacho ita appellati, qui divinæ gratiæ liberum arbitrium anteponens, noſtram tantum voluntatem ad exequenda divina præcepta ſufficere aſſerebat, 24. quæſt. 3. can. 39. & diſt. 4. can. ſi ex bono in malum.

PELAMIDES, piſces, unde dicti. Vide *Eſox*.

PELLAX, expulſor, ex verbo *Pello* derivatum. [ Nec factione pellaci inimicorum ſuorum (*ideſt porcorum*) requirere poſſeſſorem. S. Chryſologus, ſerm. 17.] ubi de Chriſto Dœmonum expulſore, & de Dœmonibus in ſues introire cupientibus loquitur.

PELLEX. FR. meretrix. [ Pellex autem quaſi πάλλαξ, ideſt, quaſi παλλακὶς, ut pleraque alia, ita hoc quoque vocabulum de græco flexum eſt. Gell. lib. 4. cap. 3. ] Sed potius a dictione græca πέλλη, nempe, mulctra; nam ut ait Valla, lib. 6. Elegant. *Pellax* a blandiendo dicitur, quod idem eſt ac mulcens, quamquam ipſe Latinum nomen a verbo pellicio derivari putet; ſed etiam hoc verbum dici poteſt a græco πέλλη etymon trahere. Itaque Junii Lexicon differentiam facit inter pallacam, & pellicem; nam pallaca eſt, quæ cum cœlibe fornicatur; pellex vero, quæ cum uxorato, in dict. παλλακὶς. Divus autem Auguſt. in epiſt. 2. Petri, inquit, quod Pellices dicantur meretrices a pollutione, vel pellis formoſitate, qua incautos alliciunt, & decipiunt; in qua tamen epiſt. Petrus de adulteris hominibus loqui videtur, & translative de pſeudoprophetis, dum inquit: [ Sectas non metuunt introducere, blaſphemantes &c. oculos habentes plenos adulterii, & inceſſabilis delicti, pellicientes animas inſtabiles &c. Superbia enim vanitatis loquentes, pelliciunt in deſideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore converſantur: libertatem illis promittentes, cum ipſi ſervi ſint corruptionis, 2. Petr. cap. 2.

PELLICATUS. FR. Actus, quem pellex exercet. [ Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus adhuc illa *ideſt, uxore*, vivente. ] Levit. 18. 18.

PELLICIUS, mundus, atque corpus a Petro Bleſenſi intelligitur. Serm. 26. [Nunc ſcio vere, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis, ideſt, pellicii, ideſt, corporis, ] & inferius: [ Pellicius enim a pelle dicitur, ] & ſub hoc vocabulo mundum etiam intellexerat: [ Nunc ſcio vere, quia eripuit me de manu pellicii, ideſt, Mundi. Ibidem.

PELLICULA, corrigia calceamentorum pellicea: [ Pellicula, caligæ, & cingulum, & ſi quid aliud perierit, qui perdiderit increpabitur, in Regul. S. Pachomii reg. 120.

PELLITI SATELLITES. FR. Ita Gothi protectores corporis regii a Sidonio, lib. 1. ep. 2. vocantur, quod pellibus induerentur. Vide Savarum. Ibid.

PELTA. FR. πέλτη, parvum ſcutum. [ Fecit quoque Rex Salomon ducenta ſcuta de auro puriſſimo, ſexcentos auri ſiclos dedit in laminas ſcuti unius, & trecentas peltas ex auro probato: trecentæ minæ auri unam peltam veſtiebant; poſuitque eas Rex in domo ſaltus Libani, 3. Reg. c. 10. Deditque Jojada Sacerdos Centurionibus lanceas, clypeoſque, & peltas Regis David, quas conſecraverat in domo Domini, 2. Paralip. c. 23. 9. ] Fortaſſe ita denominatum fuerat hoc ſecutum ex oppido Peltarum in Phrygia, a quo contiguus campus *Peltinus* appellatus erat. Strabo, lib. 12. cap. 13. Unde *amazonidæ peltæ* dicebantur hæc ſcuta. At Plinius, lib. 12. cap. 5. inquit amazonicas peltas ad formam foliorum fici Indici fuiſſe: Virgilius vero 1. Æneid. lunatas vocat:

Ducit amazonidum lunatis agmina peltis
Pentheſilea furens.

Et 11. Æneid.

—— ſeu cum ſe Martia curru
Pentheſilea refert, magnoque ululante tumultu,
Fœminea exultant lunatis agmina peltis.

Erant inſuper æratæ. Idem 7. Æneid.

Æratæque micant peltæ.

Atque amazonicas etiam Nonius, & Sveton. in Nerone Claud. cap. 44. appellant, qui de eodem ſic ait:

ait: [In præparanda expeditione primam curam habuit deligendi vehicula, portandis ſcenicis organis, concubinaſque, quas ſecum educeret, tondendi ad virilem modum, & ſecuribus, peltiſque amazonicis inſtruendi.] Cauſa vero introductionis hujus generis ſcutorum a Diodoro Siculo, *l.* 15. Biblioth. ita aſſertur: [Mos fuerat Græcis hactenus prolixa geſtare ſcuta; ſed cum hæc propter gravitatem ad motum impeditiora forent, ſcuta abſtulit Iphicrates Athenienſis,& peltas modice conformatas ſubſtituit, duo præcipue hac innovatione ſpectans, tum ut corpus ſatis tegeretur,tum ut levitate agiliora ad uſum eſſent. Commoditas hæc experimentis ſtatim probata, effecit, ut qui a ſcutis pridem hoplitæ dicti fuerant, tum a peltis peltati nuncuparentur.] Quod ſcutum *Cetra*, etiam dicebatur, ejuſque ſcutiferus *Cetratus*. [Nocte cetratos, quos peltaſtas vocant, loco opportuno inter bina caſtra in inſidiis abdiderat. Liv. lib. 1. bell. Macedon.] & idem, lib. 1. bell. Pun. [Hiſpani ſine ulla mole in utres veſtimentis conjectis ipſis Cetris ſuperpoſitis incumbentes,flumen tranſnatavere. [Et Virg. Æneid. 7.

Lævas cetra tegit, falcati cominus enſes.

Alii tamen hunc Virgilii locum *Certa* legunt.

PELTASTA, & *Peltatus*. Vide *Pelta*.

PENDENS, Baldachinum. Cæremonial. Epiſcop. Ejus Synonyma. Vide *Baldachinum*.

PENDERE SENTENTIAM, quam Tertullianicam phraſim ſe non intelligere fatetur Pamelius,ex eo quia novum ſibi videtur, tale verbum cum accuſativo conjungi; ſed noſter oculatiſſimus Latinius *Pendere* pro ſolvere intelligi demonſtrat. Verba autem Tertulliani de reſurr. Carnis, c. 17. talia ſunt: [Et ideo in quæ de ſuo ſufficit, eorum interim ſententiam pendit.] FR. Sed proprie pendere ſententiam, ſuſtinere condemnationem ſignificat. [Indignantur mariti, ſi audiant adulteros viros pendere ſimiles adulteris fœminis pœnas, can. indignantur, 23. quæſt. 6.] Ubi Gloſſa ſic exponit: [Pendere, ideſt, ſuſtinere, a Pendo, pendis.

PENSILIS JACTATIO. Vide *Oſcillum*.

PENSIO. Vide *Angaria*, *Burdatio*, *Calcaria*, *Firma*.

PENSIONARIUS. Vide *Firmarius*.

PENTACONTARCUS, πεντηκόνταρχος, ideſt, Præfectus quinquaginta militum. [Et poſt hæc conſtituit Judas Duces populi, Tribunos, & Centuriones, & Pentacontarchos, & Decuriones, 1. Macab. c. 2.

PENTAGLOTTUS, quaſi *quinquilinguis* dici poteſt, græce πεντάγλωττος. Ita dictus Sanctus Epiphanius, Salaminæ in Cypro Epiſcopus, vir eruditione, ſanctitate, & ob quinque linguarum, Græcæ videlicet, Hebraicæ, Latinæ, Syriacæ, & Ægyptiacæ peritiam a S. Hieronymo commendatus, & *Pentaglottus* vulgo nuncupatus, a Græca dictione πέντε, *quinque*, & γλῶσσα, Attice γλῶττα, *lingua*, *ſermo*, *interpretatio*.

PENTALORIS. Vide *Triloris*.

PENTATEUCHUM, πεντάτευχον, ideſt quinque Sac. Scripturæ Libri Moſaici, qui ſunt Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, & Deuteronomium. Quod volumen omnibus aliis antiquius creditur; nam, ut Joſeph Hebræus refert, licet invenirentur Characteres tempore Moyſis, non tamen libri reperiebantur, nec ulla lex ſcripta. FR. Et hi ſunt quinque libri Moyſis, quos proprie *Thorà* hebraice, ideſt, legem appellat D. Hieronymus in prol. galeato; eodemque modo ab Arabibus appellantur, atque his tantum quinque libris credebant Eſſeni. Vide *Eſſeni*.

PENTECOSTALIS. FR. Adjectivum ad Pentecoſten pertinens. [Circa proceſſionem Pentecoſtalem. In Decretal. de præſumpt. cap. 15.] De Proceſſione Rogationum loquitur, quæ ante Pentecoſten fit.

PENTECOSTARIUM, πεντηκοστάριον, ſic appellatur a Græcis liber, in quo preces pro tempore Paſchali continentur.

PENTECOSTES, πεντηκοστὴ, ideſt, Quinquageſima, quia hoc ſolemniſſimum Paſcha poſt quinquaginta dies a Paſcha azymorum celebratur, in qua Hebræi traditionem legis a Deo Moyſi factam ſolemniter commemorabant. FR. Gloſſa in, cap. unico Clementin. de reliq. & vener. Sanct. §. Pentecoſtes, hæc habet: [Pentecoſtes ſic dicitur a pente, quod eſt quinque (facit de decimis cap. 1. in fin. & quod ibi notatur,) & coſte, decem, quia quinquies decem dies ſunt inter feſtum Reſurrectionis, & Pentecoſtes, computato utroque feſto, & quidam declinant Pentecoſte, Pentecoſtes, alii vero hoc Pentecoſtes indeclinabile] :||: Hoc Pentecoſtes Paſcha appellatur etiam *Quinquageſimæ*, *Feſtum hebdomadum*, *Feſtum Meſſis*, *Feſtum Primitiarum*. Et penes Hebræos incipiebant prædicti dies quinquaginta a ſecunda die azymorum numerari, in quo die ſpicas metebant, ut Domino offerrent. In eo vero anno, quo Redemptor noſter mortem ſubierat, dies ſecunda azymorum in Sabbato acciderat, in qua die cum prohibitum ſit Hebræis omne ſervile opus, ideo in alterum diem, nempe, Dominicum Reſurrectionis obtulerunt manipulum ſpicarum Hebræi,quod non ſine Providentiæ divinæ myſterio occurrerat; nam manipulus ille, in altum elevatus (juxta eorum ritum) Chriſti reſurrectionis ſymbolum fuit: itaque eo anno cum ab Hebræis principium eorum quinquageſimæ numerari inciperet a Dominica; ſic etiam eorum Pentecoſtes in Dominica concludebatur,eo prorſus die, quo ſupra ſacrum Apoſtolorum Collegium Spiritus Sanctus deſcenderat. Hoc enim pacto dubium a multis agitatum ſolvitur, quomodo, nimirum, eo anno in die Dominica hebraicum Pentecoſtes occurrerat, apud Bellarm. lib. 3. de cultu Sanctorum, c. 3. Melius tamen prædictum dubium, ſi rabbinicam obſervationem admitteremus, reſolveretur, qua obſervatione cavetur in eorum Calendario, ne azymorum paſcha in die Lunæ, Mercurii, ac Veneris ob ſequentes rationes incidat. Non enim de die Lunæ,aut Mercurii celebrant prædictum Paſcha, ne ſcilicet dies *Chepur* in Veneris, aut Dominicæ diebus cadat: *Chepur*

*pur* ſiquidem remiſſionem ſignificat, quod in ſeptimo menſe celebratur, in quo die coquere, aut cibos præparare nequeunt, & jejunare debent a primis veſperis *Chepur*, uſque ad ſequentes feſtivas veſperas, cum apud eos maximus culparum veniæ deſtinatus dies ſit: itaque ſi in Lunæ, vel Mercurii diebus Paſcha celebraretur, caderet *Chepur* in veneris, vel Dominicæ diebus, & ſequeretur, quod per biduum abſtinere debuiſſent a cibis, dum in Sabbato, vel antecedenter ad *Chepur*, ſi caderet in Dominica, vel ſubſequenter ſi idem in die veneris, cibos præparare, aut coquere nequirent. Subterfugiunt ulterius Paſcha in die veneris, ne cadens poſtmodum in Sabbato primus ſcenopegiarum dies prætermittere tenerentur ramos ex arboribus cædere, cum ſit opus ſervile, & in Sabbato prohibitum; nam ex c. 23. Levitici in prima die ſcenopegiæ præſcribitur eis talis ramorum cæſura, ut dictum eſt in d. *Hoſanna*. In anno igitur, in quo paſſus eſt Chriſtus, juxta lunarem computum hebraicum, Paſcha venerat in die veneris, quemadmodum idem Redemptor obſervaverat, qui rabbinicas traditiones minime curans, agnum comederat in die Jovis ad veſperas Paſchæ ſequentis diei; ſed ſecundum rabbinicam obſervationem incedentes Hebræi paſcha in die Sabbati celebrarunt, ne illud ex adductis obſervationibus in diem veneris incideret, & ideo comeſtio agni hebraica ad cœnam veneris facta fuit, in quo die, ut Jo. Evangeliſta c. 18. verſ. 8. bene notavit: [ Et ipſi non introierunt in prætorio ] ideſt, in die veneris, quando, nempe, Chriſtus patiebatur, quia in illis veſperis manducaturi erant agnum paſchale; ideoque ſubdit: [ Ut non contaminarentur; ſed ut manducarent paſcha. ] Idemque manifeſtavit idem Evangeliſta, quod tale paraſceve paſcha non erat juxta Moſaicam inſtitutionem, & Apoſtolicam obſervationem, nam Chriſtus cum Apoſtolis pridie, quam pateretur, ideſt, in Jovis die ad cœnam comeſtionem agni celebraverat, illa autem poſticipata celebratio Hebræorum rabbinica fuerat, & ideo in c. ſequenti ſubdit: [ Erat autem paraſceve paſchæ, ] ideſt, ut non ſine myſterio addit, [ Paraſceve Judæorum. ] Et cum eadem reflexione alibi, Judæi quoniam paraſceve erat; ] ad demonſtrandum, quod talis paſchæ præparatio ſecundum calculum Judæorum illius temporis fiebat; non vero juxta lunarem computum a Chriſto Domino obſervatum. Quod ex Talmud comprobatur, in quo, ubi de Chriſti morte agitur, illam in die paſchæ antecedenti accidiſſe legitur. Quæ traditio ſi pro vera habeatur, dicendum neceſſe eſt, quod manipulus ſpicarum in die Dominico tunc oblatus fuiſſet, cum paſcha in die Sabbati celebrata eſſet. Quæ reſponſio magis conſona videtur: non enim pro divina oblatione prohibitum erat ſpicas colligere, meſſemque exercere in die Sabbati, cum in ordine ad ſacrificandum permiſſum quidem ſit ſervile opus in eodem Sabbato, ſicut & pro ſacrificio mactare victimas licitum erat; prima igitur opinio abſque ſuppoſiti fundamento infulcita remanet. In eodem autem die, in quo penes Hebræos propter feſtum Pentecoſtes recens frumentum Domino offerebatur, ſub eadem frumenti ſpecie Corpus Chriſti D. Petrus ſacrificavit; primam enim Miſſam in hac die intra Cœnaculum Sion celebraverat. Pamel. tom. 1. Liturg. Eccleſ. Lat. Antiquitus quando in hac die tempore Miſſæ canebatur ſequentia *Veni ſancte Spiritus &c.* reſonabant etiam tubæ, ad denotandum repentinum ſonitum ab Apoſtolis congregatis auditum, quando in hac die Spiritus Sanctus ſuper ſingulos eorum deſcenderat. Item ob eumdem ſignificatum ex Eccleſiæ tecto ignitas flammas projiciebant, aut roſas ſpargebant. Durand. lib. 6. c. 107. quod Meſſanæ adhuc durat. Item per nomen *Pentecoſtes* totum tempus præcurrens inter Reſurrectionis Paſcha uſque ad Pentecoſtes olim intelligebatur, huncque ſenſum habent verba illa in c. 43. Concilii Eliberitani contenta, ubi dicitur: [ Pravam inſtitutionem emendari placuit juxta auctoritatem Scripturarum, ut cuncti diem Pentecoſtes poſt Paſcha celebremus non Quadrageſimam, ſed Quinquageſimam. ] nam per totum hoc temporis tractum ſolemnes dies celebrabantur; ideo Tertullianus dixerat feſtivitates Pentecoſtes Chriſtianorum in numero Gentilium ſolemnitates excedere, dum ait: [ Excerpe ſingulas feſtivitates nationum, vix Pentecoſten implere poterunt. ] In quibus tamen diebus opera ſervilia a Chriſtianis exercebantur; quamvis opera ſpiritualia magis frequentarentur: & ideo ad inſtar Hebræorum hi dies etiam *Dies remiſſionis* dicebantur, ac ſtantes fideles orationes fundebant. In quo tamen temporis curſu Maronitæ in ſignum lætitiæ carnem comedunt: [ Græci vero per totam Paſchæ octavam tantum id faciunt. FR. Dicebatur Pentecoſtes tempus hoc feſtum immediate præcedens, ſicut tempus immediatum ante Paſcha, Paſchæ dicebatur, ut in d. *Paſcha* dictum eſt. Item dicebatur Quadrageſima. Vide *Quadrageſima*.

Pentecostes Media. FR. Feria quarta infra octavam Pentecoſtes ita appellata, ſicut Paſcha medium, de quo dictum eſt in dict. *Paſcha medium*. Qui loquendi modus reperitur in epiſt. S. Maximi Martyris in Collectan. Anaſtaſii a Sirmondo edita in 8. ubi pag. 139. ſic habetur: [ Media Pentecoſtes heri, quod fuit octava decima menſis dies, qua ſolemnitas agebatur ſancta mediæ Pentecoſtes.

Pentectes, πεντέκτης. FR. ita appellata fuit Synodus, quæ a Latinis *Quiniſexta* dicitur: quemadmodum græca vox ſonat, quia hæc Synodus fuerat quinti, & ſexti Conſtantinopolitani Concilii ſupplementum, in quibus canones minime conſtituti ſunt; ſed in dicto ſupplemento in Trullo de anno 707. celebrato, de quo dictum eſt in dict. *Agnus Dei*. Alias *Pentecte*, πενθέκτη, dicitur.

Pentepitropus, πεντεπίτροπος, erat unus ex quinque procuratoribus, qui ſimul Collegium formabant: [ Conjux quoque alterius cujuſdam Pentepitropi nomine

mine Coſmia. In vita S. Auxentii Archimandritæ 14. Februar.

**Pentica**. FR. Romæ *S. Martini in Pentica* Eccleſia ita appellata, alias in *Portica*. Torrigius de Crypt. Vatican. edit. 2. pag. 561.

**Pentifarie**, diviſim in quinque partes. [ Per idem tempus defuncto dicto Lothario, pentifarie regnum Francorum diviſum eſt. Chron. Caſin. lib. 1. cap. 19.

**Pentiloris**. Vide *Triloris*.

**Penu**. Vide *Promptuarium*.

**Penula**, inter Expoſitores, eſt maxima contentio de hujus vocabuli ſignificatione, quo D. Paulus uſus eſt epiſtola ſecunda ad Timotheum, c. 4. ſcribens: [ Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maxime autem membranas. ] Ambroſius, Anſelmus, & Haymon ſenatoriam veſtem fuiſſe dicunt, qua utebantur Romani Cives extra Urbem geniti, quando ibi ingrediebantur, & ideo ea indigebat Apoſtolus, ut Romam accederet; nam ex privilegio Civitatis Tarſenſis ejus patriæ, civitate Romana fruebatur. Baronius vero ad an. 58. volumen legis in aliqua oblonga membrana ſcriptum, & more hebraico involutum fuiſſe autumat. Aliqui cenſuerunt *Thecam librorum* eſſe; ſic enim textus Syriacus habet, ac Arabicus *Vas librorum* legit. Tertullianus, lib. de Orat. cap. 12. *Planetam* fuiſſe exiſtimavit, qua Miſſa celebratur, cum quo græcus textus concordat, qui φελόνιον habet, & Græci planetam prædictam ſacerdotalem ſic appellare ſolent. Tandem Hieronymus, Chryſoſtomus, Theophylactus, & alii exteriorem veſtem hybernalem eſſe affirmant, quibus favent Juvenalis Satyr. 5.

—— Et multo ſtillaret penula nimbo:

& Lāpridius in Severo Imp. ubi inquit: [Penulis intra Urbem frigoris cauſa, ut ſenes uterentur, permiſit, cum id veſtimenti genus ſemper itinerantium, aut pluviæ fuiſſet. ] FR. De penula varie apud Scriptores, qui affirmant fuiſſe oratoriam veſtem, auctoritatem deſumunt ex oratorum dialogo, qui Tacito inſcribitur, ubi ſic habetur: [ Quantum humilitatis eloquentiæ putamus attuliſſe penulas iſtas, quibus aſtricti, & veluti incluſi cum Judicibus fabulamur? ] Qui vero putant penulam fuiſſe ſenatoriam veſtem, utuntur auctoritate Lampridii in Alexandro Severo, ubi ait: [ Illum ſtatuiſſe, ut ſenes penulis intra Urbem, arcendi frigoris gratia, uterentur, cum olim eſſet veſtimentum viatorum. ] quia plebejis ſenatoriæ veſtes prohibitæ erant. Unde Martialis, lib. 13. epig. 1. differentiam facit inter togam, quæ eſt proprie ſenatoria, & penulam, quæ eſt cujuſcumque conditionis veſtis, inquiens:

Et toga cordylis, & penula deſit olivis.

Item Ulpianus in, l. veſtis, ff. de auro, & argent. legat. inter communia veſtimenta, quibus viri, & fœminæ promiſcue utuntur, poſuit. Alii autem contendunt fuiſſe hybernalem veſtem, ex Lampridio ſupra allato probantes, quia Imperator, ut ibi dicitur, earum uſum arcendi frigoris gratia ſenibus conceſſerat: & ex Quintiliano, lib. 6. cap. 6. ubi ait: Poſcenti penulam interrogatum reſpondiſſe fertur: [ Si non pluet, non eſt opus tibi, ſi pluet, ipſe utar. ] Sed alii contra tum pro æſtivo, tum pro hyberno tempore penulas diverſimode inſeruiſſe malunt, quod ex Horatio lib. 1. epiſt. ad Bullarium probant in primis, qui ita cecinit:

Penula ſolſtitio, campeſtre nivalibus auris,
Per brumam Tyberis, ſextili menſe caminus.

Secundo ex Svetonio in Claudio Nerone, c. 48. ubi ille loquens de hoc Imperatore a Galba trucidato, inquit: [ Ut erat nudo pede, atque tunicatus, penulam obſoleti coloris ſuperinduit ] & c. 49. idem de eodem refert, quod hoc indumento ab ictibus ſe defendebat: [ Penula ad vultus appoſita, ] (ſic cum diphthongo in aliquibus Svetonii codicibus) Sed cum Nero Imp. ut refert Baron. an. 70. n. 2. ad diem 10. Junii occiſus fuerit, in qua die etiam ipſe ſuam uxorem Octaviam occiderat: ergo ſi æſtivo tempore penula uſus eſt Nero, penulæ diverſæ pro diverſis temporibus conficiebantur: ſed utraque ratio minime concludere videtur; quia Horatii verba clare apparent ironice figurata, ac Neronis factum caſuale fuerat, priuſque credendum, quod Imperator penulam pro nocturnis neceſſitatibus, ut fieri ſolet, ad cubile præparatam reperierat; itaque non obſtat, quod talis penula hybernalis non fuiſſet. Redeundo igitur ad penulam, quam D. Paulus poſcebat, de ea ſic Tertullianus ait prædicto, lib. de Orat. cap. 13. [ Quorundam conſuetudinem fuiſſe, poſitis penulis orationem facere: ſic enim adeunt Idola nationes, quod utique ſi fieri oporteret, Apoſtoli, qui de habitu orandi docent, comprehendiſſent; niſi ſi qui putant Paulum penulam ſuam in oratione penes Carpum reliquiſſe. Deus, ſcilicet, non audiat penulatos, qui tres Sanctos in fornace Babylonii Regis orantes cum ſarabaris, & thiaris ſuis exaudivit. ] Et in lib. de Coron. milit. cap. 8. [ Plus eſt, quod & Chriſtus veſtietur, habebit etiam penulam Paulus. ] Cæterum D. Hieronymus, lib. 3. adverſ. Pelag. penulam, ſeu lacernam interpretatur: lacerna autem in cuculli modum caput obtegebat.

**Peplum**. Vide *Velum*.

**Pera**. Vide *Burſa*.

**Peræquator**. FR. Taxatorem tributorum, & non exactorem tributi ſignificat, ut Alciatus aſſeruit: [ Ubi primum fabricis ſuis per prætoria domini tributa diſſolvunt, dum antiquorum lacunas parca nituntur frugalitate reparare, & profligantia patrimonium fulcire culmina. Indigenarum copia ad hoc tantum ſervata, ut functionis Publicæ peræquatoris etiam vota tranſcendens numerus non deeſſet. Ennodius, Epiſt. 6. lib. 1. ] Ubi loquitur de Telonariorum, ſeu Publicanorum injuſtitia, qui in tranſitu Larii fluminis prope Comum a tranſeuntibus exigebant vectigalia ultra taxam a peræquatoribus impoſitam. *Peræquatores* etiam dicebantur, qui taxam in pretiis rerum comeſtibi-

bilium imponebant. Caſſiod. de formula magiſteriæ dignitatis, quos Romani Extraordinarios hodie vocant. Vide *Catipanus*, in fin. Item hoc officium *Peræquatio* dicebatur, Cod. Theodoſ. lib. 13. tit. 11. de Cenſitoribus, leg. 6. & 13.

Perangaria. Corrupte pro Parangaria. Vide *Angaria*.

Perdissena, & *Perendiſſa*. FR. ex D. Auguſtino, apud Gratiani Decretum, in can. quæris, de Conſecrat. diſt. 4. ubi ſic habetur: [Nempe ſæpe ita loquitur, craſtinam, vel perdiſſenam, vel perendiſſenam Domini paſſionem dicamus, cum ille ante multos annos paſſus ſit.] Ubi Gloſ. ſic exponit: [Perdiſſenam, ideſt, per ſenum, ſcilicet, per ſextum diem. Perendiſſenam, ideſt, perempto die ſeno, ſive ſexto; nempe, poſt ſex dies, uno perempto.] Sic etiam *Perdius* dicitur ille, qui per diem vigilat. Gellius, lib. 2. cap. 1.

Perdius. Vide *Perdiſſena*.

Peregrina Communio. Vide *Communio peregrina*.

Peregrina Judicia. Vide *Duellum*, *Juramentum*, *Judicium peregrinum*, *Purgatio vulgaris*, *Purgator*.

Peregrinor. FR. hoc verbum non ſatis expoſitum eſt a Gloſſatoribus epiſtolæ primæ Beati Petri, qui, c.4. ſic ait [Nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quaſi novi aliquid vobis contingat; ſed communicantes Chriſti paſſionibus, gaudete.] Gloſſa ordinaria legit: [Peregrinari ab amore Dei] Hugo Card. [Deficere a ſtatu fidei] Lyranus [Corpore elongari] Beda [Extraneo. a Chriſto] Dionyſius Carth. [Deficere a ſtatu fidei.] Sed omnes hæ interpretationes a germano, & litterali ſenſu nimis diſtant; quia *Peregrinari* uſus eſt Latinus interpres ex græco ξενίζεσθαι, ideſt, peregrinari, a verbo ξενίζω, quod proprie ſignificat fieri peregrinum, & novum in aliqua ſcientia, ſeu novas doctrinas inſtruere, de quo vide *Dogmatizo*, ita Scapula in ejus Lexicon, & alii: ſenſus igitur Apoſtolorum Principis talis videtur eſſe juxta græcam vim verbi, nempe [Nolite mirari, ac ſi eſſet quid novi, & peregrini, ſi in ardore tentationis vobis occurrat, ita ut videamini, quaſi novi aliquid contingat, ſed communicantes (*ideſt*, *imitantes*,) paſſionibus Chriſti, gaudere.] Quod Syriaco textu confirmatur, qui eodem loco ſic habet: [Ne miramini in tentationibus, quas habetis, quaſi quid alienum vocis acciderit; quandoquidem in veſtri probationem fiunt] ſic etiam textus Arabicus habet, nimirum, *Nolite mirari*: ubi nos legimus *Nolite peregrinari*. Dictio autem *In fervore*: ſignificat ad ſimilitudinem metallorum, quæ per ignem probantur: quæ phraſis familiaris fuit ejuſdem Apoſtoli in eodem ſenſu: [In quo exultabitis; modicum nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus: ut probatio veſtræ fidei multo pretioſior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem &c. Ibidem, cap. 1.] Peregrinandi licentiam quis dare poſſit. Vide *Chorepiſcopus*.

Peregrinus. Vide *Palmarum feſtum*, *Palmatus*, *Porticani*, *Romeus*, *Romipeta*.

Peremptorius, mortifer, lethalis [Quod ſicut peremptoria eſt altitudo quæſita, ita & periculoſiſſima oblata, non quod poteſtas, quæ a Deo eſt, ſit damnabilis, aut ordinatio divina peccatorum ſit obſtetrix. D. Hieronym. de Jejun. & tentat.] de dignitatibus eccleſiaſticis loquitur. FR. inde in utroque foro contentioſo per minus ultimus citationum *Peremptorius* dicitur; de quo quid ſit, & a quo fieri poſſet. Vide, cap. Et hinc Sanctus, poſt can. 6. §. De conventione, 24. quæſt. 3.

Perendino, continuare ſignificat [Nec vir immoderatæ atrocitatis a conſueta deſſiſtebat ferocia; ſed uſu quotidiano flagra perendinabat. In vita S. Pharaildis.

Pererarium. Vide *Pejerarium*.

Perfusio, purificationem, quam Sacerdos poſt communionem facere ſolet, ſignificat; ita Davantria in ejus M. S. cæremon.

Pergamena [Attalus membranas a Pergamo (*Civitate*) miſerat, ut penuria chartæ pellibus penſaretur, unde & pergamenarum nomen ad hunc uſque diem tradente ſibi invicem poſteritate, ſervatum eſt. D. Hieronym. in Apoph. lib. 14.

Pergula. Vide *Tranſcenna*.

Periapta, erant chartulæ, ſeu laminæ continentes characteres, ſigna, ſeu verba imperceptibilia, quæ hominum credulitas contra corporales infirmitates juvare putabat, *Amuleta* a Latinis appellata; cujus vocabuli etymon ex greco περίαπτον, ideſt, penſile dignoſcitur, quia ad collum pendentia portabantur; quam ſuperſtitionem Eccleſia, ac SS. Patres, ob ſalutem conſequendam, opera diabolica fere allatam, damnarunt. Vide *Pyctacium*.

Periarchon, titulus cujuſdam Origenis libri, græcum vocabulum περί ἀρχῶν, ideſt, *Juxta principia*, ſeu *De principiis*, qui liber falſo a Ruffino in latinum ſermonem traductus, Romamque allatus, multos Catholicos ejus falſitate deceperat; at fideliter deinde a D. Hieronymo translatus, errores prioris translationis detexit; ideo Anaſtaſii Papæ juſſu in Concilio Alaxandrino, in quo præſidebat Theophilus ejuſdem Sedis Patriarcha, Ruffini interpretatio damnata fuit. Vide *Attitulo*.

Peribolus. Vide *Perivolium*.

Periclitor. FR. pro deponor. Gloſſ. in can. de diverſis, 11. qu. 1.

Periclysis, περίκλυσις, veſtis limbus, ex græco verbo περικυκλῶ, quod circundare ſignificat [In Altari veſtem fecit de ſtauracio habentem periclyſim de blattis, ſeu chryſoclavo. Anaſtaſ. Biblioth. in Leone III.] Aliis tamen placet hanc dictionem deducere ex verbo περικλύζω, ideſt, fluctuo, quod melius germano ſenſui adaptari videtur [Fecit vela holoſerica majora, & minora, habentia periclyſim. Idem in eodem] ideſt, vela undatim configurata.

Periodeutes, περιοδευτής, Viſitator, eccleſiaſticum officium penes Græcos, quod officium in Concilio Laodicenſi inſtitutum fuit pro Villis, Terris, ac Caſtel-

ſtellis, in quibus ſtatuere Epiſcopos minime conveniret [ Periodeutæ nominantur, quod huc, illucque continendis in officio fidelibus vagantur, Zonaras [ Qui in Conſtantinopolitana Synodo *Viſitatores*, a Gregorio Theſſalonicenſe *Ambulatores*, & a Balſamone *Exarchi* dicuntur, quod poſtremum vocabulum eſt ad præſens in uſu penes græcam Eccleſiam, quæ *Exarchos* vocat viſitatores Diœceſium a Patriarcha miſſos, non ad reformandos mores ex antiquo inſtituto; ſed ad colligendos numos decimarum, & patriarcharum proventuum: nimis tamen aberrat Salmaſius, aſſerendo hujuſmodi officiales non ad ſpirituales viſitationes deputatos eſſe, ſed ut curarent tanquam Medici infirmos; vox enim græca non curatorem, ſed viſitatorem ſignificat, licet aliquando pro Medicis hoc vocabulum translative uſurpatum fuerit, ex eo quia illi infirmorum ſint viſitatores. Vide *Curioſus*.

Peripsema περίψημα, immunditia, & abjecta res, & proprie fæx metallica, ſive limatura interpretatur. [ Factus ſum omnium peripſema, 1. Cor. 4. ] Antiquo Gentilium ritui Apoſtolus alludit, in quo tempore peſtis, ſeu alterius univerſalis ærumnæ Neptuno hominem aliquem ſacrificare in mari, illum immergendo, ſolebant, ac dicebant: [ Eſto noſtrum peripſema ] ideſt, noſtrum purgamentum, ac ſalutaris victima. Suidas. Ita Paulus inſinuare intendebat in prædicta epiſtola, ac ſi eſſet pro omnium hominum maledictionibus victima in mundo habitus. Hoc eodem vocabulo uſus eſt S. Bonifacius Martyr epiſt. 74. ad ſignificandum vilis, ac neglectæ veſtis genus [ De noſtro quoque vili veſtitu parva hæc direximus tuo cultui, quamquam indigna: tamen petimus accommodanda, hoc eſt, tunicam laneam, ſicut eſt mos apud nos habendi, caligas, & peripſemata. ] Ubi de calciamentis intelligere videtur.

Periscelis. FR. περισκελίς, ornamentum muliebre circa crura; περὶ enim græce *circa* ſignificat, & σκέλος, ideſt, *crus*: ita Porphyrius in illud Horatii lib. 1. epiſt. ad Scævam.

Nota fero meretricis acumina, ſæpe catellam,
Sæpe periſcelidem raptam ſibi flentis.

& in Sac. Scriptura: [ Nos ſervi tui recenſuimus numerum pugnatorum, quos habuimus ſub manu noſtra, & ne unus quidem defuit. Ob hanc cauſam offerimus in donariis Domini ſinguli, quod in præda auri potuimus invenire, periſcelides, & armillas &c. Num. cap.31. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & diſcriminalia, & periſcelides &c. Iſai. cap. 3.

Perissocoregia, περισσοχορηγία, ſupererogatio, ex græcis dictionibus περισσός, ideſt, abundans, & χορηγία, nempe, erogatio: ſic donativa, quæ inter Milites ultra ſolitum ſalarium diſtribuebantur, appellata erant. Vide *Roga*.

Peristephanon, περὶ ςεφάνων, ideſt, de coronis, ſic ſuo hymnorum libro titulum appoſuit Prudentius, in quo de Sanctis Martyribus cecinit.

Perivolium, animalium, & ferarum venaticarum conſeptum [ Ducam te, inquit, in noſtrum perivolium ſatis magnum, montuoſum, fructuoſum, & omnino amœnum. Luitprand. in legatione ] ex græco vocab. περιβόλιον, quo uſus eſt Marculphus græcus auctor [ Hortus olerum & arborum, videlicet, paradiſus, & vulgo Perivolium dictum ] Antiquitus *Peribolus* appellabatur muri clauſura, quæ chorum Eccleſiæ circundabat, ubi Eccleſiaſtici pſallebant, quarum veſtigia in nonnullis antiquis Eccleſiis adhuc extant [ In primitiva Eccleſia peribolus, ideſt, paries, qui circuit chorum, non elevabatur, niſi uſque ad apodiationem. Durand. in rational. [ Vide *Paradiſus*. FR. Quo vocabulo Vulgata Biblia etiam utitur. [ Et peribolus exterior ſecundum gazophylacia, quæ erant in via atrii exterioris ante gazophylacia. Ezechiel. 42. Erat ſubter gazophylacia hæc introitus ab Oriente ingredientium in ea de atrio exteriori. In latitudine periboli atrii, quod erat contra viam orientalem, in faciem ædificii ſeparati &c. Ibidem. Et ſcripturam iſtam dixerunt ponere in tabulis æreis, & ponere eas in peribolo Sanctorum, in loco celebri, 1. Macab. cap. 14. ] LXX. tamen prædictum priorem Ezechielis locum legunt: [ Et limen exterius ſicut exedræ atrii exterioris reſpicientes contra exedras, quæ ad Aquilonem ] Secundum vero ejuſdem Prophetæ textum etiam ſic legunt: [ Et oſtia exedrarum iſtarum introitus, qui ad orientem, ut ingrediatur per eas ex atrio exteriori ſecundum limen hoc in principio deambulatorii ] Hebraica lectio ex Hieronymi interpr. eod. n. 9. [ Et erat ſubter gazophylacia hæc introitus ab oriente ingredientium in ea de atrio exteriori, in latitudine periboli atrii, quod erat contra viam orientalem in faciem ædificii ſeparari. ] Chaldaica autem paraphraſis habet in primo loco hanc translationem: [ Et paries exterior e regione gazophylaciorum ad viam atrii exterioris. ] In ſecundo vero Prophetæ loco: [ In latitudine autem parietis atrii in via orientali, quæ erant ante ſeptum, & quæ ante ædificium erant gazophylacia. ] Ubi clare videtur, quod per *Peribolum* LXX. *Limen* vertunt, & paraphraſis chaldaica *Murum* legit. Item *Gazophilacia* LXX. *Exedras* interpretantur. Exedræ autem, ut Calepinus advertit, dicuntur proprie quæ Stalla inter Religioſos appellantur, quod contra Hieronym. Fabrum in dict. *Cubiculum* tetigi ſupra.

Perizoma, περίζωμα, ſignificat cingulum, ſive brevis zona circa lumbos, uſque ad naturales partes tegens [ Cumque cognoviſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata. ] Vide *Cingulum*.

Perluceo, verbum tranſitivum, oculis collimare, & bene inſpicere ſignificans. [ Sua cæcus ad crimina, ad aliena errata perlucet. Chryſol. ſerm. 139.

Permitto. Vide *Non nego*.

Perones, & *Peronatus*. Vide *Hero*.

Perperam, quo adverbio uſus eſt Paulus. 1. Cor. 13. [ Charitas non agit perperam. ] Aliqui a dictione græca πέρπερος, derivare putant, quæ temerarium ſignificat, cum charitas non inordinate operetur. Stephanus vero Menochius in ejus ſtoreis centur. 4. c. 1. hoc vocabulum ex quadam fabula, a Nazianzeno relata originem habuiſſe putat, ubi dicitur, quod duo fratres Perperi appellati, cum ita audaces, ac temerarii eſſent, ut Herculi, dum dormiret, ejus arma furari auſi ſunt, is experrectus, ambos pedibus colligavit, & ad inſtar duorum pullorum ejus clava ſuper humeros impoſita ex pedibus ſuſpenſos ſecum detulit, hinc adagium provenit *Agere perperam*, ideſt, temerarie. Apoſtolus, inquam, per hoc vocabulum perperam ſignificare videtur, quod charitas procaciter non agat.

Perpetior, in ſignificatione paſſiva loco verbi toleror [ Ut cum delinquens, & deprehendi ſe cognoſcit, & perpeti. D. Gregorius Papa part. 2. cap. 10.

Persarmenia, FR. dicta eſt Armenia major. Sozom. lib. 5. c. 7. & Niceph. lib. 17. c. 37.

Persona. Vide *Hypoſtaſis*.

Persona Utilis. Vide *Utilis perſona*.

Personatus. FR. parochialis vicariatus, quia Vicarii tenentur perſonis, & Eccleſiæ ſervire. c. 2. & 3. de Officio Vicarii, & de election. & electi poteſt. c. 54. Ubi Gloſſa male interpretatur eſſe *Decanatum*. [ M. filius Antonii, qui proximo ante ipſius Eccleſiæ habuit perſonatum, de filiis presbyter. c. 13. ] quem perſonatum Vicariam ibi appellat. [ Et alii non legitime nati ad dignitates, & perſonatus, & beneficia, curam animarum habentia &c. ibidem c. 18. ] Imo Perſonatus eſt nomen genericum, quod omnes dignitates, ac beneficia habentia obligationem perſonaliter reſidendi comprehendit [ Decanis, Archidiaconis, Præpoſitis, Plebanis, cantoribus, & aliis clericis habentibus perſonatum, lib. 3. ſexti decr. tit. 24. c. 1. ] & clare in extrav. commun. de decimis [ Sed Eccleſiaſtica perſona, quæ in Eccleſia ſua, vel beneficio ( quod reſidentiam perſonalem requirit ) non reſidet &c. ] Item pro Beneficio, quod perſonalem reſidentiam requirat, de ætate, & qualit. ordinand. c. 3. [ Mandamus, ut quatenus nemini intra annum quartum decimum conſtituto perſonatum cujuslibet Eccleſiæ concedere præſumatis. Illud eſt omni ratione contrarium ] ideſt, clericus beneficiatus, qui in choro inſervire tenentur, & a capitulo eligitur [ Nec permiſſi duo Canonici ſic excludi, cum primus exiſteret in Canonicatus poſſeſſione, vel quaſi, habendo ſtallum in choro, locum in capitulo, legendo, cantando, ut Canonicus, & ad tractatus, ac electiones dignitatum, & perſonatuum, quæ occurrerunt pro tempore faciendæ, tamquam Canonicus ſit vocatus, de elect. & elect. poteſt. cap. 55. ] & Gloſſam in extrav. de præben. & dignit. c. execrabilis. Quid ſit dignitas, & perſonatus officium, & in quo differant ſecundum jus ſcriptum. Vide quod ſuper hoc notat Gulielmus de conſult. c. 1. lib. 6. Vel dic, quod iſta diſcernuntur ex inſtitutione, vel conſuetudine cujuslibet Eccleſiæ, nam dignitas in una aliquando eſt, in alia perſonatus, vel officium, & ſic Hoſtien. de præben. can. ne multa: officium tamen perſonatus providetur aliquando a Pontifice. [ Statuimus, ut Eccleſiæ dignitates, perſonatus, & beneficia, quæ apud ſedem &c. de præben. & dignit. in 6. cap. primo. ] Vide etiam Gloſſ. ibid. c. 6. §. Perſonatibus.

Pertractus, vitæ diuturnitas [ Quomodo quidam pertractum quemdam in ſæculo poſtulant? Tertull. de orat. cap. 5.

Pertusus. FR. foratus [ Qui mercedes congregavit, miſit eas in ſacculum pertuſum. Aggæus c. 1. ] Ubi Gregorius [ De pertuſo, quippe, ſacculo aliunde exit, quod aliunde immittitur, quia indiſcretæ mentes mercedem, quæ ex bono opere requiritur, non aſpiciunt, quomodo ex malo opere perdatur. In decreto Gratiani de pœnit. diſt. 4. can. 17. ] Vide *Diatreta*.

Petalurgos, πεταλουργός. FR. is, qui petala, ſive lamina extenuat. Quare Gloſſa in l. 1. de excuſ. art. erravit in ortographia, ac interpretatione hujus vocabuli, dum falſo ſcripſit, & expoſuit [ Petalargas rotulas in capitibus equorum, a pente, quod eſt quinque, & largas, ideſt, latas.

Petalum, lamina tenue extenſa, ex græco vocabulo πέταλον, quod folium ſignificat, ſic appellabatur lamina illa aurea, quam Summus Pontifex antiquæ legis in fronte gerebat [ Induatur fœminalibus lineis, tunica linea, tiara, petalo auro. Beda de Tabern. lib. 3. c. 9. ] De qua lamina cecinit Althelmus.

Aurea, ſeu fulva, quas ornant petala frontes.

De S. Joanne Evangeliſta Polycrates apud Euſebium hiſtor. lib. 3. c. 31. ſcripſerat [ His accedit Joannes, qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit, quique cũ eſſet Sacerdos Dei, Pontificale petalum geſtavit.

Petaminarius, & *Funambulo*, is qui ſuper funem ludens, pervolitat, ex græco vocabulo πέταμαι quod volare ſignificat [ Equidem, quia longum eſt dicere de omnibus amphitheatris, ſcilicet, odeis, luſoriis pompis, athletis, petaminariis, pantomimis, cæteriſque portentis, quæ piget dicere, quia piget mala talia vel noſſe; de ſolis circorum, ac theatrorum impuritatibus dico. Salian. lib. 3. de Gubern.

Petasma. Vide *Antipetaſma*.

Pes. FR. extenſorum menſura; varie penes diverſas nationes accipitur. Græci enim per pedis menſuram 16. digitorum intelligunt. Suidas in dict. πῆχυς. Pes autem Romanus continebat digitos 13. cum digiti triente. [ Pes Italicus, & Nicomedianus habet digitos XIII. cum digiti triente. Pes regius, & Ptolemaicus habet digitos XVI. & paleſtas quatuor. Ex Herone m. s. græce.

Pessimo. FR. verbum, perverto, in malum duco, pejoro. [ Quid mihi eſt opus, & quæ erunt mihi ex hoc bona? Ne dicas: ſufficiens mihi ſum: & quid ex hoc peſſimabor? Eccleſ. 11. 25. In ira flammæ devoretur, qui ſalvatur: & qui peſſimant plebem tuam, inveniant per-

perditionem. Ibid. 36. 11. Ne dederis in triſtitia cor tuum,ſed repelle eam a te,& memento noviſſimorum, noli oblivisci: neque enim eſt converſio, & huic nihil proderis, & te ipſum peſſimabis. Ibid. 38. 21.

Pessulus.FR. inſtrumentum,quo portæ clauduntur,Romæ dicitur *Catenaccio* [ Peſſulum oſtii mei aperui Cant. 5. 6.

Petasus. Vide *Campana*.

Petia, fragmentum, fruſtum. [ Rete totum ex gemmis albaveris, & bullis aureis, concluſas etiam auri petias in ſe habens ſmaltitas, & amendulas aureas undecim, & gemmas chryſoclavas decem ſuper Altare pendere juſſit. Anaſtaſ. Bibl. in Benedicto III. ] FR. Item terræ petia in contractibus ſignificat parvam terræ poſſeſſionem.

Petiliani. FR. Hæretici, a quodam Petiliano ita appellati, qui docebat malorum immunditias contagione bonos, ac mundos non inficere: & impios Sacerdotes nec conſecrare, neque ullum ſacramentum valide conferre poſſe. Gloſſ. in can. Dominus declaravit, 1. quæſt. 1.

Petitum Pascha. Vide *Capitilavium*.

Petoritum, & *Pettoritum*. FR. vehiculi genus unde Auſon. epiſt. 6. cecinit:

Invenies præſto ſubjuncta petorita mulis;

& ep. 11. ad Axium Paulum:

Cornipedes rapiant impoſita petorita mulis.

Erat petoritum vehiculum quatuor rotarum, Alex. lib. 2. Genial. c. 30. de cujus nominis etymologia diſputat Gellius lib. 15. cap. 30. & mentionem facit Quintil. lib. 1. cap. 9. & Horat. lib. 1. ſer. ſat. 6. ait:

——————— atque caballi
Paſcendi: ducendi petorita; nunc mihi curto
Ire licet mulo.

Sed Calepinus ex ſententia Hadriani Junii duplici R ſcribendum contendit.

Petra, ideſt, terminus, falſum numen. Vide *Facularum accenſores*.

Petra Scelerata, locus Romæ. Vide Baron. ann. 192. n. 4. & 5.

Petrobolus, πετροβόλος, ideſt, projector lapidum. [ Legimus enim in Ezechiele Propheta parietem dealbatum, cui Deus comminatus eſt tempeſtatem, pluviam, & lapides petrobolos. Optatus Milevit. l. 3. ] ſignificans lapides pergrandes, qui percuſſione damnificant, quod ex eodem Propheta colligitur, dum ait cap. 13. ab Optato citato [ Et lapides grandes in ira in conſumptionem.

Petrones. Vide *Rupex*.

Petrus Apostolus. Vide *Bar-jona*. Totius Eccleſiæ caput. Vide *Cephal, Cephas*. Cujus caput in contemptum abraſum fuit. Vide *Garrhara*. Quando primam Miſſam celebraverit. Vide *Pentecoſtes*. Feſtum ejus Cathedræ. Vide *Feſtum epularum*. Ejus feſtum ad Vincula. Vide *Gula Auguſti*, *Baja*. Petri, & Pauli ſancta inter ſe æmulatio. Vide *Diſtrictio*. Fundavit Epiſcopatus per orbem, ac ejus primaria dignitas. Vide *Primas*. Ejus materialis cathedra. Vide *Sella geſtatoria Apoſtolica*. Ejus Cathedra poteſtativa. Vide *Sedes Apoſtolica*. Vide *Trinomius*. Ejus miracula. Vide *Umbilicus*. Ejus Romæ Templum. Vide *Vaticana Baſilica*.

Petrus Gulielmus, primus vitarum Rom. Pontificum Scriptor. Vide *Palea*.

Pettalo-rinitæ. Hæretici. Vide *Traſcordurgitæ*.

Petulantia. FR. ideſt, laſcivia. Gloſſa in can. Aut facta, de pœnit. diſt. 1.

Phaderphium. Donum poſt mephium, ſeu donum propter nuptias, l. ſi Pater filiam 2. de ſucceſſion. Item Phalderphium, dos, l. ſi Maritus, de homicid. hominis liberi.

Phagedæna, φαγέδαινα, ulcus, quod carnem rodit, ut nomen ipſum græcum ſonat [ Hanc gravis tenebat morbus, ac curatu difficilis, phagedænam appellare conſueverunt Medici, in Vita S. Lucæ Thaumaturgi.

Phagolidorus, eleemoſynarius, ex græcis dictionibus φαγύλιον, ideſt, marſupium, & δῶρον, nempe donum [ Hortamur in Domino, ne noſtra ſpernantur a phagolidoris dicta; ſed potius præopimas regni cœlorum gratias reddant. Etheluverdus in prolog. lib. 2. chron. ] Ex hoc vocabulo corrupte Iſidorus *Phuculla* in ſignificatione marſupii ſcripſerat.

Phalderphium. Vide *Phalderphium*.

Phanerosis, φανέρωσις, revelatio, manifeſtatio [ Poſtea vero immane proſtribulum, & ipſum, cujus energemmate circumventus, quæ ab ea didicit, phaneroſei ſcripſit. Tertullian. adverſ. hæret. cap. 30. ] Ubi de Philomena muliere a Marcione hæreſiarcha ſtuprata loquitur, quam is pro Propheteſſa habebat. Vide *Energema*, *Oſtentamen*.

Phantasia. FR. falſa ſententia. Gloſſa in c. 1. Extrav. Jo. XXII. de verbor. ſignif.

Phantasma. Vide *Biothanatus*, *Orama*.

Phantasiastæ, Hæretici. Vide *Aphthartodocitæ*.

Pharisæus, vox hebraica *Pharuſc*, quæ ſegregatum ſignificat; ſive a *Pharuſch*, quæ etiam hebraice declaratorem denotat: Phariſæi enim ſeparate ab aliis Iſraelitis vivebant, vitamque ſanctiorem profitebantur, apparenter tamen, quæ a Joſepho Hebræo ſatis deſcribitur. Declaratores item interpretantur, quia legem divinam declarabant. FR. Alii Phariſæorum nomen a dictione hebraica *Paras* deducunt, quæ frangere, ſeparare, ac dividere ſignificat; hinc *Paris* latronem appellant, quia deſtruit, & aufert: Chaldæus enim *Pereſim*, & *Periſiai* Phariſæum vocat, & Hebræi communiter *Peruſim* pro Phariſæo legunt. In Matth. enim cap. 21. ubi Chriſtus dixerat: [ Scriptum eſt: Domus mea, Domus orationis eſt, vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum: [ hoc etiam in Jeremia cap. 7. ſcriptum eſt, qui ſic inquit: [ Nunquid ergo ſpelunca latronum facta eſt Domus iſta, in qua invocatum eſt nomen meum in oculis veſtris? ] & Hebræa lectio habet: *Ha meara Periſim*, ideſt, *Nunquid ſpelunca Periſin*, ideſt, *Latronum &c.* Quare

inter

inter latrones, & Phariſæos, idem etymon inditum fuit, quia Phariſæos ab infrangendis, & perturbandis legibus, ita appellatos fuiſſe ex Joſepho Hebræo lib. 13. antiq. cap. 18. arguitur, ubi ſic de illis loquitur: [ Viguit in Judæa ſecta quædam, & factio quorundam hominum, qui propter religioſum vivendi modum, quem obſervabant, tantæ erat apud plebejos auctoritatis, ut quidquid ad divinum cultum, & ſolemnes precationes ſpectaret, juxta eorum reſponſa, & interpretationem fieret; imo Pontifex Hyrcanus, alioquin populo ſuo gratiſſimus, inde cœpit populo ſuo diſplicere, quod ipſe, & frater ejus Phariſæis infeſti eſſent. ] Et ita concludit: [ Tanta eſt eorum auctoritas apud populum, ut etiam ſi Regi obloquerentur, aut Pontifici, fidem tamen vulgus in eis haberet, ] & lib. 17. cap. 3. [ Genus hominum aſtutum, arrogans, & interdum Regibus quoque infeſtum, ut & jam eos impugnare non vereantur. ] Alii tamen malunt, quod *Paras* hebraice dividere, & *Paris* latronem ſignificet :||: Quando autem cœperat inter Hebræos hæc ſecta, ſunt variæ opiniones. Nicolaus Serrarius tempore Jonathæ Machabæi, ſcilicet, centum, & triginta annis ante Chriſti adventum initium habuiſſe ait. D. vero Hieronymus in cap. 8. Iſai. Auctores hujus ſectæ Sammai, & Hilliel facit. FR. ſic enim loco citato inquit S. Doctor: [ Sammai, & Hellicl, ex quibus orti ſunt Scribæ, & Phariſæi, quorum ſuſcepit ſcholam Akibas, quem magiſtrum Aquilæ Proſelyti autumant &c. Sammai igitur, & Hilliel non multo prius, quam Dominus naſceretur, orti ſunt in Judæa, quorum primus diſſipator interpretatur, ſequens profanus, eo quod per traditiones, & δευτερώσεις ſuas, legis præcepta diſſipaverint, atque maculaverint. [ En quomodo Phariſæi Pariſim, ideſt, diſſipatores, & violatores potius ſint appellandi. *Deuteroſis* autem ſignificat ſecundam ordinationem poſt legem ſcriptam. Sed hæc Hieronymi opinio non videtur ſubſiſtere, primo quia Hillielem Simeonis, qui infantem Chriſtum circumciderat, patrem fuiſſe creditur. Inſuper ex Joſepho hebræo conſtat ſectam Scribarum, & Phariſæorum multo ante Chriſti adventum (nempe, centum & quadraginta annis ante Salvatorem) extitiſſe inter Hebræos, lib. 13. antiq. cap. 8. & 9. dum tempore Jonathæ Machabæi de eis mentionem facit. Secundo patet Hieronymi aſſertionis implicantia, quia ait, fuiſſe inſtitutores phariſaicæ ſectæ Sammai, & Hilliel, quorum ſuſcepit ſcholam Akibas Aquilæ proſelyti Magiſter; ſed Aquilam proſelytum per centum annos poſt Chriſtum in fatis fuiſſe Sanctus Epiphanius lib. de menſuris, & ponder. affirmat, nimirum, tempore Adriani Imperatoris, quod optime advertit in notis ad epiſt. 101. D. Hieronymi ad Pammachium, de optimo genere interpretandi Marius Victorius. Atque Proſelytus dicebatur Aquila, quia ab Eccleſia propter aſtrologiæ ſtudium projectus fuerat: inde Judæus factus eſt, & negato Chriſto, circumcidi paſſus eſt. Inter Phariſæos ex quacunque Tribu admittebantur, dummodo fuiſſent origine, vel virtute nobiles: [ Primarii quidem erant, & quaſi ad nobilitatem Judaicam ſegregati, non contemptibili plebi commixti, qui dicebantur Phariſæi. D. Aug. ſerm. 15. de Verb. Dom. ] Quod probatur in perſona D. Pauli, qui licet non fuiſſet nobilis de Davidica familia; nam de Tribu Benjamin erat; tamen ipſum hanc profeſſum fuiſſe ad Philippenſ. c. 3. ſcribens affirmat: [ Ex genere Iſrael de Tribu Benjamin hebræus, ſecundum legem Phariſæus. ] Quæ ſecta in ſui initio rectis principiis erecta erat, ut Epiphanius teſtatur; ideo idem Paulus illam exaltans inquit: [ Secundum certiſſimam ſectam noſtræ religionis vixi Phariſæus. Actor. 26. ] Sed temporis progreſſu in varia vitia relaxata eſt, in hypocriſim præcipue, unde dicebat illis Jeſus: [ Væ vobis Scribæ, & Phariſæi, quia comeditis domus viduarum, orationes longas orantes, propter hoc amplius accipietis judicium. Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum proſelytum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo, quam vos, Matth. c. 23. ] Relaxata item hæc ſecta in pleriſque ſuperſtitionibus fuit, ut ex ore Veritatis comprobatur dicentis. [ Væ vobis duces cæci, qui dicitis: quicumque juraverit per templum, nihil eſt: qui autem juraverit in auro templi, debet. Stulti, & cæci! quid enim majus eſt aurum, an templum, quod ſanctificat aurum? Et quicumque juraverit in Altari nihil eſt; quicumque autem juraverit in dono, quod eſt ſuper illud, debet. Cæci! quid enim majus eſt, donum, an Altare, quod ſanctificat donum ] &c. Ibidem. ] Omnia ex fato accidere docebant, ut S. Epiphanius refert: & liberum arbitrium in homine negabant. Reliqua eorum vitia. Vide apud Baron. in Apparatu num. 8. 9. & 10. Item an. 1. n. 61. an. 2. an. 31. n. 2. uſque ad 78. ann. 32. n. 29. an. 33. n. 14. & 35. ann. 34. n. 10. & 11. an. 57. n. 69. an. 58. n. 151. & ann. 60. n. 16. Item. Vide hic *Pallium* prope fin. *Phylacterium*. Phariſæi credebant ſydera eſſe animata. Baron. an. 60.

PHARAO. FR. interpretatur diſſipans, D. Hieronym. quo vocabulo Ægyptiorum omnes Reges a primo Pharaone Rege ita denominati ſunt. Joſeph. Hebr. lib. 8. Antiq. cap. 8.

PHARUS, φάρος, lampas in turris ſummitate ad præbendum nautis ſignum tempore nocturno poſita, quæ communiter *Lanterna* dicitur. Aliquando lampadem in Eccleſiis appenſam ſignificat. [ Pharum ex auro puriſſimo. Anaſt. in Sylveſtro. Pharum cantharum argenteum ſedentem in pedibus quatuor, in quo lucerna ſimul, & cerei ponebantur, juxta lectorium &c. fecit. Idem in Benedicto III. [ Vide *Bacca*, *Butto*, *Cicindela*.

PHASIANUM, avis. Vide *Tetrao*.

PHELONIUM, φελόνιον, Caſula ſacerdotalis: [ Ferens conſuetam ſibi tuniculam, & phelonium ſupra eam. Codinus de Offic. Eccl. Conſtantinop. ] ſic etiam S. Ger-

Germanus, & Simon Theſſalonicen. ſacrorum indumentorum ſignificata explicantes ajunt: [ Phelonium oſtendit purpuram coccineam. ] Vide *Caſula*.

Pheronymus, dicitur ille, cujus nomen factis & moribus correſpondet, ex græco φερώνυμος, ideſt, ſecum ferens nomen; ſic D. Hieronymus epiſt. 154. ad Deſiderium ſcribens, oſtendit illius ſororem Serenillam nomine, in moribus ſerenæ mentis fuiſſe: [ Gratulor tibi, & ſanctæ, atque venerabili ſorori tuæ Serenillæ, quæ pheronymos, calcatis fluctibus ſæculi, ad Chriſti tranquilla pervenit. ] Vide *Nicolaus*.

Pheu, ex græco vocabulo φεῦ acclamationis nota apud Tertullianum, in lib. contra Valent. Irenæum, lib. 1. cap. 5. Epiphanium, aliosque Scriptores.

Phiala, φιάλη poculum ad vinum, aut ad alios liquores continendos.

Philacterium. Vide *Phylacterium*.

Philargyria, avaritia, ex græco φιλαργυρία, ideſt, amor argenti, de quo vocab. paſſim penes Sanctos Patres.

Philargyrus, φιλάργυρος, avarus.

Philautia, φιλαυτία, amor ſui. [ Philautia evulſa Principe, & matre, ut dixi, vitiorum, omnia, quæ ex ipſa, & poſt ipſam ſequuntur, extirpari ſolent. S. Maximus de virtut. & vitiis. Centur. 1. cap. 33.

Philisthæi. FR. pop. qui a D. Hieronymo *Conſperſo cinere* interpretantur; ſed D. Ambroſius in lib. adverſ. Hebr. inquit, Philiſthæos Allophylos græce, & latine alienigenas interpretari; nam ἄλλο ſignificat, *aliud*, & φῦλον, genus: qui & *Palæſtini* dicuntur mutato φ in π, ut teſtantur Hieronymus, ſicut *Phœnices* Punici dicti ſunt. Vide *Allophylus*, *Palæſtini*.

Philocaptus, amore captus. [ Ut ſe unire poſſit illi, qui eam philocaptam ſui fecit. In vita S. Franciſcæ Romanæ. ] Eodem vocabulo utitur Joannes Gerſon Pariſen. Cancellarius in Orat. de Spiritu Sancto, habita coram Patribus Concil. Baſileæ.

Philocompicus, φιλοκομπικός, faſti amicus, ſuperbus. [ Ne a Lectore philocompica notet infamia. In vita S. Valburgis Virg.] Vide *Faſtigiatiſſimus*. Item jactantiæ amator interpretatur.

Philochrista, lenitatis dilectio, manſuetudo, ex græco vocabulo φιλοχρηςία, [ Pietas quoque in illo, philochriſtia, juſtitia, gratitudo, ſtudiumque in pauperes commendabatur. Georg. Logotheta in Chronica Conſtantinop. ] Vide *Mititas*.

Philopompus, φιλόπομπος, pompæ amicus. Vide *Pompolentus*.

Philosophia, φιλοσοφία. FR. penes Eccl. Scriptores Evangelium intelligitur non raro: [ Si enim philoſophia profitetur continentiam, & linguæ, & ventris, & eorum, quæ ſunt ſub ventrem, & eſt propter ſe eligenda; multo videbitur venerabilior, & præſtantior, ſi exerceatur propter Dei honorem, & cogitationem. Clem. Alexandr. lib. 1. Strom. ] Quare S. Proclus Conſtantinop. Patriarcha, ſer. 17. de S. Stephano, illum in philoſophia Petrum, Jacobũ, ac Joannem Apoſtolos exceſſiſſe ait, ideſt, in Evangelii doctrina, quia juxta Evangelicam doctrinam pro perſequutoribus rogaverat: nam, ut inquit Iſidor. Peluſ. lib. 2. ep. 288. [ Evangelium vero cohortatio eſt ad philoſophiam, quippe quod proborum virorum cupiditatem non tam metu, quam promiſſis erigat. ] Ac idem, lib. 1. ep. 96. quid ſit philoſophia declarans, inquit: [ Neque aliud quidquam eſt philoſophia, quam ſapientiam omnino amare. Quamobrem ſi tu verus ſapientiæ amator eſſe cupis, veram ſapientiam ama, quæ non ſermonem dumtaxat, ſed etiam vitam exornat, ac veram religionem docet] Et econtra Philoſophia dicitur hæreſis. Vide *Hæreſis*.

Philosophus, φιλοσοφος. Philoſophorum doctrina quomodo utendum. Vide *Pantologia*, *Sophiſta*.

Pholidotus, & *Pholidoticus*, φολιδωτής. Squamoſus; ſic miles loricatus appellabatur. Lipſius, lib. 3. Dialog. 4. De quo vocabulo fit mentio in Martyrol. Hiſpanico ſub die 11. Mart. ubi de S. Petro Eremita agitur, his verbis: [ Taliter ſe in ipſo præbuit acerrimus, & ſtrenuus pholidoticus miles.

Phollis, moneta. Vide *Folleralis*.

Photiani, & *Photiniani* Hæretici. Vide *Ebionitæ*. *Homuncioniſtæ*.

Phratria. FR. Conjuratio, conſpiratio: [ Conjurationum, & conſpirationem crimen, quod apud Græcos dicitur φρατρεία. Can. conjurationum. 11. quæſt. 1.

Phrisum. FR. ornamentum in veſtibus, & ſimilibus, quod Itali *Freggio*, *Guarnimento*, & *Ornamento* dicunt. Planetam purpuream cum phriſo, & cum aquila e margaritis contexta. Chron. Caſinen. lib. 3. cap. 58.

Phrontisterium, φροντιστήριον, ideſt, contemplationis manſio, pro Monaſterio uſurpatur: [ Jam immolavit in phrontiſterio, in vita S. Phileæ Mart.

Phrygium. Vide *Mitra*.

Phuculla. Vide *Phagolidorus*.

Phylacterium, φυλακτήριον, ideſt, Conſervatorium, & erat quædam chartula, quæ divinas ordinationes continebat, & in frontibus Hebræorum, & in eorum ſiniſtro brachio ligabantur, ſic adimplere credentes ea, quæ Deus in Deuteron. cap. 6. præceperat, dicens: [ Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque conſurgens. Et ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos, ſcribeſque in ea limine, & oſtiis domus tuæ. ] Scribæ autem, & Phariſæi, tanquam doctiores, & peritiores in divinarum legum notitia, oſtentationis gratia, has chartulas in faſciis auro contextis imponebant, magiſque dilatatas ferebant; ideo a Chriſto Domino increpabantur, dum ajebat: [ Dilatant enim phylacteria, & magnificant fimbrias. Matth. 23.] quod notat Epiphanius, lib. 1. hæreſ. 5. Item *Phylacteria* erant aliquæ chartulæ, ut Chryſoſtomus refert, quæ ab Hebræis ad collum contra infirmitates ferebantur pendentes. FR. hujuſmodi phylacterium erat etiam ſu-

ſuperſtitio ligula ex ſerico, ſeu alia trama contexta, quæ Romæ hodie corrupto vocabulo *Fetuccia* dicitur, & in utraque Sicilia *Zagarela* vocatur. [ Dicunt ſe vidiſſe ( *ideſt*, *Romæ Ultramontani* ) ibi mulieres pagano ritu phylacteria, & ligaturas in brachiis, & in cruribus ligatas habere, & publice ad vendendum, venales ad comparandum aliis offerre. Bonifacius Epiſc. in epiſt. ad Zachariam Papam, tom. 3. Concilior. pag. 429. col. 2. edit. Venetæ de an. 1585.] Quæ tamen prohibita fuere in principio ſui Pontificatus, ut narrat idem Zacharias Papa in epiſt. ad d. Bonifacium in eodem tom. Concilior. inquiens: ] De calendis vero Januarii, vel cæteris auguriis, & incantationibus, vel aliis diverſis obſervationibus, quæ gentili more obſervare dixiſti apud B. Petrum Apoſtolum, vel in Urbe Roma &c. a die, qua nos juſſit divina Clementia ( quamquam immeriti exiſtamus) Apoſtoli vicem gerere, illico omnia hæc amputavimus. ] Ubi dictio *Vel* ſtat pro *Et*. Quare exiſtimo non Gregorii Junioris, ut ait Gratianus, ſed Zachariæ eſſe illud decretum: [ Si quis ariolos, haruſpices, vel incantatores obſervaverit, aut phylacteriis eorum uſus fuerit, anathema ſit, can. ſi quis ariolos, 26. q. 5. ] Quæ ſuperſtitio nedum Romæ, ſed alibi quoque fiebat; nam in Concil. Laodicen. cap. 30. quod eſt in can. Non oportet, 26. quæſt. 5. prohibentur, ubi ſic habetur: [Non oportet ſacris officiis deditos Clericos, magos, aut incantatores exiſtere, aut facere phylacteria, quæ animarum ſuarum vincula probantur; eos autem, qui talibus rebus utuntur, projici ab Eccleſia juſſimus ] : ||: Hæc phylacteria ab Hebræis *Tefilim* appellantur, & ex vitulino corio conficiuntur in forma quatuor dentium diviſim conſuto, in quibus diviſionibus inſeruntur Decalogi præcepta, & ad frontem ipſi Judæi corrigias ex corio, ſeu loro alligant, quæ deinde ad verticem revoluta, uſque ad talos pendent. Phylacteria vero, quæ ad brachium ſiniſtrum illi deferunt, etiam loro conſtringunt. Fimbriæ autem, de quibus in Matthæo ſupra fit mentio, ſunt quatuor lanea fila ex quatuor angulis lintei quadrati pendentia, quod linteum ſuper humeros ferunt in eorum precationibus iidem Hebræi. Inſuper illa fila debent octo fila lanea cum quinque nodis continere ab ipſis *Zizit* appellatis, quod irreprehenſibile eſſet, ſi verba ſacra fuerint, & abſque ſuperſtitionis commixtione. Item inter Catholicos *Phylacterium* pro reliquiario uſurpatur: [ Phylacteria tenui argento fabricata, vilique panno de collo ſuſpenſa. Jo. Diacon. in epiſt. ad Carol.] Idem vocabulum in hac ſignificatione apud D. Greg. reperitur, cujus verba poſuimus in dict. *Evangelium*. Vide etiam *Encolpium*. FR. Phylacterium nomen ex græco verbum, φυλάττω, quod cuſtodire ſignificat. D. Hieronymus *Pictaciola* vocat quaſdam tabellas, in quibus res memorabiles notantur, fortaſſe ad ſimilitudinem tabellarum Orientalium, quas gypſo liniunt, & ibi ſcribunt, delentque charateres, & ibi ſolent pueris alphabetum delineare, quæ tabellæ albæ ſunt, quare inquit S. Doctor Pictaciola, ideſt, albas tabellulas. In Evangelio autem, quod ſub nomine Matthæi hebraice circumfertur, ubi nos legimus *Dilatant phylacteria*, in dicto hebraico textu habetur *Thoſaphot*, quod Rabbini *Thephilin* legunt; forſan a *Thephil*, quod puerum, vel puerile ſignificat; nam ſicut matres ſolent pueris filum in digito pro aliqua recordatione alligare, ſic Deus verba legalia in brachio colligare juſſerat pro eorum recordatione, dum inquit. [ Suſpendite ea pro ſigno in manibus veſtris, & inter oculos veſtros collocate. Docete filios veſtros, ut illa meditentur &c. Deuteron. cap. 11. ] Nam, ut Chryſoſtomus notavit, hæc Dei ordinatio Hebræis facta fuerat, quia circa divina præcepta ſunt illi memoriæ labilis. Cæterum ridicula eſt quidem Talmudis expoſitio in dict. cap. 11. Deuteronomii.] Sic enim ibi inepte commentantur: [ Toſaphot, ſive Tephilin, hoc eſt phylacteria, & conſervatoria, ſunt membranulæ, in quibus ſcribuntur ſententiæ quædam biblicæ, & neceſſe eſt, ut fiant de jumento, aut ferá munda &c.

PHYSICA, φυσικὴ, Eccleſiaſticis prohibita. FR. Medicina intelligitur in ſex. decretal. lib. 3. tit. 24. cap. 1. & 2. Ibi Gloſſa.

PHYSIOLOGIA. Vide in dict. *Pantologia*.

PIA AVIS, Ciconia. [ Novit hirundo, quando revertatur; novit etiam pia avis annunciare adventus ſui teſtimonio veris initium. D. Ambroſ. lib. 6. Hexam. ] Pia avis dicitur, ex officiis pietatis erga ejus genitores: [Aves non erubeſcunt reverendi ſenis membra portare. Eſt enim vectura pietatis, quod eo uſque percrebuit, ut congrue mercedem remunerationis invenerit. Nam Romanorum uſu pia avis vocatur, & quod vix uni Imperatori conſulto ſenatu delatum dicitur, iſtæ hoc aves in commune meruerunt. Ibid. lib. 5.

PIACULARE FLAGITIUM. FR. pœnam purgabilem ſignificat. [ Qui prius comiſerit hoc piaculare flagitium, can. quiſquis per pecuniam. 1. quæſt. 1.

PICRIS, *amarago*, FR. Græca dictio πικρὶς, una ex tribus lactucæ generibus penes antiquos, quæ amariſſima eſt: ubi enim in vulgata legimus, [ Et edent carnes nocte illa aſſas igni, & azymos panes cum lactucis agreſtibus, Exod. 12. 8. ] LXX. ἐπὶ πικρίδων legunt. Vaticana autem translatio habet: [ Et azyma ſuper picrides comedent. [ Fortaſſe *Cum picridibus*, quia ſimul cum carnibus comedebantur picrides. Sanctus enim Cyprianus *Cum picridibus* legit: habemus enim in vulgata: [ Cum azymis, & lactucis agreſtib. comedent illud, Num. 9. 11.] ibique πικρίδων habent LXX De qua lactucæ ſpecie ita Plinius, lib. 19. c. 8. ſcripſerat: [ Lactucæ Græci tria fecere genera: unum lati caulis, alterum rotundi caulis; peſſimum autem genus cum exprobationem amaritudinis appellavere picrida, ] &, lib. 21. cap. 17. [ Amara, & aphace, & quæ picris nominatur, nomen ei amaritudo impoſuit. ] Ex quo colligitur hoc vocabulum *Picris* amaritudinem ſignificare abſolute; ideo D. Ambroſius abſoluto vocabulo hujuſmodi lactucam *Amaritudinem* appellavit,

vit, inquiens: [ Cum lex dicat Paſcha edendum cum amaritudine, lib. de Paſchal. celebrat. ] Ac idem clarius ſer. Dom. vi. poſt Epiphan. ait: [ Cum Paſchæ illis celebrandæ ſacramenta diſponeret, ait: Manducabitis illud cum amaritudine. Non enim ( ſicut illi putant ) juſſit herbarum vilium acerrimos ſuccos cum aſſis agni carnibus manducari, ſed Chriſti mandatorum amaros ſermones &c. ] Item ubi vulgata legit: [ Uva fellis, & botri amariſſimi. Deuter. 32. 32. ] *Βότρυς πικρίας* LXX. habent.

PICTACULA, & *Pictaciola*. Vide *Phylacterium*. *Pictaciolus*.

PICTORUM abuſus. Vide *Clavatum. Icona*.

PIETAS. Vide *Euſebia*.

PIGNERA, pro *Pignora*. Greg. Turonen. lib. 10. c. ult. de Sanctorum corporibus loquens: [ Nacti enim ſumus & alios lapides ita, ut hic erat, concavos, in quibus ſanctorum Apoſtolorum, & reliquorum Martyrum pignera continebantur. ] Eadem orthographia Flodoardus paſſim uſus fuit: [ Dum Clerici jam cum Patroni ſui pigneribus ad Civitatem confugiſſent, lib. 1. c. 2. ] Pignoribus ſynonyma. V. *Guadio. Inguadio*.

PIGNUS SENILE, ideſt, Iſaac. Vide *Senile pignus*.

PIGRITOR. FR. verbum paſſivum ab activo *Pigro, as*, apud Accium, ſed obſoletum; ſignificat negligi, morari, ac tardari. [ Quod vero me in medio eorum, quæ dicta ſunt, latuit, dicere non pigritabor. Anaſtaſii Apocriſarii epiſt. ad Theodoſium in Collectan. Anaſtaſii Biblioth. per Sirmondum in 8. edit. pag. 205. ] Et ibidem pag. 39. ] Apoſtolicam Sedem mentiri, temere pigritati ſunt.

PIGRUS. Vide *Epiurus*.

PILEUS. FR. capitis indumentum, a Magnatibus introductus, atque ephebis interdictus: [ De capitis porro tegumento apud ſuperiores Imperatores moris erat, ut ætate provectiores aulici proceres pileis turbinatis uterentur ſerico tectis pro dignitate cujuſque, adoleſcentes vero prorſus omnes nudis eſſent capitibus. Illo vero Imperatore is mos uſque adeo obſolevit, ut omnes ſimul adoleſcentes, & ſenes pileis uterentur, non minus in Palatio, quam in agris, iiſque multiformibus, & peregrinis, & quales cuique probabantur, alii latinis, & phœniciis ſuo cuique arbitratu: eodem more in veſtibus uſi ſunt, ut prudentiores novitatem aliquam, & deſtructionem imperii, & finem inſtitutorum divinarent. Niceph. Gregor. hiſtor. lib. 11. ] De græco Imperio loquitur, ut in quo Turcæ intruſi ex hoc vaticinio edocti, numquam indumentorum formam variari patiuntur. Ubi autem ait *Pileis turbinatis* id indumentum capitis intelligit, quod Italice corrupte *Turbante* dicitur, quo hodie Orientales utuntur, involucrum, ſcilicet, ex tenuiſſima tela, de quo dictum fuit in d. *Niblatus*. Pileus rubrus Cardinalitius. Vide *Cardinalis*. *Galerus*. Pileus Magnatum a Papa benedictus. Vide *Lectio*. Cæterum Pilei ſynonyma. Vide *Calyptra*. *Cricnia*. *Diadema*. *Hura*. *Niblatus*.

PILLERIUS, Dignitas inter Equites Melitenſes, & vulgo *Piliere* dicitur, eſtque primus in ejus natione, ſive (ut ajunt) lingua ex gallico vocabulo *Pilier*, ideſt, Pila; ita denominantur in tali dignitate conſtituti, quia ex numero nationum octo ſunt, quaſi ejuſdem Militiæ columnæ.

PILOSIOTÆ. FR. ſic ab Origeniſtis appellati ſunt Catholici, quia fatentur, quod in die Judicii omnes homines cum eiſdem prioribus pilis reſurrecturi ſint. D. Hieron. epiſt. 61. ad Pammach.

PINACOTHECA. Vide *Votarea*.

PINNÆ funiculo alligatæ, quibus capiebantur feræ. Vide *Formido*.

PINSINOCHIUM, locus, ſive officina piſtrinæ. [ Iſte hanc Eccleſiam, cæteraque ædificia præter piſtrinam, & pinſinochium ædificavit. In vita Pauli Abb.

* PIPA. Fiſtula qua Sanguis Domini a Calice hauritur videantur aub. Mirocus & Dufreſnius.

PIOPOLA. Vide *Pipeus*.

PIPERAMENTUM, aroma ad comeſtibilia condienda. [ Accipe oſſitium, & oſſibus ejectis, cum piperamentis præpara. Cæſar. lib. 6. c. 5.

PIPEUS. FR. populus arbor. [ Adque ( *pro atque* ) tertia pars de pipeis, quod exeunt de ripa Gubernulo. Bull. Caſin. tom. 2. Conſtit. 73. ] Dicitur etiam *Piopola*. Ibid. Conſtit. 123. [ Quod eſt juxta arborem piopolæ deſignatæ.

PIRACTIUM. Vide *Piraticum*.

PIRATA. Vide *Epibates*.

PRIRATERIUM, piratica deprædatio, ex græco *πειρατήριον*, quod ſignificat etiam ipſammet piratarum navem. [Piraterium eſt vita hominis ſuper terram. Ambroſ. Serm. 42.

PIRATICIA. Vide *Paratitlum*.

PIRATICUM, ſeu potius *Pyracticum*, potus ex mulſione pyrorum confectus. [ Paulus in mari panem frangit, non caricas; Timotheo dolenti ſtomachum, vinum ſuadet bibere, non piraticum. D. Hieron. lib. 2. adverſ. Jovin. ] Legitur etiam *Piractium* in eadem ſignificatione. [ Cupimus cum fratre memorato redire, ut piractio, quo unice delectantur, ( nam hoc anno penuria vini timetur ) vobiſcum fruantur. B. Servat. Lupus Abb. epiſt. 199.

PISARIA, Campus, in quo piſa ſeruntur. In lege Salica, tit. 7.

PISCARIA. FR. locus ad piſcandum accommodatus. [ De ſtagno, & piſcariis decima ſic ſolvitur &c. ] & inferius: [ De piſcariis autem fluminum, & lacuum. & venationibus, ſi vendantur &c. Extrav. de Decimis.

PISCINA. Vide *Probatica*. *Siloe*. Item piſcina in Ciſtercienſium Rituali ſignificat ſacrarium, in quo projiciuntur res ſacræ, quæ non poſſunt amplius inſervire: [ Sacriſta ſuper piſcinam comburit, ejuſque cineres in eam projicit cap. 22. ] FR. a Græcis *κάμινος ἅγιος*, ideſt, furnus ſanctus dicitur, quia in eo res ſacræ combuſtæ, & in cinerem redactæ projiciuntur.

Piscium Variæ Species. Vide *Echina*. *Eſox*. *Galea*. *Manidium*. *Porphyrio*.

Piſticus, de quo vocabulo Jo. Evangeliſta, c. 12. [Maria ergo accepit libram unguenti nardi piſtici pretioſi, & unxit pedes Domini.] Marcus vero, c. 14. habet: [Nardi ſpicati.] Quare aliqui ſignificare autumant fidelem, nempe, minime adulteratum; ſed dictio fidelis non πιςικὸς, ſed πιςὸς dicitur. Cornelius tamen a Lapide, & Franciſcus Lucas malunt in ambobus Evangelicis textibus σπικιτῆς eſſe legendum, ideſt, pretioſum unguentum, ex nardi ſpica. Joannes vero Heſturgus decur. 3. cap. 6. §. Item ſexto, putat *Opiſticum* legendum eſſe, ita ex quodam Oppido *Opim* appellato, quod inſinuare videtur D. Aug. licet determinatum hujus oppidi locum non aſſignet tamen ex Herodoto, lib. 1. & 2. & ex Strabone, lib. 16. in Babilonica regione fuiſſe colligitur, ex qua parte hujuſmodi pretioſiſſimus liquor ferebatur. Nihilo minus tamen Stephanus Menochius, dictionem prout in Evangeliſtæ Joannis textu habetur, in ejus Storeis tom. 1. Centur. 3. cap. 96. legendam ſuſtinet; nam πιςικὸς græce liquidum, ac potabile ſignificare affirmat; quæ quidem opinio, & mihi placet, & verbis Anaſtaſii Bibliothecarii confirmatur, apud quem in dicta ſignificatione liquidorum hæc verba habentur: [In quo ardet oleum nardinum piſticum. Ubi candelæ ardent in gremio Eccleſiæ ex oleo piſtico.

Piſtrix. Vide *Panicoctaria*.

Pittaciolus, *Pittaciolum*, & *Piitacium*. Vide *Breve*, *Phylacterium*, *Pictacula*, *Pyctacium*, ſchedulam, & brevem ſcripturam ſignificat. [Accipe hanc perverſi contumaciæ tuæ pittacioli, exigente cauſa, prolixam reſponſionem. Flodoard. lib. 3. hiſt. Rhemenſ. c. 22.] nomina diminutiva ex dictione Pittacium ex græco proveniens πιττάκιον quod tabellam cera linitam ad ſcribendum juxta antiquum morem ſignificat. FR. At *Pittacium* eſt nomen magis genericum, cujus propria ſignificatio cujuslibet rei fruſtum denotat; & *Pitaciolus*, ſeu melius *Pittaciolus* fruſtulum ſignificat; hinc in ſacra pagina de fruſtis ex corio, quibus calciamenta reſarcuerant Gabaonitæ, ſic habetur: [At hi, qui habitabant in Gabaon, audientes cuncta, quæ fecerat Joſue, Jericho, & Hai: & callide cogitantes, tulerunt ſibi cibaria, ſaccos veteres aſinis imponentes, & utres vinarios ſciſſos, atque conſutos, calceamentaque perantiqua, quæ ad indicium vetuſtatis pittaciis conſuta erant. Joſue, c. 9.] Item ſignificat libellum, qui in curia Romana hodie *Memoriale* dicitur [Pittacium epiſtola modica, & brevis. Iſidorus.] Et de Alexandro Severo Lampridius, cap. 12. inquit: [Et perlegebat cuncta pittacia.

Pitancia, portio, & pars rei comeſtibilis, quæ diviſim religioſis ad manducandum defertur, & Italice *Piatanza*, dicitur [In clauſtro Sacerdos quidam ante annos paucos defunctus eſt, homo ſimplex, & illiteratus, Daniel nomine, vitæ ſatis duræ, orationibus & jejuniis infatigabiliter operam dabat, omnes pitantias ſibi appoſitas recuſabat: Cæſar. lib. 8. cap. 10.] nomen eſt gallicum *Pitance*.

Placenta. Vide *Flaton*.

Placibilis, gratus, acceptus: [Hoſtiam vivam, ſanctam, placibilem Deo. Tertull. de reſurr. carnis, cap. 47.

Placito, litigo, in judicio contendo. [Quia ſic placitat diabolus contra hominem. Anſelm. lib. de ſimil. cap. 74.

Placitor, litigans. [Improbus enim placitor, licet non habeat rectum, tamen propter improbitatem ſuam veniens ad placitum &c. Idem Anſelmus, qui ſupra.

Placitum, Forum, Judicium, ubi juriſdictio, & juſtitia in litigiis exercetur, item parlamentum: [Pro quolibet placito, vel judicio a qualibet perſona munera exigere. Synod. Turon. III. cap. 35. A quo placito veniens memoratus ille, ibi in palatio noſtro, & per triduum, ſeu amplius, ut lex habuit, placitum ſuum cuſtodiſſet, & memoratus ille abjectus ſit, vel ſolſatis ſit, ipſe nec veniſſet ad placitum, nec ulla ſunnia nunciaſſet, adfirmat. Marculph. in Formul. lib. 1. cap. 37.] Ubi notandum, quod *Abjectus* non obſervator promiſſionis intelligitur. *Solſatis* ſolis occaſum denotat, quod erat terminus in audientiam ad comparendum, ut ex aliis Auctoribus colligitur: ſic Gregorius Turonenſis, lib. 7. cap. 25. exempli cauſa, dixerat: [Ad placitum in conſpectu Regis Chidelberti advenit, & per triduum uſque ad occaſum ſolis expectavit.] Marculphus vero ſupra: [Per triduum &c. ſolſatis &c. nec veniſſet ad placitum] dixerat. Item dictio *Sunnia* in Marculpho excuſationem ſignificat. Vide *Sunnis*. FR. [Comeſtiones, banna, placita, & forisfacta &c. cap. ad audientiam, de præſcriptionibus.] Ubi Gloſſa: Placita, ideſt, juriſdictionem cauſarum intelligit: [Placita ſæcularia non ſunt in Eccleſia tractanda, ſed eccleſiaſtica, 2. quæſt. ult. can. ult. In placitis enim ſæcularibus Clericos diſputare prohibetur, lib. 3. Decretal. tit. 50. c. 1.] & ibi Gloſſa [Quod cum laicum quendam ſuper furto in ſæculari placito conveniſſet, 5. Decretal. tit. 14. c. 2.] Item ſignificat cauſam civilem, l. ut in illius, & ſeqq. de off. Judicis. Bullar. Caſin. tom. 2. Conſt. 60. 70. & alibi paſſim. :||: Item *Placitum* aliquando pactum, ſeu conditio intelligitur, & ſic perceptibilia redduntur illa Caſſiani verba in col. 9. cap. 35. poſita, alias intellectu difficilia, ubi ſic habetur: [Sub placito plenioris tractationis. [Vide *Admallo*.

Placoma. Vide *Placoton*.

Placor, nomen; lenitas, manſuetudo, jucunditas, ac animi tranquillitas: [Sanctus quoque nolens placorem animi ejus turbari, conſenſit, ut voluit. In vita S. Guliel.

Placoton, pavimentum. Baronius ann. 384. num. 23. ubi Adonem corrigit, qui *Placoma* habet. Idem dixerat Paulus Diaconus, lib. 11. nempe: [Sicut lex ipſa in marmorea placoma noſcitur eſſe conſcripta.]

Sed

Sed ambo defenduntur ab Auctore hic in dict. *Platonia*.

Plagæ Mundi. FR. [ De mane, de meridie, de ſero. Bullar. Caſin. tom. 2. Conſtit. 173.] Ideſt, ex Oriente, ex Auſtro, & ex Occidente.

Plagia. FR. maris littus, Neapolitani, Siculi, & Melitenſes *Plaja* dicunt. [ Monachos Monaſterii Gazarenſis, quod ſitum in plagia eſt. D. Gregorius, lib. 8. epiſt. 39. Italice *Spiaggia* dicitur.

Plagiarius, ex græco πλάγιος, ideſt, obliquus: hinc pro injuſto detentore accipitur.

Plagium. FR. Delictum violenter poſſidentis.

Planelli, crepidæ. [ Cumque venerit (*ideſt Papa*) ad portam dictæ Eccleſiæ (*nempe Sanctæ Mariæ majoris*) exuit planelios, & nudis pedibus vadit cum aliis in proceſſione. Cencius Camerar. in ejus M. S. Cæremoniali, ubi de proceſſione in die Purificationis agit. Italice *Pianelle*.

Planeta. Vide *Caſubula*. *Caſula*. *Penula*, ex græco vocabulo πλανήτης, quia totum corpus circumdat. [ Planeta, quæ & Caſula dicitur, totum te circumdat & protegit, & cæteris ſupereminet. Hæc eſt Charitas. Petrus Bleſenſis, ſerm. 41. ] Planeta debet concordare cum coloribus currentis officii, licet ſit expoſitum Sacram. Vide *Velum*. Forma antiquæ planetæ habetur in figura S. Julii Papæ poſita in dict. *Sellare*.

Planetarius. Vide Genethliacus.

Planetatus, planeta indutus. [ Cum Magi ex planetatorum, mappulatorumque proceſſionibus Magnum Pontificem cognoviſſent. Jo. Diac. in Vita S. Gregorii, lib. 2. c. 43.

Plangimonium, planctus. [ Mortem ſuam lacrymis funerant, & vitam plangimoniis proſequuntur. Victor. de pœn. c. 6. ] Quod etiam inter opera D. Ambroſii reperitur. Vide *Fletobotomia*.

Planus Cantus. FR. Cantus firmus, (ut ajunt) eccleſiaſticus ſive Gregorianus, contradiſtinctus a figurato cantu. [ Adeo ut interdum Antiphonarii, & Gradualis fundamenta deſpiciant; ignorant ſuper quo ædificent, tonos neſciunt, quos non diſcernunt, imo confundunt: cum earum multitudine notarum, aſcenſiones pudice, deſcenſioneſque temperate plani cantus, quibus toni ipſi ſcernuntur, ab invicem offuſcantur. Extrav. comm. de vita, & honeſt. Cleric. c. unico.

De Plano cauſam cognoſcere. FR. Legalis terminus, ſignificat cognoſcere cauſam non ad formam judicii, ſed in modum denunciationis. Gloſſa de judiciis, c. 13. Vide *Judicium de plano*, cujus contrarium. Vide *Apex*.

Planta, terminus, quo Equites Melitenſes querelam, & accuſationem ſignificant, ex gallica phraſi *Plante*, quæ plantam, ideſt, prototypon, & querelam etiam denotat; nam ſicut ex prototypo fabrica dirigitur, ſic ex querela fabricatur proceſſus.

Plantarium. FR. ideſt, pedis planta. [ Porro quia vidiſti pedum, & digitorum partem teſtæ figuli, & partem ferream, regnum diviſum erit: quod tamen de plantario ferri orietur, ſecundum quod vidiſti ferrum mixtum teſtæ ex luto, & digitos pedum ex parte ferreos, & ex parte fictiles &c. Daniel. c. 2.

Planto. Vide *Paſtinare*.

Plasma. FR. Figmentum, & opus figulinæ artis, græcum nomen πλάσμα.

Plasmo, verbum, ſignificat ex creta, ſeu alio ſimili luto fingere, ſeu formare. [ Numquid non audiſti, quid ab initio fecerim? ex diebus antiquis plaſmavi illud, 4. Reg. c. 19. & Iſa. c. 37. Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me. Job, c. 10. ] Item ſignificat omne creabile efficere [ Æſtatem, & ver, tu plaſmaſti ea. Pſalm. 73. Quaſi lutum figuli in manu ipſius plaſmare illud, & diſponere. Eccl. c. 33.

Plastes, πλάστης. FR. Artifex, qui figulinam artem exercet. [ Velut plaſtes conculcans &c. Iſa. cap. 41. Plaſtæ Idoli omnes nihil ſunt. Idem c. 44. Sanctus Iſrael plaſtes ejus. Idem c. 45. Faciens eam ipſe plaſtes. Ibid.

Plastica, ars ipſa plaſmandi. [ Plaſtica Dei in ipſis redarguitur, & reprehendunt Artificem. Tertul. de cult. fœm.] ubi de mulieribus loquitur, quæ fuco corrigere ſuam faciem, Dei opus, conantur.

Platanus, πλάτανος, arboris genus pulchræ, & platyphillon, ſeu latis foliis, a quibus etiam nomen accepit. Nam πλάτος, latitudinem ſignificat. Apud Hebræos *Ngarmòn* eſt caſtaneum, ſed D. Hieronymus vertit platanum. Hujus arboris proceritas, & pulchritudo, ex frondium copia, & ſatis ab Ezechiele indicatur: dum literaliter de Aſſyriorum Monarchia, vel ſecundum Cornelium a Lapide, de Ægypti rege, allegorice vero de Lucifero, ſub excelſarum arborum, & quaſi ob venuſtatis gloriam in ſublime ſe extollentium metaphora dicit: *Platani non fuerunt æquæ frondibus*, Ezech. 31. 8. Quia vero platanus procera, pulchra, fortis, cujus umbra, & odor fugare ſerpentes dicuntur, eſt variarum virtutum ſymbolum; ideo ſapientia, ſe in propria encomia ſapienter effundens, ait: *Quaſi platanus exaltata ſum juxta aquam in plateis*, Eccli. 24. 19. Ipſa ſiquidem ad uberiores gratiæ divinæ rivos, & perennem favorum cœleſtium fluvium, qui lætificat civitatem Dei, foliorum amœnitate pulchriores fovet virtutes, concupiſcentiæ æſtus mitigat, vitiorum ſerpentes enecat, inimicum noctivagum, & lucis gratiæ oſorem arcet, atque in fugam convertit.

Plateaticum, impoſitio a vendentibus in plateis ſolvenda. [ Ut in tota Civitate Neapoli nullum plateaticum, ſive portaticum Monachi aliquando darent. Chron. Caſin. lib. 1. cap. 56. ] FR. Bullar. Caſinen. tom. 2. Conſtit. 172. n. 6. 177. & 193.

Platina. Vide *Platonia*.

Platonia, pavimentum. [ Super lilios ex metallis marmoreas platonias poſuit. Anaſt. Biblioth. in Leone III. Hic reædificavit platoniam, ubi corpora Apoſtolorum jacuerunt. Idem in Damaſo. ] Reperitur etiam in eodem ſignificatu *Platina* apud eundem Anaſ-

ſtaſ. [ Liberius ornavit de platinis marmoreis ſepulchrum Sanctæ Agnetis. ] Paulus tamen Diaconus, & Ado habent *Placoma*, ut dictum eſt in dict. *Placoton*, ubi Baronius ex græco vocabulo πλακώδης legendum *Placoton* putat; ſed ego exiſtimarem, quod Placoma nomen neutrum melius diceretur ex Paulo Diacono, & Adone, quia græce etiam πλάκωμα reperitur in eodem ſignificatu.

PLATTA, FR. Planum, ex gallico vocabulo *Plat*. Gemma, lib. 1. cap. 197. agens de corona clericali, [ Superior autem coronula per plattam figuratur. ] Ex quibus verbis duas coronas in Clericorum capitibus fuiſſe autumat Morinus, nempe, ſuperior coronula, minor dicta; & alia inferior, ac major.

PLAUSILIS, plauſibilis. [ Dignus omnino, quem plauſilibus Roma foveret ulnis. Sidon. lib. 9. epiſt. 14.

PLEBANIA. Vide *Parochia*. *Plebs*.

PLEBANUS, Parochus ruralis, antiquitus erat magnæ exiſtimationis, ut dictum eſt in dict. *Chorepiſcopus*. *Decanus*. Aliquando etiam Parochus Civitatis intelligitur. [ Adfuit & Dominus Everardus Sancti Jacobi Plebanus, vir juſtus, atque religioſus, & propter ſuam ſanctitatem omni Civitati reverendus. Cæſar. lib. 1. cap. 7. ] FR. [ Electus quidam in Plebanum cujuſdam Eccleſiæ. De iis qui vi, & metu &c. c. 2. ] Item nonnumquam Parochianum, ſeu degentem in Parochia ſignificat. [ Nullus Presbyter, aut Diaconus alterius plebanum ( niſi in itinere fuerit, vel placitum habuerit ) ad Miſſam recipere audeat, 9. quæſt. 2. can. 4.] Vide *Parochus*.

PLEBEJUS, pro ſæculari. [ Multa ſunt, quæ adhuc plebejus, multa, quæ jam presbyter fecit. Pontius in Vita S. Cypr.] Quod vocabulum in hac ſignificatione ab Africanis Patribus paſſim uſurpatur. FR. [ Majores noſtri plebeis, & catechumenis martyrium conſecutis, tantum honoris pro martyrii ipſius veneratione dederunt, ut de paſſionibus eorum, multa, ut prope dixerim pene cuncta conſcripſerint; ut ad noſtram quoque notitiam, qui nondum nati fuimus, pervenerunt. Idem Pontius Carthag. Diaconus in Vita S. Cypriani, ] ubi plebejum, pro laico, contradiſtincto ab Eccleſiaſtico accipitur.

PLEBS, pro Parochia. [ Confirmamus vobis omnes plebes, & Eccleſias, Parochiaſque cum omnibus earum pertinentibus. In quodam privil. Joannis Papæ XIX. ad favorem Epiſcopi Sylvæ candidæ, an. 1026.] FR. Ac clarius in can. Null. 12. quæſt. 1. ubi ſic habetur: [ Nulli Epiſcoporum liceat res mobiles, aut immobiles de ſubjectis plebibus, aliiſque piis locis in proprios uſus habere. ] Atque ſimiliter [ De decimis juſto ordine, non tantum nobis, ſed etiam majoribus noſtris viſum eſt, Plebibus tantum, ubi Sacroſancta baptiſmata dantur, debere dari. Can. de Decimis, 16. quæſt. 1. ] Item: [ Qui penitus ſunt ignoti, non debes ipſos permittere in tuis plebibus celebrare, c. 3. de Clericis peregrinis.

PLECTA, ex græco verbo πλέκω, quod intexere ſignificat; hinc pro eo, quod eſt viminibus, ſeu palmarum foliis contextum, intelligi ſolet, ut ſunt ſportæ, ſtoreæ, & ſimilia, in quibus conficiendis antiqui Monachi exercebantur: [ In quam cellam furtim irruens, codicem ſuum inter ejus plectas, quas de palmarum foliis ſolebat intexere, latenter abſcondit. Caſſian. Collat. 18. c. 25.

PLECTATA, lignorum ſtrues. [ In Epiſcopatu Oſtienſi in Feſto Nativitatis Domini, & Paſchatis duas plectatas lignorum. Cencius Camerar. in ejus Cæremon. M. S.] ubi loquitur de obligationibus Canonum Cameræ Apoſtolicæ debitis.

PLECTILIS SELLA, quæ plicari poteſt. [ Cognoſcat gloria veſtra mandaſſe nos Arthemio Subdiacono, ut aliquas ſellas plectiles nobis dirigere ſtudeat. D. Greg. in Regiſt. lib. 10. epiſt. 22.

PLOCAMON. Vide *Spatalium*.

PLONUM. FR. clavus, quo nectitur aratrum, vel aliquod inſtrumentum, quod aratro inſervit, l. ſi quis plonum. De furtis. Et l. ſi quis plonum. De damno, & injuria.

PLEGIARIA. FR. Fidejuſſio, & Vadimonium. [ Quod ſuper mutuis, & plegiariis ſecundum veſtræ Civitatis conſuetudinem judicabunt. In Decretal. de jurejurando, cap. 19. ] Ubi male Gloſſa fidejuſſorem intelligit; nam enim nunc in utraque Sicilia, & in Melita fidejuſſio *Plegiaria*, & fidejuſſor *Plegio* dicuntur. Favet etiam textus ſenſus, ubi evidenter de fidejuſſione, & non de fidejuſſore loquitur, ideſt, abſtractive, *Super mutuis, & plegiariis*. Vide *Replegio*. Alia ſynonyma. Vide in dict. *Gaudio*.

PLEROMA, πλήρωμα quo vocabulo in ſignificatione univerſitatis ſæpe contra Valentinianos utitur Tertullianus; apud Irenæum vero plenitudinem denotat, ac ſecundum Epiphanium complementum.

PLENUM. FR. eſt maxima quæſtio inter Sacros Expoſitores ſuper hoc adjectivum nomen in Evangelio Joannis, cap. 1. appoſitum, ubi habetur: [ Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis. ] Nam dictio *Plenum* non ſatis apparet, an Chriſto Domino, ſive Joanni referatur, aliqui enim rectum caſum, alii vero accuſandi caſum eſſe altercantur. Qui rectum eſſe tenent, dicunt referri ad Chriſtum, ideſt, ubi incipit In principio erat Verbum. Inſuper in textu græco eſt maſculini generis πλήρης, nempe plenus, quare tunc non concordaret cum nomine *Verbum*; at poſſet reſponderi, quod communis Interpres vertiſſet λόγος per *Verbum*. Nonnullis placet intra parentheſim *Plenum gratiæ* legere; ſed hoc non poteſt ſubſiſtere, quia particula *&* copulativa parenteſim non admittit. Theophilus autem *Pleni gratiæ & veritatis* legit. Aliam explicationem in hunc locum commentatur Card. Cajetanus. *Plenum* vero Michael de Placio legendum concludit in ſuis Enarrat, tom. 1. Evang. Jo. enarrat. 34. & adducit pro ſe S. Jo. Chryſoſt. atque D. Cyrilli auctoritates, qui nonniſi *Plenum* in recto legunt.

Ploratorium, ſudariolum ad detergendas lacrymas. [ Sumpſit ſecrete quoddam ploratorium ejuſdem Matris totum madidum lachrymis. In vita B. Collectæ 6. Martii. ] Vide Synonyma in dict. *Sudariolum*.

Plumacium, pulvinar ex plumis [ In quo interius plumacium ex holoſerico ſuperpoſitum. Anaſt. Bibl. in Sergio. ] Aliqui crediderunt textile ſignificare ex variis coloribus ad modum Indorum, ſeu plumarum, quod hodie in Italia a *Punto Franceſe* dicitur; ſed eorum error ex D. Ambroſio, lib. 5. c. 27. detegitur, ubi S. Doctor de S. Hygini exilio agens, qui jam ſenex ait, quod non debebatur ſine pulvinari, ac veſte expelli, ſic inquit: [ Ne ſine veſte, ſine plumacio pateretur extrudi ſenem ] Ejus ſynonymum. Vide *Pulvillus*.

Plumbatæ, genus martyrii, de quo ſæpe in Martyrol. Flagellum ex funiculis erat, ad cujus extremitates pendebant plumbeæ pilulæ, quo tantum rei nobiles percutiebantur, ſicut e contra equuleus erat plebejorum tormentum. Hinc Prudentius de S. Romani martyrio, canens, ait, quod contra hunc Martyrem equuleus præparatus erat; at cum animadvertiſſent perſecutores illum fuiſſe nobilem, plumbatis percuti juſſerunt: ſic ille in ejus hymno:

Jubet amoveri noxialem ſtipitem,
Plebeja clerum pœna non damnet virum,
Tundantur, inquit, terga crebris ictibus,
Plumboque cervix verberata extuberet.
Perſona quæque competenter plectitur,
Magnique refert vilis, an ſit nobilis.
Gradu reorum forma tormentis datur.

FR. contrarium tamen habetur in Cod. Theodoſ. l. 80. de decur. l. 4. & 7. de exact. l. 54. de Hæretic. & l. 2. de quæſt. ex quibus colligitur ingenuos homines ſupplicio hoc mulctare nefas eſſe, ab eoque omnem curialem ordinem exemptum fuiſſe.

Plumella, culcitra plumea; [ Nil autem ſuper eam, cum quieſceret, ſternebat; niſi tantum cum veſtimento, quo indutus erat, decumbebat, nec alios habens tapetes, plumellas, aut ſtragula, quo hæc operiretur. Gregor. Turon de vit. Sanct. c. 8. ] Ejus ſynonyma. Vide *Culcitra*.

Plvslaip. FR. Mortuorum ſpoliator, l. ſi unus, de homicidio liberi hominis.

Pluviale. Vide *Cappa*. Cum pluviali non fertur manipulus. Vide *Manipulus*. Non defertur pluviale ad Matutinum. Vide *Matutinum*. Pluviale rubrum fert Papa jejuniorum tempore. Vide *Sticharium*.

Pneumaticus Doctor, Pater ſpiritualis, ſive Confeſſarius, ex græca dictione πνευματικός, quæ ſpiritualem ſignificat.

Pneumatomachus, hæreticus in Spiritum Sanctum; dictio enim græca πνευματόμαχος, ſpiritui oppugnatorem ſignificat, quia Hæretici hoc nomine appellati Spiritum ſanctum creaturam eſſe aſſerebant [Pneumatomach., qui Spiritum contendunt eſſe creaturam, ſervumque Patris. Zonara in Can. Apoſtol.] Eodem *Hierolexicon Macri*.

vocabulo uſus eſt Palladius cap. 118. hiſtor.

Pochia. Vide *Biſſacius*, ideſt, Bulgiæ, ex gallico vocabulo *Poche*.

Pocillator. Vide *Archioenochus*.

Poder. FR. poſſeſſio, territorium [ Philippus Dei gratia Dux Tuſciæ, & Dominus totius poderis Comitiſſæ Matildis de anno 1195. in Bullar. Caſin. tom. 2. conſt. 218.

Poderis. Vide *Alba*. *Polyris*.

Podium. Vide *Apodiatus*. *Menianum*. *Pogium*.

Poena. Vide *Ariſcada*. *Epitimium*.

Poenale. FR. pœna dignum. Gloſſ. in can. pœnale, 14. quæſt. 5.

Poenitentia. FR. Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, can. multiplex, de Pœn. diſt. 1. D. Th. 3. p. q. 84. art. 7. & can. quem, de pœn. diſt. 1. ſic habetur [Lazarum enim de monumento jam ſuſcitatum obtulit Dominus Diſcipulis ſolvendum, per hoc oſtendens poteſtatem ſolvendi conceſſam Sacerdotibus. [ Vide *Deputatus in pœnitentiam*. *Pœnitudo*. *Confeſſio ſacramentalis*.

Poenitentia. FR. pro ſatisfactione, quæ a Confeſſario pœnitenti adjungitur, licet ſit levis, excuſatur a D. Hieronymo, in can. Menſuram, de pœnit. diſt. 1. imo conſulitur a Chryſoſtomo, in can. alligant, 26. quæſt. 7.

Poenitentia, ideſt, mortificatio. Vide *Epitimium*. *Palmata*. *Metanœa*.

Poenitentia Plena. FR. ideſt, Publica, Gloſſa, in can. quod ſi pœnitentia, 27. qu. 1. Vide *Metanœa*. *Pœnitentes*. *Hyemantes*. Pro pœnitentiæ remedio adhibendum eſt Petri Bleſenſis conſilium, quod. Vide in dict. *Scupha*. Neceſſitas puniendi peccata extrinſece triplici ex capite etiam apud Ethnicos enituit. Quare Gellius, lib. 6. cap. 14. ita ſcripſerat: [ Puniendis peccatis treis eſſe debere cauſas exiſtimatum eſt. Una quæ νουθεσία, vel κόλασις, vel παραίνεσις, dicitur: cum pœna adhibetur caſtigandi, atque emendandi gratia: ut is, qui fortuito deliquit, attentior fiat, correctiorque. Altera eſt, quam ii, qui vocabula iſta curioſius diviſerunt τιμωρίαν appellant, ea cauſa animadvertendi eſt, cum dignitas, auctoritaſque ejus, in quem eſt peccatum, tuenda eſt; ne prætermiſſa animadverſio, contemptum ejus pariat, & honorem levet. Idcircoque id ei vocabulum a conſervatione honoris factum putant. Tertia ratio vindictæ eſt, quæ παράδειγμα a Græcis nominatur: cum punitio propter exemplum eſt neceſſaria, ut cæteri a ſimilibus peccatis, quæ prohiberi publicitus intereſt &c.

Poenitentes. FR. qui pro homicidio, vel pro diverſis, gravibuſque criminibus, & peccatis publicam pœnitentiam agentes, ſub cilicio ad altare erant reconciliati, can. placuit, diſt. 50. Vide *Hyemantes*, *Metanœa*, *Pœnitentia plena*. Pœnitens publicus. Vide *Deputatus in pœnitentiam*. *Viaticum*. Quando reconciliabantur. Vide *Hebdomada major*.

POENITENTIÆ BENEDICTIO, ideſt, Viaticum. Vide *Benedictio beatica.*

POENITENTIALES PSALMI. Vide *Pſalmus.*

POENITENTIALIS. FR. pœnitens, qui ſacramentaliter ſua peccata confitetur; quare Symmacus Papa ait, quod [ Silveſter (*nempe, Papa primus*) quoque docens, admonet unumquemque Sacerdotem, ut nullus cauſa fornicationis ad ſuam pœnitentialem accedat: quia ſcriptum eſt, omnes, quod in pœnitentiam accipimus, ita filii noſtri ſunt, ut in baptiſmate ſuſcepti; quapropter hoc ſcelus ſi quis perpetravit, non ſolum dignitatis honorem amittat, verum etiam uſque ad exitum vitæ ſuæ jugi pœnitentiæ ſe ſubdat, can. omnes, 30. qu. 1. ] ſignificat item librum, in quo pœnitentiæ pro peccatis imponendæ notatæ ſunt. Vide *Suffocatus.*

POENITENTIARIUS PRESBITER. FR. Confeſſarius dicebatur: vide Latini Latinii Lucubrationes, quæ a Dominico Macro hujus operis Auctore collectæ, & typis Tinaſſi Romæ 1656. editæ fuere, tom. 1. par. 2. pag. 325. & ſeqq. ubi contra Sozomenum, Jacobum Millium, & Melchiorem Canum erudite probat hujus pœnitentiæ Sacramenti antiquiſſimum ritum in Eccleſia fuiſſe, & contra Novatorum latratum. Quod etiam confirmatur ex antiquiſſimis terminis hic allatis: in dictionibus. *Pneumaticus doctor. Pœnitentia Pœnitentialis. Pœnitudo.*

POENITUDO. FR. pœnitentia, can. tempora pœnitudinis, 26. quæſt. 7.

POETA. Vide *Metrocanorius. Vates.*

POETO, fingo poetico more [ Quo poſſemus te falſum teſtem intelligere, te unum eſſe de viperarum progenie, falſa hæc cum ſacrilegis tuis poetaſſe. Lucifer Caral. ad Conſtant. lib. 2.

POGIUM. Balauſtium, ſive cancellum. [ Qui ordinandi ſunt, ſtent in pogio ſub gradibus. Ord. Rom.] Vide *Podium.* FR. potius genuale erat, in quo incumbit genuflectens. Vide *Genuale.*

POLANI. Vide *Filius arnaldus.*

POLEDRUS. Pullus equinus, aſininus, ſeu mulinus. [Erat in monaſterio poledrus pulcherrimus. Cæſarius, lib. 8. c. 36. Vide *Pollenus.*

POLIA. Vide *Equaritium.*

POLLEN. FR. Farina [ Nec conficiendi pollinis cura mandetur. Theodoſ. Codex. lib. 11. tit. 16. leg. 15.

POLLENUS. FR. Pullus equinus, aſininus, ſeu mulinus, l. item relatam, de Pauperie. Vide *Poledrus.*

POLLINCTOR. Vide *Silicernium.*

POLONI populi. Vide *Jejunium.*

POLYANDRIUM. Vide *Cœmeterium.*

POLYCANDELUM, πολυκάνδηλον, candelabrum plures candelas continens. [Obtulit polycandelum porphyreticum pendentem in pergula ante confeſſionem in catenulis aureis. Anaſt. Bibliot. in Leone III. ] FR. vel *Polycandelus* dicendus eſt, ex vi adjectivi nominis *Pendentem*; vel corrigenda dictio *Pendentem* in *Pendens*, ſi Polycandelum dicendum ſuſtineri debet: || : Prodigioſum equidem erat candelabrum Baſilicæ Vaticanæ in forma Crucis ab Adriano Papa oblatum, in quo MCCCLXX. candelæ ponebantur, qui Pontifex juſſerat quatuor in anno vicibus accendi debere, nempe, in feſtivitatibus Nativitatis Domini, Paſchæ, Apoſtolorum Petri, & Pauli, & in die anniverſ. ria ejus electionis. Baron. an. 795. & Anaſt. Biblioth. in eodem Adriano.

POLYCHRONION, πολυχρόνιον, ideſt, ad multos annos; acclamatio, quæ ad domeſticum fieri ſpectabat. Vide *Domeſticus.*

POLYGAMIA, πολυγαμία, multiplicitas nuptiarum.

POLYGAMUS, qui ad multas nuptias tranſivit.

POLYMITUS, πολύμιτος, ideſt, multis filiis variorum colorum contextus, quemadmodum erat Joſephi veſtis variorum colorum virgata. [ Fecitque ei tunicam polymitam. Geneſ. c. 37.] FR. a πολὺ, ideſt, multus, & μίτος, ideſt, licium.

POLYMITARIUS, πολυμιτάριος. FR. Artifex, qui polymitas veſtes conficit [ Ooliab quoque filium Achiſamech de tribu Dan, ambos erudivit ſapientiam, ut faciant opera abjetarii, & polymitarii &c. Exod. c. 35. Idem habetur, c. 36. 38. & 39. Item 2. Reg. c. 21.

POLYPTYCHUM, πολύπτυχον, multorum foliorum liber, in quo notabantur publicæ rationes. [Præcipientes ergo jubemus, ut ſi memoratus ille de capite ſuo bene ingenuus eſſe videtur, & in polyptycho cenſitus non eſt, licentiam habeat comam capitis ſuis tonſurare. Marculf. lib. 1. formular. c. 19. ] Ideſt, ſi in hujuſmodi fiſci, ſeu publici libro tanquam debitor notatus ille talis non ſit. [ Quia notitia ejuſdem donationis non erat de polyptychis charaxata. D. Greg. in Regiſt. lib. 7. c. 40. ] Significat in hoc loco volumen publicorum inſtrumentorum. Sed in aliquibus Gregorianis codicibus mendoſe *Politicis* pro *Polyptychis* habetur. Quid autem charaxata ſignificat, dictum eſt in dict. *Caraxo.* FR. ita etiam in Actione 13. Sextæ Synodi in Trullo legitur [ Gregorius Deo amabilis Diaconus, & chartophylax dixit: Polyptychum Domini, ſive Regiſtrum, in quo continentur exemplaria ſynodorum, &c.

POLYRIS. FR. Tunica interior. Torrigius de Cryptis Vatican. impreſſione ſecunda, pag. 352. Vide *Eſophorium. Hypacamiſum.* An ſit eadem, ac poderis. Vide *Alba.*

POLYSTAURIUM πολυςαύριον, ideſt, pluribus crucibus, planeta, nempe, erat, ſive alia ſacra veſtis, de qua fuſe in dict. *Gammadia* egimus. Vide etiam *Caſula. Stauracinus.*

POLITHEJA, πολιθεΐα, multitudo idolorum, quod vocabulum reperitur in Juſtino Mart. orat. ad gent. in S. Epiphanio, hæreſi, 37. & in D. Auguſtino, lib. 8. Confeſſ. cap. 2. ubi ſic habet: [ Nobilitas inflata ſpirabat polythejam ] & in aliquibus Auguſtini Codicibus perperam *Populi uſiam*, & pejus in aliis *Populi etiam* legitur.

POMPATIOR, pompoſior [ Sed Circenſium paulo prompa-

patior ſuggeſtus. Tertull. de ſpectac. c.7. ] FR. Idem adjective Pompaticus in tract. de cultu fœmin. dixit. Et a Petro Bleſenſi abſtractive *Pompoſitas* uſurpatur.

Pompo. FR. verbum, ideſt, pompam ago, ſive oſtendo. [ Merito, ut quidam Metrocanorius in ſuo pompavit poemate &c. In vita S. Reguli Epiſc.

Pompolentus, pompoſus [ Cujus dignitatis honore induſiatus, & a Principe regni legaliter inthronizatus non efficitur philopompus, non, ut plures aſſolent, pompolentus. In Vita S. Adelardi Abb.

Ponderosus. Vide *Gutturnoſus*.

Ponere Extra Manus. FR. cedere, vel reſtituere ſignificat. [ Nec liceat illis ipſas Eccleſias, vel perſonas ad diſtrahendum, vel alienandum, aut extra manum ponendum, cap. quia nonnulli, de immunit. Eccl. in 6.

Pontaticum, FR. impoſitio ſolvenda in tranſitu pontium. Privilegia in chronica Caſinen. adducta lib. 1. cap. 56. quod clarius explicatur in Bullar. Caſinen. tom. 2. Conſtit. 92. ubi ſic habetur: [ De theloneis quoque Mercatorum, & Pontium, & Decimis, ac Monachorum ſtipendia &c.] & in capitul. Caroli Magni ſæpe fit mentio. Vide *Portora*.

Pontifex. FR. licet hoc vocabulum omnibus Epiſcopis conveniat; antonomaſtice tamen Summus Pontifex Romanus intelligitur: quo vero ad etymologiam nominis, a Pontibus derivari quidam autumant. [ Fuerit autem operæ pretium, quiddam memoriæ proditum non omitti, quod a narratione præſenti non ſit alienum. In Collegiis Sacerdotum Romæ Pontifices primas tenebant, quod ſi vox iſta græcam in linguam transferatur, Gephyreos, a pontibus dicere liceat. Hanc autem appellationem hujuſmodi quadam ex cauſa nacti ſunt. Quum nedum homines cultum, qui per imagines exhibetur, intelligerent, primum in Theſſalia Deorum ſimulacra facta ſunt; quumque nec delubra forent (nam & illorum incognitus erat uſus) effigies divinas in prævii fluminis ponte ſtatuebant, indito illis vocabulo qui Deum Præfecti ſacris eſſent, ut a prima ſimulacrorum ſede Gephyrei, quaſi Sipontanos dicas. Hoc a Græcis accepto, Romani eos, qui Sacerdotum in Collegiis apud ipſos locum principem obtinerent, Pontifices appellarunt, ſimulque ſanxerunt, ut eorum in numero Reges etiam propter dignitatis excellentiam cenſerentur. Primus quidem Numa Pompilius &c. Zoſimus Comes lib. 4. hiſt. ] Sed Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 2. Antiq. Rom. c. 8. ait Pontificis nomen a reficiendo Sublicio ponte provenisse, ſic inquiens: [ Ultima vero Numæ inſtitutorum pars continebat ſacra, quæ ſortiti erant ii, qui apud Romanos ſummum Sacerdotium, & ſummam poteſtatem habent: iſti eorum lingua, ab uno opere, quod faciunt, a reficiendo ligneo ponte, Pont. appellantur. ] Idem affirmavit lib. 3. c. 9. ſic inquiens: [ Hetruſci &c. occupantes totum illum oræ tractum, qui eſt trans fluvium, & ſublicium pontem, qui ex ſola lignea materia eſt compactus, & cui nihil æris, aut ferri addere licet, ille Tiberi impoſuiſſe fertur, quem ad hoc uſque tempus ſervant, ſacrum exiſtimantes. Quod ſi qua ejus pars laboret, eam Pontifices curant, quædam patria ſacrificia facientes, dum ipſum ſarciunt. ] Vide Latinium in Correct. ad Martyrol. 9. Apr. lit. *d*. Eandem etymologiam affert D. Bernardus epiſt. 42. ad Henricum Senonen. Archiep. ſcribens: [ Hoc enim agens, implebit non ſolum Pontificis officium; ſed & etymologiam nominis, pontem utique faciens inter Deum, & proximum. ] Debent Pontifices Anteceſſorum Decreta validare, cujus cauſa conſideranda eſt D. Gregor. ſententia, qui ſic ait: [ Juſtitiæ, ac rationis ordo ſuadet, ut qui a Succeſſoribus ſua mandata ſervari deſiderant, deceſſoris ſui procul dubio voluntatem, & ſtatuta cuſtodiant, can. Juſtitiæ 25. quæſt. 1. ] Pontificum Romanorum geſta an S. Damaſus ſcripſerit. Vide *Palea*. Pontificis Milites. Vide *Claveſignati*. Quare quinque Pontifices Sancti Martyres dicantur, & tamen ſanguinem non fuderint. Vide *Reſponſorium*,

Pontificalia indumenta, ac alia ad id ſpectantia. Vide *Epiſcopus*. Quoad ejus pontificale. Vide *Papa*. Pontifex antiquæ legis quomodo induebatur. Vide *Ephod. Petalum*.

Pontificium. FR. nomen hoc ſubſtantive ſumptum nedum ſignificat pontificiam auctoritatem, ſeu dignitatem; ſed etiam quamlibet poteſtatem agendi, vel dicendi aliquid. [ Ut fruendi pontificium habeat. Cod. Theodoſ. lib. 8. tit. 9.

Pontifico, verbum, Epiſcopali dignitate frui ſignificat. [ Qui ibidem pontificavit circa annum 850. In Vita S. Patritii 17. Mart.

Pontificans. FR. ideſt, dum eſſet Pontifex. [ Circa annum 1207. pontificante Innocentio Tertio. D. Antonin. Florent. Archiepiſc. 3. part. Chron. tit. 19. cap. 2. §. 1.

Pontones. FR. Dolia ad conſervandum vinum, vel quid ſimile, ex gallico vocab. *Poicons*, de quo agitur in vita S. Radegundæ, ubi de miraculoſo vini augumento ſic dicitur: [ Ante pontones, & cotinæ defecerunt, quam hæc, quæ Beatæ in omnibus fecit voluntatem.

Popellus. FR. Populi diminutivum nomen. [ Sed cum miſericordia id finiri ſperat popellus. Ditmarus Epiſc. in Chron. lib. 7.

Porcarius. Vide *Flabarius*.

Porcus, ejus viſio. Vide *Hyopa*. Ejus caput. Vide *Officium*. Os porci Sergius Papa dictus fuit. Vide *Papa*.

Porcula, ſeu *Sucula*. Vide *Friſchinga*. *Tertuſſus*.

Porphyra. Vide *Porphyrogenitus*.

Porphyretica Rota. Vide *Rota Porphyretica*.

Porphyriani. FR. dicti ſunt Ariani juſſu Conſtantini Imp. Baronius an. 328. n. 85. & 86.

Porphyrio, avis ſpecies, de qua in Levitico cap. 11. ex græco vocab. πορφυρίων, ideſt, cum longis cruribus; aliqui pellicanum eſſe putant. Item piſcis genus.

FR. Plinius, & Ælianus *Porphyrio* habent; ſed in Deutoron. cap. 14. *Porphyrion* legitur.

Porphyrogenitus, πορφυρογέννητος, ſic filii Imperatoris Conſtantinopolitani cognominabantur, ex eo quia in palatio purpureo, a Conſtantino Magno ædificato, naſcebantur, quod pro Imperatricibus erat deſtinatum. Luitprand. lib. 1. cap. 2. πορφύρα enim græce purpuram ſignificat. Alii tamen exiſtimant ita filios Imperatoris denominatos fuiſſe, quia ſtatim geniti in purpura colligebantur: quibus favere videtur Zonara de Conſtantino Imp. cognomento Duca agens; ſed re vera a prædicto Palatio nomen hoc illi ſumebant. Eleganter autem a Nicæno in libro contra Judæos Eccleſia Catholica *Porphyra* appellata fuit, & Porphyrogeniti Chriſtiani, quia purpureo ſanguine Agni immaculati redempti ſunt. FR. Imperatoris filii etiam *Auguſti* dicebantur: [ Baſilium Imperatorem ad filios ejus Conſtantinum, & Leonem Auguſtos. Can. Adrianus Papa, diſt. 63.] Ubi ſic Gloſſa: [ Nota, quod filii Imperatorum dicuntur etiam Auguſti, quia ſeparabatur, quod futuri eſſent Imperatores, & quaſi per augurium hoc ſperabatur; vel ſicut Imperator dicitur Auguſtus, quia illius propoſitum debet eſſe, quod augeat; ita & filius dici poteſt Auguſtus, quia & hoc propoſitum debet habere; cum habebit Imperium ] Vide *Nobiliſſimus*, ubi hæc Gloſſa impugnatur.

Porta. Vide *Regia*. Portæ Baſilicæ Vaticanæ. Vide *Guidonea*.

Portarius. FR. Janitor. [ Ita ut fœminis ad hauriendam aquam, & ad diſcurrendum quo voluerint, portari non reſiſtant. Oddo de combuſt. S. Martini. ] Item ſignificat Cubicularium ſive potius Delatorem. [ Canonicorum aſſenſu per portarium Regis extorto, lib. 5. Decretal. tit. 35. cap. 14.

Portaticum. FR. Solutio tranſvehendi, & ex ea gabellam exigendi ſignificat. l. ſi Portunarius, de furtis, & Bull. Caſinen. tom. 2. conſt. 36. Item Chron. Caſinen. lib. 1. cap. 56. Vide *Portora*.

Portatorium, ideſt, machina portatilis. Vide *Palmarum feſtum*.

Portianus, extra portam ſituatus, ſic a D. Ambroſio lib. 5. epiſt. 32. appellata fuit Eccleſia extra Civitatis portam poſita: [ Nec jam portiana, hoc eſt, extramuranea Baſilica petebatur.

Porticani. FR. Pro intelligentia hujus obſcuri vocabuli ab Eruditiſſimo R. P. D. Joanne Ciampino Literarum Apoſtolicarum a Secretis, & de Parco majori Abbreviatore Quæſtio mota fuit, occaſione canonis XII. Lateranenſis Concilii I. ſub Calixto II. anno 1122. celebrati; ubi ſic habetur: [ Illam vero pravam defunctorum Porticanorum conſuetudinem, quæ hactenus ibi fuit, ex fratrum noſtrorum, & totius Curiæ conſilio; necnon & voluntate, atque conſenſu Præfecti removendam cenſemus; ut Porticanorum habitatorum ſine hæredibus morientium bona contra morientium deliberationem minime pervadantur. Ita tamen, ut Porticani in Romanæ Eccleſiæ, & noſtra, noſtrorumque Succeſſorum obedientia, & fidelitate permaneant. ] Dubium igitur variis doctrina, & dignitate inſignibus a præfato R. P. D. Ciampino pro voto rogante exhibitum; in primis purpura, & doctrina Eminentiſſimus N. N. his verbis reſpondit: [ Strabo lib. 15. Geographiæ Porticanos recenſet inter populos Indiæ circa Indum fluvium habitantes. Sed hi nihil ad canonem Lateranen. Crederem fuiſſe Portuenſes; nam Calixtus decernit de Porticanis, tanquam de ſubjectis dominio temporali Eccleſiæ Rom. ] Aliud votum Eruditionum Conſummatiſſimi R. P. D. Joſephi Suarez Vaſionenſis Epiſcopi, & Vaticanæ Baſilicæ Vicarii tale fuit: [ Illuſtriſſime D. Ciampine &c. Prima fronte putabam Porticanos eos dictos, qui morabantur in porticibus, uti ſubbaſilianos & ſubroſtranos, qui habitabant, & deſidebant in Baſilicis, & Roſtris, aut prope, ſicut Atrienſes. Porticationes comperiebam dictas ſtructuras porticuum in circuitu monumentorum ædificatas apud Macrum l. funeris, 37. D. de Reliq. & ſumptib. funer. Deinde cenſebam eos, qui porticis adſidebant, quique Portarii vocantur lib. 4. Reg. cap. 7. verſ. 11. & 1. Paralipom. cap. 16. verſ. 42. Cuſtodes portarum, & Porticiarii, ſeu Janitores, & Oſtiarii. In Regul. S. Cæſariæ Virg. vocatur porticiaria janitrix; ita Baſilica Portiana vocatur ad portam, ſeu extramuranea. S. Ambroſ. lib. 5. epiſt. 22. Denique venit in mentem Portuenſes, qui habitabant in Portu Romano, dictos ævo ſequiori Porticanos, ſicut Africanos, Illyricanos, Arauſicanos, Anglicanos, Gallicanos, Marſicanos, Corſicanos quoque in Honorii II. Bulla data Laterani ad Rogerium Archiepiſcopum Piſanum an. 1126. Pontif. II. Nam apud Anaſtaſium in vita Leonis IV. pag. 283. narratur hunc Pontificem Corſis exulibus incolendam Portuenſem Civitatem donaſſe, cum circa S. Petri Baſilicam abſolviſſet Civitatem Leoninam. Et vero, uti Celſus Cittadinus ſuis in ſchedis notaverat, hæc portus, hujus porti efferebatur; unde Porticanus derivari potuit. Præfectus Urbis Romanæ jus exercebat in Præfectum annonæ, & curatorem portus, cujus munus erat, Portum Claudii ad Oſtia Tyberina reparare advecta a Senacinenſibus calce, curam mercium, quæ inibi exponebantur, gerere, atque omnes ab injuriis vindicare. Jus quoque Præfecto erat in Centurionem portus, qui cum militibus portum tuebatur, ut recenſet in Præf. Contelor. p. 18. & in Indice Codicis Theodoſiani refertur in Verbo, Portus. Urbis Romæ Præfectus facultates publicabat eorum, qui offenſam contrahebant propter operas portuenſes, ut ex epiſt. S. Ambroſii 52. ad Euſebium Epiſcopum Bononienſem liquet. Quin vindicabat Præfectus bona eorum, qui ſine liberis decederent, & illis, qui ab inteſtato, & ſine hærede moriebantur, ſuccedebat in Civitate Leonina, quod jus abolevit Calixtus Papa II. anno 1123. Bulla data Albæ 5. Idus Julii Indict. I. Pontificatus V. Contelor. p. 19. & 79. Unde in portu quoque ſuper

bonis porticanorum, cum ſibi quoque idem jus aſſereret, in Concil. Lateranen. vetitum fuiſſe ſub Calixto II. arbitror, qui & infeſtus erat Præfecto. Enim vero Civitas Leonina cum Portuenſi conjungebatur.] Alterum votum ſtudioſiſſimi Viri, & Sac. Eruditionum litteratiſſimi R. P. D. Dominici Galeſi Ruben. Epiſc. olim Sac. Cong. Indicis Conſultoris, & in Rom. Univerſitate Sac. Can. & Pandect. Interp. tale extiterit: [Interrogatus quid ſentiam pro germana, ac propria acceptione vocabuli Porticanorum tripliciter in can. 12. Conc. Later. celebrati anno 1122. ſub Calixto Papa hujus nominis II. Omiſſis, quæ longa verborum ſerie de multiplici ejus ſenſu dicere poſſem: in illam opinionem deſcendere nequeo, qua aſſeritur Porticanos idem eſſe, ac Portuenſes, ſuamque a portu Oſtienſi denominationem Porticanos aſſumere. Prout etiam ab eorum ſententia diſcedo, qui verbum Porticani referunt fortaſſe ad Indiæ populos circa Indum fluvium habitantes, quod Porticanos vocari teſtatur Strabo Geogr. lib. 15. Et licet ubi propriam alicujus nominis acceptionem expreſſam habemus, ad ſophiſticas inventiones ulterius progredi otioſum potius, quam utile ſit; attamen nihil eſt, quod ſuadeat, de populis circa Indum fluvium habitantibus præfatum Lateranenſis Concilii canonem loqui, cum de Porticanis, uti temporali dominio Romanæ Eccleſiæ ſubjectis loquatur, quod ad literam colligitur ibi: Ita tamen, ut Porticani in Romanæ Eccleſiæ, & noſtra, noſtrorumque Succeſſorum obedientia, & fidelitate permaneant. Verbum enim *Permaneant*, præexiſtentiam ſupponit; nemo etenim alicubi permanere poteſt, niſi prius verificetur, quod ibi adeſt. Nec fruſtraneum dicatur id, quod in ultima parte dicti Canonis per Lateranenſe Concilium exigitur a Porticanis, ſi Sedis Apoſt. temporali dominio ſubditi erant, cum ab ipſis exigat obedientiam, & fidelitatem, fruſtra vero id quæratur, quod habetur. Nam reſpondeo, qualiter Lateranenſe Concilium obedientiam, & fidelitatem a Porticanis ſimpliciter non exigit: ſed permanentiam in obedientia, & fidelitate, a qua probabile eſt, quod defecerint temporibus Calixti, quibus dirum ſchiſma a Mauritio Bordino Viro ſceleſtiſſimo Bracarenſi Archiepiſcopo contra Gelaſium Papam Calixti deceſſorem excitatum, Eccleſiam adhuc vexabat. Quæ pluribus narrat Baron. an. 1121.

Veriſimilius autem puto appoſitam conditionem permanentiæ in obedientia, & fidelitate Sedis Apoſtoliæ, quod Porticani in partes Præfecti Urbis inclinaſſent, qui temporibus Calixti II. Urbis adminiſtrationem in temporalibus violenter æque, ac ſacrilege ſibi uſurpare ſtudebat ipſos Romanos Pontifices poſt conſecrationem ad certum cenſum præſtandum compellens. Quæ quidem ſcrilegæ, abſurdæ, & impiæ vexationes, nedum ſedente Calixto, ſed uſque ad tempora Innoc. III. Romanæ Eccleſiæ candorem, & libertatem labefactarant. Innocentius enim III. Urbis Præfecto, cæteriſque Romanis redditur, & conſuetudines a prædeceſſoribus ſuis Rom. Pontificibus contra Eccleſiæ libertatem exigi ſolitas denegavit. Quin & ipſum Urbis Præfectum, qui ad ejus uſque tempora fidelitatis juramento Imperatori obligatus fuerat, & ab eo præfecturæ dignitatem tenebat, ad ligiam fidelitatem recepit, ut ex ejus vitæ Actis fuſe enarrat Baron. extantque Innoc. de his literæ lib. 1. epiſt. 15. 23. 27. 38. 88. 403. Tradit Roger. qui ſub Innocent. III. Anglicam hiſt. conſcripſit, & pleno calamo noto in meis comment. ad cap. cum veniſſent, de in integr. reſt. necnon in altero opere inſcripto Pontifices Legiſlatores in not. ad vitam Innoc. III.

Concludendum propterea arbitror, Porticanos ſuam denominationem ſumere a porticu, & Canonem XII. Concil. Lateranen. loqui de his, qui Romæ porticus habitabant. Romæ ſiquidem ante Barbarorum vaſtationes, & incendia, ingentes aderant porticus, ubi Peregrini recipiebantur, quorum aliqui erant a Baſilica Principis Apoſtolorum uſque ad Molem Hadrianam, ut refert Sigonius Hiſt. Ital. Ann. 1145. fol. 514. Alii vero a Baſilica Sancti Pauli uſque ad portam Urbis, ut colligitur ex Procop. de Bello Goth. lib. 2. Aret. de Bell. Ital. lib. 1. Habitantes autem in porticibus, Porticiani vocabantur, nec parvum ipſorum fuiſſe numerum deducitur ex illorum trucidatione, ſedente Eugenio III. a Romanis in ipſo porticu facta, quam enarrat Sigon. de Bello Ital. lib. 11. an. 1145. Evidenter quoque colligitur, verbum Porticani non poſſe intelligi de Portuenſibus, quod Pontificia Diplomata, & Conſtitutiones tam Prædeceſſorum, quam Succeſſorum Calixti Papæ II. Oſtienſem Portum habitantes, nunquam Porticanos, ſed invariabili vocabulo Portuenſes appellant. Unde ſequitur Porticanos a porticibus denominari perneceſſe fatendum, quod & ſenſiſſe invenio Antonium Aug. in lib. de emend. Gratiani Dialog. 5. fol. 206. Ubi explicando verba d. Can. XII. dicit: Fratres interpretor Cardinales, & Epiſcopos: Curiam vero Curiam Romanam non Clericorum, ſed Civium Romanorum: Præfectum autem Urbis Romæ Præfectum; Porticanos ſuſpicor inepte dictos non a porticibus, ſed a portu Oſtienſi, & aliis, qui portoria exigerent.] FR. Ego tamen ſic ſenſi, nimirum, *Porticanorum* vocabulum variæ intelligi; ſed omnes ejus ſignificationes ad eundem propoſitum coincidere. Pro qua re ſciendum eſt, quod in Concilio Lateranen. de quo agitur in can. XI. loquutum fuerat de Peregrinis, & Cruceſignatis Hieroſolymam, & ad D. Jacobum compoſtellanum, ſive de Cruceſignatis ad hiſpanicum bellum contra Agarenos iter agentibus, in quorum favorem ait ibi: [Et domos, & familias, atque omnia bona eorum in B. Petri, & Romanæ Eccleſiæ protectionem, ſicut a Domino noſtro Papa Urbano ſtatutum fuit, ſuſcipimus. Quicumque ergo ea diſtrahere, vel auferre, quandiu in via illa morantur, præſumpſerint, excommunicationis ultione plectentur.] Sic in can. ſubſequenti in favorem Peregrinorum morientium proviſum fuit, ut

ut bona eorum ſub protectione B. Petri, & Rom. Eccleſiæ ſuſcepta intelligantur, hinc ait: [ Ut porticani in Rom. Eccleſiæ, & noſtra, noſtrorumque Succeſſorum obedientia, & fidelitate permaneant ] Inducor primo hoc aſſerere; quia can. XII. incipit: [ Ea vero porticanorum &c. ] Ubi dictiones *Vero*, *Autem*, quæ ſynonymæ ſunt, dicuntur dictiones, quæ repetunt qualitates caſus præcedentis in ſequentem. Barboſ. de dictionib. uſu frequent. dictione 47. §. Amplia tertio, & dict. 420. n. 2. & 3. Ergo ſi in can. XI. diſpoſitum fuerat de tuendis Peregrinorum bonis, dum iter agebant, pari paſſu in can. XII. decretum eſt pro defenſione bonorum Romipetarum morientium. Quod confirmatur, nam Calixtus in can. XI. Lateranen. Concil. ait: [Sicut a Domino noſtro Urbano ſtatutum fuit.] Urbanus enim: [ Eccleſias cum bonis ſuis, Clericos, videlicet, ac Monachos, eorumque converſos, vel commeſſos, oratores quoque cum rebus ſuis &c. ſine moleſtia eſſe ſtatuit, can. paternarum, 24. quæſt. 3. ] Ubi dictio *Oratores* peregrinos ſignificat, can. Illi qui peregrinos, vel oratores cujuſcumque Sancti, eadem quæſt. Et in privil. Caroli Magni infra ſæpe citan. pro *Oratoribus* peregrini intelliguntur. Ergo Calixtus in prædicto can. XII. Lateranenſis Concilii ordinationibus Urbani ejus prædeceſſoris inhærendo in favorem peregrinorum, ſive oratorum morientium loquutus fuerat. Quod clarius expreſſerat in can. Si quis ead. quæſt. 3. [ Si quis Romipetas, & peregrinos, & Apoſtolorum limina, & aliorum Sanctorum Oratoria viſitantes, capere, ſeu rebus, quas ferunt, ſpoliare &c. donec ſatisfecerit, communione careat chriſtiana. ] Vide hic *Incaſtello*. Inducor ſecundo, quia temporibus Calixti II. a fautoribus Burdini Pſeudopontificis vexabantur peregrini, ut ex ejuſdem Calixti epiſtola ad Anſelmum liquet, quæ a VVillielmo Malmesburienſi in ejus Anglica hiſt. lib. 5. affertur, ubi de Henrico I. agitur, tenoris ſequentis: [ Calixtus ſervus &c. Nuper feſtis paſchalibus celebratis, cum peregrinorum, & pauperum clamores ferre penitus non poſſemus; cum Eccleſiæ fidelibus ab Urbe digreſſi ſumus, & tandem Sutrium obſedimus, donec divina providentia, & ſupradictum Eccleſiæ inimicum Burdinum &c. ] Unde colligitur, quod tempore hujus ſchiſmatis vexabantur peregrini, atque eorum bona, & oblationes ad limina Urbis Eccleſiarum deſtinata a Schiſmaticis auferebantur, & hujuſmodi ejus ſequaces, quia erant etiam ſimoniaca labe infecti, ad ſimilitudinem Imperatoris Hæretici Henericiani dicebantur, ut in dict. *Henericiani* dictum fuit. Quare cum fautor Schiſmatis Henricus Imperator, Eccleſiæ ſe humiliaverit, bona ad Eccleſiam pervenientia per ſe, vel per ſuos ablata reſtitui mandaverat, ut ex ejus Chirographo penes VVillielmum loc. cit. liquet, in quo ſic habetur: [ In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis &c. Ego Henricus Dei Gratia Rom. Imp. &c. pro amore Dei, & Sanctæ Rom. Eccleſiæ, & Domini Calixti Papæ, & pro remedio animæ meæ dimitto Deo, & SS. Apoſtolis Petro, & Paulo, Sanctæque Cath. Eccleſiæ omnem inveſtituram &c. Concedo &c. poſſeſſiones, & reliqua B. Petri, quæ a principio hujus diſcordiæ, uſque ad hodiernum diem &c. ablata ſunt, quæ habeo, eidem Eccleſiæ Sanctæ Rom. reſtituo, quæ non habeo, ut reſtituantur fideliter incumbebo &c. & do veram pacem Domino Papæ Calixto, & S. Rom. Eccleſiæ, & omnibus, qui in parte ipſius ſunt, vel fuerunt, & in quibus S. Rom. Eccleſia poſtulaverit &c.] Unde Præfectus Urbis, qui tunc temporis ab Imperat. dependebat, ( ut bene docuit R. P. D. Galleſius a me contubernio, & doctrina ſumme colendus) erat enim tunc temporis Petrus Leonis, ut ex vita Gelaſii II. a Pandulpho Card. Piſano ſcripta colligitur, apud Conſtant. Cajetanum in vita Gelaſii II. pag. 10. quod, nempe, fuerat de anno 1119. & decretum Calixti II. de quo agitur, emanatum fuerat de an. 1122. Igitur Urbis Præfectus obtemperare coactus fuerat imperiali pragmaticæ de reſtituendis bonis Eccleſiis ſpectantibus a ſectatoribus imperialium partium ablatis. Hinc fortaſſe Clerici, qui *Guidones*, & *Bordinati* Romæ appellabantur, quorum Collegium intra Leoninam Civitatem extabat, tanquam imperiale juſpatronatus a Carolo Magno erectum, ut in dict. *Bordinatus*, & dict. *Guido* dictum fuit, partes imperiales fovebant, & bona peregrinorum penes ſe morientium uſurpabant: iſti enim Clerici ab eodem Imperatore ad conducendos peregrinos, ad ſepeliendos advenas tam nobiles, quam ignobiles inſtituti erant: inſuper ad illos ſpectabat tertia pars oblationum, quæ a Peregrinis piis Urbis locis deferebantur. Unde de S. Giraldo Aureliacenſi Comite legitur, quod frequenter Romam devotionis cauſa adire ſolebat, & pro oblatione SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli decem ſolidos ad collum ejus dependentes ferebat; ita Odo Abb. Cluniacen. in ejus vita, lib. 2. cap. 17. Guidones autem a ducendo dicebantur, & Guidonea porta una ex Vaticanæ Baſilicæ januis, ut in dict. *Guidonea* diximus, dicebantur; ibique oblationes peregrinorum, quæ præcipue in candelis conſiſtebant, & ad Guidones ſpectabant, vendebantur: unde Mallius apud Torrigium de Cryptis Vatican. impreſſ. ſecunda pag. 582. [ Guidones, qui ducebant oratores ( *ideſt*, *devotos* ) venientes per porticale, quod eſt juxta Nolarium majus, frequenter per eam intrabant; unde uſque ad noſtra tempora, ( *ideſt*, *Alexandri III.* ) faculæ, vel ceræ ibi vendebantur. ] Imo ne dum cereæ oblationes; ſed etiam vota, & trophæa B. Petro oblata ibi appendebantur: [ Supra portam Guidoneam erant olim appenſa lancea, & vexillum a Rege Hiſp. ann. 1212. devicto Miramolino Regi Saracenorum ad B. Petri corpus pro Chriſti gloria, ut eminenti loco ſuſpenderetur, miſſa; ut etiam lancea, corona, & vexillum Regis Albuini, miſſa ab Henrico Imperatore. Panvin. apud Torrigium, ibidem, pag. 583. ] Ex quibus colligitur, quod iſti Ultramontani Clerici Guidones, & Bordinati appellati, curam ſibi oblationum aſſumebant, ac trophæa

B. Pe-

B.Petro oblata non in aliis portis ejuſdem Baſilicæ appendebantur, ſed in ea ubi aſſidue peregrinos expectabant; at Romani hæc munera inſolenter ſibi uſurpabant deinde uſque ad tempora Eugenii III. [ Peregrinos, cauſa orationis venientes, ad oblationem,quæſtus gratia, plagis, & verberibus cogebant, ac quidem ex ipſis offerre nolentes, in ipſa porticu, & veſtibulo templi nefario auſu occidere non verebantur, ] ut in epiſt. Lucii Papæ in dict. *Inc[illegible]ello* allata prolixius videri poſſet. Sed quid tandem Porticani cum Guidonibus, ſive Bordinatis, & peregrinis? Ad quod reſpondeo, ſupponendo prius,quod in dicto canone XII. nedum de mortuis porticanis, ſed de vivis etiam loquitur. De mortuis enim, ubi ait: [ Illam vero pravam porticanorum defunctorum conſuetudinem &c.]& inferius:[ Ut porticanorum habitantium ſine hæredibus morientium. ] At de vivis Porticanis in fine canonis, ubi inquit: [ Ut Porticani in Romanæ Eccleſiæ &c. obedientia, & fidelitate permaneant.] Non enim niſi a vitæ uſura fruentibus obedientia, & fidelitas præſtari poſſet. Unde infero, quod ſicut *Hoſpes* tam de hoſpitato, quam de hoſpitante dicitur: ſic *Porticani habitantes*, ideſt, hoſpitati, & recepti, ibi morientes &c. & Porticani receptores intelligantur; ſicut etiam Bordinati a bordone, & pertica non ſolum de peregrinis dicuntur, ſed etiam de Guidonibus in privil. Caroli Magni, cit. quia Guidones peregrinos per Urbis loca conducentes,laſſitudinis cauſa etiam bordonem, ſive perticam viatoriam ferebant. Inde puto, quod potius *Perticani*, & non *Porticani* in eo canone dici debuiſſent a pertica; ſicut in dict. *Pertingherius* corrupte ab Hiſpanis appellari dicemus, quorum Collegium Schola Bordinatorum,ſive Virgariorum a virgam ferendo, & Saxonum dicebatur; de Schola Bordinatorum,in d.Bulla Caroli Magni.Reliqua Vide *Schola Virgariorum*, *Schola Saxonum*. Et dicebatur etiam *Vicus Saxonum*. Baron. in notis ad Martyrol. 10.Novembr. litt. *a*. Nihilominus ſuſtendando eandem canonis prolationem; per *Porticanos* eoſdem Guidones, ſive Bordinatos intelligo; nam Carolus Magnus hoc Clericorum Collegium,ſeu Scholam in Civitate Leonina fundaverat ſub his verbis in d. privil. nempe; [ Et ut ipſa Eccleſia dedicata in honorem S. Salvatoris D. N. Jeſu Chriſti. ] Et inferius: [ Conſtituimus etiam,ipſa dicta Eccleſia in circuitu ipſius totum prædium, ubi ſita eſſe videtur in integrum cum terminos a primo latere porticu majore pergente juxta Vaticanum &c. Apud Torrig. ibid.pag.505. ] Quæ porticus ab Adriana Mole uſque ad S. Petri Baſilicam protendebatur.[Via erat porticu contecta,per quam ad Templum B. Petri vadebatur. Sub ea igitur porticu latentes Gothi, cum tempus rei gerendæ viſum eſt, egreſſi ex inſidiis repente ad Molem Adriani invadendam convaluerunt.Blondus, decad. 1. lib. 4. pag. mihi 50. litt. H.]quæ porticus ab eodem ſchiſmatico Imperatore Henerico demolita eſt, ſic idem Blondus, decad. 2. lib. 3. pag. mihi 203. litt. D. [ Affirmat vero Pandulphus Lateranenſis Eccleſiæ Biblioth & ipſe Pontifex Greg. VII.in ſui Regiſtri epiſtolis ſcriptum reliquit, Henricum porticus binas diruiſſe,quas hinc ab Adriani Mole Caſtello S. Angeli ad S. Petri, inde a trigemina Oſtienſi porta ad S. Pauli vias contexiſſe, & aliquando docuimus, & identidem aſſirmamus. ] Itaque cum Guidonum,ſeu Bordinatorum Collegium una cum eorum Eccleſia ſub titulo S.Salvatoris ad prædictam porticum conterminaret,S.Salvatoris de Bordonia,ſive in Bordonia, & S. Salvatoris in Porticu, & de Porticu appellabatur, quæ hodie S. Jacobi Coxæcaballi dicitur. Floravant. Martinellus in ejus Roma Ethnico-ſacra, pag. 119. 388. & 391. licet hic Auctor, pag.389. ex Jacobo Grimaldo aſſerat, ita etiam appellari Eccleſiam S. Salvatoris de Oſſibus,quæ adhuc prope Sac. Inquiſitionis Palatium exiſtit;poteſt tamen eſſe, quod hæc Eccleſia Guidonum grangia fuiſſet, & pro Cœmeterio ad ſepeliendos peregrinos inſerviſſet; nam Guidones vaſtiſſimum ſpatium in Civitate Leonina ex prædicto imperiali privilegio poſſidebant; ibique in variis eorum domibus Laici Ultramontani cohabitabant; hinc Blond. in ejus Roma inſtaurata, lib. 1. cap. 42. inquit. [ Hadrianus I. Pontifex Rom. Saxones primo, & brevi poſt Longobardos, multitudinem haudquaquam contemnendam, Civitate a Romanis donari curavit; quibus gentibus, Romanis cum non eſset viſum ſatis tutum intra Urbis mœnia dare ſedem, aſſignaverunt in Vaticano tunc immunito: ut, cum pons triumphalis tunc etiam dirutus eſset, vix illius ædificia a Tyberi ad territorium triumphale continuata, habitarent.Innuunt hæc & non parva ex parte narrant Hadriani ipſius, & poſtea Leonis IV.Pontificis Romani geſta: quorum Hadrianus Longobardos, & Saxones fœderatos, ſubditoſque recipi curaſſe dicitur: Leonis autem geſtorum narratio habet, illum appellaſse portam mediam murorum a Mole Hadriani ad palatium perductorum,quæ duceret ad viam Longobardorum, & Saxonum, nomine Poſterulam: hinc factum eſt, ut celeberrimum illud Hoſpitale ab Innocentio III. ædificatum, a vico Saxonum, in quo ædicatum fuit, in Saxia appellaretur. ] Omnes autem hujuſmodi adventitios a porticu conterminante Porticanos appellatos fuiſſe, & tamquam Ultramontanos tempore Schiſmatis ab Henerico Imperatore contra Calixtum II. ſuſtentatos, partes imperiales illos ſectatos fuiſſe, credibile eſt. Sed quia eos ſubditos, & Eccleſiæ Romanæ fœderatos in primordio incolatus ab Hadriano Papa, ex Blondo cit. receptos fuiſſe liquet;hinc Calixtus in ejus Lateranen.Concil.can.XII. ut ſub priſtina obedientia, & fidelitate permanerent, poſt actam cum Henerico pacem decreverat. Inſuper quia porticani Clerici Guidones appellati, omnes hujuſmodi adventitios tamquam Ultramontanos vigore privilegii Caroli Magni jus eos ſepeliendi habebant: imo cum eiſdem Clericis habitaſſe, ſeu hoſpitatos fuiſſe fas eſt credere, dum Calixtus inquit *Porticanorum habitatorum*, & Urbanus ſupra *Clericos videlicet*, *Ora-*

*Oratores quoque*; nempe peregrinos; hinc ipſi bona porticanorum ſine hæredibus morientium tempore ſchiſmatis uſurpabant. Quandoquidem: [ Præterea cum miles (*ideſt, nobilis*,) aut Clericus domum religionis ingreditur, vel apud Religioſos eligit ſepulturam: etiam ſi nihil loco religioſo (*ideſt, pio*) reliquerit, difficultates ingerunt, & malitias, donec aliquid muneris manus contingebat eorum &c. c. Audivimus, de Simonia.] Imperiali enim lege utebantur, ideſt, l. 14. §. ſi colonus, de Relig. & ſum. fun. ubi Ulpianus inquit: [ Si Colonus, vel Inquilinus ſit is, qui mortuus eſt, nec ſit unde funeretur ex invectis, & illatis eum funerandum. Pomponius ſcribit: Et ſi quid ſuperfluum remanſerit, hoc pro debita penſione teneri.] Quod eſt contra Canones in 13. quæſt. 2. inſertos, ubi cavetur, ut nil vi pro jure funerandi capiatur. Ac terra cœmeterii pro ſepultura fodienda vendi non debet, c. abolendæ conſuetudines, in lib. 3. Decretal. de ſepulturis, & expreſſius in eod. lib. tit. de ſucceſſ. ab inteſtato, c. 2. ſic habetur: [ Quidam laici improbe agunt contra Prebyteros ſuos; ita ut de morientium Presbyterorum ſubſtantia partes ſibi vindicent, ſicut de propriis ſervis &c.] Unde contra pravam Porticanorum Clericorum conſuetudinem in dicto Canone proviſum fuit. Qui Clerici etiam Porticani dici potuiſſent a portando, & ferendo mortuos, quos Latini Portitores vocabant, ſic Virgil. lib. 6. Æneid. Charontem a portando mortuos Portitorem appellavit.

Portitor has horrendus aquas, & flumina ſervat
Terribili ſqualore Charon.

Sic etiam D. Ambroſ. lib. 5. in cap. 7. Lucæ loquitur, ubi de Viduæ filio a Chriſto reſuſcitato agit: [ Audito igitur Dei verbo, ſteterunt acerbi illius funeris portitores, qui corpus humandum lethali fluxu naturæ mortalis urgebant.] Quare ſicut & cætera Latinorum vocabula corrupta proceſſu temporis fuere, ſic portitores fortaſſe porticani dicti ſunt. Vel Porticani etiam a porticibus appellabantur, quia antiquitus in porticibus fideles ſepeliebantur, ut in can. præcipiendum, 13. quæſt. 2. & paſſim ex Decretali colligitur, quemadmodum a foſſa, ſive tumba, in qua Clerici mortuos ſepeliebant, *Foſſarii* vocati ſunt, quod in dict. *Foſſarius* dictum fuit. Vel iſti Clerici funeratores a monumenti porticationibus Porticani appellati fuere, ut habetur in l. funeris, ff. lib. 11. tit. 7. nempe: [ Itaque ſi amplum (*ideſt monumentum*) ædificari Teſtator juſſerit, veluti in circuitu porticationes, eos ſumptus in cauſa non eſſe.] Sepulcra enim Magnatum porticibus includebantur. [ Id autem in quo dicuntur ſepulti filii ejus, & uxor Dionis, in area collocatum, quæ porticibus includitur. Plin. epiſt. lib. 10. ad Trajanum Imp. tit. de Dione, qui reliquias ſuorum religioſo loco poſuiſſet.] Item alia etiam Hoſpitalia in Porticu B. Petri extabant. Vide Torrigium, hinc ex Guhelmo Biblioth. in dict. *Heptaticum.* At dum plus, quam præfatos Eruditiſſimos Scribentes in hoc compaginaſſe videar, minus tamen, quam eos metam attigiſſe, nedum reor, ſed ſatis compertum habeo; valde enim ſuſpicor, quod R. P. D. Suareſius veritatis limen tetigerit: nam poſtquam hæc omnia ſcripſeram, incidi in can. P. principalis, diſt. 63. quæ eſt Pelagii Papæ epiſtola, ubi ſic habetur: [ P. principalis devotiſſimorum militum, qui in Civitate Centumcellenſi conſiſtunt &c.] unde patet, quod Porticani, qui a Calixto in decreto, de quo agitur ut in Romanæ Eccl. &c. obedientia, & fidelitate permaneant, intelligendum erit de illis militibus devotiſſimis, ibi tunc commorantibus &c.

PORTICATIO. Vide *Porticani*.

PORTICUS. Videm *Embolus*. *Imbolus*. *Lobium*. *Macrena*. *Oriolum*. *Porticani*.

PORTINGHERIUS, ſive *Perticherius*, miniſter eccleſiaſticus apud Hiſpanos a pertica, quam geſtat in functionibus Eccleſiæ, ita appellatus, quemadmodum Romani Curſores, & Sodalitatum Mandatarii ferre ſolent. Vide *Porticani*. *Bardariota*. *Primivirgius*.

PORTIO. FR. hæc vox medietatem totius ſignificat. arg. ex c. ſtatuto, de Decimis in 6. ubi dicitur: [ Ut novalium decimas pro ea portione percipere valeant &c.] & inferius, §. ſtatuimus ibid. habetur: [ Statuimus præterea, quod idem indultum obtentum ab iis, qui tempore impetrationis totaliter veteres percipiebant decimas, ultra medietatem decimarum novalium non extendant.] Et clarius habetur, quod nomine portionis dimidia pars contineatur, in l. nomen filiarum, §. portionis, ff. de verbor. ſignificat.

PORTIONALIS, particularis. [ Cujuſcumque membri truncatio, vel obtuſio, nonne membri mors eſt? Si univerſalis mors reſcinditur, quid portionalis? Tertul. de reſur. carnis, c. 57.] ubi auctor hoc termino utitur ad contrapoſitionem termini *Univerſalis*; ſic etiam idem adver. Pſych. c. 9. [ Nam excepto eduliorum quorumdam portionale jejunium eſt.

PORTIONARII. FR. In Tuſcia dicuntur Beneficiati, qui una cum Canonicis tenentur officiare in Choro; ita appellati, quia portionem menſæ capitularis participant.

PORTITOR. FR. Lator. [ De præſentium portitore, quod defenſor factus non eſt, nulla vobis animi moleſtia ſit, can. De præſentium, 16. q. 1. Scripſiſſe te quibuſdam comperimus, quod prædictos viros tunc ad cauſam non miſeris, & ideo quæ cum ipſis facta ſunt ſubſiſtere non debere: ſed & Thomas ſibi hoc a te dictum præbuit, ex qua re nec præſentium portitoribus judicavimus eſſe credendum, lib. 1. decretal. tit. 38. c. 1.] Item *Portitores* dicuntur Feretrarii ex Virgilio, & D. Ambroſio, in dict. *Porticani*, prope finem.

PORTORA. FR. idem ac portaticum ſupra. Bullar. Caſin. tom. 2. conſt. 20. & 27.

PORTULANUS. FR. portus præſidens, qui etiam *Portunarius* dicitur. Bullar. Caſin. tom. 2. Conſt. 187. n. 7. & L. ſi Portunarius, de furtis. Quod officium adhuc ſub eodem vocabulo in utraque Sicilia viget. Vide *Limenarcha*.

Portunaticum. FR. vectigal ob commoditatem portus ſolvendum. Bull. Caſin. tom. 2. conſt. 178.

Positale. FR. poſitivum, quatenus, nempe, a termino negativo contradiſtinguitur, quo Dionyſius Charruſ. uſus eſt, ubi initium Evangelii S. Jo. explicat, inquiens:

Abs te nihil, & peccatum
Factum eſt, non habens ratum
Eſſe, quantum ad formale,
Quod non eſt quid poſitale.

Ubi dictio *Abs* valet abſque, quia ſine divino Verbo nihil factum eſt, neque peccatum materialiter ſumptum, quod circa formale, non eſt quid poſitivum.

Possessio Ecclesiastica. Vide *Manus mortua*.

Possessor. FR. accipitur pro Divite. [ Clericorum, & Honoratorum, ac Poſſeſſorum, & Curialium decreto conſtituantur &c. in Cod. Juſtinian. l. defenſores ita præcipimus. De defenſorib. Civitatum.

Possessor bonorum. Vide *Diacatochus*. Poſſeſſoris teſtis in pari teſtium concurrentia præferendus. Vide *Teſtis*.

Possum. FR. verbum, pro expedit. [ In quo Sedes Apoſtolica diſpenſare non poteſt ] ideſt non expedit, ſeu licet. De reſtit. ſpoliat. c. 13. Ubi Gloſſa interpretatur: [ Non vult, ſeu non poteſt, de jure, ] quod valet, non expedit. Et idem habetur in lib. 3. decretal. tit. 48. c. ult. ubi ſic Papa reſpondit: [ Tibi non poſſumus de jure deferre. ] Item quando huic verbo negativa præponitur, neceſſitatem importat, cum autem affirmative ponitur, neceſſitatem non inducit. Gloſſ. in Regula 2. de regulis Jur. in ſexto, §. Non poteſt. Item *Poſſe*. Vide *Occurro*.

Post. FR. præpoſitio, poſita loco, *Per* [Qui ſine omni lege vagabundi vadunt poſt iſtam terram, non ſinantur vagari, & deceptiones hominibus agere. In Conſtit. Caroli Magni, lib. 1. c. 79.

Postcommunio, ſic appellantur Miſſæ preces, quæ a Celebrante poſt Communionem recitantur, & in aliquibus pervetuſtis Ritualibus *Complenda* dicuntur. In Sacramentario S. Gregorii Papæ *Ad complendam* appellatur. FR. Item & *Completa* in vita S. Bercharii Abb. Vide *Complenda*:||: Contra quem ritum quotidie Celebrantes agunt, qui in fine Miſſæ, vel ante eam fideles communicare ſolent. In Rituali enim Rom. in tit. de Euchariſtiæ Sacram. his verbis cavetur: [ Communio autem populi intra Miſſam ſtatim poſt communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet (niſi quandoque ex rationabili cauſ poſt Miſſam ſit facienda) cum orationes, quæ in Miſſa poſt communionem dicuntur, non ſolum ad Sacerdotem, ſed etiam ad alios communicantes ſpectent. ] Rationabilis cauſa eſſet, quando multitudo, & non paucitas communicantium concurrit; nam in primo caſu Miſſa pro non communicantibus in longum protraheretur, quod in ſecundo caſu non ſuccederet. Vide *Communio*.

Postena. FR. pars corporis poſterior; unde in Vita S. Gulielmi Abb. de equorum dorſis, ſic Matthæus Pariſius inquit: [ Qui fortes erunt ad portandum de conſuetudine pannos unius Monachi (ſi opus ſit) ad poſtenam unius armigeri.] Poteſt locus hic de equi dorſale intelligi, quod ab aliquibus *Poſtella* dicitur.

Postergale. Vide *Dorſale*.

Postes. Vide *Paraſtitia*.

Posthumus. Vide *Poſtumo*.

Posticiarius, & *Poſticiaria*. Janitor, & Janitrix. [Per poſticiarias det, & ipſæ nomine illius tranſmittant. In regul. S. Cæſariæ Virg.

Postilla, dicitur explicatio marginalis alicujus verbi in textu obſcuri, & ſonat *Poſtilla*, nempe, poſt illa verba textus.

Postillator, qui poſtillam ad textum interpunxit, quorum primus Hugo Cardinalis, qui floruit anno 1240. fuit.

Postinvicem, ideſt, ſucceſſive, Africanorum Scriptorum phraſis, qua uſi ſunt Pontius in Vita S. Cypriani, ac D. Auguſt. lib. 6. Confeſſ. & in Pſalm. 3.

Postliminium. FR. ita per Gloſſam in can. prima actione, 16. quæſt. 3. definitur. [ Poſtliminium eſt jus amiſſæ rei recuperandæ ab extraneo, & in ſtatum priſtinum reſtituendæ, ff. de cap. & poteſt. rever. poſtliminium. Datur autem ſecundum leges poſtliminio revertentibus, reciſſoria intra quadriennium. Inſtit. de act. §. rurſus. Cod. de integ. reſtit. l. ult. Si tamen non potuerit agere in hoc quadriennio, per aliquos dies reſtituitur ad eos, ff. ex quibus cauſis majo. l. ſed etſi per prætorem, §. ſi feriæ. Secundum canones, cum non currat in hoc caſu præſcriptio, non dabitur reſciſſoria.

Postulatus. FR. Expoſitus, præſentatus. In extrav. comm. de poſtulat. prælator.

Postulo. FR. verbum, ſignificat deſiderium ſuum exponere, vel alteri contradicere. Gloſſ. in c. Cum Sacerdotis, lib. 1. decretal. de procuratoribus. Item ſignificat reſpondere. Vide *Reſpondeo*.

Postumatus. Vide *Poſtumo*.

Postumo, ideſt, ſequor. [ Cæteri vero Prophetæ, etſi Moyſi poſtumant. Tertull. adverſ. Gent. c. 19.] Debet igitur ſine aſpiratione ſcribi, ſicut ex antiquis inſcriptionibus colligitur, & paſſim ex eodem Tertulliano. [ Omnis enim conſummatio, atque perfectio, etſi ordine poſtumat: effectu tamen anticipat. de reſurrect. carn. cap. 45. ] Ideo filius poſt genitoris mortem natus, *Poſtumus*, & non Poſthumus appellandus eſt; ideoque Latinus Latinius Theſaurum linguæ Latinæ, & conſequenter Calepinum corrigit; nam nomen hoc non a *Poſt humum*, ideſt poſt humatum Patrem, ut communiter creditur, ſed a dictione *Poſt extumus* derivatur; quare Tertullianus aſſerens legis moſaicæ præceptum, in quo ſuſcitare ſemen fratris abſque liberis deceſſi, diſponitur, ſic eleganter loquitur: [ Ideo illis ex ſuo genere vicaria, & quaſi poſtuma ſoboles ſupparabatur, de monogamia, c. 7. ] legitur item apud eundem Scriptorem *Poſtumatus* participium. FR. Vide Gell. l. 2. c. 16.

Po-

Potaculus, ideſt, bibaculus. Vide *Voratrinus*.

Potentia. FR. apud Canoniſtas quinque modis conſideratur; unde verſus ille:

Poſſe quidem rebus dant jus, natura, poteſtas,
Officium, meritum, ſextum divina voluntas.

Gloſſa in cap. Sciſcitatus, lib. 1. decretal. de reſcriptis. Item potentia baculum incumbitorium ſignificat. [ Sanctum Lifardum viderunt aſſiſtere, tenentem baculum in manu dextera, qui vulgari vocabulo nuncupari potentia conſuevit. In Vita S. Lifardi.

Potest. Vide *Poſſum*.

Potento, poteſtatem exercito, verbum a Lucifero Caralit. uſitatum, qui textum Jeremiæ, c. 7. ſic vertit: [ Proſelytum, & pauperem, & viduam non potentabis, lib. 2. ad Conſtant. Imp.

Potestaria. FR. poteſtas, officium Tribuni plebis in rebus publicis in Italia, quod vulgari ſermone *Il Podeſtà* nuncupatur. Extrav. comm. de majorit. & obed. c. unico. Vide *Judex*.

Potiono, potum præbeo. [ Eſt calix aureus Babylonis, de quo potionavit Hieremias Reges terræ, in quo miſcetur vinum erroris, vinum vertiginis. Petr. Bleſen. ſer. 46. ] ſignificat etiam venenum præbere; unde

Potionatus, veneno imbutus.

Pottus, ænum, caldarium. [ Quod cervix ſui capitis bulliebat ad modum potti igni ſuppoſiti. In vita B. Collectæ 6. Mart.

Poulainia, calceamenti cuſpis acuta, qua forma illis temporibus Principes utebantur, ut ex antiquis picturis colligitur; ita appellabatur ex forma acuta ad ſimilitudinem unguis pulli. [ In illis diebus nobiles, & potentes illam ſotularium acutiam longiſſimam, quam poulainiam vocabant penitus contempſerunt. In vita Ven. Mariæ de Malliaco, 28. Mart.

Præ. FR. præpoſitio loco pro, vel per. [ Si vero non præ voluntate ſua, ſed præ malitia populi non ſuſceperit. In can. apoſtol. c. 35.

Præambulus, præcedens, præambulator, præcurſor: ita a Petro Bleſenſe appellatus fuit Chriſtus, qui Cruce præcedens ejus aſſeclas ad illum imitandum invitat: [ Et tu fili crucem portes, ſequens præambulum tuum in compaſſionibus proximi, & carnis mortificatione, ſer 41.

Præpenda. FR. [ Eſt jus quoddam ſpirituale percipiendi Eccleſiam, vel ipſam præbendam. Quandoque dicuntur ipſi fructus præbendæ. Gloſſa in cap. Sed adhuc 1. quæſt. 3. ] Sed melius dixiſſet eſſe jus ſpirituale, ſeu titulum in Eccleſia, quemadmodum habetur in lib. 3. decretal. de præbendis, & dignitatib. can. non licet, ubi dicitur, quod non liceat Epiſcopo aliquem ordinare ſine titulo, & clarius, lib. 3. de præben. & dignit in ſexto, & in lib. 3. Clementin. ejuſdem tit. ac tit. 3. Extrav. Jo. XXII. ubi præbenda beneficium Eccleſiaſticum intelligitur. Aſſerit item Gl. ſupra cit. quod emere Præbendam, ideſt, Eccleſiam, ſive titulum, ſit ſimonia, ſecus autem ſi præbendam, ideſt, redditus emat. Aliquando tamen præbenda ſumitur pro militari ſtipendio. [ Item qui exercitui præbendam conduxerit, can. ſi teſtes, 4. quæſt. 2. & 3. §. Is, qui. ] Præbendæ Eccleſiaſticæ ſynonyma. Vide *Beneficium*. *Canonia*. *Conradium*. *Sacerdotium*. *Victuale*.

Præbendalis. FR. quidquid præbendæ ſit. [Ut donec idem Magiſter in eadem Eccleſia fuerit præbendale beneficium aſſecutus, de præben. & dignit. cap. 17. Donec idem G. integrum eſſet præbendale ſtipendium aſſecutus, ibid. cap. 25. & 27. in fine.

Præbendaria, educanda in Monaſterio Monialium, ſeu Convictrix. [Filia cujuſdam carnalis erat dœmonium habens, cui locum Pater impetraverat in Monaſterio præbendariæ, non ſororis, ſed a ſororibus ſequeſtratum, & hoc prece, non pretio factum. Engelhard. c. 17.

Præbendatus. FR. Beneficiatus.

Præbere verbum, promittere ſignificat, quod italice *Dar parola* dicitur. [ Ut verbum, quod ei per Azimarchum virum magnificum Scribonem præbuit, cuſtodire debeat. D. Greg. in Regiſt. lib. 8. epiſt. 57.

Præcentor. Vide *Archiparaphoniſta*. *Archicantor*. FR. Vide c. 6. lib. 1. decretal. tit. 4.

Præceptalis. FR. juſſorius; [ Noſtra præceptali ſanctione decrevit juſſio. In Bulla Caroli Magni, apud Torrig. de Cryptis Vatican. ſecunda impreſs. pag. 508.

Præceptum. Vide *Entelma*. FR. Item ſignificat inſtrumentum, privilegium. Gloſſ. in l. de poſſeſſione, de præſcriptione, & Bullar. Caſin. tom. 2. Conſt. 27. Præceptum, & conſilium, in quo differant. Vide can. quiſquis, & can. ſeq. 14. quæſt. 1. Vide *Proſtagma*.

Præcessor, & *Prædeceſſor*. FR. qualiter differant. Vide Gloſſ. in c. 1. de renunciat. in 6.

Præcipitoria. FR. bellica machina ad præcipitandos Adverſariorum muros, forſan aries antiquorum. [Caſtrum infatigabiliter erectis mangonellis flagellarunt, compoſitis petrariis diſſiparunt, compactis præcipitoriis impegerunt. Matth. Pariſ. an. 1242.

Præcisamen. FR. præſegmen, ſeu ſuperfluitas unguium, quæ præcidi, vel præſecari ſolet, ita in Hilar. lib. 16. de Trinit. Latinius in ejus Biblioth. pag. 60 col. 2. verſ. 9. Sed Fulgen. de nomin. antiq. ait eſſe partes corporis inciſas.

Præco. FR. divulgator. Gloſſ. in clement. dudum, de judiciis.

Præconium. Vide *Cereus paſchalis*. Verba in eo corrigenda. Vide *Paſcha*.

Præcono, præconizo, publico. [ Taceo prophetas, alioſque etiam numerare longum eſt, quibus tamquam gallis Dominus dedit intelligentiam, ut adventum veræ lucis longe ante ejus ortum præconarent. Petr. Bleſen. ſer. 9.

Præconans, publicans: [ Non deſiit ſolum Deum verum ex toto corde, decretiſque præconantibus confiteri. D. Ambroſ. de pœnit. c. 16.

Præconabilis, laudabilis. [ Opinabilem, & celebritate doctrinæ præconabilem virum. In vita S. Eulogii Presb. & Mart. 11. Mart.

Præ-

**PRÆCURSOR**. Vide *Manſionarius*. *Præambulus*. *Præitor*.

**PRÆDESTINATIO**. FR. de qua agitur in 23. qu. 3, can. 20. 21. 22. & 23. Sed in quo differat *Prædeſtinatio* a *Præſcientia*, in Collect. S. Maximi Mart. cum Theodoſio Epiſcopo Schiſmatico hæc altercatio habetur, quæ ita reperitur in Collect. Anaſtaſii a Sirmondo, in 8. edit. pag. 150. [ Dicit ad eum Theodoſius Epiſcopus. Quomodo habes Abbas? Et Maximus ad eum: Sicut prædeſtinavit Deus ante omnia ſæcula, quæ circa ſingulos ſunt? Maximus: Si præſcivit, utique & prædeſtinavit. Theodoſius: Quid eſt hoc ipſum, quod aſſeris, præſcivit, & prædeſtinavit? Maximus: Præſcientia eſt cogitationum, & ſermonum, & operum, quæ ex nobis ſunt: Prædeſtinatio vero eorum, quæ ex nobis non accidunt &c. ] Hoſpitalitas eſt prædeſtinationis ſignum. Vide *Xenoparochus*.

**PRÆDICARE** aliquem ideſt, proponere. Vide *Ordo*.

**PRÆDICATOR**. Vide *Concionator*.

**PRÆDIUM**. FR. non ſolum ruſticum intelligitur ſed etiam urbanum: [ Statutum Baſilii de non alienandis prædiis ruſticis, vel urbanis &c. De conſtitutionibus, c. Eccleſia Sanctæ Mariæ, ] ubi Gloſſa inepte interpretatur per ruſticum prædium, quod ædificio caret, & per urbanum, quod habet ædificium; nam urbanum, vel in Urbe, vel prope intelligitur; licet non a loco, ſed a ſervitute arguatur. Valentinus Forſterus de juriſdict. Rom. par. 2. Annotationum, ad leg. 4. ſect. 2. tit. De privatarnm poſſeſſionum terminis, & de judicio finium regundorum, n. 21.

**PRÆFATIO**, eſt precatio præcedens ad Sac. Canonem Miſſæ, cum ſit quaſi ſacrificii præparatio. Durand. lib. 4. cap. 33. Quæ antiquiſſima eſt, de qua Cyprianus mentionem facit inquiens: [ Ideo & Sacerdos ante orationem, præfatione præmiſſa, præparat fratrum mentes dicendo, Surſum corda: ut dum reſpondet plebs, Habemus ad Dominum, admoneatur, nil ſe aliud, quam Dominum cogitare debere. Claudatur contra Adverſarium pectus, & ſoli Deo pateat: nec ad ſe hoſtem Dei tempore orationis venire patiatur, in ſerm. 6. de communione danda, in can. quando de conſecrat. diſt. 1. ] In Miſſali Mozarabico *Illatio* appellatur. Aliqui S. Dionyſium, ſeu S. Leonem Papam, & alii Gelaſium Præfationis auctorem faciunt. Durand. lib. 4. c. 33. Pelagius II. novem Miſſæ præfationes, quæ nunc in Miſſali habentur, fatetur illas in Romano Catalogo inveniſſe. Baron. an. 590. n. 5. FR. ſed Gratiani Decretum, in tit. ad can. invenimus, de conſecr. diſt. 1. habet mendoſe *Gelaſius*. Quibus Urbanus II. an. 1095. addidit decimam præfationem de B. Maria, dum in Eccleſia ejuſdem Virginis Campaniæ celebraret, quæ repente per Spiritum Sanctum ei ſuggeſta fuit cum totius populi ſtupore ibi aſtantis. Infra Octavam ſolet ejuſdem Octavæ præfatio recitari, aliquibus tamen caſibus exceptis, ut exempli gratia in feriis privilegiatis, in quibus præfatio communis dicitur; unde in Miſſa Litaniarum majorum dicitur ferialis præfatio temporis Paſchalis. Præterea in quatuor temporibus, quæ infra octavam Beatæ Mariæ occurrere ſolent, dici debet præfatio communis ferialis. Idem obſervandum in Vigiliis S. Jo. Bapt. & SS. Petri, & Pauli infra octavam Corporis Chriſti occurrentibus. Sac. Congr. Rit. 12. Decembr. 1626. FR. Antiquitus in præfatione Miſſæ narrabatur compendioſe vita illius Sancti, de quo celebrabatur feſtum. Baron. an. 109. n. 5. Fortaſſe ideo præfatio dicebatur, quia erat panegyris illius Sancti, ideoque fortaſſis laudes Præfatio appellabantur, quia in eis Sancti currentis narrabantur laudes. Vide *Laudes*. Reliqua ad præfationem ſpectantia. Vide *Communicantes*. *Deo gratias*. *Surſum corda*. Præfatio communis dici debet in vigilia S. Joannis, & Apoſtolorum Petri, & Pauli, ſi venerint infra octavam Corporis Chriſti. Vide *Vigilia*.

**PRÆFECTIANI**. FR. Juſtitiæ miniſtri, Satellites. Præfectiani, quia Præfecti Romani miniſtri erant: de quibus C. Theodoſ. lib. 8. de diverſ. off. l. 19. [ Cujuslibet Judicis apparitores, inter quos etiam Præfectianos locamus, ad quamcumque aliam militiam, vel palatinam, vel militarem tranſierint, retrahendi hos copiam illi, quos deſeruere, tribuimus. ] Quare verum hujus vocabuli ſignificatum haud intellexiſſe videtur Lacerda, dum inquit, Præfectianos genus militum fuiſſe; nam ex textu adducto ſatis liquet, præfectianos inter apparitores eſſe locatos, & a quacumque militia eos pro Præfecti ſervitio revocare licebat.

**PRÆFECTUS** Evangelio. Vide *Proceſſio*.

**PRÆFOCATUS**. FR. anguſtiatus. [ Hodie te ordinare vult Chriſtus, ne præfocatus præſentibus hominum curis non poſſis verbo Dei vacare, can. te quidem, 11. qu. 1. ] Vide *Suffocatus*.

**PRÆGNATUS**, graviditas, fœtura, prægnatio. [ Juvenculæ, ſcilicet, prægnatus, & partus. Tertull. adver. Jud. cap. 9.

**PRÆGRAVO**. FR. aggravo: [ Hi enim Pontifices indiſcreto moderamine Eccleſias Parochianas prægravantes, can. Inter cætera, 10. q. 3.

**PRÆJACENS**. FR. in aliquo miniſterio exiſtens, ac præſidens; ſic enim D. Gregorius Papa, lib. 9. epiſt. 29. ad Marinianum Ravennaten. Archiep. ſcribens, Clericos in miniſteriis Eccleſiaſticis reſidentes appellavit: [ Præbendi itaque ſunt Clericis veſtris per ſingulos, ſicut conſpexeritis, ſimul omnis ſumma ſolidi centum præjacentibus.

**PRÆITOR**, præcurſor: [ At qui venturum, ut præitor, (*ideſt Joannes Baptiſta*) nunciavit conſiſtentem, ut Propheta agnovit. S. Hilar. in cap. 11. Matth.

**PRÆJUDICO**. FR. damnum infero: [ Res inter alios acta, aliis non præjudicat. In decretal. de fide inſtrumentorum, c. 6. & de re judic. c. 17. & c. 25. ibid.

**PRÆLATITIUS** habitus. Vide *Birrus*.

**PRÆMIUM**, vel pœnam æternam quare mereantur homines. Vide *Infernum*.

**PRÆPARATORIUM**. Vide *Aſpaticum*.

PRÆPOSITUS, dignitas in aliquibus Cathedralibus, atque Collegiatis. FR. Præpoſituram vero Carnoten. non eſſe dignitatem Jo. Andreas, in c. 1. de conceſſ. præben. in ſexto probat. Item quamvis omnes, qui præſunt, Præpoſiti rite vocentur, uſus tamen obtinuit, eos vocari Præpoſitos, qui quidem prioratus curam ſuper alios gerunt. De verbor. ſignif. in lib. 5. decretal. c. 9. verb. Primas :||: Aliquando tamen apud S. Cyprianum ſignificat Epiſcopum, aliquando Vicarium, ſeu Eccleſiæ Oeconomum tempore Sedis vacantis, ut exempli gratia in ejuſdem epiſt. 27. ubi ait: [ Quarum jam audita cauſa, præceperunt eas Præpoſiti tantiſper ſic eſſe, donec Epiſcopus conſtituatur. ] Dicitur *Oeconomus*. *Vicedominus*. Vide ſuis locis.

PRÆPUTIATUS, incircumciſus: [ Chriſtus proprius, & legitimus Dei Antiſtes præputiati Sacerdotii Pontifex. Tertull. adver. Marc. ] Vide *Spathiſter*.

PRÆRIPIUM, præcipitium. [ Dum alvei præripia &c. In vita S. Probati Presb.

PRÆSAGATUS, præſagio, ſeu vaticinio prædictus: [ Et Præſidi ſic Candidus orſus: Merito ſecundum mentis tuæ nigredinem a tuis genitoribus præſagatum habuiſti vocabulum; Agricolaus enim agreſtis illectos interpretatur. In vita Quadrag. Mart. 10. Mart.

PRÆSANCTIFICATORUM MISSA. Vide *Miſſa*.

PRÆSCIENTIA. Vide *Prædeſtinatio*.

PRÆSCRIPTIO. FR. juris acquiſitio. [ Præſcriptio triennalis in Eccleſia Rom. non attenditur. In decretal. c. 5. & 8. de præſcriptionib. In juribus ad Romanam Eccleſiam ſpectantibus currit ſola centenaria præſcriptio. Ibid. c. 13. & ſeqq. Qui alieno nomine poſſidet, non præſcribit. Ibid. c. 17.

PRÆSENTATIO B. M. V. feſtum hoc in Eccleſia latina a Gregorio XI. an. 1372. inſtante Petro Cypri Rege Avenioni inſtitutum fuit, cujus officium M.S. in Cod. Victorino Pariſienſi reperitur. Apud Græcos tamen hanc ſolemnitatem ex S. Gregorii Nazianzeni, & aliorum Græcorum PP. ſermonibus antiquiſſimum fuiſſe conſtat.

PRÆSENTATUS. Vide *Poſtulatus*.

PRÆSENTIALIS. FR. Præſentaneus, cujus in effectu, & prompte præſentia haberi poſſit: hinc præſentiales milites, quorum auxilium proximum erat: [ Numerarios virorum illuſtrium, Magiſtrorum militum tam præſentialium, quam orientalium, lib. 12. t. 4. Cod. de Appar. Magiſt. Cum non dubium ſit, ipſos etiam Duces, quibus fortiſſimi præſentiales milites parere præcepti ſunt, ſub eadem excelſa poteſtate eſſe conſtitutos, l. ult. §. 1. Cod. de re militari.

PRÆSEPE Domini Jeſu in magna veneratione habitum a S. Helena. Vide *Stabularia*.

PRÆSIDENTIA. Vide *Præſidialis*.

PRÆSIDIALIS. FR. quidquid ad Præſidem ſpectat: [ Qui jure præſidiali omnes Gallias rexerat. Spartianus in Tetrico. Quos præſidiali ſemper vice defendunt. Julianus Toletanus Archiep. in ejus hiſt. ] Hinc Præſidis Dignitas *Præſidentia*, & *Præſidatus* dicitur.

PRÆSIDIATUS. Vide *Præſidialis*.

PRÆSTARIA. FR. laudum. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſt. 27. Vide etiam *Precaria*.

PRÆSTARE CAUSAM, rationes reddere: [ Melius eſt pro miſericordia cauſam præſtare, & invidiam perpeti, quam prætendere inclementiam. D. Ambroſ. lib. 2. offic. c. 28. Qui contra præſumpſerit, ſciat ſe cauſas inter fratres eſſe cum ſtatus ſui periculo præſtaturum. Concil. Eliberitan. can. 53. ] Idem habetur in Concil. Toletano, can. 19. & in Petro Chryſol. ſerm. 26. & 42.

PRÆSTIGIATUS, præſtigiis, & incantationibus male affectus: [ Mulieris præſtigiatæ miraculum huic ſubnectere non erit incongruum. In vita B. Torelii, 16. Mart.

PRÆSTIMONIUM, Eccleſiaſticum beneficium cum aliquo onere, & in hoc differt a ſimplici beneficio, quod ideo ſimplex dicitur, quia in hoc nullum onus habetur: [ Etiam præſtimonia, & præſtimoniales portiones nuncupatas. Trid. Synod. ſeſſ. 23. c. 18. ] In Hiſpania hujuſmodi præſtimonialia beneficia inveniuntur non pauca. FR. De hujuſmodi titulis fit mentio, c. 8. de conceſſ. præbendæ in ſexto, ſic [ Omnes collationes &c. ſuper canonicatibus, dignitatibus, perſonatibus, præbendis, officiis, portionibus, præſtimoniis, Eccleſiis Parochialibus, ruralibus, & aliis quibuſcumque beneficiis Eccleſiaſticis &c. ] Et in Apoſtilia ad calcem extrav. Jo: XII. ſic habetur: [ Et vindicat ſibi locum iſta decretalis in præſtimoniis, & præſtimonialibus portionibus, quia ſunt beneficia eccleſiaſtica, & perpetua &c.

PRÆSTITUM. FR. accomodatum: [ Quia majorem ſibi partem hac in re præſtitorum veſtrorum ſolatia vindicant. D. Gregor. Papa, lib. 9. epiſt. 56. ] Vide *Præſtus*.

PRÆSTUS. FR. Accomodatum. [ Caballorum præſtus. In formulariis antiq.

PRÆSUL. Vide *Epiſcopus*.

PRÆSULATUS, Epiſcopatus, vel Diœceſis: [ Sicque factum eſt, ut intra breve temporis ſpatium lumen veræ fidei omnibus ſui præſulatus illuceſceret cercum. In vita S. Severi Epiſcopi.

PRÆSULO, antiſto, præſulatus fungor dignitate: [ Redduntur & eidem poſſeſſiones quædam Ruffenſis Eccleſiæ, quas, præſulantibus anteceſſoribus ſuis, Lanfrancus in ſua tenuerat ditione. In vita S. Gandulfi.

PRÆTAXATUS, ſuperius mentionatus, prædictus. [ Utatur ad hos debiles mater Eccleſia verbis prætaxatis. Petr. Bleſen. ſer. 33.

PRÆTITULOR, ſignificat titulo alicujus Eccleſiæ, ſive beneficii ad ordines promoveri: [ Clericum permanere oportet in Eccleſia, cui initio ab Epiſcopo prætitulatus eſt. In Capitular. lib. 5. tit. 26.

PRÆTUBANS. Qui in clangoribus tubæ prævenit, ſic D. Jo. Chryſoſt. Hom. 52. in c. 25. Matth. Angelos, qui univerſale Judicium prævenientes, tubis a quatuor

mun-

mundi plagis mortuos congregabūt, appellavit: [ Quis clamor præcurrentium, & prætubantium Angelorum.

Prævaricator, in quo differat a Calumniatore, & Tergiverſatore. Vide *Tergiverſator*. FR. Prævaricator primus Adam fuit. Gloſſa in can. hæc imago, 33. quæſt. 5. Vide *Prævaricor*.

Prævaricor. FR. crimina abſcondo: [ Accuſatorum temeritas tribus modis detegitur: aut enim calumniantur, aut prævaricantur, aut tergiverſantur. Calumniari, eſt falſa crimina ſcienter intendere. Prævaricari eſt vera crimina abſcondere. Tergiverſari eſt in univerſum ab accuſatione deſiſtere, can. ſi quem, 2. qu. 3. Prævaricator eſt quaſi varicator, qui diverſam partem adjuvat prodita cauſa ſua. Ibid. §. Prævaricator. ] Vide *Accuſator*. *Colludium*. *Inludium*. *Tergiverſator*.

Pragmaticus. [ Qui ( *ideſt*, *Conſtantinus Magnus* ) quarto die ſui baptiſmatis una cum omnibus Satrapis, & univerſo Senatu, Optimatibus etiam, & cuncto populo in perſona B. Sylveſtri, ſibi Romanam concedendo Urbem relinquens, ab eo, & Succeſſoribus ejus per pragmaticum conſtitutum diſponendam eſſe ( decernens in ipſa Urbe utriuſque poteſtatis Monarchiam Romanis Pontificibus ) declararet, &c. Innoc. IV. de Elect. & Electi pot. in 6. c. fundamenta, §. ne autem, ibi Gloſſa, & in c. 1. de rerum permutatione inquit: [ Pragma idem eſt, quod cauſa. Unde pragmatica ſanctio, eſt conſtitutio ſuper aliqua re promulgata. Sed ibi ponitur pro confirmatione, ſive ſcriptura facta ab Imperatore &c. ] Vide *Leges*. :||: Dicitur *Pragmatica ſanctio*, *Pragmatica juſſio*, *Pragmaticus typus &c.* quibus loquendi modis ſæpe Concilia utuntur ad ſignificanda reſcripta ſupplicationum alicujus communitatis, aut collegii, non autem in gratiam particularis perſona.

Prandeum. Vide *Brandeum*.

Prasinus, πράσινος. FR. hoc vocabulo ſæpe Anaſtaſius Bibliothecarius in vitis Pontificum utitur; quod viridis, ſeu porraceus color a Calepino, in dict. Chryſopraſus exiſtimatur, quam ſequitur Famianus Nardinus in ejus Antiqua Roma, lib. 6. c.2. regione 9. pag. mihi, 323. §. Gli alberghi. Sed res obſcure latet; Auctores enim communiter aſſerunt, praſinum colorem viridem, & porraceum eſſe. Sed ex Plinio non clare colligitur, cujus ſit coloris revera; nam lib. 20. c.22. ait: [ Marrubium inter primas herbas commendavere, quod Græci praſion vocant. ] Et inferius de hujus colore agens, ait: [ Caſtor Marrubii duo genera tradit, nigrum, & quod magis probat candidum. ] Et ibidem, cap. 17. [ Origanum onitin, vel praſion appellant. ] Item lib. 37. c. 8. [ Thebaidis Alabaſtra oppidum naſci dicunt, & duo genera faciunt praſoidem, atque chryſopetron ſimilem chryſopraſio, ejus enim tota ſimilitudo ad porri ſuccum dirigitur. ] Hic enim non de porri forma, ſeu colore, ſed de ſucco, nempe, ſapore loquitur; præterea ſi de porri colore ageret, an de porri bulbo, ſive foliis intelligat Plinius ambigitur, ejus enim bulbus albus eſt. Item ibidem ait. [ Optimus color ſmaragdi &c. Vilioris turbæ praſius; cujus alterum genus ſanguineis punctis aborret, tertium virgulis tribus diſtinctum eſt candidum, ] & inferius: [ Eſt autem color fumidæ topazii, aut aliquando melleæ ] Vide melius, quæ de chryſopraſo in dict. *Chryſocolla* diximus, ubi gemmam illam eſſe praſinam, coloris, nempe, violacei aſſeruimus. Ergo licet *Praſion* græce porrum ſignificet, in variis tamen coloribus habetur.

Pravitas. FR. de hac clauſula *Sine pravitate* in literis Apoſtolicis appoſita. Vide Gloſſam in lib. 2. Decret. tit. de Confirmat. util. vel inutil. cap. 8.

Praxeon, græce πράξεων. Actorum, ita ab Hilario in c. 14. Matth. appellata ſunt Acta Apoſtolorum. [ Nam ſicut in libro praxeon continetur.

Precaria, Eccleſiaſticorum bonorum uſusfructus [ Statuimus, ut precariæ, & commutationes tempore viduatarum Eccleſiarum factæ ab his, qui loca Epiſcoporum occupaverunt, reſcindantur. Concil. Belvac. ] FR. [ Precariæ dicuntur quædam præſtationes uſusfructus in recompenſationem ejus proprietatis, quæ datur Eccleſiæ. Præterea precaria eſt quidam contractus affinis emphyteuſi; ſed in hoc differt, quod de quinquennio in quinquennium renovatur &c. Quandoque eſt precarium, quod precibus ad utendum alicui datur, & illud revocari poteſt quandocumque, non obſtante aliquo pacto, ff. de precario, & extrav. comm. c. ult. Gloſſ. in can. Precariæ, 10. qu. 2. Ne videantur etiam Epiſcopi tempore adminiſtrationis prolixæ, aut precarias, cum ordinati ſint, facere non debuiſſe, can. Clerici, 16. qu. 3. Non violenta, non clandeſtina, nec conceſſa precaria, c. 7. de privil. in ſexto, & ibi Gloſſ. can. de precariis, can. precarium, lib. 3. Decretal. de precariis, & in c. 1. paſſim fit mentio de hoc vocabulo, & in c. 3. ejuſdem tit. ] Item precaria nedum ad quinquennium, ſed etiam uſque ad mortem accipientis intelligitur, can. ſæpe, 12. qu. 2. Sed precariæ, precaria, & precarium differunt. Gloſſa in can. precariæ, 10. q. 2. :||: Dicitur etiam *Praſtaria*, ſic ſæpe Flodoardus: [ Pro rebus Remenſis Eccleſiæ, quas ſibi per præſtariam Theodoricus Epiſcopus delegari petebat, lib. 3. c. 21. ] Item *Precatoria* dicitur: [ De rebus, ſcilicet, Eccleſiæ, qualiter tractandæ ſint, & de his, quæ per precatoriam impetrantur ab Eccleſia. Flodoard. lib. 2. Hiſt. Remen. cap. 5. Quod Clerici etiam ſine precatoriis, qualiter diuturnitate temporis de Eccleſiæ remuneratione poſſederunt, in jus proprietatis temporis præſcriptione non vocentur. Synod. Epannenſis, c. 18. Item *Precaturia*. Marculph. lib. 2. formul. c. 5.

Precarium, ſalarium, ſtipendium: [ Ut quia eos pro percipiendo precario illuc noſcitur transmiſiſſe. D. Greg. in Regiſt. lib. 10. epiſt. 3. ] Differt a precaria. Vide *Precaria*.

Precatores, hæretici Monachi ex Meſſalianorum ſecta, qui aſſerebant ſemper orare oportere, aliaque

exercitia pro nihilo habebant, proindeque nihil manibus ſuis operabantur contra laudabilem Monachorum uſum illius ſæculi, nec jejunabant; imo aſſerebant, quod Sacramenta nihil gratiæ conferebant, dum oratione remittebantur peccata, & expellebantur Dæmonia, & quod oculis corporeis poſſet divina Eſſentia intueri; oſtentabant inſuper eorum inſaniam, quia de repente ſaltabant, in quo actu calcare Dæmonia jactabantur; ac digitos ad modum mittendi ſagittas configurabant, ita Diabolum transfigere aſſerentes; hinc ob hujuſmodi deliramenta *Enthuſiaſtæ* denominati ſunt. Hæc autem Monachorum hæreticalis ſecta in Syria tantum dilatata eſt, licet in Occidente aliqui Monachi otioſi eis inhærerent in eo tantum, quod aſſerebant non deberi in operibus exerceri, contra quos D. Auguſt. ſcripſerat in eo libro, quem de opere Monachorum appellavit. Hujus ſectæ videtur fuiſſe Monachum illum, qui Abbatem Sylvanum in Monte Sina viſitando, ubi Monachos operantes invenit, eos reprehenderat, inquiens: [ Quare operamini eſcam, quæ perit? Maria autem optimam partem elegit. In vitis Sanctorum Patrum, part. 2. cap. 52.] Quo ab Abbate intellecto, Monachum illum otioſum collocari juſſit in cella, in qua nil aliud præter librum reperiebatur; ſed cum jam hora prandii adeſſet, advena ille tœdio jam, ac fame affectus, crebro reſpiciebat, an ab aliquo ad comedendum vocaretur; tandem impatiens. Abbatem adivit, & cum interrogavit, utrum Monachi comediſſent, cui cum Abbas affirmative reſponderet, inquit Monachus, quare ad comedendum non me vocare juſſiſti? Sylvanus reſpondit, quia tu cum ſpiritualis ſis, & optimam partem tibi elegeris, cibis proinde non indiges, ſicut nos, qui carnales ſumus, & ideo manibus noſtris laboramus. Quare verecundia confuſus ſectarius Monachus, ſui erroris pœnitentia ductus, veniam ab Abbate poſtulavit, cui reſpondit Sylvanus: Ergo Martha eſt neceſſaria. Dicti etiam fuere *Adelphiani, Euchetæ. Pſalliani. Sathaniani.* De quibus aliqua ſuis locis.

Precatoria, & *Precaturia*. Vide *Precaria*.

Presbyter; Sacerdos, ex græco voc. πρεσβύτερος quod Seniorem ſignificat. FR. [ Porro Moyſi præcipitur, ut eligat Presbyteros, ideſt, ſeniores, can. porro, diſt. 84.] Presbyterorum enim nomen quamquam a ſenectute ſit ſumptum; magis tamen maturitatem indicat ſapientiæ, quam corporis canitiem, can. quiſquis, diſt. 84. :||: [ Presbyter autem non ab ætate dicitur; ſed a prudentia. Innocent. III. de myſt. miſſ. cap. 3.] Tertullianus veró aliquando hoc vocabulo abutitur ad denotandum corporis ſenem, ſic enim de ſenioribus Apocalypſis agens, inquit: [ Protoſedent Presbyteri coronati, de Coron. milit. cap. 15.] Aliquando Epiſcopum ſignificat, ſicut habetur in ep. D. Pauli ad Titum, nempe [ Ut conſtituas per ſingulas Civitates Presbyteros, ſicut ego præcepi tibi.] ubi Sancti Patres Hieronymus, & Ambroſius de Epiſcopis loquutum fuiſſe Apoſtolum intelligunt, quod ex ſequentibus ejus verbis colligitur; nam ſequitur, inquiens: [ Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe: ] ac clarius id confirmatur ex verbis Petri, ep. 2. ubi ait: [ Pesbyteros in vobis precor compresbyter. ] De qua re dictum ſatis fuit in dict. *Diœceſis*. Si novus in Pontificem electus Sacerdotium ſuſcipere contigerit, ait Chryſtophorus Epiſcopus in ejus Cæremoniali, quod Papa ad Sacerdotii ordinationē amictu, alba, cingulo, manipulo, ſtola diaconali indutus, atque pluviali ad collum fibulato comparebit, ſed poſt tergum involuto, mitraque tectus in capite, qui dum cantantur litaniæ, genuflexus ad faldiſtorium manebit, atque Epiſcopus ordinans ad ſcabellum in ſiniſtra parte collocatum cum mitra in capite, ut ad ſtabilitum tempus ſolitas benedictiones ſuper Electum conferat. Papa autem tempore, quo manuum impoſitionem ſuſcepturus eſt, in ejus throno ſedebit capite detecto; & accedens Epiſcopus cum mitra in capite imponet manus ſuper caput ejus, ac idem fit ab Epiſcopis, Presbyteriſque Cardinalibus aſtantibus, qui tamen capite detecto id faciant. Capite etiam detecto Papa ſedens erit, quando pluviali exuitur, & ab Epiſcopo mitram gerente habitibus ſacerdotalibus induitur; ſed quando chriſmate manus ejus linientur, & in tactu calicis cum vino, ac patenæ cum hoſtia, Papa ſedebit, & mitram habebit in capite, ſic etiam Epiſcopus ordinans, qui in his actibus erectus erit; ac ſimiliter erigetur, & ſine mitra in Offertorio a Pontifice ſedente, & mitrato, oblationes candelarum, panis, & vini recipiet, illiuſque manus oſculabitur. Electus poſtea ſtans in cornu epiſtolæ una cum Epiſcopo Miſſæ celebrationem proſequitur cum unius Cardinalis aſſiſtentia, & in eodem loco ſub utraque ſpecie communionem aſſumet. Poſt communionem vero Papa ad thronum redibit, ac ſedenti Epiſcopus manus ſuper caput, ad illi dandam ſolitam remittendi peccata poteſtatem, imponit; & hoc peracto tam Epiſcopus ordinans, quam etiam Cardinales omnes, & aſſiſtentes Prælati ad oſculum pedis manus, & genæ Pontificis admittuntur, qui omnibus circumſtantibus ſolemnem benedictionem dabit. Et tandem Epiſcopus conferens, præcedentibus tribus genuflexionibus, totidemque acclamationibus (inquiens) Ad multos annos, ad oſculum faciei Pontificis admittitur. Presbyteri ſynonyma. Vide *Judex*, *Sacerdos*, *Sacrocola*, *Senior*.

Presbytera. FR. ſic appellabatur Vidua in caſtitate degens vitam, & Anus, atque Uxor Sacerdotis ante ejus ordinationem, quæ poſt Mariti ſuſceptos ſacros ordines ſeparate ab eo vivebat. Baron. an. 34. n. 289. a Græcis παπαδιά nuncupatur. :||: Interdum Matronas ſignificat, quibus Eccleſiæ cura ſpectabat: quare Theophyl. ſuper illa verba Matth. cap. 10. [ Qui reliquerit patrem, aut matrem ] ita ſcribit: [ Habemus pro patre Presbyteros, pro matre Presbyteras, ſeu anus ] Et hujuſmodi Matronæ a Latinis *Matricuriæ* di-

dicebantur, can. Mulieres, diſt. 32. Ideſt, habentes curam de rebus Eccleſiæ, ut exponit ibi Gloſſa. Sic S. Praxedes a D. Pio Papa presbytera declarata fuerat, ut ex ejus Actibus conſtat.

**Presbyterium**, πρεσβυτέριον. Chorum ſignificat. Vide *Chorus*. Item Conſiſtorium Eccleſiaſticorum. Vide Bar. an. 254. n. 99. FR. [Quomodo nec Epiſcopis liceat vendere prædia inconſulto Concilio, vel cuncto Presbyterio, can. placuit, 12. qu. 3.] :||: Quod elegantius *Cleri Rom. Senatus* a D. Hieronymo, & *Compresbyterium* ab aliis Eccleſiaſticis Scriptoribus appellatum fuit; & Cyprianus *Excitari de presbyterio* dixit, ideſt, ſacerdotio degradari, ſive a choro expelli. Item donativum, quod novus Pontifex in ejus coronatione facere ſolebat in Lateranenſi Eccleſia ſingulis Cardinalibus, ſignificat, quibus in eorum mitras duo ſcuta aurea cum duobus groſſis argenteis immittebat, & aliis Epiſcopis, ac Præſulibus unum aureum ſcutum, & unum argenteum groſſum dabat. Cærem. Rom. Sic fortaſſe appellabatur, quia intra presbyterium diſtribuebatur, ſive quia ad Conſiſtorium hoc donativum ſpectabat; nam Conſiſtorium Presbyterium, ut ſupra diximus, dicebatur. Cencius tamen Camerarius in ejus M. S. Cæremoniali de alio ſimili donativo Pontificis Presbyterio denominato mentionem facit, de quo. Vide etiam *Thuribulorum feſtivitas*. Ob eandem rationem Presbyterium dicitur ſerica burſa illa, in qua vigintiquinque Julii antiquæ monetæ incluſi præſentari ſolent ab Archipresbytero Vaticanæ Eccleſiæ Pontifici, quando ibi ſolemniter celebrat. *Pro Miſſa bene cantata*, ut in Cæremoniali dicitur, quam ſolet deinde Papa Diacono Cardinali, qui Evangelium cecinerat tradere, & is ejus Caudatario erogare.

**Præsbyteror**, Sacerdos fio.

**Pressoriolum**; arca, ſive armarium, in quo veſtes conſervantur: [Quod habueritis, reponite, & claves de arcellis, vel preſſoriolis veſtris Regiſtoria teneat, in Regula S. Cæſariæ Virg. c. 16.

**Pressura**. FR. Cenſura Eccleſiaſtica, ſic titulus in can. non in perpetuum, 24. quæſt. 3. ubi de excommunicatione agitur.

**Pretiosa** &c. FR. verſiculus, qui ad primam horam canonicam poſitus eſt. [Quatenus omni die poſt primam, & Pretioſa teneantur omnes &c.] Et inferius: Quatenus poſt mortem D.N. Papæ poſt pretioſa, ſtatim loco prædictorum teneantur cantare De profundis &c. In Bulla Urbani V. penes Soreſinum de Capitibus SS. Petri, & Pauli, pag. 8. & 9.

**Prex**, oratio, precatio: [Prex tua hunc teneat lapſum ad paſcua vitæ:] In verſibus ad honorem S. Eulogii Presbyteri, & Mart. 11. Mart.

**Prima**, ex canonicis horis. Vide *Horæ Canonicæ*, *Pretioſa*.

**Primas**, Eccleſiaſtica dignitas ſuper omnes Epiſcopos, Archiepiſcopos, & Metropolitas Regni; & aliquando Patriarcha intelligitur: [Epiſcoporum ordo unus eſt, licet ſint Pimates illi, qui primas Civitates tenent, qui & in quibuſdam locis Patriarchæ a nonnullis vocantur. Anacletus Papa, epiſt. 3. ad Epiſcopos.] FR. Erant a temporibus Gentilium principaliores Provinciarum Civitates ita appellatæ; quare [Urbes, & loca, in quibus primates præſidere debent, non a modernis, ſed multis ante adventum Chriſti ſtatutæ ſunt temporibus, quorum Primates Gentiles etiam pro majoribus negotiis appellabant. In ipſis vero urbibus poſt adventum Chriſti Apoſtoli, & eorum Succeſſores, Patriarchas, & Primates poſuerunt, ad quos Epiſcoporum negotia (ſalva tamen in omnibus Apoſtolica Auctoritate) & majores cauſæ poſt Apoſtolicam Sedem ſunt referendæ, can. 1. diſt. 81.] Et ibid. can. In illis vero, hæc habentur, nempe:] In illis vero Civieatibus, in quibus olim apud Ethnicos primi Flamines eorum, atque primi legis Doctores erant, Epiſcoporum Primates, vel Patriarchas B. Petrus poni præcepit, qui reliquorum cauſas Epiſcoporum, & majora negotia in fide agitarent. In illis autem, in quibus apud prædictos Ethnicos erant eorum Archiflamines, quos tamen minores eſſe tenebant, quam memoratos Primates, Archiepiſcopos inſtitui præcepit. In ſingulis vero reliquis Civitatibus, ſingulos, & non plures Epiſcopos conſtitui præcepit, qui Epiſcoporum tantum vocabula ſortirentur: quoniam neque inter ipſos Apoſtolos par fuit inſtitutio ſed unus præfuit omnibus.] In can. quoniam, & ſeqq. diſt. 100. & can. nullus primas, 9. qu. 2. cavetur, quod nullus primas, ſeu Metropolitanus poſſit in juriſdictione Epiſcopi ſuffraganei ſe ingerere; ſecus vero ſi ſuffraganeus negligens fuerit in ejus officio, ut in cap. cum ex officiis, in extrav. de præſcript.

**Primatia**. FR. ipſa Primatis dignitas, cap. 7. de in integr. reſtit. & ibi Gloſſa.

**Primicerius**, πριμικήριος, Dignitas Eccleſiaſtica, ideſt, omnium minorum Clericorum Superior; cujus officium D. Greg. Epiſt. ad Laudefred. Epiſc. ſic deſcribit: [Ad Primicerium pertinent Acolythi, & Exorciſtæ, Pſalmiſtæ, atque Lectores, ſignum quoque dandum pro officio Clericorum, pro vitæ honeſtate, & officium meditandi, & peragendi ſollicitudo, lectiones, & benedictiones, & pſalmum, laudes, offertorium, & reſponſoria quis Clericorum dicere debeat: ordo quoque, & modus pſallendi in choro pro ſolemnitate, & tempore, ordinatio pro luminariis deportandis; ſi quid etiam pro reparatione Baſilicarum, quæ in Urbe ipſa denuntiat Sacerdoti; epiſtolas Epiſcopis pro diebus jejuniorum Parochianis per Oſtiarios iſte dirigit: Clericos, quos delinquere cognoſcit, ipſe diſtringit; quos vero emendare non valet, eorum exceſſus ad agnitionem Epiſcopi defert: Baſilicarios ipſe diſponit.] Ex quibus colligitur eximiam fuiſſe Primicerii auctoritatem, & dicebatur Primicerius fortaſſe, quia in cereis tabulis primus antiquitus ſcribebatur, & nomen iſtius dignitatis in capi-

te ceræ tabellæ notabatur, ut dictum eſt in d. *Capicerius*. Sic *Secundicerius* dicebatur, qui ſecundo loco notabatur in tabula cerea, de quo D. Greg. lib. 9. ep. 33. inquit: [ Hanc autem Epiſtolam Paterio Secundicerio Notario Eccleſiæ noſtræ ſcribendam duximus. ] FR. Hæc officia erant antiqua in Eccleſia; legitur enim SS. Sergium, & Bacchum functos his officiis fuiſſe. [ Duas torques Sergius, & Bacchus Primicerius, & Secundicerius, in privil. Caroli Magni apud Torrig. de Cryptis Vatican. 2. pag. 504. ] De quibus Sanctis Martyribus Surius, & Lipomanus ex Metaphraſte hæc habent: [ Sergius, & Bacchus ambo Romani genere, &c. tunc fulgebant in regia, &c. Sergius quidem erat Primicerius Sholæ Centiliorum, Secundicerius autem hujus Bacchus, qui multum quidem poterant apud Imperatorem Maximianum. ] Hic duo notanda: primum quidem Metaphraſtis, & ejus Interpretum error, qui Centiliorum, loco *Gentilium* ſcripſerant, apud nullum enim Auctorem hanc dictionem *Centiliorum* invenio: quare Boninus Mombritius, qui ut alias dixi, acta Sanctorum duobus tomis impreſſerat, eaque juxta duplices codices M.SS. antiquos in membrana Bibliothecæ Lateranenſis deſcripſerat, ut collationanti patebit: ille de iſtis Sanctis Martyribus ſic habet: [ Marcellus, Apulejus, Sergius, & Bacchus pollebant in Palatio, honorabilioreſque erant apud Maximianum Imperatorem. Beatus quidem Sergius erat Primicerius, & Princeps Scholæ Gentilium amicus Imperatoris &c. Beatus vero Bacchus ejuſdem & ipſe Scholæ Gentilium erat ſecundus Primicerius. ] Secundo notandum tum ex dicta Mombritii auctoritate, tum ex ſequentibus, quod Primicerii dignitas nedum apud Chriſtianos, & Eccleſiaſticos; ſed apud ſæculares, & Ethnicos vigebat, niſi fortaſſe, cum prædicti Martyres diu ante Martyrium Chriſtianam fidem profiterentur, quod & prædicto Imperatori notum jam erat, ut in eorum geſtis idem Metaphraſtes ſcripſerat, ac proinde Primicerii Scholæ Gentilium, ideſt, Catechumenorum fuiſſe intelligatur, ad differentiam Catechumenorum ex hebraiſmo venientium; quod ita cenſendum ratio præbet, quia inveriſimile videtur Ethnicos ſcholam habuiſſe cum titulo Gentilium: ac ſimile abſurdum videretur, ſi hodie Romæ, ubi nulla fides, niſi vera regnat, ſchola reperiretur cum titulo Chriſtianorum: licet hæc dignitas inter ſæculares reperiretur, ut in dict. *Dapifer* ex Nicephoro oſtendimus; ſic etiam Blondus, decad. 2. lib. 1. inquit: [ Deſiderius Rex Italiæ Affiratam impulit, ut in Chriſtophorum Primicerium ſummæ tunc in Romana Urbe auctoritatis virum, &c. ] Et inferius: [ Evocatique Chriſtophorus, & Sergius Secundicerius oculos ſint effoſſi. ] Item [ Magni Primicerii umbraculum, ſeu velum dimidio nigrum, & dimidio album. Zonara. ] In quodam vero pervetuſto Licienſi Breviario in feſto SS. Joannis, & Pauli menſis Junii ſic habetur in ejus Lectionibus: [ Joannes & Paulus fratres, quorum prior Præpoſitus, ſecundus Primicerius Conſtantiæ Conſtantini filiæ fuit. ] In eodem autem Breviario, ubi de SS. Sergio, & Baccho agitur, habetur, quod non Eccleſiaſticas dignitates, ſed ſæculares habebant; ſic igitur in eorum Lectionibus ibi dicitur: [ Sergius, & Bacchus Primiceri Palatii apud Imperatorem Maximianum, quod Chriſtiani eſſent, accuſati: cum Idola colere nollent, ab eodem veſte militari privati &c. ] In Primicerii os imponebat auream monetam Pontifex, & quando. Vide *Antiphona*. Reperitur etiam *Tertiocerius* in libro, cui titulus eſt Notitia Provinciarum || Anaſtaſius Biblioth. inquit primum S. Martini Papæ accuſatorem fuiſſe Primicerium: [ Primicerius ſane omnium accuſantium erat Dorotheus Patritius Ciliciæ. ] Itaque etiam inter Eccleſiaſticos non erat determinata dignitas, nam dicebatur *Primicerius Cantorum*, ſic Innoc. III. ait: [ Primicerius qui Cantoribus eſt prælatus. ] Vide *Archicantor. Baculus. Cantor*. Item *Primicerius Lectorum*. *Primicerius Aulæ*. Item *Primicerius Defenſorum*, ideſt, Advocatorum Decanus. Luitprand. lib. 6. cap. 6. *Diaconus Cardinalis Primicerius*, ideſt, Diaconorum Cardinalium Decanus. Et Hincmar. Rhemenſis in tomo Concil. Drogonem Epiſcopum *Primicerium*, nempe Vicarium appellavit, quia Vicarius Papæ in Gallia erat; atque in eodem ſenſu S. Fulgentius, D. Stephanum Protomartyrem *Primicerium Martyrum*, ſcilicet caput appellavit. Ivo Carnoten. de Principe Apoſtolorum ait: [ Conſtituitur poſt Deum Primicerius, in ſerm. de Cathed. S. Petri. ] Eodemque modo a D. Auguſtino *Primicerius Apoſtolorum* idem vocatus fuit, hoc eſt, Princeps Apoſtolorum; eodemque pacto *Virginum Primiceria*, ideſt, Anteſignana a D. Bernardo eleganter Virgo Virginum appellata eſt. Aliqui tamen Auctores cenſuere hoc Primicerii vocabulum a ſigillis officialem ſignificare, qui a Caſſiodoro προτοκήρειος, *Protocerius* appellatus fuit. Hoc vocabulum in malum ſenſum deſumptum. Vide *Hecatontarchus*.

Primogeniæ. FR. ideſt, Virgines majores inter Veſtales, quæ ſeptem erant. Baron. an. 384. n. 2.

Primiſcrinius, Primarius Archiviſta, Eccleſiaſticus Officialis, cui in Romana Eccleſia Archivii cura incumbebat, & ſub ſe duodecim Scriniarios habebat, qui omnium Civilium actorum inſtrumenta formabant. Varii autem Primiſcrinii reperiebantur, nempe, *Primiſcrinius Beneficiorum*, *Primiſcrinius Canonum*, *Primiſcrinius ſecuritatum*, *Primiſcrinius largitionum Privatarum*. Et dicebatur etiam *Protoſcriniarius*; hodie tamen Protonotarius intelligitur. Vide *Papa*, §. Et ut Platina.

Primitiæ. FR. Contributiones Eccleſiaſticis debitæ, ſicut decimæ; differunt tamen a decimis, quia decimæ ſunt taxatæ, ideſt, decima pars fructuum; ſed Primitiarum quantitas non eſt determinata; nam qui plus dabat, quadrageſimam portionem reddituum dabat, qui minus ſexageſimam, & ſic licitum erat dare inter

LX. & XL. quantum quiſque volebat, hoc autem erat in aridis, & liquidis; ſed qui dabat primitias animalium, dabat unum de ducentis. Gloſſa in can. Eccleſias, 13. qu. 1. Vide *Decima*.

Primitio, initiare, ſeu primitias dare ſignificat. [Munificentiam a tenera p..mitiavit ætate. Petr. Bleſ. epiſt. 20.] Ac idem de orationis efficacia loquens, ait: [Dulce vehiculum eſt in via oratio, fidelis præcurſor ad Dominum primitians ei adventum aſcendentis, ſerm. 21.

Primivirgius. FR. virgatorum præfectus, qui baculos in manu ferebant, ad removendum populi concurſum in equitatione Imperatoris, ita Codinus de off. Aulæ Conſtantinop. Vide *Bardariota*, *Portingherius*.

Primordialiter, ab initio. [Reducentur cuncta in nihilum, quæ de nihilo primordialiter proceſſerunt. Petr. Bleſ. ep. 166.

Principalis. Vide *Panaretos*.

Princeps Monasterii, ſuperintendens ad Monaſterii temporalia, qui alias Defenſor Monaſterii dicebatur. [Veſtimenta, quæ ſecum detulerant, accipient, qui huic rei præpoſiti ſunt, & inferentur in repoſitorio, & erunt in poteſtate Principis Monaſterii. In Regula S. Pachom.] & ſæpe de hoc munere in eadem Regula.

Principo. FR. verbum ſignificans prædomino, impero, principatum exerceo. [Scholares pueri, & impuberes adoleſcentuli ob ſanguinis dignitatem de ferula transferuntur ad principandum Presbyteris. D. Bernard. ep. 42. ad Henricum Senonen. Archiep.

Prinus, græcum vocamen, πρῖνος, arbor, quæ a Latinis *Ilex* dicitur. [Sub qua arbore comprehenderis eos loquentes ſibi? Qui ait, ſub prino. Daniel. cap. 14.] FR. Itaque non fuit Prunus arbor, quemadmodum D. Auguſtinus, ſerm. 252. de temp. exiſtimavit; *Prinus* enim arbor *Coccigera*, ſeu *Coccifera* dicitur. De hoc Prino vide Latinium in Correct. Sixti Senen. lib. 5. annot. 250.

Priscillianistæ. FR. Hæretici a Priſcilliano ſeducti, qui in Hiſpania ex Gnoſticorum, & Manichæorum erroribus novum blaſphemiarum monſtrum formaverat, 24. qu. 3. can. 39.

Prisio, carcer. [Unde a ſuo Judice ordinario, tanquam criminoſus, in priſione detentus eſt. In vita S. Vedeſtani Epiſc.] FR. ſignificat etiam carceratum, ſicut etiam Italice *Prigione* tam de carcere, quam de detento in ea intelligitur. [Et quod diſconfitura, quæ erat in mari, priſiones multos nobiles a nautis Regis, qui eos juſte ceperant, &c. Matth. Pariſius in hiſt.

Privigna, vel *Privignus*. V. *Filiaſtra*. *Filiaſtrus*.

Privilegio, verbum, privilegium concedo. [Deus, apud quem melior eſt obedientia, quam victimæ, quidquid emancipet homo, aut priviligiet homo, inobedientiam deteſtatur. Petr. Bleſen. epiſt. 90.

Privilegium. FR. ideſt privata lex, quæ non omnibus, ſed aliquibus privatis ſuffragatur, Papa autem de jure non poteſt locis piis noviter erectis privilegia concedere, niſi miniſtri, ſeu perſonæ pro tali inſtituto comperiantur. [Licet autem nobis inſtantius ſupplicares, ut Eccleſiæ prædictæ confirmationis privilegium faceremus, tibi non poſſumus de jure deferre, cum nulli Canonici adhuc ibidem exiſtant, quibus privilegium concedatur, lib. 3. Decretal. tit. 48. cap. 5.

Proastius, & *Proaſtium*, ſuburbium. [Invenit in proaſtio cum philoſophis. In vita S. Baſilii, cap. 2.] Dictio quidem græca προάστειον, ideſt, ſuburbium. [Rex Luitprandus in Olona nihilominus ſuo proaſtio, miro opere in honorem S. Anaſtaſii Martyris Chriſto domicilium ſtatuit. Paul. Diac. lib. 6. de geſt. Longobard. c. 56.

Probabilis, rectus, idoneus, ac probatæ vitæ, in quo ſenſu a D. Gregorio *Medicus probabilis*, ideſt, probatæ vitæ, appellatus eſt Exorciſta. Ac in eodem ſenſu in Conc. Toletan. IV. can. 4. dicitur: [Probabilis vitæ, atque doctrinæ extiterit.] FR. ſic etiam: [Presbyteros probabiles, aut Diaconos mittas. Can. Epiſcopum 10. quæſt. 1.

Probamentum. FR. probatio. [Omnibus adhibitis probamentis, & Scripturis ſanctis. Ruffinus in verſione operum Origenis.

Probatica, προβατικὴ, ſic appellata fuit Piſcina in Eva. Joannis, cap. 5. [Erat autem Jeroſolymis probatica piſcina, quæ cognominatur Hebraice Bethſaida &c.] Ex vocabulo græco πρόβατον, quod ovem ſignificat, quia in ea mundabantur oves, quæ pro ſacrificio offerebantur in Templo, quæ piſcina, ut refert Joſephus Hebr. lib. 6. de bello Judaico, cap. 6. ædificata fuerat a Rege Salomone, quam *Stagnum Salomonis* ibidem vocat. Itaque *Probatica*, ideſt, ovilla dicebatur, cujus miraculoſa omnium infirmitatum curatio parum ante Chriſti adventum in defectu prophetiarum cœperat innoteſcere, & ideo Hebræi de hujuſmodi prodigio nullam penes ſe notitiam habent, nec de ea prædictus Joſephus, aut Philo ullam mentionem faciunt: ſcripſerant enim hi poſt Chriſti mortem, quando, nempe, jam prædictum miraculum ceſſaverat in piſcina, quod Cyrillus, lib. 2. in Joannem, cap. 125. & Tertullianus contra Jud. cap. 13. probabiliter exiſtimant in die Pentecoſtes ceſſaſſe.

Probatio, Religioſorum novitiatus, [Uno diſcendente, alter, cui nomen erat Goſuinus, importunitate ſua, ut reciperetur, obtinuit, qui vix per ſex hebdomadas in probatione ſtetit. Cæſar. lib. 1. cap. 10.] Qui Auctor de S. Hildegunde agens, eodem vocabulo uſus fuit: [Ingreſſa in probationem, manum ſuam miſit ad fortia, lib. 1. c. 40.] & c. 2. lib. 2. [Anno probationis expleto, factus eſt Monachus.

Probola, ex græco προβολή, ideſt, productio. [Deinde infinitas Angelorum editiones, & probolas. Tertull. adverſ. Hæret. cap. 46,

Procamio. Vide *Concambio*.

Processio, ſupplicationum agmen, cujus antiqua inſtitutio ex apoſtolica traditione promanaſſe cenſetur,

quæ quidem ad inſtar exercitus modeſte, ac devote coordinatur, vexilla, & crucem præferendo, & Romæ Baſilicarum Canonici ferunt etiam ſecum tentoria, ante quæ loco claſſicorum campanulas habent, ad imitationem, ut inquit Gemin. lib. 1. cap. 68. Iſraelitici populi, ante conductionem Arcæ proficiſcentis. De Proceſſionibus, hæc Tertullianus inquit: [Si ſtatio facienda eſt, maritus de die condicat ad balnea; ſi jejunia obſervanda ſunt, maritus eadem die convivium exerceat; ſi procedendum erit, nunquam magis familiæ occupatio adveniat. Ad uxor. cap. 4.] Item Sidonius antiquiſſimus inter Patres Auctor de proceſſionibus ſic meminit: [proceſſio fuerat antelucana, ſolemnitas anniverſaria, populus ingens ſexu ex utroque, quem capaciſſima Baſilica non caperet, lib. 5. epiſt. 17.] In proceſſionibus Græcorum ſemper liber Evangeliorum defertur, & ejus delator in Eccleſia Conſtantinopolitana *Præfectus Evangelio* dicebatur. Progreſſus autem comparium, miſſionem Diſcipulorum a Chriſto factam ſignificat. [Merito ſane bini, & bini procedimus. Sic enim ad commendationem fraternæ charitatis, & ſocialis vitæ miſſos a Salvatore Diſcipulos Evangelia ſacra teſtantur. Turbat proceſſionem, ſi quis ſolitarius incedere curat. D. Bernard. ſerm. 2. de Purific.] Antiquitus in memoriam Chriſti reſurrectionis in omnibus per annum Dominicis ordinabatur proceſſio, ac Prælatus, ſive alius Superior reliquis Eccleſiaſticis præcedebat, ad denotandos Apoſtolos, ac alios Diſcipulos Chriſtum ſequutos fuiſſe in ejus reſurrectione, quando eos in Galilæam præceſſit. [Unde ſemper in hujuſmodi proceſſionibus Prælatos noſtros, quaſi Dominum in Galilæam ſequimur. Rupert. de div. off. lib. 2. cap. 8.] Imo *Galilæa* (ut idem refert) dicebatur locus, ubi terminabatur proceſſio. FR. Proceſſio in funeralibus prohibita: [Ut Defunctorum nomine ſolummodo divina celebrentur officia, publica frequentatione, & proceſſione ceſſante, can. Certum eſt, de Conſecrat. diſt. 1.] In proceſſione feſti Corporis Chriſti manipulus non debet ferri. Vide *Manipulus*. Quomodo ferenda eſt Crux in proceſſionibus. Vid. *Crux*. *Proceſſio nigra* dicebatur Litania major, quia tunc Cruces, & altaria nigris velis cooperiebantur. In proceſſione Corporis Chriſti debet ferri Cotta. Vide *Superpellicium*. Proceſſio ſeptiformis. Vide *Litania*. Reliqua. Vide *Draconarius*, *Evangelium*, *Exomologeſis*, *Labarum*, *Litania*, *Protheſis*.

Processores, qui proceſſionaliter incedunt. Ordo Rom. Aſſociantes Epiſcopum, quando proceſſionaliter ex Sacrario progrediebatur, *Proceſſores* appellat: ſic comitantes Diaconum, quando ad ambonem pro canendo Evangelio diriguntur, *Proceſſores* nuncupantur.

Processus, hoc vocab. nonnunquam excommunicationem denotat. [Die Mercurii prima menſis Februarii, Pontificatus Clementis VI. anno IV. ipſe Papa fecit quoſdam proceſſus generales in publico contra interfectores bo. me. Andreæ Regis Siciliæ Illuſtris. Davantria in ſuo M. S. Cæremon.] Eodem vocabulo idem utitur ad ſignificandas excommunicationes in Bulla Cœnæ, quæ etiam in feſto Aſcenſionis, & in die Dedicationis Baſilicarum SS. Petri, & Pauli publicabantur, quia, ut idem Auctor ait, legebantur in die Cœnæ Dom. in qua Euchariſtiæ ſacramentum inſtitutum fuit, & Apoſtolos communicaverat; ad denotandum, quod ab hoc ſacramento privatus ſit excommunicatus. Item in die Aſcenſionis, quando, ſcilicet, Chriſtus pro omnibus fidelibus deprecatus eſt, ad oſtendendum, quod excommunicatus de precibus Eccleſiæ participare nequit. Tandem in die Dedicationis promulgabantur, quia excommunicatus ab Eccleſia expellitur, ne cum aliis fidelibus orare poſſit.

Procherium, πρόχειρον, ideſt, Manuale, quo vocabulo utitur Caſſianus in collat. 19. cap. 4. Vide *Enchiridion*.

Prochotrophium. Vide *Brephotrophium*. Vide *Protochotrophium*.

Proconsularia, dicebantur acta SS. Martyrum a Notariis Provinciarum proconſularium ſcripta, & collecta. Baron. an. 238.

Procuratia. FR. exigentia ab Epiſcopis extorta ſub prætextu procurationis, ac defenſionis piorum locorum. [Ad humilitatem Religioſorum converſus, ab eis pecuniam non minimam extorſit nomine procuratiæ. Matth. Pariſ. anno 1239.] Nam, ut ait Auguſtinus apud Gratianum in can. ſi privatum, 12. q. 2. [Non illa noſtra ſunt quorum procurationem quodam modo gerimus] Et de Epiſcopo etiam dicitur: [Aliud eſt ſua poſſidere, aliud eſt communium procuratorem eſſe, can. Epiſcopus, 14. qu. 1.

Procuratio. FR. Jus Epiſcopale exigendi cauſa viſitationis; nam Epiſcopus quandoque *Procurator* dicitur, ut ſupra dictum eſt. [Prælati de procurationibus, quas in victualibus percipiunt, decimam non perſolvunt.] Et infra: [De illis autem procurationibus, quas Prælati in pecunia numerata rite percipiunt ab antiquo, & quas perciperent, etiam ſi non viſitarent, decimas præſtare tenetur. Prælatus autem, qui procurationem (quam ſine viſitatione potuit de jure percipere in pecunia numerata) remittit: quia remittit quod ſibi debetur &c. In extrav. comm. de decimis, & de cenſibus, exactionibus, & procurationibus.] Item annualem cenſum ſignificat, cap. 16. 17. 21. 22. 23. 24. 25. & 27. lib. 3. decretal. tit. 39.

Procuratrix Sedis Apoſtolicæ. FR. ab Innocentio III. Abbatiſſa quædam conſtituta fuit, cap. 4. decretal. de Confirmat. util. vel inutil.

Procurator. Vide *Explorator*, *Pentepitropus*. Item Procurator dicitur Epiſcopus. Vide *Procuratia*, *Procuratio*.

Prodigalitas. Vide *Banauſia* in dict. *Banauſus*.

Proditor. FR. Certus indicator, ſeu delator publicus, l. ſi quis per proditorem, & l. ſi lupus, de furtis. Item apud Patres mendacem ſignificat. [Sicut enim ex his verbis oſtenditur, non ſolum ille proditor eſt veritatis,

tis,

tis, qui tranſgrediens veritatem, palam pro veritate mendacium loquitur; ſed etiam ille, qui non libere veritatem pronunciat, quam libere pronunciare oportet, aut non libere veritatem defendit, quam libere defendere convenit, proditor eſt veritatis, can. nolite timere, 11. qu. 3. ideo dictio *Proditor* pluribus modis intelligitur, ut in can. Clericus qui, diſt. 46. ubi ſic habetur: [ Qui adulationibus, & proditionibus vacare deprehenditur, ] & ibi ſic Gloſſa: [ Proditor dicitur qui propter timorem non defendit veritatem, & qui tacet eam, ut can. nolite, 11. quæſt. 3. Item qui crimen alterius, ſibi ſolum notum, manifeſtat, ut can. ſi peccaverit, 2. quæſt. 1. Item qui malitioſe circumvenit alium, & callide ſeducit, ut in periculum ſalutis tradat, can. ſi cupis, 16. qu. 1. Item qui rem ſibi commiſſam exponit hoſtibus, can. de formi, 22. q. 5. Item qui juſſum veritatis contemnit, can. abiit, 11. qu. 3. Item qui ſecretum ſibi commiſſum revelat, can. nervi, 13. diſt.

PRODROMUS. Vide *Manſionarius*.

PROEDRUS, πρόεδρος, ideſt, Præſidens, officium Græcorum Eccleſiæ: [ Proedrus Heracleæ, qui erat inter honoratiſſimos, & Exarchus Thraciæ, & Macedoniæ. Codinus. Denunciamus omnibus Proedris Eccleſiarum noſtrarum. Tharaſ. in epiſt. ad Hadrian. Papam.

PROFANO. Vide *Infano*.

PROFESSIO. FR. ideſt, juramentum. [ Cunctis convenientibus apud Septimum, tunc Patriarcha a tyranno de orthodoxa fide, ut ſine pertubatione ſervaret Eccleſiam, extorſit profeſſionem. Landulph. lib. 7. hiſtor.

PROFESSOR. Vide *Confeſſor*.

PROFESSUS. FR. aliquando non alicujus artis, ſeu facultatis profeſſorem ſignificat; ſed qui ſe in Catalogo deſcribi faciebat, ratione alicujus edicti, vel aliqua gratia in concurſu aliorum in nomenclatura notabatur, ut illius conceſſionis compos fieret; ſic in primo ſenſu dicebatur profeſſus bonorum, cenſuum, nominis &c. Cic. pro Archia poeta: [ Cum hic domicilium Romæ multos jam annos haberet, profeſſus eſt apud Prætorem Q. Metellum familiariſſimum ſuum, ] ideſt, ſe tanquam Civem Romanum conſcribi fecerat, & Livius, lib. 2. [ Hoc propoſito dicto, & quia aderant nexi, profiteri extemplo nomina. ] Sic habetur in Luca, cap. 2. [ Ibant omnes, ut profiterentur ſinguli, in ſuam Civitatem: [ & inferius: [ Ut profiteretur cum Maria &c. ] ideſt, ut daretur in nota nomen, Civitas &c. Item profeſſor, & profiteor in ſecundo ſenſu, nempe, qui notabatur tanquam concurrens pro aliqua re obtinenda; ita Liv. lib. 6. bell. Pun. [ Primo expectaverant, ut qui ſe tanto imperio dignos crederent, nomina profiterentur, ] quod clare Cicero explicat in orat. pro Plancio, dum ait: [ Sunt profeſſi, qui magiſtratum petituri dabant nomen, & inter competitores deſcribebantur, & candidam veſtem aſſumebant. ] Hinc verba D. Auguſt. tom. 10. hom. 25. alias obſcura, elucidantur, ubi de Magdalena agens inquit: [ Acceſſit confeſſa, ut rediret profeſſa, ] ideſt, ſuum peccatum confeſſa eſt, & decretum remiſſionis conſequuta eſt, ac inter cœleſtes candidatos conſcribi meruit. Vide Baron. in Appar. num. 81.

PROFESTUS. FR. dies ferialis, qui feſtivitate vacat. Pompon. Feſtus. Macrobius, lib. 1. Saturnal. cap. 16. & Gloſſa in cap. 4. lib. 3. decretal. tit. 41. ait: [ Profeſtus quaſi procul a feſto.

PROFITEOR. FR. ſignificat jurare. [ Quæ tradita canonice comperio, obſervare, ac venerari profiteor. Ivo Carnotenſis epiſt. 65. ] Unde *Profeſſio*, ideſt, juramentum.

PROGRAMMA. FR. græca vox πρόγραμμα, quæ publicam ſcripturam, ſive edictum ſignificat. in Cod. Theod. lib. 10. tit. 16. Caſſiodor. in formulis, & Vulcatius Gallicanus in Avidio Caſſio de eo hæc inquit: [ Statim ſigna edici juſſit, & programma in parietibus fixit, ut ſiquis cinctus inveniretur apud Daphnen, diſcinctus rediret.

PROHIBITUM. FR. pro eo, quod non invenitur conceſſum, lib. 1. decretal. tit. 7. cap. 2.

PROLITO, litare, imolare, ac ſacrificare ſignificat. [ Cogebatur Chriſti populus vanis ſuperſtitionibus intereſſe, atque in cultu nefandi ritus, nunc aut libamina inceſta profundere, aut ornatus ſertis victimas trahere, aut gravia nidoribus thura ſuccendere, aut inter fervidos ignes pallenti a ruina funeſto ſanguine prolitare. S. Zeno Veronen. Epiſc. in vita S. Arcadii Mart. ] Ejus ſynonyma. Vide *Sacrifico*.

PROLOGUS GALEATUS. Ita nuncupatur prologus S. Hieronymi in principio Sacræ Scripturæ appoſitus, quia, ut idem ibi ait: [ Hic prologus Scripturarum quaſi galeatum principium omnibus libris, quos de hebræo vertimus, convenire poteſt. ] Idem Sulpitius aſſerit, [ Quod idem & galeatum a quibuſdam vocatur, quoniam ita commune eſſe poſſit, ut in omnibus cauſis quemadmodum galea ſuo galeato, omnibus indigis poſſit eſſe commune. ] Alii vero autumant, quod metaphorice a galea dicatur, quæ ſicut caput defendit, ita prologus in principio ſuæ tractationis appoſitus, totum tractatum tanquam apologia ab Adverſariorum detractionibus tutatur.

PROLUBIUM, prolibitum, complacentia. [ Verumtamen formidans per diem ſuo prolubio ſatisfacere. In vita S. Gudilæ Virg.

PROMÆ CELLÆ. Vide *Promptuarium*.

PROMEREOR. FR. ideſt, complaceo, ſive placor: [ Talibus hoſtiis promeretur Deus, epiſt. ad hebr. cap. 13. ] ita ut in ſenſu paſſivo accipiatur. Unde Arias Montanus ex græco textu *Beneplacet ſibi Deus* vertit.

PROMOTIO FURTIVA, FR. quando abſque Epiſcopi conſcientia, & nullo prævio examine ad aliquem ordinem furtive quis promovetur. Gloſſ. in cap. veniens ad nos, de exceſſ. prælat.

PROMPTUARIUM. FR. locus in quo res prompte habentur, græce ταμεῖον dicitur, quod vocabulum loco *Cellarii* habet græca lectio ad Cantic. c. 1. ubi Vulgata legit: [ Introduxit me Rex in cellaria ſua, exultabimus,

mus, & lætabimur in te, ] græca lect. habet: [ Introduxit me Rex in promptuarium ſuum &c. ] Sed D. Ambroſius Cubiculum vertit, inquiens: [ Introduxit me Rex in cubiculum ſuum. Græcus in promptuarium ſuum, lib. 5. de Sacram. c. 2. ] Eſt autem promptuarium ex Sipontino, locus, in quo res ad uſum neceſſariæ repoſitæ ſunt, ut ſtatim promi, & proferri poſſint. Unde Apul. lib. 1. [ Ex promptuario oleum unctui, & lintea terſui, & cætera huc eidem uſui profer ocyter, ] *profer ocyter*, ideſt, prompte ex promptuario. Sic etiam in Eſaja 26. 20. ubi Vulgata habet: [ Vade populus meus, intra cubicula tua &c. ] LXX. tranſtulerunt: εἴσελθε εἰς τὸ ταμεῖόν σου; ſic pariter legit Tertull. lib. de reſurrect. nempe: [ Populus meus introite in cellas promas. ] Videtur autem legiſse; εἰς τὰ ταμεῖα, qui tamen ibidem, quid ſint, ſic explicat: [ Cur cellarum promarum potius vocabulo uſus eſt, & non alterius loci receptorii? Niſi quia in cellis promis caro ſalita, & uſui repoſita ſervatur, depromenda illinc ſuo tempore.] *Cellaria* igitur in vulgat. Cantic. cap. prædicto non tantum ſignificat cellam vinariam, ut vulgo fertur; ſed promptuarium, ac cellam promam totius peni, ideſt, eſculenta & poculenta, de quibus fuſe Gell. lib. 4. c. 1. Beroaldus in 1. Æneid. contra Servium. Sed etiam ex Ser. Sulpitio, & Maſſurio Sabino, nomine *peni*, vel *penoris* omne utenſile apud eundem Gell. ibid. intelligitur, ubi ſignanter inquit; [Pręterea de penu adſcribendum hoc etiam putavi. Ser. Sulpitium in reprehenſis Scævolæ capitibus ſcripſiſse, Sejo Helio placuiſse, non quæ eſui tantum, & potui forent; ſed thus quoque, & ceræ &c. ] Quare præfatam Cantic. dictionem concinne explicans D. Ambroſius Cellarium odoramentorum dulcedinis, & ſatietatis intellexerat, dum innuit: [ Induxit me Rex in cellarium ſuum, ubi bona libamina, boni odores, ubi mella ſuavia, ubi fructus diverſi, ubi epulæ variæ, lib. 5. de Sacram. cap. 2.

Prontanimitas, animi promptitudo. [ Adeo laboravit in ejus obſequio tota mentis prontanimitate. In vita S. Gregor. Ligonien. Epiſc.

Propalo. Vide *Depalo*,

Propheta, ſive *Prophetis*, ex græco vocabulo προφήτης, ideſt, qui futura prædicit, & in Sac. Scriptura *Videns* appellatur. Vide *Videns*.

Propheteum, Templum in honorem alicujus Sancti Prophetæ dedicatum. [ Reliquiæ S. Samuelis in ejus propheteo ſunt poſitæ. Theodor. lib. 1. ſub Arcad. ] Sicut eodem modo Eccleſia alicui Apoſtolo erecta *Apoſtoleum* dicta fuit.

Propitiatorium, Vide *Chorus*. *Sacrarium*. FR. Divus tamen Paulus in epiſt. ad Hebr. cap. 9. pro propitiatorio, ut Theophylactus inquit, Arcæ teſtamenti operculum intellexerat. Oechumenius vero ait, quod erat tabula aurea quadrata perpendiculariter ſupra arcam pendens ſine contactu; ita appellata, quia ex ea accipiebantur propitiationes, & divina reſponſa.

Propola. Vide ſequentem dictionem.

Propolarius, Propola, Revenditor, ex græco προπώλης. [ Propolarius quiſque, quod vendit, laudat. D. Auguſt. tract. 10. ſuper Joannem. ] Sed recta latinitate *Propola* dici debet. Sic Cic. contra Piſonem inquit: [ Paſtor domi nullus, nulla cella, panis, & vinum a propola, atque decuba. ] Et Plautus Aul. ſcena 5. act. 3. ait: [ Propolæ calciolariis &c. ] Vide *Regratarius*. FR. Item *Propola* aliquando pro lenone accipitur: [ Muliercula formæ ſcitioris, ut proſtribula mancipia lupanarium ad ludibrium pudicitiæ contraxit. Imitatus eſt etiam propolas circumforaneos. Lampridius in Commodo. ] Alludit ad vitium lenonum, qui pulchras mulieres, ut ad proſtribula ducerent lucrandi cauſa, ubique inquirebant, & proprie *Mangones* dicuntur; quo vitio Octavius Aug. a Svetonio in eundem, c. 69. notatur: [ Et conditiones quæſitas per amicos, qui matres familias, & adultas ætate virgines denudarent, atque perſpicerent, tanquam Thoranio mangone vendente. ] Idem opprobrium in Caligula Svetonius, cap. 36. etiam notaverat, fœminas inquiens: Mercantium more conſiderabat.

Propolium, προπωλεῖον, vulgo revenditio, apud eundem D. Auguſt. [ Quot propolia fecerunt.] In aliquibus tamen ejus Codicibus *Propoſita*, & *Propoſitum* mendoſe habetur.

Propoſita. Vide *Propolium*.

Propòſitum, FR. arbitrium. [ Si autem ipſis proprie aliquid liberalitate alicujus, vel ſucceſſione cognationis evenerit, faciant inde, quod eorum propoſito congruerit. Quod ſi a ſuo propoſito retrorſum exorbitaverint, honore Eccleſiaſtico indigni tanquam reprobi judicentur, can. placuit, ut Epiſcopi, 12. qu. 3. ] ideſt, [ Qui voluerint facere ipſorum voluntatis arbitrio ] ut in eadem qu. can. quicumque, declaratur. Item propoſitum perperam pro Propolium ſcriptum. Vide *Propolium*.

Proprietas. Vide *Peculiaritas*.

Proreta, προρήτης. FR. navis Rector. [ Quod ſi perniciosum eſt proretam navim deſerere, can. ſi ſciſcitaris, 7. q. 1. & ibi Gloſſa.

Proprindo, prius prehendo, barbarum verbum, Benedicti Levitæ vocabulum.

Propriſus, prius apprehenſus. Ejuſdem Benedicti Levitæ vocab.

Prorsus, nomen, hoc vocabulum legitur in vita S. Gildæ, quod ab aliquibus directus, ſive erectus interpretatur, ubi ſic habetur: [ Pediſſequa quoque ejus, & prævia, & de via negat ſe diſcernere, nec prorſi tramitis meminiſſe. ] Sed *Perorſi*, a verbo *Perordior*, ut conſideranti patebit, legendum eſt.

Prosa, ſic rhythmus ille dicitur, qui poſt Epiſtolam canitur, & denominatur *Sequentia*, & *Jubilatio*. Dicitur autem *Proſa*, quia in ea non obſervantur metricæ regulæ. Item *Sequentia*, quia ſequitur poſt Graduale. Auctorem Rhythmorum Noterium S. Galli Abbatem, Durandus lib. 4. cap. 22. facit, qui etiam ibi ait Nicolaum Papam in Eccleſia cani ordinaſſe,

ſe. Eccleſia tamen Romana his Sequentiis utitur in Miſſa; nempe *Lauda Sion Salvatorem*, quam D. Thomas Aquinas compoſuit. *Veni Sancte Spiritus* a Ruperto Galliarum Rege anno 1003. ſcripta, Durand. ibidem. Alii tamen Auctorem Hermannum Contractum faciunt. *Victimæ Paſchali laudes* ignoratur Auctor. *Dies iræ, dies illa* quam aliqui D. Gregorium, alii D. Bernardum compoſuiſſe putant; Bzovius in Eccleſiaſt. Annal. anno 1294. ait fuiſſe Cardinalem Urſinum Auctorem, ſive Frangipanem: nec deeſt, qui Auguſtinum Biellam de anno 1491. inventorem faciat; ac tandem illam Humberto Dominicanorum Generali attribuunt alii. Vide *Hymnus*. *Jubilatio*. *Proſaticus*. *Verſus leoninus*.

PROSABBATUM. Vide *Paraſceve*.

PROSATICUS, proſaicus. [ Qui ſale attico, & proſatico lepore, imo divina inſpiratione compoſuit. In vita S. Eulogii Presb. & Mart.

PROSCHOLUS. Vide *Baccalaureus*.

PROSECUTIO. FR. ideſt, allegatio. [ Sancta Synodus dixit: licet ſecundum proſecutionem Laurentii, Petri, Eulalii, Creſcentii, Maximi, vel Stephani, nec apud nos incertum habetur hanc ipſam ſcripturam nullius eſſe momenti, can. bene quidem, diſt. 96. ] Nam omnes iſti Epiſcopi, nempe: Laurentius Mediolanenſis, Petrus Ravennatis, Eulalius Syracuſanus, Maximus Belitanus (fortaſſe Belitranus) & Stephanus Venuſinus Epiſcopi omnes allegationes adduxerunt pro immunitate Eccleſiaſtica, contra ſtatuta Baſilii Odoacris Regis Vicarii; & ſtatum quæſtionis explicat ibidem Gloſſa.

PROSELYTUS, adjectivum, græca dict. προσήλυτος, ideſt, Advena, Alienigena, Peregrinus. [ Judæi quoque, & Proſelyti. Actor. cap. 2. hebraice *Gher* dicitur, ideſt, Peregrinus. FR. Idem nomen reperitur in Matth. cap. 23. [ Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum proſelytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ, duplo quam vos: ] Ubi gloſſa interlinearis ſic interpretatur, nempe [ Ad legem convertitis eum unum advenam de Gentibus: ] Gloſſa vero ordinaria ſubjungit: [ Proſelyti ſunt de Gentibus in Synagogam recepti, quorum raritas per unum ſignificatur, quia vix aliquis poſt Chriſtum. ] Nicolaus Lyranus ait ibidem: [ Proſelytus legis dicebatur ille, qui de gentilitate ad Judaiſmum convertebatur. ] & D. Auguſt. contra Adimantium eumdem Matthæi locum exponit, inquiens: [ Iſtis autem perverſitatibus ſuis faciebant, ut cum aliquis Gentilis ad eorum legem tranſibat, ideſt, factus eſſet proſelytus, haberet mores eorum, & fieret filius gehennæ, multo pluſquam illi eſſent. ] Qui tamen Proſelyti duplicis generis erant, ſcilicet, qui *Proſelyti juſtitiæ* dicebantur; nam circumciſioni ſubmittebantur, atque legem moſaicam rigoroſe obſervabant ad inſtar naturalis Hebræi. Alii dicebantur *Proſelyti imperfecti*, ſive *Domicilii*, qui deteſtabantur idololatriam; ſed circumciſionem ſuſtinere non patiebantur, nec legem Moyſis obſervabant; ſed tantum ſequebantur naturalia præcepta a Deo Noemo, poſteriſque ejus tradita, ideſt, non furandi, non occidendi, non fornicandi, & ſimilia; hujuſmodi fuiſſe dicitur Nicolaum ab Apoſtolis baptizatum, & in Diaconem ordinatum, de quo in Act. c. 6. habetur: [ Nicolaum advenam, (*ideſt*, *proſelytum*) Antiochenum. ] Item Proſelytus Hebræorum fuerat ex chriſtiano Aquila, & qua de cauſa. Vide *Phariſæus*. Item *Gher* hebraice, ſignificat etiam timens Deum, & ubi nos legimus: [ Qui timent Dominum, ſperaverunt in Domino, Pſalm. 113. ] hebraice habetur *Gherim*. Sic etiam in Pſalm. 117. [ Viri Iſraelitæ, qui timetis Deum. ] ac alibi paſſim.

PROSEUCHA, græca dictio προσευχή, ideſt, deprecatio, oratio: [ Metuendum erat, ne per hanc occaſionem Judæi quoque moleſtarentur a ſuis Civibus, ſi quid novaretur circa proſeuchas, & ritus patrios, Philo hebr. in Flaccum in legat. ad Cajum. ] Item Synagogam ſignificat; ſic idem Philo, ubi de trãſtyberina regione a Cæſare Auguſto Hebræis conceſſa, inquit: [ Sciebat habere ſuas proſeuchas, in quibus cœtus facerent. ] Vide *Synagoga*. FR. *Proſeucha*, licet græce orationem ſignificet: a Scriptoribus vero tam Hebræis, quam Gentilibus, atque Chriſtianis pro loco orationis, videlicet, Synagoga ſemper accipitur. Quo ad hæbræos, nedum citatus Philonis locus in Flaccum de Synagoga intelligitur: ſed idem Auctor in vita Moyſis non longe a fine hoc vocabulum ita declarat: [ Nam deſtinata oppidatim ſacris precationibus loca, quæ proſeuchas vulgus nominat, quid aliud ſunt, quam ſcholæ, in quibus prudentia, fortitudo, temperantia, juſtitia, pietas, ſanctitas, omniſque virtus diſcitur, quodcumque ad humana, divinaque negotia requiritur? ] Et Joſeph. Hebr. De vita ſua poſt medium, inquit: [ Sequente igitur die populus convenit in proſeucham, quam vocant precationis domum, amplam, & capacem tantæ multitudinis. ] Et ex Gentilibns Juvenalis, Satyr. 3.

Ede, ubi conſiſtas, in qua te quæro proſeucha &c.

Et ex Chriſtianis Scriptoribus vetus Scholaſtes habet in Gloſſario: [ Προσεύχεσθαι enim græce orare dicitur, & proſeucha locus Judæorum ubi orant] quæ etymologia proſeuchæ Adriano Turnebo arridet, lib. 1. adverſar. cap. 19.

PROSPHORA. Vide *Miſſa*.

PROSPEX, providens, proviſor. [ Recogita in præſagiis vatem, in ominibus augurem, in eventibus proſpicem. Tertull. de teſtam. animæ, cap. 5.

PROSTAGMA, græcum nomen πρόσταγμα, ideſt, præceptum. [ Poſt hæc ſacro placuit Concilio, quatenus Auguſti proſtagmate &c. In vita S. Celſi Epiſc.

PROSTRALES, ſive *Proſternales*, vel *Proſtrati* Pſalmi. Vide *Pſalmus*.

PROTECDICUS, primus defenſor, græcum vocabulum πρωτέκδικος. [ Protecdicus, qui ſuſcipiebat captivos, & ibi erat judex cauſarum criminalium. Codin. lib. 1. de

de off. ] Erat etiam Eccleſiaſticum Officium, cui ſpectabat cauſas criminales Clericorum cognoſcere: item Eccleſiæ defenſor erat, ac ſuam juriſdictionem in Eccleſiarum ingreſſu exercebat, qui ideo πρωτεκδικεῖον nuncupabatur; quod officium primo ordini Clericorum Conſtantinopolitanorum a Patriarcha Gregorio Xiphilino additum fuit, quia, ut ait Balſamon, non libenter defenſoris munus renunciabant, ut ad alia officia aſcenderent propter ejus lucrum; ideoque prædictus Patriarcha inter priores Eccleſiæ dignitates hoc officium annumeravit. Vide *Defenſor*, & *Defenſoria*.

Protelo, longe jacto; apud Scriptores tamen Eccleſiaſticos translative ponitur non raro pro ſpatio temporis in longum producto ad agendum aliquid. [ Nocte quadam plus ſolito orationem protelans, uſque ad lucis crepuſculum in contemplatione permanſit. Hincmar. in Remig. ] Sic etiam Cæſarius, lib. 1. cap. 27.] Vitam protelari virtute medicinæ ] dixit. Uſurpatur etiam in eodem ſenſu quo ad moralia: [ Ut quoniam deficiente charitate, eo uſque protelatur malitia, ut nova exerceantur facinora. Concil. Tolet. V. can. 1. [FR. ſic etiam Stephanus Papa Gualberto Doſinæ Patriarchæ ſcribens, qui prætenſo zelo Comenſis Eccleſiæ Electum conſecrare diſtulerat, ideo ſcribit: [ Si protelaveris, & eum conſecrare, jam toties monitus, non maturaveris, proculdubio ad nos veniens, conſecratus abibit. Can. nunc vero, 9. qu. 3. [ Vide Matth. Pariſ. in dict. *Parviſium*.

Prothesis, πρόθεσις, altare, in quo Græci multis cæremoniis pro Miſſa panem, & vinum præparant, & ex eo loco deinde proceſſionaliter tempore conſecrationis ad ſacrum altare deferunt, in qua proceſſione intervenire ſolebat Græcus Imperator in ejus Coronationis die, hoc, nempe, pacto: tempore deferendi oblationes aliqui Diacones diſcedebant ad invitandum novum Imperatorem, qui cum eis ad Protheſis locum ingrediebatur, ubi manto auro contexto induebatur, in capite geſtans coronam, & baculum in manu, qui *Narthex* dicebatur, ( de quo ſuo loco diximus in ſiniſtra, ac centum armatis militibus aſſociatus procedebat; deinde Diaconi ſequebantur, & poſtremo Sacerdotes oblationes ferentes; accedenſque ad majorem portam in Sancta Sanctorum, ubi expectabatur a Patriarcha, tunc immorabatur ex parte exteriori Imperator, & capitis inclinatione ad invicem ſalutabantur: interim tranſibat Diaconus, Patriarchale pallium ferens in dextera, qui in conſpectu Imperatoris ſiſtens, elata voce hæc verba intonabat: [ Recordetur Dominus Deus potentiæ regni tui in regno ſuo ubique nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen. ] Quod ab aliis Diaconis & Sacerdotibus, qui ſequebantur, iterabatur: & cum ingrederentur Sancta Sanctorum ſimilem precationem etiam Patriarchæ canebant ſinguli eorum; [ Recordetur Dominus Deus Pontificatus tui ubique &c. ] His peractis Imperator ſalutabat Patriarcham, ac paludamentum deponebat, & ad ſuum locum recedebat. Tempore deinde communionis, quam ſumebat in hac die intra Cancellos cum aliis ſacris Miniſtris, propriis manibus Euchariſtiam, & Sanguinem ex Calice a Patriarcha porrecto ſuſcipiebat, & ante Communionem thurificabat in formam Crucis altare, ac deinde Patriarcham, qui ab Imperatoris manibus thuribulum recipiens, idem obſequium ei reddebat, illum incenſando. Tandem deponens ex capite coronam, Diaconoque conſignans, Altaris Sacramento ſe refocillabat: ita Curopal. c. 17. Similis quædam proceſſio adhuc in Eccleſia Turonenſi viget; tempore enim offertorii ordinatur proceſſio ex Sacriſtia, ac primus omnium prima Dignitas, quæ eſt Theſaurarii, progreditur pluviali indutus, poſt quem ſequitur Ceroferarius, deinde Subdiaconus cum urceolis vini, & aquæ velo contectis, & poſt alium Ceroferarium ſequitur Diaconus cum patena ſimiliter velo cooperta; poſt tertium Ceroferarium alius Diaconus incedit cum Calice, & Corporale velo involuto, ſuper quod defert duas tabellas, in quibus depictæ ſunt Sanctorum imagines, quæ pro danda pace inſerviunt. Tandem quartus Ceroferarius terminat, & claudit proceſſionem, quæ terminatur ad Altare, ubi ſolemnis Miſſa celebratur.

Proto a Secretis, principalis Secretarius, ſive Magnus Cancellarius. [ Leo Curapalates, & Proto a ſecretis Simeon Luitpr. in legat.

Protobestiarius. Vide *Protoveſtiarius*.

Protocanonarcha. Vide *Canonarcha*.

Protocatapanus. Vide *Catipanus*.

Protocerius. Vide *Primicerius*.

Protocollum, πρωτόκολλον, ſignificat primum glutinum, ſive collam, qua libri conglutinabantur: hinc pro volumine ſumitur, in quo inſtrumenta Notariorum, & ſimilia regiſtrantur, & ex eo ſcripturæ deſcribuntur, ad eas intereſſatis conſignandas.

Protocursor, Curſorum Præfectus: [ Cum enim miſiſſet Protocurſorem, ut interrogaret eos, quo præcipiente hoc fecerint. Landulph. in Phoca.

Protocynegus. FR. πρωτοκυνηγός, venationis anteſignanus, Italice *Capocaccia* dicitur. Erat tamen Dignitas in Imperiali Aula Conſtantinopolitana, qui ſtapedem ſuſtinebat in Imperatoris equitatione, & ad eum veſtes Imperiales pertinebant, ſi in venatione ſanguine maculabantur. Codinus.

Protodiaconus, πρωτοδιάκονος, Archidiaconus, ſic a D. Jo: Damaſceno, lib. 4. c. 6. appellatus fuit Sanctus Stephanus Protomartyr. Vide *Archidiaconus*.

Protomartyr, πρωτομάρτυρ, primus martyr, quo titulo appellari ſolet ab Eccleſia D. Stephanus; primus enim fuerat, qui inter Chriſtianos gloria Martyrii coronari meruerit: ſic etiam vocatur juſtus Abel reſpectu veteris martyrum teſtamenti, & inter Chriſtianas fœminas Sancta Thecla in Menologio græco his verbis celebratur: [ Sanctæ Protomartyris, & paris Apoſtolis Theclæ.

Protomedicus. Vide *Archiater*.

Protomystes, πρωτομύστης, ideſt, Sacrorum caput, Epiſcopus intelligitur. Vide *Myſtes*.

Protonotarius, dictio græco-latina, πρωτονοτάριος, ideſt, primus Notarius, Eccleſiaſticus officialis, a D. Clem. Papa inſtitutus, qui aliquos hujuſmodi ordinavit, ut Sanctorum Martyrum acta colligerent, ac ſcriberent, de qua re Baronius ann. 44. n. 79. an. 98. n. 3. an. 238. num. 2. ann. 598. n. 16. & diſerte in Notis Martyrol. c. 1. Errat tamen Gloſſa in can. Monachus, diſt. 77. aſſerens *Notarium* a notis ita appellari; nam a notificando ita dicitur, ut idem Baronius ann. 447. n. 10. bene advertit. Item Protonotarius dicitur etiam *Protoſcriptor Eccleſiæ*. Idem Baron. ann. 1152. num. 123. Qui appellati ſunt *Scriniarii*, *Notarii*, *Protoſcriniarii*, *Primiſcrinii*. Vide *Primiſcrinius*, cui antiquitus in creatione novi Pontificis incumbebat ad ejus libitum mutare nomen electi. Vide *Papa*, §. Et ut Platina affirmat. FR. Item *Notarii S. Sedis Apoſt.* can. Auguſtino, 12. qu. 2. :||: Sixtus Papa V. ad duodenarium numerum eos auxit. In Pontificia Cappella præcedunt Commendatarium S. Spiritus in Saxia, Meſſanenſem Archimandritam, ac omnes mitratos Abbates, quando non ſunt ſacris paramentis induti. Sacr. Rit. Congr. 12. Febr. 1598. Ita etiam Palatii Apoſtolici Sacriſtam, niſi erit Epiſcopus. Ead. Sac. Congr. 13. Junii 1601. Hodie tamen in Eccleſia Latina ſunt duplicis generis Protonotarii, participantes, nempe, de quibus ſupra, & non participantes. Primi ſunt, qui habitu prælatitio induuntur in Curia, & extra eam, & multis privilegiis cumulantur, ſcilicet poſſe non legitimos legitimare, creare Protonotarios non participantes, Equites aureatos, Notarios Apoſtolicos, Doctores in utroque jure, ac in Theologia; ſed in jure taxative annuatim, at in Theologia indefinite. Poſſunt inſuper uti mitra, aliiſque Pontificalibus paramentis in Miſſa ſolemni cum licentia Ordinarii, ſi præſens ſit; ſecus vero ſi hic erit abſens, in quo caſu ejus licentia neceſſaria non eſt. Item habent facultatem ſibi faciendi celebrare in loco non ſacro, & tempore interdicti, ad quam celebrationem poteſt eorum familia intervenire. Item anticipare Miſſam ante auroram, & poſt meridiem illam poſticipare. Item hujuſmodi Protonotarii poſt decennium eorum officium renunciantes, per luſtrum gaudent iiſdem privilegiis; ſed in Urbe non poſſunt uti amplius rochetto, & præcedentiam amittunt in Cappella Pontif. & ſedere tunc debent poſt Rotæ Auditores, Clericoſque Cameræ, ut Conſtit. Sixti V. de anno 1585. Sed Urbanus VIII. ann. 1619. ampliavit eis facultatem, quod, nempe, renuntiantes per triennium ſupradictis privilegiis fruantur. Protonotarii ſacra paramenta benedicere non poſſunt. Sacr. Rit. Congr. 17. Julii 1627. Protonotarii vero non participantes, quorum numerus indefinitus eſt, habent extra Urbem rocchetti, & mantelletti uſum. Eadem Sac. Rit. Cong. 18. Jul. 1626. Sed non poſſunt habere anulum in digito, dum celebrant. Ead. Sac. Rit. Congr. 11. Febr. 1624. Præcedunt Canonicos Cathedralis; ſed non cum capitulariter ſunt congregati. Ead. Congr. 12. Maji 1602. Canonicus Protonotarius poteſt in choro uti veſte violacea. Ead. Congr. Rit. 14. Janu. 1612. in quadam Panormitana, dum tamen defert habitus Canonicales, & cum ſit in choro, debet ferre habitus ſimiles aliis Canonicis, alias diſtributionibus non gaudet. Ead. Rit. Cong. 12. Decemb. 1626. Suntque Ordinario loci in criminalibus tantum ſubjecti, & in civil. dum non excedat ſummam 24. ducat. ex Bulla Leonis X. Qui gaudet privilegio Conclaviſtarum, Cavaleratus Apoſt. Cancell. vel ſcripturæ ejuſdem, & Papæ familiares, dum non habeant uxores, & ſint Clerici, ut Protonotarii ſecundæ claſſis habentur. Antiquitus erat etiam duplex Notariorum ſpecies, alii enim intra cancellos coram Judicibus obducto velo acta Martyrum ſcribebant; alii autem extra cancellos ſcribebant, de quibus Baron. cap. 1. in Notis Martyrologii. In Eccleſia tamen Conſtantinopolitana Protonotarius erat ex ſecundo Clericali ordine primus, ad quem ſpectabat Lectores Eccleſiæ examinare, teſtamenta ſcribere, & mancipia manumittere. FR. Qui Græcus Protonotarius *Janua exocatacœlorum* dicebatur, non quia Janitor illorum eſſet, ut Junius credidit, ſed quia ingreſſui in ordinem ſuperiorem Exocatacœlorum erat proximior: qui *Exocatacœli*, ut ſuo loco dictum fuit, Cardinales erant Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, quique, cum eſſent in ordine Diaconali, omnes alios Epiſcopos præcedebant, licet lis mota fuiſſet ab Epiſcopis contra Chartophylacem, qui unus ex illis Diaconis erat, fuit tamen in ipſius favorem reſcriptum ab Imperatore Alexio Comneno in novellis a Leonclavio editis. Vide *Scriniarius*.

Protopapas, πρωτόπαπας Archipresbyter, qui in Eccleſia Conſtantinopolitana multis præeminentiis fruebatur, cum eſſet eccleſiaſtici tribunalis caput, & *Magnus Protopapas* dicebatur ad differentiam alterius Protopapas Imperialis, qui ſuper omnes Clericos Cappellæ Imperialis conſtituebatur. Aliquando Magnus Protopopas Clerici tum Patriarchatus, tum etiam Palatii præfuerat. Meſſanæ adhuc extat hæc dignitas in quadam Eccleſia Catholica appellata, ac ita dicta ex eo, quia quando Sicilia ſub Græco Imperio erat, hæc Eccleſia cum Latinis permanſit unita in confeſſione, quod Spiritus Sanctus ex Patre, Filioque procedat: & licet uſque in hodiernum diem græco ritu ibi officia celebrentur; in azymo tamen conſecrant, & paramentis ſacerdotalibus utuntur Latinorum more. Hic itaque Meſſanenſis Protopapas præter juriſdictionem, quam in multis Eccleſiis ejuſdem Civitatis exercet, quæ olim ſibi ſubjectæ erant; non parum a Clero Metropolitanæ Eccleſiæ honoratur; in die enim Pentecoſtes ad hanc Catholicam Eccleſiam proceſſionaliter accedunt Cathedralis Canonici, Protopapam ſuſcipientes, & ad Cathedralem Eccleſiam conducunt, ubi græco ritu ſolemnes Veſperas ille canit, ac tandem eiſdem cæremoniis ad propriam Eccleſiam reducitur,

quæ

quæ honoris demonſtratio ideo clericis iſtis græcis fit in ea die ob memoriam unionis eorum cum Latinorum dogmatibus, præcipue in materia proceſſionis; ut diximus, Spiritus Sancti. Item in die Circumciſionis in ſolemni Cathedralis Miſsa ibidem Epiſtola, & Evangelium a græcis Subdiacono, & Diacono leguntur. In proceſſionibus Meſsanenſibus Protopapas utitur ligneo baculo ad inſtar græcorum Abbatum in forma litteræ T.

Protopaschitæ, πρωτοπασχῖται, hæreticorum ſecta, quæ Judaico more in azymis celebrabat Paſcha. Appellati etiam fuerunt *Sabbatiani* a quodam *Sabbato*, ſive *Sabbatio* hæreſiarcha, qui fuerat Hebræus. FR. Baronius tamen eoſdem eſse ait, ac Novatianos, ad an. 413. n. 28.

Protoplastus, πρωτόπλαςος, primus plaſmatus, ideſt, Adam; unde canit Eccleſia: [ De parentis protoplaſti,] & pro Adami ſucceſsoribus aliquando uſurpatur: [Per cujus partum mutatur natura, protoplaſtorum deletur culpa. D. Auguſt. ſerm. 10.] ubi de B. Virgine loquitur. FR. ſic etiam hoc vocabulum a Gloſs. in c. 5. de bigamis non ordinan. interpretatur.

Protopostolarius, Officialis in Eccleſia Conſtantinopol. primuſque eorum erat, qui epiſtolam in Miſsa legebant.

Protopsaltes, πρωτοψάλτης, primus Pſalmiſta. Vide *Domeſticus*.

Protosebastus, πρωτοσέβαςος, primus Auguſtus, in aula Conſtantinopolitana dignitas, quæ Imperatorum filiis, & ejus conſanguineis conferebatur. FR. dicitur etiam *Protoſevaſton*, quod recte Primus Comes interpretatur, & non Comes Palatinus, ut Vvolfius, & Rogerius in Hiſt. Anglicana vertunt. [ Hemanuel Conſtantinopolitanus Imperator &c. miſit Oratorem ex Italis Gratioſum Jordanem Roberti olim Capuani Principis filium, Palatii Imperialis Protoſevaſton. Blond. decad. 2. lib. 5.

Protostates, ſeu *Protoſtata*. FR. ex græco προτοςάτης, ideſt, primarius: unde *Diſcipulorum Protoſtates* a S. Procolo in orat. 8. de Transfigurat. Dom. appallatus fuit S. Petrus Apoſtolorum Princeps; ſecundum aliquos ſignificat conductorem duodecim militum, qui *Commanipulones* dicuntur. Optime igitur S. Proclus manipulatorem conductorem, ac primatim Petrum vocat, dum eum Protoſtatem Diſcipulorum, nempe, duodecim appellat; ad quod facit Suidæ documentum ajentis: [ Manipulus continet viros 8. alii volunt conſtare 12. alii vero ex 16. viris &c. quod & menſura optima eſt: & manipuli Princeps Proſtata, ſeu Doctor vocatur: ipſe eſt primus, & optimus ſeriei.

Protostrator, Præfectus ſtabuli, Mareſcallus. FR. ſic etiam interpretatur Niceta, ubi de Gofredo Bulione loquitur, nempe: [ Dignitate erat vir ille Mareſcallus, quod Græcis eſt Protoſtrator.] Idem a Joanne Curopalata affirmatur in Theophilo, & *Equiſonum primus* ab eo dicitur: nam inferiores *Stratores* dicebantur. Suidas .: Vide *Strator*.

Protostratoricus. FR. adjectivum nomen pro eo, quod Protoſtratoris eſt. [ Deus, qui facit omnia, Andronici Imperatoris cognomentum excitet Phileni Palæologum, qui poſt ob animi alacritatem, ac fortitudinem protoſtratoricum baculum accepit. Niceph. lib. 7. hiſt.

Protosyncellus, πρωτοσύγκελλος, ideſt, primus domeſticus, dignitas Eccleſiaſtica in Conſtantinop. Eccl. ita dicebatur, quia omnium Syncellorum, ideſt, habitantium, ſive domeſticorum Patriarchalis palatii erat primarius, & erat ejuſdem Patriarchæ Vicarius, imo futuræ Patriarchatus ſucceſſioni deſtinatus; ideo dignitas hæc a Capitulo illius Eccleſiæ, cum Imperiali beneplacito eligebatur; [ Eodem præterea menſe ab Imperatore Joanne ad Papam Martinum Legati redierunt, Marcus, inquam, Iagrus, & Stratopedarcha, & Magnus Protoſyncellus. Phranzes, lib. 2. cap. 2.

Protovestiarius, qui præerat omnibus veſtiariis: legitur etiam *Protobeſtiarius*. Erat officium inter Eccleſiaſticos, & ſæculares, de hoc habetur fuiſſe in magna æſtimatione apud Græcos; nam, ut Codinus, lib. 2. refert, Michael Palæologus Imperator Michaelem Trachaniottam ex ſorore nepotem Protoveſtiarium Palatii fecerat. Vide *Canſtriſius*. *Veſtiarius*.

Provincia. FR. dicitur illa, quæ habet decem, vel undecim Civitates, & unum Regem, & totidem poteſtates ſub ſe, & unum Metropolitanum, alioſque ſuffraganeos decem, vel undecim Epiſcopos &c. can. Scitote 6. quæſt. 3. Provincia Galliæ comitatus quomodo vocetur latine. Vide *Speculator*.

Provisinus, moneta. Vide *Solidus proviſinus*.

Provisoria. Vide *Prædeſtinatio*.

Proxeneta, προξενήτης. FR. mediator, qui *Interemptor* dicitur. [ Interemptores autem ab officio declinantes, vel negligentius agentes, ab officio removeantur, can. Clericus quilibet diſt. 91.] & ibi Gloſſa. *Mediator* etiam vocatur. [Mediatores, per quos ſcelus ſimoniæ plerumque committitur, ad teſtimonium contra ſceleris ejuſdem auctores (in deteſtationem criminis) admittunt, ſi non agitur criminaliter, ſed civiliter, & emolumentum exinde non fuerint aſſecuti cap. mediatores, de teſtib. & atteſtat. in 6.] & ibi Gloſſa: cujus officium *Proxeneticum* dicitur. ff. de proxenet. l. 1. & 2. Vide *Interemptor*.

Prudentii Opera. Vide *Dittochæum*. *Hamartigenia*. *Pſychomachia*.

Psachmon. Vide *Pſachnion*.

Psachnion, habitus, ſive ſtola Pontificalis, alii Pallium intelligunt. [Et continuo exclamās Sacellarius quemdam aſtantium excubitorum tonſorem, præcepit ſine mora auferre pſachnion ſummi, & Apoſtolici, atque præcipui paſtoris,] ideſt, S. Martini Papæ, & Mart. in collect. Anaſtaſii in exil. ejuſdem S. Martini. FR: in eadem Collect. a Sirmondo edita habet ibid. pag. 92. [ Summi, & Apoſtolici Chriſtianorum.] Et infe-

ſerius: [ Cum incidiſſet pſachnion Beati Viri excubitor, & corrigam compagiorum ejus, ſtatim tradidit eum Sacellarius Præfecto Urbis, dicens, Tolle eum Domine Præfecte, & continuo membratim incide illum. ] FR. Aliter tamen apud Baronium hic textus legitur in anno 651. n. 10. ubi ſic habetur: [ Et continuo exclamans Sacellarius quemdam aſtantium excubitorum conſortem præcipit ſine mora auferre Pſachmon: ] Et inferius: [ Cum ergo incidiſſet pſachmon Beati Viri excubitor &c. ] Et poſt pauca verba idem Baronius ſic hujuſmodi vocabulum interpretatur, inquiens: [ Quoad ad pſachmon ſpectat, depravate ita legi putamus, per quam vocem nil eſt, ut indumentum aliquod poſſit intelligi. Siquidem pontificia ſtola, quæ pallium dicitur, & cæteris omnibus ſuperponitur indumentis, poſtea ſublata fuit. Nec eſt, ut conjici poſſit pſachmon, quaſi periſagmum, ſarcinam viatoriam fuiſſe corrigiæ (ut textus habet) compagibus nexam: ſiquidem non eſt veriſimile ei relictam, cum e navi eſt ductus in carcerem, & e carcere ad judicium. Unde iſta conjunctio pſachmi, atque corrigiæ opinari ſuadet fuiſſe cingulo junctam compagibus peram, quæ græce dicitur *σαγὶς*, quam ad libellos oblatos recondendos potiſſimum geſtare Pontifices ſolebant. ] Sed hæc opinio tanti Viri non ſatis arridet. Primo, quia pera, quam geſtabant Pontifices, non pro ſupplicationum libellis oblatis a Pontifice ferebatur, ſed pro largienda pauperibus in itinere eleemoſyna, quia memorialia oblata non penes ſe, ſed penes Secretarium, vel alium famulum deferebantur. Secundo cum S. Martinus ultra nonaginta dies in Conſtantinopolitano carcere ante hujus Sacellarii temerarium actum detentus fuiſſet, ut in ſupradicta citata Anaſtaſii narratione habetur: non eſt major ratio, cur pallium, & ſtola Pontifici per illud trimeſtre ablata eſſent in carcere, & non ſarcina quoque viatoria. Item Sirmondus ubi ſupra *Pſachnion* ſcribit, ſic etiam *Tonſorem*, & non *Conſortem* habet. Atque Surius *Tonſorem*, & *Pſachmon*, tom. 7. ad diem 12. Novembris, c. 19. ſcribit. Unde puto litteram, *i*, per errorem ſcriptoris appoſitam fuiſſe, dum deberet eſſe tertius pes litteræ, *m*, ita ut, *n*, &, *i*, faciant integrum, *m*, & legendum recte *Pſachmon*, quamvis Baronius depravatam hanc orthographiam exiſtimet; ac propterea aliter ſentirem, nempe cum Sacellarii officium Eccleſiaſticum etiam fuiſſet, ut in dict. *Sacellarius* dicitur, quod ad hunc Sacellarium degradare, & execrare ſpectabat, in cujus ſignum præcepit, ut omnia pontificalia inſignia a Sancto Pontifice auferantur; unde ait Anaſtaſius, quod juſſione hujus ſacellarii nequiſſimi: ] Suſcipientes ergo eum carnifices, exuerant exterius ejus pallium ſacerdotalis ſtolæ, ſcindentes alas tunicæ, quæ erat interius, a ſummo uſque deorſum. ] Inſuper præceperat Sacellarius, ut auferatur corrigia compagiorum ejus; Compagi enim erant Pontificis ſolius inſignia, ut idem Anaſtaſius inquit [ Accedens Mauritius Subdiaconus orarium de ejus collo abſtulit, & ante pedes ejus projecit, & compagios ejus ] & alibi a Theodoro, idem inquit receptis reliquiis ejuſdem S. Martini, [ & uno de compagiis ejus, ideſt, caligis, quos nullus alius niſi Romanus Pontifex portat ] ut ſcripſimus in dict. *Compagi*, ubi etiam quomodo corrigiam in compagiis annexam fuiſſe oſtendimus. Item in ſignum degradationis idem Sacellarius præceperat, ut omnes circumſtantes Sanctum Pontificem anathematizarent, ut in eadem narratione penes Baronium, Sirmondum, & Surium habetur, ideſt, execrarent. Unde non fuiſſe inveriſimile videtur, quod per hoc vocabulum *Pſachmum* corona ſacerdotalis intelligatur, quæ in ſignum degradationis abradi ſolet. Inducor ex duplici capite hoc aſſerere, tum quia ibi dicitur, quod Tonſori Sacellarius incidere pſachmon præceperat; tonſoris enim officium non eſt ſcindere indumenta, ſed abradere; tum etiam quia a Græcis ψάνος dicitur calvaſter, Junius in Lexicon; & ita exiſtimo, quod Pſachmon ſignificet calvarium, ſive calvariam partem capitis, ubi formatur clericalis tonſura, quæ corona dicitur, deſumpto etiam nomine a capitis loco, qui locus quoque corona dicebatur. Unde ſi per hujuſmodi vocabulum Pſachmon cum Baronio ſupra pera intelligeretur, fruſtra ſiquidem Anaſtaſius tanta exaggeratione in hunc Sacellarii temerarium actum inveheretur, inquiens: [ Auferre pſachmon Summi, & Catholici Chriſtianorū præcipui Paſtoris &c. ] qua exaggeratione in privatione pallii, ſtolæque, ac tunicæ non uſus eſt. Argumentum igitur eſt, quod verticem, coronam, & calvarium viſibilis Eccleſiæ Capitis recidere in ſignum execrationis juſſiſset Sacellarius ille nequam; & quod ille actus fuiſset degradationis demonſtrativus, non ſolum ex præmiſſis probatur, ſed & ex inde ſequutis; nam poſtea brachio ſæculari ad interitum carnis conſignatus fuerat a Sacellario Sanctus Pontifex; inquit enim Anaſtaſius: [ Statim tradidit Sacellarius Præfecto Urbis, dicens, Tolle eum Domine Præfecte, & continuo membratim incide illum. ] Confirmatur ulterius, quia ψεκάδας appellant Græci Ancillas, quæ delicatarum Matronarum capillos medicato fuco conſpergebant, Henr. Steph. in Theſaur. linguæ græcæ in dict. ψεκᾶς, tom. 4. pag. 701. Atque ψῆγμα, græce ſignificat id quod radendo detractum eſt, Scapula in lexicon, unde ψάχμον, ideſt, raſura, ſive tonſura ex verbo ψήχω, quod rado ſignificat. Idem Scapula. Solent enim latini litteram græcam H in A latinum vertere, ut γραμματικὴ, Grammatica. Gretſeſerii Gram. cap. 36. in fine. Et γ Græcis quando ſequitur liquida littera μ propter antipathiam cum μ verti ſolet in χ: unde *Pſachmon*, loco *Pſagmon* dicunt. Cæterum cum Baronio concurro, quod hoc vocabulum non ſignificet ſtolam, ſive pallium, ex eo quia ſingulatim extat his omnibus deſpoliatum fuiſse poſtea a carnificibus Pont. ut ſupra attuli ex prædicta narratione.

Psallenda, in ritu Ambroſiano ſic dicitur Antiphona illa,

illa quæ in fine Laudis, & Veſperarum recitatur pro commemoratione alicujus Sancti.

PSALLENTIA, pſalmodia, pſalmorum cantus [ Peto etiam tuam charitatem, ut ſicut a Rectore tuo Alexandro Epiſcopo noſtro didiciſti Græcorum pſallentiam, ad nos dirigere tua Fraternitas delectetur, D. Damaſus in Epiſt. ad Hieronymum. ] Reperitur etiam hoc vocabulum in neutro genere: [ Igitur exinde cum multo pſallentio in Civitatem ſuſcipitur, & in ſua Eccleſia Epiſcopus ordinatur, in vita S. Galli. Et Gregorius Turonenſis: [ Cum honore debito, grandique pſallentio in Monaſterio locarentur, lib. 9. cap. 10.

PSALLIANI, hæretici. Vide *Precatores*, *Euchetæ*.

PSALMELLUS, Vide *Graduale*.

PSALMICEN. FR. pſallens [ Cultu peracto vigiliarum, quas alternante mulcedine, Monachi, Clericique pſalmicines concelebraverunt. Sidon. lib. 5. epiſt. 17.

PSALMI LUCERNALES. Vide *Veſperæ*.

PSALMI PLEBEI, dicuntur Pſalmi a perſonis particularibus compoſiti, qui Davidici non ſunt. [ Quod non oporteat plebejos Pſalmos in Eccleſia cantare. Concil. Laodicenſe, can. ult.

PSALMISTA, eccleſiaſticus ordo ex minoribus, qui *Cantor* dicitur in Concil. Toletano. Vide *Cantor*, & a Græcis ψάλτης, pſaltes nuncupatur. In Bibliotheca Domus profeſſæ Meſſanenſis Societatis Jeſu in quodam pervetuſto pontificali M. S. reperitur, quod cum ſimplex Sacerdos hunc ordinem conferre ſolebat, talia verba proferebat, nempe: [ Vide, ut quod ore cantas, corde credas, & quod credis, operibus comprobes. ] Eadem etiam forma verborum in Pontificali Rom. legitur, ſcilicet: [ Pſalmiſtæ, ideſt, Cantores poſſunt abſque ſcientia Epiſcopi, ſola juſſione Preſbyteri Officium ſuſcipere cantandi, dante eis Presbytero, vel potius Epiſcopo antiphonarium in manus, & dicente: Vide, ut quod ore cantas &c.] De qua cæremonia Durandus quoque, lib. 2. cap. 3. mentionem facit, ubi oſtendit, quod in Sac. Canonibus Clericus primi ordinis Pſalmiſta diceretur, qui Pſaltes uſque ad præſens a Græcis nuncupatur. Pſalmiſtæ veræ Officium ab Iſidoro ita deſcribitur: [ Ad Pſalmiſtam pertinet officium canendi, dicere benedictiones, Pſalmos, laudes, ſacrificii reſponſoria, & quidquid pertinet ad canendi peritiam.] FR. Quod Pſalmiſta fuiſſet primus clericalis ordo. Vide Gloſſ. in can. Illud nos, diſt. 77. quod Officium *Pſalmiſtatus* dicebatur. Ibid.

PSALMISTATUS. Vide *Pſalmiſta*.

PSALMODIA. Vide *Pſallentia*.

PSALMOGRAPHUS, ψαλμογράφος, FR. dicitur David, can. præſens, 20. quæſt. 3.

PSALMUS, vox græca ψαλμός, ideſt, cantus, cujus antitheſis. Vide *Enſalmus*. Pſalmi vero qui graduales dicuntur, ita denominati ſunt, nam canebantur, dum aſcendebantur quindecim Templi Salomonis gradus. Durand. lib. 5. c. 2. Unde denominati ſunt *Canticum graduum & aſcenſionis*, juxta vim dictionis hebraicæ *Amahaloth*; ita Theodoretus, & Euthymius Græci ſcriptores, qui etiam docent Davidem literaliter, ac prophetice ibi de diſceſſu populi Hebræi a captivitate Babylonica ad Jeroſolymitanam libertatem loqui. FR. Eandem opinionem habuit R. David Kimki ſuper Pſalmos: ſed R. Sandia ait Pſalmos graduales ita appellatos fuiſſe, quia elevando gradatim vocem canebantur. Pſalmodia mirabilem vim habet contra animi afflictiones. [ Inter effœminationis modos, pſalmos ſecum comminiſcetur, & cum Athletæ agent, ille dicturus eſt, repercutiendum non eſſet. Poterit & de miſericordia moveri defixus, in morſus urſorum, & ſpongias retiariorum. Tertullian. de ſpectat. cap. 25.] Utebantur enim Retiarii ſpongiis ad ſiccandum, & reprimendum ſanguinem. Turneb. lib. 18. cap. 33. Sic fortaſſe a ſimili quoad pſalmodiam locutus fuerat Tertull. At clarius Iſidor. Peluſiota miros erga noſtros turbatos affectus pſalmorum effectus recenſet, inquiens: [ Pſalmorum cantus, ut nonnulli ajunt, turbulentos animi motus propulſat, mœroremque lenit, & iram mitigat, & luctus per lacrymas levat. lib. 2. epiſt. 176. ] & ideo antiquam, ac laudabilem conſuetudinem pſallendi in funeralibus Eccleſia introduxerat; nam præter ſuffragium pro defuncti anima, pſalmodia mœſtitiam conductorum, & amicorum ejuſdem defuncti propellit: hinc Greg. Nazian. in funere Cæſaris, ad Martyrum ſacra cum pompa deducti, inquit: [ Pſalmodiis luctum ſectantibus. Orat. 10. in laud. ejuſdem Cæſaris Erat. ] Inter Catholicos recitabantur graduales pſalmi quotidie tempore quadrageſimali; ſed B. Pius V. deinde officii divini reformator ſtatuit, ut in feriis quartis jejuniorum in Choro recitarentur, ab hac obligatione eximens illos, qui extra Chorum ad officium divinum recitandum tenentur; conceſſit tamen quinquaginta dies indulgentiæ graduales recitantibus tam in Choro, quam extra, ut in ejus Bulla in principio Breviarii appoſita apparet. Pſalmi Pœnitentiales, eo quia de pœnitentia agunt, ita vocati ſunt, qui tamen ante D. Auguſtinum erant in uſu; Sanctus enim ille in extremis laborans eos ſibi legi juſſerat. Innocentius III. tempore quadrageſimali recitari ſtatuit, Radulphus propoſ. 21. ſed poſtmodum præfatus Beatus Pius V. hanc obligationem tantum Chori eſſe ſtatuit, & ſolummodo in qualibet feria ſexta quadrageſimali recitandos ordinavit, in quo die Adam peccaſſe dicitur, & ſecundus Adam Chriſtus ejus pretioſiſſimo ſanguine lapſos redemit. FR. ſi hoc verum eſſet, ſequeretur primos Parentes in gratia, ac innocentiæ ſtatu per integram hebdomadam manſiſſe: Creator enim Mundi die ſeptimo, ideſt, ſabbati requieverat ab univerſo opere, quod patrarat, qui die antecedenti ejuſdem parentes creaverat; ergo in ſequentis hebdomadis feria ſexta ſaltem Adam peccaverat. Itaque Pſalmos pœnitentiales in Choro, vel extra eum recitantibus præfatus B. Pius quinquaginta alios indulgentiæ dies erogavit, ut in prædicta Bulla. Numerus

ea-

autem ſeptenarius pſalmorum pœnitentiæ, remiſſionis ſymbolum eſt; in Moſaica enim lege leproſi, qui peccatorum figura ſunt, ſepties aſpergebantur ad obtinendam ſalutem; leproſus Naaman Syrus, ut ab ejus lepra mundaretur, ſepties in Jordane ſe lavare oportuit: in ſeptimo menſe concedebatur generalis remiſſio; in ſeptima annorum hebdomada remiſſionis Jubileum divulgabatur; in ſeptimo die Columba dimiſſa eſt a Noe; ſic in Evangelio legitur ſepties Chriſtum oſculaſſe defunctum puerum, antequam per ejus virtutem reſuſcitaretur; ſepties labentibus peccata remittere cogitabat Apoſtolorum Princeps, ac tandem per ſacros Canones ſeptenaria pœnitentia enormiter peccantibus imponebatur. Alia ſeptenarii numeri ſymbola. Vide *Hora Canonica*. In tempore etiam quadrageſimali aliqui Pſalmi recitabantur, qui *Pſalmi proſtrales*, ſeu *proſternales*, ſive *proſtrati* dicebantur; nam ab humi proſtratis in pœnitentiæ ſignum recitabantur. Item D. Auguſtinus quendam Pſalmum prodiit, quem *Abecedarium* nuncupavit contra Donatiſtas, in quo eorum errores, & apologia pro Catholicis ordine Alphabetico continebantur, ubi probare nitebatur non poſſe inter Catholicos annumerari, niſi qui Cathedræ Sancti Petri unitus eſſet. Notabilis quidem eſt omnis Davidicorum pſalmorum ſumma, quæ 2606. verſuum numero continetur, ac conſequenter medietas hujuſmodi ſummæ internoſcitur in illis duobus verſibus [ Cor autem eorum non erat rectum cum eo, &c. Ipſe autem eſt miſericors, ] poſitis in Pſal. 77. Ita ut centrum omnium Pſalmorum in ſumma humana malitia, & infinita Dei miſericordia conſiſtat. Pſalmorum Coordinatorem Eſdram fuiſſe ait Anaſtaſius, & LXX. putat S. Hilarius. Pſalmos in horis canonicis recitandi Auctorem S. Pontianum Papam Ribadeneria in ejus vita facit; ſed hoc decretum non fuerat univerſaliter receptum, nam poſt ſæculum pſalmi per canonicas horas, ſicut nunc habentur, juſſu S. Damaſi Papæ a D. Hieronymo diſpoſiti fuere, ut ipſemet Damaſus in quadam ex ejus epiſtolis ad prædictum Doctorem directa teſtatur, inquiens ante ipſius tempora Romæ non fuiſſe in uſu recitationem pſalmorum in horis. Vide Baron. an. 60. De alternatione vero pſallendi inter Græcos mentionem facit D. Dionyſius de cœleſt. hierar. cap. 3. & D. Baſilius epiſt. 63. affirmantes hoc fuiſſe a D. Ignatio Martyre introductum. Aliqui tamen Fabianum, & Diodorum inntroductores reciproci cantus pſalmorum in Eccleſia Græca fuiſſe autumant. At inter Latinos introductorem D. Ambroſium D. Auguſtinus facit, quod deinde a S. Damaſo obſervari per univerſalem Eccleſiam ſtatutum eſt. In Baſilica Vaticana recitantur pſalmi ſecundum Hieronymi verſionem. Dicere ſolebat Auguſtinus, nomen Sacerdotis haud mereri, qui memoriter recitare neſciret pſalterium. Imo Toletanum Concilium VII. in can. 10. prohibet ordinari in ſacris illos, qui non memoriter omnes pſalmos callerent. De S. Gregorio Papa legitur, nullum in Epiſcopum conſecrari permiſiſſe, qui memoriter neſciret recitare pſalmos, quare Donatus Archidiaconus, & Joannes Sacerdos ad Ravennatenſem Archiepiſcopatum electi & eidem Gregorio Papæ ab Imperiali Exarcho commendati ann. 595. rejecti fuerunt ab eodem Pontifice ob defectum neſciendi memoriter pſalmos: ita Ughellius in Ital. ſac. tom. 2. Alibi etiam diximus de rigoroſa hujus pſallendi memoriter obſervantia in Lugdunenſi Eccleſia, & qui omnes pſalmos memoriter recitare ſciebat *Pſalteratus* dicebatur. Vide *Pſalteratus*. Dubitari aſſolet ab Auctoribus, num omnes pſalmi ſint Davidici; nam in fine pſalmi 71. leguntur hæc verba [Defecerunt laudes David filii Jeſſe.] Sed communior opinio tenet, omnes pſalmos a David compoſitos fuiſſe, ex eo quia quando Chriſtus aliquem locum Davidis citaverat indifferenter ajebat [ Dixit David in libro pſalmorum ] ita ut videatur ipſum Dominum Jeſum Davidi totum Pſalmorum librum attribuiſſe: imo idem Salvator noſter Pſalmum 109. affirmavit Davidicum fuiſſe, inquiens [Quomodo ergo David in ſpiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo? ] Igitur vel ultra ſeptuageſimum primum Pſalmum Davidem compoſuiſſe fatendum eſt, vel hunc Pſalmum ab amanuenſibus ordine mutatum fuiſſe, cum in pſalterio ultimo loco diſponi debuiſſet. Item omnes pſalmi metro hebraico compoſiti ſunt, & licet in eiſdem pſalmis aliqui eventus narrentur, qui poſt David acciderant, ut Jeroſolymæ deſtructio in prædicto pſal. 71. Babylonica captivitas, pſal. 136. & liberatio ab eadem, pſal. 125. nihilominus intelligenda ſunt hæc ſpiritu prophetico, ac ſi præſentia fuiſſent, a regio Propheta fuiſſe prævíſa, ut docet D. Hieronymus; nam Prophetarum mos fuerat de rebus futuris loqui, ac ſi præſentes eſſent; ideo nonnulli pſalmi attributi ſunt Aggæo, & Zachariæ prophetis, qui poſt David vixerant. Item pſalmi aliqui titulum habent *Pro octava*, quod erat muſicale inſtrumentum octo chordarum, ut ex c. 25. lib. 1. Paralipomenon colligitur, ubi dum varia muſicalia inſtrumenta numerantur, dicitur: [ In citharis pro octava canebant. ] FR. In Regula S. Benedicti, c. 18. pſalmi longiores appellantur *Pſalmi fortiores*, Pſalmus integer recitabatur a Celebrante in Miſſæ introitu, & quare truncatus fuerit. Vide *Introitus*. Quare dicantur duodecim pſalmi in feriali Matutino. Vide *Nocturnus*. Cæterum Vide *Canticum*. *Diapſalma*. *Digeria*. *Simpſalma*. Qualis pſalmus ſit omnibus aliis longior. Vide *Solemnitas*. Quid deuotet vox hebraica *Selah*, tam ſæpe repetita in pſalmis. Vide *Selah*.

PSALTERATUS, qui memoriter omnes pſalmos recitabat. Vide *Pſalmiſta*.

PSALTERIUM, contemplativam vitam translative ſignificat. Vide *Cithara*.

PSALTES. Vide *Cantor*. *Pſalmiſta*.

PSEUDO, ψευδῆ, falſo. FR. falſum ſignificat. [ Vas ele-

electionis Paulus Apoſtolus, egregius prædicator, ſe & eos, qui ſecum erant, propriis manibus exhibebat, ut pſeudo, & ſubdolis operariis ſub prædicationis ſpecie lucra facientibus, locum præcluderet, & his, quos ipſe paſcebat pabulo verbi Dei, non exiſteret oneroſus. Extrav. comm. de cenſib. in princ.

PSEUDEPIGRAPHUS, ψδδεπίγραφος. falſo intitulatus; ita enim a D. Hieronym. appellatus fuit liber Sapientiæ in præfatione librorum Salomonis: [Et alius pſeudepigraphus, qui Sapientiæ Salomonis inſcribitur:] quia non exiſtimavit illum a Solomone fuiſſe compoſitum, nec uti talis ab Hebræis habetur, qui ab eis inter canonicos bibliæ libros non admittitur; hæc autem phraſis cenſetur græca ab eodem Doctore, qui ſubjungit hunc Sapientiæ librum a multis antiquis Scriptoribus Philonis hebræi exiſtimatum fuiſſe.

PSEUDOFORUM. ψδδόφορος, falſum oſtium, quod *Secreta porta* vulgo diceretur. [Vidi præterea ad pſeudoforum monaſterii adductum energumenum, & priuſquam ad limen attigerat, fuiſſe curatum. Sulpit. in vita S. Mart.

PSEUDOLACTINUS, falſus lactis color, ideſt, non ſatis albus, ſed potius cinericius, ſeu cœleſtis: vox græcolatina eſt [Circa pectus ſub gula inferior tunica pſeudolactini coloris. Jo. Diac. in vita S. Gregor. FR. Romæ *turchino allattato* dicitur.

PSEUDOMARTYR, falſus martyr.

PSEUDOMONACHUS, falſus monachus.

PSEUDOTHLOS. Vide *Hecatontarchus*.

PSIATHIUM, ψιάθιον, ſtorea ex juncis contexta. [Incipientem jam feſſum corpus reficere, & incumbentem pſiathio reperiſſet. Caſſian. lib. 5. c. 35. Ac idem, lib. 1. c. 2. 13. [Quos ita novimus omni ex parte nudos exiſtere, ut præter colobium, maſortem, caligas, melotem, & pſiathium nihil amplius habeant.] Reperitur etiam in eadem ſignificatione *Pſiathus*, ut in vita S. Pachomii, capit. 43. [At ne otioſus eſſem, pſiathos elegi cum fratribus texere.] Item *Pſiathius*, ut ibid. c. 52. [Semper autem pſiathios operabantur.] At tandem etiam *Pſyacium*, quo uſus eſt D. Gregorius Papa de S. Benedicto agens: [Præcepit vir Dei ſtatim eum in cella ſua in pſyacio, quo orare conſueverat projici.] Ad præſens vero Arabes *Pſath* appellant ſtoream, ſive tapetum, quod orientalium uſu in terram ſternitur. Hujus vocabuli etymon. Vide *Natta*.

PSIMMYTHIUM, ψιμμύθιον, fucus, ceruſſa, qua inter cætera fœminæ utuntur ad faciem, & cutem dealbandam. [Et crebris lacrymis facies pſimmythio ante ſordidata purgatur. S. Hieronym. epiſt. 23.

PSIACIUM. Vide *Pſiathium*.

PSYCHAGOGIA, ψυχαγωγία; animi recreatio: ſic compoſitiones ſpirituales, quæ pro vera animi recreatione inſerviunt, appellari ſolent.

PSICHE, græca dictio ψυχή, ideſt, anima.

PSYCHIA. Vide *Animetta*.

PSYCHICHUS, ψυχικὸς, animalis, adjectivum nomen, quatenus a ſpirituali contra diſtinguitur; ſic appellavit miſerabilis Tertull. irriſorie Catholicos, quando ab Eccleſia ſe exemit, ac ipſemet ſibi hujus attributi vocabuli rationem aſſignavit, inquiens: [Et nos quidem poſtea agnitio paracleti, atque defenſio diſiungit a pſychicis. Adverſ. pſych. c. 1.] per *Paracletum* autem Montanum hæreſiarcham intelligit, in cujus errores Tertullianus inciderat, & *Pſychicos* Catholicos ſubaudit, quia Montanum Catholici tamquam ſpiritum cognoſcere renuerant: ſic etiam idem Tertull. verba Apoſtoli 1. Cor. c. 2. nimirum, [Animalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei[intelligebat. Imo ex contemptu idem Tertullianus lucanicis Catholicos comparat, dum ait: [Quinam iſti ſunt, ſemel nominabo, exteriores, & interiores botuli pſychicorum. Adverſ. Pſych. cap. 1.

PSYCHOMACHIA. ψυχομαχία animæ conflictus: [Vicit tamen in ſancta pſychomachia charitas perfecta mori pro Chriſto. In vita S. Glephyræ Virg.] Hoc etiam vocabulo ſuum tractatum de conflictu ſpirituali virtutum in vitia Prudentius intitulavit. Vide *Amartigenia*.

PTOCHIUM, πτωχεῖον, pauperum, ac mendicantium domus. [Relinque omnia, & fuge facultates patris tui, quæ multos inveniunt hæredes. Ecce ptochia, hierocomia, xenodochia, monaſteria &c. In vita S. Euphroſinæ, cap. 7.

PTOCHOTROPHIUM, πτωχοτροφεῖον, pauperum hoſpitium. [Habebat autem ptochotrophium, in ſuperiori quidem parte mulieres, in inferiori autem viros. Pallad. in Lauſiaca, cap. 5.] FR. Unde corrigendus eſt Ivonis Carnotenſis textus in epiſt. 214. ubi perperam *Procotrophiis*, pro *Ptocotrophiis* habet.

PTOCHOTROPHUS, πτωχότροφος qui curam habet pauperum hoſpitii. FR. [Nunc puta omnes quidem ante pedes tuos cadere, & pauperes, & ptochotrophos, omnes vero Monachos, & Virgines, ex lib. 2. S. Cyrilli in Concil. Conſtantinop. II. collat. 5. in fine.

PUBLICI POENITENTES. Vide *Pœnitentes*.

PUBLICANUS, publicarum gabellarum exactor, qui publicani ab Hebræis *Pariſim*, ideſt, latrones appellabantur. Baron. an. 31. n. 73. Vide *Pariſim*, *Phariſæus*. Item dicuntur *Gabbe* etiam hebraice. Idem Baron. loc. cit. Tertullianus autem exiſtimat publicanos non fuiſſe Hebræos, ſed Gentiles: [Aut ſi quis dubitat Ethnicos fuiſſe publicanos, apud Judæam uſurpatam jam pridem Pompeji manu, atque Luculli, legat Deuteronomium: Non erit vectigal pendens ex filiis Iſrael. Nec tam execrabile eſſet nomen publicanorum apud Dominum, niſi extraneum vendentium ipſius Cœli, & Terræ, & Maris tranſitus, de pudicit. cap. 8.] Tertullianicæ opinioni acriter ſe oppoſuit D. Hieronymus in epiſtola ad Damaſum directa, in qua evidenter probat Publicanos Hebræos fuiſſe; nam Matthæus, & hebræus, & publicanus fuerat; & in Templo affirmat Chriſtus publicanum oraſſe. Item a D. Joanne Baptiſta baptizati ſunt publicani, ac tandem

ſtem Chriſtus Dominus cum publicanis non converſaſſet, ſi Ethnici fuiſſent, nec cum eis cibos vetitos comediſſet, ne ſcandalizarentur Hebræi. FR. Ego tamen exiſtimo publicanos fuiſſe tam Hebræos, quam Gentiles, quod ex verbis Plinii arguo, qui, lib. 12. Naturalis Hiſtor. cap. 14. inquit: [ Iterumque noſtri Imperii publicanis penditur &c. [ Quare non videtur probabile, quod publicani per vaſtum Romanorum Imperium debuiſſent omnes Hebræos eſſe; vel Plinii verba ſaltem intelligenda ſunt, quod Imperii Publicani in Oriente erant diſtincti a cæteris aliarum nationum; nam ibi thuris gabellas a diverſis nationibus ſolvendas recenſet, ac tandem devenit ad telonium Imperio debitum, ubi de Imperii publicanis mentionem facit. Ergo cæteræ nationes diverſos publicanos habebant ad exigendas earum gabellas. Ac idem Plinius, lib. 33. cap. 2. vires, & gentilitatem publicanorum clare expreſſit his verbis: [ Ita dum ſeparatur ordo ab ingenuis, communicatus eſt cum ſervitiis. Judicum autem appellatione ſeparari eum ordinem, primi omnium inſtituere Gracchi diſcordi popularitate in contumeliam Senatus; mox ea debellata, auctoritas nominis vario ſeditionum eventu circa publicanos ſubſtitit, & aliquandiu tertiæ vires publicani fuere. ] Item Plinius ſecundus, lib. 7. epiſt. 14. inquit: [ Ut accipi jubeam a te pretium agrorum &c. non quanti a liberto meo: ſed &c. quanti a publicanis partem vigeſimam emiſti. ] Ejus ſynonyma. Vide in dict. *Suſceptum*, *Telonarius*.

PUBLICIANA ACTIO. FR. terminus juris, quem declarat Gloſſa in c. Abbate, de ſentent. & re judicata, in ſexto, §. Dominii, ubi ſic inquit in caſu ibi allato: [ Si talis emptor, antequam uſucapiat, a poſſeſſione cadit: petit rem a poſſeſſore jure quaſi dominii, & appellatur actio publiciana. Si autem poſt uſucapionem a poſſeſſione cadat: tunc non competit publiciana, ſed datur civilis actio, ſcilicet, rei vindicatio ſecundum quoſdam utilis ſecundum alios directa, ff. de pub. l. 1. dicta eſt autem publiciana, a Publicio auctore, qui eam invenit, ut Inſtitut. de act. §. Aliæ.

PUBLICO. FR. Confiſco, ſeu ſubhaſto. [ A me ergo poſitum eſt hoc decretum, ut omnis homo, qui hanc mutaverit juſſionem, tollatur lignum de domo ipſius, & erigatur, & configatur in eo, domus autem publicetur. Eſdræ cap. 6. n. 11.

PUDUCLO, hoc verbum, quod in Monachorum regulis invenitur, Eruditiſſimum Lucam Holſtenium multum in ſuo Gloſſ. excogitare compulit, ac tandem deponere ait ſignificare; ſed textus verba aliud denotare videntur, ubi ſic habetur: [ Habere debent fratres in hyeme paraturam groſſam quotidianam ſtamineam, & tunicam aliam nocturnam, quam poſt nocturnum puduclent; quia in die diverſis occupantur laboribus, cap. 81. ] Non enim videtur nimium temporis ſpatium requiri ad deponendam veſtem, ut diu a diurnis laboribus vacaturi eſſent Monachi illi; nam ſtatim hoc ſine ulla mora agere potuiſſent. Inſuper de hyemali tempore loquitur textus, ac de tunica nocturna, nempe, ut in ea indutus Monachus reſiſtere poſſit frigoris injuriæ: nec veriſimile videtur, quod poſt nocturnos, dum iterum dormire, ac calore ſe fovere debuiſſent, nocturnam tunicam deponere jubeantur. Itaque puto, quod potius *Pediculent* corrigendum ſit, tum ex ignorantia Scriptorum illius ſæculi, tum etiam ex documento uſus aliquarum Religionum, ubi poſt nocturnos ſolent Religioſi in medio alicujus aulæ accendere pyram hyberno tempore, & diſcindere cingulum, ac pulices, ſimileſque ſordidas beſtiolas in ignem excutere, & poſtmodum ad iterum dormiendum ire. Unde hoc verbum potius pediculos a tunica extrahere, & mactare ſignificare puto.

PUER, pro ſervo, ſive miniſtro: [ Puer meus jacet in domo paralyticus. Matth. 8. ] qua ſignificatione uſurpatur ſæpe in ſacra pagina: [ Et vocavit (*ideſt*, *Alexander Magnus*) pueros ſuos nobiles, qui ſecum erant nutriti a juventute, 1. Macab. cap. 1. ] & ubi nos Pſalm. 112. legimus: [ Laudate pueri Dominum] Symmachus, Aquila, & Theodotion verterunt δοῦλοι, Servi, ac etiam apud SS. Patres: [ Ille vero egreſſus foras munivit puerum armis. Gregor. Turon. lib. 3. cap. 15. ] FR. [ Plura ſcriberem frater, ni celeritate pueri revertentis urgerer. S. Pacian. epiſt. 1. de Catholico nomine [Ac clarius penes D. Gregorium Magnum [ Quanto utpote nobilis fœminæ pueri ex ſola ſuperbia delinquunt. In Regiſt. lib. 2. epiſt. 1. ] Atque Gloſſa ſatis declarat, inquiens: [ Puer quandoque ſervum, quandoque puellam ſignificat, ff. de verbor. ſignif. l. pueri: quandoque dicitur puer 18. annor., ff. de ali. & cib. legat. l. Mela ] Item *Puer*, quo ad ætatem. Vide *Impans*, *Infans*, *Inveſtis*. Pueri quare oſculando genitores, ſive alios, aures apprehendebant. Vide *Pax*. Curiæ pueri, ſatellites intelliguntur. Vide *Natus*.

PUERASCENS. Vide *Coinfantiatus*.

PUGILLARIS, genus calami ex argento, vel auro, quo antiquitus ſanguis ex calice ſugebatur. [ Qui tradit ei pugillarem, cum quo confirmat populum. Ordo Rom. ] de quo ſæpe ibidem, cujus ſynonyma. Vide in dict. *Siphon*.

PULPITOR, verbum antiquum, ideſt, fulcior: [ Erat enim hujuſmodi carcer, ut ſuper ſtruem tignorum axes validi ſuperpoſiti pulpitarentur. Flodoard. Hiſt. Rhemen. cap. 50.

PULPITUM, fulcimentum, & inter Eccleſiaſticos pro Ambone accipitur, quia axibus ut plurimum fulciri ſolet: [ Sed virtus Antiſtitis, pulpitaque disjecit, & catenas confregit, trabem, quo vinctorum coarctabat pedes, aperuit. Flodoard. cap. 50.

PULSATOR. Vide *Pulſo*.

PULSATURA. Vide *Pulſo*.

PULSO, inſto; [ Pulſate, & aperietur vobis. In Evangelio. ] Sic etiam Chryſologus inquit: [ Oratio pulſat, impetrat jejunium, miſericordia accipit, ſerm. 47. ] & clarius D. Gregorius Papa: [ Iterata vos pro ma-

magna veſtra mercede adhortatione pulſamus, ut congregare ſynodum jubeatis, lib. 9. epiſt. 33. ] FR. uſurpatur etiam hoc verbum pro convenire aliquem in judicio. Gloſſ. in l. de poſſeſſione, de præſcript. Unde in ſacris etiam Canonibus non raro citare, ac vexare ſignificat, ut ex ſequentibus liquet exemplis: [ Si quis veſtrum pulſatus fuerit in aliqua adverſitate, licenter hanc ſacratam, & Apoſtolicam Sedem appellet, 2. qu. 6. can. 3. Omnes Epiſcopi, qui in quibuſdam gravioribus pulſantur, vel criminantur cauſis, quoties neceſſe fuerit, libere Apoſtolicam Sedem appellent, 2. qu. 6. can. 4. ] Idem habetur in can. pulſatus, 3. qu. 6. [ Quilibet fratrum pulſatus, atque ab hac Sancta Sede vocatus &c. can. quilibet, 8. qu. 5. Cum conſtet eum, qui cœleſtem militem (*hoc eſt, Clericum*) pulſat, nonniſi ejus forum debere ſectari, can. Chriſtianis, 11. qu. 1: Hæredum ejus oppreſſione pulſari, can. Sylveſter, ead. 11. quæſt. 1. Ut in cauſis, in quibus quælibet Eccleſiaſtici officii perſona loco petitoris exiſtit, quemquam laicum pulſatura apud ſuæ Provinciæ Judicem ſuas proponere actiones non deſerat. In his vero negotiis, in quibus Eccleſiaſtici officii perſona pulſatur, totius ſubmoto pulſationis obſtaculo, ad judicium Epiſcopi &c. can. Experientiæ, ead. qu. 1. ] ac idem in can. ſequentibus. Fortaſſe ita dictum fuerat, quia quando citabatur aliquis, ejus janua pulſabatur.

PULVERATICUM, tributi ſpecies. [ Ut nullus homo præſumat telonem per vias, vel per villas rodaticum, vel pulveraticum recipere. In capitul. Caroli Magni, lib. 6. cap. 219. ] Licet in Theodoſ. Cod. lib. 16. de Tyron. ſignificet monetam duplicem ſolidum continentem, quæ ſervis dabatur, quando ad militiam ſe offerebant. FR. An ſit pulveraticum tributum idem cum ciſpatico. Vide *Ciſpataticum*, & *Ciſpaticum*.

PULVERIZO, in pulverem reduco. [ Si autem me vilificavero, & ad nihilum redegero, atque ſicut ſum, pulverizavero. Thomas a Kempis, lib. 3. de Imitat. Chriſti, cap. 8. ] Ex hoc autem verbo Conſtantinus Cajetanus in tractatu, quem de Thoma a Kempis conſcripſit, probat eundem Thomam Italum fuiſſe, & non Belgam, ut communiter ſupponitur.

PULVILLUS, & *Pulvinar*. Vide *Auriculare*, *Cuſinus*, *Embrimium*, *Pulmaticum*.

PUNCTURA, dolor in corpore. Vide *Ficta*.

PURGATIO VULGARIS. Vide *Duellum*.

PURGATIVUS. Vide *Catharticus*.

PURGATOR. FR. Judex delegatus pro aliqua purgatione canonica, de qua in Decr. lib. 5. tit. 34. Reperiebatur etiam alia purgatio vulgaris, de qua in eodem Decretal. tit. 35. Hæc enim & ſæcularis dicebatur, in Sac. Canon. prohibita. Vide *Duellum*, *Educere ſe per æneum*, *Miſſa Judicii*, *Odalium*. Aliud genus purgationis. Vide *Idoneare*, *Teni*.

PURGATORII ANIMIS, quomodo in Miſſa dicatur; *Ne abſorbeat eas Tartarus*. Vide *Offertorium*.

PURGO. FR. ideſt, abjuro. Gloſſa in lib. 5. tit. 34. Decretal. cap. 10. §. abjuret.

PURIFICATIO B. M. V. Vide *Candela*, *Collecta*, *Hypante*.

PURIFICATIO CALICIS. Vide *Perfuſio*.

PURIFICATORIUM, linteolum, quo Calix tergitur, & purificatur, quod benedici nequit. Suar. 3. diſt. 81. ſect. 8. Nam antiquitus non erat in uſu, cum manipulus ad hoc inſerviret; ideo linteus erat, ac præcipue illud, quod Subdiaconus geſtabat. In purificatorii medio ſolet Crux acu deſignari, ut a cæteris linteolis pro ſacrificio præparatis diſtinguatur.

PURIM. FR. hebraicum vocabulum, ſignificat jejunium. Baron. an. 34. num. 156.

PURPRESTURA, intruſio. [ Inquinantur quæ aſſarta, & purpreſturæ factæ ſunt in boſcis Regis. Matth. Pariſ. in vita Abb. ] Derivatur ex gallica dictione *Pourpris*, quæ præoccupatum ſignificat.

PURPURA. FR. quatenus veſtem ſignificat, erat habitus ſenatorius, & magiſtralis. [ Byſſus, & purpura indumentum ejus &c. quando ſederit cum ſenatoribus terræ. Proverb. 31. ] Signum enim gubernii, ac curæ erat purpura: quare inquit Philo in lib. de ſomniis: [ Tunicam hanc Moſes induit naturaliter infectam ſanguine: quoniam tota vita Rempublicam adminiſtrantis contaminatur, dum bellum aut infertur, aut propulſatur, infeſtantibus ſubinde aliis, atque aliis improviſis caſibus. ] Qua purpura induebatur etiam Romanorum Senatus, & Magiſtratus. Dio, lib. 49. hiſt. Polyd. Virg. lib. 3. de invent. rer. cap. 6. Aliqui tamen Auctores eandem eſſe aſtruunt, ac *Trabeam*; alii vero diverſificant; Dionyſius enim Halic. in primis ſemper eandem eſſe dixit: [ Et togas fibulis adſtrictas, purpura prætextas, puniceo colore alternis intertexto, quas vocant trabeas, lib. 2. Rom. antiq. Præterea e tam multis regiis inſignis, ſi qua ſunt invidioſa populo, partim miranda, partim plane tollenda judico; ſceptra iſta dico, & coronas aureas, & purpureas auro intextas trabeas; niſi ſtatis feſtis, & in pompis triumphalibus aſſumantur honoris Deorum gratia. Idem lib. 4. Togis purpureis, & punicei coloris materiam prætextam habentibus induti, quas vocant trabeas. Idem lib. 6. ] Atque Servius in lib. 7. Æneid. Virg. [ Secund. trabeæ genus e purpura, eratque pacis inſigne. ] Idemque ſymbolum in eo purpuræ genere D. Jo: Chryſoſt. tradit, hom 4. in epiſt. 2. ad Timoth. de Nerone Imp. agens: [ In pace trabeam regni inſigne ferebat. ] At Plinius diverſificavit purpuram a trabea, dum inquit: [ Purpuræ uſum Romæ ſemper fuiſſe video; ſed Romulo in trabea, lib. 9. cap. 39.] ac trabea ornatum fuiſſe Romulum teſtantur Plutarch. in Romulo, & Livius. Greg. II. quoque epiſt. 2. ad Leonem Iſaur. videtur eas diſtinguere; nam ſic ſcripſerat: [ Si quis a te regia indumenta, purpuram, diadema capitis, trabeam abſtulerit, &c. apud Baron. ann. 726. ] Trabea dicta fuit, quia *Transbeat* homines. Iſid. & Lipſ. de Magiſt. cap. 8.

Erat

Erat inſuper purpura diverſa; alia rubicans, ac ſanguinea:

Labitur exanguis, labuntur frigida letho

Lumina: purpureus quondam color ora relinquit.

Virg. Æneid. 11. & Ovid. Eleg. 2. libr. 4. Triſt.

——— Purpureo ſanguine tingit humum.

Tria principalia genera purpuræ refert Plinius: [Hos animadverto tres eſſe principales: unum in cocco, qui in roſis micat: gratius nil traditur aſpectu, & in purpuras tyrias, dibaphaſque, ac laconicas: alium in amathyſto, qui in viola, & ipſe in purpureum] *Qui ipſe & in viola purpurea*, legit Dalecamp. Sequitur Plinius: [Quemque janthinum appellavimus. Genera enim tractamus, in ſpecies multas ſeſe ſpargentia. Tertius eſt, qui proprie conchyli intelligitur multis modis: unus in heliotropio, & in aliquo ex his plerumque ſaturatior, alius in malva ad purpuram inclinans, alius in viola ſerotina, conchiliorum vegetiſſima. Paria nunc componuntur, & natura, atque luxuria depugnant. Lutei video honorem antiquiſſimum in nuptialibus flammeis totum fœminis conceſſum, & fortaſſis ideo non numerari inter principales, hoc eſt, communes maribus, & fœminis; quoniam ſocietas principatum dedit, lib. 21. cap. 8.] Purpura coccea utebantur Imp. [Sane, ut tibi inſigne aliquod imperialis majeſtatis accedat, habebis utendi coccinei pallii facultatem me præſente, & ad me, & cum mecum fueris, habiturus & purpuram, ſed ſine auro, quia ita & proavus meus Verus, qui puer vita functus eſt, ab Adriano, qui eum adoptavit, accepit. Capitolin. in Clod. Albino.] Si enim ſcripſerat Commodus Albino, cui non conceſſerat purpuram auro textam; nam Albinus adhuc non erat Imp. [Hic ubi primum indumenta coccea, & purpurea, cæteraque caſtrenſia Imperii inſignia accepit. Lamprid. in Ant. Diadumeno.] Nam imperialis purpura *Purpura ſumma*, ſive *Principalis*, & ſimilibus vocabulis appellabatur. Octav. Ferrarius de re veſt. part. 1. lib. 2. cap. 9. & Iſacus Caſaub. in Lamprid. de Alexandro Sever. Imp. c. 51. §. 5. Item erat purpura triumphalis, quæ & *Palmata* dicebatur a triumphi palma. Ferrar. ibid. cap. 8. Reperiebatur etiam purpura *Plebeja*, ideſt, pene fuſca. Cic. in ſextiana, & in Piſonem. Item purpura pro ipſo imperio: [Multi & ſumpſiſſe illum purpuram, & morem Romanorum imperaſſe, exercitum duxiſſe, & de ſe plura promiſiſſe dixerunt. Trebell. Poll. de XXX. Tyran. in Baliſta. Salmaſius legit *Ut more romano &c.* Item pro ſenatoria dignitate, Martial. lib. 10. epig. 5.

Quiſquis, ſtolæve, purpuræve contemptor,

Quos colere debet, læſit impio verſu.

Sic hodie nos purpuram Cardinalatum intelligere ſolemus. Vide *Cruſta*.

PURPURARIUS, *a, um*. FR. quod ad purpuræ opificium pertinet. Pro purpuræ tinctrice, Actor. 16. 14. [Et quædam mulier nomine Lydia purpuraria civitatis Thyatirenorum, colens Deum.] Atque Plin. lib. 35. cap. 6. [Alterum genus ejus eſt in purpurariis officinis innatans cortinis: & eſt purpuræ ſpuma.

PURPURILLA. FR. Locus extra portam, ubi purpurea veſte utebantur. Gloſſ. Iſidori.

PURPURISSUM. FR. materia ex floribus contracta ad depingendum; [Sunt autem colores auſteri, aut floridi, utrumque natura, aut mixtura evenit. Floridi ſunt &c. purpuriſſum. Plin. lib. 34. c. 6.

PUTRAMEN, putredo. [Aperiendum vulnus, & ſecandum, & putraminibus amputatis, medela fortiore curandum. Cyprian. de lapſu] & alibi idem: [Neque enim ſi putramina quædam colligenda ſunt, epiſt. 55.] Itaque non fuit error Scriptorum, ut aliqui putant; ſed proprium iſtius Doctoris ſancti vocabulum, dum ab eo non ſemel ſic ſcriptum invenitur.

PYCTACIOLUM, ſive *Pyctaciola*. Vide *Pyctacium*.

PYCTACIUM, vocabulum ex græco πυκτάκιον, diminutivo a πύκτιον, quod chartæ volumen, ſive plicum ſignificat, quare *Ptychacium* ſcribendum eſſet potius, quam *Pyctacium*. Ergo penes Eccleſiaſticos Scriptores paginam ſignificat, in qua interrogationes notabantur, e quibus informatio ſumebatur de moribus, ac vita Epiſcopi electi, antequam conſecraretur. FR. Potius *Pythiacium* ſcribendum eſt a Pythia, cujus diminutivum *Pyctaciolum*, vel rectius *Pythiaciolum*, quod erat chartula involuta, & ſuperſtitioſe ſcripta pro qualibet infirmitate curanda, ut in can. non obſervetis, 26. qu. 7. ubi a poſtillatore *Pyctaciola* ſcribitur. Vide *Pittaciolum*. *Periapta*. *Phylacteria*. Itaque *Pyctacium*, ſive *Pithiacium* ſignificat epiſtolam, ſeu chartam. Gloſſa in can. Pyctacium, 30. qu. 3.

PYGARGUS, capra ſilveſtris, damis non abſimilis, ex græco vocabulo πύγαργος, ideſt, cum cauda alba, de hoc animali fit mentio in c. 11. Levitici.

PYRA, πυρά. Vide *Buſtum*.

PYRALE, hypocauſtum. [Præſul in pyrale Congregationis intravit. Hiſt. Aleman. tom. 2.

PYRAMIS. Vide *Calypra*. Obeliſcus in dict. *Aſteriſcus*. Tupha in dict. *Tufa*.

PYRATEGIUM, tempus denotat, in quo Monachi dormitionis gratia ſegregabantur: vocabulum quidem græco-latinum eſt ex πῦρ, ideſt, ignis, & *Tegium*, nempe, tegumentum; tunc enim tegebatur communis pyra, ſive quia tunc lumina extingui dicebant. [Ibique loquantur quamdiu Hoſpitali viſum fuerit; aut hora permiſerit, non autem ultra pyrategium. Matth. Pariſ. in vita Guarini Abb.

PYRATICUM. Vide *Piraticum*.

PYRGIBASIS, πυργίβασις. FR. baſis, ubi ignis conſervatur. Joannes tamen Mabbilon exiſtimat fuiſſe Pharum, ſive turrim, in qua præbebantur cum igne ſigna longinquis: [Et dolore mortis extraneus juxta pyrgibaſim, ſicut hactenus cernitur, Confeſſor veritatis meruit ſepeliri. Jo. Diacon. in vita S. Greg. Papæ, lib. 4. c. 69.

PYRGUS. Vide *Ambo*.

PYROMANTIA. Vide *Hydromantia*.

Pythagorici. Vide *Metempſychi*. Eorum opinio. Vide *Fabalia*. *Suffocatus*, *Thamnus*.

Pytho, & *Python*: *ſerpens*, *draco*. FR. πύθων, a πύθω, putrefacio; quod habitu peſtifero ille omnia putrefaciat. [ Nec qui pythones conſulat. Deuter. cap. 18. ] Accipitur etiam pro pythonicis. [ Fecit pythones, & aruſpices, 4. Reg. c. 21. Sed & pythones, & ariolos. Ibid. c. 23. ] ideſt, qui habent ſpiritum divinatorem. [ Habentem ſpiritum pythonem. Actor. c. 16. ] Vide infra.

Pythonissa. FR. divinatrix. [ Sed inſuper etiam Pythoniſſam conſuluerit. 1. Paralip. cap. 10. 15. Vide infra.

Pythonicus, ſpiritum cacodæmonem, a divinatione ita dictum, habens. [ Scimus enim magiam elicere explorandis occultis catabolicos, & paredros, & pythonicos ſpiritus. Tertull. lib. de anima, c. 8. ] Unde dictus fuit *Pythius Apollo* ex eo quia ejus Oraculum divinare a Gentilibus credebatur, & pythoniſſa, in textu hebraice *Baalas Pob* vocatur, ideſt, Domina utris, quia, ut Rabbini aſſerunt, pythoniſſa, quando divinabat, os mortui vacuum ſumebat, & tamquam ex fiſtula utrem inflabat, loquendo, ac interrogando; uter vero diabolico opere quæſitis reddebat reſponſiones, dum incantatrix in ea inflatione aurem approximabat. FR. hinc LXX. Pythoniſſam *Ventriloquam* verterunt; atque Scripturales non pauci hanc divinatricem in ventre ſpiritum pythonicum habuiſſe putant, ex quo exibat ambigua reſponſio, mendaciiſque contexta. Vide *Engaſtrimythus*.

Pyxis, πυξὶς, ideſt, vas. Communiter autem inter Catholicos vas illud intelligitur, in quo Euchariſtiæ Sacramentum reconditur. Aliqui Theologi docent, conſecrandum eſſe hoc vas ſacra unctione ſicut Calix; ſed communior opinio tenet ſufficere ſimplicem benedictionem ab habente facultatem corporalia benedicendi; quinimo non eſſe neceſſarium pyxidem deaurare ad inſtar Calicis, Suar. in 3. part diſp. 17. ſect. 7. affirmat, qui etiam addit, quod ſi pyxis ex puro ſtanno erit, deberet imponi fruſtillum telæ cum amylo accomodatum, ſicut fit in corporalibus. A Græcis pyxis vocari ſolet Ἀρτοφόριον, ideſt, ferens panem. [ Et reponit eum in artophorio. Euchołog.] Item dicitur etiam græce πυξόμηλον, ideſt, pyxomelum, quia ad formam pomi efficitur. Heſychius *Arcam illuſtrationis* vocat. *Capſa* a Durando appellatur. Capſa, in qua hoſtiæ conſecratæ ſervantur: ] Cætera ejus ſynonyma. Vide *Acera*. *Canola*. *Ciborium*. *Hierotheca*. *Turris*. Item pyxis aliquando pro incenſi navicula uſurpatur. [ Pyxidem, qua thus habetur, in manu ferens. Ordo Rom. ] FR. pyxidis etymon nonnulli ex πύξος, ideſt, buxus deducunt, ex quo ligno eam formare ſolebant Antiqui: licet Quintilianus, lib. 8. c. 6. ex quacumque materia formari pyxides aſſerat. Pyxis ventrem virginalem Deiparæ ſymbolice deſignat; nam in Cant. 7. 2. dicitur: [ Venter tuus ſicut acervus tritici, vallatus liliis] Græca lectio habet: *Cumulus tritici*; ſed per acervum; ſive cumulum tritici nonniſi Chriſtus Sacramentatus intelligitur ſub ſpeciebus panis. Item ubi in Vulgata ejuſdem Canticæ legitur: [ Venter ejus eburneus, c. 5. 14. ] græce habetur: Κοιλία αὐτῶ ὡς πυξίον ἐλεφάντινον, ideſt. Venter ejus veluti pyxis eburnea. ] Quare D. Ambroſius de obitu Valentiniani hunc locum juxta græcam traditionem adduxerat, inquiens: [ Venter ejus pyxis eburnea, qui recipere poteſt oracula Scripturarum. Dicit enim hæc, qui imitator eſt Chriſti. ] Item *Pyxis*, ſeu *Buxus*, quod idem eſt, ſignificat pugillarem tabullam, nempe, ceratam, qua antiqui ad ſcribendum utebantur: ita enim prædictum Canticæ locum exponunt tres PP. apud Theodoretum: [ Venter ejus pyxis exigua, eburnea: ejus, nimirum, ſapientia, quæ per actionem deſcripta eſt in rebus procreatis, per quas uti liber quidam eburneus, politus, & purus, divinam tum gloriam, tum magnificentiam vere, perſpicueque repræſentat. ] Ac Nyſſenus, hom. 14. [ Ita namque tabella, in qua olim ſcribebatur, eo quod e buxo foret, appellabatur, πύξος enim buxum ſignificat, & ideo pugillares buxei πυξίοι dicebantur. ] Quibus adſtipulantur Suidas inquiens: [ Pyxis pugillare eſt. ] Heſychius: [ Pyxides ſunt diptycha. ] Euſtachius Iliad. γ, [ Priſcis temporibus in tabulis, ſive aſſeribus, & iis præſertim e buxo exarabantur literæ. ] Atque Odyſſ. σ. [ Libris nomen pyxidis præſtitit, eo quod e buxo olim erant. ] Unde Prudentius, hym. 12. periſtephan. de Caſſiano, qui fuerat a tyranno parvulis, quos ille Sanctus erudiebat, traditus, inquit:

> At illi, quia nec dulcis ulli diſciplina infantiæ eſt,
> Conjiciunt alii fragiles, inque ore tabellas
> Frangunt, reliſa fronte lignum diſſilit.
> Buxa crepant cerata, genis impacta cruentis:
> Rubetque ab icta curva tumens pagina.

Et rurſus S. Ambroſ. lib. 3. hexamer. cap. 13. [ Buxus quoque elementorum apicibus utilis exprimendis, levi materia uſum manus puerilis informat. ] Id tamen clarius ex ſac. literis conſtat: [ Scribe ei ſuper buxum, & in libro diligenter exara illud. Eſai. 30. 8. Scribe viſum, & explana eum ſuper tabulas. Habac. 2. 2. ] LXX. habent in hunc Habacuc locum: [ Scribe viſionem, & perſpicue in buxo. ] Ubi Ant. Agellius commentatur: [ Ex buxo enim tabulæ fieri ſolebant, in quibus ſcriberetur, non in charta, ut diutius, quod ſcriptum fuerat, ſervetur. ] Quod vocabulum uſurpatur etiam pro quacumque materia apta ad ſuſtentandas literas. [ Denſum quoddam, & ſubalbum lignum eſt buxus, de quo tabellas ſibi conficiunt qui ſcribere volunt. Hujuſmodi ergo tabella ſcriptionis ad uſum comparata, etiamſi forte alia fiat ex materia, Pyxium, quaſi dicas buxeum, appellatur, uſurpatione quadam vocis non propria; quare cum vocem hanc audimus, inſtrumentum quoddam leve, & aptum ad recipiendas literas intelligimus. Nyſſen. homil. 14. in Cantic. ] At ſi dicas πυξίον, dum tabulam buxeam ſignificat, quomodo ſub-

ſubditur in Cant.loc.cit. ἐλεφάντινον, ideſt, *Eburnea*: Reſpondit quidem ibidem Nyſſenus, inquiens:[Cum generale ſit vocabulum ad omnes hujuſmodi tabulas; idcirco hic etiam materiei ſpecies additur. Non enim dicit ex ligno, ſed ex ebore factum opus hujus tabellæ.] Quocirca etiam tabula lapidea πυξίον vocatur: [Dabo tibi tabulas lapideas,& legem,ac mandata, quæ ſcripſi. Exod. 24. 12.] Ubi LXX. verterunt δώσω σοι τὰ πυξία τὰ λίθινα. De tabulis vero eburneis ad ſcribendum in eis adaptatis mentionem faciunt Ulpian.in l. librorum, ff. de legat. 3. Æl. Vopiſ. in Tacito Imp. Sueton. in Tiberio, c. 43. & Martialis, lib. 12. epig. 43. ſic cecinit:

Legiſti, nimirum, Sabelle, verſus,
Quales nec Didymi ſciunt puellæ,
Nec molles elephantidos libelli.

Et lib. 14. in 5. epigrammate, cujus titulus eſt: Pugillares eborei, ſic ait:

Languida ne triſtes obſcurent lumina ceræ,
Nigra tibi niveum litera pingat ebur.

# Q

QUADRAGENA. FR. mulctatio numerica tot flagellationum: [A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi, 2. Cor. c. 11.] Dicitur *Una minus*, quia prohibitum erat Judæis per completum numerum quadraginta flagellationibus mulctare. [Pro menſura peccati erit & plagarum modus: ita dumtaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus. Deuteron. c. 25.] Unde Hebræi propter ſcrupulum errandi in percuſſionum numero,ne præceptum Domini tranſgrederentur,unam minus quadraginta infligebant.Quod etiam antiquitus in aliquibus Eccleſiis Catholicorum obſervabatur. [Quod ſi quis Clericus hoc adimplere diſtulerit;ſi minor fuerit, uno minus de XL. ictibus accipiat; ſi vero honoratior, XXX. dierum concluſione mulctetur.cap. nullus Clericus, 11. quæſt. 1.] Vide *Carena*. Mos item erat in Hiſpania offenſores, pro offenſi ſatisfactione, ſponte ſe ſubjicere triginta, ſeu pluribus, aut paucioribus fuſtium percuſſionibus,quod Clericis prohibitum eſt in 5. decret. tit. 39. c. 36. Vide *Dorſum redimere*.

QUADRAGESIMA, ita denominatur Dominica prima quadrageſimalis, quia ab illo die uſque ad feriam quintam in Cœna Domini, quæ tunc erat Judæorum Paſcha, numerantur quadraginta dies: [Quadrageſima etiam cum Dominca ſua currit ad myſticum paſcha Hebræorum, quod Dominus noſter cum Diſcipulis ſuis celebravit. Ordo Rom.] De hoc myſtico dierum numero ſatis diximus in dict. *Jejunium*. FR. [Quadrageſima eſt duplex; deletiva mali, ut vulgaris; alia operativa boni, ut in illa inter Paſcha, & Aſcenſionem Domini;& per has duas quadrageſimas homo habens gratiam in duobus quadrageſimis abundat. Gloſſ. in extrav. comm. de pœnit. & remiſſ. cap. 1.] ac de ambobus quadrageſimis ſic ait D. Aug. [Illa luget, hæc gaudet: illa medico vulnus oſtendit, hæc de ſanitate gratias agit. Hæc confeſſio quendam ſignificat, non ſolum ab omni malo liberatum, ſed etiam a malignis omnibus ſeparatum. In pſalm. 110.] Vide *Teſſeracoſtus*. In quadrageſima ante paſcha non celebrabatur olim feſtum alicujus Sancti. Vide *Natalis*; quod adhuc in Ambroſiano,& Græco ritu obſervatur. Vide *Feſtum*. Hoc tempore Diaconus, & Subdiaconus utuntur caſulis. Vide *Caſula*. Quare additur ad Poſtcommunio in diebus ferialibus quarta oratio. Vide *Collecta*. Et antea in ferialibus quadrageſimæ diebus non celebrabatur. Vide *Miſſa*. Quotidie dicebantur pſalmi pœnitentiales, & graduales. Vide *Pſalmus*. Cæterum. Vide *Triceſima*.

QUADRATARIUS. FR. Lithurgus, qui lapide quadrat, & ſculptori præparat, Lapidarius apud Ulpian. & Jul. Firmicum, lib. 3. Matheſ. Sidon. lib.3.Morel.in comment. lib. 4. Cœli, & Cic. lib. 3. offic. dicitur. Quare SS. Martyres Claudius, Caſtorius, Nicoſtratus,& Simphorianus re vera non fuerant ſculptores, ſed quadratarii; in eorum enim legenda habetur, quod excellentes fuiſſent in *Arte quadrataria*. Hinc Sidonius Apollinaris ad Secundum ſic ſcribit: [Sed vide, ut vitium non faciat in marmore lapidicida. Quod factum ſive ab induſtria, ſeu per incuriam mihi magis, quam quadratario, lucidus lector adſcribit, lib. 3.

QUADRUPLUM in textilibus quid ſignificet. Vide *Stauracinus*.

QUÆSTIO,tortura: [Et cæterorum Maryrum quorum nomina ſubjicio, Baſſi in pejerario, Mappalici in quæſtione, Fortunionis in carcere. S. Cyprian. epiſt.22.] Item aliquando ſignificat querelam, & accuſationem [Ita ſtude decrenere; ut nulla de hac re quæſtio ad nos ulterius revertatur. D. Greg. in Regiſt. lib. 3. cap. 13.] FR. Notatur hic duplex, lib.5.Decretalium error in cap. cum in contemplatione, de regul. jur. Primo quod ad titulum;nam illud decretum tribuitur Gregorio Papæ VII. cum revera ſit Gregorii Primi. Secundo quoad vocabulum; nam ibi ſic legitur: [In ipſo cauſæ initio non eſt a quæſtionibus incohandum.] Ubi ut Gloſſa exponit. [Non eſſe a Judice in Reum a tormentis incipiendum, ſi prævia non ſint indicia ſufficientia,] ſed uterque error manifeſte convincitur; Gregorius enim Primus in ſui Pontificatus initio, lib. 1. epiſt. 6. Narſeto ſic ſcripſerat: [In ipſo initio non eſt a quæſtibus inchoandum:] per quæ verba ſignificare intendebat, quod in ipſo Pontificatus initio non eſſet agendum cum Imperatore de temporalibus lucris.

QUÆSTIONARIUS, in criminalibus cauſis præſidens, & aliquando carnificem ſignificat. Surius, in vita S. Andreæ, tom. 6.

QUÆSTIONATUS, tortus. [Tot Confeſſores quæſtionati,

ti, & torti, & inſignium vulnerum, & cicatricum memoria glorioſi. S. Cyprianus, epiſt. 69. ] Item cauſam criminalem, locumque torturæ ſignificat.

Quæstor Urbanus. Vide *Xenoparochus*.

Quæstus. Pecunia data in quæſtum & fenerationem, crimen erat, propter quod Sacri Conciliorum Canones Clericos munere deponi ſtatuerunt. Uſuræ enim acceptio in antiquis Canonibus avaritiam & crudelitatem præ ſe ferre cenſebantur, & noſtris hiſce temporibus cenſentur. Conc. Nic. c. 117. Can. apoſt. c. 43. Concil. Illiberit. c. 20. arelat. 1. c. 12. Carthag. 1. c. 13. III. c. 16. Laodic. c.4. Trull. c. 10. Cyprianus de lapſis &c. Quod autem ad noſtram præſentem aream attinet, naturam hujus quæſtus par eſt ut inquiramus, & cauſas, ob quas tam in Clericis, quam in Laicis improbata fuerit & improbetur. Neque id vulgaribus & obviis, ut ajunt, argumentis expendemus, ſed ſumma diligentia & ſtudio in hanc rem diſquiſitionem inſtituemus, ita ut Lector habeat vocis *quæſtus* ſive *fenerationis*, ſive *uſuræ* omnibus modis abſolutam ſignificationem, quæ ſæpe etiam apud accuratiores morum præcepta ſcribentes deſideratur. Et quod ad rei naturam attinet, obſervandum eſt, diverſa genera, diverſoſque gradus uſuram apud Romanos fuiſſe. Uſitatiſſimæ erant eæ, quas *centeſimas* vocant, quaſque Concilium *Nicænum* hoc nomine memorat c. 17. ἑκατοσαὶ, quo vocabulo etiam utitur Concil. Trullanum, c. 10. & Chryſoſtomus homil. 56. in Matth. habet οὗτος μόλις ἑκατοςὴν ἀποδίδωσιν, *hic vix centeſimam partem reddit*. Quod quidem duodecim ex centenis per annum conficit. Noſtra quoque ætate in Orientalibus Regionibus hæc *centeſima uſura* uſum obtinet apud Græcos, Turcas, & Europeos, licet ipſa Turcarum Lege quodlibet quæſtus & uſuræ genus interdictum ſit; neque debitor ob tale debitum in jus vocari poſſit, imo integra pecuniæ ſors uſuræ alligata pereat. Mercatorum vero verſutiæ modi non deſunt, quibus Legi illudunt. Cum vero *Romanis* primo cujuſque menſis die uſuras accipere, in more poſitum eſſet, S. Baſilius menſes *uſurarum parentes*, dixit *Baſil.* in Pſalm. 34. φοβεῖται τοὺς μῆνας ὡς τόκων πατέρας. *Ambroſius* vero de Tobia c. 12. ait τόκους *Græci appellaverunt uſuras, eo quod dolores partus animi debitoris excitare videntur. Veniunt Calendæ, parit ſors centeſimam. Veniunt menſes ſinguli, generantur uſuræ*. Hoc igitur uſuræ genus Eccleſia Legibus proſcripſit, & alienandum curavit. Leges tamen civiles id negotiationis genus aliquando toleraſſe videntur ut proſtat in Cod.Theodoſ. Lib.2. tit. 33. leg. 1. *Pro pecunia* ultra *ſingulas centeſimas vetatur accipere*. *Juſtinianus* tamen Lib. 4. tit. 32. de uſuris, Leg. 26. id pro *trajectitiis* contractibus tantummodo ſtatuiſſe videtur. De hac vero trajectitia pecunia, ſive *fænore nautico* vulgo *Cambio maritimo*, nos opuſculum Italica lingua conſcriptum Venetiis edidimus, in quo pro viribus noſtris in iſta aleæ plena area deſudavimus, & honeſtis Mercatoribus æquitatis facem prætulimus. Alterum uſuræ genus, a Legibus ἡμιολίας ſive *Seſcuplum*, hoc eſt, totum cum dimidia ejus parte, vocabatur. *Hieronymus* com. in Ezech. 18. illud improbat. *Solent*, inquit, *in agris frumenti & milii, vini & olei, cæterarumque ſpecierum uſuræ exigi ... Verbi gratia, ut hiemis tempore demus decem modios & in meſſe recipiamus quindecim, hoc eſt amplius partem mediam.* Hoc uſuræ iniquum genus, tum a Concilio *Nicæno* c. 17. tum a *Laodicena* c. 4. nomine ἡμιολιῶν damnatum fuit, quod etiam a *Juſtiniano* factum eſt Lib. 4. tit. 32. leg. 36. Tertium uſuræ genus in Lege civili vocatur *beſſis centeſimæ*, id eſt, *binæ Trientes*, ſive octo de Centenis, quam uſuram iis, qui ergaſteriis præſunt, aliiſque Mercatoribus indulſiſſe videtur *Juſtinianus* Lib. 4. tit. 32. leg.36. Quarto ex eadem Juſtiniani Lege licitum erat ſtipulari tantummodo dimidiam *centeſimæ*, quod idem eſt ac ſex pro centenis. Quinto ab illuſtribus & & probis viris tertia centeſimæ pars accipiebatur, nimirum quatuor pro centenis. Quæ conſuetudo omnium optima apud pleraſque Chriſtiani orbis nationes adhuc quoque in more eſt. Cum enim Commerciorum gratia vix obtineri poſſit, ut uſus alienæ pecuniæ in negotiationem non veniat, cumque Charitatis ſubſidia a Commerciis ſeparentur, pro ea parte, quæ ad negotiationem attinet, ex ipſius negotiationis lucro uſura æſtimanda ſit, ita ut pecuniæ domino dimidia lucri pars obveniat, dimidia vero lucrum ipſum induſtria ſua quærenti, ad quem quoque ſpectat quidquid ex communi atque ordinaria lucri exiſtimatione, ultra obvenit, ita ut hæc uſura in Commercio perſpecta nullibi eadem methodo conſtare poſſit, cum pro Regionum, & Commerciorum varietate ipſa quoque diverſis modis metiatur, & ordinaria lucri ex negotiatione manantis menſura, uſuræ quoque menſura ſit atque ratio, qua Domino pecuniæ dimidia lucri pars, pro pecuniæ uſuræ cedat, vel hujus ceſſionis titulo in ratione ſit.

Quartadecimani, Schiſmatici ita appellati, quia cum Hebræi conveniebant in celebratione Paſchæ poſt quartam decimam primæ lunæ diem, qui magnam diſcordiam in Eccleſia excitaverant, propter quam differentiam in Aſia ortam, coactus fuit D.Ignatius Martyr venire Romam, ubi Papa ad evitanda ſcandala, pro illo tunc decreverat, ut Aſiani Paſcha celebrarent poſt quartam decimam primæ lunæ diem; ſed deinde Victor Primus Quartadecimanos in Concilio Romano, & in Aſia excommunicavit. Baron. an. 198. n. 1. uſque ad n. 10. A Græcis τεσσαρεσκαιδεκατῖσαι, *Teſſareſcadecatiſte*, ideſt, Quartadecimani denominati ſunt, 24. qu. 3. can. 39.

Quarantina: Vide *Carena*. *Quadragena*.

Quarterizo. FR. in quaternas partes diſſeco, dimembro. [ Decapitatus eſt, & quarterizatus eſt. Thomas Valſingamus in Ricard. II.] Qui etiam utitur nomine abſtractivo *Quaternizatio*.

Quasi. FR. hæc dictio non ſemper ſignificat diminutionem,

nem, ſive dubium. Sic exponunt Auctores illa verba, [Erat Jeſus quaſi annorum triginta incipiens. Luc. 3.] apud Baron. in Appar. n. 107. & 108.

Quaternio, de quo in Act. Apoſt. c. 12. fit mentio his verbis: [Miſit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum cuſtodiendum.] Lyranus, & Cajetanus exiſtimant fuiſſe quatuor militum præfectos, qui ſub ſe habebant quatuor tantum milites, ſicut decurio dicitur, qui decem milites ſub ſe habebat, & Centurio, qui centum, Chiliarcha, qui mille &c. Sed in græco textu τετραδίον habetur; unde colligo quatuor quaterniones intelligi quatuor agmina fuiſſe, ideſt, quatuor militum pro quolibet agmine; & ex Syriaca verſione confirmatur, ubi habet *Sexdecim milites*, & non quatuor milites ſolum, ut præfati Auctores cenſuere. Item *Quaternio* ſignificat etiam quatuor foliorum librum. Vide *Caternio*.

Quatuor Tempora. Vide *Jejunium*.

Querimonior, lamentor, accuſo. [Tu ergo eo tempore querimoniari cœpiſti. Hincmar. in Dialog. de ſtatu Eccleſiæ.

Querulosus. FR. Lamentans, accuſans, ſive lamentabilis, & accuſabilis: [Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum querelis frequentibus, & querulofis clamoribus excitati, præſenti decreto duximus ſtatuendum, lib. 5. tit. 7. c. 8. ſexti decretal.

Quiesto, acquieſco. [Animæ quieſtote. Lucifer Caralit. lib. 1. pro S. Athanaſ.

Quieto, creditori ſatisfacio, unde *Quietantia*, & *Quitantia*, ideſt, ſatisfactionis confeſſio, ex gallico verbo *Quieter*, quod abſolvere, & liberare ſignificat. Vide *Recautum*.

Quindennium. FR. Datariæ Apoſtolicæ terminus; qui ſignificat quamdam unius annatæ integræ de fructibus penſionem, ſeu ad minus ſemiannatæ, quæ ſolvitur Datariæ de beneficiis unitis alicui Capitulo, ſeu communitati, quæ in manus mortuas tranſierint. Vide *Manus mortua*.

Quinisexta. Vide *Pentectes*.

Quinquagenarius. FR. nedum ſignificat hominem, qui quinquaginta annis vixerat, ſed etiam numerum diſtributivum collective ſumptum, ut: [Ad equorum gregem quinquagenarium bini homines &c. Varro, lib. 6. de re ruſtica, c. 6.] atque rem quinquaginta menſuras capientem, ut: Urnam quinquagenariam unam, ſextarium olearium unum. Cato, cap. 13. de re ruſtica:] Sed etiam qui præeſt quinquaginta hominibus. [Conſtitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & Decanos, qui judicent populum omni tempore. Exod. c. 18.] & inferius: [Et electis viris ſtrenuis de cuncto Iſraele, conſtituit eos principes populi, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui judicabant plebem omni tempore.

Quinquagesima, Dominica, quæ Dominicæ primæ quadrageſimæ præcedit, ita appellata, quia ab ea Dominica uſque ad Reſurrectionis Paſcha quinquaginta dies intercurrunt. [Quinquageſima vero, quia decurrit uſque in diem Reſurrectionis Dominicæ. Ord. Rom.] Quinquageſimus enim numerus pœnitentiæ ſymbolum eſt, ut Amalarius de ordin. antiphon. c. 33. notavit: Nam ab hac Dominica antiquitus jejunium incipiebat, ut adhuc Orientales Chriſtiani, & inter Latinos nonnullæ Religiones obſervant; ideo a Matthæo Pariſio in ſua hiſtoria *Dominica carniſprivium*, appellata fuit, ac aliis nominibus. Vide *Carniſprivium*. FR. Quinquageſima a Teleſphoro Papa inſtituta fuit, can. Statuimus, can. Quadrageſima, & can. Denique, diſt. 4. Sed a præfato Teleſphoro non obligabantur ad jejunium quinquageſimæ Laici, ſed Clerici tantum; nam in d. can. Statuimus, ſic ait, [Statuimus, ut ſeptem hebdomadas plenas ante Sanctum Paſcha omnes Clerici, ideſt, in ſortem Domini vocati, a carne jejunent, quia ſicut diſcreta debet eſſe vita Clericorum a Laicorum converſatione, ita & in jejunio debet eſſe diſcretio, ideſt, differentia.] Inepte autem Gloſſa ibi ad quæſitum, quare hodie hoc jejunium quinquageſimale a Clericis non obſervetur, reſpondit: [Quia hodie quinquageſima non ſervatur, cum ipſa celebretur poſt paſcha] :||: Intellexerat forſan Gloſſator de quinquageſimo dierum numero, qui a Paſcha ad Pentecoſtes uſque tempus intercalatur, de quo ſic Caſſianus, lib. 2. c. 18. [Hoc quoque noſſe debemus a Veſpero Sabbati, quæ luceſcit in Dominicum, uſque ad Veſperam ſequentem, apud Ægyptios genua non curvari, ſed nec totius quidem quinquageſimæ diebus, nec cuſtodire in eis jejuniorum regulam] Ac alibi idem replicat. Idemque Ambroſius intellexerat, ſer. 61. dum ait: [Non igitur jejunamus in quinquageſima, quia in his diebus nobiſcum Dominus commemoratur.] FR. Sed Quinquageſima lætitiæ diverſa eſt a Quinquageſima pœnitentiæ, de qua Teleſphorus ſupra loquutus fuerat, ac Canones ſupra citati. De Quinquageſima vero lætitiæ. Vide *Pentecoſtes*. *Teſſeracoſtus*.

Quinternio, folium in quinque partes plicatum, ſeu liber papyraceus ad ſcribendum præparatus. Dicitur etiam *Quinternum*, de quo fit ſæpe mentio in Bullis Pontificiis. Vide *Caternio*. *Quaternio*.

Quinquatria, Gentilium Romæ feſta. Vide *Thallophorus*. *Quinquertium*.

Quinquertium. Vide Quinquatria in dict. *Thallophorus*, & in dict. *Pancratium*.

Quintilis, menſis. Vide *Majuma*.

Quisquiliæ. FR. [Quiſquiliæ dici putantur, quidquid ex arboribus minutis ſurculorum, foliorumque cadit &c. Feſtus Fareſian. Biblioth.] Sed in Amos Proph. cap. 8. pro frumenti purgamentis ponitur: [Et quiſquilias frumenti vendamus.

Quod Excurrit. FR. phraſis Africanorum Patrum, & denotat plus, minuſve, ſeu circiter. [Nam ferme ante annos quadraginta, & quod excurrit, per totam Africā perſecutionis eſt devagata tempeſtas. Optat. Milevit. lib. 1.] Eadem phraſi uſus eſt D. Auguſtinus: [Poſt

Cypriani mortem quadraginta,& quod excurrit,annis peractis, traditio Codicum facta eſt, lib. 7. de baptiſmo ] Ac idem de Donatiſtis loquens,ait lib. 2. [ Non enim grex, aut populus appellandi fuerant pauci, qui inter quadraginta, & quod excurrit Baſilicas, locum ubi colligerent, non habebant.

---

# R

RABBI, hebraica vox, eruditam perſonam ſignificans, ſive magnificam, ac venerabilem præ doctrina. Latini non habentes proprium, ac ſpeciale vocabulum, verterunt *Magiſter meus*; in Evangelio vero habemus etiam, quod Magdalena Chriſtum reſcuſcitatum *Rabboni* vocaverat, ideſt, *Dominus noſter*, & Hebræi *Rabbinos* vocant Doctores legis, ac Magiſtros. FR. In Teſbite hebræo legunt hæc verba: [ Omnis Rab, & Mar e Babylonia, & omnis Ribbi e terra Iſrael, ] ubi Syriacus habet *Rabbi*, loco *Ribbi*. Item Arabice *Rabbi* nomen ſignificat Creatorem, Enutritorem meum; ac *Tarbie*, Creatura, ſeu infans dicitur: & *Rabbi* verbum nutrire, & alere denotat.

RABLATA. Vide *Theopolis*.

RACA, dictio hebraica in Evangelio: [ Qui autem dixerit fratri ſuo raca. Matth. cap. 5. ] Hieronymus, adverſ. Pelag. lib. 2. inquit: [ Raca interpretatur vanus, & abſque cerebo. ] Idem ſentit Hilarius in Matth. ] Raca vacuitatis opprobrium eſt. [ Et in præfat. ejuſdem Matthæi, hom. 11. ait: [ Raca quidem dicitur hebraice vacuus ] quem omnes Scripturales ſequuntur: *Riek* autem Arabice *Salivam* denotat; unde hominem jejunum, & ventre vacuum *Arriek* appellant, ex eo quia in ejus ſtomaco nil præter ſalivam, & flegma continetur, & hebræus legit *Rika*, quod penes ipſos contumeliæ nota eſt. FR. ac ſi diceretur, te habeo tanquam ſputum; Latini enim *Exſpuo*, & *Deſpuo*, tam pro ſputum projicere, quam pro ſpernere uſurpabant. Item apud Chaldæos interpretatur *Teſtudo*, vel *Sputum*, poteſt enim ſuam ducere originem ex verbo *Rach*, conſpicit; unde fit *Raucha*, ideſt, ſputum, & ſic optime teſtus Evangelii intelligitur: Si quis dixerit fratri ſuo raca, hoc eſt, teſtudinem, vel ſputum, reus erit concilio, quod erit injuria; nam apud Chaldæos teſtudo animal deforme habetur, & ſputum contemptum ſignificat.

RACANA, vilis veſtis: [ Xenium autem veſtrum duas racanas, quas de labore veſtro eſſe mandaſtis, libenter accepi. D. Greg. lib. 9. epiſt. ult. ] Et Ennodius, l. 9. epiſt. 17. [ Racanas, cujus vos volueritis coloris, rubri, aut fuſci, mihi ſub celeritate dirigite ] Forſan a ῥάκος, quod pannum vilem græce ſignificat.

RACANELLA, diminitivum a *Racana*. Sic in vita S. Joannis Eleemoſynarii, c. 20. legitur: [ Venundabantur quatuor racanellæ numiſmate uno.

RACIMBURGIUS. FR. Conſiliarius: [ Tunc Grafio congregat ſecum quatuor Racimburgios, in lege ſalica, tit. 52.

RAGA fœmoralia, brachæ, ex ῥάχη. [ Intra Urbem nemo, vel ragis, vel tzancis utatur. Cod. Theod. lib. 4. tit. 10. l. 3.

RAINUTIUS Dux Parmenſis. Vide *Sacrarium*.

RAMEX, hernia, morbi ſpecies. [ Frater quidam ramicis incommodum ita patiens, in Chron. Caſin. l. 3. c. 43. ] Vide *Gutternoſus*.

RAPHANELÆUM, ῥαφανέλαιον, Raphani oleum, de quo Dioſcorides, lib. 1. c. 46. atque Pelagius, in vita Patrum, lib. 5. n. 59. inquit, [ Vaſculum in quo erat raphanelæum.

RAPTOR. FR. verbum, frequenter rapior, trahor. [ Et diſſeminabo eos quaſi ſtipulam, quæ vento raptatur in deſerto, Jerem. 13. 24. ] Et Virg. 1. Æneid.

> Raptatus bigis, ut quondam, aterque cruento
> Pulvere.

RASTA, ſtatio, quietis meta, a germanico vocabulo *Raſten*, quod quieſcere ſignificat; nam plerumque ſtatio eſt viæ meta ad quieſcendum ſtabilita: [ Unaquæque gens certa viarum ſpatia ſuis appellat nominibus. Nam Latini mille paſſus vocant, Galli leucas, Perſæ paraſangas, & raſtas univerſa Germania. S. Hieron. in Joel.

RASURA. Vide *Tonſura*.

RATIHABITIO. FR. Confirmatio: [ Quoties in conventionibus noſter expectatur aſſenſus, ne in dubium veniant quæ geruntur, ratihabitio eas debet pro ſecuritate partium ſolidare, c. quoties, *lib.* 1. decretal. de pactis, ] & ibi Gloſſa.

RATIOCINIUM. FR. computum, & rationum redditio. In Concilio enim Carthaginenſi cum dubitatum fuiſſet, an procuratores, agentes, exactores, & pupillorum curatores ad Eccleſiaſticos ordines promoveri potuiſſent, [ Gratus Epiſcopus dixit: ſi poſt depoſita onera, & reddita ratiocinia, actus vitæ ipſorum fuerint comprobati in omnibus; debent cum laude Dei (ſi poſtulati fuerint) honore munerari. Si enim ante libertatem negotiorum, vel officiorum fuerint ordinati, Eccleſia infamatur. Univerſi dixerunt: Recte, &c. lib. 1. Decretal. cap. unico, de obligatis ad ratiocinia.

RATIONALE. Vide *Formale*. *Logium*. *Pectorale*.

* RATIONALIS Diœceſis. Civilis quidam miniſter ſic dictus a Conſtantino apud Euſeb. de vit. Conſtant. lib. 3. c. 19. *Litteræ* „ a noſtra clementia miſſæ ſunt „ ad *rationalem Diœceſis* ut cuncta ad eorum codi- „ cum confectionem neceſſaria præberi curet.

RAUBA. Vide *Raupa*.

RAVENNATENSIS ARCHIEPISCOPUS. Vide *Pallium*. *Patriarcha*.

RAVENNATES clerici mappulis uti inſtabant. V. *Mappula*.

RAUPA, ſive *Rauba*, domeſtica ſupellectilia, Italice *Robba*, ac galice *Robbe*. Alii tamen veſtem ſignificare intelligunt, quod ex ſequentibus verbis veriſimilius eſſe videtur: [ Raupa ſua ſolidos tantos tuliſſetis. Marculph. lib. 1. formular. c. 29.

RAU-

Rauseum, ramunculus, ſeu ſtirps, ex germanica voce *Rauſch.* [ Locorum paluſtrium, quæ plena erant longiſſimis rauſeis, & virgultis. Jona Abb. in vita S. Vulfranni.

Realis. FR. ideſt, rei. Gloſſa in cap. unico, de pœnis. Extrav. Jo. XXII. §. Realibus.

Reatitudo, reatus, culpa, delictum. [ Quanta autem reatitudinis culpa teneantur adſtricti hi, qui idololatriarum pernicioſiſſimam ſuperſtitionem volentes amplectuntur. In vita S. Paulini Eboracen.

* Rebellio. Per leges Eccleſiaſticas ſemper ſevere fuit caſtigata. Quid vero de Imperantibus primævi Chriſtiani ſenſerint, ex Tertulliano diſcere poſſumus, contra aliquorum recentiorum opiniones, quibus vix Princeps eſſet, cujus vita in tuto foret „ Chriſtianus „ nullius eſt hoſtis, nedum imperatoris: quem ſciens „ a Deo ſuo conſtitui, neceſſe eſt, ut & ipſum diligat, & revereatur, & honoret, & ſalvum velit, cum „ toto Romano imperio, quouſque ſæculum ſtabit: „ tamdiu enim ſtabit. Colimus ergo & imperatorem „ ſic, quomodo & nobis licet, & ipſi expedit, ut ho„minem a Deo ſecundum, & quidquid eſt, a Deo „ conſequutum, & ſolo Deo minorem. Tertull. ad Scapul. c. 2.„ Nemo eſt qui neſciat Tertulliani ætate Imperatores fuiſſe Ethnicos, imo Chriſtiani nominis perſecutores. Idcirco Jura Majeſtatis, a Principis Religione ſemper habita ſunt omnimodo ſeparata & coiſtincta ita ut Principi veram Religionem etiam perſequenti obedientia civilis nunquam ſit deneganda, vita vero ponenda ſit potius, quam vera Religio abneganda. Vide *Fellonia*.

Reboo. FR. verbum, remugio, & translative reſono, reclamo, in aliquibus vulgatis Bibliis. [ Cumque loqueretur Saul ad Sacerdotem, tumultus magnus exortus eſt in caſtris Philiſthinorum, creſcebatque paulatim, & clarius reboabat. 1. Reg. 14. 19. ] In aliquibus etiam vulgatis legitur *reſonabat*. Verbum *Reboo* Servius in 3. Georgicor. Virg. vult eſſe græcum, quia nullum latinum verbum ſolet habere duplicem *o*, in ejus finali, præter *inchoo*, quod tamen ab antiquis cum aſpirationes inter duas vocales ſcribebatur; hoc pacto *incoho*.

Rebrachiatoria, laquei, ſeu funiculi, quibus antiqui Monachi ligabant veſtes ſub brachiis, ut agiles, ac prompti in laborando eſſent, quæ ſic a Caſſiano, lib. 1. de habit. Monach. c. 6. deſcribuntur: [ Geſtant autem reſticulas duplices laneo plexas ſub tegmine, quos Græci anavoleas, nos vero ſuccintoria, ſeu redimicula, vel proprie rebrachiatoria poſſumus appellare, quæ deſcendentia per ſumma cervicis, & a lateribus colli diviſa, utrarumque alarum ſinus ambiunt, atque hinc inde ſuccingunt, ut conſtringentia latitudinem veſtimenti, ad corpus contrahant, atque conjungant, & ita conſtrictis brachiis impigri ad omne opus, expeditique reddantur. ] Hujuſmodi funiculus a Sozomeno *Humerale* appellatur; qui de habitu monachali, lib. 3. c. 13. loquens, ait: [ Habebant cingulum, & humerale, cingulum lumbos circumdabat, humerale humeros, & brachia amiciebat. ] Vide *Cingulum*. *Humerale*. *Phylacteria*.

Rebuaria Lex. Vide *Ribuariorum Lex*.

Reburſio. Vide *Reburſus*.

Reburſus. erectus, vox quidem barbara. Legimus enim in Chron. Beccenſi de quodam nomine Criſpino, ita appellato, [ Nam in ſua primæva ætate habebat capillos criſpos, & rigidos atque ſurſum erectos, & ut ita dicam, reburſos ad modum ramorum pini, qui ſemper tendunt ſurſum; quare cognominatus eſt Criſpinus, quaſi Criſpus pinus. ] Item in eodem textu *Reburſio* invenitur, ideſt, erectio: [ Quam capillorum reburſionem videmus adhuc in iis, qui de ipſius genere deſcendunt, ] quæ vocabulo ex gallico verbo *Reburs* derivantur, quod retrorſum, & in contrarium ſignificat; criſpa enim coma in partem poſteriorem capitis decidere ſolet.

Recavum. FR. cœlatum, inciſum

——— Quæ continet intus
Ædicula argento fulgurat ex ſolido.
Præfixit tabulas dives manus æquore lævi
Candentes, recavum quale nitet ſpeculum.

Prudentius in paſſ. S. Hyppoliti Mart. Hinc Italice *Ricamo* dictum fuit acus pictura, quæ a fundo elevatur.

Recautum. FR. cautio, ſatisfactionis confeſſio, vulgo *Quietantia* dicta: [ Ubi eſſet recautum, quo illa cautio evacuata fuerat. D. Aug. de cura pro mortuis. ] Unde *Recaveo* verbum; & Itali dicunt *Recavare di danno*, ideſt eximere ab obligatione. Vide *Quieto*.

Recepta, receptaculum, camera, in qua fiſci pecunia recipitur, colligitur, & conſervatur. [ Ad ſaccarium de recepta ſua. Matth. Pariſ. in hiſt. ] Poteſt etiam ſignificare officium illius, cui incumbebat pecuniam fiſci recipere. Unde Receptam vocant Equites Melitenſes onus illud, quod Receptori proventum communis Ærarii incumbit. Vide *Receptor*.

Receptitia, in materia dotis, quæ dicuntur. Vide *Antiphatum*.

Receptor. FR. qui receptaculum præbet, de Hæreticis in 6. c. 2. Item inter Equites Melitenſes *Receptor* ille dicitur, qui in aliquo eorum Prioratu reſidens ad recipiendos proventus, & ſpolia pro communi Ærario deputatus eſt, & reſidentiæ conventualis privilegio gaudet.

Rechabiti. FR. inter Hebræos appellabantur deſcendentes a Jonadabo Rechabi filio, qui ad inſtar Religioſorum vivebant in lege Moſaica; non enim vinum bibebant, nec domos ædificare poterant, ſed ſub tentoriis habitabant, neque campos ſeminabant, aut vineas plantabant, ideoque a D. Hieronymo, epiſt. 13. ad Paulinum Monachi appellantur. Vixerat Jonadab hujus regulæ inſtitutor tempore Joſiæ Regis Judæ.

Recidivatus, reiteratus. [ Samius Sophiſta Platoni auctor eſt animarum de recidivatu, revolubili ſemper ex alterna mortuorum ſuffectione. Tertull. de anima, c. 28. ]

c. 28.] quo vocabulo ad ſignificandam reiteratam animæ cum corpore unionem uſus eſt.

Recinum. FR. merenda, ex gallico vocabulo *Reciner*. [ Nam illud dulciſſimum, & ſanctiſſimum recinum quis unquam verbis valeat explicare? In vita S. Cæſarii Epiſc.] ſignificat etiam quadratam togam.

Reciprocircornis. Vide *Teſtitrahus*.

Reclivis, ſurſum vergens. [ Procerum frondentis pini ſtipitem vetitis paganorum cæremoniis deputatum, quamvis obliqua reclivem curvatura crebri accolarum bipenes certatim ſuccidcrent. Aldelm. de Virg. c. 13.] Ac S. Pacomius in ejus reg. 50. de poſitura, qua Monachi dormire debebant, loquens, ait: [ Non dormiat quis præter reclivem ſellulam,] ideſt, abſque ſellula.

Recludo, quamvis hoc verbum communiter aperire ſignificet, penes autem nonnullos Patres iterum claudere denotat: [ Viginti quatuor Reges conſiſtunt recluſi intrinſecus portarum. S. Metodius Mart.] Et Hincmarus in vita Sancti Remigii: [ Erat quidam venerabilis, ac dignus profeſſione, ac nomine Montanus Monachus in recluſione ſolitariam vitam ducens.] Atque clarius apud Cæſarium, lib. 5. c. 22. [ Qui perpetua recluſi ſunt carcere:] quo ſignificatu uſi etiam ſunt Cyprianus, Tertullianus, & Caſſianus.

Recordatus, recordatio: [ Hanc ergo vir ſapiens & uſui, & contractui, & recordatui tuo cremptam perſuadere. Tertull. de reſur. carn. c. 4.

Recredo, reſtituo, conſigno: [ Dicit Comes, quod libenter reddet, aut re credet Comitem Nivernenſem. Ivo Carnot. epiſt. 275.

Rector Sanctæ Sedis. FR. appellatur Papa, can. quilibet, 8. q. 5.

Rectrix. FR. Abbatiſſa. Bullar. Caſin. tom. 2. conſt. 22. 28.

Recutitus. Vide *Sabbatum recutitum*.

Reddo. FR. licet hoc verbum fere reſtituere ſignificet, uſurpatur tamen pro dare: [ Quid dicam de uſuris, quas etiam ipſæ leges, & judices reddi jubent? can. quid dicam, 14. qu. 4.] ubi Gloſſa ſic exponit: [Reddi, ideſt dari, quia verbum reddendi ponitur pro verbo dandi, ff. de verborum ſignificatione, l. verbum reddendi.] Ac licet verum ſit, quod reddo pro do uſurpetur, canon vero citatus *reddi*, ideſt, reſtitui uſuras male acceptas leges, & Judices jubere intelligit. Item ſignificat confiteri. Unde D. Ambroſius de Davide pœnitente inquit: [ Ille Rex tantus, ac potens, ne exiguo quidem momento manere penes ſe delicti paſſus eſt conſcientiam: ſed præmatura confeſſione, atque immenſo dolore reddidit peccatum ſuum Domino. De Apolog. David apolog. 1. c. 1.

Redequito, equitando retro eo, redeo, & ab incepto itinere deſiſto. [ Hæc ille non gratanter accipiens ad Comitem redequitat. Fulb. Carnoten. ep. 21.

Redihabeo, ſeu *Redibitionem facere*. FR. exigere, l. audivimus. Ne liberi homines comprimantur.

Redihabitio. FR. exactio, exigentia, d. l. audivimus, eod. tit. & Bull. Caſin. to. 2. Con. 40. 41. 178.

Redhibeo, reſtituo. [ Tunc Sanctus Remigius in oratione, qua Deo ſemper ſancta intentione vacabat, corporea ſe dejectione proſtravit, ſtatimque priſtinum cœco lumen redhibens, immundi quoque peſtem ſpiritus effugavit. Flodoard. lib. 1. Hiſtor. Rhemen. c. 12.] Et in eodem ſenſu Greg. Turon. lib. 9. c. 34. [ Cum ſæpe matri calumnias inferret, diceretque ſe eſſe dominam, genetricemque ſuam ſervitio redhiberi.

* Redimiculum. Peculiaris habitus Monachorum. Caſſianus. Lib. 1.

Redinvestio. FR. inveſtituræ, qua quis ſpoliatus fuerat, redditio, can. oportet, 3. q. 1.

Redditio. FR. ideſt, Mors, qua corpus ad priſtinam terræ materiam redit: [Si expeditos, ſi celeres in hoc operis agone currentes, dies nos vel redditionis, vel perſecutionis invenerit. Sanctus Cyprianus, lib. de opere, & eleem.

Refectorium, locus, ubi Religioſi corporalem refectionem ſumere ſolent. [ Temerario Conatu Rex refectorium ingreſſus fuerat. Gregor. Turon. in ſuppl. cap. 36.] Vide *Panetaria*.

Refectorarius, cui refectorii cura incumbit. [ Quem cum Refectorarius introducere vellet, pauperibus excluſis, commotus ille clamavit. Cæſar. lib. 6. miracular. c. 5.

Refectus. Vide *Refertus*.

Referendarius, Prælaturæ munus in Rom. Curia, ad quem lites, & cauſas in Signatura Juſtitiæ, & Gratiæ coram Sanctiſſimo referre ſpectat, & ideo utriuſque Signaturæ Referendarii hujuſmodi Prælati appellantur, qui ab Alexandro VI. inſtituti, ac multis privilegiis muniti ſunt; inter quos duodecim antiquiores *Votantes* appellantur, quia ipſi ſoli in Signatura dant vota, & in paritate votorum Cardinalis Præfectus Juſtitiæ Signaturæ dare poteſt ſuum votum; præter enim hunc caſum nunquam dat ipſe votum. In Signatura autem Gratiæ, quæ, ut dictum eſt, ſemper coram Papa habetur, ibi nullus habet votum, quia gratiæ ſolius Principis ſunt; licet aliquando opinionum Cardinalium intervenientium, vel Referendariorum audire poſcat. In Eccleſia vero Conſtantinopolitana Referendarii dignitas illi conferebatur, cui ſecretas Patriarchæ commiſſiones deferre incumbebat: ſic etiam Principum ſæcularium Referendarii: [ Requiſituſque Otho, qui tunc Referendarius fuerat, cujus ibi ſubſcriptio mediata tenebatur, adfuit, negat ſe ſubſcripſiſſe. Greg. Turon. lib. 10. c. 19.] FR. etiam Longobardorum Reges ſuos habebant Referendarios. [ Deſiderius Rex Referendarium, & Stabilem Ducem Oratores miſit. Blond. decad. 2. l. 1.]: || : Et in ſignum conceſſionis hujus officii inter alias Principis cæremonias, hæc legitur; [ Nec multo poſt, anulo ex manu Regis accepto, Referendarii officium adeptus eſt. In Vita S. Boniti Epiſcopi.] Referendarii

utriuſque Signaturæ ſunt Acolyti. Vide *Subdiaconus*.

Refertus, FR. differt a *Refecto*, quia refectio eſt proprie corporis, ſed refertio eſt proprie mentis. Gloſſa in Extrav. comm. de pœnit. & remiſs. cap. 1.

Refutatio. FR. ideſt renunciatio, & ceſſio. Bullar. Caſin. tom. 2. Conſt. 21.

Refuto. FR. pro renuntio. [ Monaſterium &c. Domino ſuo Sylveſtro Papæ refutavit. Bullar. Caſin. tom. 2. Conſt. 72.

Regendarius. Vide *Regeſtum*.

Regenerandus. FR. qui proxime baptizandus eſt, qui etiam Competens dicebatur, ut ſuo loco dictum fuit, ad differentiam Catechumenorum igitur Regenerandus, ſive Competens, antequam baptiſmate regeneraretur, ſymbolum fidei recitare tenebatur: quare Librariorum incuria in Epiſtola S. Leonis Papæ ad Flavianum Patriarcham contra Eutychetis errores ſcripta, corrigenda eſt dictio *Regeneratorum*, quæ ex vetuſtis M. SS. a Chifletio ſic reſtituta fuit, nempe: [ Ne ipſius quidem ſymboli initia comprehendit; & quod per totum mundum omnium Regenerandorum voce depromitur, iſtius adhuc ſenis corde non capitur.

Regestum, vulgo Regiſtrum, in quo publicæ ſcripturæ regiſtrantur; [ Hæc Epiſcopus negare non potuit: ſcripta enim iſta in Regeſto Chiliperici Regis in uno ſcriniorum pariter ſunt reperta. Greg. Turon. lib. 10. cap. 19. ] Ac alibi idem. [ Pueri vero, qui miſſi a Rege fuerant ad requirendas res ejus, tanta in theſauris illius reperiunt, quanta nec in ipſo ærarii regeſto poterant inveniri. ] Quod vocabulum a Normannica dictione *Giſter* derivatur, quæ in lectum ponere ſignificat, & ideo melius *Regiſtrum* dicitur: Sicut ergo in lecto quieſcitur, ſic etiam in Regiſtri libris monumenta publica aliquo modo quieſcere, ac dormire dicuntur, donec tempore opportuno excitentur, itaque nil aliud ſignificare Regiſtrum videtur, quam repoſitorium, in quo ordinatim publica inſtrumenta conduntur. FR. Poſſet quidem etiam etymon hujus vocabuli a verbo *Regero* trahi, quod reporto, & tranſcribo ſignificat: nam ibi reportantur, & tranſcribuntur authenticæ ſcripturæ: quare non indocte a ſupino verbi Regero, *Regeſtum* melius ſcribi videtur. Cuſtos autem Regiſtri *Regendarius* dicebatur, & in Cod. Theodoſ. l. præcipimus, §. ult. C. de appellat. *Libellenſis*, & alibi *Subſcribendarius* appellatur.

Regia, hæc vox abſolute pronunciata principalem portam non raro ſignificat. [ Regia autem Monaſterii nunquam aperiebatur. In vita Sanctæ Mariæ Ægypt. c. 5. ] In eodem quoque ſenſu intelligenda ſunt verba Greg. Turon. lib. 4. c. 13. ubi inquit: [ Dum deambulabant per Eccleſiam ad regia ædis ſacræ. ] Et clarius ex Anaſtaſio Biblioth. [ Qui miſſi fuerant de exercitu ad cuſtodiendas regias Baſilicæ clauſas obſervabant. In Conone Papa. ] Erraſſe ſiquidem fatendum eſt Bulengerum, qui hanc dictionem, aulam, ſive magnificum ædificium denotare putaverat, verba ejuſdem Bibliothecarii in Leone III. adducens, quæ inquiunt; [ Ingreſſu Baſilicæ ſupra regias majores fecit imagines ex argento. ] Quæ verba recte ſunt contra ſeipſum manifeſte, ut intelligenti patebit. FR. ſic pariter non minus erravit Gloſſa in can. unio, 10. quæſt. 3. ubi textus ita habet; [ Unio noſtræ Congregationis decrevit, atque inſtituit, ut tertias, quas antiqui canones de parochiis ſuis habere Epiſcopos cenſuerunt, ſi eas exig ndas crediderint, ab ipſis Epiſcopis dirutæ Eccleſiæ reparentur. Si vero eas maluerint cedere Eccleſiæ, ab earum cultoribus ſub cura, & ſolicitudine ſui Pontificis reparatio eiſdem eſt adhibenda Baſilicis. Quod ſi omnes Eccleſiæ, aut incolumes fuerint, aut, quæ dirutæ erant, reparatæ extiterint, ſecundum antiquorum canonum inſtituta, ſi tertias ſibi debitas unuſquiſque Epiſcopus aſſequi voluerit, facultas illi omnimoda erit, ita, videlicet, ut citra ipſus tertias, nullus Epiſcoporum quippiam pro regiis inquiſitionibus a parochianis Eccleſiis exigat &c. ] Ubi Gloſſator, §. Pro regiis, intelligit, [ Pro itinere ad Papam, vel ad Regem, non poſſunt Epiſcopi ultra ſtatutum petere, ut Extrav. de Cenſib. c. cum Apoſtolus, & 16. q. 1. can. generaliter, §. placet; in hoc vero can. generaliter, non invenitur hic §. placet: fortaſſe dicere voluit, can. placet, qui mediate ſequitur, & in quo nil de Epiſcopis, & ejus itineribus, ſed de immunitate Urbium Eccleſiarum loquitur: ſic etiam in d. can. generaliter, nihil de Epiſcopis; ejuſque itineribus agitur, ſed de tutelis Clericorum, & Monachorum, ac de reſidentia, & ſervitio in Eccleſiis, ubi illi ſunt addicti; bene tamen circa finem habentur hæc verba: [Et hoc non ſolum in veteri Roma, vel in hac regia Civitate &c. ] quæ regia Civitas Conſtantinopolitana, ubi Leo Auguſtus, qui hæc ſcripſerat, imperabat, intelligitur, & dicebatur *Nova Roma* ad diſtinctionem Veteris Romæ, ut etiam in d. *Roma*, & in dict. *Urbs Regia* dicemus. Sed vocabulum *Regia* abſolute pronuntiatum diverſum ſenſum habet, ut diximus ſupra. Item in c. cum Apoſtolus in Extrav. non habetur, bene quidem: [ Vas electionis Paulus Apoſtolus, cap. unico in extrav. de Cenſibus, ] in quo nihil ad propoſitum ſubjectæ materiæ agit. Itaque redeundo ad ſenſum verborum Canonis Unio, ibi loquitur de Baſilicarum reputatione, & non de itinere ad Papam, vel Regem, ut Gloſſalor ſomniaverat; ergo potius intelligenda eſt per *Regiam inquiſitionem* eleemoſyna, quæ in porta majoris Eccleſiæ poſtulabatur, ubi ſolet poni aliqua arcella ad colligendas oblationis eleemoſynas, & italice *Cerca*, ideſt, inquiſitionem latine proprie ſonat, ut in dictione *Cercita* dictum eſt; itaque *Regia inquiſitio*, nil aliud eſt, quam eleemoſyna inquiſita in valvis Eccleſiæ, de qua ſupra dicitur non ſpectare jure tertiæ ad Epiſcopum.

Regifugium. Vide *Fugalia*.

Regina Coeli, hæc antiphona compoſita fuit ab Angelis, quando Romæ pro peſtis ceſſatione fuit facta a D. Gregor. ſolemnis proceſſio, qui Pontifex in fine hujus Angelici cantus ſubjunxit *Ora pro nobis Deum*, ut dictum eſt in dict. *Litania*.

Regionalis, ſive *Regionarius*, FR. erant Romæ diverſa officia cum hoc addito. Vide *Banderaſius*. *Diaconus*. *Defenſor*. *Protonotarius*. *Subdiaconus*, quod vocabulum reperitur antiquum a quinto ſæculo. [Sed priuſquam Pontifex (*ideſt Sylverius Papa*) reſpondere poſſet, acceſſerunt ſatellites, qui pallio detracto, cucullam illum monaſticam induerunt; tunc egreſſi ad Sacerdotes, Clerumque Joannes Subdiaconus regionarius primæ regionis, & alii factionis ſuæ Clerici, Vigilium proclamarunt in Romanum Pontificem ſubrogatum. Blond. decad. 1, lib. 5. ] Reperitur etiam dictio *Corregionalis*: [ Ut potius ſuis corregionalib. utiles eſſent, can. legi, 16.qu.1. ] Vide *Corregionalis*.

Regionarius. Vide *Regionalis*.

Registoria, Monialis depoſitaria, apud quam deponitur Monialium peculium, ne ſint proprietariæ. [. Quod habueritis, reponite, & claves de arcellis, vel preſſoriolis veſtris Regiſtoria teneat. In Regula Sanctæ Cæſariæ Virginis, cap. 16.

Regnicula. FR. Regni incola, & habitator. Extrav. comm. de privil. c. 2.

Regratarius. Vide *Popolarius*.

Regnifico, Regem conſtituo: [ Regnificarunt eum in Iſrael. Lucifer. Caralitan. de Regibus Apoſtatis.

Regula. FR. ita dicitur: [ Eo quod recte ducit, nec aliquem alioſum trahit. Alii vero dixerunt regulam dictam, vel quia regat, vel quia normam recte, & bene vivendi præbeat, vel quia diſtortum, pravumque corrigit, can. regula diſt. 3. ] Aliis tamen placet a rectitudine ita dici, juxta Mathematicorum axioma; Rectum eſt menſura ſui, & obliqui. Synon. Vide *Canon*. Item. *Regula* aliquando pro Religione uſurpatur: [ Dono in dicta Regula veſtra S. Mariæ &c. Bullar. Caſinen. tom. 2. Conſtit. 73.

Regularis, Religioſus. Item metallicam virgam ſignificat, in qua anuli imponuntur, ut velum agiliter percurrere poſſit, italice *Ferro da portiera* dicitur. [ Columnas argenteas ſex, & regulares duos ex argenteo puriſſimo: Anaſt. Biblioth. in Adrian. Papa.] Ac idem ibidem: [ Et ſuper columnas argenteas regularem inveſtitum argenteo. ] Item clarius ibidem: [ Vela pendentia in regulari ante imagines. In primo ſenſu. Vide *Religioſus*.

Regularius, hæc dictio aliquando ſignificat elective, aliquando vero negative. Vide *Te Deum laudamus*.

Regulus. FR. Serpentis ſpecies. [ Sicut regulus venena diffundet. Proverb. cap. 23. num. 31. Et delectabitur infans ab ubere ſuper foramine aſpidis, & in caverna reguli. Iſaias, cap. 11. n. 8. De radice enim colubri egredietur regulus. Idem c. 14. num. 29. Vipera, & regulus volant. Idem cap. 30. num. 6. Erumpet in regulum. Idem c. 59. n. 5. Mittam vobis ſerpentes regulos. Jerem. cap. 8. 17. ] Eſt idem, ac Baſiliſcus; nam græce *Baſiliſcus* regulum latine ſignificat. Dicitur regulus, qui a natura in capite coronatus gignitur, qui a Plinio ita deſcribitur: [ Cyrenaica hunc generat provincia, XII. non amplius digitorum magnitudine, candida in capite macula, ut quodam diademate inſignem. Sibilo omnes fugat ſerpentes: nec flexu multiplici, ut reliquæ, corpus, ſed celſus, & erectus in medio (*a medio, alia lectio*) incedens. Necat frutices, non contactos modo, verum & afflatos: exurit herbas, rumpit ſaxa, &c. lib. 8. cap. 21. ] & Dioſcor. lib. 6. cap. 55. [ Sunt qui ſcribunt tantæ perniciei animal eſſe baſiliſcum, quem Latini regulum vocant, ut ſolo oculorum intuitu, alii ſibilo tantum, alii halitu, alii morſu, ſtatim interimat.

Regundus. FR. conſervandus in priſtino ſtatu, ſeu erectione. [ Ad quod ſcire debes, quod judicium finium regundorum tale eſt, ut in eo utraque perſona vices duorum habeat, videlicet, actoris, & rei lib. 2. Decretal. de probationibus, c. 3. ] Ubi Gloſſa ait: [ Licet prædia propria non ſunt clericorum; agere tamen poſſunt finium regundorum, cum habent jus in illis, ſcilicet, uſumfructum, ff. finium regundorum, l. 3. §. finium.

Regyratus, innixus ſuper cubitum. [ Quam, ſicut mihi retulit beatæ memoriæ Domina Eliſabeth ejuſdem Cœnobii Abbatiſſa, ſorores in lecto ſuo ponentes, & principium Evangelii Sancti Joannis ſuper eam legentes, mane regyratam invenerunt. Cæſar. lib. 4. c. 44. ] Hoc vocabulum a græca voce γυρὸς componitur, quæ curvum ſignificat; nam qui ſuper cubitum ejus innititur incurvari cogitur. Vide *Apodiatus*.

Rejaceo, depoſitor. [Penſiones vero fideliter cum omni colligite diligentia, ut apud unumquemque veſtrum, quem elegeritis, rejaceant. D. Greg. in Regiſt. lib. 12. epiſt. 13.

Reicula. Vide *Reſcula*.

Relativus. Vide *Scheticus*.

Relevium. FR. recognitio quædam, quæ Principi a novo feudatario debebatur: ita appellata, quia Hæres in feudo loco defuncti ſubintrans, feudum a caducitate revelabat. [ Si hæres ſuus plenæ ætatis fuerit, & relevium debeat. Matth. Pariſ. an. 1215.

Relicta. FR. intelligitur Vidua. [ Prænominato vero Milite viam univerſæ carnis ingreſſo, relicta ejus venire contra hoc præſumpſit, lib.3. decretal. tit. 17. de empt. & vendit. c. 4.

Relictio, deſertio. [ Quæ in hoc ſæculo habentur bonorum relictio. S. Paulin. epiſt. 2. ad Sever. ] FR. quo vocabulo uſus eſt etiam Cicero ad Atticum, lib. 1. c. 4. & in Verrem. 3. inquiens: [ Quibuſdam relictionem, proditionemque conſulis ſui gratam ſperat fore.

Religio, Vide *Euſebia*.

Religiosus. FR. ideſt, pius. [ Primum, quod contra Patrum regulas a Laicis, quamvis Religioſis, ( quibus nulla de Eccleſiaſticis facultatibus aliquid diſponendi legi-

legitur unquam attributa facultas ) facta videtur, can. bene quidem, diſt. 96. can. Laicis quamvis religioſi, 16. qu. 7. Quicquid igitur nomine Eccleſiarum, partes Donati poſſidebant, Chriſtiani Imperatores legibus Religioſis cum ipſis Eccleſiis ad catholicam Eccleſiæ transferri juſſerunt unitatem, can. quod autem, 24. quæſt. 8. ] Idem etiam habetur in Sacra Scriptura: [ Benedicite omnes religioſi Domino Deo Deorum, laudate, & confitemini ei, quia in omnia ſæcula miſericordia ejus. Daniel, c. 3. n. 90. Viri religioſi ex omni natione. Actor. c. 2. n. 5. Religioſus, ac timens Deum. Ibid. c. 10. n. 2. Judæi autem concitaveru ntmulieres religioſas, & honeſtas. Ibid. c. 13. n. 50. Si quis autem putat ſe religioſum eſſe &c. Jacobi, c. 1. n. 16. Et religioſe de reſurrectione cogitans. 2. Machab. c. 12. n. 43. ] Item dicitur *Religioſitas*, ideſt, religio, & pietas: ] Timor Domini ſcientiæ religioſitas. Religioſitas cuſtodiret, & juſtificabit cor, jucunditatem, atque gaudium dabit. Eccleſiaſt. c. 1. n. 17. & 18.] De Religioſis autem, nempe, Regularibus cum tribus eſſentialibus votis aſtrictis, eorum ſynonyma. Vide *Anachoreta*. *Colideus*. *Frater*. *Monachus*. *Therapeuta*. Eorum habitus, ac veſtes. Vide *Chryſoclavus*. *Cocula*. *Colobium*. *Cuculla*. *Ependites*. *Flocus*. *Guna*. *Lebitonarium*. *Maphorium*. *Patientia*. *Rebrachiatoria*. *Scapulare*. *Tilia*. *Trogulus*. Veſtis Monachis prohibita. Vide *Rotundulum*. Religioſæ vitæ præſtantia. Vide in dict. *Farſura*, ex ſententia Petri Bleſenſis ibi. Religioſi turpis lucti ſectantes. Vide *Calix*. Religioſorum obligationes in commemorationibus Officii divini. Vide *Commemoratio*. Religioſi tenentur recitare officium localis Patroni, ubi degunt, non vero octavam. Vide *Officium divinum*. Item [ Regularibus perſonis non conſuevit apoſtolica ſedes aliqua perſonaliter confirmare, de confirmat. util. vel inutil. in decretal. c. 5. & 6. atque Gloſſa in d. c. 5.

Reliquatio, reſiduum. [ Ajunt & immatura morte præventos eousque vagari iſthinc, donec reliquatio compleatur ætatis, qua cum perveniſſent, ſi non intempeſtive obiiſſent. Tertull. de anim. c. 56. ] Idemque vocabulum penes Juriſtas computi reſiduum ſignificat.

Reliquiæ. Hoc vocabulum proprie ſignificat id, quod remanet, detracta majori parte; hinc quia principalior, ac nobilior hominis pars anima exiſtit, ideo corpus humanum reliquia dicitur, quia humi remanet, & relinquitur, ſeu ejus pars. Ambroſ. in Pſalm. 36. Propterea hoc vocabulo utitur Eccleſia ad denotandum omne id, quod veneratione dignum ob memoriam alicujus Sancti remanet in terris, atque antiquus uſus ſemper fuit ponendi ſub Altari Sanctorum Martirum reliquias, ut ex ordinatione Felicis Papæ, epiſt. 2. ad Epiſc. Galliæ conſtat, quod etiam ante ipſum in Concil. Romano ſub Sancto Sylveſtro Papa ſancitum fuerat, hinc D. Paulinus cecinit:

Ecce ſub accenſis altaribus oſſa piorum
Regia purpureo marmore cruſta tegit.

Hujuſmodi autem reliquiæ ad præſens ſub altariolis ponuntur, quæ Martyrum tantum, & ab Ordinario approbatæ eſſe debent. Sac. Concil. Trid. Congreg. 13. Septemb. 1593. Si vero ex apoſtolica Sedis diſpenſatione celebrare contigerit ſuper altariolum hujuſmodi reliquiis carente; tunc omittantur verba illa in principio Miſſæ, nempe, [ Quorum reliquiæ hic ſunt. ] Hieron. Canton. in ordinat. divin. offic. Celebrari ſiquidem nequit extraordinarium Officium illorum Sanctorum, quorum reliquiæ conſervantur, ſi non ſint inſignes. Inſignis autem Reliquia eſſet Caput, Brachium, Crus, ſive aliqua pars, in qua Sanctus pro Chriſto tormenta paſſus ſit. Inſuper quando de eo Sancto recitandum ſit Officium; fieri tantum debet in ea Eccleſia, ubi ejus reliquia aſſervatur. S. R. C. 8. April. 1628. Non vero in aliis Eccleſiis, licet ſint ejuſdem Religionis, ac inſtituti, & huic Decreto contravenientes obligationi recitationis officii minime ſatis faciunt: ideo Urbanus VIII. hoc decretum in rubricis Breviarii apponere juſſit. Veneratio autem reliquiarium non in quarto ſæculo incœperat, ut falſo aſſerunt Magdeburgenſes; nam in principio naſcentis Eccleſiæ legimus in Actis Apoſtolorum, c. 8. 2. quod curaverunt corpus Stephani Protomartyris. Viri timorati, ideſt, curam, & venerationem illius Sacrati Corporis habuerunt, quemadmodum in ejus Epiſt. ad Juſtum Epiſc. Pius Papa Primus inſinuaverat, atque Sanctorum reliquiæ etiam in veteri Teſtamento venerabantur; Moyſes enim oſſa Patriarchæ Joſephi ex Ægypto in terram promiſſionis venerabunde tranſtulit, atque corpus Sancti Prophetæ Eliſei ſolo contactu mortuum reſuſcitaverat. FR. Inſuper in novo Teſtamento, ut Apoſt. Acta, c. 19. teſtantur, a corpore D. Pauli pro languidis, & obſeſſis ſudaria, & ſemicinctia deferebantur: [ Et ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur: ] Et Eunapius Sardianus, quamvis Chriſtianorum inimicus, & innumerabiles blaſphemias in Sanctos Martyres protulerit; in Vita tamen Philonis Hebræi faſſus eſt, quod Alexandriæ conſervabantur capita Martyrum, quæ a fidelibus tamquam Sanctorum reliquiæ venerabantur, ac ante eorum ſepulcra Chriſtiani genuflectebantur, & proſtrabantur, affirmando eſſe eos advocatos, & interceſſores apud Deum. :||: Reliquia dicitur etiam *Benedictio*. Vide *Benedictio beatica*. FR. Item dicitur *Pignus*, ſic Oddo Abb. Cluniac. lib. 3. de vita S. Geraldi Comitis Aureliacenſis, c. 3. [ Biennio priuſquam obiret, Eccleſiam fecit ſolemniter dedicari. In Altaribus vero tanta pignora Sanctorum inſita ſunt, ut ſcientibus mirum eſt. ] Utrum Reliquiæ de eſſentia requirantur in Altare portatili. Vide *Altare*, §. Præterea quæritur, utrum Reliquiæ. Sacris reliquiis Eccleſiarum portæ conſecrabantur. Baron. in not. ad Martyrol. 18. Novemb. Lit. *o*. At aliquando Reliquia Euchariſtiam ſignificat, quæ poſt Miſſam relinquitur, & conſervatur:

tur: quare Scriptores non pauci in hoc æquivocaru nt vim nominis haud intelligentes, quo utitur D. Clemens Papa in epiſt. 2. & in Conſtitutionib. Apoſtolicis, lib. 8. c. 13. & 31. Et in Euchologio græco Euchariſtia ἅγια λείψανα, dicitur, hoc eſt, ſanctæ Reliquiæ, & a S. Germano Euchariſtia θεῖα λείψανα, hoc eſt divinæ Reliquiæ appellantur. Synonyma autem Sanctarum Reliquiarum, & alia. Vide *Benedictio beatica*. *Brandeum*. *Gleba*. *Lipſana*. *Sanctuarium*.

Reliquiarium Vide *Canola*. *Cinerarium*. *Cœmeterium*. *Concilium*. *Confeſſio*. *Encolpium*. *Hierotheca*. *Locellus*. *Loculum*. *Naufus*. *Phylacteria*. Staupulus in dict. *Staupus*. *Theca*. *Tubellus*.

Remallo. Vide *Admallo*.

Remando, remitto: [ Manda, & remanda, Iſa. c. 28. 10. Tractatum autem B. Hilarii ſuper pſalmos ideo non miſi, quia eandem in noſtro Codice, quam & in veſtro corruptionem inveni. quod ſi & talem vultis, remandate, & mittam. Petr. Cluniac. lib. 1. epiſt. 24.

Remedior, liberor. [ Et quanti honeſtiſſimi viri (de vulgaribus enim non dicimus) aut a Dæmoniis, aut valetudinibus remediati ſunt? Tertull. de Scap. c. 4. ] & in ſignificatione activa idem dixit: ] Ad remediandum eos, adverſ. Marcion. lib. 2.

Remediator, liberator. Item Medicus, qui remedia contra corporis mala ordinat. Item Incantator, qui ſuperſtitioſis conditionibus ſanitatem affert. Item Aſtrologus, & Mathematicus, qui mala, & pericula prævidens, remedium præſervativum cauſat.

Rememoratorius, Cæremoniarum Magiſter in Eccleſia Conſtantinopolitana, de quo Concilium Lugdunenſe, in epiſt. ad Gregorium X. Vide *Suggeſtor*.

Remendator, rerum ſciſſarum, ac dilaceratarum concinnator, & adaptator. [ Eodem die etiam D. Nera uxor Tucci remendatoris. In vita B. Ambr. Senen. 20. Mart.

Remissa, remiſſo. [ Adde, quod ejus caro de Spiritu Sancto concepta, inter alios non potuit in remiſſam peccatorum tingi, quæ nullum videbatur admiſiſſe peccatum. Optat. Milevit. lib. 1. adverſ. Parmenian. Omnia peccata remittuntur filiis hominum, & blaſphemia; qui autem blaſphemavit in Spiritum Sanctum, non habet remiſſam, ſed reus eſt æterni ſupplicii. Cyprian. lib. 5. epiſt. 14. ] FR. idem vocabulum in eadem ſignificatione reperitur apud Tertullianum.

Remora. FR. piſcis ſpecies. Vide *Echeneis*.

Reneez. FR. Apoſtata, italice *Rinegato*. Cepit in equitatione illa viginti quatuor Paganos, & unum Reneez, qui quondam Chriſtianus fuerat, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negaverat. Hoveden. in Ricard. I. an. 1192.

Renovello, renovo. [ Cum hæc fierent, Donatus ultro prior ad Carthaginem rediit: hoc audito Cæcilianus ad ſuam plebem properavit. Hoc modo iterum renovellatæ ſunt partes. Optat. Milevit. adverſ. Parmenian.

Renvitæ. Vide *Sarabaita*.

Renunciatio, fama, publicatio, denunciatio. [ Renunciatio ejus dabit legem noſtræ reſurrectioni. Tertull. de car. Chriſti.

Renunciatus, publicatus; ſic enim dicebatur *Papa renunciatus*; nam prius calculatis votis, deinde renunciatus erat, ideſt, publicatus.

Repatrio, in patriam redeo. [ Pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus proſequimur amicum repatriantem. Sanctus Bernardus in vita S. Malachiæ.

Repauso. FR. verbum, requieſco, Italice *Ripoſare*. [ Repauſa ergo tuam mentem, ne vadas vaniando. In vita S. Franciſcæ Romanæ, 9. Mart. apud Surium.

Rependium, compenſatio, remuneratio, retributio: a verbo *rependo*. [ Eo anno Rex Fridericus in rependium collati ſibi cœleſtis beneficii. Chron. M. S. Riccardi.

Replegio. FR. denuo fidejuſſionem, & vadimonium præſto, unde *replegiatio* etiam dicitur. Vide *Plegiaria*. *Revadio*.

Repudium. Vide *Divortium*. *Cheth*.

Reprobrosus. FR. probroſus, extrav. Jo. XXII. de pœnis.

Resa, vox Theutonica *Reyſe*, ideſt, iter. [ Quo facto, equum aſcendit eadem hora, & reſam ſuam ſine omni difficultate perfecit. In vita S. Cather. Svecæ, 24. Mart.

Rescula. FR. diminutivum ex *Res*, *rei*, ideſt, res parvi momenti. [ Cur non bona fide datis a Deo reſculis utimur? Salvian. lib. 1. ad Eccl. Cath. ] Et in capitulario, c. 7. *Reicula* dicitur: [ Qui reiculam Eccleſiæ petunt a Regibus.

Residentia. Vide *Perſonatus*.

Residuum. Vide *Reliquatio*.

Respondeo. FR. pro *interrogo* ſeu *peto*. [ Et reſpondi, & ajo ad Angelum, qui loquebatur in me, & dixi: quid ſunt hæc Domine mi? ] & inferius: [ Et reſpondi ſecundo, & dixi ad eum: quid ſunt duæ ſpicæ olivarum &c. Zachar. 4. reſpondit autem Petrus, & dixit ad Jeſum; Domine bonum eſt nos hic eſſe &c. ] ubi dictio *reſpondit* ſtat pro poſtulavit; nulla enim interrogatione prævia locutus eſt Petrus. Item pro incuſo, & reprehendo: [ Agnitio vultus eorum reſpondit eis, & peccatum ſuum, quaſi Sodoma, prædicaverunt, nec abſconderunt. Iſai. 4. 9. ] & alibi idem: [ Multiplicatæ ſunt enim iniquitates noſtræ coram te, & peccata noſtra reſponderunt nobis, quia ſcelera noſtra nobiſcum, & iniquitates noſtras cognovimus, 59. 12. Si iniquitates noſtræ reſponderint nobis: Domine fac propter nomen tuum, quoniam multæ ſunt averſiones noſtræ, tibi peccavimus. Jerem. 14. 7. ] incuſant enim, remordent, ac reprehendunt nos propria peccata, & ſunt contra nos ſemper.

Responsalis. Vide *Apocriſarius*. *Delegatus*. FR. ſignificat item agentem, & procuratorem. [ Nec pro ſe miſit idoneum reſponſalem, de election. & elect. c. 22. Quapropter, quia dictus Electus nec venerat, nec ſufficientem miſerat reſponſalem, de dolo, & contumacia, c. 6. Si vero nec venerit, nec reſponſalem miſerit, ei perpetuum ſilentium imponatis, de fide inſtru-

ſtrumentor. c. 4. Dictus Thomas nec per ſe, nec per reſponſalem idoneum comparere curaret, de ſenten. & re judicata, c. 18. Quia tandem nullus apparuit reſponſalis, qui partem deſenſaret adverſam, lib. 5. decretal. tit. 33. c. 13. & 14.

* Responsales. Delegati quidam extranearum Eccleſiarum, & Epiſcoporum nomine in civitate imperatoria regentes quorum id erat numeris, ut tamquam procuratores omnes cauſſas Eccleſiaſticas ad eos, a quibus mandatum acceperant, attinentes, in aula imperatoris agerent. Græco vero nomine dicebantur *ἀποκρισιάριοι*. Concil. 5. Generale act. 1.

Resposoriale, erat liber, in quo, ut Amalarius ſcribit, continebantur reſponſoria ab Adriano Papa ſancita. FR. poteſt etiam Reſponſale ſignificare inſtrumentum, & chartam procurationis, ac commiſſionis, & uſque ad præſens in nauticis mercimoniis dicitur reſponſale authenti cum illud, in quo commiſſæ merces continentur.

Responsorium, eccleſiaſticus cantus, qui poſt lectiones in Matutino proferri ſolet. Item appellatur Reſponſorium longum, ad differentiam Reſponſorii brevis, quod canitur poſt capitulum appellatum Reſponſorium breve. [ Reſponſoria ab Italis longo ante tempore ſunt reperta, & vocata hoc nomine, quod uno canente, chorus conſonando reſpondeat. Iſidor. l. 1. de Eccl. off. c. 8. ] Vel ut ait Rabanus, lib. 1. de inſtit. Cler. c. 33. [ Reſponſorius ergo cantus inde dicitur, quod alio deſinente, id alter reſpondeat. Inter reſponſoria quoque, & antiphonas hoc differt, quod in reſponſoriis unus dicat verſum, in antiphonis autem alternent verſibus chori. Antiphonas Græci, Reſponſoria vero Itali traduntur primum inveniſſe. ] Vel ut Geminianus, lib. 2. c. 17. exiſtimavit: [ Reſponſorium a reſpondendo dicitur, quia Choro canente verſus ab uno reſpondetur, & huic iterum a Choro per increpationem reſpondetur. Hunc cantum in primis Ambroſius Mediolanenſis Eccleſiæ Epiſcopus compoſuit, & ab eo tota Eccleſia formam accepit. ] Vel tandem, ut Rupertus, lib. 1. de off. c. 15. putat, ita appellatur Reſponſorium, quia materiis lectionum currentium correſpondere ſolet; & ideo a Micrologo, & Radulpho Hiſtoria appellatur, ut in dict. *Hiſtoria* diximus. Canitur autem Reſponſorium poſt lectionem, quia Eccleſia nos docet, ut non ſolum auditores verbi Dei, ſed factores etiam ſimus, ita Amalar. de ord. Antiph. cap. 4. ſeu per hoc Auditorum applauſus denotatur. Hugo in ſpec. c. 7. Item inſervit etiam pro animi relaxatione, dum ſacris lectionibus intermediatur cantus. Amalar. lib. 4. c. 3. Repetunt autem omnes reſponſorium, ad denotandum mutuum affectum, unanimemque conſenſum; ſed talis repetitio imperfecta, & mutilata eſt, dum partem reſponſorii tantum repetit Chorus, ut denotetur mortalium acta imperfecta exiſtere, Durand. lib. 5. cap. 2. In aliquibus tamen ſolemnitatibus integre replicatur, ut poſt primam lectionem in Nativitatis nocte, in Reſurrectionis Paſcha, & in prima Dominicis Adventus, quod fit, ut ibidem Durandus aſtruit, ad conteſtandam perfectam, completamque Sanctorum cognitionem. Ultimum reſponſorium Dominicarum per annum, quod incipit *Duo Seraphim*, de Sanctiſſima Triade agit; nam antiquitus ſemper ultima lectio erat de hac in uno Deo trina perſonalitate, nec illis temporibus dicebatur *Te Deum*. Ita Durandus ibidem. Ac introducto hymno *Te Deum*, translatum inde fuit Reſponſorium prædictum in calce penultimæ lectionis. Quando autem Reſponſoria in officio pro prima vice ponuntur, ſi in Dominicis aliquo officio duplici impediantur, reaſſumi debent in feria prima, ad inſtar lectionum, quæ initia ſunt Sacræ Scripturę librorum. Si vero nulla feria vacans erit, tunc pro eo anno relinquuntur. Gavant. in Rubric. Brev. ſect. 5. c. 53. Unde Ordo officii erraverat, quando in Sabbato 31. Januar. anno 1665. poſuerat Reſponſoria feriæ quartæ, cum (juxta Rubricam de Reſponſoriis, c. 28. num. 7.) reaſſumi debuiſſent reſponſoria Dominicæ præcedentis. In fine lectionum pro comuni unius Martyris habetur hæc rubrica [In officio Sanctorum Martyrum Pontificum Marcelli, Joannis, Silverii, Martini, & Pontiani dicitur octavum reſponſorium: Domine prævenisti eum in benedictionibus &c. ] Nã licet pro Chriſti fide in carcere, vel exilio, & fame prædicti perierint, ut de Marcello Baron. ann. 309. n. 4. de Joanne I. Idem. ann. 526. n. 6. de Silverio. Idem ann. 539. & 540. de Martino. Idem ann. 654. n. 1. de Pontiano. Idemque ann. 237. n. 10. refert. Non enim verificatur in eis rigoroſe reſponſorium poſitum in prædicto loco, ubi dicitur: [ Hic eſt vere Martyr, qui pro Chriſti nomine ſanguinem ſuum fudit, ] quia licet præfati Pontifices pro Chriſto paſſi ſint, non tamen ſanguinem fuderunt, ideo &c.

Responsorium Hortationis. Vide *Invitatorium*.

Resultatio. FR. impugnatio, contradictio. [ Dum de divina æquitate diſputant, ad reſultationis verba proſiliunt. D. Greg. lib. 8. moral. c. 25.

Resulto. FR. impugno, contradico. [ Sed quia divinis judiciis non poterant reſultare. D. Greg. lib. 1. Regiſtr. epiſt. 20.

Resurectio mortuorum ex Ethnicorum ſententia. Vide *Recidivatus*.

Rete. Vide *Sagena*. *Tremaculum*. *Vertibulum*. Alam in dict. *Lama*.

Reto. FR. ideſt, per ſyncopem reputo, exiſtimo, judico [ Item ceu prius ille viſum retans mane, neglexit perficere juſſionem. Flodoard. lib. 1. c. 20.

Retracto. Significat denuo tractare, ac repetere id, quod antea dictum fuerat. [ Igitur in præſtructione hujus articuli, & alibi forſan retractandi, equidem definio. Tertull. adverſ. Hermog. c. 16. ] Itaque hoc verbum non ſignificat rejicere, revocare, ac reprobare; ſed replicare id, quod dictum, factumque fuerat.

Revadio, denuo vadimonium, ac fidejuſſionem præſto. [ Miſſo Eccleſ. S. Mariæ, vel S. Remigii Remorum, ſive Hincmari venerabilis Archiepiſcopi revadiet,

diet, & annis ſingulis ad eandem præfatam, & memoratam Eccleſiam perſolvere abſque ullius occaſionis contradictione cum omni vigilantia ſtudeat. Flodoard. lib. 3. c.4.] FR. Henricus vero Spelmanus videtur ſibi contradicere in ſignificatione hujus verbi; nam in uno loco docet, quod *Revadio*, & *Replegio* idem ſignificent, & alibi deinde ait, quod *Revadio* relaxare denotet. Vide *Replegio*.

Revelatio. Vide *Oſtentamen*. *Phaneroſis*.

Revelare Aurem. FR. ideſt, ſecrete ad aurem loqui. [ Si autem perſeveraverit patris mei malitia adverſus te, revelabo aurem tuam, 1. Reg. c. 20.

Revenditor. Vide *Propolarius*. *Regratarius*. Scrutarius in diſt. *Scrutum*.

Reverendæ, ſic in Concil. Tridentino dimiſſoriales literæ nuncupantur.

Reverſatus, detectus. [ Dignum eſt enarrare ſpecialem poſt tempora paſſionis hiſtoriam reverſatæ, & inventæ Crucis. D. Paulin. epiſt. 11. ad Sever.

Reus. Vide *Subverbuſtus*.

Rhabdomantia, ῥαβδομαντεία, divinatio per virgam: Nam ῥάβδος virgam ſignificat, μαντεία divinationem. Arte enim diabolica aliquas virgas ſtare faciebant, ac poſtmodum obſervando ex qua parte cadebant, ſic divinare nitebantur; de qua ſuperſtitione loquitur Oſee Propheta, c.4. [ Populus meus in ligno ſuo interrogavit, & baculus ejus annunciavit ei.] FR. *Rhapſodomantiam* a ῥαψῳδία, ideſt, carminum combinatione derivari exiſtimo: ideo enim incantatio dicitur, quia in carminum virtute eam conſiſtere aſſerunt.

Rhagas, ῥαγάς, Sciſſura, ſeu fractio, a græco verbo ῥήσσω, & ῥήγνυμι, ideſt, frango, quo vocabulo uſus eſt D. Auguſtinus ad ſignificanda ulcera ejus hæmorrhoidum, inquiens: [ Nec ambulare, nec ſtare, nec ſedere poſſum rhagadis, vel exochadis dolore, ac tumore, epiſt. 148. ad Fratres.] In quodam M. S. Angeli Roccæ Sac. Palatii Apoſt. quondam Sacriſtiæ in Bibliotheca S. Auguſtini de Urbe a ſe erecta, ac de ſuo nomine Angelica appellata, aſſervato, ex cujus lecturæ multa tam ſacræ, quam profanæ eruditionis excerpſi, & inter alia, quod Clemens Papa VIII. ſemel de hujus ſignificationis vocabulo cum ſuum Medicum interrogaſſet, ille linguæ græcæ ignarus reſponderat neſcire. Vide *Exoche*.

Rhamnus, ſpinæ duriſſimæ, ac ingentis ſpecies, quæ græce etiam ῥαμνός dicitur, de qua Pſalmiſta: [ Priuſquam intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum; Pſalm. 57.] de malo habitu intelligens, qui ut duriſſima ſpina in ſenili ætate efficitur; de juvenibus enim morte præventis loquitur, in quibus hujuſmodi cuſpis vitioſa adhuc tenera reperitur, ac mortui ſunt priuſquam duriſſimas rhamni ſpinas intelligerent, ideſt, ſentirent. Aliqui contemplative exiſtimarunt Chriſtum Dominum his ſpinis coronatum in paſſione fuiſſe, cum hujuſmodi ſpinæ ſint præ aliis duriores, & in configendo acutiores, quarum naturam deſcribit D. Auguſtinus in eodem Pſalm. 57. inquiens [ Quid eſt rhamnus? Spinarum genus eſt, denſiſſimæ quædam ſpinæ eſſe dicuntur.] Et D. Hieronymus ait: [ Rhamnus plena ſentibus, & hericio ſimilis. In Habac. 3.] Ac ſuaviſſimi odoris florem producere idem Sanctus Doctor his verbis teſtatur: [ Rhamnus ſentium genus eſt aſperrimum aculeis, & flore gratiſſimum, unde colligitur duplam habere virtutem, ultionis, & bonorum retributionis, ideſt, juſtis floret ad ornatum, peccatoribus præbet ſpinas ad configendum, in pſalm. 57.] His namque peccatorum ſpinis, ut pie credendum eſt, Chriſtus etiam coronari voluit. Vide *Thamnus*.

Rheda. Vide *Epirhedium*.

Rhenus, Flumen. FR. quare bicornis appellatus, adi Baronium in Notis ad Martyrol. 21. Octob. lit. *b.* ex Virg. Æneid. 8. in fin.

Rhetor. Vide *Caupona*.

Rhetorica Fibula. Vide *Fibula rhetorica*.

Rheuma, ῥεῦμα, fluxus, unde fluxus, & refluxus maris in mamertino fretu adhuc *Rheuma*, & corrupte *Rhema* dicitur. [ Nec profundum maris, & pontici æſtus adſorbentes rheumam trepidaſſem. S. Hilar. contra Conſt.] uſurpatur etiam pro catarrhico humorum fluxu in corpore, [ Ex eo quod erat impeditus Papa rheuma, fecit officium D. Cardinalis Montis Aragonum. In quodam Cæremon. M. S. antiquo] ubi de Benedicto XIII. agit. FR. Auctor tamen Vocab. Eccleſ. hoc vocabulum perperam inundationem aquarum ſignificare aſſerit.

Rheumatizo, ῥευματίζομαι, agitor in ſtomacho ex humerum abundantia. [ An morbus reumatizantis, & nauſeantis ſtomachi? Fulbert. Carnot. epiſt. 83.

Rhinotmetus. FR. Juſtiniani II. Imperatoris epithetum, ex græco vocab. ῥινότμητος, ideſt, denaſatus, naſo truncatus; nam Lentius Senator cum aliis conjuratis naſum ejus detruncaverat. Baron. ann. 694. num. 1. & ſeqq. De qua offenſa ita vindictam ſumpſerat, ut quotieſcumque naſum purgare cogeretur, unum ex conjuratis occidi jubebat. Idem Baron. ann. 703. n. 1. & ſeqq.

Rhipidium. Vide *Flabellum*. *Monobambylum*.

Rhipsaspis. FR. Miles timidus, qui clypeum projicit ad fugiendum, ex græco vocabulo ῥίψασπις. [ Levius eſt, ſi quis rhipſaſpis appelletur, quod clypeum in acie abjecerit, quam ſi magnam illam armaturam jejunium videatur projeciſſe. S. Baſilius, hom. 2. de Jejunio.

Rhodianus, Inſulæ Rhodi incola, qui *Rhodius*, *Rhodienſis*, *Rhodiacus* etiam dicitur. Fuit hæc inſula quondam Equitum Melitenſium ſedes; unde Ordo Rhodianus appellata fuit eorum Religio. [ Secus amnem ſupra Monaſterium Ordinis Rhodiani, in vita S. Joannis Teriſtæ ex græco traducta.] FR. ex famoſo hujus Inſulæ Coloſſo, Rhodii *Coloſſenſes* appellabantur antiquitus, ad quos D. Paulus epiſtolam direxerat.

Rho-

Rhodicus. Vide *Rhodinus*.

Rhodinus, ῥοδινός, roſacei coloris. [ Veſtem rubeam de rhodina. Anaſt. Biblioth. in Benedic. III. ] a quo tamen Auctore etiam *Rhodicus* dicitur. [ Vela alithina, quæ & ornavit cum rhodicis. In Zach. ] Poteſt quidem etiam intelligi eſſe ornamentum roſarum acus pictura.

Rhombotitæ; ῥομβοθῖται. Vide *Sarabaitæ*.

Rhomphæa, ῥομφαῖα, framea, jaculum. Vide *Siromaſtes*.

Rhythmus. Vide *Echoicus*. *Proſa*. *Verſus leoninus*.

Ribbi. Vide *Rabbi*.

Ribuariorum Lex. FR. Lex in Tuſcia. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſt. 75.

Rica. Vide *Roccus*.

Riga, ſic appellatus fuit liber, in quo tributa, & datia notabantur, a dictione germanica *Rige*, quæ ſeriem, & connexionem ſignificat, quia in eo libro ordinatim notabantur telonia, & impoſitiones exigendæ. [Exinde ſolvere nec tu, nec tua poſteritas nobis, nec hæredibus noſtris debeatis, niſi tantum, ſi ita vult Riga. Marculf. lib. 3. formul. c. 36. ] Significat etiam cancellos. Vide *Cancelli*.

Rimor. FR. verbum diligenter inquirere ſignificat. [ Judex ad prolationem ſententiæ debet univerſa rimari. In decretal. de fide inſtrument. c. 10. ] quia Judicis animus non debet ſemper ad unam ſolam probationis ſpeciem inclinari, in d. decr. de ſententia, & re judic. c. 14.

Riparia, flumen, a Ripa ita denominatum. [ Et quod nautæ tranſeuntes ripariam. In vita Venerab. Mariæ de Maliaco, 28. Mart.

Riparius. FR. riparum Cuſtos, & earum gabellarum exactor, Bullar. Caſin. tom. 2. conſt. 227. num. 2.

Ripaticum. FR. jus tranſvehendi cum navi in ripis fluminum, & ex eo gabellam exigendi, l. ſi portunarius, de Furtis, & Bullar. Caſin. tom. 2. conſt. 36.

† Ῥιπίδια. Flabella ad abigendas muſcas a ſacro Calice adhibita. Conſtit. Apoſtol. lib. 8. c. 12. *Duo inquit, Diaconi ex utraque parte altaris teneant flabella, ex tenuibus membranis, aut ex pennis pavonis, aut ex linteo, ut parva animalia volitantia abigant, ne in Calicem incidant*.

Riſile, acus, quo mulieres pro firmaculo veli ad caput utuntur. [ Riſile, quo ſuper aurem orale confixerat, caſu perdidit. In vita S. Valburgis Virg.

Ritonta. Vocabulum corruptum ab italico *Ritorta*. [ Et omni anno ejus altare cum ritonta in gula. In vita Sancti Ambroſ. Senen. 20. Mart.

Rituale, liber Eccleſiaſticis notiſſimus, in quo cæremoniæ pro adminiſtratione Sacramentorum præſcribuntur, qui in Concilio Toletano IV. can. 25. *Libellus officialis* appellatus eſt; ſed potius hoc vocabulo prædictum Concilium Breviarium intellexiſſe puto. Ritualis ſynonyma. Vide *Contatium*. *Euchologium*. *Ordinale*. *Sacerdotalis*. *Sacramentarium*.

Ritus. Vide *Cæremonia*. *Caſtus*.

Rivalis. FR. proprie dicitur is, qui per eundem rivum aquam deducit, ut ff. de aqua quotid. & æſt. l. 1. & translative *Rivales* dicuntur ii, qui ad eandem mulierem pro conſuetudine, quaſi ad eundem rivum accedunt: & *Corrivales* etiam dicuntur. [ Tu conjugalem tuum repudias, & ſæpe putas notandum? muta, & ſi uno defecerit die, ſuperduc rivalem, & ſtatim incognita cauſa, quaſi cognitam pudoris exequaris injuriam, can. horrendus, 32. qu. 5.

Robur. FR. locus Tulliani carceris Romæ. Baron. in not. ad Martyrol. 14. Mart. lit. *b*. Ac idem carcer *Robuſtus* dicebatur. Ibidem in tit. De loco carceris Tulliani ſententiæ &c. circa medium, ex Plauto. §. ſed vides.

Rocca. Vide *Rota porphyretica*.

Roccus, veſtis genus, ex germanico vocabulo *Rock*, de qua fit mentio in vita Caroli Magni, lib. 3. [ Karolus habet pelliceum berbicinium non multum amplioris pretii, quam erat roccus S. Martini. ] Aliqui tamen *Rochus* habent, & in aliis *Ruceum* reperitur. Ex hoc inquam vocabulo non pauci *Rochettum*, de quo mox dicemus, derivari putant. In Pomp. Feſto invenitur *Rica* in eodem ſignificatu veſtis.

Rochetum; linea veſtis Epiſcoporum peculiaris, ſed temporis progreſſu aliis inferioribus Eccleſiaſticis ex privilegio conceſſa fuerat. [ Utuntur croceis obſcuris, & ſubtus parvo caputio ſupra rochetum, lib. 1. Cæremon. c. 4. ] Aliqui putant hoc vocabulum a voce *Roquet* gallica originari; alii a *Ruceo*, ut ſupra in dict. *Roccus* dictum eſt. Alii tandem etymon ex græcis vocibus ῥῶν, ideſt, fluens, vel mollis, & χιτὼν, ideſt, tunica. FR. de hac veſte Curopalata agit, ubi de habitibus Græcorum Imperatoris mentionem facit, quam ῥέχον, & ῥέχιον vocat; unde formatur vocabulum *Rucharium*, ideſt, veſtiarium. :ff: Dicebatur *Linea*. Baron. an. 261. Habet quidem manicas obſtrictas rochetum, ad denotandum, quod Prælatus debeat habere manus promptas, & expeditas ad largiendam eleemoſynam. Prælatus, qui habet uſum rocheti, in obſequio alicujus Cardinalis debet illud deferre, dum Cardinalis illud etiam defert; nam ſi Cardinalis illud non defert, Prælato tunc non convenit illo uti. Item debet illud portare Prælatus, dum regiis Oratoribus obſequium præſtat, in audientia Summi Pontificis, ſeu in viſitatione Cardinalis novelli, ſive a legatione redeuntis; tandem deferre debet rochetum Prælatus viſitans aliquem Sereniſſimi titulum habentem. Prælati vero Regulares non utuntur rocheto, ſed in Miſſa induuntur ſuperpelliceo. FR. Antiquitus tamen Rochetum erat longum, atque talare, ſicut perſpicitur in antiquis picturis, ac tale fuerat Bonifacii Papæ VIII. ex relatione Jo: Pauli Mucantii oculati teſtis, cujus verba a Torrigio de Cryptis Vatican. pag. 372. impreſſ. ſecunda relata, talia ſunt, quæ lubet hic adducere, ut antiquorum ornamentorum Pontificum forma dignoſcatur: [ Die 11. Octobris 1605. dum demolirentur altaria antiquæ

Baſilicæ S. Petri, poſt altare S. Bonifacii Papæ IV. in loco eminenti, & ſub imagine B. Virg. opere muſivo depictæ, in pilo marmoreo inventum eſt Corpus Bonifacii Octavi, qui obiit anno Domini 1303. Erat autem ejus corpus fere integrum, & in alta capſa lignea reconditum, quæ cum corpore portata fuit in Sacriſtiam Canonicorum, & ibi fere per duos menſes conſervata. Corpus dicti Bonifacii fuit a multis viſum. Ego etiam ad illud curioſitatis cauſa videndum ſemel, atque iterum acceſſi, & vidi dictum corpus integrum conſervatum in dicta capſa lignea, in qua fuerat ſepultum per 302. annos: facies tantum ejus aliquantulum conſumpta erat, ita ut nec narices, nec labia, ſed tantum mentum appareret, & dentes. Habebat in capite mitram albam admodum parvam, ut conjecturare potui, ex tela bombacina. Corpus indutum erat omnibus Pontificalibus indumentis, ideſt, caligis, ſandaliis ex tela aurea, in ſummitate acutis, ſine cruce, rocheto longo albo, ſtola, cingulo, dalmatica, tunicella, planeta ampla ſerica coloris nigri, phanone, & pallio, quod conſumptum erat; ſed plumbum apparebat, & pendebat fere uſque ad pedes, ſpinulæ tres gemmatæ, manus ejus chirothecis albis acu factis, & margaritis ornatæ erant, & anulum pretioſum in digito geſtabat, atque Saphyrum valoris, (ut aliqui dixerunt) 30. ſcutorum. Illuſtriſ. Dux Sermonetæ, & frater ejus Bonifacius Epiſc. Caſſanen. & Antonius Archiepiſcopus Capuanus de ejus domo, & familia, ut melius corpus conſervaretur, (quod in novam Baſilicam Sancti Petri transferendum erat) capſam plumbeam de novo fecerunt, & in ea corpus in eadem capſa lignea, in qua ſepultum a principio fuerat, includi, & ſuper coopertorium capſæ plumbeæ crucem, & ſequentem inſcriptionem imprimi fecerunt: IHS. Corpus Bonifacii VIII. Cajetani Pont. Max. ex veteri in novam Baſilicam translatum, hic repertum jacet: de quo illud mirabile accedit, quod eodem die, quo obiit, V. ſcilicet, Id. Octobr. jam ab inde 302. elapſis annis, integrum, atque incorruptum repertum fuerit Anno Domini MDCV.] Sed qui exactius qualitates, formas, materias, ac menſuras horum paramentorum noſcere cupit, legat Bzovium in ejus hiſt. Eccleſiaſt. ſub eo anno 1605. An poſſint Rocheto in Urbe amplius indui Protonotarii participantes poſt renunciationem protonotariatus. Vide *Protonotarius*. Rocheti ſynonyma. Vide *Corbicularius*. *Superpellicium*.

RODATICUM, vectigal, quod ex vini deportatione ſolvebatur, ex gallico vocabulo *Rovage*, de quo fit mentio in Capitul. Caroli Magni, his verbis: [ Ut nullus homo præſumat theloneum per vias, nec per villas rodaticum, nec pulveraticum recipere, lib. 6. c. 219.

ROGA, ſtipendium, donativum. [ Theodoſiani vero, qui hic remanſerunt, rogam non accipientes, vix ad murorum quidem cuſtodiam ſe accomodant. Greg. lib. 2. epiſt. 32. ] reor ex græco ῥογὸς, ideſt, frumentum, hoc provenire vocabulum, maxime cum in illis temporibus imperialibus militibus frumentum diſtribui ſoleret. Sive ex verbo *Rogo*, quia rogando hoc donativum poſtulabatur; quare ab eodem Gregorio *Precarium* appellatur: [ Mauritius Magiſter ad precarium ſuum accipiendum transmiſit, lib. 10. c. 6. ] Vide *Obſequia*; quæ roga inter milites compartiebatur in ſignatis lætitiæ diebus: [ Duxit Anaſtaſiam uxorem ſuam, & coronavit eam Auguſtam, & jactavit rogam multam. Landulph. in Tiber. II. ] Quare feriæ ad hoc donativum deſtinatæ *Rogalia* dicebantur, ex qua denominatione italica dictio *Regalo* provenit. FR. Roga tam ſtipendium, quam donativum, & munus ſignificat.

Neque muneralem legem, neque leoninam,
Roga nec fuerit, nec ne flocci exiſtima.

Plautus: [ Roga Regum pietas, aut munificentia. Suid. in dict. Roga. ] Item pro ſtipendio. [ Logariaſtes, hoc eſt, rationalis aulæ rationes init omnium ſtipendiatorum, qui in aula ſunt, ſi quid deſit ulli de roga, hoc eſt, ſtipendio ejus aut ſervitium ejus, cujus cauſa ſtipendia facit. Codin. Curopal. de off. conſt. ] Rurſus pro muneribus. [ Auguſta imperavit militibus rogas dari. Cedren. in Leone filio, fol. 504. Mauritius Petro Prætori, ut tertiam partem rogæ in auro Romanis acciperet. Paul. Diac. lib. 17. hiſt. Venit quidam Spado laturus militum rogas. Idem, lib. 18. Dum roga penes Strymonem amnem populo diſtribueretur, irruentes Bulgares hanc ademerunt. Idem lib. 24. ] Igitur *Roga*, ſi ex Pomp. Feſto conjectari licet, conciliationem ſignificat, qui inquit: [ Rogat, ideſt, conſulit populum, vel petit ab eo, ut id ſciſcat, quod ferat, unde nos quoque in conſuetudine habemus pro petere, & orare. Cato in diſſuaſione, ne lex Bæbia derogaretur, ait: Hoc potius agam, quod hic rogat: ] & in hoc ſenſu dixit Plinius: [ Tu rogas, & ego promiſi: ſi rogaſſes ſcripturum me tibi, lib. 5. epiſt. 14. ad Valerianum. ] Conſueverunt enim Tribuni Romanorum populum mulcere, & conciliare, dum ab eo poſtulabant aſſenſum, & votum in rebus agendis: hinc deinde Imperatores, ut conciliatum ſibi popularem animum haberent, rogam iſtam diſtribuebant, & ita conciliationem tacitam, & aſſenſum in eorum geſta, popularemque plauſum mediantibus his muneribus, & publicis largitionibus exigebant, de quo militari dono, ac de qualitate ejus ita inquit Plinius: [ Sunt adhuc aliquæ non omittendæ in auro differentiæ. Auxiliares, quippe, & extraneos torquibus aureis donavere, at cives nonniſi argenteis; præterque armillas civibus dedere, quas non habent externi. Iidem (quod magis miremur) coronas ex auro dedere civibus. Quis primus donatus ſit ea, non inveni; ſed quis primum donaverit, a L. Piſone traditur. A. Poſthumus Dictator apud lacum Regillum caſtris Latinorum expugnatis, ei cujus maxime opera capta eſſent, hanc coronam ex præda dedit. Item L. Lentulus Coſ. Serg. Cornelio Merendæ, Samnitum oppido capto. Sed quinque librarum corona Piſo Frugi filium

filium ex privata pecunia donavit, eamque coronam teſtamento Reipub. legavit, lib. 33. c. 2.] & ibidem, c. 10. [Populus Romanus ſtipem ſpargere cœpit &c.] Hæ namque coronæ militares variæ erant: nempe, triumphales, obſidionales, civicæ, murales, caſtrenſes, navales, ovales, oleagineæ. Idem l. 16. c. 4. & Gell. l. 5. cap. 6. Vide *Periſſochoregia*. Licet uſus obtinuit, ut precaria poteſtas dicatur illa, quæ a ſubditis dependet, ſicuti eſt noſtris temporibus Regis Poloniæ, & Angliæ auctoritas, quæ a Comitiis, & Parlamentis dependet; unde precarium dicitur uſusfructus, quia uſufructuarii jus a directo domino dependet, & ſic roga, & precarium poſſent eſſe ſynonyma translative. Sed rigoroſe roga conſultatio, & conciliatio, atque voti exigentia proprie dicitur: hinc Scribentes juriſprudentiæ *Conſulentes*, & *Rogati* dicuntur, quæ ambo vocabula idem ſonant: & ſicut conſultatio pro conciliatione non raro ſumitur, hinc roga pro utroque uſurpatur; unde ad captanda benevolentiæ vulgaria vota, & ad vulgi animum, & plauſum conciliandum, conſueverunt Pontifices, & Imperatores erogare munera in die captæ dignitatis poſſeſſionis, & in publicis feſtivitatibus; inde roga, & donum promiſcuam intelligentiam obtinuit. Legimus etiam apud Anaſtaſium Bibliothecarium in Vigilio; quod dum hic Pontifex x. Kal. Decembris in Eccleſia Sanctæ Cæciliæ rogam populo traderet, juſſu Theodoræ Auguſtæ captus ſit, & Conſtantinopolim tranſmiſſus; & Baron. ann. 854. num. 4. de Leone Papa IX. loquens ait: [Præ amoris vero magnitudine univerſo populo rogam diſtribuit. Item in Gregorio Papa Anaſtaſius Biblioth. inquit: [Hic dimiſit per obſequia rogam unam integram.] Et in Bonifacio Papa idem: [Hic dimiſit omni Clero per obſequia ſua rogam integram.] Ac idem Greg. ait: [Theodoſiani vero, qui hic remanſerunt, togam non accipientes &c.] Latinius non togam, ſed rogam legendum vult in correct. D. Greg. cit. epiſtolar. lib. 2. c. 32. [Primum ut togam illarum partium faciatis. Ibidem, lib. 7. c. 128.] ubi Latinius itidem rogam corrigit, [Togæ quoque militum. Ibidem, lib. 8. in dict. 3. c. 2.] Latinius rogæ legit. :||: Quæ rogæ a Pontificibus in diſtributione candelarum fiebant: Balſamon ſiquidem rogam vocat diſtributionem candelarum, quam dabat Patriarcha Græcorum. Synonyma, & alia. Vide *Circumciſio Domini. Periſſochoregia. Strena. Thuribulorum feſtivitas*.

ROGALIA, feriæ in quibus roga diſtribuebatur. Item libri, in quibus notabantur illi, qui rogam accipiebant. Vide *Roga*.

ROGATIONES, de quibus fuſe Baron. in not. ad Martyrol. 25. April. lit. *b*. & hic in dict. *Crucis hebdomada. Litania. Pentecoſtes*.

* ROGATIONES. Dies feſti ante adſcenſionem Domini noſtri Jeſu Chriſti, quorum auctor Mamercus, ut ex Epiſtolis a Sidonio Apollinari ad eum datis colligimus Sidon. Apollinar. lib. 8. ep. 1.

ROGATORIÆ LITERÆ. Vide *Suggeſtio*.

ROGO. FR. idem, præcipio. Gloſſa in can. Beatus Petrus, 6. quæſt. 1. Item congrego. [Tancredus &c. mille fere milites, & peditum multitudinem copioſam rogavit. Falco Beneventan. in ejus Chron. ad ann. 1133.] qui ſæpe hoc vocabulo in hac ſignificatione utitur.

ROGUS. Vide *Buſtus*. *Erogo*.

ROGUS DEI. [Extra lectiones, verſum, & rogus Dei. In Regula Magiſtri, cap. 33.] Idem repetit, c. 35. [Pſalmi tempore matutini, reſponſorium unum, verſum, lectionem Apoſtoli, & Evangelii, quam ſemper dicit Abbas, & rogus Dei.] Alibi idem paſſim, cujus Gloſſator ait ſignificare *Kyrie eleiſon*. Sed ego puto ſignificare collectam, & orationem ultimam.

ROMA. FR. duplex, nova, & vetus, hæc nempe, Urbs Orbis caput, in qua Summus Pontifex regnat, & illa Conſtantinopolis eſt, quæ nova Roma a Conſtantino Magno cognominata eſt, ut in can. generaliter, 16. quæſt. 1. Baron. an. 330. n.37. De qua. Vide *Regia*. *Urbs regia*. Quæ denominatio apud Græcos duravit uſque ad eorum Imperii amiſſionem; legitur enim Joſephi Conſtantinop. Patriarchæ fidei profeſſio, quam exhibuerat in mortis articulo, dum Florentiæ anno 1439. ad Concil. Oecumenicum acceſſerat, & obierat, tenoris ſequentis: [Joſeph miſeratione divina Conſtantinopolis, & novæ Romæ Archiepiſcopus, & Oecumenicus Patriarcha. Quoniam ad extremum vitæ meæ perveni, idcirco pro meo munere dilectis filiis benignitate Dei meam ſententiam his literis palam facio. Nam quæ Domini Jeſu Chriſti Catholica, & Apoſtolica Eccleſia Romæ veteris ſentiat, ac celebret, omnia me quoque ſentire, credereque profiteor, ac ipſis plurimum acquieſco. Beatiſſimum autem Patrum Patrem, ac Summum Pontificem, Romæque veteris Papam, Domini noſtri Jeſu Chriſti Vicarium eſſe concedere, atque animarum Purgatorium eſſe non inficior.] Extat in calce ſeſſionis ultimæ Concilii Florent. Roma tranſtyberim *Antipolis* dicebatur, & ejus incolæ *Antipolitani*. Vide *Eſox*. In Janiculo erant molendinæ. Vide *Machinor*. Romæ 30000. Judices ſimul extitiſſe, quomodo intelligatur. Vid. *Judex*. Romæ reperiri quatuor Patriarchales Eccleſias. Vide *Conſtantiniana Eccleſia*. *Patriarchium*. Roma Pontificibus conceſſa. Vid. *Pragmaticus*. Ejus Regimen. Vid. *Banderaſii*, *Decarcones*, *Draconarii*. Romæ non comedebatur caro in feſto SS. Innocentium, Vid. *Sagimen*. Ejus varia loca. Vid. Campitelli, in dict. *Schola Græcorum*, *Catabarbara*, *Conſtantiniana Eccleſia*, *Coſmodin*, *Conſtantis palatium*, *Guidonea porta*. Leonina Civitas, & ejus Porticus. Vide *Porticani*. Item *Manus Carnea*. Merulana, ſive Merulanum ubi. Vid. *Baptiſmus*, *Chriſmarius*, *Orphanotrophium*. Item *Pagine*, *Pentica*, *Penula*, *Petra ſcelerata*, *Palmare*, *Robur*, *Ruminalis*, *Rupis tarpeja*. Pons ſublicius dicebatur *Sacer*, & quare. Vide *Pontifex*. Taberna meritoria ubi. Vide

Vide *Meritorius*. Theatrum Marcelli Metelli, & Octaviæ. Vid. *Schola Græcorum*. Via Salaria vetus. Vid. *Concilium*. Alia loca. Vide *Sanavivaria*, *Sanguitta*. *Scalæ gemoniæ*, *Schola Græcorum*, *Vaticana Baſilica*, *Soror in capillo*, *Septem ſolis*. Simulacrum Solis. Vide *Concilium*. Romanum vexillum. Vide *Labarum*, *Supparum*. Romæ non canebatur Credo in Miſſa. Vide *Symbolum*. Feſta Quinquatria. Vide *Tallophorus*. Alia feſta. Vide *Novendial*, *Septimontium*. Romæ antiquitus non recitabantur Veſperæ Sabbati Sancti. Vide *Veſperæ*. Romæ in quadam ferrea porta litteræ intelligibiles declaratæ. Vide *Venerabilis*.

Roma Gallica. FR. ſic Civitas Arelatenſis ab Auſonio in carm. de nobil. Urbibus appellata fuit.

Romania. FR. Traciæ regio, ita Sabellicus, & alii. Sic etiam appellata fuit in Anaſtaſio Biblioth. in ejus Collectanea in lucem a Sirmondo in 8. edit. pag. 108. Item ſignificat Romandiolam vulgo *Romagna*. [ Omnibus Fidelibus noſtris in partibus Longobardiæ, Romaniæ, ſive (*pro &*) Benevento, atque Tuſciæ, nec non Venetiæ exiſtentibus. Bullar. Caſin. to. 2. conſt. 36.] Et in eodem ſenſu habetur apud Camillum Peregrinum: [ Cumque inquiſitim habuiſſet &c. miſit eos in Romaniam, & ſuſpendi fecit illos per loca viarum ſingula. De Princip. Longob. tit. Series comitum Capuæ, pag. 306.

Romanianum, FR. vulgo *Romagnano*, pagus agri Novarienſis non obſcurus apud Seſitem fl. inter Novariam, & Verallum, a Novaria 28. M. P. a Vercellis pluribus diſtans, locus antiquus, ut Inſcript. & antiq. marmoreæ demoſtrant, & in litteris Sūm. Pont. memoratus; ibi D. Sylvanus Mart. colitur.

Romaninus. FR. monetæ ſpecies. Extrav. Jo. XXII. de ſentent. excomm. Sed Falco Benevent. *Romanatos* vocat in ejus Chron. ad an. 1130. & 1131. & *Romaſinus*, ibid. an. 1139. quæ moneta deſtructa fuit a Rogerio Siciliæ Rege. Ibid. an. 1140. Vide ejus valorem, & hiſtoriam in dict. *Folleralis*, ubi etiam *Romaſina* dicitur.

Romanitas, romanus mos. [ Quod ſi nunc eſt romanitas omnia alia, nec veſtis tamen admodum Græcis eſtis. Tertull. de pall. cap. 4.

Romanus. FR. apud Græcos Scriptores ſignificat Conſtantinopolitanum; nam quem nos Romanum dicimus, illi Latinum vocant :||: At apud Catholicos Scriptores Orthodoxum ſignificat: [ Et miramus, ſi non vincantur a noſtris partibus Gothi, cum malint apud eos eſſe, quam apud nos Romani. Salvian. lib. 5. de guber. [ Ubi loquitur de Catholicis, qui libentius morabantur inter Gothos, ut licentioſius viverent, ut ibidem lib. 7. his verbis declarat: [ Eſſe inter Gothos non licet ſcortatorem Gothum, ſoli inter eos præjudicio rationis, ac nominis permittuntur Romani. ] Atque clarius ex ſequentibus ibidem verbis: [ Numquid hoc Beatus Apoſtolus de barbaris gentibus dixit? non utique; ſed de nobis, ideſt, ſpecialiter Romanis.] FR. Conſule Baronium ad hoc propoſitum an. 45. n. 9. & 10. an. 456. n. 23. an. 583. n. 47. & in notis ad Mart. 16. Octob. lit. *b*. Romani dicti ſunt tonſurati ad diſtinctionem Longobardorum. Vid. *Tonſuratus* Romanus. V. *Urbicus*. Romani valide docti in fide tempore Apoſtolorum. Vid. *Hermes*. Romanorum mores vani, qui ſic deſcribuntur a D. Hieronymo, quod cupiant, nimirum: [ Videre, & videri; ſalutari, & ſalutare; laudare, & detrahere; audire, & perloqui, epiſt. 17. ad Marcell.] Romani nobiles tempore Gothicæ obſidionis a Beliſario Neapolim miſſi. Vide *Catipanus*. Romani adorare ſolebant Solem exurgentem. Vide *Suggeſtum*. Eorum licentia in Calendis Januar. Vide *Suffocatus*. Eorum moneta. Vide Teruntiani in dict. *Folleralis*. Romana Corſorum nobilis familia. Vide *Secundicerius*. Romanorum habitus. Vide *Penula*, *Purpura*.

Romanus Morbus, ſive peſtis. FR. ideſt, Schiſma, quod dupliciter intelligi poteſt, vel Romanus, ſcilicet, Chriſtianus, quia tunc Chriſtianus populus ob ſchiſma multa mala ſpiritualiter patitur, vel Romanus morbus ex Roma proveniens, quia ſchiſma ut plurimum ex diſcordia electorum novi Pontificis emanare conſuevit. [ Data peſtilentia uniuntur, qui diviſi ſunt &c. Romanus ille peſtifer morbus omnes &c. In Bibliotheca Cluniacen. pag. mihi 1312.

Romanzero hiſpanice, & *Romanzo* Italice unde dictum. Vide *Rumigerulus*.

Romeoctenus. Vide *Bulgaroctenus*.

Romeus. FR. Romipeta. [ Unde & Monachi, & Peregrini, nec non & egeni, qui & Hoſpites ejus tempore, quo Romei tranſire ſolent ſolicite requirebant, ſi Comes Giraldus veniret, vel quando viſitaret. S. Odus Abb. Cluniac. in vita S. Giraldi Aureliacenſis Comitis, lib. 2. c. 17. Scirpoſus ager habetur ultra Sutriam, juxta burgum, videlicet, qui vocatur S. Martini, quo Romei caſtrametari ſolent. Ibid. cap. 23.] Hoc vocabulo non raro Jo. Villanus in ejus hiſtoria utitur. Item etiam ſignificat Romanum. [ Secundum ſtratam Romeam. Bullar. Caſin. tom. 2. conſtit. 294.

Romipeta, qui Romam verſus, & devotionis gratia peregre proficiſcitur, can. ſi quis Romipetas, 24. quæſt. 3. Vide *Guidones*, *Numiſma ſacrum*, *Porticani*.

Roncora. FR. [ Et concedimus inibi ſilvas cum roncora in ſalecta. Bullar. Caſin. tom. 2. Conſt. 20.] Vide *Runcora*.

Roro, FR. rorem diffundo. [ Rorate cœli deſuper, & nubes pluant Juſtum; aperiatur terra, & germinet Salvatorem. Iſai. 45. 8.

Rorulentus. Vide *Roſculentum*.

Rosa Aurea. V. *Dominica lætare*. Roſa ſepulcralis. Ib.

Rosculentus, roſcidus, rore aſperſus. S. Zenon Mart. Veronenſis Epiſcopus. FR. A Gregorio Turonen. *Rorulentus* dicitur, lib. 1. hiſt. cap. 15.

Rosetus, clavus, qui in axe ponitur, ne rota exire poſſit ex ſuo loco. [ Auriga vero Epiſcopi, jungens currum, roſetos oblitus eſt ponere contra rotas, in vita S. Brigidæ Virg.] Reperitur etiam in eodem ſenſu *Roſeta* fœm. generis.

Ro-

ROSOLEA, Sancta Panormitana. Vide *Ruriacia*.

ROTA, Tribunal Romæ ex duodecim doctiſſimis Prælatis compoſitum ad decidendas lites, qui Papæ Cappellani, ac Rotæ Auditores dicuntur. Sunt enim ex variis nationibus electi, nimirum tres Romani, unus Germanus, unus Gallus, unus Caſtellanus, unus Aragonenſis, unus Venetus, unus Mediolanenſis, Senenſis, & Peruſinus alternatim, Bononienſis, & Ferrarenſis, qui in gradu Appellationis recognoſcunt omnes beneficiales lites totius Chriſtianitatis, ac cauſas civiles totius Eccleſiaſtici Status. Hoc autem Tribunal, ut Spondanus refert, a Joanne Papa XXII. erectum fuit; Clemens vero VIII. qui in minoribus fuerat hujus Tribunalis Auditor, multis privilegiis cumulavit, ac Alexander VII. Auditoribus præfatis veſtes, & cingulum in pileo coloris violacei conceſſit, quos Subdiaconos Apoſtolicos declaravit, venales illos, qui antea extiterant, ſuppreſſit, eis reſtituendo pretii pecuniam. Itaque Rotæ Auditores tanquam Subdiaconi canunt epiſtolam, quando Papa ſolemniter celebrat, & in ſolemnibus functionibus eorum Decanus Cruciferi officio fungitur, hujuſmodi etiam Auditores ex declaratione præfati Alexandri VII. in Cappella Papali Clericos Camerales præcedunt.

ROTA PORPHYRETICA, erat lapis rotundus in pavimento Lateranenſis Baſilicæ poſitus, de quo ſæpe Cæremonialia mentionem faciunt ex occaſione, quod ibi Summus Pontifex diverſas functiones peragebat. FR. etiam in Vaticana Baſilica reperiebantur in pavimento quatuor rotæ porphyreticæ. Torrigius de Cryptis Vatican. impreſſ. ſecunda, pag. 124. & 520. De hac Rota porphyretica in Chronica Caſin. lib. 4. c. 37. legitur, quod Paſchalis Papa II. poſt ingreſſum Henerici Quarti Imp. Baſilicæ, [ Cum in Rotam porphyreticam veniſſet, poſitis utriſque ſedibus conſedere.] Ptolomæus Lucenſis in eadem cæremonia agens *Roccam* appellat, inquiens: [ Cum veniſſet ad Roccam Papa &c. ] In Cæremoniali vero, ſect. 4. c. 2. ubi præſcribit Imperatorem coronandi ritum hæc habentur: [ Imperator inde procedens ad mediam Eccleſiam, ubi Rota porphyretica eſt, venit, & ibi ab alio Epiſcopo Cardinale aſſiſtente dicitur ſuper eum Oratio: Deus &c.

ROTÆ, ad torquendum Matyres erant diverſi generis. Baron. in notis ad Martyr. 23. April. litt. *c*.

ROTULA, ſcriptura complicata ad uſum antiquorum; ideo volumen dicebatur, ut oſtendimus in dict. *Biblea cratis*. Contos in dictione *Contacium*, *Opiſthographum*. FR. ſolent autem in aliquibus Tribunalibus uti vocabulo *Rotulum*, ac partes citare ad videndum poni in rotulo ſcripturas, & remitti Judici, ad quem &c. ideſt, involvi, & ſigillari proceſſus in caſu appellationis, ſive coram Judice delegato, functo commiſſionis officio: ||: Itaque Rotula ſignificat etiam corpus proceſſus. [ Tu autem nullam inde meæ admonitioni ſatisfactionem exhibuiſti; quin potius rotulam prolixam contra veritatem, & auctoritatem, ac rationem contextam in eadem Synodo obtuliſti. Flodoard. lib. 3. cap. 22. ] Qui tamen Auctor eodem vocabulo in maſculino genere utitur, inquiens: [ Tunc ſurgens porrexit rotulum auctoritatem Canonicam, & Apoſtolicam continentem. Ibid. cap. 11.] At in cæremoniali Epiſcoporum hoc vocabulum in neutro genere ponitur, & ſignificat ſchedam, ſeu indicem, ſive enchiridion, quod Cæremoniarum Magiſter debet formare, ad notandum omnes cæremonias in aliqua functione obſervandas; id enim eſt papyrus ad formam voluminis. Item *Rotulum* etiam dicitur ſcheda, quam Sac. Collegii Computiſta ad ſingulos Cardinales mittere ſolet, ubi ſingillatim notantur portiones, quæ ad eos in diſtributionibus ſpectant. Antiquitus autem depingebantur Prophetæ cum hoc rotulo involuto in manu, ad denotandum eorum ſermonem in vaticinando obſcurum, & involutum; unde Durand. in Rational. [ Quia ante Chriſti adventum fides figurative oſtendebatur, Patriarchæ, & Prophetæ pinguntur cum rotulis.] Ac Sancti Apoſtoli delineabantur cum libro in manu, ſive cum rotulo explicato, ad demonſtrandam claritudinis doctrinam in prædicando Chriſti Evangelium; quamvis tamen Apoſtoli illi, qui Canonicas ſcripturas minime reliquerunt, depingerentur cum rotulo involuto, ut præfatus Durandus ibidem notavit, dicens: [ Alii (*ideſt, Apoſtoli*) quia ſtabile, ſeu ab Eccleſia approbatum non ſcripſerunt, non cum libris, ſed cum rotulis in ſignum prædicationis pinguntur.

ROTULUM, & *Rotulus*. Vide *Rotula*.

ROTUNDULUM, genus veſtis, ex rotunditatis figura ita denominatæ, ac Monachis a Benedicto XII. Papa in ejus Conſtitut. cap. 23. prohibitæ.

ROZUS, aſper, rudis.

Ulcere roza cutis fit Mauri munere levis.

In Biblioth. Floriacen. Benedictinorum de tranſlat. S. Mauri Mart. Ubi aliqui loco *Levis* legunt *Lenis*.

RUA. FR. ex *Rue* gallico, ideſt, via publica in Civitate; nam via ruralis Galli *Chemain* dicunt. Vide *Ruga*.

RUBEUS color eſt mœſtitiæ ſignum. Vide *Sticharium*.

RUBRICA, ita appellatur norma illa, quæ modum recitandi divinum Officium, ac aliarum functionum Eccleſiaſticarum præſcribit; ſolet enim rubris characteribus formari. Rubrica terra eſt rubra, qua fabri lignarii ſolent aſſeres ad eos recte ſecandos ſignare, qua etiam terra librorum titulos inſcribere ſolebant antiqui. Vide *Titulus*. Igitur Rubricæ, quibus utuntur Eccleſiaſtici, a Joanne Burcado Papæ Cæremoniarum Magiſtro collectæ ſunt. Dividunt Rubricas Theologi in præceptivas, & directivas: ac præceptivas tantum ſub mortali, vel veniali obligare docent; nihilo tamen minus diligenter omnes rubricas obſervari admonet Trident. Concilium, ſeſſ. 3. cap. 13. Verum ſummopere miror, quod aliqui Religioſi, alias obſervantes, tam parum curent Rubr. a Sacris Conciliis, Sanctis Patribus, Summiſque Pontificibus ordinatas. Quare Sac. Congreg. ſuper Rituum obſervantiam a Sede Apoſtolica inſtituta abuſus per præfatos introductos corrigere deberet, dum Romani ritus normam profitentes

prædicti Regulares, ad libitum cæremonias excogitant innovare, & quod deterius eſt, nec inter eos ſtatuta cæremoniarum uniformitas habetur; quilibet enim eorum Conventus in hoc internoſcitur alterare; non quidem loquor de antiquis Religionibus illis, qui ſancte ex vetuſto uſu peculiares cæremonias per Religionem eorum univerſam a S. Sede approbatas ſatagunt obſervare, per quas univerſalis Eccleſia amicta varietate decoratur.

RUBRICO. FR. verbum, purpurare ſignificans. [ Eccleſiæ dignitates, quas Glorioſus Martyr rubricavit ſanguine ſuo. Petr. Blenſenſ. epiſt. 5. ] Reperitur etiam verbum *Rubrifacio* in eadem ſignificatione. Vide *Inrufatus*.

RUBUS. Vide *Thamnus*.

RUCHARIUM. Vide *Rochetum*.

RUCTUS, arbitrium, dictamen. [ Nec patitur pro arbitrio, & ructu ſuo videre. Cyprian. lib. 1. epiſt. 11. ] Eadem vox in vita hujus Sancti a Pontio deſcripta etiam legitur, nempe [ Abſit, ut de beatiſſimo martyre ructus hominis judicaret.

RUGA, ſulcus, canaliculus, ſiphunculus, in quo ponebantur aliquæ virgæ pro ſacrorum altarium ornamentis *Laudanæ* appellatæ [ Fecit laudanas de argento penſantes libras octonas, quas poſuit ſuper rugas de preſbyterio. Anaſtaſ. in Adrian. ] Ac alibi: [ Fecit tres regulares argenteas ſuper rugas. Anaſt. in Steph. II. ] de quo etiam vocabulo Ordo Romanus mentionem fecit, agens de proceſſione Pontificis, quando peracta Miſſa ad Sacriſtiam redit: [ Poſt quos Accolyti, qui rugã conſervant &c. ] Fortaſſe erat veſtis a criſpis, & rugis, quas in ſe continebat, ita dicta; aliqui tamen vas eſſe putant, in quo ponebantur laudanæ prædictæ, & alii crediderunt eſſe argenti laminas ad undaram figuram formatas, quibus facies altaris ornabatur, ſic verba Conſtitut. Stephani IV. ſive, ut alii vocant III. intelligentes, ubi ait: [ Ut omni die Dominico ſeptem Epiſcopi Cardinales Miſſarum ſolemnia ſuper altare B. Petri celebrent, & Gloria in Excelſis Deo cantetur ſuper rugas, per quas ingredientur in altare. ] FR. Torrigius de Cryptis Vatican. pag. 242. & 471. exiſtimat eſſe januam. Fortaſſe a *Rua*, ideſt, via, ut ſuo loco dictum eſt; nam ſulcus, & via ſunt aliquo modo ſynonyma.

RUMBULA, nomen contumelioſum, quo vetulas contemnebant. [ Ut quid ſtat vetus hæc rumbula? Cæſar. l. 7. mirac. cap. 45. ] Fortaſſe quia vetulæ imminuuntur, ac decreſcunt in ea ſenili ætate. In Melita enim *Rumbolo* vocant inſtrumentum luſorium puerile, quod a Latinis *Turbo* dicebatur, quia ſemirhombi figuram habet; ideo Melitenſes diminutivo vocabulo *Rumbulo* appellant, quod a Romanis *Piccolo* hodie dicitur. Imo translative Melitenſes *Rumbulos* ſolent appellare contemptive homines parvæ ſtaturæ, vel pueros, unde puto Cæſarium citatum rumbulam denominaſſe vetulam propter decreſcentem ſtaturam. FR. Ego tamen puto, quod Rumbula ſignificet mulierem veneficam; nam veneficæ mulieres rhombis utebantur ad deducendam Lunam tortis filis confectis. Unde Ovid. 1. Amor.

——————— Quid torto rhombo
Licia?

Martialis vero, lib. 9.

Quæ nunc theſſalico Lunam deducere rhombo.

Et Propert. lib. 9.

Deficiunt magico forti ſub carmine rhombi.

Vel Rumbula dicitur Mulier, quia rhombum tractat, machinulam nempe, quam vertendo ſemine tramant, & lanificium nent. Ideo rumbulo Melitenſibus Turbo dicitur, quia filo involvitur ad inſtar rhombi textrini, ac de Melitenſi phraſi, qua utuntur ad denominandos humunculos, ſive pueros, tunc proferunt hoc adagium, quando ſcilicet tales pigmei de ſe nimis jactant, ac præſumunt, a turbine, ſive rumbulo deſumpta metaphora, quod nimis verticoſe ſe agitat.

RUMIGERULUS, Delator, divulgator, & ſumitur in malum. [ Deinde famam velocem per rumigerulos ſuos volare fecerunt, quaſi non Sanctorum Reliquiæ, ſed malorum defunctorum oſſa ad nos fuiſſet inaniter perlata. In translat. Landoaldi, & Socior. 19. Mart. ] FR. Rumigerulus, ideſt; rumorum gerulum ſignificat: *Gerulus*, & *Gerro* pro nugarum nunciatiore, ac circumlatore ſumitur, qui *Nugax*, & *Ethologus* etiam dicitur. Rumigeruli igitur ſynonymum eſt *Nugigerulus* [ Ubi Nugigerulis res ſoluta eſt omnibus. Plaut. in Aul. ſen. 5. act. 3. ] Unde ex Rumigerulo *Romancero* Hiſpani corrupte fabularum inventorem dixere, a quibus Itali fabuloſam narrationem *Romanzo* denominant; & non a Roma hoc vocabulum ductum eſt, ut aliqui perperam excogitarunt, præſertim Rodricus Mendez Silva in ſuo Catalogo reali in Marco Antonio Pio Imp. fol. mihi 8.

RUMINALIS FICUS. FR. de qua fuſe Baron. ann. 60. n. 58. Eſt ſcitu dignum, quod Latini malum granatum appellaverint *Punicum*; at e contra Punici *Rumen* eundem dixere a *Rumen*, ideſt, Romanis; nam Romani *Ruman* antiquitus appellati ſunt; ſic *Rumana ficus*, & poſtea *Romula ficus* dicta fuit. Unde Ovid. 2. faſt.

Arbor erat, remanent veſtigia, quæque vocatur
Romula nunc ficus, Rumina ficus erat.

*Rumina* enim, ideſt, mamma, quæ, teſte Nonio ex Catone de liberis educandis. *Ruma* dicebatur a Latinis: quia Romulus, & Remus a ruma, ſeu mamma lupæ lactati fuerunt. Imo eodem vocabulo, quo Punici *Rumen*, ideſt, malum punicum appellant, Plinius quoque Ruminalem ficum denominavit, inquiens: [ Colitur ficus arbor in foro ipſo, ac comitio Romæ nata ſacra fulgentibus ibi conditis, magiſque ob memoriam ejus, quæ nutrix fuit Romuli, ac Remi conditoris appellata: quoniam ſub ea inventa eſt lupa infantibus præbens rumen (ita vocabant mammam miraculo ex ære juxta dicato &c. l. 15. c. 18. ] qui ficus ruminalis a Plinio ib. ponitur ſub titulo: [ De diverſis generibus malorum genera 29. ] fortaſſe grunatus *Rumen*

*men* a Panicis appellatur, quia a Romanis in Africa primo inventus, & celebratus. ſicut a ſimili Neapolitani *Malum gallicum* appellabant morbum qui ibi occaſione Gallorum primo detectus fuerat, & vice verſa Galli *Neapolitanum morbum* dixere, quia ibidem hanc luem veneream primo cœperunt Galli in ſe ipſis experiri.

Runca. FR. ferreum inſtrumentum. Vide *Falcaſtrum. Sarculum*. Item dicitur *Runcarium*. Bullar. Caſſi. tom. 2. conſt. 73. Dicitur etiam *Runcum*. Ibid. conſtit. 123. Item. *Runchus*. Ibid. conſt. 138. Item *Roncinus*, Ibid. conſt. 143.

Runcinus, Equus, qui inceſſum gradarium, mollem, ac citum non habet, quem Itali *Ronzino* dicunt, & proprie equum eunuchatum denotat ex vocabulo germanico *Ruen*, ideſt, Caſtratus; caſtrare enim dicunt *Ruenan*, quo vocabulo uſus eſt Bernardus in vita S. Malachiæ. [ Hoc ſolum dolere ſe inquiens, quod eſſet runcinus dure portans.

Runcora. FR. Sylva defalcata, ac deruncinata, ad ſerendum apta. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſt. 17. 123. & 140. Vide *Roncora*.

Rupex, homo aſper, ferus, barbarus, in rupibus nutritus: [ Rupaces in Urbanis, Scurras in Forenſibus, Paganos in Militaribus. Tertull. c. 4. de pall. ] Ac alibi ad ſignificandum ruſticum, & agreſtem idem ait: [ Quid autem facient tot, ac tantæ animæ rupium, & barbarorum, quibus alimenta Sapientiæ deſunt; tamen indocta Sapientia pollent? de anima, cap. 6.

Rupis Tarpeia, FR. Locus in Romano Capitolio, de qua fuſe Baron. in Not. ad Martyrol. 14. Mart. litt. *b*.

Rupita, & *Rupitanus*. Vide *Monteſes*.

Ruptarius. Schiſmaticus [ Qui comitem Toloſanum ad expellendos hæreticos, ac ruptarios. In vita B. Petri Mart. Ord Ciſterc. 5. Mart. ] Vide *Ruttarius*.

Ruriacia. FR. ſic appellatam fuiſſe exiſtimo S. Roſaliam Panormitanam, cujus inventio in Martyrologio ſub die 15. Julii, & ejus natalis 4. Septembr. celebratur. [ Cum Monaſterium in honorem Beatæ Mariæ Dei Genitricis, ac Virginis, ſicut non ſolum ex literis tuæ Celſitudinis, ſed etiam aliorum certa relatione, non ſine multo gaudio, & cordis lætitia audivimus ſuper Sanctam Ruriaciam, divinæ gratiæ inſpiratione, regalibus conſtruere cœperis opibus, & largiſſimis, & ampliſſimis poſſeſſionibus diſpoſueris. Bullar. Caſſin. tom. 2. conſt. 185. n. 1. Alexander Papa III. Gulielmo II. Siciliæ Regi ] Ac idem Gulielmus Rex de eadem conſtructione Monaſterii agens, inquit: [ Non longe a mœnibus fœlicis Urbis noſtræ Panormi ſuper Sanctam Ruriaciam diligenti cura noſtra, & multa devotione fundatum &c. Ibidem conſtitut. 187.

Rusca, arboris cortex. [ Ad propriæ ſtaturæ menſuram in modum cunæ decorticatæ ex arbore ruſcam. In vita S. Lupicini Abb. 21. Mart.

Rusticitas. FR. dupliciter ſignificat, ſuperbiam nempe, & ſimplicitatem. Gloſſ. in can. de liguribus, 23. quæſt. 5.

Rutta, Agmen, acies prædonum. [ Prædonibus, quorum multitudo rutta vocatur, ſe conjunxit. Cæſar. lib. 2. c. 2. ] Vox quidem germanica eſt *Rotte*, quæ derivatur a verbo *Rutten*, quod adunari ſignificat, ideo aliqui *Rotta* ſcribunt. Vide *Scara*.

Ruttarius. FR. idem, ac *Ruptarius* ſupra, ſignificat autem facinoroſus, qui cum Albigenſibus hæreticis unitis, contra Catholicos dimicabant, de quo vocabulo ſæpe in hiſt. Albigen. & ſacr. Belli a Petro Monacho Ciſter. Vallis Sarnienſis Cœnobii deſcripta, quem Petrum Ulſarnienſem, ſeu Vallium Sarnacii appellat Angelus Marriquez in Chron. Ciſterc. part. 3. ann. Chriſti, 1204. cap. 1. num. 4.

# S

Saba, Regina, quæ ad Salomonem venerat. Vide *Mycaula*.

Sabanum, ſindon, in qua cadavera involvebantur. [ Partem thymiamatis, & ſabanum pro benedictione. Bonifacius Epiſc. epiſt. 10. ] Vox quidem græca σαβανὸν, quæ proprie tobaleam rigidam ſignificat, qua utuntur in balneis ad abſtergendos balneatos: fuerat igitur ita appellata hujuſmodi ſindon, quia in illis ſæculis defunctorum corpora lavabantur, & hoc ſabano detergebantur. [ Quem lotum veſtimentis indutum, & ſabano conſtrictum, ſuperveniente Veſpere ſepelire nequiverunt. Gregor. lib. 3. dial. cap. 17. ] In aliquibus vero ejuſdem Codicibus per errorem *Sabbato conſtrictum* reperitur; ſed Zacharias, qui ex latino, græce Gregorianos alios dialogos traduxerat τῷ σαβανῷ vertit. Ex hoc græco vocabulo *Inſavonare*, B. in V. mutato, Siculi dicunt pro ſepelire.

Sabaoth, hebraica vox. *Sabaoth*, unum ex Dei attributis, nam *Deus Sabaoth*, Deum exercituum ſignificat.

Sabath. FR. Undecimus Hebræorum menſis. Vide Auctores citatos in dict. *Elul*.

Sabbatiani. Vide *Protopaſchitæ*.

Sabbatum, ultimus ſeptimanæ dies, hebraice *Sciabat*, ideſt, quies, quod nedum in memoriam requiei Creatoris in die ſeptimo ab univerſo opere, quod patrarat, ab hebræis celebratur; ſed etiam ob præceptum divinum, per quod die ſeptimo ab omni opere ſervili vacare eos jubetur. FR. *Sabbatum* aliquando integram hebdomadam ſignificat. Latinius in Correct. ad Cyprian. Annotat. in Epiſt. 33. Græce tamen debracchari ſignificat. Baron. an. 34. n. 157. & 158. :||: Multi tamen in ſignificatione hujus nominis aberrant. Lactantius in primis exiſtimavit, quod hebraice ſeptimum ſignificaret, a voce *Seba*, ideſt, ſeptem denominatum. Plutarchus vero, lib. 4. convivial. quæ-

ſtionum, quæſt. 5. aſſerit Sabbatum Bacchum ſignificare; nam priſcis temporibus vulgus *Sabbos* denominabat Bacchum. Appion Grammaticus aſſeruit, quod Ægyptiaca vox ſit, ideſt, *Sabbo*, quæ quandam infirmitatem ſignificat, per quam poſt Ægypti diſceſſum afflicti Hebræi, cogebantur ab itinere deſiſtere, & quieſcere in Sabbato. Hic dies ab Eccleſia peculiari cultu Beatiſſimæ Virgini dedicatus fuit, ob ſtupendum prodigium ejuſdem miraculoſæ imaginis Conſtantinopoli patratum, quæ imago velo obtecta abſque humana ope detegebatur ad Veſperas diei veneris, quæ eſt prima ſabbati, ſicque detecta per totum ſabbatum uſque ad veſperas manebat, & a ſe ſola tunc denuo cooperiebatur Durand. lib. 4. cap. 1. qui præterea alias quatuor rationes affert, propter quas ſabbati dies Virgini dicatus fuerat; nempe, prima ratio, quia in die Sabbati immediate poſt Chriſti mortem fides in Deipara ſolum manſit. Secunda nam cum ſabbatum ſit janua diei Dominicæ, & hæc ſymbolum æternitatis; ſic Beata Virgo æterni refrigerii, & quietis pia janitrix eſt. Tertia, ut ſimul conterminentur Matris, ac Filii celebrationes. Quarta tandem ratio eſt, quia ſicut die ſabbati æternus Creator quieverat; ita, & melius, locum quietis in immaculato Virginis tabernaculo Deus humanatus invenit. Miſſa votiva de Beata Maria ad inſtantiam Bonifacii Moguntiæ Archiep. ab Albino Caroli Magni Præceptore compoſita fuit. Ejus vero Introitum Sedulius Chriſtianus poeta compoſuit. Vide *Introitus*. Atque officium ejuſdem Mariæ in Sabbato Urbanus Papa II. in Concilio Claromontano, an. 1096. inſtituit. Radulph. prop. 20. Cujus ritus a quibuſdam Occidentalibus Monachis, de anno 1056. initium habuerat, ut Baronius refert. Vide *Officium B. Mariæ*. Appellabatur *Sabbatum vacans* Sabbatum ante Dominicam Palmarum, quia in ea die Papa a ſtationibus vacabat propter occupationem largiendi eleemoſynas pauperibus, & exequendi Chriſti mandatum in ſolita pedum lotione, cum a prolixis functionibus in feria quinta Cœnæ impediretur; in quodam enim Graduale M. S. S. Gregorii Papæ conſervato in Biblioth. Angelica de Urbe hæc verba perlegi: [ Sabbato vacat, quando Dominus Papa eleemoſynam dat. ] Quæ fiebat in eo die, quia in eodem Magdalena Chriſti pedes unxerat, dum cum ejus reſuſcitato fratre manducabat. Durand. lib. 6. cap. 56. Ac clarius citatus Albinus Flaccus ait: [ Unde Apoſtolicus vir in memoriam devotiſſimæ mulieris membris Chriſti hodie facit, quod ipſe fecit capiti, & ideo a ſtatione publica vacat de divin. Offic. ] Ideoque Græci *Lazari* vocant hoc ſabbatum. Vide *Adventu*. In ſacramentario D. Gregorii ſabbatum quatuor Temporum vocatur *Sabbatum duodecim lectionum*, quia licet dicerentur in Miſſa ſex lectiones, ſicut etiam nunc fit; antiquitus tamen relegebantur græco idiomate, quando canebatur Miſſa, & ſic erant duodecim. Amalar. lib. 2. c. 1. Berno de Miſſa, cap. 7. Microlog. c. 28. FR. In Ritu Ambroſiano Sabbatum ante Dominicam Palmarum dicitur *Sabbatum in traditione Symboli*, quia in hac die tradebatur Catechumenis ſymbolum, qui in Sabbato ſancto baptizandi erant. Vide *Scrutinium*: || : Hæc vox *Sabbatum* in ſacra Scriptura hebdomadam non raro ſignificat; & ita jactantia illius Phariſæi, dicentis: [ Jejuno bis in Sabbato, Luc. 18.] Intelligitur; jejunabat enim bis in hebdomada, nempe in feria II. & V. qui dies penes Hebræos ad jejunium, & pœnitentiam erant deſtinati, quia tunc oſtendebatur populo lex; licet eadem cæremonia fiat etiam in Sabbato, in quo propter ſolemnitatem non eſt licitum eis jejunare; itaque in eiſdem duobus hebdomadæ diebus etiam nunc obſervantiores Judæi jejunare ſolent. Illa autem Evangelii verba: [ Veſperæ autem Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbati: ] Prima fronte intellectu difficilia videntur: ſed *Prima ſabbati* Dominica intelligitur, unde ſignificat in fine Sabbati, & Dominicæ initio, quia Sabbati feſtum, ac quies uſque ad mediam noctem perdurabat: itaque verba illa declarant, quod jam erat media nox ſabbati tranſacta, ac ſuccedebat jam Dominicæ aurora. Verum difficilior eſt inter Scriptores quæſtio pro intelligentia verborum illorum: [ Factum eſt autem in Sabbato ſecundo, primo cum tranſirent per ſata. Lucæ c. 6. ] Quid, nempe intelligatur illud *Sabbato ſecundo primo?* Ille eximius Græciæ Theologus, Gregorius, ſcilicet, Nazianzenus a D. Hieronymo ejus diſcipulo interrogatus, reſolutionem dubii ſubterfugiens, dixerat, ſe de hac re reſponſurum eſſe in Eccleſia: [ Gregorius Nazianzenus rogatus a me, ut exponeret, quid ſibi vellet in Luca ( Sabbato ſecundo primo ) eleganter luſit, docebo te, inquiens, ſuper hac re in Eccleſia. Hieron. ad Nepotian. ] Nos itaque variis de hoc opinionibus relictis, tantum hic expoſitionem Iſidori Peluſiotæ referre lubet, qui pro *Sabbato ſecundo primo* primum azymorum diem intelligit, qui primus dicitur in ordine ad reliquos azymorum diem intelligit, qui primus dicitur in ordine ad reliquos azymorum dies; dicitur item ſecundum reſpectu agni Paſchæ, poſt quem diem numerari incipiebant ſeptem hebdomadæ, & in eo die offerebant recentis frumenti ſpicas; propterea Chriſtus Dominus cum diſcipulis tranſibat per ſpicatum frumenti campum: quæ conjectura Rabbinorum doctrina confirmatur, qui ſub nomine Sabbati quodlibet eorum feſtum intelligunt, & ita per Sabbatum primum, Agni Paſcha denotant. Ergo in Sabbato ſecundo primo ſignificatur ſecunda feſtivitas prima Paſchæ, quando, nempe, numerari incipiebant ſeptem hebdomadæ. Quin difficultas hæc penitus elucidata remanet ex Arabico textu, ubi ſic habetur: [ Et erat in Sabbato primo iterum cum ipſe tranſiret per ſata. ] Ulterius ex verbis Evangeliſtæ Marci, c. 2. fit evidens, ubi eamdem hiſtoriam referens, inquit: [ Et factum eſt iterum, cum Dominus Sabbatis ambularet per ſata. ] In Sabbatis ait, ideſt, in feſtis Paſchalibus, ut ſupra ex Rabbinica traditione

ne

ne intelligi diximus. Si quis vero eruditum ſuper hoc habere diſcurſum cupit, legat Marſilium virum cordatum de Chriſti vita, par. 2. lib. 1. c. 25. qui accurate diffuſeque piis, ac devotis reflexionibus illam deſcripſit. FR. eadem phraſi uſus eſt Anonymus Monachus Caſinen. inquiens: [ Prima igitur quinta feria Quadrageſimæ ann. 1208. ] ideſt, in feria quinta prioris hebdomadæ quadrageſimæ. || Antiquitus Orientalis Eccleſia Sabbatum ad inſtar Dominicæ celebrabat, pro qua re eleganter luſit Aſterius Amaſeæ Epiſc. inquiens: [ Pulchrum jugum, & par Sabbati Dominicæ. Homel. de Repud. ] Eamdemque ob cauſam in quadam ejus oratione D. Gregor. Nyſſenus hos duos dies fratres appellavit, ubi reprehendit luxum, ac delicias Sabbati, in quo die Chriſtiani epulari ſolebant, unde exclamabat Sidonius, inquiens: [De luxu autem illo ſabbatario narrationi meæ ſuperſedendum eſt lib. 1. epiſt. 2. FR. Sed Sabbatarius Hebræus intelligitur. Vide *Sabbatarii*: || De obſervatione Sabbati legitur in Conſtitutionibus, quæ communiter S. Clementi attribuuntur: Ut ſervi quinque dierum opus faciant, Sabbato autem, & Dominica die vacent in Eccleſia, lib. 8. cap. 33. ] De cauſis autem, cur Occidentalis Eccleſia in Sabbato jejunet, non vero Orientalis, diximus in d. *Jejunium*. Vide etiam *Superpoſitio*. FR. De jejunio Sabbati vide can. 11. diſt. 12. §. aliæ vero, can. Apoſtol. can. Sabbato de conſecrat. diſt. . & hic in d. *Paraſceve*. Item *Sabbatum noviſſimum* dicitur Sabbatum ſanctum. Vide *Catechumenus*. De matutino ſabbati. Vide *Matutinum*. In Sabbato ſancto quare non dicatur Communio in Miſſa. Vide *Communio* initio. Antiquitus in eo die non dicebantur Romæ Veſperæ, & quare Veſperæ hujus diei ſint breviores reliquis totius anni. Vide *Veſpera*. In quo die Patres pueros baptizabant. Vide *Brachialia*. Et in eo die comedebantur lacticinia. Vide *Formaticum*. In Sabbato Sancto, & ſabbato Pentecoſtes introitus ad Miſſam quare non dicatur. Vide *Introitus*. De lectionibus Sabbati Sancti. Vide *Lectio*. In Sabbato Sancto ad noctis principium celebrari ſolebat. Vide *Miſſa ſicca*. Quare in hac die Offertorium non dicatur. Vide *Offertorium*. Quare Pax non detur. Vide *Pax*. Quare Epiſcopus in hujus diei celebratione non dicat, Pax vobis, neque tempore Adventus. Vide *Pax vobis*. Sabbatum ſanctum dicitur *Sabbatum magnum*, can. dilectionis tuæ, diſt. 76. In Sabbato ante Dominicam Palmarum Græcus Imperator dona largiebatur. Vide *Scaramanga*. Quare Introitus Sabbati ante Dominicam in albis incipiat: *Eduxit Dominus*, &c. Vide *Septuageſima*.

SABBATUM HENOCH, phraſis Chriſtianorum Æthiopiæ in eorum Calendario appoſita; hujus autem modi loquendi origo, ſecundum aliquorum opinionem, a periodo ſolarium annorum provenit, qui periodos ſeptem millia annorum continet, cujus decima pars dicitur *Sabbatum Henoch*, quia hic homo natus fuerat ann. 700. ab Orbe condito, ut Scaliger, lib. 7. de emendat. refert; licet alii hanc nativitatem ſtatuant anno 622. Quare probabilius alii autumant; quod ſicut Sabbatum eſt ſeptimus hebdomadæ dies, ſic ſeptima fuit ab Adamo Henochi generatio in Mundo: nam ex Adam Seth, ex Seth Enos, ex Enos Cainan, ex Cainan Malaleel, & ab hoc Jared, qui genuit Henoch in Paradiſum terreſtre translatum, & ſic fuit ipſe æternæ quietis, ac beatitudinis Sabbati typus, ut Rabbinica Schola docet, a quibus poſtmodum Æthiopes cum aliis Judaicis ritibus hoc feſtum ſimul didicerant, delatis eo a Regina Saba, & deinde a Candacis Reginæ Eunucho, ubi uſque ad præſens circumciſionem, & Sabbatum cum variis Moſaicis cæremoniis obſervant.

SABBATI ITER, de quo ſæpe in ſacra Pagina. [ Tunc reverſi ſunt Jeroſolymam a monte, qui vocatur Oliveti, qui eſt juxta Jeruſalem, Sabbati habens iter. Actor. cap. 1. ] Hic enim ad ambulandum in die Sabbati erat Hebræis terminus in lege Moſaica præſcriptus, quod ſpatium, ut in Targum dicitur, duobus millibus cubitorum conſtabat, quia talis fuerat terminus, quo Judæos in Iſraelitica peregrinatione præcedebat Arca Domini, ad quam in die Sabbati venerationis cauſa accedi potuiſſet; eodemque intervallo Jeroſolymitana ſuburbia diſtabant ab Urbe, Num. cap. 35. quæ bis mille cubita faciunt pedum tria millia; hi namque diviſi in 600. juxta Græcorum menſuram, quinque ſtadia componunt, & hæc prorſus erat ab Jeruſalem Montis Oliveti diſtantia. [ Mons Oliveti a regione Urbis ad quintum abeſt ſtadium. Joſeph Hebr. lib. 20. Antiq. c. 6. ] Et R. Kimki in c. 48. Ezechielis, duo millia cubita facere unum Italicum militare ſcribit.

SABBATUM RECUTITUM, ita vocabatur a Gentilibus ſabbatum, ideſt, circumciſum; nam *Recutiti*, hoc eſt, circumciſi Hebræi ab eiſdem denominabantur.

Labra moves tacitus, recutitaque ſabbata palles.
Perſius Satyr. 5.

FR. ſic etiam Martialis, lib. 7. ep. 30. hoc Epithetum Hebræis attribuit, inquiens:

Nec recutitorum fugis inguina Judæorum.

SABBATUM TRICESIMUM, feſtum novilunii hebraicum, quod ſac. Scriptura *Neomenia* vocat, nam celebrabatur ad quemque triceſimum diem.

——————————— Meliori
Tempore dicam: hodie triceſima ſabbata.
Horatius, lib. 1. Satyra 9.

SABBATARII, ita appellabantur Hebræi ob nimiam Sabbati venerationem: [Jejunia ſabbatariorum. Martialis.

SABBATISMUS. FR. requies, laborum ceſſatio. [ Nam ſi eis Jeſus requiem præſtitiſſet, nunquam de alia loqueretur, poſthac, die. Itaque relinquitur ſabbatiſmus populo Dei. Qui enim ingreſſus eſt in requiem ejus, etiam ipſe requievit ab operibus ſuis, ſicut a ſuis Deus. Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem, ut ne in idipſum quis incidat incredulitatis exemplum. Epiſt. ad Hebr. cap. 4.

SAB-

Sabbatizo. FR. quieſco, non laboro, ſabbatum celebro. [ Et ſabbatizavit populus die ſeptimo. Exod. 16. 30. Sabbatizes ſabbatum Domini. Levit. 25. 2. Eritque terra veſtra deſerta, & Civitates veſtræ dirutæ. Tunc placebunt terræ ſabbata ſua cunctis diebus ſolitudinis ſuæ, eo quod non requieveritis in ſabbatis veſtris, quando fueritis in terra hoſtili, ſabbatizabit, & requieſcet in ſabbatis ſolitudinis ſuæ. Ibid. 26. 35.

Sabelliani, Hæretici. Vide *Noetiani*.

Sabellii error. Vide *Trionymus*.

Sabulum. FR. accipitur pro auro in ſenſu contemptibili, ſic intelligenda eſt elegans contrapoſitio illa a S. Proclo in laudem Virginis Mariæ ſuper illa verba: [Et benedictus fructus ventris tui, ] ubi contraponit cauſam cum effectu, inquiens: [ Fructus, inquam, non ſemen. Flos, non paſſio. Splendor, non creatum. Coæqualis Patri, non ſervus. Sol, non ſabulum. Redemptionis pretium, non debitor. Qui adoratur, non qui creatur. Orat. 5. in laud. Virginis Mariæ. ] arena enim auri materia eſt; cujus cauſa eſt ſol. Item *Sabulum*, nedum arenam craſſiorem, ſed etiam muſicum inſtrumentum apud Apulejum ſignificat; ſed *Sabulo* a Macrobio dicitur: apud Feſtum tamen, & Varronem *Sambulo* legitur in ſignificatione tibicinis.

Saca, dicitur poteſtas mulctandi, & adminiſtrandi jura, dicitur etiam *Socha, Socna*, ut Clemens Reinerus in ejus Onomaſtico Benedictinorum Apoſtolatus in Anglia in dict. Saka, ſeu Saccha oſtendit. Vide etiam hic in dict. *Socha*. Item ſupradicta vocabula leguntur in hiſt. translationis S. Cutberti Epiſc. his verbis: [ Sed Eccleſia inconcuſſa quiete, ac libertate cum omnibus conſuetudinibus, & ut vulgo dicitur, cum ſaca, & ſocna, & infangentheof perpetualiter poſſideat. ] Ultimum tamen vocabulum, ut Spelmanus explicat, juriſdictionem capturandi Latrones ſignificat.

Saccarius. Vide *Saccularius*.

Saccatum vinum, ſignificat merum per ſacculos colatum, ac purgatum: [ Ita ut plerique inveniantur, qui aut menſas miniſtrent, aut ſaccata vina miſceant, aut canes ducant, aut caballos, quibus fœminæ ſedent, regant, aut agellos provideant. S. Agobardus Abb. de privil. & jure Sacerd. c. 11. ] In quo tamen textu mendoſe habetur *Sacrata*.

Saccas, cognomen Ammiano Origenis Magiſtro attributum; græce enim *σάκκας*, ſaccigerulum ſignificat; quia Ammianus antea gerulus, ſive bajulus erat, deinde ſub diſciplina Clementis Alexandrini cum litteris operam navaret, in ejuſdem Magiſtri cathedram ſucceſſor evaſerat, atque Origenis Præceptor extitit. Theodoret. lib. 6. de provid.

Saccus, *σάκκος*, veſtis ſacra in græca Eccleſia, cujus fuerat inventor D. Joannes Chryſoſtomus, & ideo cum hac veſte pingi ſolet, cum ſit habitus in prædicationis exercitio commodior, quod miniſterium Græci cum planeta exercent. Saccus, inquam, hujuſmodi habet noſtræ Diaconalis Dalmaticæ formam, niſi quod ſit aliquanto longior, & in lateribus fibulatus, quo hodie loco planetæ ſoli Patriarchæ, & Metropolitæ utuntur in Miſſa; atque Imperator græcus in ſolemnioribus celebrationibus ferebat. Cujus uſus tempore quadrageſimali ceſſare deberet, imo ſemel interrogatus Demetrius Cabaſila, reſpondit ſacco hujuſmodi uti debere ter in anno, nempe, in Paſcha, in Nativitate Domini, & in Pentecoſte; quamvis ferebatur etiam jejuniorum tempore, ac in Mortuorum Commemorationibus, ſed rubri coloris, qui pro luctus ſigno a Græcis habetur; quare cum hæc Diaconalis tunica ſit albi coloris, rubram ſolent deferre in quadrageſimali tempore; exceptis tamen functionibus Annuntiationis Feſti, Dominicæ palmarum, & Sabbati ſancti, in quibus diebus debet eſſe albus, ut in Ord. Officii notatur. Hic igitur ſaccus contumelioſam Chriſti veſtem ſignificare aſtruit Balſamon de privil. Patriarch. qui inſuper Auctor in quadam reſponſione ad Marcum Alexandrinum Patriarcham hunc ſaccum ſcripſit ſolum Patriarcham deferre debere; itaque abuſus quidem eſt omnium recentiorum Metropolitanorum Græcorum in hujus tunicæ uſu. FR. citatus Balſamon ita ſcribit, tom. 1. de jure Græco Romano: [ Quemadmodum igitur Epiſcopis non conceduntur indumenta, quæ Patriarchis conceſſa ſunt, ut ſaccus, & polyſtaurion &c.

Sacciperium, nomen ex duobus ſynonymis compoſitum, nempe, *ſaccus*, & *pera*, quod peram paſtoralem ſignificat: [Ubi pugnaturus non ſacciperium cum David refert, ſed patientia obarmatus &c. in Actis D. Marcell. cap. 3.] FR. an potius fundam ſignificare voluerit? nam davidica arma vere non fuerant ſaccus, ſive pera, ſed funda, & fortaſſe ſacciperium per ſyncopem ſaccum petrarum denotat.

Saccophori, ideſt, ſaccum ferentes, ſicut Chriſtophorus, Chriſtum ferens dicitur. Hæretici quidam fuerunt ita appellati ex ſacco, quo induti erant, ac fit de eis mentio in Cod. Theod. l. penult. de Hæret.

Saccularius, Theſaurarius, Eccleſiæ Romanæ officialis, qui *Sacellarius* etiam dicebatur, ex græco vocabulo *σακελλάριος*, quod latine ſaccularius vertitur; nam *σακέλλιον*, ſaccum latine ſonat, ac erat ex præcipuis ſacris Apoſtolici Palatii officialibus, ut ex ſequentibus verbis colligitur, ubi Papæ equitatio deſcribitur: [ Poſt equum vero hi ſunt, qui equitant, Vicedominus, Veſtiarius, Nomenclator, atque Sacellarius. Ord. Rom. ] Duo autem poſtremi audiebant ſupplicationes illorum, qui Papæ occurrebant in via, ut in eodem Ordine Rom. legitur; in quo dum agitur de ſupplicantibus, dicitur: [ Expectat uſque dum poſſit audiri, & petita benedictione, diſcutitur a Nomenclatore, vel Sacellario cauſa ejus, & ipſi indicant Pontifici, & finiunt. ] FR. Hoc officium etiam ad ann. 772. in Curia Rom. extabat; nam de Adriano Papa I. legitur in Blondo, decad. 2. lib. 1. quod hic Pontifex Paulum Romanum, & Stephanum Sacellarium ad Deſiderium Italiæ Regem Nuntios miſerat.

ſerat . :||: Inſuper Sacellarius erat etiam Aulæ Principum ſæcularis officialis: [ Sicut in Ravennæ partibus Dominorum pietas apud primum exercitum Italiæ Sacellarium habet, qui cauſis ſupervenientibus quotidianas expenſas facit; ita & in hac Urbe in cauſis talibus eorum Sacellarius ego ſum. D. Greg. in Regiſt. lib. 4. c. 78. ] Patriarchæ item Græci ſuos etiam Sacellarios habebant, quod officium computabatur in ſecundo loco primi clericalis ordinis, illique diſciplinæ vigilantia, Monaſteriorum obſervantia, ac redditɥum cura incumbebat; erat tamen diſtinctum ab officio, quod *Aſacello* nuncupatur; nam huic erat cura Patriarchalium carcerum, & Monialium clauſuræ. Vide *Sacella.* Qui officialis etiam *Saccarius* dicebatur. FR. fortaſſe a *Saccar* Arabico vocabulo, quod obcludere ſignificat, & Hiſpanice per antitheſim extrahere denotat, quæ conjectura Anaſtaſii Synaitæ auctoritate fovetur; nam ait, quod *Sacellum*, Cyriacum vocabulum ſit: unde ſaccarius, & ſacellarius. Vide *Sacellum.* Saccularii, ſynonyma. Vide *Archidiaconus*, *Caſſularius*, *Oeconomus*, *Saccarius*, *Theſaurarius*. Nomenclator accipitur etiam pro Cancellario. [ Datum Kalend. Februarii per manus Theodori Nomenclatoris Sanctæ Sedis Apoſtolicæ. Bullar. Caſinen. tom. 2. Conſtit. 26.

SACELLA. FR. Monialium Clauſura. [ Iſte adminiſtrat, & curat ſacras ſacellas, nempe, Monaſteria Monialium, in quodam M. S. Auguſtano Turco-græcia nuncupato, pag. 203. ubi de Magno Sacellario loquitur. Vide A ſacello in dict. *Saccularius*. Clauſuræ autem ſynonyma. Vide in dict. *Clauſura*.

SACELLARIUS. Vide *Saccularius*.

SACELLUM, σακέλλιον, ſacculus, marſupium. [ Non de cellario, non de horreo, vel ſacello: ſed de cordis theſauro profertur. Cæſarius, hom. 2. de Eleemoſ. [ FR. Errat proinde Gloſſa in can. ne amiſſo, 24. qu. 4. ubi textus ex D. Auguſtino ſic habetur: Ne amiſſo judicio ſis pauperi in mala cauſa miſericors, cujus ſi parcis ſacello, percutis cor ejus. ] Eſt tamen error inciſionis in eodem textu; nam comma non debet poni poſt dictionem *Sacello*, ſed immediate ante, ut Auguſtini ſenſus intelligatur; loquitur enim iſte Sanctus Doctor de paupere malo, ac vitioſo, cui inquit, ſi detur eleemoſyna, juſtitia pervertitur; hoc enim ſignificant illa verba, *Ne amiſſo judicio*, quia ſi datur pauperi vitioſo, largitor erit cauſa mali, quod ſignificatur per verba: *Si ſit pauperi in mala cauſa miſericors*, nempe in largiendo: *Cujus vitiis*, ſubaudi, *ſi parcis*, ideſt, dum male vivit, miſericors ſis: *Sacello percutis cor ejus*, videlicet, manſurpio percutis animam ejus, quia occaſionem magis peccandi ei præbes. Gloſſa inquam erravit deinde in pervertendo Auguſtini ſenſu; nam *Sacellum* paupertatem ſignificare ait: undenam hanc etymologiam duxerat, & quomodo paupertate pauper percutitur in largiendo; ſi largitione percuti pauperem malum inquit Auguſtinum? Idem vocab. habetur in Michæa 6. 11. [ Numquid juſtificabo ſtateram impiam, & ſacelli pondera? [ :||: Hinc *Sacellum* pro Theſauro accipitur; unde *Sacellarius* denominatus fuit Theſaurarius. Et translative Cappella domeſtica, ex eo quia in eadem Reliquiarum theſauri reponi ſolent, vel quia ibi cœleſte pignus, quod animas theſaurizat, offertur, ut in dict. *Reliquiæ*, & *Reliquiarium* dictum fuit. Ejus tamen ſynonyma. Vide *Cappella*. FR. Itaque ad primum vocabuli ſenſum Anaſtaſius Synaita in ejus Itinerario ſyriacum nomen eſſe docet, ſubjungitque: [ Nam ſacellum eſt receptaculum, a recipiendo ſic dictum. ] Quoad ſacellum in ſenſu Cappellæ, C. Trebatius apud Gellium, lib. 6. c. 12. putat dici a *Sacer*, & *Cella*, quaſi ſacra Cella, ſed impugnatur ab eodem Gellio ibidem aſſerente *Sacellum* eſſe ex *Sacro* diminutivum.

SACERDOS, Presbyter, cujus variæ aſſignantur etymologiæ, nempe, *Sacra dans docens*, *Sacra dos*, *Sacer dux*, & *Sacra docens*; quas omnes ſignificationes dictis & factis continere in ſe deberet Eccleſiæ gradus iſte tam eximius. Quod ſi hoc munere graduatus, tanti miniſterii altitudinem, tantæque magnitudinis ſublimitatem cogitaret, impeccabilis vitæ re vera reddi cogeretur. Quot homines, qui licet in hoc ſæculo profeſſionis laicæ fuerint, meritorum tamen Sacerdotum extiterunt, in finali judicio ſacerdotali ſtola decorabuntur: & vice verſa degradati erunt, & ſatanico brachio tradentur, qui nomen tantum Sacerdotis in præſenti vita exercuerunt? ut aurea Chryſoſtomi lingua minatur, inquiens: [ Laicus in die judicii ſtolam ſacerdotalem accipiet, & a Deo Chriſmate ungetur in Sacerdotem; Sacerdos autem peccator ſpoliabitur Sacerdotii dignitate, hom. 40. ] FR. Sacerdotes mali lixivio ſimiles, can. nihil diſt. 83. Item prohibentur Sacerdotes eſſe teſtes in Notariorum inſtrumentis, can. quamquam Sacerdotum, 14. qu. 3. & ſeqq. in Conſtitutionibus Apoſtol. Non poſſunt eſſe Judices in cauſis pecuniariis, can. denique, 14. q. 5. [ Non poſſunt aliorum poſſeſſiones conducere, ſeu ſæcularium dominorum ſuſcipere, quod Italice dicitur *Far il Maſtro di caſa*, can. pervenit, diſt. 86. Ratio dubitandi præbetur in can. Presbyter, vel quilibet Sacerdos, 2. q. 1. An differat Presbyter a Sacerdote; ſed dic, quod particula, *Vel*, ſtat loco, *Et*, proindeque ſynonyma ſunt Presbyter, ac Sacerdos; licet largo modo per Sacerdotem intelligatur etiam Diaconus, & Subdiaconus in Decretal. de cohabitat. Cler. & Mulier, cap. 2. :||: Item per Sacerdotem aliquando intelligitur Epiſcopus: [ Comperimus autem, quod charta quædam mandata ſit, in qua Sacerdotes ſubſcribere coacti ſunt contra tomum Beatæ memoriæ Leonis. Joan. epiſt. 4. ad Conſtant. Imp. ] Et clarius in vita S. Porphyrii, ubi dum agitur de Epiſcopi Gazæ electione, habentur hæc verba apud Metaphraſtem: [ Illa vero nocte acceſſit Beatus Joannes ad Gazæos, & dixit eis: Parati eritis ad exitum, hodie enim accipietis Sacerdotem virum, quem oſtendit vobis Dominus. Cum fuiſſet autem mane, rapientes Beatam

tum Porphyrium , ordinavit eum Epiſcopum Gazæ.] FR. Sed adhuc dubitari poſſet , an ideo Sacerdos appelletur in hac hiſtoria , quia nondum in Epiſcopum ordinatus ille erat ; quare melius in dict. *Sacerdos primi ordinis* comprobabitur . :||: Item per Sacerdotem quilibet Chriſtianus ſacro Chriſmate unctus intelligitur : [ Ordinati a Deo ſanctimoniæ ſacerdotes. S. Cyprian. de unit. Chriſm. ] Sacerdos quomodo debet jurare . Vide *Juramentum* . Quando celebrare debet caſula plicata . Vid. *Caſula* . Sacramenta in caute facere prohibetur , 2. qu. 5. can. 2. Sacerdotis ſynonyma . Vide *Dii* , *Hienophanta* , *Martyriarius* , *Presbyter* . Non poteſt Sacerdos exercere officium Vicecomitis , nec aliam ſæcularium Principum agentiam . Vide *Vicecomes* . Quam præſtantiam in ethnicis Sacerdotibus requirebat Romulus . Vide *Simonia* .

Sacerdos Gentilis , & Hebræus . Vide *Laniſta* .

Sacerdos Primi Ordinis . FR. appellatur Epiſcopus a Facundo, lib. 12. c. 3. Unde inferiores ſacerdotes dicuntur *Sacerdotes ſecundi Ordinis* , ideſt , inferioris gradus .

Sacerdotales Vestes . Vide *Veſtis* .

Sacerdotalis , liber ita appellatus, in quo copia rituum ad ſacerdotem pertinentium continetur , eratque antiquum Rituale , ſed recentiore copioſius . Monachi tamen Præmonſtratenſes utuntur hoc vocabulo ad ſignificandum verſiculum in officio divino , quod ipſi recitant in principio ad Laudes .

Sacerdotium , aliquando ordinem Sacerdotalem minime ſignificat ; ſed præbendam, & eccleſiaſticum emolumentum. [ Imo votis omnibus non ſine miraculo in id conſentientibus , ut jus conferendi Sacerdotia, quæ vulgo præbendas vocant , in Gulielmum , & ejus gratia in ſucceſſores illius transferrent , quod antea ſemper ad totum illorum Collegium pertinuerat . Surius in vita S. Gulielmi Archiep. ] Multoties quodlibet beneficium ſignificat .

Sacra, hoc vocabulum abſolute ſumptum, aliquando epiſtolam, ſive ordinationem Imperatoris ſignificat. [Illi(*ideſt Donatiſtæ*) multorum Imperatorum ſacras: nos ſola portamus Evangelia. Auguſt. lib. adverſ. Donatiſtas , cap. 31. In quo ſenſu ſæpe in Conciliis ; uſurpatur etiam in græco idiomate *σάκρα* quod idem ſignificare ſolet .

Sacra Coracina, ſacrificium Corvorum, qui ab Ægyptiis adorabantur , ex vocabulo græco *κοράκινος* ideſt , corvinus . [ Quod malum imitatus eſt Jeroboam vaccas inſtituens in Samaria, quibus ſacrificarent Judæi , & volucres, quia Coracina ſacra habent Pagani . Ambroſ. in Epiſt. ad Roman.

Sacra Mensa , ideſt , Altare . [ Ex auro , & lapidibus , pretioſis ſacram in Eccleſia donavit menſam . Sozom. l. 9. cap. 1.

Sacra Paramenta . Vide *Veſtis* .

Sacri Ordines . Vide *Ordo* .

Sacramentale . Vide *Miſſalis* .

Sacramentalis . FR. Teſtis juratus , l. 9. de debitis , & gaudimoniis , & ibi gloſſ. & gloſſ. in l. libero homine , de teſtib. & leg. Aleman. tit. de Juratoribus , quales eſſe debeant .

Sacramentarium , liber a D. Gregorio Papa compoſitus , in quo ille omnes collectas , & orationes in Miſſis , aliaſque preces ad officium divinum , & ad ſacros ritus totius anni collegit . Vide *Miſſalis* .

Sacramentum . FR. Eccleſiæ ſacramenta ſunt ſeptem, a Chriſto Domino inſtituta , quorum aliqua dicuntur mortuorum ; nam neceſſaria ſunt ad ſalutem, ſcilicet, Baptiſmus , & poſt peccatum Confeſſio . Reliqua dicuntur vivorum, quæ non ſunt ſimpliciter neceſſaria ; ſed pro acquirenda majori gratia. De transaction. cap. veniens, & ibi Gloſſa. Mortuorum ſacramenta poſſunt in neceſſitatis periculo adminiſtrari a non habente facultatem . Baptiſmus enim poſſet confici a Laico , & fœmina in caſu neceſſitatis ; ſic etiam in eo caſu Sacerdos non habens licentiam audiendi Confeſſiones , poſſet abſolvere confitentem . Sacramentum autem Confirmationis a ſolo Epiſcopo poteſt exerceri , nec talem facultatem aliis delegare poteſt : [ Mandamus , quatenus omnibus Presbyteris diſtincte prohibeas , ne talia de cætero ſua temeritate præſumant, quæ licet non ſint a fidelibus contemnenda, tutius tamen eſt ea ſine periculo ex neceſſitate( quæ legem non habet ) omittere , quam ut ab iis, quibus ea conferre non licet , ex temeritate ( quæ lege damnatur ) non ſine periculo conferantur . De Conſuetud. cap. quanto ] ubi de chriſmate loquitur. De ſacramentis in ſpecie . Vide in propriis locis. Omnia autem ſacramenta ſub nomine *Euchariſtiæ* a D. Cypriano comprehenduntur. Vide *Euchariſtia*. Item *Sacramentum* intelligitur quandoque juramentum , can. ſacramentum, can. Sanctorum , can. nos ſacramentum, 2. qu. 5.

Sacramentum Obscarionum . Vide *Obſcarionum Sacramentum* .

Sacrarium , erat locus prope altare cancellis circumdatus , ubi tempore ſacrificii ſolus Sacerdos cum reliquis ſacris Miniſtris ingredi poterat, qui locus a Græcis appellatur *βῆμα* , quia per aliquos gradus aſcendebatur . Item *τὰ ἅγια τῶν ἁγίων* , ideſt , Sancta Sanctorum , *θυσιαστήριον*, nempe, locus ſacrificii, *ἱερατεῖον*, hoc eſt , ſacrarium . Vide *Crux* . Vide etiam *Cancelli*, *Chorus* , *Gazophylacium* , *Presbyterium*, *Propitiatorium*, *Sancta Sanctorum*. Ex hoc loco zelantiſſimus Ambroſius Imperatorem Theodoſium ſeniorem expulerat , qui poſt oblationem permanere voluerat , ſicut in Conſtantinopolitana Eccleſia facere conſueverat ; ſed a D. Ambroſio his verbis dimiſſus fuerat : [ Sacrarium ſolis Sacerdotibus pervium eſt , aliis omnibus inacceſſum . ] Quibus mandatis nedum obtemperaverat Imperator , ſed Conſtantinopolim regreſſus , & Patriarcha juxta ſolitum ad eumdem locum invitatus , ſe excuſavit , ac gloriabundus didiciſſe ſe ab ejus Præceptore Ambroſio dixerat , non eſſe ſibi permiſſum ſacrarii ingreſſum: quam reverentiam reliqui terrarum Principes imitatione admirari deberent,

So-

Solent vero Græci hunc locum aſſeribus obcludere, ac tempore conſecrationis velo ejus portam obtegere. Eccleſia tamen Romana hujuſmodi velis non utitur, ad differentiam hæreticorum Valentinianorum, qui, in eorum ritibus eleuſinas obnubilationes imitantes, omnia inobſervata agebant, eademque de cauſa omnem ingreſſum velabant, ut Tertullianus adverſ. Valent. c. 2. & 3. refert. FR. rationem tamen dubitandi præbent anſæ, quæ in virgis ferreis infixæ ad quatuor columnarum latera Ciborii S. Cæciliæ transtyberinæ adhuc ſuperſtites videntur, an ſcilicet tempore Paſchalis Papæ I. fuerit Romæ hic uſus claudendi altare tempore ſacrificii, præſertim cum illis temporibus ſacrum Euchariſtiæ ſacramentum ſuper altare minime conſervaretur; ſed in muralibus repoſitoriis, quorum adhuc in eadem Eccleſia, ac in aliis remanſerunt veſtigia; poſt enim Tridentinum Concilium ex ejus prohibitione non fuit amplius licitum Euchariſtiam in muro aſſervare, unde quod prædictæ anſæ pro velaminibus impoſitæ fuerint ad cooperiendum reverentiæ cauſa Euchariſtiæ tabernaculum, conjici nequit, dum ibi non haberetur. :||: Ad Sancta Sanctorum armatum ingredi pro magno ſacrilegio pœnes Græcos habetur; lepidiſſimum ſiquidem accidens fuit illud, quod Raynutio Parmenſi Duci noſtris temporibus in Eccleſia S. Athanaſii Græcorum Collegii de Urbe occurrerat; dum cupidus ille audiendi ſacrum græci ritus, cum in eorum ſacrarium, ubi tunc præparabatur panis, & vinum pro celebratione, ingrederetur, ſtatim ei græcus cæremoniarum director obviam venerat inquiens, in eum locum, niſi relicto gladio, non poſſe ingredi; attonitus autem ille ſtrenuus Dux ac aliquantulum mente perplexus, tandem pietate victus, ſe cogi ad actum ſibi ſemper alienum faſſus fuit, ac depoſito enſe, in præfatum ſacrum locum ingreſſus eſt. *Sacrarium* vero pœnes Latinos hodie communiter ſacriſtia intelligitur, in qua ſacra ſuppellectilia conſervantur; cujus ſynonyma. Vide *Sacriſtia*. Quæ ſecundum Durandum ſymbolum eſt virginalis Mariæ uteri, in quo veſte mortalis carnis Æternum Verbum indutum fuit, dum ait: [ Sacrarium, in quo Sacerdos ſacras veſtes induit, uterum Sanctiſſ. Mariæ ſignificat. ] FR. Item ſacrarium etiam locum denotat, ubi res ſacræ, quæ uſui amplius non inſerviunt, projiciuntur. Synon. Vide *Piſcina*.

Sacrarii Custos, deſt, ſacriſta. [ Omnes codices cuſtos ſacrarii habeat deputatos, a quo ſingulos ſinguli fratres accipiant, quos prudenter lectos, vel habitos ſemper poſt veſperam reddent. Iſid. in regul. cap. 8.] Vide *Sacriſta*.

Sacricola. Vide *Sacrocola*.

Sacrificati. Vide *Libellatici*.

Sacrificium. FR. aliquando divinum officium intelligitur: [ Sive Epiſcopus ille, aut Presbyter, aut Diaconus faceret oblationem, vel matutinum, vel veſpertinum ſacrificium, quaſi in officio ſuo agere ſicut prius non liceat ei, can. ſi quis Epiſcopus in Concilio, 11. qu. 3. ] Ubi per *Oblationem* Miſſa, & per *Sacrificium* Officium divinum denotatur. Synon. Vide *Doxologia*.

Sacrifico. Vide *Facio*, *Prolito*, *Thurifico*.

Sacrista, ſacrarum ſuppellectilium Cuſtos. Dicto Completorio, cum clauſiſſet Oratorium, erat enim Sacriſta, apparuit ei Salvator in linteo præcinctus. Cæſar. lib. 1. cap. 35. ] Ejus ſynonyma. Vide *Altariſta*, *Aſſiſius*, *Candelaptis*, Cimeliarcha in dict. *Cemelium*, *Hierophylax*, *Manſionarius*, *Sacrarii cuſtos*.

Sacristia, Vide *Aſpaticum*, *Cemelium*, *Sacrarium*. Quare in meridionali Eccleſiæ latere collocabatur. Vide *Introitus*. Vide etiam *Cimelia*, *Diaconicon*, *Gazophylacium*, *Paſtophorium*, *Veſtiarium*. Interdum *Penus veneranda* nuncupatur. Vide *Salutatorium*, Scevophylacium in dict. *Scevophylax*, *Secretarium*.

Sacrocola, Sacer Miniſter, ſive Sacerdos. [ Quod ſi de labiis tam ingens periculum ſacrocolis imminet, quanto magis de renibus? Odo Abb. in ſerm. de S. Benedicto.

Sacrum Munus. Vide *Miſſa*. Itèm Sacrum, locus pro publice pœnitentibus deputatus. Vide *Narthex*.

Sadducæus, ex Sadducæa gente, quæ inter Hebræos peculiarem ſectam profitebatur; ſignificat enim juſtum ex hebraica voce *Sadoc*; nam Sadducæi juſtitiam colere, & legem Moſaicam obſervare gloriabantur, eodemque fine Prophetarum, & reliquos Sac. Scripturæ libros præter Pentateucum non admittebant; ac Angelorum cætororumque ſpirituum exiſtentiam, inſuper & mortuorum reſurrectionem negabant; ideo Phariſæorum adverſarii reputabantur. Hebræi tamen aſſerunt ita denominari a quodam Sadok hæreſiarcha, qui Antigoni Phariſæi magni nominis magiſtri diſcipulus extiterat. Verum prima etymologica opinio probabilior videtur, quam tenet Epiphanius, hæreſ. 14. Hieronymus in, cap. 22. Matth. & Abulenſis, qu. 125. in eod. Matth. capite. Multæ adhuc hujus ſectæ familiæ in Oriente, & præſertim in Conſtantinopolitana Urbe vigent, quæ ab Hebræis *Carraim* appellantur. FR. de his ita Elias Teſbites ſcribit: [ Negabant legem oretenus traditam, & non credebant, niſi quod extat in lege ſcripta, ideo vocati ſunt Carraim.] Opinio autem Hebræorum aſſerentium, Sadok Sadducæorum fuiſſe hæreſiarcham, a Juda Levita excogitata fuit, qui, in libro cujus titulus eſt *Alcoſder*, ſic ait [ Eſdras cabalam tradidit Simeoni Juſto, is Antigono, & ſociis ipſius, e quibus Sadok, & Bajathos hæreſiarchæ.] Ideo etiam *Baithoſai* dicti ſunt Sadducæi. Ex quo Judæ Levitæ ſomnio hauſerat Jo: Picus in ejus Apologia, tit. de Cabala, & magia naturali, ac priende ex 4. libro Eſdræ apocrypho, cap. 14. ſuam intentionem probare nititur, ubi ſic habetur: [ Et factum eſt, cum complevisſent quadraginta dies, locutus eſt Altiſſimus, dicens: Priora, quæ ſcripſiſti, & palam pone, & legant digni, & indigni: noviſſimos autem ſeptuaginta conſervabis, ut tradas eos ſapientibus, & populo tuo. In his enim eſt vena intellectus, & ſapientiæ fons, &

ſcien-

ſcientiæ flumen : ] Sed quales libri præter ſacræ Bibliæ poſſunt re vera dici ſapientiæ fons, & ſcientiæ flumen? Deinde ſi Dominus præceperat, ut populo Eſdra hos libros tradere debuiſset, quomodo incogniti remanere debuiſſent, ut tam mirabilia Picus jactet, & primum repertorem Cabalæ, ac librorum iſtorum ſe faciat? Videant melius, & conſiderent Periti, ac Bellarminum, & Labbè conſulant de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Jo. Picum.

Sæcularis. Vide *Laicus*, *Plebejus*.

Sæcularis Potestas. Vide *Extera poteſtas*.

Sæculatus, ſequeſtratus, & ſeparatus a ſæculo, ac Deo dicatus. [ A fratribus eſt dulciter Deo ſæculata. In vita S. Genovefæ.

Sæcularitas. Vide *Secularitas*.

Sæpefatus, ſæpedictus. [ Et quidquid inter prædictum Joannem virum magnificum, & ſæpefatum Epiſcopum. S. Greg. lib. 1. cap. 36.

Sagellum, ſacculus: Paleis vero lectuli ineventilatis, multo tempore, vilique ſagello conſtrictis, pelliceo. que ſuperpoſito conquievit. In vita S. Eugendi Abb.] proprie culcitrulam ſtramineam ſignificat.

Sagena. FR. piſcatorium rete; ſed non omne rete intelligitur: piſcatores enim diverſa retiorum genera habent, ac ſagena eſt rete denſum, quod littora verrit, & capit quidquid boni, & mali ei occurrit, & piſcatores in aliquibus Italiæ locis *Tartarone* appellant. Dicitur autem Sagena ex græco vocabulo σαγήνη, ideſt, ſcopa, verriculum, a mare verrendo; ideo Chriſtus in Evangelio ait: [ Simile eſt regnum Cœlorum ſagenæ miſſæ in mari ex omni genere piſcium congreganti, quam cum impleta eſſet, elegerunt bonos in vaſa, malos autem foras miſerunt; ] quia ſecum trahit omne id, quod boni, & mali invenit in mari. Vide *Vertebolum*.

Sagia, lanea tela, quæ Italice *Saja* dicitur. Vide *Cappa*; ubi de Nicolai Papæ III. conceſſione agitur.

Sagibaro, vel *Sachbaro*, Judex litium, & cauſarum: nam Saxonum vox *Sag*, ſive *Sach*, litem ſignificat: itaque ſupradictum nomen Baronem cauſarum, ideſt, civilium litium Judicem denotat, & in aliquibus Italiæ Rebuſpub. *Saccio*, & *Saggio* dicitur, ideſt, ſapiens, ac prudens, ex eo quia in Juriſprudentia verſatus ſit. Gloſſa autem in lege ſalica ſic explicat: [ Sagibarones dicuntur quaſi Senatores. [ Gallice vero *Homnes de loy*, *ou de cauſes* dicitur.

Sagimen, adeps, pinguedo. Romæ autem adipe non condiebatur eſculentum in die SS. Innocentium, nec comedebatur caro propter mœſtitiam. [In iſto die Romani non comedunt carnem, nec ſagimen, niſi veniret in Dominica. Benedictus Baſil. Vaticanæ Canonicus in ejus M. S. Cæremonial. ] hodie in utraque Sicilia *Saime* dicitur. FR. Fortaſſe ex hebræo, & arabico vocabulo *Sciaham*, quod idem ſignificat. Vid. *Sepum*.

Sagio. Vide *Sajo*.

Sagitta. Cymba, qua Tynnorum piſcatores utuntur. Bullar. Caſin. tom. 2. conſt. 187. num. 6.

Sagittarius. Vide *Arquitis*.

Sagmarius, ſarcinatus bajulus, vox barbaro-græca σαγμάριος, quia σάγμα onus, & ſarcinam ſignificat: [ Et repente ſagmarius per montis devexa collabitur. Petr. Damianus in vita Sancti Odilonis, cap. 13. ] In quibuſdam veſtis Cæremonialibus M. S. *Salmarius* nedum appellatur jumentum, quod fert onus; ſed etiam Mulio, qui oneris curam gerit. In antiquis etiam inſtrumentis onus, & ſarcina *Salma* dicitur, quæ etiam Italice *Soma*, & *Salma* vocatur; ſed in utraque Sicilia *Soma* aridorum menſuram denotat, quæ modio correſpondet; nam *Salma* dicitur, quia eſt proportionata jumento ſarcina. Vide *Sauma*.

Saicio, verbum, occupo, aſſalio. [ In vico Cariorum ſancierunt. Ivo Carnot. epiſt. 121. ] a verbo gallico *Saiſir*, quo paſſiva ſignificatione Innocent. III. utitur: inquiens: [ Quod alia, quam regalia ſaiciri fecerunt, lib. 3. epiſt. 8.] Invenitur præterea nomen *Saicina*, ſeu ut alii legunt *Seiſina*, quia aſſaliendo appropinquatur, ex gallico nomine *Seiſine*; unde *Saſſino*, & *Aſſaſſino* Italice, viarum craſſator, ſive aſſaliens dicitur.

Sajo, Carnifex. [ Sajo, pœnator, tortor. Iſid. ] quo vocabulo ſæpe Caſſiodorus utitur. Alii vero *Sagio* dicunt ex voce *Sager* germanica. Vide *Carnifex*. FR. *Sajonum* meminit Blondus decad. 1. lib. 3. de Theodorico Italiæ Rege loquens: [ Sajonibus, ut ipſe, (*nempe*, *Theodoricus*) appellavit, ex Oſtrogotha gente per Urbem, regioneſque Italiæ conſtitutis, qui Præfectorum, Centurionumque vice fungentes, Barbaros ſuos in pace, & otio a Civium, & Provincialium injuria prohiberent, educerentque in turinas, & phalangas, cum belli, aut tumultus ratio poſtularet ] hinc a *Sais*, ſeu *Sagio* in tota pene Europa *Sargens*, & Itali *Sargente* dicunt. Sajonum enim Civitas Normanniæ ſub A. Rothomagenſi vulgo *Sais*, & *Seez*, nunc *Sagienſis* dicitur. In l. 17. Longobardor. lib. 2. tit. 1. habetur, quod: [ Nullus in territorio non ſibi commiſſo, vel ubi judicandi poteſtatem nullam habet omnino commiſſam, quæmque præſumat per juſſionem, aut ſajonem diſtringere. ] Ubi Gloſſa A. I. male per dictionem *Sajonem* tortorem, ſeu carnificem intellexit, quam Auctor hic ſequi videtur. Sed textus per *Juſſionem* mandatarium, & per *Sajonem* Securigerum intelligit, quem nos Alabardarium dicimus, quorum ſuperiorem, ac brevem cappam *Sajonem* etiam dicimus, eo modo, quo Gubernatoris Urbani Alabardarii ſolent uti. Igitur tam prætoris Urbani, quam Belli Ducis mandatorum executores, Sajones denominari poſſunt.

Saites, menſura liquidorum. [ Cum ſaitem Italicorum circiter octodecim ebibiſſet. Pallad. in Lauſiaca, cap. 22.] quæ ſecundum Epiphanii documentum in lib. de ponderibus, viginti duos ſextarios capiebat.

Saldinæ Decimæ. FR. erant decimæ a Pontificibus ſuper Eccleſiaſtica beneficia Philippo Galliarum Regi ad

ad continuandum contra Saladinum Ægypti tyrannum bellum conceſſæ.

Salambona, ab Hiſpanis Venus ita appellata [ Per forum more ſuo circulatorio Idolum Salambonæ Deæ circumferrent. S. Iſidor. in vita SS. Juſtæ, & Rufinæ.] Erant ſiquidem functiones lugubres Mulierum mortem Adonidis plangentium, quæ ſuperſtitio ab Hebræis, & Syris provenerat. [Ecce ubi Mulieres ſedentes plangebant Adonidem. Ezechiel. cap. 8.] Quod in menſe Julii obſervabatur; nam menſis hic ab Hebræis, & Arabibus *Thammus* appellatur, quod *Adonidem* ſignificat; ideo prædictum Ezechielis locum LXX. verterunt: [ Plangebant Thammus.] Vide *Aſtarthen*, *Thammus*.

Salapitta, alapa. [ Delectantur, ut res eſt, ſtupidorum, capitibus raſis, ſalappitarum ſonu. Arnobius, lib. 7.] de ſcurris loquitur, qui fortaſſe ad excitandum in circumſtantibus riſum, ſinunt alapis percuti, de quibus Tertullianus [ Inſuper contumeliis alaparum objicit, de ſpectac.] Ac D. Cyprianus in eodem tractatu: [ Ictibus infœlix facies locatur ] dixit. Ego tamen pro certo habeo, non alapam, ut aliqui interpretantur, ſed tubicinem ſignificare. Vide *Salpicta*, *Salpix*. FR. dictionem vero *Stupicorum* in Arnobio ſupra allato exiſtimo mendoſam, ac etiam comma ante eandem dictionem poſitum; ſic enim legendum puto, nempe; [ Delectantur, ut res eſt ſtupidorum, capitibus raſis &c.

Salaria Vetus, Romæ via. Vide *Concilium*.

Salarium, Halodochium, vaſculum ſalis, quod ponitur in menſa ad condiendos cibos, quod Italice *Saliera* dicitur. [ Coclearia quoque duodecim, & ſalarium argenteum. Flodoard. lib. 2. c.4.] In Conſtitutionibus Ciſtercienſium *Salinum* dicitur: Salarium autem apud Latinos ſtipendium ſignificat. FR. vox *Salinum* eſt vere latina, qua utitur Plin. lib.33. cap.12. & lib. 35. cap. 12.

Salebratus, ſalebroſus, aſper, præruptus, præcipitatus. [ Qui ſalebratis ſaxonum obicibus anfractus ſpumoſo caneſcit impulſu. Sidonius, l. 2. epiſt. 3.

Salecta. FR. ſalicetum. Bullar. Caſin. tom. 2. conſt. 46. 75. 92. 118. 143.

Salernum. FR. Campaniæ Civitas. [ Quæ Civitas propter mare contiguum, quod ſolum appellatur, & ob rivum, qui dicitur Lirnus, ex duobus corruptis vocabulis, Salernum appellata eſt. Herempert. Epitome, ann. 786.

Salgamum. Cellarium, ſive cella penuaria. vulgo *Diſpenſa*, & græco vocabulo σάλγαμα, quod eſculenta ſignificat. [ Et ſalgamum poſitum ante domum ſupraſcripti Monaſterii. S. Gregor. in Regiſt. lib. 5. epiſt. 44.] ſed Columella, lib. 12. cap. 53. Salgmarium, Salſamentarium intelligere videtur. Vide *Promptuarium*.

Salinarium. Vide *Pedagium*.

Salisburgensis Civitas. Vide *Sarum*.

Salisatores, Magi, ſive Divinatores, qui ſumebant auguria ex corporis palpitatione, & membrorum tremore. [ Saliſatores, quia dum eis membrorum quæcumque partes ſalierint, aliquid ſibi exinde proſperum, ſeu triſte ſignificare prædicunt. Iſidor. lib. 8. etymol. cap. 9.] hic autem tremor a Juſtino Martyre παλμός dicitur, quod animalium palpitationem ſignificat; unde inquit: [ Porro ſaliſatio eſt corporis perpeſſio, quæ in eo diſcurſu ſpiritus naturalis in animantibus exiſtit. In reſponſ. ad Orthod. Interrog. 19.] Vide *Hydromantia*.

Salinum. Vide *Salarium*.

Salma. Vide *Sagmarius*.

Salo, ſive *Salos*, ſtultus, a voce græca σαλός ejuſdem ſignificationis; ſic appellatus eſt S. Simon Stylita. Vide Baronium an. 584. num. 15. uſque ad 23. Atque *Salæ* fœminæ fatuæ a Palladio in Lauſiaca, cap. 42. appellatæ ſunt.

Salomon Rex. Vide *Lamuel*, *Ophir*. Ejus divitiæ. Vide *Strutum*, *Trinomius*.

Salpicta, σαλπικτής, Tubicen. [ Ac nullatenus timidorum more militum horrorem belli, & claſſicæ ſalpictæ muliebriter metuentium. Aldhelm. de Virg.] Et clarius Salmaſ. in Vopiſ. [ Centum ſalpictas uno crepitu concinentes, & centum cerataulas.] Vide *Salapitta*, *Salpix*.

Salpix, σάλπιγξ, tuba. [ Horrendus ſalpicum clangor increpuiſſet. Adhelm.] Vide *Salpicta*, *Salapitta*.

Salsitudo, lepor, & jucunditas ſermonis, [ Ipſius enim ſermonis ſalſitudo æqualiter cunctis, pro ut videbatur, in gratia erat condita. In vita Sanct. Guliemi Abb.

Saltarius, *Saltatarius*, & *Saltuarius*, qui ſylvis & ſaltibus cuſtodiendi præeſt, l. de ſervo fugitivo, de furtis, l. de omnibus, de exercitalibus.

Saltica, ſaltatrix, ſic appellata fuit Herodiadis filia a Tertulliano: [ Ipſe clauſula legis, & Prophetarum, nec Prophetes, nec Angelus dictus, contumelioſa cæde truncatur in puellæ ſalticæ lucar. Adverſ. Gnoſt. c. 8.] de D. Jo. Bapt. loquitur.

Salvaguardia, protectio, vel defenſio, cuſtodia. [ Quod teſtamentum confirmatus fuit ab invictiſſimo & glorioſiſſimo Carolo Imperatore, & Rege Francorum, & diplomate ſuo in tutela, & ſalvaguardia iſtud Monaſterium, & Monachas ibidem Deo deſervientes, cum dependentiis poſuit, & accepit, In fundatione Monaſt. Vezalicen. ex Bibliotheca Cluniacen. excerpta.] Et ibidem inferius: [ Monaſterium cum Ancillis Deo ſervientibus in protectionem, & ſalvaguardiam accepit.

Salvamentum, ſalus: [ Cum honore, & ſalvamento. Hincmar. Rhemen. epiſt. 8.

Savator, Papa. Vide *Soter*. S. Salvatoris Romæ Eccleſia. Vide *Conſtantiniana Eccleſia*, *Porticani*.

Salve Regina, Hæc Antiphona compoſita fuit a Petro Compoſtellano, ut refert Durandus, lib. 4. c. 22. ab Hermanno Contracto alii putant. Tritem. lib. 2. c. 84. Sanctus tamen Bernardus *Clemens o Pia, o dulcis Virgo*

*go Maria* adjecit. Ac S. Ephræm compoſuit verſiculum *Dignare me &c.* ut refert S. Hieronymus a Cornelio Scultingio citatus tom. 4. part. 3. de Peculiaribus Miſſ. Poſtea vero Gregorius Papa IX. in qualibet feria VI. in Officio Divino in perſecutione Federici II. Imperatoris cani ordinavit. FR. Blondus vero decad. 2. l. 7. a ſucceſſore in Pontificatu Cœleſtino IV. hoc inſtitutum fuiſſe ait.

Salve Santa Parens. Vide *Introitus*, *Sabbatum*.

Salutatio Angelica, ita dicitur hæc oratio, quia prima pars ex ore Angelico prolata fuerat, ſecunda vero a S. Eliſabeth Præcurſoris Matre, ultima denique, ideſt, *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus* in Epheſino Concilio addita fuerat. Baron. ann. 431. Ac recenter per conſuetudinem a Beato Pio Papa V. approbatam introducta fuere verba *Nunc*, *& in hora mortis noſtræ*. Per conſuetndinem etiam immemorabilem profertur dictio *Jeſus*. Signum pulſationis, quod ter in die datur ad monendos Chriſtianos ad recitandam hujuſmodi ſalutationem, inſtitutum fuit, ut aliqui volunt, ab Urbano II. præcipue matutinum, & veſpertinum ſignum, ut omnes fideles hac oratione pro recuperatione Terræ Sanctæ Deum precarentur, dum in ea dimicatione tunc perſiſtebatur. Ita Ciacconius in vita hujus Pontificis, & clarius Arnoldus Uvion in Ligno vitæ: quæ pia commemoratio per CXXXIV. annos duraverat; ſed neglecta, denuo juſſu Gregorii IX. reaſſumpta fuit, addito etiam meridiano pulſationis ſigno; ac idem Uvion ſubjungit: quæ pulſatio veſpertina gaudioſa, meridionalis doloroſa, & matutinalis glorioſa Redemptionis noſtræ myſteria ſignificat. Alii ſignum hoc meridianum a Ludovico XI. Galliarum Rege inſtitutum fuiſſe ſcribunt; ſed communior opinio eſt Calixtum III. pro victoria in favorem Fidei tunc in Ungaria obtenta hoc ſignum pietatis ordinaſſe; ita Platina, & Ciacconius in Pontificum geſtis; licet verum ſit, quod ritus hic majori univerſitate extenſus fuerit a præfato Rege Ludovico, qui Kalendis Maji præceperat, ut per Galliam exequeretur. Glorioſus Patriarcha S. Dominicus, ſive ut alii exiſtimant, S. Vincentius Ferrerius Salutationem Angelicam in principio concionandi introduxit. FR. Rodricus Mendez Sylva in ſuo Catalogo Real. ſub ann. 1423. refert Sanctum Vincentium Ferrerium hujus devotionis introductorem fuiſſe, Vide *Ave Maria*, *Cheritiſmus*, *Concionator*.

Salutatio Beatissimorum. Vide *Diptychum*.

Salutatio Cruda. Vide *Cruda ſalutatio*.

Salutationis in die Paſchæ forma, Vide *Paſcha*.

Salutatorium, locus, ubi Epiſcopus peregrinos recipiebat, ac proprie ſacriſtia erat, in qua induebatur, & præparabatur ad celebrandum; quare Gregorius Magnus cum admoneret Marianum Ravennæ Archiep. ne extra celebrationem Miſſæ pallio uteretur, ſic ſcribit: [ Non aliter te uti memineris pallio, niſi in propria tuæ Civitatis, dimiſſis jam filiis, Eccleſia, procedens a ſalutatorio ad ſacra Miſſarum ſolemnia celebranda; peractis vero Miſſis, idem in ſalutatorio rurſus curabis deponere, lib. 4. epiſt. 54. ] FR. Ac Gregor. Turonen. lib. 2. cap. 21. inquit: [ Et quia eo tempore Eccleſia parvam infra muros poſſeſſionem habebat; ipſi Sacerdoti in ipſo, quod modo ſalutatorium dicitur, manſio erat; ] nempe propter anguſtiam loci Sacerdotes habitationes, ſive chorum non habentes, cogebantur intra ſacriſtiam habitare, vel officiare. [ Nec viri intra ſalutatorium, aut Oratorium Monaſterii Virginum intrent. Conc. Matiſcon. can. 3. ] Ubi cavetur, non ſicut aliqui exponunt pro ſalutatorio, in locutorium, ſeu ut vulgo dicitur parlatorium viros ingredi; nam ibi neceſſarium eſt ingredi ab habentibus licentiam ad loquendum cum Monialibus; ſed de Sacriſtia, & Cappella, ſive Oratorio intra Monialium ſepta intelligitur. Quare ſacriſtia ſalutatorium appellata fuerit. Vide *Aſpaticum*.

Salutificator, ſalvator. [ Unde & ſalutificatorem expectamus Jeſum Chriſtum. Tertull. de reſur. carn. cap. 48.

Salvus Lotus. FR. acclamatio theatralis irriſoria Gentilium in Martyres Chriſti, dum proprio ſanguine hi conſperſi erant; nam quia a Chriſtianis audiebant Gentiles, quod lavacro baptiſmi, ſeu martyrii ſalvi fierent credentes in Evangelium; inde ipſi Ethnici, quando in ſpectaculis ſanguine jam conſperſum conſpiciebant Chriſti Athletam, per ludibrium conclamabant prædictis vocibus. [ Et ſtatim in fine ſpectaculi, leopardo ejecto, de uno morſu tanto profuſus eſt ſanguine, ut populus revertenti illi, ſecundi baptiſmatis teſtimonium reclamaverat: ſalvum lotum, ſalvum lotum. Plane utique ſalvus erat, qui hoc modo ſe laverat. In paſſione SS. Perpetuæ, & Felicitatis per Holſtenium edita.

Samaria, Σαμάρεια, FR. Urbs, & Regio in Palæſtina, de qua ſæpe in ſacra Pagina: ab Herode *Sebaſta* appellata fuit, teſte Joſepho Hebr. lib. 15. Antiq. cap. 11. Vide *Samaræus*.

Samaræus. FR. Samaritanus, ex Samariæ Civitate, quæ etiam Hebræorum ſecta erat: [ Comperimus autem, quod Samaræi degentes Cathinæ pagana mancipia emerint. Gregor. lib. 5. epiſt. 32. ] De qua ſecta, lib. 11. de antiquit. cap. 8. hæc Joſeph Hebræus refert: [ In calamitatibus merſis Judæis negant ſe eſſe cognatos, veritatem confitentes: & cum viderint clarum eis aliquid oblatum, tunc ſocios ſe Judaico generi profitentur, originem ſuam a nepotibus Joſeph, Ephraim, & Manaſſen recenſentes. ] Antea *Cuthei* hebraice dicti ſunt a quodam flumine *Cutha* appellato. Græce *Samaritæ* propter rerum motum, quo ſemper parati ſunt. Joſeph. Jud. lib. 9. Antiquit. cap. 14. Ideo fortaſſe Itali *Smarrito* appellant, quem devium, ſeu abſtractum vident. Ideoque Hebræi, ut increduli Jeſum tanquam mendacem, & a veritate devium calumniantes, dixerunt ei: [ Nonne bene dicimus nos, quod Samaritanus es tu, & dæmonium habes?

Jo.

Jo. cap. 9. ] a D.Gregorio Samaritanus Cuſtos interpretatur, homil. 18. in cap. 8. Jo. a D. Aug. lib. 2. quæſt. Evangelic. cap. 43. & Hieron. ad Euſtoch. ep. 27. & epiſt. 100. Item Samaritani Meſſagetæ dicebantur, Calep. Paſſer. in dict. Meſſagetæ. Cæterum quo ad Samaritanorum hiſtoriam. Vide in Baronio, anno 31. num. 50.

SAMARDACUS, ſcurra, dictio quidem græca σαμαρδάκος [ Nonne vides ridiculos homines dictos Samardacos? Chryſoſt. hom. 18. in epiſt. ad Epheſ.

SAMARITANUS. Vide *Samaræus*.

SAMERIA, jumentum fortaſſe *Somaria* a ſoma Italica dictione potius dici debuiſſet. [ Eſt autem Damaſcus, cujus ante memini, antiquiſſima, & pulcherrima, & ditiſſima Civitas, omnibus mercatoribus, & victualibus præabundans. Species namque indicæ, petræ ſpecioſæ, ſericum plurimum, aromata infinita illuc de Baldaco, & cæteris partibus orientis, Perſiæ, & Indiæ, & a majori Armenia in Camelis, & aliis ſameriis adducuntur. Guliel. in deſcript. Terræ Sanctæ.

SAMITUS, ex barbaro-græco ζάμιτος; ſed proprie ἑξάμιτος dici debet, ideſt, ſex filorum, & ſignificat textile ſex filis confectum. [ De zona aurea, & lumbari ſerico, & ſamito. Petr. Bleſ. epiſt. 66. ] Atque Arnob. in Chron. cap. 5. [ Regina autem donavit Duci ſamitos plurimos, ita ut omnes milites ſuos veſtiret ſamitis. ] Et Conradus Epiſc. in Chron. Moguntina: [ Item duæ caſulæ de ſamito albo, & ejuſdem fili dalmaticæ duæ. ] Aliqui *Samitium* ſcribunt. Ac Davantria, qui vixit circa ann. 1325. in ejus Cæremoniali M. S. *Samitrium* habet, inquiens de Pontificis indumento, quod in Conſiſtorio ferebat, ſic: [ Verumtamen ſi tempus ſit nimis frigidum, Papa poteſt accipere pluviale de ſamitrio foderatum de pellibus. ] FR. Henricus Spelman fruſtra ait hoc vocabulum Sami Inſulæ patronymicum eſſe, quia ibi hoc textile conficiebatur, ſed qua conjectura? ex Samo terram, & non textilia deferri legimus; deinde ex Samo *Samius*, & non *Samitus* diceretur :||: Ac hodie in pleriſque Italiæ locis, præſertim in utraque Sicilia *Dimito* vocatur textile duorum filorum, cujus opus Romæ dicitur *a ſpina*; græcum enim vocabulum eſt δίμιτος, ideſt, duplicis fili.

SAMIUS SOPHISTA. Vide *Recidivatus*.

SAMPULLA. FR. amphora. [ Excepto, quod gratia caritatis in ſolemnitate ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopi loci ipſius agnus unus, ſampulla vini largiens tribuatur. In quodam privil. Creſmiri Regis Dalmatiæ, & Croatiæ in favorem S. Jo. Evangeliſtæ Monaſterii.

SANABALLAT. FR. ædificator Templi in monte Garizim. Bar an. 31. n. 50.

SANAVIVARIA, de hoc vocabulo fit mentio in paſſione SS. Perpetuæ & Felicitatis. Pro cujus intelligentia ſciendum eſt, quod in Amphiteatro duæ majores portæ extabant, præter alias minores; prima dicebatur *Libitinenſis*, ideſt, mortuorum, per quam extrahebantur corpora gladiatorum interfectorum, cum Libitina funeralium Dea habita fuerit. Secunda dicebatur *Sanavivaria*, per quam Victores triumphantes exibant, ſuperata nece, & ſanos, ac vivos remanentes; ideo *Sanavivaria* dicebatur. FR. quæ hiſtoria edita fuit a Luca Holſtenio ex Codice M. S. Caſinenſi excerpta, ex cujus eruditiſſimis notis hæc deſumpta fuere.

SANCIO, pro ſanctifico; nam ubi nos in vulgata Bibliæ editione, cap. 1. & 2. Joel legimus: [ Sanctificate jejunium &c. ] vertit Tertullianus: [ Nam Joel exclamavit; ſancite jejunium, & prædicate curationem. Adverſ. Pſych. cap. 16.

SANCTA SANCTIS, FR. erat quædam antiquitus Cæremonia, quæ in officiis divinis obſervabatur. [ Neque poſt ſanctificationem panis exaltat eum, dicens: Sancta Sanctis. In Collatione S. Maximi per Sirmondum in 8.edit.pag.123.] Vide *October*, & Chryſoſtomum hic in dict. *Solea* initio.

SANCTA SANCTORUM. Vide *Chorus*, *Sacrarium*.

SANCTUS SANCTORUM, ideſt, Sanctum Veronicæ Sudarium. Vide *Septimianum*.

SANCTIFICATIO, ideſt, Conſecratio. Vide S. Maximum in dict. *Sancta Sanctis*.

SANCTIFICATUS. FR. hoc vocabulo a Græcis appellatus eſt Abbas Theodorus Tabennenſis, qui in decimo quarto ſuæ ætatis anno ſub Sancti Pachomii diſciplina vitam monaſticam profeſſus fuit.

SANCTORALIA. Vide *Paſſionalia*.


SANCTUARIUM, Sanctorum Reliquia. [ Opportunus Abbas Monaſterii S. Leontii, quod in quinto Urbis milliario ſitum eſt, ſanctuaria ejuſdem Martyris, quæ de Eccleſia nomini ipſius dicata, ut aſtruit, furto ablata ſunt, ſibi denuo poſtulat debere concedi, ut in loco eodem recondantur. Greg. lib. 9. epiſt. 72. ] Significat etiam velum in ſanctis reliquiis contactum. Vide *Brandeum*. Item quandoque pro Choro accipitur. Vide *Chorus*.

SANCTUS, oſius græce dicitur. Vide *Oſius*. Pro Sanctis Eccleſia antiquitus ſolum Martyres venerabatur. Vide *Dulia*.

SANCTUS &c. triplicata laudis acclamatio in Miſſa, quam Sixtus Papa I. ut in Miſſa caneretur ordinavit. Microl. de Eccl. obſerv. cap. 11. FR. Ab Apoſtolis inſtitutam, ſed a Sixto decreto ſtabilitam ait Baronius an. 142. n. 12. :||: In qua prolatione per errorem vulgus pectus percutit. Vid. *Confeſſio*. Dicitur *Hymnus Angelicus*, *Cherubicus*, *Triumphalis*, *Victorialis*. *Triſagius*. τρισάγιος, enim græce ter Sanctum latine ſignificat; ſed *Triſagium* proprie denotat hymnum illum, quem canere ſæpe ſolent Græci in Miſſa, & in aliis officiis divinis, nempe: [ Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis miſerere nobis. ] de quo Baronius, an 446. n. 5. & ſeqq. & ann. 492. n. 39. & 40. Genuflectere debent qui ſunt in Choro, quando profertur Sanctus in Miſſa. Vide *Genuflexio*.

SANDALIA, quæ hodie in Cæremoniali calcei, quibus Prælati in Pontificalibus uti ſolent, intelliguntur;

ſed antiquitus omnes Eccleſiaſtici eis utebantur modeſtiæ gratia, quamvis cum aliqua differentia ad manifeſtandum eorum Ordinis gradum, ut in Capitul. Caroli Magni, lib. 5. c. 219. notatum his verbis legimus: [ Ut unuſquiſque Presbyter Miſſam Ordine Romano cum ſandaliis celebret. ] Epiſcopi tamen ſandalia fibulata ferebant, ad ſignificandam, ut de divin. off. inquit Albinus, in prædicando divinum verbum promptitudinem; ita etiam ferebant Diaconi, & Sacerdotes, ſed Subdiaconus utebatur ſandaliis ſine fibulis. Idem Albin. Forma autem antiqua hujus calceamenti ita ab eodem Albino deſcribitur: [ Sandalia dicuntur ſoleæ; eſt autem genus calceamenti, quo induuntur Miniſtri Eccleſiæ, ſubterius quidem ſolea muniens pedes a terra, ſuperius vero operimentum habens. Significat autem Miniſtrum Verbi Dei non debere terrenis incumbere, ſed potius cœleſtibus inhiare, & prædicationem ſuam nulli occultare ] Erat vetuſtior ſandalium uſus, ſicut modo a Regularibus diſcalceatis deferuntur, nimirum ex ſuperiori parte aperta, ut ex Rabano de Inſtit. Cler. cap. 22. habetur: [ Pes neque tectus ſit, neque nudus ad terram, ideſt, ut neque occultetur Evangelium, nec terrenis commodis innitatur. ] Ac Rupertus de divin. off. lib. 1. cap. 24. alia etiam ſymbola in hoc uſu internoſcit: [ Sandalia Pontificis illud ſignificant Dominicæ Incarnationis calceamentum, de quo ipſe in pſalmo, In Idumæam, inquit, extendam calceamentum meum, ideſt, gentibus notam faciam Incarnationem meam. ] FR. Apud Eminentiſſ. Dom. meum Card. Brancacium ſemipes marmoreus conſervatur in Sabinenſi agro repertus, cujus typum hic delineare curavi, ut nedum ſandaliorum antiquorum forma ſpectetur; ſed etiam ad percutiendos hujuſmodi lapide Novatorum latrantium dentes, qui tanquam inventionem recentem appoſitionem Crucis in pedibus Rom. Pontificis eſſe fabulantur, dum in hoc ſemipede, tempore, quo nudis veſtigiis Pontifices incedebant, clare videtur, quod in eis Cruces deferre conſueverant.



Uſus enim in Cærem. Pontif. præſcriptus, in quo dicitur: [ Induitur papali habitu, toga, ſcilicet, linea alba, ſandaliis rubeis aurea cruce ſignatis, ] antiquiſſimus eſt, & adhuc Romæ antiqua perdurant hujus documenti monumenta nonnulla, ut in tribuna S. Praxedis a Paſchali Papa I. muſivo opere conſtructa, ubi ſe ipſum pingi fecerat cum ſandaliis juxta illius ſæculi morem cruciculis nigris in cuſpide eorum ſignatis, nimirum de ann. 824. Item de an. 624. Honorius I. cum ædificaſſet templum S. Agnetis in via Numentana, cruciculam albam, ut, adhuc videtur, in ejus effigie ad pedes impoſuit. Sic in S. Maria ad fontem, quam Jo. IV. erexerat, teſte Anaſtaſ. Bibliothecario, adhuc duorum Pontificum effigies conſervantur cum crucibus in cuſpide ſandaliorum. Item de anno 590. idem in uſu fuiſſe perſpicitur ex effigie S. Gregor. Magni a Joanne Diacono deſcripta in ejus vita, & a nobis hic allata in dict. *Baculus*. Imo antiquior figura, ſcilicet, de ann. 337. in Julio Papa habetur in dict. *Sellare*. Nam uſus oſculandi Pontificis pedes antiquiſſimus eſt, & propterea in ſignum humilitatis crucem apponit Papa in pede ad oſtendendum, quod talis reverentiæ actus non ſibi, ſed Cruci Chriſti exhibeatur, ut de oſculo ped. Rom. cap. 18. erudite Joſeph Stephanus ſcripſerat. FR. hæc etiam fuerat reſponſio Poſſevini Magno Moſcorum Duci præſtita, qui Pontificem gerentem Crucem Domini in pedibus minime laudabat. Similis actio de Laurentio Venetiarum Duce legitur, cujus pater nolebat capite detecto ſecum loqui, ideo occurſus occaſionem fugiebat; verum prudens filius in ducali bireto parvam crucem impoſuerat, ut ejus pater intelligeret, quod non filio, ſed cruci in tali actu præſtaret honorem. Itaque ad evitandas ſimiles calumnias Gelaſius Papa II. ideo fortaſſe in ejus ſandaliis non crucem, ſed tres Chriſti crucifixi clavos configurare juſſerat, ut in ejus effigie

in dict. *Mitra* appoſita conſpicere licet. De oſculo autem Pontificis pedum in Cryptis vaticanis reperitur antiqua ſculptura Benedicti XII. cum pede detecto, & porrecto, quaſi ad oſculandum exhibito. Valentinus Pontifex de anno 827. in Lateranenſi Eccleſia univerſale pedum oſculum præbuit; ſic Leoni IV. in Eccleſia Sanctorum Quatuor Coronatorum, ſic Benedicto III. ejus Adverſarii fecerunt de ann. 855. de quibus Baron. Atque Anaſtaſius Biblioth. de Conſtantino Papa, qui regnaverat ann. 708. ſcribit quod Juſtinus II. Imp. [ Auguſtus Chriſtianiſſimus cum regno in capite ſeſe proſtravit, pedes oſculans Pontificis. ] Idem fecerat Siginulfus Beneventanus Princeps Sergio II. circa ann. 844. [ Quem Præſul cum ſuſcepiſſet, ſolo proſtratus pretioſos pedes humiliter oſculatus eſt. Idem Anaſtaſ. Biblioth. ] Nauclerus vero in ejus Monarchia Eccleſiaſt. refert, quod S. Clemens ( qui poſtea Pontifex ſucceſſerat ) pedes Principis Apoſtolorum oſculatus eſſet. Item Imperatores Claudius Cajo Papæ, ut in ejus actibus, quæ circumferuntur, habetur; Conſtantinus S. Silveſtro, Juſtinus II. Joanni I. Juſtinianus Conſtantino Papæ, Carolus Magnus Adriano I. Federicus Alexandro III. Ludovicus Lotarii filius Sergio, Sigiſmundus Eugenio IV. Federicus III. Nicolao V. Carolus V. Clementi VII. ac Paulo III. ſic etiam Reges, Luitprandus Longobardorum Gregorio II. Rachis etiam Longobardorum Rex Zachariæ. Stephanus Hungarorum Benedicto VIII. Carolus VIII. Gallorum Alexandro VI. De quibus omnibus apud Baronium, & ejus continuatorem, Odericum Raynaldum. Vide *Strator*, *Adgeniculor*. Aliqui credunt, quod Chriſtus Dominus nudis pedibus ambulaſſet: [ Credimus autem Jeſum plerumque nudis pedibus ingreſſum; ſed qui credunt id perpetuum fuiſſe, ut nudis pedibus incederet, equidem errant: nam quod calceis uſus ſit, Jo: Baptiſta teſtatur, cum ſe indignum pronunciat, qui ſolvat corrigiam calceamentorum ejus. Jo: Baudinus in Compend. Vitæ Domini, cap. 23. ] Synonyma ſandaliorum. Vide *Calcei*, *Compagi*, *Pedules*.

SANDAPILA. FR. feretrum ignobile. [ Sandapilam antiqui dici voluerunt feretrum mortuorum, ideſt, loculum: non in quo nobilium corpora, ſed in quo plebejorum, atque damnatorum cadavera portabantur: ſicut Steſimbrotus Thaſius de morte Polycratis Regis Samiorum deſcripſit, dicens: Poſteaquam de cruce depoſitus, ſandapila etiam deportatus eſt. Fulgentius, de vocib. antiq. ] Vide *Feretrum*.

SANGUINITA, Conſanguineus: [ Noverat enim paucos eſſe Clericos, qui Canonice intraſſent; ita ut non eſſent ſanguinitæ, ideſt, a cognatis introducti. Cæſar. lib. 6. cap. 5.

SANGUIS, ideſt, anima, vel occiſio. Vide *Suffocatus*.

SANGUITTA. FR. Romæ in Eccleſia SS. Lucæ, & Martinæ in campo boario reperitur inſcriptio de anno 1257. in qua legitur AlexandrumIV. illam Eccleſiam conſecraſſe, ac inter alias reliquias, etiam *De ſanguitta* S. Macarii repoſuiſſe. Torrigius de Cryptis Vatican. pag. 358. ſecundæ impreſſ. ait Sanguittam eſſe habitum; ſed apud nullum Auctorem memini legiſſe veſtem hujus nominis; fortaſſe lapidis error eſt, ex vocabulo, *Samitus* corrupte inciſus. Vide *Samitus*. Vel, *ſegnutta* potius diminutive ex dictione *ſegnum* genus veſtis. Vide *Segnum*.

SANHEDRIM, ex græco Σανέδριν, ideſt Conſeſſio, ſive Conſiſtorium: ſic Hebræi eorum Collegium ſeptuaginta Sapientum appellabant, in quorum locum ſeptuaginta Cardinales S. R. E. ſucceſſerunt. Sanhedrim igitur ad indigandam Chriſti cauſam convocatum fuerat, quia contra eum in materia Religionis agitabatur, a quibus injuſte morte damnatus fuit, inter quos fuit Joſeph ab Arimathæa nobilis, & ubi nos legimus in vulgata *Decurio*, græca lectio habet βουλευτής, ideſt, Conſiliarius, ſive Senator, ut Cornelius a Lapide advertit, inquiens: [ Quod Romæ Senator, Decurio in Mancipiis. ] Unde colligitur manifeſte eundem Joſephum fuiſſe in prædicto Conſilio contra Chriſtum congregato ex Lucæ verbis, c. 23. [ Hic non conſenſerat conſilio, & actibus eorum. ] Præter dictos ſeptuaginta in eo Conſilio contra Jeſum, intervenerat Summus Pontifex Hebr. ut non potuiſſet ad paritatem votorum perveniri. FR. Thalmudiſtæ hunc Conſeſſum appellarunt *Curiam*, *Magnum Conſilium*, *Domum ſupremam*. Vide *Synedrus*.

SANIR. FR. mons in Syria in regione Amorrhæorum: *Sanir* enim interpretatur, *Via lucernæ*, aut *Deus vigiliarum*. Hieronym. in c. 27. Ezechiel. qui appellatur etiam *Sarion*, *Seon*, & *Sion* in ſac. ſcriptura, & ab eo monte ſcatet in parte Jordanis flumen. [ A capite Sanir, & Hermon. Hinc enim dicunt manare fontes Jordanis, ſupra quos ſitus eſt hic mons, qui dividitur in duo cacumina, quibus impoſita ſunt nomina Sanir, & Hermon. Euſebius, ſive Gregorius Nyſſen. in Cant. ] ex quibus intelligitur S. Hieronymus, lib. 8. in Ezech. cap. 27. inquiens: [ Sanir mons ipſe eſt, qui & Hermon. ] Diſtincti autem hi montes recenſentur in 1. Paralip. 5. 23. nempe: [ Poſſederunt terram a finibus Baſan, uſque, Baal Hermon, & Sanir, & montem Hermon. ] Quia, nimirum, unus mons, in duo cacumina diviſus, duos efficiebat montes: [ Ultra Jordanem ſunt varii montes, nempe, mons Seir, mons Hermon, mons Libani, mons Galaad: qui tamen omnes ſunt unus mons continuus; niſi quod in diverſis locis diverſa ſortitur nomina. Broccard. lib. 2. itiner. ] Aliqui tamen duos montes Hermon appellatos fuiſſe, nempe, Hermon trans Jordanem, & alter mons parvus, de quo loquutus eſt David: [De terra Jordanis, & Hermoniim a monte modico, pſal. 41. ] quibus favere videtur S. Hieronym. in epith. Paulæ, ubi inquit: [ Aſpiciebat procul montes Hermon, & Hermoniim: ] ſed David ait *a monte modico Hermoniim*, ubi *a monte* eſt in ſingulari, & *Hermoniim* eſt in plurali numero, ac ſi diceremus a mon-

monte modico Hermoniorum. Pro quo ſciendum eſt, quod *Seir* eſt nomen potius arabicum, & ſignificat parvum, ſeu modicum: quod hebraice pronunciatur etiam *Tsahir*. Igitur Davidica verba ſupra allata ſic intelligerem. De terra Jordanis, & a monte Seir, ſeu modico Hermoniorum montium; nam ea pars erat modicum cacumen montis Hermon; ideo *Seir* appellatus: quia juxta varietatem temporum, vel regionum diverſimode pronunciabatur; ſic in Deuter. dicitur: [Trans Jordanem ab Aroer, quæ ſita eſt ſuper ripam torrentis Amon, uſque ad montem Sion, qui eſt Hermon, 4. 48.] ubi LXX. legunt, *In monte Sion*. Atque Moſes ipſe de diverſitate pronunciationis hujus vocabuli reddit rationem, inquiens: [Tulimuſque illo tempore terram de manu duorum Regum Amorræorum, qui erant trans Jordanem, a torrente Hermon, uſque ad montem Hermon, quem Sidonii Sarion vocant, & Amorrhæi Sanir. Deut. 3. 8.] LXX. vertunt [Phœnices cognominant Hermon Sarion, & Amorræus cognominavit Sanir.] Et ubi Vulgata habet: [Sicut Cedrus exaltata ſum in Libano, & quaſi cypreſſus in monte Sion. Eccl. 24. 17.] textus græcus legit ἐν ὄρεσιν ἀερμῶν, ideſt, *In montibus Sion*; in aliquibus tamen codicibus habetur *Tſion*, a *Thair* fortaſſe, qui modicum, & parvum ex hebræo ſignificat, ut ſupra diximus. Probatur ulterius Broccardi itinerarium, quod, nempe, montes Seir, Hermon, Libanus, Galaad &c. fuerint contigui, ex Jeremia: Galaad tu mihi initium Libani, 22. 6.] ex Zacharia: [Et ad terram Galaad, & Libani adducam eos, 10.] ex Canticis: [De vertice Sanir, & Hermon. 4. 8.] ex Joſue: [Et partem montis, quæ aſcendit Seir, uſque Baalgaad per planitiem Libani ſubter montem Hermon. 11. 17.

Saniesa. Vide *Diaconiſſa*.

Saphira. FR. de qua Act. 5. interpretatur Pulchra.

Sapa. FR. quam Siculi *Vinum coctum*, & rectius Romani *Muſtum coctum* appellant. *Sapa* enim a ſapiditate dicitur, quamvis Calepinus pro ſucco plantarum, nullo Auctore fulcitus, uſurpet. Palladius *Defrutum* appellat; ſed licet hoc vocabulum muſtum coctum ſignificet, Plinius tamen aliqualem differentiam in cocturæ duratione affert inter ſapam, & defrutum, inquiens: [Ciſibilites vero muſti in Galatia naſcens, & halyntium in Sicilia. Nam ſitæum, quod alii hepſema, noſtri ſapam appellant, ingenii, non naturæ opus eſt muſto uſque ad tertiam partem menſuræ decocto: quod ubi factum ad dimidiam eſt, defrutum vocamus, lib. 14. c. 9.] & lib. 23. c. 2. [Vino cognata res eſt, muſto decocto: donec tertia pars ſuperſit.] *Defrutum* autem a defervendo dici docet Palladius. Hinc *Defrutare*, verbum, ideſt, muſtum decoquere, ut inde defrutum fiat: & Defrutaria vaſa, ſcilicet, in quibus defruta coquuntur. Columell. lib. 2. & 13. Procul in l. ult. §. 1. de vino trit. oleoque legat. Quare corrigendus Ulpiani locus in eod. tit. de vino, trit. oleoque legat. l. ſi quis vinum, ubi mendoſe *Defructum*, pro defruto legitur: ibique male intelligendo Accurſius, talia commentaverat: [Defructum dicit forſitan ideo appellari, quod de uſu ſit ſublatum. Ulpiani textus etiam mendoſus eſt in ſapæ vocabulo in l. quæſitum eſt, §. ſi qua parte, de fund. inſtr. inquiens: [Vas æneum, in quo rapa quoqueretur, ut ferveat] legendum *Sapa coqueretur*, ubi docet, quod ſapa græce ἕψημα dicitur ab ἕψειν, quod eſt decoquere. De ſapa cecinit Martialis, lib. 7. epigr. 53.

Et laletanæ nigra lagena ſapæ:

*Laletanam Sapam* appellat, nempe, ex vino Laletaniæ Hiſpaniæ Tarraconenſis evecto, quod in pretio Romæ habebatur: quare idem Poeta, lib. 1. epig. 27. Sextilianum potatorem irridens, inquit:

A Caupone tibi fex laletana petatur.

quæ laletana vina inter generoſa laudantur a Plin. lib. 14. cap. 6. de qua regione cecinit idem Martial. lib. 1. epigr. 50.

Apricis repetes Tarraconis littora,
Tuamque Laletaniam.

De quibus incolis: [Flumen Rubricatum, quo Laletani, & Indigetes. Plin. lib. 3. c. 3.] Rurſus de Defruto Martial. lib. 4. epigr. 45.

Et nigri ſyria defruti lagena.

At Ovidius purpuream ſapam appellat, 4. Faſt. quam Martial. nigram vocat.

Lac niveum potes, purpureamque ſapam.

Sapientiæ, liber in ſac. Scriptura. Vide *Pſeudo-epigraphus*.

Sapo. Vide *Smigma*.

Sarabaitæ, erat Monachorum genus, quod ab obſervantia regulari diſſolutum, ſuo libitu male vivebat, ac a D. Benedicto in ejus Regulis, cap. 1. minute deſcribitur. Vocabulum quidem Ægyptium eſſe ait Iſidorus, lib. 2. de Eccl. Off. c. 16. quos Monachos propter aviditatem Ananiæ, ac Saphiræ comparat, quos etiam *Rhomobothitas* vocat, & quia diſciplinam Clauſtralem obſervare renuebant, *Renuitæ* ab Odone appellati ſunt, dum ait: [Non Monachos, ut falſo nominamur, ſed Sarabaitas, ideſt, Renuitas, qui jugum regularis diſciplinæ renuimus, lib. 3. Coll. c. 23.

Sarabara, vox Chaldæa, fœminalia, ſive fœmuralia & calceamenta ſignificat; nam ubi Daniel in Vulgata, c. 3. de pueris Babylonicæ fornacis inquit: [Et confeſtim viri illi vincti cum braccis ſuis, & thiaris, & calciamentis, & veſtibus miſſi ſunt in medium fornacis:] alii legunt: *Cum ſarabaris ſuis, & thiaris*. Et Tertullianus, lib. 3. de pallio, c. 4. de hoc vocabulo mentionem quoque faciens, inquit: [Triumphalem cataphracten amolitus in captiva ſarabara deceſſit.] Alii tandem *Saraballa* legunt. Unde D. Hieronymus ſic aſtruit: [Lingua autem Chaldæorum *Saraballa*, crura hominum vocantur tibiæ, braccæ eorum, quibus crura tegunt.] Quæ verſio mihi magis arridet, quia arabice fæmuralia *Serrual* dicuntur.

Saraca, veſtis genus. Vide *Saracum*.

Saracenus. FR. proprie Hebræus eſſet, nam Hebræi ſunt ex genere Iſaac, qui fuit filius Abrahæ ex Sara genitus, unde Saraceni, Geneſ. 21. & epiſt. ad Galatas 4. Agareni ſunt Arabes ex Iſmael, qui fuit filius ejuſdem Patriarchæ ex Agar ancilla ſuſceptus, loc cit. Unde Agareni hodie improprie Saraceni dicuntur, de quibus fuſe D. Auguſtinus, qui etiam rationem reddit Arabum *jactantiæ* de hujus nominis mutatione. Hi a Cornelio Tacito, lib. 14. c. 27. *Mardi* appellantur. Item *Saracenus* monetam Syriacam ſignificat: [ Quinquagintorum ſaracenorum obligationem acceperat, de Confeſſis, c. 2. ] Et ibi Gloſſa Saracenos introductores facit deſinentiæ verſus, qui ab Italis *Rima* dicitur. Vide *Verſus Leoninus*. Cætera Vide *Sephoris*.

Saracum, veſtis genus: [ Saraca de olovero cum chryſoclavo. Anaſt. Biblioth. in Benedict. III. ] FR. adhuc Romæ vocatur *Sariga* vilis ſemitunica linea, ac rudis, qua ſuperindui ſolent Bajuli, Laniones, Venatores, & ſimiles, ne in eorum exercitiis veſtes lacerentur, ſive maculentur.

Sarajum, vox barbaro-græca, ideſt, Palatium. [ Captura in ſarajo, ſive palatio Ameræ annos nata quatuordecim. Phranz. in Chron. lib. 3. c. 21. ] Hodie Ottomanico Palatio hoc nomen remanſit: italice *Serraglio*. FR. *Serraglio* italicum vocab. a *ſerrare* verbo derivatur; ideo quodlibet conſeptum ſignificat. Vide *Garena*.

Sarcina. FR. onus, pondus. [ Ipſos ad obligationis ſarcinam, ordine debito ſebeundam teneri decernas. In decretal. de præſcr. c. 11. Tamen ei quos ſicarios eſſe ſciebant, in ſarcinis cuſtodiendis miniſterium præbuerunt, lib. 5. decretal. tit. 12. c. 16. §. Hi quoque.

Sarcophagum, σαρκοφάγον. FR. Monumentum, ſepulchrum: a σάρξ, græce, ideſt caro, & φάγω, comedo, Accurſius, l. funeris, lib. 11. tit. 7. quia caro ibi a vermibus comeditur, & terra conſumitur.

Sarcitector. Vide *Sartatector*.

Sarculum. FR. runca: [ Vepres, ſpinæ in univerſa terra, & montes ſarculo ſarcientur. ] Iſaiæ, c. 7. Deſcendit omnis Iſrael, ut acueret unuſquiſque vomerem ſuum, ligonem, ſcurrim, & ſarculum, 1. Reg. c. 13. Altercationes dirimat, & obſcura ſuccidat, quam per cultoris providi ſarculum extirpet vitia, virtutes inſerat &c. in proem. Clementinæ. ] Et ibi Gloſſa, differentiam inter Fullonem, & Sarcinatorem, in Inſtit. de man. in fine notat. Sarculi ſynonyma. Vide *Runca*.

Sarion, mons. Vide *Sanir*.

Sarmentarius, & ) Vide *Chriſtianus*.
Sarmentitius. )

Sarra. FR. ſpatium, ſeu campum ſignificat, fortaſſe ex arabico vocab. *Sciahara*, ideſt, deſertum. [ Et vadit per ſarram de monte caballo. Bullar. Caſin. tom. 2. conſt. 162.

Sarsorium, ſive *Sarſurium*, muſivum opus: [ Parietes ad altarium opere ſarſorio ex multo marmorum genere exornatos habet. Matth. Pariſ. lib. 1. hiſt. cap. 15. ejus ſynonyma. Vide *Lithoſtratos*. *Muſivum*.

Sartumtectum. FR. de hoc vocab. habetur in ſac. Script. [Dixit Joas ad Sacerdotes; Omnem pecuniam &c. accipiant illam Sacerdotes, & inſtaurent ſartatecta domus, 4. Reg. c. 12. ] ideſt, templum: aliqui opus publicum intelligunt, quod locabatur, ut integrum præſtaretur. Onomaſt. Laurent. ex Feſto [Sartumtectum, integrum, & incolumen] Alii tamen reſtaurationem templi intelligunt. Catholicon. Dubitatur, quænam neceſſitas erat reſtaurationis templi tempore Joas Regis: nam antiquum non erat, dum recenter a Salomone erectum fuerat? Sed reſpondetur, quod (ut Joſephus Hæbr. lib. 9. antiq. c. 8. refert ) Joram, & Athalia ejus uxor, eorumque filii non parum deornaverant templum illud, atque ſpoliaverant, ac propemodum deſtruxerant hinc inde, ex cujus ornamentis conſtruxerant, & ornaverant phanum Baal: quare ſac. Scriptura, loc. cit. ſubjungit: [Igitur usque ad vigeſimum tertium annum Regis Joas non inſtauraverunt Sacerdotes ſartatecta templi.

Sartatector. FR. qui ſartatecta curabat. Salmas. Aliqui tamen *ſarcitector* mendoſe legunt. La Cerda.

Sarum. FR. ſignificat Salisburgenſem Civitatem: [ Secundum uſum ſarum. In Liturgia Oſmundi Epiſcopi.

Sassinamentum. FR. Aſſaſſinamentum. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſt. 218.

Satan, vox hebraica, ac ſyriaca, Diabolus a Sanctis Patribus communiter intelligitur: ſecundum Irenæum, Apoſtatam ſignificat; ſecundum vero alios ſerpentem. Sed ejus verum ſignificatum Adverſarium, ſive Contradictorem denotat, ut colligitur ex Sacr. Scriptura: [ Non eſt Satan, neque occurſus malus, 3. Reg. c. 5. ] in eodem ſenſu dixit Dominus Petro: [ Vade poſt me ſatanas. Matth. 16. ] quia contradicebat morti ejus. FR. etiam in eodem ſenſu Petrus Damianus Hildebrandum Cardinalem, qui fuit deinde Papa Gregorius VII. *Satanam ſanctum* appellavit, quia apud Alexandrum II. impediebat eum, ne Epiſcopatum Oſtienſem dimitteret. In veteri teſtamento ſemper legitur *Satan* indeclinabile, ſed in novo declinatur *Satanas*, *Satanæ*: [ Et ſi Satanas Satanam ejiciet. Matth. 12. ] Aliqui tamen *Sathanas* ſcribere malunt. Vide *Diabolus*. *Dæmon*.

Satellites. Vide *Attachiatus*. *Natus Præfectini*. *Puer*. Eorum Præfectus. Vide *Scribo*. *Schilphor*.

Sathaniani. Hæretici. Vide *Euchetæ*. *Precatores*. An iidem ſint cum Sethenianis. Vide *Sethiani*.

Satio, verbum; aliquando ſtabilire, & confirmare tranſlative ſignificat. [Sariat adhuc in Evangelio ſuo Dominus. Sanctus Cyprianus, lib. 1. epiſt. ad Mag. ] Utitur etiam in ſenſu paſſivo: [ Deprecationes ſolas parum ad impetrandum valere, niſi factorum, & operum acceſſione ſatientur. Idem ſerm. de Eleemoſ. ] ſumpta metaphora a cibo, & potu, qui corporales vi-

res ſtabiliunt, & confirmant; hinc Pſalmiſta: [ Panis cor hominis confirmet, pſal. 103.

Sationalis. FR. terra ſativa. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſt. 46.

Satisfactio in confeſſione. Vide *Pœnitentia*.

Satnicus. FR. loci Gubernator, qui tenebatur ſubminiſtrare Principi tempore belli centum homines armatos, hodie dicuntur *Knezi*, ideſt, Comites. *Knez* etiam appellatur Raguſenſis Reipub. Caput.

Satrapa, & *Satraps*. Perſarum vocabulum, ideſt, Provinciæ Præſes, eodem vocabulo Σατράπις, textus græcus, in c. 4. Daniel utitur; ubi Arabicus Codex habet *Vkil*, ideſt, Vicarius; hinc falſo aſſerit Toſtatus, lib. 1. Samuelis, cap. 24. quæſt. 4. quod ſatrapa latine ſonet *Satiſpotens*: a Sidonio *Satraps* dicitur: [ Quiſquis ſedet ſub Rege ſatraps, carm. 12.

Satum, aridorum menſura, quæ ſecundum Zachariam Chryſopolis Epiſcopum in commento Evang. cap. 74. continebat modium cum dimidio, ita enim ait: [ Satum eſt genus menſuræ juxta morem provinciæ Palæſtinæ, unum, & dimidium modium capiens. ] Vox quidem Syriaca *Saatto*, de qua Matth. c. 13. [ Simile eſt Regnum Cœlorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus. ] Alii tamen unum tantum modium, ideſt, viginti libras frumenti capere exiſtimant.

Saturnalia. Vide *Decembrica libertas*. *Strena*.

Savina, menſura liquidorum, ac pondus liquidorum: [ Senatores quando comedunt, debent habere ſavinæ mediam vini, & mediam claretti. Cencius Camerar. in ejus M. S. Cæremonial.] In ſignificatu autem ponderis idem, ubi de cenſibus agit, ait: [ Eccleſia S. Baſilii duas ſavinas piſcium.

Saulus. FR. hebraicum nomen, & ſignificat orbatum. Calep. Paſſerat. in dict. Orbatus, quod nomen D. Pauli ante ejus converſionem fuit.

Sauma. FR. aridorum menſura, de qua in dict. *Sagmarius* dictum eſt: [ A quinque annis, & infra famis fuit tam valida per totam Italiam, quod diverſis in partibus ſauma tritici pro auri uncia non poterat inveniri. Anonym. Monachus Caſin. in Chron. an. 1182. ] Item liquidorum menſura: [ Inter has anguſtias adeo fames invaluit, ut ſæpe apud Sanctum Germanum venderetur coſcina frumenti pluſquam una uncia auri, & ſauma vini ſimiliter, & capiſa olei tari quinque. Idem an. 1192.

Savona, Liguriæ Civitas. Vide *Saxa*.

Saxa, cultellus, ſive gladiolus. [ Ipſe brevis gladius apud illos ſaxa vocatur. Godifridus Viterbien. in Chron. ] derivatur a voce germanica *Sahas*: ſic enim Vitichindus, in lib. 1. ſuæ hiſt. inquit: [ Cultelli enim noſtra lingua ſahas dicuntur. ] Itaque hoc modo facilius textus hiſtoriæ Fredegarii intelligitur, ubi ait: [ Extrahens ſaxum, caput Patritii Perſarum truncavit ] qui genere maſculino, ideſt, *ſaxus* utitur, nempe gladius: unde aliqui imperiti hujus vocabuli, cenſentes, quod ſaxum, ideſt, lapis extrahi non dicatur, nec eo caput truncetur, perperam proinde *Uxum* correxere. Gregorius Turonenſis etiam ſimili vocabulo uſus eſt, ubi dixit: [ Duo pueri cum cultris validis, quos vulgo ſcramaſaxos vocant, lib. 2. c. 50.

Saxica. Vide *Gabatha*.

Saxones. Vide *Geviſti*. *Cinerum dies*.

Saxonia Transmarina. FR. appellabatur Anglia: [ Quia ſynodus, & Eccleſia, in qua natus, & nutritus fui, ideſt, in tranſmarina Saxonia: Lugdunenſis ſynodus, quæ in primis a diſcipulis S. Gregorii, ideſt. Auguſtino, Laurentio, Juſto, Melito, Archiepiſcopis conſtituta, &c. In Epiſt. Bonifacii Epiſc. ad Zachariam Papam, in tom. 3. Concilior. pag. 429. col. 1. Edit. Venetæ, de anno 1585.

Scabellum, genuale. Vide *Pectorale*.

Scabinus, vox germanica antiqua *ſcheffer*, quæ Auditorem pro cauſis, ac litibus vaſallorum terminandis ſignificat. [ Qui filios non habuit, & alium quemlibet hæredem ſibi facere voluerit, coram Rege, vel coram Comite, & Scabinis, vel miſſis Dominicis, qui ab eo juſtitias faciendas fuerint in provincias ordinati, traditionem faciat. Benedict. Levita, lib. 6. c. 207. ] In Capitul. Caroli Magni ſæpe fit mentio de hoc vocabulo, & ſcribitur *Scabineus*. FR. *ſcabinus* ſcribendum, nec Auditorem ſignificare videtur, ſed potius Conſulem, & ubi Benedictus ſupra ſcripſerat: [Qui ab eo ad juſtitias faciendas fuerint in provincias ordinati ] intelligitur de miſſis Dominicis, ſcilicet, a Rege, ut textum conſideranti patebit; quos nos *Regios Commiſſarios* dicimus, ac probatur ex c. 1. de immunit. in Sexto, ubi loquitur de communitatibus, & magiſtratibus, deinde de ſingulis temporalibus dominis in particulari ait: [Sane intelleximus, quod in Regno Franciæ Communiæ, Scabini, ſeu Conſules, & alii domini temporales &c. ] ubi notatur particula *ſeu*, & verba *alii Domini*, quæ denotant notiori vocabulo Conſules inter Dominos haberi; Commiſſarii autem, & Auditores Cauſarum, & judices non appellantur *Domini temporales*. Idem vocabulum etiam habetur in l. de illis, tit. de culpis.

Scaccarium, Theſaurus, Arcarium, fortaſſe ex ſaxonica dict. nota, *Erchecquer*; ſeu probabilius corrigendum *Saccarium* ut in dict. *Saccarius* dictum fuit.

Scaditio, caducitas bonorum jure feudali, ſive emphyteutico, vel livellatico, ob defectum lineæ deſcendentium poſſeſſoris, ſeu ob non adimpletas conditiones in contractu expreſſas, in favorem directi Domini provenient. [ Similiter & terras, quas relinquunt, qui ſine hæredibus moriuntur, quæ dicuntur ſcaditiones, in Chron. Caſin. lib. 4. c. 96.

Scafaldus, Theatrum, tabulatum, coaſſatio ſcenis impoſita: [ Erectus fuit quidem ſcafaldus cortinis, tapetis, & pannis variis ornatus. In vita S. Bertillæ Virginis.

Sta-

SCALA. FR. poculi genus, in hiſtor. Longobar. lib. 1. c. 27.

SCALÆ GEMONIÆ. FR. erant in Capitolio Rom. de quibus Baron. in notis ad Martyrol. 14. Mart. in digreſſione Apologiæ de loco Carceris Tulliani contra Ugonium de ſtat. Urbis, §. Qualis autem, circa finem. Et Nardinus in Roma antiqua.

SCALARIS ALA. FR. erat Cohors in militia pro aggrediendis mœniis inimicorum deſtinata [ Ipſe armatam militiam in adoleſcentia ſecutus, inter ſcalares alas ſub Rege Conſtantino: deinde ſub Juliano Cæſare militavit, in vita S. Martini Turonen. Epiſcop. a Severo Monacho compilata, & in antiquo Breviario Liciensi poſita.

SCALARIUM. FR. ſcala gradibus compoſita. [ Per laicos cuſtodes cœmeterium, vel ſcalarium Eccleſiæ circumdatur. Matth. Pariſ. in Additam. ] & Cæſarius, lib. 8. mirac. c. 90.

SCAMBIATOR. FR. nummularius, trapezita, italice *Bancherotto* dicitur, qui pro commutatione variarum monetarum in materia, ac ſpecie ad libitum cujuſcumque cum aliquo ſui lucro ſemper paratus exhibetur. [ Nunc Domini Papæ mercatores, vel ſcambiatores obmurmurantibus Judæis, palam Londini fœnerantur. Matth. Pariſ. an. 1253.

SCALPELLUM. Vide *Celtes*. Similaria, vel Similia in dict. *Cupha*.

SCAMERA. FR. ſpeculator, explorator, l. ſi quis ſcameram de maleficiis, & publicis criminibus. Lexicon græco-barbarum habet *Scamares*, ideſt, Latrones, & in ſingulari *Scamaris* Papias, ideſt, *Prædo*. Meurſius ſpionem interpretatur. Sed errat; nam a *Scamma*, ideſt, athletico loco nonniſi aggreſſorem, & incurſorem ſignificat; alii *Scammera*, & *Scameras* ſcribunt. [ Neque per exercita, aut curſas, neque per ſcammeras. In Capitul. Sicardi apud Camillum Peregrin. de hiſt. Long. in principio ] Et inferius, c. 1. [ Et hoc promittimus, ut ſi quis hoſtis, aut ſcamera; ] Item dicitur *Scamarator*, ibid. c. 2. Vide *Scara*.

SCAMMA, utitur hoc vocabulo D. Hieronymus ad Pammachium, & ante ipſum Tertull. lib. ad Martyr. Aliqui exiſtimarunt concavitatem Theatri ſignificare, ubi gladiatorum pugnæ, aliique ludi exercebantur. Alii tamen Theatri limites, & terminos intelligere malunt, qui ex aſſeribus, ac trabibus conſtituebantur; nam vox græca σκάμμα, limites, & ſylvæ terminos denotat, qui foſſis, ac terræ ſulcis circumdabantur, translative vero foſſam, quam joco tranſiliebant curſores, vel ipſam curſus metam. [ Quoties nobis a Deo dives ingeritur purpuratus, quoties vulneratus pauper apponitur, toties nobis miſericordiæ ſcamma panditur, toties nobis ſtudium pietatis aperitur. Petr. Chryſol. ſer. 124. de Divite, & Lazaro.

SANCIO, Dapifer, ſive poculum miniſtrans, ex gallico vocabulo *Eſchaſon*, de quo fit mentio in Lege ſalica, tit. 11. Vide *Dapifer*.

SCANDALIZO, σκάζω, malo exemplo occaſionem peccandi præbeo, ſive oſtendo; verbum inter Eccleſiaſticos uſitatum: ſed inter Latinos numquam reperitur pronunciatum. [ Qui autem ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt. Matth. 18. ] unde ſcandalum ſpiritualem proximi ruinam, exemplo verborum, vel operum exhibitam ſignificat. [ Væ homini illi, per quem ſcandalum venit. Ibid. ] Etiam in lege civili rixam, ſeditionem, tumultum, & ſimilia ſignificat. De ſcandalis, l. 3. & ibi Gloſſa.

SCANDILIUM, ſcalæ gradus: [ Octo etiam inſerui ſcandilia, ſupremum attribuens Chriſto. reliqua ſex ordinibus Sanctorum. Cæſar.] Ex latino verbo *Scando*.

SCAPELLARE. FR. rumpere, mutilare, & inutilem reddere, l. ſi quis Molinum, l. ſi quis Plonum, de damno, & injuria, l. ſi quis vitem, eod. tit. l. ſi quis latro, de furtis.

SCAPHA, navis. Vide *Chelandium*.

SCAPHISMUM, & *Scaphiſmus*, σκαφισμός, genus martyrii, de quo Baronius, in notis Martyrol. 28. Julii, §. Muſcarum aculeis, lit. *f*.

SCAPULA, nomen viri, ac varii hoc nomine vocati. Vide *Nympha*.

SCAPULARE, monaſticus habitus, ita appellatus a ſcapulis, duobus nimirum oſſibus, quæ in parte poſteriori colli reſident, ubi baptizandus catechumenorum oleo linitur, ut in dict. *Vertex* dicetur, ſic etiam ab Armo *Armilauſia* nuncupatur. Vide *Armilauſia*.

SCAPULARUM DOLOR. Vide *Opiſthotonus*.

SCARA, militum agmen, italice *Schiera*, ex germanico vocabulo *Schaar*, ex quo proveniunt italicæ voces *Scaramuccia*, & *Scaramucciare*, ideſt, leve certamen, ac leviter dimicare. [ Hæc eſt illa nobilium ſcara Francorum. In vit. S. Genovefæ. c. 3. FR. [ Et vos, veſtrumque populum liceat per terram meam tranſire contra illos hoſtiliter, & cum ſcara ad vindicandum abſque homicidio &c. In capitulare Radelchiſi Princ. Benevent. c. 3. apud Camillum Peregrinum in hiſt. Princip. Longobar. ] Eodem vocabulo utitur Auctor vitæ Caroli Magni a Pithoeo editus. Vide *Scario*. *Scaritus*. *Scamera*.

SCARAMANGA, veſtimenti genus, de quo Luitprandus in legatione, ubi de donativis ab Imperatore Conſtantinopolitano fieri ſolitis in ſabbato ante Dominicam palmarum; erat enim craſſum, & conduplicatum veſtimentum hybernale. [ Patriciorum deinde ordo ſecutus, & duodecim numiſmatum libris cum ſcaramanga una donatus.

SCARAMANGUM, idem indumentum, quod ſupra. [ Loricam ipſius auro contextam, & ſcaramangum ipſius detulerunt cum capite ipſius. Paul. Diac. in Heracl.

SCARAMANGINUS, a ſcaramanga, ſeu ſcaramango adjectivum. [ Obtulit in hoc loco planetam ſcaramanginam. Chron. Caſinen. lib. 12. c. 98.

SCARIO. FR. nomen, quod Militem ſignificat: [ Si quis autem Comes, Viccomes, Gaſtaldio, Scario, alicujus inſuper conditionis &c. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſt. 124.] De Milite ſcilicet Equite aurato intelligit.

Schariotн. Vide *Iſcharioth*.

Scaritus. FR. in aliqua militia ſtipendiatus, & conſcriptus. [ Cum Scaritis veniat in ſtatutis. In Synodo Ticinen. ] Vide *Scara*.

Scarius. Vide *Scudaſius*.

Scaro. FR. publico, ſtabilio, ſeu potius milites colligo, & exercitum conflo, ſicut in dict. *Scara*, & *Scaritus* diximus ſupra: [ Ut fidelitatem nobis promittant, ſicut tunc ſcarivimus. In conſtit. Caroli Magni, tit. 39.

Scebrum, Apotheca [ Miſſus in ſocellum, quod ſcebrum chartale vocitatur. Anaſt. in Sergio. ] Ex germanica dict. *Scheur*; hinc ab aliquibus *Sceurum* dicitur. Quod vocabulum melius fortaſſe ex græca dictione σκεῦβειον deduceretur. [ Credit, largiente Domino, bonis omnibus abundare, ut tam in theſauris, ac ſcevris poſtmodum duplicia redderentur. Ingulph. in Hiſt. ] FR. Ego vero potius ſuſpicarer hoc nomen ſignificare *Scrinium*; nam *chartale ſcebrum* ex Biblioth. ſupra, ſcrinium, in quo chartæ magni momenti, & de intereſſibus agentes, conſervantur, intelligi poteſt; ita etiam ex Ingulpho relato ubi ait [ Tam in theſauris, ac ſcevris duplicia reddantur, ] quia, ſcilicet, theſauri, & pecuniæ in ſcriniis obcluduntur.

Scedium. Navis ruditer compacta, & male compoſita, ex verbo græco σχεδιάζω, ideſt, ruditer, & properanter fabrico, ac translative de compoſitione literali craſſa Minerva exarata Sidonius dixit: [ Si quod ſcedium temere jacens chartulis putribus, & veternoſis continebatur, raptim, coactimque translator feſtinus exſcripſi, lib. 9. c. 16.

Scella, *Scilla*, & *Schilla*. Campanæ genus. [ Ibi quondam pendebat vas fuſile, mediocris, videlicet, ponderis, vulgaris hoc uſus ſcellam nominat, quod miræ ſonoritatis dulcedine audientiam ſenſus afficiebat. In Actibus S. Priminii Epiſc. ] Hodie autem ſquilla dicitur, ex voce germanica *Schelle* a verbo *Schallen*, ideſt, pulſare. Vide *Campana*. *Muta*.

Scematio. FR. detractio, diminutio, reſecatio, l. ſi quis a modo, tit. Qualiter quis ſe defendere debeat. A verbo Italico *Scemare*. Item ſignificat dementiam, inſaniam. Itali enim dementem *Scemo* vocant.

Scendatum. FR. omne ſericum textile. [ In veſtibus ſcendatum pro foderaturis non portent. Clementina de ſtatu Monachor. c. 1. ] Ubi ſic Gloſſa exponit: [ Scendatum omne ſericum comprehendit. Vide diſt. 11. infra, c. 1. ſuper verbo Sericis. ] Rectius tamen *Sendatum* ſcribitur, & italice *Zendado*, aut *Safetano* dicitur. Vide *Zendadum*.

Scenæ Superior Pars. Vide *Epiſcynium*. Cætera. Vide *Scafaldus*. Item ſcenæ pars. Vide *Thymelici*.

Scenologia, σκηνολογία. Obſcura loquutio. Vide *Pantologia*.

Scenofactoria Ars. Vide *Scenopegia*.

Scenopegia, σκηνοπηγία, ideſt tabernaculorum formatio; ſic appellatur Hebræorum octava, quando, ſcilicet, in memoriam Iſraeliticæ peregrinationis in deſerto, habitare, ac dormire ſolent per octo dies quotannis in tabernaculis, quæ commemoratio Hebræi *Sakot* vocant. Toſtatus autem fallitur in aſſignando hujus vocabuli etymon; ait enim a *Scenos*, ideſt, communem, & *Phagis*, nempe, comeſtionem ſignificare; ſed veram etymologiam ex græco vocabulo ſupra aſſignavimus. Ita fallitur etiam in cæremonia hujus feſti Plutarchus, lib. 4. Sympoſ. quæſt. 5. ubi inter alias ineptias, ait quod in honorem Bacchi celebrabatur. FR. Non eſt mirum, quod in hoc Plutarchus erraverit; nam etiam hic error penes hebraicum vulgum extiterat; ſoli enim Sapientes Hebræi hujus feſti inſtitutum ſciebant; cauſa autem vulgaris erroris erat, quia hoc feſtum jubilationis cantibus poſt vindemias celebrabatur, in quo præſertim canebantur pſalmi illi, quorum titulus eſt Pro torcularibus, ut Theophylactus ſcripſerat, quia ruſticana Hebræorum gens, ac idiota clamare ſolebat præ gaudio, ſtrependo potius, & inarticulate jubilando, quam pſallendo; hinc minatus erat populum Jeremias, inquiens: [ Ablata eſt lætitia, & exultatio de Carmelo, & de terra Moab, & vinum de torcularibus ſuſtuli, nequaquam calcator uvæ ſolitum celeuma cantabit, c. 48. ] Celeuma ſiquidem eſt lætitiæ vociferatio, de quo dictum fuit in dict. *Alleluja*. Quam vocem Theodoretus in præfato Jeremiæ capite juxta Syriacum textum *Eja*, *eja* legit, atque ſimili interjectione *Edad* Hebraicus textus habet. At ſi vim græci vocabuli inſpici velimus κέλευσμα, Celeuſma ſcribi debet, quod penes Scriptores Latinos non raro uſurpatum reperitur, cujus ſignificatum in eadem dict. *Alleluja* expreſſimus. Cæterum error Toſtati etiam patet, ex cap. 18. Actorum, ubi habetur, quod D. Paulus *Scenofactoriam* artem exercebat, ideſt, tentoria, & tabernacula conficiebat, ut expoſitores declarant. Vide *Doma*. *Hoſanna*.

Sceptrifer, ferens ſceptrum. S. Maximus, ſerm. de Virginibus.

Scevophylax, Σκευοφύλαξ, dignitas in græca Eccleſia, quam nos Theſaurarium dicimus, quæ dignitas in aliquibus Latinorum Cathedralibus adhuc conſervatur, ut in dict. *Cimelium* dictum fuit, cujus ſynonyma in dict. *Theſaurarius* reperies: *Scenophylacium* enim ſacriſtia dicitur. Sacriſtiæ autem ſynonyma. Vide in dict. *Sacriſtia*. Hæc vero dignitas obtinebat tertium locum in clericali primo ordine, & curam habebat ſacrarum ſuppellectilium, ac in Sede Vacante erat Oeconomus, ut de Archidiacono, & de Oeconomo ſuis locis diximus.

Schema. FR. σχῆμα, figura, accipitur pro habitu: [ Clericuſque effectus, monaſtico indutus eſt ſchemate, Heremperti Epitome, An. 749. :||: Item figuram, & ſpeciem ſignificat: [ Dæmon erroneus humano ſchemate circumamictus. Paul. Diac. lib. 14.

Scheticus, adject. FR. a dict. græca, σχετικὸς, relativus, ſeu unitus, atque *Schetice*, relative, unite. [ Schetica, ſeu habitualis conjunctio, amica, & bene-

nevola diſpoſitio eſt, vel concors voluntatum conſenſus. Qui ergo mutua ſe benevolentia proſequuntur, amicitiæ reſpectu ſchetice conjuncti dicuntur. Hæreticus enim impius Neſtorius, eccleſiaſticam doctrinam non admittens, quia ipſe Deus homo factus eſt, noſtraque natura conjunctus aſſeritur, hypoſtaticam quidem, ſeu perſonalem conjunctionem negabat. Nicet. lib. 3. theſ. orthod. fid. c. 9. ] Unde Medici *Scheticas* aliquas febres vocant, ideſt, relativas, ſeu unitas.

SCHINUS, σχῖνος: arboris ſpecies, de qua in cap. 13. Danielis. Aliqui putant eſſe lentiſci arborem, quæ in Chio Inſula maſtichen producit, ut Abbas Juſtinianus in ejus Epiſtolis memorabilibus diverſorum diffuſe, ac erudite egit. FR. Hic autem vir Juſtinianus in ſtudiis ſemper indefeſſus negat eſſe lentiſci arborem maſtichen producentem; ſic enim ait in tom. 1. ep. 3. [ Alberi &c. ſomigliano al lentiſco, e perciò alcuni ſcrivono, che la maſtice è lagrima di lentiſco; ma errano, perchè eſſi ſono d' altezza aſſai maggiori, ed hanno le fronde più lunghe in forma rotonda. ] Sed contra ſe graviſſimos Auctores habet, Dioſcoridem in primis, qui l. 1. narrat. 8. & 81. ait: [ Lentiſcus reſinam gignit, quæ lentiſcine cognominatur, aliquibus maſtiche: ] & Plinius, lib. 14. cap. 20. [ Reſina lentiſci, quam maſtichen vocant. ] Idem affirmat Galenus, lib. 2. ad Glaucum de facultate Simplic. 7. Pius II. in deſcript. Aſiæ minoris, c. 74. ac alii non pauci antiqui, & anteſignani Auctores. Ratio autem proceritatis arborum, vel aliqualis foliorum rotunditatis non officit; ſæpe enim videmus animalia, plantas, folia, & fructus ejuſdem ſpeciei ob varietatem climatum, aut ſoli aliquantum variari; & multo magis dicendum eſt de hujuſmodi Chiis arboribus, quæ ex eodem Juſtiniano ex terra nimis arida nutriuntur, unde mirum non eſt, ſi depreſſiores ſint præ cæteris ejuſdem ſpeciei, ac minus vigoroſe foliorum formam gignant. At miraculoſa mutatio lacrymarum maſtichis ab Alatio ex Papagomeno, & aliis relatoribus aſſerta, ſatis ibidem a præfato Juſtiniano rejicitur. Errat etiam Sigiſmundus Gelenius in notis ad Plinium, lib. 12. cap. 17. ubi textus habet in principio: [ Ergo tranſit in maſtichen, quæ ex alia ſpina fit: ] qui perperam corrigit: [ Ego tranſeo &c. quæ & ex humili ſpina &c. ] Plinius enim in anteriori capite de Myrrha agens, dixerat: [ Reliqua vitia, ( *ideſt*, *Myrrha* ) deprehenduntur ſapore gummi dente lenteſcentis. Fallaciſſime autem adulteratur, Indica Myrrha, quæ ibi de quadam ſpina colligitur. Hoc ſolum pejus in India affert facili diſtinctione, tanto deterior eſt. ] Et immediate ſequitur de alia ſpina Indica, quæ maſtichen gignit, in c. 17. cit. [ Ergo tranſit in maſtichen, quæ ex alia ſpina fit in India. ] Igitur alterari minime debent Plinii verba. Maſtiche vero ex ſpinis producta reperitur in Melitæ inſula, quæ vernaculo vocabulo *Miſtechatà Sceuch*, ideſt, Maſtiche ſpinarum, vel *Miſtchet el Sciahara*, nempe, maſtiche campeſtris dicitur; producitur enim ex quadam ſpecie carduum ſpinoſorum, quæ a Plinio *Cactus*, l. 21. cap. 16. appellatur, ac optime deſcribitur, ſiuti vere experimur exiſtere in Melita, quam ipſe, ac alii citati hic in dict. *Cactus* affirmant in Sicilia abundare, & ex ea gignitur maſtiche, quæ *Acantica* appellabatur; quæ gratior, ac ſalubrior præ Chia eſt; nam ſaporem præſefert meliorem, ac calloſitatem in guſtù habet, nec teritur medendo ſicut Chia; hæc indiget ceræ commixtione, illa vero ſecus: hæc nimis deſiccat fauces, dolorem capitis excitat, venas meſeraicas, ſive capillares conſtringit, ac proinde tranſitum chyli ad hepar difficilem reddit, unde debilitatem ſtomachi provocat. Item infernum os conſtringit, ita ut nimio premitu evacuatio fiat, & in excremento trahuntur moroidales ſanguinis guttæ, ac ex inteſtinis pinguedinis particulæ; quæ tamen a ſylveſtri ſpinarum maſtiche non cauſantur. Chia ſemel madita non inſervit amplius, ſed illa ex ſpinis non contemperatur cera, & madefacta diu in ſale conſervata durat.

SCHILPHOR, ſive, *Schilphor*. FR. Armiger, Satelles. Hiſt. Longobard. lib. 2. cap. 28. Vide *Scamera*.

SCHIREMOTUS. Vide *Burgemotus*.

SCHISMA, σχίσμα, ideſt, ſciſſura, diviſio. [ Hæreſes quidem eos, qui omnino abrupti ſunt, & in ipſa fide ſunt abalienati. Schiſma autem eos, qui propter aliquas eccleſiaſticas cauſas, & medicabiles quæſtiones inter ſe differunt. Illegitimos autem Conventus appellat congregationes, quæ ſunt a rebellibus presbyteris, vel Epiſcopis, & a populis minime doctis. Balſamon. FR. inter Catholicos ſchiſma, diviſio, ac ſeparatio illa intelligitur, quæ accidit in ſubtractione ab obedientia Romanæ Eccleſiæ. [ Schiſma ſiquidem ipſum, quod græcum nomen eſt, ſciſſuram ſonat; ſed in unitate ſciſſura eſſe non poteſt: non ergo unitati, (*ideſt*, *Catholiciſmo*) communicat, qui ſchiſmaticis communicat. Partes ſibi ipſi fecerunt, & ab eo, quod unum eſt, ( ut Apoſtoli Judæ jam verbis loquar ) ſemetipſos ſegregantes, ſpiritum non habent, quibus omnibus illud efficitur, ut quia in unitate unum non ſunt, ut quia in parte eſſe voluerunt, ut quia ſpiritum non habent, Corporis Chriſti ſacrificium habere non poſſint, can. ſchiſma, 24. qu. 1. ] Nam Eccleſia eſt ſicut Domini veſtimentum, quod ſciſſum non fuit, can. ſicuti Domini veſtimentum, 16. quæſt. 7. Vide *Romanus morbus*. In ſacra tamen Scriptura pro contentione aliquando ſumitur: [ Dicebant ergo ex Phariſæis quidam: Non eſt hic homo a Deo, qui ſabbatum non cuſtodit. Alii autem dicebant: Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere? Et ſchiſma erat inter eos. Jo. cap. 9. ] Paulus vero Apoſtolus ſciſſuram, & diviſionem ab unitate, & ſocietate, quæ in Chriſto eſt, in epiſt. 1. ad Corinth. c. 1. per dictionem *Schiſma* intelligit, quæ unitas eſt eadem Catholica fides.

SCHISMATICUS. FR. Chriſtianus ab Eccleſia Catholica diviſus, quem vulgus *Chriſtiano di giuntura* vocat, ideſt,

ideſt, baptiſmo tantum Catholicis ſimilis, ac conjunctus. Schiſmaticus definitur ab Auguſtino in dict. *Hæreſis*. Vide etiam *Ruptarius*.

Schiza, σχίζα. Italice *Schegia, Stecca, Tacchia* diverſimode dicitur. [ Conſtipavit ſchizas ſuper altare. Lucifer Calarit. ad Conſtant. Imp.

Schola. FR. ex græco σχολὴ, ideſt, otium, vacatio latine interpretatur. Gloſſa in proem. ſexti decretal. §. Scholaribus. Uſurpatur etiam pro controverſia, ſive diſputatione. Cic. lib. 1. Tuſculan. quæſt. [ Dierum quinque Scholas ( ut Græci appellant ) in totidem libros contuli. ] Item ſchola penes Eccleſiaſticos Scriptores ordinem Clericorum ſignificat. Vide Baronium in notis ad Martyrol. 6. Febr. §. Scholaſtici. Sed potius Collegium ſignificat. Pomp. tamen Feſtus contrarium ſenſit inquiens: [ Scholæ dictæ ſunt, non ab otio, ac vacatione, ſed quod cæteris rebus omiſſis, vacare liberalibus ſtudiis pueri debent. ] Vide *Scholaris*.

Schola Adextrariorum. Vide *Adextro*.

Schola Bestiarum. Vide *Ludus*.

Schola Cantorum, Cantorum Collegium ab Hilaro Papa inſtitutum, ut Anaſt. Biblioth. in ejus vita refert. Quare dum Joannes Diaconus in vita Gregorii Magni aſſerit hunc Pontificem Cantorum Scholam inſtituiſſe, intelligendum eſt illam reformaſſe; Gregorius enim multa hujuſmodi Collegia Romæ ædificaverat, ac copioſis redditibus ditaverat pro ſuſtentandis pueris ad diſcendum cantum, quos ipſemet docebat, ac uſque ad præſens uti pretioſa reliquia oſtenditur Romæ flagellum, quo ille pueros corrigebat in doctrina cantus. FR. S. Antoninus vero Florentiæ Archiep. hæc habet: [ Scholam Cantorum, qui hactenus eiſdem inſtitutionibus in S. R. E. modulantur, conſtituit, ( *ideſt, D. Gregorius* ) eique cum nonnullis prædiis, duo habitacula, ſcilicet, alterum ſub gradibus B. Petri Apoſtoli, alterum ſub Lateranenſis Patriarchii domibus fabricavit, ubi uſque hodie lectus, in quo recumbens modulabatur, & flagellum illius, quo pueris minabatur veneratione congrua cum authentico Antiphonario ſervatur, tit. 12. c. 3. ] Hæc tamen Schola Cantorum, quæ Pontifici inſerviebat, non erat puerorum; ſed ſeptem Subdiaconorum Cappellæ Papalis, Baron. 1057. n. 22. Schola enim puerorum erat illa, de qua in dict. *Parviſium* dictum fuit:||: Hoc inquam Collegium tenebatur adire ubicumque Pontifex ſolemniter celebrabat, & ejus Præpoſitus *Archiparaphoniſta*, ſive *Primicerius Cantorum* dicebatur. Vide *Archiparaphoniſta*. In qua Pontificali celebratione ad Subdiaconum ſpectabat canere a *Symbolo*, uſque ad *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*; deinde Cantorum Schola reaſſumebat quod ſequebatur; ut Innocentius III. refert, qui in hac cæremonia profundiſſima arcana detegit, nempe, Subdiaconum hebraicum populum denotare, qui ab exordio veram fidem profeſſus eſt; verum poſt Chriſti reſurrectionem ad agnitionem veræ fidei ſubintraverunt Gentiles, quorum typus Cantorum Schola eſt. Qui ob eandem rationem canebant offertorium, in quo ſignificabatur, aliquos, Gentiles ante paſſionem in Chriſto credidiſſe: Innocent. lib. 2. de myſt. Miſſ. c. 52. Vide *Scholentes*.

Schola Exceptorum. Vide *Exceptor*.

Schola Græcorum. FR. de qua Floravant. Martinellus in ejus Roma Ethnico-ſacra, pagin. 213. hæc habet: [ In Regione Ripæ prope locum antiquitus dictum Velabrum a Dionyſio Papa, ut creditur, fundatum, ab Adriano I. a fundamentis refectum & ampliatum, apud quod Nicolaus I. fecit hoſpitium largum, & ſpatioſum, ſatiſque præcipuum ad opem, atque utilitatem Pontificum: item ſecretarium, atque Triclinium. Olim vocabatur ad SS. Martyres ob plurima Martyrum Corpora in illud allata a Paulo I. Schola item Græca a græcis literis, quibus Romana juventus hic imbuebatur, vel ut Jo: Baptiſtæ Paulino placet, a Vico græco incolatum Græcorum Schola item S. Auguſt. appellabatur: a Gelaſio II. inſtauratum, & largiſſime dotatum. Ditatur imagine B. Virg. Mariæ miraculis inſigni. Eſtque Diaconia Cardinalis, & habet Canonicos. ] Verum de Vico græco, & incolis Græcis, ut ex Paulino aſſeritur, nullibi legitur. De ſchola necquicquam, niſi ex aliqua conjectura, ut inferius referam. Errat inſuper Martinellus de fundatione hujus Eccleſiæ; de qua rectius ait Baronius in Notis ad Martyrolog. 9. Octob. lit. *b*. ubi hæc habet: [ His accedit Stephani Papæ factis potius, quam verbis teſtantis ſententia; nam eo tempore, quo ipſe Pipinum Regem coronavit in Gallia; cum ægrotans, S. Dionyſii adminiculo e morbo convaluiſſet; ſacris ejuſdem reliquiis Romam translatis, in ipſius honorem monaſterium erigendum curavit, quod Græcis Monachis tradidit, atque indito nomine Græcorum ſcholam nuncupavit; quod obitu ejus imperfectum relictum, ab ejus ſucceſſore Paulo Papa eſt penitus abſolutum. Hæc ipſa Ludovicus Imp. ab Hilduino perpetuis monumentis voluit commendari, prout ejuſdem Imp. ad eum literæ ſcriptæ declarant &c. ] Ego tamen autumo hoc nomen ſcholæ græcæ fuiſſe huic loco tempore Romanorum inditum. Nam Cæcilius Metellus Macedonia ſubacta, plurimas ſtatuas inde nobiliſſimorum Artificum græcorum Romam tranſtulit, Plin. lib. 34. c. 8. quas in ejus Theatro repoſuerat. Unde de Metello inquit Paterculus, lib. 2. [ Hic primus omnium Romæ ædem ex marmore in iis ipſis monumentis molitus, vel magnificentiæ, vel luxuriæ princeps fuit. ] Et dicebatur Porticus Metelli poſtea Octaviæ. [ Hic eſt Metellus Macedonicus, qui porticus, quæ fuere circumdatæ duabus ædibus ſine inſcriptione poſitis, quæ nunc Octaviæ porticibus ambiuntur, fecerat. Idem Paterculus ] Plutarchus in Metello. Plin. lib. 34. c. 7. Hæc autem Metelli, ſive Octaviæ Porticus incipiebat a Theatro Marcelli, in quo hodie palatium DD. Sabellorum extat; ita Appianus, & alii: habebat inſuper plateam, ſive campum, ubi nunc fortaſſe dicitur S. Mariæ in Campitelli, quod videtur corrupte dici, ideſt, *In Campo Metelli*, quod colligitur ex eodem Plin. lib.

lib. 36. c. 5. ubi de Praſitele ſculptore, & ſtatuario celebri ex Calabria ſic ait: [ Natus hic in Græcia Italiæ &c. Jovem fecit eburneum in Metelli æde, qua campus petitur, ] & extendebatur verſus S. Mariam in in Porticu ut omnes antiquarii aſſerunt, & nomen ipſum declarat. Hoc etiam Theatrum, ſive Porticus dicebatur *Schola Octaviæ*. [ Antiphilus Heſionem mobilem pinxit, & Alexandrum, ac Philippum cum Minerva, qui ſunt in ſchola in Octaviæ porticibus. Plin. lib. 36. c. 10. ] Et de Scopa græco ſtatuario idem lib. 36. c. 5. agens, inquit: [ Ejuſdem eſt objectus a Cicerone Verri, ille propter quem Theſpiæ viſebatur, nunc in Octaviæ ſchola poſitus. ] Hinc quia in hac ſchola multæ picturæ, ac ſtatuæ ex Græcia delatę, quas plurimas in hac ſchola recenſet idem Plinius, in eodem lib. 36. c. 5. & alibi, inde reor, quod Picturæ, ac ſtatuariæ artis ſtudioſi ibi ad diſcendum Græcorum ſtylum ex illis famoſiſſimis græcis reliquiis accedebant; unde ſchola græca appellata fuit: nam S. Maria in Coſmodin, ſive ſcholæ græcæ, non multum diſtat a S. Mariæ in Porticu Templo: & cum hoc theatrum, porticus, ſive ſchola ampliſſimum ſpatium occuparet, veriſimile eſt ad Eccleſiam Coſmodin conterminaſſe. Cæterum quod dicit Martinellus ſupra, Eccleſiam ſcholæ græcæ fuiſſe a Gelaſio II. exornatam, hoc ejus gentilitia inſignia familiæ Cajetanæ in Capitulis columnarum Ciborii poſita teſtantur. Quod autem dicit Martinellus, eſſe hanc Eccleſiam Diaconi Cardinalis titulum in Bullar. Caſinen. tom. 2. conſt. 169. hæc ſubſcriptio habetur: [ Hyacinthus Diac. Card. S. Maictæ in Coſmodin: ] ſed errorem eſſe tranſcriptoris manifeſtatur ex eodem tom. 2. Bullar. conſt. 170. ubi idem Card. ſubſcribit [ S. Mariæ Coſmondin Diaconus &c. ] Vide *Coſmodin*.

SCHOLA NOTARIORUM. D. Gregor. lib. 7. epiſt. 17.

SCHOLA PUERORUM. Vide *Parviſium*.

SCHOLA SAXONUM, olim Romæ. Baron. in Notis ad Martyrol. 10. Novembr. lit. *a*. Vide *Porticani*.

SCHOLA SILENTIARIORUM. Vide *Silentiarius*.

SCHOLA STRATORUM. Vide *Strator*.

SCHOLA SUBDIACONORUM. D. Greg. lib. 7. ep. 17.

SCHOLA VIRGARIORUM. [ Ante Eccleſiam S. Mariæ Virgariorum eſt quoddam aliud Cantharum, in quo de conſuetudine ſchola Virgariorum præparat lectum Domini Papæ in Litania majori veniendo ad S. Petrum, in Ritual. antiquis. ] Vide *Porticani*.

SCHOLARIS, Prætorianus. [ Ipſe armatam militiam in adoloſcentia ſecutus, inter ſcholares alas ſub Rege Conſtantino, deinde ſub Juliano Cæſare militavit. Sever. in vita S. Mart. ] Unde poſtea communiter hoc vocabulum pro ſocietate in eadem profeſſione ex voce σχολὴ, ideſt, exercitium, ſic ſchola, & ſcholares pro exercitio, & exercitantibus literarum ſtudium uſurpatum fuit. FR. in prima ſignificatione ait Vegetius, lib. 2. c. 21. [ In orbem quendam per diverſas cohortes, & diverſas ſcholas promoveantur. ] Et in Cod. de privil. Scholar. lib. 12. loqui intelligitur de undecim militum ſcholis, de quibus Juſtinianus, in l. ult. Cod. de locato, ſic ait: [ Milites autem non appellamus eos, tam qui ſub excelſis Magiſtris militum tolerare noſcuntur miliciam, quam qui in undecim devotiſſimis ſcholis taxati ſunt; necnon eos, qui ſub diverſis optionibus fœderatorum nominum ſunt decorati: ] ſic dicebatur *Schola Capulatorum*, *Schola Caſſia*, *Schola Gall.*, *Schola Quæſtorum*, *Schola Xanta &c.* Vide Alciatum de privil. Scholarium in tribus poſterioribus libris Cod. Item. ſcholaris appellatur Eccleſiaſticus, quia in militia Eccleſiaſtica conſcriptus eſt, lib. 3. Decretal. tit. 41. c. 1. & in primo ſenſu. Vide *Prætoriani*.

SCHOLASTER )
SCHOLASTERIA, & ) Vide *Scholaſticus*.
SCHOLASTICISSIMUS )

SCHOLASTICUS, σχολαςικὸς, ideſt, vacans: hinc pro perſona ad ſtudium vacante accipitur, ac in Conciliis, & apud Eccleſiaſticos Scriptores non raro Advocatus intelligitur. [ Ut dent facultatem defenſores cuſtodiendi ſcholaſticos, qui in actu ſunt, vel munere defenſionis, can. 97. In Codice Canonum Africanorum, ] & alibi ſæpe in eodem ſignificatu. Vide *Canon Miſſæ*. Quæ tamen dictio ut plurimum eruditam perſonam denotat: [ Quales compoſuerunt Ambroſius, Hilarius, & Beda Anglorum Pater, & Prudentius ſcholaſticus Hiſpaniarum. Valaf. de rebus Eccleſ. cap. 25. ] Ac proceſſu temporis Canonicus poſſidens Theologicam præbendam in aliquibus Cathedralibus intelligitur nomine ſcholaſtici: [ Magiſter Rodulph. ſcholaſticus Colonienſis. Cæſar. lib. 1. c. 52. ] In Eccleſia S Gregorii Romæ extat ſepulcralis cujuſdam Canonici inſcriptio de anno 1470. defuncti hujus tenoris: [ Hic requieſcit Petrus Freberti de Normannia Presbyter Cantor in Capella Papæ, Canonicus, & Scholaſticus Lexovienſis. ] In aliquibus Hiſpaniarum Eccleſiis Canonicus Theologus appellari ſolet *Maeſtre Scuela*, vel *Canoniſta*. Quæ theologalis præbenda *Scholaſteria* a Cæſario, lib. 4. c. 62. dicitur, nempe: [ Cum redditus ſcholaſteriæ non ſufficerent, ] eodemque termino utitur Concil. Trident. ſeſſ. 23. c. 18. Item reperitur ſuperlativum *Scholaſticiſſimus* in ſignificatu doctiſſimi: [ Vir prudens, & ſcholaſticiſſimus Fortunatus. In vita S. Dionyſ. Mart. ] Item *Scholaſter* Magiſtralis Canonicus in Triden. Conc. & a Durando dicitur. FR. Antiqui etiam hoc vocabulo uſi ſunt ad ſignificandum declamatores: de quibus Baronius in Notis Martyr. 6. Februar. lit. *b*, hæc habet [ Qui dicti ſint ſcholaſtici, habes ex Tacito, lib. de Oratore, & aliis. Eo nomine nuncupati ſunt Rhetores, & Declamatores litium fictarum, qui deinde tranſirent ad tractandas veras. In eadem ſententia Plinius, lib. 2. epiſtol. 3. ad Nepotem, ubi ait, eoſdem a fictis litibus tranſire ad cauſas centumvirales, quas in Baſilicis orabant, ſpectante populo: de iiſdem eodem libro, epiſt. 14. ad Maximum, & epiſt. 18. ad Mauricum. Ante ipſum Seneca, in lib. declamat. & lib. controverſ. Talis erat S. Hieronymus, dum adhuc junior Romæ eſſet, ut ipſe teſtatur his verbis:

Ali-

Aliquoties cum adoleſcentibus Romæ controverſias declamarem, & ad vera certamina fictis litibus exercere currebam ad tribunalia judicum, &c. Hæc ipſe in comment. in epiſt. ad Galat. c. 2. Scholaſtici etiam ipſi Advocati dicti reperiuntur: ſic in Concil. Sardicen. c. 13. & l. 2. Cod. de lucris Advocat. lib. 12. & l. 1. de concuſſion. advocat. Cod. Theod. & Syneſ. epiſt. 1. & 2. ad Domitianum ſcholaſt. Dicere ſcholaſtice, idem eſt, quod rem aliquam rhetorice pertractare; ſic Gennad. de Viris Illuſtr. in Salviano, & Greg. in Regiſtro, lib. 7. epiſt. 63. Verum hodie ſcholaſtice dicere, idem eſt, quod rem per controverſiam diſputare: unde & Thelogi ſcholaſtici illi dicti ſunt, qui res divinas logice diſputando perquirunt &c. ] Contrarium tamen tenet Jo. Maria Cataneus in d. epiſt. Plinii ad Nepotem, ubi ſic notat; Scholaſticus, ideſt, declamator ſolus in fictis cauſis, & otioſis verſatus, non in veris litibus: ]ſed re vera *Sholaſticus* apud Antiquos eruditum proprie ſignificabat: quare de Maximino juniori Imp. qui, ut refert Capitolinus, omnigena eruditione imbutus fuerat, apud eundem legitur, quod Alexander Severus cupiebat ei ſororem in matrimonium conjungere; pro qua re Mammeæ matri, inter alia, de laudibus illius juvenis hæc ſcripſerat: [ Ipſe Adoleſcens, & pulcher, & ſcholaſticus, ad græcas munditias eſſe videatur. ]Quare *Scholaſticiſſimus* nonniſi eruditiſſimum ſignificare videtur.

SCHOLENTES, ita in diariis m. ſſ. Brocardi Cantoris appellantur ſcholares.

SCHOLION. Vide *Hypomneſticon*.

SCIBBOLETH. FR. hebraice ſpicam denotat, cujus prima litera *Scin* pronunciare non valebant Ephrathæi, ita ut per hujus pronunciationis defectum, Ephrathæos ſe abſcondere non potuiſſent: & quemadmodum in trucidatione Gallorum in Sicilia tempore Caroli Angioini ejus inſulæ Regis, advenæ Galli, licet tales ſe eſſe negarent, per defectum pronunciationis lit. C. nam leniter *ſce*, pronunciant, detegebantur; eodemque modo qui erant de Ephraim manifeſtabantur ob impotentiam pronunciationis literæ *Scin* hebraicæ. [ Cumque veniſſet ad ea de Ephraim numero, fugiens, atque dixiſſet: Obſecro ut me tranſire permittatis: dicebant ei Galaaditæ: Numquid Ephrathæus es? quo dicente: Non ſum: interrogabant eum: Dic ergo Scibboleth, ( quod interpretatur Spica. ) Qui reſpondebat, Sibboleth; eadem litera ſpicam exprimere non valens. Statimque apprehenſum jugulabant &c. Judic. 12. 5. ] Eodem modo Arabes ſicut Ephrathæi ſpicas per *ſin*, & non per *ſcin*, nempe, *Sbul* pronuntiant.

SCIDERATUS. FR. diſciſſus, l. ſi quis alii pedem. de plagis, & compoſitionibus.

SCINTILLARIUM, liber Venerab. Bedæ ſic denominatus, in lapide S. Mariæ ſcholæ Græcæ, cujus inſcriptio incipit: *Sume Valeriane*, ab Angelo Rocca, & Turrigio de Crypt. Vatic. ſecundæ impreſſionis allata.

SCIPIO, idem ac Matthæus hebraice. Vide *Matthæus*.

SCLUSA. FR. Clauſura, vallatio: [ Si quis ſcluſam de farinario alieno rapuerit, in lege ſalica, tit. 14.

SCOLACES, Funale cereum, ſive funalis fax, a verbo græco σχολιῶ, quod torquere ſignificat; qui erant hujuſmodi candelæ retortæ. [ Quis enim accendit lucernam, ut videat ſolem? quis ſcolacibus utitur, ut ſtellarum micantium videat claritatem? Petr. Damian. lib. 6. epiſt. 17. ] In funerali S. Cypriani legitur, hunc Martyrem [ Cum cereis, & ſcolacibus ] aſſociatum fuiſſe. Baronius tamen hunc textum correxerat *Scholaribus*; ſed admittentibus prædictam græcam etymologiam, erit germanior prior lectio.

SCOPOLARIUS, Converritor. Cencius Camerar. in ejus M. S. Cæremoniali. FR. etiam Ulpianus utitur hoc vocabulo.

SCORPIACUM, medicinale antidotum contra ſcorpionum ictus: hoc vocabulo Tertullianus ſuum tractatum contra Gnoſticos hæreticos denominavit, quos hæreticos etiam S. Epiphanius ſcorpionibus aſſimilavit.

SCORPIO, martyrii genus; erat enim nodoſa, ac ſpinea virga, quæ percutiendo carnem lacerabat, ita appellata, quia ad inſtar ſcorpionis caudæ curvabatur. [ Virga ſi eſt nodoſa, vel aculeata, ſcorpio recentiſſimo nomine vocatur, qui arcuato vulnere in corporibus infigitur. Iſid. lib. 5. Orig. ] ſive ita dicitur ex græco vocabulo σκορπίος, nempe, baculus aculeoſis nodis diramatus formam ſcorpionis præſeferens, ut ex Athanaſii Apologetico colligitur. FR. Vide Latinium in Correct. Martyrol. ad 12. Junii 6.

SCOTALLUM. FR. Oenopolium, ſive taberna, in qua cerviſia venditur: [ Denunciatum eſt præterea Vicecomitibus, & Foreſtariis, aliiſque miniſtris Regis, ne ſcotalla alicubi in Regno faciant. Matth. Pariſ. an. 1213. ] Ex ſaxonis vocibus *Scot*, ideſt, ſignum, quod in tabernis ſolet apponi, & *Ala*, nempe, cerviſia.

SCOTATIO, donum, vel poſſeſſionis traditio ad piæ cauſæ ſignum. FR. verum *ſcot datio* rectius ſcribi deberet, vocabulum ſaxono. latinum quidem eſt, nimirum, *ſcot* quod eſt ſignum, & *datio* donum :||: [ Quod in hujuſmodi donationibus modicum terræ conſuevit in manu accipere, vel in extremitate pallii, quod manu Prælati Eccleſiæ ſuſtinetur, aut ſuper altare ponendum ſub teſtimonio videntium, & audientium ſub dicta forma, quæ ſcotatio vulgariter appellatur. ] FR. Et infra: [ Cum hujuſmodi ſignum, quod ſcotatio dicitur, non tam factæ donationis, quam traditæ poſſeſſionis ſit evidens argumentum, c. 2. Decretal. de conſuetud. ] :||: Cæremonia erat hæc antiquitus in piis donationibus obſervata. Vide *Scotum*.

SCOTICANUS. FR. Scotus, ex Scotia inſulanus. [ Præſertim cum ſupradictus Rex tantæ fuerit honeſtatis, quod ipſius inſtrumenta maximæ auctoritatis ſint in partibus Scoticanis, c. 9. decret. de fide inſtrumentor.

SCOTOMA, vertigo. Iſidor. Vide *Scotomaticus*.

SCOTOMATICUS, qui vertigine in oculis laborat, & omnia obtenebreſcere ei videntur, ex græco σκοτωματικός, ideſt, tenebroſos oculos habens [ O quam ſplendida

dida piæ caſtitatis acies illuſtrat, quas nec carnalis illecebræ caligo obtundit, nec ſpinea obſcœnitatis glaucoma ſuffundit, quo plerumque (heu dolendum dictu) etiam perfectorum palpebræ graviter groſſeſcunt, & qui putabantur pudicitia præditi, dum ſæpe humanum fallitur judicium, quaſi ſcotomaticorum lumina tenebris obturantur. Aldhelmus de Vir. c. 11.] Vide *Helucus*.

Scotopici, Hæretici. Vide *Bonoſiani*.

Scotta. FR. malleus, quo ſaxa percutiuntur, & teruntur. Volens molam emendare, accepto ancipiti ferro, quod vulgo ſcottam vocant, cœpit terere molam. In vita S. Auſtregiſili Epiſcopi.

Scotula. Vide *Bugia*.

Scotum, excuſſio, exactio, exigentia, ſive, ut alii malunt, donum ſignificat, ex dict. ſaxonica *ſcot*, ideſt, donum, ut in dict. *Scotatio* dictum eſt ſupra. [Et volo, quod dicti Monachi ſint quieti, & ſoluti ab omni ſcoto. Ingulphus Abb. in ejus Chron. ubi de Edredo Anglorum Rege ait. Vide *Scotatio*.

Scramasaxus. Vide *Saxa*.

Screona, & *Screuna*, domus ſubterranea; [Si tres homines ingenuam puellam de caſa, aut de ſcreona rapuerint &c. in l. ſalica, tit. 14. c. 5.] Ex germanica dict. *Eſchrenes*.

Scriba, Doctor Hebræus in Moſaica lege, qui communiter hodie Rabbinus dicitur, qui ſolebat eſſe de Tribu Simeon, ut dicemus in tractatu, cujus titulus eſt, Contradictiones apparentes Sac. Scripturæ, in calce hujus operis appoſito, ubi etiam oſtendam verificationem prophetiæ Jacob Patriarchæ, quod, nempe, Tribus Levi, & Simeon diſperſæ habitare debuiſſent inter Iſraeliticum populum; prima, nempe, ratione officii, & gradus levitici, ſacerdotaliſque; ſecunda vero ad inſtruendum populum in lege, & traditionibus. FR. Quamvis a Phariſæis diſtinguerentur; poterant tamen Scribæ aliqui eſſe Phariſæi, ſicut inter nos Chriſtianos reperiuntur Religioſi ſimul & Doctores: Sed melius. Vide in dict. *Phariſæus*.

Scribo, nomen, ſatellitum Prefectus. [Quo audito Auguſta miſit Arthemium Scribonem. Anaſtaſ. Biblioth. in Vigilio Papa.] Ac alibi idem repetit [Omnes, qui in conſilio ipſo fuerant, imbojatos miſit Ravennam per manus Maurini ſcribonis. Idem in Theodoro.] Quamvis D. Greg. lib. 8. epiſt. 60. officium honoratius intelligat.

Scribo, verbum. Vide *Obumbro*.

Scriniarius; Notarius, ſcriba, archiviſta, qui licet in primitiva Eccleſia ad colligenda Martyrum acta inſtituti fuerint, ut alibi dictum fuit, proceſſu tamen temporis ad formandas apoſtolicas bullas addicti ſunt, ut ex Epiſtolis Sergii IV. colligitur: [Scriptum per manus Benedicti Notarii Regionarii & ſcriniarii S. R. E.] Hi duodecim numero erant, quorum primus *Protoſcriniarius* dicebatur: imo & *Archiviſta*, *Bibliothecarius*, *Cancellarius*, *Protoſcrinarius*, *Protonotarius*, de quibus ſuis locis. Synon. Vide *Notarius*. FR. de hoc vocabulo habetur mentio in l. 5. Decretal. tit. 7. c. 12. [Vobis Advocatis, & Scriniariis firmiter inhibemus.] Et c. ad audientiam, de præſcriptionibus, dicitur; [Scriniarius alio modo ſcripſiſſet dicta teſtium, quam dixiſſent.] Dicebatur etiam *Magiſter Scrinii*. Sic enim appellatur a Sozomeno, lib. 7. cap. 13. ubi de Magiſtro Scrinii nomine Benivolo, qui a Juſtina Valentiniani II. Imperatoris Matre, ut Arii falſum dogma obſervandum ſtabilita lege ſcriberet juſſus, promiſſione majoris promotionis gradus, ſi hoc faceret, ab ea allectus; ille nihilominus ad pedes impiæ Auguſtæ protinus projecit cingulum magiſtratus, ac intrepide reſpondit, ſe pro tam execranda impietate nullum dignitatis honorem acceptaturum. Cingulus enim Magiſtratus ſignum erat, ſine quo haud licebat in conſpectu Principis comparere, qui uſus non ſolum erat penes Græcos, ut ex Chryſoſtomo, ſerm. 20. ſuper cap. 8. ep. primæ ad Corinth. habetur, ſed etiam penes Latinos, ut in can. nullus Epiſcopus, 11. qu. 1. cujus hæc ſunt verba: [Magiſtratus enim, qui hoc jubere auſus fuerit, ammiſſione rerum, & cinguli condemnatione plectetur.] De ſcriniario Gloſſa in cap. ad audientiam, lib. 2. decret. de præſcriptionibus, ſic ait: [Scriniarii appellantur tabelliones, & eſt vulgare Romanorum.

Scrinium; Archivum, ubi conſervantur Scripturæ, cujus ſynonyma. Vide *Archivium*.

Scrippum, bulgæ, ex Saxonica voce *Scrippe*, de qua fit mentio in Synodo ſub Rege Pipino celebrata, c. 4. his verbis: [Peregrinis ſimiliter conſtituimus, qui propter Dominum ad Romam, vel alibi vadunt, ut ipſi per nullam occaſionem ad pontes, & ad excluſas, aut navigio non detineantur propter ſcrippa ſua:] ideſt, ut non moleſtentur ſolvere datium, aut aliam impoſitionem pro rebus illatis in eorum bulgis, ſive ſacculis. Vide *Biſſacius*.

Scriptorium, locus in Monaſterio, ubi Monachi ad ſcribendum conveniebant tempore hyberno, qui locus conſervabatur calidus,

Scriptura Sacra. Vide *Biblia*.

Scriptura Suprema. FR. ideſt, teſtamentum, Cod. de hæreticis, §. Manichæos.

Scritoboni. FR. Saltatores, ſeptentrionales Populi. Paulus Diaconus in hiſt. Longobar. lib. 1. c. 5. & 28. & ejus Adnotat. ibidem. Alii tamen *Scriphinios* legunt in hunc Pauli locum, ſive *Scriſinios a Scriſinia* regione Scandinaviæ, quæ perpetuo nivibus riget; & ejus incolæ carnes ferarum crudas edunt, pellibuſque eorum corpora ſua contegunt, ex eod. Paul. Diac.

Scrobula, veſtis muliebris ſpecies. [Iſtæ mulieres ambulant diſcalceatæ, portantes ſcrobulas uſque ad terram. S. Oderic. in peregrin. c. 1. §. 4.

Scrutino, inquiro, examino, inveſtigo, ſcrutor. [Scrutabor Jeruſalem in lucernis. Sophon. c. 1.] & ad rem: [Scrutinabo Hieruſalem cum lucernis. Lucifer Caral. lib. 1. adverſ. Conſt.

**Scrutinium**, erat examen Catechumenorum in tempore quadrageſimali circa res fidei, ut explorarent fidei profeſſores, an fuiſſent illi idonei ad recipiendum ſacrum lavacrum in proximo Sabbato Sancto, quod ſcrutinium per ſeptem vices fiebat: unde Albinus de divin. off. c. 19. ita inquit: [ Neque hoc omittendum, quod Romani infra quadrageſimam ſex ſcrutinia celebrant, & hodie ſeptimum: in iſto ſeptenario intelliguntur dona Sancti Spiritus in Baptiſmate data. ] Primum ſiquidem, ac ſecundum ſcrutinium celebrabatur in feria IV. & Sabbato tertiæ quadrageſimalis hebdomadæ. Tertium vero, quartumque etiam in iiſdem diebus quartæ hebdomadæ ſequentis, quod ſolemnius, & principalius erat; atque appellatur per antonomaſiam in Ordine Romano *Feria ſcrutinii*. Ideo totum Sacrum illius diei ad Catechumenos directum intelligitur, nam incipiendo ab Introitu, de illis ſignificatur in verbis [ Cum ſanctificatus fuero, effundam ſuper vos aquam mundam &c. ] In eodem pariter ſenſu Epiſtola legitur, ac clarius Evangelium, in quo habetur cæci nati miraculum in Natatoria Siloe viſum recipientis, quod ſymbolum revera Catechumeni eſt, qui ſpiritualem viſionem in ſacro baptiſmatis fonte recipere debet, ut in homilia hujus diei ſatis explicat D. Auguſtinus. Quintum autem, & ſextum ſcrutinium convocabatur in iiſdem diebus, quintæ tamen hebdomadis. Ultimum tandem erat in IV. feria ſextæ hebdomadis, pro quibus examinibus in qualibet præcedenti Dominica invitabatur univerſus fidelium populus ſub hac forma verborum: [ Scrutinii diem dilectiſſimi fratres, quo electi noſtri divinitus inſtruantur, imminere cognoſcite; ideoque ſollicita devotione ſequenti quarta feria circa horam nonam convenire dignemini, ut cæleſte myſterium, quo Diabolus cum ſua pompa deſtruetur, & janua cæleſtis regni aperietur, inculpabili miniſterio peragere valeamus. Apud Durandum, lib. 6. c. 56. ] Item in Sabbato ante Dominicam palmarum tradebatur ſymbolum Catechumenis, & ideo hoc Sabbatum in Ambroſiano ritu *Sabbatum in traditione ſymboli* denominatur, ut in eo Breviario habetur. Aliquando tamen nomine Scrutinii interrogatio illa, quæ fit a Parocho ſponſis ad exigendum eorum mutuum conſenſum in Sacramento matrimonii intelligitur. Hinc Jo: Monachus in Vita Gaufridi Ducis ait [ Traditur itaque nuptui filia; fit ab Epiſcopo mutui conſenſus ſcrutinium. ] FR. Vide Gloſſam in cap. 2. §. ſcrutinium, lib. 3. tit. 27. decretal. Cæterum ſcrutinium tribus modis canonice intelligitur; primo Catechiſmi, de quo ſupra, & in can. ante baptiſmum, & ſeq. de conſecrat. diſt. 4. Secundo intelligitur de iis, qui examinandi ſunt ab Epiſcopo ad ſuſcipiendos ordines, ut in titul. 12. lib. 1. decretal. Tertio per ſcrutinium intelligitur voluntatum inquiſitio in electionibus faciendis, quæ fit ſecreto, ut in cap. quia propter, lib. 1. decretal. tit. 6. & cap. in electionibus, tit. de electione, & electi poteſt. in ſexto: & fit tribus modis, de quibus Gloſſa in cap. cum expediat. eod. tit. in ſex. De qua materia nuper uberrimum tractatum compoſuit Paſſerinus.

**Scrutum**. FR. res, quæ propter uſus conſumationem diminuto pretio venditur: unde *Scrutarius* dicitur, qui res uſu conſumptas vendit. Alii tamen non *ſcrutum*, ſed *ſcruta*, *ſcrutorum* declinant. [ Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per annos ſingulos ſexcentorum ſexaginta ſex talentorum auri, excepto eo, quod afferebant viri, qui ſuper vectigalia erant, & negotiatores, univerſique ſcruta vendentes, 3. Reg. c. 10. ] Idem etiam habetur, 2. Eſdr. c. 3. ubi ſic inquit: [ Poſt eum ædificavit Melchias filius aurificis uſque ad domum Nathinæorum, & ſcrutum vendentium contra portam judicialem ] Dionyſius Charthuſ. in 3. Reg. c. 10. art. 16. *ſcuta* legit, ſed excuſatur a Nicolao Serrario, in 3. Reg. & 11. Paralipom. c. 10. his verbis: [ Duplicis generis negotiatores ponuntur, majores, & minores, qui ſcruta vendentes, ideſt, minutiores merces, quas minutiſſime ſcrutantur. Legerunt nonnulli ſcuta, quod hebræa vox ferre poteſt; correcta tamen Biblia, ſcruta retinuerunt; quo nomine tamquam communi, merces omnes etiam pretioſiſſimas a Latinis exprimi teſtis eſt Hieronymus, c. 27. Jeremiæ. ] Hoc tamen vocabulum Cælius Rhodiginus, lib. 10. antiq. c. 6. verbum Scruta, putat ſignificare omnia, quæ cum uſu jam deteriorata ſint, pretio diminuta cenſentur.

**Sculca**. FR. mulcta pecuniaria pro inobedientia militari, l. ſi quis in exercitu, de exercitalibus.

**Sculdais**. Vide *Sculdaſcio*.

**Sculdascio**, *Sculdaſcius*, & *Sculdaſius*, Judex inferior. Nullus Marchio, Comes, Vicecomes, Sculdaſius, vel quilibet ex judiciaria poteſtate, in Bulla Othonis Imp. apud Baron. tom. 9. annal. ] cujus etymon a voce germanica provenit, & uſque ad præſens Helveti *Sculdais* appellant ſuarum Rerumpub. Primates. FR. in diverſis locis de his vocabulis Sculdaſcio, & Sculdaſcius & Sculdaſius fit mentio, puta in l. de Servo fugitivo, de furtis. Rectorem loci ſignificare ait Hiſt. Longobar. Adnotat. lib. 6. c. 24. ac paſſim in tom. 2. Bullar. Caſinen. Conſt. 23. 47. 78. 86. 91. 96. & ibidem *ſcarium* appellat conſtit. 124.

**Sculta**, ſpeculator. [ Vos loca ipſius, quantum vos Dominus juvaverit, deprædate, aut certe ſcultas, quos mittitis, ſollicite requirant. Greg. in Regiſt. lib. 12. c. 23.

**Scupha**, cucurbicula pneumatica, quæ attrahuntur humores corporis ſupra cutem cum ſtuppa accenſa applicata, Romæ *Coppa a vento* appellatur. [ Frequenter evenit, ut uni membro per aliud medeamur. Dolent aures, & ſcuphæ humeris apponuntur. Delictum cordis fletus oculi purgat, peccavit manus, & pectus contunditur, deliquerunt genitalia, & dorſum ponitur ad flagella. Petrus Bleſenſis, epiſt. 74. ] Ex græca voce κύφη; unde *Cupha* ſcribendum eſt. Vide *Cupha*.

Scuria, horreum, in quo manipuli ſpicarum congerebantur, ibique ſcuticis deinde recens frumentum excutiebatur. [ Si quis ſcuriam cum animabus incenderit, in lege ſalica, tit. 19. ] ex vocabulo germanico *ſcheure*. Vide *Manopera*.

Scurio, Carnifex: [ Amputatum eſt caput ejus a ſcurione, in Vita S. Victorii. ] Dicitur etiam *Scurro*: ſic enim legimus in tom. 2. Conciliorum: [ Juſſit eum a ſcurione duci, & foras regiam civitatem occidi. ] Tandem alii *Obſcurio* ſcribere malunt. Alia ſynonyma. Vide *Carnifex*.

Scutela. FR. lanx, patina, [ Scutelam argenteam cuidam Monaſterio reliquiſſe, lib.3. Decretal.tit.26.c.4.

Scutifer, & *Scutiferus*. Vide *Pelta*.

Scutra. FR. de qua fit mentio, 3. Reg. c. 7. his verbis: [ Et lebetes, & ſcutras, & amulas &c. ] Dionyſius Carthuſ. ſic exponit; [ Hoc eſt, vaſa æqualis amplitudinis in ore, ac in fundo ad calefaciendum in eis aquam, vel, ut aliqui dicunt, ad ponendum in eis carbones de altari holocauſtorum acceptos &c. in 3. Regum, cap. 7. art. 11.

Scutum. Vide *Æratus orbis*. *Pelta*.

Scyphus, σκύφος, vas ſacrum, quo evacuabatur vinum collectum in Miſſæ oblationibus, quotieſcumque Calix ſuſtentatus a Subdiacono implebatur: [ Quem ſequitur cum ſcypho ſuper planetam Acolytus, in quo calix impletus refunditur. Ord. Rom. ] Vide *Colatorium*.

Scytalosagittipelliger, Herculis cognomentum; ex eo quia clavam ferebat, quæ a Græcis σκυτάλη dicitur: itaque nomen hoc tria denotat, hoc eſt, clavam, ſagittas, & leoninam pellem, quam Alcides geſtaſſe fertur. [ Tametſi adoratus a vobis, qui erubeſcendus eſt ſcytaloſagitti-pelliger, qui totam epitheti ſui ſortem cum muliebri curſu compenſavit. Tertull. de Pallio, c. 4.

Scythia, Regio, & *Scythæ* populi. Vide *Magog*.

Sebaste, Urbs in Palæſtina. Vide *Samaria*.

Sebasticus. FR. ideſt, pius. [ Qui contemplationi dediti ſunt, ſebaſtici ( ideſt, pii ) vocati ſunt. Photius in Biblioth. de vita Pythagoræ.

Sebastocrator, Σεβαςοκράτωρ, dignitas erat maximæ exiſtimationis in Conſtantinopolitana regia, quæ conjunctiſſimis Imperatoris conferri ſolebat, & ſignificat Venerandum Principem, ſive Reverendam Poteſtatem, ac Deſpotæ inferior erat. [ Cujus initio ſtatim pari ſella, eademque menſa, & ea proclamatione eum dignatus eſt, qualis Sebaſtocratoris honorem decebat, quem a Patre Alexio Iſacius acceperat. Nicet. lib. 3. ] Ubi de Joanne Comneno Imp. loquitur. Hæc enim dignitas ipſiſmet Imperatoris filiis non raro conferebatur, quem alii Principem Auguſtum ſignificare malunt. FR. Bulingerus ait hanc dignitatem ſecundam fuiſſe poſt Deſpotam, ac tertiam poſt Imperatorem. Alexius Palæologus Imperator Joanni ejus notho hanc dignitatem contulerat. Idem Niceta, lib. 4. Alexius tamen Comnenus Imp. alium titulum excogitaverat, nempe, Panyperſebaſti, qui græce πανυπερσέβαςος, ideſt, totus Auguſtus dicebatur, qua dignitate Michaelem Taronitam affinem decoravit, ac participem Cæſarei throni fecit. Andronicus vero Junior Joannem Cantacuzenum Magnum Domeſticum æqualem Panyperſebaſto declaraverat: ] Eum longe auguſtiorem effecit, quam ante fuerat, conceſſis veſtimentis, calceis, & equi ornamentis lutei coloris, ut inter imperatoriam dignitatem maxime illuſtris eſſet, citat. Auctor. lib. 7. ] Soliti enim erant Græcorum Imperatores pila in dignitatibus ludere: nam modo ſublimabant, & quandoquidem eundem titulum deprimebant. Mulier autem Sebaſtocratoris *Sebaſtocratiſſa* dicebatur; ſic *Panyperſebaſta* Panyperſebaſti uxor appellabatur; ita enim idem Gregora, lib. 8. Theodori Metochitæ filiam, & dicti Joannis Panyperſebaſti uxorem vocat, ac ſimiliter Cæſaris conjux *Cæſariſſa* dicebatur.

Secreta Missæ. Vide *Canon Miſſæ*.

Secretaria. Vide *Audientia litterarum*.

Secretarium, apud Juriſtas locum ſignificat, in quo congregabantur Judices pro audientia, & litium deciſione, l. ult. C. ubi Senat. vel Clariſs. & alibi ſæpe. Quin & ipſi Græci σέκρετον dixere Senatus Congregationem. Apud Eccleſiaſticos vero ſcriptores pro ambabus ſacriſtiis accipitur, in quarum una ſacræ veſtes, & in altera Codices aſſervabantur. S. Paulin. ep. 12. Cujus ſynonyma. Vide *Sacriſtia*. Et in Conciliis ac penes Græcos Presbyterium denotat. Vid. *Gazophylacium*. FR. Item apud Latinos etiam presbyterium ſignificat. [ Romana quoque, & Occidentalis Eccleſia a Miniſtris ſacri Altaris in ſecretario confectum offert Azymum. Humbertus Card. in Appendice tom. 11. Baronii.

Secretarius. Vide *Silentiarius*. *Symmyſta*.

Secta, famulatus, ſecundatio, obſequium. [ Ratione hujuſmodi poſſeſſionum Magnates compellere nituntur Prælatos facere ſectam ad Curiam. Matth. Pariſ. In vita Abb. ] FR. communiter autem pro Philoſophorum ſcholis diverſorum generum, vel Religionum, & dogmatum diſtinctione uſurpatur. Quod etiam in ſacra Scriptura legitur. [ Plures alterius gentis, & ſectæ, 2. Eſd. cap. 6. Secundum ſectam, quam dicunt hæreticorum, Actor. 24.

Sectatio, ſequela, imitatio. [ Non in vendendis tantum prædiis, & pretiis erogandis, ſed in ſui ſectatione propoſuit. S. Paulin. epiſt. 2. ad Sever.

Secularitas. FR. Voſſio imperceptibilis viſa fuit hæc dictio, cujus tamen prima vocalis diphthongum habere deberet; verum tum ex exemplis a dicto Auctore in ejus Etymologiarum tractatu, cum etiam ex hic ſequentibus, ſatis manifeſte percipitur non aliud denotare, niſi quod quis per totum vitæ ſpatium in hoc ſæculo vivens ad aliquid deditus, vel obligatus ſit, ut praxis obſervantia ſolemnis profeſſionis Religioſos exempli gratia aſtringit, quo ſenſu in vita S. Genovefæ apud Bollandum 3. Jan. his verbis legitur:

[ Et

[ Et a fratribus eſt dulciter Deo ſæculata. ] Vide *Sæculatus*. *Segrez*. *Singularitas*.

Secundianum. Vide *Septimum*.

Secundicerius. Vide *Primicerius*. FR. Reperiebatur Romæ Eccleſia S. Mariæ in Secundicerio, quæ fortaſſe erat titulus Secundicerii affixus, licet amanuenſium inadvertentia in Pandulphi Card. Piſani Codice *In ſecundo cereo* mendoſe habeatur in Vita Gelaſii Papæ II. hoc pacto: [ Latuit Dominus Papa melius, quam hoſpitatus ſit in Eccleſia quadam, quæ S. Maria in ſecundo cereo dicitur, intra domos Illuſtrium virorum Stephani Northmanni, Pandulphi fratris ejus, & Petri Latronis Corſorum. Apud Conſtantinum Cajetanum in vita ejuſdem Pontificis, pag. 8. ] Eodemque modo ſcripſerat Flavius Blondus, decad. 2. lib. 5. pag. 237. Lit. A. edition. Baſilien. de Gelaſio Papa agens: [ Factus de Henrici fuga certior Gelaſius, Duce Apulo Principe Capuano, & aliis, qui in expeditionem venerant dimiſſis, Romam parvo, atque inermi deducente comitatu, venit, delituitque potius, quam declaravit apud ædiculam S. Mariæ in ſecundo cereo, quæ domibus familiæ Normannorum Stephani, & Pandulphi fratrum, ac Petri cognomento Latronis ex Corſa familia Civium Romanorum adjaceret. ] Unde conjectari licet hanc Eccleſiam prope Capitolium fuiſſe, quia prædicti nobiles Romani ibi habitabant, ad quarum domos adjacebat Eccleſia præfata; ex eodem enim Blondo domum Petri Latronis Corſia ad Capitolium fuiſſe colligitur. [Henricuſque interim familiæ Corſorum tunc Romæ potentis, quæ Gregorio favebat, ædium partem Capitolio ſubjectarum evertit, decad. 2. lib. 3. pag. 204. Litt. H. ] Et alibi idem: [Erat tempeſtate illa Romæ familia Corſo cognomine potentiſſima, cujus domorum partem Capitolio proximarum Henricum Tertium, ob ſervatam Gregorio ſeptimo fidem, diruiſſe oſtendimus: primariique ejus familiæ, Stephanus, fratres, & filii numero multi, mutatio in pejus ſtudio Regi Henrico, & intruſis in papatu adverſus Urbanum, & Victorem Pontifices faverant: quos in priſtina perſeverantes audacia, Secundus Paſchalis Pontifex Urbe expulit, decad. 2. lib. 4. pag. 229. Litt. A.

Secundum. FR. Conditionalis vox, & valet pro *Quia*, vel pro *Si*. Gloſſa in cap. 25. lib. 5. Decretal. de verbor. ſignific.

Secundum Quid. FR. modicativus ſcholaſticorum terminus, & idem valet, ac ſi diceretur, *Quatenus*.

Sedeo. FR. pro determino, ſtabilio. [ Non ſedi cum concilio vanitatis. Pſalm. 25. ] ideſt, non concurrens determinavi cum falſis conciliatoribus. [ Sederunt principes adverſum me. Pſalm. 118. ] hoc eſt, determinaverunt, ſtabilierunt [ Sederunt ſedes in judicio. Pſal. 121. ] At quomodo poſſint ſedere ſedes? ſenſus igitur eſt, nempe, ſtabilitæ ſunt ſedes in judicio. [ Hoc noſtro ſedit cordi conſilium, can. poſtquam, 16. quæſt. 1. ] videlicet: Hoc conſilium in noſtro corde ſtabilitum eſt. Uſurpatur etiam pro poſſidere. [ Cum omnes fretos conceſſos valeant Rectrices Monaſterii quiete vivere, & ſedere. Bullar. Caſin. tom. 2. Conſt. 22.

Sedes Apalerea. Vide *Apalereus*.

Sedes Apostolica. FR. quæ eſt ſacerdotalis Mater Eccleſiaſticæ dignitatis, can. in memoriam, diſt. 19. ejus ſynonyma. Vide in ſequenti dict.

Sedes Episcopalis. Vide *Archiſterium*. *Sella*. *Sellare*. Aliæ ſedes. Vide *Cathedra*. *Formula*, *Stallum*.

Sedes Porphyretica. Vide in dict. ſequenti.

Sedes Stercoraria, erat ſic appellata marmorea ſedes ante Lateranenſis Eccleſiæ portam, in qua ſedebat, ſeu potius jacebat novus Pontifex, quando ibi ad capiendam poſſeſſionem accedebat, ſic denominata, quia, quando ex ea ſurgebat, canebantur ſequentai verba: [ Suſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore erigit pauperem, ut ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat. Cærem. Rom. lib. 1. ſect. 2. cap. 3. [ Ad ſignificandam ei humilitatem conditionis humanæ in ſublimitate illius divini ſtatus; eodemque fine hodie in ſimili functione in ingreſſu Vaticanæ Baſilicæ, dum ad coronationem accedit novus Pontifex, coram eo comburitur ſtuppa cum triplici commemoratione verborum: Sic tranſit gloria mundi. ] Quæ tamen cæremonia ſingulis annis in Paſchæ ſolemnitate obſervabatur antiquitus: [ Porro Apoſtolico in Paſcha procedente, pharus ex ſtuppa ſuper eum ſuſpenditur, quæ igne ſuccenſa ſuper eum cadere permittitur, ſed a Miniſtris, vel a terra excipitur, & per hoc ipſe in cinerem redigi, & gloria ornatus ejus in favillam converti admonetur. Gem. de antiq. ritu Miſſæ, c. 223. ] Quin ad repræſentandam recenti Pontifici in die poſſeſſionis ejus commiſerabilem humanitatis fragilitatem, ac mitem ſe erga eam præbere debere, negationem Petri excitabant in mente; oſtendebant enim illi porphyreticam columnam, ſuper quam gallus æneus inſiſtebat, eratque prope Lateranenſem portam, quam a fœl. me. Alexand. VII. ob id auferri juſſum fuerat, quia inſipiens vulgus, apocrypha traditione deceptus, exiſtimabat eandem columnam fuiſſe, ſupra quam gallus cantaverat in gallicinio paſſionis Chriſti. De hac ſtercoraria ſede in poſſeſſione Bonifacii VIII. ſic Jacobus Card. Stephaneſcus cecinit:

Et ſedes capiens de ſtercore nomen
In platea eſt circa templum deſpecta parumper.

Ex qua ſurgens Pontifex ſumebat e gremio Camerarii moneratum pugillum, in quibus aureæ, vel argenteæ non exiſtebant, & in populum diſperdens, ajebat: [ Aurum, & argentum non eſt mihi; quod autem habeo, hoc tibi do ] Erant inſuper aliæ duæ ſedes porphyreticæ, in ſacello ſancti Sylveſtri Palatii Lateranenſis collocatæ, in quarum prima cum Papa ſederet, Prior illius Baſilicæ tradebat illi baculum correctionis ſymbolum, & claves Eccleſiæ, Pontificiæ poteſtatis hieroglyphicum. Hoc peracto ad alteram porphyreticam ſedem ſe conſtituens Papa, baculum

lum, & claves eidem Priori denuo reſtituebat, a quo ibi cingulo rubro, ex quo burſa ſerica ejuſdem coloris pendebat, præcingebatur; in hac enim gemmæ duodecim cum moſcho incluſæ erant. Pontifex interim ſumpto ex gremio Camerarii monetarum pugillo auri, & argenti, populo denuo meliori largitione erogabat, dum intonabantur verba: [ Diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi. ] Prima enim ſedes poteſtatem S. Petri Eccleſiæ Capitis denotabat, & ſecunda prædicationem Doctoris gentium; decem vero pretioſi lapides, qui *ſigilla* appellabantur, erant duodecim Apoſtolorum ſymbolum; moſchi odor bonum Chriſti odorem in nobis rectis fragrantibus operibus ſignificabat; ac tandem marſupium ſignum erat ad rememorandum Pontificem eſſe debere pauperum Patrem, pupillorum, viduarumque proviſorem, dum ipſe in Crucifixi patrimonio diſpenſator conſtituebatur.

Sedes Vacans, dicitur interregnum Eccleſiæ proprio Paſtore viduatæ: [ Statuimus, ut precaria, & commutationes tempore viduatarum Eccleſiarum, factæ ab his, qui loca Epiſcoporum occupaverant, reſcindantur. Concil. Bellovac. ] Quomodo incedere debent Cardinales tempore Sedis Apoſtolicæ vacantis. Vide *Birrus*. *Crocea*. Quid eo tempore in Litaniis majoribus dicendum ſit loco *Ut Domnum Apoſtolicum, &c.* Vide *Apoſtolicus*.

Sediculum, ſedecula. [ Locato ante lectum ſediculo, ſemper aſſidebat coram eo. In vita S. Adelardi.

Sedimina, FR. terra, quæ in fluminum ripis per alluviones congeritur. Bullar. Caſinen. tom. 2. Conſtit. 38. 61. 73. 137.

Seditionarius, ſeditioſus. Gregor. Turonen. lib. 10. hiſtor. cap. 15.

Segnum, brevis tunica, quæ ſub cappa a Regularibus defertur, italice *ſajo* appellata: [Alia vero puella dedit ſegnum ſuum leproſo. In vita S. Brigidæ Virginis.

Segrex, ſegregatus: [Quem remotum, & ſegregem ſpreviſſe tradunt criminum frequentiam. Prudentius:] De Propheta Elia agens. Vide *Sæculatus*. *Sæcularitas*.

Sejor. Vide *Sepher*.

Seisina, nomen gallicum *Siſne*, ideſt, poſſeſſio: [ Donationem, & ſeiſinam. Matthæus Pariſ. in vita Abb.

Selah, hebraica vox, quæ intraslata remanſit in verſione ſacræ ſcripturæ, ſignificat ſemper, vel in æternum. Pagninus quoque in pſalmorum traductione, illam idiomate Hebraico reliquit, ſic ſcribens: [Et forte quæſierunt animam meam, & non propoſuerunt ante conſpectum ſuum Selah. Pſalm. 53. ] Alii tamen ſignificare *Amen* malunt. Hoc ſiquidem vocabulum reperitur tantum in Pſalmis per ſeptuaginta tres vices, ac ſemel in Habacuch; unde Hebræi exiſtimant fuiſſe pauſæ, & quietis, vel elationis vocis ſignum; Rabbi enim Abrahamus putat notam muſicalem eſſe.

Selda, officina. [ Statutum eſt, ne quis Marcator præ-


tendat ſeldæ ſuæ aliquid, unde viſus intuentium impediatur. Matth. Pariſ. in hiſt.

Selenites. Vide *Synelites*.

Sella Gestatoria Apostolica. FR. ſedes portatilis papalis, de cujus antiquitate, ac reverentia Ennodius Ticinen. Epiſc. qui floruit in quarto ſæculo, ſic effatur: [ Ecce nunc ad geſtatoriam ſellam Apoſtolicæ confeſſionis uda mittunt limina Candidatos. In Apolog. ] Vide *Cathedra*, *Sedes epiſcopalis*. *Sellare*.

Sello, in ſedem pono, & translative poſſeſſionem tradere denotat. [ Fratrem autem tuum Lambertum ſic ſellavimus, ut noſtrum jus evadere non poſſet. Cæſar. lib. 12. Miracul. cap. 5.] Aliquando in ephippium, ſive in equi ſellam imponere ſignificat.

Sellare, ſella ſupra quam ſuſtollitur Papa, ac devehitur. [ Pontifex non aſcendit continuo ad Altare, ſed prius intrat ſecretarium, ſuſtentatus a Diaconibus, qui eum ſuſceperunt de ſellare deſcendentem. Ordo Rom. ] Dicitur etiam *Sellarium*: reperitur enim ibidem eadem cæremonia his verbis: [Diacones eum deſcendentẽ de ſellario accipiũt obviis manibus &c.] Qui autem illum ſuſtollunt *Sellarii* dicebantur, ut ſuo loco dicemus. Hujus vocabuli ſynonyma. Vide *Cathedra*. *Sella geſtatoria apoſtolica*. Ritus vero hic ſuſtollendi ſuper humeros Pontificem, non eſt quidem faſtus, vel ſuperbiæ nota, ut temere Novatores inficere conantur; ſed ad myſterium paſtoralis vigilantiæ agitur. Nam quid aliud nomen Epiſcopi, quam ſuperinſpectorem, ac invigilantem curæ græce ſonat? ergo dum Papa tamquam Epiſcoporum Epiſcopus ab univerſo Chriſtiano Grege colitur, conſonum equidem eſt, ut eminenti ori ſeſſorio deferatur, ac collocetur, & a nobis ejus ſubditis, tanquam itineris gloriæ director, fideique pharus, ac mundi lux videatur; fidelis enim populus non abſcondit ſuam hanc Pontificiam lucernam, nec ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum erigit, ut luceat omnibus, qui in domo Chriſti ſunt; propterea Acephali, qui carent capite, invido latratu illos mordere conantur, qui ſupra reliqua membra erectum deferunt caput, cujus myſticum, ac ſpiritualem typum hic adiicere curavi in illorum gratiam, quibus pia teſtimonia credibilia ſunt nimis, eritque credentibus honor, non credentibus autem lapis offenſionis, & petra ſcandali. Quæ figura inter M. SS. Ciacconis tanquam vetuſtiſſima reperta, mihi ex gratia quondam Joannis Baptiſtæ Marii Canonici Romani exhibita fuit. Eſt enim primitivæ Eccleſiæ ritus argumentum tum ex inſcripto nomine S. Julii Papæ ſcilicet hujus nominis primi, tum ex vetuſtiſſima forma planetæ, ſandaliorum &c. atque ex rudi curuli ſella ad ſimilitudinem antiquorum Præfectorum Urbis, quas Pancirolus typice affert in Notitia Imperii.



Cui antiquiſſimæ Papali cæremoniæ etiam ſuffragatur id, quod ex Ennodio in dict. *Sellageſtatoria apoſtolica* attulimus. Reliqua ad propoſitum. Vide in dict. *Sandalia. Cathedra. Sedes epiſcopalis.*

Sellarius, Eques, qui in ſella ſuper equum inſidet: [ Sellarius vero, qui erat ſuper carcerem, dum eſſet Chriſtianus. In Vita S. Anaſtaſ. Mart. ] In ordine autem Romano denotat famulos Pontificis, qui illum in ſede ſuper humeros ferunt.

Selmon. FR. dictio hebraica, quæ recitatur in Pſalm. 67. [ Si dormiatis inter medios Cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi ejus in pallore auri. Dum diſcernit cæleſtis reges ſuper eam, nive dealbabuntur in Selmon: mons Dei, mons pinguis. ] *Selmon* inquit Auguſt. ſignificare umbram, quod exponit in myſterium Annuntiationis Deiparæ; & per columbam Spiritum Sanctum intelligens, ſic ait: [Omnia autem hæc operatur unus Deus, atque idem Spiritus, dividens propria unicuique, prout vult: quem dando ille ſupercæleſtis, diſcernit reges ſuper columbam deargentatam. De quo Spiritu Sancto cum ad ejus Matrem gratia plena miſſus Angelus loqueretur, quærenti quomodo fieret, quod paritura nuntiabatur, quoniam non cognoſcebat virum: Spiritus Sanctus, inquit, ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi? niſi umbram faciet. Unde iſti reges, dum gratia Spiritus Domini Chriſti diſcernuntur ſuper columbam deargentatam, nive dealbantur in Selmon: Selmon, quippe, interpretatur umbra. In Pſal. 67.

Sem, unus e filiis Noe, hebraice, & arabice nomen ſignificat, licet D. Auguſt. lib. 16. de Civit. Dei cap. 2. nominatum interpretetur.

Semanterium, & *Simanter*, inſtrumentum longum, tanquam haſta, cujus ſonitu Græci utuntur in Eccleſia loco campanæ, & vocant σημαντήριον, ac juxta allegoricum ſenſu tubas Angelicas in finali judicio denotat. [Semanterium obſcure ſignificat Angelorum tubas. S. Germanus in Theor. ] Item eſt ſymbolum clavorum, quibus Chriſtus crucifixus eſt. [ Simanter eſt veluti typus clavorum, quibus perfoderunt manus, & pedes Domini. Idem.

Sementina. FR. ſeminis patronymicum. [ Par autem eſt, ut nos, qui his diebus ( *ideſt Quadrageſima* ) a carnibus animalium abſtinemus, ab omnibus quoque, quæ ſementinam trahunt originem carnis, jejunemus, a lacte, videlicet, caſeo, & ovis, can. denique, diſt. 4.] Hebræi, & Arabes appellant *Semen* butyrum. Synonyma. Vide *Lacticinia*.

Semiannale. Vide *Annale. Semiduplex.*

Semiariani. FR. Hæretici, qui conveniebant cum Arianis, qui negabant in Chriſto naturam divinam; ſed ab Arianis diſcrepabant, quia Chriſtũ aſſerebant eſſe a cæteris creaturis longe diverſum; nam eo tanquam miniſtro uſum fuiſſe Deum in creatione rerum: ex quibus ſuum venenum hauſit Eunomius: de quibus Semiarianis, ſic Epiphanius, hæreſ. 73. [ Nolunt Filium ſimilem eſſe Patri, ſed ſolum eſſe creaturam. Differre autem a cæteris creatutis, quod præemineat magnitudine, & quod primus omnium productus ſubſiſtat, & quod miniſtro eo uſus ſit Deus ad reliquorum opificium.

Semiaxius. Vide *Chriſtianus.*

Semicintia, ſubligacula brevia ad tegendas partes verecundiores, ad inſtar illorum, quibus utebatur D. Seraphicus Franciſcus, & hodie Religioſi Capucini utuntur [ Divitibus quidem in hoſpitio cum honore, & reverentia ſuſceptis, in omni opulentia deliciæ opponuntur de patrimonio crucifixi. Chriſtus autem ſemel olim crucifixus in ligno, foris in pauperibus ſuis crucifigitur, & torquetur in luto, in quibus aut nudus omnino, aut in ſemicintiis fame, & frigore tremens, de iis, quæ interius dantur canibus, ſolatium anguſtiæ ſuæ poſtulat. Petrus Bleſen. epiſt. 102.

Semiduplex, in Breviario dicitur illud officium, in quo non duplicantur Antiphonæ, quo termino Durandus primo uſus eſt; nam in Breviariis antiquis dicebatur *Non duplex, Semiannale, Succentoris, & Quinque Candelarum*; de quibus ſuis locis ſpecialiter agitur. Vide quoque quæ in dict. *Duplex* egimus.

Semijejunium. Vide *Jejunium*.

Seminiverbius, Concionator, ideſt, ſeminator verbi. [ Erudiat quia ſeminiverbius; definiat quia Prælatus; intercedat quia advocatus. Seminiverbius in cathedra, Prælatus in curia, advocatus in Miſſa. Petrus Bleſen.

Ses.

ſer.43. ] Eodemque vocabulo ab Athenienſibus denominatus eſt Doctor gentium, & Prædicator veritatis D. Paulus. [ Quid vult hic ſemini verbius dicere? Actor. cap. 17. ] FR. [ Unde ab hujuſmodi ſapientibus in Actis Apoſtolorum Prædicator egregius ſeminiverbius eſt vocatus &c. can. ſit Rector diſcretus, 43. diſt. ] & ibi Gloſſa. Vide *Concionator*.

Semiternarius. Vide *Hemitritæus*.

Semitonsus, ideſt, tonſuratus. Vide *Garrhara*.

Semnium, Monialium clauſura, ſive Monaſterium, ex græca dictione σεμνός, ideſt, caſtus: [ Puellæ calcato ad exemplum Agnetis mundo, ſemnia parare, & certatim in ea ruere cœperunt. In vita B. Agnetis de Bohemia 6. Mart. ] Atque Philo Hebræus Religioſorum monaſterium σεμνεῖων appellavit. Vide *Monaſterium*.

Semones. FR. [ Semones dici voluerunt Deos, quos cælo nec dignos aſcriberent, ob meriti paupertatem: ſicut Priapus, Hippo, Vertumnus, nec terrenos eos deputare vellent per gratiæ venerationem: ſicut Varro in Myſtagorum libro ait: Semoneque inferius derelicto, Deum depinnato attollam orationis eloquio apud Fulgentium, de vocib. antiq.

Semus, diminutus: [ Dimidio tantum palmo vas ſemum invenerunt. In Vita S. Brigidæ Virginis. ] Itali *ſcemo* dicunt, ideſt, deficiens, diminutus.

Senator. Vide *Syncleticus*. *Synedrus*. Ejus veſtis. Vide *Purpura*.

Senatorium, locus pro Principibus a Pontifice deſtinatus. Vide *Oblatio*. *Sanchedrim*.

Senatus, dicitur Cardinalium Conſiſtorium. Vide *Presbyterium*.

Senense Hospitale, primum in Italia poſt Barbarorum expulſionem. Vide *Xenodochium*.

Senescallus. FR. palatina dignitas. Blond. decad. 2. lib. 7. dicitur etiam *Seneſcalcus*. Vide *Buticularius*. *Domeſticus*.

Senex. & *Senectus*. Vide *Athenogeron*. *Cruda ſenectus*. *Silicernius*.

Senile Pignus, eleganter a Prudentio denominatus eſt Iſaac unicus ſenis Abrahami hæres.

Senior, ſæpe ab Eccleſiaſticis ſcriptoribus pro Presbytero ſumitur; nam πρεσβύτερος græce, ſenior latine ſonat, ideſt, magis ſenex, ſubauditur intellectu, ac moribus potius, quam ætate. [ Senior electæ Dominæ. Epiſt. Cath. Joannis ſecunda. Senior Gajo cariſſimo, quem diligo in veritate. Idem, epiſt. 3. ] De Sacerdotibus, vel de Epiſcopis potius locutus eſt Tertullianus, quando de electione ſecundum illius ævi uſum, dixerat: [ Præſunt probati ſeniores honorem iſtum, non pretio, ſed teſtimonio probati ] FR. Apud profanos vero Auctores dominus, & ſuperior intelligitur, qui feuda, & juriſdicendi cæteris facultatem concedit. Sigon. de Regno Ital. lib. 7. & leges Longobardicæ, quem Itali *Signore* dicunt. In primo ſignificatu. Vide *Presbyter*.

Senipecte. Vide *Sympactes*.

In Senis Uncis Possidere. FR. pro æquali portione poſſidere. [ Ergo Deus & diabolus in ſeniſunciis hominem poſſident. D. Auguſt. lib. 3. contra Julian. Pelag. ] ex interpret. Latinii ad D. Auguſt.

Sennaar. FR. hebraice ſignificat dentium excuſſio. D. Greg. in Pſalm. pœnit. cap. 19. Erat regio, ubi Babel turrim ædificare cœperat. [ Cumque proficiſcerentur de Oriente, invenerunt campum in terra Sennaar, & habitarunt in ea &c. & dixerunt; Venite, faciamus nobis civitatem, & turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum.

Senpecta. Vide *Sympactes*.

Sensus Mysticus Sac. Scripturæ. Vide *Anagogia*.

Sententialiter. FR. nempe, per ſententiam. [ Eaſdem poſſeſſiones reſtituendas tibi ſententialiter deferimus, de conſtitutionibus, c. 10.

Sentinaculum, receptaculum ſentiæ in navi. S. Paulinus.

Sentinator, Nauta, qui purgandæ navis ſentinæ curam habet. Quid huic quæſo obfuit ſeni perſona ſentinatoris? S. Paulin. epiſt. 34. ad Macar.

Sentino, verbum, ſentinam purgare ſignificans, D. Paulinus, epiſt. 34. ad Macarium. FR. ſignificat etiam ſatagere: [ Sentinare, ſatagere, dictum a ſentina, quia multam aquam navis cum recipit, periclitatur. Cæcilius in Æthrione: Cum Mercurio capit conſilium, poſtquam ſentinat ſatis. Feſtus.

Sentinosus, FR. adjectivum ſentinæ patronymicum. [ Sed & peregrinationem expleviſti, & rem ordinaſti, & veteri, & ſentinoſo, ut audio, navigio iterum te fluctibus tradidiſti. S. Paulin. Epiſc. in funere ejus fratris.

Sentis, fibula. [ Ad ſuam ſentem argenteam, pretioſamque in depoſitum ſibi commendavit. In vita S. Brig. Virg. ] Ejus ſynonyma. Vide *Fibula*.

Seon, mons. Vide *Sanir*.

Separatio, per quid formaliter a diſtinctione diverſificatur. Vide *Divortium*.

Sepecta. Vide *Sympactes*.

Sepher. FR. [ Dixitque Caleb: Qui percuſſerit Carjath Sepher, & vaſtaverit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem. Judic. 1. 12. ] Hæc Civitas *Sepher* pluribus nominibus nuncupabatur, nempe: [ Nomen autem erat Hebron Carjat harbe, vel Sepher. D. Auguſt. lib. 7. quæſt. 3. ſuper Judicum. ] Item dicebatur *Sejor*, Joſue, 15. 54. nam *Mamber* eadem, & Hebron, Geneſ. 15. 18. Atque *Arbee*, ideſt, quatuor, Geneſ. 23. 2. & 35. 25. Joſue, 14. 15. & 15. 13. & 20. 7. & 21. 11.

Sephora. FR. hebraicum vocab. & varia ſignificat, nempe, tubo, pulchra, avis. D. Hieron. lib. 1. adverſ. Jovin. Eſt nomen proprium fœminarum in Sac. Scriptura: Sic vocabatur obſtetrix quædam hebræarum, Exod. 1. 15. item Moyſis uxor. [ Erant autem Sacerdoti Madian, (*ideſt, Jethro*) ſeptem filiæ. Juravit ergo Moyſes, quod habitaret cum eo, accepitque Sephoram filiam ejus uxorem. Exod. 2. 21. ] De qua inter expoſitores eſt ingens, & antiqua quæſtio; nam hæc uxor non videtur eſſe eadem, ac ea, de qua contra Moyſen ejus ſoror Ma-

ria cum Arone murmuraverat: [ Loquutaque eſt Maria ad Aaron contra Moyſen propter uxorem ejus æthiopiſſam. Num. 12. 1. [Sephora enim Madianita erat; Madian autem regio in Aſia fuit, Æthiopia vero in Africa eſt: quare aliqui putant fuiſſe diverſam hanc uxorem ab illa. Sed D. Auſt. in primis eandem fuiſſe defendit, inquiens: [ De uxore Moyſis æthiopiſſa quæri ſolet, utrum ipſa erat filia Jethro, an alteram duxerit, vel ſuperduxerit: ſed ipſam fuiſſe credibile eſt. De Madianitis quippe erat, qui reperiuntur in Paralipomenon Æthiopes dicti, quando contra eos pugnavit Joſaphat. ( *lege Aſa 2. Paralip.* 14. 9. ) Nam his locis dicitur eos perſequutus populus Iſrael, ubi Madianitæ habitant, qui nunc Sarraceni appellantur; ſed nunc eos æthiopes nemo fere appellat; ſicut ſolent locorum, & gentium nomina plerumque vetuſtate mutari. D. Aug. lib. 4. ſuper Numer. quæſt. 20. ] quam quæſtionem ex variis opinionibus apud Jo. Lorinum, in cap. 12. Numer. verſ. 1. §. Propter uxorem ejus æthiopiſſam, & Vinc. Riccardum in notis ad Cantacuz. ſuper Cantic. cap. 24. §. Cedar. diffuſe invenies. Pro Aug. tamen conjectura dicendum, quod Zara æthiops ex Arabia pervenerat uſque ad Mareſa, 2. Paralip. 14. 9. quæ eſt in Idumææ regione, 2. Macab. 12. 33. & 35. Idumæa vero eſt in confinio Arabiæ. Plin. lib. 5. cap. 13. atque ex Arabia Sarraceni proveniunt.

SEPS σήψ, ſerpentis ſpecies, de qua Prudentius, lib. 1. contra Symm. ubi agens de vipera, quæ in Melitæ inſula manum Pauli Apoſtoli invaſerat, ut recte verſum conficeret, uſus eſt nomine *Sepis* pro vipera, ſic inquiens:

Seps inſueta ſubit ſerpere flexibus.

In omnibus tamen ejus Codicibus mendoſe *Spes* habebatur; ſed primus hujus erroris caſtigator Latinus Latinius fuerat, ſicut Ulyſſes Aldrovandus in quadam ejus epiſtola fatetur, quæ inter Lucubrationes ejuſdem Latinii, a me collectas, & typis mandatas reperitur. Quare putat Aldovrandus, quod ſeps ſit Lacerta Chalcidica; ita appellata, non quia in Chalcidis territorio naſcatur, quemadmodum recentiores Scriptores exiſtimarunt, ſed quia virgata eſt lineis aurichalci coloris, quod metallum χαλβὸς, Græci vocant. Imo in eodem diſcurſu Ulyſſis Latinio directo refert vidiſſe ſimile inſectum, a quodam Medico ſibi miſſum, ac in territorio Forumlivii inter ſaxa repertum. De eadem *Sepe* ait Tertullianus: [Per latebras animæ ſepis manente veneno, lib. de unico Deo, cap. 1.

SEPTEMPLICO, per ſeptem multiplico. [Septimus numerus per hebdomadas currens, ſic ſeptem ſeptemplicat ſeptimanas. Chryſol. ſerm. 140. ] ubi aliqui perperam *Ogdoadas* ſcripſere; corrigendum autem eſt *Hebdomadas*, juxta Eruditiſſimi Latinii correctionem.

SEPTEM SOLIUM. FR. Romæ templum, quod Baronius ait fuiſſe contra S. Gregorii Eccleſiam inter montem Palatinum, & clivum Scauri; ita appellatum, quia ſeptem ſolia, ſive ordines columnarum habebat, an. 1084. n. 5. Martinellus in ſua Roma ethnico-ſacra, p. 40. §. Arcum Stellæ, ait fuiſſe verſus portam Capenam, & pag. 45. inquit, ſepti ſolium fuiſſe [ in capite Circi maximi, ubi eſt molendinum ſupra marianam aquam, qui locus antiquitus vocabatur via nova, dum S. Petrus Apoſtolus fugiens iret ad portam Appiam, tibiamque demolitam haberet, cecidit ei faſciola: ] Sed *Septizonium* appellat Famianus Nardinus in ejus Roma antiq. lib. 6. c. 15. In ſeptiſolio Anaſt. Biblioth. in Gregorio IX. dixit; [ Pontifex creatus eſt prope Septizonium in Diaconia S. Luciæ in ſeptiſolio.] Unde ſeptizonium diſtinctum fuerat a ſeptiſolio, licet fuerint contigua. Blondus vero oſtendit fuiſſe arcem, quam ſeptem ſolia vocat ſic: [ Gregorius VII. cum vidiſſet &c. de Romani populi conſtantia diffiſus in Caſtellum cum domeſticis ſe recepit. Ruſticus vero ejus ex fratre nepos ſe contulit ad ſeptem ſolia arcem tunc Caſtello S. Angeli nullatenus inferiorem, decad. 2. lib. 3.] Quæ arx ab Henrico Imperatore ann. 1084. demolita fuit. Baron. loc. cit. Igitur Templum fuit S. Luciæ, quod hodie in ſilice dicitur. Nardinus, cit. lib. 3. cap. 10. ſed Codices Anaſtaſii varie, corrupteque habent, nam aliqui continent *Diaconiam S. Luciæ in Septodio*, alii *in Septa ſolis*, alii denique *in ſeptem viis*.

SEPTENARIUS, numerus myſterioſus. Vide *Horæ Canonicæ*, *Pſalmus*.

SEPTIFORMIS LITANIA. Vide *Litania*.

SEPTIMANIA, Gothiæ regio, quæ hodie pars Svetiæ eſt. [ Vel Gothis credite, qui ſæpenumero etiam ſeptimaniam ſuam faſtidiunt. Sidon. lib. 3. epiſt. 1. ] Eodemque vocabulo in teſtamento S. Remigii utitur Flodoardus: [ Res etiam quas ſæpe dictus Rex piiſſimus Princeps ibi in Septimania, & Aquitania conceſſit] Ac clarius in teſtamento Caroli Magni, ſic habetur [Provinciam, ac Septimaniam, vel Gothiam Ludovico filio noſtro conſignavimus.

SEPTIMIANUM. FR. locum, ſive marmoreum conſeptum in Vaticana Baſilica ſignificat, ubi oſtendebantur Reliquiæ: ſic Torrigius de Crypt. Vatic. ſecund. editione, pag. 81. & 83. ubi hanc inſcriptionem affert: [ Temporibus Domini Hadriani I. hic recondita ſum reliquia Sancti Sanctorum in Menſe Novembris die XXII. Indictione ſeptima, bina clauſura in integro Septimiano. ] Sanctiſſimum Veronicæ Sudarium intelligit. Verba ſic mendoſe.

SEPTIMONTIUM, Gentilium Romæ feſtum in memoriam dici, in quo incluſus fuerat in Urbe ſeptimus mons: [Septimontium, & brumæ, & charæ cognationis honoraria exigenda omnia. Tertull. de Idolatr.] In quo die in curru vehi non licebat per Urbem; appellabatur etiam hoc feſtum *Paganalia*; nam potius ruſticorum erat feſtum.

SEPTIMUM, templum, ſcilicet, ſeptimo ab Urbe Conſtantinopolitana lapide diſtans; ſic enim ex textu græco vertit Victor Tunn. dictionem ἕβδομον, inquiens: [ Zenon a Leone Aug. fil. in Septimo coronatur. [De quo templo Landulfus, lib. 17. hiſtor. his verbis mentionem facit [ Cunctis convenientibus apud Septimum,

mum, tunc Patriarcha a Tyranno de orthodoxa fide, ut ſine perturbatione ſervaret Eccleſiam, extorſit profeſſionem.] Celebris fuerat hic ſitus ob magnificum Imperatoris Palatium, in quo aſſervabantur Imperialia ornamenta, ubi ob ejus incendium corona Juſtiniani deperdita fuerat, ſed elapſis octo menſibus inventa eſt, ita Cedrenus. In eodem Palatio, teſte D. Gregorio, necatus fuerat Mauritius Imperator. Celebris item erat præ multitudine Eccleſiarum adjacentium, ac Monaſteriorum. Amanuenſium autem error fuit in transferibendis Juſtiniani legibus, qui *Recitata ſepties* poſuere pro *Recitata ſeptimi*; nam ibi Senatus convocatus erat. FR. de hac nece Mauritii Imperatoris Gregorius ſcripſerat in ejus Regiſt. lib. 11. epiſt. 1. Celebratur inſuper prædictum Septimi Palatium, quod & *Secundianum* quoque appellabant; nam in eum locum oſſa Samuelis Prophetæ, ut Hieronymus contra Vigilantium teſtatur, translata fuerant. De vocabulo *Secundianus* refert D. Greg. loc. cit. his verbis: [ Coronatus eſt Phocas, & Leontia Auguſta Septimo Palatio, quod dicitur Secundianus. ] Idemque habet Theophanes de Foca agens. Item *Hebdomadam* appellat Cedrenus, lib. 18. c. 38.

Septonistæ, hæretici. Vide *Gazari*.

Septuagesima, quæ a die Dominica incipit, cujus nominis Ordo Romanus rationem reddit, inquiens: [Septuageſima videtur dici propter ſeptuaginta dies, qui ſunt ab ipſo die ad ſabbatum ante octavam Paſche, quo die alba tolluntur veſtimenta a nuper baptizatis.] Hæc enim dierum combinatio eſt ſymbolum captivitatis Babylonicæ, poſtquam ad poſſeſſionem ſuam Hebraicus populus redierat; ita nos captivitatem hujus Babylonici ſæculi commemoramus, per hunc dierum numerum cœleſtem Hieruſalem expectantes, & ob id expleta horum dierum periodo, nimirum, in ſabbato ante Dom. in Albis Eccleſia celebrat in Miſſæ introitu memorabilia illa verba: [ Eduxit Dominus populum &c. ] Alcuin. Sancta Mater Eccleſia in hac ſeptuageſimæ Dominica lugubribus paramentis induitur, ac ſolitum lætitiæ cantum *Alleluja* dimittit, de quo ſatis in dict. *Alleluja* egimus; ubi diximus, quod ob memoriam mortis per Adami peccatum introductæ, eadem Eccleſia in introitu Miſſæ ululatum incipit: [ Circumdederunt me gemitus mortis. ] Hinc de ſeptuageſima agens Ivo, ſic inquit: [Unde in Introitu hodiernæ Miſſæ ſancta Eccleſia per lapſum primi Parentis, mortem ſibi illatam eſſe deplorat.] Vide *Laus tibi, Domine*. Ab hac ſeptuageſimæ Dominica feſta mobilia totius anni regulantur, quorum prima eſt; ſed pro hac Dominica invenienda, hæc regula traditur; ſcilicet, notentur dies lunæ currentis in feſto Epiphaniæ, quibus totidem adjungantur uſque ad quadrageſimi numeri complementum, & ubi a die Epiphaniæ quadraginta dierum numerus pervenit, tunc prima Dominica occurrens erit Septuageſima. Advertenda tamen eſt duplex in hac regula exceptio; prima ſiquidem, quod quando præfati quadraginta dies terminantur in aliqua Dominica, tunc non illa, ſed ſequens erit ſeptuageſima. Altera exceptio eſt, quod in anno biſextili quadraginta, & una dies computanda erit: quæ regulæ his verſibus continentur.

A ſexto ſtellæ numerando perfice lunam,
Quadraginta dies poſt ſeptuageſima fiet.
Biſextus quando fuerit ſuper additur unus.
Si cadit in lucem Domini, tunc ſume ſequentem.
Si cadit in feriam ſeptenam, ſitque biſextus,
Linque diem Domini primum, ſumaſque ſecundum.

*A ſexto*, nimirum, die ſtellæ, ideſt, Epiphaniæ, quæ *Feſtum ſtellæ* dicitur, & in ſexto die Januarii celebratur: ſi cadit *in lucem Domini*, hoc eſt in diem Dominicam. Pro facili igitur hujus regulæ intelligentia, exemplo in praxi explanabo. An. 1644. in die Epiphaniæ occurrebant 27. lunæ dies, quibus additis 13 ad complendum numerum 40. cadebat dies quadrageſimus in 19. Januarii, qui erat dies Martis; ſed quia ille annus erat biſextus, ac proinde unicus dies ſupra quadrageſimum addendus erat, hinc ad diem Mercurii 20. Januarii ex prædicta exceptione computatio terminabatur: itaque poſt hunc diem celebrata fuit Dominica ſeptuageſimæ, ideſt, ad diem 24. ejuſdem menſis.

Sepultura. FR. uſurpatur aliquando pro funerali. [ Ubi ſunt Epiſcopi, ſepulturæ celebrentur, can. ubicumque, 13. q. 2. ] Sepulturam autem intelligendo in ſenſu rigoroſo Optatus Milevit. lib. 3. inquit, in Domo Dei Defunctos non ſepeliri, quam prohibitionem canonicam tetigimus in dict. *Porticani*. Hanc legem etiam Gratianus Imper. ſanciverat in Cod. de ſacroſanctis Eccl. l. 2. Sed quid exclamaret Optatus, ſi poſitus fuiſſet in ſuperbiam ſæculorum noſtrorum? in quibus adeo Magnatum excrevit luxuries, ut cum illis omnia vitia extinguantur præter ſuperbiam; nam laudari deſiderant, ubi non ſunt, & cruciari non curant, ubi ſunt; erigunt ſiquidem intra divina penetralia ſuperbiſſima ſepulchra, quæ in ſpecioſitate Altaria excellunt; & vanitate ſe æternizandi, cum ipſomet Deo Æterno dimicare tentant; unde ſatis recte exclamat Bernardus, quod fornicator in ſe ipſum, injurioſus in proximum, at ſuperbus in Deum peccat. Auguſtinus tamen, in lib. de cura pro mortuis ait eſſe licitum etiam prope Martyrum ſepulchra devotionis cauſa mortuos ſepeliri. Sepulturæ ſynonyma. Vide *Cœmeterium*. *Hoſpitium novum*. *Mauſoleum*. *Sarcophagus*. *Taphus*. *Urceus*.

Sepum, adeps. Cencius Camerar. in Cærem. m. ſ. Vide *Sagimen*.

Sequacitas, ſectatio. [ Hinc etiam ille apud nos maxima reverentia fuit, quod non ſatis ferebat ægre pigram in quibuſdam ſequacitatem. Sidon. l. 4. ep. 11.] & de ſcriptoribus ob velocitatem ſcribendi abbreviaturis utentibus inquit: [ Scribarum ſequacitas ſaltuoſa. Idem lib. 9. epiſt. 9.

Sequax, ſectator. [ Sequax humilis turba conſilii. Si-

donius, lib. 7. ep. 1. ] Vide *Pediſſequus. Sequipes.*

SEQUENTIA. Vide *Jubilatio. Proſa. Verſus leoninus.*

SEQUESTER, ideſt, mediator: ſic enim a S. Methodio appellatus fuit Salvator Chriſtus: [ Ineffabilem inviſibilis Patris Filium, pacis ſequeſtrum, & admirabili quodammodo omni brevitate minorem factum. In Sermon. de Simone, & Anna. ] Item ſignificat officium valde ſpectabile in aula Conſtantinop. quod a Græcis μεσάζων dicitur; unde Joannes Palæologus poſt ejus reditum a Florentino Concilio tertio uxorem duxerat Mariam Cantacuzeni, qui dignitate ſequeſtri fungebatur, ſororem; ſequeſtri enim inſtituti erant ad componendas lites, & differentias ſine figura judicii; quare in Actis ejuſdem Concilii Florentini legitur, quod hi ſequeſtri magno conatu ſe ingeſſerant ad perſuadendos Michaelem Balſamonem ſcriniarium, ſive Cartophylacem, & Sylveſtrum Sgurobolum Eccleſiarcham ad decreta ejuſdem Concilii acceptanda, quæ tenaciter rejiciebant.

SEQUESTRATIM. FR. ſeparatim: [ Pontifices, quibus in Summo Sacerdotio conſtitutis ab extraneis aliquid, aut cum Eccleſia, aut ſequeſtratim dimittitur, aut donatur, can. Pontifices, 12. quæſt. 3. ] Sed vere in hoc loco mediatim ſignificat. Vide *Sequeſter.*

SEQUESTRUM. Vide *Intertio.*

SEQUIPES, veſtigiorum ſectator, & imitator. [ Ut per anguſtam viam eorumdem Sanctorum valeamus ſequipedes eſſe. In vita SS. Juliani, & ſocior. ] FR. Legitur etiam *Sequipeda* penes Ivonem Carnotenſem, in epiſt. 65. ubi agens de juramento novi Pontificis, inter alia hæc habet: [ Sed ferventer, ut eorum diſcipulus, & ſequipeda totis mentis meæ conatibus, quæ tradita canonice comperio, obſervare, & venerari profiteor. ] Reliqua hujus nominis ſynonyma. Vide *Pediſſequus. Sequax.*

SEQUUTOR, perſecutor. [ Altius impreſſo dum palpitas enſe ſequutor. Prudentius. Vide *Subciſivus.*

SERANTHASMUS, ſericum floribus contextum, vox quidem græca σηρανθασμός, a verbo αἰθίζω, quod floribus ornare ſignificat. [ Hic Sanctiſſimus Præſul Eugenius III. quando celebravit primam Miſſam in B. Petri Eccleſia, obtulit ſuper venerabile Altare ejus optimum ſeranthaſmum ad Altaris ornatum. Romanus Canonicus in deſcript. Baſil. Vatic. cap. 8.

SERAPHIM: nomen ordinis Beatorum Spirituum, ex hebraica voce *Seraph*, quæ prunam, & ardentem carbonem ſignificat; itaque Seraphim ardentem, & amore divino ignitum denotat. Vide *Cherubim*. FR. eodem modo, quo in dict. Cherubim dixi, quod Ethnici, & primo Ægyptii, qui ſacram Scripturam forte præ manibus habuerunt, Serapin Deum coluere, deducto vocabulo ex Seraphim; & quia Angelicus hujuſmodi Spiritus ab Ezechiele, c. 1. deſcribitur quaternis faciebus, Bovis nempe, Leonis, Aquilæ, ac Hominis; ſic Ægyptii Serapin quatuor animalium figuris formavere, ſcilicet, Bovis, ac trium aliorum animalium. Natalis Com. lib. 6. Mythol. c. 13. & lib. 8. cap. 18. ] Serapin calathum in capite ejus inſigunt, vel dum ſimulacro ſignum tricipitis animantis adjungunt, quod exprimit medio, eodemque capite leonis effigiem &c. Macrobius, lib. 1. Saturnal. c.20.] Et quia unus. Seraphim calculo os Iſaiæ tetigerat, ut idem c. 5. inquit, hinc etiam Gentiles Serapim pinxerunt ſimul cum Harpocratis ſimulacro, obturantis digito os ejus. Ita D. Aug. ex Varrone. [ Et quoniam fere in omnibus templis colebatur, Iſis, & Serapis; erat etiam ſimulacrum, quod digito labiis impreſſo admonere videretur, ut ſilentium fieret, lib. 18. de Civitate Dei, c. 5.

SERAPIS. Vide *Seraphim, Sporteolus.*

SERGIUS, & Bacchus Sancti Martyres. V. *Primicerius.*

SERIATIM. Vide *Libellarium.*

SERICUM. Vide *Baphium, Chryſoclavum, Holoſericum, Imiſilium, Seranthaſmus, Tramoſericum.*

SERIOSIUS, adverb. ideſt, magis ſerie. [ Latori vero præſentium Bonifacio defenſori aliqua injunxi, quæ ſanctitati veſtræ debeat ſerioſius intimare. D. Gregor. in Regiſt. lib. 1. c. 26. ] FR. eodem vocabulo uſus eſt Joannes XXII. in ejus extrav. de verborum ſignif. cap. 1.

SERPENS ÆNEUS Moyſis conſervatur in Mediolanen. Metropolitana Eccleſia. Vide *Veſpera.*

SERPENTARIA. Vide *Dipſas.*

SERPENTUM ſigna in proceſſionibus. Vide *Draconarius.*

SERA. FR. montium dorſa, vel juga. Bullar. Caſin. tom. 2. conſtit. 38. n. 6.

SERVATOR, FR. Locum tenens, Vicarius, Subſtitutus, Delegatus: [ In Panormitana autem parte loci ſervatorem tui me ſufficit elegiſſe. S. Gregor. in Regiſt. lib. 12. ep. 3. ] Idem etiam habetur, in l. ſi quis furem, de furtis; a Græcis vero τοποτηρητής dicitur, ut Balſamon notat in proœmio Concilii Carthaginenſis, cujus verba latine ſic ſonant, [ Locos implentes eorum, qui non poterant in Synodo convenire. ] Puta Prælatos legitime impeditos, eorum vice miſſos, ac ſubſtitutos direxiſſe in Synodum. Hujus vocabuli ſynonyma. Vide *Vicarius.*

SERVIFICO, in ſervitutem redigo. [ Ut ſervificent eos, & ſpolient eos. Chryſoſt. hom. 35. in c. 20. Matth.

SERVITOR, FR. Miniſter, ſerviens. [ Non Epiſcopus Clericum, vel ſervitorem Eccleſiæ ad cædem perducat, can. neminem, diſt. 45. ] Et clarius in ſignificatione Miniſtri: [ Eccleſia Antiochena multis ex ſervitoribus eſt fere deſtituta miniſtris. De Cleric. non reſident. c. 16. Decretal. ] Item non raro uſurpatur pro Monacho, ſeu Religioſo, qui Deo famulatur: [ Renuntio &c. Venerabili Monaſterio S. Pauli, vel ſuos ſervitores, ] & infra: [ Et obligo me quidem Rogata, & meos hæredes in præfato Monaſterio B. Paulo Apoſtolo, ſuoſque ſervitores. Bullar. Caſin. tom. 2. conſt. 21. [ Ubi evidenter patet, quod particula *Vel* ſtet pro *Et*, dum antea dixerat, *vel ſuos ſervitores*; deinde in eodem ſenſu repetit, *ſuoſque ſervitores*

*vitores*; quod Lectori propono pro clariori intelligentia quæſtionis ſuper ſynonymum *ſeu* infra ſcribendum. [ Et in præfato Monaſterio S. Anaſt. perpetuo largimur, ut de præſenti die habeant tui ſervitores poteſtatem in præfatis omnibus ad utilitatem S. Anaſtaſii introeundi, utendi, tenendi, fruendi, & uſque in ſæculum ſæculi poſſidendi, quatenus pro te Glorioſe Martyr mercamur &c. Ibidem, conſt. 25.] Idem habetur, in eod. tom. 2. conſt. 112. n. 3.

Servus Servorum Dei, nedum Papæ, ſed Epiſcoporum titulus. Vide Bonifacii Epiſcopi titulus in dict. *Inſula*.

Servus Vilis. Vide *Impans*, *Mediaſtinus*, FR. Servi Eccleſiæ qui dicuntur, & quare. Vide, can. cum multæ, 15. qu. 8.

Sescuplum. FR. lucrum, quod excedit totum cum dimidio reſpectu ſortis principalis. [ Non licet fœnerari Miniſtris Altaris, vel in ſacerdotali ordinatione conſtitutis, vel uſuras, vel lucra, quæ ſeſcupla dicuntur, accipere: ] ubi Gloſſa ſic explicat: [ Hic ponitur ſeſcuplum pro ſeſquialtero, quod continet totum, & ejus medietatem. Seſcuplum ſecundum quod per ſ, ſcribitur, quod eſt totum, & plica. Unde ſeſcupla uſura dicitur, cum datur ſumma aliqua, & recipitur ſumma illa cum ſua plica, ideſt, medietate. Sexcuplum, ſcriptum per x, dicitur quælibet res ſeries multiplicata. ] Idem habetur in can. quoniam multi, 14. qu. 4. his verbis: [ Vel ſpecies frumentorum ad ſeſcuplum dare omnis &c. ] Ubi Gloſſa, ait non eſſe uſuram, ſi dentur quatuor, & quinque ſolvantur. *Seſquiplum* dicendum vult Latinius in Correct. Concilior. tit. Concil. Laodicen.

Sesthenium. FR. ſic appellabatur quædam Baſilica Conſtantinopolitana in honorem S. Michaelis dicata.

Sesquialterum. Vide *Seſcuplum*.

Sesquiplum. Vide *Seſcuplum*.

Sethiani, ſive *Sethaniani* Hæretici, qui credebant Chriſtum fuiſſe Seth Adami filium, 24. q. 3. can. 39. Vide, an ſint iidem ac *Sathaniani*, de quibus in dictione *Eucheta*, *Precatores*, dictum fuit. Quomodo vocabatur *Seth* apud Græcos. Vide *Typhon*.

Seu. FR. particula non raro pro *Et* apud antiquos Eccleſiaſticos Scriptores uſurpatur, & idem dicendum de ejus ſynonymo, *Vel*, ut ſuo loco dicemus. [ Habentes tabulas, ſeu orbiculos de chryſoclavo. Anaſt. Biblioth. in Leone III. ] Ubi Salmaſius falſo exiſtimat tabulas has habuiſſe rotundas figuras; nam hic dictio *Seu* valet *Et*, ut recte contra eundem Salmaſium Albertus Rubenus arguit: itaque *Tabulæ* eſt diverſa res ab *Orbiculis*: nam ſenſus Anaſtaſii eſt quaſi diceret tabulas, & orbiculos, res, ſcilicet, inter ſe diverſas, quod multis exemplis d. Anaſtaſii comprobatur. [ In altare B. Petronillæ poſuit veſtem de ſtauraci unam habentem periclyſim de blattis, ſeu chryſoclavo, in Leone II. ] & alibi: [ Qualiter Angelus B. Cæciliam, ſeu Valerianum, & Tiburtium coronavit. In Paſchali I. ] Quis unquam putaret Cæciliam, & Valerianum eſſe unam eandemque perſonam? [ Quem omnes Viri Romani, ſeu omnes populi in Pontificatus ordinem elegerunt. Idem in Greg. II. Et Candulſo Caſtaldione, ſeu Manfredo Judice. Bull. Caſinen. tom. 2. conſtit. 113. Conradus II. Rex Italiæ, ſeu Germaniæ. Ibid. conſt. 82. ] Itaque *Seu* pro *Et* ab Anaſtaſio uſurpatur, nam ipſemet inter *Tabulas*, & *Orbiculos* differentiam ponit in eodem Leone III. idem repetens, dum inquit: [ Habentes tabulas, atque orbiculos de chryſoclavo. ] Reperitur idem ſtylus in decimo ſæculo: [ Verus Judex Dom. Imperatoris, ac Regis, & Uvibertus Vicecomes filius bon. memor. idemque Uviberto de Baniolo, ſeu Ildevertus, qui & Bezo, fil. quondam Fredolphi de Villa Gurgo. Bulla. Caſin. t. 2. conſt. 61. ] ubi clare videtur, quod Uvibertus de Baniolo, erat diverſus ab Idelverto de Villa Gurgo, ut in ejuſdem inſtrumento ex eorum diſtincta ſubſcriptione fit evidens. Item dicendum de ſynonymo *Vel*, ut in dict. *Servitor* oſtendimus. Vide etiam dict. *Vel*. Item de ſynonymo *Sive* dicendum erit: [ Hildovicus Gratia Dei Imperator Auguſtus, omnibus Fidelibus noſtris in partibus Longobardiæ, Romaniæ, ſive Benevento, atque Tuſcia, nec non Venetia conſiſtentibus. Bulla. Caſin. tom. 2. conſt. 36.

Severiani. FR. Hæretici. [ A Severo exorti vinum non bibebant; vetus teſtamentum, & reſurrectionem non recipiebant, 24. qu. 3. can. 39. ] ac fuſe de hac Hæreſi, & Auctore ejus Baron. ann. 57. nu. 132. ann. 511. n. 15. 16. an. 174. n. 11. ann. 513. num. 1. & ſeqq. anno 517. num. 51. & ſequentib. ann. 518. n. 45. & 50. cum ſeqq. an. 519. n. 143. &c. dicebantur *Curruticuli*. Idem ibidem num. 147. Apparitio Hæreſiarchæ in Inferno. Idem anno 532. num. 20. Reliqua anno 535. & ann. 536.

Sexagesima. [ Porro ſexageſima inde dici poteſt, quia ſexagin ta ſunt dies uſque ad medium Paſchæ, quod eſt feria quarta Paſchalis hebdomadæ. Ord. Rom.

Sexcuplum, & *Seſcuplum* quomodo differant inter ſe. Vide *Seſcuplum*.

Sexta, canonica hora. Vide *Hora canonica*. FR. ſexta autem moralis hora quænam intelligatur in ſacr. ſcriptur. Vide Baron. ann. 34. n. 163.

Sextariaticum, tributum, ſive canon Eccleſiæ a Ruſticis ſolvendum pro qualibet aridorum ſextarii menſura; erraverunt namque illi, qui Ruſticos ſolventes vectigalia ita appellari putarunt; eorum enim error ex Gregorianis verbis convincitur, quæ ſic habentur: [ Valde iniquum, & injuſtum eſſe perſpeximus, ut a ruſticis Eccleſiæ de ſextariaticis aliquid accipiatur, ut ad majorem modium dare compellantur, quam in horreo Eccleſiæ infertur. Unde & præſenti admonitione præcipimus, ut pluſquam decem, & octo ſextariorum, modiorumque nunquam a ruſticis Eccleſiæ frumenta debeant recipi. D. Greg. lib. 1. epiſt. 42. ad Petrum Subdiacon. ] FR. qui Canon Eccleſiæ a Ruſticis ſolvendus erat pro acceſſione ſupra ſextarium, ideo a S. Pontifice hoc tributum injuſtum exiſtimatum fuerat, qui abuſus tempore Romanorum in-

troductus eſt, de quo Cicero in 5. Verrin. [ Nec numerum acceſſionum cogebatur arator dare, nam in pecunia ſolvebatur.

Sextarium. FR. liquidorum, & aridorum menſura, de qua ita Hieronymus in c. 4. Ezech. [ Porro Hin duos choas atticos facit, quos nos appellare poſſumus duos ſextarios Italicos, ita ut Hin menſura ſit Judaici ſextarii, noſtrique caſtrenſis, cujus ſexta pars facit tertiam partem ſextarii Italici. [ Vide *Hin*.

Sextus. FR. dicebatur Carthaginis locus, ubi S. Cyprianus martyrium paſſus eſt. Baron. ann. 161. n. 22.

Sextus Decretalium. FR. ita appellatus eſt Codex decretalium, quia uſque ad quintum librum decretalium Gregorius IX. ſcripſerat; Bonifacius vero VIII. ſextum compleverat, ut idem in ejus proœmio admonet. Vide *Decretales*. Septimum autem decretalium, poſt ſextum, Clementinas, & Extravagantes compilavit Petrus Matthæus, editum Francofurti ann. 1590.

Sibylla. FR. quæ decem ex Varrone numerat D. Auguſt. lib. 18. de Civit. Dei, cap. 22. Lactantius 1. divin. inſtit. & D. Hieron. lib. 1. adverſ. Jovin. qui ex eod. Varr. inquit: Æolice Θεȣβȣλὼ, ideſt, Dei conſilium Sibyllam appellari; ſed Ludov. Vives cit. loc. Aug. commentans, ait, Æolice σιȣ̀ς, Deos, βȣλὼ conſilium ſignificare, indeque Sibyllam dici. Per βȣλὼ enim penes omnes Græcos intelligitur conſilium.

Sibyllisti, dicti ſunt Chriſtiani. Vide *Chriſtiani*.

Sibyna, jaculum, ſive telum miſſile, ex græco σιβύνη. [ Et concident machæras ſuas in aratra, & ſibynas in falces, ideſt, animorum nocentium, & linguarum infeſtarum, & omnis malitiæ, atque blaſphemiæ ingenia convertent in ſtudia modeſtiæ, ac pacis. Tertull. lib. 3. adverſ. Marc. cap. 21.

Sicarius. FR. a ſica gladii genere, & ſignificat aſſaſſinum, de quo fit mentio, de pœnitent. diſtinct. 1. & de homic. voluntar. vel caſuali, cap. ſicut dignum. Ibique Gloſſa, §. Sicarios.

Sicera, hebraica vox, quam aliqui vinum annoſum, & inveteratum ſignificare putant; alii vinum purum. Sed re vera quemlibet potum ad inebriandum potentem denotat, ut manifeſte ex Evangelii textu colligitur, in quo ſicera a vino diverſificatur; nam ait ibi: [ Vinum, & ſiceram non bibit. Luc. cap. 1. ] Imo apud Hebræos ipſammet ebrietatem ſignificat: [ Sicera autem eſt quidquid abſque vino facit ebrietatem. Zonar. in can. 3. ] Ac Arabes *Sakera* vocant ebrietatem. Atque Zacharias Chryſop. Epiſc. in Evang. cap. 2. ait, quod: [ Siceram vocant Hebræi omnem potum, qui inebriare poteſt, ſive de pomis, ſive de frugibus, ſeu de qualibet alia materia confectum. [ FR. Idem ſentiunt Lyranus, qui ait, quod: [ Sicera dicitur omnis potus inebriativus, ] & D. Hieronymus in epiſt. ad Nepotian. inquit, quod ſicera dicatur [ Omnis potio apud Hebræos, quæ inebriare poteſt, ſive illa ex frumento conficiatur, ſive pomorum ſucco: ſive favi decoquantur in dulcem, & barbaram potionem, aut palmarum fructus exprimantur in liquorem, coctiſve frugibus aqua pinguior colaretur. ] Palea etiam in dict. 35. inquit: [ Sacerdotes, qui miniſtrant in templo Dei, prohibentur vinum, & ſiceram bibere; ne crapula, & ebrietate aggraventur corda eorum. Sicera hebræo ſermone omnis potio nuncupatur, qua quis inebriari poteſt. Quidquid inebriat, ſtatum mentis evertit. Tandem Gloſſa in can. admonere, 33. qu. 2. §. ſiceram, ait: [ Per ſiceram intellige omnem potum, qui inebriat. ] Quare vim nominis non exprimit Auctor vocab. Eccl. dum inquit, ſiceram ſignificare cerviſiam, quia licet accidentaliter poſſet in eandem confectionem aliquando convenire; formaliter tamen, & generaliter denotat omnem potum inebriativum. Item Tertull. Ebriamen exponit hic in dict. *Ebriamen*.

Sicilia. FR. Eccleſiaſticum patrimonium, can. relatum, 10. qu. 3. ſive patrimonium S. Petri. [ Præter hæc Regnum Siciliæ, ( quod eſt ſpeciale patrimonium S. Petri, & idem Princeps ab Apoſtolica Sede tenebat in feudum ) jam ad tantam in Clericis, & Laicis exinanitionem, ſervitutemque redegit, quod eis plane penitus nihil habentibus, & exinde fere probis ejectis, illos, qui remanſerunt ibidem, ſub ſervili quaſi conditione vivere, ac Romanam Eccleſiam ( cujus ſunt homines principaliter, & vaſalli ) offendere multipliciter, & hoſtiliter impugnare compellit. Poſſet etiam merito reprehendi, quod mille quidam fartorum annuam penſionem ( in qua pro eodem regno ipſi Eccleſiæ Romanæ tenetur ) per novem annos, & amplius ſolvere prætermiſit, lib. 2. tit. 14. c. 2. ſexti Decretal. ] & ibi Gloſſa, §. Patrimonium. Vide hic *Fartus*. Rogerius vetuit in utraque Sicilia Romanas monetas, quæ romaſinæ dicebantur. Vide *Follerales*. Siculorum in Deiparam devotio. Vide *Hodegitria*.

Siclus, monetæ ſpecies, de qua ſæpe in ſacra Pagina: vox quidem hebraica *Sekel*, ideſt, pondus: Erat autem duplicis valoris, ſive ſpeciei; nempe quæ *Siclus Sanctuarii* dicebatur, & ſemiunciam, ſeu quatuor drachmas ponderis continebat, quod eſt idem; ideo a Græcis τετράδραχμον appellabatur. [ Siclus nummi genus eſt apud Hebræos, quales ſunt tetradrachmi attici. Joſeph. Jud. lib. 3. Antiq. cap. 9. ] Idem a D. Hieronymo refertur his verbis: [ Siclus autem, ideſt, ſtater habet drachmas quatuor: drachmæ autem octo latinam unicam faciunt. In Ezechiel. c. 4. ] Vide *Stater*. Altera vero ſicli ſpecies dicebatur *Siclus communis*, qui duas drachmas, ideſt, unciæ quadrantem pendebat, a Latinis *Sicilicus* appellatus fuit, lib. 21. §. 2. ff. de auro legat. & a Græcis δίδραχμον dicebatur, & duos romanos julios, ſeu duos reales hiſpanicos valebat; cujus ſpeciei monetæ triginta proditori Judæ in ſolutionem ſuæ prævaricationis traditæ ſunt, ut Cornelius a Lapide exiſtimat; nam Budæus de Aſſe refert unam ex illis monetis Pariſiis vidiſſe, quæ duas drachmas pendebat, qui pondus cum alia ſimili Romæ in Eccleſia S. Crucis in Hieruſalem conſer-

ſervata convenit ; idem etiam obſervavi in alia Judæ conſimili moneta ; quæ inter multas , ac pretioſiſſimas devotionum reliquias ab Equitibus in eorum S. Joannis Eccleſia conſervatur ; aliamque ex his monetis fatetur R. Moyſes ſe vidiſſe , quam *Dimidium ponderis* vocat . Antonius Auguſtinus in ejus dialogis de numiſmatibus negat fuiſſe Judæ monetas , quas Roma , & Melita ut ſupra diximus exiſtimant . FR. in can. Judices , qu. 1. hæc D. Hieronymi verba afferuntur , ubi de Simonia agit : [ Nec quemquam movet illud , quod in primo Regum libro legitur , Saulem , volentem ire ad Samuelem , dixiſſe puero ſuo , ad eum ſe ire non poſſe , quia pretium , quod offerret pro vaticinio , non haberet , & puerum reſpondiſſe : ecce inventa eſt in manu mea quarta pars ſicli pecuniæ. Hanc dabo viro Dei , & annunciabit nobis &c. Siclus enim viginti obolos habeat,& quarta pars ſicli quinque ſunt oboli . ] Plutarchus in Lyſandr. ait , quod obolus minimum numiſma erat apud Athenienſes , quod ſexies ſumptum explebat drachmam atticam . Temere ſiquidem Gloſſa in can. Denique & puellæ , 36. qu. 2. inquit : [ Drachma ( ut dicunt ) eſt ſiclus . R. Moyſes , qui & Gerundenſis appellatus fuit , in Pentateuchum ſcribens , inquit , ſe vidiſſe Tolemaidi , quæ hodie *Acca* dicitur , ſiclum ſemiunciæ ponderis , in quo ex una facie ſculpta erat Aronis virga cum inſcriptione *Siclus Siclorum* , & in alia facie inſculpta mannæ urna cum inſcriptione *Jeruſalem ſancta* . De *Siclo* autem moneta diſerte agit Baron. ann. 33. n. 30. & 31. Ezechiel. cap. 45. hæc ſcripſit ; [ Siclus autem viginti obulos habet :

SIGILLARIUS , ex principio occulto , & impenetrabili proveniens . [ Anima velut ſigillario motu ſuperficiem ejus intus agitante . Tertull. lib. de Anima , c. 2. ] Vide *Enthymeſis* . Ac proprie ſigillarius dicitur luſor , ille , qui ſimulacris puerilibus , a Latinis *Sigilla* appellatis , ludebat ; italice *Burratini* , ſive *Pupazzi* dicuntur : inde Tertullianus ſumpta metaphora a ſigillarii occulto ſub velo motu , animæ motionibus applicuit ; & quidem , quod per tale vocabulum luſorem intelligat , Tertullianus ſatis adverſus Valent. expreſſit , inquiens , [ Sigillario extrinſecus ductu . ] FR. puerilia ſimulacra appellavit Idola Ennodius , quando in 3. dictione Miſſæ pro Honorato Epiſcopo, dixerat : [ Ubi ſunt ſigilla numinum votis imaginata facierum ? Quorum facies in poteſtate pendet artificis ? Ubi ſunt Dii , quibus potentiam dederunt homines fulgore gemmarum ?

SIGILLUM , in primario ſignificatu imaginem , figuram , & parvam ſtatuam , ſive ſtatunculam denotat . [ Obtulit candelabra aurichalca ſeptem ante altare , quæ ſunt in pedibus decem cum ornatu ſuo ex argento interclusa ſigillis Prophetarum . Anaſt. in Sylveſtro . ] De ſigillo , quo litteræ firmantur . Vide *Bulla*, *Bullatorium* , *Chartophylax* , *Paſtellus*, *Statuncula* , *Syparum* . FR. In ſigillis Epiſcopalibus antiquitus non ponebantur inſignia gentilitia ; ſed effigies ejuſdem Epiſcopi Pontificaliter induti cum baculo paſtorali,& mitra , ut ex cap. 6. decretal. de fide inſtrumentor. colligitur , ubi ſic habetur : [ Falſum ſigillum vitioſe videbatur appoſitum , eo quod a media parte ſigilli apparebat quædam imago , non cum mitra in capite , ſed cum pileo , nec induta Pontificibus , ſed regalibus indumentis,tenens in manu non baculum paſtoralem, ſed quaſi ſceptrum regale . ] Sigilla , quæ ponebantur in marſupio novi Pontificis . Vide *Sedes ſtercoraria* . Sigillum Domini . Vide *Chriſma* . Sigillo ex Altariolo ſublato deperditur conſecratio . Vide *Altare* .

SIGMA . Cœnaculum hemiſphærica figura conſtructum . [ Diſcumbebat Jeſus plus in Matthæi mente , quam ſigmate , & epulabatur non cibis , ſed reditu peccatoris . Chryſol. ſerm. 19. ] Ac idem alibi repetit , loquens de diſcipulis tempore Chriſti paſſionis abſconſis : [ Si metuentes , ſi clauſi , certe non prandentes , & ſi prandentes , non erat domus illa , ſed carcer ; illud ſigma non erat , ſed carcer , ſerm. 83. ] Dicitur enim ſigma a figura literæ græcæ hujus nominis antiqua, quæ erat ad modum C. FR. Aliquando enim non undique ad menſam convivæ accumbebant : ſed ab altera tantum parte convexa, utpote capaciori convivarum , quam ex convexo interiori latere , ubi edulia miniſtrantes aſſiſtebant , & ex eadem ratione antiqua propugnacula rotunda,vel ad modum ſigmæ non ſunt amplius in uſu , quia præbebatur major ambitus aggreſſoribus , quam aggreſſis , qui in interiori peripheria anguſtiabantur . Igitur de his menſis figuræ lunatæ , vel hemicycli, Lampridius in Heliogab. mentionem facit , inquiens : [ Primus ( *id eſt, Heliogabalus* ) denique invenit ſigma in terra ſternere , non in lectis . ] Ac recte hunc antiquum Romanorum morem Ditmarus comprobat , inquiens : [ Imperator antiquam Romanorum conſuetudinem , jam ex parte magna deletam , ſuis cupiens renovare temporibus , multa faciebat &c. ſolus ad menſam , quaſi ſemicirculum factam , loco cæteris eminentiori ſedebat , lib. 3. Chron.

SIGNACULUM SPIRITUALE , ſive Signaculum Domini . Vide *Chriſma* .

SIGNATURA JUSTITIÆ . Vide *Referendarius* .

SIGNATUS MANU , Miles ; Mauritio enim Imperatori , qui lege prohibuerat , ne quis miles poſſet habitum monachalem ſuſcipere , ſcripſerat D. Gregorius hæc verba : [ In qua lege ſubjectum eſt , ut nulli , qui manu ſignatus eſt , converti liceat , in Regiſt. lib. 2. ep. 61. ] Erant igitur Milites Imperiales ſtigmate in manu ſignati ; atque hoc D. Paulus in epiſt. ad Galatas , c. 6. intellexerat , quando ſcripſit : [ Ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore porto , ] quam epiſtolam ſic commentatus eſt D. Anſelmus, inquiens [ Stigmata vocabantur ſigna quædam, quæ in manibus militum fiebant , per quæ recognoſcebantur eſſe de militia Romani Imperatoris : Paulus ergo illis verbis proteſtari ſe voluit , quod fidelis Jeſu ſervus , ac miles eſſet . ] FR. Gregorius vero Papa decimus ait ,

quod

quod Fabricenſes, ideſt, arma bellica fabricantes ſtigmata ferebant, atque Cuſtodes aquarum, cujus hæc ſunt verba; [ Ex ſtigmate namque conſueto Fabricenſibus imprimi, latitans Fabricenſis agnoſcitur. Et Cuſtodes aquarum ( quos Hydrophylacas nominant ) queis inſigi ſolent annotatione ſignati, lib. 5. tit. 11. c. 12. in ſexto. ] Item *Stigma* ſignificat plagam, & ulcerationem. [ Nam legitur, quod Maria ſoror Aron, propheti<ſſ>a, dum detractionis adverſus Moyſen incurriſſet delictum, illico ſtigmate lepræ percuſſa eſt, can. Hoc ipſum, 33. qu. 2.

SIGNUM, ideſt, abbreviatio in ſcribendo, quam D. Hieronymus *Furtum verborum* appellavit, inquiens: [ Extemporalis eſt dictatio, & tanta ad lumen lucernulæ facilitate profuſa, ut Notariorum manus lingua præcurrat, & ſigna, ac furta verborum volubilitas ſermonum obſervet. De vitand. ſuſpect. Contuber. ] Item ſignificat campanam. *Signum radians*. Vide *Aſteriſcus*.

SIHOR. FR. nomen hebraicum, quod D. Hieronymus ait fuiſſe locum proprium. [Et pervenit uſque ad Carmelum maris, & Sihor, & Labanath. Joſue, cap. 19. 26. Congregavit ergo David cunctum Iſrael a Sihor Ægypti, uſque dum ingrediaris Emath. 1. Paralip. 13. 5. ] Sed Alphonſus Toſtatus in 1. Paralip. eodem cap. qu. 16. §. A Sihor, inquit, ſignificare fluvium hebraice, ac proinde non eſſe nomen proprium loci ſed appellativum.

SILENTIARIUS, ſecretarius. [ Et hæc tanta dilectio ad hoc proceſſit, ut eum ſecretorum conſcium, & primatem capellanorum faceret; ſibi quoque eundem ſilentiarum ſtatueret, ut in quo compererat prudentiæ altitudinem, ejus conſilio componeret totius regni utilitatem. In vita S. Agilberti Abb. Fortaſſe a ſilentio, ſicut etiam a ſecreto ſecretarii nomen inditum fuerat; quamvis in Curia Imperiali varias ſignificationes hujus vocabuli inveniam, & inter alias, *Silentiarii* dicebantur milites cuſtodientes januam Imperialis Conſiſtorii, quia jurgia, rumores, aliaſque inconvenientias detrudere debebant, quorum collegium *Schola ſilentiariorum* dicebatur. FR. de hoc militiæ Cæſarianæ vocabulo egit Procopius apud Baronium ad an. 491. n. 6.

SILENTIO, verbum intranſitivum, quod tacere denotat. [ Sic non debet opera Dei, quæ in illo per ſuos Sanctos fiunt ſine ſuis meritis, ſilentiare, ſed prædicare. In vita S. Dion.

SILENTIUM. FR. hebraice *Domi* dicitur. Calep. Paſſar. in dict. Silentium.

SILICERNIUM. FR. [ Quo differt ab epulo Jovis ſilicernium? a ſimpluvio obba? ab aruſpice pollintor? Tertull. adverſ. Gentes. ] Significat mortuorum prandium. Alia ſignificata hujus dictionis inveniuntur apud Joſeph. Scaligerum in caſtigationibus Feſti, & apud Calepinum.

SILICERNIUS. FR. ſenex. [ Silicernios dici voluerunt ſenes jam incurvos, quaſi jam ſepulcrorum ſuorum ſilices aſpicientes; unde & Cincius Alimetus in hiſtoria de Gorgia Leontino ſcripſit, dicens: Qui dum jam ſilicernius ſui finem temporis expectaret, ſi mori non potuit, tamen infirmitatibus exultat. Fulgentius de vocib. antiq. ] quem Græci τυμβογέρων dixere. De Silicernio Terentius in Adelph. ubi aliqui intellexerunt nomen comicum fictum; erant tamen, nam Silicernium funebre convivium, ut ſupra diximus, & alia ſignificat.

SILINGI. FR. ideſt, Vandali. Baron. anno 49. n. 37.

SILIQUA, hoc nomen proprie ſignificat fructum vilem, quem hodie Romani *Guainelle* dicunt, Hiſpani *Carobas*, Neapolitani *Sciuſcelle*, Siculi *Charubi*, Arabes *Charub*, de quibus frugibus D. Lucas, c. 15. inquit: [ Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant. ] Item ſignificat monetæ ſpeciem vilis quidem. [ Adjectis ſiliquis, oneribus, & granaticis. D. Gregor. in Regiſt. lib. 1. cap. 42. ] Quæ moneta juxta Eruditiſſimi Latinii opinionem erat vigeſima quarta ſolidi pars. Solidus vero, ut idem ait, erat valoris Juliorum Romanorum 17. & bajoccorum tres circiter; nam ſolidus erat tertia aurei ſcuti pars, quod quando Latinius ſcripſerat, ideſt, ann. 1568. aureum ſcutum ſecundum illius ſæculi pretium non continebat niſi Julios tredecim, licet hodie quindecim contineat. Igitur data proportione temporis Latinii ſolidus correſpondebat Carolino Romano, nempe, tribus quartis Julii: ſed hodie, nimirum anno 1677. in quo ſcribimus, ſolidus viginti Julios contineret, quia ſcutum aureum hodie Julios quindecim continet. Vide *Solidus*. FR. De eadem moneta Siliquæ habetur in l. final. de furtis; ubi Gloſſa erat, dum aſſerit Siliquam tantum valere quantum ſolidum. In ſupradicto Gregorii textu fit mentio de *Granaticis*: fortaſſe ſpecies monetæ erat, quam hodie in utraque Sicilia *Grani* nomen retinet, & eſt etiam vilis moneta.

SILIQUATICUM. FR. gabella exigenda pro ſiliquis, l. final. de furtis. Sed potius videtur ſignificare gabellam pro quocumque mercimonio. [ Et ſiliquatico det ſingulas mercaturas, & portoras. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſtit. 20. n. 3.

SILOE, hebraica vox *Silluach*, ideſt, Miſſus; ita enim ſacer Croniſta explicat, ubi de piſcina agit, in qua cæcus a nativitate degebat, qui oculos lavans viſum recepit. FR. Fons quidem erat ad radices montis Sion, ut ſcribit Hieron. in Iſai. c. 8. & non ſcaturiebat continuo, ſed in aliquibus incertis diei horis: qui fons, ait S. Epiph. de vita, & interitu Proph. cap. 7. interceſſione Iſaiæ primo emanavit; nam antequam moreretur Propheta ille, aliquantulum Deum precatus eſt, ut ex illo loco aquam mittere dignaretur, cujus oratio ſtatim exaudita fuit; inde *Siloè* hæc fons denominata fuerat, ex tali miraculoſa emanatione; *Siloè* enim demiſſum ſignificat: additque, quod ſub Ezechia Rege antequam ſtagnum, & piſcinas conſtruxiſſet, in hoc fonte ſcaturierat modica aqua medi-

anti-

antibus Iſaiæ precibus, ut populus Iſrael in civitate obſeſſus non periret ſiti. Itaque ad manus opportune illam populus habebat, & econtra irreperibilis erat hoſtibus; de eodem facit etiam mentionem Joſephus Hebræus. Quæ relata habentur penes Baronium ann. 33. n. 35. & 36. :||: Patriarcha autem Jacob Judam ejus filium benedicens, ut in Geneſi habetur, vocavit Meſſiam *Sciloch*, quæ vox in Vulgata *Mittendus* translata fuit. FR. Non incongrue videtur hic quandam lepidam reprehenſionem referre, qua quidam Amicus aliquos Judæos Romæ degentes ſemel objurgaverat; nam Romani vulgariter ventum Syrum *Siloccho* appellant; hinc ſumpta occaſione ille talis dixerat Hebræis Romanis, quod non tantum admirabatur, quod cæteri Judæi per Orbem decepti adhuc Meſſiam expectarent; ſed quidem de Hebræis Romæ incolentibus, qui illum expectant, dum a *Scilocchο* tam ſæpe viſitantur; æquivocans namque in ſenſu Hebræorum, & in ſenſu vulgari Romano, quia illi per *Sciloch* Meſſiam, ac ventum Syrum vulgares Romani intelligunt, a qua ſpiratione crebro infeſtatur Roma :||: Alii tamen hanc dictionem cenſent non eſſe hebraicam, ac proinde fuerunt variæ opiniones. R. Abnazer affirmat *Miſſum* ſignificare; alii dixerunt eſſe compoſitam ex duabus vocibus *Sciailah*, id-eſt, Donate vos ei. Vide *Probatica*.

SIMANTER. Vide *Semanterium*.

SIMILARIA, ſeu *Similia*. Vide *Cupha*.

SIMON. FR. hebr. nomen obedientem ſignificans. Simon autem, qui a Romanis tanquam Deus colebatur cum hac inſcriptione *Simoni Sancto*, ſeu *Santo*, de quo titulo pluries apud Cruterum, Simon Magus fuit, ut Juſtinus Mart. Apol. pro Chriſtian. ad Antonin. Pium, Irenæus, lib. 1. c. 20. Tertull. Apol. cap. 13. Euſeb. lib. 2. cap. 12. 13. & 14. a Baron. adducti, an. 34. n. 52. & in figura Jovis, idem Baron. an. 35. n. 2. an. 44. n. 59.

SIMON MAGUS, quomodo caput radebat. Vide *Tonſura*.

SIMONIA, graviſſimum delictum venditionis rei ſpiritualis, quæ incurſionem cenſurarum Eccleſiaſticarum, obligationem reſtituendi pretium acceptum, & fructus beneficii obtenti mala fide perceptos ſecum trahit. Fuit enim a Mago Simone ita denominata, qui pecunia ab Apoſtolis Spiritum Sanctum emere tentaverat, invidia motus operationum prodigioſarum, quas Paraclitus per eos demonſtrabat; qui tamen ab Apoſtolico Senatu rejectus fuit hac ſententia: [ Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri. Actor. 8. ] Quam vero Petrus Bleſenſis, epiſt. 129. his verbis explicat: [Non poterant tibi ſufficere redditus canonice acquiſiti, & Eccleſiaſticæ facultates, niſi ædificares Sion in ſanguinibus, atque venalitate execrabili, & damnabili quæſtu divitias congregares? ] Et inferius ſic illam deſcribit: [Avaritia hæc ſimoniaca ipſa eſt vermis interficiens, bruchus peſſimus, ærugo, ac tinea cordis, quæ bona omnia æruginat, & conſumit. ] FR. Hæc peſſima Hæreſis habuit ſuos ſectarios, qui *Simoniani* dicebantur, quorum dogmata exoſa licitam rerum ſpiritualium venditionem aſſerebant, ac creaturam non a Deo, ſed a virtute quadam ſuperna creatam, can. quidam, 24. quæſt. 3. Simoniani enim ſunt plus execrandi, quam Macedoniani hæretici, qui impugnabant Spiritum Sanctum; hi namque creaturam, & ſervum Dei Patris, & Filii Spiritum Sanctum delirando fatebantur: at Simoniani efficiunt Spiritum Sanctum non Dei, ſed eorum ſervum. [ Omnis enim Dominus quod habet, ſi vult, vendit, ſive ſervum, ſive aliquid aliud eorum, quæ poſſidet. Similiter & qui emit, dominus ejus volens eſſe, quod emerit, per pretium pecuniæ illud acquirit. Ita & hi, qui hanc iniquam actionem operantur, detrahunt Spiritui Sancto, æqualiter peccantes his, qui blaſphemaverunt, dicentes Chriſtum in Beelzebub ejicere dæmonia: atque (ut verius dicamus) Judæ comparantur proditori, qui Judæis occiſoribus Chriſtum vendidit &c. can. Eos qui, 1. qu. 1. ] Ita enim, & taliter deteſtabilis eſt ſimonia, ut neque ex ejus acquiſitionibus reputetur valida eleemoſyna, can. non eſt putanda, 1. qu. 1. Simonia erat etiam apud Ethnicos odioſa, imo de Romulo inquit Dionyſ. Halicarn. l. 2. c. 3. [ Deinde quod, quum alii male quodammodo, & inconſiderate eligant Sacerdotes, & alii cenſeant hujus honoris pretium voci præconis ſubjiciendum; alii vero ſacerdotia ſorte dividunt; ipſe (*ideſt, Romulus*) ſacerdotia neque venalia eſſe, neque ſorte dividi voluit: ſed legem tulit, qua juſſit ex ſingulis curiis creari, duos, qui annum ætatis quinquageſimum jam præteriſſent, qui & genere aliis præſtarent, & virtute eſſent inſignes, & cenſum ſufficientem haberent, & corpore eſſent integro. His autem non ad certum aliquod tempus, ſed quamdiu viverent, hos honores conceſſit, eoſque militiæ, ob ætatem, & negotiorum urbanorum ob legem immunes fecit. ] Qui nedum ſacras, ſed & temporales dignitates per largitiones abhorrebant, ut ex Cic. 2. de Orat. & in epiſt. ad Quintum fratr. ſatis liquet. Quantum vero apud Hebræos odioſum erat hoc largitionum genus ex pluribus ſac. ſcript. locis comprobatur, ac de Daniele inquit Joſeph Hebræus: [ Pro muneribus promiſſis a Balthaſſare, eo quod exigebat prophetiam viſionis, reſpondit Daniel, ſapientiam, & divinatem (*hoc eſt ſpiritualitatem*) ſine ſuffragio ſemper exiſtere, & gratis prodeſſe credentibus, lib. 10. antiq. cap. 13. ] Quare merito canones ſimoniacos ad reſtitutionem obligant male de ſpiritualibus perceptorum, quia data, & accepta damnabiliter, ac infructuoſe retinent, & ut loc. cit. inquit Daniel: *ſine ſuffragio*, (ideſt, animarum) *ſemper exiſtere*, nam tantum *gratis prodeſſe credentibus*. Miraculum autem cujuſdam Simoniaci Epiſcopi. Vide in dict. *Gloria Patri &c.* Committit ſimoniæ peccatum Epiſcopus accipiens aliquid pro ordinatione. Vide *Inthroniſticum*. Simoniaci hæretici ſub variis nominibus. Vide *Henriciani*. *Neophytorum hæreſis*.

*ſis . Trapezita.* Cætera. Vide *Proxeneta. Tranſactio. Vicedominatus.*

Simonizo, reperitur apud nonnullos Eccleſiaſticos Scriptores hoc verbum, quod ſimoniam committere denotat.

Simplus. Vide *Symplones.*

Simpsalma, συμψαλμα, ideſt, conſonantia in pſallendo, ſeu ſimultanea pſallentia. [ Simpſalma dicitur vocis copulatio in cantando. Iſid. lib. 6. cap. 19. ] Sed prima vocalis ex orthographia græca non per, i; ſed per, y, ſcribi deberet.

Simultas, conſpiratio, conventio. [ Quorum ſimultates Presbyter aſtutus prævidens. In vita S. Severi Epiſcop. de quibuſdam Clericis ſermo eſt, qui furari ejuſdem ſancti Corpus conſpiraverant. FR. ſignificat proprie ſimulationem, malæ mentis machinationem, ac odium occultum, quod vocabulum non ab adverbio *ſimul*, ſed a verbo *ſimulo* ſuum etymon trahit: [ Habeatur ſemel concilium ante dies quadrageſimæ, ut omnibus (ſi quæ ſunt) ſimultatibus amputatis, mundum jejunium, & ſolemne Deo poſſit offerri, can. habeatur, diſt. 18. ] Ubi Gloſſa privatum odium ſignificare putat; ſed re vera denotat generaliter tam occultum, quam manifeſtum. Ita Cicero pro l. Manilia uſus eſt, inquiens: [ Ut multas etiam ſimultates partim obſcuras, partim apertas intelligam mihi non neceſſaria, vobis non utiles ſuſcepiſſe.

Simulacrum Solis, Romæ in via Salaria veteri. Vide *Concilium.*

Sinaida. FR. ſemitam, ſive, ut alii malunt, terminum territorii ſignificat. [ Si quis propter intentionem ſigna nova, aut theclaturam, aut ſinaidam in ſylvis alterius fecerit, l. ſi quis propter, de eo, qui terminum ] Reperitur etiam *Sineida*, quæ inciſionem arborum ſignificat.

Sincellus. Vide *Syncellus.*

Sindon. Vide *Corporale. Othone. Sabanum.*

Sine Invicem; id eſt, ſine relatione, vel ſine correlativa correſpondentia. [ Poſſunt hæ duæ naturæ divina, & humana in Chriſto ſine invicem loquendo proferri; non poſſunt ſine invicem credendo cognoſci. Ferrandus Diaconus Carthagin. in epiſt. ad Anatol. Vide *Hypoſtaſis.*

Singularis. Vide *Monachus. Singularitas.*

Singularis Forma Verborum. FR. adhibenda eſt in electione a ſingulis electoribus, licet plures ſint; ſecus vero ſi plures Arbitri, aut Judices, illis præſentibus, unus tantum eorum nomine omnium ſententiam proferat, cap. 4. de ſententia, & re judicata in ſexto.

Singularitas. FR. monachatus; nam *monos* græce, latine ſingularem ſonat. [ Propoſitum Monachi proprio arbitrio, & voluntate ſuſceptum, deſeri non poteſt abſque peccato; quod enim quis vovet Deo, debet reddere: unde qui relicta ſingularitatis profeſſione ad militiam, vel ad nuptias devolutus eſt, publica pœnitentiæ ſatisfactione purgandus eſt, can. Propoſitum, 20. qu. 3.

Sinistra, quare in ea parte depingebatur S. Petrus. Vide *Bulla, Dextera.* Quare ſiniſtra antiquitus communicabantur Sacerdotes, & hodie Dominicani obſervant, & quare Summus Pontifex a parte ſiniſtra recipit Euchariſtiæ Sacramentum. Vide *Communio.*

Siniorale. FR. Dominabile, quod conſiſtit in toto dominatus, ſeu ſiniorum, & Senatorum Reipublicæ corpore. Itali *Signorile*, & ſubſtantive *Signoria* dicunt. [ Si vultis regnare & vigorem regium, & ſiniorale, & ſuper veſtros, & ſuper impugnantes poteſtatem veſtram optatis habere. Concil. Melden. c. 7. ann. 845.

Sinisteritas, ærumna, infelicitas. [ Quibus primordiis majores noſtri etiam ſiniſteritatum ſuarum relationes evolvere auſpicabantur. Sidon. lib. 1. epiſt. 5.

Sinodochium. Vide *Xenodochium.*

Sinopis, σινώπις, terra rubra, ſeu minius, ita appellatus a Civitate hujus nominis, ex qua devehitur. Fuit item meretrix famoſa hoc nomine appellata, inde proverbialiter ſinopis pro laſciviæ dedito ſubintelligebatur, ac eadem intentione Hæretici Eutychiani S. Seleucium Amaſeæ Metropolitam in Concilio Epheſino cavillabantur, dicentes ei: [ Non eſt Amaſeæ Epiſcopus, Sinopis eſt, ] æquivocando, nempe, ad Civitatem, & Meretricem unico hoc nomine appellatas. FR. de hoc colore ita inquit Plinius: [ Sinopis inventa eſt primum in Ponto: inde nomen a Sinope urbe. Naſcitur & in Ægypto, Balearibus, Africa: ſed optima in Lemno, & in Cappadocia, effoſa e ſpeluncis; quæ ſaxis adhæſit, excellit. Glebis ſuus color extra maculoſus. Hacque uſi ſunt veteres ad ſplendorem. Species Sinopidis tres, rubra, & minus rubens, & inter has media, lib. 35. cap. 6. [ De hac Jeremia, c. 22. inquit: [ Et facit laquearia cedrina, pingitque ſinopide. ] De hac etiam egit Vitruvius, lib. 7. Strabo, lib. 12.

Sinopicus, ex Sinopide Civitate, vel ſinopidis colorem referens. Vitruvius, lib. 7.

Sinopisso, ſinopide coloro.

Sinstris, corrigendum tamen eſt *Siniſtris* in Petro Damiano, ep. 9. nam loquitur de ſituatione ſiniſtra reprobis in die Judicii aſſignanda, cujus hæc ſunt verba: [ Plerique Pontificatus jura non deſerunt, & de ſinſtris ſunt; quotquot autem legimus recta intentione dimiſiſſe, certa ſpes eſt eoſdem æterna cum Chriſto ſocietate gaudere.

Siphon, σίφων, canaliculus, ſive fiſtula, qua antiquitus ſãguis Domini ex Calice exſorbebatur in communione, ne effunderetur. [ Obtulit Calicem majorem fundatum cum ſiphone penſantem libras triginta. Anaſt. Biblioth. ] Hodie tamen ſolus Pontifex utitur ſiphone in ſolemnibus celebrationibus, qui tubulus ex auro eſt, quo Diaconus etiam, & Subdiaconus Dominicum ſanguinem exſorbent. Davantria in ejus cæremoniali M. S. ubi deſcribens Cardinalium Diaconorum communionem, de hac fiſtula facit mentionem, atque hos Cardinales poſt ſumptionem Corporis Chri-

ſti exſorbuiſſe ſanguinem Dominicum per ſiphonem ex Calice, ſuſtentato a concelebrante Diacono, qui interim hæc verba pronunciabat: [ Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam, Amen. ] Et ſi forte in eadem papali Cappella aliquis Rex tunc repertus eſſet, is aſſociatus a ſecundo Cardinali Epiſcopo, quem Davantria ſubpriorem appellat, accedebat ad Altare, & recipiebat ſacramentum ſub utraque ſpecie: ſic in praxi hic Auctor teſtatur ſe vidiſſe de ann. 1355. quando in die Paſchæ per manus Innocentii IV. communionem acceperat Petrus Rex Aragonenſis ab Albanenſi Epiſcopo aſſociatus. In die autem feriæ quintæ in Cœna Domini ad imitandam Chriſti humilitatem ait idem Davantria, quod: [ Pontifex ſolus communicat ſuper Altare ſine miniſtris, & non cum calamo; ſed cum Calice tantum ſe confirmat illa die. ] Etiam Laici, quando antiquitus ſub utraque ſpecie recipiebant ſacramentum, per hanc fiſtulam ſanguinem ſorbebant. [ Quia ſanguinis effuſio propter incultioris populi ruſticitatem merito timebatur, calicibus canna eſt ferruminata affabreque inſerta. Lindan. in Panop. Evangel. lib. 4. cap. 56. ] Quæ tamen canna ſuſtentari involuta ab Acolyto ſolebat, ſicut hodie fit de patena a Subdiacono. [ Acolytum patenam, & fiſtulam habentem. Ord. Rom. ] Angelus Rocca in tractatu de Communione Summi Pontificis ait cannam hanc arundinem ſignificare, cum qua per ſpongiam acetum Chriſto Crucifixo porrexerunt hebræi. In Monaſterio Caſinenſis montis oſtenditur antiqua fiſtula, qua utebantur illius loci Abbates, & in antiquis Carthuſianorum ſtatutis de ea ſub his verbis fit mentio: [Ornamenta aurea, vel argentea præter Calicem, & calamum, quo ſanguis Domini ſumitur, in Eccleſia non habemus. ] FR. Romæ in Eccleſia S. Mariæ ſcholæ græcæ in cujuſdam lapidis inſcriptione, quæ incipit, Sume Valeriano &c. tempore Joannis Papæ IX. ibi inciſa, memoratur cujuſdam pium legatum, & inter alia, quod quidam reliquit illi Eccleſiæ [ Calicem argenteum exauratum cum calamo, & patena. ] Quæ inſcriptio affertur etiam ab eodem Rocca. Dicebatur itaque *Canna*, *Calamus*, *Fiſtula*. Vide *Confirmo*, *Pugillaris*.

Siphorus, genus textilis. [ In Ciborio Conſtantinianæ Baſilicæ optimos de ſiphoris, & de fundato pannos appendit. Anaſt. Biblioth. in Nicolao. ] Alii *Syrophorus* legunt, ideſt, byſſus ex Syria; alii vero *Setophoris*, ac alii *Serophoris*.

Siromastes. FR. σειρομάστης. [ Legi enim ſiromaſten Phinees, auſteritatem Heliæ. D. Hieronym. ep. 53.] Aliqui in cap. 25. Numerum, juxta vim græcæ vocis haſtam interpretantur; ſed noſtra vulgata pugionem vertit, inquiens. [ Quod cum vidiſſet Phinees filius Eleazari filii Aaron Sacerdotis, ſurrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione &c. ] Joſeph autem Hebræus, lib. 4. Antiq. cap. 6. hanc hiſtoriam referens, *Rhomphæam* ſcripſit.

Sistrum, σεῖστρον. FR. crepitaculi genus. ] [Porro cum reverteretur percuſſo Philiſthæo David, egreſſæ ſunt mulieres de univerſis urbibus Iſrael, cantantes, choroſque ducentes in occurſum Saul Regis, in tympanis lætitiæ, & in ſiniſtris, 1. Reg. 18. 6. David autem, & omnis Iſrael ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris, & tympanis, & ſiſtris, & cymbalis, 2. Reg. 6. 5.] Igitur non erat æneum, & ægyptiis Iſidis ſacerdotibus peculiare tantum, ut aſſeruit Calepinus, & apud eos vice tubæ adhibitum; licet de Cleopatra Virg. 8. Æneid. ſemel cecinerit:

Regina in mediis patrio vocat agmina ſiſtro.

Et Ovid. 3. Amor. eleg. 8.

Quid nos ſacra juvant? quid nunc ægyptia proſunt Siſtra?

Nam ex ligno fabrefacto erat, fortaſſe *Symandrum*, de quo ſuo loco. Ac ſiſtro utebantur etiam Hebræi, quod ſic Toſtatus deſcribit: [ Siſtrum, inſtrumentum ligneum, rotulas quaſdam habens volubiles ferreas, & cum ſiſtra moventur, concutiuntur rotulæ ferreæ, & reddunt harmoniam, hiſpanice ſonajas ( *Italice ſonagli* ) dicuntur. Alii exiſtimant ſiſtra eſſe duas particulas ferreas concavas, quæ cum manibus teneantur, concutiuntur, & ſonum reddunt, quæ hiſpanice *Perenumellas* vocantur. Alii tandem putant fuiſſe inſtrumentum cum tribus chordis, in 1. Reg. cap. 16. tom. 2. quæſt. 13.

Sit Nomen Domini Benedictum, an Epiſcopus debeat in benedictione Miſſæ privatæ proferre. Vide *Benedictio ſolemnis*.

Sitarchia, σιταρχία, horreum proprie ſignificat, ac translative apothecam ad condendum omne annonæ genus denotat. [ Verum quia per campos nudos, per falſos vertices, per incertas ſolitudines acturi ſumus viam, nobis tota eſt eſcæ, & potus portanda ſubſtantia: imponamus abundantem miſericordiam noſtræ ſitarchiæ profuturam. Chryſol. ſerm. 8. Vide *Sitonicum*. Item *Sitarchia* annonæ præfecturam, & *Sitarcha* annonæ præfectum ſignificant.

Sitarcium. FR. [ Panis defecit in ſitarciis noſtris, & ſportulam non habemus. 1. Reg. c. 9. ] græca lectio habet ἀγγεῖον. Paraphr. Chald. *In vaſis*. Dionyſius Carthuſ. in hunc locum viaticum intelligit in peris, ſaccis, ſeu repoſitoriis poſitum. Gaſpar Sancius vero ait: [ σιτάρχια græce commeatum ſignificare, ſeu viaticum; hoc tamen loco pro manticis, aut ſacculis viatoriis uſurpatur, in quibus feruntur alimonia: ſumitur autem res contenta pro continenti, ſicut poculum ſumitur pro vino, & ferculum pro cibo: hebraica habet Mi-cchelènu, ideſt, cchelènu vaſis noſtris, in 1. Reg. cap. 9. Franc. Mendoza ex græco legit ἐκ τῶν ἀγγείον ἡμῶν, hoc eſt de ſacculis noſtris; nam ἀγγεῖον, ſacculum ſignificat. Sed Sytarcii etymon a dictionibus græcis σῖτος, nempe frumentum, & ἀρχέω, verbum, quod interdum præſtare ſignificat, derivari videtur; unde *Sitarcha* annonæ præfectus, & *Sitarchia*

*chia* eadem præſectura appellabantur, ut ſupra diximus.

Siticus. Vide *Sitonicum*.

Sitones, σιτώνης. FR. frumentarius, ſeu frumentorum negotiator. Vide Latinium in Salvianum, lib. 4.

Sitonicum, σιτωνικόν, granarium, a voce græca σῖτος, quæ frumentum ſignificat. [De frumentis autem, quæ ſcribitis, longe aliter Vir magnificus Ciridanus aſſerit, quia ſolummodo tanta transmiſſa ſunt, quæ pro transfactæ indictionis debito ad replendum ſitonicum ſufficerent. Gregor. lib. 1. epiſt. 2.] Reperitur vocabulum *Siticus*, quod frumentarium Mercatorum ſignificat. [Conſideremus ſolas negotiatorum, & ſiticorum omnium turbas. Salvian. de provid. lib. 4.] cujus Codices mendoſe aliqui *Syricorum* habent. FR. *Sitonicum* aliquando pro ipſa frumenti annona uſurpatur. [Indicaſtis ſolicitudini veſtræ Sereniſſimorum Principum juſſione curam ſitonici fuiſſe mandatam. Idem D. Greg. lib. 10. epiſt. 38.

Sivan. FR. Tertius Hebræorum menſis. Vide Auctores citato. in dict. *Elul*.

Sive. Vide *Seu*. *Vel*.

Skella. FR. tintinnabulum, campanula, quæ a Latinis *Squilla* dicebatur. [Si quis skellam de caballis furaverit. In lege ſalica, tit. 29. §. 3.] Vide *Scilla*.

Slavi. FR. non credebant in immortalitate animæ. [Etſi ego fungar vice cotis ferrum, & non ſe exacuentis; tamen ne muti canis opprobrio noter ab illiteratis, & maxime slavis, qui cum morte temporali omnia putant finiri, hæc loquar pro certitudine reſurrectionis, & pro qualitate meriti futuræ remunerationis, firmiter indicans cunctis fidelibus. Ditmarus Epiſc. in Chron. lib. 1.

Smaltum, Italice *Smalto*. [Fecit tabulam de ſmalto ſexcentas ſexdecim auri obriſi penſantem libras. Ana. Biblioth. in Leone IV.

Smaltitus, Italice *Smaltato*. [Rete totum ex gemmis albaveris, & bullis aureis, concluſas etiam auri petias in ſe habens ſmaltitas. Anaſt. Biblioth. in Benedicto.

Smigma, σμῆγμα, ſapo ex verbo σμήχω, ideſt, purgo. [Dixit ergo puellis: afferte mihi oleum, & ſmigmata, & oſtia promarii claudite, ut laver. Daniel. cap. 13. n. 17.] Aliqui exiſtimant fuiſſe aquam hordei, & lupini; at ſecundum græcam ſignificationem quælibet mixtura intelligitur, ad lavandum, & poliendum apta. FR. ſed communiter *Smegma* dicitur; ſic enim Plinius, lib. 22. cap. 25. de lupinis agens, inquit: [Si vero cœleſti aqua diſcoquantur, (*ideſt, lupini*) ſuccus ille ſmegma fit.] Et lib. 27. c. 12. *Smecgma* ſcribit, ſic: [Oſyris ramulos fert nigros, tenues, lentos, & in iis folia nigri ceu lini, ſemenque in ramulis nigrum initio, dein colore mutato rubeſcens; ſmecgmata mulieribus faciunt ex his.] Hoc puto fuiſſe muliebre ſmegma, quo Suſanna, ex Daniele ſupra, uſa fuerat. Item Dioſcorides *Smegma* etiam ſcribit. Cærum ſaponis inventores primi Galli fuere, ita Plinius, lib. 28. cap. 12. ubi ſic ait: [Prodeſt & ſapo: Gallorum hoc inventum rutilandis capillis, ex ſevo, & cinere. Optimus fagino, & caprino, duobus modis, ſpiſſus, ac liquidus: uterque apud Germanos majore in uſu viris, quam fœminis.] Et Martialis, lib. 14. epigr. 26.

Cauſtica Teutonicos accendit ſpuma capillos:
Captivis poteris cultior eſſe comis.

Sneida. Vide *Sinaida*.

Sobrii, etymon. Vide *Bria*.

Socculus, calciamenti genus. [Quam cum fratres audiunt, ſocculos ſuos in dormitorio, Sacerdotes autem, Diaconus, & Subdiaconus in ſacriſtia relinquentes. In quodam Cæremoniali M.S. Ciſtercienſium, c. 18.] FR. Hoc vocab. uſitatum fuerat etiam apud Latinos, eſt namque diminutivum nomen a *Socco* calceamento, ideſt, parvus ſoccus; legitur enim apud Svetonium in Vitell. c. 2. quod: [Pro maximo munere a Meſſalina petiit, ut ſibi pedes præberet excalceandos: detractumque ſocculum dextrum, inter togam, tunicaſque geſtavit aſſidue nonnumquam oſculabundus.] Et Plinius, lib. 9. c. 35. de margaritis agens, exagitat fœminarum luxuriam in his gemmis, & hæc inter alia inquit: [Quin & pedibus, nec crepidarum tantum obſtragulis, ſed totis ſocculis addunt. Neque enim geſtare jam margaritas, niſi calcent &c.] Et de eodem vocabulo idem, lib. 37. c. 2. ita mentionem facit: [Tolerabiliorem tamen fecit cauſam Caji Principis, qui ſuper omnia muliebria ſocculos induebat e margaritis.] Vide *Cuſpus*, *Ficones*.

Socha, juriſdictio [De quibus Epiſcopus ipſius Eccleſiæ a conſtitutione antiquorum habet omnes redditiones ſocharum. In vita S. Oſvvaldi Epiſc.] Vide *Saca*.

Socna. Vide *Saca*.

Soccordium. Præſidium cordis, cardiaci medicamenti genus. [Alia die morituris ſoccordio, & thanatio, & aſclipidoto. Tertull. in Apolog.] Ubi ſecundum vocabulum remedium ſignificat contra vim mortis; tertium autem nomen denotat quoddam medicamentum Æſculapii.

Sodi, appellatum fuit flumen Euphrates. Vide *Choba*.

Soga. FR. funis. [Si quis ſogas furatus fuerit de bove junctorio, lib. 1. tit. 25. leg. 33. ſive, l. ſi quis ſogas, de furtis.

Sol Novus. Vide *Nativitas Domini*.

Solarium Expositionis, erat locus eminens circumſeptus, in quo delinquentes, ut ab Imperatore viderentur, exponebantur. [Poſt paululum ergo juſſerunt inferri eum in ſolarium expoſitionis, ut eſſet ibi, quatenus proſpiceret Imperator per cancellos triclinii ſui ea, quæ futura erant fieri. In collectan. Anaſtaſii Biblioth.] Et apud eumdem legitur, ſed mendoſe: [Statuerunt ergo Reverendiſſimum Dominum in medio ſolarii diſpoſitionis.] Sed corrigendum, *Expoſitionis*.

Solatio. FR. verbum, fidejubeo, l. 3. de exercitalibus.

Solatior, ſolatium preſto, reficio. [Huic vos ſola-

tiari, in quo ſibi neceſſe fuerit, admonemus. D. Greg. lib. 1. epiſt. 13.] FR. Gregorius, loc. citat. per hoc verbum defendere, tueri, atque conſolari, ſeu ſolari intelligere videtur; nam ibi Luminoſam Zemarchi tribuni relictam Epiſcopo Centumcellenſi commendat, & eam ſolatiari, in quo ſibi neceſſe fuerit, admonet, & ſignanter, [ Ut nullus ſit ei de quolibet moleſtus articulo in comitiva illa, quā vir ejus agendam ſuſceperat, donec temporis terminus adimpleatur &c. ] & ſicut qui fidem pro debitore præſtat, illum defendere videtur, dum indemnem reddit; hinc unus pro altero ſenſus promiſcue uſurpatur. [ Quod te ( Deo ſolatiante ) uſque ad præſens ſpiritualiter ſervaſſe confeſſus es. Epiſt. Zachariæ Papæ ad Bonifacium Epiſcopum. In tom. 3. Concilior. edit. Pariſ. de ann. 1585.

Solatium. FR. ſublevamen, & fidejuſſio, ex verbo *Solatio*, de quo in l. 3. de exercitalibus. Idem non raro habetur in Regiſtro D. Gregorii [ Ut viduis, ac regimine deſolatis impertiri, ſolatia debeatis, lib. 1. epiſt. 13.] Et inferius ibid. [ De impenſis a vobis ſolatiis propenſius animus gratuletur. ] Et ſicut fidejuſſor remanet ſimul cum debitore in debito illaqueatus; ſic delicti ſocietas *Solatium* dicitur, l. ſi quis libero homini. De his qui inſidiando. Unde *ſolatium* quaſi ſodalitium ſonat.

Solea, σολέα: eſt maxima inter Auctores controverſia, quænam Eccleſiæ pars per hanc dictionem intelligatur, cum pro comperto habeatur, quod hæc conſtructio proxima ad Sancta Sanctorum, fuiſſe, ut ex Codini verbis, c. 17. de off. colligitur, ubi inquit: [ At Patriarcha prope ſoleam ſtans, recitat orationem. ] Aliqui crediderunt fuiſſe pavimentum ante Sancta Sanctorum; ſed talis opinio cum verbis Curopalatæ, & Cantacuzeni non concordat, qui affirmant, quod quando Imperator ad Patriarcham ſeſe approximabat, per hunc ſoleæ locum tranſibat; ſuperfluæ enim eſſent relationes iſtæ, cum acceſſus ad Sancta Sanctorum neceſſario tranſitum per pavimentum ſupponat: nec probabile præterea videtur, ruinam trulli, ſive cupulæ, ita pavimentum conterere potuiſſe, ut in pulverem converteretur, quemadmodum his verbis refert Cedrenus: [ Trulla ſancta Dei, magnæque Eccleſiæ fornicata lapſu ſuo ambonem, & ſoleas, quæ ex onychide lapide erant, contrivit, & in pulverem convertit. ] Nec veriſimile cenſetur, quod pavimentum gemmis tam pretioſiſſimis ſtratum fuiſſet. Quare poſſet interim opinio Meurſii ſequi, aſſerentis fuiſſe thronum, ſive ſolium, ex quo diſtribuebatur fidelibus communio: & licet antiqui Patres nullam hujus vocabuli mentionem faciant; ſignificant nihilominus illis temporis ritum, quod nempe, in ſitu eminenti dabatur Communio, ad denotandum Chriſti Sacramentati Majeſtatem: ita contra Luciferianos D. Hieron. inquit: [ Epiſcopum Corpus Domini adtrectantem, & de ſublimi loco Euchariſtiam populo miniſtrantem. ] Atque Chryſoſtomus de Sacerdote loquens, ad Euchariſtiam populum invitantem, ait: [ Ea de cauſa ſtans excelſus, omnibus manifeſtus, tremendo in illo ſilentio vehementer inclamat: Sancta Sanctis: ] fortaſſe erat gradus ante portam ad Sancta Sanctorum, quæ conjectura verbis Simonis Theſſalonicenſis confirmatur, qui ait: [ Subdiaconos, & Diaconos ſedere oportet extra Bema circa ſoleam, lib. de ſacramentis. ] FR. Non repugnat fuiſſe ex onychite pavimentum, ut ex Cedreno ſupra allato habetur: nam hic lapis varii generis erat, pretioſus ſcilicet, de quo Plin. lib. 37. c. 6. & vilior, de quo mox dicam; imo Romæ in privatis domibus reperiebantur pavimenta onychite ſecundæ ſpeciei lithoſtrata, ita ex Martiali, lib. 12. epigr. 50. colligitur, ubi inquit in habentem amœnas ædes:

*Et tibi centenis ſtat porticus alta columnis,*
*Calcatuſque tuo ſub pede lucet onyx.*

Et de Etruſcis Thermis, lib. 6. epigr. 42.

*Lux ipſa eſt tibi longior, dieſque*
*Nullo tardius a loco recedit.*
*Siccos pinguis onyx anhelat æſtus.*
*Illic Taygeti virent metalla,*
*Et certant vario decore ſaxa &c.*

Hæc enim diſtinguebatur a gemma onychitis, de qua gemma Martial. lib. 11. epigr. 50.

*Profertur Coſmi nunc mihi ſiccus onyx.*

Et de pretioſo vaſe onychitis idem ad Papilum, lib. 7. epigr. 94.

*Unguentum fuerat, quod onyx modo gerebat,*
*Olfecit poſt quam Papilus, ecce garum eſt,*

De onychite autem vili Plinius, lib. 34. c. 10. ita ſcribit: [ Tertia eſt in lateribus fornacum, quæ propter gravitatem ad cameras pervenire non potuit, hæc dicitur placitis &c. ex ea duo alia genera: onychitis extra pene cærula, intus onychis maculis ſimilis.] Ubi ſic in ejus annotationibus Jacobus Dalecampius: [ Cadmiarum genera ſunt quinque, prima ex lapide pyrite uſto, ſecunda botrytis, tertia onychitis, quarta placodes, ſive placitis, quinta oſtracitis. Confundit hæc omnia Plinius. [ Ex quo evidens fit, hanc ſecundam onychitis ſpeciem non eſſe gemmam, ſed cadmiam, quæ nihil aliud eſt, ut lib. 34. c. 1. & 10. idem Plinius explicat, quam æs ex lapide æroſo, qui a ſimilitudine coloris gemmæ hujus nominis *Onychites* appellabatur; ſed quia extrahebatur ex Cypri Inſula, ita Plinius, cit. lib. 34. c. 10. ubi loquens de onychite Cadmia, ſic inquit: [ Omnis autem Cadmia in Cypri fornacibus optima. ] Ideo fortaſſe, ſolea etiam hæc Cadmia dicta eſt, nam in Cypro erat Urbs, quæ teſte Nicolao Nonigero in dictionario græco latino, Σώλεια dicebatur. De hac Feſtus: [ Solea, ut ait Verrius, eſt non ſolum ea, quæ ſolo pedis ſubjicitur, ſed etiam pro materia robuſtea, ſive (*ut melius legunt alii*) Robuſta, ſuper quam paries craticus extruitur. ] Robuſta ſiquidem, quoad tenacitatem; ſed percuſſione teritur; hinc mirum non eſt, ſi ſolea, ſive onyx in Trullæ ruina redacta fuerat

in

in pulverem ex ſupra allata Cedreni relatione. Enodatis igitur præmiſſis, ut mihi videtur; remanet ſpecificandum, quinam locus fuiſſet hic, per quem Imperator tranſibat, quando ad Patriarcham accedebat, ut Curopalata & Cantacuzenus ſupra retulerunt, & ubi erat hæc quæſita laſtratura ſoleæ, ſive onychitis, quod idem eſt. Dico fuiſſe Protheſim, de qua cæremonia Imperiali ſatis in dict. *Protheſis* dictum eſt. Nec mirum, quod hæc cadmia vocabatur *Solea*, & *Onychites*, nam iiſdem binominibus piſcis ſpecies etiam denominabatur. De ſpecie ſub nomine ſoleæ, Plin. lib. 9. c. 15. 16. & 20. lib. 32. c. 11. Et ſub nomine onychitis eodem lib. 32. c. 10. De quo etiam Martialis, lib. 10. epigr. 48. verſ. 13.

Parvus onyx una ponetur cœnula menſa.
Hœdus, ſex ex *ignorantia variatus*.

Cæterum ſoleæ, quibus plantarum calces infime teguntur, non eſſe nec græcum, nec latinum nomen, ait Gellius, lib. 13. c. 2. Noct. Att. verum gallicum verbum eſſe opinatur novum, non diu ante ætatem M. Ciceronis uſurpari cœptum, & *Gallici* dicebantur.

SOLEMNITAS, feſtivitas principalis, & immutabilis cum magno populi concurſu, a verbo *Sollo*, quod ſtabilire ſignificat. [ Solemnitas a ſacris dicitur, ita ſuſcepta, ut mutari ob religionem non debeat. Iſid. lib. 1. cap. 18. ] Quare ubi vulgata in threnos Jeremiæ habet: [ Eo quod non ſint qui veniant ad ſolemnitatem, ] in textu hebræo habetur *Meghedim*, quod ſignificat ad tempora, ideſt, tempora trium feſtivitatum, quæ ſunt in lege ſtabilitæ, nimirum, Paſcha, Pentecoſtes, & feſtum tabernaculorum, in quibus temporibus templum hieroſolymitanum populus viſitare tenebatur. FR. Quod in Deuteronomio, cap. 16. his verbis habetur expreſſe: [ Tribus vicibus per annum apparebit omne maſculinum tuum in conſpectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit. In ſolemnitate azymorum, in ſolemnitate hebdomadarum, & in ſolemnitate tabernaculorum. ] Cardinalis Bellarminus in comment. Pſalm. 118. qui Pſalmus reliquis omnibus longior eſt, exiſtimat, quod Hebræis in his tribus anni temporibus ad hieroſolymitanum templum accedentibus inſerviſſet, quo itineris tædium canendo diverterent.

SOLFISO, a ſol, fa, Italice *ſolfeggiare* dicitur, muſicales notas canere ſignificat, cujus ſynonyma. Vide *Cantus*. Ut, re, mi, fa, ſol, la.

SOLIDUS, moneta, de cujus valore dictum eſt in dict. *Siliqua*. FR. ubi dicere prætermiſi, quod Latinii adnotata æquipollentia valoris, ſolidi non diſtinguit, de qua ſolidi ſpecie intelligebat; nam ultra vulgarem ſolidum reperiebatur *ſolidus aureus*, de quo ff. in jus vocando, l. final. & ibi Gloſſa. Vide hic in d. *Obryziati*. Item ſolidus proviſinus. Vide dictionem hic immediate ſequentem. In Beneventano territorio de anno 836. Equus valebat ſolidos octo, & Bos quatuor. [ Det pretium pro Cavallo ſolidos octo, & pro Bove ſolidos quatuor, in Capitulare Sicardi, c. 15. apud Camillum Peregrinum in Hiſt. Princip. Longobard.

SOLIDUS PROVISINUS, de qua moneta Cencius Camerarius in ſuo M. S. Cæremoniali, & appellabatur etiam *ſolidus proviſinorum*, quia a ſolita proviſione per Senatum Romanum aſſignata proveniebat; & a Romano Baſilicæ Vaticanæ Canonico, qui tempore Calixti III. ſcripſerat, *ſolidus proviſienſis* dicitur. FR. [ Et de dicta diſtributione Canonicus Sacerdos, qui celebrabit, habeat ſolidos proviſinos octo ultra diſtributionem, & Diaconus, & Subdiaconus ſolidos proviſinos quatuor pro quolibet. In Bulla Urbani V. apud eruditum Soreſinum in tractatu de Capitibus SS. Petri, & Pauli, pag. 9.] Negatur autem, quod dicta diſtributio fuiſſet a Senatu Romano aſſignata Canonicis; nam in eadem Bulla Urbani V. expreſſe habetur, quod: [De fructibus Cameræ diſtribuantur.

SOLLICITANTES in confeſſione. V. *Pœnitentialis*.

SOLSATIS, occaſus Solis. Vide *Placitum*.

SOMA, σῶμα, ideſt, corpus: [ Beatorum Sarii, & Maxellendis Virginis ſacra depoſuit ſomata. Gerardus Epiſc. in Donat.

SOMNIALIA. FR. Liber ſuperſtitioſus ita inſcriptus, in quo ſomniorum obſervationes continebantur, ſub nomine Danielis Prophetæ falſo divulgatus. [ Sive qui attendunt ſomnialia ſcripta, & falſo Danielis nomine intitulata, can. non obſervetis, 26. quæſt. 7.

SONIACA, hoc vocabulo utitur Anſelmus Leodienſis Canonicus, c. 40. de Epiſcopis Leodienſibus: [ Præcepit, ne ſoniacam Epiſcopis Leodienſibus debitam ab eodem loco, ubi ipſius Sancti Corpus quieſcit, accipere præſumerent. ] Significatus quidem hujus barbari, obſcurique vocabuli, cum ſit difficilis intelligentiæ; ideo Chapeavilli hujus textus Commentatoris opinionem ſequi interea cogor, qui denotare hoc vocabulum ait companaticum Epiſcopo debitum. FR. Joannis Chapeavilli Annotatoris verba in prædicto loco hæc ſunt. [ Soniacam &c. ita legunt codex Aureæ vallis, Groesbeckaanus, & alii vetuſtiſſimi Codices: forte intelligit obſonium Epiſcopis debitum.

SONOPAIR. FR. Verres, ſeu porcus maſculus, l. ſi quis verrem, de furtis.

SONUS. Vide *Invitatorium*.

SOPANUS. Vide *Suppanus*.

SOPHUS, σοφός. FR. dicitur ſapiens: [ Sophi appellati ſunt, qui latine ſapientes. D. Auguſt. de Civit. lib. 18. c. 24.

SOPHISTA, σοφιστής, quamvis hoc vocabulum fere in malam partem accipiatur; nihilominus hominem doctum, & eruditum ſignificat. [ Rabanus ſophiſta, & ſui temporis poetarum nulli ſecundus. In vita S. Rabani Archiep.] Ac de eodem Trithemius, lib. 1. n. 13. egerat his verbis: [Sophiſtarum omnium nominatiſſimus. ] FR. Nam *Sophus*, ut diximus, ſapientem ſonat. [ Quidam, qui in magna Civitate Alexandrina medicinali arte erat imbutus, collectorem ſe apud ſophiſtam ſuum habuiſſe perhibuit ſummæ pravitatis pue-

puerum. D. Greg. lib. 11. epiſt. 46.] Quare inquit D. Auguſt. [ Sophiſtæ autem appellantur latinarum literarum eloquentiſſimi Auctores, lib. 2. locutionis de Exodo, §. Non mihi videntur, ] & lib. 2. de Doctrina Chriſtiana c. 31. de ornata oratione inquit: [ Quamquam etiam ſermo non captioſus, ſed tamen abundantius, quam gravitatem decet, verborum ornamenta conſectans, ſophiſticus dicitur. ] In libro tamen Eccleſ. c. 36. in malum ſenſum accipitur, ubi hæc habentur: [ Vir peritus multos erudivit, & animæ ſuæ ſuavis eſt. Qui ſophiſtice loquitur, odibilis eſt; in omni re defraudabitur. Non eſt illi data a Domino gratia: omni enim ſapientia defraudatus eſt.

Sopitivus, ſive aliud medicamentum ſomniferum, quod ſoporem conciliat. [ Accedit hinc beatitudini meæ dulce ad invicem commercium literarum, unde & amaritudinibus meis mitigativum paratur electuarium, & inquietitudini ſopitivum medicamentum. Petrus Cellenſ. lib. 3. epiſt. 2.

Sorbitiuncula. FR. a verbo ſorbeo: [ Spirans cadaver ſorbitiunculis irrigabat. D. Hieron. in Epitaph. Fabiolæ ad Oceanum.

Sorec, vox hebraica in cap. 5. Iſaiæ ſecundum LXX. verſionem, ubi Vulgata habet *Electam*. Et in Tractu poſt Prophetiam octavam Sabbati Sancti habentur etiam hæc verba: [ Et plantavit vineam Sorec. ] Significat ergo *Electam*, licet Hebræi dicant eſſe ſpeciem vitis optimæ. Græcus textus legit καλλίκαρπος, ideſt, bene fructificans. FR. in Vulgata, lib. Judic. c. 16. 4. fit etiam de ſimili vocabulo mentio his verbis: [ Et habitavit in Valle Sorec.

Soror In Capillo. FR. ſoror innupta, in domo paterna, ſive fratris degens, l. ſi quis Longobardus, de ſucceſſionibus: de hac phraſi dictum eſt etiam in dict. *In capillo*, & fortaſſe Virginem habentem adhuc faciem lanuginoſam ſignificat; nam in multis locis, præcipue in Melita, magnus dedecus eſt Virginibus, imo ſcandalum auferre ex genis primas languines, ſicut Romæ virgines murenulam, ſeu viriolam deferre pudet in collo ante nuptias.

Sorrentialis, carnifex. [ Sorrentialibus Præfecti, ſi ſuſpendunt aliquem, quinque ſolidi: quando decollant ſimiliter, quando cœcant duodecim denarii pro unoquoque oculo. Romanus Vatic. Baſilicæ canonicus, in tract. de eadem Baſilica, c. 42.] Ejus ſynonyma. Vide *Carnifex*.

Sors. FR. ideſt, divinatio. Vide can. pervenit, can. ſi quis Clericus, & ſeqq. 24. q. 5. Vide *Teni*.

Sortiaria. FR. Venefica, Maga. [ Alii potu, alii autem cibo a ſortiariis dementati. Hincmar. de divort. Lotharii ad 15. Interrog.

Sortilegium. Vide *Hydromantia*. *Sors*.

Sortitus, nomen ſubſtantivum, ſortem ſignificans. [ Nec terrenæ vobis, & judaicæ poſſeſſionis ullos vindicandos eſſe ſortitus arbitremini. D. Ambroſ. in exhortat. ad Virgines.

Sortumina, ſive *Surtumina*, & *Sortunina*. FR. Aquarum ſcaturigo: [ Aquas, fontes, ſortumina, tamburrios nuncupata, quam aliter quomodocumque colaturas, molendinas &c. ] Et inferius: [ Aquas, fontes, ſortumina, tamburrios nuncupata, quam aliter quomodocumque ſcolaturas, molendina &c. Bullar. Caſin. tom. 2. conſt. 294.

Sosania, vox quidem barbaro-græca σωσάνιον, loricam ſignificans, licet Græci in neutro genere pronuncient. [ Adaptavit humeris ſuis ſoſaniam, & appendit pharetram pectori. Joannes Diacon. [ Ac ubi legitur in hiſt. Francorum *Soſanias*, Aldhelmus eundem factum referens, *Lorica* ſcripſit.

Soter. FR. Sancti Pont. & Mart. nomen: græce enim Σωτὴρ, latine Salvatorem ſignificat.

Sotulares. Vide *Sutulares*.

Spado, verbum, caſtro, eunuchizo, in lege Salica, ubi etiam *Spathus* eunuchus dicitur. [Si quis caballus ſpathum furaverit, tit. 41. ] Vide *Eunuchus*.

Spalagus, Talpa animal, σπάλαξ, & ἀσπάλαξ. [ Simulque truculenta regulorum venena, ad quæ quadrupedis rubetæ, & ſpalagi peſtifera confectio humanæ naturæ nocitura habebatur. Aldhel. lib. 4. c. 10. de Virg.

Spalla. FR. Contributio Epiſcopo dari ſolita. [ Cognovimus, quod præfatus Epiſcopus ſpallas, quas ab eadem Eccleſia, tam ipſe, quam prædeceſſores ſui recipere conſueverant &c. cap. cum venerabilis, lib. 3. decretal. tit. 39.

Spanaclystus. Vide *Panaclyſticus*. *Spanicus*.

Spanicus, res rarenter confecta, ex græco vocab. σπάνιος, quod rarum ſignificat. [ Spanicas, quæ pendent ſuper altare. Anaſt. Biblioth. in Benedict. III. ] Itaque hujuſmodi indumenta vel pretio, vel textura, ſeu perſpicuitate rara dicebantur ad inſtar veli tenuis. Alii tamen malunt *Spanicas* hiſpanicas ſignificare, ideſt, in hiſpania contextas. Ex hoc autem vocabulo componitur dictio *Spanaclyſtus* apud eumdem Biblioth. ad ſignificandum textile ſimul perſpicuum, ac occultum; nam vox græca κλύσος, abſconſum ſignificat. FR. De etymologia *Spanaclyſtus* aliter dictum fuit in dict. *Panaclyſtus*. *Spanicus* puto eſſe pannum, quem Itali *Spanna* vocant: in Onomaſtico Romano Fœlicis Felicii in dict. *Spanna*, quem exiſtimat eſſe *Spithamam*, de qua Plinius, lib. 7. c. 2. Cæterum non poteſt negari, quod penes antiquos Scriptores reperiatur Hiſpania ſine duobus primis literis, & ex multis locis, qui adduci ad exemplum poſſent, unum afferre ſufficiat, in vita S. Fructuoſi Bracaren. Epiſcopi notatum, ubi ſic habetur: [ Quaſi Sol oriens inluminaturus Spaniam, ædificavit ſanctum ope Domini Monaſterium.

Spanopogon, σπανοπώγων, qui raros pilos habet in barba, quem Siculi *Spano* vocant.

Spargillum, aſperſorium aquæ benedictæ. [ Urceum cum aqua benedicta cum ſpargillo. In Rituali Ciſtercienſium. ] Vide *Aſpergillum*.

Sparta, hoc vocabulum reperitur in Regiſtro S. Gregorii,

gorii, ubi videtur ſportam, vel caniſtrum ex juncis contextum ſignificare; nam Græci σπάρτη, juncum appellant; ita enim ait, lib. 1. c. 14. ſive lib. 5. cap. 122. Sanctus Doctor: [ Spartam vero, quam apud deceſſorem veſtrum dilectiſſimus filius noſter Petrus Diaconus, tunc illic defenſor, reliquerat nobis &c. ] Ac alibi idem vocabulum reiterat, quod in aliquibus Codicibus *Spatha* in lib. 5. cap. 123. mendoſe legitur. FR. De hoc vocabulo quæſtio agitata fuit apud Gellium, lib. 17. cap. 3. utrum nempe *Sparta* eadem illa eſſet, de qua Homerus ibi citatus cecinit *Spartum*, ſeu *Spartium*, quod communiori vocabulo *Geneſtum* dicitur. Sic igitur Gellius: [Adoleſcens quiſpiam non indoctus, ſparti quoque uſum in terra Græcia diu incognitum fuiſſe dixit, multiſque poſt Ilium captum tempeſtatibus ex terra Hiſpania advectum. Riſerunt hoc ad illudendum, ex iis, qui ibi aderant, unus, atque alter male homines literati, quod genus Græci ἀγοραίȣς appellant: atque eum, qui id dixerat, librum legiſſe Homeri ajebant, cui verſus hic forte deeſſet:

Καὶ δὴ δȣ̃ρα σέσηπε νεῶν, ϗ σπάρτα λέλυνται. Il 2.

quod juxta interpretationem ejuſdem in calce poſitam, hæc ſignificat: [ Et ligna eputrent ratium, & ſparta in cariem ſunt.] Ac ſequitur, loc. cit. idem Gellius [ Tum ille prorſum iratus: Non, inquit, in eo libro verſus, ſed nobis plane Magiſter defuit, ſi creditis in eo verſu ſparta id ſignificare, quod nos ſpartum dicimus. Majorem enim vero illi riſum ſubjiciunt; neque id deſtiterunt, niſi liber ab eo prolatus eſſet Marci Varronis vigeſimus quintus humanarum, in quo de iſto Homeri verſu a Varrone ita ſcriptum eſt: Ego ſparta apud Homerum non plus ſpartum ſignificare puto, quam σπάρτȣς, (*quod interpretatur in calce, ideſt, ex agro ſatos*,) qui dicuntur in agro Thebano nati. In Græcia ſparti copia modo cœpit eſſe ex Hiſpania. Neque ex ipſa facultate uſi Liburni, ſed hi pleraſque naves loris ſuebant, Græci magis cannabo, & ſtuppa, cæteriſque ſativis rebus, a quibus σπάρτα appellabant. Quod cum ita Varro dicat, dubito hercle, an poſterior ſyllaba in eo verbo, quod apud Homerum eſt, acuenda ſit; niſi quia voces hujuſcemodi, cum ex communi ſignificatione in rei certæ proprietatem concedunt, diverſitate accentuum ſeparantur.] Idem affirmat Plinius, ac diffuſe deſcribit, lib. 19. cap. 2. per totum; ſed inquit quod in Hiſpaniam citeriorem ex Africa a Pœnis ſpartum advectum fuiſſet. Hinc D. Gregorius græca declinatione uſus eſt, quæ σπάρτη fœminini generis appellat. Sed miror, quod Pontifex Sanctus ille juncis indigeret, fortaſſe pro canabe, vel ad telam texendam; nam hæc ſparta ad hunc uſum tempore Plinii, loc. cit. inſerviebat. Et pro fune uſurpatur in Chryſoſtomi dicto: [ Sparta triplex difficile rumpitur ] ex Eccleſiaſt. c. 4. [ Funiculus triplex difficile rumpitur. ] Verum quidem tam ſpartam, quam ſpatham intelligi puto, quia ſpatha erat quoddam unguentum ex ſpathis, ſive elatis palmarum, quorum ſudor colligebatur, ut Plinius lib. 12. c. 28. aſſerit, quem ejus Annotator Jacobus Dalecampius ex Dioſcoride corrigit, inquiens: [ Elate non ſudat, ſed pinguis intus eſt: ] ad unguentorum ſpiſſamentum, ut ex eodem Plin. lib. 13. c. 1. Unde probabilius credo, D. Gregorium de hoc unguento locutum fuiſſe, cujus utramque citationem non inveni fidelem; ſic etiam ex ſparta conficiebatur medicamentum, Plinius, lib. 24. c. 9. Vide *Eriophoron*.

SPARTEA, calceamenta ex funiculis contexta, quorum uſus adhuc in Hiſpania viget. [ Calceamentum vero ſpartea. Ex Reg. S. Iſidor. c. 28. §. 2. ] FR. *Spartea* calceamenta ex ſpartis, ſive ſpartiis contexta, de quibus Plinius, lib. 19. cap. 2. ita ait: [ Carthaginenſis Hiſpaniæ citerioris portio, nec hæc tota, ſed quatenus parit, montes quoque ſparto operit. Hinc ſtrata ruſticis eorum, hinc ignes faceſque, hinc calceamina, & paſtorum veſtis. ] Non quidem ex ipſis juncis, ſive ſpartis in natura, ſed ſtuppa ex eis avulſa, netaque conficiebantur prædicta indumenta, ut ex eodem Plinio liquet ibid.

SPARTUM. Vide *Sparta*.

SPARVARIUS, accipiter, rapax volatile, quod Itali *Sparviere*, Galli vero *Eſparvier* dicunt. De quo vocabulo fit mentio in lege Salica, tit. 19.

SPATALIUM, σπατάλιον, præter alias hujus vocabuli ſignificationes, quædam muliebria ornamenta denotat, quæ ex nigris coralliis in brachiis a fœminis ferebantur, ut eorum virtute magis amarentur. [ Cæterum neſcio, an manus ſpatalio circumdari ſolita in duritie catenæ ſtupeſcere ſuſtineat. Tertull. de cultu fœminar. cap. 13. ] Ubi Pamelius *Spathalium* cum aſpiratione ſcribi mavult; errat tamen, nam a verbo σπαταλάω derivatur, quod deliciari ſignificat. FR. de hoc ornamento Plinius, lib. 13. cap. 25. hæc habet: [ Juba tradit, circa Troglodytarum inſulas fruticem in alto vocari Iſidos plocamon, corallio ſimilem ſine foliis: præciſum mutato colore in nigrum dureſcere. Cum cadat, frangi. Item alium, qui vocatur charitoblepharon, efficacem in amatoriis. Spatalia eo facere, & monilia fœminas. Sentire eum ſe capi, durarique cornus modo, & hebetare aciem ferri. Quod ſi fefellerint inſidiæ, in lapidem transfigurari ] Itaque *Spatalia* non eſt fructus, ſed ornamenti muliebris vocabulum; nam fructus *Iſidos plocamon*, & in ſpecie *Charitoblepharon* dicebatur. Item ſpatale non ſolum brachiale ornamentum eſt, ut aſſerit Voſſius; ſed etiam capitis, ita Claudianus de ſpatale Diadema in epithalam. de Spatale Nympha cecinit:

Et gravibus ſpatale baccis diadema ferebat
Intererat, rubra quas legerat ipſa profundo.

Cæterum Calepinus, & præcipue Henricus Stephanus in ejus Lexico græco in dict. Σπαθάλιον contendunt cum aſpiratione ſcribi debere. Sed Voſſius in ejus etymologico in verbo *Spatalium* validiſſimis auctoritatibus *Spatalium* ſine aſpiratione ſcribendum demonſtrat.

Spa-

Spathum. Vide *Sparta*.

Spathalium. Vide *Spatalium*.

Spatharius, σπαθάριος, Armiger, qui enſem Imperialem ferebat. [ Sed ſpatharius hora Sanctæ Communionis Papam nullo modo videre potuit. Sigibert. in Chron.

Spathister, σπατιςὴρ. FR. ferreum inſtrumentum, quo Hebræi pelliculam artificioſe ad cooperiendam circumciſionem trahebant, a verbo græco σπάω, quod traho, ſive avello ſignificat: [ At hoc gravius eſt, quod etiam a circumciſione præputiati fiunt arte quadam medica, per inſtrumentum attractorium ſpathiſterem appellatum, infimam membrorum cuticulam attrahi ſinentes, futuramque admittentes, & glutinatoriis circumdatis, præputium rurſus ſuper inducunt. S. Epiphan. lib. de ponder. & menſur.] Idemque Sanctus præterea inquit, quod hujus inſtrumenti perfidus Eſau fuiſſet inventor, ut velut Apoſtata paternum ſignum auferret, divinamque legem deleret; ſic enim verba Apoſtoli intelligit, quando in 1. Corinth. c. 7. dixerat: [ Circumciſus aliquis vocatus eſt: non adducat præputium.] Item ubi dicitur, 1. Macabæorum, c. 1. quod aliqui ex Judæis abierant ad Gentiles: [ Et fecerunt ſibi præputia: ] Origenes, & D. Hieronymus negant, quod illi Apoſtatæ naturaliter potuiſſent facere præputium; & ideo exponunt, quod iſti legis divinæ deſertores præputia reliquiſſent eorum filiis, ſed hujuſmodi expoſitio verbis Apoſtoli adaptari nequit: quin & Joſephi Hebræi relatio in lib. 12. Antiq. cap. 6. Epiphanii opinioni favet, dum refert, quod aliqui Judæi ita circumciſionem occultaſſent, ut nullo a Græcis non diſtinguerentur; idemque ſenſerat Theophylactus in eadem Pauli epiſtola; ac Thalmudi aſſertio, in tract. Sebamoth. c. 8. habetur, quod nimirum nonnulli Hebræi ſuas circumciſiones inficerant, ut non dignoſcerentur eſſe moſaicæ legis profeſſores, & hoc pacto injurias, perſecutiones, ac tormenta obviarent, qui tamen in Civitate Better deinde circumciſionem iteraverant, quos Hebræi *Meſciuchim* ideſt Attractos appellant.

Spathimela, σπαθιμήλη, linamentum, torunda, ſemniſcus ex filis de ſubtili, lineoque panno detractis, quibus Chirurgi vulnera, & plagas dilatatas ad diuturne purgandas ſuſtinent. Italice *Taſto fatto di sfilacci* dicitur. Vide *Cupha*.

Spathus. Vide *Spado*.

Spatium Humanitatis Adveniens. FR. ideſt mors. [ Eos vero, quorum conſilio hoc egiſti, in duobus menſibus excommunicatos eſſe decernimus; ita ut ſi quid eis intra duorum menſium ſpatium humanitatis advenerit, benedictione viatici non priventur, can. tanta, diſtinct. 86.

Speciatus, decoratus, exornatus. [ Quid hodie informe in mundo, quid retro ſpeciatum in materia, ut ſpeculum ſit mundus materiæ. Tertull. adverſ. Hermog. cap. 40.

Spectacula, prohibita. Vide *Amen*. *Laniſta*.

Spectrum. Vide *Biothanatus*. *Horama*. *Orama*.

Speculator, ita appellatus eſt Gulielmus Durantes, ſive Durandus Epiſcopus, ex eo quia opus compoſuerat, cui titulus eſt ſpeculum Juris tribus voluminibus diſtinctum: ſcripſerat etiam rationale Divinorum officiorum, quod ſæpe hic citamus: qui cum eſſet Urbini Apoſtolicus Nuncius, Caſtellum conſtruxerat, quod uſque ad Urbani VIII. tempora Caſtelli Durantis nomen retinuerat; ſed cum Ducatus Urbini ad Eccleſiam Romanam tempore ejuſdem Pontificis devolutus fuerit, Papa in civitatem, & Epiſcopatum Caſtellum illud erexerat, ac de ſuo nomine Urbaniam Civitatem denominavit. FR. De hoc Gulielmo egerunt Auctores apud Bellarminum, & Labbè de Scriptoribus Eccleſiaſticis, quem natione Vaſconem facit Bellarminus, Labbè Provincialem potius e Podio Maſſonis. Blondus vero Carnotenſem Decanum appellat, ac de ædificatione Caſtelli ſic inquit; [ Interius vero ad Metauri ſuperiora progredientes planitiem inveniunt ſpecioſiſſimam, in qua primum eſt oppidum a Metauro pœne in inſulam circumdatum, quod Gulielmus Durandi Carnotenſis Decanus, Pontificii juris conſultiſſimus, ſpeculi ejus doctrinæ libri Auctor, cum Martini IV. Pont. Rom. Nuncius, & Romandiolæ Theſaurarius eſſet, a fundamentis ædificavit, & a ſuo nomine Caſtrum Durantis appellavit, in tract. Italiæ illuſtratæ Picena provinc. regione 5.] Diſcipulus Henrici Cardinalis Hoſtienſis extitit, & Magiſter practicæ appellatus fuit teſte Trithemio de ſcript. Eccleſ. Giacchettus inſuper Ricordani Malaſpinæ nepos in addit. ad Hiſtoriam ſui Avunculi, c. 228. inquit, quod Durandus accitus fuiſſet ab Honorio Papa IV. de anno 1286. & Gilonem Durantem appellat. Idem ſcribit Jo. Villanus in ejus hiſtoria, lib. 7. c. 107. & Provinciæ Comitem illum nominat ſub his verbis: [ Guglielmo Durante Conte di Provenza, qual nell' anno 1286. fu chiamato per Governatore da Honorio Papa Quarto.] Nonnulli tamen errarunt circa conditiones, ac mortis tempus, quos cenſurat Philippus Labbè de ſcriptor. Eccl. ubi de ipſo Durante agit. Aliqui perperam hunc Durandum Provincialem natione intellexere illum Dominicanæ familiæ Provincialem extitiſſe. Hæc autem Provincia a Latinis *Clemaris* dicebatur. Sepultus eſt Romæ in Eccleſia Sanctæ Mariæ ſupra Minervam.

Speculator, ideſt, obſervator, Italice *Spia*. Vide *Scamera*. FR. Item ſpeculator non ſolum vigil, & obſervator intelligitur, ſed etiam carnifex. [ Et contriſtatus eſt Rex propter jusjurandum, & propter ſimul diſcumbentes, noluit eam contriſtare, ſed miſſo ſpiculatore, præcepit afferri caput ejus in diſco, & decollavit eum in carcere. Marc. 6. 26.] Sed Vincentius Riccardus in ejus notis ad S. Proclum, orat. 18. in laud. S. Stephani, ad pag. 514. v. 8. in Comm. rationibus, & auctoritatibus contendit legendum *ſpeculatore*, & non *ſpiculatore*.

Sperans. FR. pro implorans. [ Omnibus de nobis ſperan-

rantibus non debemus, in quantum poſſumus, nos denegare, can. licet, diſt. 87.] cujus titulus eſt: [Implorantibus patrocinia Epiſcopi debent adeſſe.

Spernax, ſpretor, aſpernator, contemptor. [Erga familiam ſuam, nec in admittendo conſilio ſpernax, nec in inveſtigando reatu perſequax. Sidon. lib. 4. epiſt. 9.] FR. eodem vocabulo uſus eſt Sil. lib. 8. inquiens:

Ductor Piſo viros ſpernaces mortis agebat.
Ore puer,

Sphærista, σφαιριστής, pilæ luſor. Putas ne videbitur, ut hoc piger palæſtræ ludum exerceat? Aut aſinus ſegnis inter ſphæriſtarum ordinem celeri volatu diſcurrat? Gregor. Turon. in præfat. de glor. Confeſſ.] Erat etiam Officialis Apoſtolici Palatii titulus, cui curam exercitandi Clericos, tanquam Pædagogo incumbebat. [Gratianum vero ſacri ſphæriſtam Patriarchii. Anaſt. Bibliot. in Leone IV.] ubi mendoſus textus *ſuperiſtam* habet.

Sphæristerium, σφαιριστήριον, palæſtra locus, ubi ludum ſphæriſtæ exercebant. Sidonius, lib. 2. epiſt. 2.

Sphendon. Vide *Diaſphendon*.

Sphinx, σφίγξ, fabuloſa Gentilium figura, de qua ſæpe rogatus fui, cur nempe hoc poeticum monſtrum ad fores antiquarum Eccleſiarum collocabatur. Ad quod reſpondi Ægyptios in eorum templis collocare hoc ſimulacrum ſolitos fuiſſe, ut Clemens Alexandrinus, lib. 4. ſtromat. refert, ad docendum homines, quod Deus timeri, amarique debuiſſet; ideoque ſphingem bina figura, humana, ſcilicet, & brutali fingebant, per illam, placiditatem, atque per iſtam, ferocitatem ſignificantes. Hinc Chriſtiani eadem intentione, ut Dei amorem, & timorem pariter haberent perpetuum, hoc ſimulacri monumentum licet gentile, extra Eccleſiam relinqui permiſerant. FR. alium moralem ſignificatum affert Natalis Comes, lib. 9. Mythol. c. 18. quod, nimirum, æquo animo, ac tolerabiliter per hanc fabuloſam figuram perſecutiones, & ærumnas homines ſufferre docerentur; nam alata Sphinx figurabatur, quod eſt inconſtantis fortunæ ſymbolum; præterea aduncis unguibus fingitur, ad indicandas adverſitatum rapacitates, quibus omnia fortunæ, ac corporis bona auferri poſſunt; humana facie præfertur, nam humanum eſt calamitatibus, viciſſitudinibuſque fortunæ ſubjici; tandem leonina pars, forti animo ferenda eſſe adverſa, ſignificat.

Spicarium, granarium, in quo ſpicæ frumenti, & ſimilium, donec triturarentur, conſervabantur. [Spicarium ille novum, quia ſic homo erat, ſolis feris, & belvis, avibuſque domeſticis condi fecerat, in Vita Sancti Galli, cap. ultim.] de quo vocabulo fit etiam mentio in lege ſalica, tit. 19.

Speculator. Vide *Speculator*.

Spiculum. FR. telum, & translative pro Solis radio a Poetis uſurpatur: ſic in hymno Sabbati ad Laudes canitur:

Aurora jam ſpargit polum:
Terris dies illabitur:
Lucis reſultat ſpiculum:
Diſcedat omne lubricum.

Et in hymno feria IV. ad Laudes.

Caligo terræ ſcinditur,
Percuſſa Solis ſpiculo.

Ex Prudentio, ad imitationem Poetæ illius,

Non radii ſolis, non lucida tela diei.

Seu potius ex Virg. Æneid. 12.

——— Et ſpicula caſtris
Denſa cadunt &c.

Spiculus. FR. fornix. [Ante ingreſſum vero Baſilicæ, necnon & ante introitum atrii quinque deſuper fornices, quos ſpiculos dicimus, voluit. Chron. Caſin. lib. 3. cap. 28.

Spiritualis. FR. res non corporalis. [Inter corporalia, & ſpiritualia eam cognovimus eſſe differentiam, quod corporalia facilius deſtruuntur, quam conſtruuntur; ſpiritualia vero facilius conſtruuntur, quam deſtruuntur. Unde juxta canonicas ſanctiones Epiſcopus honorem dare poteſt, (*nempe ordinando, & conſecrando*,) ſolus auferre non poteſt, lib. 1. decretal. de translat. Epiſc. cap. 2.

Spiritualis Homo. FR. per antonomaſiam ſummus Pontifex intelligitur per illa verba 1. Corint. 1. 15. [Spiritualis (*ideſt homo*) autem judicat omnia, & ipſe a nemine judicatur.] Ubi ſic Bonifacius Papa VIII. exponit: [Si vero ſuprema a ſolo Deo, non ab hominibus poterit judicari, teſtante Apoſtolo, ſpiritualis homo judicat omnia, ipſe autem a nemine judicatur. Eſt autem hæc auctoritas, (etſi data ſit homini, & exerceatur per hominem) non humana, ſed potius divina, ore divino Petro data, ſibique, ſuiſque ſucceſſoribus in ipſo, quem confeſſus fuit, petra firmata, dicente Domino ipſi Petro: Quodcumque ligaveris &c. Extrav. comm. de major. & obed. cap. unam ſanctam.

Spiritualiter FR. ideſt, quod non de verbo ad verbum memoriter retineri debet, ſed tantum ſufficit apprehendere ſenſum. [Catechumeni &c. ſymbolum, quod eſt Credo in Deum Patrem, ſpiritualiter doceantur, can. ante viginti, de conſecrat. diſt. 4.] & ibi Gloſſa.

Spiritus Sanctus, aliquando divinitatem Verbi increati ſignificat, in quo ſenſu S. Cyprianus adverſ. Jud. inquit: [Spiritus Sanctus filius Dei Rex conſtitutus eſt.] Et in eodem ſenſu Prudentius cecinit:

Ex quo mortalem præſtrinxit Spiritus alvum.

FR. Vide Latinium in Correct. Cypriani, præſertim in tit. Teſtimonior. lib. 3. & de montib. Sina, & Sion.:||. Quin & clarius Tertull. adverſ. Prax. c. 30. divinitatem Chriſti intellexerat, qui de ejus perſona, dum in Cruce patiebatur, exclamante, ſic ait: [Sed hæc vox carnis, & animæ, ideſt, hominis, nec ſpiritus, ideſt, Dei.] Imo S. Hilarius Spiritus Sancti vocabulum tribus concomitanter divinis perſonis tribuit, dum ait: [Quod nominatur Spiritus Sanctus, vi-

videant pro Patre, & Filio frequenter intelligi, in quo nihil ſcrupuli eſt; ſive enim Pater, ſive Filius, Spiritus Sanctus eſt, lib. 2. de Trinit.] Et ita etiam intellexere Veteres Chriſtianæ Theologiæ Profeſſores illa verba Annuntiantis Angeli ad Mariam Virginem prolata, nempe: [Spiritus Sanctus ſuperveniet in te &c. de ſecunda enim perſona divina loquutum fuiſſe Gabrielem dixerunt. FR. verba allata S. Cypriani habentur etiam in ejus libro de Idololatr. vanit. Vide Latinii Correctiones in D. Auguſt. de Trinit. c. 5. Spiritus Sanctus, ideſt, tertia perſona in divinis [A Patre, & Filio non tanquam ex duobus principiis, ſed tanquam ex uno principio; non duabus ſpirationibus, ſed unica ſpiratione procedit. De ſumma Trinit. in 6. cap. unico.] Spiritum Sanctum negans, ſeu aliquid hæreticale in eum aſſerens. Vide *Pneumatomachus*. Simoniacus non potuit pronunciare nomen Spiritus Sancti, ideo ejus peccatum detectum fuit. Vide *Gloria Patri*. Spiritui Sancto cur nulla oratio ab Eccleſia dirigatur. Vide *Collecta*. Appellatur Anteceſſor. Vide *Anteceſſor*. Congener Chriſti. Vide *Congener Chriſti*. Reliqua. Vide *Paraclitus*.

SPOLETI DUCATUS. Vide *Arnulphorum terra*.

SPOLIARIUM. FR. locus, ubi damnati ad beſtias veſtes eorum relinquebant: non vero, ut Calepinus in hac dictione aſſerit, fuiſſe, nempe, locum in balneo, quo loturi veſtes exuebant. Locus enim ex Plinii Panegyrico, in priori ſenſu clare demonſtratur, ubi ſic ait: [Nunc templum illud, nunc vere Deus; non ſpoliarium civium, creaturarumque prædarum ſævum receptaculum.] Atque de eodem loco ſic loquitur Seneca: [Nunquid aliquem tam ſtulte cupidum eſſe putes, ut jugulari in ſpoliario, quam in harena malit? in epiſtola 94.] Ita quoque mortuo Commodo Imp. acclamatum fuiſſe ſcribit Lampridius: [Hoſtis patriæ, parricida, gladiator in ſpoliario lanietur.] Et dicebatur etiam *locus ad jugulationem*. [Exinde jam exanimis proſternitur cum cæteris ad jugulationem ſolito loco. In paſſ. SS. Perpetuæ, & Felicitatis per Holſten. edita.] Locus autem generaliter intellectus, ubi deſpoliari ſolet, *Deſpoliabulum* dicebatur.

SPONGIA SANCTA. Vide *Patena*.

SPONSA. Vide *Druchte*. Ponebatur illi anulus. Vide *Annulus*. Velabatur. Vide Mavortes in dict. *Maphorium*.

SPONSALIA, dicuntur futurarum nuptiarum promiſſio, ff. de ſponſal. &, can. noſtrates, 30. quæſt. 5. Vide *Annulus*. *Subarrho*.

SPONSOR. Vide *Patrinus*.

SPONTALITER, ſponte. [Parco tamen, idque non modo non coactus, verum etiam ſpontaliter facio. Sidon. lib. 8. epiſt. 9.

SPORTEOLUS, ſportula. [Ad famam cœnæ ſerapicæ ſporteoli excitabantur. Tertull. adverſus Gent.] Qui ad ſuperſtitionem alludit, qua Serapidem fabuloſum numen adorabatur, cui formabant Ægyptii calathum, ſive ſportulam ad figuram ſepulcri. Vide *Seraphim*: De ſportulis. Vide *Strena*.

*Hierolexicon Macri*.

SPORTULA. Vide *Strena*.

SPORTULANTES, dicebantur Clerici, qui non vivebant in Communitate cum aliis, ſed ſtipendium ſervitiorum, quæ Eccleſiæ præſtabant, ab Epiſcopo recipiebant. [Nec moleſtiis, aut negotiis ſæcularibus alligantur, ſed in honore ſportulantium fratrum, tanquam decimas ex fratribus accipientes, ab altari, & a ſacrificiis non recedant. Cyprian. epiſt. 66.

SPUDASTES, σπȣδαςής, fautor, factitoſus, amicus. D. Hieronymus de Scriptor. Eccleſiaſt.

SPURCALLA. FR. ſpurcitia, fœditas. [Cui Paganorum decepta gentilitas ad ſedandam furoris veſaniam fanaticæ luſtrationis ſpurcalla thurificabat. Aldelmus, lib. de Virg. cap. 12.

SPURIUS. Vide *Manzer*.

SPUTACULUM, ſputum. [At ego ſputaculum maximum in os ejus ingeminans, totum me in eum Chriſti nomine armatum ingeſſi. In vita S. Antonii.

SQUAMOSUS. Vide *Pholidotus*.

SQUATUS, piſcis ſpecies, italice *ſquadro* dicitur, cujus aſpera pelle utuntur fabri lignarii ad puliendum eorum opus; ideo a Græcis ῥίνη, ideſt, lima; a Latinis autem *ſquatina* dicitur. [Præſes vero juſſit ſale aſperrimo cum ſquato dorſum ejus fricari. In vita S. Ananiæ.

SQUILLA. Vide *Scella*.

STABILIS COMES, & *Stabilis Dux*. FR. alii autem *Stabuli Comitem*, ſive *Stabuli Ducem* ſcribunt. [Deſiderius Rex Andream Referendarium ſuum, & Stabilem Ducem Oratorem miſit. Blondus, decad. 2. lib. 1.

STABULARIA, ita appellata fuit S. Helena Magni Conſtantini Mater a Gentilibus, ex eo quia magnum obſequium erga animalium ſtabulum, in quo natus fuerat Chriſtus, præſtaverat. [Bona ſtabularia, quæ tam diligenter præſepe Domini requiſivit. Bona ſtabularia, quæ ſtabularium non ignoravit illum, qui vulnera curavit a Latrone vulnerati. D. Ambroſ. in orat. de Theod.

STABULUM. Vide *Catabulum*. Equorum ſtabulum. Vide *Equaritia*. *Meritorium*. *Staplus*.

STACTE. FR. ςακτὴ, pinguedo recentis myrrhæ: [Portantes aromata, & reſinam, & ſtacten. Geneſ. 37. Sumite de optimis terræ fructibus in vaſis veſtris, & deferte viro munera, modicum reſinæ, & mellis, & ſtoracis, ſtactes, & terebinthi in ſacculis reportate. ibid. cap. 42. Dixitque Dominus ad Moyſen; ſume tibi aromata, ſtacten, & onycha, glabanum boni odoris. Exod. cap. 30. Dan, & Græcia, & Moſel in nundinis tuis propoſuerunt ferrum fabrefactum, ſtacte, & calamus in negotiatione tua. Ezech. cap. 27.] Plinius de arboribus myrrhæ, lib. 12. cap. 15. agens, ſic inquit: [Sudant autem ſponte prius, quam incidantur, ſtactem dictam, cui nulla præfertur. Ab hac ſativa, & in ſylveſtri quoque melior æſtiva. Non dant ex mirrha portiones Deo, quoniam apud illos naſcitur. Re-

gi tamen Gebanitarum quartas partes ejus pendunt. Cætero paſſim a vulgo coemptã, in folles confarciunt, ipſique unguentarii digerunt, haud difficulter odoris, atque pinguedinis argumentis.] Myſterium, quod Deo ex myrrha non dent portiones, haud bene intellectum fuiſſe a Plinio puto; nam non eſt connaturalis ratio gentium, quod non detur Deo id, quod apud eos naſcitur; imo contrarium conſtat, nempe, quod gratitudinis gratia ex frugibus propriæ terræ unuſquiſque decimas, ac primitias, nedum lege divina, quin ex innata gratitudine illi tribuere cogitur, ut etiam apud Ethnicos omnes uſitatum fuiſſe legitur. Inſuper ſi Plinii ratio vera eſſet, ſequeretur, quod Populi illi non ſolum myrrhæ portiones Deo negarent, ſed etiam omnium frugum ibidem naſcentium; quare ergo ſolius myrrhæ oblationes renuebant dare Deo? Aliud ſiquidem myſterium in hoc internoſcere licet, quod puto non eſſe, niſi quia myrrha mortalitatis ſymbolum eſt, ideo Deo immortali offerre non licet, ideoque in Exodo ſupra juſſerat Deus offerre illi myrrham, & ejus ſtacten commixtam aliis aromatibus ad ſignificandam futuram hypoſtaticam naturam in Chriſto, ſic etiam in tribus Magorum muneribus Chriſto oblatis commixta fuit myrrha; nam, ut ait D. Leo Papa, ſerm. 2. de Epiph. [Myſticas illi de theſauris Domino munerum ſpecies obtulerunt.] Ac clarius D. Gregorius Papa, homil. 10. in Matth. inquit: [Magi vero aurum, thus, & myrrham deferunt. Aurum, quippe, Regi congruit; thus vero in Dei ſacrificium ponitur; myrrha autem mortuorum corpora condiuntur. Eum ergo Magi, quem adorant, etiam myſticis muneribus prædicant; auro Regem, thure Deum, myrrha mortalem.] Id autem, quod Plinius dicit *Regi Gebanitarum*, magis ille cum Sac. ſcriptura concordat, in qua habetur: [Dedit eos in manus Gabaonitarum,] quam Strabo, qui hos populos mendoſe *Catabanitas* appellat. Cyrillus autem Alexandr. in lib. 9. Levit. aliud myſticum ſignificatum adducit: [Quærit & ſtacten; colata enim, & defœcata vult eſſe verba noſtra, vel opera.

STADIUM, ϛάδιον, pro ſemita pomarii, de Suſanna loquens Tertullianus, uſurpavit, inquiens: [Cæterum in ſtadio mariti non puto velatam deambulaſſe. De Coron. milit.] FR. Item dromium, ſeu curriculum ſignificat: [Ii, qui in ſtadio currunt, 1. Cor. 9. 24.] Accipitur etiam pro geometrica menſura. [Intervallo quinque ſtadiorum, 1. Macab. 11. 5.] De quo ſæpe in Sac. Scriptura. Quæ tamen diſtantia varie affertur ab Auctoribus. Plinius, lib. 2. c. 23. inquit continere pedes 6. 25. quæ menſura octies ſumpta efficit mille paſſus. Suidas vero ait continere 400. cubitorum, quod expreſſius habetur hic in dict. *Pes*: ſed varietas hæc intelligi debet reſpective ad regiones, ſicut etiam nunc accidit, quod in variis provinciis longiora, vel breviora milliaria menſurantur.

STAFFLUS. Vide *Staplus*.

STALARIA. FR. ſylva cedua, l. ſi quis ſtalariam, de damno, & injur. Item in Bullar. Caſinen. to. 2. conſt. 64. conſt. 73. 117. 131. & alibi ibidem.

STALLUM, ſedile in choro, unum ab alio diſtinctum. [Intravit chorum uterque, ſtante Priore in ſtallo ſuo. Cæſar. lib. 1. cap. 6.] Ac idem, lib. 5. cap. 5. [Vidit duos dæmones juxta presbyterium intrare, & paulatim aſcendere ad ſtallum Abbatis.] Vide *Cancelli*. *Chorus*. *Formula*. *Miſericordia*. Paſtophorium in dict. *Cubiculum*. Vide *Vaſtellum*. FR. Item aliquando macellum ſignificat. [Et quod dicebant alibi, quam in ſtallis, Decani, & Capituli carnifices carnes vendere non debere.] Et inferius: [Cum idem Epiſcopus poſt citationem carnes in ſtallis aliis vendi feciſſet. In Decretal. de appellat. cap. 69.

STANTES, dicebantur Chriſtiani in perſecutione fidei conſtantes; e contrario *Lapſi* qui timore tormentorum a fide apoſtatabant: [Epiſcopi in unum convenientes, præſente & ſtantium plebe. D. Cyprian. epiſt. 14.] Quam dictionẽ in hoc Cypriani loco aliqui perperam corrigere maluere; ſed cum alibi eadem voce utatur, mutandam eſſe nequaquam reor: in eodem enim ſenſu epiſt. 27. [In omnibus ſtantibus] dixit & clarius epiſt. 30. habetur: [Preces ſtantium.] FR. exiſtimo non incongrue Cypriani dictum ex verbis Chriſti derivari, cum dixerat: [Ante Præſides, & Reges ſtabitis propter me in teſtimonium illis. Marc. c. 13.] Unde *ſtantes* appellavit intrepide fidem coram tyranno profitentes.

STANTIA, FR. a ſtando, pactum obligatorium intelligitur aliquando, in quo omnino ſtare debetur. Gloſſa in l. ſi quis debitorem, de debitis, & gaudimoniis. Vide *Synthica*.

STAPEDIUM, ſtapes, [Ut cum Summus Pontifex equum aſcenderit, ſtapedium ſellæ ejus teneat. Davantria M. S. ubi Coronat. Imp. Cœrem. deſcribit.] FR. D. Hieronymus *Stapiam* appellat. Vide *Strepa*.

STAPHUS. Vide *Staupus*.

STAPHYLINUM, paſtinaca erratica. Vide Plinium in dict. *Suffocatus*.

STAPLUS, Stabulum, Germani *Stapel* dicunt. In l. ſalica, tit. 58. ubi etiam *Stafflus* dicitur. Ejus ſynonyma. Vide *Stabulum*.

STAPULUS. Vide *Ariſtaton*.

STATER, ϛατὴρ, moneta, de qua fit mentio in 1. Reg. cap. 9. 4. Reg. cap. 7. Jerem. cap. 32. Ezechiel. cap. 4. & Matth. cap. 17. Quæ auri unciam pendebat, ideſt, tria monetæ ſcuta; nam inſervivit ad ſolvendum tributum duarum drachmarum pro duabus perſonis, ut in eodem cit. cap. Matthæi habetur; hinc quatuor drachmas continebat. FR. Urbanus Papa ex hac Evangelica tributi ſolutione ſignificatum deducit, nempe, [Tributum in ore piſcis, piſcante Petro, inventum eſt, quia de exterioribus ſuis, (quæ palam cunctis apparent) Eccleſia tributum reddit. Non autem totum piſcem juſſus eſt dare; ſed tantum ſtaterem, qui in ore ejus inventus eſt: quia non Eccleſia dari Imperatori, non Pontificalis apex, qui in ore capitis Eccleſiæ præ-

præeminet, ſubjici poteſt Regibus; ſed ſane (ut diximus) quod in ore piſcis invenitur, pro Petro, & Domino dari jubetur: quia de exterioribus Eccleſiæ, quod conſtitutum antiquitus eſt, pro pace, & quiete, qua nos tueri, & defenſare debet, Imperatoribus perſolvendum eſt. Can. Tributum, 23. q. 8.] & ibi Gloſſa. Vide *Drachma*. *Siclus*.

Statera. Vide *Biſantinus*. *Exagella*. *Lances*.

Statio, ideſt, manſio, ac mora, quam fideles Chriſtiani in Eccleſiis agebant, ſumpta a militibus metaphora, quia hujus ſæculi Eccleſia militaris dicitur: hinc cum ſtationarii milites in eorum ſtationionibus vigilias exerceant; ſic etiam Eccleſiæ fideles ſtationem eccleſiaſticam pro jejunii vigilia promiſcue intelligebant; unde *Solvere ſtationem*, & *Solvere jejunium* idem ſignificabat; ideoque in die feriæ IV. & VI. ſtationes uſque ad horam nonam prolongabantur. [Diſcernunt autem quidam inter jejunium, & ſtationem: nam jejunium eſt indifferenter cujuslibet diei abſtinentia, non ſecundum legem, ſed ſecundum propriam voluntatem; ſtatio autem eſt obſervatio ſtatutorum dierum, vel temporum, ut quartæ, & ſextæ feriæ, vel quadrageſimæ. Iſidor. lib. 6. etym. cap. ultimo.] Ac idem docuit D. Ambroſius, ſerm. 36. inquiens: [Stationes vocantur jejunia, quod ſtantes, & commorantes in eis, inimicos inſidiarum repellimus.] Licet autem Joannes Diaconus in vita Sancti Gregorii Pontificis illum ſtationes Romæ ordinaſſe dicat; hoc tamen non de primæva inſtitutione intelligi debet; nam S. Hilarius Papa, qui multo ante Gregorium ſedit in Pontificatu, de eo legitur, quod: [Hic conſtituit in Urbe Miniſtrales, qui circuirent conſtitutas ſtationes.] Miniſtrales ſiquidem dicebantur Clerici ad inſerviendas Miſſas in eis Eccleſiis, in quibus ſtationes celebrabantur; & Subdiaconi *Stationarii* dicebantur, qui Pontifici in ſtationum Eccleſia celebranti miniſtrabant. Itaque Gregorius ſtabiliverat Eccleſias pro ſtationibus deſtinatas; tempore enim perſecutionum Eccleſiæ ſtationes fiebant in cryptis, & in ſubterraneis Sanctorum Martyrum Cœmeteriis, & a Subdiacono Regionario antecedenti die publicabatur ſtatio proxima in Miſſa ſolemni ante communionem ſequenti forma verborum, quam in quodam vetuſtiſſimo Cæremoniali m. s. inveni, nempe, [Craſtina die veniente ſtatio erit in Eccleſia Sancti N.] Mox Chorus reſpondebat: Deo gratias. Acolytus deinde in eodem ſtationis die ex Eccleſia, ubi celebrabatur, deferebat Papæ fruſtillum elychnii oleo lampadis ejuſdem Eccleſiæ ſtationis intinctum, & elata voce dicebat: [Jube Domne benedicere;] ac poſt Pontificis benedictionem proſequebatur cantum, dicens: [Hodie fuit ſtatio ad Sanctum N. qui ſalutat te.] Pontifex ſumebat elychnium, ac devote oſculans, reſpondebat: Deo gratias, deinde Cubiculario conſignabat, quæ omnia elychnia conſervabantur uſque ad obitum Pontificis, in quo eventu ex eis pulvillus implebatur, & ſub capite defuncti Pontificis ponebatur. In eodem Cæremoniali etiam legi quamdam Cæremoniam ſcitu dignam, quæ in Baſilica S. Mariæ Majoris in ſtatione Vigiliæ Nativitatis Domini erat ſolita obſervari, nimirū [In iſto die ſtatio ad S. Mariam Majorem, ubi Dominus Papa debet Miſſam cantare cum ſcholis, & familia Palatii, & Epiſcopus Albanenſis debet facere cœnam optimam toti Curiæ, & debet mittere ad Curiam duo optima buſta porcorum. Hodie vero nomine ſtationis intelligitur indulgentia, quæ acquiritur in ea Eccleſia, in qua ſtatio aſſignata reperitur. Ad ſtationem pertinentia. Vide Sabbatum vacans in dict. *Sabbatum*. Item nomine ſtationis intelligitur aliquando populi concurſus, qui proceſſionaliter aſſociabat Pontificem ad aliquam Eccleſiæ ſolemnitatem, & abſque jejunio ibat, quemadmodum temporis paſchalis ſtationes, aliique feſtivitatum dies.

Statua. Vide *Icona*.

Statuncula, ſigillaris, & parva ſtatua. [Ille enim, (*ideſt*, *Dæmon*) cum ei in ſtatunculis, & ſimulacris formaret. S. Cyprian. de Aleatorib.] Item reperitur in genere maſculino: [Et venientes ſatellites ad eum cum ſtatunculo Jovis, dixerunt. In vita Sancti Concordii.] Vide *Sigillum*.

Statutarius. FR. qui ſtatuta condit. [Item excommunicamus ſtatutarios &c. lib. 5. decretal. tit. 39. c. 49. & 53.] Ibique Gloſſa.

Statutum, liber ſtatutorum. Vide *Capitularium*. §. Capitularis.

Staupulus. Vide *Staupus*.

Staupus, vocabulum valde obſcurum. [Staupos argenteos duos in arcu, quem ex argento fecerat, ſuſpendit. Anaſt. Biblioth. in Nicolao I.] Ex verbo *Suſpendit* conjecturo, quod *Staphos* dicere fortaſſe voluiſſet, ex græco vocabulo, σάφος, quod vas ſignificat, ſuſpendi ſolitum ad arcus ornamentum; atque ex ejus diminutivo nomine confirmatur, nempe, *Staupulus*, quod penſile, in quo reliquiæ ponebantur, ſignificat. [Miſericordiæ viſcera tacta ſtaupulum, qui ob ſignum ſperandæ ſalutis pendebat, juſſit deorſum uno pede dimitti. In vita S. Valgurgis Virg.] Ex quibus tamen verbis probabilis eorum opinio redditur, qui ſtaupum faſcias ſignificare putant, ac propterea *Straupum* corrigunt. Item alii *Stropum* legunt, inſigne, nempe, quod in capite Sacerdotis ponebatur ex Feſto. FR. meus Feſti Codex ex Farneſiano exemplari ſic habet [Stropus eſt, ut Atejus Philologus exiſtimat, quod græce ϛρόφιον vocatur, & quod Sacerdotes pro inſigni habebant in capite: quidam coronam eſſe dicunt, aut quod pro corona inſigne in caput imponatur, quale ſit ſtrophium. Itaque apud Faliſcos item feſtum eſſe, qui vocatur ſtruppe area, quia corónati ambulant, & a Tuſculanis, quod in pulvinari imponatur Caſtoris, ſtruppum vocari.] Hinc locum Anaſtaſii puto magis ſignificare coronam, quæ ad Eccleſiæ ornamentum ſuſpendebatur, ut in dict. *Corona* dictum fuit.

Stauracinus; hoc vocabulum varie a pleriſque intellectum fuit, ſed re vera abſque probabilitatis fundamen-

to. Quare hoc vocabulum nil aliud ſignificat, quam textile crucibus contextum, de quibus dictum eſt in dict. *Caſula*, & *Gammadia*; σαυρὸς enim græce, latine crucem, & κοινὸς, patens,& intermediatum ſignificant: quod ex ſequentibus verbis evidenter patet, nempe [Cortinas de palliis ſtauracinis,ſeu quadruplis. Anaſtaſ. Biblioth. in Adrian.] Nam quadruplam figuram angulares cruces formabant, & ideo *Polyſtauria* dicebantur, ideſt, multis crucibus referta, & *Gammadia*, quæ græca littera, ut ſuo loco dictum eſt angularis formæ quadruplicatam crucem figurat. FR.Idem affirmat Torrigius, in tract. de cryptis Vatican. impreſſ. ſecunda, pag. 184.

Staurolatra, σαυρολάτρης, ideſt, Crucis adorator;ſic Hæreticorum ſecta in Armenia appellabatur, quæ præter Crucem, aliam adorationem non permittebat. Nicephor. lib. 18. cap. 54.

Stauropata,σαυροπάτης,ideſt,Crucis pejerator;in octava Synodo *Stauropatæ* appellati ſunt Epiſcopi illi,qui contra juramentum ſuper Crucem præſtitum, cum Photii perfidia communicarunt.

Stauropegium, σαυροπήγιον, ideſt, Crucis confixio, ſeu erectio; quod fere ſignificat cæremoniam erectionis Crucis in loco ab Epiſcopo conſecrando,ut in Cæremoniali Epiſcop. habetur. [Nullus audeat ædificare Eccleſiam,vel Oratorium,antequam Civitatis Epiſcopus veniat, & ibi vota faciens, Sanctiſſimam Crucem infixerit. Jul. Anteceſſ.conſt.61.] Unde quia talis cæremonia exerceri non poterat ab Epiſcopo, niſi intra limites ejus juriſdictionis; hinc non raro pro Diœceſi hoc vocabulum etiam uſurpatur, ut in aliquibus Conciliis habetur; itaque ſignificat juriſdictionis extenſionem aliquando. Vide *Conculcare Epiſcopum*. Propterea Conſtantinopolitanus Patriarcha, quando aliquod Monaſterium, ſive aliam Eccleſiaſticam poſſeſſionem ab Ordinario loci eximere intendebat, ibidem Crucem erigebat; quod privilegium a Michaele Paleologo Patriarchæ conceſſum fuiſſe refert Georgius Pachimera, & ejuſdem Imperatoris Novellam affert in ſua græca hiſtor. lib. 6. c. 11.

Staurophilax, σαυροφύλαξ, ideſt, Crucis Cuſtos. Dignitas in Eccleſia Hieroſolymitana, ad quam lignum veræ Crucis cuſtodire ſpectabat: [Chryſippi Presbyteri Hieroſolymorum, & Staurophylacis ſanctæ Reſurrectionis.] Titulus appoſitus in quodam M. S. ſermone Bibliothecæ Barbarinæ, quo etiam titulo Patriarcha Hieroſol. decorabatur.

Stega, σέγα, caſa, tectum. Vide *Triſtega*.

Stellæ Festum, dicitur Epiphania. Vide *Septuageſima*.

Stephanita, σεφανίτης, Coronatus, quo titulo Victores denominabantur; quare Gregor. Cedrenus impii Imperatoris Conſtantini Copronymi ſcelera refert, quod inter cætera graviſſima patrata ſacrilegia, apoſtatare fecerat Anaſtaſium Conſtantinop. Patriarcham, his verbis: [Et perſuaſit, ut pro Monacho fieret ſtephanita, carne veſceretur, & regia menſa tibicines audire ſuſtineret,] ideſt, quod in ſignum apoſtaſiæ manifeſtationis coactus fuerat Patriarcha ad imperialem menſam coronatus ſedere.

Stephanomata. Vide *Corona*.

Sterilis. Vide *Illiberi*. Sterilitas. Vide *Ingenitura*.

Sterlingus. FR. Monetæ ſpecies, quæ adhuc retinet nomen in Anglia. [Quod quinque ſolidos ſterlingorum daret. In decretal. de arbitris, cap. 3.

Stator. Vide *Strator*.

Stercheja, vox quidem intellectu difficillima apud Tertullianum, quæ aliud non ſignificare puto, niſi amantem, ex græco verbo σέργω, ideſt, amo. Quod colligitur ex ſequenti ejuſdem Tertulliani textu. [Quare non & ſtercejæ, & ſyntrophi nominantur? Adverſ. Valent. cap. 8.] FR. poſſet etiam ex latino verbo *Stringo* deduci: hinc Itali quoque *Strettezza* dicunt ſanguinis, vel amicitiæ conjunctionem. Vide *Herceja*.

Steura, tributum, ſeu impoſitio pro aliqua communi neceſſitate injuncta. [Hæc gravamina cum prioribus taxata fuerunt ultra quadraginta florenorum rhemenſium. Per quæ compulſi imponere ſteuram decimi denarii de omnibus eorum. Leonhart. Presbyter in Chron.] De eorum vocabulo etiam Æneas Silvius in hiſt. Boemiæ mentionem facit, inquiens: [Mos eſt Auſtralibus, quoties repentina Principi neceſſitas ingruit, ex ſubditis pro modo facultatum pecuniam exigere, quam vocant ſteuram,c.61.]Quæ contributio ab aliis Scriptoribus *Borna* dicitur: [Interea vero Rex exercitum congregat, & ad bella, ſi neceſſe fuerit, ſe coaptat, generalem ſteuram, quæ borna dicitur, ab omnibus recipit. In hiſtor. regia, c. 27.] FR.fortaſſe vox a ſtrena corrupta. Vide *Strena*.

Stibadium, caſa, ſive tugurium in hortis erectum. [In hac diæta ſtibadium, & nitens abacus. Sidon. lib. 1. epiſt. 11.

Stica, tunica, proprie allii membranam ſignificat; reperitur tamen hoc vocabulum in Davantriæ M. S. his verbis: [Notandum, quod coqui, & brodarii habent habere ſticas in Paſcha,& in Nativitate Domini.[FR. Italiæ Moniales appellant *Stecca* lineam faſciam, quā circumligant in fronte: male tamen Voſſius in ejus etymologico confundit allii ſticam cum ejuſdem ſpica; ſtica enim eſt allii tunica, ſed ſpica eſt dens allii, & italice *Spicchio d' aglio* dicitur.

Sticharium, σοιχάειον, tunica, qua utuntur Græci in ſacris functionibus loco albæ; ideo candidi coloris debet eſſe juxta Simonis Theſſalonicenſis opinionem, qui ſic ait: [Sticharium lucidi veſtitus Angelorum imitamen induit. Sæpe enim in veſte fulgenti Angelos apparuiſſe novimus, ut & illum in monumento Salvatoris coopertum ſtola candida. Propterea purum, & ab omni iniquamento liberum ſacerdotale ſticharium eſſe oportere docet.] Itaque eſt manifeſtus Græcorum abuſus albam indui variorum colorum. Idem a S. Germano Conſtantinopolitano Patriarcha confirmatur, ubi ait: [Ac primum tunica, quæ

quæ alba eſt, divinitatis ſplendorem indicat, & Sacerdotis ſplendidam converſationem. ] Addit inſuper citatus Theſſalonicenſis, ſticharium, ſeu tunicam Epiſcopalem ſericis rubris albiſque faſciis virgandam eſſe, quæ flumina appellantur inſinuative, ſcilicet, ad Prælati doctrinam; ſic enim ille ait: [ Epiſcopi ſticharium deſuper deſcendentia habet flumina. Eſt enim undulatum, & gratiam docendi in ipſo repræſentat. ] Juxta tamen aliorum contemplationem denotat ſanguinem, & aquam de latere Chriſti emanatam, quod magis cum rubro, alboque coloribus congruit: [ Epiſcopi ferunt in tunicis fluvios coccineos, & albos, quia fluxit e latere Chriſti ſanguis, & aqua: Gregoras, l. 6. c. 1. ] Eadem flumina Epiſcopi Græci ferunt in manto, ſed diverſæ formæ, ut in dict. *Mandyas* dictum fuit. Notandum tamen eſt ex Demetrio Chomateno, quod Epiſcopi, & Diaconi Græcorum in quadrageſimali, & mœſtitiæ tempore debent deferre ſticharium coloris rubri, quia color hic apud eos eſt mœroris ſignum; ſicut etiam Papa obſervat, qui tempore Adventus, & Quadrageſimæ fert cappam, vel pluviale rubrum in Cappella. Vide *Alba*. FR. In Liturgia S. Jo. Chryſoſt. ϛοιχάριον habetur, & *Stæchorion*, & *Stæchoria* ſcribit. D. Philotheus in Bibliotheca Patrum editionis Pariſien. de anno 1589. tom. 6. colum. 245. ubi ſic habetur: [ Benedic, Domine, ſtœchorion ejus. Diaconus accedit ad Sacerdotem, & dicit benedic Domine ſtœchoriam cum horario. ] Fortaſſe a verbo Στεγάζω, ſive Στέγω, quæ tegere, & cooperire ſignificant, unde Στέγος tectum.

Stigma, ϛίγμα. FR. impreſſio, ſignum. [ Nam legitur, quod Maria ſoror Aaron propheteſſa, dum detractionis adverſus Moyſen incurriſſet delictum: illico ſtigmate lepræ percuſſa eſt, can. hoc ipſum, 33. qu. 2. Juſtum eſt enim, ut ipſe talis, quem geſtat ex habitu (quouſque appareat aliud) præſumatur, qualis is eſſe, cujus fert habitum, comprobatur. Ex ſtigmate namque conſueto fabricenſibus imprimi, latitans fabricenſis agnoſcitur, c. ſi judex, de ſentent. excom. &c. in ſexto. ] Fabricenſis, Ludov. de la Cerda, putat eum dici, qui in publicis fabricis bellica arma fabricat. Sed ex ſupradicto c. ſi Judex, mancipia hujuſmodi fabricenſes fuiſſe colligitur, nam ante comparationem præſumpti clerici, ex habitu indicati, ſubjungit ibi textus, hanc ſimilitudinem de ingenuo præſumpto, inquiens: [ Sicut de illo, qui in poſſeſſione ingenuitatis exiſtit: ſi dicatur ab alio libertinus, legalis ſanxit auctoritas, ut probandi neceſſitate, non ipſe, ſed adverſarius adſtringatur. ] Quæ lex habetur in Cod. de libert. cau. l. ea, quæ ff. de libertis, §. ſi & l. cum neceſſitas, ff. de probat. l. circa. Igitur mancipia, ſeu ſervi ob timorem fugæ, ut in eo caſu pro talibus cognoſcerentur, ſtigmatibus ſignabantur, qui licet libertatem poſtea conſequerentur aliquando; nihilominus ex ſtigmatibus indelebilibus pro libertis, & libertinis dignoſcebantur; ita ut nequibant pro ingenuis ſe oſtentare. Hujuſmodi erant etiam aquarum cuſtodes. [ Et cuſtodes aquarum, (quos hydrophylacas nominant,) quæ eis infigi ſolet annotatione ſignati, manifeſti ſunt omnibus, & angariarum nomine non tenentur, d. cap. judex. ] De quibus ſtigmatibus fit expreſſe mentio, in C. de fabr. l. ſtigmata, lib. 11. Qui tamen in brachiis nomine Imperatoris ſtigmatizabantur Cod. de pœn. l. ſi quis in metallum Vide quæ diximus in dict. *Damnaticus*. Quo ſigno etiam aliorum criminum rei ſignabantur, & Clerici graviter delinquentes etiam aliquo conſimili charactere ſignabantur, cap. ad audientiam, de crim. falſi. Vide *Nota*. *Notatus*.

Stimulati. Vide *Majorenſes*.

Stipes. FR. ſtipendium, accipitur etiam pro eleemoſyna. [ Hoc omne præceptum de his eſt Viduis, quæ Eccleſiæ paſcuntur eleemoſynis: & idcirco ætas præſcribitur, ut illæ tantum accipiant pauperum cibos, quæ jam laborare non poſſunt. Simulque conſidera, quod quæ duos habuit viros, etiam ſi anus eſt, & decrepita, & egens, Eccleſiæ ſtipes non meretur accipere; ſi autem panis illis tollitur eleemoſynæ, quanto magis ille panis, qui de Cœlo deſcendit? can. Quomodo Virginibus, 31. q. 1. Aut in templi ſtipes, aut in ſordidum convertit lucrum, can. legant. diſt. 37.

Stipo, obturo. Vide *Subciſivus*.

Stips, ſapor vini aſperi, & acerbi. [ Palmatianum nominavit antiquitas, nos ſtipſi aſperum; ſed gratum ſuavitate perquire. Caſſiod. cap. 9. ] Vide *Palmatica*. FR. *Stipſi* non concordat cum dictione aſperum: nam illud eſt ablativum, & hoc accuſativum. Itaque præterquamquod locus Caſſiodori mendoſe citatur, etiam nominis declinatio erronea eſt, nam *Stipis* eſt ejus nominativus; ſic recte habet idem Caſſiodorus in ejus tractatu variarum, lib. 12. epiſt. 4. [Stipis neſcio qua firmitate roboratur: tactus ejus denſitate pingueſcit, ut dicas eſſe aut carneum liquorem, aut edibilem potionem. Libet referre, quam ſingularis eſſe videatur ejus collectio. Autumno lecta de vineis in pergulis domeſticis uvâ reſupina ſuſpenditur, ſervatur in vaſis ſuis, thecis naturalibus cuſtoditur. Rigeſcit, non liqueſcit ex ſenio, tunc fatuos humores exſudans, magna ſuavitate dulceſcit. Trahitur ad menſem Decembrem, donec fluxum ejus hyemis tempus aperiat, miroque modo incipit eſſe novum, quando cellis omnibus reperitur antiquum. Hyemale muſtum, uvarum frigidus ſanguis, in rigore vindemia, cruentus liquor, purpura potabilis, violeum nectar: defervet primum in origine ſua, & cum potuerit adoleſcere, perpetuam incipit habere novitatem, non calcibus injarioſe tunditur, nec aliqua ſordidum admixtione fuſcatur: ſed quemadmodum decet nobilitas tanta provocatur; defluit, dum aqua dureſcit; fœcunda eſt, cum omnibus agrorum fructus obſedit. Diſtillat gemmis comparem liquorem. Jucundum neſcio quid illacrymat: & præter quod ejus delectat dulcedo, in aſpectu ſingularis eſt ejus pulchritudo. Hoc quãtocius (*alii quam ocyus* le-

*legunt* ) perquiſitum, & competentibus pretiis aggregatum, Chartariis, qui in rem directi ſunt, tarditer deferendum. Nec aliud negligendum putetis, quod lacteo poculo relucescit: quando plus eſt mirabile, quod potueritis difficilius invenire. Albedo ibi decora eſt, & ſerena paritas: ut illum de roſis, hoc credatur natum eſſe de liliis. Colorem quidem extraneum; ſed ſapore germanum eſt. Aſpectus diſpar, & ſimilis in utroque ſuavitas. Nam quod acute ſapit, quod cito reficit, commune illis intelligitur; ſed magna eſt diſtantia, quæ videtur. Illud intueris robore lætum, hoc inſpicis candore feſtivum, & ideo procuratio eorum debet eſſe celerrima: quando in ambobus eſſe cognoſcitur, quod pariter expectatur.

Stoechoria, & *Stœchorion*. Vide *Sticharium*.

Stola, ex græco vocabulo στολὴ, quod talarem veſtem, ſive togam ſignificat. FR. unde Horatius, lib. 1. ſer. Satyr. 2. [ Ad talos ſtola demiſſa ] inquit. ||: Gemm. lib. 1. cap. 204. apud Gavantum, par 2. tit. 1. de Præparat. Sacerd. celebraturi, cap. 3. §. Et imponit. Sed apud Eccleſiaſticos ſacerdotalem ſtolam denotat, quæ ad collum pendens ferri ſolet; alluſive funem qua Chriſtus Dominus ligatus fuerat, & Crucem ejuſdem ſignificat; ideo in modum Crucis ante pectus formatur; ſecus tamen Epiſcopi, ac alii Præſules, ex eo quia Crucem ante pectus pendentem cum Reliquiis deferunt. Moralis vero ſignificatus ſtolæ ſacerdotalis, jugum ſuave Chriſtianæ legis denotat. Solet etiam a Concionatoribus deferri, non vero Romæ ob Papæ reverentiam, qui ea utitur continuo, etiam in publicis viis. FR. antiquitus etiam Sacerdotes in publico cum ſtola incedere tenebantur. [ Ut Presbyteri non vadant niſi ſtola, aut orario induti. Et ſi in itinere ſpoliantur, aut vulnerantur, vel occiduntur, non ſtola veſtiti, ſimplici emendatione ſolvantur: ſi autem cum ſtola, triplici. Ex Concil. Tribur. Palea in cap. Ut Presbyteri, 17. quæſt. 4.] Ubi duo ſunt notanda, quod vel pro ſtola talari veſtem Concilium intendit, ut ſupra ex græca dictione dictum eſt; nam hic diviſive ſtola, aut orarium ait; vel quod orarium erat diverſum a ſtola. Si vero orarium, & ſtola idem ſunt, etiam Diaconi cum ſtola incedere tenebantur, ut in dict. *Orarium* diximus.:||: Quando Papa privatim celebrat in aliqua Eccleſia, tunc antequam induatur paramentis celebrationis, debet primus Cardinalis Diaconus illi auferre ſtolam, & in defectu Cardinalium Diaconorum, ſpectat ad ultimum Cardinalem Presbyterum. Cardinalis autem prædicans in Eccleſia ejus tituli; poteſt uti ſtola ſub mozetta ad differentiam Pontificis, qui illam defert ſupra mozettam; ac extra Urbem tum Cardinales, tum etiam Epiſcopi poſſunt deferre ſtolam ſupra mozettam in concionando. In Concilio Bracarenſi ſub pœna excommunicationis præcipitur, ut Sacerdotes non communicentur ſine ſtola, his verbis: [ Cum Sacerdos ad ſolemnia Miſſarum accedit, aut per ſe Deo ſacrificio oblaturus, aut Sacramentum, Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſumpturus, non aliter accedat, quam orario utroque humero circumſeptus &c. ſi quis aliter egerit, excommunicationi debitæ ſubjacebit, can. Eccleſiaſtica inſtitutione, diſt. 23.] Qua occaſione quæritur inter Theologos, ſi extra Miſſam Sacerdotem ſe communicare occurrerit, an peccaret mortaliter, ſi id ageret ſine ſtola. Affirmant nonnulli, ex eo quia ibi ſub pœna excommunicationis præcipitur, quæ peccatum mortale ſupponit. Alii tamen apud Azor. par. 1. lib. 10. cap. 28. qu. 12. contrarium docent, quia in praxi habetur, quod in aliquibus obſervantibus Religionibus hoc minime obſervetur in communione publica Feriæ V. in bulla cœnæ. Præterquāquod Gloſſa in d. can. Eccleſiaſtica, & Poſtillatores ibidem ſtandum eſſe conſuetudini docent. Sed cum præceptum ſit facilis obſervantiæ, & commoditatis, puto prætermitti non debere. FR. pro ſententia affirmativa dicendum, quod ſicut Diacōus non poteſt canere Evangelium ſine ſtola, ex eo quia profert Chriſti verba, quanto magis ergo Sacerdos accipiens verbum verbi? Sed negativa ſententia magis amplectenda, tum ex uſu, ut ſupradictum eſt; tum etiam quia in Bracarenſi Concilio III. reperitur ſanctio illa, de qua ſupra, ubi octo Epiſcopi tantum ſubſcripſerant: Baron. ann. 675. n. 6. Si ergo ex eodem Baron. an. 57. n. 118. & ſeqq. inter alias rationes, quibus Concilium Eliberitanum confutat, tres affert præcipuas, ſcilicet, quia non congregati erant ibi pluſquam decem, & novem Epiſcopi, ſecundo quia non videtur illud Concilium in angulo Orbis celebratum, habuiſſe vigorem canones, & prohibitiones ſancire; tertio quia non apparet explicita Papæ licentia hujus convocationis; multo minus ergo Conc. Bracarenſi prædicto fides habenda, in quo tantum octo, vel novem intervenerunt Epiſcopi &c. Igitur non habuiſſe vigorem ſtatuendi ſub pœna excommunicationis univerſaliter ſacerdotibus totius Chriſtianitatis, ut deferrent ſtolam, vel orarium, tale Concilium dicendum eſt. Ad argumentum in contrarium a me deductum reſpondetur, quod paritas Diaconi non ſuffragatur, quia ille tunc officium ſuum exercet; ſecus vero Sacerdos, qui non celebrando ſe communicat. Item Diaconus vigore rubricæ, & canonum tenetur canere Evangelium cum ſtola, ſecus vero Sacerdos in communione privata. Concludendum ergo eſt, quod non peccet Sacerdos non adhibens ſtolam in communione, ita Bonacina, diſp. 4. qu. 6. punct. 2. n. 2. & alii apud Magiſtrum meum Paulum Quartum in tract. Rubr. Miſſal. part. 2. tit. 10. ſect. 3. dub. 3. difficul. 5. :||: Errat plane Durandus, inquiens, quod Dominicani Sacerdotes in communione Feriæ V. in Cœna Dom. non utantur ſtolis: nam ex eorum Miſſalis Rubrica contrarium conſtat, ibi enim hæc habentur: [ Deinde fiat communio fratrum hoc ordine, ut a majoribus incipiendo, a Sacerdotibus cum ſtolis ſuper cappas &c. ] Sacerdos in celebratione Miſſæ debet deferre ſtolam circa collum, ut Gavantus, & Quartus citati ſatis oſtendunt.

Qua-

Quare ſtola cooperitur velo violaceo a Diacono. Vide *Tractus*. Synonyma ſtolæ. Vide *Boja. Epitrachelion. Linoſtima. Orarium. Pſachnion. Superhumerale*. Stola in benedictionibus. Vide *Benedictio*. Stola aliquando Pallium Epiſcopale ſignificat. Vide *Pallium*. Cætera. Vide *Cancello. Fanon*.

Stolidus. Vide *Stultus*.

Stolus, multitudo, caterva, quam Itali *Stuolo* dicunt. [ Conſtans Imperator, atque romanicus ſtolus cum eo navaliter pugnaturi. Paul. Diac. lib. 19. ] FR. dicitur etiam *Stolium*. [ Stolium Regis ivit Alexandriam. Anonymus Caſinen. in Chron. an. 1174. Supradicto ſtolio Regis fraude, & vi Græcorum poſtmodum fortuna eſt adverſata. Ibid. an. 1185.

Stoma, *ςόμα*, os, ſive concavitas. [ Erant autem Arabum juxta poſitorum quidam, qui accipiebant ab Imperatoribus rogas puxillas ad cuſtodiendum ſtoma Eremi. Paul. Diac. lib. 18. ] ubi ingreſſum deſerti intelligit.

Storea. Vide *Natta. Pſiathium*.

Straba. Vide *Strava*.

Strangeli, genus characteris Chaldaici. Vide *Oxyrynchus*.

Strata. FR. via. [ Niſi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum, qui dum itinera frequentat, vel publicas ſtratas obſidet &c. lib. 3. decretal. tit. 49. cap. 6.

Stratilectilium. FR. lecti ſtratum, ſive culcitra. [ Illi præcipue, qui equos, & arma, & pecuniam, & ſtratilectilia cum viaticis amiſerant. Matth. Pariſ. ann. 1232. ] Vide *Lectarium*.

Strator, officialis in Aula græca, quod officium Conſtantinus Imperator primus Silveſtro Papæ I. exercuit. [ Tenentes frænum equi ipſius pro reverentia B. Petri, ſtratoris officium illi exhibuimus. Ivo Carnot. de dignit. & privil. Eccl. Rom. lib.4. ] Reperiebatur etiam Collegium, quod *Schola ſtratorum* dicebatur. Hoc vocabulum reperitur apud Paulum Diaconum in vita Phocæ Imp. & in Actis S. Cypriani, ac in Codice Theodoſ. lib. 9. tit. 3. cap. 1. ſignificat carcerum Cuſtodem, ſive Juſtitiæ miniſtrum; ſed in his puta *Statorem*, & non ſtratorem ſcribendum. FR. eadem verba Ivonis reperiuntur in Palea Decretorum Gratiani, cap. Conſtantinus, ſecundo loco, diſt. 96. quem reverentiæ actum egerunt Pontificibus Romanis Imperatores Federicus Oenobarbus Alexandro III. Vincislaus Gregorio XI. Conradus Urbano II. Palæologus Orientalis, & Carolus IV. Occidentalis Imp. Urbano V. Federicus III. Nicolao V. Sigiſmund. Eugenio IV. & oſculati ſunt Pontificum pedes, ut apud Odoricum Raynaldum in ejus Eccleſiaſt. Annal. habetur. De oſculo Papæ pedis. Vide *Sandalia*. Stratoris ſynonyma. Vide *Marpahis. Protoſtrator*.

Strava, ſive *Straba*, vox gothica. [ Stravam ſuper tumulum ejus, quam appellant ipſi, ingenti comeſſatione concelebrant. Jordanes, ] ubi de Attilæ Regis ſepultura agit, ex cujus verborum ſenſu ſpolia inimicorum, ſeu culcitram ſignificare videtur.

Straupus. Vide *Staupus*.

Strena. FR. munera, quæ in Kal. Januarii dari ſolent: Siculi, & Melitenſes adhuc vocabulum retinent. [ Hoc in Calendarum ſtrenam, & Saturnalium ſportulam, can. legant, diſt. 37. ] Quæ prohibita eſt: [ Non obſervetis dies, qui dicuntur ægyptiaci, aut Kalendas Januarii, in quibus cantilenæ quædam, & comeſſationes, & ad invicem dona donantur, quaſi in principio anni, boni fati augurio, 26. qu. 7. can. 16. ] Cujus etymon in dicto can. legant, ſic explicat Gloſſa: [ Strena quaſi ſine threna, ideſt, ſine lamentatione. ] Sed hodie contrarium efficitur in Urbe, ubi tantus inolevit ſervilis inſolentiæ abuſus, ut quaſi de jure ſibi debitum proventum prætendat, quam *Mangia* vocant; unde intolerabiles Montiſtis, Aulicis, & Litigantibus ſunt prorſus tales Miniſtrorum importunitates. Superſtitiones ſiquidem hæ ſunt, quæ in his diebus Romæ uſque ad Zachariæ Papæ tempora fiebant, ut in epiſt. Bonifacii Epiſcopi ad eundem Pontificem directa, in tom. 3. Concilior. pag. 429. col. 2. Editionis Venetæ de anno 1585. ſic referuntur: [ Sicut affirmant, ( *ideſt*, *Ultramontani* ) ſe vidiſſe annis ſingulis in Romana Urbe, & juxta Eccleſiam S. Petri in die, vel nocte, quando Kalendæ Januarii intrant, paganorum conſuetudine Choros ducere per plateas, & acclamationes ritu gentilium, & cantationes ſacrilegas celebrare, & menſas illa die, vel nocte dapibus onerare, & nullum de domo ſua ignem, vel ferramentum, vel aliquid commodi vicino ſuo præſtare velle. Dicunt quoque ſe vidiſſe ibi Mulieres pagano ritu phylacteria, & ligaturas in brachiis, & in cruribus ligatas habere, & publice ad vendendum venales ad comparandum aliis offerre. ] Ubi juxta Eccleſiam D. Petri hæc ſe vidiſſe teſtantur, non quia ibi hoc ſolum fiebat, ſed quia eam urbis patrem Ultramontani incolebant, ut in dict. *Porticani*. *Sportula* tamen a ſtrena differt, quia hæc in ſaturnalibus dabatur. Gloſſ. ibidem. Sunt alia donativa a tempore Auguſti Imp. introducta, quæ hodie *Feria Auguſti*, & vulgariter *Feragoſto* dicitur, de cujus ſuperſtitione dictum eſt in dict. *Gula Auguſti*. Alia ſynonyma, & pertinentia ad hæc donativa. Vide *Circumciſio Domini. Epicombia. Roga*.

Strepa, ſtapia, ad equitantis commoditatem: [ Apprehendenſque ſtrepam equi ejus, ut aſcenderet, præcepit, cujus auctoritate miles preſſus obedivit. Cæſar. lib. 7. cap. 33. ] Vide *Stapedium*.

Stria, ſtrix, venefica, maga. In lege ſalica, tit. 67. ubi appellatur *Strio portus* locus, in quo ſtriges conveniunt. FR. *Strix* proprie avem nocturnam; quam aliqui Bubonem eſſe dicunt, ſignificat; inde translative ſtriges dicuntur veneficæ mulieres, quæ de nocte male operantur.

Strigositas, rigiditas, ſive durities. [ Ut enim aurum exploratum igni, & perpurgatum; ſi minus ac-

cu-

curate tractetur, ſtrigoſitatem contrahit, & aſperitatem: ita ſtudioſus virtutis, vel unam horam deſederit otioſus, mox a fervore gratiæ refrixit, & in veſtigio ſe illi inferunt muſcæ peccati, quæ exinaniunt ſpiritalis opificii ſuaveolentiam. Antiochus, hom. 87.] Sic enim ejus Interpres græcam dictionē κληρίαν vertit, quæ duritiem ſignificat. FR. Antiochi Monachi homeliæ extant in Bibliotheca PP. Hæc Antiochi phraſis Ciceroniana eſt: ſic enim Tullius de Claris Oratoribus in eodem ſtudioſorum propoſito inquit: [ Habet enim certos ſui ſtudioſos, qui non tam habitus corporis opimos, quam gracilitates conſectentur: quos valetudo modo bona ſit, tenuitas ipſa delectat: quanquam in Lyſia ſunt ſæpe lacerti, ſicut & fieri nihil poſſit valentius; verum eſt certo genere toto ſtrigoſior, ſed habet tamen ſuos laudatores, qui hac ipſa ejus ſubtilitate admodum gaudeant.] Ubi Cicero de aſperitate, & ſcabroſitate Lyſiæ Syracuſani in modo dicendi intelligit, de quo ſupra dixerat: [ Nihil acute inveniri potuit in ejus cauſis, quas ſcripſit; nihil, ut ita dicam ſubdole, nihil verſute &c. nihil ſubtiliter dici, nihil preſſe, nihil enucleate, quo fieri poſſet aliquid limatius &c.] Ergo pro *Strigoſo* Cicero non intellexerat jejunium, ſive macilentum, ut Audomarus Talæus, hujus loci Commentator, & Calepinus autumant: ſed ſcabroſum. Sic Columella, lib. 6. c. 47. de Onagris, qui alter alterum dentibus deſcobinare, & perfricare ſolent, inquit: [ Onager &c. ſylveſtri more ſtrigoſum patris præferre habitum,] ideſt, naturaliter onagri, nempe, aſini ſylveſtres, habent habitum, ſeu inſtinctum, ut ad invicem dentibus ſeſe ſcobinent, & lib. 7. cap. 6. Idem: [ Placide, ac lente pabuletur, ut largis ſit uberis, & non ſtrigoloſiſſimi corporis,] dixit, ideſt, non repugnantis, vel recalcitrantis: quo propoſito etiam Gellius, lib. 4. c. 20. de equo indomito, qui deſtri gari recalcitrat, ac ſtrigam timet, inquit: [ Equum nimis ſtrigoſum, & male habitum; ſed equitem ejus uberrimum, & habitiſſimum viderunt.] Igitur Cicero per ſtrigoſitatem Lyſiæ ruditatem dicendi ſignificavit, & ideo limatior in ejus ſtylo debuerat eſſe ille, ut nomen boni Oratoris, ut ſupra ait, mereretur. Sic pariter Antiochus ſupra in abſtracto *Strigoſitatem*, ſcilicet, ſcabroſitatem intellexit, quæ in revocandis bonis habitibus diu neglectis reperitur.

Strioportus. Vide *Stria*.

Stroma, ςρῶμα, culcitra, ſive ſtratum variis coloribus contextum, quo vocabulo Clemens Alexandrinus ſuas compoſitiones intitulavit, ob varietates in eis contentas, & a ſtromatum illius ςρωματεὺς a Græcis cognominatus ipſemet Auctor fuit.

Stropha, ςροφὴ, verſutia, revolutio, verſio a verbo ςρέφω, verto, torqueo. Ita vocatur verſutia, quia verſutus facile in omnes partes ſe vertit. Dicitur etiam ſtrophe, non proprie verſuum rhapſodia, ſed aliquot verſuum diverſorum complexio, qua finita ad aliam ſimilem fit verſio, & recurſus. Eſt etiam figura rhetorica apud Quintilianum, quæ ab antiſtrophe non videtur diſtingui. Tertullianus tamen, lib. de Spect. cap. 29. & D. Hieronymus contra Rufinum ſtropham pro verſutia uſurpant.

Strophion, ςρόφιον, faſcia, cingulum tortum, torques, a dicto verbo ςρέφω, verto, torqueo. Ponitur tamen etiam pro quolibet baltheo & cingulo, etſi tortum non ſit. Et ideo Chryſoſtomus, ornamenta ſummi Pontificis Moſaici enumerans, ait: *Mitra, ſtrophium, veſtis ad pedes uſque demiſſa*, &c. Lib. 3. de ſacerdotio poſt initium. Ubi per ſtrophium intelligit cingulum ſacerdotale. Ita de S. Joanne Baptiſta canit Eccleſia, durum tegumen camelum præbuiſſe *artubus ſacris, ſtrophium bidentes*. Nam habebat *veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ejus*, Matth. 3. 4. Strophium etiam pro corona legitur: unde ſtrophiolum genus vile coronarum. Sic intelligendus Tertullianus, dum ait: *Quid caput ſtrophiolo, aut dracontario damnas diademati deſtinatum?* Lib. de corona militis, cap. 15.

Stropus. Vide *Staupus*.

Stura, germanicum vocabulum *Stuba*, & Itali *Stufa* dicunt: hypocauſtum ſignificat. [ Prohibemus inſuper, ne ſtubas, & balnea, ſeu tabernas Chriſtianorum frequentent. Concil. Vien. ſub Clem. IV. anno 1264. celebratum.

Studitæ, ſic appellabantur Monachi cujuſdam Monaſterii in Urbe Conſtantinopolitana, cujus fundator quidam dives nomine Studius fuerat; hinc Theodorus monachus ejuſdem monaſterii, ac alii Studitæ appellati ſunt. Vide *Acœmetæ*. *Hegumenus*.

Stultus. FR. quamvis hoc vocabulum ſtolidum ſignificet, in quo ſignificatu, vide *Gurdonicus*. Divus tamen Gregorius Papa in ſignificatione ſuperbi ad Patriarcham Conſtantinopolitanum ſcripſerat, qui majorem Pontifice Romano ſe eſſe præſumebat, his verbis: [ Stultus enim eſt, qui ſe in eo primum exiſtimat, ut bona, quæ viderit, diſcere contemnat,] & inferius: [ Nam quod Primas Byzancenus Sedi Apoſtolicæ dicit ſe ſubjici &c. Omnes ſecundum rationem humilitatis æquales ſumus can. de Conſtantinopolitana, diſt. 22.] Ubi de humilitate ſuperbiæ oppoſita loqui videtur. Et Gloſſa ibidem ſic declarat: [ Stultus tam dicitur, quaſi exaltatus, quia ſe extollat.

Stupefactus. Vide *Eneus*.

Sturgio, ſilurus, ſive ſturio, piſcis delicatus. [ Cum a quodam Presbytero præſentatus illi eſt piſcis, quem vulgo vocant ſturgionem. S. Bern. lib. 4. de conſid.

Sturninus, ſturni patronymicum, & pro ſturni colore, in cap. 66. Iſaiæ, & D. Hieron. uſurpavit: [ In martyrio rubri, vel ſturnini in volatu, vel varii in virtutibus, vel candidi in virginitate.] Ego tamen puto Sanctum Doctorem potius ad ſturnorum unionem in volatu, quam ad colorem alludere voluiſſe.

Stulita, ςυλίτης, ideſt, columnarius; ideo S. Simon Stylita dictus eſt, ac alii Dei famuli, qui miraculoſe

qui-

quidem ſuper aliquam columnam longo temporis ſpatio vixerant, ςύλος enim latine columnam ſignificat; illa tamen in qua D. Simon vitam egit, habebat quadratum ſpatium duorum cubitorum ex utroque latere, in quo erat circumcirca conſtructio altitudinis lumbos non excedentis cum ejus porticula, & lignea ſcala. Appellatus etiam fuit *Cionita* idem Sanctus ex vocabulo græco κίων, quod columnam quoque ſignificat. Sic etiam in quodam Conſtantinopolitano ſuburbio erat locus *Exocionium* appellatum, non ex eo quia erat ſex columnis conſtructum, ut aliqui male intellexerant; ſed quia extrinſece columnario ordine erat conſtructum, ſuper quod collocata erat Conſtantini ſtatua; unde cum ad prædictum locum confugiſſent Ariani ad tractanda eorum conciliabula, inde *Exocionitæ* denominati ſunt.

Suadela, perſuaſio, ſive ſuaſionis efficacia. [ Secundum ſuadelam Deum ſuadentem, & non vim inferentem. Iren. lib. 5.

Suana. FR. Savona Etruriæ civitas, Gregor. VII. & aliorum Roman. Pontific. origine nobilitata. [ Suanenſes Cives, can. ſuppliciter 23. qu. 8.

Suatim, adverbium a verbo *ſuo*, ſignificat ordinatim, conjunctim. [ Sed plus venuſta ſuatim cycladibus comata ſpiritualibus. Aldhel. de Virg. cap. 19. ] ubi de S. Baſiliſſa loquitur.

Subadiuva, ſubauxiliator. [ Eſt ex eorum ordine, qui adjutores adjuvant; vox enim ſubadjuva id ſignificare creditur. Syneſ. ep. 144. ] Eadem dictione utitur Metaphraſtes in vita S. Porphyrii Martyris, ubi ſic ait: [ Hilarius quidam ſubadjuva Magiſtriani. ] Aliquod ſpeciale officium fuiſſe ſuſpicor, quia ſæpe reiteratur hoc vocabulum apud Græcos Scriptores, & *σȣβαδίȣβα* etiam ſcribitur.

Subarrho, & *Subbarro*. FR. pignus contractus præbeo in ſponſalibus. [ Annulo ſuo ſubarrhavit me Dominus meus. S. Ambroſ. de Sancta Agnete, ] & in cap. Tenor litterarum, de ſentent. & re judic. [ Idem R. eam deſponſationis annulo ſubarraſſet ] ubi Gloſſa inquit: [ Subarraſſet, ideſt, fidem conſenſus de præſenti dediſſet. ] Item in cap. tuæ nobis, de clandeſt. deſponſat. habetur: [ Quidam filiam ſuam circiter duodecim annos habentem cuidam nobili deſponſavit, qui ſubarravit eandem conſenſu mutuo accedente. ] Et inferius: [ Quia vero nobis conſtare non potuit, cujus ætatis eſſet puella &c. cum dicatur, quod circiter duodecim annos habebat &c. quod ſi puella nubilis ætatis non erat &c. proculdubio inter eos non conjugium, ſed ſponſalia contracta fuerunt, quamvis ab ipſo viro eadem fuiſſet ſubarrata. ] Ubi Gloſſa diverſas ſubarrationis ſpecies, ſive matrimoniales promiſſiones annotat, nempe, per annulum, per donativa, & ſimilia; per expreſſum conſenſum; & licet non interveniat conſenſus prædictus expreſſus, dummodo de dicta ſubarratione jam facta liquido conſtet, & non probetur contrarium; parum enim refert, quod in facto, vel in verbis mutuus conſenſus detur. Conſenſus autem parentum ſponſalia tantum præſumit; ſed conſenſus inter ſponſos præſtitus matrimonium indicat, ſi tamen in contrarium ſpecialis conſuetudo non obſtaret. Gloſſa ibid. & in can. ſi quis uxorem, 27. qu. 2. Sed hodie ex Concil. Trid. ad validitatem matrimonii requiritur etiam Parochi præſentia cum duobus teſtibus. Vide *Annulus*. *Matrimonium*.

Subatto, verbum in lege ſalica. [ Si quis porcellam alterius ſubbattit, ut porcellas non habeat, tit. 2. §. 9. ] ideſt, furatur, vel occidit.

Subcinctorium, *Subcingulum*. Vide *Cingulum*. *Epigonation*. *Perizoma*.

Subciſivus, ſucceſſivus, ſubſequens, ſecundarius. [ Videndum, ne qua adhuc illic vacent ſubciſiva, in quibus & tertius aliquis ſtipare Deus ſecum mundo ſuo poſſit. Tertull. lib. 1. adverſ. Marc. c. 15. ] Aliqui tamen *ſubſicivus* legunt, ut in S. Cypr. de zelo, & livore reperitur: [ Ad patrem lineamentis paribus ſoboles ſubſiciva reſpondeat. ] Nec defuit, qui in hoc loco *ſubſeciva* legere maluit: in antiquis tamen Codicibus M. ſs. *ſuccidiva* legitur. FR. Verum prima lectio amplectenda eſt, ita Gellius, lib. 18. cap. 10. inquit: [ Ac propterea quantum habui temporis ſubciſivi, medicinæ quoque diſciplinæ libros attigi, quos arbitrabar eſſe idoneos ad docendum. ] Alii *Succiſivum* ſcribunt, a verbo *Succido*, quo vocabulo utitur etiam Cic. 1. de leg. & alii. :||: Verbum autem Tertulliani *Stipo* obturare ſignificat, quod Itali *Stoppare* dicunt. Subciſivi ſynonyma. Vide *Pediſequus*. *Sequipes*. *Subſequivus*.

Subdiaconus, ordo ſacer in Eccleſia Catholica loco Nathinæorum legis Moſaicæ, qui Levitis ſerviebant, ideo in 1. Paralip. cap. 9. tertio ordine ponuntur: [ Qui autem habitaverunt primi in poſſeſſionibus, & urbibus ſuis: Iſrael, & Sacerdotes, & Levitæ, & Nathinæi. ] Sed in 1. Eſdr. cap. 2. quinto loco ponuntur, ubi ſic habetur: [ Habitaverunt ergo Sacerdotes, & Levitæ, & de populo, & Cantores, & Janitores, & Nathinæi in urbibus ſuis. ] Sic etiam habet cap. 7. num. 7. & 24. ejuſdem libri, & 2. Eſdr. c. 7. nu. 73. cap. 10. num. 28. Sed cap. 11. n. 3. tertio loco ponit, inquiens: [ Sacerdotes, Levitæ, & Nathinæi. ] Itaque Nathinæi Levitis ſubminiſtrabant: [ Et de Nathinæis, quos dederat David ad miniſteria Levitarum, 1. Eſd. c. 8. ] Antiquitus ordo ſubdiaconatus non erat ſacer. [ Subdiaconus vero, quia character hujuſmodi quondam inter non ſacros, nunc autem inter ſacros reputatur; in participatione corporis non ſuſcipit oſculum a Pontifice. Innoc. III. de Myſt. Miſſæ, cap. 3. ] FR. Subdiaconi ab Apoſtolis inſtituti. Baron. an. 44. Romæ ſeptem ſubdiaconi ſuperintendebant ſeptem Notariis colligentibus Martyrum acta. Idem Baron. an. 238. num. 2. quos tamen [ Hypodiacones græce, Subdiaconos latine dicimus: qui ideo ſic appellantur, quia ſubjacent præceptis, & officiis Levitarum; oblationes enim in templo Domini

a ſi-

a fidelibus ipſis ſuſcipiunt, & Levitis ſuperponendas altaribus deferunt. Hi apud Hebræos Nathinæi vocantur, can. Cleros, §. ſacerdos, diſt. 21.] & ibi Gloſſ. tempore Urbani Papæ I. Subdiaconatus ordo non erat ſacer. cap. a multis, lib. 1. decretal. tit. 14. de ætat. & qualit. ord. præfic. & Poſtilla, in can. ſunt quidam, 25. qu. 1. & cap. miramur, de ſervis non ordinan. Gratianus tamen erravit, aſſerens ſubdiaconatum antiquitus non fuiſſe ordinem, qui ab ejus Gloſſatore corrigitur. Vide *Chorepiſcopus*. :||: Græci antiqui ritus tenaciſſimi adhuc illum obſervant, aſſerentes ſubdiaconatum non eſſe ſacrum ordinem, illumque ſimul cum Diaconatu conferunt. Imo penes Latinos antiquitus ad caſtitatis obſervantiam non tenebantur; fuerunt tamen ad hanc obſervantiam coacti anno 589. Baron. ibid. num. 48. FR. ſed in Gratiani Decreto hujus prohibitionis Auctores Calixtus, D. Gregorius, Innocentius II. Conc. Toletan. II. aſſignantur, can. Presbyteris, diſt. 27. ibi Gloſſ. & can. nullum, can. decernimus, can. de his, diſt. 28. Sed in Concil. Toletan. V. nonniſi Sacerdotes, & Diaconi ad caſtitatem obligantur, can. quando, ead. diſt. 28. Baronius vero nuptias Subdiaconis a S. Silveſtro Papa I. in Concilio Rom. prohibitas fuiſſe oſtendit anno 324. num. 128. Sed probabile eſt hujuſmodi conſtitutiones non ſemper obſervatas fuiſſe, ideoque neceſſe fuerat, ut a prædictis Pontificibus denuo ſancirentur; nam aliquando caſtitatis obſervantiam a Subdiaconis remiſſam fuiſſe colligitur ex cit. Concil. Tolet. V. ubi Presbyteros, & Diaconos tantum ad caſtitatem obſtringit; & ex epiſt. 63. Ivonis Carnot. qui ſæculo undecimo vixerat, apparet ſubdiaconatum non fuiſſe pro ſacro ordine reputatum, dum non conferebatur in ſtatutis temporibus, ſicut Presbyteratus & Diaconatus: ſic enim ad Sennonenſem Clerum ibi ſcribit: [ Petitorio veſtro mandavit nobis veſtra fraternitas, ut electum veſtrum (*nempe, in Epiſcopum*) in Purificatione Beatæ Mariæ pro officio noſtro ordinemus in presbyterum, ſequenti autem Dominica conſecremus in Epiſcopum; ſed Apoſtolica inſtitutio, & paterni canones habent, ut non fiat Levitica, vel Sacerdotalis ordinatio, niſi jejunio quarti menſis, ſeptimi, & decimi, aut initio quadrageſimæ, vel ſabbato medianæ quadrageſimæ. ] :||: Nec Subdiaconi canebant in Miſſa Epiſtolam, ſed Lectores: [ Miror qua de re ſumptus ſit uſus in Eccleſia noſtra, ut Subdiaconus frequenter legat lectionem ad Miſſam, cum hoc non reperiatur ex miniſterio ſibi dato in conſecratione commiſſum, neque ex litteris canonicis, neque ex nomine ſuo. Amalar. lib. 2. c. 11. ] Cœpit enim hic uſus legendi epiſtolam a Subdiacono in Eccleſia Romana. [ Solis Subdiaconibus inter inferiores gradus Romana auctoritas concedit, ut ſacris veſtibus induti epiſtolam legant, quod tamen non ex eorum conſecratione; ſed potius ex eccleſiaſtica conceſſione meruerunt obtinere. Microl. de Eccleſ. obſer. cap. 8. ] Hinc caſula plicata exuitur Subdiaconus, quando tempore jejunorum canit Epiſtolam, ut in dict. *Caſula* in fine, & in dict. *Epiſtola* dictum fuit. FR. ratio introductionis canendi epiſtolam a Subdiacono fuit ex norma Romani ritus, ut ex Rituali antiquo M. S. habetur apud Baron. an. 1057. num. 22. Græci in ordinatione Subdiaconi tradunt ei pollubrum, & guttum, & ponunt ſuper humeros ejus linteum, ut dictum eſt in dict. *Manutergium*, & tunc ſtatim ſuum officium exercet, præbendo lotionem manui Epiſcopi: ſtat tamen ad portam Sanctam Sanctorum; non enim ibi ingredi ſinitur, nec ſacra vaſa tangere juxta Concilii Laodicen. IV. ſanctionem permittitur. [ Non oportet Subdiaconos licentiam habere in ſacrarium, ſive ſecretarium, quod Græci Diaconium appellant, ingredi, & contingere vaſa Dominica. In Decreto Gratian. can. non oportet, diſt. 24. & can. ſubſeq. ] Sed in can. non liceat 30. & 32. ib. contrarium diſponitur, :||: nec patenam involutam Subdiaconus latinus in Miſſa ſuſtinebat, ut in dict. *Acolytus* dictum fuit, nec tunicella induebatur, ſed tantum alba more Græcorum; unde cum in Sicilia contra D. Gregorium Papam tamquam græcorum rituum introductorem, & ſignanter, quod Subdiaconos abſque tunicellis, & cum ſolis albis miniſtrare feciſſet, quererentur, ſic Sanctus Pontifex Epiſcopo Syracuſano ſcribens, ejus ſinceritatem oſtendit, & ait: [ Subdiacones autem ut ſpoliatos procedere facerem, antiqua conſuetudo Eccleſiæ fuit: ſed placuit cuidam noſtro Pontifici, neſcio cui, qui eos veſtitos procedere præcepit. Nam veſtræ Eccleſiæ numquid traditionem a Græcis acceperunt? Unde habent ergo hodie, ut Subdiaconi lineis in tunicis procedant, niſi quia hoc a matre ſua Romana Eccleſia perceperunt? lib. 7. epiſt. 63. ] Ubi etiam objurgat Syracuſanos Clericos, qui ſub Patriarcha Conſtantinopolitano conſtitui præſumebant, eo, ſcilicet, tempore, quo Imperatori Græco Sicilia obtemperabat. Subdiaconus a Græcis *Hypodiaconus* dicitur. FR. Subdiacones Romani XXI. fuerunt, nimirum, ſeptem *Regionarii*, qui canebant epiſtolas, & lectiones in ſtationibus, & ideo *Stationarii* dicebantur. De quibus vide *Toalia*. Item ſeptem *Palatini*, ſive *Baſilicarii*, qui idem faciebant in Baſilica Lateranenſi, & alii ſeptem qui Collegium conſtituebant, quod alias *Schola Cantorum* dicebatur, & canebant quando Pontifex ſolemniter celebrabat, ita Baronius anno 1057. num. 22. & Conſtantinus Cajetanus in Commento ad Gelaſii Papæ II. vitam, n. 18. circa medium. Item hujuſmodi palatini Subdiaconi ad ſimilitudinem Diaconorum mittebantur pro Legatis, Nuntiis, & Miniſtris Sedis Apoſtolicæ, ſive Diaconi erant Nuntii apud Reges, & Imperatores, & Subdiaconi Internuncii in Provinciis, argumentum eſt ex can. pervenit, & can. nuntiatum, diſt. 83. Ubi Gregorius Papa Anatholio Campaniæ Subdiacono, ideſt, illius Provinciæ Internuncio ſcribit; dictio enim latino-græca *Subdiaconus* ſubminiſtrum ſignificat, ideſt, Subdelegatum,

vel

vel Internuntium; ac jubet, ut aliquos negligentes Epiſcopos corrigat, & quia Subdiaconus ante litteras Pontificis non functus eſt officio ſuo, arguitur, can. volumus, 16. qu. 4. can. cognovimus, can. de lapſis, 16. qu. 6. Pelagius Papa Melito Subdiacono jubet, ut curet in electione Abbatis, ne contra canones fiat, can. Abbatem in Monaſterio, 18. qu. 2. Innocentius III. H. Subdiacono præcipit, ne ſinat contra canonum ſtatuta fieri ordinationes, de tempore ordinat. c. 13. Item Gregorius Antonio ſive Anthemio Subdiac. invigilare imponit, ne Epiſcopus ſimoniace eligatur, can. illud, 8. q. 2. Eidem Anthemio Subdiacono præfatus Gregorius, ut Epiſcopum Amelphicanum, ſive Amalphitanum, ad reſidentiam coerceat, imponit, can. pervenit, 7. qu. 1. Imo de antiqua hac conſuetudine Sedis Apoſtolicæ teſtatur Papa Symmachus, inquiens: [ Valde neceſſarium eſſe proſpeximus, ut ſicut prædeceſſorum noſtrorum fuit judicium, ita uni, eidemque perſonæ omnia committamus, & ubi nos præſentes eſſe non poſſumus, noſtra per eum, cui præcipimus, repræſentetur auctoritas. Quamobrem Petro Subdiacono ſedis noſtræ intra Provinciam Siciliam vices noſtras (auxiliante Deo) commiſimus, diſt. 94. can. 1. ] Erat nimis elata Subdiaconorum auctoritatis uſurpatio, unde legimus apud Blondum, decad. 1. lib. 5. quod Joannes Subdiaconus Regionarius regionis primæ, & alii factionis ejus Clerici Vigilium proclamarunt in Pontificem Romanum ſubrogatum &c. :||: Subdiaconi Apoſtolici hodie in functionibus papalibus induuntnr veſte violacea, & deferunt cappam epiſcopalem, quod officium erat prius venale, ſed Alexander Papa VII. abſtulit hunc abuſum, & Auditoribus Rotæ illud contulit, quibus habitum violaceum conceſſit, ac præcedere Clericos Cameræ declaravit. Vide *Rota*. Ita etiam ad majorem Cappellæ decorem Acolytatum Referendariis votantibus contulit, pretium reſtituens illis, qui ea officia emerant. De Subdiacono Oblationario. Vide *Oblatio*, & *Oblationarius*. Qui primus erat inter Subdiacones *Oblationarius* a Latinis, & a Græcis *Domeſticus* appellabatur, ita Anaſt. Bibliot. in Annot. ad Concil. VIII. Oecumen. [ Primum Subdiaconorum Græci Domeſticum vocant, quem Romani Oblationarium ] Hodie tamen Decanus, & Camerarius Subdiaconorum dicitur. Vide *Pallium*. De Subdiacono *Stationario* dictum eſt in dict. *Statio*. Si contigerit novum Electum in Pontificem Subdiaconatus ordinem ſuſcipere, obſervandæ ſunt cæremoniæ in Cæremoniali Romano Chriſtophori Marcelli præſcriptæ, quæ ſunt hæ; comparebit Electus Pontifex indutus rocheto, cum amictu deſuper impoſito, ita ut eo caput poſſit tegi; veſtietur alba, cingulo, & pluviali, ut a collo totum pendeat poſt tergum cum mitra in capite; faciet confeſſionem cum Celebrante; leget Introitum in ejus throno, ac alias orationes, ut moris eſt: tempore litaniarum genuflectatur in faldiſtorio ſine mitra, & Epiſcopus in ſcabello ad ejus ſiniſtram, ſed cum mitra, ut poſſit ſuo tempore ſtando dare ſolitam benedictionem; poſt litanias Pontifex ad ſuum thronum redit, in quo cum mitra in capite ab Epiſcopo ſtante recipit patenam, calicem, urceolos &c. cum ſolita verborum forma. Tempore autem, quo ſacræ veſtes traduntur, Pontifici abſque mitra ſedenti ponitur ſuper caput amictus ab Epiſcopo ſtante mitra tecto, poſt quem actum, ſtatim Electo ponitur mitra, ac etiam manipulus. Ac iterum deponit mitram, exuitur pluviali, & induitur tunicella, & ita indutus ſedet cum mitra, accipit librum epiſtolarum ab Epiſcopo. Peracta tandem miſſa reaſſumit pluviale, & ad ſuam manſionem reditum facit. FR. Subdiaconi officium eſt pſallere, & lectiones canere, can. in Sancta, diſt. 92. ubi pœna excommunicationis contravenientes notantur. Subdiaconus ex privilegio defertPontifici in throno ſedenti communionem. Vide *Communio*. Significatus patenæ contectæ in manu Subdiaconi. Vide *Patena*. Quando non debet genuflectere. Vide *Genuflexio*. Ordo ab eo ſervandus in danda pace. Vide *Pax*. Duodecim Subdiaconis antiquitus Papa lavabat pedes in cæremonia Feriæ V. Cœnæ Dom. Vide *Fanon*. Quando manipulum ferre non debeat. Vide *Manipulus*. Debet deferre crucem in proceſſionibus. Vide *Crux*. Subdiaconus eſt ſymbolum Hebraici populi. Vide *Schola Cantorum*. Subdiaconus canens epiſtolam in peccato mortali mortaliter peccat ſecundum aliquos Theologos; ſecus vero ſi ſine manipulo id agat: ac multos fortius de Diacono dicendum, qui magis miniſtrat ad altare: ſed mitior opinio excuſat a mortali. At ſi prodigium illud conſideraretur,quod divina Juſtitia in Diaconum Anthiochenum demonſtravit; is enim cum in peccato mortali exiſteret, caneretque Evangelium, ab araneo venenoſo aggreſſus, qui in ejus gulam penetravit, venenatoque morſu enecatus fuit; certe cauti, & a delictis mundi accederent altaris Miniſtri ad miniſtrandum. Quando obligatio recitandi officium divinum incipit in Subdiacono. Vide *Officium*.

SUBDITIO, ſubjectio, ſervitus. [ Si autem manifeſtiſſime cognoveris, eos cum Arnulpho de ſua ſubditione locutos fuiſſe. S. Greg. in Regiſt. lib. 2. c. 23.

SUBDOCTOR. Vide *Baccalaureus*.

SUBEX, ſubjectus, ſubditus. [ Una cum ſubice Clero de tumulo proprio levare. In vita S. Celſi Epiſc.

SUBJECTI, id eſt, publici pœnitentes. Vide *Hyemantes*.

SUBINVITATORIANUS. Vide *Invitatorianus*.

SUBITATA, & *Subitatio*. Vide *Subito*.

SUBITO, verbum, ideſt, confeſtim venio, ſive eo. [ Cum militibus ſuis Princeps repente ſubitavit. Pontius in vita S. Cyprian. ] Imo idem Sanctus Cyprianus, epiſt. 57. utitur eodem verbo in ſignificatione paſſiva: [ Ut appareat nuper ſubitatos eſſe, & novæ, atque inſuetæ rei pavore trepidaſſe. ] Atque D. Auguſtinus, hom. 27. ex eodem verbo nomen adjectivum formavit, inquiens? [ Subitata, & inopinata du-

dubitatione damnata eſt.] ubi aliqui ejus Codices mendoſe habent *Dubitata*. Tandem reperitur etiam *Subitatio*, ideſt, ſubitanea, ac improviſa res. Itaque videtur hoc verbum eſſe Patrum Africanorum uſuale.

Subjugale. FR. Jumentum. [Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam, & pullum filium ſubjugalis. Matth. cap. 21. num. 5. Secuti viam Balaam ex Boſor, qui mercedem iniquitatis amavit: correptionem vero habuit ſuæ veſaniæ: ſubjugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit prophetæ inſipientiam, 2. Petri, cap. 2. num. 15. & in can. ſecuti ſunt, 2. qu. 7.

Sublicius, Romæ pons dicebatur *Sacer*, & quare. Vide *Pontifex*.

Sublimitas. Vide *Hypſoma*.

Submansor. FR. Ruſticus, qui Eccleſiæ poſſeſſiones incolit, & Eccleſiaſtica immunitate gaudet. [Hac inter cæteras libertates gratia potitur, ut ſubmanſores ejuſdem Eccleſiæ ab omni publica exactione libera arceantur. Miræus in not. Eccleſ. Belg.

Submergium, ſubmerſio. [Tandem ſubmergio adjudicatus. In vita S. Theogenis Mart. 12. Jan.

Suboculare, genæ pars, quæ ſub oculo prominet. [Subocularibus plenis, Joan. Diacon. in vita S. Gregor. Papæ] ubi delineamenta ejuſdem Pontificis deſcribit.

Sub Præconis Voce, quid ſignificet. Vide *Superdico*.

Subpulmentarius. Vide *Paracellarius*.

Subscribendarius. Vide *Regeſtum*.

Subsequivus. FR. ſubſequens. [Relationem præteritæ rei noſtris temporibus geſtæ inducimus, per quod ad virtutem ſubſequiva tempora provocemus. Julianus Archiep. Toletan. in hiſt. Viſigotor.] Vide *Subciſivus*.

Subsidium. Vide *Continentia*. FR. de ſubſidiaria actione tutelæ, lib. 1. Inſtit. de ſatisdat. Tutor §. Sciendum.

Substantia, FR. pro ſubſiſtentia. [Requiratur, & referatur in medium, ut ex lectione cognoſcatis, cujuſmodi poſſit habere ſubſtantiam, can. bene quidem, diſt. 96.] Subſtantiæ diverſæ ſub unica ſubſiſtentia. Vide *Homoypoſtata*.

Substituo. Vide *Supparo*.

Substrati, publice pœnitentium gradus. Vide *Hyemantes*.

Substratorium, tobalea craſſior, & rudior, qua cooperiebatur altare, ſupra quam extendebantur aliæ duæ ſubtiliores. [Pallæ, quæ ſunt in ſubſtratorio, in alio vaſe debent lavari, in alio corporales pallæ. In Sacramentar. D. Greg.

Subtegmen, trama. Vide *Bractea*.

Subtilitas. FR. in lege canonica rigoroſitatem ſignificat, & in duplici ſenſu intelligitur, in bonum, nempe, & in malum: in bonum accipitur pro rigoroſitate puræ conſcientiæ. [Cum ſancti viri maledictionis ſententiam proferunt, non in hanc ex voto ultionis, ſed ex juſtitiæ examine prorumpunt. Intus ſubtile judicium reſpiciunt, & mala foris fragrantia, quæ maledictione ferire debeant, cognoſcunt, & de maledicto non peccant, quo ab æterno Judice non diſcordant, can. cum ſancti, 24. qu. 3.] Quod Gloſſa ibi comprobat ex canone Vera juſtitia, diſt. 45. & ex can. Odio habeantur, diſt. 86. & clarius ex can. In primis, 2. qu. 1. ubi Gregorius Joanni Defenſori in Hiſpaniam eunti, cauſam accuſationis Januarii Epiſcopi committit, inquiens: [In primis requirendum eſt &c. ſi ita veritas ſe habet, ſicut ejuſdem Epiſcopi petitio continet. Si autem dictum fuerit, quia contra ipſum cauſa muta, ſive probata eſt: ſubtiliter, (*ideſt, ſincere, diligenter, & rigoroſe*) ipſo præſente, & pro ſe rationem reddente, quærendum eſt, & genus cauſæ, & modus probationis &c.] Ac in eodem ſenſu, can. Obitum, 12.q.5. idem Greg. Mariano Archiep. Ravennati in cauſa Teſtamenti Theodori Epiſc. inquit: [Sed quia teſtamentum dicitur condidiſſe, ſubtiliter te, ne quid de rebus Eccleſiæ ſuæ conſumpſiſſet, oportet inquirere.] Sic etiam, in cap. 7. Sapient. habetur: [Omnium enim artifex docuit me ſapientia: eſt enim illa ſpiritus intelligentiæ, ſanctus, unicus, multiplex, ſubtilis, diſcretus &c.] & inferius: [Omnem habens virtutem, omnia proſpiciens, & qui capiat omnes ſpiritus, intelligibilis, mundus, ſubtilis.] Vide *Diſtrictio*. Aliquando in malum ſumitur, ideſt, pro malitioſa cavillatione per legum apices excogitata. Gloſſa, in §. Sed cum aliquis, lib. 2. de teſtam. condendis, & Gloſſa, in l. 1. Cod. de ſent. quæ pro eo, quod inter, in verbo ſubtilitatem. Item Gloſſa, in can. Cum Sancti, inquit: [Subtilitas pernicioſa eſt legibus, & ſimplicitas eſt amica veritatis.] Atque in hoc ſenſu loquitur textus, in cap. dilecti filii, lib. 2. decretal. De Judiciis, ubi ſic habetur: [Provideatis attentius, ne ita ſubtiliter (ſicut a multis fieri) cujuſmodi actio intentetur, inquiratis; ſed ſimpliciter, & pure factum ipſum, & rei veritatem, ſecundum formam canonum, & Sanctorum Patrum inſtituta, inveſtigare curetis,] & ibi Gloſſa falſo aſſerit, quod canones non ſoleant ſubtiliter inquirere; nam ex Gregorio ſupra contrarium conſtat, licet in bonum ſenſum loquatur. Vide *Apex*. *Diſtrictio*.

Subtiliter. Vide *Subtilitas*.

Subtilo, verbum tranſitivum, & ideo etiam in paſſiva voce conſtruitur, ſignificat autem ſubtiliter inquirere, & rigoroſe agere. [Cubilia ſpiritus ingreſſi ſubtilari in ſpiritualibus conſueverunt. Petrus Cellenſ. lib. 9. cap. 2.] Vide *Diſtrictio*.

Subtraho. FR. Aliquando canere longo pronunciationis tractu ſignificat: [Sexageſimus ſextus pſalmus dicitur ſine antiphona, ſubtrahendo modice, ſicut in Dominica, ut omnes occurrant. In Regul. S. Benedicti, c. 13.

Subtulares. Vide *Sutulares*.

Subucula. FR. ita ab Amalario appellatur Tunicella,

de qua etiam Horatius, lib. 1. epiſtolar. ad Mecœnatem circa finem:

> Occurri, rides: ſi forte ſubucula pexæ
> Trita ſubeſt tunicæ, vel ſi toga diſſidet impar.

Subventio, ſic appellabatur in Gallia feſtum in memoriam reditus S. Martini Epiſcopi ad ſuam Diœceſim; nam ejus adventu fidelis populus ſubventionibus abundavit. [ Statutum eſt, ut ſingulis annis deinceps per univerſam Diœceſim ſubventionis hujus feſtum quarto idus Maji ſolemniter celebraretur. Odo Cluniac. ] Eadem feſtivitas denominata eſt *Exceptio* in lætitiæ memoriam, qua idem Populus præfatum Præſulem exceperat in ejus regreſſu. [ Hæc eſt igitur glorioſa, ſolemniſque exceptio, qua Archipræſul Turonenſis Martinus ab exilio revertens, ab alumnis ſuis officioſe adeo excipitur. Idem ] Subventionis nomen generaliter ſumptum. Vide *Subſidium*.

Subverbustus, Reus, qui poſt verberum mulctam ſtigmatizabantur ſigno dedecoris, & infamiæ. [ Quantum denotavi, paſſivitas offert libertinos in equeſtribus, ſubverbuſtos in liberalibus, dedititios in ingenuis, rapaces in urbanis, ſcurras in forenſibus, paganos in militaribus: veſpillo, leno, laniſta tecum veſtiuntur. Tertull. de pall. cap. 4. ] FR. alii tamen hoc vocabulum a verbo *Verbero* deduci autumant, unde ſubverbuſtus liberalibus, ideſt, liberis, contraponit Tertullianus; nam ſervi *Fuſtigati* a Romanis ignominioſe appellabantur.

Subula. Vide *Tarincha*.

Subulcus, porcorum cuſtos: [ Tolluntur ex familiis ſibi pertinentibus ſubulci. S. Valer. de Gen. Monach. §. 7.

Suburbicarius. Vide *Urbicarius*.

Suburbium. Vide *Proaſtius*.

Succentoria. FR. dignitas in aliquibus Cathedralibus. [ Super ſuccentoria Pictavienſis Eccleſiæ quæſtione ſuborta, lib. 5. decretal. tit. 31. cap. 11. De ſuccentoria factum eſſe dignoſcitur. Ibid.

Succentor, qui præbendam ſuccentoriæ poſſidet, de quo dictum eſt in dict. *Cantor*. *Paſſio*. Meſſanæ, & in aliis Siciliæ Cathedralib. vocatur *ſuccciantro* voce gallica; nam gallice Cantor *Ciantre* dicitur. Fit etiam ejus mentio in Conſtitutionibus Ciſtercienſium, ac Hugo Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Pariſienſis Decanus agens de lotione pedum, quæ fit in feria quinta Cœnæ Domini, inquit: [ Ablutioni autem, & Mandato intereſſe tenetur Succentor Eccleſiæ noſtræ. FR. Fit etiam mentio de hac voce in annalibus Minoritarum, an. 1135. Bulla 27. Item, in lib. 5. decretal. tit. 39. c. 27. ubi ſic habetur: [ Quod cum F. Archidiaconus in ſuccentorem in communi dormitorio manus injeciſſet temere violentas &c.

Successatrix. FR. Fœmina, quæ in aliquo munere, ſeu hæreditate ſuccedit. Bullar. Caſinen. epiſt. 13. tom. 2. conſt. 132. n. 8.

Succidaneus, ſucceſſivus, uſus eſt hoc termino S. Cyprianus contra Novatianum ad probandam continuam, & nunquam intermiſſam Epiſcoporum ſucceſſionem in Eccleſia Catholica, quæ tamen ſucceſſio inter Hæreticos reperiri nequit: [ Aut paſtor haberi quomodo poteſt, qui ( manente vero paſtore, & in Eccleſia Dei ordinatione ſuccidanea præſidente ) nemini ſuccedans, & a ſe ipſo incipiens alienus fit? epiſt. 76. ] FR. Ovidius in Laodamia, & Proteſilao *Succiduum* habet:

> Lux quoque tecum abiit tenebriſque exanguis obortis
> Succiduo dicor procubuiſſe genu.

Succintorium. Vide *Epigonation*. Græce *Anavolea* dicitur. Vide *Rebrachiatoria*.

Succursus. FR. ſubſidium, auxilium. [ Et ſuccurſui terræ ſanctæ magis noverit expedire, de fide inſtrumentor. cap. 7.

Sucula. Vide *Friſchinga*. *Porcula*.

Sudariolum. Vide *Faſcialis*. *Muccinium*. *Ploratorium*.

Sudarium, manipulus: [ Sudarium namque, quod & manipulus dicitur, geſtas in læva. Petr. Bleſen. ſerm. 20. ] qui ibidem affert rationem myſterii, inquiens: [ Quondam meſſores ad ſudorem detergendum zona alligatum ſudarium portabant. ] FR. ſed hæc etymologia Bleſenſis videtur nimis impropria, nam meſſores ferebant manipulos ſpicarum, & ſudarium non a ſolis meſſoribus, ſed a quocumque in opere laborioſo ſudante portatur. Vide *Manipulus*.

Suetia. Vide *Septimania*.

Suffitorium, vas, quod ad ſuffumigandum inſervit. Vide *Thuribulum*.

Suffocatus, FR. eſt quidem antiquiſſima, & graviſſima quæſtio ſuper hujus vocabuli ſignificationem, etiam a Recentioribus agitata, ſed ( ut mihi videtur ) a nemine ſatis diſcuſſa, ita ut vix poſt diſceſſum ex portu, ſtatum in apocryphis ſyrtibus naufragare videantur; ideo quantum meum imbecille conamen elongagari me ſinit, diſcurrere nitar. Quæſtio inquam ex verbis in Actis Apoſtolorum, cap. 15. poſitis ventilatur: ubi ad Chriſtianos de Gentibus converſos epiſtola ſequentis tenoris expedita fuerat, videlicet: [ Viſum eſt enim Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria: ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione; a quibus cuſtodientes vos, bene agetis. Valete. ] Sic etiam legit Sanctus Cyrillus Hieroſolym. Epiſc. Catacheſi 18. nempe: [ Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, nihil amplius oneris imponere, præter hæc, quæ neceſſaria ſunt: ut abſtineatis ab Idolothytis, a ſanguine ſuffocato, & fornicatione. ] Extat in Biblioth. SS. Patrum Pariſienſis editionis de anno 1589. ( qua etiam in ſubſequentibus citationibus utar ) tom. 2. col. 183. lit. A. Pacianus, ſive Paucianus Epiſc. Barcinon. inquit: [ Poſt Domini paſſionem, Apoſtoli, tractatis omnibus, atque diſcuſſis, epiſtolam tradiderunt his, qui ex Gentibus crediderant, proferendam, cujus epiſtolæ ſententia hæc fuit: Apoſtoli, & Presbyteri fratres, his, qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ, fratribus, qui ſunt ex

Gentibus, ſalutem. Quoniam audivimus quoſdam ex nobis exuiſſe, & conturbaſſe vos verbis: ] & inferius: [ Viſum eſt enim Sancto Spiritui, & nobis, ut abſtineatis vos ab idolothytis, & fornicatione, a quibus obſervantes, bene agitis. Valete. In ejus parænesi in Biblioth. SS. PP. tom. 3. ] Apponius vero ſic legit: [Non vobis amplius pondus imponimus, niſi ut abſtineatis vos ab immolatis Idolis, a fornicatione, a ſuffocato, & ſanguine: & hæc cuſtodientes bene agitis. Valete. In Canticis Cantic. lib. 3. ] Extat in Biblioth. PP. tom. 1. col. 799. lit. B. Græcus textus: [ Ut abſtineatis vos ab immolatis ſacrificiis, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione. ] Sed cum Paciano concordant D. Cyprianus, & Tertullianus, qui non ponunt dictionem *a ſuffocato*, nempe, Cyprian. ad Quirin. lib. 3. in fine, & Tertull. lib. de pudicit. c. 12. licet hic aliter alibi ſenſerat, ut infra dicemus: ſic etiam habet Oecumenius, & primus omnium Irenæus, qui floruit anno 180. At deinde ſpatioſa temporis longitudine flumen Dei repletum eſt aquis, variis quidem, ac turbidis, ſiniſtrarum, videlicet, interpretationum Grecorum Expoſitorum in primis, qui adhuc mordicus defendunt per ſanguinem, & ſuffocatum intelligi animalium ſanguinem, & morticina, juxta Moſaicum præceptum, quare Leo Imperator tale decretum in forma reſcripti ad Stilianum ſacrorum officiorum miniſtrum ediderat: [ Simul olim Legislatori Moyſi ſanguine veſcendum non eſſe, mandavit Deus: ſimul iſtiuſmodi cibo abſtineri debere, a præconibus gratiæ eſt conſtitutum. Et quamquam tum veteris, tum novæ tempore illa res vilis habita ſit, & nefaria: eo tamen contumaciæ, imo vecordiæ homines proceſſere, ut neutri legi aurem præſtent morigeram. At contra alii lucri, alii gulæ cauſa, ſumma cum impudentia mandatum contemnunt; in eſcamque, qua veſci vetitum eſt, ſanguinem convertunt. Perlatum eſt autem ad aures noſtras, quod inteſtinis tanquam tunicis illum infractum, velut conſuetum aliquem cibum ventri præbeant. Quod tolerari non debere Imperatoria noſtra majeſtas rata, neque tam impio ſoli gulæ in hiantium hominum invento, nunc præcepta Dei divina, nunc reipublicæ noſtræ honeſtatem dedecore affici ſuſtinens, jubet ne quis id ſcelus, neque ad uſum ſuum, neque ut emptores deteſtando cibo contaminentur, ullo modo exercere audeat. At ſciat quicumque dehinc divinum mandatum contemnere, ſanguinemque in cibum convertere (ſive vendat, ſive emat) deprehenſus fuerit, ſe bonorum publicationi ſubjiciendum; & ubi acerbum in modum flagris cæſus, ac a cute tenus fœde detonſus erit, perpetuo patriæ exilio mulctandum eſſe. Quos quidem in judicio, neque Civitatum magiſtratus citra criminationem dimittendos cenſemus, ſed ut & ipſi (neque enim, ſi illi convenienti alacritate magiſtratum geſſiſſent, id ſcelus commiſſum eſſet,) quod negligenter, ſocorditerque ſubditis præfuerint, decem librarum auri mulctam ſuſtineant. In Novell. conſt. 58. ] At D. Ambroſius hanc ſophiſticam Græcorum intelligentiam irridet, dum ait: [ Hæc tria mandata Sophiſtæ Græcorum non intelligentes, ſcientes tamen a ſanguine abſtinendum, adulterarunt Scripturam, quartum mandatum addentes, & a ſuffocato obſervandum: quod puto nunc Dei nutu intellecturi ſunt, quia jam ſupra dictum erat, quod addiderunt. In epiſt. ad Galat. c. 2. ] Sic etiam S. Gaudentius Brixien. Epiſcopus dictionem *a ſuffocato* additam fuiſſe inquit per interpretationem, quod tamen ex ejus verbis colligitur, dum ait: [ B. Jacobus cum cæteris Apoſtolis decretum tale conſtituit in Eccleſiis obſervandum: ut abſtineatis vos ab immolatis, a fornicatione, & a ſanguine, ideſt, a ſuffocato, de pœnit. & remiſſ. in Biblioth. PP. ] Sed quid per ſanguinem intelligatur, ambigit D. Auguſtinus, dum inquit: [ In Actis Apoſtolorum hoc lege præceptum ab Apoſtolis, ut abſtinerent Gentes tantum a fornicatione, ab immolatis, & ſanguine, ideſt, ne quidquam ederent carnis, cujus ſanguis non eſt diffuſus. Quod alii non ſic intelligunt; ſed a ſanguine præceptum eſſe abſtinendum, ne quis homicidio ſe contaminet, lib. 32. contra Fauſtum, c. 13. ] Antiquiſſimus Patrum Irenæus per ſanguinem vulnera, offenſam, & homicidium intelligere videtur, dum l. 3. c. 12. citans textum Actor. Apoſtolorum: Et quæcumque non vultis fieri vobis, aliis ne faciatis: ſic inquam refert ibi textum: [ Placuit Spiritui Sancto, & nobis, ut nullum amplius vobis pondus imponeret, quam hæc, quæ ſunt neceſſaria: ut abſtineatis ab idolothytis, & ſanguine, & fornicatione, & quæcumque non vultis fieri vobis, aliis ne faciatis, a quibus vos cuſtodientes, bene agitis, ambulantes in Spiritu Sancto. ] Igitur ſuffocare idem ac offendere, angere.

Suffocant animam dira venena tuam.

Ovid. in Ibin. Sanguinis autem effuſio idem ac ſuffocatus. Gaudentius ſupra, & *Suffocare* idem ac præceptum ſanguinis, & homicidium. Alii apud Auguſtinum citatum. Quæ intelligentia ſancti Martialis Apoſtoli auctoritate corroboratur, qui dictionem *A ſanguine* non affert; ſed ejus loco ſuffocatum ponit, inquiens: [ De aliis vero admonere volo, ut cuſtodiatis vos ab immolatione, & ſuffocatis; ut ſit omnis fornicatio longe a vobis; immunditiam fugite, quia jam ſanctificati eſtis, & in ſanctitate Dei ſervite. In epiſt. 2. ad Theſſalonicenſes, c. 2. in Biblioth. PP. ] Eodem modo Chryſoſtomus, hom. 33. in Actibus Apoſtol. c. 15. ſuffocatum intelligit: [ Ut nihil amplius oneris imponamus vobis. Iterum onus legem vocat. Deinde etiam de illis rationem redit: Niſi neceſſaria hæc abſtinere ab idolothytis, & ſuffocatis, & fornicatione, & ſanguine; a quibus ſi conſervaveritis vos ipſos, bene facietis. Hæc nova lex non præcipit; nuſquam enim de his differit Chriſtus; ſed a lege hæc ſumunt. Et ſuffocato inquit. Hic cædem cohibet. ] At clarius D. Cyrillus Alexandrinus, lib. 12. de Tabernaculo, exponens illa verba Levitici, c. 17. [Omnis anima ex vobis non comedet ſanguinem] quid per ſanguinem inter catholicos intelligatur exponit. [ Lex igitur ſanguinem a cor-

corporibus occisis sejungit, ac subtrahit: qua in re dogma verum docet, & a nobis ipsi fide receptum, & in Ecclesiis præcipuis habitum, nempe, sic habendum esse, ut animam hominis rationis compotem, immortalem esse putemus, quod eam una cum terrenis corporibus mors minime interimat. Sed potius ille conditor, qui illam efficit vitæ participem absolvat, & relaxet, ac subtrahat quod nunc eam perpetitur.] Et poſt multa concludit: [ Atque hæc ſibi volunt legis conditiones hac de re conſtituta verba.] Sed ad intelligendam hanc Cyrilli phraſim, neceſſe eſt adagium ſuæ regionis percipere: Orientales namque Chriſtiani, cum vident aliquem velle ejus inimicum in rixa occidere hac diſſuaſione uti ſolent; cave, ne hoc facias, Deus enim homini animam infundit, & tu illi ſeparare cogitas; ad eum ſpectat ab humanis corporibus animam ſubtrahere, qui illam creavit; ille eſt Dominus, & non tu, & ſimilia; hoc enim inſinuare voluit Cyrillus. Inſuper per ſanguinem anima a Philoſophis intelligebatur, unde abuſive ſanguis vulgariter anima appellabatur, & translative abſtinere a ſanguine, ideſt, a cæde ſignificat: quæ intelligentia, ait hic S. Doctor, eſt habita in *Eccleſiis præcipuis*, præſertim in Romana omnium Matre. Quare inconſulte Greci a commeſtione ſanguinis, & a morticiniis abſtinendum præcipiunt contra mentem Sanctorum Patrum etiam Græcorum, quos ſupra adduximus. Quod græcum commētum excogitatum fuit in ſexta Synodo, can. 67. in qua ſic habetur: [ Divina nobis Scriptura mandavit a ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione abſtinere. Eos ergo, qui propter lautum, & delicatum ventrem cujuſcumque animalis ſanguine arte aliqua eſculentum condiunt, ac inſtruunt, ut par eſt, incuſamus, ac punimus. Si quis ergo deinceps animalis ſanguinem quovis modo comedere aggrediatur, ſi ſit quidem Clericus, deponatur; ſi autem laicus, ſegregetur.] Et ut magis hæc Synodus prædictum ab ea excogitatum canonem firmaret, præmiſerat in can. 2. [ Ut ab hoc nunc tempore deinceps &c. firmi, & ſtabiles maneant Sanctorum Apoſtolorum canones octoginta quinque.] Sed cum antiqui canones Apoſtolorum non fuerint plus quam quinquaginta, ut Baronius oſtendit an. 51. igitur canon 63. Apoſtolicus aſſertus, in quo habetur: [ Si quis &c. comederit carnes in ſanguine animæ ejus, aut a beſtiis abreptum, aut ſuffocatum, deponitor. Si vero Laicus ſit a communione excluditor] apocryphus cenſetur: conſtat ſiquidem hunc eſſe unum ex canonibus a Græcis ultra illos quinquaginta Apoſtolicos additis. Unde inquit Baron. an. 51. num. 22. [ Certe in Creſconiana collectione omnium antiquiſſima, quinquaginta tantummodo adnumerati habentur canones Apoſtolorum, quos Dionyſius Rom. Abbas cognomento Exiguus in latinum vertit: cæteri enim a Græcis putantur doloſe ſuppoſiti.] Igitur Græci, nedum, ut ex ſententia D. Ambroſii, dictionem *Et a ſuffocato* addiderunt in textu Actorum Apoſtolorum; ſed etiam canonem Apoſtolicum 63. commentati ſunt. Sic pariter ab eis credendum eſt fuiſſe ſuppoſita decreta ejuſdem tenoris ad Concilium Gangrenſe, can. 2. a Baronio an. 51. num. 14. allato, ac Concilii Aurelianenſis II. cap. 20. & Concilii Vormacienſis, c. 65. ex aſſerto Concilio Carthaginenſi apud eundem Baronium ibidem n. 16. Et poſito, quod illa Concilia talia decreverint, de eorum auctoritate non integre conſtat. Nam ex eodem Baronio anno 261. num. 44. non ſatis liquet quo tempore Gangrenſe celebratum fuerit, in quo nonniſi quindecim Epiſcopi interfuerant, licet Labbè in Synopſi Conciliorum ſub Silveſtro I. ponat. Item in Aurelianenſi II. quod Baronius ſub ann. 536. & Labbè ſub anno 533. ponunt, quamvis interfuerint nonnulli Patres ſanctitate inſignes; tamen omnes non erant pluſquam triginta, & ex eis aliqui per eorum procuratores intervenerant, Baron. ibidem num. 124. Sic etiam id, quod habetur in Concilio Vormatienſe, can. 45. & can. 65. quod animalia, [ Quæ a lupis, ſeu canibus lacerantur non ſint comedenda, niſi porcis, & canibus; nec cervus, nec capra, ſi mortui inveniantur; item aves ſi mortui inveniantur,] quod ibi ex Carthaginenſi Concilio deſumptum aſſeritur. Præterquamquod non ſatis conſtet quibus, vel quot perſonis, nec qua auctoritate hoc Concilium Vormatiæ congregatum ſit, neque ex quo loco aſſertum Cōcilii Africani decretum deſumptum ſit, redditur exinde valde ſuſpectum, quod ex aliquo Manichæorum Africanorum conciliabulo excerptum ſit; nam Manichæi hunc errorem profitebantur: hinc D. Auguſt. contra Adimantum c. 14. Manichęi diſcipulum de Manichæorum errore inquit: [Quia ipſas carnes immundas putant, earum Creatorem Deum eſſe negant. Nos autem tenemus Apoſtolicam diſciplinam, dicentem, quod omnia munda ſint mundis, ſervata moderatione Evangelica, ut non graventur corda noſtra cruditate, & vinolentia, & curis ſæcularibus. Nam idem illud, quod Apoſtolus ait: Non poteſtis menſæ Domini communicare, & menſæ Dœmoniorum; non video, cur opponendum huic loco legis, & quaſi contrarium Manichæi eſſe crediderunt &c.] Et contra Fauſtum Manichæum, lib. 32. cap. 13. ſic invehitur: [ Quis jam hoc Chriſtianus obſervat, ut turdos, vel minutiores aviculas non attingat, niſi quarum ſanguis effuſus eſt? Aut leporem non edat, ſi manu a cervice percuſſus, nullo cruento vulnere occiſus eſt? Et qui forte pauci adhuc tangere iſta formidant, a cæteris irridentur.] Item Montani Hæreſiarchæ error hic fuerat, nam in ejus errore lapſus Tertullianus ſcripſerat in ſuo Apologetico cap. 9. ſeu verius, ab aliquo Montani aſſecla adulterato, licet contra Gentiles loquatur: [Erubeſcat error veſter Chriſtianis, qui ne animalium quidem ſanguinem in eſculentis habemus, qui propterea quoque ſuffocatis, & morticinis, ne quo ſanguine contaminemur, vel intra viſcera ſepulto. Denique inter tentamenta Chriſtianorum botulos etiam cruore diſtentos admovetis.] Nec fides ulla Euſebio Cæſa-

ſarienſi præſtanda, quippe qui apocryphus cenſetur, de quo Bellarminus in Scriptor. Eccleſ. & D. Hieronymus epiſt. 65. ad Oceanum, Arii propugnatorem hunc Euſebium appellat. Inſuper, cum Græcus ſit, ad comprobandum Græcorum zelum in abſtinentia a ſanguinis comeſtione, in ejus hiſt. lib. 5. cap. 1. Blandinam martyrem in Gentiles talia dixiſſe aſſerit: [ Multum erratis o Viri, quod putetis infantium carnibus eos veſci, qui ne mortuorum quidem animalium ſanguine utuntur. ] Item Minutius Felix in Octavio hæc habet: [ Nobis homicidium nec videre fas, nec audire: tantumque ab humano ſanguine cavemus, ut nec edulium pecorum ſanguinem in cibum noverimus. ] Sed qualis inepta conſequentia! ſi homicidium abominabile, ergo & pecorum ſanguis incomeſtibilis erit: deberet, inquam, in boni illatione concludere ſi homicidium abominabile, ergo & pecoricidium, ut ita dicam. At cum hujus libri Auctor ſe in fatis extitiſſe aſſeritur tempore Alexandri Severi Imperatoris, nimirum, in ſecundo ſæculo Chriſtiano, & in præterito ſæculo a Fulvio Urſino in lucem editus fuerat, non ſine ſuſpicionis nota recipitur. Præſertim cum ante Alexandri Severi Imp. tempora, ſcilicet, in Pontificatu Eleutherii, qui imperante Commodo vixerat uſque ad ann. 194. is inquam Pontifex, juxta conſilium Apoſtoli, in Eccleſia decreverat (ſi antiquo Licienſi Breviario credendum eſt) ne quis fidelis ab hujuſmodi eſca ſe abſtineret, ubi ſic habetur: [ Eleutherius natione græcus ex patre Abundio de oppido Nicopoli: hic ſedit annos XXI. menſes ſex, dies quinque: fuit autem temporibus Antonini, & Commodi, uſque ad Patrianum, & Barduam. Hic accepit epiſtolam a Lucio Britannico rege, ut Chriſtianus efficeretur per ejus mandatum. Et hic iterum (*nota hanc particulam iterum*) firmavit, ut nulla eſca uſualis a Chriſtianis repudiaretur, maxime fidelibus, quam Deus creavit, quæ tamen rationabiliter, & humana (*ſcilicet humana eſca*) eſt, in lect. S. Eleutherii Papæ, & Mart. menſe Maji. ] Apochryphum item cenſetur Gregorii Papæ III. decretum in Bibliotheca Patrum, tom. 6. col. 611. cap. 29. litt. C. allatum, in quo ſic habetur: [ Suffocatum dicimus, quod ſine ſanguinis effuſione perimitur, vel quod in laqueo necatur, vel quod a lupo, vel fune in laqueo ſuffocatum invenitur, & nulla 'enus manducetur, nec ſanguinem alicujus beſtiæ quiſquis manducare, aut bibere præſumat: quod ſi quis fecerit, quadraginta dies pœniteat. In ejus excerpto edicto de diverſ. crimin. & remediis illorum. ] Tale namque decretum inter epiſtolas decretales Gregori III. non reperitur in illis tribus tomis impreſſis in ædibus Populi Romani de anno 1591. quorum titulus eſt: Litteræ Decretales Summorum Pontificum; nec talis obſervantia inter Latinos, & præcipue inter Romanos unquam fuiſſe legitur; ac præſertim cum omnes Patres, qui dictionem *A ſuffocato* ſtrangulatum intelligunt, affirmant hoc tantum in primitiva Eccleſia præceptum fuiſſe; credibile, inquam, non eſt, quod Gregorius III. qui cœpit regnare de anno 731. tale decretum ordinaſſet, in quibus temporibus nulla idololatriæ ſuperſtitio extabat. Unde non ſine ſuſpicione, fuiſſe, nimirum, ab obſtinatis Græcis amanuenſibus poſt Synodum in Trullo additum exiſtimatur, ac eo magis cum & Auctor ipſe Bibliothecæ, unde hoc hauſiſſet, non referat; ſic etiam graja manus ſcripſiſſe cenſetur manuſcriptum cujuſdam Theodori pœnitétiale, quod penes ſe habuiſſe ait Baronius ann. 51. num. 16. cum nomen Auctoris græcum eſſe manifeſtetur, ubi pœna veſcentibus ſuffocatum injungitur, quod in Romanis pœnitentialibus apud Gulielmum Durandum, Albertum Caſtellanum, & in calce Gratiani decreti talis caſus non invenitur; manifeſtum ergo indicium eſt, quod nunquam inter Latinos ſuffocatum fuiſſet prohibitum; etenim Latini ex epiſt. 1. Corinth. cap. 10. omne quod de macello venit, ſine aliquo ſcrupulo comedere didicerant. Nec verum eſt id quod communiter a Scriptoribus aſſeritur, ſanguinem, & ſuffocatum in contemplationem Neophytorum ex Hebraiſmo converſorum, ne ſcilicet ſcandalizarentur, prohibitum fuiſſe comedere; ſed ſanguis Idolis immolatus vetitus eſt. Unde loc. cit. D. Aug. contra Adimantum cap. 14. inquit: [ Nos autem tenemus Apoſtolicam diſciplinam &c.] ut ſupra dictum eſt; ac ſequitur deinde: [Non enim de immolationibus lex loquitur, cum in Deuteronomio dicitur, Secundum deſiderium animæ tuæ occide, & manduca omnem carnem juxta voluptatem, quam dedit tibi Dominus &c. ] Textus autem Deuteronomii, cap. 12. hic ab Auguſtino citatus, ſic in Vulgata habetur: [ Sin autem comedere volueris, & te eſus carnium delectaverit; occide, & comede juxta benedictionem Domini Dei tui, quam dedit tibi in urbibus tuis: ſive immundum fuerit, hoc eſt, maculatum, & debile: ſive mundum, hoc eſt, integrum, & ſine macula, quod offerri licet, ſicut capream, & cervum, comede, abſque eſu dumtaxat ſanguinis, quem ſuper terram quaſi aquam effundes.] Auguſtini igitur erat argumentum, quod non ex vi hujus Moſaici præcepti Apoſtoli abſtinendum monuiſſent a comeſtione ſanguinis: nam de ſanguine immolato Idolis intellexerant, de quo vetus Teſtamentum loco citato non loquitur: ideo Apoſtoli in ea epiſtola proteſtati ſunt nullum onus imponere, quod vocabulum (ex Chryſoſtomo ſupra) Moyſis legem ſignificare diximus; hinc evidens fit explicatio S. Gaudentii ſupra, ubi ait: [ Ut abſtineatis vos ab immolatis, a fornicatione, & a ſanguine, ideſt, ſuffocato ] quod idem ſignificat, ac immolato. Quare ſciendum eſt, quod Verbum *Suffocare* tam latine, quam græce ſtrāgulare, thurificare, fumigare ſeu ſuffumigare ſignificat, ex qua duplici ſignificatione tot æquivoca orta ſunt. Origenes namque in primis contra Celſum, Manichæi, ac Græci poſt ſextam Synodum (nam antea nullus S. Pater Græcus, ut viſum eſt, hoc ſenſerat) per ſuffocatum intellexerunt juxta Moſaicum præceptum,

ptum, morticinum, & ſtrangulatum. Alii tamen ſentientes apertam repugnantiam hujus ſignificationis cum verbis Domini noſtri, dicentis, quod edamus quidquid nobis apponatur, & non quod intrat in os, coinquinat hominem, ac Phariſæos, Scribaſque increpavit, dicens: Væ vobis &c. qui mundatis, quæ foris eſt; & alibi: Ecce omnia munda ſunt vobis. Item ejus Præco Paulus ajebat, Omnia munda ſunt mundis, & infidelibus nihil eſt mundum. 1. Tit. 1. Atque optimum eſt gratia ſtabilire cor, non eſcis. Ad Hebr. cap. 13. & ſimilia, ideo D. Cyprianus per dictionem *Sanguinem* intellexit homicidium; unde hunc locum legerat. [ Abſtinete vos ab idolothytis, & ſanguinis effuſione, & fornicatione. Ad Quirin. lib. 13.] Ac D. Auguſtinus contra Fauſtum ſupra inquit: [ Quod alii non ſic intelligunt: ſed a ſanguine præceptum eſſe abſtinendum, ne quis homicidio ſe contaminet ] ita etiam Chryſoſtomus ſupra, ac Radulphus Flaviacenſis in lib. 5. Levit. cap. 3. inquit: [ Communiter per ſanguinem appetitus accipitur. [Item Beda ait, [Nomine enim ſanguinis propaginem carnis deſignat. In cap. 17. Act. Apoſt.] Item D. Gregorius Papa per ſanguinem peccatum intelligit, lib. 13. cap. 6. in cap. 16. Job. & in Regiſt. epiſt. 125. Contra tamen hanc interpretationem nonnulli cum Origene inſurgunt, dicentes, quod homicidii præceptum fuiſſet ab Apoſtolis ſuperflue Gentibus ad fidem converſis impoſitum; nam ideo ab idolothytis & a fornicatione abſtinere illis cautum fuit, quia penes Gentiles tales prohibitiones non extabant; inſuper ſi præceptum homicidii prohibuiſſent, debuerant ſimul & alia capitalia crimina etiam ne patrarent, eos monere Apoſtoli; hinc Origenes in epiſt. ad Rom. cap. 13. lib. 9. inquit. Quoniam quidem cætera crimina ſæculi legibus judicantur, ſuperfluum videbatur, ea divina lege prohibere, quæ ſufficienter humana lege plectuntur: illa ſola, de quibus lex humana nihil dixerat, religioni videbatur convenire decernere, ex quo apparet, judices mundi partem maximam Dei legis implere.] Igitur, ſi nec per ſanguinem, & ſuffocatum poterant Apoſtoli intelligere Hebræorum obſervantiam (nam verbis Chriſti contradixiſſent, ex jam allatis, & ipſimet Apoſtoli onus legis haud imponere conteſtati ſunt) nec homicidium intellexerant, quia debuerant aliorum etiam mortalium criminum abſtinentiam monere, remanet tantum de ſanguine, ideſt ſuffocato, per interpretationem intelligere; nam *Suffoco* penes Latinos etiam ſuffumigare ſignificat: ſic Propertius, lib. 4. elegia de Cynthia, & Dracone, ubi de ſtriga illa, ſive maga, quæ cum ſeparare conjugale thorum intentaſſet, malefici enim ſeparare thorum ſemper conantur, ideoque a D. Hieron. [ Rei uxoriæ hoſtes ] appellantur. Vide *Tempeſtarii*) Itaque inter alias ſuperſtitiones ſuffumigationem illa adhibuerat, pro quo vocabulo utitur Poeta verbo ſuffocare, ſic inquiens:

Dein quemcumque locum externæ tetigere puellæ
*Hierolexicon Macri.*

Suffocat, & pura limina tergit aqua.

Sic etiam Plinius, lib. 20. cap. 5. de ſtaphylino, ſive paſtinaca erratica agens, inquit: [ Ejus ſemen contritum, & in vino potum, tumentem alvum, & ſuffocationes mulierum, doloreſque lenit, ] ubi ſuffumigationes matricis intelligit. Quod ex Dictionario Catholicon appellato confirmatur in verbo Suffoco: ait enim duas etymologias verbum hoc habere, ideſt a *Sub*, & *Faux*, & tunc ſuffocare idem ſignificat, ac angere, ſtrangulare, & ſimilia; aliam vero etymologiam deduci inquit a *Sub*, & *Focus*, & ſignificat ſub foco ponere, quod idem eſſet, ac ſuffumigare. Sic etiam hæc duplex ſignificatio habetur in græco textu Actorum cap. 15. Α'πέχεσθαι εἰδωλοθύτων, ϗ αἵματος, ϗ πνικτοῦ, ϗ πορνείας. [ Ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione ] πνικτὸς enim a verbo πνίγω, quod inter alia ſignificat φλέγεσθαι, ideſt, flagari, uri, torrefacere, adolere. In Dictionario græco latino correcto a Jacobo Cellario, & Nicolao Nonigero in dict. πνίγω. Item ſignificat ſtrangulo. Ibid. igitur Sacra Scriptura per vocabulum ϗ πνικτοῦ non de ſtrangulato edulio; ſed de immolato, & thurificato intellexit. Thurificare enim apud Ethnicos actum idololatriæ ſignificabat, ut in dict. *Thurifico* dicemus. Sanguinem quippe Gentiles ſuffocare, ſive immolare conſueverant; hinc Virgilius 10. Æneid.

—— —— —— Inferias, quos immolet Umbris,
Captivoque rogi perfundat ſanguine flammas.

Inſuper inter Gentiles pythagorica opinio vigebat, ob reverentiam animarum, quas in animalia transmigrare putabant, hinc non comedebant ſtrangulata bruta, aſſerentes, (ut ait Origenes contra Celſum, lib. 8.) quod in ſtrangulatis animalibus, in quibus ſanguis non extrahebatur ſpiritus eorum, ſive anima non exhalabat, & conſequenter non erat fas animam, Genium, vel Dœmonem, ut ipſi appellabant, comedere. Ac propterea in hoc ſenſu ſtrangulatum animal non poterant Apoſtoli per ſuffocatum intelligere, ſicut falſo Celſus ab Origene impugnatus intellexerat, quia cum Pythagoricorum, & Ethnicorum opinione concurriſſent; licet Origenis textus in hoc loco, valde corruptus ſit, a Græcis fortaſſe. Qua intelligentia, quod vocabulum *Suffocatus* ſignificet immolatum, optime cum Auguſtino fuiſſe per interpretationem poſitum ſuſtinetur, & cum Ambroſio a Græcis additum, qui a Cypriano, Irenæo, & aliis Patribus ſupra adductis non legitur hoc vocabulum *A ſuffocato*; ſed Auguſtinus non advertens fortaſſe vim hujus nominis, quod tam latine, quam græce ſignificet etiam immolatum, & ſuffumigatum, ſanguinem ſcilicet, hinc homicidium interpretatus eſt; ſic etiam Ambroſius ex eadem inadvertentia, Græcos perperam dictionem ſuffocatum addidiſſe exiſtimavit, quam additionem ab antiquis Græcis in ſenſu immolati poſitam, ab aliis poſtea Græcis in ſexta Synodo male intellectam, ac explicatam fuiſſe diximus, ſuſcipiendo

nempe recentiores Græci in Synodo Trull. illud καὶ πνικτοῦ, pro ſtrangulato, cum re vera pro immolato ab antiquis Scriptoribus, ideſt, ſanguine immolato poſitum fuerit. Item hac eadem intelligentia corruit falſum Lutheri argumentum, in ejus Aſſert. poſitum art. 29. & lib. de Conciliis, part. 1. ubi nititur probare, quod licitum ſit a decretis Conciliorum recedere, quia Jacobus mutaverat Petri ſententiam; nam Petrus non debere Gentes cogi ad legalia judicaverat, quam ſententiam ſequutum eſſe Apoſtolum (inquit) per totam Epiſtolam ad Galatas; ſed Jacobus a ſanguine, & ſuffocato abſtinendum fore ſuſtinuerat; & exequendum mandari in Concilio fecerat. Verum ſuſtinendo, quod ſuffocatum ſignificet immolatum, objectio Lutheri ſatis enodatur; quod, nempe, Jacobi ſententia cum Apoſtolorum Principe concordabat, dum Jacobus inquit, quod nullum onus imponere intendebat, & onus, ut viſum eſt ex Chryſoſtomo, legale præceptum ſignificat, ergo tam Petrus, quam Jacobus eandem ſententiam habebant, de non imponenda, nempe, ulla cæremoniarum legalium obſervantia: quare abſtinentia a ſanguine a Jacobo propoſita in Concilio, non in contemplationem legis Moſaicæ fieri indicavit, ſed ob ſuperſtitionem Gentilium; nam de ſanguine ſuffocato, ideſt, immolato intellexerat; de quo aperte ex epiſt. ad Galatas loquutus eſt Doctor Gentium; quam ſatis explicans D. Auguſtinus, lib. contra Adimantum, cap. 14. inquit: Numquid eget cujuſquam interpretatione, ut intelligatur cur hoc Apoſtolus dixerit? Et quanta illi malitia de ſcripturis certa quæque diſcerpunt (*quod de Novatoribus dici poteſt*) quibus circumveniant imperitos? Nam & munda eſſe omnia dixit Apoſtolus ſecundum fidem, & ei eſſe immunda, qui putat immunda: & tunc eſſet ab eis temperandum, cum per offenſionem accipiuntur, ideſt, cum aliquis infirmus putat ſibi ab omnibus carnibus temperandum, ne incidat in carnem immolatitiam; & ideo eum, qui manducat, poteſt arbitrari in honorem Idolorum id facere, & ex eo graviter offendi, cum ipſa immolatitia caro, ſi ex fide a neſciente accipiatur, neminem maculet. Unde alio loco idem Apoſtolus interrogari vetat, cum quid de macello emitur, vel ab aliquo infideli quiſquam vocatus in menſa ejus exhiberi ſibi carnes videt, quas iſti immundas arbitrantur, non propter immolationem, ſed quia carnes ſunt, cum Apoſtolus clamet omnia munda eſſe, & omnem creaturam Dei bonam eſſe, & omnia ſanctificari per verbum, & orationem: & tamen temperandum ab eis, ſi quis forte infirmus offenditur &c.] Atque Theodoretus in epiſtolam primam ad Corinthios verba Apoſtoli in ejus cap. 10. poſita, nempe: [Quid ergo dico, quod Idolis immolatum ſit aliquid &c.?] ſic exponit: [Sed nemo exiſtimet, quod vim aliquam habeant immolata, & natura poſſint polluere eum, qui eorum ſit particeps: non enim hoc dico; ſed qui ſuperſtitioni ſerviunt, Dœmonibus ſacrificia offerunt:] Et inferius ſuper ejuſdem Apoſtoli verba: [Omne, quod in macello venit comedite, nihil interrogantes propter conſcientiam; Domini eſt terra, & plenitudo ejus:] ita Theodoretus explanat:] Omnes creaturæ Dei ſunt, ipſe omnia ad hoc, ut eſſent, deduxit. Secure ergo emite, non interrogantes, an ſit idolis immolatum, an non; hoc enim ſibi vult illud, interrogantes.] Ubi conſtat, quod non propter ſcandalum inobſervantiæ a morticinis juxta moſaicum præceptum Paulus abſtineri conſuluit; ſed ne offendantur infirmi Gentiles, videntes Chriſtianos eduliis immolatitiis veſci. Ergo triplex ſententia Petri, Jacobi, & Pauli, unum, ac idem funiculum facit contra Hæreticos; Petrus enim nolebat ad moſaicam legem Chriſtianos conſtringere; Jacobus conſuluit in epiſtola Apoſtolici Senatus ſcribendum nullum onus, ideſt, antiquæ legis imponere velle Concilium; Paulus nullum edulii ſcrupulum habendum docet, ſed tantum ratione ſcandali inſipientium edere prohibuit, ne immundas carnes, ideſt, Dœmoniis immolatas comedere nos videamur ab inſipientibus. Itaque nemo Apoſtolorum de ſanguine ſuffocato, ideſt, ſtrangulato juxta præceptum moſaicum loquutus eſt; ſed de ſanguine, & edulio ſuffocato, ideſt, Idolis immolato. Franciſcus Turrianus adverſus Magdeburgenſes centuriatores lib. 1. cap. 5. bene infert, quod ideo fornicationem cum illis tribus prohibitionibus conjũxerant Apoſtoli, quatenus, ſcilicet, ad contaminationes idolorum, ſive ad idololatriam pertinent; quod licet verum ſit, non tamen tam rigoroſe intelligendum, ut ipſe conatur probare, quod in can. aſſerto Apoſtol. 63. verum ſit Apoſtolos ſub pœna excommunicationis hoc præcepiſſe; nam nimis inconſulte diſcurrit, quia ſequeretur, quod etiam nos in excommunicationem incurreremus, quia talia comedimus. Igitur melius cum Baronio Centuriatoribus reſpondendum, quod Canones Apoſtolici ab Iſidoro cognomento Exiguo non fuerunt pluſquam quinquaginta collecti, & in Sexta Synodo a Græcis perperam additi, ut ſupra diximus; & ideo fruſtra nititur Turrianus defendere hunc canonem 63. dum ipſe Baronius ſuſpectum ſatis reddit. In Sac. etiam Scriptura *Suffocare* pro immolare accipitur; ſic enim Ezech. 36. ad populum Hebræum inquit; [Pro eo, quod dicunt de vobis, devoratrix hominum es, & ſuffocans gentem tuam.] Antea enim dixerat de eodem populo: [Et tuliſti filios tuos, & filias tuas, quæ generaſti mihi, & immolaſti eis ad devorandum. Numquid parva eſt fornicatio tua? Immolaſti filios meos, & dediſti illos conſecrans eis.] Idem cap. 16. quia immolabant filios ſuos Saturno ſub nomine Moloch, de quo Moloch ſacrificio in dict. *Gehenna* dictum eſt. Hinc D. Cyrillus Alexand. lib. 4. in cap. 46. Eſaiæ exclamat, inquiens: [O abominandam, & inviſam Deo, atque hominibus celebratam panegyrim! Deus ſane univerſorum his adeo gravibus iniquitatibus indignans, per unum e Sanctis Prophetis dicit his, qui talia facere ſolebant: Mactate homines; Vituli enim defecerunt.

Eo

Eo enim inhumanitatis, & immanitatis veniſſe dicit impuros dœmones, ut ſitirent inſatiabiliter humanum ſanguinem, & eorum, qui rei, & convicti erant, interitu delectarentur. Non enim forte vitulus in ara clamans, & thura, ac oves illis conveniebant; ſed hominum cæde gaudebant.] Item Jeremias cap. 16. ait: [ Quibus polluerunt terram meam in morticinis abominationum ſuarum.] Ubi Theodoretus: [ Morticina vero abominationum vocat, filiorum, & filiarum mactationem.] Chaldaica lectio aperte pro ſuffocato *Hhen.qa*. ideſt, ſtrangulato habet, ſed cum ex textu Græco Chaldaica Sac. Scriptura translata ſit, ut Bellar. de Verbo Dei lib. 2. cap. 3. probat, translator dictionem πνικτȣ̃, quæ immolatum, & ſtrangulatum promiſcue ſignificat, æquivocavit in ſecundum ſenſum, qui tamen in primo translatare debuerat. Apocryphæ item cenſentur auctoritates allatæ a Baronio ann. 51. ubi videtur, quod inter Latinos uſque ad tempora Zachariæ Papæ viguiſſet hic ritus abſtinendi a morticinis; affert enim ejuſdem Pontificis verba ad Bonifacium Germaniæ Epiſcopum, & Sedis Apoſtolicæ Legatum, ita reſpondentis: [ Continebant enim capitula in pitacio ab eis porrecto, quæ inferius annexa ſunt, de quibus flagitaſti a nobis, quæ recipienda, quæ reſpuenda ſunt. In primis de volatilibus, ideſt, graculis, & corniculis, atque ciconiis, quæ omnino cavendæ ſunt ab eſu Chriſtianorum, etiam & fibri, atque lepores, & equi ſylvatici multo amplius cavendi. Attamen, ſanctiſſime Frater, de omnibus Scripturis Sacris bene compertus es.] Et inferius: [ Equi vero, qui præfato morbo fuerint coinquinati, ſi curari non valuerint, in puteis, & foveis projiciendi ſunt, ne ejuſdem morbi contagione cæteri coinquinentur. De animalibus autem, quæ a furentibus, ideſt, rapidis lupis, & canibus fuerint lacerata, oportet ea a cæteris ſeparari, ne per furentes, & mordentes, cætera coinquinentur. Quod ſi pauca ſunt, ut ſupra diximus, in fovea projicienda ſunt. Extat in tom. 3. Concilior. pag. 434. col. 1. Impreſſ. Venetæ de anno 1585.] Sed ineptiæ, & impoſturæ ab inimicis Sedis Apoſtolicæ procul dubio hæ ſunt. Nam in epiſtola Bonifacii Epiſcopi ad Zachariam Papam directa, quæ ibidem habetur, nil horum continetur, & idem Papa minute ad omnia Bonifacii quæſita docte, & graviter reſpondet, ac de rebus non levibus: ergo iſtas ineptias Hæretici, ut poteſtatem Pontificiam ridiculam, redderent, addiderunt. Nam de equis mortuis, & ſimilibus, an projiciendis in foveis, quilibet licet viliſſimus Veterinarius, ſive equarius Medicus, non dignaretur talia reſpondere; fingitur item in Zachariæ epiſtola, quod latores epiſtolæ Bonifacii, nomine ejuſdem Epiſcopi ſimilia quæſita in pitacio Zachariæ Pontifici porrexiſſent, quod falſiſſimum quidem videtur tum ex ineptiis, ut falſo aſſeritur, de ejuſdem pitacii nota; tum ex doctrina Bonifacii Epiſcopi, quæ non parum emicat in ejus epiſtola, in qua etiam mentionem feciſſet de hoc ſuo pitacio, ſi verum fuiſſet. Alia auctoritas aſſertur a Turriano, quæ eſt Humberti Cardinalis, & Sylvæ Candidæ Epiſcopi in ejus Dialogo, qui extat in Biblioth. PP. apud Caniſium, & apud Baronium in Appendice 11. tomi Annal. pag. 754. litt. C. Typograph. Vatican. 1605. ubi ſic habetur: [ Nec hoc dicentes ſuffocatum, & ſanguinem nobis contra vos defendimus. Antiquam enim conſuetudinem, ſeu traditionem majorum noſtrorum diligenter retinentes, nos quoque hæc abominamur, adeo ut ſanguine, vel quocumque morticinio, aut aquis, ſeu quacunque negligentia humana præfocato, apud nos aliquando veſcentibus abſque extremo periculo vitæ hujus, pœnitentia gravis imponitur, pro eo maxime, quia antiquas conſuetudines, & traditiones majorum, quæ non ſunt contra fidem, leges Apoſtolicas arbitramur. Nam de cæteris, quæ aucupio, aut canibus, ſed laqueo venantium moriuntur, Apoſtoli præceptum ſequimur: Omne, quod in macellum venit, manducate, nihil interrogantes &c.] Sed verba Humberti videntur alterata, nam prædicta omnia in perſonam Græcorum, non vero Latinorum loquitur, quia tam ex præcedentibus, quam ſubſequentibus contrarium affirmare videtur; antea enim dixerat Græcis: ] Pro crimine reputare non debetis: quibus Evangelica, & Apoſtolica auctoritas omnia edenda conſtituit.] Et ſubſequenter ait: [ Si quis dixerit hoc ſuffocatum eſt, vel morticinium non eſt comedendum, ut Apoſtolus de Idolothyto ait: ſi quis dixerit hoc immolatum eſt idolis, nolite manducare &c. Multa ſiquidem uſu, aut traditione majorum ita obſervamus, ut aliter facientes omnino abhorreamus, ſicut eſt non lotis manibus manducare. Quod quamvis juxta ſententiam Veritatis, non coinquinet hominem, tamen velut immundum exhorrere ſolet homo hominem non lotis manibus manducantem &c.] Ex quibus verbis aperte colligitur nullum ſcrupulum, nec ullam pœnitentiam fuiſſe Latinis veſcentibus ſanguinem, aut ſuffocatum impoſitam temporibus hujus Cardinalis. Hugo Menardus in notis ejus ad D. Gregorii ſacramentale affert pœnitentiale Halithgarii, in cujus c. 10. tit. de diſſenſibus ſacrificiorum, pag. mihi 248. hæc aſſeruntur: [ Si quis canis, aut vulpis, ſive acceptor mortificaverint: ſive de fuſte, ſive de lapide, ſive ſagitta, quæ non habet ferrum mortuum fuerit, hæc omnia ſuffocata ſunt, non manducentur: & qui manducaverit, jejunet hebdomadas ſex. Si quis ſagitta percuſſerit cervum, ſive aliud animal, & poſt tertium diem inventum fuerit, & forſitan ex eo lupus, urſus, canis, aut vulpis guſtaverit, nemo manducet, & qui manducaverit, jejunet hebdomadas IV. Si gallina in puteo mortua fuerit, puteus evacuetur: ſi ſciens ex eo biberit, jejunet hebdomada una. Si quis mus, aut gallina, aut aliquid ceciderit in vino, aut in *aqua* aliqua, de hoc nullus bibat; ſi in oleum aut mel ceciderit, oleum expendatur in lucernam, mel vero in medicinam, vel in aliam neceſſitatem. Si piſcis mortuus fuerit in piſci-

na, non manducetur; qui manducaverit, jejunet hebdomadas IV. Si porcus, vel gallina manducaverit de corpore hominum, non manducetur, neque ſervetur ad ſemen; ſed occidatur, & canibus tradatur. Si quis lupus plagaverit animal, & mortuum fuerit, nemo manducet, & ſi vixerit, & poſtea eum homo occiderit, manducetur. Sive cum capra, ſive cum pecore, aut cum alio animali ſi peccaverit homo cum eo, nemo manducet carnem ejus; ſed occidatur, & canibus tradatur.] Sed hæc minime reperiuntur in Pœnitentiale Halithgarii apud Caniſium, tom. 5. ant. lect. Nec Menardi aſſertio valet, quod apud Caniſinm tantum libri quinque Halithgarii reperiantur, & quem Menardus affert, aſſerit eſſe ſextum Halithgarii librum; nam errat prorſus, tum quia nullibi conſtat hunc Scriptorem ſextum librum compoſuiſſe, tum etiam ex ſtylo fit evidens hujus ſexti libri ſuppoſititii: quinque enim libri Halithgarii apud Caniſium ſunt elegantes, at hic aſſertus ſextus eſt valde rudis, & ineptus. Inſuper notabiliter errat ibidem Menardus, aſſerens ſupradictas ineptias ex pœnitentiali Romano deſumptas fuiſſe, de quibus nil prorſus in Romano pœnitentiali, quod videre eſt apud Antonium Auguſtinum Archiepiſc. Tarracon. in tract. cujus titulus eſt: Canones pœnitentiales, ſeorſim editus Venetiis apud Fœl. Valgriſium 1584. Item apud Bedam in fine tom. 8. lib. de remediis peccatorum, cap. de immunda carne hæc habentur: [ Qui manducat carnem immundam, aut dilaceratam a beſtiis, XL. dies pœniteat. Si neceſſitate famis cogente, multo levius. Mus ſi ceciderit in liquorem, tollatur inde, & aſpergatur liquor ille aqua benedicta. Si vero mortua ſit, abjiciatur totus liquor, nec ab hominibus ſumatur, ſive lac ſit, ſive cervitia; vel aliquid hujuſmodi: quod ſi mortuus ſit, liquor ille, in quo mus, vel muſcula incidens moritur, purgetur, & aſpergatur aqua ſancta, & ſumatur, ſi neceſſitas ſit. Si avis ſtercoraverit in quemcumque liquorem, hujuſmodi tollatur ſtercus, & mundetur cibus aqua benedicta, & ſumatur. Qui ſanguinem neſcius cum ſaliva ſorbet, non ei nocebit. Qui manducans, proprio polluitur inſcius, non ei nocet. Si autem ſcit, pœnitentiam agat juxta modum pollutionis.] Et cap. de diverſis cauſis, ibidem hæc habet: Qui morticinium inſcius, XL. dies pœniteat, ſi autem ſciens, C. dies pœniteat. Qui fraudatum comedit, & eſt inops, vel hebes, IV. dies pœniteat. Sani autem, & infirmi ſi ſciunt, XL. dies pœniteant. Qui ſæpe faciunt, III. quadrageſimas, vel annum. Qui comedit, vel bibit a familiari beſtia, ideſt, cane, vel catto, & ſcit, C. pſalmos cantet, vel unum diem jejunet. Si quis dederit alicui liquorem, in quo mus, vel muſtela mortua inveniuntur, ſi ſæcularis, IV. dies pœniteat &c.] Item Burchardus Uvormatienſis Epiſcopus de locis communibus Decretorum &c. lib. 19. cap. 106. ex pœnitententiali Romano aſſerto, hæc habet: [ Qui comedit, vel bibit intinctum ex familiari beſtia, ideſt, cane, vel catto, & ſcit, C. pſalmos cantet; ſi neſcit, duos dies jejunet, vel ſi redimere voluerit, L. pſalmos cantet. Si in Cœnobiis contigerit, CCC. pſalmos cantet.] Beda vero in dicto lib. de remed. peccat. cap. de diverſis cauſis habet: [ Si ſæcularis eſt, IV. dies pœniteat, in cœnobiis, CCC. pſalmos cantet, qui poſtea noverit, quod talem potum biberit, pſalterium cantet.] Burchardus habet: [Qui poſtea noverit, quod talem potum biberit, CL. pſalmos cantet. Si quis ſemicoctum comederit inſcius, tres dies pœniteat, vel pſalterium cantet, ſciens autem VII. dies pœniteat.] Beda: [ Sciens autem, IV. dies pœniteat &c.] Cum Burchardo concordat Ivo Carnor. in decret. part. 15. de pœnit. cap. 118. Sed ſimilia pœnitentialia licet apud eoſdem Auctores Romana aſſerantur, non eſſe talia, ex ſupradictis jam oſtenſum eſt, & omne hujus æquivoci malum ab Aquilone pendere ſatis videtur, dum apud Germanos Auctores, ſive Ultramontanos hæc commenta reperiuntur, & non penes Auctores Italos, nec in Eccleſia Romana talem opinionem unquam extitiſſe reperitur. Hinc Ultramontanus Ditmarus Merſepurgenſis Epiſc. qui in ignorantiæ ſæculo vixerat, hanc opinionem ſic futiliter defendit: Tertia ſpecies eſt animæ pecudum, ac volatilium, quæ cum corpore parem initii, finiſque ſortitur æqualitatem. Unde ſicut in lege Moyſi, a Domino data, præcipitur; ita verus Chriſticola ab eorum ſanguine nequaquam pollui, canonica auctoritate prohibetur. Multi enim ſunt pauperes, qui hoc in uſu comeſtionis habent, & ſe in hoc aliquid peccare ignorantes, ſibi in hac, contradicentibus cunctis, reſiſtunt. Ergo tu homo gloria, & magno honore a Domino coronate, & ſuper omnia ejuſdem opera conſtitute, da pro omnibus gratias Altiſſimo, retribuens ei pro poſſibilitate tua, quæ tibi fecit miſeratione ſua, l. 1.] Quare credibile eſt in operibus Bedæ, & aliorum ſupra a Græcis, ſive ab indoctis additas ſimiles ineptias fuiſſe. Satis enim liquet in nullo legitimo, ac Generali Concilio, nec ab ullo Pontifice Romano talia ſuppoſititia decreta fuiſſe prolata; imo ex Rabani Mauri Pœnitentiale, contrarium conſtat, ſcilicet, per ſuffocatum non ſtrangulatum, ſed immolatum intellexiſſe Romanos Pontifices, dum cap. 25. inquit; [ In decretum Leonis Papæ cap. XXX. ſcriptum eſt de his, qui convivio Gentilium, & eſcis immolatitiis uſi ſunt: ſi qui convivio ſolo Gentilium, & eſcis immolatitiis uſi ſunt, poſſunt jejuniis, & manus impoſitione purgari: ab idolothytis abſtinentes, ſacramentorum Chriſti poſſunt eſſe participes. Si autem aut Idola adoraverunt, aut homicidiis, aut fornicationibus contaminati ſunt, ad communionem eos, niſi per pœnitentiam publicam, non oportet admitti.] Ubi duo obiter notanda ſunt: nempe, quod differentiam facit inter idolothyta, & idololatriam, & quod per ſanguinem Leo Papa homicidium intellexerat, ut ex ejus verbis a Rabano citatis clare patet. Dicendum igitur eſt ſupradicta ſuperſtitioſa ſcrupula non eſſe Bedæ, & aliorum ſupra, ſed addita: nam ex Bellarmino, & Labbè de Scriptoribus Eccleſ. ſatis con-

conſtat Bedæ, aliiſque ſupra citatis multa inter eorum opera fuiſſe inſerta, quæ vere eorum non ſunt. Quin & talis erronea opinio quaſi Hypocritarum ſecta ab Evanto Abbate antiquiſſimo Scriptore apud Henricum Caniſium, tom. 5. antiq. lect. impugnatur, cujus titultus talis eſt: [ Contra eos, qui ſanguinem animalium immundum eſſe judicant, & carnem mundam eſſe dicunt. ] Carnem mundam intelligit ſine ſanguine, ubi hunc errorem extra Italiam primo ſeminatum fuiſſe teſtatur, inquiens: [ Ad agnitionem noſtram venit, quod exurgentes in quibuſdam Cæſarauguſtæ partibus reperiſſe vos aſſeritis Chriſtianos necdum eruditos paginis ſacris, judaico more ſequi litteram occidentem, & poſtponere ſpiritum vivificantem; qui dicunt immundum fieri hominem alicujus animalis ſanguinem comedentem, neſcientes, neque intelligentes præcepta priſca magis mores hominum demonſtrare, quam in natura ſervare. Nam ſi iſta ita ſunt, cur aperta fronte cum Judæis & alia, quæ vetita ſunt, præcepta priſcæ legis carnaliter non teneant, neſcio &c. ] & inferius. [ Quod ſi forte objiciunt iſta in canonibus haberi. Nec ego me iſta fateor ignorare. Sed in antiquis canonibus iſta reperiuntur, quando Eccleſia ex circumciſione, & præputio ad fidem congregabatur; quando adhuc non ſolido cibo, ſed lacte nutriebatur. Tale quid ad Corinthios Apoſtolos dixiſſe noverint, & in Actibus Apoſtolorum facta invenient. Nunc vero Eccleſia Dei ſolido cibo roborata conſiſtit, ut viriliter contra impetus Hæreticorum pugnet, non in infantium mollitie enervata ſuccumbat. ] Is autem auctor, ut Caniſius in præfat. autumat ann. 588. ſcribebat: Et poſt varia argumenta, & auctoritates ſic concludit: [Nam ridiculum eſt carnes mundas, quas Deus creavit, immundas, & ſanguinem carnium, qui utique nutrimentum, & ſalus carnis eſt, fecerit immundum &c. Abſit a fidelium cordibus, ut iſta carnaliter intelligentes, a ſinu Matris Eccleſiæ diſcedant, & ſecum taliter credentibus gehennæ ignibus tradant. ] Sed quis fuerat iſte Doctiſſimus Pater, & quibus ſcribit talia? Certe iſte cum aliis Epiſcopis multa Conciliorum decreta roboraſſe refert Caniſius in præfata præfatiuncula. Unde credibile eſt hæc, quæ retulimus, contra Eccleſiaſticos illos, qui in Conciliis Aurelianenſi II. cap. 20. & Vormatienſi, cap. 65. ac in pœnitentialibus ſupradicta futilia aſſeruerant, ſcripſiſſe. Nam contra Sacerdotes hujuſmodi ſatis clare loquitur, ut ex titulo ejus epiſtolæ ſupra allato patet, & ex illis verbis: [ A Sacerdotibus debilibus &c. liber Paſtoralis S. Gregorii legatur] & in fine: [Secum taliter credentibus gehennæ ignibus tradant. ] Igitur dicendum, quod in can. Apoſtolico nil aliud continebatur, niſi pure id, quod in Actibus Apoſtolorum, cap. 15. reperitur. Cæterum etiam in Sac. Scriptura *Morticinum* aliquando Idolis immolatum ſignificat: [ Quia contaminaverunt terram meam in morticiniis Idolorum ſuorum. Jerem. 18. ] Imo Theodoretus in quæſt. in Geneſi, quæſt. 55. quærens: [ Cur plane de carnibus edendis legem tulit Deus?] ſic reſpondit: [ Mox ubi creaſſet hominem, dedit illi terræ fructus, jubens illum veſci fructum ſeminum, & arborum: poſt diluvium autem pretioſiorem cibum illi confert, jubens occidere, & comedere volatilia, & natatilia, & terreſtria animalia, affectum affectu repellens, & leviori curans graviorem. Prævidens enim Deus, homines in extremam dementiam lapſos, hæc omnia animalia pro Diis habituros, permiſit illorum eſum, ut impietatem illam cohiberet. Summa enim eſt inſania adorare quod comeditur. Propterea vero animalia quædam immunda dixit, alia vero munda, ut illa, quæ immunda ſunt, pro Deo colere exhorreſcant: quæ vero munda ſunt, quia comeduntur; non adorent.] Vide *Botulus*. In quo differt Suffocatus a Præfocato. Vide *Præfocatus*. Vide *Idolothytum*.

Suffraganeus, Epiſcopus Archiepiſcopo, ſive Metropolitano ſubordinatus, ita appellatus quia ſuffragium, & votum præſtabat in electione, & in cauſis ejus Comprovincialium Epiſcoporum, FR. Item ſupplebat vicem ejus Archiepiſcopi. Gloſſ. in can. placuit, ut Presbyteri, 2. quæſt. 6. Vide *Collega*, *Comprovincialis* :||: Hodie tamen abuſive intelligitur etiam titularis Epiſcopus, qui in functionibus Pontificalibus ſupplet vicem alicujus Archiepiſcopi, ſive Epiſcopi.

Suffragium. FR. ſignificat votum, voluntas, conſenſus, calculus [ Q. Caponium invenimus ambitus damnatum, quia vini amphoram dediſſet dono ei, cujus ſuffragii latio erat. Plin. lib. 35. c. 12. ] Item collectam, commemorationem. Vide ſuis locis. Item genuflexionem a nomine *Suffrago*, *ſuffraginis*, quod flexuram poſteriorem in cruribus denotat, quaſi ſubfracta. ] Victimarum probatio in vitulo, ut cauda articulum ſuffraginis conſtringat. Plin. lib. 8. cap. 45. ] & in hoc ſenſu pro genuflexione Idolis præſtita: [ Quem cum prædictus Epiſcopus increpat, tantum ſe ſuffragium permiſiſſe reſpondit. ] Ideſt, Epiſcopus Sardiniæ, qui ejuſdem Inſulæ judicem increpavit, quia ab inſulanis gentilibus penſionem acceptaverat, ut eos Idolis ſacrificare ſineret; ſed Judex ſe excuſavit, quod tantum ſuffragium, ideſt, genuflexionem eis permiſerat Idolis præſtare. In regiſt. D. Greg. lib. 4. epiſt. 33.

Suggestio, informatio, atteſtatio ab aliquo fide digno ſuggeſta, & exhibita. Sic in ordine Romano, ubi de Oſtiariis agitur, hæc habentur: [ Ad ſuggeſtionem Archidiaconi, tradat eis Epiſcopus claves Eccleſiæ. Item ſignificat ſupplicem libellum, quo populus in electione Epiſcopi atteſtabatur de recta idoneitate in favorem poſtulati: [ Veniunt ad Apoſtolicum *ideſt*, *ad Papam* ) cum ſuo Electo, deferentes ſecum ſuggeſtionem, hoc eſt rogatorias litteras, ut eis conſecret Epiſcopum. Albinus Flaccus, de divin. off. cap. 36. ] Sic etiam D. Gregorius in ejus Regiſt. *Paginam ſuggeſtionis* libellum informativum ſæpe intelligit. Ita

etiam

etiam *Memoriale* hodie Romæ vulgariter dicitur, quia memoriæ ſuggerit.

Suggestor, Cæremoniarum Magiſter. Officium in Eccleſia Conſtantinopolitana, cui cura erat Patriarchæ celebranti cæremonias, & verba ſuggerere. Vide *Hypominiſcus*, *Rememoratorius*. Significat etiam Concionatorem a ſuggeſto, ideſt, ambone. Vide *Concionator*, *Suggeſtum*.

Suggestum, *& Suggeſtus*. FR. ſignificat elationem, quæ in geſtiendo, ſeu in faſtu, & ornamento oſtenditur: hinc Statius lib. 1. Sylvar.

——— Celſæ procul aſpice frontis honorem,
Suggeſtumque comæ. :||:

Et Tertull. de cultu fœmin. inquit: [ Non tantum confictæ & elaboratæ libidinis ſuggeſtum recuſandum a vobis ſciatis. ] Ac idem de Coron. [ Ab ipſo incolatu Babylonis illius in Apocalypſi Joannis ſubmovemur, nedum ſuggeſtu &c. Idem de Pallio, cap. 4. [ Pallium ſuper omnes exuvias, & peplos auguſta veſtis, ſuperque omnes apices, & titulos ſacer ſuggeſtus deducit oculos. ] FR. item denotat locum eminentem; utpote ambonem. Vide Calepinum in dict. Suggeſtum, & hic in dict. *Ambo*. In quo ſenſu reperitur in Eccleſia S. Spiritus Ravennatenſis Civatatis tale epitaphium: [ Suggeſtum hoc, in quo Pontifices Ravvenates olim a Deo per Spiritum Sanctum ſub columbæ ſpecies creati, conciones habuerunt &c. ] Item ſignificat pedule, & ſuppedaneum Celebrantis ante altare in ſuperiori gradu poſitum, quod Italice *Pradella* dicitur. [ De talibus inſtitutis etiam illa generatur impietas, ut Sol inchoatione diurnæ lucis exurgens, a quibuſdam, (*ideſt, Romanis*) inſipientioribus, de locis eminentioribus adoretur: quod quidem nonnulli etiam Chriſtiani adeo ſe religioſe facere putant, ut priuſquam ad Beati Petri Apoſtoli Baſilicam, quæ uni Deo, & vero eſt dedicata, perveniant ſuperatis gradibus, quibus ad ſuggeſtum aræ ſuperioris aſcenditur, converſo corpore ad naſcentem ſe ſolem reflectant, & curvatis cervicibus, in honorem ſe ſplendidi Orbis inclinent. Quod fieri partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis ſpiritu, multum tabeſcimus, & dolemus. S.Leo Papa, ſerm. 7. de nativitate Dom.] Et de Germano Patriarcha Conſtantinopolitano inquit lib. 4. Nicephorus Gregora: [ Quare cum is primum ſacrificia cum cæteris Pontificibus peregiſſet, ante veſtibulum ſacri ſuggeſtus proſtratus, duo ſua peccata, perjurium, & filii Imperatoris excœcationem profitetur, ibique condonari petit. [ Quod intelligitur in confeſſione facta ad Miſſæ principium in infimo Altaris gradu, ut diximus in dict. *Confeſſio*. Suggeſtus, hoc eſt, Altaris pedule dicebatur, quia ibi antiquitus ſuggerebatur, & concionabatur verbum Dei, ut Sidonius cecinit:

Seu te conſpicuis gradibus venerabilis aræ
Concionatorem plebs ſedula circumſiſtit.

Sulfreal. FR. Homo ingenuus, & liber, l. ſi mulier libera, de furtis, & l. ſi quis liber. de Adulterio.

Sulphuratior, ideſt, ardentior. [ Sulphuratiorem eis gehennam præparabis. Tertull. lib. 1. adverſ. Marcion.

Summarius, jumentum, cui onus imponitur. Vide *Salma*. [ Argentum reputatum eſt fœnum, ſummarii non levati ſarcinis; onuſti nihilominus repatriant, vel inviti. S. Bernard. lib. 2. de Conſid.

Sumptorium, coclear, quo Euchariſtia porrigebatur, quemadmodum utuntur hodie Græci: [ Calicem majorem cum patena, ſumptorioque fecit ex auro, lapidumque petioſorum illuſtravit nitore. Flodoard. lib. 3. Hiſt. Rhemenſ. cap. 4. ] Vide *Apalareus*, *Forceps*.

Sunnia, excuſatio. [ Ipſe nec veniſſent ad placitum, nec ulla ſunnia nunciaſſet, affirmat. Marculfus Monachus, lib. 1. formular. cap. 37. ] Dicitur etiam *Exonia* ex gallico vocabulo *Eſoine*. Ita enim in epiſt. Hincmari ad Carolum Magnum legitur. [ Quo mittens ad Dominationem veſtram excuſatio impoſſibilitatis ſuæ, illuc veniendi requiſita eſt, quam patriotica lingua nominamus exonia. ] Vide *Sunnis*.

Sunnis, impedimentum, excuſatio. [ Si quis ad mallum legibus monitus fuerit, & non venerit, ſi eum ſunnis non detinuerit, XV. ſoli d. culp. judicetur, in Conſtit. Caroli Magni, lib.3. cap.45. ] Vide *Sunnia*.

Superaltare, Altare portatile, ſive lapis ſacratus, ſuper quem ſacrificatur. [ Cum ſuperaltare cœlo, & cruce ſuperpoſita. Matth. Pariſ. in vita Abb.

Superbia. Vide *Gaudimonium*.

Superbus. Vide *Philocompicus*.

Superbissimus. Vide *Faſtigiatiſſimus*.

Supercilium. Vide *Epiſcynium*.

Superdico. FR. hoc verbum uſurpabatur in ſignificatione promulgationis delictorum Rei, quando ad ſupplicium ducebatur, l. ſi duo, §. ultim. ff. de jurejur. Quod a Promulgatore exequebatur, & tunc dicebatur *ſub præconis voce*. Unde de Sancta Agnete legitur: [ Juſſit ad lupanar duci ſub voce præconis, dicentis; Agnetem ſacrilegam virginem diis blaſphemiam inferentem, ſcortum lupanaribus datum. D. Ambroſius, ſerm. 90. de paſſione S. Agnetis: ] de quo ſermone, an S. Ambroſii re vera ſit, valde dubitant Baronius in Annalibus, & Bellarminus, cum Labbè de Scriptoribus Eccleſiaſt. in Ambroſio.

Superdictio, dictio addita ſupra aliam deletam, vel ejus vice ſuperaddita: [ Et ut pagina hujus teſtamenti in diſceptationem venire non poſſit, ſi quæ litteræ, caraxaturæ, additiones, ſuperdictioneſve ſunt, nos eas fecimus, & facere juſſimus. Marculf. lib. 12. formular. cap. 17.

Supererogatio. Vide *Periſſochoregia*, *Roga*, *Strena*.

Superflui, appellati ſunt in Concilio Chalcedonenſi Doctores illi, qui ad diſcutiendas theologales quæſtiones acciti erant: ita denominati, quia votum deciſivum non habebant; nam ſolis Epiſcopis hoc de jure conveniebat: ſed ſolum conſultivum illis competebat.

Superhabeo, deſpicio, parvipendo: [ Nunquam Moyſis vocem ſuperhabuiſſet. Lucifer Caralit. lib. 1. pro S. Athanaſio.

Superhumerale. Vide *Pallium*. FR. Aliquando hæc dictio ſtolam ſignificat: [ Ergo non eſt Chriſtianus Sacerdos? Et dixi, non eſt. Neque enim aſtat Altari, neque poſt ſanctificationem panis exaltat eum dicens: Sancta Sanctis, neque baptizat, neque chriſmatis confectionem patrat, neque facit Epiſcopos vel Presbyteros, aut Diaconos; neque linit Eccleſias neque indicia Sacerdotii fert, humerale, ſcilicet, & Evangelium. In Collat. S. Maximi Mart. a Sirmundo in 8. edit. pag. 123. ] Humerale erat differens a ſuperhumerali, nam illud erat Amictus, ut ſuo loco dictum fuit. [ Verum Sacerdos ſolus accedit, & ſolus adorat tantum ſuperhumerale indutus. Philoth. Patriarcha, cap. 1. tit. Quomodo miniſtrat Diaconus cum Sacerdote. In tom. 6. Biblioth. PP. Edit. Pariſ. de an. 1589. col. 246. ] Superhumerale hebraici Sacerdotis. Vide Ephod.

Superi. FR. appellati ſunt viventes, nam ſuperſtites ſunt reſpectu mortuorum, qui inferi dicebantur, quia in inferiora terræ jacent. [ Si me quempiam laudare repererint, qui ſuperis junctus ſit. In vita S. Columbani Abb.

Supericonicæ, ita litteræ in imagine alicujus Sancti appoſitæ dicebantur. [ Neſciebat tamen quid caneret, quia litteras ignorabat. Videns autem in Oratorio litteras ſupericonicas Apoſtolorum, reliquorumque Sanctorum, exemplavit eas in Codice, Greg. Turon. in vitis Patrum, c. 6. ] Vox quidem eſt latino-græca: componitur enim ex propoſitione latina ſuper, & εἰκών, imago.

Superista. Vide *Spharista*.

Supero, hoc verbum aliquando relinquere denotat. [ Ego ſuperavi ſolus prophetarum. Lucifer Caralit. lib. 1. pro S. Athanaſio. ] In hoc etiam ſenſu exponendus eſt textus Joannis, cap. 6. ubi Chriſti verba refert: [ Colligite, quæ ſuperaverunt fragmenta. ] ideſt, quæ relicta ſunt.

Superpelliceum, Eccleſiaſticum indumentum quod italice *Cotta*, ex græco vocabulo χιτὼν, tunicam ſignificante, dicitur, ſive ex arabico *Rittan*, ideſt, linum, ex qua materia ſuperpelliceum conficitur; imo Arabes *Kettuna* vocant albam; in aliquibus tamen Senenſis Eccleſiæ Cæremonialibus m. ſs. *Cocca*, & alio nomine *Camiſia ſuperanea* appellantur. Davantria tamen in ejus m. ſ. cæremoniali per *Superpelliceum* rochettum intelligit, quia ſub pelliceam cappæ geritur; nam quod nos ſuperpelliceum dicimus, ipſe *Cottam* vocat: etymon igitur hujus indumenti a Durando, lib. 3. c. 1. ſic explicatur: [ Superpelliceum, eo quod antiquitus ſuper tunicas pelliceas de pellibus animalium induebatur; quod adhuc in quibuſdam Eccleſiis obſervatur, repræſentantes, quod Adam poſt peccatum talibus veſtitus eſt pelliciis. [ De qua veſte D. Hieronymus adverſ. Pelag. lib. 1. mentionem facit, inquiens, quod ſit candida, & nedum Sacerdotibus, ſed Diaconis, & univerſo Clero communis. Habet Crucis formam, quia Eccleſiaſtici imitari debent Chriſtum crucifixum: ita Durand. loc. cit. Antiqua ejus longitudo ex Concilio Baſilienſi colligitur, ubi ſic habetur: [ Horas canonicas dicturi cum tunica talari, ac ſuperpelliceis mundis ultra medias tibias longis. ] Imo antiquitus majori longitudine ſuperpellicea formabantur, ut Gemin. de antiq. rit. Miſſ. lib. 1. cap. 132. refert inquiens: [ Hæc veſtis eſt laxa, quia clericalis vita debet eſſe in eleemoſynis, & bonis operibus larga; eſt etiam talaris, quia docet uſque ad finem perſeverare in bonis. ] Idemque Auctor addit, quod tempore quadrageſimali ſuperpellicea gerebantur ex lana contexta in ſignum mœſtitiæ, & humilitatis, inquiens: [ Diebus quadrageſimæ, vel alio congruo tempore laneis tunicis utuntur, quia Miniſtri Eccleſiæ Regi Chriſto in humilitate ſervire præcipiuntur. Ibidem, c. 233. ] Ideoque Romanus Pontifex in quadrageſima, & in aliis jejuniorum temporibus fert veſtem candidæ lanæ, quod etiam in pœnitentiæ functionibus obſervat, ideſt, in proceſſionibus Jubilæi, ac quando ſeptem Eccleſias viſitat, vel in Anno Sancto quatuor Patriarchales. In aliquibus tamen Eccleſiis adhuc primæva ſuperpellicei forma retinetur, nempe, ea rotunditate antiquæ planetæ ſine manicis, ſub qua ex lateribus brachia extolluntur. Reprehenſione dignus eſt Clericorum abuſus, qui cum uſualibus palliis in publicis proceſſionibus procedunt, uſum ſuperpelliceorum prætermittentes contra laudabilem Eccleſiæ ritum, quæ profunda myſteria in omnibus veſtibus, & præſertim in ſuperpelliceo, quod candidum Angelorum indumentum denotat, agnoſcit, quorum munditiam imitari debent Clerici, quippe qui non habent ut reliqui Religioſi habitum ſacrum, præter hoc ſuperpelliceum. Prudenter igitur Generalis Societatis Jeſu Piccolomineus de anno 1650. ordinaverat, ut ejus Clerici in proceſſionibus Corporis Chriſti cum ſuperpelliceis incedere deberent, quo actu cum eorum ſolito decore, ac modeſtia conſociata eſt ſacri, & Eccleſiaſtici ritus obſervantia. Sic ille Angelici Regni Cancellarius Thomas Morus ad inſtar candidiſſimi oloris ſuperpelliceo indutus officiis divinis aſſiſtebat, de qua re, cum admonitus eſſet, ne id ageret, dum contra ejus Regis decorem hoc eſſe videretur, tunc ſapiens, ac pius Vir, non eſſe in Regis deſpectum, reſpondit, id, quod in obſequium Regis Regum præſtatur; ſic etiam non erubeſcebat David Ephod lineo incedere coram Domini Arca, ut habetur 2. Reg. cap. 16. & 1. Paralip. cap. 15. Igitur multo minus erubeſcere debent Clerici in præfatis functionibus ſuperpelliceo uti. Superpelliceo in Miſſa uti debent Epiſcopi Regulares. Vide *Rochettum*.

Superpositio, jejunium, abſtinentia: ita dicitur, quia tunc abſtinentia cibo præponitur, ad imitationem Græcorum phraſis, qui jejunium ſimiliter ὑπέρθεσιν appellant. [ Errorem placuit corrigi, ut omni Sabbati

ti die ſuperpoſitiones celebremus. Concil. Illiber. can. 26. ] FR. Ferdinandus tamen Mendoza, & Garzas legunt *Jejuniorum ſuperpoſitionem*. Sed prior lectio uti antiquior a Salmaſio, & Binio ſuſtinetur.

Superstitio, vanus divinitatis cultus, & ideo Religionis virtuti oppoſitum vitium eſt: dupliciter in hoc peccari poteſt; vel adorando creaturas in contemptum veri, univerſaliſque Creatoris, & hæc *Idololatria* dicitur, de qua ſuo loco dictum fuit; vel verum Deum indebitis ritibus, atque ſuperfluis cæremoniis adorando; & hæc vana obſervantia dicitur. Ac Iſidori definitio adaptari poteſt, lib. 8. Orig. 3. ajentis: [ Superſtitio dicta eſt, quod ſit ſuperflua, aut ſuperſtatuta obſervatio. ] FR. ſuperſtitio in quo conſiſtat, habetur in can. Illud, quod eſt, 26. quæſt. 2. Item ſuperſtitioſum dicitur, quod non eſt decreto Sanctorum Patrum ſancitum, & ſuperſtitioſis non eſt adinventionibus præſumendum. De translat. Epiſc. cap. 2. Reliqua vide hic in dictionibus: *Caragus*. *Hydromantia*. *Perlapta*. *Phylacteria*. *Pyctacium*. *Somnialia*. *Sors*. *Strena*.

Superventio, aggreſſio. De ſuperventione paganorum. Flodoard. lib. 3. hiſt. Rhemen. cap. 13.

Superventus, aggreſſio. [ Si quis ſuperventu ſive diurno, ſive nocturno &c. Papinian. lib. Reſponſ.] In eadem ſignificatione reperitur in lege ſalica: [ Si quis hominem ingenuum ſuperventu expoliaverit, tit. 17. §. 1. ] Gregorius tamen Turonenſis eodem vocabulo in genere neutro utitur: [ Furta, ſuperventa, pervaſiones, cædes &c. lib. 8. cap. 40. ] FR. ſed re vera ſuperventus eſt nomen adjectivum.

Suppanus, Magiſtratus officium apud Serviæ populos. [ Magiſtratus habent, quos Suppanos vocant, & Domino Imperatori aliquando ſerviunt. Uvlielmus Tyr. de bello ſacro, l. 20. c. 4. ] ſic denominabatur, quia toga induebatur, quam illi *Suppam* vocant. Dicitur etiam *Sopanus*, & *Zupanus*.

Suppar, ſubſtitutus. Tertullianus de comis fictis, & ſubſtitutis agens, inquit: [ Sancto, & Chriſtiano capiti ſuppares, de cultu fœminar. cap. 7.

Supparatura, ſubſtitutio: [ Neque generis ſupparatura gravis erit membris. Tertull. de reſur. carnis, cap. 61.

Supparo, ſubſtituo: [ Monens cavere, ne vitiatio ſeminis ex aliqua vilitate concubitus labem corpori, & animæ ſupparet. Tertull. de anima, cap. 25.

Supparor, ſubſtituor. [ Ideo illis ex ſuo genere vicaria, & quaſi poſtuma ſoboles ſupparabatur, de monogam. cap. 7. ] Ubi loquitur de moſaico præcepto, per quod diſponitur in uxorem duci defuncti fratris viduatam abſque prole, ad ſuſcitandum fraternum ſemen.

Supparum, velum in labaro ad haſtam labari tranſverſe poſitam pendens, quod erat militare inſigne Romanorum; ita Tertullianus contra Gentiles ſcribens, quæ vexilla eleganter *Stolas crucium* appellavit.

Suppedanea, tabella, quæ ſub pedibus Chriſti crucifixi ſolet depingi, quod adhuc a Græcis obſervatur, & ſolet Crucifixus formari cum quatuor clavis, ut in dict. *Clavus* dictum eſt.

Suppedaneum, ſcabellum, quod ſub pedibus poni ſolet, & dicitur etiam *Pedule*. [ Vidit quendam eorum mole carnis gravatum, pedes ſuos dependere ab alto; pietate ductus a longe quærens ſuppedaneum, reperit unum, quod manibus Deo, & hominibus charis apprehendens, illud tanto Pontifici offerre non recuſavit, & ſub pedibus ejus ponere non eſt dedignatus: In vita Roberti Regis. ] Appellatur etiam ſuppedaneum ſcabellum, quod ſub pedibus ante Altare pro Celebrante inſervit, de quo in dict. *Suggeſtus*.

Suplicamentum, ſupplicium; [ Sed enim perfecta dilectio foras mittit timorem, quia timor ſupplicamentum habet, utique ignem ſtagni. Tertull. de fuga in perſecut. cap. 9.

Suppositorium, patera, quæ poculo ſupponitur in bibendo, Italice *Sottocoppa* appellata. [ Suppoſitorium aliquod argenteum pro uno ſolido dicitur eſſe appoſitum, [ ideſt, pignoratum. D. Greg. lib. 1. ep. 42. FR. Quid tale vas fuiſſet, ex Petro Abb. Cluniacenſi, lib. 1. cap. 5. colligitur, ubi ſic ait: [ Cum vino, quod ſuſceperat, fruſtra omnia comminuti Corporis Chriſti in vas, quod ori ejus ſuppoſitum fuerat, refundere coactus eſt.

Supremus. FR. extremus, ultimus: [ Quoniam ejus ſupremam ſequimur voluntatem can. quia Joannes 12. quæſt. 5.

Suriscula, vas ad hauriendam aquam: [ Lavabat ſuriſculam, & implebat eam aqua. Pelag. lib. 4. num. 67.] fortaſſe a græco verbo σύρω quod extrahere ſignificat; nam hoc vaſe aqua exhauriebatur. [ Puerulus ſtetit ante eum, habens panem, & ſuriſculam aquæ. Idem lib. 18. num. 7.

Sursum. Vide *Suſum*.

Sursum Corda. FR. verba præfationis in Miſſa ex Liturgia S. Jacobi deſumpta. Baron. an. 63. num. 7. cujus ſignificatus ſic a Cypriano explicatur: [ Sacerdos ante orationem præfatione præmiſſa parat fratrum mentem dicendo, Surſum corda: ut dum reſpondet plebs, Habemus ad Dominum, admoneatur, nil ſe aliud, quam Dominum cogitare debere. Claudatur contra adverſarium pectus, & ſoli Deo pateat: nec ad ſe hoſtem Dei tempore orationis venire patiatur, can. quando autem, de conſec. diſt. 1.] Vide *Deogratias*, *Præfatio*.

Sursus, aquæ ſcaturitio. [ Statim aquæ vivæ ſurſum in obviam ejus manentem de ſaxoſa terra erumpere invenerunt. In vita S. Guthberti 20. Mart.] ex gallica voce *Sourſe*.

Surtaria, effigies, imago. [ Ideoque direximus tibi Surtarias duas, imaginem Dei Salvatoris, & Sanctæ Dei Genetricis. S. Greg. in Regiſt. lib. 7. cap. 53. Corrigendus itaque eſt manifeſtus error in epiſtola Stephani Papæ III. poſita in calce vitarum S. Dionyſii Areop. apud Surium ad 9. Octobris, ubi ſic habetur: [ Vidi ante Altare bonum paſtorem Dominum

P.

Petrum, & Magiſtrum Gentium Dominum Paulum, & tota mente illos recognovi de ſurcariis. [ Legendum ergo omnino eſt *Surtarius*. Quod vocabulum Arabicum eſſe videtur, arabice enim *Surat* effigies,& imago dicitur.FR.legendum *Surtarius* ex ipſamet bulla Stephani III. apud Bar. an 754. n. 3. & ibi in marginali nota habentur hæc verba : [ Surtaria ſunt ſcuta, ubi ſunt pictæ imagines,apud Greg. in epiſt.ad Secundinum. ] Sed in ea epiſtola Gregorii, quæ eſt ſupra dicta 53. lib. 7. ſic inquit Pontifex : [ Et dum nobis ipſa pictura, quaſi ſcriptura ad memoriam Filii Dei reducit animum noſtrum, aut de reſurrectione lætificat, aut de paſſione demulcet. Ideoque direximus tibi ſartarias duas ] ideſt, picturas ; nam de pictura loquitur ante ; & ſequitur : [ Imaginem Dei Salvatoris, & Sanctæ Genetricis Mariæ, Beatorumque Apoſtolorum Petri, & Pauli continentes &c. ] ubi nil de ſcutis. Errat etiam prorſus Antonius Didinus in notis ad epiſtolas D. Gregorii, dum vane hanc vocem ſignificare veſtis genus putat.Quamvis ego potius hoc vocabulum a græco verbo Σύρω, quod trahere ſignificat, deducerem: nam effigies picta,ſeu ſculpta nil aliud eſt, quam tranſumptum, & extractum ab originali ; unde Itali *Ritratto*, quod fit ad ſimilitudinem, dicunt a *Retrahere* verbo. Latini enim, ac Itali non raro litteram *υ* græcam in *V* lene pronunciant, ut in littera *V* dicetur. Sic Syro-græcum verbum in Suro pronunciant ; unde *Surtariam* pro Syrtaria dixere.

Surtumina. Vide *Seturmina*.

Surtunina. Vide *Sortunina*.

Susceptor. Vide *Suſceptum*.

Susceptulus, cliens. [ Nocte igitur ſubſecuta, iterato ſuſceptulum ſuum fidejuſſor in Baſilica per viſionem blando ſolatur alloquio ? In vita S. Lupicini Abb. 21. Mart. ] Vide *Suſceptus*.

Susceptum, apoca. [Decem libras auri ſine tarditate poſt ſubditam de ſuſcepto paginam dare debeatis. D.Greg. lib. 8. epiſt. 10.ad Joannem Syracuſ. Epiſc. ] FR.unde Publicanus, ſuſceptor dicebatur, l. 4. Cod. de ſuſceptor. & arcar. & l. providendum, 23. Cod. de Decurionib. Vide *Deſuſceptum*, *Teſtamenti pagina*.

Susceptus. FR. qui ſub clientela aliqua ſuſcipitur ; ſic infirmus, qui ſub cura Medici relinquitur, nuncupatur ; unde D. Gregorius Theodoro Medico, lib. 4. epiſt. 40. Narſetem infirmum commendat his verbis: [ Chariſſimum autem filium meum, ſuſceptum veſtrum Narſetem gloriæ veſtræ commendo. Item qui ſub clientela ſpirituali, vel temporali ſuſcipitur. D. Auguſtinus epiſt. 59. de utraque mentionem facit his verbis: [ Antiſtites velut Advocati ſuſceptos ſuos per manus impoſitionem miſericordiſſime offerunt poteſtati. [ Sic etiam ſuſceptus, filius ſpiritualis in ſacro fonte dicitur.

Suspectus, pro ſuſpicace, ſive ſuſpicioſo. [ Ne quia prædixerat tertia die reſurrecturum ſe a morte, diſcipuli furto amoliti cadaver fallerent ſuſpectos. Tertull. Adverſ. Gent. cap. 21. ] Ac clarius idem alibi : [ Quid geſtis, aut ſuſpecto, aut non deſideranti placere ? De cultu fœm.

Suspendeo. FR. aliquando ſeparare, & eximere ſignificat. [ Laurentium, & Petrum a communione Papæ ſe ſuſpendiſſe replicatis. Ennodius in Apologet. ] Vide *Suſpicio*.

Suspensorium, repoſitorium, in quo caro ſalſa ſuffumigatione camini exſiccabatur. [ Quoties neminem ſenſit eſſe in coquina, ipſam latenter intrans, ſcala ſuſpenſorium aſcendit, & ex ea parte petras, quæ muro conjungebantur,omnes pene uſque ad medietatem incidit, anteriorem vero integram reliquit, ut inciſiones celarentur. Cæſarius, lib. 6. cap. 5.

Suspensus. Vide *Delibratus*.

Suspicio, nomen, pro ſpe uſurpatur aliquando ; [ Ita & locorum ordinatio provenit, & revertendi lapſis ad gradum priorem, quo melius pœniteant, ſuſpicio non manebit. D. Greg. in Regiſt. lib. 1. cap. 18. Vide *Suſpendeo*.

Suspiria, muſicales notæ. Vide *Hoqueta*.

Sustentaculum. Vide *Deſtina*.

Susum, ſurſum, quo vocabulo,ac etiam vocabulo *Juſum*, ideſt, infra, uſus eſt D. Auguſtinus in tractatu 10.ſuper epiſtolam Joannis; fortaſſe erant vocabula Africanorum propria, quæ tamen apud Siculos hodie ſunt in uſu *Suſu*, & *Juſu*. Piceni quoque, ſed arctius, nempe *Sò*, & *Iò*, & Romani *sù*, & *giù* hodie vulgariter proferunt. Vide *Juſum*.

Susurrium, ita ex contemptu Dæmon ſacramentalem confeſſionem appellavit, & ipſum actum confitendi *Suſurrare* dixit, cujus verba a Cæſario, lib. 5. cap.29. ſic afferuntur: [ Ait Dæmon: Sunt per eam veritatem, quia ſine licentia facta, nec aliquando inde ſuſurraſti: ſuſurrium confeſſionem appellans. [ Quod in confuſionem Hæreticorum noſtri temporis reſultat, dum cum ipſomet Dæmone in contemnendo hoc ſacramento conveniunt.

Sutela, FR. Aſtutia, quaſi ſubtilis tela. Fulgent.de vocibus antiquis.

Sutulares, calceamenta ex ſuperiori parte contecta,ſed abſque ſoleis, quibus Sancta Gundula uſa eſt, ut hac ſancta ſimulatione ejus pœnitentiam tegeret. [Ut humanum vitaret favorem, dimidiis utebatur ſutularibus, ut ſuperior pars pedum videretur tecta, inferiore nuda relicta : ] Quod vocabulum a *Sutela*, quæ deceptionem, & aſtutiam denotat, derivatur.Alii tamen *Subtalares*, ac alii melius *Sotulares* legunt ; ita Innocentius Papa III. Clericis prohibens, ne calceamenta variorum colorum ex pellibus geſtarent, inquit :[ Sotularibus conſutitiis &c. cap. 15. de vita, & honeſt. Clericor.] FR. [ Et ſotulares ab eodem in ipſius domo dimiſſos, lib.5. decretal. tit. 12. cap. 19. ] Vide *Bota*, *Poulainia*.

Sycamen. FR. Sycomori arboris fructus. Qui armentarium, caprarumque Amos ſycamina vellentem elegit in Prophetam. In vita S. Condendi Anachor. ]Et ipſemet Amos de ſe c. 7. ita refert: [ Armentarius ego ſum

ſum vellicans ſycomoros.] Utrumque vocabulum derivatur ex græco σύκος, quod ficum ſignificat. Vide *Sycomorus*.

Sycomorus, συκόμορος, arbor ſycamina germinans, ſuper quam Zachæus deſiderio Salvatorem perſpiciendi aſcenderat: ſignificat ficum morum, ex eo quia habet folia ſimilia moro arbori, & fructus ejus eſt ad ſimilitudinem minoris, & autumnalis fici rotundæ, quæ a Galeno, aliiſque Scriptoribus *Ficus Ægyptia* appellatur. Errant, qui putant Sycomorus ita dici, ideſt, ficus fatua: ſed licet ab aliquibus ita appellata ſit, non ex etymologia, ut errantes crediderunt; verum fatua dicta fuit hæc ficus ob inſipiditatem, & inſuavitatem illius fructus, quam expertus ſum in meo Montis Libani itinere. FR. Hoc nomen *Sycomori* pronunciari debet penultima ſyllaba correpta, ita Gavantus.

Sycophanta, συκοφάντης. FR. indicator ficorum furti. cujus etymon varie adducitur: Ariſtophanis namq; ie Interpres putat originem habuiſſe a quodam Athenienſi, qui ut inveſtigaret quinam ex duobus ejus ſervis ficos ſuſtuliſſet, & comediſſet, dedit eis vomitorium aquæ tepidæ, ac ſtatim illas evomerat, qui eas furatus erat. Plutarchus autem, lib. de curioſitate ait, Sycophantas Athenis dici ſolitum fuiſſe illos, qui detegebant deportantes in Urbem ficos, ubi erat prohibitionis pœna. Feſtus vero ait: Apud Atticos dicebantur Sycophantæ, qui revelabant ficorum latrones, & pœna capitis plectebantur. Hinc Sycophanta etiam injuſtus Judex, & calamniator dicitur, qui pro re levi gravem pœnam imponit. Quare ubi vulgata Proverbior. c. 28. habet: [ Dux indigens prudentia multos opprimit per calumniam] LXX. legunt: [Rex egens proventuum magnus, ſycophanta. ] Hinc etiam vantiloquos Aſtrologos Gellius appellavit, inquiens: [Ac Favorinus (ut hominis ingenium fuit, uti quæ græcæ facundiæ copia ſimul, & venuſtas) latius ea, & amœnius, & ſplendidius, & profluentius exequebatur, atque identidem commonebat, ut caveremus ne qua nobis iſti ſycophantæ ad faciendam fidem irreperent, quod viderentur quædam interdum effutire, aut ſpargere, lib. 14. cap. 1. in fine.

Syllabæ. FR. in ſenſu litterarum, & epiſtolæ [ Flagitavit autem a nobis pro ſuis ſyllabis jam dictus Sanctiſſimus Vir per Apoſtolicam auctoritatem veſtras confirmari ſedes. Zacharias Papa, in epiſt. ad Vittam in tom. 3. Concil.] Ac idem Papa Bonifacio Epiſcopo: [ Cum nobis Sanctiſſimæ fraternitatis tuæ ſyllabæ delatæ fuiſſent.] Et inferius: [ Juxta ſyllabarum veſtrarum commonitionem. Ibid. ] Unde *Syllabico*. verbum.

Syllepsis, σύλληψις. Vide *Conceptio B. M. V.*

Sylvesco. FR. confuſe augeri ſignificat. [ Opiniones humanis mentibus, unde talia vitia ſylveſcunt. D. Aug. lib. 2. de Civit. Dei, c. 18. [ Sumpta metaphora ex confuſa multiplicitate virgultorum in ſylvis. [ Animadvertite quantæ ibi ſylveſcant ſegetes ſacrilegiorum. S. Bernard. epiſt. 188.] Itaque ſemper in malum ſenſum hoc verbum accipitur: [Paradiſus in principali noſtro eſt ſylveſcens plurimarum opinionum plantariis. Arnobius in cap. 2. Geneſ.] Et in eodem ſenſu S. Maximus Abbas, & Martyr inquit: [ Ne mittas ad ſylvas, ego ſancto contentus ſum ſymbolo. In ejus collatione per Sirmondum in 8. edit. pag. 121.

Symandrum, inſtrumentum inter Orientales Græcos, quo ipſi utuntur loco campanæ, quia Mahometana tyrannis uſum campanarum in regionibus ſibi ſubjectis non permittit, ob timorem ne Chriſtiani, ſub cujus dominio maxima eorum copia degit, in inſtanti campanarum ſigno ad rebellionem ſuſcitentur ſive potius quia Turcarum familiaris, infernaliſque ſpiritus campanarum ſonum formidat. Itaque Symandri inſtrumentum nil aliud eſt, quam haſta binis malleis percuſſa, quæ ad indicendam divinorum Officiorum celebrationem, ut homines ad ea conveniant, ſonum reddit, quod ex græca etymologia σημαντήριον deducitur. Vide *Campana*, *Symbolum*.

Symbolum, σύμβολον, ideſt, ſignum: hinc fidei doctrina ab Apoſtolis tradita, quæ a verbo *Credo* incipit, dicitur ſymbolum, quia ea profeſſione audientibus ſignum præbemus nos Chriſtianos eſſe; quod ſymbolum *Gymnologia Catholica*, & *Hierarchica Euchariſtica* a S. Dionyſio appellatum fuit, ut dictum eſt in dict. *Hymnologia*, *Euchariſtia hierarchica*. Romæ antiquitus non recitabatur *Credo* in Miſſa ad denotandam fidei firmitatem, & ſtabilitatem illius Chriſtianitatis Principatus ab omni hæreticali labe jugiter immunem. Verum Benedictus Papa VIII. ad petitionem Henerici Imperatoris in Urbe recitari ad Miſſam ſymbolum ſanciverat. Baron. ann. 1204. In aliis autem per Orbem Eccleſiis recitabatur in Miſſa Nicœnum ſymbolum juſſu S. Marci Papæ, quod, ut teſtatur D. Baſilius in epiſt. ad Innocentium Papam, compoſitum fuerat ab Hermogene Epiſcopo; ſed deinde Damaſus Papa Conſtantinopolitanum ſymbolum recitari ſtatuit, eodem modo, quo univerſaliter hodie a Celebrantibus obſervatur. In Miſſa canitur alia voce ad denotandam publicam ſanctæ fidei prædicationem. Ad Primam vero, & in Completorio dicitur ſecrete, quia in primordio Eccleſiæ fides non erat adhuc divulgata, & in fine ſæculorum propter Antichriſti perſecutiones obſcurabitur. Durand. lib. 4. c. 25. Non dicitur in Miſſa feriæ quintæ Cœnæ Dom. quia Apoſtoli tunc titubabant in fide. Idem Durand. lib. 6. cap. 75. Hoc tamen uſque ad ejuſdem Durandi tempora obſervabatur, ac ſecus hodie, ut Davantria in ſuo M. S. cæremoniali notavit, ac rationem aſſignat, inquiens: [ Non dicitur ſymbolum, ita habetur in libro Papæ Gelaſii; ſed nos dicimus ſymbolum propter conſecrationem chriſmatis. ] In diebus Dominicis nunquam ad Miſſam relinquitur; ita ut ſi vigilia Epiphaniæ die Dominica venerit, tunc *Credo* dici debeat, de quo caſu Rubrica non facit mentionem; ſed erraſſe in hoc Ordinem Officii de an. 1642. notat Gavantus, part. 1. tit. 11. in Rubr. Miſſalis. Eundem errorem commiſit Ordo

Offi-

Officii de ann. 1648. & 1670. Dubitari ſolet, cur Credo, quod in Miſſa dicitur, non contineat illa verba, quæ in Symbolo Apoſtolico reperiuntur, nempe, *Deſcendit ad inferos*. Reſpondetur, quod de hoc articulo nemo unquam dubitavit, nec ullus Hæreticorum id negaverat, ideo non indigebat alia confirmatione, aut declaratione in aliquo Concilio, ſicut de aliis articulis acciderat. S. Leo Papa III. in confeſſione B. Petri pro opportunitate profitentium fidem duas tabellas argenteas ponderis librarum XCIV. poſuerat, in quarum una characteribus græcis, & latinis in alia legebatur fidei ſymbolum. Anaſt. Biblioth. in eodem Pontifice. Symbolum S. Athanaſii de an. 340. ab eo Romæ compoſitum fuit, ac ibidem ab eodem coram omnibus recitatum; in quadam tamen Pedemontana M. S. Hiſtoria Gulielmi Baldaſani in Taurinen. Bibliotheca Ducis Sabaudiæ aſſervata, dicitur D. Euſebium Vercellenſem Epiſcopum Athanaſii comitem fuiſſe in traductione Latina iſtius ſymboli, quod antiquitus quotidie ad Primam dicebatur, ut adhuc Carthuſiani obſervant. Relinquebatur etiam antiquitus in Dominicis temporis Paſchalis, in quibus æterna beatitudo figuratur, ubi fides non erit amplius. Hodie tamen juxta Romanum ritum ſemper dicitur, quando fit officium de Dominica, exceptis aliquibus ſolemnitatibus ibi notatis. Hæc item vox *Symbolum* denotat ſignum aliquod, quo antiquitus dabatur ſignum recitationis divinorum officiorum, ut plebs congregaretur: [ Cum advenerit tempus veſperi, pulſato ſymbolo, congregamur in Eccleſiam. Typic. c. 40.] FR. *Pulſato ſymbolo*, nil aliud ſignificare puto, quam dato ſigno; nam ſymbolum græce, latine ſignum ſonat, ut ſupra viſum eſt; ideo gratis dici exiſtimo, quod ſymbolum ligneum inſtrumentum fuerit: ſic etiam habetur in Sacra Scriptura: [ Noli eſſe in convivio potatorum, nec in comeſſationibus eorum, qui carnes ad veſcendum conferunt; quia vacantes potibus, & dantes ſymbola conſumentur, & veſtietur pannis dormitatio. Prov. cap. 23.] Ubi Gloſſa ordinaria inquit: [ Symbolum dare eſt in confabulatione verba conferre.] Sed veteres *Symbola comeſſalia* dicere conſueverunt, ideſt, corrogationes, ſive munuſcula, quæ ſymbola dicebantur, ideſt, ſigna affectus, & gratitudinis: hinc Plautus inquit: [ Symbolorum collatores apud forum Piſcarium. In Curcul. ] Item dicebatur *Eſſe de ſymbolis*, ideſt, de munificatis, ſive de invitatis. [ Heri aliquot adoleſcentuli coivimus in Pyræo in hunc diem, ut de ſymbolis eſſemus. Idem in Eunucho.] Dicebatur etiam *Symbolum* portio comeſtiva, quam ſecum invitatus ferebat in comeſſationibus. [ Eo conductum ſymbolum ad cœnam, ac ejus conſervum Sangarium ſyrum. Idem in Sticho. 7. ] Ubi aliqui *Symbolam* legunt, quo exemplo Celſus lib. 25. cap. 20. plagas interpretatus eſt; ſed melius fortaſſe dixiſſet plagarum ſigna. Item *Symbola militaria*. Plutarchus in M. Antonio. Et Juſtinus hiſtoricus, lib. 2. ait: [ Athenienſium Ducem Themiſtoclem ſymboles propoſuiſſe, ] ideſt, ſigna militaria. Itaque reperitur *Symbolus*, *Symbola*, *Symbolum*. Ac Terentius in Andr. [ Symbolum dedit, cœnavit. ] Hoc inſinuare videtur Salomon. loco cit. dum ait: [ Vacantes potibus &c. ] ideſt, potibus attendentes, ac incumbentes: [ Dantes ſymbola conſumentur, ] nempe, ad paupertatem redigentur hiſce corrogationibus. Nam: [ Et veſtietur pannis dormitatio. ] LXX. legunt: [ Et veſtietur diſruptis, laceriſque omnis ſomnolentus, ] ideſt, ebrius ratione prodigalitatis. Hæc item ſymbola prohibentur in Concil. Laodicenſe, c. 55. his verbis: [ Non oportet Miniſtros Altaris, vel quoslibet Clericos, vel etiam Laicos Chriſtianos ex ſymbolis, quæ vulgus comeſſalia appellat, convivia celebrare.] Quod habetur in decreto Gratiani, can. 7. diſt. 44. ubi Gloſſa bene inquit: [ Symbolum eſt, quando plures conferunt ad convivia facienda, & idem eſt, ac confertur. ] Recte ſiquidem Vocabularii Eccleſiaſtici Auctor, etymologiam Symboli a σὺν & βόλος derivari tradit, quod etiam Theſauri linguæ latinæ Auctor ſenſerat. Athanaſius in epiſtol. ad Solitar. refert Oſium Epiſcopum Legatum Sedis Apoſt. in Nicæna Synodo compoſuiſſe ſymbolum, qui tamen cum eſſet invictiſſimæ conſtantiæ ſpecimen; nam per tot annorum ſpatium Arianorum inſultibus valide reſtitit, unde Synodorum Pater appellatus eſt, quia in Nicæna, ac Sardicenſe Synodis uti Apoſtolicus Legatus præfuerat, & in Conciliis Eliberitano, Arelatenſe, Neocæſarienſe, Alexandrino, & Gangrenſe intervenerat; Oſius, inquam, qui ejus doctrina tanquam luminare majus totum Orientem, & Occidentem illuſtraverat, qui Catechiſta Magni Conſtantini eſſe meruit, & tamquam ejus Pater ab eodem Imperatore habitus, Symboli Auctor, & jam centenarius ætate; poſt tot ſuſtentamenta laborum, verberum, exiliorum, & perſecutionum pro fidei defenſione; ſed ( o mira fragilitatis metamorphoſis ) hæc orthodoxæ fidei columna, hoc Eccleſiæ catholicæ ſuſtentaculum, quaſi alter Salomon delapſum eſt tandem in ruinam, & perfidæ Arii doctrinæ factus eſt propugnator, ut Socrates, & Sozomenus teſtantur; licet D. Athanaſius in ead. epiſt. ad Solitar. dicat, quod in extremo ejus vitæ pœnitentia ductus Arianiſmum damnaſſet. Errat Magiſter ſententiarum, lib. 1. diſt. 11. aſſerens, quod Leo Papa III. in Baſilica Sancti Pauli ſupradictas tabellas ſymboli fidei appoſuiſſet: nam in Baſilica S. Petri poſitas fuiſſe ex Bibliothecario viſum eſt. Errat etiam Vocabularii Eccleſiaſti Auctor, ſeu ejus ultimus compilator in dictione Symbolum, qui ibi ſic aſſerit: [ Sed quatuor dicuntur Symbola, ſcilicet, Apoſtolorum &c. Nicænum, quod Dominicis diebus in Miſſa poſt Evangelium dicitur, ſcilicet, Credo in unum Deum. Item Athanaſii &c. Quartum Symbolum dicitur juris, ſcilicet, primus titulus de ſum. Trinit. &c.] Nam ſymbolum, quod dicitur in Miſſa, non eſt Nicænum, ſed Conſtantinopolitanum, ut frater meus ſu-

ſupra retulit, & Baronius teſtatur ad ann. 809. num. 63. Symbolum fidei non eſt neceſſe, quod totum ſciatur memoriter, ſed tantum ſenſus ejus retineri debet. Vide *Spiritualiter*. Reliqua. Vide *Credo*.

Symma. FR. cubiculus, camera. [ Tarquinio in ſymma prandente, ultio divina manifeſtata eſt. In vita S. Sylveſtri.

Symmachia. FR. συμμαχία, confœderatio defenſiva, & offenſiva, ex Thucidide Cœlius Rhodig. lib. 11. cap. 6.

Symmysta, συμμύςης, Conſacerdos. Collega in aliquo ordine, ſive ſacro miniſterio. FR. aliquando ſignificat a Secretis.

Symonia, & *Symoniaci*. Vide *Simonia*, *Simonizo*.

Sympæctes, συμπαικτὴς, ſocius in ludo, colluſor; officium inter Monachos Benedictinos, cui incumbebat cura conſolandi afflictos, præcipue Tyrones, ac Novitios, quando aliquam mortificationem a Superiore recipiebant, qui ſancta ſimulatione ſe quoque illa mortificatione læſum fingebat, ut hac via tyronicam animi reluctantiam detegeret, qua patefacta, dulcedine, & efficacibus ſpiritus rationibus lenire ſatagebat. [ Et ideo, ubi debet omni modo, ut ſapiens medicus, immittere quaſi occultos conſolatores ſympæctas, id eſt, ſeniores ſapientes, qui quaſi ſecrete conſolentur fratrem fluctuantem. In Regula S. Benedicti, cap. 35. §.] In aliquibus tamen Mendoſis Codicibus *Senpectas* legitur, & in aliis M. S. regulis habetur perperam *Sepectas*. Et Smaragdus etiam male legit *Senipectas*.

Symphoniacus. Vide *Choraula*.

Symphonides. FR. dictus eſt pſalmiſta David a D. Hieronymo, epiſt. 7. ad Paulinum.

Symphonum, appellabatur inſtrumentum, ſive charta compromiſſionis, & concordati inter partes: vox quidem græca σύμφωνον, conſonantem, & ejuſdem tenoris ſignificat: [ Symphona, id eſt, conſonantia ſcripta juramento firmata. Luitprand. in Legat.

Symplator. Vide *Symplones*.

Symplones. FR. [ Symplones dicuntur convivæ: nam & amicus ſponſi, qui cum eo per convivia ambulat, ſymplator dicitur. Ganeum vero taberna eſt; unde & Succius in comœdia piſcatoria ait: Sumates viri ſymphones fratri ſunt ganci. Fulgentius de vocibus antiq. [Sed Iſidorus in Gloſſ. *Symplum*, & non *Symplatorem* vocat illum, qui ſponſum per convivia diſcurrentem comitatur.

Symponus, collaborans, & in labore ſocius. Ex verbo græco συμπονέω, id eſt, collaboro. [ Inſuper & eum, qui hanc per juſſionem ejus latinis dictaveris dictionibus Dominum, videlicet, Abbatem Joannem Sanctiſſimum Symponum. Anaſt. in epiſt. ad Conſtant. Imp.

Symposiarcha. Vide *Architriclinus*.

Sympsalma. Vide *Simpſalma*.

Synagoga. FR. συναγωγὴ; a verbo συνάγω, id eſt congrego, intelligi ſolet Hebræorum congregatio ad orandum, & legem Moſaicam prædicandam, qui locus ab eis *Bethha Geneſet*, id eſt, domus congregationis dicitur. Et in *Maſpha* ſive *Maſphath* fieri antea ſolebat: [ Locutuſque eſt Jephte coram Domino in Maſpha. Judic. 11. Egreſſi itaque omnes filii Iſrael, & pariter congregati quaſi vir unus de Dan uſque Berſabee, & terra Galaad ad Dominum in Maſpha; omneſque anguli populorum, & cunctæ tribus Iſrael in Eccleſiam populi Dei convenerunt. Ibid. c. 20. Juraverant quoque filii Iſrael in Maſpha. Ibid. c. 21. ] Et inferius: [ Qui non aſcendit ad Dominum in Maſpha. Dixit autem Samuel: Congregate univerſum Iſrael in Maſphath, ut orem pro vobis Dominum: & convenerunt in Maſphat, hauſeruntque aquam, & effuderunt in conſpectu Domini, & jejunaverunt in die illa, atque dixerunt: Peccavimus, Domino, 1. Reg. cap. 7. Et convocavit Samuel populum ad Dominum in Maſpha, & ait ad filios Iſrael; [ Hæc dicit Dominus Deus Iſrael &c. 1. Reg. c. 10.] Et clarius in lib. 1. Macab. cap. 3. ubi ſic habetur: [ Et congregati ſunt, & venerunt in Maſpha contra Jeruſalem: quia locus orationis erat in Maſpha ante in Iſrael. Et jejunaverunt illa die, & induerunt ſe cilicio &c. ] :||: Aliquando ſignificat univerſitatem, & Rempub. hebraicam: [ Ducenti quinquaginta viri proceres ſynagogæ. Num. cap. 16. ] FR. in hoc ſenſu dixit Jeſus: In ſynogogis ſuis flagellabunt vos. Matth. 10. ] Et Joannes Evangeliſta retulit: [Ut ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, extra ſynagogam fieret, cap. 9.] id eſt, non eſſet amplius ex Hebræorum conſortio :||: Quælibet ſynagoga, ſive ſchola, quam vocant hodie, in Statu Romanæ Eccleſiæ decem aurea ſcuta ſolvere cogitur pro ſuſtentatione Domus Cathecumenorum Urbis. Reliqua hujus nominis pertinentia. Vide *Archſynagogus*, *Capitolium*, *Hyems legalis*, *Paraſynagoga*, *Proſeucha*, *Synodus*.

Synapta, συναπτὴ, preces, quæ in Miſſa Græcorum canuntur pro ſalute Patriarchæ, & Imperatoris, in quarum concluſione omnis populus reſpondet? *Dominum rogemus*.

Synaxis Σύναξις, id eſt, adunatio, communiter intelligebantur ſacræ adunationes, & piæ conferentiæ, quas Sancti, & antiqui Patres faciebant. Aliquando Euchariſtiam, ſeu potius communionem ſignificat. Idem Miſſæ Sacrificium, quod conventualiter celebrabatur: [ Si dimiſſa Synaxi non concitus ad cellam recurrere feſtinaverit. Caſſ. lib. 4. cap. 16. Singuli ſervorum Dei jejunent, & XXX. diebus: horis canonicis expleto ſynaxeos &c. In quodam anonymæ ſynodi decreto.

Syncellita, contubernalis, ejuſdem cellæ habitator. Caſſ. col. 20. cap. 2.

Syncellitas. Vide *Syncellus*.

Syncellus, Σύγκελλος, qui & Congellus dicebatur, Vide *Congellus*. Dignitas in Eccleſia Conſtantinopolitana, quæ habebat futuram ſucceſſionem in Patriarchatu, ut teſtantur Cedrenus, Zonara, & Paulus Diacon. lib. 21. hiſt. FR. Dicebatur etiam *Magnus Do-*

*meſticus*, *Major Domus*. Ejus Synon. Vide *Dominicadius*, *Vice-Dominus*. Horum caput Protoſyncellus dicebatur. Vide *Protoſyncellus*: cujus inferiores. Vide *Cellulanus*, *Cubicularius*, *Domicellus*. Et quando Subdiaconi ordo non erat ſacer, dicebatur etiam *Subdiaconus Palatinus*. Licet in multis Pontificalibus, & diplomatibus titulus Domicelli, & Syncelli honoris gratia multis Baronibus tribuatur. :||: Reperitur etiam in abſtracto apud Caſſianum, in citata collat. 20. cap. 2. *Syncellitas*.

Synchronus, σύγχρονος, coætaneus, contemporaneus: [ Et Oſea Synchronon Eſaiæ. D. Hieronym. in præf. duodecim Prophetarum. ] V. *Coætaneo* verbum.

Synclerus, συγκληρὸς idest, conſors. V. *Trinitas*.

Syncleticus, συγκλητικὸς, Senator. [ Syncleticum amiſiſti, & Monachum non feciſti. ] Ita reprehenſus fuerat ille, qui relicta ſenatoria dignitate, habitum Monachalem ſuſceperat; ſuperfluum tamen affectum ſportulis ab eo contextis conſervabat. FR. De duobus Syncleticis, de quibus Baron. in Not. ad Martyrol. 5. Jan. litt. *h.* an ſit nomen proprium, vel conditionis, aliis examinandum relinquo.

Syncopo, συγκόπτω. FR. verbum, incidere, atque abbreviare ſignificat. [Plerique Eccleſiarum Miniſtri, modeſtia ordinis clericalis abjecta; dum offerre Deo Sacrificium laudis, fructum labiorum ſuorum in puritate conſcientiæ, & animi devotione deberent: horas canonicas dicere, ſeu pſallere tranſcurrendo, ſyncopando &c. In Clement. cap. gravi, de celebr. Miſſar.

Synderesis, ſeu *Synteresis*. FR. græca vox συντήρησις, ſic definitur a Gloſſa ex Ariſt. in 6. Ethic. ] Eſt pars prudentiæ, quæ procul videt, in cap. rem novam, in extrav. Jo. XXII. de dolo, & contum.

Syndicus. Vide *Defenſor*.

Syndon. Vide *Syntheſis*.

Synderium. Vide *Sanhedrim*. *Synedrus*.

Synedrus, σύνεδρος, Senator, Conſiliarius, ſapiens, ſenior. Accipitur etiam pro Conſiliario animæ, & ſpirituali Confeſſario: [ Habui, inquit, ſpiritus quendam ſynedrum. In vita S. Gorperei Epiſc. ] FR. eodemque vocabulo uſus eſt Joſephus Hebr. in denominatione illorum ſeptuaginta Conſiliariorum, qui ſupremum tribunal inter Hebræos conſtituebant; ut in dict. *Sanhedrim* dictum eſt.

Synelites, vox quidem corrupta apud Honorium, l. 1. de imagine mundi, cap. 14. cum ſelenites, σεληνίτης, idest, lunaris, ſcribendum eſſet; eſt autem gemma quædam, quæ creſcit, ac decreſcit, cum lunæ incremento, & decremento. FR. de hac gemma ſic Plin. lib. 37. cap. 10. inquit: [ Selenites ex candido tranſlucet melleo fulgore, imaginem lunæ continens, redditque eam in dies ſingulos creſcentis, minuentiſque numero: naſcique putatur in Arabia, ] quam *Lunarem* Latini appellant, & a Dioſcoride *Aphroſelenus* lib. 5. appellatur; & ibi Marcellus: corrupte tamen in textu Plinii lib. 3. c. 10. dicitur *Aphrodiſiace*: Luna enim græce σελὼν dicitur. Sic *Paraſelenes*, ideſt, plures lunæ appellantur, de qua R. P. Angelus de Nuce Archiepiſcopus Roſanenſis meritiſſimus in notis ad Chronicam Caſinen. lib. 2. cap. 3. n. 863. Sed potius ſcribendum *Paraſelenes*, ſicut etiam dicitur *Triſelenes*, ideſt, trilunis. Henricus Stephanus in ſuo Theſauro Græco-Latino in dictione σελὼν.

Syngraphum, σύγγραφον. FR. ſincera, & authentica ſcriptura, ſeu chirographum. [ Ad colligendam autem gratiam nihil prætermiſit, infinitam pecuniam, quæ fiſco debebatur, privatis debitoribus in Urbe, atque Italia, in Provinciis vero etiam ex reliquis ingentes ſummas remiſit, ſyngraphis in foro Divi Trajani, quo magis ſecuritas omnibus roboraretur, incenſis. Spartian. in Adriano Cæſ. ] Chartam publicam Caſſiodorus in Chron. interpretatur, ubi eundem Adriani factum referens inquit: [ Aviola, & Panſa his Conſulibus reliqua tributorum urbibus relaxavit, chartis publicis incenſis, plurimos etiam ipſis tributis liberos fecit. ] Dicitur enim latine *Syngraphus*, *Syngrapha*, & *Syngraphum*.

Syngrisis, σύγκρισις, conſenſus, uniformitas opinionis. [ Morbus igitur latebat occultus, per quem omnium ſecreta medullarum, & venarum meatus in ipſorum vitalium tendebant exitium, & quandam ſyngriſim in omnibus gerebant internis. Venit lex, quæ & vulnus ponderet, & tandem vetuſto languori ſupernum advenire medicum nunciaret. Petr. Chr. ſer. 112.

Synodicum, vel *Synodaticum*. FR. Eccleſiaſtica contributio Epiſcopo debita pro celebratione ſynodi. [ Quod cum iidem Clerici prædeceſſoribus tuis, tres in feſto nativitatis, & tres in feſto reſurrectionis Dominicæ pro ſynodatico ſolverint denarios, cap. olim, lib. 3. decretal. tit. 39. ] In quo autem differat ſynodaticum a Cathedratico. Vide *Cathedraticum*.

Synodicus, συνοδικός. FR. ſignificat quidquid ad ſynodum pertinet. [ Ante annos plurimos, cum juvarem Damaſum Romanæ Urbis Epiſcopum, & Orientis, atque Occidentis Synodicis Conſultationibus reſpondentem. D. Hieronymus. ] Quod dicitur etiam *Enoticus*, ab *Enoſis* græce, quod unionem denotat. Lexicon Græco-barbarum. Vide *Enoticus*.

Synodita, συνοδίτης. comes in itinere; ſic Monachi appellabant conſociantes, quando ex Monaſterio exibant. [ Monachos, quos ſynoditas vocant, Cod. Theodoſ. lib. 1. l. 6.

Synodo, συνοδιάω. FR. congrego, ſeu ad ſynodum compello. [ Ut nullus Epiſcopus Eccleſias utroque jure illi ſubjectas interdicto ſupponere, vel Monachum, ſeu Clericum ejuſdem Monaſterii ſynodare, vel excommunicare præſumat, l. 5. Decretal. tit. 33. c. 21. ] & ibi Gloſſa: [ Nullus autem Epiſcopus audeat ſynodare, vel excommunicare Monachum, vel Clericum ipſius Monaſterii, quos prædicto Abbati, ſuiſque ſucceſſoribus concedimus monendos, & conſtringendos a præſenti decima indictione. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſtit. 26.

SYNODUS, σύνοδος. FR. Adunatio, Congregatio, ſic appellata ſunt Concilia a Sanctis Patribus, ad differentiam Synagogarum, quæ ab Hebræis dicuntur, licet utrumque nomen idem ſonet. Vide *Concilium*. Tria genera ſynodorum reperiuntur, nempe, *Oecumenica*, ideſt, Generalis, ut ſuo loco dictum eſt, *Provincialis*, quæ a Metropolitano, & *Diœceſana* quæ ab Ordinario loci congregatur. *Synodus palmaris* appellata fuit ab Ennodio illa, quæ Romæ celebrata fuerat, & ita dicta, quia in ea victoriæ palmam Symmachus Papa a ſibi imputatis calumniis obtinuerat. Synodus ſexta quomodo partim damnata. Vide *Agnus Dei*. *Suffocatus*. Cætera vide *Trullus*. Pſeudoſynodi. Vide *Aſynodus*. *Homouſion*, *Latrocinalis*. *Macoſynodus*.

SYNONETUM, συνωνητόν. FR. generalis emptio plurimarum rerum, Cod. Theodoſ. lib. 11. tit. 15.

SYNORIS, par, ſive conſortium, ex græco συνωρὶς, quod per animalium vehiculum, ſeu jugum unite geſtans ſignificat. [ Quidquid fuerat nuptiis præparatum, a Sancta Chriſti Synoride Virgini traditum. D. Hieronymus epiſt. 8. ] Ubi Aviam, & Matrem Demetriadis Virginis intelligit. Recte igitur a Baronio per Nicolaum Fabrum, & Latinum Latinium admonito deletum fuit hoc nomen ex Martyrologio Romano, ubi tanquam proprium alicujus Sanctæ ponebatur. Et ipſe Latinius in homil. 4. S. Jo. Chryſoſt. de Lazaro correxerat Synoris, ubi *Xynoris* legebantur. Eodem enim modo Theodoretus, lib. 10. hiſtor. Eccleſ. cap. 12. ſive lib. 3. cap. 14. de SS. Juventino & Maximo inquit: ςρατιωτῶν συνωρὶς ἁγίων, ideſt, militum par ſanctorum, Et in orat. de fraterna amicitia, Roma, & Conſtantinopolis ab eodem appellatæ ſunt τῶν πολέων συνωρίδα, nempe, Urbium conſortium, quia in magnificentia conſortes fuere.

SYNTHEMA, σύνθημα, dorſale, ſeu inſtratum jumenti. [ Demiſſo ſynthemate, equus publicus ſternebatur. S. Hieronym. epiſt. 34. ad Julian. ] Hujus ſynonyma. Vide *Inſtratum*.

SYNTHICA, συνθήκη, pactum, conventio. [ Non Romanorum, ſed Longobardorum Epiſcopus factus ſum, quorum ſynthicæ ſpathæ ſunt, & gratia pœna. S. Gregor. in Regiſt. lib. 1. cap. 30. ] FR. Card. Baronius legit *Syſſitia*, συσσιτίαι, ideſt, ſodalitates. Vide *Stantia* in ſignificatione pacti.

SYNTESIS, σύνθεσις. FR. veſtimenti genus, quo indutum fuiſſe D. Joannem, quando Chriſtus ejus Magiſter a Judæis captus fuerat, opinatur Octavius Ferrarius, part. 1. de re veſtiar. lib. 1. c. 31. licet in Sacr. textu habeatur, quod ſyndone indutus eſſet.

SYNTROPHUS, σύντροφος, convictor, commenſalis, collactaneus, connutritus. [ Quare non & ſtercejæ, & ſyntrophi nominantur. Tertullian. adverſ. Valent. cap. 9. ] FR. Sic etiam ubi vulgata 2. Machab. cap. 9. num. 29. legimus, [ Transferebat autem corpus Philippus collactaneus ejus ] græca lectio habet σύντροφος. Vide *Herceja*, *Sterceja*.

SYNUSIASTÆ. FR. Hæretici, qui aſſerebant Chriſtum unam tantum ſubſtantiam habuiſſe; non enim credebant ex utero virginali Mariæ carnem ſumpſiſſe, ſed potius aliquam portionem Divinitatis Verbi converſam fuiſſe in carnem; & ſic conſtituebant Verbum Patri conſubſtantiale, non ſolum in Divinitate, ſed etiam in humanitate, ut ex ipſamet græca etymologia nominis συνουσιασαὶ manifeſtatur.

SYPARUM, ſeu *Separium*; ſignum, ſive in vexillo, ſive in ſigillo poſitum. [ Omnes illæ imagines, ſuggeſtus, inſignes, monilia crucium ſunt, ſypara illa vexillorum, & cantabrorum, & labarorum ſtolæ crucium ſunt. Tertull. adverſ. Gen. cap. 16. ] FR. pro ſigno ſigilli in Bullario Caſinen. tom. 2. Conſtit. 197. ſic habetur: [ Præſens privilegium noſtrum per manus &c. & bulla plumbea noſtro ſypario impreſſa juſſimus roborari. ] Idem habetur in eod. tom. 2. Conſtit. 199. 200. & 201. In priori ſignificatione. Vide obſervat. Latinii in ejus Biblioth. Sacra ad Arnobium Afrum, pag. 9ᵛ. col. 2. §. pag. 323.

SYRI. FR. populi antea Arimi appellati ſunt Strabone teſte. D. Hieronymus *Aramæos* vocat, ſed *Aramenos* Joſeph hebræus appellat, ſic inquiens, [ Aram Aramenos inſtituit, quos Græci Syros appellant, lib. 1. antiq. cap. 14.

SYRIA. FR. interpretatur ſublimis. D. Auguſt. in Pſalm. 59.

SYRIANI HÆRETICI. Vide *Eutychiani*, *Neſtoriani*.

SYRICUS. Vide *Sytonicum*.

SYROPHOENISSA, ideſt, mulier e Phœnicia Syriæ Provincia; ſic appellata fuit a D. Marco Evang. Mulier illa Chananea, cujus regio *Syrophœnix* a Tertulliano dicitur.

SYRTICUS. Vide *Diaſyrticus*.

SYRUN. Vide *Gyrum*.

SYSSITIÆ. Vide *Synthica*.

SYSTATICUS, συςατικὸς, commendatitius; ſic appellantur a quibuſdam Scriptoribus litteræ commendatitiæ, ſive dimiſſoriales, quæ Clericis peregrinantibus ab eorum Ordinariis concedi ſolent. [ Ne Epiſcopis ad principis comitatum accedant ſine ſyſtaticis litteris. Juſtinian. in novell. 6. cap. 3. ] Quæ etiam *Littera viatica* dicebantur, de quibus, ac ſimilibus aliis egimus in dict. *Littera*.

# T

T. FR. hanc litteram ſignificare crucem docet Auguſt. [ Quorum numerus, quia tricenti erant, ſignum inſinuat crucis propter litteram T, græcam qua iſte numerus ſignificatur: per quos etiam gentes magis in Crucifixum credituras præfiguratum eſt, quod littera græca eſt. Super Judicum, quæſt. 36. lib. 7. ] & idem habet in pſalm. 67.

**Tabardum**. FR. pallium uſuale. [ Cæteri quicumque Clerici utentes epitogio, ſeu tabardo ſo lerito uſque ad oram. Clement. unic. de vita, & honeſt. Clericor.] Vide *Epitogium*. Unde *Tabarro* Italice, & *Tabanella* dicitur.

**Tabellarius**. Vide *Veredarius*.

**Tabellio**. FR. Notarius. Tabellionem quoque, qui confecerat inſtrumentum, & unum ex teſtibus in inſtrumentum ſubſcriptis, ad id probandum induxit. In Decretal. de fide inſtrum. cap. 10. Ejus ſynonyma. Vide *Notarius*.

**Tabellionatus**. FR. Notariatus. [ Mandamus quatenus Clericis in ſacris ordinibus conſtitutis tabellionatus officium exercentibus per beneficiorum ſubtractionem appellatione poſtpoſita interdicas, lib. 3. tit. 50. cap. 8. decretal.

**Taberna Meritoria**. Vide *Meritorius*.

**Tabernaculum Castrense**. Vide *Heribergium*.

**Tabernaculum**, in quo Euchariſtiæ Sacramentum conſervatur. Vide *Armariolum*, *Ciborium*, *Cophynum*, *Pyxis*, *Tarris*.

**Tabitha**. Actor. 9. interpretatur *Capra*, ſeu Dama. Vide *Dorcas*.

**Tabum**. FR. liquor putridus, a tabe.

Hunc inquinatum talibus contagiis
Tabo recentis ſordidum piaculi
Omnes ſalutant, atque adorant eminus.

Prudentius in Romano.

**Taborum**. FR. hæc dictio apud Aldelmum de laudibus Virgin. reperitur, ubi ſic ait: [ Præmiſſo Chriſti taboro, & Chriſti vexillo armatus. Joannes Meruſius *Laborum* legit, ideſt, *Labarum*; idem enim erat dicere *Laborum*, ac *Labarum*, ut in dictione *Labarum* dictum fuit. Henricus vero Spelmam putat ſignificare tympanum militare, quod vulgo *Tamburro* dicitur; at qualis ſenſus eſſet Chriſti tympano præmiſſo, & quidnam eſſet hoc Chriſti tympanum? Inſuper tympaniſta in exercitu non præcedit, ut in illa dictione *præmiſſo* inſinuatur; magis ergo conſonum mihi videtur corrigi *Cantabro*, quo termino Tertullian. etiam uſus eſt adverſ. Gent. c. 16. inquiens; [ Sypara illa vexillorum, & cantabrorum, & labarorum ſtolæ crucium ſunt.] Vide *Cantabrum*.

**Tabula**, ideſt, campus, & ſpatium in veſtibus a Græcis, & a Cedreno ταβλία dicitur. [ Eodem tempore inveſtivit Corpus B. Petri Apoſtoli tabulis argenteis deauratis. Anaſtaſ. Bibliot. in Pelag. II. ] Ac clarius idem in Leone III. [ Aliam veſtem habentem tabulas chryſoclavas tres. ] Sed potius in his locis tabulam pro lamina intellexiſſe videtur Anaſtaſius. Nihilominus Tertullianus, lib. de pallio, cap. 1. hoc vocabulo utitur ad ſignificandas plicaturas in veſtibus contractas. [ Tunicam longiorem cinctu arbitrante ſuſpenditis, & pallii jam teretis abundantiam tabulata congregatione fulcitis.

**Tabula Itineraria**, Altare portatile. Vide *Altare*.

**Tabula Officialis**, in Chronica Caſinenſi ſignificat tabellam, in qua notantur Monachi, ad quos ſpectat aliquod officium exercere in Choro, ſive in Monaſterio, lib. 3. c. 22.

**Tabularius**, in eadem Chronica loco ſupra cit. denotat illum, cujus erat officium tabulas officiales conficere.

**Taburcinus**, tympanum. [ Buccinarum clangorem, ictuſque taburcinorum. Matth. Pariſ. in hiſtor. ] qui idem tympanum *Thabar* ibidem appellat, ex Arabico *Tabal*.

**Taceo**. Vide *Silentio*.

**Taciturio**, tacere cupio. [ Unde cognoſcere, quod etſi tacere nedum cœpimus, certe taciturire jam deliberavimus. Sidon. lib. 3. epiſt. 16.

**Talaga**. Vide *Togala*.

**Talamasca**, larva, facies fictitia, unde Horatius, lib. 1. ſatyra 5. cecinit:

——— At illi fœda cicatrix
Setoſam lævi frontem turpaverat oris
Campanum in morbum, in faciem per multa jocatus,
Paſtorem ſaltare uti cyclopa rogabat:
Nil illi larva, aut tragicis opus eſſe cothurnis.

Itaque Talamaſca, idem quod *Maſca*, & italice *Maſchera* dicitur. [ Larvas Dæmonum, quas vulgus Talamaſcas vocat, ſub anathemate prohibemus. In quodam Canone Concil. Rhemenſis. ] Aliqui falſo crediderunt, quod in hunc locum *Larvas Dæmonum* apparitiones ſpirituum malignorum per incantationem excitatas ſignificaret, ſed revera falluntur; nam de eiſdem ludicris larvis Nilus Abb. epiſt. 81. ad Gaudentium Silentiarium, inquit: [ Non enim caperis ludicris, aut ludibriis Dæmonum non attendis.] Nam ſimilia bacchanalia ſacrilegia eſſe antiqui exiſtimavere, ita D. Auguſt. ſerm. 215. de tempore, de ſimilibus ludicris agens, inquit: [ Ita duriſſime caſtigate, ut eos pœniteat rem ſacrilegam commiſiſſe. ] Talamaſca autem, Maſca, & Maſchera, a *Maſchara* Arabico vocabulo provenit, quod ſignificat *Ebrium*, & *Scurram*. Synonyma vero habes in dict. *Cervula*, & *Maſca*.

**Talentum**, τάλαντοι, moneta, de qua ſit mentio paſſim in Sacr. Scriptura, quod juxta Joſephi Hebræi documentum, lib. 14. antiq. cap. 12. erat ponderis CCL. librarum; nam, ut ibidem ait, apud Hebræos continebat C. minas, & quælibet mina penſabat duas libras cum dimidio. Itaque hebraicum talentum contineret his temporibus viginti quinque millia aurea ſcuta. FR. reperiebantur & alia talenta diverſorum valorum, ut apud Auctores de ponderibus, & menſuris agentes habetur, nempe, *Talentum atticum* majus, & parvum; ſive majus, & minus; minus LX. minas continebat; majus LXXX. Quare cum talenta Livius nominat, de magnis fere, & quidem de atticis intelligendus eſt. Item *Talentum Babylonicum* valebat drachmas VII. *Ægineum* X. *Syrium*, ſive *Hebraicum*, de quo ſupra, DC. drachmas, atticæ æſtimationis

Fuit & *Euboicum Talentum*, cujus meminit Livius, quod fere idem cum attico fuit. Talentum igitur atticum minus (ex quo facile pondus majoris attici talenti comprehenditur) diſtribuebatur in minas LX. drachmas VI. obolos XXXVI. ſemiobolos LXXII. chalcos CCVI. lepta MDVII. *Mina* duplex quoque fuit, *Vetus*, ſcilicet, quæ continebat drachmas ſeptuagintaquinque, & *Nova Solonis*, drachmarum centum; ſed apud Livium nova ſemper intelligitur. *Mina* igitur continet drachmas C. obulos DC. ſemiobolos MCC. chalcos, quos quidem in æreola transferunt MDC. lepta quæ minuta vocant XXVCC. *Drachma* dividitur in obolos VI. ſemiobolos XII. chalcos XXXVI. lepta CCLII. *Obulus* in chalcos VI. lepta XLII. *Chalcus* in lepta VII. quæ vix dividi poſſunt. Pondera etiam variis modis calculabantur apud varias Nationes, & ſecundum varietates temporum; unde non poteſt dari certus, & præciſus valor, atque pondus Talenti.

Taletus. Vide *Abaſcantus*.

Tallia, contributionis impoſitio. [Talliis, ſeu collectis, & exactionibus aggravare. Concil. Lateranen. ſub Innoc. III. cap. 46.] quod vocabulum ex gallica voce *Taille*, quæ proprie ramum ex arbore ſectum ſignificat, nam popularis contributio eſt pars reciſa ex bonorum poſſeſſionibus ſubditorum. [FR. inter cætera nituntur, & ſtudent, ut illis collectas, & tallias, & alia hujuſmodi &c. De immunitate, in 6. cap. 1.] Prædictus Lateranenſis canon habetur, in lib. 3. Decretal. tit. 49. cap. 7. [Fideles etiam Monaſterii nonnunquam datiis, & taliis aggravaſti. Bullar. Caſin. tom. 2. Conſtit. 230.] :||: Hodie tamen nomine talliæ intelligitur præmium a Principe, vel ab ejus Curia divulgatum, ac promiſſum illi, ſeu illis, qui revelabunt aliquem occultum Reum, vel aliquem denominatum delinquentem, & in manibus Curiæ vivum, aut mortuum tradant, atque conſignent. Ac in utroque ſenſu deputationem ſignificat. Vide *Taxatus*. *Taxatio*.

Tallio. FR. verbum, taxare, & contributionem imponere ſignificat. [Eccleſiis, eccleſiaſticiſque perſonis regularibus, & ſæcularibus imponunt onera gravia, ipſoſque talliant, & eis collectas imponunt. De immunit. cap. 3. in 6. §. 1.] Vide *Taxatus*. *Taxatio*.

Talmud, titulus cujuſdam futilis libri hebraici, qui latine ſonat doctrinam, ſive inſtructionem, refertus quidem crebris, ac multis fabuloſis, falſiſque Sacræ Scripturæ expoſitionibus. Hujus Commentarii Auctores *Talmudiſtæ* appellantur, & primus blaſphemator fuerat Judas quidam Simeonis filius, qui centum, & quinquaginta annis poſt Jeroſolymitanam deſtructionem vixerat; ac poſtea ſecunda vice Compilator fuit Rabbi Jona, qui in humanis extitit poſt tertium ſæculum a prædicta recenſita deſtructione. Tandem anno Chriſti 916. denuo compoſitum fuit a Rabbinatu, & a Rabbi Aſſe, & aliis ſucceſſive; prohibitum autem eſt, nedum Chriſtianis, verum etiam Hebræis anno Domini 1319. a Joanne Papa XXII. quia etiam Hebræi tenentur credere in recto ſenſu Sacram Scripturam; ideo ſi penes aliquem ipſorum invenitur hic ſuperſtitioſus Codex, a Sancto Inquiſitionis Officio punitur. Vide Baronium ann. 476. num. 68.

Talpa. Vide *Spalagus*.

Tamburius. Vide *Sortumina*.

Tana. FR. agmen facinoroſorum, l. cognovimus, de ſeditionibus.

Tangano, litigo, in lege Salica, tit. 60. ex Theutonico vocabulo *Tangher* idem ſignificante.

Tanganus, Advocatus ex ſupradicta etymologia, & reperitur in legib. Riboariorum [Servi Regis, & Eccleſiarum non per actores, ſed ipſi pro ſemetipſis in judicio reſpondeant, & ſacramento abſque tangano conjurent, tit. de tabular. in fine.

Tanola, FR. laqueus ad capiendas feras, l. ſi in pedica, de Venatorib. & l. ſi quis feram, eod. tit.

Tanquam. FR. hæc particula non eſt negativa, ſed oſtenſiva proprietatis. D. Auguſt. in Pſalm. 125.

Tanseria, & *Tanſeria*, lis, & contentio. [Hæc eſt ſumma pecuniæ perditæ, & tanſeriæ datæ. In vita S. Albani Abb. apud Matth. Pariſ.] a verbo Gallico *Tanſer*, contendere, objurgare.

Taphus, τάφος, ſepulchrum. [Beati pignoris taphum de loco depoſitionis movere nequaquam præſumpſit. In Vita S. Celſi Epiſc. Trevir.

Taraga, arabicum nomen *Tarahha*, ideſt, tobalia, velum, faſcia ad inſtar illius, qua uti debent Epiſcopi peregrinantes ex præſcriptione Cæremonialis, lib. 1. cap. 3. ubi ſic habet: [Circa collum faſciam ſericam coloris nigri latitudinis duorum palmorum.] Qua etiam utuntur Doctores Eccleſiaſtici Siculi, & Melitenſes ſupra ſuperpelliceum ad modum ſtolæ in concionando, ſive in proceſſionibus, ſed in Melita ſoli Doctores in Theologia utuntur. Vide *Boja*.

Tarenus, moneta, de qua fit ſæpe mentio in Chronica Caſinenſi. Hodie in utraque Sicilia; & in Melita adhuc durat, vulgo *Tari* dicitur. Trinacriæ autem tarenus correſpondet octo bajochis Romanis, ſed Neapolitanus valet multo plus. Fortaſſe corrupte dicitur a Turone. Vide *Turonis*.

Targum, nomen hebraicum, interpretationem ſignificans; ſic enim Hebræi Chaldaicam interpretationem Sacræ Scripturæ appellaverunt, quia poſt captivitatem Babylonicam melius Chaldaicam, quam Hebraicam linguam intelligebant; quæ quidem translatio facta fuit a Jonatha filio Uriel, XLII. annis ante Chriſti adventum; ideoque apud Catholicos eſt potius utilitatis, quam auctoritatis, cum in eo multæ parabolæ falſæ contineantur. Ab hoc vocabulo nomen barbaro-græcum *Targuman*, vulgariter *Torcimano*, ſive *Dragomano* derivatur, ideſt, interpres, de quo dictum eſt in dict. *Dragumanus*.

Tarichus, τάριχος, ſalſamentum, muria, caro ſalſa, condimentum. [Aſſerebant cuncti piſcium ſalſorum,

rum, & tarichorum in navi poſitorum, hunc eſſe putorem. In vita S. Antonii, cap. 35.

TARICHOPOLA ταριχοπώλης, ſalſamentarius.

TARICHOPOLIUM, ταριχοπωλεῖον, ſalſamentaria taberna, ubi tarichi & ſalſamenta venduntur.

TARINCHA, fibula ignita, qua compungebantur & forabantur Sanctorum Martyrum membra. [ In quorum naribus & auribus juſſit Rictiovarus Præſes immitti tarinchas. Martyrol. Rom. 11. Decemb.

TARTARUM, & *Obſcurum*, quid ſignificet in Miſſa defunctorum. Vide *Offertorium*.

TASSALE, hoc vocabulum invenitur in quadam Epiſtola quatuor Epiſcoporum Papæ miſſa apud Matthæum Pariſium in ejus hiſt. ſub anno 1239. ideſt: [ Taſſale vero S. Severi. ] Derivatur a nomine *Taſſus*, quod ſignificat acervum, vel ſtrues, ex Belgico vocabulo *Tas*, quod ex verbo ejuſdem idiomatis *Taſſen* oritur, & aggerem denotat; itaque ſignificare videtur fructus, & proventus, qui ex terris ſpectantibus ad Sancti Severi Eccleſiam congerebantur. FR. Verba Matthæi Pariſii hæc ſunt: [Dum quendam frumenti confertum aggerem, quem vulgariter taſſum nominamus, venalem æſtimans conſideraret, ann. 1238.

TASSELLUS. Vide *Taxellus*.

TATA, Miniſter Aulæ Conſtantinopolitani Imperatoris, de quo Codinus egit; ſed non explicavit, ad quid hoc officium inſerviebat; Petrus tamen Poſſinus in græca hiſtoria Pachimeris, ab eo latinitati donata, in ejuſdem doctiſſimis obſervationibus Eunuchum majorem fuiſſe exiſtimat, qui curam gerebat Nutricum prolis imperialis; ad quod ego quoque inducor; nam vocabulum puerile eſt, pueri ſiquidem Tatam loco Patris pronunciant.

TATIANI HÆRETICI. Vide *Encratita*.

TAUROBOLIUM. Vide *Crioboliun*.

TAXATIO. FR. Ordinatio, impoſitio. [ Quod ſi teſtis deficiat, innocentis fidem ſola jurisjurandi taxatio manifeſtat, can. Omne quod, 22. qu. 1. ] Ideſt, deficientibus teſtibus tunc ordinare debet judex, ut accuſatus medio juramento ejus innocentiam purget.

TAXATUS, ordinatus, addictus, & obligatus; unde *Taxatus* dicebatur præſidiarius Miles, qui in aliquo præſidii loco conſtitutus, addictus, & obligatus erat ad reſidendum, quo vocabulo barbaro uſi ſunt etiam Græci ταξάτος. [ Anno tertio Imperii Leontii, acie Arabes in Africam mota hanc obtinuerunt, & ex proprio exercitu taxatos in ea quoſdam conſtituerunt. Landulphus. lib. 20. ] FR. ſignificat proprie deputatum, & dicitur etiam de milite ſpirituali: [ Eos, qui in Clero taxati fuerint, ſive in monaſterio deputati, decrevimus neque ad militiam, neque ad honores ſæculares venire, can. Eos qui, 20. qu. 3. ] Vide *Tallia*. *Tallio*.

TAXELLUS; figura in oſſe, vel alia re inciſa, quæ apta ad imprimendum exiſtat, veluti ſigillum, quo vocabulo utitur Anaſtaſius Biblioth. in ejus latina tranſlatione Concilii Niceni II. FR. Dicitur etiam *Taſſellus* tam latino-barbare, quam italice. Item ſignificat fruſtillum panni. [ Cœpit ſub obteſtatione Domini multis precibus expoſcere a me, ut unum pannum de taſſellis illius, quem a nudo ſui corporis habuiſſet, fœminæ deferrem. In vita S. Cæſarii Epiſcopi, lib. 2. ] ſic etiam italice pro fruſtillo panni uſurpatur: [E paſſavano la maggior parte in una gonella ſtretta, e di groſſo ſcarlatino ec. E cinte d' un ſcheggiale all' antica, e un mantello foderato di vajo, col taſſello di ſopra. Ricordanus Malaſpina, cap. 161. ] & proprie denotat id, quod Itali *Bavaro del Mantello* appellant. Item italice *Taſſello* dicitur fruſtillum corticis peponis, quod ad prægustandam ejus qualitatem inciſum fuerat, ac denuo obturatur. Item appellant *Taſſello* impreſſores aliquod emblematis corpus, vel inſignis gentilicii ſcutum in ligno impreſſorio variabile, & ſeparabile ab aliis circumfiguratis ornamentis. Item etiam italice ſignificat operculum ſigillatum in medio altaris portatilis, ſub quo cuſtodiuntur reliquiæ Sanctorum.

TAURUS ſignum cœleſte quid ſit. Vide *Arcturus*.

TAXIARCHUS, præfectus ordinum militarium. [ Ille taxiarchis vocatis, ait: Nimis mihi videntur gravia Imperatoris præcepta. Jo. Diac. in vita S. Greg. Papæ. FR. græce ταξίαρχος, Centurio Suidas. Ælian. de ord. Milit. Polyb. lib. 6. de Milit. Rom. Etymol. Plato, lib. 6. de leg. ea voce uſus eſt etiam S. Proclus, orat. 7. in S. Teoph.

TEBETH. FR. hebraicum nomen juxta Bedæ interpretationem ſignificat Januarii menſem, ſed ex Sacra Scriptura conſtat fuiſſe decimum menſem. [ Ducta eſt itaque ad cubiculum Regis Aſſueri menſe decimo, qui vocatur Tebeth. Eſther. cap. 2. ] Si ergo primus Hebræorum menſis Martius, ut cumulatim probat Paulus Sherlogius in ejus dioptra antiquitatum hebraicarum, lib. 2. diſſert. 4. ſect. 5. per totam; ſequitur, quod decimus menſis Lunaris hebræorum in Decembrem cadat. Vide etiam Auctores citatos in dict. *Elul*.

TECLATURA. Vide *Theclatura*.

TECTA DENSARE. Hic loquendi modus, non recte intelligitur ab iis, qui orientales, africanaſque domos non viderant, ut dictum eſt in dict. *Cymatium*, & *Doma*. Significat igitur argilloſam terram ſuper tecta condenſatam, ut in eiſdem citatis dictionibus dictum fuit; ideo patrio more Tertullianus de habitu mulierum, c. 6. dixerat: [ Nec tamen, aut fundamentis demandandis, aut parietibus moliendis, aut faſtigiis ſuſtinendis, aut tectis denſandis neceſſaria.

TECURIUM. FR. tegumen. [ Ut ſuper altaria tecuria fiant. In Conſtit. Caroli Magni.

TE DEUM LAUDAMUS &c. canticum a duobus Eccleſiæ Doctoribus Ambroſio & Auguſtino compoſitum, in eo die, quo ex aqua & Spiritu Sancto renatus fuerat idem Aurelius Auguſtinus, ab eodem D. Ambroſio ad catholiciſmum de anno 388. reductus, ac alternatim prolatum; licet ſolum D. Ambroſium aliqui Au-

ctorem faciant, ſed a communi opinione non eſſe recedendum docet Lorinus, ſuper Pſalm. 27. & confirmatur a S. Datio Mediolanenſi Præſule, lib. 1. ejus Chron. c. 10. Imo in eadem Mediolanenſi Civitate prope Ambroſianam Baſilicam oſtenditur ſacellum, in quo ex antiqua traditione dicitur baptizatum fuiſſe D. Auguſtinum, & ex ejuſdem Sacelli pictura, ac inſcriptione colligitur; ex quo loco uſque ad præfatam Baſilicam fama eſt, quod prædicti Eccleſiæ Doctores a Deo inſpirati prædictum canticum alternis vicibus perſolviſſent; ideo a multis devotis fidelibus uſque ad noſtra tempora in eadem loci intercapedine hoc canticum recitari ſolet. Gelaſius Papa in officio recitari ſancivit; nam antea non dicebatur. Vide *Reſponſorium*. FR. *Te Deum Laudamus* non dicebatur in officio B. Mariæ, niſi in ejus ſolemnitatibus: [ Ut inter commemorationem, & ſolemnitatem differentia oſtendatur. Unde Te Deum Laudamus regularius dimittitur, quam dicatur in laudibus matutinis, can. Conſilium, de celebrat. Miſſar. l. 3. decretal. ] Ubi Gloſſa explicat dictionem *Regularius* inquiens: [ Ideſt, regulare eſt, ut dimittatur, non ut dicatur. Sic 7. qu. 1. can. adverſitas, §. cum autem; ibi comparativum ponitur elective, hic ponitur negative. Sic minus, ideſt, non, ff. de trib. illud. ] Cæterum S. Datius Mediolanenſis Archiep. ſup. citatus, fuit vir magnæ ſanctitatis, & auctoritatis, qui tempore Juſtiniani Senioris Imperatoris floruerat, ut D. Gregorius Papa, lib. 1. Dialog. cap. 4. teſtatur, & quod Te Deum fuiſſet alternatim compoſitum per Divos Ambroſium, & Auguſtinum, adſtipulatur etiam Card. Bellarm. lib. 1. c. 14. de bonis operibus in particulari. :||: Eccleſia tamen Romana obſervat non recitare hoc canticum tempore Adventus, & Quadrageſimæ. Benedictini vero illud in omnibus Dominicis per annum perſolvunt, rationemque refert Radulphus Glaber, lib. 3. ejus hiſt. c. 3. quod nempe inter hos Monachos, & Patres cujuſdam Concilii orta fuerat contentio, & interrogati Abbates Benedictini ab Epiſcopis illius Concilii, quare contra ritum Romanum recitarent hoc canticum in jejuniorum Dominicis? Abbates reſponderant, hoc ex inſtituto eorum Patriarchæ D. Benedicti obſervare, cujus regula a D. Gregorio Papa confirmata fuerat. Occaſione præallegati canonis Conſilium, de celebrat. Miſſ. ubi Innocentii Papæ III. verba habentur, quod [ Te Deum laudamus &c. dicatur in laudibus Matutinis. ] Quæritur inter Auctores, an hoc Canticum ad laudes potius, quam ad matutinum pertineat? ſed communiter reſpondent Doctores eſſe matutini partem. Microlog. c. 34. Hugo ſpec. Eccl. c. 3. ac praxis id confirmat, dum in nocte Nativitatis Dom. matutinum cum hoc cantico terminatur; dicitur autem in prædicto, can. Concilium, quod [ Te Deum dicatur in laudibus matutinis. ] quia ibi intelligitur matutinum cum laudibus conjunctum, ita docet Navarrus, & nos in dictione *Laudes* egimus.

Te Igitur. Vide *Canon Miſſa*.

Tegnon, τέκνον, ideſt, filius: [ Bene veniſti tegnon. In vita SS. Perpetuæ, & Felic.

Tegularia. FR. Maga, Incantatrix, quia ſuper tecta, ac tegulas earum præſtigia facere ſolent. [ Tegularia malefica, quod ſupra tegulare ſcrificet. Gloſſ. Iſidori ] in ejus tamen textu mendoſe legitur *Tugellaria maleficia*. Hujus ſynonyma. Vide *Maga*.

Teleiosis, ſive *Telioſis*, τελείωσις. FR. ſic appellatus eſt Baptiſmus a D. Gregorio Nazianzeno in Julianum, ubi ait: [ Et primum ſanguine quidem, non ſancto, lavacrum inquinatur, cum noſtro Baptiſmo Baptiſmum ( τελειώσει τελείωσιν ) odii anteponas.

Teleta, τελετὴ, cæremonia. Vide *Miſſa*.

Teletarcha, τελετάρχης. FR. cæremoniarum inſtitutor, conditor: [ Quocirca ipſos quoque diſcipulos ad ſacrum ſacerdotium ducens, & ſi eſſet, utpote Deus, cæremoniarum conditor ( τελετάρχης ) nihilominus &c. D. Dionyſ. Areop. de Eccl. Hierarchia. ] Ubi de Chriſto Domino loquitur diſcipulis ſuis ſacerdotium tradente.

Telonium, τελώνιον, locus, in quo vectigalia exiguntur, Italice *Dagana* dicitur, a τέλος, ideſt, vectigal; ſeu potius τέλεσμα. [ Et cum tranſiſſet inde Jeſus, vidit hominem ſedentem in telonio Matthæum nomine. Matth. cap. 9. ] Dicitur etiam *Teloneum* ipſamet gabellæ exactio. [ Poſtea quoque aliam ejuſdem Regis de omnium teloneorum remiſſione impetravit. Flodoar. l. 2. c. 17. ] FR. [ De teloneis vero mercatorum, & pontium, & de decimis ad portam Monaſterii dandis, ſicut in aliis præceptis continetur, pariter roboramus. Bullar. Caſin. tom. 2. conſtit. 27. Et nullus ex ripatico, vel ciſpatico, atque portatico, vel teloneo, ei quippiam ingerat, ibidem conſtit. 36. ] Sed mendoſe *Toloneo* ibi habetur; ſicut etiam ibid. conſt. 60. & alibi paſſim *Theloneum* perperam ſcribitur.

Telonarius, Publicanus. [ Hujus Regis telonarii ſunt pauperum oppreſſores. S. Cyprianus, de jejunio; & tentat. ] Regem, dæmonem tenebrarum principem intelligit.

Tempestarii, Faſcinatores, qui mediantibus eorum incantationibus tempeſtates in aeris regione commovent, de quibus S. Agobertus, qui etiam inquit, quod hujuſmodi tempeſtates a vulgo *Aura levatitia* dicebantur. FR. Hujuſmodi præſtigiatoribus pœna præſcribitur, lib. 1. Capitularium, cap. 6. ubi etiam *Obligatores* dicuntur, quia inter alias eorum maleficas artes ligant homines, ne matrimonium exercere valeant, de quibus eleganter D. Hieronymus ſcripſit, inquiens: [ Rei uxoriæ hoſtes, quique, vel perpetuas, vel nimium diuturnas nuptiarum ferias feriali carmine, & nodo indicunt, ] & Propertius etiam in idem cecinit, de quo in dict. *Suffocatus* diximus. Hujus nominis ſynonyma. Vide *Maga*. *Obligator*.

Templatim. Vide *Vicatim*.

Templum. Vide *Eccleſia*. Templum Idolorum. Vide

Con.

*Cortina. Idolium.* FR. Gentiles templa adibant diſcalceati. [Solvere calceamentum de pede juſſit Moyſen illum ſacrorum inſtitutorum interpretem, oſtendens nondum purum eſſe, neque omnino a corruptione, ac mortuorum operum qualitate liberum, vitæ illius, quæ ex lege ducebatur, inceſſum: in quo autem reliquiæ corruptionis, ac mortalitatis inſint, eum nefas eſſe ad Deum accedere. Id a Gentilium conſuetudine divinus ille Moyſes didicerat: neque enim ii templa adibant pedes induti calceis exanimatorum animantium pelle confectis: id enim eorum legibus inter immunditiæ genera recenſebatur. S.Cyrill. Alexand. lib. 2. de adorat.] quem ritum obſervant etiam hodie Mahometani. Aliquando tamen in ſacra Scriptura Templum pro regia domo accipi diſputat Nicol. Abramus in ejus Pharo Vet.Teſt. lib. 13. c. 6. n. 27. & ſeqq.

Temporaneus, opportunus. [Præparaverat velut homini temporaneum invitator ille convivium. D.Ambroſ. de pœnit. c. 37.

Temporius. FR. adverb. ſignificat citius. [Dominico die temporius ſurgatur ad vigilias. In Regula S. Benedicti, cap. 11.] Ubi aliqui Codices habent mendoſe *Temperius*.

Tenacula, forceps. [Brachium S. Joſeph ab Arimathæa in argento, cum tenaculis in manu de argento. In ejus vita 17. Mart.] hujus vocab. ſynonym. Vide *Forceps*.

Teni, ſunt aliquæ virgæ, ſive baculi, ex belgico vocabulo *Teenen*, ideſt, tener, ita appellati. Vide *Baculus*. Metaphorice tamen ſortes ſignificant, ut in friſiis legibus, tit. 14. §. 1. refertur; iis enim baculis optantium ſortes detegebantur, hoc, nempe, modo: quando inter varios de aliquo delicto imputatos, neſciebatur præciſe, quis eorum vere deliquerat; tunc omnes ad Eccleſiam ferebantur, ibique, ſi duo ſuſpecti erant, duo baculi ſuper altare ponebantur, unus, ſcilicet, cum ſigno crucis, alius vero ſimplex, & lana munda cooperiebantur, interea infamati Deum orabant, ut eorum prætenſam innocentiam protegeret, ac ad altare accedens Sacerdos, & ſi ejus copia non eſſet, innocens puer, ſorte deducebat unam ex illis virgis: & ſi extrahebatur virga cruce ſignata, tunc illi duo, vel ſi plures ibi infamati, omnes innocentes declarabantur, ſi autem extrahebatur virga ſine cruce, tunc omnes ſe purgare ab imputato delicto tenebantur,& quot erant imputati, tot virgæ cum ſingulorum nominibus inſcriptæ ſub ea munda lana tegebantur, & denuo mittebatur ſors, & ille Reus delicti declarabatur, cujus nomen prius prodibat, quæ ſuperſtitioſa ignorantia a Gentilibus originem traxerat, ut colligitur ex ſupra dict. friſiis; leg. loc. cit. FR. a ſacris canonibus tamquam ſæcularis purgatio prohibita fuit, ut ex ejus ſynon. in dict.*Purgator* notatis invenire licebit.[Sancimus, & Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, ut ſicut bon. mem. Gerardus quondam Caſinen. Abbas cum aſſenſu Fratrum ſuorum decrevit, ut nullus Clericorum in toto Territorio Sancti Benedicti habitantium ſæculari judicio conſtringatur, nec ab aliqua perſona laica judicetur, vel purgationem facere &c. Bullar. Caſin. tom. 2. conſt. 207.

Tenimentum. FR. poſſeſſio, prædium; quod Romæ *Tenuta* vulgo dicitur: [Prohibemus etiam ne quis homines in tenimentis ipſis habitantes excommunicationi, vel interdicto ſubjacere, aut Clericos Monaſterii, vel tenimentorum eorum ad ſynodum vocare præſumat. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſt. 185. num. 8. & ſeqq.

Tenor. FR. pro teſtamento: [Ut legata, quæ ex tenore Antonini defenſoris a nobis debentur Monaſteriis. D. Gregor. in Regiſt. lib. 12. epiſt. 30.] Ubi perperam in ejus notis Antonius Dadinus hoc vocabulum poſſeſſionem intelligit.

Tenseria. Vide *Tanſeria*.

Tenso. FR. teneo, retineo. Marculfus Monachus in ejus formular.

Tentatio Humana. FR. [Tentatio vos non apprehendat, niſi humana, 1. Corinth. cap. 10.] quæ diſt. 2. de pœnit. can. Inter hæc 23. ſic exponitur: [Hinc etenim Prædicator egregius dicit: Tentatio vos non apprehendat, niſi humana: Humana quippe tentatio eſt, qua plerumque in turpi cogitatione tangimur, etiam nolentes, quia, ut nonnunquam illicita in animum veniant, hoc utique in nobiſmetipſis ex humanitatis corruptibilis pondere habemus; jam vero dæmoniaca eſt, & non humana tentatio, cum ad hoc, quod corruptibilitas carnis ſuggerit, per conſenſum ſe animus adſtringit.] Ubi Gloſſa primos motus intelligit, qui non ſunt in noſtra poteſtate.

Tentipellium. Vide *Folleo*.

Teporus, tepidus. [Favonius flatu teporo. Sidon. lib. 9. epiſt. 16.]

Teresiani. Vide *Corbicularius*.

Tergiversator. FR. eſt in univerſum ab accuſatione deſiſtens, ita Gloſſa, in cap. In tantum, de Colluſ. detegen. ubi ſic inquit: [Tergiverſari eſt in univerſum ab accuſatione deſiſtere, can. ſi quem, 2. quæſt. 3. §. Notandum. Unde poteſt exponi tergiverſationes, ideſt, verſutias, ſive calliditates, de quibus induxit inquiſitores, ut deſiſterent ab inquiſitione:] Poſtillator autem in Rubricam Gratiani, quæ incipit: Qua autem, 2. quæſt. 3. in princip. quæſt. aliam etymologiam hujus nominis affert, nempe: [Is eſt Tergiverſator, qui terga vertit adverſario accuſato, & citra abolitionem deſiſtit, & hic incidit in Turpil. & extraordinarie punitur &c.] Gloſſa vero ibidem diſtinguit Tergiverſatorem a *Calumniatore*, & a *Prævaricatore*, inquiens hoc pacto: [Accuſator in quinque peccare poteſt, vel errore decipitur, aut temeritate, ſeu calore iracundiæ ad accuſandum provocatur, aut calumniatur, aut prævaricatur, aut tergiverſatur; ſed in omnibus his caſibus, ſi deſiſtit, impetrata abolitione quacumque, non punitur, nec infamis eſt, ut Cod. de abolit. lege 1. & 2.&c. Secus ſi eſt, vel calumnia-

niator, vel prævaricator, vel tergiverſator. Calumniator tenetur ad pœnam talionis (*hodie non eſt in uſu*,) ut infra in hac eadem quæſt. can. calumniator, & can. qui non. Prævaricator poteſt neminem accuſare, & extra ordinem punitur, ut infra, eadem diſt. §. notandum, in fine. Tergiverſator punitur in quinque libris auri, ut ff. de prævaricat. leg. 3. in fin. Teſtis etiam calumniator pœnam talionis ſuſtinet, 3. quæſt. 9. cap. nihilominus, 33. quæſt. 5. can. hæc imago, §. Mulier, & can. Mulierem, §. Nec teſtis, eadem quæſt. Si autem tulerit alias falſum teſtimonium, punitur extra ordinem, 6. quæſt. 1. can. quicumque.] Vide *Accuſator*. *Prævaricator*.

Terminalia. FR. Gentilium feſta, quæ in menſe Febr. celebrabantur. D. Auguſt. lib. 7. de Civit. Dei, c. 7. Beda tamen, lib. de nat. rer. inquit ad diem 23. Februarii celebrari ſolita.

Terminus Localis. Vide *Bundæ*. *Pali termales*.

Terminus Peremptorius. V. *Peremptorius*.

Terminus, falſum Numen. Vide *Facularum accenſores*.

Terraticum, contributio pro fructibus terræ, quam Colonus ſolvere debet directo Domino: [De ſilvis, ubi partem habent, & terris, nullus, niſi per ipſorum voluntatem terraticum accipiat. In præcepto Ludovici Regis.]

Terricula, terror. [Pueri, & mulierculæ noſtræ, cruces, & tormenta, feras, & omnes ſuppliciorum terriculas, inſpirata patientia doloris, illudunt. Minutius] Ubi de conſtantia Martyrum loquitur.

Territorium. FR. eſt juriſdictio, diœceſis, confinium ad Principem, Eccleſiaſticam perſonam, Rempublicam, Civitatem, vel alium habitantium locum ſpectans; quod a Gloſſa, in can. ſi quis Epiſc. 16. quæſt. 3. ſic definitur: [Territorium eſt univerſitas agrorum intra fines cujuſcumque Civitatis.

Tertia, hora canonica. Vide *Horæ canonicæ*.

Tertiana Laborans. Vide *Hemitritæus*.

Tertiator. FR. qui non eſt Longobardus. [Et hoc promittimus de tertiatoribus, ut ſi a Longobardo venundati fuerint, comparentur. In Capitular. Sicardi apud Camillum Peregrinum, cap. 4. & 13.

Tertiocerius. FR. officium, ſicut Primicerius, Secundicerius, apud Baronium in Notis ad Martyrol. 19. Maji, lit. *d*. Vide *Primicerius*.

Tertullianistæ. FR. Hæretici Tertulliani Carthaginenſis presbyteri ſequaces, qui aſſerebant animam eſſe immortalem, ſed corpoream, ac peccatorum animas poſt mortem dæmones fieri, 24. quæſt. 3. can. 39. Alios Tertulliani errores. Vide *Pſychicus*.

Tertussus. FR. porcula lactans. [Si quis tertuſſum porcellum furaverit. In lege Salica. tit. 25. §. 11.

Teruntiani. FR. Romanorum numi, cujus valoris erant. V. *Folleralis*. Vide etiam Baron. an. 330. n. 44.

Tesaga. Vide *Texaga*.

Tessarescadecatistæ, hæretici. Vide *Quartadecimani*.

Tessera. Vide *Conteſſeratio*. *Conteſſero*.

Tesseracostus, τεσσαρακοςὸς, ideſt, terminus quadraginta dierum, qui intercedit intra Reſurrectionis Paſcha, & Aſcenſionem; quemadmodum *Pentecoſtes* dicitur terminus quinquaginta dierum ab eadem Paſcha numerandorum.

Testamentarius. Vide Elogicus in dict. *Elogium*.

Testamentum. Vide *Diatheca*. *Elogium*. *Scriptura ſuprema*. *Tenor*. Teſtamentum falſum. Vide *Internecinum*. Teſtamentum officioſum, & inofficioſum. FR. Gloſſa in can. ſi ad ſcripturas, diſt. 10. ſic explicat: [Officioſa dicuntur, quæ continent pietatem, quæ nulli obſunt, & alicui proſunt: ſicut inofficioſum dicitur teſtamentum, quod eſt contra officium pietatis, ut ff. de inoffic. teſtament. leg. 3.] Utrumque Teſtamentum Sacræ Scripturæ. Vide *Dittochæum*.

Testamenti Pagina, apocha. [Viginti ſolidos, ſi plus vobis viſum fuerit, in reparationem Eccleſiarum, quæ in ruinis eſſe perhibentur, ſub teſtamenti pagina dare ſe convenit, quatenus & illic remedium ſit, & noſtra debeat eſſe munitio. D. Gregor. in Regiſt. lib. 9. cap. 44. ad Venantium Feſulanum Epiſcopum.] In aliquibus tamen codicibus mendoſe legitur *Monitio*, cum re vera *Munitio* reſtitui debeat, quæ cautionem, & aſſicurationem Pontificis denotat hic. Hujus vocabuli ſynonima. Vide *Apocha*.

Testimonialis, dicebatur Diaconus, qui aſſiſtebat Epiſcopo. FR. Diaconi Aſſiſtentes Epiſcopo ordinati ſunt in eorum vitæ teſtimonium, occaſione calumniæ Symmacho Papæ excitatæ, ut teſtatur Ennodius in ſuo Apologet. pro eodem Pontifice compoſito. Sed hæc ordinatio habetur antiquior, nimirum, in primitiva Eccleſia, ut videre eſt in can. Apoſtol. lib. 3. c. 44.

Testimonio. FR. verbum, teſtor, teſtificor, l. Ludovicus, de teſtibus.

Testimonium. FR. aliquando in ſac. litteris, & penes Eccl. Scriptores pro die feſtivo, ſeu legali cæremonia uſurpatur, ut docent Arias Montanus in pſal. 22. 2. Abulenſ. in 3. Reg. c. 2. q. 3.

Testis. FR. qui teſtimonium præbet. [Quod ſi amborum partium teſtes ſint æque idonei, poſſeſſoris teſtes præferuntur, cum promptiora ſint jura ad liberandum, quam ad condemnandum, cap. 3. de probationibus, lib. 2. decretal.] Teſtes numero plures præferuntur minoribus ex adverſo adductis. Ibidem cap. 19. Ille, qui eſt eodem crimine infectus, contra reum teſtificari non poteſt, nullique de ſe confeſſo, adverſus alium in eodem crimine eſt credendum. Ibid. cap. 10. de teſtibus, & atteſtatis. Qui inteſtabilis dicitur. Vide *Inteſtabilis*. Teſtis calumniator, qua pœna puniebatur. Vide *Tergiverſator*. Teſtis fide dignus. Vide *Utilis perſona*.

Testitrahus, Aries, ita appellatus ob magnitudinem teſticulorum, quos raptare cogitur. [Nam & Arietem, (non quem Laberius reciprocicornem, & lanicutem, & teſtitrahum; ſed trabs machina eſt, quæ mu-

muros frangere militat) nemini unquam adhuc libratum, illa dicitur Carthago ſtudiis aſperrima belli, prima omnium armaſſe in oſcillum penduli impetus, commentata vim tormenti de bile pecoris capite vindicantis. Tertull. de pall. cap. 1.] Hic non de ariete animali ait, de quo antiquus Poeta Laberius cecinit, quem teſtitrahum, lanicutem, ideſt, habentem lanigeram cutem, & reciprocicornem, nempe, cornua ſpiraliter reciprocata habentem appellaverat; ſed de ariete bellico inſtrumento Tertullianus agere dicit, cujus primos inventores Carthaginenſes fuiſſe affirmat, qui commentantes, & exemplum trahentes ex ariete injurias capitis ictu vindicante, oſcillum penduli impetus formarunt. *Oſcillum* dicitur, quod Romani recentes *Cannoſiendola* vocant, ut in dict. *Oſcillum* dictum fuit; erat autem penduli impetus, quia librabatur, & impetuoſe percutiebatur in hoſtium mœnia, dum e brachiis militum, vel ex alia machina per funes pendebat, ut apud Vegetium deſcribitur. FR. Calepinus in dict. Reciprocicornis *Veſtitrahum* pro Teſtitraho poſuit.

TESTUDO. Vide *Raca*.

TETRADITÆ, τετραδῖται, Hæretici ita appellati, quia in feſto Paſchæ ad inſtar feriæ quartæ jejunabant; ſeu, ut aliis placet, quia quartam perſonam Sanctiſſimæ Trinitatis admittebant. Vide *Tetrus*.

TETRÆTERIS, τετραετηρὶς, annus quartus, quadriennium.

TETRAGRAMMATON, τετραγράμματον, ideſt, quatuor litterarum, ita vocatum fuit nomen Dei, quia apud omnes fere Nationes ineffabile ejus nomen quatuor litteris pronunciatur. Vide *Adonai*.

TETRANSITON. FR. erat annona pro ſcholaribus ſolvenda: [Eorum, videlicet, qui annonas ſcholarium omnium ſolvunt, quod appellatur tetranſiton. Hypomneſt. de Anaſtaſio Apocriſ. in Collectan. Anaſtaſii per Sirmondum in 8. edit. pag. 257.

TETRAO, *onis*, & *Tetraona*, *næ*. Nomen volucris cujuſdam, de quo Tertullianus, lib. 1. adverſ. Marc. cap. 13. ſic ait: [Una tetraonis pennula, taceo de pavo, ſordidum artificem pronunciabit tibi creatorem?] De hoc volatile mentionem fecit Plinius, lib. 10. nat. hiſtor. cap. 22. Aliqui crediderunt eſſe phaſianum. FR. ſed de hoc idem Plinius, eodem lib. 10. c. 48. & lib. 11. cap. 33. mentionem facit, atque phaſianus avis notiſſima a Latinis appellata quoque fuit, de qua Statius, 4. Silv. 3. Juvenal. ſat. 5. 7. Martial. lib. 5. epig. 8. lib. 13. epig. 44. & 67. & alii. Nonnulli tamen Gallinam pratenſem, ſive Gallum montanum tetraonem eſſe autumant; ſed hujuſmodi aves non concordant cum Pliniana deſcriptione tetraonis in prædicto lib. 10. cap. 22. adducta, ubi ſic habetur. [Decet tetraonas ſuus nitor, abſolutaque nigritia, in ſuperciliis cocci rubor. Alterum eorum genus vulturum magnitudinem excedit, quorum & colorem reddit. Nec ulla ales excepto ſtruthiocamelo majus corpore implens pondus, in tantum aucta, in terra quoque immobilis prehendatur. Gignunt eos Alpes, & Septentrionalis regio. In aviariis ſaporem perdunt. Moriuntur contumacia ſpiritu revocato. Proximæ eis ſunt, quas Hiſpania aves tardas appellat.] :||: In agro Viterbienſi de anno 1662. quædam avis inviſa capta fuit, quam puto fortaſſe eſſe tetraonem prioris ſpeciei a Plinio deſcriptum; nam dorſum flavum nigris maculis conſperſum habebat, alæ candidæ, ac nigredine in extremitate virgatæ, colloque oblongo, & capite criſtato, item ſuperciliis coccineis, quæ exſiccata conſervatur in muſæo Eminentiſſ. Dom. mei Card. Brancacii. FR. Quod penes Romanos utraque avis, Phaſianus, nempe, & Tetrao ſuum peculiare nomen habuerit, patet ex Suetonio in Caligula, cap. 22. ubi inquit: [Hoſtiæ erant phœnicopteri, pavones, tetraones, numidicæ, meleagrides, phaſianæ, quæ generatim per ſingulos dies immolarentur.] Auctor vero hic impugnatus eſt ab Ulyſſe Aldrovando, qui tom. 2. de Avibus, c. 6. De Urogallo, ſeu Tetraone, vocat hanc avem Gallinaceum ſylveſtrem, & Phaſianum, & diffuſe ibidem agit, cap. 7. Inſuper in eodem c. 6. Aldovrandus confundit Tetraonem cum *Erythro taone*. *Erythro* enim *taon* nil aliud eſt, quam ruber pavo græce: ταὼς etenim Græci, *Taus* Arabes & Turcæ etiam pavonem appellant.

TETRAPHYLIUM. Vide *Crionia*. Ejus ſynonyma. Vide *Pileus*.

TETRAPOLIS. Vide *Theopolis*.

TETRARCHA, τετράρχης ideſt, in quarta parte Princeps; nam Romani judaicum ſtatum in quatuor partes ſub tot Principibus conſtituerant, quas *Tetrarchias* appellabant. Tiberii autem Cæſaris tempore erat tetrarcha Galilææ Herodes, & Philippus fraſer ejus tetrarcha Iturææ, & Trachonitidis regionis; & Lyſania Abilinæ tetrarcha. Lucæ c. 3.

TETRAPLA. Vide *Hexapla*.

TETRAS. Vide *Tetrus*.

TETRASYRTICUS. Vide *Diaſyrticus*.

TETRAVANGELIUM, τετραευαγγέλιον, Codex continens quatuor Euangelia. [Conſtantini temporibus fuit Juvencus Hiſpanus Presbyter genere nobilis, qui tetravangelia hexametris verſibus fere ad verbum transferens, quatuor libris compoſuit. Platina in vita Marci Papæ I.

TETRAVELA, τετράβηλα, ideſt, quatuor velis. Vide *Chryſoclavus*.

TETRICUS. FR. ita appellatus eſt Auguſtus Imperator. Baron.

TETRUS, τέτρατος, quartus.

Elias Vates, quem tetra volumina regum.

Aldhelmus, ideſt, quartus liber regum. Et pro quaternario numero τετρὰς uſurpavit D. Ambroſius, lib. 3. de Abrahamo, cap. 11. ita inquiens: [Eo quod tetras omnibus numeris apta ſit.] Qui quidem Sanctus Doctor cum proteſtaretur minime admittendam eſſe quartam Sanctiſſimæ Trinitatis perſonam, in lib. de Incarnat. Dom. cap. 7. ſic fatetur: [Nec timeo, ne tetrada videar inducere.] Unde *Tetraditæ* dicebantur Hæretici,

tici, qui quartam perſonam in divinis ſomniabant. Vide *Tetradita*.

Teucra, & *Teucrus*. Vide *Turca*.

Teutiscus. FR. Theutonicus Germanus. [Quem ſi vulgo audiſſes, dulcifluus emanabat: ſi vero idem barbara quam teutiſcam dicunt, lingua loqueretur, præeminebat claritatis eloquio. S. Paſchaſius Abb. in vita Adelhardi Corb. Abb.

Texaca, & *Teſaga*, furtum occultum, in Lege Salica, tit. 11.

Textile. Vide *Plecta*.

Thabor, & *Hermon*, montes in Syria, de quibus Pſal. 88. *Thabor* interpretatur veniens lumen, & *Hermon*, anathema ejus. D. Aug. in eod. pſal.

Thaboritæ, Hæretici Huſſitæ in Boemia, a quadam Civitate ſic dicti, quam Ziska eorum ſeductor ædificaverat, & nomen Thabor indidit, ubi jactabat, ſe veram religionem ejus ſectarios docere ad oſtentationem Salvatoris noſtri, qui ſuam gloriam tribus Apoſtolis in monte Thabor manifeſtaverat. Item hujuſmodi Hæretici *Horebitæ* dicti ſunt ex eadem oſtentatione, quia in monte *Oreb*, ſive *Horeb* Deus filiis Iſrael per Moyſen ſe oſtenderat. [Dominus Deus noſter locutus eſt ad nos in Horeb. Deuter. c. 1. Dominus Deus noſter pepegit nobiſcum fœdus in Horeb, Ibid. cap. 5.] Qui mons *Petra Horeb* in Sac. Scriptura, & *Petra Oreb* promiſcue dicitur. [En ego ſtabo ibi coram te ſuper petram Horeb. Exod. c. 17. Et petra Oreb. Judic. c. 7. & Iſajæ, c. 10.] Vide *Orebitæ*.

Thalamus, pro Eccleſia. Vide *Cubiculum*.

Thalia. FR. θάλεια, ideſt, convivium, ita denominatus fuit quidam Arii liber, in quo ad fœdiſſima carnis vitia excitabat. Sozomenus, lib. 1. c. 20. & D. Athanaſius de ſcientia Dionyſii, & orat. contra Arian. teſtantur. Sed potius legendum eſt *Thalea* ex famoſiſſima Romæ muliere, de qua Plutarchus in Numa, & Lycurgo; nam in eo libro in laſcivias effœminari ſuadebat Arius; unde merito ſaltatrici Herodiadi a D. Athanaſio, loc. cit. hic liber comparatus eſt.

Thallophorus. FR. θαλλοφόρος, ideſt, panathenaicus, qui in gymnicis certaminibus ludebat, ferens in manibus ramum olivæ, vel lauri, quæ feſta a Theſeo in honorem Minervæ inſtituta fuerunt, & Athenis celebrabantur, atque *Panathenæa* dicebantur. Erant autem duplicia, majora, ſcilicet, in quolibet quinquennio celebrata, quæ a Romanis ideo *Quinquatria* vocabantur, & minora quotannis celebrata; in his enim ludis pueri, & puellæ complexis manibus pyrricham ſaltabant. Alex. ab Alex. lib. 5. c. 8. & lib. 6. c. 19. Cœl. Rhodig. lib. 6. c. 46. Annualia autem feſta *Thalyſia* dicebantur. Idem Rhodig. lib. 12. c. 17. Quæ ſuperſtitio in multis Chriſtianorum Civitatibus adhuc viget, cum in Kalendis Maji ramos virentes in ſignum anni recentis ſuſtollunt, quæ Romæ prohibita fuit ab Alexandro Papa VII. Sed apud Romanos *Panathenæa* in menſe Martii teſte Dionyſ. Halicarnaſſeo, lib. 2. celebrabantur, quæ autem fiebant in menſe Maji. Vide *Majuma*. Errare tamen exiſtimo Calepinum in dictione Thallophori aſſerentem, Athenis hos ramos ſenes ut plurimum geſtaſſe, unde per jocum Thallophori dicebantur, qui ad munera obeunda erant inutiles; nec Auctorem aliquem pro ſe affert. Quare rectius puto, quod ironice Thallophori dicebantur ſenes laſcivi, qui ad inſtar thallophororum puerorum, ut ſupra dictum eſt, impotenter ſupra ſenectutis vires, & contra eorum ætatis decentiam cum fœminis cohircinationem irritare coguntur: hanc enim phraſim uſurpavit D. Jo. Chryſoſt. hom. 8. de Anna &c. ad ſignificandas adhuc impotentes puerorum ad coeundũ vires, qui nihilominus ad id pronos ſe oſtendunt. [An non videtis frequenter, quod qui in Urbibus verſantur, pueros nuper lacte depulſos faciunt thallophoros?

Thamar. FR. nomen prop. in Sac. Script. hæbraice ſignificat amaritudinem, D. Aug. lib. 22. contra Fauſtum Manich. cap. 84. Sed Arabice dactylos fructus ſignificat.

Thammus, Syriace Adonidem Veneris amaſium ſignificat: nam ubi Vulgata habet: [Ecce ibi mulieres ſedebant plangentes Adonidem. Ezech. c. 8.] legunt LXX. [Plangentes Thammos, a græco idiomate Θαμμὺς, de qua ſuperſtitioſa, ac lugubri celebratione dictum eſt in dict. *Aſtarthen. Salambona*. De Bethlehemitico loco, ubi Chriſtus natus eſt, D. Hieronymus, epiſt. 13. hæc refert: [Bethlehem nunc noſtram, & auguſtiſſimum orbis locum, de quo Pſalmiſta canit: Veritas de terra orta eſt; lucus inumbrabat Thamuz, ideſt, Adonis, & in ſpecu, ubi quondam Chriſtus vagiit, Veneris amaſius plangebatur.] Itaque apud Hebræos *Thamuz* tam Adonem, quam Julium menſem ſignificat, ſic etiam Arabes Julii menſem *Tammus* vocant. FR. Menſes Hebræorum, & Arabum cum ſint lunares, ſolet proinde Thamuz menſis, ut plurimum quartum, & quintum menſem ſolarem amplectere, ideoq; Auctores citati in dict. *Elul*, Thamuz quartum anni menſem appellant, qui hic tamen pro quinto menſe habetur. Cæterum quoad Adonidis fabulam, hæc narrat Procopius Sophiſta Chriſtianus in Eſajam commentator ſuper illa verba ejuſdem Prophetæ: [Qui mittit in mari obſides, & epiſtolas biblinas ſuper aquas, cap. 19.] ubi Procop. ſic inquit: [Placet poetis quibuſdam Cinyram olim cum Myrra filia rem habuiſſe, natumque inde filium Adonim nomine, cujus rei cum patrem puderet, in monte fuiſſe expoſitum, & a nymphis oreadibus educatum. Cum autem ad florem ætatis perveniſſet, & venatione delectaretur, Venerem ejus pulchritudine victam, cum adoloſcente eſſe congreſſam: Martem deinde Veneris amore captum, & id ipſum ægre ferentem, cum ſe in aprum mutaſſet, venantem intereniſſe: Venerem autem, cum mortis dolorum ferre non poſſet, etiam ad inferos, ut amaſium inde referret, penetraſſe. Verum cum & ibi etiam a Plutonis conjuge adamari eundem contigiſſet, anno in duo tributo, ut adoleſcente ſex menſibus divæ alternis potirentur, inter eaſdem conveniſſe. Poſtea vero cum id reverſa

amicis narraſſet ; inſtituta feſtorum celebritate , ſicut antea deſiderium abſentis luctu teſtati fuerant, eoſdem revertenti eſſe congratulatos. Atque horum utrumque in poſterum ad noſtra etiam uſque tempora ( ſi hujus ſententiæ Auctori credimus ) Alexandriæ celebrari : cujuſmodi ritum orgiorum etiam Judæi veræ pietatis immemores , poſtea ſibi aſſumpſerunt . Nam & apud Ezechielem in hæc verba legimus ; Et vidi , & ecce ſedentes mulieres Thamuz (idest Adonim ) lugebant: Tale vero quiddam erat , quod Urbis illius Cives efficiebant . In teſtam litteras ad mulieres , quæ Bibli erant , tanquam Adonide reperto , conjiciebant; quod obſignata poſtea , ſacriſque peractis in mare demiſſa ( ut docebant qui mittebant ) Biblum ſponte deferebatur , lugendique Civitatis mulieribus finem adventu ſuo faciebat.

Thamuz , ſive *Thammuz*. Vide *Thammus* .

Thamnus , θάμνος , rubus , ſpinoſus frutex. [ Thamnus, & piſcis fui , inquit . Cur non magis & pepo tam inſulſus , & chamæleon tam inflatus ? Plane ut piſcis, ne aliqua ſepulturæ conditio reputeſceret , aſſum ſe maluit in Ætnam præcipitando, atque exinde in illo finita ſit metenſomatoſis , ut æſtiva cœna poſt aſſum . Tertull. de anima , cap. 32. ] De Empedocle loquitur, qui in ignivomam Ætnæ voraginem ſe projecit , & uti Pythagoricus animarum tranſmigrationem aſſerens a Tertulliano irridetur . FR. Thamnum rubi ſpeciem nullibi legi, cum Plinius , lib. 24. cap. 14. omnes rubi ſpecies afferat , & de hoc vocabulo nullam faciat mentionem ; fortaſſe *Rhamnus* reſtitui debet ex græco vocabulo , de quo, loco cit. Plinius . [ Inter genera ruborum Rhamnos appellatur a Græcis candidior , & fruticoſior . ] Ita etiam in Sac. Scriptura . [ Omnia ligna ad rhamnum . Ignis de rhamno . Jud. c. 9. Spinæ veſtræ rhamnum . Pſal. 57. ] Bene tamen θάμνος græce eſt nomen magis late patens , arborum denſitatem , ceſpitem , arbuſtum , lucum , fruticem ſignificans , a nomine θαμινς , vel θαμινειός, frequens, ſpiſſus . Lexicon græco-lat. Junii , & Scapulæ ; qui tamen Scapula valde errat , dum ait hoc vocabulum ſignificare hinnulum , perperam interpretans duo Homeri loca, primum nempe , Iliad. 22. in quo ſic habetur :

Τὸν δ' εἴπερ τε λάθῃ σι καταπτήξας ὑπὸ θάμνῳ.

Ideſt , ut Spondanus interpretatur :

Hanc quamvis lateat trepidans ſub frutice .

Alius Homericus textus a Scapula male intellectus eſt Odyſſeæ 6. ubi ſic habet Rhapſodus :

Ὣς εἰπὼν θάμνων ὑπεδύσετο δῖος Ὀδυσσεύς .

Ideſt , ut Spondanus vertit ,

Sic loquutus arbuſtis clam egreditur divus Ulyſſes . Cum Spondano concordat Henricus Stephanus in ejus Theſauro Græco ſub eadem dictione . Quare Pamelius in ejus notis ad Tertulliani locum cit. & Latinius ab eodem adductus non bene interpretati ſunt hanc dictionem , ponentes *Thamnum* in ſignificatione rubi ; nam thamnus , ut ſupra viſum eſt , ſignificat quemlibet fruticem duriſſimum . Item Pamelius in figuris proverbialibus ejuſdem Tertulliani illud adagium ſupra adductum *Æſtiva cœna poſt aſſum* , extra rem exponit , inquiens, antiquos in cœna ſolitos fuiſſe apponere quaſdam aſſatas linguas , de quibus ipſe autumat loquutum fuiſſe Tertullianum . Sed re vera æſtiva cœna , ideſt æſtuans, & ardens rogus intelligitur , qui inferorum , ſeu funeris cœna dicebatur , unde Catullus cecinit .

Vidiſtis ipſo carpere e rogo cœnam .

Et Perſius :

——————— Sed cœnam funeris hæres
Negliget iratus .

Sic enim Empedocles jam aſſus in flammis Ætnæ ſe in æſtivam , & ardentem funeris cœnam exhibuit aſſum , & combuſtum .

Thanis . FR. de quo vocab. in Pſalm. 77. [ Quæ fecit mirabilia in terra Ægypti , in campo Thaneos. ] Mandatum humile interpretatur D. Aug. in eod. Pſal. Sed ſcribi ſolet *Tanis* , Num. 13. Iſai. 10.

Thanatium . Vide *Soccordium* .

Tharsis . FR. regio , Exploratio gaudii interpretatur . D. Greg. Papa , lib. 4. moral. cap. 17. in c. 3. Job. Ex qua regione claſſis Salomonis quolibet triennio deferebat aurum , & argentum , 3. Reg. c. 10. 22.

Thascium , S. Cypriani pronomen . [ Interea jam Thaſcius . Prudentius de ejuſdem Sancti Martyrio , ] & [ Cyprianus Thaſcius Afer ] ſcripſit Georgius Fabricius. Carolus vero Vidman, & Jacobus Bongarſius exiſtimant eſſe nomen patriæ . FR. alii Tatium legunt , putantes eſſe illius cognomen .

Thaumaturgus , θαυματουργὸς , ideſt , miraculorum operator , quo titulo denominatus fuit S. Gregorius Neocæſarienſis Epiſcopus ob prodigioſa ejus acta in confirmationem fidei .

Theandricus , θεανδρικός , ideſt , divinus humanus , terminus adinventus ab Hæreticis Monothelitis ad denotandam malitioſe eorum aſſertam opinionem de unica in Chriſto operatione , confuſa , ſcilicet , divina cum humana in Chriſto natura: qui terminus a Latinis *Dei virilis* interpretatur , & a Martino Papa I. in eo ſenſu horum hæreticorum damnatus eſt . Bene tamen his terminis uti poſſumus , intelligendo , ſcilicet , binas operationes , & voluntates in Chriſto diſtinctas , nempe , Divinam , & humanam . Vide *Dei virilis* . *Monothelitæ* .

Thearchia, Θεαρχία: Dei principatus idiomate noſtro transferri poteſt . D. Dionyſius Thearchiam pro ipſa Deitate ponit , ad ipſius divinitatis ſupremam & infinitam dignitatem ſignificandam , & ipſam honoratius compellandam . Ait enim : *Omnium ſanctorum Theologorum hymnum invenies ad beatos thearchiæ proceſſus manifeſtative & laudative Dei nominationes dividentem* . De Div. Nom. c. 1.

Theatrapus . FR. Sac. Palatii Apoſtolici Officialis . [ Datum XIV. Kal. Februarii per manum Amandi Epiſcopi Theatrapi Sanctæ Sedis Apoſtolicæ . In quadam Bulla Martini Papæ I. Balaudinienſis Monaſterii . ]

rii.] De eodem autem Amando ſub eadem data, & in alia Bulla ejuſdem Pontificis ad favorem Elnonenſis Monaſterii, hæc leguntur: [Datum per manum Amandi Epiſcopi Bibliothecarii Sanctæ Sedis Apoſtolicæ.] Bibliothecarii enim officium annexum habebat Cancellariatum, ut in dict. *Bibliothecarius* oſtenſum eſt. Ideo legendum puto *Theopropus*: Θεοπρόπος enim græce oraculorum interpretem Auctore Æſchylo in Prometheo, apud Junium in ejus Lexico græco-latino ſub hac dictione, ſignificat. Cancellarius enim Apoſtolicus eſt Oraculorum, ſive intentionum Pontificis in bullarum expeditionibus interpres, ac *Organum Papæ* dicitur: ſed hodie de Datario hoc verificatur.

Theatri pars. Vide *Sanivivaria*. *Scamma*.

Theca, θήκη, græce ſignificat tegumentum, marſupium, & omne intercludens, atque fere conjungitur cum re, quæ intus continetur, ut *Chirotheca*, *Dactylotheca*, *Hierotheca*, *Hoplotheca*, & ſimilia: & hinc pro Idolo nonnumquam uſurpatur; nam ibi Diabolus ſuum tegumentum habebat, ibique reſponſa reddebat. [Offendit impios executores Dæmonum thecas in littore colentes. In vita S. Eliphii.] Quatenus vero Reliquiarium ſignificet, ejus ſynonyma, Vide in dict. *Reliquiarium*.

Theclatura. FR. inciſio, ſive ſimile ſignum. [Si quis propter intentionem ſigna nova, aut theclaturam, aut ſinaidam in ſylvis alterius fecerit, l. ſi quis liber homo, tit. 26. de eo, qui terminum, l. 5. lib. 1.

Thelodives, vox græco-latina apud D. Auguſtinum, & ſignificat cupidum ditandi; nam θέλω græce ſignificat velle, ac cupere; ſic etiam apud eundem Doctorem invenitur *Thelosapiens*, ideſt, ſapientiæ cupidus; *Thelohumilis*, humilitatis amator.

Theloneum. FR. Datium. Bullar. Caſin. tom. 2. conſtit. 60. Vide *Telonium*.

Thelohumilis.) Vide *Thelodives*.
Thelosapiens.)

Thema, θέμα, communiter poſitionem ſignificat; apud tamen Eccleſiaſticos Scriptores aliquando denotat militem præſidiarium, ad cuſtodiendam aliquam regionem poſitum; imo & ipſam regionem etiam ſignificat. [Vis majus ſcandalum, quam quod ſe Imperatorem vocat, imperii noſtri themata ſibi uſurpat? Luitprand. in legat.] Ac idem vocabulum reiterat, inquiens: [Duo illa themata, quæ ultra mare habet, volebant auferre.] FR. ego tamen puto Luitprandum in ea ſignificatione uſum fuiſſe hoc vocabulo; quo inſtitutum originaliter fuerit, ideſt, poſitum, ſive poſitionem; eodem enim modo italice dicimus *Un poſto difeſo, o preſidiato da Soldati*, nempe locum a præſidiariis cuſtoditum. Item *Thema* hebraice auſter intelligitur, ut S. Greg. in cap. 2. Job. exponit Moral. lib. 3. cap. 14. & in cap. 6. Job. ibid. lib. 7. cap. 14. Sic etiam interpretatur locus Jerem. 25. 23. [Dedan, & Thema, & Buz.

Themura. FR. dicitur permutatio litterarum, ut eſt illa chabaliſtica. Nicolaus Abramus in ejus Pharo vet. teſtam. lib. 7. cap. 2. n. 2.

Thensæ. Vide *Vehiculum*.

Theocratia, Θεοκρατία, Eſt Dei regimen.

Theodidactus, Θεοδίδακτος, ideſt, docibilis Deo, vel divinitus edoctus.

Theodiscus. FR. Theutonicus, Italice *Tedeſco* dicimus. [Dicam tamen, quæ eſt ſecundum noſtram barbariem, quæ eſt theodiſca. Vualfridus Strabo de reb. Eccl. cap. 7.] Ubi ſæpe utitur hoc vocabulo. Vide *Theotonia*. Synon. Vide *Teutiſcus*.

S. Theodorus. Vide *Trichinas*.

Theodosiani. Hæretici. Vide *Eutychiani*.

Theologia. Vide *Pantologia*. Dicitur Cathedra Divinitatis Theologiæ lectura. [In cathedra divinitatis ſedit ſeptem annos. In vita S. Bonifacii Epiſcopi.] Quia per ſeptennium Sacram Theologiam docuerat.

Theologus, θεολόγος, ideſt, Dei loquutor, quo titulo cognominatus eſt D. Joannes Evãgeliſta, quia tanquã aquila in Verbi increati generationem ejus lumina direxit, ac ſuam exorſus eſt evangelicam narrationem. Baron. ann. 97. num. 12. Itaque antonomaſtice ſub Theologi nomine a Græcis ſemper hic Evangeliſta intelligitur abſolute. Verum *Theologus Junior* D. Gregorius Nazianzenus a S. Simone Sancti Mamantis Monaſterii Conſtantinop. Abbate denominatur, ad differentiam Theologi Senioris, & Evangeliſtæ Joannis. Theologi namque cognomentum Nazianzeno inditum eſt ob ejus ſupernaturalium, & divinarum rerum cognitionem, de quibus fuſe in ejus operibus egit. Hodie vero tam Præceptores, quam diſcipuli in hac ſcientia, *Theologi* vocantur. Apud antiquos Auctores *Doctor divinitatis* dicebatur Theologiæ profeſſor. Vide *Deoſophus*. *Docibilis*. *Superflui*. Theoſophus in dict. *Areopagus*.

Theopaschitæ, Θεοπασχῖται, Hæretici, ita appellati, quia in Chriſto mortuam etiam divinitatem fuiſſe credebant; nam hoc vocabulum Dei paſſionem græce ſignificat. FR. Baron. ann. 862. n. 2.

Theophania. Vide *Epiphania*.

Theophantor, Θεοφάντωρ, *ſynon*. Deiphantor, *Dei oſtenſorem*, aut *Deum oſtendentem* ſonat; a dictione Θεός, *Deus*, & verbo φαίνω *oſtendo*, *in lucem edo*, *exhibeo*, atque pro Theologo ponitur; qui nempe Deum clarius exhibet, ejuſque attributa methodice oſtendit. Vide *Deiphantor*.

Theophatus, Θεόφατος, ideſt, a Deo pronuntiatus, Dei oraculo editus, aut vates, a verbo græco Θεοφατίζω, ex Deo loquor, vaticinor, aut multa loquor.

Theophobus, Θεόφοβος. FR. nomen proprium viri. Baron. an. 482. n. 4. & ſeqq.

Theophorus, hoc titulo decoratus fuit D. Ignatius Martyr a Græcis; eo enim idiomate Deum ferentem ſignificat θεοφόρος, quia hic Sanctus, in corde Deum, & nomen Jeſus impreſſum ferebat. FR. In Menæo tamen græco ſub 20. Decembris habetur, quod hic Sanctus Martyr fuerit ille puer, quem Chriſtus Dominus

inter brachia ejus ſuſcipiens, & ſtatuens in medio diſcipulorum, inquit: [ Quicumque ergo humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic magnus vocabitur in regno Cœlorum. Matth. 18.] Ex hoc facto putant Græci Theophorum denominatum fuiſſe hunc Sanctum Martyrem, quia ſuſceptus fuerat a Chriſto eo pacto, quo dictum eſt; itaque potius a Deo allatum, quam Deum ferentem dici debet, vel utrumque. Hujus Sancti epiſtolæ frivole, negativis, nempe, argumentis, & non poſitivis tanquam falſæ impugnantur a Joanne Dalleo, cæteriſque recentioribus Hæreticis. Vide *Theotocos*.

THEOPOLIS, θεόπολις, Dei Civitas, ita in ſexta Synodo appellata fuit Antiochia Syriæ, cujus Patriarcha *Theopolitanus* dicitur: rationem cur huic Civitati hoc nomen inditum fuerat, refert Baron. ann. 428. num. 23. & ſeqq. Apud nonnullos Scriptores eadem Civitas *Epidaphne* appellata fuit, Ἐπιδάφνη. ideſt, prope laurum. Ab aliis autem *Tetrapolis*, τετράπολις dicta, quia in quatuor regiones dividebatur. Tandem a D. Hieronymo, lib. 2. in cap. 6. Ezech. vocatur *Rablata*.

THEOPREPIA, θεοπρέπεια, divinus cultus. [ Theoprepia autem, ita enim vocatur cultus Dei, majeſtati conveniens, eſt habitus, qui id conſervat, quod Deum decet. Clem. Alexand. lib. 7. ſtrom.] Vide Latria in dict. *Dulia*.

THEOPROPIA, ſeu *Theopropium*, locus, in quo publicabantur edicta Principis, ex Græco θεοπρόπιον, quod oraculum ſignificat. Quod autem ſcripſit eximietas tua dubitare, te, utrum in theopropia debeas eadem geſta jubere proponi, fiat, ſi poteſt illuc frequens confluere multitudo. D. Auguſt. epiſt. 158.

THEOPROPUS. Vide *Theatrapus*.

THEORIA, θεωρία contemplatio, a verbo θεωρέω, contemplor. [ Noli autem ſcrutari, quæ ſupra te ſunt, nec inanes cogita theorias. Bleſen. ſerm. 140.] ſic appellavit θεωρίαν S. Germanus Conſtantinopol. Patriarcha ejus tractatum de contemplatione.

THEORETICUS, θεωρητικός, contemplativus: quare male in Caſſiano collat. 1. c. 1. aliqui legunt: Theorica vita fragrabat.] Dum legi debeat: *Theoretica vita fragrabat*: ita enim in ejuſdem pervetuſto Codice Vaticanæ Bibliothecæ habetur, & ex contextu ejuſdem hujus lectionis veritas colligitur, ubi de floribus agitur.

THEOSEBIA, Θεοσέβεια. FR. græca dictio, quæ Dei cultus interpretatur. D. Auguſt. lib. 10. de Civit. Dei, cap. 1. & lib. de Spiritu & littera, cap. 11.

THEOSOPHUS, Θεόσοφος, ideſt, in Divinis peritus, theologus. Vide *Areopagita*.

THEOTES, Θεότης, ideſt, Deitas. [ Theotetam enim, quam Deitatem Latini nuncupant. S. Hilarius, in c. 16. Matth.] Vide *Dealitas*.

THEOTOCOS. Θεοτόκος: ita Græce dicitur *Deipara*, a voce Θεός, *Deus*, & verbo τίκτω, *pario*, *gigno*: quod in præterito, medio facit τέτοκα, ideſt *peperi*. Hinc ablato augmento, ut in verbalibus aſſolet, fit τόκος, *partus*. Sic ergo Græce, cum accentu in penultima, eſt Deipara; ſed Θεότοκος apud Græcos, cum accentu in antepenultima, & paſſive, ſignificat ex Deo genitum, & natum. Virginem Mariam dici debere Theotocon, ſeu Deiparam, in Concilio Epheſino definitum eſt: & Cyrillus Alexandrinus, qui in illo Concilio pro ſummo Pontifice præſedit, in Epiſtola prima ita dicendum probat. Cum enim in Chriſto, contra Neſtorium, unam ſolam eſſe perſonam definitum fuerit, quæ ſimul Chriſtus ſit & Deus; certe ſi B. Virgo Chriſtum peperit, etiam Deipara extitit, idque per communicationem idiomatum duarum naturarum, humanæ & divinæ, in eodem ſuppoſito divino ſubſiſtentium. Neſtorius vero Virginem Chriſtiparam, ut & Chriſtum Theophorum dicere maluit. Quare Damaſcenus, lib. 3. de Fide orth. cap. 12. ait; *Chriſtiparam autem nequaquam dicimus Sanctam Virginem, quia ad renuendum vocabulum Theotocos, ideſt Deipara, & Dei genitrix, ſceleſtus & odibilis, & cum Judæis ſapiens Neſtorius id adinvenit*. Ubi Scholiaſtes Faber Stapulenſis addit. Porro quemadmodum Neſtorius ſacram virginem voluit Chriſtiparam appellari, ut fuco illo ſuam obtegeret veſaniam: ita & Chriſtum voluit appellari Deiferum. Ideo Damaſcenus ſubjungit: *Unde & Deo odibilis Neſtorius natum ex Virgine Deiferum dicere anhelavit*. Vide *Chriſtotocos*.

THEOTONIA. FR. Germania. Ita Guntherus in hiſtor. Conſtantinop. cap. 25. apud Henricum Caniſ. tom. 5. Antiq. lect. Vide *Theodiſcus*.

THERAPEUTA, θεραπευτής, Curator, miniſter, cultor, clientulus: item: [ Therapeuta eſt medicus & Salvator. Epiphan.] Eodem vocabulo a D. Dionyſio appellatus fuit Religioſus, & Dei ſervus.

THERAPIA, θεραπεία, curatio, medela; item pro cultu, oratione, & obſervantia accipitur. Vide *Curatio*.

THERAPHIM, vox hebraica, ſignificat Idola. [ Et ſine Ephod, ſine theraphim, Oſee, cap. 3.] Licet in hunc locum juxta D. Hieronymi expoſitionem figuram, & manifeſtationem ſignificet; nam in eo Oſee capite minatur Deus, quod propter ſcelera populi Hebræi, ablaturus ſit ab ipſo populo ſacerdotium per Ephod denotatum, & per theraphim revelationes Prophetarum. FR. at hujuſmodi figuræ inter Gentiles tanquam Dii habebantur, futura prædicebant, & ab Aſtrologis formabantur, ut R. David Kimki aſſerit, & quodammodo influxum quemdam cœleſtem recipiebant: ita etiam ſomniatur R. Abrahamus Aben-Ezra inſignis inter Hebræos Aſtrologus, qui aſſerit fuiſſe a Michol talem figuram in lecto poſitam, ut ejus maritum David liberaret, 1. Reg. cap. 19. & ob eundem finem Rachel figuras ab ejus genitore Laban clam abſtulerat, ut hic detegere minime potuiſſet, per quam viam cum ejus viro Jacob ſe direxerat; nam ubi Vulgata habet: [ Eo tempore ierat Laban ad tondendas oves, & Rachel furata eſt idola patris ſui. Noluit-

luitque Jacob confiteri ſocero ſuo, quod ſugeret. Geneſ. cap. 31.] Paraphraſis Chaldaica tranſtulit: [Et tulit Rachel imagines, quæ erant patris ſui.] Locus vero citatus Oſee ſic legitur in Vulgata: [Quia dies multos ſedebunt filii Iſrael ſine rege, & ſine principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine Ephod, & ſine theraphim.] LXX. autem habent: [Quia diebus ſedebunt multis filii Iſrael non exiſtente rege, neque principe, neque exiſtente ſacrificio, neque exiſtente altari, neque ſacerdotio, neque manifeſtatione.] Chaldaica paraphraſis tranſtulit: [Quia diebus multis manebunt filii Iſrael abſque rege de domo David prognato, & abſque dominium capeſſente in Iſrael, nec erit, qui ſacrificet in beneplacitum in Jeruſalem, nec erit in Samaria excelſum, necnon Ephod, nec qui reſponſum reddat.] Gloſſa Ordinaria hanc dictionem ſic exponit: [Theraphim dicuntur figuræ, & ſimulacra, quæ hic intelligimus. Cherubim, & Seraphim, vel quælibet alia templi ornamenta.] Rabſchelomonis Jarbi hæc ſunt verba: [Sine Ephod ipſorum Urim, & Tummim, quod occulta illis judicet: & ſine Theraphim. Sunt imagines, quæ fiunt cum intentione unius horæ ad id comparatæ, & loquuntur ex ſeſe, ac nuntiant occulta. Sic quoque tranſtulit Jonathan; Nec erit Ephod, aut judicans.] Rab. quidem Abraham Aben-Ezra ita expoſuit: [Dicit Japhet filius Eli, Hoc eſt, quod dixit: quia non facies mihi ſacrificium theraphim ſtatua: juxta ſententiam ejus non eſt ſtatua prohibita, ſed ſicut loquuta eſt lex (*nimirum in lib. Judicum.*) At alii dixerunt omnia de Idolis dici: ſed non invenimus Ephod in vituperium. Sed rectum eſt in oculis meis: ſine ſacrificio Domino: ſine ſtatua ipſi Baal, ſine Ephod Domino, & ſine Theraphim idolis, quæ Laban Deos ſuos appellavit &c.] Rab. David Kimki ita Oſee locum exponit: [Non eſt ſacrificium ad Deum, nec ſtatua ad Idola colenda: Non eſt Ephod Deo, quod nunciet futura per Urim, & Tummim: Nec ſunt Theraphim idolis, quæ pronunciant futura juxta opinionem credentium in ea: ſic nos hodie in hoc exilio omnes filii Iſrael ſumus.] Quibus aſtipulari videtur Lyranus exponens per *Theraphim* ſimulacra Deorum; ſed hæc opinio impugnatur a Dionyſio Carthuſ. art. 8. in c. 3. Oſee, ea potiſſimum ratione, quia Deus in prædictum Prophetæ locum Hebræis ornamenta templi, & religionis minatur ſe ablaturum; itaque ſic inquit Carthuſianus: [Et ſine theraphim, ideſt, imaginibus Cherubim, & Seraphim, quæ erant in templo, quæ ſimul cum templo ceſſaverunt. Theraphim proprie appellantur ſimulacra, ſeu figuræ, ſed nunc pro Cherubim, ac Seraphim, aliiſve quibuslibet templi ornamentis ſumuntur, ſecundum Hieronymum. Quidam per theraphim intelligunt imagines, in quibus ſolebant Dæmones dare reſponſa, quibus obviant, quia omnia, quibus filii Iſrael dicuntur hoc loco privari, pertinere videntur ad pœnam eorum, atque miſeriam propter eorum peccata. Eſſe vero ſine theraphim, felicius eſt, quam ea habere. Denique Ephod, & theraphim erant in habitaculo Levitæ, qui erat Sacerdos Michæ, ut legitur Judicum 17.] Leo Caſtro Oſee commentator theraphim intelligit eſſe lapides illos pretioſos in ſacra veſte Summi Sacerdotis poſitos, ex quorum ſplendore, vel obſcuritate vaticinabantur futura, ut tradit Joſeph, de antiq. lib. 3. c. 10. Caſtro, inquam, translationi LXX. innititur, qui pro dictionibus *Ephod*, & *Theraphim* interpretantur Sacerdotio, & Manifeſtatione. Quæ opinio ex Cherubim etymologia confirmatur, quæ latine ſimilitudinem, & ſimulacrum ſignificat: hinc æquivocarunt ſupradicti impugnati Auctores; male intelligentes ſimulacra Deorum. Vide *Cherubim*. Cæterum de hac dictione fit mentio, in cap. 17. Judicum in ſignificatione Idolorum, ubi ſic habetur: [Qui ædiculam in ea Deo ſeparavit, & fecit Ephod, & Theraphim, ideſt, veſtem Sacerdotalem, & Idola.] Item, cap. 18. ibid. [Noſtis, quod in domibus iſtis ſit Ephod, & Theraphim, & ſculptile, atque conflatile.] Et inferius: [At illi, qui ingreſſi fuerant domum juvenis, ſculptile, & Ephod, & Theraphim, atque conflatile tollere nitebantur.] Et poſt pauca: [Tulerunt igitur qui intraverant, ſculptile, Ephod, & Idola, atque conflatile.] Item paulo poſt: [Et tulit Ephod, & Idola, ac ſculptile] Itaque impugnari poteſt Carthuſiani opinio, nedum ex hiſce auctoritatibus, quod Theraphim etiam idola ſignificet; ſed etiam Oſee verbis, nam Propheta in perſona Dei Hebræos minabatur auferre de medio illorum omnem regni poteſtatem, & religionis decorem, ut ita mortificati, ac contriti auferrent etiam ab eis vitia, & idololatriam: unde hanc proteſtationem exorſus eſt Oſee cap. 2. inquiens [Auferat fornicationes a facie (*nimirum, Sinagogæ*), & adulteria in medio uberum ſuorum, ne forte expoliam eam nudam.] Ideſt, ut in eodem cap. [Ceſſare faciam omne gaudium ejus, ſolemnitatem ejus, neomeniam ejus, & Sabbatum ejus, & omnia feſta temporis ejus:] ſed quo fine hoc facturus erat Deus? En quod per os ejuſdem Prophetæ, ibid. Deus ipſe reſpondens, ſubjungit, ut: [Et auferam nomina Baalim (*nempe, Idolorum*) de ore ejus, & non recordabitur amplius nominis eorum.] Quod ſi hoc facient Iſraelitæ, tunc ſubjungit immediate: [Percutiam cum eis fœdus in die illa.] Duplicia ergo ait Deus ſe ablaturum, & bona, nempe, cæremonias, & mala, adulteria, ſcilicet, fornicationes, & idololatriam; unde retorquendo Carthuſiani argumentum, quod verum quidem eſt, quod auferendo Iſraelitis felicitates regni, & templi, miſerabiles eos reddit, & privatione Teraphim, felicius eis erit. Sed ablatio bonorum ea intentione præmittitur a Deo, ut populus exinde contritus idola, & vitia deteſtetur. Nec Judicum auctoritas, c. 17. quam pro ſe Carthuſianus affert, ei ſuffragatur; nam, ut ſupra retuli, iteratis vicibus declarat Sac. Scriptura ibi pro Theraphim Idola intelligere; ubi videtur,

tur, quod abutebantur Ephod hebræi in ſacrificio Idolorum.

THERISTRUM, θέριςρον, ideſt, ſubtilis & æſtiva, veſtimentum meſſoris, ſive muliebre capitis ornamentum, ſive velum, a græca dictione θέρος, nempe, æſtas & meſſis: [ Atticas ſtolas comportantem, & theriſtra tibi, & mihi ſub æſtivum anni tempus accomodata. Syneſ. epiſt. 52. ] De eodem velo Tertullianus, cap. 4. de pall. mentionem facit, dum Herculem effœminatum deſcribit, inquiens: Qualis ille Hercules in theriſtro Omphales fuerit. ] Et in Sacr. Scriptura etiam habetur hoc vocabulum: [ Quæ depoſitis viduitatis veſtibus, aſſumpſit theriſtrum, & mutato habitu ſedit in bivio itineris. Geneſ. cap. 38. Et vittas, & theriſtra. Iſai. cap. 3. ] FR. græca vox θέριςρον, pallium etiam denotat muliebre; nam ubi in Vulgata legimus: [ Nunciatumque eſt Thamar, quod ſocer ejus aſcenderet in Thamnas ad tondendas oves. Quæ depoſitis viduitatis veſtibus, aſſumpſit theriſtrum, & mutato habitu, ſedit in bivio itineris. Geneſ. 38. 14.] ac de Rebecca in Vulgata: [ At illa tollens cito pallium, operuit ſe. Geneſ. 24. 65.] LXX. autem *Theriſtrum* verterunt: & in Cant. 5. 7. ubi vulgata habet: [ Tulerunt pallium meum ] græcus textus θέριςρον legit: licet verum ſit, quod eo pallio fœminæ caput obnuberent: quare inquit Ambroſius: [Bene quidem quaſi ſponſa veniebat cum pallio, quo obnuberat caput ſuum, cum ſponſus occurreret: ſicut Rebecca, quæ cognito, quod Iſaac veniret obvius, deſcendit de camelo, & pallio operuit ſe, lib. de Iſaac c. 6.] Hoc indumento utebantur etiam penes Romanos ſponſæ, quo caput cooperiebant: unde inquit Feſtus, lib. de verb. ſignif. [ Nuptias dictas eſſe, ait Ælius, & Cincius, quia flammeo caput nubentis obvolvatur, quod antiqui obnubere vocarunt, ] & clarius cit. D. Ambroſ. ibid. cap. 7. de hoc ſponſæ pallio ait: [ Non otioſe pallium ejus ſublatum intelligis, ut aperta meritis, & nuda fulgeret. ] De uſu tegendi capita fœminarum Romanarum adi Baron. in Notis ad Martyrol. 7. Maji lit. *c*. De eodem indumento Iſaj. 3. 23. [Et Sindones, & vittas, & theriſtra ] D. Hieronym. [ Theriſtrum pallium dicitur, genus etiam nunc Arabici veſtimenti, quo mulieres provinciæ illus velantur, qq. in Geneſ. ] ac in cap. 3. Eſajæ: [ Habent mulieres, & theriſtra, quæ nos palliola poſſumus appellare, quibus obvoluta eſt Rebecca: & hodie quoque Arabiæ, & Meſopotamiæ operiuntur fœminæ, quæ hebraice &c. græce θέριςρα, ab eo, quod in θέρει, hoc eſt, in æſtate, & caumate corpora protegant fœminæ Theriſtra, quo tenuiſſimo in æſtibus tegebantur umbraculo. ] Ex Heſychio, qui inquit: [ Theriſtra tenue indumentum, æſtiva veſtis. ] Item erat idem, ac *Maphorium*, de quo ſuo loco dictum eſt. [ Theriſtrum, & maphorium appellant. Philo Carpath. Epiſc. in cap. 5. Canticor. ] Maphorium Fortunatus in vita S. Hilarii, lib. 2. pallium eſſe tradit: [ Cereus illuminatus caſu ſuper ſepulchrum ejus ardens, corruit; ita ut maphortem ſine læſione aliqua perarderet, ] & paulo poſt pallium illud appellat, inquiens: [ Tanquam ſi connubium cum ipſa feciſſet inter ignem, & pallium. ] Unde colligitur theriſtrum, ſive maphorium, ſeu maphortem fuiſſe etiam in uſu virorum, idque clare ex Tertulliano ſupra cit. ac de Chryſoſtomo Conſtantinop. Epiſc. ex Synodo contra eum coacta: [ Convocato Cleri totius Concilio, eum produxiſſe in medium tres Diaconos Acacium, Endraphium, & Joannem, eoſque accuſaſſe, quaſi maphorium ipſius furto abſtuliſſent. ] A Suida vero *Kridemnon* appellatur: Κρήδεμνον, Κεφαλοδέσμιον, ἢ μαφόριον, ideſt, Kridemnon, capitis eſt ligamen, ſive maphorium, unde per dictionem κεφαλοδέσμιον datur intelligi, quod aliquo obligaculo devinctum ligaretur in capite. Deſcribitur hoc indumentum ab Euſtathio in Iliad. ξ. [ Kridemnon capitis ſane tradunt eſſe velamentum ad humeros uſque dimiſſum. ] De Theriſtro etiam Iſidor. lib. 19. c. 24. Hoc tamen genus pallii penes Arabes mulieres inſerviebat ad tegendum caput, & faciem, de quibus Tertull. [ Indicabant Arabiæ fœminæ ethnicæ, quæ non caput, ſed faciem quoque ita totam tegunt, ut uno oculo liberato contentæ ſint dimidiam frui lucem, quam totam faciem proſtituere, de Virgin. veland. ] quod uſque ad præſens fœminæ orientales obſervant.

THESAURARIUS, Eccleſiaſtica dignitas in pleriſque Cathedralibus. Item Romæ eſt Theſaurarius Cameræ Apoſtolicæ. [ Ad Theſaurarium pertinet Baſilicarii, & Oſtiarii ordinatio, incenſi cura, chriſmatis cura conficiendi, baptiſterii ordinandi, præparatio luminariorum in ſacrario, præparatio ſacrificii de his, quæ immolanda ſunt, ad eum veniunt de parochiis pro chriſmate, cereos, & oblationes altaris ipſe accipit a populo, ipſe colligit per Eccleſias cereos in feſtivitatibus, ad eum pertinent ornamenta, & veſtimenta altaris; quidquid in uſu templi eſt, ſub ejus ordinatione exiſtit; vela, & ornamenta Baſilicarum, quæ in urbe ſunt, & non habent Presbyterum, ipſe cuſtodit. De candelis autem, & cereolis quotidianis quidquid ſupereſt in Baſilicis, Baſilicarius per ſingulos menſes huic deportat. Iſidor. lib. 2. de Eccleſ. off. cap. 11. ] Ejus ſynonyma. Vide *Arcarius*, *Archiphylax*. *Caſſularius*. *Cimeliarcha*. *Saccularius*. *Scevophylax*.

THESAURUS. Vide *Entheca*.

THEURGIA, Θεεργία, ideſt, opus, aut operatio divina interpretatur, a Θεός *Deus* & ἔργον *opus*. Hinc *theurgus* dicitur, qui in ſacris operatur: & hac voce *theurgicus* ſæpe D. Dionyſius utitur. Apud Gentiles theurgiæ nomen prorſus etymi ſui dignitatem amiſit, dum eam ad nefarias artes, & ſceleſtas dæmonum operationes, quos inter Deos recenſebant, tranſtulerint. Quaſi vero illæ magorum & dæmonum illuſiones, divinæ eſſent operationes, ut illas honeſtiore iſto vocabulo apud ſuperſtitioſiores neceſſe fuerit compellare. FR. ſuperſtitioſa, & magica ars, quæ falſam purgationem animis, dæmonum invocatione promittit. D. Aug. lib. 10. de Civit. Dei, cap. 9. & 10.

Theut. FR. dicebatur quintus Mercurius Trimegiſtus ab Ægyptiis, & anni primus menſis etiam appellabatur. Cicero de nat. Deor. lib. 3. Item *Theut*, ſeu *Thot* vox eſt Ægyptia, quam Nicolaus Abramus in ejus Pharo vet. teſt. lib. 8. cap. 23. exiſtimat fuiſſe nomen Joſepho Jacob filio ab Ægyptiis inditum.

Thia, θεία, nomen genericum, quod tam Materteram, quam Amitam ſignificat, quo vocabulo utuntur adhuc Hiſpani: Itali tamen *Zia* pronunciant, & Melitenſes ſemper latinum vocabulum retinent *Amiti*, ſive, *Amti*. Amita, ideſt, Thia ex parte paterna: [ Si quis Clericorum, vel Monachorum præter matrem, aut germanam, vel thiam &c. Concil. Bracaren. cap. 15. ] Quare in S. Gregorii Papæ Regiſtro, lib. 1. cap. 37. in epiſt. ad Anthemium Subdiac. mendoſe habentur hæc verba: *Paterchia mea*: cum reſtitui debeant: *Pateria thia mea*. FR. reperitur etiam penes nonnullos Eccleſiaſt. Scriptores etiam nomen maſculini generis *Thius*.

Thicinyna. FR. vox mendoſa apud Iſidorum, ubi de ſacris indumentis Summi Sacerdotis agens, ſic inquit: [ Machil, quod eſt tunica talaris, tota thicinyna, ] quod vocabulum juxta antiquum ejuſdem Auctoris Codicem M. S. correxit Voſſius *Hyacinthina*. Ita etiam legitur in impreſſo Venetiis de anno 1483. ac magis confirmatur hæc germana lectio ex epiſtola Sanctis Hieronymi ad Fabiolam, ubi de eodem Sacerdotali indumento ſcribens, ſic ait: [ Mail, ideſt, tunica talaris, tota hyacinthina.

Thingare. FR. donare univerſaliter, ac libere, l. ſi quis liber. de Adulter.

Thinx. FR. Donatio univerſalis, ac libera. Item & ſingularis, l. ſi quis liber, de Adulteriis.

Thirsi, Hebræorum menſis ſeptimus. Vide *Elul. Ethanim.* Joſeph vero Judæus *Thuri* habet: Septimo menſe &c. qui noſtratibus eſt Thuri, Macedonibus Hyperberetæus appellatur, lib. 8. antiquit. cap. 6. ] Quare errat Calepinus, dum in dict. Hyperberetæus inquit, Joſephum hunc menſem octavum appellaſſe.

Thius. Vide *Thia*.

Thlipsis, θλίψις, compreſſio, afflictio, anguſtia, & tribulatio, quo vocabulo uſus eſt Lucifer Caralitanus, lib. 1. pro S. Athanaſio.

Thnetopsychitæ, θνητοψυχῖται, Hæretici, qui aſſerebant animam eſſe mortalem, ut ipſummet nominis etymon declarat.

Thoes, θῶες, lupi cervarii. [ Hi namque ſunt Thoes aſtuti. S. Ignatius Mart. epiſt. 12. ] FR. De hac luporum ſpecie hac narrat Plinius: [ Thoes ( luporum id genus eſt procerius longitudine, brevitate crurum diſſimile, velox ſaltu, venatu vivens, innocuum homimini ) habitum, non colorem mutant, per hyemem hirti, æſtate nudi, lib. 8. cap. 34. ] *Lupo cerviero* italice vocatur, de quo etiam adagium eſt italicum *Il lupo muta il pelo, e non il colore*, quod de eo dicitur, qui in canitie, vel habitu religioſo extrinſece mutatur, ſed vitia priſtina ſempre in ſe retinet. De hac luporum ſpecie multa refert Rhodig. lib. 27. cap. 23.

Tholus, θόλος, tugurium, camera, cupula: [ Cum quinque annos verſatus eſſet in Monaſterio, ſeceſſit ſolus in montem Lyco, & in cacumine montis, factis ſibi tribus tholis, ingreſſus ſe ipſum incluſit. Atque erat unus quidem tholus ad corporis neceſſitates, unus autem ubi operabatur, & edebat, alius ubi orabat. Pallad. c. 43. hiſt. Lauſiacæ: ] θόλος græce ſignificat proprie cupulam, ſive cameram fornicatam. Vide *Tribuna*. *Trullus*.

Thomas a Kempis. Italus. Vide *Pulverizo*.

Thora. Vide *Pentateuchum*.

Thoracida, pictura, quæ uſque ad Thoracem terminatur. [ Deinde in geſtis Silveſtri Papæ legitur Conſtantinum Imperatorem per thoracidas Apoſtolorum, quod ipſos in viſione viderit, cognoviſſe. Valfrid. de reb. Eccl. cap. 8. ] quæ Apoſtolorum Petri, & Pauli imagines adhuc in Baſilica Vaticana oſtenduntur. FR. Eſt tamen quæſtio, ubi nam in corpore intelligatur terminari thorax. Hippocrates, lib. de Arte indicat a collo uſque ad ventrem, ubi ſcilicet hepar reſidet terminari. Sed Ariſtoteles, lib. 1. hiſt. animal. cap. 7. a collo ad crura uſque definiri docet; & hoc pacto præfatę Apoſtolorum imagines in Baſilica Vaticana oſtenduntur in tabella depictæ. Item Salmaſius quandam Dei Genetricis imaginem *Thoracletam* appellat, ideſt, medio tantum corpore depictam.

Thot. Vide *Theut*.

Thrax, ideſt, Aſper. Vide *Aſprum*.

Threnus, θρῆνος, lamentatio, luctus, fletus; ita Jeremiæ Profetæ Lamentationes denominatæ ſunt: de quibus Joannes Beleth. cap. 101. ita appellatas fuiſſe Jeremiæ lamentationes commentatus eſt ex eo, ſcilicet, quia Propheta ille in quodam Monte Threno appellato ejus lamentationes compoſuerit, in quo monte audiuntur continuo damnatarum animarum lamentationes, quam fabuloſam narrationem ſequutus eſt Durandus. FR. Threni nænias, & lacrymas ſignificant, Threnos ſcripſerat Simonides Poeta ex inſula Ceæ, ut Lilius Greg. Gyraldus de poet. & hiſtor. dial. 9. teſtatur, ubi ſic ait: [ Scripſit & threnos, hoc eſt, nænias, vel lachrymas. Horatius: Ceæ retractas munera næniæ, & Catullus: Mœſtus lacrymis Simonides. Quanquam propter effectum, & reticentiam, locus hic Catulli parum lucide a Grammaticis explanatur. ] Vide *Hymnus*.

Throni, cœleſtium ſpirituum ordines. Vide *Deifer*.

Thronus. Vide *Cathedra*. *Inthronizo*.

Thur, Juppiter. [ Cæterum in expletione ſuarum expulſionum, atque exercituum ſacrificabant olim venerantes Thur Dominum ſuum, cui non aliquid pecudum, atque pecorum: ſed ſanguinem mactabant hominum. Duconus in Danica hiſt. ] atque ibidem, ubi de Lotario Regis Daniæ filio agitur, ſic habetur: Vehuntur lupi pernices ad lacerandas Dominicas oves, Deo ſuo Thur humanum ſanguinẽ libantes. ] Videtur potius Saturnũ ſignificare, tum ex affinitate vocabuli, tunc etiam quia Saturno ſacrificabantur homines, ſed Jovem ſi-

gni-

gnificare dicimus, cui etiam humanus ſanguis ſacrificabatur, ut ex Tertulliano cap. 9. Apolog. colligitur, ubi ſic ait: [ Ecce in illa religioſiſſima Urbe Æneadarum piorum eſt Juppiter quidam, quem ludis ſuis humano proluunt ſanguine. [Quare diem hebdomadis, quem Jovis diem dicimus, *Thurſday* appellant Angli, Dani, & Germani.

Thurarius, qui thura Idolis offert. Vide *Exſufflo*. *Suffocatus*. *Thurifico*. *Thurificatus*.

Thuribulum, de quo dictum eſt in dict. *Incenſarium*, pro cujus ſignificatu hæc habentur: [Thuribulum nanque ſignificat Corpus Dominicum, incenſum ejus divinitatem, ignis Spiritum Sanctum. Gem. lib. 1. cap. 12. [Quare autem referatur ante Evangelium, ſic explicat Amalarius: [ Thuribulum ante Evangelium portatur; quia Chriſtus odor ſuavitatis in igne paſſionis pro nobis ſacrificatus prædicatur, lib. 3. cap. 18.

Thurificatio debet eſſe ſecundum majorem partem ex incenſo. [Materies autem, quæ adhibetur, vel ſolum & purum thus eſſe debet boni odoris, vel ſi aliqua addantur, advertatur, ut quantitas thuris longe ſuperet. Cærem. Epiſc. lib. 1. cap. 23. ] Nam verificari debent verba in benedictione poſita *Incenſum iſtud &c.* verba in incenſatione prolata. *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum &c.* præter alia myſteria in incenſi materia ſignificata. Quando debet Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum incenſari, tunc non benedicitur incenſum; ſecus vero ſi occaſione miſſarum celebrationis, aut veſperarum incenſandum ſit altare; tunc enim licet ſit expoſitum Sacramentum, benedicitur nihilominus incenſum. In Miſſis Defunctorum, & quando expoſitum eſt Sacramentum, in miniſtrando thuribulum non oſculatur, neque manus Sacerdotis, nec ulterius incenſatur Superior poſt oſculum Evangelii, ut in aliis Miſſis ſolemnibus fieri ſolet; ſecus vero ſi indutus eſt ſacris paramentis: hæc enim eſt romana praxis, quam ego pluries obſervavi. Cardinalis, quando in titulo ſuæ Eccleſiæ ad Miſſam cantatam aſſiſtit, dum ipſe oſculatur librum Evangeliorum, tunc Celebrans incenſatur. Itaque regula generalis talis eſt, ut in principio Miſſæ, & poſt Evangelium nunquam ſuperior non indutus ſacris paramentis incenſetur, niſi tantum tempore offertorii; ac recenter in cæremoniali Innocentii Papæ juſſu correcto, lib. 1. cap. 23. id manifeſte declaratur, ubi ſic habetur: [ Nullus vero neque Epiſcopus, ſi non ſint mitrati, incenſatur in Miſſa, niſi ſemel, ſcilicet, poſt oblata: ] ideo Pontifex quando in Cappella papali aſſiſtit ad Miſſam, ſemper eſt mitratus, & pluviali indutus, qui quando debet ſedendo incenſari, tunc ob reverentiam Cathedræ, quæ eſt prima ſedes, thurificatur a Cardinali aſſiſtente genuflexo, & quando erectus incenſatur, tunc idem Cardinalis functionem illam exercet erectus. In Eccleſia græca quotieſcumque reperitur Diaconus præſens, ad eum ſpectat Altaris thurificatio, in latina autem Eccleſia eſt Sacerdotis munus. Inſuper Græci in actu incenſationis ſemper cum thuribulo formant ſignum Crucis. Antiquitus tamen in Eccleſia latina ſemel in anno, ſcilicet, in feria quarta poſt Dominicam III. Adventus Diaconus in tempore matutini incenſare ſolebat Altare, quando a Subdiacono, aliiſque Acolytis proceſſionaliter conſociatus ambonem aſcendebat, ubi Evangelium illius diei nempe, *Miſſus eſt Angelus Gabriel &c.* cum ejus homelia canebat, qua peracta deſcendebat ad incenſandum Altare, quæ cæremonia denotabat annunciationem ab Angelo Virgini exhibitam; Diaconi enim officium angelicum eſt. Incenſatio autem Altaris virtutem Altiſſimi ſupervenientem in Virgine ſignificabat. Durand. lib. 6. cap. 8. Incenſatio oblatæ denotat unctionem capitis Chriſti a Magdalena ante paſſionem factam. Innocent. Papa III. lib. 2. de myſt. Miſſæ, cap. 57. Trina vero incenſatio uni tantum præſtari debet, nempe, digniori. Sac. Rit. Congregat. 11. Decembr. 1604. & 11. Decembr. 1614. quando incenſatur Altare, incipiendum eſt a cornu ſiniſtro. Vide *Bulla*. Dicitur etiam Thuribulum *Incenſarium*, *Thymiamaterium*, *Suffitorium*. Vide *Thurifico*.

Thuribulorum Festivitas, erat quædã feſtivitas, quæ celebrabatur a Clero in aliqua Eccleſia, quando accipiebantur a Papa quædam monetarum munera *Presbyterium* appellata, de qua cæremonia fit mentio in quibuſdam Scripturis in Archivo S. Angeli ad forum piſcatorium Romanæ Urbis conſervatis, in quibus loquitur de Clero Eccleſiæ parochialis S. Patermutii, ubi Clerus ſuſcipiebat a Pontifice presbyterium ſex denariorum. [ In Thuribulorum feſtivitate. ] Vide *Presbyterium*. In hac ſignificatione. Vide *Roga*.

Thurificatio, incenſatio. [ Et facitis vos hodie poſt unitatem, quod a nullo factum eſt poſt thurificationem. Optat. Milevit. lib. 2. adverſ. Parmenian.] Cæremonias, & myſteria thurificationis. Vide *Thuribulum*.

Thurificatus, qui idolis dat thura, & incenſat. [Cornelius qua ratione Trophimo, & thurificatis communicat. S. Cyprian. epiſt. 53.] qui a Tertulliano *Thurificuli* dicuntur. Vide *Cæremonior*. *Cruciola*. *Libellatici*. *Thurarius*. *Thurifico*.

Thurifico, thura do, incenſo. [ Et Menelaus, qui ne thurificaſſe a ſuis Civibus probaretur, oculorum dolorem fingens, ad confeſſum ſuorum procedere trepidavit. Optat. Milevit. lib. 7. adverſ. Parmenian. ] FR. Omnes ſua quærunt, non quæ Jeſu Chriſti &c. ex quo genere ſunt, qui vel thurificare idolis, vel codices divinos tradere, quam mori, maluerunt. D. Aug. de ſchiſmate Donatiſt. ep 164. Julian. extitit infidelis Imperat.; nonne extitit Apoſtata iniquus idolatra? Milites Chriſtiani ſervierunt Imperatori infideli; ubi veniebatur ad cauſam Chriſti, non agnoſcebant niſi illũ, qui in Cœlo erat: quando volebat ut idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi Deũ, can. Imperatores, §. Julianus 11. quæſt. 3.] Cogebantur enim Chriſtiani a Gentilibus in deteſtationem fidei chriſtianæ, ut

Idolis ſacrificarent, illa thurificando. [ Temporibus Diocletiani, & Maximini Olympiade LXVI. edictis crudelibus catholicæ fidei cultores, quos chriſticolas, & cruciolas, ( *lege Crucicolas* ) nuncupabant, ad thurificandum ſtatutis (*lege Statuis*) ethnicorum cogebantur. Aldhelm. de laud. Virg. cap. 17. ] Qui deteſtationis locus *Pejerarium* dicebatur. V. *Pejerarium.* De hac Ethnicorum ſuperſtitione cecinit Ovid. lib. 13. Metam.

Thure dato flammis, vinoque in thura profuſo,
Cæſarumque bovum fibris de more crematis.

Et Virgil. 4. Æneid.

——— Thuricremis cum dona imponeret aris.

Vide *Facio*. *Suffocatus*. *Suffragium*. *Thurificatus*. Spurcitias aliquando thurificabant Gentiles. Vide *Spurcalla*.

Thus. FR. incenſum, cujus etymon a θύω, ideſt, ſacrifico, deducitur. Auctores apud Pontanum. Ejus ſynonymum. Vide *Olibanum*.

Thyas. FR. apud Danielem Symmachus interpretatus eſt, quod Græci ſolent ἡπατοσκόπους appellare, ideſt, qui exta inſpiciunt, & ex iis ventura prædicunt, ut Hieronymus, cap. 2. Danielis ſcribit. Sed θύω, ſacrifico ac ſufflo ſignificat, & θύος, victimam, & hoſtiam denotat.

Thyinus, θύϊνος, odorifer, ex verbo græco θύω, quod ſignificat odorem reddere. [ Sed & claſſis Hiram attulit ex Ophir ligna thyina, 3. Reg. cap. 10.] Ac ſæpe de hoc vocabulo in hoc capite, & in 2. Paralip. cap. 9. Item c. 18. Apocalyp. n. 12.

Thymelicus, θυμελικὸς, citharœdus, tibicen, geſticulator, mimus. [ Templum omnes magis ſectentur, an theatrum? Dicta Evangeliorum magis diligent, an thymelicorum? Verba vitæ, an verba mortis? Verba Chriſti, an verba mimi? Salian. lib. 6. de Gubern. ] FR. Thymelicus ex dictione græca θυμέλη deducitur, quæ varie ſignificat, nempe, Aram. Apud Heſychium βωμὸς, ideſt, ara: idem apud Euripidem habetur, qui ſic inquit: θυμέλαι θεῶν, hoc eſt, *Ara Deorum*. Item ſignificat Orcheſtram, quæ proprie Chori pars erat in Theatro, θυμέλη, ſive βῆμα, ſive βωμὸς, ſive pulpitum. Suidas in dict. σκηνὴ loquens de Orcheſtra. Cælius Rhod. lib. 8. cap. 8. Alii tamen θυμέλην menſam intelligunt, ſupra quam ſtantes in foro thymelici, atque canentes invitabant gentes ad theatralia, ut ex Plutarcho de orac. Pyth. & in polit. præcept. atque in Alexandro colligitur. Suidas idem videtur affirmare ex epigr. & Apulejus in ejus apolog. prior. qui Thymelicum choragium pro apparatu hiſtrionum etiam uſurpavit. [ Non tamen ex eo accipi me neceſſe eſt, exornari quoque ad ſpeculum ſolere. Quid etiam ſi choragium thymelicum poſſiderem? nam ex eo argumentarere etiam, ut me conſueſſe Tragœdi Syrmate hiſtrionis, crotalove ad trieterica Orgia, mimi centunculo? ] Itaque Thymelicus adjectivum nomen ex Thymele eſt, ut ex D. Aug. lib. 6. de Civit. cap. 7. ſatis liquet, ubi ſic inquit; [ Quæ ſunt ergo illa ſacra, quibus agendis talis egit ſanctitas, quales nec thymelica in ſe admittit obſcœnitas? Errat inſuper Vives in cit. loco D. Aug. qui Donatum citat commentantem verba Terentii in Andria, [ Ex ara ſume verbenam, ] dum Commentator dicat ibi aram vocari tymeli. Et licet locum Vives præciſe non demonſtret, eſt tamen in Andria, Act. 4. ſcena 3. ſeu ut alii, ſcena 4. varios enim Ælii Donati codices hujus commenti inſpexi, at nullibi talia inveni. Itaque Tymelici a tymele, quod eſt menſa, ſive pulpitum, dicitur, Gloſſa in can. non oportet, il ſecondo, de conſecrat. dict. 5. ubi textus per thymelicos intelligit mimos, qui etiam ad convivia verſus finem intervenire ſolent, ſic inquiens: [ Non oportet miniſtros altaris, vel quoslibet ſpectaculis aliquibus, quaut nuptiis, aut ſcenis exhibentur, intereſſe: ſed ante quam thymelici ingrediantur, ſurgere eos de convivio, & abire debere. ] Item pro Thymelicis intelſliguntur, qui miniſtrant ludentibus, ff. de his, qui not. leg. Athletas. Item Tribunus thymelicus dicitur Archimimus. Hic neque Presbyter, neque Monachus, ſed tribunus thymelicus. Anaſt. Biblioth. in collat. S. Martini Papæ, & Mart. ] Ac tandem ſi adhuc etymon Thymelici inveſtigare luberet, autumo, quod ara, pulpitum, & Thymelici ita appellarentur, quia foliis herbæ thymelicæ coronabantur, quæ planta caſiæ eſt, ut ait Calepinus in dict. Caſia, & in dict. Cneuron. & de ea Dioſcorides, lib. 4. cap. 137. & Plin. lib. 13. cap. 21. & ab Hygino caſia dicitur, quæ inter coronamenta admittebatur. Idem Plin. lib. 21. cap. 9. Nam Deorum dedecora non tantum poetarum erat narrare, ſed populorum; non mimorum, ſed ſacrorum, non theatrorum, ſed templorum, inquit loco cit. D. Auguſtinus. Et Apulejus, lib. 1. Floridorum, [ Aut ara floribus redimita ] dixerat. Item Thymelicus, Cithariſtam, Lyriſtam, & Tibicinem ſignificat. Rhodig. lib. 8. cap. 8. Item Thymele fuit cujuſdam ſaltatricis nomen, de qua Angelus Politianus fuſe contra Merulam Epiſtolarum lib. 7. epiſt. ad Guarinum.

Thymiama. FR. θυμίαμα, vaporatio, ſuffitus, ſuffimentum. [ Thymiamata boni odoris. Exod. cap. 25. Thymiama odoris ſuaviſſimi. Ibid. cap. 35. ] de quo ſæpe in Sac. Scriptura.

Thymiaterium, θυμιατήριον. FR. Thuribulum. Jerem. cap. 52. & 2. Paralip. cap. 4. Vide *Thuribulum*.

Thymoleontes, θυμολέοντες, ideſt, leonini animi, ita appellati ſunt perſecutores Sacrarum Imaginum ob ferocitatem animi, & diras perſecutiones, quibus pios earum cultores uſque ad interitum affligebant, ut non raro legitur in Martyrologio Rom. & in Vitis Sanctorum Monachorum earundem imaginum propugnatorum, inter quos Monachi Studitæ appellati, tormentis, ac martyrio ob id inſigniti ſunt. Vide *Iconomachus*.

Thynnus, θύννος, nomen piſcis prægrandis, unde dictus. Vide *Eſox*.

Thry-

Thyrsus. FR. θύρσος. Haſtam frondibus veſtitam exponunt aliqui, ſed ſertum & coronam ex frondibus, & proprie frondes ipſas ſignificat. [ Propter quod thyrſos, & ramos virides, & palmas præferebant ei, qui proſperavit mundari locum ſuum, 2. Macab. cap. 10.

Thysia, θυσία, ſacrificium, hoſtia. Vide *Miſſa*.

Tiara. Vide *Ara*. *Mitra*.

Tibracæ. FR. tibialia, braccis, ſive fœmoralibus ſimul unita. [ Ut ſemel calceatus tibracis, quas pelliceas habere ſolebat. In Vita S. Cuthberti Epiſc. 20. Mart.] Vide *Tubracus*.

Tigillus, & *Ruminus*. FR. Jovis cognomina, de quibus D. Aug. lib. 7. de Civit. c. 11.

Tignarius. FR. artifex, qui tigna accomodat in domus ſtructura. [ Ad inſtauranda ſartatecta templi tignariis, videlicet, & cæmentariis &c. 4. Reg. 22. 6.

Tigris, animal. Vide *Togala*.

Tilia, plicatio, ſeu minuta corrugatio togæ, ut in anteriori, & poſteriori cucullæ Benedictinorum deferri ſolet. [ Qui pridie rugas ab exordio formet, & inde deducat in tilias. Tertull. de pall. ] Metaphoram deducit ex ligno, quod in minutiſſimas tabellas, & aſſulas ſecatur, quibus rugas togæ comparat, quæ alibi *Tabulata congregatio* ab eodem eleganter appellatæ ſunt. FR. An potius ita togæ rugatæ a multiplici membrana tiliæ fœminæ tenue tunicatæ ſimilitudine deſumpta. Plin. lib. 16. cap. 14. ſic de tilia fœmina inquit: [Inter corticem, ac lignum tenues tunicas multiplici membrana, e quibus vircula tiliæ vocantur: tenuiſſimæ earum philyræ.

Tilon. FR. vermis piloſus. [ Millepeda, ab aliis Centipeda, aut Multipeda dicta, animal eſt e vermibus terræ piloſum, multis pedibus arcuatim repens, tactuque contrahens ſe: Oniſcon Græci vocant, alii Tilon. Plin. lib. 29. cap. 6.

Timor Initialis, FR. Dicitur timor, qui partim reſpicit præmium meriti, partim pœnam ſupplicii: de tali dicitur, quod augetur charitas, & minuitur timor, uſque dum fiat perfecta charitas, quæ foras mittit timorem omnem. Gloſſ. in can. ſicut ſeta, de pœnit. diſt. 2.

Tincta, atramentum, & aliquando pro ſcriptura uſurpatur, ut in hoc exemplo: [ Quantos per abrupta una tincta ſcriptionis tuæ dejecerit. Lucifer. Caralit. in lib. moriend. pro Dei Fil.

Tineo, comedi a tinea: [ Aut enim a ſemetipſis veteraſcunt, & tineant ſicut veſtimentum. D. Chryſoſt. hom. 15. in cap. 6. Matth. ] FR. Eodem vocabulo utitur Baruch. c. 6. 70.

Tinguo, pro *Tingo*, verbum a Tertulliano pro baptizare uſurpatum, qui Plinium non raro imitans, etiam *Unguo* pro *Ungo* dixerat. [Oleo, quo ſuos unguit.] Hinc de Chriſto a Joanne baptizato dixerat: [ A Servo tinguitur, lib. de pœnit. c. 4. ] quam phraſim adhuc in Africa Arabes retinent, qui tingere, pro baptizare dicunt.

Tintinnabulatus, qui ad collum fert tintinnabulum alligatum, ut de ſimilibus animalibus: [ Inter greges tintinnabulatos per depaſta buceta roboantes. Sidonius, lib. 2. epiſt. 2.

Tintinnabulum. FR. Campanula; ſed proprie malleum campanæ denotat. [ Joannes Sacerdos &c. cum pulſaret campanas &c. cadens tintinnabulum, percuſſit quendam puerum. lib. 5. decretal. tit. 12. c. 23.] Vide *Campana*. *Tintirinum*.

Tintinium. Vide *Folleo*.

Tintirinum. FR. campanula, tintinnabulum, l. ſi quis tintirinum, de furtis.

Titillo. FR. verbum, levi attractione alarum, aliarumve mollium corporis partium alicui riſum moveo. Italice *Tenticare* dicitur, & translate pro delectare. [ Si clericatus titillat deſiderium, can. ſi clericatus, 16. quæſt. 1. ] Sic etiam Horatius: [ Non vos titilet gloria, 2. ſerm. ſatyr. 3.

Titubo, & *Titubans*. Vide *Hæreticus*.

Titulatus, & *Titulo*. Vide *Titulus*.

Titulus. FR. hujus vocabuli etymon ex dictione latina *Tutulus* trahitur ab aliquibus, quæ tutare, & defendere ſignificat, ſic titulus librorum quaſi nomen, facta, & memoriam Auctoris continet in ſe, & in tutelam, ac velamentum habet: unde Varro, lib. 6. de lingua lat. ait, quod: [ Tutulati dicti ſunt, qui in ſacris capitibus habere ſolent ut metam; id tutulus appellatur, ab eo quod matresfamilias crines convolutos ad verticem capitis, quos habent uti velatos, dicunt tutulos; ſive ab eo, quod eſt altiſſimum in Urbe, quod eſt arx, ea res tutiſſima tutulus vocatur. Alii tamen etymologiam e longe deducunt, nempe, unum ex alio, hoc pacto, quia, ut teſtis eſt idem Feſtus, lib. 17. Flamines gerebant in capite vittam purpurei coloris, quæ tutulus appellabatur, ac quia librorum titulos antiqui minio inſcribere ſolebant, ( ut in dict. *Rubrica* dictum eſt ) hinc titulus denominatio libri appellata fuit. Sed magis arridet prima opinio ex eo, nempe, quia tutulum Romani appellaverunt altiſſimam arcem Urbis, quæ pro ſpecula inſerviebat Civitatis, ac longe proſpiciendo illam cuſtodiebat, tutabat, & defendebat; unde inſpectio libri titulus dicitur, quia perſpicitur omne id, de quo in eo codicis tractu agitur; ſic totius hebraicæ irriſionis in Chriſtum crucifixum ſumma, & titulus erat inſcriptus, hic eſt J. N. R. J. Nam titulus eſt quaſi ſpecula, & cuſtodia, & compendium univerſaliter continens totius tractatus ſummam. Ita etiam in ſignificatu cuſtodiæ in paſſione S. Cæciliæ legitur: [ Clariſſimus vir erat nomine Gordianus, hic ſub defenſione ſui nominis domum Sanctæ Cæciliæ ſuo nomine titulavit, ] ideſt, cuſtodivit, protexit. Eodemque modo Presbyteris Cardinalibus eorum Eccleſiæ tituli dictæ fuere, quia ſub eorum cuſtodia, cura, & tutela traditæ ſunt; Eccleſiæ enim curatæ tituli dicuntur: [ De fermento vero, quod ore Dominico per titulos mittimus. Anaſtaſ. Biblioth. in vita Melchiad. ] Idem ſentit Baronius, an. 57. num. 127. &

an. 112. n. 5. & 6. Quæ Eccleſiæ diviſæ ſunt in Parochias ab Evariſto Papa. Idem ann. 112. num. 4. Et auctæ a S. Marcello Papa. Idem ann. 309. num. 4. Et a S. Dionyſio Papa diviſas fuiſſe Urbis Parochias habetur in dict. *Diœceſis* De Epiſcopis Cardinalibus Æneas Sylvius, epiſt. 269. inquit, quod non dabatur titulus Cardinalis; ſed tempore Eugenii Papæ III. reperitur titulus Cardinalis, de quo Angelus Marriquez in ejus Chronica Ciſterc. tom. 2. ad an. 1146. cap. 11. pag. mihi 46. referens Cardinales ab eodem Pontifice creatos, primo loco ponit Epiſcopum Cardinalem Albanenſem. Sic:

Nicolaus Berkſper Epiſc. Cardinalis Albanus.
D. Bernardus Card. Caſinas Presbyter tit. S. .......
Guido Cremenſis Prebyter Card. S. Calixti.
Gaufridus Presbyter Card. S. .... ...
Georgius Diaconus S. R. E.
Gerardus Diaconus S. R. E.

Ubi etiam colligitur, quod Cardinales Diaconi non habebant nec titulum, ut dictum eſt de Diaconibus Cardinalibus in dict. *Cardinalis*. :||: Sed aliquando nec Diaconiam; quod ſæpe ex diplomatibus Pontificalibus colligitur. In quibus etiam non raro Cardinales Baſilicarum SS. Apoſtolorum, & Sanctæ Mariæ in Transtyberim titulo carent. FR. nomen inſuper tituli non modo pro tota Eccleſia accipiebatur, ſed etiam quandoque pro peculiari Eccleſiæ parte. [ Cœpit ejuſdem Baſilicæ fabricam in longitudine cubitorum C. & V. in latitudine vero XLIII. in altitudinem autem XXVIII. baſibus ſuppoſitis, & columnas deſuper decem a latere uno, totidemque ex altero in cubitis novem erexit, feneſtras quoque in ſuperioribus ſatis amplas, in navi quidem viginti, & unam, in titulo vero ſex longas, & rotundas quatuor, ac duas in abſida mediana inſtituit. Chron. Caſin. lib. 3. cap. 28. ] Item ibid. c. 29. ſic etiam habetur: [ Plumbeis igitur domatibus illam totam cum titulo, & utraque porticu, ac veſtibulo decenter operiens, abſidam, & arcum majorem muſivo veſtivit, in cujus circuitus amplitudine aureis literis hos verſus deſcribi præcepit &c. ] :||: Item titulus ſignum ſignificat, quo aliquid fiſco applicabatur, & a S. Ambroſio *Regia Cortina* dicitur, de quo regio ſigno confiſcationis D. Greg. in Regiſt. l. 1. cap. 63. hæc habet: [ Et quoniam edocti ſumus, domum Petronii Notarii S. R. E. cui Deo auctore præſidemus, a Conſtantino defenſore irrationabiliter titulatam, experientiæ tuæ præſenti pagina demandamus, ut omni excuſatione, & dilatione omiſſa, depoſito titulo, eamdemque domum præſentium latrici Theodoræ relictæ antedicti Petronii ſine mora reſtituas. ] Quod Chriſtiani imitantes, Crucis ſignum, ſive titulum ponebant, ut ſignificarent aliquem locum ad divinum cultum applicandum, de qua cæremonia dictum eſt in dict. *Stauropegium*. Sic etiam ſignum, ſeu notificatio cauſæ martyrii, quæ in tabella a perſecutoribus ſcribebatur, & narrabatur cauſa mortis reorum, quia, nempe, profitebantur Chriſti fidem, *Titulus Chriſtianitatis* dicebatur. Sic de ſancto Sebaſtiano in Martyrol ſub 20. Januarii legitur: [ Sancti Sebaſtiani Martyris, qui Diocletiano Imperatore, cum haberet principatum primæ cohortis, ſub titulo Chriſtianitatis juſſus eſt ligari in medio Campi, & ſagittis a militibus, atque ad ultimum fuſtibus cædi. [ De eodem uſu egit Euſebius, lib. 5 c. 1. ita de SS. Lugdunenſibus Martyribus ſcribens: [ Cum undique per amphitheatrum circumduceretur Attalus Martyr, tabula, in qua latinis literis hæc erat inſcriptio, præcedente: Hic eſt Attalus Chriſtianus: ] Sic *Titulo* verbum pro ſignare uſurpatur: [Nobis vero nullus de poſtibus frontium valebit avellere, quod in uno baptiſmate artifex Trinitatis dignatus eſt titulare. S. Victor African. lib. 3. de preſec. Vandal. ] ubi *Artifex Trinitatis* appellatur baptizans. Item titulus in Sacr. Scriptura ſignum perpetuæ memoriæ ſignificat: [Surgens Jacob mane tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum. Geneſ. c. 28.] Et de Abſalone, qui ſimilem memoriæ ſignum erexerat, narratur, quod [Abſalon erexit ſibi in titulum &c. 2. Reg. c. 18.] FR. De nominis tituli ſignificatione Gloſſa in cap. dudum, de election. & elect. poteſt. §. Intitulatum, hæc habet: [ Titulus quandoque dicitur ſignum, ut in 16. quæſt. 6. can. conſuetudo, ( *ubi etiam Gloſſa* ) & dicitur titulus omnis cauſa acquirendi dominii, ut titulus pro emptione, pro donato, pro hærede, pro ſuo, pro dote, pro legato, pro derelicto: titulus prælationis, dignitatis, ordinationis &c. ] Quot vero modis titulus acquiratur. Vide Gloſſam, in cap. ut ſingulæ, de offic. Archipresb. §. Titulos. Monaſteria Monialium in Urbe nullo cardinalatus titulo erant ſubjecta: [ Cum enim monaſterium monialium fuerit, & generaliter ſervetur in Urbe, ut nullum monaſterium titulo ſit ſubjectum, cap. dilectus, de Cappellis Monach. & alior. regul. in lib. 3. decretal. ] Ubi errat prorſus Gloſſa aſſerens titulum plebem ſignificare, nec auctoritates pro ſe citatas aliquid ad ejus intentionem faciunt; & quamvis hodie in Urbe aliquæ Eccleſiæ Monialium habeant Cardinalium titulos, hoc evenit, quia antea virorum monaſteria erant, & Eccleſiæ. Synonyma, & alia. Vide *Attitulo, Paratitlum, Pratitulor*. Item titulus, quatenus prælationem denotat, Papæ dabatur: [ Domino Chariſſimo Summi Pontificatus infula prædito Viro Apoſtolico N. ] Vide in dict. *Infula*, ubi notatur etiam, quod Epiſcopi utebantur titulo *Servus Servorum Dei*. Item Papæ dabantur alii tituli notati in d. *Papa*. Cui etiam dabatur titulus Sereniſſimi. Bullar. Can. tom. 2. Conſt. 118. Titulus Patriarchæ Hieroſolymitani. Vide *Staurophylax*. Titulos autem a Patriarcha Conſtantinopolitano arrogatos. Vide in dict. *Patriarcha*. Cardinalibus dat Pontifex titulum *Fratris*, ſic Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis: [Cum ſcire debeas Apoſtolicam Sedem conſuetudinem, in ſuis literis hanc tenere, ut Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos Fratres; cæteros Reges, Principes, vel alios cujuſcumque ordinis filios in noſtris literis appellemus; & cum

uni

uni tantum perſonæ noſtræ literæ diriguntur, numquam ei loquimur in plurali, decretal. de crimine falſi, cap.6.] ac ibid. de jurejurando, c. 24. Nihilominus aliqua ſpecialitate titulorum Pontifices ſcripſere aliquando, ut Archiepiſcopo Montis realis in Sicilia Innocentius III. titulum *Fratris Chari* dederat. Bullar. Caſin. tom.2. Conſt.225. Atque perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis titulum *Devotionis tuæ*, ſic Decano Belovacen. ſcribitur, in lib. 5. decret. tit.3. c. 34. Item Patriarchis titulus *Fraternitatis Sanctiſſimæ, Beatitudinis Veſtræ*, & *Sanctitatis Veſtræ*, D. Gregorius Papa in ejus regiſt. tribuit, ac Epiſcopis *Dilectionis tuæ, Fraternitatis tuæ, Reverentiæ veſtræ*, & Abbatibus, Diaconibus, aliiſque Eccleſiaſticis perſonis *Dilectionis tuæ*. Ibid. Gualterio Linco Canonico Lucius III. dat titulum *Fraternitatis*, c. proſtremo, in decretal. de appell. Dilectis filiis Canonicis &c. Honorius III. Ibid. de except. cap. 8. Abbatiſſa vero *Dilecta in Chriſto filia* a Pontifice appellatur, de confirm. util. vel inutil. cap. 4. Cardinalibus inſuper aliquando Imperator dederat titulum *Principum Imperii*, ut Æneæ Sylvio Picolomineo, qui poſtea Pius II. Papa fuit; ſic enim inter ejuſdem Sylvii epiſtolas, epiſt. 265. extat, & ad invicem Cardinales titulum *Paternitatis Reverendiſſimæ*, uſque ad ejuſdem Sylvii tempora adhibebant, apud eundem, epiſt. 282. & 295. Hodie vero utuntur *Eminentiæ* titulo. Titulus Venerabilis cui tributus fuerit. Vide *Venerabilis*. Sæcularibus autem Dignitatibus Pontifex varium dabat titulum; Imperatori, ſcilicet, & Imperatrici, *Serenitatis Veſtræ*, D. Gregor. ſæpe in Regiſt. & Clemens III. *Illuſtriſſimum* Imperatorem appellavit, in c.6. de majorit. & obed. Item a Pontificibus, & Conciliis *Divalis* appellabatur. Vide *Divalis*. Imperatori defuncto *Divæ memoriæ*. Vide *Bonæ memoriæ*. Filiis Imperatoris. Vide *Nobiliſſimus*. Regibus, & Reginis *Gloria veſtra, Excellentia veſtra*, D. Greg. in Regiſt. Item: [ Chriſtianiſſimo in Chriſto filio Ludovico Francorum Regi Illuſtri Sixt. IV. in extrav. comm. de tregua, & pace. ] Quia Chriſtianiſſimi titulus aliis etiam Regibus præter Galliarum a Pontificibus attributus eſt. Vide *Chriſtianiſſimus*. [Philippi Franciæ Regis Illuſtris, & filii noſtri chariſſimi, Clemens V. in extrav. comm. de privil. c. 2. ] Ac idem aliis Regibus, ut [ Alphonſo Caſtellæ Regi Illuſtri, Joannes XXII. in ejus extrav. de Judæis, & Saracen. ] Illuſtri Regi Aragoniæ, Innocent. III. in decretal. de jurejur. c. 18. Illuſtris Rex Hungariæ. In decretal. de jurejur. c.33. Illuſtri Regi Cypri, Honorius III. de confirm. util. vel inutil. c. 8. decretal. Illuſtri Regi Franciæ, Innoc. III. de Judiciis, c. 13. Excellenti Tancredo Vincaſtriæ Regi, Greg. IX. in cap. 1. de probationib. Item Regibus, ac Reginis D. Greg. in Regiſtro dat titulum Excellentiæ, & Gloriæ. Reginis. Reginæ Illuſtri, lib. 5. decretal. tit.33. cap. 27. Reginis defunctis. [ Ex parte chariſſimæ in Chriſto filiæ quondam Anglorum Reginæ Honor. III. in lib. 2. decretal. tit. 22. c. 11. ] Infanti Caſtellæ, Dilectus filius nobilis Viri Petrus Infans. Joannes XXII. in ejus extrav. de Judæis & Saracen. Hexarchis dabat Pontifex titulum *Excellentiæ*, & *Eminentiæ*, can. ſicut excellentiam, 23. quæſt. 4. can. de Liguribus, & can. relegantes, ibid. qu. 5. ac. D. Gregor. ſæpe in ejus Regiſt. Præfecto Imperialis prætorii dabat Pontifex titulum magnitudinis, & ſublimitatis, can. nemo vel in foro, de pœnit. diſt. 1. Principibus illuſtribus, ac Marchionibus nobilibus, de teſtib. & atteſt. cap. 46. ac Magnitudinibus, D. Gregor. in Regiſt. Cæterique Barones *Nobilitatis* titulum habebant a Pontifice. [ Nobili viro Matefeloni, Innocentius Tertius in decretal. de præſcript. cap. 13. Nobili viro Matthæo de Rivario. Idem Innocent. lib. 2. decretal. tit. 1. c. 7. Nobili viro S. de Malileone. Idem ibid. cap. 5. de exception. ] Comitiſſis. [ Dilectæ in Chriſto filiæ Comitiſſæ Flandrien. Honorius III. de conceſs. præben. cap. ult. Dilectæ in Chriſto filiæ Comitiſſæ Bleſenſi, Innoc. III. in lib. 5. decretal. tit. 40. cap. 23. ] Famularum Imperatricis erat titulus *Dulcedo veſtra*. D. Greg. in Regiſt. De aliis hujuſmodi titulis. Vide *Domnus*. Titulus falſus. Vide *Pſeudoepigraphus*. Titulus Univerſitatum ſtudiorum a Pontificibus adhibitus *Veſtra devotio* erat, de Conſtitutionibus, cap. 10. Tituli defunctorum. Vide *Bonæ memoriæ*. Tituli Patriarcharum. Vide *Patriarcha*.

TOALIA, tobalia. [ Subdiaconus regionarius cum toalia, ut cum voluerit Dominus Papa ſpuere, poſſit illo gauſape os ſuum mundare. Cencius Camer. in ejus Cæremon. M.S. ] ex quo colligitur tobaliam illam piloſam fuiſſe, cum gauſape nominetur.

TOFALIA dicebatur offertorium. Vide *Mappa Offertorium. Othone*.

TOGA, unde ortum habuit adagium De toga ad pallium. Vide. *Pallium*.

TOGALA. FR. hæc dictio intellectu mihi difficillima eſt, licet corrupta certo appareat, & feram ſignificet. Sic enim in Vita S. Theodoſiæ Virg. & Mart. apud Mombritium, tom. 2. habetur: [ Poſt hæc dimiſſi ſunt ad eam Leopardus, & Togala, lenitatis ſuæ ſigna monſtrantes, & nihil eam læſerunt ] ſic etiam de eadem apud Vincen. Belovac. in ſpeculo hiſtor. lib. 12. c.48. dicitur. Prolixius tamen, ac diverſimode in quodam pervetuſto M. S. Codice Biblioth. Vallicellanæ de Urbe, tom. 6. pag. 66. a tergo, col. 2. de hujus Virginis martyrio legitur, nempe: [ Sedit pro tribunali Præſes, jubet omnes feras adduci, & a Venatoribus exacervari, & rugiebat Leo, Vacca ferociſſima cornibus cuncta ventilabat, ſubſequebatur Taurus mugiens, & terribilis Leopardus, & Talaga levitatis ſuæ ſigna monſtrabat, Aper quoque ſilveſter dentibus ſtridebat, & Urſorum impetus non tolerabatur. ] Puto nihilominus Tigridem reſtitui debere, nam hic omnium hujuſmodi ferarum proprietates deſcribuntur, & de hac *Togala*, ſive *Talaga* levitatis ſuæ ſigna monſtraſſe dicitur, quæ levitas Tigridis propriam eſſe af-

firmat Plinius, lib. 8. c. 18. ſic inquiens: [Tigrin Hyrcani, & Indi ferunt, animal velocitatis tremendæ.

Tolenum. FR. trochlea, ſ. item, de homicid. Vide *Trochlea*.

Tolero. Vide *Cohibeo*, ibi, cohibentia pro tolerantia.

Toltum. FR. exactio: [Ad emendum, & vendendum ſine omnibus toltis malis (*ideſt ſine indebitis exactionibus,*) per antiquas, & rectas conſuetudines. Matth. Pariſ. in ejus hiſt. de anno 1215.] Ex dict. germanica *Tol*, ſeu potius a *Tollo* latino verbo, unde Itali *Tolto* ablatum dicunt.

Tomus, τόμος, quæ dictio apud SS. Patres, & Sac. Concilia duplicem ſignificationem habet: nam aliquando magnum volumen, librum, ac codicem ſignificat, in quo ſenſu ſcripſerat D. Hieronymus ad Pammachium, & Oceanum; quandoque tamen deciſionem, & decretum fidei denotat ex græco τὸ μὲν, ideſt, *In ſumma*: nam ſummatim, quod ad fidem ſpectat, decernitur. Hinc fruſtra Eutychiani hæretici D. Leonem Papam irridebant, ex eo, ſcilicet, quia ejus dogmaticam epiſtolam tomum appellaverat: [Sed adhuc vide hæreſeos impudentiam. Reprehendunt enim Leonem Pontificem, qui epiſtolam ſuam tomum vocaverat, neſcientes rudes, quomodo S. Cyrillus, & ſtrenuus Athanaſius, aliorumque Patrum cœtus pios libros tomos vocent. S. Ephrem Antiochen. Patriarcha in Bibliotheca Photii.] Hæc namque S. Leonis Papæ dogmatica epiſtola ad Flavianum Conſtantinop. Patriarcham, & univerſum Chalcedon. Concilium miſſa fuit, quæ ab omnibus Catholicis per Orientem exiſtentibus [Tomus S. Papæ Leonis] appellabatur.

Tonellus, doliolum: [Habes vinum de vite vera expreſſum in torculari crucis, & attractum aperti oſtio lateris; ſicut enim tonellus foratur, ut vinum habeatur, ſic latus Chriſti lancea militis apertum eſt, ut exiret aqua baptiſmatis, & ſanguis noſtræ redemptionis. Petrus Cellenſis, lib. 9. epiſt. 5. [ex vocabulo belgico *Tonne*, cujus diminutivum *Tonnellus* dicitur.

Tonsura, eſt proprie capillorum inciſio, & ſpoliatio, in Eccleſiaſticis ex traditione Apoſtolica inſtituta, ut inquit Anicetus Papa in ep. ad Galliar. Epiſcopos. Abraſio autem capitis Eccleſiaſticorum in coronæ forma, coronam Salvatoris noſtri ſpineam ſignificare ait Beda lib. 1. hiſtor. Angl. cap. 22. Idem etiam affirmat S. Germanus Conſtantinop. Patriarcha: [Raditur caput medium in gyrum, ut ea corona ſit pro corona Chriſti] ſeu ut ait Iſidor. lib. 2. de inſtruct. Cleric. c. 1. ad denotandum regium Sacerdotalem gradum. Moraliter autem ſuperfluitatum cogitationum ablationem deſignat. [Caput ergo tondere eſt cogitationes ſuperfluas a mente reſecare, D. Greg. in moralib.] Capilli enim cogitationum ſymbolum ſunt. Sanctus vero Areopagita Dionyſius aliam in hoc moralitatem affert, inquiens: [Capillus autem tonſus puram, nullaque figura fucatam vitam indicat, quæ non fictarum figurarum, aut colorum inductione deformitatem mentis ornet; ſed per ipſam in ſe ipſa non humana pulchritudine, verum ſingulari, & unica ad Dei exactiſſimam ſimilitudinem excitetur. De Eccleſ. Hierar. c. 6.] Item capillos tondere debet Eccleſiaſticus, ne creſcendo oculos impediant. Durand. lib. 2. cap. 1. ſuperfluæ namque cogitationes rerum æternarum ſpiritualem viſionem impediunt. Aliqui exiſtimant hanc Apoſtolicam tonſuræ introductionem fuiſſe ob memoriam ignominiæ Principis Apoſtolorum, quam paſſus eſt, quando in ejus opprobrium Antiochiæ illius caput raſum fuit, ut dictum eſt dict. *Garrhara*. FR. multa alia ſignificata tonſuræ affert Clementinarum Gloſſa in cap. 2. de vita & honeſt. Cleric. :||: Hodie tamen tonſura in ſignum honoris, & dignitatis evaſit, ut Epiſcopi, ac Cardinales præ cæteris ampliorem tonſuram deferant, & Summus Pontifex habet totum caput raſum præter brevem capillorum circulum ad formam Benedictinorum Monachorum, cujus antiquitas ex Toletano IX. Concilio colligitur, ubi can. 40. ita diſponitur: [Omnes Clerici, vel Lectores, ſicut Levitæ, & Sacerdotes, detonſo ſuperius capite toto, inferius ſolum circuli coronam relinquant.] At quid dicendum de Sacerdotibus noſtri temporis, quos pudet tam glorioſum ſignum deferre? ſeu tam exiguam tonſuram ferunt, ut vix cerni poſſit? Certe non niſi vanitatis, ac ſuperbiæ nota in illis eſt: quod ſi Gentiles infauſtum eventum ominabantur, quando in ſacrorum celebratione eorum ſacrificulo de capite cadebat corona, non inani tepitudinis ſpiritus indicio argui recte poſſet Chriſtianus celebrans, in quo coronæ ſignum non diſcernitur: itaut ſuſpicari queat, an hujuſmodi Presbyter veram ſpem æternum Chriſti regnum habeat conſequendi, dum regalis ſacerdotii ſignum palam deferre minime curet: Inobſervantia ſiquidem a Bedæ temporibus deplorabilis, qui Venerabilis Doctor in ejus Anglica hiſtoria, lib. 5. cap. 22. non ſine mœrore ſic conqueritur: [Quoſdam Clericos corona caput attonſum geſtare pudet, quæ ipſius paſſionis ſignum eſt.] Græci autem infra coronam nutriunt comam nazareo more, ad imitandum, ut ipſi aſſerunt, Chriſtum, & ejus Diſcipulos; ſed hujuſmodi introductio non videtur ſatis antiqua, colligitur enim, quod tempore S. Gregorii Nazianzeni, Eccleſiaſtici non deferebant comam: nam idem Sanctus Doctor, ubi de Cathedra Conſtantinopolitana a Maximo philoſopho uſurpata loquitur, Epiſcopos ejuſdem philoſophi fautores ab Eccleſia expulſos ab domum cujuſdam Comici confugiſſe, ibique cynicam Maximi philoſophi comam illos detondiſſe, ac eum in Epiſcopum ordinaſſe inquit. Ex qua relatione conſtat liquido, quod ille Maximus tanquam cynicæ philoſophiæ ſectator comam gerebat, at quando in Eccleſiaſticam dignitatem intrudi affectavit, cynicam comam totondit. Huic conjecturæ aſtipulatur Bedæ narratio a Baronio anno 668. n. 3. & 4. allata, quod, ſcilicet, Theodorus Tarſenſis Ciliciæ Provinciæ a Vitaliano Papa in Epiſcopum Angliæ deſignatus, cum eſſet mona-

nachus S. Pauli Orientis, & caput abraſum haberet; opus fuerat ob id, ut ejus conſecratio per quatuor menſes differretur, uſque quo ejus caput aliquod capillorum incrementum haberet, ut commode Epiſcopalis corona in eo tondi potuiſſet; quem Theodorum græci ritus ſatis fuiſſe conſtat, ex eo, nempe, quod præfatus Papa ob dubium ne Anglicos græcanicis ritibus, & erroribus imbueret ille novus Epiſcopus, Aſſeſſorem illi dedit Adrianum Nidridanum Abbatem, quod Monaſterium non longe a Neapolitani Civitate diſtabat. Baron. ibid. Tonſuram autem monachorum Orientalium S. Pauli, eandem fuiſſe exiſtimo, quam Maronitæ, aliique Orientales Monachi geſtare ſolent, qui caput radunt ad inſtar noſtrorum Religioſorum, relinquentes tamen capillorum circulum in vertice, ſed ſubtiliorem occidentalibus monachis. In temporibus SS. Hieronymi, & Ambroſii, ut ex eorum ſcriptis colligitur, Clerici non radebant caput, ſed ſubmiſſe tondebant, ita ut cutem non detegerent, fortaſſe ne convenirent cum Serapidis, & Iſidis ſacerdotibus, qui caput radebant. Simon vero Magus phanaticam tonſuræ machinam excogitaverat quam ejus ſectatores ferebant, ſulcum, nempe, & lineam, quam per capitis verticem intus ambarum aurium ſummitates ducebant, in ſymbolum Zodiacæ faſciæ, aſſerentes eorum caput globum cœleſte denotare. Aliquos Sacerdotes Chriſtianos in Oriente in modum crucis eorum capita ſolitos fuiſſe radere refert Oſorius, lib. 3. rer. Em. Quod ad præſens Epiſcopus Carangor Diœceſis Indiarum Orientalium obſervat, ut in eo libro cui titulus eſt Novus Orbis, cap. 133. narratur. In quodam M. S. Roraldi Epiſcopi, qui de anno 1300. floruit, ac de ſucceſſibus Terræ ſanctæ ſcripſerat, de Chriſtianis Georgianis, cap. 79. hæc habet: [ Clerici eorum rotundas habent tonſuras, laici vero quadratas. ] Conſervabatur hic Codex apud quendam Michaelem Belaguer Epiſcopum Milevitanum. Mahometani totum caput radunt, floccum tantum in vertice reliquentes, quod etiam ab eorum ſubjectis Chriſtianis obſervatur, licet aliqui ſcrupulosiores Chriſticolæ ob timorem ne hoc ſit manifeſtum falſæ religionis ſignum, capillare floccum non nutriant, quod tamen in Africam uſque ad Tertulliani tempora ſolitum erat deferri, ut ipſemet cap. 4. de pall. ita refert: [ Juxta cutem tonſor, & cultri vertex immunis. ] In Sacramentario S. Gregorii habetur oratio, cujus titulus *Ad capillaturam*, quæ devotionis cauſa pueris recitabatur in prima eorum capitis tonſura. Item alia, cujus titulus eſt *Ad barbas tondendas*, quæ juvenibus in prima barbæ nutritione recitabatur. FR. Tonſura quidem duplicem habet ſignificationem, quam Gloſſa in cap. 1. de Cleric. conjug. ita diſtinguit: [ Nota, quod tonſura hic accipitur pro clerica; nam proprie tonſura eſt illa abſciſſio capillorum, quæ eſt in parte inferiori, ut aures pateant; ſed clerica eſt abſciſſio capillorum in parte ſuperiori, & circuitus abſciſſionis illorum capillorum vocatur corona. Dicitur etiam *Raſura* in Clement. de honeſt. Cler. cap. 2. & ibi Gloſſa. Uſus tondendi Monialium comas in earum profeſſione, antiquiſſimus erat in Ægypto, ut D. Hieronymus epiſt. 48. ad Sabinianum teſtatur. Vide *Barbiraſium*. *Corona*. *Gerrhara*. *Papaletra*. *Pſachnion*. *Tonſuratio*. *Tonſuratus*. *Tonſus*. Clericus primæ tonſuræ. Vide *Cantor*. *Tonſus*. Tonſuram non tenetur deferre Clericus conjugatus. Vide *Clericus*. Item de hac corona in can. pſalmiſta, diſt. 23. ſic habetur: [ Clerici comam nutrire prohibentur, quorum caput deſuper in modum ſpheræ raſum eſſe debet. ] Ubi Gloſſator addit: ] Parum, nam magnitudo coronæ eſt ſignum converſionis, ut extrav. de ſucceſſ. ab inteſt. cap. cum dilectus, in parte deciſiv. 12. qu. 1. can. duo. ] Item ſic clerico non licebit cum coma ſuum officium exercere, multo minus Sacerdoti comato celebrare licebit, de Clericis enim ſic habetur: [ Nec oportet Clericos comam nutrire, & ſic miniſtrare, ſed attonſo capite auribus patentibus: & ſecundum Aron talarem veſtem induere, ut ſint in habitu ornato, can. non licet, il 2. diſt. 24.

TONSURATIO. FR. collatio primæ tonſuræ clericalis. [ Ex parte veſtra fuit propoſitum, quod dicta Eccleſia monaſterio veſtro pleno jure debet eſſe ſubjecta, videlicet, in inſtitutione, deſtitutione, inveſtitura Archipresbyteri, & ejuſdem fidelitate, ipſius, & fratrum obedientia, correctione, repræſentatione ad ordines, tonſuratione, ſuſceptione chriſmatis, litaniis, & aliis ſimilibus. In decretal. de ſent. & re judic. cap. cum inter vos.

TONSURATOR. FR. Publicanus; exactor vectigalium. [ Pervenit ad Nos, quod Tonſuratores in Sicilia prava ſibi præſumptione nomen Defenſorum ſumerent. D. Greg. lib. 10. epiſt. 48.

TONSURATUS. FR. Clericus. Item ſignificat Romanum ad diſtinctionem Longobardorum, qui comati, & eorum regio Gallia comata dicebatur, ex eo quia comam nutriebant, contra vero Romani capillos tondebant: [ Nam Spoletani, & Reatini ad B. Petrum confugium facientes, prædicto Sanctiſſimo Adriano Papæ ſe tradiderunt, & in fide ipſius Principis Apoſtolorum, atque prædicti Sanctiſſimi Pontificis jurantes, more Romanorum tonſurati ſunt. Anaſtaſ. Bib. in Adriano. ] Vide *Romanus*.

TONSURO. FR. verbum, primam clericalem tonſuram confero. Nullo modo audeant tonſurare, can. Monaſteriis, 19. qu. 3. Quod laici ad Monaſterium convolantes a ſuis Abbatibus tonſurentur, cap. 11. de ætat. & qualit. ordinand. Licentiam habeat comam capitis ſui tonſurare. Marculf. lib. 1. formul. cap. 1.

TONSUS. FR. Clericus primæ tonſuræ: [ Si quis in ordine Clericali a Presbytero, uſque ad Tonſum. In teſtamento S. Remigii Rhemenſis Archiep. lib. 1. c. 16. ] Vide *Cantor*. *Pſalmiſta*. *Pſaltes*. *Tonſura*. *Tonſuratus*.

TONUS MUSICALIS. Vide *Cantus*. *Hypate*. *Nete*, *Neuma*. *Ut*, *re*, *mi*, *fà*, *ſol*, *la*.

**Toparchia**. FR. τοπαρχία, loci præfectura. [ Et poſtulavit Jonathas a Rege; ut immunem faceret Judæam, & tres Toparchias, & Samariam, & confines, ejus, 1. Macab. 11. 28.

**Topheth**, nomen hebraicum, ſignificans ſpatioſam. [ Præparaxa eſt enim ab heri topheth, a Rege præparata, profunda, & dilatata. Iſai. cap. 30. n. 33.] quæ dictio ſæpe pro Inferno accipitur. Vide *Gehenna*. *Infernus*.

**Tophorus**. Vide *Zophorus*.

**Topographia**, τοπογραφία, loci, aut locorum deſcriptionem ſignificat a τόπος, locus, & γράφω, ſcribo: hincque *topographus*, locorum deſcriptor. Topographias in Scriptura ſacra habes, ſignanter in lib. Joſue, in quo duodecim tribuum, & Terræ variæ deſcriptiones exhibentur.

**Topoteretes**. FR. Τοποτηρητὴς. Vicarius, ſive locum tenens. Apud Camillum Peregrinum de Princip. Longobar. tit. de Pacto Principis Archis &c. pag. 318.

**Tornatrix**. FR. joculatrix. [ Aut cantare præſumant, vel turpia joca, vel urſo, vel tornatricibus ante ſe fieri patiantur, nec larvas dæmonum ante ſe ferri conſentiant, can. nullus Presbyterorum, de conſecr. diſt. 5. ] Ubi Gloſſa exponit: [ Ideſt, Joculatricibus, quæ volvuntur, ut torni; ſed choream, ſimul in gyrum ſaltantium fuiſſe puto.

**Torneamentum**. FR. quod ſic deſcribitur in Concil. Lateranen. [ Deteſtabiles illas nundinas, vel ferias, quas vulgo torneamenta vocant, in quibus Milites ex condicto convenire ſolent ad oſtentationem virium eorum, & audaciæ, temere congredi, unde mortes hominum, & animarum pericula ſæpe proveniunt, fieri prohibemus, lib. 5. decret. tit. 13. cap. 1. ] Ibi, & in extrav. Jo. XXII. habentur peculiares tituli de Torneamentis. Ubi *Haſtiludium*, *Iuſtram* dicitur: :ꞁꞁ: [ Cauſa laudis humanæ, torneamentis totus deditus erat. Cæſar. lib. 2. miracul. cap. 12. ] ex gallico verbo *Tournoyr*, quod circuire ſignificat. Vide *Tzauſtrium*.

**Torneta**. FR. idem ac torneamentum: [ Illi omnes juvenes dediti militiæ ſæculari circuibant, quærentes execrabiles nundinas, quas vulgo tornetas vocant. S. Theodoricus Abb. in vita S. Bernardi.

**Torno**. FR. circumdo, circumeo, l. qua fera. De venatoribus, & l. ſi cenſus, eod. tit.

**Torosulus**. Vide *Troſſulus*.

**Torosus**. Vide *Troſſulus*.

**Torques**. FR. non ſolum ſignificat catenam ex auro, argento, gemmis, aliiſve pretioſis materiis; ſed etiam ferream, qua vinciuntur rei, & mancipia, & inde primario a torquendo nomen deſumpſit. [ Duas torques de Sergius, & Baccus &c. Et bojam de collo Alexandri V. Papæ. In quodam privilegio Caroli Magni apud Torrigium de Cryptis Vatican. impreſſ. ſecunda, pag. 504. ] ubi agitur de reliquiis ab eo Imperatore relictis Eccleſiæ S. Salvatoris ab eodem Romæ erectæ: torques igitur erat illa catena ferrea, quam ſuſtinuerunt in vinculis SS. Martyres Sergius, & Bacchus. *Boja* eſt collare, & colli vinculum, de quo dictum eſt ſuo loco. *Alexandri Quinti*, ideſt, poſt Petrum.

**Torta**. FR. placenta non fermentata. [ Tortam, quæ abſque fermento, unam de caniſtro. Numer. 6. 19. ] aliquando ſignificat panis portionem: [ Tortamque panis unius, cruſtulam conſperſam oleo. Exod. 29. 23. Futurum eſt autem, ut quicumque remanſerit in domo tua, veniat, ut oret pro eo, & offerat nummum argenteum, & tortam panis, dicatque: dimitte me obſecro ad unam partem ſacerdotalem, ut comedam bucellam panis, 1. Reg. 2. 36. invenient te ibi tres viri &c. & alius tres tortas panis. Ibid. 1. 3. Et diviſit univerſis per ſingulos, a viro uſque ad mulierem tortam panis, & partem aſſæ carnis bubulæ, & friχam oleo ſimilam, 1. Paralip. 16. 3. Præcepit ergo Rex Sedecias, ut traderetur Jeremias in veſtibulo carceris, & daretur ei torta panis quotidie, excepto pulmento, donec conſumerentur omnes panes de civitate, & manſit Jeremias in veſtibulo carceris. Jerem. 37. 20. ] Dicitur etiam *Tortula*, ideſt, parva torta? [ Erat autem Man quaſi ſemen coriandri, coloris bdellii; circuibatque populus, & colligens illud, frangebat mola, ſive terebat in mortario, coquens in olla, & faciens ex eo tortulas ſaporis quaſi panis oleati. Num. 11. 7.

**Tortula**. Vide *Torta*.

**Tortza**. FR. fax. Lexic. græco-barb. unde *Tortia* Italice.

**Toselum**. Vide *Dorſale*.

**Tossapini**, Hæretici. Vide *Gazari*.

**Totihjoc** vocabulum Ægyptium, & ſignificat Domi primarium. In Regul. S. Pachomii.

**Toxico**, toxico lædere [ Sic igitur mihi Domini veſtri gratiam enormiter toxicavit linguæ meretricantis adulatio, & invidia detractoris. Petr. Bleſen. ep. 20. ] In ſignificatione paſſiva. Vide *Venenor*.

**Trabea**. Vide *Purpura*.

**Tracala**, & *Trachala*. FR. In Conſtantino Magno Sex. Aureliq̃s Victor de Cæſarib. hæc habet [ Cumque &c. III. & LX. annos vixiſſet, ex quibus dimidios, ita ut XIII. ſolus imperaret, conſumptus eſt: irriſor potius, quam blandus: unde proverbio vulgari, Trachala decem annis præſtantiſſimus: duodecim ſequentibus latro, decem noviſſimis pupillus, ob profuſiones immodicas nominatus. ] Licet impreſſio Baſileæ de ann. 1053. & 1546. in fol. Lugdunenſis in 16. per Anton. Vincentium 1562. Pariſiana in 16. per Sebaſt. Cramoſy 1626. habent *Tracala*. Sed Typus plantiniana in 8. de an. 1679. Francoforti in fol. de an. 1588. Aureliæ Allobrogum 1623. impreſſerunt *Trachala*: editio tamen Amſterodami in 32. de an. 1625. hoc tantum habet, nimirum [ Ita anno Imperii triceſimo, ſecundoque, cum totum orbem tredecim tenuiſſet, ſexaginta natus, atque amplius duo &c. exceſſit. ] Quapropter proverbium illud vulgare de *Tracala*, ſive *Trachala* redditur valde obſcurum.

Sigonius tamen in ejus notis ad calcem prædictæ Francofurtenſis impreſſionis ſic commentaverat : [ In quibuſdam libris ſine aſpiratione ſcriptum eſt Tracala. Aliquo modo huc facere videtur, quod Feſtus ſcribit, Trachalos appellari muricum, & purpuræ ſuperiores partes; atque inde Ariminenſes homines maritimos cognominatos eſſe Trachalos . Forſan igitur appellatio tracta eſt ab aſperitate ἀπὸ τ̃ τραχέος . ] Quem ſequutus eſt in dict. Trachali Calepinus inquiens : [ Trachali appellantur muricum , ac purpuræ ſuperiores partes . Unde Ariminenſes maritimi cognomen traxerunt . Feſtus . ] Ac in dict. Chamæ idem ait : [ Chamarum duo traduntur genera , ſcilicet , Traceæ , hoc eſt aſperæ , mali ſucci , quas oſtreas cognominant &c. ] Ex eodem fonte Glandorpius in Onomaſt. hiſt. Rom. in Galeriis , impreſſione ſecunda. inquiens : [ Galerius Trachalus Orator, de quo Quintilianus , & Tacitus , Conſulatum geſſit ultimo anno Neronis cum Silio Italico . Quidam Valerium Turpilonem vocant . Porro Trachali muricum , & purpuræ ſuperiores partes appellantur . Unde Ariminenſes maritimi homines Trachali cognomen traxerunt.Sex. Pomp. lib. 18. ] At , ut verum fatear , mihi ad veritatis fontem non raro acceſſiſſe diſplicet, dum in ejuſdem veritatis prælatione ad odioſam Eximiorum Virorum criticam compellar; quamvis literariæ exercitationes nulli efficere debeant ſicut nec mihi ſimilis in me aliorum cenſura . Itaque Feſtus in ejus de verborum ſignif. fragmentis nil de *Tracala*, ſeu *Trachala* habet , ſed in ejus Codice ab Antonio Auguſtino apud Gulielmum Leimarium de ann. 1535. impreſſo cum dictionibus Pauli Diaconi , ac notis Dionyſii Gotofredi,ex Feſto hæc tantum habentur: [Tragus genus conchæ mali ſaporis : ] Sed *Tragi* marinarum ſpongiarum ſpecies ſunt . Plin. lib. 9. cap. 45. & lib. 31. cap. 11. Deinde ex Paulo Diacono, ibid. col. 468. verſ. 27. hæc aſſeruntur : [ Trachalos appellari muricum , ac purpuræ ſuperiores partes ; atque inde Ariminenſes homines maritimos cognominatos eſſe Trachalos . ] Hinc poſcens inſiſtere cogor , cur, nempe , non reliqui maritimi populi, ſed ſoli Ariminenſes Trachali appellari queant ? Veruntamen error eſt manifeſtus ; nam Trachali non erant populi , ſed familia , ſive potius fratres , ac Septiciæ cujuſdam viduæ filii , ut ex Valerio Max. lib.7. c.7. n.4. clare patet , ubi hæc refert : [ Septicia quoque mater Trachalorum Ariminenſium, filiis irata, in contumeliam eorum , cum jam parere non poſſet , Publicio ſeni admodum nupſit &c. ] At revertamur unde diſceſſimus . De Conſtantino Magno namque hæc in ejus Breviario Pomponius Lætus habet; [ Conſtantinus in initio bonis Principibus ſimilis ; poſt bella civilia , veluti omni metu liber , contra jus æquitatis pleroſque occidit , minime ſuis parcens , & liberalitatis Auguſtorum immemor , cœpit eſſe parcus , & interdum nimis tenax . ] In idem coincidit Zoſimus Comes Ethnicus Auctor in ejus hiſt. nova lib.2. Sed Religionis odium maledicis , ac falſis impoſturis ſuum venenum diffundens , nimis hunc pium , Chriſtianumque Principem lædit . Igitur de proverbio Trachalæ tres eruditiſſimas epiſtolas ad P. Petrum Poſſinum Societatis Jeſu , & noſtri ſæculi decus , R. P. D. meus Joſeph Maria Suareſius Vaſionenſis Epiſc. ac literariæ Reipub. recens lumen direxerat , quæ Romæ a Jacobo Dragondello an. 1667. impreſſæ fuerunt ; in quarum tertia , non (ut ibidem ille ait) [ Pyrauſtæ inſtar circum Trachalæ nomen ] volutavit ipſius ingenium ; ſed potius re vera uti fœnix , quæ luminoſo ſuo calamo claritatem nobis præbuit , & ſibi redivivam æternitatis laudem acquiſivit : nam ubi nos in Sex. Rufi Feſti Breviario rerum geſtarum Pop. Rom. legimus hæc impreſſa : [ Lucius Caſſianus quæſtor Craſſi , vir ſtrenuus , reliquias fuſi collegit exercitus contra Perſas in Syriam irrumpentes , ter cum ſumma admiratione conflixit , eoſque trans Euphratem trajectos vaſtavit . Parthi Labieno Duce &c. ] ille ex M. S. ejuſdem Rufi Codice in literario DD. Barbarinorum Theſauro aſſervato hæc protulit : [ L. Caſſius Quæſtor Craſſi , reliquias collegit exercitus , contra Perſas in Syriam irrumpens, ter cum ſumma adminiſtratione conflixit. Eoſque trans Euphratem redactos vaſtavit . Pamphyliam tunc obtinebat Trachala ad bellum Epirotarum miſſus , ditiſſimum, fortunatiſſimumque ducem prioribus decem annis inveniens , duodecim continuis perditiſſimum graſſatorem , decem noviſſimis ob immenſa donaria Pupillum nequiſſimum : atque ita ludibrio habitum , ut deſperatione rerum ſuarum , venenum hauſerit , cum tendere in curiam paratus ſucceſſorem accepiſſet . Parthi Labieno Duce &c. ] Itaque ſatis elucidatur Tracalæ , ſeu Trachalæ proverbium a Victore in Conſtantino applicatum , ob ſimilem triplicem morum mutationem , de quibus Pomponius Lætus , ac alii ſupra egerunt. Diſplicet tamen quod idem R. P. D. Suareſius concurrat in ſecunda ejus Epiſtola cum Sigonii , & aliorum ſupra rejecta aſſertione , inquiens ; [ Trachali appellantur muricum, ac purpuræ ſuperiores partes , unde Ariminenſes maritimi cognomen traxerunt . ] Item de alio Trachala , ſeu Trachalo recentiori Conſtantino fit mentio , qui cum Italico Conſul fuerat . Vide Latinium in Animadverſ. in Conc. tit. Canones Apoſtolorum , §. A conſulatu Trachali .

TRACONES . FR. ſubterranei meatus , in quibus aquæ , vel aer incluſus ſerpent ; ſive quia ibi Dracones generari ſolent : [ Cum profundis traconibus , ac concavitatibus . in quibus ſecundum Philoſophos ſolet terræmotus generari. Matth. Pariſ. in ejus Hiſt. an. 1247.] Unde Melitenſes *Traconara* , ſive *Draconara* appellare ſolent meatum ſubterraneum , per quem in ea inſula ad Bercharenſe territorium concurrere ſolent aquæ .

TRACTABILIS MONS . FR. ita appellatus eſt mons Sinai a D. Paulo . [ Non enim acceſſiſtis ad tractabilem montem &c. ad Hebr. 12. 18. ] Nam ibi deſcenderat

Deus ,

Deus, & cum Moyſe pro populo Iſraelitico tractave-rat. Exod. 19. 11. [In die enim tertia deſcendet Dominus coram omni plebe ſuper monte Sinai &c.

Tractans. FR. Concionator: [Epiſcopo tractante cognoveram non ſacrificandum Idolis. D. Cyprian. ſerm. 52.] Vide *Tractator*.

Tractator, græce ἱερολόγος, ideſt, ſacer ſermocinator. [Jam vero quibuſdam ex noſtris ſacrorum tractatoribus viſum eſt amoris nomen, quam dilectionis eſſe divinius. Michael Syng. in vita Dion.] Eodemque vocabulo uſus eſt Secundinus in epiſt. ad D. Auguſtinum: [Quamvis tractator multa dixerit, quæ teneat apud ſe auditor, tamen a tractatore non receſſerunt.] Et clarius D. Chryſologus: [Vacat humanus ſermo, ſilet prædicatio tractatoris, ſerm. 91.] FR. Vincentius Lirin. in libello adverſus proph. hæret. novat. c. 40. ait: [Tertio Doctores, qui tractatores nunc appellantur, quos hic idem Apoſtolus etiam prophetas interdum nuncupat, eo quod per eos Prophetarum myſteria populis aperiuntur.] Synonyma. Vide in dict. *Concionator*. *Homilia*, ac etiam Concionatorum abuſus. Vide *Tractatum*. Vide etiam *Tractans*.

Tractatoria, epiſtola. Vide *Littera*. FR. *Tractatoriam* legendum putat Latinius in Correct. Concilior. tit. Concil. Telenſe, ſeu Teleptenſe, & tit. Concil. Conſtantinop. V. cap. 10. ac alibi. Vide *Tractoria*.

Tractatum, & *Tractatus*, ipſamet ſacra concio. [Cum Archiſynagogi, vel Hemorrhoiſſæ mulieris connexa ſibi, & producta narratio a conſueta ſermonis noſtri brevitate diſcederet, maluimus dimidiare tractatum. D. Chryſolog. ſerm. 36.] Optima quidem Concionatoribus monitio, qui eorum ſuperfluitates in dicendo detruncare neſcientes, ſe ipſos, & multo magis Auditores defatigant; diſcere hi deberent ex hoc Eccleſiæ Doctore eximio, quod pulchior ſemper conceptus ſit ille, qui brevitatis gratia relinquitur; quandoque enim legimus Sanctorum Patrum Sermones, & Homilias recentiorum ſermonibus breviores. Hinc Tertullianus recte admonet, inquiens: [Compendium ſermonis, & gratum eſt, & neceſſarium; quoniam ſermo lacinioſus, & oneroſus, & vanus eſt. [FR. eodem vocabulo uſus eſt Optatus Milevitanus, lib. 4. qui Donatiſtas arguit, eo quod ſemper in eorum concionibus contra Catholicos calumnias intermiſcebant, ſic inquiens: [Lectiones Dominicas, & tractatus veſtros ad noſtras injurias explicatis. Profertis Evangelium, & facitis abſenti fratri convicium.] Quam plane vitioſam concionandi conſuetudinem noſtri temporis Hæretici hæreditarunt, qui phariſaica petulantia ſe ipſos ſecundum legem Dei recte morigeratos exiſtimant, noſque tanquam ethnicos, & publicanos conviciant, ita ut in ipſis nulla nota errorum ſit. At nos, qui peccatores, & gratiæ Dei indigni exiſtimamur, non alienigenarum errores, ſed noſtros ad propriam correctionem a Concionatoribus libenter audimus. Vide *Homilia*.

Tracto. FR. Verbum, ideſt, concionem ago: [Hæretici ex conſcientia infirmitatis nunquam ordinarie tractant. Tertull. de reſurrect. carnis, cap. 2.] Ubi per vocabulum *Ordinarie* intelligit publice.

Tractoria, dicebatur epiſtola, qua Epiſcopi ad Concilia convocabantur: [A Primate per tractoriam ſunt vocati. Auguſt. contra Donatiſt.] Hæ diverſæ erant a Tractatoriis, quibus Epiſcopi aliis exponebant, quid in aliquo negotio actum fuiſſet. FR. Latinius tamen pro *Tractatoria*, interdum *Tractoriam* legit. Vide *Tractatoria*. Vide etiam *Littera*.

Tractus, dicitur ille mœſtus cantus, qui in Miſſa profertur poſt epiſtolam, quando non dicitur *Alleluja*, & incipit obſervari a Septuageſima uſque ad Paſcha, licet non dicatur quotidie, ſed tantum in Dominicis uſque ad quadrageſimam, quo tempore dicitur etiam in feriis ſecundis, quartis, & ſextis, quia in his diebus concurſus populi erat major ad divina officia. Dicitur tractus, quia trahitur tempus pro intervallo, quo Diaconus poſſit exuere planetam, & imponere ſibi tranſverſaliter velum; ſicut Graduale dicitur pro ſpatio temporis, quo Diaconus aſcendebat gradus ambonis. Symbolum autem Tractatus a Ruperto de divinis officiis ſic exponitur: [Quod autem tractus lugentium ſit, magiſque luctui congruat, quam graduale, quod eſt pœnitentium lamentum, illud comprobat, quod non cum Alleluja, ut graduale, ſed pro Alleluja canitur his diebus, quibus mortem, quæ ſubintravit in mundum per invidiam diaboli, ideſt, a Septuageſima uſque ad Paſcha, lugemus, lib. 5. c. 14.] Ideoque a tempore tractus ſtolam immortalitatis ſymbolum, quam in prævaricatione primi parentis perdidimus, velo violaceo cooperit Diaconus. Ob eandem rationem Sacroſancta Mater Eccleſia in dicta Dominica flebili, ac dolenti voce incipit introitum: [Circumdederunt me dolores mortis &c.] Tracti Auctorem aliqui Cœleſtinum, alii Gelaſium, & alii Teleſphorum Summos Pontifices faciunt. Quare dicitur tractus in Vigilia Pentecoſtes. Vide *Vigilia*.

Traditor, ita a ſacris Scriptoribus appellabatur ille, qui præ timore tormentorum fidei perſecutoribus tradebat ſacros Codices ad eos comburendos. [In Africa duo mala, & peſſima admiſſa eſſe conſtat, unum in traditione, alterum ſchiſmate. Optat. Milevit.] Propter quod ibid. multi renuentes ſacros libros tradere, martyrium paſſi ſunt; inter quos de S. Saturnino hoc encomium in ejus actis legitur: [O Martyrem legis ſacræ idoneum, diligentemque cuſtodem, qui traditorium facinus perhorreſcens, ſcripturas Dominicas ne perderet, intra ſecreta ſui pectoris collocavit. Apud Surium, 11. Febr.

Traduco, hoc verbum apud Tertullianum, ſicut etiam hæc alia *Circumduco*, *Obduco*, ſæpe ſignificant reprehendere, convincere, convenire, rejicere, & manifeſtare.

Traductio, pro reprehenſione a Tertulliano uſurpatur non raro.

Tragelaphus, Τραγέλαφος, Hircocervus; nam τράγος hircum ſignificat, ἔλαφος vero cervum: de eo fit mentio in Deuteron. cap. 14. 5. inter animalia comedi permiſſa. FR. de eo Plin. lib. 8. cap. 33.

Tragemata, FR. græca dictio τραγήματα, bellaria, edulia, nempe, ſacchаro confecta, ac condita, a τρώγω, quod eſt comedo. [ Quæ tragimata, aut pemmata dixerunt veteres, noſtri bellaria appellaverunt. Gellius, lib. 13. c. 11. ] Sed in vita Beatæ Veronicæ de Benaſco mendoſe *Tragimata* habetur. [ Vaſa lignea, quibus ex ſaccharo delicatiora quædam compoſita ſervabantur, quæ tragimata vocamus, lib. 4. c. 9. §. 21.

Tragoedia, τραγωδία. FR. etymologia hujus nominis habetur in Gloſſa in can. Canentes, diſt. 92. ſcilicet a τράγος, quod eſt hircus, & ᾠδὴ, idest, laus, quia hirco remunerabantur. Seu ut aliis placet, ex eo quia primum ejus poœmatis præmium hircus fuerit, aut certe uter hircinus vino plenus; unde Horatius de Arte poet.

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum.

Alii a fæce, quam Græci τρύγην appellant, quia Scenici faciem fæce ſpurcabant.

Tragoedus, τραγωδός. FR. Scenicus, qui tragœdiam repræſentat, ſicut Comicus a Comœdia dictus eſt: [ Nec in tragœdorum modum, guttur, & fauces dulci medicamine liniendæ ſunt, can. cantantes, diſt. 92. ] Ubi de Eccleſiaſticis cantoribus loquitur.

Tragulæ, & ) Tragulus. ) Vide *Trogolus*.

Traha. FR. ruſticum inſtrumentum ad modum vehiculi, ſed ſine rotis, & ponderoſum, quo agricultores poſt convulſam terram aratro, ſemine in eam projecto, traha denique per juga bovum tracta, teritur terra, ac ibi ſemen cooperitur; eodemque inſtrumento in area triticum a culmis deponitur. De hac voce fit mentio in Sac Script. [ Et fecit ſuper eos tribulas, & trahas, & ferrata carpenta tranſire. 1. Paralip. 20.3.] hinc Virg. 1. Georg.

Dicendum, & quæ ſint duris agreſtibus arma,
Queis ſine nec potuere ſeri, nec ſurgere meſſes:
Vomis, & inflexi primum grave robur aratri,
Tardaque Eleuſinæ matris volventia plauſtra,
Tribulaque, traheæque, & iniquo pondere raſtri.

Ubi in aliquibus codicibus *Trabeæque* mendoſe habetur.

Traharius, Plauſtrarius. [ Ad extremos traharіorum, qui per inſipientiam ſuam adhuc ad carnis ſarcinas ſedent, crucis diu portatæ vexilla circumfers. Sidon. lib. 6. epiſt. 1.

Tramoserica, textile, quod in ſe habet ſolum ſericum in trama. [ Holoſerica tota ſerica: olon enim totum. Tramoſerica ſtamine lineo, trama ex ſerico. Iſidor. lib. 19. etymol. cap. 22. Vide *Chryſoclavum*.

Trana. FR. currus ſine rotis. [ Teloneus non exigitur nec de navali, nec de carrali, neque de ſaumis, ſive de trana evectione. In quodam privileg. Caroli Magni SS. Vincentii & Germani Monaſterio conceſſo apud Baron. an. *779*.

Tranex. FR. palmes. [ Si quis tranecem de vite aliena inciderit. In lege 7. Longobardorum, lib. 1. tit. 19.] Italice *Tralcio* dicitur.

Transactio. FR. pactum, ſeu conventio inter partes, qui contractus in lege canonica eſt prohibitus in rebus ſpiritualibus, ita ut ſimonia reputetur; ſed licita eſt amicabilis compoſitio, ut notat Gloſſa in can. ea quæ, 1. q. 3. Quæ autem differentia ſit inter pactum, & tranſactionem. Vide *Depactio*. In Decretali habetur ſpecialis titulus de Tranſactionibus.

Transalpino, alpes tranſire. [Ipſe quaſi inter mortuos liber, in Italiam pro mandato veſtro tranſalpinare non horruit. Petr. Bleſen. ep. 59.

Transenna, tranſitus, erat ſolarium, ſive ambulacrum extra Eccleſiam, per quod ex Androna, ( de quo ſuo loco dictum eſt ) ad Gyneceum tranſitus erat. [ Hæc Baſilica aperitur tribus arcubus paribus prælucente tranſenna, per quam viciſſim ſibi tecta, ac ſpatia Baſilicæ utriuſque junguntur. Paulin. epiſt. 12. ] quod *Pergula* etiam dicebatur. [In pergula Baſilicæ B. Petri poſuit cantharum aureum una cum pretioſis margaritis, & gemmis. Anaſt. Bibl. in Steph. IV. ] Quod ambulacrum adhuc in aliquibus antiquis Templis extat.

Transfiguratio Domini, hæc ſolemnitas tam in Latina, quam Græca Eccleſia antiquiſſima eſt, & licet Calixtus Papa III. de ann. 1456. Officium de eodem feſto cum indulgentiis copioſis ad ſimilitudinem feſti Corporis Chriſti ordinaſſet, hoc tamen non intelligendum eſt de inſtitutione feſti illius, ſed tantum quoad officium proprium in memoriam inſignis obtentæ victoriæ contra Turcas a Chriſtianis in Hungaria. Nam quoad celebrationem conſtat fuiſſe antiquam, & in hac die conſecrabatur vinum recens in Miſſa, & quando hoc adhuc non reperiebatur, tunc ex uvis parum multi in Calice exprimebatur; quæ cæremonia glorioſum Chriſti regnum in ejus transfiguratione ræpreſentatum denotabat; nam illius regnum in recenti vino connotatum ab eodem Domino fuerat, dicente: [ Amodo non bibam de hoc genimine vitis, donec bibam illud novum in regno Patris mei. Matth. 26. & Marc. 14. ] In hac etiam die benedicebatur recens uva, Durand. lib.7. cap.22. Græca etiam Eccleſia ſolemniter hanc feſtivitatem celebrat, a qua Ἅγια μεταμόρφωσις, idest, Sancta Transformatio appellatur, & cum ipſi Græci quindenum jejunium ante Virginis Aſſumptionem obſervant, in quo, ſicut & in aliquis eorum jejuniis, nec piſces comedunt; in die tamen Transfigurationis, qui cadit intra prædictum quindenum jejunium pro lætitia hujus diei gaudent diſpenſatione piſcium comeſtionis. Inſuper Transfigurationis feſtum apud ipſos cum Vigilia celebratur, quam *Trofeſtum* vocant. Maronitarum tamen natio valde pia, & Catholica cum ingen-

genti lætitia feſtum Transfigurationis ſolet celebrare , ut egomet in Monte Libano eo die interfui , & vidi ; nam Patriarcha cum Clero univerſo ejuſdem Montis cacumen aſcendit , in quo vertice aliquæ cedrorum reliquiæ vigent , de quibus eximiis laudibus fit in Sac. Pagina mentio ; ſunt , inquam , hæ arbores proceriores pinis quarum trunci quinque hominum amplexu vix circumdari poſſunt ; equidem mirabili naturæ artificio ex iiſdem truncis pullulantes contemplantur rami ; diffunduntur enim circumcirca ordine tam pulcherrimo , ut ſcyphum perfecte rotundum formare videantur , foliiſque ſpiſſis , ſubtilibus , ac denſis adinſtar pinorum , ſemper inſuper virentibus , ita ut in eis quiſque jacens quieſcere commode poſſet ; lignum denique nodoſum eſt, incorruptibile, & odoriferum ; hinc Sapiens ille Salomon eo uſus eſt in Templi ædificio . FR. De hujus ligni incorruptibilitate ego quidem valde hæſito, nam aliqua notabilia ſegmenta , ab Auctore in paterna domo relicta , poſt tria, vel quatuor luſtra tinea corroſa ſunt ; quod tamen poteſt eſſe, ut ex truncis cæſa ſint flante aliquo nocivo vento , qui ligna corruptibilia reddit , quamvis alias ſint naturæ incorruptibilis . : || : Harum arborum fructus quo ad figuram ſimiles cupreſſorum fructibus ſunt , ſed quo ad magnitudinem non diſſimiles pinis , intuſque penitus vacui, & ideo ob aerem in eis incluſum deorſum non pendent ſicut reliqui ex eorum arboribus , ſed in Cœlum erecti, ita ut a ſuſpicientibus ex ſolo cerni nequeant . Sunt autem prædictæ cedrorum arbores in tam magna veneratione non ſolum apud Chriſtianos, verum etiam apud Mahometanos, ita ut cadentes in terra earum rami a ventis excuſſi , nemo illis uti audeat pro ignis pabulo : quinimo aliqui ex Hebræis Palæſtinorum terram incolentes has arbores in primordio mundi productas fuiſſe , atque in univerſali cataclyſmo inconcuſſas permanſiſſe autumant ; atque pro eorum aſſertionis fundamento Pſalmum 103. adducunt , in quo de mundi creatione agitur : [ Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam &c. ] & inferius : [ Et cedri Libani quas plantavit &c. ] Igitur in cacumine Libani aſcendit Patriarcha a Clero , & Catholico populo comitatus , ibique ſuper lapideum Altare ſub dio erectum ſolemniter celebrat ; quo peracto , omnes ad prandium Dives aliquis invitat,ubi inter alia fidei argumenta, quæ in hac gente notavi , unum hic tantum referam , eximiam , nempe , devotionem erga Sanctam Sedem Apoſtolicam ; nam ea gens caput tegit ad orientalem uſum , illudque nec in ſalutationibus , nec in Eccleſia detegit ; ſed tantum in elevatione Euchariſtiæ , & dum canitur Evangelium : at quando in ea comeſſatione in Summi Pontificis Romani ſalutem quis propinabat , omnes detecto capite , ac ipſemet Patriarcha in ſignum reverentiæ ſurgebant ; quare non immerito ſpiritualis omnium nationum ille quondam Paſtor, & Pater Gregorius Papa XIII. inter tot ſeminaria ab eo per Orbem , & in Urbe erecta , etiam Maronitis peculiare Collegium fundavit . FR. hi autem laudabiles populi ideo Maronitæ appellantur, quia quando univerſus quaſi Oriens Neſtoriana labe inficiebatur , tunc illi , qui prædicatione S. Maronis Abbatis , ac ejus Monachorum in fide Catholica permanſerant , Maronitæ dicti ſunt : quod autem hæc natio Monothelitis adhæſiſſet , inconſulte prorſus aſſeritur , ut diffuſe ac valide probare parat amantiſſimus Collega meus , ac Eruditiſſimus Dominus Fauſtus Naironus linguæ Chaldaicæ in Archigymnaſio Sapientiæ Romanæ Profeſſor . Hoc inquam chatolicifmi jugerum licet tyrannico Turcarum ſub jugo dire exagitatum ſemper ſit , nihilominus bonum fidei germen jugiter emanavit .

Transitorium , ſic Miſſæ antiphona , quæ apud nos Communio dicitur , appellatur in ritu Ambroſiano , quia tunc ad epiſtolæ cornu fit tranſitus , quemadmodum in ritu Romano etiam obſervatur . Vide *Communio* .

Translationis officii ad libitum Regula. V. *Officium*.

Translatio , transfero . [ Ut nullus audeat juxta Sanctorum canonum traditionem ex alio Epiſcopatu ibidem translatare,aut conſtituere Epiſcopum poſt tuam de hoc ſæculo evacuationem . Flodoard. lib. 2. hiſt. Rhemen. cap. 17.

Transmarinus . Vide *Ciſmarinus* .

Transmigror , hoc verbo intranſitivo uſus eſt in ſenſu paſſivo D. Hilarius in Pſalm. 51. ubi de populo hebræo loquens , ſic ait : [ Regnum deſtructæ Civitatis amiſit , & de tabernaculo avulſus , & transmigratus eſt , ] nempe , translatus eſt .

Trans tyberim , Antipolis appellata , & Tranſtyberini Antipolitani . Vide *Eſox* . Item Ravennates appellati . Vide *Guidonea porta* .

Transvena, pro advena S. Cypr. in poemate ſuper Geneſim uſus eſt, ſi tamen illud opus non ſit potius Tertulliani. FR.ut opinantur Bellarminus de Script.Eccl. in Cypriano , §. de Carmininibus , & Labbè in eod. tit. de Cypriano , §. Index carmen Geneſis , & in Tertulliano , §. Index Sacrarum Scripturarum , uti citantur a Tertulliano , tam carmina incerti &c. & inferius , Geneſis .

Trapetum, *τραπητόν* . FR. mola oleacea. Hodie tamen hoc nomen in Italia , & præcipue in Sicilia mola illa retinet , in qua cannæ melleæ conteruntur ad conſtituendum ſaccharum , a verbo græco *τρέπω* , ideſt , verto , ſeu volvo .

Trapezita . FR. *τραπεζίτης* , menſarius , campſor : a *τράπεζα* , ideſt , menſa . In can. in nomine Domini , diſt. 23. pro Simoniaco uſurpatur , ſic : [ Hæc Apoſtolica ſedes , cui auctore Deo ſervio , quot adverſa pertulerit , quot denique per ſimoniacæ hæreſis trapezitas repetitis mallei , crebriſque tunſionibus ſubjacuit . ] Ac in recto, & ſpirituali ſenſu uſus eſt D. Paulinus , in epiſt. de Gazophylacio , ita inquiens ; [ Cœleſtis igitur Trapezitæ hæc menſa eſt , theſaurum vitæ ſtruens, & ad margaritam negotiandam ſternus

nus exercens.] Ejus ſynonyma. Vide *Archarius*. *Paracharacta*. *Publicanus*. *Scambiator*. Item *Trapezita*, ſive *Trapezim* Dapiferam vertant in Nicephorum Gregoram, lib. 7. teſte Camillo Peregrino de Principib. Longob. in caſtigat. ad Lupum Protoſp. pag. 74. ad ann. 886. Poteſt etiam in ſenſu Campſoris deduci etymon a græco verbo τρέπω, ideſt, volvo, ſeu verto, nam Campſores per cedulas volvunt ſolutiones creditoribus ad eorum correſponſales: hinc Itali ſolent uti his terminis: *Girare*, ſeu *voltare in faccia del tale*.

Trappa, decipulum. [Si quis turturem de trappa furaverit, in lege Salica, tit. 7.] vox quidem belgica *Trappe*. Unde Galli dicunt *Attrapper*, ideſt, prehendere. Itali *Trappolare*, nempe, deprehendere, decipere.

Trasco-Drugitare, hæretici, ita appellati ex phrygiis vocibus *Traſcus*, quæ palum ſignificat, & *Drugus*, naſum, ſeu roſtrum; nam hi quando orabant, digitum indicem in naſo imponebant; inde etiam *Tettalo-rincita* denominati ſunt, πίτταλον enim græce folium ſignificat, & ῥύγχός, roſtrum. Hac quippe cæremonia demonſtrare præſumebant omnium rerum ipſos rectos judices, ac commenſuratores eſſe, & quod naſus judicii ſymbolum fuiſſet, palus autem menſuræ. Dicti etiam fuere *Perticonaſati*, de quibus Epiph. hæreſ. 48. In Cod. autem Theod. *Taſcodrocitæ* nuncupantur.

Trebaciter, & *Trebatius*. Vide *Trebax*.

Trebax, τρίβακος, verſatus, unde poſtea verſutum & aſtutum translative ſignificat; hinc *Trebatii* nomen proprium deſumptum fuit; item *Trebaciſſimus* in ſuperlativo dicitur. [Collegit itaque ſeſe trebaciſſimus ſenex, & intrinſecus æſtu pudoris decoquebatur. Sidon. lib. 1. epiſt. 11.] Item apud eundem, lib. 9. epiſt. 11. repetitur *Trebaciter*, ideſt, aſtute: [Præterea quidquid ſuper hujuſce ſcripti tenore cenſueris, trebaciter diffiteri.] Et ibidem clarius: [Malui factum confiteri, quam trebaciter diffiteri.] Licet in aliquibus Codicibus mendoſe *Tribaciter*, & *Tribaciſſimus* legatur.

Trebacissimus. Vide *Trebax*.

Tremaculum, Rete. [Si quis tremaculum de flumine furaverit. In lege Salica, tit. 27.] Ex gallicis vocabulis *Tremail*, & *Tremaillier*.

Tremissis, monetæ ſpecies. [Si ita eſt, ſibi libellario nomine ad ſummam tremiſſis unius concede. D. Gregor. in Regiſt. lib. 2. cap. 1.] Nomen autem *Libellarii* canonis ſolutionem ſignificat, & Italice *Livello* dicitur. Vide *Trimeſium*.

Tremuis. FR. Filius Filii naturalis, ſive Nepos ex Filio naturali, l. de ſucceſſion.

Tremulantes. FR. Hæretici in Anglia, quos Hiſpani *Adombrados* vocant.

Tremulo, tremo. [Nimio frigore horribiliter cum fletu, ac ſtridore dentium tremulantes. Flodoard. lib. 3. hiſt. c. 3.

Tremum. FR. cubiti pars, l. ſi quis homini libero, de conviciis.

Trepalium, locus ubi dabatur reis tortura: [Non licet Presbytero, nec Diacono ad trepalium, ubi rei torquentur, ſtare. Concil. Antiſiodoren. cap. 33.

Trepedica, ex verbis D. Greg. Papæ videtur ſignificare jumentorum pedicam; nam lib. 2. dialogor. cap. 30. de mulione, & equario curatore, qui jumenta ferreis ſoleis calceat, loquitur, cujus formam aſſumpſerat Diabolus; ſic inquiens: [Quadam die, dum ad B. Joannis oratorium, quod in ipſa montis celſitudine ſitum eſt, pergeret, ei antiquus in mulomedici ſpecie obviam factus eſt, cornu, & trepedicam ferens &c.] Itaque *Trepedica* pedica ferrea, ſive ex fune cannabina, aut lorea, qua vinciuntur jumentorum pedes, ut nequeant longe digredi, ſignificat. FR. Trepedica dicitur a trepidando; fortaſſe, quia jumentum hoc compede vinctus, quotieſcumque pedes movet, ejus genua trepidant, ac tremore concutiuntur. Errant igitur Dadinus hic in notis ad epiſtolas D. Gregorii, Lacerda, ac Voſſius, qui putant hoc vocabulum ſignificare potionem aliquam; nam dictio *Mulomedicus* unite legenda eſt, & non ſeparatim, ideſt, mulorum Medicus. De hac namque apparitione in quodam Codice M S. Flodoardi Rhemenſis Canonici antea, deinde Monachi, in vita Sancti Benedicti, qui codex conſervatur in Carmelitanorum Diſcalceatorum Pariſienſi conventu, leguntur hi verſus:

Id capitur Monacho ſimulati fraude ſubacto
Mul medici, plauſuque manus, alapaque recepto.

Treuga, Italice *Tregua*, eſt armorum ſuſpenſio, in qua fides publica præſtatur, ne ad invicem hoſtes ſe lædant. [Pax vero illa, quam treugam Dei dicimus, fideliter obſervetur, ſicut ab Archiepiſcopis, & Epiſcopis uniuſcujuſque provinciæ conſtituta eſt: qui autem eam infregerit, excommunicationi ſubdatur, can. illi, qui, 24. quæſt. 3.] Sub excommunicationis pœna etiam Alexander Papa III. ne violaretur præcepit: [Treugas a quarta feria poſt occaſum Solis, uſque ad ſecundam feriam, &c. ab Adventu Dom. uſque ad octavas Epiphaniæ, & a Septuageſima, uſque ad octavas Paſchæ ab omnibus inviolabiliter obſervari præcipimus. Si quis autem treugas frangere præſumpſerit, poſt tertiam admonitionem, ſi non ſatisfecerit, Epiſcopus ſuus ſententiam excommunicationis dictet in eum. In decret. de treuga, & pace capite 1.] Sic etiam habet Fulbertus Carnot.] Velim autem ſuadere tibi, ſi poſſem, ne dimittas propter iram, quæ Dei juſtitiam non operatur, quin Epiſcopo tuo treugam des, ep. 93.

Triafata. FR. Corrupte dici exiſtimat Floravant. Martinellus in ſua Roma Ethnico ſac. & corrigit Anaſtaſium Biblioth. qui in Honorio Papa inquit: [Fecit Eccleſiam S. Adriani Martyris in tribus fatis, quam & dedicavit, & dona multa obtulit,] Et in Adriano Papa idem replicat: [Baſilicam SS. Coſmæ, & Damiani, ſitam in tribus fatis reſtauravit,] apud Floravant. in ejus cit. Romæ, pag. 94. ubi corrigit *In tribus foris*, ſed nullam auctoritatem, vel conjecturam pro ſe affert. Ego tamen Blondum, Decad. 2. lib. 3. affero ſic ſcribentem: [Perſtitit autem diutius in Petri Cathedra Con-

Conſtantinus, & Epiſcopos, Præsbyteroſque more Pontificum ordinavit, quo uſque Clero, populoque Romano in tribus foris, quæ eſt Sancti Adriani Eccleſia, per Chriſtophorum primicerium coacto, Stephanus Siculus Canonice in Pontificem eſt electus: ] Cyprianus vero mendoſe habet *Trianſacta*, quem Latinius *Triaſata* corrigere maluit. Vide eumdem in Cyprian. Correct. epiſt. 21.

TRIAVERDINI. FR. Hæretici, quorum errores, & dira eorum geſta referuntur apud Baron. an. 1179. n. 4.

TRIBACITER, & *Tribaciſſimus*. Vide *Trebax*.

TRIBALTHON. Vide *Pallium*.

TRIBULANS, apud Arnobium pro tribulato uſurpatur: [In ſpiritu tribulanti cum lacrymis exoretur. In Pſal. 106.

TRIBULOSUS, campus tribulis, & ſpinis refertus. [ Aut humore imbrium putres, aut frigorum ſiccitates tribuloſas. Sidon. lib. 3. ep. 2.] Metaphorice autem pro aſpro, ac ſcabroſo ſermone accipitur. [ Et quamvis propter hamata ſyllogiſmorum puncta tribuloſum, vernantis tamen eloquii flore mellitum. Item Sidon. lib. 1. epiſt. 7.

TRIBULUM, & *Tribula*, *æ*, inſtrumentum, quo triturantur frumenta. [ Si enim ſpicarum grana tribulis attrita, ariſtis, & paleis nudantur. D. Gregor. lib. 7. c. 32. in Regiſtr. ] Vide *Traha*.

TRIBUNA. FR. hemicyclus muralis, quæ in fine presbyterii in Eccleſia ſolet terminari. Dicitur autem Tribuna, quaſi tribunal, quia ibi tribunal, ſive Pontificalis Cathedra collocabatur, ut in Templo S. Cæciliæ Tranſtyberinæ regionis ex lapide adhuc exſtat, ac in aliis antiquis Romæ Eccleſiis adhuc videntur, & Alexander Papa VII. in tribuna Baſilicæ Vaticanæ Cathedram Principis Apoſtolorum magnifice collocavit: dicitur *Calcidica*, *Hemicyclus*. Turrig. in Crypt. Vatic. ſecund. impreſ. part. 2. pag. 357. Vide *Abſis*. *Concha*. *Diatreta*. *Tholus*. *Trichorus*. *Trullus*.

TRIBUTUM. Vide *Burdatio*. *Pedagium*. *Terraticum*.

TRICÆ TELLENÆ, frivola, ac inſipida loquacitas. [ Jamdudum me fateor hæſitare, circumhiſcere, tergiverſari, tricas ( quemadmodum dicitur) conduplicare tellenas. Arnob. lib. 5.] Proverbium a Telleno tædioſo, & inſulſo tubicine deſumptum. Aliqui tamen *Tricas Attellanas* legunt. Vocabulum autem Tricæ ex græco τρίχες, proprie ſignificat capillos implexos, Italice *Treccie*, ex quo metaphora deſumpta fuit: quare poſtea pro ſermone inutili, qui eſt animæ implexio, accipitur. FR. Non a Telleno tubicine, nec legendum eſt *Tricas Attellanas*; ſed reſtituendum eſt *Tricæ*, *Tellenæ*, quæ ſunt duæ Civitates, prima in Brunduſino territorio, a qua proverbium deſumptum fuit, teſte Plinio, qui l. 3. c. 11. ſic ait: [ Et urbes duas, quæ in proverbii ludicrum vertere, Apinam, & Tricam. ] Et Tellene alia Civitas in Campania, de qua idem Plin. lib. 3. cap. 5. Licet Eraſmus in Chiliad. ex Zenodoto aſſerat, quod Tellen Tubicen fuiſſet, quem ſequutus eſt Calepinus, in dict. Tellen.

TRICO, implico: [ Scilicet, ut ſæculari negotio ſua munia non fraudaret, nec a religionis cultu terrena ſe occupatione tricaret. In Vita S. Geraldi. Et hora ſurgendi non te trices, præcurre autem prior in domum tuam, & illic avocare, & illic lude, & age conceptiones tuas. Eccl. 32. 15. ] Vide *Tricæ*.

TRICATUS, implicatus. [ Si ad ſextam horam refectionem tricatam hebdomadarii offenderint. In regula Magiſtr.

TRICENNALIS. FR. ſpatium triginta annorum. [Quæ tricennalis lex concluſit, quia & filiorum noſtrorum Principum ita emanavit auctoritas, ut ultra triginta annos nulli liceat pro eo appellare, quod legum tempus excluſit, can. Facultates, 13. quæſt. 2] Ac alibi: [Jure ſibi vendicent, quod tricennalis lex concludit, can. illud etiam, can. ſicut quicumque, cum aliis, ſeqq. in 16. q. 3.] Hæc tamen tricennalis præſcriptio non ſuffragatur Regularibus contra bona Eccleſiaſtica, vel Epiſcopos venientibus, can. poſſeſſiones, 16. q. 4. Sed deberent habere pro ſe præſcriptionem quadraginta annorum, can. volumus, & can. neque decenii. Ibidem. Et e converſo Clerus contra Regulares tricennali ſpatio præſcribit. Extravag. de privil. c. ſi de terra.

TRICESIMA, in Monaſticis regulis ſecunda hebdomada Quadrageſimæ *Triceſima* appellatur, ſicut etiam tertia hebdomada vocatur ibi *Viceſima*, quæ ita denominantur non a numero dierum, ſed ad ſequendam antecedentium hebdomadarum denominationem Septuageſimæ, Quinquageſimæ, Quadrageſimæ, ſic & Triceſimæ, atque Viceſimæ jejuniorum hebdomadæ appellantur. [A Triceſima vero uſque in Viceſimam ſingulos meros accipiant. A Viceſima vero uſque ad Paſcha vinum omnibus ſubtrahatur. Ex Regul. Magiſt.

TRICHINAS, τρίχινας, quaſi ciliciarius. Ita cognominatus fuit S. Theodorus a Græcis ob continuum & aſperum cilicium, quod in ſuo corpore gerebat; τρίχινος enim græce cilicium ſignificat, pilis contextum, ita appellatum a Cilicia provincia, in qua, ut Varro, lib. 2. de re ruſtica ſcribit, hujuſmodi indumenta pilis caprinis texebantur, ac contra ſagittas in defenſionem militum ſerviebant, ut etiam Vegetius teſtatur; ſeu tabernacula, & tentoria efficiebantur ad caſtrametandos milites, ut ad præſens Arabes & Saraceni in deſerto facere conſueſcunt, de quibus tabernaculis in Cant. cap. 1. dicitur: [Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Jeruſalem, ſicut tabernacula Cedar. ] Nam Cedar fuerat Iſmaelis filius, a quo Agareni deſcendunt, qui per errorem, ut alias diximus, Saraceni appellati ſunt; quod ideo S. Hilarius in verba Pſal. 119. [Habitavi cum habitantibus Cedar ] confirmat hanc meam opinionem, & quod propriis oculis inſpexi, inquiens: [ Cedargenus eſt Iſmaelitarum, deſerta incolens. Hi ſunt nunc Saraceni nuncupati.] Sunt autem hæc tentoria nigra, & oblonga ad inſtar illorum, quibus triremes utuntur; ſed apte diſpoſita, ac ordinata ad formam ingentium Villarum, quæ valde ſolaribus ardoribus, ac pluviis reſiſtunt. Hæc tabernaculorum coordinatio exaltata fuit

fuit a Regio Pſalte : [ Diſpoſuerunt tabernacula Idumæorum,& Iſmælitæ, Pſal. 63.] FR. *Cilicium* a Cilicia dicitur, quæ provincia *Tracheotis* cognominata eſt, unde Seleucia Ciliciæ, Seleucia Tracheotis dicta fuit. Plin. lib. 5. c. 27. a dictione τραχύτης, ideſt, aſperitas, ſcabroſitas: quare dixit Plutarchus τραχύτης τῆς κροκίδος, villoſitatem illam, & eminentiam floccorum, quæ in rudibus pannis viſitur. Junius in Lexico Greco-lat. Et Cicero in 3. Verrina, inquit: [Quum iſte Civitatibus frumentum, coria, cilicia, ſaccos imperaret. ] Et Aſconius de eiſdem Ciliciis ibidem ait: Cilicia tecta eſſe ex pilis, in caſtrorum uſum, atque nautarum. ] In Sacra autem Scriptura pro pœnitentiæ indumento non raro accipitur.

TRICHORUS, τρίχωρος. triplex chorus; nam Eccleſiæ tribuna fere tres conchas habebat, major ſiquidem *Concha*, & reliquæ duæ e lateribus *Conchula* dicebantur: [ Baſilicam Dominædi, reliquiis Apoſtolorum, & Martyrum intra apſidem trichora ſub altaria ſacratis, ſolo, & parietibus marmoratam, camera muſivo illuſa clarificavit. Paulin. epiſt. 12.

TRICIRION. Vide *Paſcha*.

TRICLINIUM. Vide *Sigma*.

TRIDUANUM, jejunium penes antiquos Chriſtianos, quomodo intelligatur. Vide *Biduanum*.

TRIERIS, τριήρης, genus navis oblongæ, ut triremis. [Neque trieris magna tranſgredietur eum, Iſai. c. 33.

TRIETERIS, τριετηρίς, triennium. Item *trieterius*, triennalis dicitur. Vide *Dieteris*.

TRIGAMUS, τρίγαμος. FR. qui ter matrimonio conjunctus, can. aperiant, 31. qu. 1.

TRILORIS, τρίλωρις, funiculus, aut ligamen tribus locis implicitum, ſic πεντέλωρις, ideſt, quinque locis.

TRIMESIUM, monetæ ſpecies, alias tremiſſis. [ Nam nec ſemel in regione iſta uſque ad unum trimeſium frumentum potui comparare. Anaſt. in exil. S. Martini Papæ. ] Aliqui menſuram ſignificare putant. FR. Sed alibi idem Anaſtaſius monetam manifeſte intelligit, ideſt, tertiam ſolidi partem, ſic inquiens: [ Domum in regione Roſſea intra Urbem, quæ præſtat ſolidos LVIII. & trimeſium. In Silveſtro Papa. ] Vide *Tremiſſis*.

TRIMMA, τρίμμα, limatura, & pulvis. [ Fecit autem & Cameram Baſilicæ ex auri trimma in longum, & in latum pedibus quingentis. Anaſtaſ. in Sylveſtr.] Alii tamen *Ex auri trimme* legunt.

TRINITAS, perſonalis diſtinctio in Deo. FR. non recte appellatur conſortium, ut S. Gregorius Nyſſenus in orat. 1. contra Eunomium clare his verbis probat, inquiens: [ Quæ cum nondum Eunomius didicerit, negat Filium ſimul cum Patre ſedere. Hoc autem poteſtatis conſortem, magis ut quid dementiæ, ac furoris ſimile percurrere oportet, quam ut impium, & ſacrilegum redarguere. Quam enim ſententiam habet συγκλήρου, *conſortis* dictione, ex communi orationis nuncupatione, non licet invenire. Super veſtimentum Domini miſerunt ſortem, ſicut Scriptura loquitur, qui noluerunt tunicam Domini diſcindere, ſi unius ipſorum rem propriam facere, cui ſors gratuito dederit. Illi igitur, qui pro tunica inter ſe ſortem mittebant, dici poſſunt σύγκληροι, conſortes. Hic autem minime dici poteſt in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, cum æqualem in rebus creatis habeant poteſtatem &c. ] Trinitatis Divinæ attributa. Vide *Homouſion*. Ejus pictura. Vide *Icona*. Spiritus Sanctus Trinitas appellatur. Vide *Spiritus Sanctus*. Quis dicatur *Trinitas Artifex*. Vide *Baptizans*. Feſtum SS. Trinitatis Romæ tempore Alex. III. non habebat peculiarem diem. [ Præterea feſtivitas Sanctæ Trinitatis ſecundum conſuetudines diverſarum regionum a quibuſdam convenit in octavis Pentecoſtes, ab aliis in Dominica prima ante adventum Domini celebrari. Eccleſia ſiquidem Romana in uſu non habet, quod in aliquo tempore hujuſmodi celebret ſpecialiter feſtivitatem: cum ſingulis diebus Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto &c. ſimilia dicantur ad laudem pertinentia Trinitatis, c. quoniam, de feriis, lib. 2. decretal. ] Ineptum, ne dicam hæreticale epitheton fuit illud a quodam alias docto Sanctiſſimæ Triadi attributo, illam appellando Ternam Majeſtatem; nam novem perſonas in Divinis inadvertenter aſſeruerat. Vide *Dealitas*, *Tetrus*, *Trionymus*.

TRINITUS. FR. ideſt, trinus, can. de trinita merſione baptiſmi. Ideſt, de trina merſione baptiſmi. diſt. 4.

TRINOMIUS, & *Trionymus*, ſic a Petro Bleſenſi cognominatus fuit S. Petrus, quia tribus nominibus appellatus eſt a Chriſto Domino, nempe, *Simon*, *Bar-Jona*. Vide *Bar-Jona*; & *Petrus*. Vide *Cephas*; ſic ergo Bleſenſis: [ Neque enim Petri fuit; ſed cum jam trinomius eſſet, Serm. 26. ] Trinomius etiam appellatus fuit Salomon Rex, quia *Eccleſiaſtes*, *Samuel*, & *Salomon* dicitur. Vide *Trionymus*.

TRIODIUM, τριώδιον, ita appellatus eſt a Græcis quidam liber, in quo tres odæ continentur, ſolitæ cani in diebus quadrageſimalibus. Vide *Alipta*.

TRIONYMUS. FR. τριώνυμος, idem ac trinomius. [ Suſpecti ab orientalibus habebantur trionymam ſolitarii Dei unionem ſecundum Sabellium tradidiſſe. Sulpit. lib. 2. hiſt. cap. 57. ] Nam Sabellius licet poneret in Deo unicam ſubſtantiam, negabat tamen trinam in eo perſonarum diſtinctionem, aſſerens tantum in Deo trionymam diſtinctionem reperiri.

TRIPARTITA HISTORIA, apocrypha. Vide *Palea*.

TRIPASSALUM, τριπάσσαλον, pertica cum tribus cuſpidibus, inſtrumentum martyrii, quo Syri utebantur, quemadmodum in vita S. Ephrem apud Voſſium legitur, nempe [ Poſtridie autem, judice pro tribunali ſedente, conſtituerunt coram illo tripaſſalum, & quæcumque alia tormentorum genera.

TRIPONDES. Vide *Neophytus*.

TRIQUADRUS, tripartitus. [ Neque teres lunaris globi circulus jacturam propriæ pulchritudinis patitur, licet luculentus limpidiſſimi Solis ſplendor tirquadram mundi rotam clarius illuſtrare credatur. Aldhelmus, lib.

lib. de Virg. c. 4. ] Trinam mundi antiquorum diviſionem intelligit, in Aſiam, nempe, Europam, & Africam conſtitutam; ſic alio loco ait: [ In triquadro terrarum ambitu, c. 11.

Trisagius Hymnus. Vide *Sanctus &c.*

Triscilidæ. FR. Hæretici, qui Deum triformem eſſe aſſerebant, de quibus D. Auguſtinus ait talem fuiſſe eorum falſam doctrinam, nempe, [ Ut quædam pars ſit Pater, quædam Filius, quædam Spiritus Sanctus. Ad Quodvult Deus, de Hæreſibus, c. 74. ] Vide *Tritheitæ*.

Triselenes, ideſt, Triluni. Vide *Synelites*.

Trismegistus, τρισμέγιςος, ter maximus. Vide *Theut.*

Trisomatos. Vide *Biſomatos*.

Tristata, τριςάτης, Ductor exercitus, Capitaneus, ſecundum nonnullorum opinionem intelligitur, tamquam qui tertio loco præſidet. Sed D. Hieronymi ſententia eſt valde diverſa, nam ſuperiorem gradum importare ait hoc nomen, nempe Principum Principem, ſic inquiens: [ Duces, & Magiſtratus, ſive Triſtatas, quos nos Principes Principum interpretati ſumus; de quibus in Exodo legimus, electos aſcenſores Triſtatas, in c. 23. Ezechiel.

Tristegus, τρίςεγος, trinam contabulationem, coaſſationem, vel contignationem habens: latine *Tritectus* dicitur: [ Qui quaſi triſtegam domum ædificavit, ideſt, inferos, cœlum, & terram, ut ſuper terram habitarent certantes, in inferno autem victi, in Cœlo victores. Chryſoſt. hom. 31. in c. 20. Matth. ] FR. ſic Dominus trinam contabulationem in Noemica arca fieri præceperat. [ Et triſtega facies in ea. Geneſ. 6. 6. ] Ac in illo myſtico Ezechielis templo in ejus cap. 42. ſic habetur: [ Triſtega enim erant, & non habebant columnas. ] Dictio autem græca Tricameratum ſignificat; Στέγη enim navis tabulatum proprie ſignificat, unde τρίςεγος triplicatum tabulatum habentem denotat, a verbo ςεγάζω, ideſt, tego, ſuſtineo, capio. Dictione vero *Stega* uſi ſunt etiam Latini; Plautus enim in Bacchide, & in Cryſalo ex ſervi nomine, act. 2. 3. inquit: [ Forte ut abſedi in ſtega ] ideſt, in tabulato navis, & in Stich. act. 3. 1. [ Sine advocatis ibidem in cercuro, in ſtega, in amicitiam, atque in gratiam convertimus. ] Item Fulgentius de vocib. antiq. ait: [ Stega eſt navis proſcenium, ideſt, tabulatum, ſuper quod nautæ ambulant, ſicut Plautus ait: ] Forte ego ut ſtega conſederam, de vocib. antiq. Hodie tamen ſubtabulatum nautæ corrupte *Steva*, ſive *Stiva* dicunt: unde *Stivare*, ſeu *Stipare*, imponere, includere, & tegere Italice dicitur, :||: Divus tamen Ambroſius in Pſal. 36. loquens de juvene illo, qui ſomno ſopitus, dum prædicaret Apoſtolus Paulus, e feneſtra præcipitatus fuerat, vocabulo latino uſus eſt, inquiens: [ Qui cum ſermonibus Pauli intentus hæreret, ſomno victus, de tritecto cecidit.

Tristitia, in quo differat a metu. Vide *Noluntas*.

Trisyrticus. Vide *Diaſyrticus*.

Tritectus. Vide *Triſtegus*.

Tritheitæ, Hæreticorum ſecta, quæ aſſerebat trinam in Deo naturam, ac idem intelligebat per hypoſtaſim, & naturam, appellati autem ſunt hi hæretici τριθεῖται, ideſt, trinideitæ. Et ulterius unicam tantum in Chriſto naturam admittebant; quorum Auctor Philoponus Alexandrinus Grammaticus fuit. FR. in can. quidam autem hæretici, 24. qu. 3. appellantur *Trithotitæ*.

Trithoitæ. Vide *Trithetiæ*.

Trochlea. FR. græca dictio τροχαλία, ideſt, rota, qua aqua e puteis trahitur. Vitruv. lib. 10. cap. 5. Dicitur etiam τροχὸς, qua rei torquentur. Lexic. Scapula. De hoc vocabulo *Trochlea* ſæpe in Martyrum paſſionalibus; ſed ſecundum diverſum loquendi modum, diverſimode eorum martyrium intelligendum eſt; nam quandoque *Elevatio ad trochleas* dicitur, ut de S. Theodoro Mart. habetur in Martyrol. 7. Decem. his verbis: [ Trochleis frequenter in ſublime elevatus, atque ictu celeri ſuper ſilices pondere corporis dimiſſus &c. ] hoc eſt genus torquendi per funem tractatoriam, quod Italice *Tratti di corda* dicitur. Aliquando vero dicitur *Extenſio ad trochleas*, ut de Sancta Symphoroſa, 17. Junii apud Adonem habetur: unde Greg. Turon. inquit: [ Extenſus ad trochleas, cædebatur fuſtibus, virgis, ac loris duplicibus &c. in hiſt. Francor. lib. 4. cap. 49. In terra extenditur ad trochleas, virgis, & fuſtibus cæditur. Idem lib. 6. c. 8. & 35. & lib. 7. c. 32. ] Ac idem habetur in ejus tract. de glor. Confeſſor. c. 83. Extenſus autem ad trochleas, de eo intelligendum autumo, qui in eadem tractatoria fune alligatus, & non plus quam quatuor digitis circiter a terra elevatus, ita ut reus a ſoli proximitate deceptus, continuo ad ſuſtentandum corpus alliciatur, ac pedibus tentet, & ſic magis, ac ſæpius torqueatur tractibus funis, quod genus tormenti in Sicilia *Succaro* dicitur. Eſt præterea longa contentionis funis inter Eruditos, eis a Vitruvio præſtita; nam lib. 10. cap. 5. inquit: [ In radice autem machinæ collocatur tertia trochlea, eam autem Græci ἐπάγοντα, noſtri artemon vocant. ] Diſputant igitur acriter Scriptores, & præcipue Sac. Expoſitores, ſuper c. 27. 40. Act. Apoſt. ubi habetur: [ Et cum anchoras ſuſtuliſſent, committebant ſe mari, ſimul laxantes juncturas gubernaculorum, & levato artemone ſecundum auræ flatum, tendebant ad littus. ] Alii enim per *Artemonem* navis malum, alii antennam, alii velum parvum, alii gubernaculum interpretantur, quos cumulatim videre eſt apud Cornelium a Lapide, & Jo. Lorinum in Act. Apoſt. atque Alex. ab Alex. integrum tract. lib. 1. Genial. c. 25. ſuper hoc vocab. *Artemon* compoſuit: nihilominus non poſſunt concordare vocabulum *Artemonis*, de quo in Actis cit. Apoſt. cum *Artemone* in ſenſu *Trochleæ* a Vitruvio ſupra allato. Cæterum hoc vocabulum *Artemon* licet inter Latinos uſitatum fuiſſe Vitruvius affirmet, eſt tamen origine græcum, ut reliquæ non paucæ la-

tiales voces a græcanicis derivatæ; provenit enim a verbo ἀρτάω, quod ſuſpendere ſignificat; unde *Artemon*, ac ſi diceres *Suſpendium*, ſeu *Appendix*: quare non ſenſu *trochleæ* locutus eſt D. Lucas, cit. cap. 27. Actor. ſed in ſenſu parvi veli, quando *Artemonem* dixerat, ideſt velum parvum navis, quod Appendicem, & Suſpendium dicere mavis. Syriaca autem Lectio loco Artemonis, *parvum velum* habet, ac optime Iſidorus docet, quid navis Artemon ſignificet: [ Artemon velum eſſe dirigendæ potius navis cauſa commodatum, quam celeritatis, lib. 19. ] Ad *Trochleam* igitur, de qua Vitruvius ſupra, redeundo, illam eſſe dicimus, quam Romani *Girella*, Florentini *Carrucula*, Senenſes *Carriola*, Siculi, & Melitenſes *Tagliola* dicunt. De Trochleis ſic cecinit Lucretius:

Multaque per trochleas, & tympana pondere magno
Commovet, atque levi ſuſtollit machina nixu.

Et metaphorice Quintilianus: [ Trochleis pituitam adducere, lib. 11. de pronunt. cap. 3. ] pro violenter expuere dixit. Atque Sidonius: [ Trochleatim fune nutabat, lib. 5. epiſt. 14.] Perperam tamen nonnulli per trochleam machinam illam, quæ italice *Argano* dicitur, intellexerunt, quæ machina a Vitruvio *Ergata* dicitur, lib. 10. cap. 4. ut ibi Guliel. Philandrus notavit. Trochleæ Synon. Vide *Tolenum*.

Trogalia, τρωγάλια, bellaria; ſed apud Caſſianum, Collat. 8. cap. 1. ironice ciceres frixos ſignificant, qui ad inſtar bellariorum corrodebantur a Monachis. FR. τρωγάλια provenit a verbo τρώγω, ideſt, edo.

Troglodytæ, hæretici, a græca voce τρωγλοδῦται ita appellati, quæ cavernarum habitatores ſignificat; nam in cavernis, lociſque ab humano conſpectu remotis congregabantur. FR. Troglodytæ populi prædones. Plin. lib. 37. cap. 8. & lib. 11. c. 37.

Trogulus, monachalis veſtis, quam aliqui ſcapulare eſſe putant. [ Semper aſperrimo a ſcapulis uſque ad renes induebatur trogulo. In vita S. Maur. ] FR. ſi uſque ad renes trogulus pertinebat, profecto non eſt cuculla, quæ talaris eſt, ut falſo exiſtimat Calepinus. Matthæus tamen Pariſius fortaſſe mendoſe *Tragulum* ſcribit, inquiens: [ Et ſic de ſæcularibus fiunt ſæculariores, & mentitur in iis tragulorum vilitas, dum ſub habitu paupertatis, ſpiritus habitat elationis. In hiſt. ad an. 1253. ] Ego tamen veriſimilius puto denotare cilicium ex verbo græco τρώγω, quod rodere, & aſperitate compungere ſignificat. Item *Tragula* apud Gellium, lib. 10. cap. 25. haſtarum, telorum, jaculorum, ſeu gladiorum ſpecies ſunt.

Troparium, & *Tropanarius*. Vide *Tropus*.

Trophæophorus. FR. τροπαιοφόρος, ideſt, Trophæi geſtator, ſic Græci S. Georgium Martyrem appellant, qui depingi ſolet equo inſidens, & lancea draconem transfodiens ad puellam liberandam. Quod factum multi Scriptores ſymbolum potius, quam hiſtoriam reputant; licet alii verum ſucceſſum exiſtiment. Unde Novatorum calumnioſitas inepta occaſionem arripuit hunc Sanctum Papiſtarum Perſeum appellare; quaſi vero ipſamet Mater Eccleſia hanc hiſtoriam inter apocryphas non recenſeret.

Trophima. FR. nutrimentum, alimentum, a græca voce τροφή.

Tropici. FR. hæretici, qui Spiritum Sanctum Angelorum omnium Principem eſſe aſſerebant, & tropis quibuſdam Sacræ Scriptur. loca exponere contendebant. Theatr. vitæ human. lit. H. pag. 22. col. 2. §. Tropici.

Tropologia, τροπολογία, ideſt, converſio locutionis, & alias ſenſus moralis dicitur; tropologicus enim ſenſus eſt ille, qui ad mores transfertur; ut exempli gratia veſtis Sacerdotis candida interioris cordis munditiam denotat, de quo in dict. *Anagogia*, & dict. *Biblia* egimus.

Tropus, genus monaſtici cantus, qui ante Miſſæ Introitum in ſolemnitatibus dici ſolebat, a D. Gregorio Papa, ut refert Durandus, lib. 4. cap. 1. inſtitutus: & eſt hujuſmodi. Exempli gratia in die Nativitatis Domini Introitus prioris Miſſæ incipit, *Puer natus eſt &c.* ante quem canebatur ſequens Tropus: *Ecce adeſt, de quo Propheta cecinerunt*, & poſtea immediate ſenſum continuando Introitum conjugebant *Puer natus &c.* vox enim τρόπος converſionem, & revolutionem ſignificat; nam reiterantur eadem verba, & ideo a Joanne Beleth, c. 59. dicitur *Zona*, quia tamquam cingulum amborum ſenſuum capita connodat. Ac *Tropanarius* dicebatur liber, in quo continebantur hujuſmodi tropi. Græci tamen *Troparium* vocant nonnullas preces, quas ſæpe in horis canonicis canunt. Vide *Verſus*.

Trossanum. Vide *Troſſulus*.

Trossulus, Eques levis armaturæ. [ Dolet ſibi prælatum juvenem non quidem comatum, non veſtium ſericarum; ſed troſſulum, & in ſordibus delicatum. Hieronym. de vitand. ſuſp. contub. ] Cujus nominis etymologia ex Troſſulo Etruriæ Civitate derivatur, quæ ſemel capta fuerit ab Equitibus Troſſulis appellatis, ſine conſortio pedeſtrium: indeque *Troſſulus* appellata fuit, quæ licet ſit jam diruta, adhuc tamen ejus ſitus nomen retinet, cujus ruinæ inter Volſinium, & Ferentum ſpectantur. FR. ſed in editione Pariſienſi de anno 1579. citatus textus Hieronymi, *Toroſolum* habet. At quomodocumque legatur, Hieronymus de vitando ſuſpecto contubernio, epiſt. 47. de libidinoſo contubernii periculo loquitur, ubi ſic inquit: [ Libidinoſa mens ardentius honeſta proſequitur &c. [ Et inferius in eodem propoſito de malitia fœminarum, quæ ficte ſub prætextu aliquo neceſſariæ ſervitutis in domo Amaſium introducunt, inter alia ſic ait: [ Dolet ſibi prælatum juvenem, non quidem comatum, non veſtium ſericarum ] quia tamquam domi famulum ficte illum admittit, ideoque ſub prætextu ſordido, ac vili introducitur; hinc ſubjungit: [ Sed toroſolum, ( *ſive ut alii legunt* ) troſſulum, & in ſordibus

bus delicatum, qui ipſe ſacculum ſignet, & textrinum teneat, penſa diſtribuat, regat familiam &c.] Et poſt pauca ita concludit de ſimili ſcandalo: [ Facilius mala credunt homines (*ſubaudi quam bona*) quodcumque domi fingitur, rumor in publico fit.] Victorius tamen hic in ſcholiis ejus, num. 16. ſic exponit: Toroſolum, hoc eſt obeſum, ac bene curatæ cutis hominem. Quidam Codices Troſſulum, eodem ferme ſenſu. Veteres equitem Troſſulum vocabant, quæ quidem appellatio in proverbialem jocum abiit, ut præpinguem hominem eo nomine intelligamus:] Quoad primam lectionem *Toroſulum* eſt nomen ab adjectivo *Toroſus* diminutivum. Toroſus enim dicitur, qui pulpam carnis muſculoſam habet, in qua robur, & fortitudo eſt, Columel. lib. 6. c. 13. ſic ſcribit: [ Parandos eſſe boves nonnullos cervice longa, & toroſa.] Catullus *Cervix toroſa* dixit, de Berecynthia, 58. Atque Ovidius *Colla toroſa*, 7. Metam. Verum ex Nonio Marcello conſtat Toroſulum, & Troſſulum idem fuiſſe, ait enim [ Troſſuli dicti ſunt toroſuli. Var. Seſquiulyſſe: [ Nunc emunt troſſuli nardo nitidi vulgo attico talento equum.] Etymon autem Troſſulorum Equitum, & Troſſuli Hetruriæ Civitatis, a Plinio, lib. 33. c. 2. ſic refertur: [Quin etiam ipſum equitum nomen ſæpe variatum eſt, in his quoque, qui ad equitatum trahebantur. Celeres ſub Romulo, Regibuſque appellati ſunt; deinde Flexumines: poſtea Troſſuli, cum Oppidum in Thuſcia circa Volſinios paſſuum IX. M. ſine ullo peditum adjumento cepiſſent, ejus vocabuli: idque duravit ultra C.Gracchum. Junius certe, qui ab amicitia ejus Gracchanus appellatus eſt, ſcriptum reliquit his verbis: Quod ad equeſtrem ordinem attinet, antea troſſulos vocabant, nunc equites vocant: ideo quia non intelligunt troſſulos nomen quid valeat, multos pudet eo nomine appellari, & cauſam, quæ ſupra indicata eſt, exponit, invitoſque etiamnum tamen troſſulos vocari.] Deo Troſſulo ait Senec. epiſt. 87. [ O quam cuperem illi nunc occurrere aliquem ex his troſſulis in via divitibus!] & Lamprid. in Commod. [ In collegium Sacerdotum adſcitus eſt: cooptatus inter troſſulos princeps juventutis, cum togam ſumpſit.] Sed potius delicatum, & luxurioſum, ut autumo, ſignificat, tum ex ſupradictis, tum etiam, quia *Troſſulum*, ſeu *Troſſulo* ut vult Leander Albertus Civitas Etruſca, ac patria Othonis Imperatoris erat, quam *Troſſanum* appellat Gottifredus Viterbienſis in hiſtoria, & a Viterbienſibus devaſtata fuit de anno 1074. cujus Metropolis Ferentum, ut antiquus etiam Perſii Commentator affirmat, & nimis proxima Volſinienſium Civitati erat, quæ hodie *Bolſena* dicitur, de qua Valerius Max. lib.9. c. 1. inquit: [ Etruriæ caput habebatur: ſed poſtquam in luxuriam prolapſa eſt, in profundum injuriarum, & turpitudinis decidit.] Et inferius: [ Poſtremo lege ſanxerunt, ut ſtupra ſua in viduis pariter, ac nuptis impunita eſſent; ac neque virgo ingenuo nuberet, cujus caſtitatem non ante ex numero ipſorum aliquis delibaſſet.] Hinc fortaſſe valde propinqua Troſſuli Civitas eodem luxuriæ convicio prolapſa, ad idem [ Injuriarum profundum, & turpidinis deciderat. [ Unde proverbiali injuria apud Senecam, & Hieronymum ſupra citatos *Troſſulum Juvenem*, idem, ac luxurioſum ſignificabat.

**Trotingus**. FR. Choraula, qui ſponſam comitabatur. [ Pervenit ad nos, quod dum quidam ad ſuſcipiendam ſponſam cujuſdam ſponſi cum paranymphis, & trotingis ambularent, perverſi homines aquam ſordidam, & ſtecoratam ſuper ipſam jactaſſent, l. pervenit, de aggreſſione, lib. 1. tit. 16. l. 8.

**Tructa**, trutta, piſcis, qui alias Salar, Varius, & Lupus varius a Latinis appellabatur. [ In hoc ſtagno ferunt tructarum piſcium magnitudinem uſque ad centum librarum pondera trutinari. Greg. Turon. lib. 1. miraculor. c. 66.] FR. ſic etiam ſecundum D. Ambroſium, & Iſidorum *Tructa* appellatur; ſed Platina Truttam appellat, quam quaſi trutilem a trudendo ita appellari cenſet, quod in adverſum flumen ſemper nitatur. Hypol. Salvian. hiſt. 2. de trutta. Itali *Trotta* vocant.

**Trufa**, machinatio, deceptio, ſtratagema. [ Ille diligentiſſime cogitans, qualiter liberaret puellam, hujuſmodi trufam invenit. Cæſar. lib. 2. hiſt. c. 25.

**Trufanus**, deceptor, & aſtutus: [ Quendam Clericum actu trufanum, quales per diverſas vagari ſolent provincias. Cæſar. lib. 1. cap. 3.

**Trufator**, deceptor, Italice *Truffatore*, qui aliqua aſtutia aliquid ſurripit: [ De hujuſmodi trufatoribus plurima deceptorum genera temporibus noſtris geſta tibi dicere poſſem; ſed non ſunt ædificatoria. Cæſar. lib. ſexto, cap. 21.

**Trullus**, tholus, camera, ſive teſtundo ædificii, quæ altius creſcens in faſtigiatum cacumen deſinit, & in orbem circumagitur, ſive templi hemiſphærium. Vox quidem græca τρȣλλος, Nonnumquam per hoc vocabulum *Trullus* intelligitur ſexta Synodus, quia a loco, ubi hic tholus erat, trulli denominationem ſumpſit. Ubi Monothelitarum error damnatus eſt, & tunc Jo. Portuenſis Epiſc. Sancti Agathonis Papæ Legatus die Dominico Miſſam ſolemnem ſecundum Latinum ritum in Baſilica S. Sophiæ celebravit: [ Trullum caſu ſuo ciborium ſanctæ menſę contrivit. Zonara.] FR. [ Trullum vero ejuſdem Eccleſiæ fuſis chartis (*ideſt, laminis*) plumbeis cooperuit, atque munivit. Anaſtaſ. Biblioth. in Sergio.] De templo SS. Coſmæ, & Damiani Romæ in Campo boario intelligit, ut Martinel. Floravant. in ejus Roma Ethnico ſac. pag. 93. exponit. De Synodo in Trullo egit Baron. an. 680. n. 41. & Santarellus de Hæreſi, c.32. num. 15. & hic habetur in dict. *Agnus Dei*, *Pentecoſtes*. De ruina autem Trulli a Zonara ſupra relata egit etiam Cedrenus, de qua in dict. *Solea* facta eſt mentio. Trulli ſynon. Vide *Tholus*, *Tribuna*.

**Truncatus**. FR. Eunuchus. [ Eunuchorum quoque tibi, & puellarum, ac ſervulorum mores magis eligan-

gantur, quam vultuum elegantia, quia in omni ſexu, & ætate truncatorum corpora violenta pudicitia animi conſiderandi ſunt, qui amputari niſi Chriſti timore non poſſunt. D. Hieronym. ad Demetriad.] Qui Sanctus Doctor idem documentum Lætæ præbuit, inquiens: [Ne virgo Chriſti cum Eunuchis laves, quia non deponunt animos virorum.

Trustis, fidelitas, & vaſſallagium cum juramento promiſſum ſignificat. Vide *Arimania*. Vide etiam *Anſtrutio*.

Trutina, τρύτανη, ſtatera, ita dicta a verbo græco τρύω, vexo, defatigo, exhaurio, &c. Nempe ſtatera res quodammodo vexat, dum ad examen vocat, & earum pondus exhaurit. Aliquibus trutina eſt foramen illud, in quo lingua bilancis & examinatio. quod appellatur æquilibrium, aut libramentum. Hinc trutina pro examine rigoroſo, aut judicio exacto, ad quod revocetur actio.

Tu autem Domine, &c. Vide *Lectio*.

Tubellus, tubulus, parvus tubus, canaliculus, fiſtula. Pro Reliquiario uſurpavit hoc vocabulum D. Paulinus in epiſt. 11. ad Sever. inquiens: [Ut imitemini compoſitionem iſtam, qua tubello aureolo rem tantæ benedictionis incluſimus] lignum Sanctæ Crucis intelligit.

Tubracus. FR. tibialia. [Poſtea vero cœperunt hoſis uti, ſuper quas equitantes tubracos birros mittebant. Paul. Diacon. de geſt. Longobr. lib. 4. cap. 23.] Et ibi ejus Annotator. Aliqui tamen Codices *Tubrugos* habent. Vide *Tibracia*.

Tuceta. FR. Calepinus ex Cornuto inquit apud Ciſalpinos bubula caro ſale condita dici; ſed aliter Fulgentius docet, nempe: [Tuceta dicuntur eſcæ regiæ, ſicut Callimachus in piſæis;

Ambroſio redolent tuceta ſaporem.

De vocibus antiquis.] Quare verſus Perſii a Calepino adducti aliter interpretari deberent.

Tubrugi. Vide *Tubracus*.

Tufa, vexillum. [Nec non & incendente illo ubilibet per plateas illud genus vexilli, quod Romani tufam, Angli appellant Tunf, ante eum ferri ſolebat. Beda, lib. 2. hiſt. cap. 16.] Ubi loquitur de Eduino Rege. De τεφα inter Græcos Curopalata mentionem facit, quæ flammula, & vexillum cuſpidatum erat, quod in capite ejus equi ferebat ob ornamentum Deſpota. Ab aliquibus Scriptoribus *Tuphia* appellatur. *Tupha* inſuper imperialem thiaram Conſtantinopolitanorum Imperatorum denotabat. [Triumphum duxit thiara recta, quam illi tupham appellant. In vita Baſilii Porphyrog.] FR. Tufa vexillum pyramidale, ut ſolent ferre naves, quæ vulgo *Latinæ* dicuntur, quorum vexilla, ac vela latina quoque nuncupantur, ad differentiam navium, velorum, & vexillorum, quæ a nautis appellantur *Quatre*, idest, quadræ, & eadem latina forma ſunt vela, & vexilla recentiorum triremium, ideſt, cuſpidata, fortaſſe, quia Romani hac vexillorum forma uti cœperunt, ideo appellata ſunt latina, quod Beda inſinuare videtur ſupra, dum inquit, *Quod Romani tufam appellant*: hujuſmodi vexillorum parvorum formam equites levis armaturæ Pontificis, qui vulgariter *Cavalli leggieri* dicuntur, in cuſpidibus eorum haſtarum deferunt, variata tamen coloribus, juxta colores gentilitii inſignis regnantis Pontificis: itaque hoc vexilli genus cuſpidatum a Græcis, & Latinis *Flammulares*, & a nautis *Fiamma* hodie appellatur, quia cuſpidata ad modum flammæ, & pyramidis formatur, atque hujuſmodi ſigniferi *Flammulares* dicebantur. Cæterum inveresimile videtur, quod in capite equi tale vexillum imponeretur; nam impedimenti eſſet tam equo, quam equitanti; præterquam quod eſſet ineptum ornamentum. Sed potius credendum, quod Deſpotæ equus ferebat in capite aliquod cuſpidatum ornamentum, ſicut in torneamentis, floccis in cuſpidem deſinentibus ex pinnis ornari ſolent equi. Sic etiam erat *Thiara recta* Imperatoris Græcorum ſupra mentionata, quæ recta dicebatur, ſcilicet cuſpidata, cujus figuram. Vide in dict. *Calyptra*. Ac alio nomine *Pyramis*, & *Pileus turbinatus* dicebatur, ut in dict. *Pileus*, & *Pyramis* dixi. Vexilli ſynon. Vide *Bandum*. *Banerium*.

Tuldum, τȣλδον, impedimenta, & ſarcinæ militares, ut Leo Imperator in conſtit. 3. declarat. De eodem vocabulo etiam Cedrenus ſic inquit: [Ceperunt Romani (*ideſt Græci*) etiam Perſarum tuldum, & Regis tentorium.

Tultus, a tollo verbum. [Quæ ſi maniſeſte tulta ſunt, & ipſa ſine ambiguitate aliqua volumus reſtitui. D. Gregor. Papa in Regiſt. lib. 7. cap. 58.

Tumba. Vide *Cœmeterium*.

Tumbula, diminutivum nomen a Tumba: Aldelmus de SS. Martyr. Gervaſio, & Protaſio ita cecinit:

Saxea quadratis, quas condit tumbula foſſis.

Tumultuatim, tumultuoſe. [Quæ cuncta virgulta tumultuatim ſuper amnicos margines ſoli bibuli ſota fructificaverant. Sidon. lib. 1. epiſt. 1.

Tumulus. Vide *Caſtrum doloris*. *Sepulchrum*.

Tunica, ſeu Dalmatica pro prælatitio Mantelletto. Vide *Birrus*. *Colobium*. *Dalmatica*. *Tunicella*. Tunica interior. Vide *Polyris*.

Tunicella, peculiare Subdiaconi indumentum, quod erat in uſu tempore S. Gregorii Papæ, ut alibi diximus; nam antea tantum albam induebant Subdiaconi, ſicut Græci hodie faciunt. Deberet longior, & ſtrictior, quam Diaconalis Dalmatica, formari tunicella, quæ ideo ab aliquibus *Dalmatica minor* appellatur; eapropter ejus arctitudinem *Subtile* vocat Honorius. Dicitur etiam *Subucula*, ut in ſuo loco diximus. In Ordine Rom. *Subdiaconalis* dicitur. Ritus tamen ferendi tunicellam non eſt valde antiquus; in Ordine enim Romano, dum agitur de Pontificalibus indumentis, de ſola Dalmatica fit mentio; & quod non fuerat in uſu apud antiquos, maniſeſte ex

antiquis muſivis picturis perſpicitur. In quodam M. S. Rituali Abbatis Rotaldi habetur, quod in tunicellæ limbo tintinnabula adinſtar ſacerdotalis veſtis judaicæ apponebantur, his verbis de tunicella, quam adhibet Epiſcopus, loquens: [ Super hac itaque miniſtratur ei tunica gyris in tintinnabulis. ] Neſcio tamen, qua de cauſa Cæremoniarum Directores manicas tunicellæ, ac dalmaticæ ſuper humeros Epiſcopi celebrantis complicent; nam tali abuſu non videntur obſervari profunda myſteria, quæ in latis manicis Dalmaticæ, ac anguſtis Tunicellæ repræſentantur, illaſque dum ſub planeta abſcondunt, ſacrorum indumentorum decorem demunt; nec ob id aliquid agilitatis commodum præbent Celebranti; nam tali abuſiva conſarcinatione, ut jam mos agendi inolevit, præter indecentiæ ſignum, agilitatis impedimenta in Celebrante cumulant. Debent igitur hujuſmodi manicæ explicatæ relinqui, ut antiquus Eccleſiæ ritus, a Conciliis, Sanctiſque Patribus ſymbolice introductus continuetur; alias contemnere, quod erudita SS. Patrum decrevit Auctoritas, ſophiſticæ potius jactantiæ erit ſignum, nec eſſet inter Dalmaticam, & Tunicellam, ſive Colobium differentia aliqua, cujus diſcriminis cauſa, ut, ſcilicet, perſpiciantur Tunicellæ manicæ, aliquantulum longiores fieri præcipit Rubrica; nam Tunicella veſtem Chriſti inconſutilem, ideſt, illacerabilem, illæſamque ſignificat, ita Innocentius Papa, cap. 39. ac moraliter denotat interiorem Præſulis virtutem. Hæc cæleſtis, ac violacei coloris erat antiquitus. Durand. lib. 3. Vide *Colobium*. *Lebitonarium*. *Subucula*.

Tupha. Vide *Tufa*.

Turbaria. FR. cavea, foſſa, a turbinis, & terræ exalationis verticoſitate cauſata. [ Deinde tempeſtas illa debacchando invaleſcens, turbariam quandam in eadem villa circundatam, quaſi in ictu oculi reddit ſiccam. Matth. Pariſ. an. 1213.

Turbinatus pileus. Vide *Pileus*. *Pyramis*. *Tufa*.

Turca. FR. de etymologia hujus vocabuli vide quæ ſcripſi in ea Apologia in Hieronymum Bruſionem, cujus tit. eſt: Il Valor Malteſe. In reſponſione ad propoſit. 6. Vide etiam Nicephorum in hiſt. Rom. lib. 2. cap. de Scythis. Alii tamen ex vocabulo *Anturgos* deducunt, quod ruſticum ſignificat; ſed verius puto ex *Teucro*, quod Trojanum, ſive Thracem denotat, derivari. Unde Virgilius per Teucram, & Teucrum, Thraciam, & Thracem, ſive Trojam, & Trojanum intellexit. Sed Innocentius Papa VIII. per Teucrum Turcam expoſuit, inquiens: [ De Teucrorum adventu in Regnum dubitabatur, & pro certo de ipſorum adventu continue verebatur. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſtit. 375. ] Turcæ, quare nunquam mutant veſtimentorum formam. Vide *Pileus*. Eorum ritus. Vide *Machometes*.

Turcopolerius, dignitas Anglicæ nationis inter Equites Melitenſes, quæ dignitas erat annexa in Primario ejuſdem nationis, atque Turcopolis præerat, qui ſunt levis armaturæ milites, unde manſit adhuc in Melita hoc Turcopoli vocabulum; nam vocantur hodie *Turcopoli* equitantium cohortium Præfecti.

Turcor, nomen, inflationem, ſeu tumorem ſignificans: [ Moxque inter hæc verba, maximo clamore ingemiſcens, mirabili turgore diſtentus intumuit, & expirans crepuit medius. Flodoard. hiſt. Rhemenſ. cap. 20.

Turonensis. FR. moneta, quæ extat hodie in Neapolitano regno, *Tornese* vulgariter appellata. [ Decem turonen. groſſis, & non ultra taxetur, cap. unic. de ſentent. excommun. Extrav. Jo. XXII. Porro turonenſes prædictos tales fore intelligimus, quod duodecim ipſorum valeant unum florenum auri boni, puri, & legalis ponderis, ac cunei florentini. Extravag. comm. in, cap. unic. de cenſib. §. Porro. ] Vide *Tarenus*.

Turpha, ex germanico vocabulo *Turf*, quod ſignificat ceſpitem terra bituminatum, quod ad concipiendum ignem ſit aptum. [ Si carro turpham, vel aliquid inde duxerit. In lege ſalica, tit. 18.

Turris, vas in figura turris formatum, in quo deferebatur proceſſionaliter Euchariſtia, quarum forma adhuc aliquæ antiquæ portatiles cuſtodiæ videntur. [ Acceptaque turre Diaconus, in qua Myſterium Dominici Corporis habebatur, ferre cœpit ad oſtium, ingreſſuſque Templum, ut eam Altari ſuperponeret, elapſa de manu ejus ferebatur in aera. Greg. Turon. lib. 1. de Glor. Mart. ] De eadem fit etiam in teſtamento S. Rhemigii mentio, his verbis: [ Tibi hæredi meæ Eccleſiæ ſupra memoratæ jubeo turriculam, & imaginatum calicem fabricari. ] Ac ulterius de his: [ Conſtantinus fecit patenam ex auro puriſſimo cum turre, & columbam ornatam gemmis. Bulinger. lib. 2. ] De hoc Columbæ ſignificatu, & Turris ſynonymis. Vide *Ciborium*. *Holochryſum*.

Turris Eburnea. FR. de qua fit mentio in cant. [ Collum tuum ſicut turris eburnea, 7. 4. ] Eam ſic deſcribit Cantacuz. in cant. [ Turris quidem eburnea, juxta hiſtoriam, interjecta eſt; inter civitatem Jeruſalem, & inter ejus civitatis arcem Bethlehem, eam magnus erexit David) cui Virginis collum ſimile dixit, (*ideſt*, *Salomon*) propter probitatem, & rectitudinem, & quod omni foret undique gratia perfuſum. ] Quod fortaſſe connectit hic Auctor ex præcedenti Canticor. capite 4. 4. ubi habetur: [ Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.

Turrita. FR. a D. Hieronymo Magdalena appellata fuit: [ Qui ſi recordetur ſanctas fœminas comites Domini Salvatoris, quæ miniſtrabant ei de ſua ſubſtantia, & tres Marias ſtantes onte Crucem, Mariamque proprie Magdalene, quæ ab ſedulitatem, & ardorem fidei, Turritæ nomen accepit, & prima ante Apoſtolos Chriſtum videre meruit reſurgentem &c. In epiſt. 16. ad Principiam. ] *Turrita* dicitur, nempe,

pe, in turre exiſtens, ſumpta metaphora a ſpeculatoribus, qui in altis turribus reſident, ad proſpiciendum longinque inimicos, ſic turrita dicitur Magdalena, quia prior cæteris Diſcipulis Domini reſurrectionem detexerat.

TUTO, verbum, id eſt, extinguo; Ordo Romanus, ubi de officio majoris hebdomadæ agit, hæc habet: [ Initio pſalmi primi ſit cuſtos ſemper paratus in loco dextræ partis Eccleſiæ prope lampades. At ubi audierit primam antiphonam, tenens cannam, tutat lampadem unam.] In utraque Sicilia, & in Melita vulgariter *Stuto* in eodem ſignificatu profertur.

TUTULUS. FR. ſignificat pallium, quo Sacerdotes gentiles caput tegebant, & ſumebatur etiam pro Sacerdote minorum deorum. [ Varro in pontificibus ait, tutulos Sacerdotes dici brevium deorum. Numa vero Pompilius, & ipſe de pontificalibus ſcribens, tutulum dici ait pallium, quo Sacerdotes caput tegebant, cum ad ſacrificium acceſſiſſent, ſicut & Virgilius ait:

Et capita ante aras phrygio velamur amictu.

Fulgentius de vocib. antiq.] Locus Virg. Æneid. 3. Unde etiam nos *Amictum* dicimus velum illud, quo Sacerdos tegitur, dum celabraturus induitur. Vide *Titulus*.

TYBI, Januarii nomen apud Ægyptios. Vide Marci auctoritatem in vita S. Porphyrii in dict. *Epiphania*.

TYBRUM. FR. vaſculum. [ Vas, quod tybrum nuncupant, miniſter ad cellam deportat. In Vita S. Columbani Abb.] Surius tamen *Typrum* deſcripſit.

TYMPANISTRIA, τυμπανίςεια, mulier tympanum pulſans, ſicut in Pſalmo 67. exaratur. Eſt hic Pſalmus carmen triumphale de victoriis Hebræorum, allegorice de victoriis Eccleſiæ, & ipſius triumphis, pro quorum continuatione Deum rogat. Sic annotant SS. Patres, Hilarius, Hieronymus, Auguſtinus, & alii: ejuſque verſum decimum, de Chriſti aſcenſione, citat Apoſtolus ſcribens ad Epheſios, cap. 4. verſ. 8.

TYMPANUM, τύμπανον. Vide *Bullæ*.

TYPHLOCOMIUM, τυφλοκομεῖον, cæcorum hoſpitale. Mulier quædam Photi nomine miniſtra effecta ſacri typhlocomii, ſive cæcorum domicilii. In vita S. Anaſtaſii Perſæ.

TYPHON, τυφών, ventum turbulentum, fulgur, & vorticem ſignificat. FR. de quo fabuloſe cecinerunt Poetæ, erat Seth Adami filius, nam [ Seth apud Ægyptios, Typhon apud Græcos dicitur. Plutarch. de Iſide, & Oſiride.

TYPHUS, τυφος, fumus, vapor: ſuperbia, arrogantia. Julius tamen Papa I. tranſlative in ejus epiſtola ad Epiſcopos Orientales, appoſita in tom. 1. Conciliorum, pro ſuperbiæ fumo uſurpavit. In aliquibus vero exemplaribus legitur mendoſe *Typus*. Idem error legitur in lib. 6. epiſt. 28. Regiſtri Gregoriani, ubi S. Pontifex Cyriaco Conſtantinopolitano Patriarchæ ſcribens, illum adhortatur, ut deponat ſuperbiæ fumum in arroganti uſurpatione tituli Oecumenici, ſic inquiens: [ Tunc enim oſtenſa charitas vera eſt, ſi per typum ſuperbiæ inter nos ſchiſma non fuerit.] Sequuti etiam ſunt eundem errorem nonnulli D. Auguſtini Confeſſionum Codices, in quibus ſic reſtitui debet; *Buccis typho crepantibus*; quæ tamen phraſis auctoritate IV. Conſtantinopolitani Concilii, can. 27. comprobatur, ubi prohibetur Monachis ad dignitatem epiſcopalem aſſumptis, ne habitum Religionis deponant, his verbis: [ Nullus omnino habeat poteſtatem deponere jam dictam ſchema propter typhum, & arrogantem voluntatem.] FR. pro faſtu uſurpavit Eugippus Abb. Afric. in Aug. opera theſaur. cap. 25. ex, lib. Confeſſ. 12.

TYPICUS, τυπικός, umbratilis. Adjectivum eſt formatum a ſubſtantivo τύπος: unde typicum dicitur, quod aliud adumbrat. Qualis eſt veteris Teſtamenti doctrina, de qua dicit Apoſtolus ad Hebr. cap. 11. *Umbram lex habens futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum*. Id quod myſticum eſt, & allegoricum, appellatur typicum. Ut agnus paſchalis, qui allegorice Venerabilem Euchariſtiam ſignificabat, ab Eccleſia dicitur agnus typicus. Eccleſia ex D. Thoma: *Poſt agnum typicum expletis epulis*. Nam prius Chriſtus ſumpſit cœnam legalem, in qua agnus paſchalis comedebatur, ut figura veritatem antecederet, umbra lucem, & typus ſuum antitypum anteiret.

TYPOGRAPHIA, τυπογραφία, impreſſio, typis exſcriptio: ſcilicet illis characterum formis, & figuris apud impreſſores, quæ typi vocantur. Hinc & typographus, τυπογράφος, impreſſor, typis exarans.

TYPOTHETA, τυποθέτης, id eſt, qui impreſſioni præeſt, vel qui typos ordine colligit, & paginas ipſis typis format, ut poſtea ſub prælo imprimantur; quem Itali *Compoſitore* vocant, a dictione τύπος, figura, forma, adumbratio, nota percutiendo impreſſa, & verbo τίθημι, pono, ſuppono, colloco &c.

TYPRUM. Vide *Tybrum*.

TYPUS, τύπος, forma, figura, adumbratio, impreſſio; tranſlative tamen pro febris acceſſione, ſive termino accipitur, quæ quodammodo in patiente imprimitur. [ Mulier quædam, cujus filius quartano typo gravabatur. Greg. Turonen. lib. 9. cap. 21.] Eodem modo Ruffinus, lib. 2. cap. 1. de tertiana febri, [ Tertiano typo graviſſime gravabatur;] dixit. Item de eadem febri cum frigoris acceſſione dicitur *Typus frigoriticus*. Vide *Frigoriticus*. Nonnunquam Vas ſignificat; [ Vas, quod typum nuncupant, ad cellarium deportavit. In Vita S. Magni.] Vide *Tybrum*. Item Typus ſignificat librum quemdam perverſum; de quo dictum eſt in dict. *Ecthesis*.

TZACON, *Tzacones*, & *Tzaconitæ*. FR. de quibus ſic inquit Calepinus: [ Tzacones erant ex ſtationariis

riis haſtati, geſtabant cuculiones, & clibana cœrulea, quæ tergo ac pectore habebant leones albos contra ſe erectos.] Errat tamen; nam erant populi, qui etiam in exercitu ad militandum concedebantur. [Nec infirmo animo eadem confirmati lectione, aut multo poſt Magiſtro Tzaconitæ occurrunt, quem dum in fugam verterent, ejus copias omnibus modis contriverunt. Luitprand. in Legat.] In quo textu aliqui mendoſe *Exacontæ* legunt. Vide apud Leunclavium. Itaque populi Lacones ex Peloponneſo, ut clare Nicephorus Gregora, lib. 4. his verbis demonſtrat: [Exercitus Laconum, quos corrupta lingua Tzacones vocat.] Et inferius eandem declarationem reiterans, ſic inquit: [Cum his etiam erat armatus exercitus navalis Laconum, quos corrupta lingua Tzacones vocant.

TZANGA. Vide *Zanca*.

TZANGRUS, arcus, militare inſtrumentum ad explodendas ſagittas. [De ſummo autem caſtelli, ſive arci Tzangris petebamur quidem infeſte; ſed non lædebamur tamen. Phanzes in Chron. lib. 2. cap. 7.] Et clarius Cantacuzenus, lib. 1. cap. 36. ſic inquiens: [Qui a latinis arcubus, tzangros vocant, ſagittis jaciendis propugnatores a muro fugarent.] Ex hoc vocabulo derivatur nomen *Tzauſius*, quod apud Turcas *Chiaus* vulgariter nuncupatur: eſt enim apud eos curſoris, ſive mandatarii officium. FR. Sed fortaſſe melius Chiaus etymon ex ſequenti vocabulo derivatur.

TZAULUS. FR. Aulæ Græci Imperatoris officialis; qui *Magnus Tzaulus* dicebatur, tanquam magnus & Prototabellarius, fungebaturque nonnunquam Officio imperialis Commiſſarii, & ferebat etiam præcepta Imperatoris. Hinc manſit in eadem Aula turcica hoc nomen *Tzaus*, ſive *Chiaus*, qui eſt Miſſus a Turcarum Tyranno, vel ab ejus Primo Viſir,

TZAUSTRIUM, τζαύςειον. Torneamentum, italice *Gioſtra*. Apud Cantacuzenum, lib. 1. cap. 42.

---

# V

V. FR. hæc littera pro G. non raro reperitur, ut: [Et terras cultas, & incultas prævia vuida. In Chron. Camericenſis Eccleſiæ, an. 885.] ubi Vuida pro Guida; ſic Vuido, pro Guido Vuilelmus, pro Gulielmo; Vuanto, pro Guanto; Vuerra, pro Guerra, & ſimilia. Vide *Diſcapia*. Aliquando ejus Vicaria legitur *B.* præſertim dominantibus in Italia Græcis, tunc enim introduxerant proferri *Baticanum* pro Vaticano, *Bita* pro Vita &c. quod apud Hiſpanos adhuc in uſu eſt, qui pro V. pronunciant B. Aliquando ponitur loco Y. ut *Suria*, pro *Syria*, & ſimilia. Vide *Colyra*, *Myrum*, & initio litteræ *Y*.

VACANS, modus dicendi apud Equites Melitenſes. Vide *Mortuorium*.

VACASOTI, hæretici. Vide *Beguardi*.

VACILLO. FR. eſſe de fide ſuſpectum intelligitur. [Interim volumus illa privilegia vacillare, capite 6. decretal. de fide inſtrum.

VADATUS. FR. [Vadatus dicitur obſtrictus, vel ſub fidei juſſione ambulans, ſicut Feneſtella ait: apud quem, vadatus amicitiæ nodulo tenebatur. Fulgentius de vocib. antiq.

VADIANI, hæretici. Vide *Anthropomorphitæ*.

VADIUS, vadis, fidejuſſio. [Ut ſi Comes ipſe presbyterum rebus ſuis expoliare juſſerat, hoc illi emendare per vadium faciat, diſponens qualiter inde fiat. Flodoard. lib. 3. hiſt. Rhemenſ. cap. 28.] FR. [Nullus presbyter præſumat calicem, vel patenam &c. laico, vel fœminæ in vadium dare, lib. 3. decretal. tit. 21. cap. 1.

VADOR, verbum, fidejubeo, cautelam, & ſecuritatem præſto, confirmo. [Vadatur hunc ſermonem meum Sanctus vir Joſeph. Ambroſ. lib. 7. epiſt. 44.] Vide *Guadio*. *Invadio*.

VAGOSITAS, vagatio, error, diſperſio: [Quemadmodum gallina habens pullos, vocando illos non ceſſat, ut aſſidua voce vagoſitatem corrigat pullorum ſuorum. Chryſoſt. hom. 46. in cap. 23. Matth.

VALENTIA, ritus, potentia, valor, quo vocabulo, lib. 5. adverſ. Marcion. cap. 17. uſus eſt Tertullianus, verba Apoſtoli ajentis: [Secundum operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans illum a mortuis. Ad Epheſios, c. 2.] ita exponens: [Ille inoperatus eſt in Chriſtum valentiam, ſuſcitando eum a mortuis.

VALENTINIANI. FR. hæretici Valentini Platonici ſequaces. [Qui αἰῶνας, id eſt, ſæcula quædam in originem Dei Creatoris induxit: Chriſtum quoque de Virgine nihil corporis aſſumpſiſſe, ſed per eam, quaſi per fiſtulam tranſiſſe aſſeruit, can. Quidam autem hæretici, 24. qu. 9.] Eorum ſuperſtitioſus ritus. Vide *Abaſcantus*. *Sacrarium*.

VALESII. FR. Hæretici in Arabia a Valeſio Arabe provenientes, quæ ſecta Eunuchorum etiam dicta eſt; nam ſecundum litteram Evangelium inepte interpretantes, omnes ſe caſtrabant, non percipientes allegoricam Chriſti parabolam, ubi ajebat: Beati, qui ſe caſtraverunt &c. de quorum ſecta fuerat Origenes. Baron. an. 249. n. 9.

VALLIS ENNOM. Vide *Gehenna*.

VALVASINUS, & *Valvaſor*. Vide *Vaſſus*.

VANAGLORIA. Vide *Gaudimonia*. Vana obſervatio. Vide *Superſtitio*.

VANDALI. Tide *Silingi*.

VANGA, Bipalium, inſtrumentum ferreum cuſpidatum cum ligneo manubrio, quo terra repaſtinatur, ac inverſatur, pede ſuper hujuſmodi inſtrumentum calcando: [Nam die quadam ad veſperum in horto monaſterii fecit jactari ferramenta, quæ uſitato nos no-

nomine vagis vocamus. Dixit itaque diſcipulis ſuis: tot vangas in horto projicite, & citius redite. S. Gregor. lib. 3. dialog. cap. 14.

VANIO, verbum, deliro, deſipio, vane loquor. [ Repauſa ergo tuam mentem, ne vadas vaniando. In Vita S. Franciſcæ Rom. 9. Mart. apud Surium.

VANIZO, idem ac *Vanio*. [ De veſtra benevolentia plus juſto præſumentes vanizando dicunt &c. Ivo Carnot. epiſt. 66. ] Eodem verbo uſus eſt S. Bernard. epiſt. 48.

VARGUS, vagans, exul. [ Si quis corpus ſepulti effoderit, aut ſpoliaverit, vagus ſit, in lege Salica. ] Idem vocabulum apud Sidonium, lib. 6. epiſt. 6. habetur.

VAS INFIRMIUS, ideſt, imbellis ſexus. [ Vaſa infirmiora cum eis non navigabunt, niſi forte Pater monaſterii præceperit. In regula Sancti Pacomii. ] Quod autem per vas infirmius fœminas hic Sanctus intellexerit, idem in eiſdem regulis declarat, inquiens: [ Si ſæculares homines, aut debiles, aut vaſa infirmiora, ideſt, mulierculæ venerint ad oſtium.

VASCELLUS, navis vulgariter nota. Bullar. Caſinen. tom. 2. Conſt. 187. num. 7.

VASILEUS, *βασιλεύς*, Rex: [ Cum Chriſtophori filiam Petrus Bulgarorum Vaſileus conjugem duceret. Luitprand. in legat.

VASO. Vide *Vaſſus*.

VASSALAGIUM. FR. idem ac hominium. Sigon. de Regno Italiæ, lib. 7. l. ut Latrones, de reverentia Eccleſiæ. Vide *Hominium*. *Vaſſallus*.

VASSALLUS. FR. ſubditus. Sigon. de Regno Ital. lib. 7. Leges Longobar. Bulla Caſin. tom. 2. conſtit. 33. Vaſſallus a Vexillo; ideo *Vaxallus* dicebatur: [ Decernentes eos, qui poſſeſſiones, & libertates ejuſdem Cœnobii, & Vaxallorum ſuorum jura, ſeu reditus detinent occupatos &c. Alexander Papa III. in Bullar. Caſinen. tom. 2. conſtit. 182. num. 6. ] Vide *Caſatus*. *Drudus*. *Vaſſus*.

VASSUS, Vaſſallus, ideſt, *Baſſus*, *B*, pro *V*, quod ſignificat ſubditum, inferiorem, & ſubordinatum. [ Nam reipub. ſtatu nimis turbato, regales vaſſos inſolentia Marchionum ſibi ſubjugaverat. In vita S. Geraldi, lib. 1. cap. 32. ] FR. Idem habetur in l. placuit nobis, ut Epiſcopi, & Comites ſibi invicem auxilium præſtent. Sed apud Marculſum monachum in ejus formulario, lib. 4. cap. 9. regium miniſtrum ſignificat: [ Vaſſi vero noſtri, & miniſtrales, qui miſſi ſunt, ubicumque venerint, conjectum accipiant. ] Et in Capitulis, quæ Epiſcopi Rhemorum, & Rothomag. miſerunt Ludovico Regi, ſic habetur: [ Quando anima veſtra de corpore exierit &c. & ſine ſolatio, & comitatu Drudorum, atque Vaſſorum nuda, & deſolata exibit ] Item *Baſſus* proprie dicebatur; unde in Erchemperti hiſtor. apud Peregrinum de Princip. Longobar. num. 62. hæc narrantur: [ Atenulfus Spoletum pergens, dato pretio, Suabilium Gaſtaldum Marſorum cum aliis ſociis baſſis, quaſi ad trecentos armatos ſecum advexit. ] *Valvaſor*, tamen, ſive *Vvalvaſor* videtur diverſum a Vaſſallo, nam in Bullar. Caſin. tom. 2. conſtit. 218. ita diſtinguitur: [ Et aliis viris Nobilibus, Capitaneis, Vvalvaſoribus, & aliis Vaſſallis noſtris cujuſcumque ſervitii &c. ] qui Valvaſores a Federico II Imp. ſic denominatos fuiſſe ait Blondus his verbis. [ Fueruntque proditionis auctores Capitanei, & Valvaſores, quos Federicus II. eo cognomine notatos: potius, quam honeſtatos ſuarum partium primiores voluerat recognoſci &c. decad. 2. lib. 8. ] Unde *Valvaſor* appellatus, quia Vallis, & Plebi præpoſitus erat, qui etiam *Valvaſinus* dicebatur: Sigonius de regno Italiæ, & l. 3. de beneficiis. Aliquando tamen hæc dignitas poſtponitur Baronali, ut in decreto Federici Imp. apud Rodericum Friſingen. Canonicum de geſtis ejuſdem Imperatoris, lib. 3. cap. 31. ſic habetur: [ Nos in præſentia, & teſtimonio omnium Theutonicorum, Longobardorum, & Epiſcoporum, & Laicorum Principum, & Baronum, & Valvaſorum omnem juſtitiam, & conſilium obtulimus. ] Aliquando Baronali dignitati præponitur Valvaſor, qui & *Vaſo* dicebatur. [ Hujus rei teſtes &c. Ornulfus Imperialis Aulæ Mareſcalcus, Riſerius Imperialis Vaſo, Roſcultus de Oliveto, & alii multi Principes, & Comites. Bullar. Caſinen. tom. 2. Conſtit. 58. ] Nec eſt mirum, nam triplicis generis reperiebantur Valvaſores, *Majores*, ſcilicet, *Minores*, & *Minimi*, qui *Valvaſini* diminutivo vocabulo vocabantur. De nomine autem Valvaſoris ſæpe in ejus Mediolanenſi hiſt. Corius mentionem facit.

VASTAGÆ, & *Vaſtagiæ*. Vide *Baſtagia*.

VASTARIUS. Vide *Baſtarius*.

VASTELLUM, ſtallum, ſela, a voce *Feſt* Germanica, quæ ſtabilem, & firmum ſignificat, ſeu potius poſito V, pro B, *Baſtellus*; nam *Baſtus*, italice vilem mulorum ſellam ſignificat; uſurpatur etiam pro cathedra ſuprema: [ Solus in refectorio prandebit ſupremus habens Vaſtellum, in vita S. Jo: Abb. ] fortaſſe V. pro G. hic ſcribitur, ut interdum fieri ſupra diximus in principio hujus literæ, & ſic *Gaſtellum*, ſeu potius *Caſtellum*; nam cathedra *Turris*, ut ſuo loco oſtenſum eſt, dicebatur, ſive a Faſtu *Faſtellum*.

VATES. FR. a vimentis ita appellatus, cujus ſignificatio multiplex eſt; nam modo Sacerdotem, modo Prophetam, & Augurem, & modo Poetam denotat. Iſid. Etymol. lib. 2. & in can. Cleros, diſt. 21.

VATICANA BASILICA. FR. a Lucio Papa III. appellata fuit *Omnium Eccleſiarum caput* in ejus epiſtola, quæ hic habetur in dict. *Incaſtello*. Ab Innocentio III. præ omnibus Urbis Baſilicis illi majoritas tribuitur, ſic ajente: [ A quarto latere res juris Baſilicæ majoris Sancti Petri Apoſtoli. Bullar. Caſinen. tom. 2. Conſtit. 234. ] Multi Impp. ac Reges canonicatu

ejuſdem Baſilicæ inſigniti. Vide *Canonicus*. Reliqua ad eandem ſpectantia. Vide *Altare*. *Altariſta*. *Aſſiſius*. *Baſilica*. *Fraſcatæ ædes*. Quinque Portas habet. Vide *Guidonea*. Prodigioſum ejus candelabrum. Vide *Polycandelum*. Cætera vide *Porticani*. *Rota porphyretica*. *Septimianum*. *Suggeſtum*. *Umbilicus*. Ibi oſtenduntur imagines Apoſtolorum Petri, & Pauli. Vide *Linoſtima*. *Thoracida*. Dedicatio hujus templi antiquitus fieri ſolebat in menſe Novembris, ita habetur in Chronica Ciſtercien- Angeli Marriquez, tom. 2. ann. 1145. c. 3. pag. 6, & affirmat Otho Friſingen. lib. 7. cap. 32.

Vaticanum Palatium a quo ædificatum. Vide *Breviarium*.

Vaxallus. Vide *Vaſſallus*.

Vayvoda, Capitaneus. Joannes Lutius in ejus Dalmatia.

Vayska, & *Voyska*. FR. exercitus, unde contributiones, quæ pro exercitu colliguntur, *Voyskina* dicuntur.

Ubicatio. FR. Scholaſticus dicendi terminus, ultimum determinativum in genere ſpatii ſignificans.

Ubiquistæ, & *Ubiquetarii*. FR. Hæretici, aſſerentes Chriſti humanitatem nedum in Sacr. Euchariſtia, ſed ubique reperiri. Hi de anno 1527. inſurrexerant. Rayn. eod. ann. n. 57.

Vecorin. FR. verba contumelioſa. Gloſſa in, l. ſi ſervus, de culpis Servorum. Ubi littera V, valet B.

Vector, qui vehitur. [ Eccleſia enim inſtar eſt navis, & plurimis locis ita nuncupata eſt, quæ diverſiſſimi generis vectore ſuſcepto, ſubjecta eſt omnibus, & ventorum flatibus, & maris motibus. S. Hilarius in cap. 21. Matth.

Vecturatus, idem ac *Vector*, ſupra, ac præcipue pro equitante uſurpatur. [ Hanc enim viam gentium vecturatum Dominum prædicaverunt. Hilarius in cap. 21. Matth. ] de Chriſto agit ſuper aſinam equitante.

Veges, dolium. [ Cœpit diabolus ante portellam cellæ, quaſi malleo vegetem ſine ceſſatione percutere. In vita S. Romualdi Abb. 7. Februarii.

Vehiculum. FR. quo vecti ſunt Pontifices Romani, & etiam antiquis temporibus fuit in uſu; nam Ammian. Marcellinus, qui vixerat in quarto ſæculo, licet Eccleſiæ Rom. nimis infeſtus, hæc ſcripſerat: [ Neque ego abnuo oſtentationem rerum conſiderans urbanarum, hujus rei cupidos, ob impetrandum omni contentione laterum jurgari debere, cum id adepti, ſint ita ſecuri, ut procedant vehiculis inſidentes, circumſpecte veſtiti, epulas curantes profuſas, adeo ut eorum convivia regales ſuperent menſas, lib. 27. ] De Summis noſtris Pontificibus loquitur, ſed quam invido calamo exaraſſet, facile deprehenditur; nam Papa non ad ſui oſtentationem, ut hic ſcriptor male interpretatur, ſed ad ſuſtinendam ſummæ majeſtatis dignitatem ſummos promeretur honores. At ſi non erat oſtentatio ſummos, ac fabuloſos Gentilium Pontifices carpento, vehiculiſque uti: quare ergo ſummus, ac veridicus Chriſtianorum Pontifex, longe majoribus obſequiis venerari nequiſſet? Sanciverat Numa idolorum Sacerdotes arcuato vehi, Livius, lib. 1. inde Cic. orat. pro domo ſua ad Lentulum Summ. Pont. gentilem, inquit: [ Te appello, Lentule, tui ſacerdotii ſunt thenſæ, vehicula &c. ] Sacerdotii igitur erant, non oſtentationis. *Thenſæ* autem, ut Aſcon. Pedianus in act. 3. Verr. ait, erant ſacra vehicula, pompa ordinum, & hoſtiarum, atque Tacitus, lib. 12. Annal. Agrippinæ ſuperbiam exaggerans, ait: [ Suum quoque faſtigium Agrippina extollere altius, carpento Capitolium ingredi, qui mos ſacerdotibus, & ſacris antiquitus conceſſus, venerationem augebat fœminæ, quam Imperatore genitam, ſororem ejus, qui rerum potitus ſit, & conjugem, & matrem fuiſſe. ] Merito igitur Marcellinus maledicus vocari debet, dum ab ipſiſmet Ethnicis Scriptoribus vehiculum Sacerdotali dignitati debitum fuiſſe demonſtratur. Vide *Epirhedium*. *Petoritum*. *Sellare*.

Vehiculus, pro jumento uſurpatur. [ Nam vehiculus, qui eum ferre debuerat, qui primitus vadam tranſierat, fortuito vacuus neminem in dorſo ſuo ferens, tranſmeaverat. In vita S. Fauſtæ, cap. 2. §. 7.

Vel. FR. pro Et. [ Can. Presbyter, vel quilibet ſacerdos, 2. quæſt. 5. ] Neque facit Epiſcopos, vel Presbyteros, aut Diaconos. Anaſt. Bibliot. in collatione S. Maximi a Sirmondo in 8. edit. pag. 123. ] Et clarius: [ Renuntio &c. monaſterio Sancti Pauli, vel ejus ſervitores. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſtit. 21. & 36. ] In eadem ſignificatione uſi ſunt etiam Latini: [ Ergo qui relicti erant, proditos ſe rati, ne conſpectum quidem hoſtis ſuſtinere voluerunt, cum vel (*pro &*) pauciores locum obtinere potuiſſent. Q. Curtius hiſtoriar. lib. 3. ] Et inferius ibidem: [ Lenta remedia, & ſegnes medicos non expetunt tempora mea, vel mori ſtrenue, quam tarde convaleſcere, mihi melius eſt. Atque Sidonius carmine 23. verſ. 325. ita cecinit:

——— ——— ——— —— micant colores,
Albus, vel venetus, virens, rubenſque,

Quem ſenſum non advertens Latinius in Correctionibus præſertim in D. Hilarium, ſemper *Et*, ubi *Vel* hic Sanctus ſcripſerat, correxerat; ſed in ſenſu conjunctionis, & non diviſionis Hilarius particulam *Vel* intellexerat. S. Maximus: [ Ferunt enim, hodie Chriſtum Dominum noſtrum, vel ſtella duce a Gentibus adoratum, vel invitatum ad nuptias, quas in vina vertiſſe, vel ſuſcepto a Joanne baptiſmate &c. ] ubi *vel* ſtat loco *&*; nam ut in dict. *Epiphania* ſcripſimus, de his tribus miraculis in ea die cumulative Eccleſia mentionem facit, quia nimirum una eademque die a Chriſto Domino demonſtrata fuere. Vide *Livoro*. *Seu*.

Ve-

VELABRUM. Vide *Schola græca*.

VELOTHYRUM, januæ velum, dictio latino-græca *Velo*, & θύρα, quæ portam ſignificat. [ Fecit & in eadem Baſilica egregii Doctoris velothyra quatuor, ex quibus unum auro textum. Anaſtaſ. Biblioth. in Stephano IV. ] qui eandem dictionem reiterat ibidem: [ Contulit in eadem Baſilica Apoſtolorum cortinam lineam unam, velothyra ſerica tria in circuitu altaris. ] Vide *Amphithyrum*. *Velum*.

VELUM, quo cooperitur calix. [ Vas aureum, vel argenteum, vel velum ſanctificatum, nemo amplius in ſuum uſum convertat, can. apoſtol. 73. ] Significat paſſionis Chriſti obſcuram noctem illam, in qua primum inſtitutum fuerat incruentum altaris ſacrificium. Dicitur etiam *Sudarium*. *Peplum*. FR. a Græcis *Agnus* vocatur calicis velum, fortaſſe quia in eo Agnus pingebatur. Item velum *Aer* etiam dicitur. Velum, Aer, ſive Agnus eſt, & dicitur eſſe vice lapidis, quo munivit Joſeph monumentum, quod obſignavit. Sanctus Germanus Conſtantinop. Patriarcha in Theor. ] :||: Antiquitus apud Latinos, & Græcos eodem velo cooperiebatur Sacerdotis morientis facies. [ Moriturus aſſiſtentibus ipſe ſuis manibus linteum dedit, quod ex more morientium ſibi contra faciem tenderetur, quo tenſo ſpiritum emiſit. D. Greg. Papa hom. 37. in Evang. ] ubi de S. Caſſio Narnienſi Epiſcopo loquitur. Velum item Altaris dicitur paramentum, quod ponitur ante Altare ex colore currenti ſecundum Rubricæ ordinationem. [ Fuſcus Abbas ſacros Codices, & vela ſecum aſportabat. S. Gregor. Papa, lib. 9. epiſt. 38. ] quod *Frontellum* dicitur. Vide *Brudatus*. Item velum dicitur etiam orarium. Vide *Orarium*, & Brandeum. Vide *Brandeum*. Sed velum, quod Sacerdos ſuper humeros gerit, dum exponit Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ſemper debet eſſe album, ſicut etiam ejuſdem coloris debet eſſe baldachinum, etiam in die Paraſceves, ut ex monaſtico Cæremoniali, lib. 1. cap. 14. num. 3. colligitur; nam Chriſtus Sacramentatus, ut aliqui Recentiores docent, cum ſit glorioſus, non debet nigro velo cooperiri, ut male intelligunt aliqui Cæremoniarum Directores. Planeta tamen ſemper concordare debet colori currentis officii, licet celebretur expoſito Sacramento. Gentilium ſacrificuli cooperiebantur velo, de quo Sanctus Cyprianus, lib. de lapſis inquit: [ Ab impio, ſceleratoque velamine. ] Velo, tempore ſacrificii, ſacrarii porta obcludi ſolebat. Vide *Sacrarium*. Item velum januæ, quod *Velothyrum* græce, italice *Portiera* dicitur, ſignificat. [ Tunc fecit Beatum Sylverium Papam venire ad ſe in palatium in Pincis, & ad primum, & ſecundum velum retinuit omnem Clerum Anaſtaſ. Biblioth. in Sylverio. ] FR. idem de ſe refert Sylverius Papa: [ Guiliſarius, (*ideſt Beliſarius*) patritius noſter mandavit me ad ſe venire pacifice pro quibuſdam eccleſiaſticis diſpoſitionibus in palatium Principis (*ubi mendoſe Anaſtaſius Princis loco Principis habet*) & ad primum, & ſecundum velum retinuit omnem Clerum, & populum, qui mecum veniebant, & nullum permiſit introire, niſi me ſolum, & Vigilium Diaconum noſtrum, 24. quæſt. 4. can. Guiliſarius. Vide Baron. ann. 331. num. 14. & 15. ] Vide *Ampithyron*. *Velothyrum*. Alio nomine *Velum cubiculare* appellabatur. [ Objectuque veli cubicularis, quod in introitu cubiculi erat, ſe texit. Lamprid. in Heliogab. ] Et dicebatur etiam *Cortina*, quæ in Eccleſia erat ex alba tela, nam lavabatur, & dicebatur etiam *Velum Atrii*, can. nemo de conſecrat. diſt. 1.

VELUM CONSECRATIONIS, erat velum, quod ſolis virginibus concedebatur multis ſolemnitatibus; & cæremoniis in Pontificali deſcriptis; hoc ante XXV. ætatis annum concedi non poteſt, can. placuit, 20. quæſt. 1. & tunc dicebatur Diaconiſſa, quia poterat legere Evangelium in matutino. Gloſſ. in can. Sanctimoniales, 20. quæſt. 1. & in can. Diaconiſſam, 27. quæſt. 1. Dicebatur etiam Velum conſecrationis illud, quo conſecrabantur Diaconiſſæ anno quadrageſimo eorum ætatis, can. Diaconiſſam, 27. quæſt. 1. hæ autem Diaconiſſæ non ſunt amplius in uſu.

VELUM CONVERSIONIS. Vide *Velum Profeſſionis*.

VELUM NUPTÆ. Vide Mavortes in dict. *Maphorium*.

VELUM PRÆLATIONIS, quod Abbatiſſis concedebatur, can. Juvenculas, 20. qu. 1.

VELUM ATRII. Vide *Velum*.

VELUM PROFESSIONIS, quod multiplicis ſpeciei erat, atque in profeſſione monialium capiti imponebatur; ſed cum hac cæremoniarum differentia, quod Virginibus ab Epiſcopo imponi debet propriis manibus; viduæ autem emittentes vota Religionis, ipſæmet velum ex Altare apprehendentes, ſuis capitibus imponunt, præſente tamen Sacerdote, ut ex Pontificali Romano colligitur; poteſt ipſe Sacerdos ſuis manibus viduas velare. FR. Omne id habetur in can. Devotis, 20. quæſt. 1. ubi ſic Gelaſius Papa ſcribit: [ Viduas autem velare, Pontificum nullus attentet. ] Et in 27. quæſt. 1. can. 16. clarius habetur, ſic: [ Viduas, quæ ſpontanea voluntate ab Altari converſionis ſacræ velamen ſuſcipiunt &c. ] Cæterum quod Sacerdos viduas velare debeat, eſt error Gloſſæ in can. Vidua, quæ ſanctæ, 20. quæſt. 1. & in can. Devotis. Ibid. §. Pontificum. Sed inferius vel ipſe Gloſſator, ſive potius Joannes ibi, ita corrigit: [ Quidam tamen ex hoc capite dicebant, quod nec Epiſcopus, nec Presbyter poteſt imponere velum viduæ &c. ] Quare, can. Vidua quæ ſanctæ Religionis, pro ſe allatum non probat, quod Sacerdos imponere debeat viduæ velum; ſed inquit textus: [ Tunc accepta a Sacerdote, vel Miniſtro apta Religionis profeſſioni veſte ] & non loquitur de velo; unde [ Vidua ſacrum velum capiti ſuo impoſuit, & non ei impoſitum fuiſſe inquit, can. Vidua quidem, 27. quæſt. 1. ſic etiam licet eandem religionis veſtem accipiat vidua coram

Epi-

Epiſcopo, non ideo intelligitur illum velare propriis manibus viduam, can. viduitatis, ead. 27. quæſt. 1. Ratio autem differentiæ, cur Virgines, & non viduæ ab Epiſcopo, ſeu Sacerdote velantur, eſt, quia Virgines in rigore dicuntur Chriſti ſponſæ, quod declarat Innocentius I. epiſt. 2. cap. 12. ad Victor. inquiens: [ Virgines, quæ Chriſto ſpiritualiter nubunt, & a Sacerdotibus velantur. ] :||: Ideoque *Honorigera Virginitatis nota* a Tertulliano, lib. de veland. Virgin. appellatur velum profeſſionis. FR. Velum Converſionis, & Viduitatis idem erat, ut ex canonibus citatis liquet, ac omnes iſtæ velationum ſpecies habentur in Gloſſa, ad Paleam, cap. illud autem, 20. qu. 1. :||: Virginum velationes putantur fuiſſe ex traditione apoſtolica, cum ſit valde antiquus hujuſmodi ritus, tempore, ſcilicet, Tertulliani, qui, lib. de velandis Virginibus tanquam de vetuſtiſſima obſervatione in Eccleſia Dei loquitur. Baron. an. 57. num. 84. & ſeqq. Virgines Africanæ mitrellis tegebant capita. Idem Baron. an. 362. n. 272. Vide hic *Mitra*. Quæ velandi Virgines cæremonia in feſto Epiphaniæ obſervabatur, can. devotis, 20. quæſt. 1. Item in feria ſecunda poſt Paſcha, & in feſtis Apoſtolorum. Idem, can. devotis, & D. Greg. in Sacramentario. Imo in die Paſchæ: [ Non es recordata diei ſanctæ Dominicæ Reſurrectionis, in quo divino Altari te obtuliſti velandam. D. Ambroſius de Virgine lapſa, ] & clarius idem in exhort. ad Virgines: [ Venit paſchæ dies, in toto orbe ſacramenta celebrantur, velantur ſacræ virgines. ] De ritu, ac ſolemnitate velandi Virgines diſerte agit Baronius in dicto ann. 57. Velum eſt ſignum pudoris, & honoris. Gem. de antiquit. tit. Miſſæ, lib. 1. cap. 239. Unde Apoſtolus ait: [ Ideo debet mulier poteſtatem habere ſupra caput propter Angelos, 1. Cor. 11. ] poteſtatem, ideſt, ſubjectionem, cujus ſymbolum eſt velum, quod ideo a Tertulliano, lib. 1. de coron. milit. cap. 14. *Humilitatis ſarcina* dicitur, & ibid. cap. 17. appellatur *Jugum*. Eodem modo Chryſoſtomus *Inſigne ſubjectionis*, & Concil. Gangrenſe, c. 17. *Memoria ſubjectionis* denominat. Aliud veli myſterium affert Tertull. de veland. virg. cap. 15. nempe: [ Pura virginitas ſemper timida oculos fugit, confugit ad velamen capitis quaſi ad galeam contra ictus tentationis. ] De velo profeſſionis fuſe Baron. in notis ad Martyrol. 7. Maij Litt. G.

Velum S. Agathæ. Vide *Grympa*.

Venatio, Antiquorum curioſa. Vide *Formido*.

Vendentes Veronicas. FR. qui vendebant effigies vultus ſancti. Torrigius de Cryptis Vatican. in ſecunda impreſſ. pag. 309.

Venefica. Vide *Maga*.

Venenor, veneno lædi. [ Boni ſuavitas amaritudine mali venenatur. D. Paulin. epiſt. 12. ad Sever. In ſignificatione activa. Vide *Toſſico*.

Venerabilis, hoc titulo appellatur Beda ex duplici capite. Primo, quia de eo narratur, quod cum eſſet cæcus, & per ludibrium in quandam vallem conductus fuiſſet ad concionandum, ubi non niſi ſaxa reperiebantur, atque deceptus, quod ibi adeſſet populus ad illum audiendum, ſuam concionem ibi habuit, qua peracta his verbis concludens: *Per omnia ſæcula ſæculorum*; ſaxa reſonarunt: *Amen, Venerabilis Pater*. Alii tamen referunt, quod in illa periodo Angeli reſpondiſſet; *Bene dixiſti Venerabilis Pater*. Secunda ratio eſt, quia poſt ejuſdem Sancti obitum, quidam Clericus illi Epitaphium volens in lapide incidere, ſic cœperat, *Hac ſunt in foſſa*; ſed non valens deſinentiam rhythmi, ſive leonini verſus, ( de quo. Vide *Verſus Leoninus* ) qui tunc valde erat in uſu, conterminare; nam ejus terminum ſic conficere habebat in mente, nempe *Bedæ oſſa*, & verſus non currebat metrice; unde nimia mentis agitatione fatigatus Clericus, in ſomnum cecidit, & expergefactus, invenit verſum ab Angelis in ſepulchro Bedæ perfecte inſculptum, hoc pacto:

Hac ſunt in foſſa Bedæ venerabilis oſſa.

Ob id, licet ab Eccleſia inter Sanctos Beda reputetur; titulus tamen Venerabilis, & non Sancti communiter ei tribuitur. Durand. lib. 7. cap. 40. FR. eodem titulo decoratus fuerat Radulphus Remington Anglus ( ut in hiſt. de geſtis Regum Angliæ narratur ) quia interpretaverat aliquos characteres in quadam porta ferrea Romæ inſculptos; nam dum ille attente illos contemplabat, qui ſic P.P.P.S.S.S.R.R.R. F.F.F. inſculpti erant ibi, quidam Romanum civis interim pertranſiens illuſorie illum interrogaverat, inquiens: [ Quid aſpicis Angelice bos? ] at ille reſpondit: [ Confuſionem veſtram aſpicio ] quia nemo poterat characteres illos intelligere, quos Radulpus ſic interpretavit: [ Pater Patriæ Perditus eſt; Sapientia Senum Sublata eſt. Ruet Regnum Romanorum, Ferro, Flamma, Fame ] tunc circunſtantes illum *Venerabilem* acclamavere. De hoc titulo *Venerabilis*. Vide *Titulus*.

Veneranda Virgo & Mart. Vide *Paraſceve*.

Venerarium, ita appellatus eſt Calvarius mons a D. Ambroſio in pſal. 47. [ Dominus ſecundum Cœli tractum in venerario paſſus eſt. ] Ita appellatus fuit, ex eo quia ibi Gentiles ad auferendam Chriſtianis Sanctuarii illius memoriam, ſtatuam Veneris erexerant. Vide *Golgotha*.

Venerarius, idolorum venerator, idololatra: [ Quoniam foris maleficus, & venerarius. S. Cyprian. de Aleat.

Veneris Dies. Vide *Feria VI.*

Veneticus. FR. Venetus. [ De Liguribus, atque Veneticis, & Hiſtriis Epiſcopis quid dicam? can. de Liguribus, 23. quæſt. 5. ] Quod autem ibi Pontifex de Venetis loquatur, patet ex præcedenti can. non vos, §. qui a communione, ubi ſic inquit: [ Recolere enim debet celſitudo veſtra, quid per vos Deus fecerit tempore illo, quod Hiſtriam, & Venetias Tyranno Totila poſſidente &c.

VENETUS, Civis. Vide *Veneticus*. Venetus Epiſc. *Caſtellanus* dicebatur. Vide *Patriarcha*. Venetus color. FR. ideſt, cæruleus, ita Vegetius de re militari, lib. 4. cap. 37. Unde Sidonius, carmine 23. verſ. 324. ſic cecinit:

Id Collega tuus, ſimulque vobis
Pars ad extra facit: micant colores,
Albus, vel Venetus, virens, rubenſque.

VENIABILIS, culpa levis, & venialis, remiſſibilis, & venia dignus: [ Sed tamen ſcribis tu, quod erra verim, veniabile fore. Sidon. lib. 9. epiſt. 15. ] Eodem vocabulo D. Ambroſius, lib. 7. cap. 16. uſus eſt, inquiens: [ Ut eam blaſphemiam dicant non eſſe veniabilem. ] Eodemque modo Salvianus, lib. 4. ad Eccl. Cath. ſic inquit: [ Scio quidem, quod omnes rei veniabiles putant errores ſuos.

VENIO. FR. pro terminor. [ Sicut Carmelus in mari venit. Jerem. cap. 46.

VENI SANCTE SPIRITUS, Miſſæ ſequentia, a quo compoſita. Vide *Proſa*.

VENTICULOR, ventilari ſignificat. [ Quæſtio ſane, quæ illos movet; qui dicunt, cur in eo loco, ubi plus bona, & minus mala fiunt, ultro frequentius ſævit; a multis ſæpe venticulata eſt, ſed a nullo penitus expoſita. Oddo Abb. de Combuſt. S. Martini.

VENTILABRUM. Vide *Cerubim*. *Flabellum*.

VENTOR, pro *Inventor*. Vide verba Ennodii in dict. *Gabatha*.

VENTRALIS. FR. uterculus, veſica, qua cingitur venter ad modum marſupii, & numi interuntur: [ Nummulos in ventralem, l. Divus, ff. de bon. dam. ] Ubi corrigendum eſt *Ventralem*. Zona enim erat, qua lumbi cingebantur: de ea loquitur Gellius, lib. 15. cap. 12. ubi Caji Gracchi verba retulit ajentis: [ Itaque Quirites, cum Roma profectus ſum, zonas, quas plenas argenti extuli, ex provincia, ( *ideſt*, *Sardinia* ) inanes retuli.

VENUARIUS. FR. Venditor [ Notum ſit, quia nos conceſſimus Amalbergæ nobili Abbatiſſæ Brixiæ, ut quocunque iſte Venuarius cum mercimoniis negotiando perrexerit, ſecure pergat. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſt. 36.

VENUS GENTILIUM DEA. Vide *Aſtarthe*. *Salambona*. Thalamitera in dict. *Cubiculum*. *Thammus*. *Venerarium*. Veneris dies in hebdomada. Vide *Feria VI.* FR. Venerem non cypriam, ſed ex Libano progeniem traxiſſe putat Nicolaus Abramus, lib. 2. Phari vet. teſtament. cap. 16. num. 79. & 80. ubi verba Amos, 1. 5. [ Conteram vectem Damaſci, & diſperdam habitatorem de campo idoli, & tenentem ſceptrum de domo voluptatis: & transferetur populus Syriæ Cyrenen. ] ubi *De domo voluptatis*, intelligit Nicolaus de Veneris domo, & affert Nonnum Dionyſ. poetam grajum, lib. 31. verſ. 201. ubi Libano inſidentem Venerem inducit in urbem Beroen, ſive Beryton, de qua idem, lib. 41. a verſu 100. ab eodem Nonno dicitur

Penetrale lætitiæ, Veneris domus, ædes Amorum,
Amœna gratiarum habitatio, Libanidis aſtrum terræ.

VERBICINOR, deponens verbum loquor. [ Erchenaldus dixit, ceſſa verbicinari. In Miraculis S. Furſei, cap. 4. §. 16. 24. Januar. ] Alii tamen *Verboſare* legunt. Vide *Semiverbius*. *Verboſor*.

VERBOSOR, cornicor, blatero, nimis loquor, verboſus ſum. [ In Eccleſiam ſtantes, nolite verboſari. D. Aug. ſerm. 215. de temp. ] Quamvis ſimile barbarum verbum non æſtimetur eſſe Auguſtinianæ eloquentiæ. Vide *Verbicinor*.

VERBOTENUS. FR. oretenus. [ Cum effectu accepimus, non verbotenus, can. hæc autem verba, de pœnit. diſt. 1. & lib. 2. tit. quod quiſque juris, l. 1.

VERBUM DEI. FR. a SS. PP. dicitur etiam *Virtus Dei*. [ Virtutem, quæ a Deo eſt, nihil aliud intelligere fas eſt, niſi Verbum, quod etiam Primogenitus Dei eſt. Juſtin. Mart. apolog. 2. Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Altiſſimi Regis Virtus Chriſtus eſt, qui per adventum Spiritus Sancti formatur in Virgine. Chryſoſt. in catena aur. Virtus vero Altiſſimi Filius eſt Dei: Chriſtus enim Dei virtus eſt. Theopylact. Sciens in verbo eſſe ſpiritum, protinus attexuit: Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi; Chriſtus enim Dei virtus, & Dei ſapientia. Athanaſ. epiſt. 1. ad Serapion.

VERBUM PRÆBERE. Vide *Præbere verbum*.

VERECUNDOR. FR. erubeſco: [ Nam quia ſemetipſum graviter erubeſcebat intus, nil eſſe credidit, quod verecundaretur foris. D. Greg. Papa, homil. 33. in cap. 7. Lucæ. ] Ubi de Magdalena in domo Phariſæi lacrymis pedes Chriſti rigante loquitur. Eodem verbo uſus eſt Plautus, inquiens [ Verecundari neminem apud menſam decet. In Trinum,

VEREDARIUS, tabellarius [ Denique ipſis mandavit per veredarios ſæpe fatus Abbas Herbenus, ut intereſſent ducatui, & ad evehendum corpus ſæpe nominati Antiſtis. Oddo Abb. lib. 2. de reb. Martin. cap. 8. ] In eodem ſenſu Symmachus: [ Cum veredarii deeſſet occaſio, privato homini reddenda ſcripta commiſi, l. 7. ep. 14. ] Sic etiam Fulbertus Carnot. Epiſ. [ Quod vobis olim chariſſime per veredarium veſtrum litteras non remiſi, epiſt. 66. ] Quod vocabulum a *Veredo* equo veloce, ac curſore derivatur.

VERMICULATUS. FR. figurate interpunctus ad inſtar operis muſivi. [ Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento, cant. 1. 8. ] Lectio græca habet pro *Murenulas* Ὁμοιώματα, quod vertunt *Similitudines*. [ Similitudines auri faciemus tibi cum ſtigmatibus argenti; ] Ὅμοιον enim, ut inquit Jul. Rufinian. eſt rhetorica figura, cum ex partibus aliqua ſimilitudo colligitur: ſic Ὁμοιώματα hic *Similitudines*, quod ſubauditur *Inter ſe*, cum monile ex figuris inter ſe conſimilibus conſtet. Euſebius autem per ſimilitudines *Phalera* ſcribit, quæ quidem antiquitus nedum equo-

equorum, ſed equitum, & nobilium erant ornamentum, Livio teſte, qui tradit, comitia ædilitia Cn. Flavii Scribæ tantum habuiſſe indignitatis, ut plerique nobilium aureos annulos, & phaleras deponerent. Atque metaphorice pro ornamento orationis Ennodius: [ Sine phaleris eſt omne id, quod dictat affectio, dict. 3. ] Verum quod *Vermiculatum* non tantum in auro, ſed & in lapidibus intelligatur, facit Plinius: [ Jam quidem & auro nec tantum, ut parietes toti operiantur, verum & interraſo marmore, vermiculatis ad effigies rerum, & animalium cruſtis, &c. lib. 35. cap. 1.

VERNA, ver, ſive vernus. [ Revolvuntur hyemes, & æſtates, verna, & autumna cum ſuis viribus. Tertul. de reſur. carn. cap. 12. ] Viſa autem ſunt Rhenano hæc duo verba *Verna*, & *Autumna* inuſitata, & tamen eiſdem verbis uſus eſt D. Cyprianus ad Demetrium ſcribens: [ Nec ſic verna de temperie ſua læta ſunt, nec adeo arboreis fœtibus autumna fœcunda ſunt. ] Itaque prædicta duo vocabula tanquam ſubſtantiva nomina adhibita fuiſſe a prædictis Patribus, optime Eruditiſſimus Latinus Latinius animadvertit. FR. imo ego dictionem *Autumna* ab optimis etiam latinis Auctoribus fuiſſe uſitatam oſtendi. Vide *Autumna*.

VERONICA. Vide *Hœmorrhoiſſa*. De ejus Sancto Sudario. Vide *Septimianium*. *Vendentes Veronicas*.

VERRES. FR. porcus minime caſtratus: [ Ita ut nec vinum, nec verrem, nec vaccam; imo nihil omnino, vel intra, aut extra quinquageſimam perſolvere cogatur. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſt. 112. num. 8.

VERSUS, ſive *Verſiculus*, cantionis eccleſiaſticæ nomen, quæ canitur in officio; ita appellata, quia tunc revocatur, & vertitur mens ad divinarum laudum attentionem, ut jam animus in pſalmodia feſſus, laſſuſque, hoc interim refocilletur; ſive verſus dicitur ex eo quia tunc Cantores verſus orientem ſe vergebant. [ Verſus dicitur ille cantus, per quem revertitur intentio mentis in aliam intentionem, quaſi quædam compoſitio officialis, diſponens iter mentis ſuavi cantilena de uno affectu ad alterum: In multis Eccleſiis in principio cantus, qui dicitur verſus, vertit ſe chorus ad altare. Amalar. de Ord. Antiph. cap. 1. ] Antiquitus enim Altare orientem reſpiciebat. Qui Auctor hunc poſtremum ſignificatum ſic iterum explicat: [ Ab ipſa reverſione accipit idem cantus nomen verſus. Eadem enim reverſione, de qua admonemur per verſum, exercemus ſtatum corporis noſtri, quando audimus verſum, illico vertimus nos ad orientem. Idem de Eccleſ. off. cap. 2. ] Advertit nihilominus idem Auctor de Ord. antiph. cap. 52. quod tempore paſchali omittendi ſunt hujuſmodi verſus, inquiens; [ Verſus, qui ſolet animum noſtrum revocare ad aliquam introducendam orationem, aufertur in paſchalibus diebus, & cantatur pro eo ad aliquos curſus diurnales: [ Hæc dies, quam fecit Dominus &c. ] Sed in Eccleſia Jeroſolymitana S. Sepulchri tempore paſchali canebant Canonici verſum [ Surrexit Dominus de hoc ſepulchro. ] Ita Roraldus in ejus M. S. hiſt. de anno 1309. quam alibi diximus extitiſſe apud quondam Epiſcopum Melitenſem Bellaguer. Solet tamen verſus eo tempore ad Matutinum recitari poſt pſalmorum ſeriem, quando, nempe, incipiendæ ſunt lectiones, ut mens laſſa in pſallendo ad lectionum attentionem excitetur; ſecus tamen in aliis horis diurnis, quæ cum ſint breves, habent propterea verſus poſt lectionem: ita Durand. lib. 5. cap. 2. Verſus etiam dicitur ille, qui in Miſſa poſt lectionem, ſive Epiſtolam recitatur: [ Verſus ideo dicitur, quia ad inceptionem revertitur Alleluja. Gem. lib. 1. cap. 96. ] Qui etiam denominatus fuit *Tropus*, ut ſuo loco diximus. Vide *Jubilatio*. *Proſa*. Aliquando per *Verſum* Capitulum intelligitur. Vide *Capitulum*.

VERSUS APERITIONIS, dicitur principium Matutini, quod conſiſtit in illis precationibus *Domine labia mea aperies*, *&c.* nam in regulari obſervantia poſt Completorium rigoroſo ſilentio os claudebatur uſque ad futurum diem, & in principio Matutini his verbis aperiebatur, Deum, nempe, laudare incipiendo. [ Oportet in nocturnis ab Abbate dici verſum aperitionis. In Regul. Magiſt. cap. 44. ] Vide *Invitatorium*.

VERSUS LEONINUS. FR. ita appellatus a quodam Leone, qui eum in Italiam detulit, ut refert Torrigius de Cryptis Vatican. impreſſ. ſecunda pag. 67. qui verſus denominatus etiam fuit *Echoicus* ab Echone, & reciproca ſyllabarum deſinentia reſonante, ut in dict. *Echoicus* dictum eſt. Itali *Rima* vocant, qui a Græcis *Rhythmus*, & ὁμοιοτέλευτον, & *Homœoteleuton*, ideſt, ſimiliter deſinens appellatur, ita Stiglianus de italica verſificandi arte, cap. 14. qui etiam Virgilii temporibus, ſed raro quidem fuiſſe hunc verſificandi tenorem oſtendit. Fruſtra tamen Campanellam Stiglianus impugnat, dicentem hunc rimandi modum a Saracenis proveniſſe; quod tamen non videtur inveriſimile, nam Saraceni in Italia, & Hiſpania dominati ſunt diuturne, hinc Itali multa Arabica verba retinuere, ut *Giuppone*, a *Giubba*; *Tamburo*, a *Tabal*; *Maſchera*, a *Mashara*, ideſt, Scurra, *Secchio*, a *Sacha*, ideſt, potatio; & ſimilia; atque multo magis Hiſpani, penes quos multa Arabum vocabula conſervantur; unde mirum non eſt, ſi hunc rimandi modum ab Arabibus Campanella provenire affirmaverit. Reliquæ carminum ſpecies. Vide *Dithyrambus*. *Pæan*, *Proſa*. *Sequentia*. Item verſu leonino Angeli ad ſepulchrum venerabilis Bedæ Epitaphium inciderunt. Vide *Venerabilis*.

VERTEBOLUM, ſagena, piſcatorii retis ſpecies [ Vel vertebolum de flumine furaverit. In lege ſalica, tit. 18. ] In recentiori tamen editione mendoſe *Vertuolum* reperitur; nam nonnulli *Vertebolum* a *Verrendo* de-

derivari volunt. FR. de qua etymologia prolixe in dict. *Sagena* ſcripſi.

Vertex. FR. capitis ſummitas: [ Vertex proprie eſt illa pars capitis, in qua capilli colliguntur, & in qua cæſaries vertitur, ſecundum Papienſem. Gloſſ. in can. pervenit, 30. quæſt. 1. ] Vide *Apex*. Quæ pars in baptizando debet Chriſmate ungi a Sacerdote, poſtquam protulit formam *Ego te baptizo &c.* Sic in Rituali Rom. in Rubrica de Baptiſmo habetur, nempe [ Deinde Sacerdos intingit dextrum pollicem in ſacrum chriſma, & perungit verticem Electi in modum Crucis; dicens; Deus omnipotens, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui te regeneravit ex aqua &c. ] Sed oleo catechumenorum ungitur Electus ante baptiſmum non in vertice, verum, ut eadem rubrica ibidem diſponit, primum in pectore, deinde inter ſcapulas: [ Tunc Sacerdos pollicem dextræ manus intingit in oleo ſancto catechumenorum, & ungit electum primum in pectore, deinde inter ſcapulas in modum Crucis, dicens: Ego te linio oleo ſalutis &c. ] Quæ cæremoniæ inſertæ ſunt in can. Deinde, de conſecrat. diſt. 4. & cap. Cum veniſſet, de ſac. unction. Vide *Baptiſmus. Chriſma*.

Vertibulum, fuſus, quo obturatur dolii, ſeu alterius vaſis ſyphunculus, ne effundatur aqua, ſeu alius quiſpiam liquor. [ Obedientiæ flamma fervens, oblitus eſt epiſtomium obſtruere, pernici curſu ad beatum virum properavit, vertibulum manu tenens. In vita S. Columbani. ] Ubi agitur de miraculo, quod Sanctus ille operatus eſt virtute obedientiæ; nam propter illius promptam executionem oblitus erat epiſtomium obturare vaſis illius, in quo cerviſia continebatur, cujus ne quidem gutta interim emanavit.

Vertigo Capitis. Vide *Helucus*. *Scotomaticus*. *Scotoma*.

Veruta, βερῦτα, teli genus, de quo in Conſtitutione Leonis Imperatoris fit mentio. Vide *Veruina*.

Veruina. FR. verutum, de quo Gellius, lib. 10. c. 25. [ Veruina eſt genus jaculi longum, quod aliqui verutum vocant, ſicut Galbius Baſſus ait in Satyr. Veruina confodiendo non te nauci facio &c. Plautus in Bacchide ait: ſi tibi machæra eſt foris, mihi veruina eſt domi &c. Fulgentius de vocib. antiq. ] *Verutum*, pilum, ideſt, telum. Feſtus.

Vesco, in ſenſu activo, ideſt, paſco. [ Quis nos veſcet carne? Tertull. de jejun.

Vesperæ, officii divini pars, ac una ex ſeptem horis canonicis, diurnalis recitatio, quæ ideo Veſperæ dicitur a *Veſper*, quia poſt occaſum ſolis perſolvebatur; unde *Lucernalium*, & *Lucernalis* dicebatur. [ Et deſinere ad complementum lucernarii, ideſt, veſpertini officii Dominicæ. Balſamon in can. 91. ſextæ Synodi ] Eodem vocabulo D. Auguſtinus in ejus regulis uſus eſt inquiens: [ Poſtquam refecerint, ſive in horto, ſive ubicunque fuerint, faciant opus uſque ad horam Lucernarii. Reg. 2. ] Et Caſſianus, lib. 3. Inſtitut. cap. 3. inquit: [ Ad extremum undecima, in qua lucernalis hora ſignatur. ] Dicitur etiam *Hora Lucernalis* in hiſt. Rhemenſi Flodoard. lib. 4. cap. 43. FR. In Monaſticis Regulis legitur *Lucernaria* in fœminino genere, [ Pſalmi lucernariæ cum Antiphonis pſalli debent ] & in Liturgia præſanctificata denominantur *Preces Lucernarii*; ſicut etiam a Sancto Baſilio, lib. de Spiritu Sancto, cap. 29. & a Sancto Gregorio Nyſſeno in vita S. Macrinæ *Lucernalis gratiarum actio* dicitur. :||: Itaque prorſus errant, qui dixerunt Lucernarium Completorium intelligi; nam ex verbis Patrum adductis contrarium patet evidenter. Imo Epiphanius, lib. 3. adverſ. Hæreſ. Veſperas *Lucernales Pſalmos* appellavit, & Turrianus in conſtitutionib. Apoſtolicis utitur verbo græco ἐπίλυχνος ita etiam Prudentius, cum hymnos pro ſingulis horis canonicis compoſuiſſet, quintum Veſperarum *Ad accenſionem Lucernæ* denominavit, poſt quem ſequitur alius hymnus ab eo *Ad ſomnium* appellatus, ideſt, ad Completorium. Vide *Completorium*. FR. Ita etiam S. Aurelianus in ordine pſalmodiæ ponit horam duodecimam (ideſt Completorium, ut alibi diximus) poſt Lucernarium .:||: Concilium Turonen. II. can. 14. appellavit veſperas *Horam duodecimam*, quia, ut dictum eſt, recitari ſolebat in ultima diei hora: ita etiam a D. Ambroſio *Hora duodecima* Veſperæ appellantur; licet Smaragdus Abbas in explicatione Regulæ 16. S. Benedicti aſſerebat per nomen hoc intelligi Completorium; ſed hæc hora recitabatur poſt cœnam, ideſt, poſt horam primam noctis, juxta monachalem ritum illius antiqui temporis: omnes enim Sancti Patres de prædicta *Hora duodecima* agentes, teſtantur, quod in memoriam Sacrificii veſpertini antiquæ legis recitabatur. Iſid. lib. 1. de Eccl. Off. cap. 20. Sive in memoriam ultimæ Cœnæ, in qua Chriſtus Dominus Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum inſtituerat. Nazianzenus, Orat. 42. Seu quia in eadem hora Chriſtus de Cruce depoſitus fuerat. Gloſſa in cap. 1. de celebrat. Miſſ. & Durand. lib. 5. cap. 9. Et ideo quinque Pſalmi in memoriam quinque Chriſti vulnerum recitantur ad Veſperas. Gemin. lib. 2. cap. 62. Seu tandem, ut Chriſto ſponſo ad ſimilitudinem quinque prudentum Virginum lucernis occurramus. Inſuper clariori evidentia probatur; nam adhuc in Ambroſiano ritu *Lucernarium* appellatur antiphona illa, quæ ibidem in principio Veſperarum canitur. In vita S. Forſei *Veſpertinalis pſalmodia* denominantur Veſperæ. Sed poſtea ab Eccleſia anticipata fuit Veſperarum recitatio poſt Nonam, ad præbendam commoditatem Populis, ut intervenire poſſent, cum feſtum intelligatur inchoare a primis Veſperis. FR. ſeu potius ad auferendas utriuſque ſexus ſcandaloſas occaſiones, cum ſemper Eccleſiaſtici Præſules nocturnas Eccleſiæ functiones ea die cauſa reverentiæ zelo prohibere ſoleant. In Hiſpania tamen, ac Meſſanæ adhuc

huc hic avitus ritus durat, ita ut ſolemnes Veſperas poſt horam noctis illic celebrent. :||: Primæ Veſperæ alicujus Feſti ſunt ſecundis nobiliores, ideo in Papali Cappella primæ tantum canuntur, quod etiam Græci obſervant. Veſperæ Sabbati Sancti ſunt aliis totius anni breviores, ex eo quia Neophyti, ut recenter baptizati, non adhuc ad audienda divina officia ſunt aſſueti: quæ Veſperæ, ſi extra chorum recitentur, tunc non dicitur Deus in adjutorium, cum adhuc Chriſtus non ſit reſuſcitatus: licet aliter aliqui ſentiant, ſed abſque fundamento rationis; nam antiquitus per totam paſchalem octavam non dicebatur Deus in adjutorium, ſed ejus loco dicebatur Kyrie eleiſon, ſicut, ut ſupra diximus, Eccleſia Ambroſiana, & etiam Carmelitani obſervant; de quo antiquo ritu Ordo Rom. mentionem facit, ad denotandum non eſſe amplius adjutorii opus in futura gloria, in qua cum Chriſto reſurgemus. Item per totam eandem Octavam poſt Veſperas ordinabatur proceſſio cum Neophytorum interventu ad fontem baptiſmalem, ferentium in manu cereos accenſos, præcedente ſerpentis figura in culmine haſtæ, in cujus capite poſita erat candela accenſa, quod exaltationem Chriſti in cruce denotabat, adinſtar figuræ ænei ſerpentis, quam erexerat Moyſes pro antidoto ſerpentinorum ictuum, cujus typus Salvator noſter efficaciter extitit, dum a peſtiferis infernalis ſerpentis ictibus nos liberavit. Durand. lib. 6. cap. 89. Quin & tunc Veſperarum pſalmi partim in Choro, & Laudate pueri, ac In exitu Iſrael ad baptiſmalem fontem canebantur, ut conciperetur, quod Neophyti, per lavacrum regenerationis, quaſi modo geniti infantes, & a tyrannica infernalis Pharaonis ſervitute ſpiritualiter jam liberati erant, ſicut temporaliter ab Ægyptiaca ſubjectione Iſraeliticus populus olim ſolutus fuerat. Æneus ſerpens a Moyſe fabricatus, & ab Ezechia fractus, adhuc in Eccleſia Metropolitana Mediolanenſi conſervatur, qui ibi opera Arnulphi Archiepiſcopi de anno *971.* ex Urbe Conſtantinopolitana translatus fuerat: quod aliter ab aliis refertur, nempe hunc fractum ſerpentem Divo Ambroſio a Theodoſio Imperatore traditum fuiſſe, ut in quadam M. S. Chronica Petri Seroxinæ apud Puriſellum, num. 201. legitur. Ante hunc ſerpentem æneum Mediolanenſes fœminæ in ſecunda die Paſchæ ſolent deferre infirmos infantes. Romæ antiquitus in Sabbato Sancto non recitabantur Veſperæ. [ In hac nocte de veſpertinali ſynaxi apud Romanos nihil agitur, neque ante Miſſam, neque poſt Miſſam. Ordo Rom. ] Propter feſtum SS. Fabiani, & Sebaſtiani, in ea die primæ Veſperæ S. Agnetis non poſſunt integræ recitari propter concurrentiam feſti duplicis illius diei; ſed ubi fit totum officium de ſequenti, puta in propria Eccleſia S. Agnetis, vel ubi contingit hoc feſtum transferri, ut in Melita, in qua die agitur feſtum, & officium S. Publii Primi Epiſcopi illius Inſulæ; tunc in primis Veſperis S. Agnetis recitari debent pſalmi de communi Martyrum, ſicuti fit in primis Veſperis S. Agathæ; nam has ambas Sanctas Eccleſia pſalmis Martyrum Virorum honorat, ob earum fortitudinem, & virilem conſtantiam in tormentis demonſtratam. Ita Gavantus, ſect. 8. cap. 3. in Rubr. Breviarii. Dubitari ſolet circa Veſperas Defunctorum, an in die Commemorationis eorundem, ſi contigerit non immediate poſt Veſperas Omnium Sanctorum illas recitare, utrum in principio earum deberet dici Pater noſter, & Ave Maria: Rubricæ namque de hac re nihil agunt; ſed hic caſus quotannis in papali Cappella occurrit, ubi (ut ſupra dixi) nunquam celebrantur ſecundæ Veſperæ, & propterea inchoatur ibi officium a Veſperis Defunctorum cum Pater, & Ave initio: ſic autem non ſolum expertus ſum; ſed & Chriſtophorus Marcellus in ejus Cæremoniali, lib. 2. ſect. 2. cap. 24. teſtatur. Non erit quidem incongruum, ſi hic in praxi ritum Romanum deſcribam, quo Veſperæ ſolemnes celebrari debeant, eo, ſcilicet, modo, quo Gavantus refert, & ex Cæremoniali colligitur, qui talis erit. Celebrans in primis ſuperpelliceo, & pluviali ſine ſtola indutus: ſed ſi induitur alba, ferat ſtolam ante pectus in modum crucis cancellatam, & ita indutus bireto tectus dirigitur verſus Altare, præcedentibus duobus Acolytis cum candelis ſuper candelabra accenſis, non vero cum funalibus, Italice *Torcie* appellatis; nam hoc erit manifeſte contra Rubricas, & contra Cappellæ Pontificiæ praxim, quæ non utitur funalibus, niſi in elevatione Euchariſtiæ. Poſt Acolytos ſequetur Cæremoniarum Magiſter, & poſtea Clerus pariliter incedendo, omnes bireto contecti; in Romanis tamen Baſilicis defertur Crux ante Clerum, & inter prædictos duos Acolytos. Tandem ſequetur inter duos Aſſiſtentes Celebrans, cujus pluvialis extremitates aliquantulum elevantur ab Aſſiſtentibus. Cum deinde ad Chorum perventum erit, omnes genuflexi aliquantulum orent, interim duo Acolyti deponent ex manibus candelabra ſuper altariolum, earumque lumina extinguent. Celebrans vero peracta oratione, & reverentia Altari, ac Choro præſtita, accedat ad ſuam deſtinatam ſedem, quæ ad cornu Epiſtolæ erit collocanda, vel ad primum Chori ſtallum, cujus genuale erit tapeto contectum, cum pulvillo, ſuper quem erit præparatum Breviarium textili currentis coloris contectum, ſive ſuper lectorium præparandum erit Breviarium, ſi in Choro incumbitorium non reperitur. Sedebit interea aliquantulum Celebrans, & coram eo aſtantibus Aſſiſtentibus, poſtea ſurget, & ſubmiſſa voce recitabit Pater, & Ave &c. quibus peractis, intonabit, Deus in adjutorium &c. ſignabit ſe interim ſigno Crucis, & ob id Cæremoniarum Magiſter ei ſuſtollet partem pluvialis dexteram, poſtea præintonabitur eidem Celebranti prima antiphonæ, & ſic ſucceſſive aliæ antiphonæ dignioribus Chori ante quemlibet pſalmum, ſurgentibus omnibus ex illa parte Chori, ex quo intona-

tonatur antiphona præter Celebrantem: peracta autem jam pſalmodia, Acolyti cum accenſis luminibus accedunt ad Celebrantem, qui junctis manibus canet capitulum; deinde unus ex Aſſiſtentibus ſuggeret illi intonationem hymni. In Cappella tamen papali lumina prædicta non accenduntur ad capitulum, puta quia fortaſſe id a Cantore in Choro canitur. Si in principio hymni invocetur nomen Dei, vel Jeſu Chriſti, tunc Celebrans debet extollere manus, & jungere, caputque verſus Altare inclinare. Poſt hymnum, & ab Aſſiſtentibus perſoluto verſiculo, unus ex eiſdem Celebranti præintonabit antiphonam ad Magnificat, quæ dum in Choro canitur, ſedebit Celebrans cum omnibus Choriſtis, & ſurgent deinde, quando incipiet Magnificat; tuncque Celebrans muniens ſe ſigno Crucis tecto capite præſtita Choro reverentia, ibit ad incenſandum Altare, quod ſi ſtallo Celebrantis erit propinquum, tunc non erit opus, ut tecto capite ad illud approximetur. Primo autem oſculatur cum aſſiſtentibus Altare, poſtea vergens aliquantulum verſus cornu Epiſtolæ ponet incenſum in thuribulo, & incenſabit Altare. Romæ vero obſervatur prius thurificare Altare, ubi aſſervatur Euchariſtiæ Sacramentum. Poſt Altaris, vel Altarium incenſationem, redibit ad ejus locum, & ab uno ex Aſſiſtentibus triplici ductu incenſabitur; deinde Thuriferarius incenſabit Chorum, & populum ſecundum regionis conſuetudinem. Quando erit tempus dicendi orationem, accedent duo Acolyti ad Celebrantem cum luminibus accenſis, qui proferens in fine Fidelium animæ &c. extendit manum in aere, formando S. Crucis ſignum; accedens tamen ad Altare, prius ſignum reverentiæ præbebit iis, qui in Choro ex parte Epiſtolæ aſtant, & deinde aliis, qui ex parte Evangelii, tandem Altari idem faciet, ex quo revertens prius eandem reverentiam Altari reiterat, deinde iis, qui ſunt in Choro ex parte Evangelii, & ultimo iis, qui ex parte Epiſtolæ, cui omnes capitis inclinatione correſpondent; & expectans, ut præcedat Clerus, eodem ordine, quo venerat, aſſociatus, recedit, ad Sacriſtiam, ubi omnes ex utroque latere aſtantes iterum Celebrantem capitis reverentia honorant, & ipſe capite aliquantulum inclinato ad locum deſtinatum ſpoliationis tranſibit. *Hora incenſi*, & *Ante ſomnum* dicuntur Veſperæ. Vide *Completorium*. Veſperæ cum Laudibus habent maximam parilitatem. Vide *Laudes*. De Magnificat Veſperarum cantico. Vide *Canticum*.

Vestalium, olim Prioriſſæ. Vide *Primigenia*.

Vestiarius. Vide *Canſtriſius*. *Protoveſtiarius*. *Veſtiarium*.

Vestiarium, ubi veſtes ſacræ conſervantur, quod *Sacriſtia* hodie dicitur, & Sacriſta *Veſtiarius*. Item & *Veſtitor*, ut in quodam M. S. ubi de translatione reliquiarum S. Jo. Chryſoſtomi agitur; ibi enim ſic legitur: [B. Coſmas Veſtitor.

Vestibulum. FR. atrium, ingreſſus, introitus. [Inter veſtibulum, & Altare plorabunt Sacerdotes. Ezech. cap. 8. De ſignificatione hujus vocabuli prolixe Gellius, lib. 16. cap. 5.

Vesticeps, qui indui incipit. [Obiit verbi gratia infans ſub uberum fontibus, puta nunc puer inveſtis, puta veſticeps. Tertull. de anima, cap. 66.] FR. *Veſticeps* apud Latinos puber proprie intelligebatur. Vide Gellium, lib. 5. cap. 19. cujus ſynon. Vide *Inveſtis*.

Vestis. FR. virgata, vel partita, rubea, viridis, & alterius coloris Eccleſiaſticis prohibita in Clement. de vita, & honeſt. Clericor. Veſtis purpurea. Vide *Cruſta*. *Purpura*. Veſtium color Clericalis. Vide *Clericus*. *Epitogium*. Veſtes prælatitiæ. Vide *Birrus*. *Rochetum*. *Epiſcopus*. *Papa*. Veſtes Cardinalitiæ. Vide *Cardinalis*. Patriarchales. Vide *Camilabo*. Religioſorum. Vide *Religioſus*. Veſtes, & indumenta ſacra. Vide *Alba*. *Amictus*. *Arma ſacerdotalia*. *Cappa*. *Caſubula*. *Caſula*. *Cherubim*. *Cingulum*. *Colobium*. *Dalmatica*. *Ephod*. *Epigonation*. *Epimanicion*. *Epitrachelion*. *Eſophorium*. *Gammadia*. *Hypocamiſum*. *Manipulus*. *Penula*. *Thelonium*. *Planeta*. *Polyſtaurium*. *Rochetum*. *Sandalia*. *Sticharium*. *Superhumerale*. *Superpelliceum*. *Tunica*. *Tunicella*. Quales veſtes ſacræ debent cruce ſignari. Vide *Crux*. :||: Controvertitur inter Auctores, utrum in primitiva Eccleſia Apoſtoli uſi eſſent veſtibus ſacris in celebratione Miſſarum. Multi convenientia, & ſacrificii majeſtate moti, affirmativam opinionem ſequuntur, docentes celebraſſe Apoſtolos colobio indutos. Ita ſcribit Hugo a S. Victore, lib. 2. de ſacr. par. 4. cap. 13. Ac Thomas Valdenſis, tom. 3. c. 29. num. 13. qui textum Actorum S. Sylveſtri Papæ affert, in quo fit mentio, quod Euphroſius Pamphyliæ Epiſcopus candidiſſimum colobium in celebratione Miſſarum adhibuiſſet, quo uſus fuerat S. Jacobus Apoſtolus. Habetur etiam, quod Theodoſius Hieroſolymitanus Epiſcopus uſque ad annum 870. veſtes ſacras, quibus uſus eſt idem Apoſtolus, conſervaſſet, ac Sancto Ignatio Conſtantinopolitano Patriarchæ (ut in ejuſdem Actibus legitur) dono miſſæ fuiſſent. Inſuper Joannes Diaconus in Vita S. Gregorii Magni ſcribit, quod eidem Pontifici fuerint donatæ veſtes, quibus Sanctus Evangeliſta Joannes celebrare conſueverat. Hinc fruſtra in Catholicos latrant Novatores; nam more majorum ſacris veſtibus in divinis functionibus utimur.

Vestitor. Vide *Veſtiarium*.

Vestura. FR. Arborum fructus, eo quod eas ornent, & veſtiant, ita aliqui exiſtimant. Sed potius ego puto a *Veſcendo* derivari, ſicut a *Paſco*, *Paſtura*, & ſic barbare a *Veſcendo*, *Veſtura* dici. [Inquirendum eſt etiam, quantum veſtura boſcorum valuit. Matth. Pariſ. in Additam.

Veternosus, annoſus, inveteratus. [Tota Dæmonum poteſtas antiquis, & veternoſis ſedibus gemens, & tre-

& tremens, & ejulans effugatur. Chryſolog. ſermon. 51.

Vetulona. Vide *Diaconiſſa*.

Vexilla Regis Prodeunt. FR. hymnus ab Eccleſia cani ſolitus, a Venantio Fortunato compoſitus fuit. Baron. Ann. 566. numer. 35.

Vexillum. Vide *Bandum*. *Banerium*. *Labarum*. *Tufa*.

Ugo. Vide *Guido*.

Viaticum, Euchariſtia, quæ fidelibus elargitur in hujus vitæ tranſitu; quo vocabulo in Nicæna Synodo uſi ſunt Patres, ajentes: [ Ultimi, ac neceſſarii Viatici; ] quæ tamen verba in alium ſenſum interpretatus eſt Albaſpina in ejus Notis ad dictam Synodum; intelligens, nempe, quod per id non de Euchariſtia, ſed de reconciliatione, & abſolutione mentio fiat, quæ in vitæ extremo publicis pœnitentibus concedebatur, licet injunctam pœnitentiam minime ſatisfeciſſent. Fundatur enim ille in verbis Concilii Arauſicani I. can. 3. ubi ſic habetur: [ Qui recedunt de corpore, pœnitentia accepta, placuit, ſine reconciliatoria manus impoſitione, eis communicari, quod morientium ſufficit conſolationi ſecundum definitiones Patrum, qui hujuſmodi communionem ſufficienter viaticum nominarunt. ] Idem confirmari videtur in can. 9. Gerundenſis Concilii, ſcilicet: [ Is, qui ægritudinis languore pœnitentiæ benedictionem, quam Viaticum deputamus, per communionem acceperit. ] Ad quod reſpondetur primo, quod verba Arauſicani Concilii *Reconciliatoria*, & *Communicare* ſint valde generalia, per quæ omne Sacramentum ad reconciliandum, & communicandum fidelibus neceſſarium intelligi poteſt; ſic etiam per verba *Benedictionem*, & *Viaticum* in Gerundenſi canone poſita. Unde e contrario per nomen *Viaticum* non ſolum Euchariſtiam, ſed omne Sacramentum in extremo vitæ fidelibus præſtitum intellexerunt Sancti Patres. *Viaticum* enim Baptiſmum D. Baſilius hom. in Sac. Baptiſ. in vitali periodo ſuſceptum appellavit. Et D. Gregorius Nazianzenus Orat. de Baptiſmo eos, qui in tali vitæ extremo baptiſmum ſuſcipere differunt, deteſtans, ſic inquit: [ Quandiu inter Baptiſtam, & quæſtuarium nulla pugna eſt, dum ille morientem viatico inſtruere, hic hæres nominari obnixe contendit, ] ideſt, ſuſcipiebatur baptiſmus, quando teſtamentum condebatur. Imo D. Cyprianus eleemoſynam appellavit Viaticum, quia hoc meritorio opere proviſi ex hac vita fideles diſcedunt. Secundo reſpondetur, quod nomen græcum ἐφόδιον in Nicæno canone appoſitum, viaticum latine ſonat: ut multi ex Græcis Scriptoribus Sacramentum Euchariſtiæ in ultimo vitæ præſtitum intellexerunt; inter quos Zonara, qui ſic ait: [ Sancta morientibus impartiantur, ut viaticum illud habeant, nec eorum ſanctificatione priventur. ] Et Balſamon in expoſitione eorundem Canonum inquit: [ Non privari excellenti Viatico Sacræ communionis in extremis vitæ. ] FR. Quod *Ephodion* viaticum ſignificet Gellius Ethnicus Auctor, lib. 17. cap. 2. etiam explicavit, inquiens: [ Magnum viaticum, pro magna facultate, & paratu magno, nove poſitum eſt. Videturque Græcos ſecutus, qui ἐφόδιον ſumptum viæ ad aliarum quoque rerum apparatum traducunt; ac ſæpe ἐφόδιον pro eo dicunt, quod eſt inſtitue, inſtrue. ] Unde ſecundum phraſim græcam ex Gellii teſtimonio verba Nicænæ Synodi allata: *Ultimi, ac neceſſarii Viatici* extremam, & oportunam inſtructionem, & munitionem ſignificant; quare non aliud ſpirituale munimen per illa verba intelligendum erit, niſi Sacramentum Euchariſtiæ, cui antonomaſtice nomen veri muniminis convenit. Præterea Reconciliationis, & Communionis ſumma in publicis pœnitentibus conſiſtebat in ſuſceptione Euchariſtiæ, quæ ideo Communio dicitur, per quam præterita incommuni cabilitas impœnitentium cum cæteris fidelibus abolitur, mediante, ſcilicet, publicæ pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſuſceptione; unde Altari reconciliati dicebantur. [ Eum vero pœnitentem dicimus, qui poſt baptiſma, aut pro homicidio, aut pro diverſis criminibus, graviſſimiſque peccatis publicam pœnitentiam gerens, ſub cilicio divino fuit reconciliatus altario, can. placuit, diſt. 50. ] Dictionem autem *Benedictionem* in Gerundenſi canone poſitam, Euchariſtiam intellige; quam etiam Gloſſa male intellexerat in can. ſi vero, diſt. 50. inquiens: [ Aliquis tempore ægritudinis tale recepit mandatum a Sacerdote, ut poſtquam convaleſceret, ſolemniter faceret pœnitentiam. ] Ubi per *Benedictionem* mandatum, & præceptum male expoſuit. Sed errat prorſus, nam Concilium Barcinon. can. 9. Viaticum per benedictionem beaticam intelligit in eodem caſu, ubi ſic habetur: [ Jubemus vero, ut in infirmitate poſiti beaticam benedictionem percipiant. ] Et in can. tanta, diſt. 86. clarius in eodem caſu exprimitur, nempe: [ Eos vero, quorum conſilio hoc egiſti, in duobus menſibus excommunicatos eſſe decernimus: ita ut, ſi quid eis intra duorum menſium ſpatium humanitatis advenerit, benedictione Viatici non priventur. ] Atque reconciliatio intelligitur, quod prævia abſolutione, pœnitens Euchariſtiæ communionem recipiat: [ Et ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia: ſi ſupervixerit, admoneatur a ſupradictis teſtibus petitionis ſuæ ſatisfactum, & ſubdatur ſtatutis pœnitentiæ legibus, quandiu Sacerdos, qui pœnitentiam dederit, probaverit. Item pœnitentes, qui in infirmitate viaticum Euchariſtiæ accipiunt, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſupervixerint, can. Is, qui in infirmitate, 26. qu. 6. ] Publicus enim pœnitens pro homicidio, ſeu alia ſimili graviſſima culpa, ita Euchariſtia privatur: [ Ut toto vitæ tempore Corpus Dominicum non ſuſcipiat, niſi in exitu ſuo pro viatico. ] Ita Gregorius Papa III. Bonifacio Epiſcopo ſcripſerat;

rat, quæ epiſtola extat in tom. Conciliorum. Idemque expreſſerat per vocabulum *Communionis* in Concilio Martinus Papa, inquiens: [ Si quis voluntarie homicidium fecerit, ad januam Eccleſiæ ſemper jaceat, & communionem in exitu vitæ ſuæ recipiat, can. ſi quis voluntarie, diſt. 50. ] Ac idem habetur in can. ſi qua fœmina. Ibid. & can. ſi quis de corpore, cum ſequentibus, 26. diſt. 6. Et ſignanter in can. qui recedunt. Ibid. declaratur, quod dupliciter reconciliatio intelligatur, ideſt, publica, ſolemnis, & legitima & reconciliatio per Communionem in mortis periculo, ubi ſic habetur: [ Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione ( *idest ceramoniali, & publica* ) eis communicari, quod morientium ſufficit conſolationi, ſecundum definitionem Patrum, qui hujuſmodi communionem ſufficienter viaticum nominarunt. ] Ergo habes, quod *Benedictio*, *Communio*, *Reconciliatio*, & *Viaticum*, idem ſit nomen, cum agitur de iis, qui in articulo mortis conſtituti ſunt, ideſt, Euchariſtiæ ſuſceptio. Et extra tale periculum ultima pœnitentium reconciliatio eſt *Reconciliatio Altaris*, ſeu *Sacra Synaxis*, ideſt, *Communio*, *Benedictio*, & Sacramenti altaris ſuſceptio. :||: Inſuper hoc Viaticum antiquitus poſt extremam unctionem dabatur: [ Fratribus convocatis, extremæ unctionis Sacramentum humiliter, & devote ſuſcepit; eo percepto, etiam Sacram Euchariſtiam ſibi porrigi inſtantiſſime poſtulavit, ut tanto itineris duce munitus, poſſet ſecurus hoſtium cuneos penetrare. Surius in Vita S. Gulielmi Archiep. ] & apud eundem in vita S. Steph. Regis de ejus morte ſic habetur: [ Rex in medio jacens, ſacram percipit unctionem, ſanctamque animam corporis, & ſanguinis Chriſti recreatam viatico &c. ] Ponebatur nonnunquam Euchariſtia ſupra fidelium cadavera, qui abuſus prohibitus fuit in III. Concil. Carthaginenſi, cap. 16. ut in dict. *Communio* diximus. De Sancto Baſilio legitur: [ Unamque, ( *ideſt*, particulam *conſecratam* ) ſumpſiſſe, alteram reſervaſſe, ut ſecum ſepeliretur, tertiam vero in Columba aurea pendente repoſuiſſe. Surius, tom. 1. ] ideſt, in Cuſtodia, ut in dictione *Ciborium* diximus; ſed Latinus Latinius diligentiſſimus Eccleſiaſticarum rerum obſervator, minime exiſtimavit Sanctum Virum hujuſmodi indecentiæ actum commiſiſſe, ut ſe cum particula conſecrata ſepeliri juſſiſſet, quemadmodum inſinuare videntur illa verba: *Ut ſecum ſepeliretur*. Sed potius intelligendum eſt, quod cum viatico in extremo vitæ ſumpto ſepeliri cupierit. Id enim verba, quæ in ejus vita habentur, ſatis declarant, nempe: [ Atque tertiam illam communionis portionem a Domino ipſi datam, cum qua ſepulturæ tradi voluit, aſſumens, & in lecto recumbens gratias egit Deo. ] Quod ulterius ex ejus patrio ritu græco confirmatur, qui in uſu apud eoſdem Græcos adhuc manet, ut in actu conſecrandi Epiſcopus Sacerdotibus tunc ordinatis ſingulas particulas conſecratas conſignet, ut ipſi pro viatico in extremo eorum vitæ utantur. FR. Sed hic etiam erit error pejor priore; nam diuturnitate temporis ea particula corrupta, non remanebit amplius conſecrata, qua corruptibilitate moribundus actum idololatriæ committeret, ſi ea communicaret. Poteſt tamen eſſe, quod talis traditio particulæ conſecratæ ſit tantum pro cæremonia, ac admonitione, quod, ſcilicet, Sacerdos in extremo vitæ ſuæ recordetur refici pro viatico Sanctiſſima Hoſtia, non quidem eadem, quam tradidit ei in ordinatione Epiſcopus, ſed eadem ſacramentaliter, & quod illam per Epiſcopum traditam aſſumet ipſe Sacerdos, antequam corrumpatur, ſive dignis quam primum præbeat. :||: Sicut in Gallia moris fuiſſe narrat Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus epiſt. 2. quod quando Sacerdotem ordinabat Epiſcopus, tradebat illi in manu panem conſecratum, quem Sacerdos deinde ſpatio quadraginta dierum conſumebat, ſumens quotidie ex illo fruſtillum, & hoc fiebat in memoriam quadraginta dierum, in quibus Chriſtus Dominus cum Diſcipulis ſuis manſerat poſt reſurrectionem. Cæterum permittebatur in perſecutionum ſæculis, ut domi detineretur hoſtia conſecrata, conſumenda tamen ante quam corrumperetur, ut in mortis periculo, & ante martyrium poſſent ea per modum viatici communicari, de quo uſu crebro Sancti Patres teſtantur; ac Monachorum antiqua in deſerto ſimplicitas retinebat penes ſe Hoſtiam conſecratam, ut S. Baſilius refert, & ob carentiam Sacerdotum propriis manibus ſpiritualiter ſe reficiebant, qui abuſus in Occidentali Eccleſia tempore Hormiſdæ Papæ in Concilio Cæſaraugustano, can. 3. prohibitus fuit; ſed in Oriente diutius manſit. Similiter temporibus vetuſtis peregrinando fideles ſecum Euchariſtiam deferebant, ut de Satyro D. Ambroſius ejus frater refert, & de S. Maximo Syracuſano Epiſcopo D. Gregorius Papa; quod tamen faciebant, ut in eo itinere mortis periculo ſuccedente, promptum haberent viaticum; id enim hodie licitum eſt ſolis Pontificibus Romanis, quibus in longinquis itineribus ſupra album mannum undique ornatum ( qui vulgo *Chinea* appellatur ) per brevem diætam præcedentem, Sacra Euchariſtia defertur luminibus circundata, atque nobiliſſimo comitatu obſequente, quam cæremoniam antiquiſſimam eſſe ex eo conſtat, quod Stephanus Papa III. eam obſervavit, quando ad Regem Galliarum perrexit; nam *Chriſto prævio* hunc Pontificem peregrinaſſe refert Anaſtaſius Bibliothecarius in illius vita. FR. de hac cæremonia tractatum edidit Angelus Rocca olim Pontificii Sacelli Sacriſta, cujus titulus eſt: De Viatico Summi Pontificis. Infirmis, in quibus ineſt impotentia ſuſcipiendi viaticum, non licet deferre Euchariſtiam devotionis gratia ad illam adorandam. Ita a B. Pio Papa V. cautum fuit. Reliqua. Vide *Benedictio beatica*. *Communio*. *Ephodion*. *Euchariſtia*. Item Viaticum ſignificat portatile altariolum. V. *Altare*.

Vibrinus, caſtoreus; ſed *Fibrinus* ſcribendum a Fibro, ſeu Caſtore animali; unde corrigendus eſſet textus in Regula S. Cæſariæ, ubi ſic ait: [ Veſtimenta lucida, vel nigra, vel cum purpura, vel vibrina ( *lege fibrina* ) nunquam in uſu habeantur, cap. 9. §. 15. ] FR. De hoc animali Plinius, lib. 8. cap. 31. ita ait: [ Simile fibro & ingenium. Evomit fel ſuum, ad multa medicamenta utile. ] Caſtor dicitur, eo quod ſe caſtrat. Ibidem Plin. c. 30. Unde ex fibro fibrinus dicitur. [ Falces cum ſint exacutæ fibrina pelle detergent. Idem Plin. lib. 17. cap. 28. ] Vide *Caſtorinatus*.

Vicanus, qui in Vico habitat; ita in Ariminenſi Civitate dicebatur alicujus vici incola, cum ea civitas in ſeptem regiones diviſa eſſet; unde *Vicanus ſeptimæ vicariæ*, qui ſeptimum urbis vicum incolebat, dicebatur.

Vicaria Monialium. Vide *Formaria*.

Vicarius. FR. qui Superioris gerit vices, ſeu a Vicis, in quibus juriſdictionem exercebant, ut in dict. *Decania* dictum fuit. Hodie tamen in qualibet Diœceſi plures Vicarii reperiuntur, nimirum, *Generalis Vicarius*, qui penes Epiſcopum reſidet, & totius Diœceſis curam habet. Item *Vicarii foranei*, ſive *Villani*, de quibus egimus in dict. *Centenarius*. *Chorepiſcopus*. *Decania*. *Firmarius*. *Servator loci*. De Vicario Sede Vacante. Vide *Archidiaconus*. De Vicario Curati. Vide *Perſonatus*. De Vicario Abbatis, ſeu Archimandritæ. Vide *Deuterarius*. An Vicarius Chriſti, vel Petri dicatur Summus Pontifex. Vide *Papa*. Et adi Baron. An. 740. num. 4. & ibi Poſtillator.

Vicatim, viatim, per vias. [ Cum interim plus noſtra miſericordia inſumit vicatim, quam veſtra religio templatim. Tertull. adverſ. Gent. cap. 42. ] ubi *Templatim* per templa ſignificat.

Vicecancellarius. Vide *Cancellarius*.

Vicecomes. FR. Qui Comitis vicem gerit. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſt. 47. Quod officium prohibitum eſt exerceri a Sacerdotibus: [ Ne Sacerdos officium habeat Vicecomitis, aut Præpoſiti ſæcularis, lib. 3. Decretal. cap. 5. & ibi Gloſſa.

Vicedominatus. FR. Vicedomini officium [ Quicumque vicedominatum, vel aliam eccleſiaſticarum rerum adminiſtrationem, per pecuniam obtinere voluerint, tam ementes, quam vendentes, cum Simone percelluntur, & ab illa Eccleſia, in cujus contumeliam dare pecuniam, & accipere voluerunt, juſte excluduntur, cap. conſulere, de Simonia. ] Et ibidem in tit. de pœnis, cap. 12. ſic habetur: [ Patroni juſpatronatus, Advocati advocatiam, feudatarii feudum, Vicedomini Vicedominatum, & Beneficiati beneficia prorſus amittant.

Vicedominus, Oeconomus Eccleſiæ, qui varii erant: nam aliqui erant Vicedomini Eccleſiarum, alii redditúum Epiſcoporum, alii tandem Palatii epiſcopalis, de quibus dictum eſt in dict. *Oeconomus*. De Vicedomino Palatii Apoſtolici D. Gregorius, *lib. 1. cap.* 11. in Regiſt. hæc habet: [ Vicedominum enim conſtituimus, cujus arbitrio Epiſcopum commiſimus diſpenſandum. ] FR. Latinius *Epiſcopium* in hunc locum corrigit. Vide in correct. D. Greg. tit. Epiſtolar. lib. 1. cap. 11.:||: de quo officio ſæpe in ejus epiſtolis mentionem facit, ubi colligitur etiam, quod pro Eccleſia Lateranenſi peculiaris Vicedominus conſtitutus erat. Vicedominus Palatii Apoſtolici fere erat Epiſcopus, & equitabat ſecus Pontificem immediate. [ Poſt equum vero hi ſunt, qui equitant, Vicedominus, Veſtiarius, Nomenclator, atque Sacellarius. Ordo. Rom. ] Hodie vero *Majordomus* dicitur. FR. Verba D. Greg. ſupra allata, quæ incipiunt: Vicedominum conſtituimus &c. habentur in decreto Gratiani in can. Diaconum, diſt. 89. Ad Clementinam Patriciam, ajentis: [ Vicedominum enim conſtituimus, cujus arbitrio Epiſcopium commiſimus diſpenſandum. ] Ubi Gloſſa ſic habet: [ Ex hoc patet, quod Vicedominus eſt, qui habet poteſtatem ſuper res ipſius Epiſcopatus: Oeconomus, qui ſuper res Canonicorum: cui, ſcilicet, res Eccleſiaſtica gubernanda mandatur. Cod. de Sacroſanctis Eccleſiis, l. jubemus, in princ. Et ſicut Epiſcopus diſpenſat res epiſcopales ſub teſtimonio Vicedomini: ſic Canonici res eccleſiaſticas ſub teſtimonio Oeconomi, & e converſo, ut 16. quæſt. 7. can. quoniam, & 12. qu. 1. can. manifeſta. Iſte Oeconomus in quibuſdam Eccleſiis appellatur Præpoſitus. ] Facultas Vicedomini epiſcopalis Palatii declaratur in can. Volumus, ead. diſt. 89. ubi ſic dicitur: [ Volumus, ut frater noſter Paſchaſius, & Vicedominum ſibi, & Majorem ordinet domus, quatenus poſſit, vel hoſpitibus ſupervenientibus, vel cauſis, quæ eveniunt, paratus, & idoneus exiſtere. ] Ubi Gloſſa ex Hugonis opinione ait eſſe idem Vicedominum, ac Oeconomum, in §. Vicedominum. Quod Oeconomi officium conſtituendum eſt in omnibus Eccleſiis habentibus Epiſcopum. [ Quia in quibuſdam Eccleſiis ( ſicut ad nos pervenit ) ſine Oeconomo, Epiſcopi res Eccleſiaſticas tractant, placuit omnes Eccleſias habentes Epiſcopum, etiam Oeconomum habere de proprio Clero, qui gubernet res Eccleſiæ &c. can. quia, diſt. 89. ] Vide *Oeconomus*.

Vicennium. FR. ſpatium viginti annorum. [ Neque decenni, neque vicennii, vel XXX. annorum poſſeſſio, can. neque, 16. qu. 4.

Vicesima, dicitur tertia hebdomada quadrageſimæ. Vide *Triceſima*.

Vicissitas. Vide *Alternitas*.

Victima. Vide *Thyas*.

Victimæ Paschali Laudes. Miſſæ ſequentia a quo compoſita. Vide *Proſa*.

Victorialis Hymnus. Vide *Sanctus &c.*

Victuale. FR. dicitur diſtributio quotidiana, quæ fit inter Canonicos; at præbenda, *Communitas* appellatur. [ Statuimus, ne a Canonicis, donec in ſer-

ſervitio tuo, (*ideſt*, *Epiſcopi*) fuerint, quicquam ſubtrahi debeat, vel auferri, quod de communitatis ſibi beneficio debeatur: niſi forte ſint victualia, quæ non conſueverunt abſentibus exhiberi. De Clericis non reſident. cap. 7.] & ibi Gloſſa. Vide *Croſſa*.

Videns. Hoc nomen abſolute ſumptum in ſacra pagina per antonomaſiam ſignificat Prophetam, divinis viſionibus illuſtratum, quem Hebræi *Morenu* vocant; ſed hodie hoc vocabulo Rabbinum illi appellant, qui Synagogæ curam gerit, & controverſias interni fori decidit. FR. ſic antiquitus appellabatur Propheta. [Olim in Iſrael ſic loquebatur unuſquiſque vadens conſulere Deum: Venite, eamus ad Videntem, qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns, 1. Reg. 9. 9.] Sed Rupertus Abb. in cap. 1. Abdiæ facit differentiam inter viſiones divinas, inquiens: [Viſiones autem hæ differunt, quæ alibi monſtrante Deo ſignificativæ videntur imagines, quales maxime viderunt jam dictus Ezechiel, & Daniel: alibi ſine imaginibus divinæ ſuo modo videntur, & præcipue locutiones, quemadmodum hic de ſemetipſo dicit: Viſio Abdiæ, & tamen nullam ſe ſimilitudinem, ſive imaginem narrat vidiſſe. Et de iſta quidem viſionis qualitate non dubium eſt Sanctos Prophetas certum habuiſſe viſum, ſive intellectum, Spiritu Sancto in ipſis loquente, &c.] Ac idem Rup. in cap. 1. Apocalyp. tres viſionum differentias tradit, nempe, carnalem, ſpiritualem, & intellectualem.

Vidua. Vide *Relicta*. Ejus velatio. Vide *Velum profeſſionis*.

Viduæ Aquæ, eleganter a Tertulliano, lib. de Baptiſmo, appellata ſunt lavacra Gentilium, quia non producebant gratiam, ſicut aquæ noſtræ baptiſmales: [Nationes extraneæ ab omni intellectu ſpiritualium poteſtatum eadem fiducia idolis ſuis ſubminiſtrant; ſed viduis aquis ſibi mentiuntur.

Viduvium, viduitas, ſtatus viduitatis. [Cui filii nec poſt nepotis amiſſi duæ pariter plagæ recentes, ad viduvii vulnus adduntur. Sidonius, lib. 6. epiſt. 2.

Vigilans. Vide *Egrigorus*, *Vigilax*.

Vigilax, Vigilans. [Neque in paginis ejus vigilax lector inveniet veriora nomina Camœnarum. Sidon. lib. 5. epiſt. 2.

Vigilia, inter Chriſtianos dies præcedens alicui ſolemnitati intelligitur, quia antecedenti die pernoctare ſolebant in Eccleſia illius Sancti, cujus feſtivitas die ſequenti erat celebranda, & quaſi tota illius noctis mora in ſacris, diviniſque cantionibus, in ſpiritualibus diſcurſis, ac pſalmodiis trahebatur; quæ ideo *Nocturnæ Convocationes* a Tertulliano, lib. 2. ad Uxor. cap. 4. appellatæ fuerunt. FR. Ac clarius D. Hieronymus, epiſt. 7. Lætæ ſcribens, tradenſque ei modum educandi filiam, ſic inquit: [Vigiliarum dies, & ſolemnes pernoctationes ſic virguncula noſtra celebret, ut ne tranſverſum quidem unguem a matre diſcedat.] :||: Hic deinde ritus in jejunium commutatus fuit, retinens tamen *Vigiliæ* nomen, de qua re errant prorſus illi, qui auctoritate cujuſdam aſſerti ſermonis S. Auguſtini ad fratres in Eremo, (qui eſt ordine vigeſimus quintus) affirmant, D. Ambroſium perſuaſione S. Monachæ uſum vigiliarum ea de cauſa ab Eccleſia eliminaſſe, quod Chriſtianorum plurimi illud noctis tempus ludendo & choreas ducendo tranſigerent; nam hoc validis argumentis Baronius in Annot. ad Martyrol. 5. Januar. litt. *a*. falſiſſimum, & ab Auguſtiniano calamo alienum eſſe demonſtrat; & in fine ejuſdem Annotationis ſic concludit Baronius: [Non itaque Ambroſius, non Auguſtinus, nec quis alius Orthodoxorum his temporibus vigilias nocturnas eccleſiaſticas abrogavit, vel minuit: ſed impuriſſimus hæreſiarcha Vigilantius vigilias, ſui nominis hoſtis, impugnavit, ſicque minuere conatus eſt, ut non niſi ſemel in anno, in Paſchali ſolemnitate vigilias peragendas eſſe jactaret. Hieronymus adverſus Vigilantium.] Cujus intentio ad abrogandas in Eccleſia Dei congregationes tendebat. Idem Baron. an. 44. num. 73. Atque ad Baronianas rationes cumulandum eſt etiam, quod ſolemnes vigiliæ ante Dominicas totius anni antiquitus celebrabantur, quæ aſſidue a fidelibus frequentabantur, ut can. 1. Matiſconenſis Concilii teſtatur: quod Concilium per duo ferme ſæcula poſt DD. Ambroſium, & Auguſtinum extitit. Licet tamen Antiſidorenſe Concilium, can. 3. Vigilias prohibuiſſe videatur, non Vigiliis ſacris & publicis in Eccleſia celebratis ibi egiſſe, ex ejuſdem verbis ſatis liquet. FR. Eliberitanum Concilium can. 35. interventum fœminarum in Vigiliis vetaverat. Aliqui vigiliarum nocturnarum prohibitionem Bonifacio Papæ Primo tribuunt. S. Leo Papa, qui tertio loco illi ſucceſſerat, de Vigiliarum obſervantia in ejus ſermonibus crebro mentionem facit :||: Si Vigilia Nativitatis Domini venerit in Dominica, tunc canitur Miſſa poſt tertiam, & Evangelium Dominicæ non dicitur in fine, licet de Dominica fiat commemoratio, quia illud Dominicæ Evangelium lectum fuerat in Miſſa Sabbati præcedentis. Gavant. part. 4. tit. 3. In Vigilia Pentecoſtes ex antiqua conſuetudine jejunatur; in qua etiam antiquitus, ſicut in Sabbato Sancto, baptizabantur Catechumeni; ideo adhuc in Miſſa dicitur Tractus, & ad Evangelium non afferuntur lumina, quia eorum fides adhuc obtenebrata eſt, & ob eandem rationem non dicitur Credo. Si Vigiliæ S. Joannis Baptiſtæ, vel SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli venerint infra Octavam Corporis Chriſti, tunc in Miſſa dicitur Præfatio communis de feria, Sac. Rit. Congr. 12. Decembr. 1626. Si vero Vigilia aliqua venerit in die ſolemniſſimo, tunc Epiſcopus poteſt illam anticipare ad præcedentem diem. Navar. in manual. cap. 21. num. 21. Hinc Leo Papa X. decretavit, quod ſi Vigilia S. Joannis venerit in die Corporis Chriſti, tunc antici-

petur ad feriam quartam, quod accidit ann. 1639. ut declaratum etiam fuerat anno præcedenti a Sacr. Rit. Congr. 23. Septembr. 1638. In tali tamen caſu non anticipatur officium Vigiliæ, ſed ſolum Jejunium. Gavant. ſect. 3. cap. 7. in Rubr. Miſſ. Ob ſimilem rationem, ſi in ultimo die carnisprivii occurrerit Vigilia S. Matthiæ, poterit etiam tunc Epiſcopus ad Sabbatum antecedens illam anticipare, ut inobſervantiæ peccata evitentur, Diana 3. part. tract. 6. Miſcellan. reſolut. 66. Quando Vigilia S. Joannis Baptiſtæ, vel SS. Petri, & Pauli venerit infra Octavam Corporis Domini, Miſſa dicitur de Vigilia, licet officium fuerit de Octava, ob rationes a Gavanto adductas in part. 1. tit. 3. n. 2. ad Rubr. Miſſ. in Vigilia Nat. Dom. Diaconus, & Subdiaconus non induuntur Caſula in Miſſa. Vide *Caſula* in fine. Specialis cæremonia antiquitus in hac die. Vid. *Statio*. Reliqua deinde. Vid. *Jejunium*.

VIGILIGALLUS. Vide *Vigilucius*.

VIGILUCIUS, Monachus, qui curam habet expergeſcendi alios Religioſos ad perſolvendum Matutinum. [ Priuſquam tamen ſurgant cæteri, a Vigiluciis fratribus Præpoſitus excitetur. In Regula S. Fructuoſi. ] Sed in Regula Magiſtr. *Vigiligallus* idem appellatur.

VILE. Vide *Chydeum*.

VINDEMIA. Vide *Feriæ propter meſſem &c.*

VINCULA S. PETRI. Vide *Boja*.

VINDICO, Verbum, pro legitimare, & canonizare uſurpatur. Unde *Vindicatus*, legitimatum, vel canonizatum ſignificat apud Optatum Milevit. lib. 1. adverſ. Parmenian. ubi ſic inquit: [ Cum correctionem Archidiaconi Cæciliani ferre non poſſet, quæ ante ſpiritualem cibum, & potum os neſcio cujus martyris, ſi tamen martyris, libare dicebatur: & cum præponeret calici ſalutari os neſcio cujus hominis mortui, etſi martyris, ſed nondum vindicati: correpta cum confuſione irata diſceſſit.

VINDICATUS. Vide *Vindico*.

VINDICTA. FR. mulctatio, juſtitia vindicativa. [ Ad hanc Apoſtolicam Sedem, cui omnia Epiſcoporum judicia referri præcepta ſunt, ejus contumacia referatur, ut vindicta de eo fiat, can. ſi autem, 9. qu. 3.] Ac alibi: [ Et ille, qui contra morem antiquum eum ordinare præſumpſerit, canonum vindictæ ſubjaceat, can. Iſtud eſt, 11. quæſt. 1. ] Item alibi: [ De quibus debet eſſe tanta proviſio, ut vindictam admonitio præcedat, can. Indigne, 12. q. 2. ] Ac alio in loco: [ Officia vindictæ poſſunt implere boni bono animo, quomodo Judex, & quomodo lex, can. officia, 23. quæſt. 5. ] & ibi Gloſſa. Vide *Ulciſcor*.

VINHAURIA, vini hauſtor, & bibax. [ Ecce homo vorax, & vinhauria. D. Aug. lib. 16. contra Fauſtum, c. 31. ] Latinus tamen Latinius in ſuis annotationibus *Vinhaurius* legit.

VINUM vile. Vide *Chydeum*. Vinum pro Miſſæ ſacrificio prius purgabatur. Vide *Colatorium*. Vini menſura dicebatur miſericordia, & quare. Vide *Miſericordia*. Vinum Gnidium, & Erythræum. Vide *Colatum*. Quale vinum palmatinum fuerit. Vide *Palmatinæ*. Cætera. Vide *Stips*.

VIO, iter facio, viam dirigo. [ Exercitum credas cum ſignis ſuis pergere: ſic omnes viandi, comitandique, & præeundi ordinem ſervant. ] De Ciconiis inquit Ambroſius, lib. 5. Examer. cap. 16. Eodem verbo uſus eſt Chryſologus, ſerm. 63. de reſurrect. Lazari loquens: [ Suſcitaverat Dominus filiam Jairi Principis Synagogæ, ſed adhuc funere calente, ſed adhuc mediante morte, corpore adhuc præſente, adhuc inter homines homine morante, adhuc viante ſpiritu.

VIOLACEUS COLOR. Vide *Janthinus*.

VIOLARUM, florum multæ ſpecies. Vide *Janthinus*.

VIOLO. FR. offendo. [ Chriſtum violat, can. ſi quis hominem, 11. qu. 3.

VIPERA. Vide *Echidna*.

VIRGA, & *Virgula*, pro baculo paſtorali. Vide *Baculus*. Virgula cenſoria. Vide *Aſteriſcus*. Virga Moyſis *Aquatilis ſequela* appellata. Vide *Eſcatilis pluvia*. Virga Centurionum. Vide *Vitem dare*.

VIRGARIUS. Cantor Eccleſiæ. Vide *Baculus*. *Cantor*. Prope Vaticanam Baſilicam extabat Eccleſia *S. Mariæ Virgariorum*, & *Schola Virgariorum*. Vide *Schola Virgariorum Portiani*. Qui Virgarius habebat curam præparandi lectum pro Pontifice, ubi terminabat proceſſio ejuſdem Papæ, qui uſus tamen remanſit præparandi lectum in eo cubiculo, in quo ſuper lectum Pontifex induitur, & exuitur paramentis ſacris.

VIRGINAL, Virginitas. [ Intactam ab omni crimine virginal. Prudentius in hymno 8. paſſion. S. Agnetis. ] Carolus tamen Vidmanus docet hanc dictionem ſignificare Lupanar. In aliquibus mendoſis Codicibus *Virginali* legitur.

VIRGINOR, verbum intranſitivum, & deponens, Virginitatem poſſidere ſignificat. [ Solemnem manifeſtæ paraturæ totam circumferunt mulieritatem; ſed virginari volunt ſola capitis nuditate. Tertull. de veland. Virg. c. 12.

VIRGO. Vide *Cœlebs*. *In capillo*. *Innuptus*. *Inuxorata*. *Soror in capillo*.

VIRGULA. Vide *Virga*.

VIRGUNCULA. FR. nomen diminutivum a Virgo, parva virgo. Italice *Virginella*, De hac Hieron. in dict. *Vigilia*.

VIRIA, armillæ. ] Has inaures habebat, quæ non gravarent aures: has virias, quæ manum non maritali auro ornarent, ſed ſpirituali actu levarent. D. Ambroſ. lib. de Abraham, c. 9.

VIRIOLA, Viriæ diminutivum nomen. [ Armillæ autem propriæ Virorum ſunt, collatæ victoriæ cauſa militibus ob armorum virtutem; unde & quondam vulgo viriolæ dicebantur. Iſidor. ] FR. Hinc *Bi-*

*retum* B. pro V. quaſi *Viretum*, ideſt viri tegumentum, quod Melitenſes a *Viriola*, *Biriola* dicunt.

Virita, Mulier viro conjuncta. [ Quia virita mulier non facile decipitur, habens conſiliatorem virum. Chryſoſtom. hom. 44. in cap. 23. Matth.

Virtutificatus, corroboratus. [ Si autem exercita ( *ideſt fides* ) fuerit ſcripturis, & loquutionibus aſſiduis ſuſcitata, operibus bonis virtutificata. non ſolum dico multiplicabitur, ſed numquam deſinet creſcere. Chryſoſt. hom. 53. in c. 23. Matth.

Virtus, pro vi, ſeu violentia. [ Si quis cum puella per virtutem mœchatus fuerit. In lege ſalica, tit. 15. ] FR. Idem habetur in l. ſi quis homini libero, de his, qui inſidiando, l. ſi quis domum alienam, de exercitalibus, l. ſi homines, de aggreſſione in vico. Item in Bullario Caſinen. tom. 2. conſt. 69. ſic in eadem ſignificatione legitur: [ Sed liceat præfato Cœnobio cuncta, quæ ſibi videntur pertinere, virtuoſeque perpetuo poſſidere, omnium hominum contradictione remota &c. ] Virtus vero animi eſt habitus mentis conſtitutæ, Gloſſa in can. De pudicitia, 32. qu. 5. De qua Horatius, lib. 1. epiſtolar. ad Mœcenatem inquit: Virtus eſt vitium fugere, & ſapientia prima Stultitia caruiſſe.

Virtus Dei. Vide *Verbum Dei*.

Vis Turbativa, FR. violentia; ſed in jure intelligitur, quando turbatur poſſeſſio, & in dubio revocatur. [ Oeconomus petierit a vi turbativa, & inquietativa ſuper præmiſſis Commune Faven. prohiberi, cap. licet cauſam, de probat & ibi Gloſſa.

Viscus. FR. Hæmorrhoidum humor. [ Præcipue tamen viſco laborantes, quos viſcoſos appellant, curare conſuevit. In vita S. Fiacrii Meldenſis 30. Auguſti apud Surium, tom. 7. ] Ideo in Gallia appellatur morbus S. Fiacrii. Ejus ſynonyma. Vide *Hæmorrhoides*.

Visinetum, FR. vicinia, vicinitas. [ Per ſacramentum proborum legalium hominum de viſineto comitatus. Matth. Pariſ. in Charta libert.

Visio. Vide *Horama*. Viſionum divinarum differentia. Vide *Videns*.

Visitatio B. M. V. feſtum ab Urbano VI. an. 1389. inſtitutum ad diem ſecundam Julii celebrandum ex voto propter perſecutionem ſchiſmatum, ut quemadmodum B. Virgo ejus viſitatione cognatam ſuam Eliſabeth conſolare dignata eſt, ſic fideles ab eadem Virgine conſolationem Univerſalis Eccleſiæ implorarent. Fuit deinde idem feſtum vigore bullæ a Bonifacio IX. præfati Urbani Succeſſore confirmatum; quod tamen feſtum in Syriaco rituali antiquitus reperitur, & apud illos in menſe Decembris parum ante Nativitatem Domini celebratur, in quo etiam die in honorem Deiparæ ad templum Conſtantinopolitanum in *Blachernis* appellatum ( de quo diximus in dict. *Blacherna*) feſtum agunt Græci.

Visitatio Epiſcopalis per Diœceſim. Vide Epiſcopus in actu viſitationis in dict. *Epiſcopus*.

Visitator. Vide *Interceſſor*, *Periodeutis*.

Visula. FR. vitis, & uvæ genus. [ Albuelis ſummis arboribus fertilior eſt, viſula imis. Plin. lib. 24. cap. 2. ] Nomen quidem arabicum *Biſula* V. pro B. ſignificat mammam; eſt enim ad formam mammæ, quam latini *Uvam mammam* dixere. Melitenſes *Biſula*, & *Biſulet el Bacra* ideſt, mammam vaccæ, ex illius forma, & colore appellant.

Vitem Dare. FR. apud Romanos intelligebatur jus Centurionatus conferre, quæ *Clema*, ideſt, ſpecies vitis ( ut ait Ammonius ) ſive palmes, pampinus, ſeu potius ſarmentum erat, a Plutarcho in Galba κλῆμα ἑκατοντάρχον dicitur, nempe, Vitis centurionalis. Qui ritus ab Euſebio in S. Marino Martyre, lib. 7. hiſtor. Eccleſ. cap. 14. ſatis explicatur his verbis. [ Marinus, unus ex his, qui in exercitu Romano magnum decus, & honorem fuiſſent conſecuti, vir & genere illuſtris, & divitiis locuples, propter teſtimonium Chriſti, Cæſareæ Palæſtinæ de tali cauſa capite damnatus fuit. Eſt quidem honos apud Romanos, qui κλῆμα appellatur: quem qui adipiſcuntur, eos Centuriones fieri ajunt. Cum locus vacaret, ordo poſtulabat, ut Marinus eo dignitatis gradu potiretur. Marinum igitur ad hunc honorem elatum, alius pro tribunali comparens, in crimen vocat, tum quod erat Chriſtianus, tum quod Imperatoribus non immolaſſet &c. ] Atque Spartianus in Adriano inquit: [ Nulli vitem, niſi robuſto, & bonæ famæ daret, nec tribunum niſi plena barba faceret, ] ideſt, centurionalem honorem nonniſi viro robuſto &c. quare clema iſtud, ſive vitis in tali decore apud milites erat, ut ſi ea percuteretur, nullum opprobrium ei afferret: hinc Plinius dixerat: [ Centurionum in manu vitis, & opimo prædio tardos ordines ad lentas perducit aquilas, atque etiam in delictis pœnam ipſam honorat, lib. 14. cap. 1. ] Sicut hodie pro dedecore apud milites habetur, ſi baculo aliquis eorum percuteretur, ſecus vero ſi in baculo erit ferrum conjunctum. Imo ſi miles, dum vite a Centurione percutiebatur, illam frangebat; tunc pœna capitis plectebatur. [ Si miles vitem tenuit, militiam mutat; ſi ex induſtria fregit, vel manum Centurioni intulit, capite punietur, ff. de re militari. [ Nam pigri milites hac vite a Centurione mulctabantur. Unde Juvenalis, ſatyr. 8.

Nodoſam poſt hæc frangebat vertice vitem,
Si lentus pigra muniret caſtra dolabra.

Itaque Vitis pro Centurionis dignitate accipiebatur. Martial. lib. 10. epigr. 26.

Vare Paretonias Latia modo vite per urbes
Nobilis, & centum dux memorande viris.

Et Lucan.

——— Ibi ſanguine multo
Promotus latiam longo gerit ordine vitem.

Vitaliani. FR. hæretici, contra quos ſcripſerat S.

Ephrem Syrus. Baron. in Notis ad Martyrol. 1. Febr. lit. *g*.

VITERBIENSES Troſſanum Hetruriæ Civitatem devaſtarunt. Vide *Troſſulus*.

VITERBIUM. Vide *Bitervum*.

VITIS. Vide *Helix*.

VITIUM LITIGIOSI CONTRACTUS. FR. de hoc legali termino mentionem facit Innoc. III. in decretal. lib. 2. tit. 16. cap. 3. & ibi fuse Gloſſa, ac Poſtillator, §. Litigioſi; & tunc contrahi dicitur cum quis rem litigioſam in judicium deductam, de cujus dominio movetur quæſtio inter actorem, & reum, transfert in alium lite pendente, ſive ſint res, ſive actiones, Cod. de liti, l. ult. in princ. & in auct. ibi poſita.

VITTA. Vide *Mitra*, *Nimbus*, *Velum*.

VITUPERO, *onis*, Vituperator: [ Cui datum eſt ſaltibus gloriæ proterere poſſe cervices vituperonum. Sidon. lib. 4. epiſt. 12. ] Ac alibi idem: [ Sed plus cavendum eſt, ne in aliquos forſan incidamus vituperones, lib. 8. epiſt. 1.

VIVARIENSE MONASTERIUM. FR. in Gallia a Caſſiodoro erectum. Baron. in notis ad Martyrol. 1. Maji lit. *d*.

VIVENTES. Vide *Superi*.

VIX. FR. hæc particula non impoſſibilitatem, ſed difficultatem importat, ff. de jud. l. vix certis, Cod. de pœn. l. incredibile. De clericis non reſiden. cap. 6. [ Ut ex prædeceſſoris noſtri Clementis Papæ III. decretali colligitur evidenter: dicendo enim, quod talis res vix contrahendo matrimonio impedimentum afferret, velle videtur, quod afferat: nam quod vix fit, fieri tamen dubium non exiſtit, cap. 2. de cognat. ſpirit. in ſexto. ] Quod Clementis decretum habetur in cap. contracto matrim. eod. tit. in decretal. ubi ſic dicitur: [ Utrum ſi conſtaret vera eſſe, quæ diximus; non ideo tamen contractum matrimonium ſolveretur: quæ res vix contrahendo matrimonio impedimentum afferret. ] Ac etiam in ſenſu *Numquam* reperiri particulam *Vix*, in can. miratus, diſt. 93. ibi aſſerit Gloſſa.

UKIL. Vide *Satrapa*.

ULCISCOR. FR. pro caſtigo: [ Charitatem vero tuam (ut hoc competenti ſollicitudine debeat inſequi, vel ulciſci) noſtræ præceptionis auctoritate volumus communiri, can. Auguſtino, 12. qu. 2. ] Et alibi: [ Juſtitia eſt, non quia iniqua eſt ultio, quam lex ſtatuit; ſed quia vitioſa libido ulciſcendi, magiſque ad Judicem pertinet hoc inter homines diſcernere, quam bonum hominem ſibi expetere, can. ſex differentiæ, 23. qu. 3. ] Vide *Vindico*, & *Vindicta*.

ULTRA. FR. hæc propoſitio in Sacr. Scriptura *Amplius* ſæpe ſignificat. [ Nec exercebuntur ultra ad prælium. Iſai. 2. 4. Non igitur ultra percutiam omnem animam, ſicut feci. Geneſ. 8. 21. Nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii. Ibid. cap. 9. 11. Et non erunt ultra aquæ diluvii ad delendum univerſam terram. Ibid. verſ. 5. Ceſſaverunt tonitrua, & grando, nec ultra ſtillavit pluvia ſuper terram. Exod. 9. 33. Et humiliati ſunt Philiſthiim, nec appoſuerunt ultra in terminos Iſrael, 1. Reg. 7. 13. Et ultra non addidit Rex Ægypti, ut egrederetur de terra ſua, 4. Reg. 24. 7.

UMBILICUS, quidquid in aliquo rotunditatis medio prominet, ex voce *Umbo*, de qua ſuo loco. Accipitur etiam pro lapide in culmine fornicis. [ In Eccleſia B. Petri ad cooperiendum umbilicum confeſſionis, fecit cooperculum ex auro, penſantem libras tres. Anaſt. Biblioth. in Benedict. III. ] In aliquibus codicibus mendoſe legitur *Billicum*. FR. ſic apud Torrigium legitur de Cryptis Vaticanis, impreſſ. ſecunda, pag. 461. ] Sta poſto nel mezzo in terrà l'antichiſſimo forame di forma quadra, chiamato Billicum da Anaſtaſio in Benedetto Terzo, del quale così dice: In Eccleſia B. Petri Principis Apoſtolorum, nutritori ſuo præ nimio ardore exardeſcens ad cooperiendum billicum confeſſionis fecit ex auro puriſſimo penſans libras tres. Da San Germano nella lettera ſcritta a Papa Ormiſda, vien chiamato Cataracta con tali parole; Præcipite, & (ſi fieri poteſt) ad ſecundam cataractam ipſa ſanctuaria deponere. Deveſi ſapere, che ivi erano due forami, uno ſotto all' altro: il primo chiamavaſi prima cataracta, il ſecondo, che era più vicino al corpo di S. Pietro, ſecunda cataracta, ſopra il quale calandoſi alcuni veli, chiamati Velamina, Palliola, Brandea, Sanctuaria, & Patrocinia. ] Alia ſynonyma. Vide in dict. *Brandeum*. Sequitur ibidem Torrigius, inquiens: [ Si mandavano da Pontifici a gran Perſonaggi per pretioſiſſime reliquie di S. Pietro. Scrive S. Gregorio Turoneſe nel lib. 1. c. 28. de Glor. Mart. che quei veli &c. Ecco le ſue parole: Quod ſi beata auferre deſiderat pignora, palliolum aliquod momentana penſatum jacit intrinſecus, deinde vigilans, & jejunans devotiſſime deprecatur, ut devotioni ſuæ virtus Apoſtolica ſuffragetur. Mirum dictu! ſi fides hominis prævaluerit, a tumulo palliolum elevatum ita imbuitur divina virtute, ut multo amplius, quam prius penſaverat, ponderaret. ] Affirmat inſuper, quod lamina plumbea adhuc conſervatur ibi, quam ad cooperiendum prædictum umbilicum Alexander III. fieri juſſerat. Et inferius agens de oleo balſami, quod ante Principis Apoſtolorum depoſitum ardebat, ſic inquit: [ *E' coſa degna da notare, che ne' tempi andati, avanti l' Altare di S. Pietro ardeva di continuo balſamo, eſſendogli ſtata laſciata da Conſtantino una poſſeſſione nelle parti di Babilonia, d' onde ogn' anno &c. Vediamo quel che ne ſcrive il B. Pietro Damiano, lib. 3. epiſt.* 20. In Babyloniæ partibus poſſeſſionem Apoſtolica Sedes habebat, unde tantum balſami redditum per annos ſingulos capiebat, quod indeficienti fomite ſufficeret lampadi, quæ videlicet ante Altare B. Apoſtolorum Principis rutilabat, appenſa. Quam poſſeſſionem accepta pecunia Papa diſtra-

ſtraxit, canonemque aromatis, quem recipere ſolebat, amiſit. Aliquanto tempore poſt, cum idem Papa prædicto Sacroſancto Altari, quaſi devotus aſſiſteret, & oraret, ecce quidam terribilis, & grandævus ſenex, in cujus etiam facie barbiraſium videbatur, & elato brachio colaphum ſibi vehementer incuſſit, & ait: Tu extinxiſti lucernam meam ante me, & ego extinguam lucernam tuam ante Deum; moxque diſparuit. Ille vero protinus corruit, & paulo poſt diem clauſit extremum.] Itaque Umbilicus lapidem ſignificat, qui continet compagem, & coagmentationem fornicis ſeſe forficum modo interſecantem, ſic & in forfice umbilicus nominari ſolet; ita Budæus in Ariſtotelem de Mundo, apud Henricum Stephanum in ſuo Theſauro Græco dict. ὄμφαλος. Item moraliter *Umbilicus* in Sac. Scriptura pro peccato carnalitatis ſumitur: [ Libido enim in umbilico dominatur mulieribus, ſicut lex divina dicit: Non eſt præciſus umbilicus tuus, quaſi diceret, non eſt amputatum peccatum tuum. Nam & matrix illic catenata conſtringitur, unde & epinephridia eodem loco firmandis fœtibus opponuntur. Fulgent. lib. 2. Mythol. de Hercule, & Omphale.] Vide *Umbo*.

Umbo, nis. FR. proprie ſignificat quidquid prominet, & extumeſcit; hinc Umbo dicitur pars clypei eminentior, item eminentior pars frugum, uti pyri, & fici. Theſaur. Græc. Henrici Steph. in dict. ὄμφαλος. Item pars eminentior in monili, aut anulo, ideſt, gemma inciſa. Plin. lib. 37. cap. 5. Sic montium umbones, Plutarch. in Lycurgo dixit. Item marini fluctus exuperantes a Statio in Achilleide ita nuncupantur:

—— —— Undiſonæ, quos circuit umbo Maleæ.

Ac præter alia, quæ videre eſt apud Scaligerum in Varrone, ſignificat etiam aggeres, & agminum concurſus; unde Prudentius deſcribens magnum populorum concurſum ad Eccleſiam S. Hyppoliti, ait;

Confundit plebeja phalanx umbonibus æquis
Diſcrimen procerum præcipitante fide.

Martialem imitatus, qui lib. 3. epigr. 46. ſic cecinit:

In turbam incideris; cunctos umbone repellet.

Item ſignificat extremitatem Antiquorum tunicæ, quæ ſupra ſiniſtrum humerum collecta ligabatur, ut in antiquis ſtatuis conſpicitur, quam clare Tertullianus, lib. de pallio deſcribit, inquiens: [ Adeo nec artifice neceſſe eſt, qui pridie rugas ab exordio formet, & inde deducat in tilias, totumque contracti umbonis figmentum, cuſtodibus forcipibus, adſignet. Dehinc diluculo tunica prius cingulo correpta (quam præſtabat moderatiorem texuiſſe) recognito rurſus umbone, & ſi quid exorbitavit reformato, partem quidem de lævo promittat; ambitum vero ejus, ex quo ſinus naſcitur, jam deficientibus tabulis retrahat a ſcapulis.] Aliquando etiam locum in Eccleſia prominentem ſignificat, ſcilicet pulpitum. Torrig. de Crypt. Vatic. impreſſ. ſecunda, pag. 453. Vide *Ambo*.

Umbraculum. Vide *Apalareus*.

Umbraliter, figurate, & ſub umbra.] Quam illa hæc, quæ imaginarie tantam, & quodammodo umbraliter effingimus. Sidon. lib. 2. epiſt. 10.

Umbraticus Ordo. Vide *Nigrorum Ordo*.

Uncia. FR. monetæ valor in utraque Sicilia. [ Affirmabant quoque uncias auri a Rege innumeras acceपiſſe. Falco Benevent. in Chron. an. 1132.] Hodie adhuc in Sicilia, & in Melita in uſu eſt, & una uncia triginta tarenos continet.

Unctio Sacramentalis. Vide *Chriſma*.

Ungari. FR. *Avares* antea appellati. Ditmar. Epiſc. Chron. lib. 2. in princip. & inferius ibidem: [ Et ecce iterum Avares, ideſt, Ungari quaſi jam perpetrati ſceleris obliti, adverſum nos arma commoverant, quos adventare Dux Henricus Regi nuncians, inceptis eum itineribus revocavit.

Unguem Transversum Non Discedere. FR. Phraſis Hieron. ideſt, conjunctim, & inſeparabiliter incedere; ſic ille, epiſt. 7. Lætam commonet, ne ejus natam a ſe ſeparari permittat in nocturnis vigiliis. [ Vigiliarum dies, & ſolemnes pernoctationes, ſic Virguncula noſtra celebret, ut ne tranſverſum quidem unguem a Matre diſcedat.

Ungula, ferreum inſtrumentum, quo Martyrum Corpora lacerabantur, ita appellatum, quia adinſtar aduncarum unguium ferarum conduplicatis offendiculis formabatur; ideo *Biſulca* a Prudentio Hym. 1. appellatur, inquiens:

Illa virgas, ſecures,
Et biſulcas ungulas
Ultro fortis expectabat.

FR. Vide Latinium in Cyprianum de Lapſis, num. 6. Item accipitur pro quocumque Carnificis inſtrumento, can. Non fruſtra, 23. qu. 5.

Unguo, pro *Ungo*. Vide *Tinguo*.

Unicuba. Vide *Univira*.

Unio. FR. Concilium. [ Unio noſtræ Congregationis decernit, atque inſtituit, ut tertias, quas antiqui canones de parochiis ſuis habere Epiſcopos cenſuerunt, ſi eas exigendas crediderint, ab ipſis Epiſcopis dirutæ Eccleſiæ reparentur, can. unio, 10. quæſt. 3.] Poteſt etiam hoc vocabulum unanimitatem, & concordiam ſignificare.

Unionitæ, hæretici. Vide *Noetiani*.

Unitivus. Vide *Enoticus*. Unitus. Vide *Schoticus*.

Universalis. Vide *Anteceſſivus*.

Universitas. Vide *Pleroma*.

Univira, Mulier, quæ uni ſolo Viro nupſerit. [ Fortunæ muliebri coronam non imponit, niſi univira. Tertull. de Monogam.] Ac D. Hieronymo, epiſt. 3. ad Ocean. melius viſum eſt, mulierem ad ſecundas nuptias tranſire, quam operam meretricum exercere: [ Melius arbitrata eſt confiteri imbecillitatem ſuam,

ſuam, & umbram quandam miſerabilis ſubire conjugii, quam ſub gloria univiræ opera exercere meretricum.] Dicitur etiam *Unicuba*. Unde S. Pacianus Barcinonen. Epiſc. Hæreticos objurgans, inquit: [Vos a matris unicubæ corpore receſſiſtis, c. 3.] Eccleſiā intelligit, quæ unico tantum Chriſto Sponſo conjuncta eſt.

Univiratus, mulieris monogamia. [Nulla hujuſmodi fœminarum de bono univiratus loqui novit. Tertull. lib. 1. ad Uxorem.

Uno, verbum, pro *Unio*, de quo Tertullianus: [Et qui unum, eundemque contendunt Patrem, & Filium, jam incipiunt dividere illos potius, quam unare. Adverſ. Prax. c. 27.

Unum. FR. hæc dictio a Chriſto Domino prolata, diverſimode circa diverſa intelligitur, quando, nempe, ait: [Non pro eis autem rogo tantum; ſed & pro eis, qui crediturì ſunt per verbum eorum in me: ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te: ut & ipſi in nobis unum ſint. Jo. 17. 20.] quod ſic exponit Innocent. III. in decretal. [Cum ergo veritas pro fidelibus ſuis orat ad Patrem: Volo (inquit) ut ipſi ſint unum in nobis, ſicut nos unum ſumus: hoc nomen unum pro fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur unio in gratia; pro perſonis vero divinis, ut attendatur identitatis unitas in natura &c. c. damnamus, de ſumma Trin. & fide Cath.] Contra opinionem Joachimi Abb.

Unus, in Sac. Scriptura hoc vocabulum non raro prioritatem ordinis ſignificat. [Factum eſt veſpere, & mane dies unus. Geneſ. c. 1.] ubi *Unus* primum ſonat, & in eodem ſenſu, ibid. c. 2. legitur: [Nomen unius Phiſon.] Ideſt, nomen primi erat *Phiſon* Nam immediate ſequitur: [Nomen ſecundi Gehon.] Sic Evangeliſta Marcus, c. 16. de Chriſti Reſurrectione agens, inquit: [Una Sabbatorum,] ideſt prima hebdomadis die, quæ fuit Dominica. Sic etiam Apoſtolus 1. Corinth 16. fidelibus commendans eleemoſynam, inquit, ut illam in die Dominica colligerent, quando fideles nempe ad audiendum Sacrum in Eccleſiam convenirent: ſub his verbis: [Per unam Sabbati unuſquiſque veſtrum apud ſe reponat, recondens, quod ei bene placuerit. [Et in eodem ſenſu in ejus Regulis S. Pachomius: [Qui ad unam orationem tardius venerit,] ſcilicet ad primam orationem.

Vocatus, nomen ſubſtantivum, quod vocationem ſignificat: [Si in vocatu, nec in ſacrificiis ſit titulus officii, & operæ meæ expunctio. Tertull. de Idol. c. 16.

Vocibilitas. FR. Objurgatio. [Ut nullus audeat confugientes ad Eccleſiam, vel reſidentes inde vi abſtrahere, aut quidcumque vocibilitatis, vel damni, ſeu ſpolii reſidentibus in loco ſancto inferre, can. difinivit, 17. qu. 4.

Volatile, pro Angelo: [Volatilia Cœli ſemper vident faciem Patris mei. D. Ambroſ. lib. 2. Hexam. cap. 4.] In eodem ſenſu Job, c. 28. de Sapientia inquit: [Abſcondita eſt ab oculis omnium viventium, volucres quoque Cœli latet.

Volax, ideſt, velox. [Atque, ut volaces greſſus acceleret, exhortatur. Petr. Damian. lib. 3. ep. 8.

Volucris, ideſt, Angelus. Vide *Volatile*.

Voluculum: volumen, conglobatio: [Detractamque a ſummo unam gemmis coruſcantibus crucem ad terram dejecit, collectiſque velulis, ac palliolis de circuitu parietum pendentibus unum voluculum fecit. Greg. Turon. lib. miracul. c. 2.] Vide *Volumen*.

Volumen. Vide *Biblia cratis*. Contos in dict. *Contacium*. Vide *Opiſthographum*, *Botula*, *Voluculum*.

Volutabrum. FR. limus, in quo porci revolvuntur. [Et velut ſues in volutabris everſi, can. hi, qui al. tario, diſt. 1.

Voraginatus. FR. in profunditatem merſus. [Is quidem ſane circa principia ſui ſolo paluſtri voraginatus, & veſtigio inſpectoris inadibilis eſt. Sidon. lib. 2. epiſt. 28.

Voratrinus. FR. hoc vocabulum corrupte in Tertulliano, & male in caſu recto a Calepino ſpeculatum in dict. Voratrina exponitur, ubi ſic inquit: [Voratrina officina vorandi: guloſus homo. Tertull.] Sed unde habet, quod voratrina ſit officina vorandi? ac quælibet caupona, taberna, coquina eſt officina devorandi: aut quando guloſus homo appellatus eſt caupona, taberna, & coquina? eſt enim impropria locutio; nam hujuſmodi officinæ non devorant, ſed præbent devorandi materiam, & talis differentia eſt inter voracem, & officinam vorandi, qualis eſt inter recipientem, & præbentem; guloſus non derogat, ſed devorat. Ergo impropria Calepini applicatio. Sed veniamus ad Tertulliani verba; ſic enim ille, cap. 39. Apolog. [Nam inde non Epulis, non Potaculis, nec ingratis Voratrinis diſpenſatur, ſed Egenis.] Ubi ſermo eſt non de inſtrumentis, materiis, vel officinis ad comedendum, & bibendum; ſed de perſonis loquitur; & primum dictio *Epulis* legi debet *Edulis*; nam Eduli teſte Iſidor. in Gloſſa guloſos voratores ſignificant. *Potaculis* ideſt, Bibaculis a frequentia potandi. Item *Voratrinis* ejus nominativum non faceret Voratrina, ut Calepinus excogitavit, ſed Voratrinus, ſicut econtra in eodem ſignificatu *Carnivorus* guloſus dicebatur. Senſus igitur Tertulliani talis eſt, nempe, quod non diſpenſatur edulis, bibaculis, & ingratis carnivoris, ſed egenis. Igitur *Voratrinus*, ſeu potius Carnivorus in recto caſu, & non Voratrina, ut excogitavit, Calepinus, dici debet. Vide *Ambro*.

Votarea, vocabulum mendoſum apud Anaſtaſium Biblioth. in Conſtantino, ubi ſic ait: [Omnis cœtus Romanæ Urbis imaginem, quam Græci votaream vocant, ſex continentem ſanctas, ac univerſales Synodos, in Eccleſia B. Petri erexerunt.] Quam vocem

cem aliqui corrigere crediderunt *Pancarea*; ſed talis lectio magis obſcura, ac corrupta redditur. Legendum ergo potius *Pinacorea* ex græca dictione πίναξ, quæ picturam ſignificat, & *Pinachotecam* locum ubi picturæ conſervantur, appellaverunt Vitruvius, lib. 1. cap. 2. & Plin. lib. 35. cap. 11. qui locus Italice *Galleria* dicitur. FR. Adhuc tamen hæc correctio non videtur ſatisfacere, non enim ſenſum Bibliothecarii explicat; nam dixerat *Imaginem*: ſed ſi ad imaginem adderetur *Picturam*; eſſet idem per idem, & ſic nil ulterius explicaret: magis eo crederem *Votaricea* reſtituendum ex græco vocabulo Βοτηρικὸς, ideſt, paſtoralis, ſed *Vuleja*, a græco Βȣλεία conſilium, in hac enim imagine ſymbolice ſex concilia, & paſtoralia decreta figurabantur.

Votum. FR. hoc vocabulum diverſis ſenſibus uſurpatur. Primo enim ſignificat, quando aliquis diſponit agere opus bonum, & meritorium, & tunc proprie dicitur *Deliberatio*, can. qui boni, 17. quæſt. 1. & can. integritas, 32. quæſt. 2. quod ſi non poneretur in executione, eſſet tantum veniale: ſed ſi firmiter bonum illud exequi ſtatuit, tunc dicitur *Propoſitum*, a quo ſi recedit, ſecundum aliquos peccat venialiter, ſecundum Hugonem mortaliter; ſed a voto, quod verbis exprimitur, ſive cum ſolemnitate, ſive ſine ea non licet recedere ſine mortali peccato ſecundum omnes, ut extrav. cap. qui cler. & voven. De qua re vide fuſius Gloſſam in can. quod autem, 27. quæſt. 1. & Gloſſam in can. quod voventes, ibid. ubi declarat, quid ſit ſolemne votum, & quid ſimplex. Item Gloſſa in can. nubentes, diſt. 27. quæ tribus modis ibi aſſerit ſolemnizari votum. Gloſſa in can. Nuptiarum, eadem 27. quæſt. 1. verbo. Sed etiam ait, quod votum non ſimplex, ſed ſolemne dirimit matrimonium. Gloſſa in can. quod voventes, 27. quæſt. 1. ubi etiam declarat, quid ſit ſolemne, & quid ſimplex. Item *Votum*, & *Dies votorum* dicitur matrimonium, l. ſi quis Longobardus, 3. de ſucceſſione, & in jure Canonico in eodem ſenſu reperitur;] Si vero ad ſecunda vota idem vir, & uxor non migraverint, c. 9. de teſtibus, & atteſt.] & in decretali de ſponſalibus, c. 5. [Ad alia vota transferre.] Item votum pro voluntate. Gloſſa in can. magna pietas, de pœnit. diſt. 1.

Vox Molæ Non Audiri. FR. hæc ſcripturalis phraſis penuriam victus ſignificat: [Perdam ex eis vocem gaudii, & vocem lætitiæ, vocem ſponſi, & vocem ſponſæ, vocem molæ. Iſai. c. 25.] Et in eodem ſenſu: [Vox molæ non audietur in te amplius. Apocalypſ. c. 18.

Urbanus Papa VIII. commendatus. Vide *Icona*, *Speculator*.

Urbicarius, Actor, & Recitans in quadam Comœdia, quæ *Urbicum* dicebatur, quia in ea continebantur elegantiæ, & urbanitates juvenili honeſtati adaptatæ. [Denique Beatinius augur dicere ſolitus erat, diverſarum urbium honores ſimiliter peragi urbicario mimologo. Fulgent. lib. 2. mythol. in Ixione.] FR. In aliquibus tamen Codicibus legitur: [Diverſarum urbium honores ſomnialiter peragi rubricario mimologo] :||: *Suburbicarius* autem apud Eccleſiaſticos Scriptores intelligi ſolet de Eccleſiis extra Urbis mœnia, ſed in ejus diſtrictu exiſtentibus, ſic *Epiſcopus ſuburbicarius*, & *Eccleſia ſuburbicaria* dicitur. Suntque ſex Epiſcopatus dignitati Cardinalitiæ adnexi, quorum juriſdictiones ad ſuburbana Romæ loca antiquitus extendebantur, ut in Ciaconio refertur.

Urbicus, FR. qui Romanam urbem incolit; idem ac Urbanus: cum enim Martialis dixerit, lib. 1. epigr. 32.

Urbanus tibi Cæcili videris:
Non es, crede mihi: quid ergo es? verna es,
Hoc quod tranſtiberinus ambulator &c.

Inferius ſubdit:

Quod non optimus urbicus Poeta:
Quare deſine jam tibi videri,
Quod ſoli tibi Cæcili videris.

Sic etiam *Epiſcopum Urbicum* Cyprianus, epiſt. 4. Pontificem Romanum appellavit; ſic Zepherinum Pontificem Optatus Milevit. appellavit, & Presbyteri Romani *Sacerdotes Urbici* a D. Ambroſio, epiſt. 31. denominantur; eodem pacto in Concilio Arelat. I. can. 1. Diaconi Romani vocantur *Diaconi Urbici*. Et Optatus Milevit. lib. 2. de incolatu nonnullorum Romæ Donatiſtarum ſic ait: [Quia quibuſdam Afris urbica placuit commoratio.

Urbs Regia, Conſtantinopolis appellata fuit: [Frater, & Coepiſcopus noſter Marinianus ad Urbem regiam pro Eccleſiæ ſuæ utilitatibus Diaconum ſuum ſe velle transmittere ſcripſit. D. Gregor. lib. 9. epiſt. 14.] Quam Conſtantinus Magnus anno ſalutis 350. ædificavit, & Beatæ Virgini, ut refert Nicephorus, lib. 8. cap. 6. dicavit, atque hujus Urbis natalem ad diem 10. Maii quotannis celebrari refert Menologium Græcum. FR. Zoſimus in ejus hiſt. nova uti Idolatra, & Conſtantini Imperatoris inimicus inter alia commenta, quæ de illo excogitaverat, lib. 2. refert hunc pium Imperatorem ædificaſſe in Conſtantinopolitana Urbe templum, quod Rheæ Deorum Matri dicaverat. Sed mentitur, quia Deiparæ, ut ſupra ex Nicephoro conſtat, conſecravit. Atque ibidem ſic de hac Urbis ædificatione narrat Zoſimus: [Senatus, atque populi odium incurrit, (*ideſt*, *Conſtantinus*) Quumque profertas ab omnibus, prope dixerim, execrationes haud ferret, quandam Romæ partem quærebat, in qua palatium ipſe ſibi conderet. Itaque cum iſſet in Troadem, & priſcum illud Ilium, invento loco Urbi condendæ idoneo, fundamenta jecit, & muri partem aliquam in altum egit, quam adhuc videre eſt, ſi qui verſus

ſus Helleſpontum navigent? ſed quod cum hujus operis inſtituti pœnituiſſet, eo relicto, ut erat imperfectum, Byzantium conceſſit, cujus Urbis ſitum admiratus, eam quam maxime ſtatuit amplificandam.] Qua occaſione nonnullos erraſſe admonendum, qui Helleſponticæ Trojæ ruinas, quæ adhuc ibi viſuntur, eſſe putant antiquiſſimi Ilii ab Homero decantati: verum nonniſi memoriæ ſunt mœnium a Conſtantino Magno inceptarum, ut ex prædicto Zoſimi loco conſtat. :||: De hac Urbis Regiæ magnificentia ita Suidas inquit: [Conſtantinopolis tanto eſt aliis Urbibus major, quanto Roma eſſe minor videtur.] Hæc tamen ſæcularis æmulatio in Eccleſiaſticam præſumptionem tranſierat. FR. Sed tragicum finem ex juſta Dei vindicta Patriarchæ Conſtantinopolitani ſuperbia obtinuit, qui denegans Summi Pontificis manus oſculari, nunc ſub tyrannico Turcarum jugo gemens extremitatem illius Tyranni manicæ deoſculari cogitur; ac ea miſeranda Urbs, quæ proceſſionem Spiritus Sancti a Filio negabat, in feſto ejuſdem Sancti Spiritus a Turcis ſubjugata fuit, & quæ a Conſtantino Magno Helenæ filio ſuos natales agnovit, ſub altero, & ultimo Græco Imperatore Conſtantino etiam Elenæ filio ſua funera deploravit. Vide *Diptychum*, *Pileus*. Itaque Regia Urbs dicta fuit ad differentiam Urbis Pontificiæ, quæ ab eodem Magno Conſtantino Pontifici conceſſa fuit. Vid. *Roma*. Locum canonis, in quo de hoc vocabulo fit mentio, a Gloſſa male intellectum. Vide *Regia*.

Urceolus, ampulla. Vide *Gemillio*, *Orzoli*, *Urceus*.

Urceus, vas, quod pro ſepulchro etiam uſurpatur. [Nam mirum in modum, dum oſſa illa ſancta levarentur, ut urceo novo imponerentur, columba deſcendens cœlitus viſa eſt in ſummitate urcei illius deſcendere. In vita S. Domitiani Ducis.

Urephotrophium. FR. idem ac Brephotrophium, ut ſuo loco dictum eſt, nempe, infantium hoſpitale, ſeu nutritorium; nam βρέφος græce infantem ſignificat: de quo loco meminit Imp. in l. illud, §. 1. C. de Sacroſanct. Eccl. ubi Codices paſſim mendoſi reperiuntur.

Urias. FR. nomen hebraicum, quo appellatus eſt ille, quem propter pulchritudinem Berſabeæ ejus uxoris David occidi juſſerat, 2. Reg. 11. & 12 *Urias* ergo interpretatur lux mea Dei. Ita Rupert. Abb. lib. 11. de divin. officiis; cap. 1. D. Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum Manich. cap. 87.

Urogallus. Vide *Tetrao*.

Ursus, in ludis. Vide *Torneatrix*.

Usaticum, uſitatum, ideſt, datium, quod ſolvebatur in tranſitu pontis Rhodani fluminis, quod etiam *Portorium* dicebatur, ut in vita Sancti Joannis Benedicti Epiſcopi apud Theophilum Raynault inter Sanctos Lugdunenſes legitur.

Ustriculæ, ferrea inſtrumenta candentia, quibus comburebantur pili in mento creſcentes, ut juvenilis aſpectus oſtentaretur. [Adhuc ſuſtinet patiens certe jam uſtriculas. Tertull. de pall. cap. 4.

Usuarium. FR. uſus, ſeu uſusfructus. [Quod cum inter eos ex una parte, ac hoſpitalarios ex altera ſuper uſuario cujuſdam memoris quæſtio verteretur. In Decretal. de Arbitris, cap. 4. & ibi Gloſſa.

Usufructuarius. Vide *Gaphans*.

Usura. Vide *Seſcuplum*. FR. Permittitur ab Imperatore quarta centeſimi, ideſt, quatuor pro centenario, can. hoc jus, 10. qu. 2.

Usurpator. Vide *Incubator*.

Usurpo. FR. [Uſurpare tunc dicitur, cum quis ſibi vindicat, quod ad ipſum non pertinet. Gloſs. in can. multi corriguntur, 2. quæſt. 1.] Item ſignificat procurare: [Uſurpavi, ut mecum infans in carcere maneret. In Paſſione SS. Perpetuæ & Felicitatis per Lucam Holſtenium edita.

Usufructus. Vide *Regundus*, *Precaria*, *Uſuarium*.

Uter. Vide *Aſcopera*, *Hyſtera*, *Nablum*.

Utlagor. Vide *Utlagus*.

Utlagus. FR. interdictum, ex voce Saxona *Utlaga*, ideſt, extra legem. [De cætero non receptabo Utlagos. Matth. Pariſ. ann. 1211.] Apud quem etiam *Utlagor* verbum in eadem ſignificatione repetitur: [Nullus aut utlagetur. Ibid. ann. 1216.

Ut, Re, Mi, Fà, Sol, Là. Muſicales notæ non a Paulo Diacono collectæ, ut aliqui credunt; ſed a Guidone Abbate, Græcos imitante, inventæ, qui Græci etiam ſyllabis pro muſicalibus notis utuntur. Bene tamen hoc ſyllabarium muſicale Guido ex prima ſtropha hymni excerpſerat, quem in honorem S. Joannis Baptiſtæ Paulus Diaconus compoſuerat, occaſione recuperandi vocem, ob raucedinem deperditam, cum debuerat Præconium Paſchale canere, ut Durandus, lib. 7. c. 14. refert. Quæ ſyllabæ ex verbis ejuſdem Strophæ excerptæ, ita manifeſtantur.

UT queant laxis REſonare fibris
MIra geſtorum FAmuli tuorum,
SOLve polluti LAbii reatum
Sancte Joannes.

Eaſdem notas quemdam Poetam recentem in diſtichum comprehendiſſe refert Voſſius, nempe:

Cur adhibes numeros, cantumque labori?

Canto vero reſpondet:

UT RElevet MIſerum FAtum, SOLitoſque LAbores.

FR. Thedaldus Aretinus Epiſcopus Thedaldi Ducis, & Marchionis Etruriæ filius, ac Comitiſſæ Matildis Avunculus, Præſul innocentiſſimæ vitæ, incumbens documentis Guidonis Abbatis de anno 1009. ut ſcribit Donaizonus in vita Matildis, notas muſicales renovavit.

Vtilis Persona. FR. ideſt, perſona fide digna. [ Si autem venditor negaverit, ut non ipſum caballum, vel bovem vendidiſſet, & illi, in quorum præſentia venditur, fuerint perſonæ utiles quibus credatur abſque crimine, non habeat licentiam venditor negandi; ſed illæ tres ſi non fuerint fide dignæ perſonæ, præbeant ſacramentum &c. In Capitulare Sicardi apud Camillum Peregrinum in hiſtor. Longobard. Princip. cap. 15.

Vvacta, ſpecula, ex voce germanica *Vvcht*, ideſt, ſpeculator. [ Nec pro Vvacta, nec de ſacra heribannum Comes exactare præſumat. In Capitul. Caroli Magni, lib. 3. c. 68.

Vvaldora. FR. nemus. [ Statuimus etenim, ut animalia, & peculia ex ipſa Monaſteria omni in tempore pabulum, & eſcam habere debeant per ſilvas vvaldoras, & per ſingulas Civitates noſtras &c. In Bullar. Caſin. tom. 2. conſtit. 20.] Vide *Gualdum*.

Vvalvasor. Vide *Vaſſus*.

Vvantagium. FR. habitatio, ſive potius tutela, protectio. [ Et Villanus alterius, quam noſter, eodem modo amorcietur, ſalvo vvantagio. Matth. Pariſ. ann. 1215.] Vide *Vvarantizo*, *Vvarantum*.

Vvanto, & *Vvantus*. FR. Chirotheca. Italice *Guanto*, G. pro V. mutata litera. [ Abbas omnino provideat, ut unuſquiſque Monachorum habeat vvantos in æſtate, & muffulas in hyeme vervecinas. In addit. Conſtit. Caroli Magni, cap. 12.] Vvanto autem Bullar. Caſin. habet, tom. 2. conſtit. 52. 75. 95. 137. & alibi paſſim. Vide *Chirotheca*.

Vvarantizo. FR. protego, defendo. [ Omnes terras, & poſſeſſiones ſuas, quas habuerat amplas, in cineres, quas Rex vvarantizare nec valuit, nec potuit, redegerunt. Matth. Pariſ. ann. 1257.

Vvarantum. FR. patrocinium, defenſio. Idem Pariſius.

Vvarda. FR. cuſtodia, Italice *Guardia* dicitur: [ Puellas nobiles, & alias mulieres nobiles cum Vvardis, & Maritagis ſuis diſpar agant. Matth. Pariſ. ann. 1230.] In textu tamen conjunctim *Diſparagant* legitur, quod puto mendoſe. Melitenſes *Vvarda*, roſam appellant, quia aculeis cuſtoditur.

Vvaregnangus. Vide *Vvargus*.

Vvargus, vagus, exul [ Vvargus ſit, uſque in diem, qua cum parentibus defuncti convenerit, & ipſi pro eo rogent, ut inter homines ei liceat accedere. In lege Salica, tit. 38.] FR. Dicitur etiam *Vvaregnangus*. [ De Vvaregnangis nobilibus, mediocribus, & ruſticis hominibus, qui uſque nunc in terra veſtra fugiti ſunt, habeatis eos. In Capitulare Radelchiſi, cap. 12. apud Camillum Peregrinum, in hiſt. Princip. Longobard.

Vvarnio; Equus canterius, ſive caſtratus, ex germanica voce *Vaarn*, quæ idem ſignificat; ſed in Provincia Narbonenſi *Guarigron* Ad miſſarius equus appellatur. [ Si quis Vvarnionem furaverit, in lege Salica, tit. 41.

Vvarpio. FR. cedere alteri poſſeſſionem ſignificat. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſt. 137. & alibi paſſim. Vido *Gurpio*. Quæ ceſſio fiebat cum illa cæremonis deſcripta in Bullar. Caſinen. tom. 2. conſt. 52. his verbis: [ Legitimam facio veſtituram per cultellum, fiſtucum nodatum, Vvantonem, & Vvazonem terræ, atque ramum arboris, & me deinde foris expuli, vvarpivi, & ſolito feci, & ad partem ipſi Monaſterio eis reliqui &c.] Et ibidem, conſt. 107. [ Et inſuper per coltellum, & feſtucum nodatum, & Vvantonem, ac Gaſonem terræ, ac ramum arboris &c. Vide *Fiſtucus*. *Laiſus*.

Vvarrena. FR. animalium conſeptus. [ Abbates S. Albani licentiam venandi ad tempus conceſſerant in libera vvarrena S. Albani. Matt. Pariſ. an. 1240.] Vide *Foreſta*. *Garena*. *Guarenum*. *Sarajum*.

Vvaso. Vide *Vvazo*.

Vvast, ſive *Guaſt*. FR. ideſt, Hoſpitium, Prætorium; unde *Guaſtaldi*. Vide Camillum Peregrinum de Principibus Longobar. tit. Ducum Benevent. &c. pag. 86.

Vvazo. FR. Pugnus terræ, quem venditor in ſignum venditionis tradebat emptori. Bullar. Caſinen. tom. 2. conſt. 52. 75. 95. 137. & alibi paſſim. Ubi *Vvaſo* etiam dicitur. Vide *Vvarpio*.

Vtelpho. Vide *Guelfus*.

Vveregildus. Vide *Vvirgildus*.

Vverfio. Vide *Gurpio*.

Vvida, loca vadoſa, ſeu humida. [ Et terras cultas, & incultas, pervia, & vvida. In Chronica Cameracenſi, an. 885.] Juxta tamen Gallicum ſermonem *Vuyde* locum vacantem ſignificat.

Vvinili. Ita appellabantur Longobardi. Paul. Diac. hiſt. Longob. lib. 1. c. 7.

Vvirgildus, valor, pretium [ Dominus ejus, juxta quod Vvirgildus ejus eſt, ad Eccleſiam perſolvat. In conſtitution. Caroli Magni, lib. 4. c. 14.] In quibus ſæpe de hoc vocabulo fit mentio. FR. ſignificat proprie pœnam pecuniariam, de qua. Vide *Geldus*. *Guidrigild*. In legibus tamen Aleman. lege ultima ſæpius *Vveregildus* ſcribitur.

Vultures augurant peſtes. Vide *Gypſa*.

Vvodan. FR. Fabuloſus Deus Mercurius, olim apud Septentrionales veneratione habitus. Paul. Diac. in hiſt. Longobar. & ejus adnotat. in cap. 8. & 9. lib. 1.

Uxor. Vide *Concubina*. *Contectalis*. *Conthoralis*. Uxorem duco. Vide *Navigo*. *Votum*. Uxor quæ XXII. Maritos habuerat, & ultimum matrimonium celebrans cum viro, qui XX. Uxores duxerat, ab eo tandem ſepelitur. Vide *Multinuba*.

# X

XENAGOGUS, ξεναγωγὸς, qui extraneis militibus imperat, exttaneorum dux. Dicitur & xenagus, ξεναγὼς, peregrinorum dux & princeps; pro quo reperitur & Xenarchus.

XENIUM, ξένιον, donum hoſpitibus dari ſolitum, ex voce græca ξένος, ideſt, Hoſpes. [ Fecit quod ante non fecerat Martinus. Nullius enim unquam xenium, nullius munus accepit. Sulpit. Dialog. 2. ] Reperitur etiam *Exenium* in eodem ſignificatu: [ Condito corpore quibus potuerunt aromatibus, imperialibus exeniis illud proſecuti ſunt. Balder. hiſtor. Hieroſolym. lib. 3. ] Varia xenia ab Epiſcopis exacta. Vide *Cathedraticum*. *Inſinuativum*. *Synodaticum*. *Paſtellus*. Erant etiam zenia a Clericis Eccleſiis ſolvi ſolita, quæ *Conſuetudines* a Juſtiniano Novel. 56. & 123. denominantur ea de cauſa, quia non ſacrorum canonum juſſione, ſed tantum conſuetudine quadam ſolvebantur. Item erat *Enthroniſticum* penſio quædam, quam ſolvebant non ſolum Clerici, ſed etiam Epiſcopi, dum beneficiorum, vel Epiſcopatus poſſeſſionem adibant. Synon. Vide *Bahem*.

XENIOLUM, munuſculum.

XENODOCHARIA, Hoſpitalaria.

XENODOCHARIUS, Hoſpitalarius,

XENODOCHIUM, ξενοδοχεῖον, Hoſpitium, Hoſpitale; locus ubi hoſpites recipiuntur: quare mendoſe penes quoſdam Auctores *Sinodochium* legitur. In Conſtitutionibus Leonis Imper. habetur, quod primus fuiſſet S. Zoticus, qui piam hanc inſtituerat operam pro Advenis, & Peregrinis: id tamen intelligendum eſt reſpectu Conſtantinopolitanæ Civitatis; nam prima Hoſpitalis inſtitutio fuit Hieroſolymis ab Hircano facta, ita Joſeph Hebr. lib. 1. Antiqu. cap. 2. quod etiam ab Hegeſippo, lib. 1. & Iſidoro, lib. 15. c. 2. affirmatur. Hoc inſtitutum Equites Melitenſes maxima, & admirabili diligentia ſectantur. FR. de cujus ordinis inſtituto egi in Apologia ad calumnias Hieronymi Bruſonis, cujus titulus eſt Il Valor Malteſe, Romæ impreſſus, præcipue in Reſponſ. VII. Quorum Hoſpitale Hieroſolymitanum ante adventum Gotifridi Bulionis extabat, ut ex Chronica Caſinen. lib. 4. cap. 11. colligitur. Gregorius Lambardellus in vita Servi Dei Sororis appellati inquit primum Hoſpitale in Italia poſt Barbarorum expulſionem in Senenſi Civitate fundatum fuiſſe ab hoc Sorore de anno 898. quod Hoſpitale dc *Schala* dicitur. Item Xenodochium dicitur Hoſpitium Religioſorum, ubi non habetur formatum Monaſterium. [ Quod Xenodochium, ſeu Monaſterium, quod in eodem Francorum Regno conſtitutum eſt, can. hinc eſt, 16. qu. 1. ] Quo autem tempore hoc vocabulum penes Monachos introductum fuerit, D. Aug. in cap. 16. Joannis, tract. 97. ſic refert: [ In Antiochia enim primum poſt Aſcenſionem Domini appellati ſunt diſcipuli Chriſtiani, ſicut legitur in Actibus Apoſtol. & Xenodochia, & Monaſteria poſtea ſunt appellata novis nominibus; res tamen ipſæ, & ante nomina ſua erant, & religionis veritate firmantur, qua etiam contra improbos defenduntur. ] Synonyma Xenodochii. Vide in dict. *Brephotrophium*. *Hoſpitale*. *Xenoparochus*.

XENODOCHUS, ξενόδοχος, hoſpites recipiens, ſeu Xenodochii Superior. FR: [ Hortamur, ut ibi ſingulis quibuſque temporibus rationes ſuas Xenodochi, qui in eis conſtituti ſunt, vel fuerint, ſubtiliter reddant. D. Greg. in Regiſt. lib. 3. epiſt. 24. ] Qui Sacerdotes eſſe ſolebant. [ Iſidoro Presbytero, & Xenodocho Alexandrinæ Eccleſiæ. Pallad. in Lauſiaca, c. 1.

XENAGUS. FR. hoſpitantium ductor. V. *Xenagogus, vel Guido*.

XENONES. Vide *Brephotrophium*.

XENOPAROCHUS, ξενοπάροχος. Qui nomine Reipublicæ curam habebat hoſpitandi. [ Hi quoque, qui Cuſtodes ædium, vel Archiotæ, vel Logrographi, vel Tabellarii, vel Xenoparochi, in ff. l. 50. tit. 4. lib. 18. §. 10. ] FR. Hoc officium penes Romanos Quæſtoris Urbani erat; quo ab eiſdem nil agebatur ſolemnius: unde Regibus, & Legatis ex ultimis terrarum regionibus Romam profectis publicum hoſpitium, & munera, quæ *Lautia* dicebantur, per Quæſtorem Urbanum large, & hoſpitaliter erogabantur. Germanis vero hoſpitii jus ſanctiſſimum uſque adeo erat, ut arcere hoſpites inexpiabile nefas diceretur. Idem ſervatum fuit inter Lucanos, Calabres, Corinthios, Megarenſes, & alios; ſed apud veteres nonnullos barbara, & inhoſpitalis conſuetudo extitit, inter quos numerat Alexander ab Alexandro lib. 4. c. 10. Spartas, Lacedæmones, Athenienſes, Carthaginenſes, Gamphſantes, Syros, Ægyptios, & Scythotauros. Inter Indos quoque niſi triduo divertere minime licebat, ne cives longo uſu diſſimiles mores imbuerent, & in alienas leges, rituſque tranſirent. Attamen Catholicorum meritoria hoſpitalitas eſt cæteris commendabilior, cum ipſa ſit prædeſtinationis ſignum, ſi Divo Auguſtino credendum erit, qui ita ait: [ Si agnoſcunt, quod dico, prædeſtinati in vitam æternam operibus loquantur, non vocibus: cogimur loqui vobis, quod non debuimus. Invenire enim in vobis debui, quod laudaremus, non quærere, quod admoneremus. Ecce tamen breviter dico non immemor. Agnoſcite hoſpitalitatem per quam perventum eſt ad Dominum. Suſcipite hoſpitem, cujus & tu es comes in via, quia omnes peregrini ſumus. Ipſe eſt Chriſtianus, qui & in domo ſua, & in patria ſua peregrinum ſe eſſe cognoſcit. Patria noſtra ſurſum eſt, ibi hoſpites non erimus; nam unuſquiſque hic, & in domo ſua hoſpes eſt. Si non eſt hoſpes, non inde tranſeat. Si tranſiturus eſt, hoſpes eſt. Non ſe fallat, hoſpes eſt; velit, nolit, hoſpes eſt; ſed dimittit illam domum filiis ſuis, hoſpes

pes hoſpitibus. Quare & in ſtabulo ſi eſſes, non alio veniente diſcederes? Hoc facis & in domo tua. Ceſſit tibi locum pater tuus, ceſſurus es locum filiis tuis. Nec manſurus manes, nec manſuris relinquis: ſi omnes tranſimus, aliquid quod tranſire non poteſt operemur, ut cum tranſierimus, & illo venerimus, unde non tranſeamus, opera noſtra bona ibi inveniamus. Cuſtos eſt Chriſtus, quid times, ne perdas quod erogas? De verb. Dom. ſecundum Lucam, ſerm. 32.] Et idem Sanctus Doctor in orat. de quinque hæreſib. oſtendit Loth hoſpitalitate ſalvatum fuiſſe, de quo ſic inquit: [Conſuetudine hoſpitalitis liberatus eſt a periculo Civitatis, & temporale evaſit incendium, & æternum conſecutus eſt præmium. Diſcite Chriſtiani ſine diſcretione hoſpites ſuſcipere, ne forte cui domum clauſeritis, cui humanitatem negaveritis, ipſe ſit Chriſtus.] Quam fidem in hoſpitando peregrinos Dominus nos habere voluit, ut credamus ſemper inter eos Chriſtum inveniri; unde idem Sanctus Doctor inquit: [Quid ergo ſignificat, quod ſe ire longius finxerat, cum comitaretur diſcipulis ſuis, exponens eis Sanctas Scripturas, utrum ipſe eſſet, ignorantibus? quid putamus, niſi quia hoſpitalitatis officio ad ſuam cognitionem pervenire poſſe homines intimavit, ut cum longius ipſe ab hominibus abſceſſerit ſuper omnes Cœlos, tamen ita cum eis ſit qui hæc exhibent ſervis ejus, ut cum diſcere cæperint, Domine quando te vidimus hoſpitem, & adduximus? tamquam eum, ſcilicet, qui longe abſceſſerat: reſpondeat ille, Cum uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis, lib. 2. quæſt. evangelicarum verſus finem.] Quomodo autem hoſpites ſint recipiendi? Idem Auguſt. epiſt. 148. & D. Bernardus, epiſt. 241. ad Tholoſan. referunt.

XENOTROPHIUM, ξενοτροφεῖον, locus in quo hoſpites aluntur. Vide *Xenodochium*.

XEROPHAGIA, ξηροφαγία, comeſtio rerum ſiccarum. [Oportet totam quadrageſimam jejunare xerophagiis utentes. Concil. Laod. can. 50.] Et Caſſianus de rigoroſa antiquorum Monachorum abſtinentia agens, ſic inquit: [Non enim magno corporis labore fatigatur, quia nec tanta cura inter eos parandorum ciborum, vel coctionis impenditur, quippe qui maxime xerophagiis, & homophagiis utuntur, lib. 4. c. 22.] Dicitur etiam *Xirophagia*, ut in Tertulliano, lib. de Jejun. habetur: [Arguunt nos, quod etiam xirophagias obſervamus, ſiccantes cibum ab omni carne, & omni jurulentia, & vividioribus quibuſque pomis, ne quid vinoſitatis, vel edamus, vel potemus, lavacri quoque abſtinentiam congruentem arido victui. De qua rigoroſa jejuniorum pœntientia Clemens Alexandrinus, lib. 2. pæd. cap. 2. ſic inquit: [Qui autem ſunt in ipſo flore, ac vigore ætatis, cum interdiu quidem prandium ſumpſerint, quibus convenit prandium, pane ſolo guſtato, a potu omnino abſtineant, ut ebibatur eorum ſuperfluus humor aridorum, eſu veluti quadam ſpongia exhauſtus.] Et prædictus Tertull. de Palæſtritis loquens, argute eorum exercitium *Aridam saginationem* appellat lib. 4. de pall. cap. 4. quia ſiccis cibis utebantur ante luctam, ut agilitatem contraherent.

XERSES. FR. Rex Perſarum, Darii filius, Baleus appellatus. D. Aug. lib. 18. de Civit. Dei, cap. 3. Nicolaus tamen Abramus in ejus Pharo Novi, & Vet. Teſtam. lib. 13. de Judit. dial. 2. & 15. putat eundem Xerſem fuiſſe, quem Sac. Scriptura Nabuchodonoſorem appellat.

XIROPHAGIA. Vide *Xerophagia*.

XYLOPHORIA, ξυλοφορεία, lignorum advectio: erat quædam feſtivitas apud Hebræos, cujus meminit Joſeph. Heb. lib. 3. bell. Judaici, c. 17. in qua ferebantur ligna ad Templum, fortaſſe ad conſervandum ſacrum ignem.

XYNORIS. Vide *Synoris*.

XYSTARCES, ςαρχος, Præpoſitus portici, ubi in arena luctabatur. [Xyſtarches Spiritus Sanctus. Tetull. ad Mart. cap. cap. 3.] Vide *Agonothetes*.

## Y

Y. FR. hæc litterra a Latinis in V, non raro convertitur, ut Cuprum, Cupreſſus, Sulla, Tullus, pro eo, quod Græci dicunt Cyprum, Cypreſſus, Sylla, Tyllus, Vide in princ. litt. *V*.

YCONOMUS. FR. mendoſe pro Oeconomo. Bullar. Caſin. tom. 2. conſtit. 220. & 223.

YMNUS. FR. mendoſe pro hymno. Bullar. Caſin. tom. 2. conſtit. 260.

YPERTHESMOS. FR. ὑπὲρ'θεσμος, ideſt, *Leges legimus*: erant voluntariæ pœnitentiæ, quas ultra regulæ obligationes orientales Monachi in Lauris, Monaſteriis ita appellatis, exercebant. Evagrius, lib. 1. Eccleſiaſt. hiſtor. cap. 21. Vide *Laura*.

## Z

ZABARIUM. Vide *Zaberna*.

ZABAZALA. FR. Sacerdos Sarracenus: [Cum Chriſtianis habitant Sarraceni: Sacerdotes eorum Zabazala vulgariter nuncupati. Clement. de Judæis, & Sarrac. [Vocabulum tamen male prolatum, ut bene notat, at incaute ibi corrigit Gloſſa.

ZABERNON, ζάβερνον, Saccus, de quo vocabulo ſæpe in vitis Patrum, licet aliqui capſam, ſive thecam exponant. Alii tamen ζαβαρεῖον, *Zabarium*, ideſt, armentarium, legunt. Hinc Abdias Babylonicus in vita S. Jacobi ait: [Collectis libris magis zabernas plenas

nas ad Apoſtolum attulit, lib. 4. hiſt. Apoſtol. ] In eodem loco reiteratur hæc dictio, dum de eiſdem prohibitis libris agitur, nempe: ] Ne forte odor incendii vexet incautos, appende zabernis lapides, & plumbum, & mitte in mare: ] Qui vero *Zabarium* legere malunt, hic *Zabariis*, pro Zabernis ſcribunt.

ZABULUS, ζάβυλος, Diabolus; in æolico enim idiomate ſæpe particula ζα ponitur loco διὰ, quo vocabulo S Hilarius in cap. 26. Matth. inquit: [ Furem oſtendit zabulum. ] Ita etiam in hymno S. Michaelis Archangeli legitur:

Collaudamus venerantes
Omnes Cœli milites:
Sed præcipue primatem
Cœleſtis exercitus
Michaelem in virtute.
Conterentem Zabulum.

Aliis tamen placuit, nomen Zabulus eſſe compoſitum ex particula ζα, quæ vim habet augendi conſequentem dictionem, & ex nomine βυλὴ, ideſt, conſilium; in Etymologico enim ſic notatum invenitur: [ Et particula Za, quæ vim habet augendi, & ex voce *Buli*, fit Zabulon, & eum ſignificat, qui conſilio eſt potentiſſimus: ] Ejus enim iniquis conſiliis in humanum genus multum pollet.

ZABOLICUS, Diabolicus. S. Hilarius in cap. 6. Matth. ſic inquit; Zabolicæ poteſtatis ſpiritus infertur.

ZACON, ζάκων, eſt Diacon. Vide ſupra quod dictum eſt in dictione *Zabulus*. [ Miniſterium Chriſti Zacones exercete caſte. Commodianus.

ZACONES. Lacones populi apud Leunclavivum. Vide *Tzacon*.

ZACORUS, ζάκορος, pro *Diacorus*, διάκορος, Æditivus, Dei miniſter. Auctores apud Henricum Steph. in Appendice.

ZALA. FR. deprædatio. [ Abſque homicidio, vel incendio, & deprædatione, ſeu zala de populo, & terra mea. In capitulare Radelchiſi Beneven. Princip. apud Camillum Peregrin. in hiſt. Princip. Longobard. cap. 3. ] Et ibidem, cap. 19. ] De nullo homicidio, vel præda, atque zala, ſeu incendiis retroactis fiat aliqua requiſitio, vel vindicta &c. ] Item, cap. 21. [ Excepto homicidio, & incendio, deprædatione, ac zala.

ZANCHA, dictio græco-barbara τζάγγα, calciamenti genus. [ Monachos orarium in Monaſterio, vel zancas habere non licet. Concil. Aurelian. can. 22. ] Dicitur etiam *Tzanga* in Codice Theodoſiano: [ Uſum tzangarum, atque braccarum intra Urbem venerabilem nemini liceat uſurpare lib. 14. tit. 10. ] De Præfecto Romano in Cæremoniali M. S. Benedicti Baſilicæ Vaticanæ Canonici in Biblioth. Angelica de Urbe conſervato, hæc habentur: [ Poſt eum Præfectus indutus manto pretioſo, & calceatus zanca una aurea, & altera rubea. ] Idem etiam habet Cencius Camerarius in ejus M. S. Cæremoniali. FR. Viterbii in Eccleſia S. Mariæ de Gradibus ad ſepulchrum Petri de Vico quondam Urbis Præfecti, ac Tyranni, in ejus pedibus una zanca aurea, & alia rubra quoque cernitur. Hæc dictio *Zanga* fortaſſe ex Arabico *Zapad* provenit, quæ calceos ſignificat; hinc Arabico-hiſpanice *Zapados* Hiſpani dicunt, & Familia de Zapada in Hiſpania in ejus inſigne gentilitio quinque calceos laterculis binis coloribus variatos habet.

ZANGARIUS, τζαγγάρης, Sutor, qui zangas conficit. Hiſpanice *Zapadero*.

ZARABOTANA. FR. tubus, fiſtula per quam tranſmittitur ſecrete vox ad aliquem, ne ab aliis audiatur, Italice *Ciarabotana* appellata; uſurpatur tamen in genere bombardæ. [ In iiſdem vehebantur bombardæ plurimæ, quas Zarabotanas vocant. Chalcondyla, lib. 7. ] Circa vero tempus, locum, & Auctorem hujus terribiliſſimæ machinæ, cui quodcumque propugnaculum cedere cogitur, ac ab ejus nitrato, & ſulphureo pulvere in cuniculis impoſito, & accenſo montiummet altitudines concuti, tectaque inſuper noſtro ævo per diabolicas bombarum, ut vocant, adinventiones ad ſolum corruere videntur, de harum inquam machinarum inventione variæ ſunt Scriptorum opiniones. Hujus enim mixturæ inventio a nonnullis Monacho chimico, ab aliis cuidam ſcabie infecto tribuitur. Caranza tamen, lib. 3. de re milit. cap. 2. inquit fuiſſe Colonienſem chimicum; licet Franciſcus Petrarca, & Robertus Valturius Archimedem Syracuſanum inventorem fuiſſe exiſtiment; refellitur tamen hæc opinio tanquam fabuloſa a Flavio Blondo, lib. 1. decad. 3. & Laurentio Valla, lib. 2. cap. 34. Elegantiar. & aliis apud Caranzam loc. citat. Omnes autem conveniunt, quod in præparatione ſulphuris cum aliis bituminibus, caſu ibi favilla incidente, velocitatem accendendi, & impetum materia illa ita præbuerat, ut diobolicum chimici ingenium ad bellicum opus mixturam illam eſſe valde oportunam excogitaverit. Non ſatis vero certe conſtat de tempore hujus inventionis, ac de loco, ubi primum executioni mandata ſit. Laurentius enim Valla, lib. 3. Elegantiar. cap. 14. non multum ante ejus ætatem primo viſam fuiſſe ait; ſcripſerat tamen ille de anno 1434. Platina in vita Urbani VI. (qui coronatus eſt ſecundum Baronium de an. 1378.) tempore hujus Pontificis, inquit, hoc tormentum experiri cœperant; cum quo concordant Raphael ] Volaterranus, lib. 30. Urban. Comment. qui ait hanc machinam a ſono ſtrepitoſo *Bombarda* appellatam fuiſſe, quam quidam Germanus Venetias attulerat in obſidione Foſſæ Claudiæ, ſive Clugiæ, quæ vulgariter *Chiozza* dicitur, de qua obſidione etiam Platina mentionem facit, & juxta Joannis Villani computum, lib. 1. accidit de anno 1380. quod eſſet anno ſecundo Pontificatus præfati Urbani VI. Blondus quoque idem ait, lib. 10. decad. 2. nempe, quod de anno 1379. circiter Joannes Barbadicus Venetus Dux in Clugiæ expeditione magnam copiam bombardarum

rum oſtenderat; & lib. 1. dacad. 3. idem aſſirmans, hocque inſtrumentum deſcribens, addit, quod ejus tempore auctæ fuiſſent hujuſmodi bombardæ uſque ad LX. libras, & lib. 11. ejuſdem decad. 3. hanc inventionem exaggerat, ac tandem decad. 4. lib. 11. refert, quod bombardulæ portatiles, ſive manuales, (quas vulgo *Archibugi* vocant) prima vice in exercitu Mediolanenſis Ducis Sfortiæ viſæ ſint. Veruntamen Petrarca, qui (teſtimonio Matthæi Palmerii in ejus Chronol.) obierat de anno 1374. in lib. de remediis utriuſque fortunæ, dial. 99. mentionem facit de his bellicis inſtrumentis. Item in hiſt. geſtor. Alphonſi XI. Regis Caſtellæ idem narrat, nempe, Agarenos de anno 1343. his inſtrumentis ad formam doliolorum uſos fuiſſe; quorum forma unum in Melita ad mœnia Veteris Civitatis, quæ Notabilis appellatur, vidiſſe memini, ferreum, ſcilicet, ad formam oblongi dolii circis etiam ferreis cinctum. Idem etiam de rebus ejuſdem Alphonſi in expeditione Leonis Caſtellæ refert Petrus Sublacenſis Epiſcopus. Pegna tandem in Hiſt. Familiæ Eſtenſis inventorem facit Petrum Libs philoſophum, & chimicum, de anno nempe 1396. Probatur ulterius, quod prædicta inventio fuiſſet circa eadem tempora, de quibus Auctores prædicti, & non antea, ſicut Petrarca, & Valturius opinati ſunt, quia Ægidius Columna, qui tempore Philippi Pulcri Galliarum Regis Pariſiis Theologiam docebat, in tractatu ejus de regimine Principum, lib. 3. part. 3. cap. 18. de variis bellicis inſtrumentis agens, nullam de bombardis, vel ſimilibus mentionem facit, qui tamen Rex Philippus regnare cœperat de ann. 1285.

Zasus. FR. Jeſus: [Sic me Deus adjuvet, & Zaſu patrocinia. Pithoæus in annal. Francorum.] Unde Itali quoque *Gieſù* dicunt.

Zeb. FR. hebraice lupum ſignificat. D. Au. in pſal. 82. ubi habetur: [Pone Principes eorum ſicut Oreb, & Zeb, & Zebee, & Salmana.] Sic S. Doctor interpretatur: [Oreb, ſiccitas, Zeb, lupus, Zebee, victima &c. Salmana, umbra commotionis.] Etiam Arabes Tzib lupum vocant.

Zebee. Vide *Zeb*.

Zelabilis, ſuſpicax. [Multiplicatio eorum zelabilis facta erat in oculis Ægyptiorum. Chryſoſt. hom. 1. in cap. 1. Matth.] ubi loquitur de Populo Iſraelitico, qui ſub jugo Ægyptio, propter prolis multiplicationem, ſuſpicax de aliqua rebellione apud Ægyptios extiterat.

Zelandia. FR. Inſula in Britannico Oceano, quod nomen ſignificat terram maritimam; ita Camillus Borellus de Regis Catholici præſtantia, cap. 46. num. 370.

Zelivira, mulier zelotypia erga virum affecta. [Omnis mulier zelivira eſt, quando aliena &c. Tertull. exhort. ad Caſt.

Zelo, as, & *Zelor*, *aris*, deponens, ſæpe apud Sacros Scriptores ſignificat amare cum ſtudio, ne amatus alibi divertat amorem ſuum: [Dii non zelant conjuges ſuas. D. Aug. lib. 3. de Civit. cap. 3. In eodem ſenſu:] Neque zelaveris facientes iniquitates. Pſalm. 36.] FR. Hoc tamen verbum in Sacr. Scriptura varie ſignificat; aliquando enim rectum zelum honoris, virtutis, vel religionis habere ſignificat, ut: [Quia zelatus eſt pro Deo ſuo. Num. 25. Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Iſrael. 3. Reg. cap. 19. Qui zelaverunt zelum tuum. Judith. cap. 9. Zelatus eſt legem. 1. Machab. c. 2. Zelando zelum Dei. Ibid. Elias dum zelat zelum legis. Ibid.] Aliquando tamen iraſci denotat: [Domine exaltetur manus tua &c. Et confundantur zelantes populi (*ideſt feroces*) & ignis hoſtes tuos devoret. Iſai. c. 26. Cuſtodite ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodeſt, & a detractione parcite linguæ, quoniam ſermo obſcurus in vacuum non ibit: os autem, quod mentitur, occidit animam,] nempe, licet ille detractionis, & murmurationis ſermo ſit, aeris tamen illa verberatio, & inviſibilis inſenſibiliter vulnerat ad occiſionem ſpiritualiter animam. Unde concludit: [Nolite zelare mortem in errorem vitæ veſtræ. Sapient. c. 1.] Hoc eſt, nolite occiſores eſſe vitæ veſtræ in pravis actionibus, murmurando &c. [Noli conſiliari cum eo, qui tibi inſidiatur; a zelantibus te (*nempe inſidiantibus te*) abſconde conſilium. Eccleſiaſtic. cap. 37.] Et in eodem ſenſu: [Zelatus ſum Sion zelo magno, & indignatione magna zelatus ſum eam. Zachar. cap. 8.] Sic etiam in novo Teſtamento: [Zelantes autem, (*ideſt, iraſcentes*) Judæi, aſſumenteſque de vulgo viros quoſdam malos, & turba facta, concitaverunt Civitatem: & aſſiſtentes (*hoc eſt, obſidentes*) domui Jaſonis, quærebant eos producere in populum. Actor. 17.] Et in eodem propoſito: [Unde bella, & lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiſcentiis veſtris? Concupiſcitis, & non habetis: occiditis, & zelatis: (*ideſt, iraſcimini*) & non poteſtis adipiſci: litigatis, & belligeratis, & non habetis, propter quod non poſtulatis: petitis, & non accipitis, eo quod male petatis: ut in concupiſcentiis veſtris inſumatis. In epiſt. Cath. Jacobi, cap. 4.] Aliquando *Zelo* pro invideo, & liveo ponitur. [Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem. Quoniam tamquam fœnum velociter areſcent, & quemadmodum olera herbarum cito decident. Spera in Domino, & fac bonitatem &c. Pſalm. 36.] Et clarius idem Pſalmiſta: [Mei autem pene moti ſunt pedes pene effuſi ſunt greſſus mei,] ideſt in bene incedendo, ſed cur? [Quia zelavi ſuper iniquos,] nempe, illorum invidia, quæ a bene operando me ſuſpendit: [Pacem peccatorum videns: quia non eſt reſpectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum,] ideſt merito-

rito-

ritoria pœna mortis non mulctantur, & eorum afflictio levis eſt; imo [ In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur; ideo tenuit eos ſuperbia &c. ] Cui ſic Eccleſiaſt. reſpondet: [ Non zeles (*ideſt invideas*) gloriam, & opes peccatoris: non enim ſcis, quæ futura ſit illius ſubverſio. Non placeat tibi injuria (*ideſt injurioſa vita*) injuſtorum, ſciens, quoniam uſque ad inferos non placebit impius, cap. 9. ] Et alibi idem concludit, quod æquitatis æmulatio in nos excitanda ſit, inquiens: ] Zelatus ſum bonum, & non confundar. Eccleſiaſt. 51. ] Accipitur tandem nonnumquam hoc verbum in Sacr. Scriptura pro zelotypiæ paſſione: [ Non zeles mulierem ſinus tui ne oſtendat ſuper te malitiam doctrinæ nequam. Non des mulieri poteſtatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, & confundaris. Ne reſpicias mulierem multivolam, ne forte incidas in laqueos illius. Eccleſ. c. 1. ] Quaſi diceret: ſi vir de uxoris zelotypia indignatus, illam ſinu ſuo, ac thoro privet, tunc illa inſidioſam, & iniquam ejus calliditatem merito demonſtrabit, illumque in deſperationem confundet, & oſtendet ſuper illum ideſt, ſuper caput viri, coronam adulterii, dum illam multivolam reſpiciet, nempe, in concupiſcentia multorum. Phraſis ergo Hebræa, & Arabica ſolet non raro concupiſcibiles actus cum iraſcibilibus confundere, ideo hoc verbum iu utraque paſſione uſurpatur. *Zelor* inſuper in Sac. Canonibus, & apud Sanctos Patres pro virtuali ſtudio, & amore proximi accipitur. [ Qui ſalutem zelabantur ipſius. De ſentent. & re judic. cap. 2. in ſexto.

Zelotes. ζηλότης. FR. Zelator, de quo vocabulo ſæpe in Sacr. pagina, & accipitur promiſcue, ſicut dictum eſt de verbo *Zelo*.

Zelotypia, ζηλοτυπία, æmulatio, ſuſpicio: Cicero eam vocat obtrectationem, definitque ægritudinem ex eo quod alter quoque potiatur eo, quod ipſe concupiverit. Talis enim zelus maxime locum habet in iis maritis, qui formoſas uxores nacti ſunt: & ideo pro ipſarum forma fiunt zelotypi. Et quidem non prorſus immerito: nam *pulchra cum forma rara pudicitia*.

Zelotypus, ζηλότυπος, æmulus, ſuſpicioſus in amore. Sed ſi gravis & acerba eſt mariti zelotypia, ſæviſſima eſt mulier zelotypa, Sapiente cap. 26. ita atteſtante, dum ait: *Dolor cordis, & luctus mulier zelotypa*; &, *muliere zelotypa flagellum linguæ, omnibus communicans*.

Zelus, ζῆλος, amor, æmulatio, ira juſta, ſuſpicio, invidia. Ita quippe pro vitio, & aliquando pro virtute ſumitur: ſicuti & dictio hebraica *Kinah*, ejuſdem ſignificati. [ Non ſit invidia, neque zelus inter illos, c. Cuſtos, lib. 1. Decretal. de offic. Cuſtodis.

Zema, ζέμα, ollæ ſpuma. [ Quanti vellent tingere panem ſuum in zemate, quod projiciunt coqui mei. In vita S. Joan. Eleemoſ. cap. 20. Item decoctio, ſeu decoctum.

Zendadum. FR. Italicum vocab. *Zendado*. Diction. Politi, & Cruſcæ: ſignificat textile ſericum ſubtile, quod alias etiam Italice *Tafetà*, ſive *Tafetano* dicitur. [ Sepulto itaque Domino Petro Parentio, non lapide, ſed cultra zendadi coopertum eſt modico tempore monumentum &c. ] Et inferius ibidem: [ Fecit in cultra zendadi a ſervitoribus ſuis ad ſepulchrum Martyris deportari. In paſſione S. Petri Parentii Mart. ab Ant. Stephano Cartario edita.

Zerbolaris. FR. terra ſterilis. Bullar. Caſin. tom. 2. conſt. 52. Vide *Gerbida*. *Jurnale*.

Zeta, Aula, Plin. lib. 5. epiſt. 6. FR. In aliquibus tamen codicibus habetur *Diæta*; ſed mendoſe fortaſſe. Cujacius, & Rhodiginus, lib. 12. cap. 18. quos ſequutus eſt Calepinus, zetam idem eſſe dicunt, ac diætam; verum eorum error ex ejuſdem Plinii verbis, loc. cit. eſt manifeſtus, ubi Plinius deſcribens ejus delitioſos tuſcos campos, ſic ait: [ Hac latus xyſti, & quod proſilit villæ, hac adjacentis hippodromi nemus, comaſque proſpectat. Contra mediam fere porticum zeta paululum recedit, cingit areolam, quæ quatuor platanis inumbratur. ] Et inferius: [ Eſt in hac zeta dormitorium cubiculum, quod diei clamorem, & ſonum excludit: junctaque ei quotidiana amicorum cœnatio. ] Et poſt pauca: [ Eſt & aliud cubiculum &c. ] Et inferius: [ Zeta, quæ villæ hippodromum anneſtit. ] Item inferius: [ Hac adeuntur zetæ duæ, quarum in altera cubicula quatuor, altera tria, ut circuit ſol, aut ſole utuntur, aut umbra. ] Ergo zetæ erant cubiculis contiguæ, quod non aliud quam aula dicendum fuiſſet. Baronius Anno 286. n. 9. Hermolaum Barbarum, & Cœlium Rhodiginum, lib. 12. cap. 18. ſequens, ait, quod *Zeta* ſit cubiculum capacitatis unius lecti, & duarum cathedrarum, ut ipſe Plinius, lib. 2. epiſt. 17. ait, quod tamen fortaſſe in *Zetula* verificaretur potius, quam in *Zeta*; nam hæc vox provenit a ζητέω verbo Attico, quod ſignificat quærere, & conſultare. Budæi comment. apud Rhodig. loc. cit. & ζητηταί, Athenienſes appellabant Conſultores; ita etiam fortaſſe Zetam Plinius in ejus thuſcis amœnitantibus pro delectatione academicarum quæſtionum erexerat, ſicut Cicero in ejus Tuſculano, tum quia ipſe Plinius literarum ſtudioſiſſimus, lib. 2. epiſt. 17. inquit: [ Horti zeta eſt, amores, mei, revera amores, ipſe poſui. ] Et inferius: [ In hanc ego zetam cum me recipio, abeſſe mihi etiam a villa mea videor: magnamque ejus voluptatem ecce præcipue ſaturnalibus capio, cum vel reliqua pars tecti licentia dierum, feſtiſque clamoribus perſonat. Nam nec ipſe meorum luſibus, nec illi ſtudiis meis obſtrepunt. ] Et Zetæ Palatii erant variæ, quarum

aliæ

aliæ Audientiæ loci, vel Audientiæ dicebantur; nam erat Audientia literarum, quam vulgo Secretariam, vel Datariam dicimus. Vide *Audientia literarum*. Erat ulterius Audientia, vel locus Audientiæ pro Litigantibus. ✠ Quod ex verbis Aldhelmi de Virg. c. 17. confirmatur, ubi de S. Babyla agens, oſtendit varias *Zetas*, ſive audientiarium aulas in Palatio fuiſſe, ſic inquiens: [ Tunc ad palatinas ducitur zetas, & imperialis hypodromi veſtibulum; quatenus cum Rege funeſto reciprocis conflictibus, & alternis vicibus diſputans, altercaretur.] Ubi manifeſtatur fuiſſe zetas loca Audientiarum, & diſputationum. Vide *Zichachorium*. Nihilominus dicendum eſt, quod etiam in ſenſu cubiculi aliquando hoc vocabulum uſurpatum fuerit. [ Eam forte deſpiciens zetas hymales &c. In vita S. Valburgis Virg.

ZETARIUS, ζεταρίος, aulicus, cubicularius, officialis palatii imperialis, ſive palatii Auditor, qualis fuerat S. Caſtulus Martyr, de quo Baronius ad ann. 286. n. 9. agit.

ZETECULA. FR. exigua zeta. [ Mox zetecula refugit quaſi cubiculum idem, atque aliud. Lectulus hic, & undique feneſtræ, & tamen lumen obſcurum umbra premente: nam lætiſſima vitis per omne tectum in culmen nititur, & aſcendit, non ſecus ibi, quam in nemore jaces, imbrem tantum tamquam in nemore non ſentias. Plin. lib. 5. epiſt. 6.] Hæc zetecula eſſet potius, quam Baronius ſupra ann. 286. num. 9. eandem putat eſſe ac zetam; licet aliquando zetam appellet Plin. lib. 2. epiſt. 17. de parva tamen intelligit, quam ſic deſcribit: [ Contra parietem medium zeta perquam eleganter recedit, quæ ſpecularibus, & velis obductis, reductiſve modo adjicitur cubiculo meo, modo aufertur, lectum, & duas cathedras capit.] Nam hæc parvum, & privatum auditorium eſt, in quo jacens quis confidenter accedentes audit, quam Hiſpani *Algoa*, & Itali *Gabinetto* vocant; eodem modo, quo Baronius, & Plinius hic deſcribit, quia eſt aula quodammodo; nam illi eſt contigua, & aperta ad inſtar ſacelli; nullo intermedio muro inter eam, & aulam, ſive aliud cubiculum, ut cum Plinio dicendum, quod refugiat quodammodo in cubiculum, quia eſt cubiculum, dum inter id, & zetulam nullus murus diſtinguit; & non eſt idem, quia ſeparatur, & clauditur velis; ac non amplius capax, quam unius lecti, & duarum ſedium: eſt autem ægrotantibus, ac illos viſentibus ſatis commoda, quia ægrotans non eſt ſubjectus in ejus neceſſitatibus, dum claudit vela, & eximitur a converſatione amicorum in contiguo cubiculo, ſive aula ſedentibus pro eo tempore, quo eum ægritudinis neceſſitas ad aliquod opus cogit; & vice verſa viſentes morbi contagium, ſive infirmitatis fœtorem, nec timent, nec ſentiunt.

ZEUSIPPUM. FR. ita appellatum fuit famoſum quoddam Conſtantinopolis Balneum, de quo in Codice Theodoſiano fit mentio, & cujus magnificam ſtructuram deſcripſerat Cedrenus, quod tandem flamma conſumptum fuiſſe, in orat. ad Arianos, ita D. Gregorius Nazianzenus refert: [ Nec novam illam Hieruſalem, hoc eſt Zeuſippum inviſo, imperante Juſtiniano incendio conſumptum eſt.] Fortaſſe ita denominatum, ut aliqui autumant, a conſtructore Zeuſippo, qui fuerat Macedoniæ, & Thraciæ Præfectus.

ZICHACHORIUM. FR. Domus, vox quidem Alana. [ Ad orientem pontici maris apud ipſum pedem Caucaſiorum montium juxta Abſagorum, & gentem Alanorum, quaſi ſignis quinque a prædio zichacorio, ideſt, prima domo Gregorii veri amici Chriſti Patritii, & magiſtratus ejuſdem Alanorum. In hypomneſt. Anaſtaſii per Sirmondum in 8. edit. p. 255.

ZIKA, Hæreſiarcha. Vide *Thaboritæ*.

ZIO, ſecundus Hebræorum menſis. Vide *Jair*, *Ziph*.

ZIPH. FR. Maji menſis apud Hebræos, qui partim cum Aprili poteſt concurrere. [Menſe Ziph. 3. Reg. cap. 5.] qui & *Zio* dicitur. Dionyſ. Chart. ibid. cap. 6. art. 9. Item erat urbs quædam, quæ *Ziph*, & ejus incolæ *Ziphæi* dicebantur; unde in tit. Pſal. 53. hæc habentur: [ In finem in carminibus intellectus David: cum veniſſent Ziphæi, & dixiſſent ad Saul: Nonne David abſconditus eſt apud nos?] quod habetur etiam 1. Reg. 23. 19. & 26. 1. & Auguſt. ait: [ Vicus quidam erat Ziph, cujus habitatores Ziphæi dicebantur, in quorum regione ſe abſconderat David &c. Si quæramus ergo, quid interpretantur Ziphæi, invenimus Florentes, in ſupracit. Pſalm.] Sic etiam a Beda *Ziph* florens, & germinans, & *Ziphæi* florentes, & germinantes, de nom. hebr. interpretantur.

ZIPPULA, placentula frixa, quam in quibuſdam Italiæ locis *Zeppola*, ſive *Fritella* vocant: [ Fecit de farinula lenticulam, & zippulas. Pelag. libell. 4. num. 59.

ZIZANIUM, ζιζάνιον. FR. de quo ſæpe in novo Teſtamento, eam Latini *Lolium* dixere, & Itali *Loglio*. Ita Gloſſa in c. dudum, §. Zizania, de ſepulturis in Clement. Et in Extrav. comm. ejuſdem tit. & in cap. ſuper Cathedram. Ubi pro diabolico diſcordiæ ſemine ſumitur. Sic etiam eadem metaphora in ejus Apologet. uſus eſt Ennod. Ticin. Epiſcopus inquiens: [ Marcenti ſolo lolia commendantes, recepturi pro tali impendio paleas, quibus gehennæ in perniciem veſtram ignis animetur.] A Petro Bleſenſi Aulicorum panis *Panis loliatus* dicitur: [ Ad curiales redeo, apud quos in accipiendo cibo, in equitatione, in vigiliis non eſt ordo, non eſt ratio, non eſt modus. Apponitur Clerico, aut militi curiali panis non elaboratus, non fermentatus, confectus ex cerviſiæ fœcibus: panis plumbeus, loliatus, & crudus, epiſt. 14.] Et Antiochenus hom. 48. hæc habet: [ Abſurda erat, & loliaceos demittit zizanio,

niorum fructus in combuſtionem ignis.] Divus tamen Ambroſius in Hexamer. inquit: [Lolium, & reliqua adulterina ſemina, quæ frugibus ſæpe miſcentur, zizania nuncupari Evangelii lectione cognovimus.] Calepinus in dict. *Area* confundit hanc cum lolio; de quibus tamen Plinius, lib. 18. c. 17. ſeparatim loquitur, ſic inquiens: [Lolium, & tribulos, & carduos, lappaſque, non magis, quam rubos inter frugum morbos potius, quam inter ipſius terræ peſtes numeraverim. At ibidem de Aera loquens, ait: [Aera granum minimum eſt cortice aculeato; cum eſt in pane, celerrime vertigines facit. [Calepinum ſequutus eſt Felix Felicius in ejus Onomaſt. dict. Loglio. Aeram eandem eſſe puto, quam Melitenſes *Sicrana* vocant, ideſt, *Ebriatrix:* nam vertigines in pane mixta generat, & aculeatum corticem habet juxta Plinianam deſcriptionem.

Zodia, ζώδια, zodiaci ſigna. [Alia eſt hæreſis, quæ dicit ſecundum zodia naſci homines, ſicut Mathematici illi vaniſſimi. Philaſtrius hæreſi, 121.] ubi de ſtellarum influxu loquitur. Zodiaci autem etymon. Vide apud Proclum de ſphæra.

Zona. ζώνη. Vide *Cingulum*, *Tropus*, *Ventralis*.

Zoophorus, ζωοφόρος, ſignifer, faſcia, quæ Zodiacum proprie denotat, quo vocabulo uſus eſt Panvinus ad denotandum ſuperliminare, & epiſtylium, quia tamquam faſcia ſuper columnas inhæret; licet mendoſe in ejus ſcriptis *Tophorus* impreſſum fuerit.

Zorobabel. FR. typus Chriſti, prædicatur a Procopio in Iſaiam, c. 14. Item typus Pontificis. Vide *Papa*. Quod innuere videtur S. Paſchaſius Abbas in Evang. Mat. lib. 1. c. 1. dum ait: [Cui (*ideſt*, *Salathiel*) Zorobabel quoque ſuccedit, & vocatur iſte magiſter in lingua noſtra, quatenus eorum exhibeat magiſterium veritatis, qui ſciant refellere inter caligines obſcuritatum eorum confuſiones, qui morantur in Babylonia, & peccatorum ſuorum laqueis involuti adhuc tenentur captivi. Talium enim magiſterium ideo in Eccleſia ſubrogatur.

Zupanus. Vide *Suppanus*.

Zybina, eadem ac ſybina, de qua. Vide *Sybina*.

Zygocephalia. FR. jugalia capita, ideſt, bovina. Sed in Novell. de off. Præſid. conſt. 17. §. compelles, menſuram terræ ſignificat, quæ arari poteſt ab unico bovum jugo in unico die.

Zygostates. FR. ζυγοστάτης, Æquilibrator. Julianus Imp. Mamertino ſcribens hoc vocabulo utitur.

Zyma, ζύμα, fermentum; unde *Azymum*, ideſt, abſque fermento denotat; litera enim præpoſita, A, privativam ſignificationem apud Græcos habet.

*LAUS DEO.*

SYL-

# SYLLABUS

## Græcarum vocum fere exoticarum, quæ in toto Opere continentur.

### A

| | |
|---|---|
| Ἀβάσκαντος | Abaſcantus. |
| Ἀββᾶς | Abbas. |
| Ἀβδηρόλογος | Abderologus. |
| Ἄβρα | Abra. |
| Ἀβραξας | Abraxas. |
| Ἄβυσσος | Abyſſus. |
| Ἄγαλμα | Agalma. |
| Ἄγαμος | Agamus. |
| Ἀγάπη | Agape. |
| Ἀγαπηταὶ | Agapetæ. |
| Ἀγγαρεύω | Angario. |
| Ἀγγελόπτης | Angeloptes. |
| Ἄγγελος | Angelus. |
| Ἁγιασμός | Hagiaſimus. |
| Ἁγιογράφος | Hagiographus. |
| Ἁγιομάχος | Hagiomachus. |
| Ἁγιοσήμαντρον | Hagioſimandrum. |
| Ἀγνοῆται | Agnoitæ. |
| Ἀγύρται | Agyrtæ. |
| Ἀγὼν | Agon. |
| Ἀγώνισμα | Agoniſma. |
| Ἀγωνοθέτης | Agonothetes. |
| Ἀδέλφατον | Adelphatum. |
| Ἀδιάφορον | Adiaphorum. |
| Ἄζυμος | Azymus. |
| Ἀὴρ | Aer. |
| Ἄθεος | Atheus. |
| Ἀθηνογέρων | Athenogeron. |
| Ἀθήρα | Athera. |
| Αἴθριον | Atrium. |
| Αἱμοῤῥοῒς | Hæmorrhois. |
| Αἱμοῤῥοοῦσα | Hæmorrhoiſſa. |
| Αἵρεσις | Hæreſis. |
| Αἱρετικὸς | Hæreticus. |
| Αἰῶνες | Æones. |
| Ἀκακία | Acacia. |
| Ἀκάθιστος | Acathiſtus. |
| Ἄκατος | Acatus. |
| Ἀκέφαλοι | Acephali. |
| Ἀκηδία | Acedia. |
| Ἀκοίμητα | Acœmeta. |
| Ἀκόλουθος | Acolythus. |
| Ἀκρισία | Acriſia. |
| Ἀκροστιχὶς | Acroſtichis. |
| Ἀκυρολογία | Acyrologia. |
| Ἀλαβάρχης | Halabarches. |
| Ἀλάβαστρον | Alabaſtrum. |
| Ἀλαλαγμὸς | Alalagmus. |
| Ἀλάστωρ | Alaſtor. |
| Ἀλείπτης | Alipta. |
| Ἁλιαίετος | Haliæetus. |
| Ἀλληγορία | Allegoria. |
| Ἀλλόφυλος | Allophylus. |
| Ἄλοκες | Aloces. |
| Ἄλογος | Alogus. |
| Ἀλυτάρχης | Alytarches. |
| Ἅμα | Ama. |
| Ἁμαρτιγένεια | Hamartigenia. |
| Ἄμβαρ | Ambar. |
| Ἄμβων | Ambo. |
| Ἀμφίμαλλον | Amphibalum. |
| Ἀμφιτάπης | Amphitapa. |
| Ἀμφίθυρον | Amphithyron. |
| Ἀνάβαθρα | Anabathra. |
| Ἀνάβασις | Anabaſis. |
| Ἀναβιβάζων | Anavivazon. |
| Ἀναβόλαιον | Anavolæum. |
| Ἀναθεματίζω | Anathematizo. |
| Ἀναθεματισμὸς | Anathematiſmus. |
| Ἀνάθημα | Anathema. |
| Ἀνάγλυφα | Anaglypha. |
| Ἀναγνώστης | Anagnoſtes. |
| Ἀναγνωστικόν | Anagnoſticum. |
| Ἀναγωγία | Anagogia. |
| Ἀνάδημα | Anadema. |
| Ἀναλεκτὴς | Analecta. |
| Ἀναλόγιον | Analogium. |
| Ἀναλφάβητος | Analphabetus. |
| Ἀνάργυροι | Anargyri. |
| Ἄναρχος | Anarchus. |
| Ἀναστασιμὸς | Anaſtaſimus. |
| Ἀνάστασις | Anaſtaſis. |
| Ἀναστροφὴ | Anaſtrophon. |
| Ἀναφορὰ | Anaphora. |
| Ἀναχώρησις | Anachoreſis. |
| Ἀναχωρείτης | Anachoreta. |
| Ἄνθραξ | Anthrax. |
| Ἀνθρωπομορφῖται | Anthropomorphitæ. |
| Ἀνθρωποπάθως | Anthropopathos. |
| Ἀνόμοιος | Anomœus. |
| Ἀνομοιούσιος | Anomœuſius. |
| Ἀντάρτης | Antarta. |
| Ἀντήλιος | Antellus. |
| Ἀντίγραφος | Antigraphus. |
| Ἀντιδικομαριανῖται | Antidicomarianitæ. |
| Ἀντίδωρον | Antidorum. |

| | |
|---|---|
| Ἀντίθεια | Antithia. |
| Ἀντικείμενον | Anticimenon. |
| Ἀντίκρισις | Anticriſis. |
| Ἀντίνομος | Antinomus. |
| Ἀντιπελάργησις | Antipelargeſis. |
| Ἀντιπέτασμα | Antipetaſma. |
| Ἀντίτυπον | Antitypon. |
| Ἀντίφατον | Antiphatum. |
| Ἀντύφερνα | Antipherna. |
| Ἀντυφρύγιον | Antiphrygium. |
| Ἀντιφώνη | Antiphona. |
| Ἀντίχριστος | Antichriſtus. |
| Ἀξιωματικός | Axiomaticus. |
| Ἄξιος | Axios. |
| Ἀποθέωσις | Apotheoſis, |
| Ἀποκάλυψις | Apocalypſis. |
| Ἀποκαρτέρησις | Apocartereſis. |
| Ἀποκρισάριος | Apocriſarius. |
| Ἀπόκρυφος | Apocryphus. |
| Ἀπολογία | Apologia. |
| Ἀπορέω | Aporio. |
| Ἀποσφραγισμός | Apoſphragiſmus. |
| Ἀποστάτης | Apoſtata. |
| Ἀπόστολος | Apoſtolus. |
| Ἀποτέλεσμα | Apoteleſma. |
| Ἀποφόρητον | Apophoretum. |
| Ἀποχή | Apoca. |
| Ἄπυρος | Apyrus. |
| Ἀρεόπαγος | Areopagus. |
| Ἀρετινός | Aretinus. |
| Ἀριθμός | Arithmus. |
| Ἀρκεύθινος | Arceuthinus. |
| Ἀρκτοῦρος | Arcturus. |
| Ἁρμονία | Harmonia. |
| Ἄρουρα | Arura. |
| Ἀρτοτυρῖται | Artotyritæ. |
| Ἀρχαῖος | Archæus. |
| Ἀρχιακόλουθος | Archiacoluthus. |
| Ἀρχιατρός | Archiater. |
| Ἀρχιδιάκονος | Archidiaconus. |
| Ἀρχιεπίσκοπος | Archiepiſcopus. |
| Ἀρχιερωσύνη | Archieroſyna. |
| Ἀρχίγαλλος | Archigallus. |
| Ἀρχιγέρων | Archigeron. |
| Ἀρχιμανδρίτης | Archimandrita. |
| Ἀρχιμάγειρος | Archimagirus. |
| Ἀρχίμιμος | Achimimus. |
| Ἀρχιοινόχους | Archiœnochus. |
| Ἀρχειώτης | Archiota. |
| Ἀρχιπαραφωνιστής | Archiparaphoniſta. |
| Ἀρχιπρεσβύτερος | Archipresbyter. |
| Ἀρχιστήριον | Archiſterium. |
| Ἀρχιστράτηγος | Archiſtrategus. |
| Ἀρχισυνάγωγος | Archiſynagogus. |
| Ἀρχιτρίκλινος | Architriclinus. |
| Ἀρχιφύλαξ | Archiphylax. |
| Ἄσβεστος | Asbeſtos. |
| Ἀσκητήριον | Aſceterium. |
| Ἀσκητικόν | Aſceticon. |
| Ἀσκήτρια | Aſcetria. |
| Ἀσκοπήρα | Aſcopera. |
| Ἀσπατικόν | Aſpaticum. |
| Ἄσπρον | Aſprum. |
| Ἀστερίσκος | Aſteriſcus. |
| Ἀστεϊσμός | Aſteiſmus. |
| Ἀστρολάβιον | Aſtrolabium, |
| Ἀσύνδετος | Aſyndetus. |
| Ἀσώματος | Aſomatus. |
| Ἀσωτία | Aſotia. |
| Ἄττακος | Attacus. |
| Ἀτέλεια | Atelia. |
| Αὐλή | Aula. |
| Αὐτεξούσιον | Autexuſion. |
| Αὐτόγραφον | Autographum. |
| Αὐτοκέφαλος | Autocephalus. |
| Αὐτόματα | Automata. |
| Αὐτόνομος | Autonomus. |
| Αὐτοπάθεια | Autopathia. |
| Αὐτοφόρος | Autophoros. |
| Ἀφή | Apha. |
| Ἀφθαρτοδοκῖται | Aphthartodocitæ. |
| Ἀφοπλιστής | Aphopliſta. |
| Ἄχαρις | Acharis. |
| Ἀχειροποίητος | Acheropœta. |
| Ἄωροι | Ahori. |

B

| | |
|---|---|
| Βαθύς | Bathin. |
| Βαΐς | Baja. |
| Βάναυσος | Banauſus. |
| Βαπτισμός | Baptiſmus. |
| Βαπτιστής | Baptizans. |
| Βαπτιστήριον | Baptiſterium. |
| Βαρβαρικόν | Barbaricum. |
| Βαρδαριῶται | Bardariotæ. |
| Βαρύλλιον | Baryllum. |
| Βασιλεῖαι | Baſiliæ. |
| Βασιλεύς | Baſileus. |
| Βασιλική | Baſilica. |
| Βάσταγμα | Baſtagma. |
| Βαττολογία | Battologia. |
| Βαφεῖον | Baphium. |
| Βδέλλιον | Bdellium. |
| Βῆμα | Bema. |
| Βίαρχος | Biarchus. |
| Βιβλία | Biblia. |
| Βιβλιοθήκη | Bibliotheca. |
| Βιβλιοθηκάριος | Bibliothecarius. |
| Βίγλα | Bigla. |
| Βιοθάνατος | Biotanatus. |
| Βλαχέρναι | Blanchernæ. |
| Βλασφημία | Blaſphemia. |

Βου-

| | |
|---|---|
| Βοηθός | Boetus |
| Βομβίζω | Bombizo. |
| Βορβορῖται | Borboritæ. |
| Βόσκοι | Boſci. |
| Βόσφορος | Boſphorus. |
| Βοτανομαντεία | Botanomantia. |
| Βότρυς | Botrus. |
| Βουκελλάριος | Buccellarius. |
| Βουκέλλατον | Buccellatum. |
| Βουλγαροκτόνος | Bulgaroctonus. |
| Βουλευτής | Buleutes. |
| Βουτίνοι | Butina. |
| Βουττις | Butto. |
| Βραβεῖον | Bravium. |
| Βραδύς | Bardus. |
| Βρακτέα | Bractea. |
| Βράσσω | Braxo. |
| Βρεφοτροφεῖον | Brephotrophium. |
| Βροῦχος | Bruchus. |
| Βωμολοχία | Bomolochia. |

## Γ

| | |
|---|---|
| Γαζοφυλάκιον | Gazophylacium. |
| Γαμμάδια | Gammadia. |
| Γαμμάδιον | Gammadium. |
| Γαστριμαργία | Gaſtrimargia. |
| Γαστρολογία | Gaſtrologia. |
| Γαστρομάντης | Gaſtromantes. |
| Γαστρονομία | Gaſtronomia. |
| Γαστρόφιλος | Gaſtrophilus. |
| Γενεαρχικόν | Genearchicum. |
| Γενεθλιακοί | Genethliaci. |
| Γένεσις | Geneſis. |
| Γενῖται | Genitei. |
| Γεροντοκομεῖον | Gerontocomium. |
| Γεοπρεπής | Geoprepes. |
| Γεωμαντεία | Geomantia. |
| Γεωμετρεία | Geometria. |
| Γλαύκωμα | Glaucoma. |
| Γλῶσσα | Gloſſa. |
| Γνάθων | Gnatho. |
| Γνωσιμάχοι | Gnoſimachi. |
| Γνωστικοί | Gnoſtici. |
| Γόμφος | Gomphus. |
| Γραμματική | Grammatica. |
| Γραμματοφόρος | Grammatophorus. |
| Γραφή | Graphia. |
| Γυναικεῖον | Gynæceum. |
| Γυναικῶν | Gynæcona. |
| Γῦρος | Gyrus. |
| Γύψ | Gypſa. |

## Δ

| | |
|---|---|
| Δαίμων | Dæmon. |
| Δακτυλοθήκη | Dactilotheca. |
| Δαψίλεια | Dapſilia. |
| Δεκάχορδον | Decachordum. |
| Δεκάλογος | Decalogus. |
| Δενδροφόρος | Dendrophorus. |
| Δέσποινα | Deſpina. |
| Δεσπότης | Deſpotes. |
| Δευτερεῖος | Deuteriarius. |
| Δευτερονόμιον | Deuteronomium. |
| Διαγραφή | Diagraphus. |
| Διάδημα | Diadema. |
| Διαθήκη | Diatheca. |
| Δίαιτα | Diæta. |
| Διακαινισμός | Diacæniſmus. |
| Διακαινίσιμος | Diacæniſimus. |
| Διακάτοχος | Diacatochus. |
| Διακονία | Diaconia. |
| Διακονεῖον | Diaconicum. |
| Διάκονος | Diaconus. |
| Διακοπή | Diacope. |
| Διάκοπτον | Diacopton. |
| Διάκορος | Diacorus. |
| Διάλογος | Dialogus. |
| Διαπιστής | Diapiſtis. |
| Διασυρτικός | Diaſyrticus. |
| Διασφενδῶν | Diaſphendon. |
| Διασωστής | Diaſoſtis. |
| Διάτρητον | Diatreta. |
| Δίαυλος | Diaulus. |
| Διαφωνία | Diaphonia. |
| Διάψαλμα | Diapſalma. |
| Δίγαμος | Digamus. |
| Δίδραχμον | Didrachmum. |
| Δίδυμος | Didymus. |
| Διετηρίς | Dieteris. |
| Διθάλασσος | Dithalaſſus. |
| Δικαιοφύλαξ | Dicæophylax. |
| Διμερῖται | Dimeritæ. |
| Διμύξιον | Dimyxion. |
| Διοίκησις | Diœceſis. |
| Διοικητής | Diœceta. |
| Διπλοΐς | Diplois |
| Δίπλωμα | Diploma. |
| Δίπτυχον | Diptycum. |
| Δισώματος | Diſomatos. |
| Δισκοφόρος | Diſcophorus. |
| Δίσωμον | Diſomum. |
| Διττοχαῖον | Dittochæum. |
| Διψάς | Dipſas. |
| Διῶρυξ | Dioryx. |
| Δόγμα | Dogma. |
| Δόλιχος | Dolichus. |

| | |
|---|---|
| Δολομέτραι | Dolometræ |
| Δόξα | Doxa. |
| Δοξολογία | Doxologia. |
| Δορκὰς | Dorcas. |
| Δουλεία | Dulia. |
| Δουλιανοὶ | Duliani. |
| Δοχὴ | Doche. |
| Δρᾶμα | Drama. |
| Δραχμὴ | Drachma. |
| Δρομικὸς | Dromicus. |
| Δρομιῶν | Dromon. |
| Δύπτω | Dypto. |
| Δυσεντερεία | Dyſenteria. |
| Δυτικὸς | Dyticus. |
| Δῶμα | Doma. |
| Δωσίθεοι | Doſithei. |

# E

| | |
|---|---|
| Ἐαρινὸς | Earinus. |
| Ἑβδομὰς | Hebdomas. |
| Ἐγγαστρίμυθος | Engaſtrimythus. |
| Ἐγκαίνια | Encænia. |
| Ἐγκαυστὸν | Encauſtum. |
| Ἐγκλειστὸς | Encliſtus. |
| Ἐγκόλπιον | Encolpium. |
| Ἐγκρατῖται | Encratitæ. |
| Ἐγκρυφίας | Encryphias. |
| Ἐγρήγορος | Egrigorus. |
| Ἐγχειρίδιον | Enchiridion. |
| Ἐγχείριον | Enchirium. |
| Ἕδρα | Hedra. |
| Ἐθνικὸς | Ethnicus. |
| Ἐθνόφρονες | Ethnophrones. |
| Εἰδωλεῖον | Idolium. |
| Εἰδώλιον | Idolium. |
| Εἰδωλόθυτον | Idolothytum. |
| Εἰδωλολατρεία | Idololatria. |
| Εἰδωλολάτρης | Idololatra. |
| Εἴδωλον | Idolum. |
| Εἰκονοκλαστὴς | Iconoclaſta. |
| Εἰκονόμαχος | Iconomachus. |
| Εἰκὼν | Icon. |
| Εἰρηναῖος | Irenæus. |
| Εἰρηνάρχης | Irenarcha. |
| Εἰρήνη | Irene. |
| Ἑκατόνταρχος | Hecatontarchus. |
| Ἐκβολὴ | Ecbola. |
| Ἔκθεσις | Ecteſis. |
| Ἔκκετρα | Excetra. |
| Ἐκκλησία | Eccleſia. |
| Ἐκκλησιάρχης | Eccleſiarcha. |
| Ἐκκλησιαστὴς | Eccleſiaſtes. |
| Ἐκκλησιαστικὸς | Eccleſiaſticus. |
| Ἔκστασις | Extaſis. |
| Ἔκτρωμα | Ectroma. |
| Ἐλαιὼν | Elæon. |
| Ἐλάτη | Elate. |
| Ἐλεημοσύνη | Eleemoſyna. |
| Ἐλέησον | Eleiſon. |
| Ἑλέπολις | Helepolis. |
| Ἕλιξ | Helix. |
| Ἐλύμας | Elymas. |
| Ἐμβολισμὸς | Emboliſmus. |
| Ἔμβολος | Embolus. |
| Ἐμβροχὴ | Embroche. |
| Ἐμβρυορέκτης | Embryorectes. |
| Ἐμπόνημα | Emponema. |
| Ἐμπόριον | Emporium. |
| Ἐμφανιστικὰ | Emphaniſtica. |
| Ἐμφύτευσις | Emphyteuſis. |
| Ἐνδελεχισμὸς | Endelechiſmus. |
| Ἐνδρομὶς | Endromis. |
| Ἐνέργημα | Energema. |
| Ἐνεργούμενος | Energumenus. |
| Ἐνθήκη | Entheca. |
| Ἐνθουσιασταὶ | Enthuſiaſtæ. |
| Ἐνθύμησις | Enthymeſis. |
| Ἐννεαδεκαετηρὶς | Enneadecaeteris. |
| Ἐννεαφώτια | Enneaphotia. |
| Ἔνταλμα | Entalma. |
| Ἐντατικὸς | Entaticus. |
| Ἑνωτικὸν | Henoticum. |
| Ἑξαήμερον | Hexameron. |
| Ἑξάμιτος | Hexamitus. |
| Ἑξαπλᾶ | Hexapla. |
| Ἔξαρχος | Exarchus. |
| Ἐξατεῦχος | Exateuchum. |
| Ἐξέδρα | Exedra. |
| Ἐξήγησις | Exegeſis. |
| Ἔξοδος | Exodus. |
| Ἐξομολόγησις | Exomologeſis. |
| Ἐξορκισμὸς | Exorciſmus. |
| Ἐξορκιστὴς | Exorciſta. |
| Ἐξοχὴ | Exoche. |
| Ἐξώδιον | Exodius. |
| Ἐξωκατάκοιλοι | Exocatacœli. |
| Ἐξωτερικὸς | Exotericus. |
| Ἐξωτικὸς | Exoticus. |
| Ἐπακτὴ | Epacta. |
| Ἐπαναγνωστικὸν | Epanagnoſticon. |
| Ἐπανώκλειστος | Epanocliſtus. |
| Ἐπαρχία | Eparchia. |
| Ἔπαρχος | Eparchus. |
| Ἐπενδύτης | Ependytes. |
| Ἐπιβάτης | Epibates. |
| Ἐπιγονάτιον | Epigonation. |
| Ἐπιγράφος | Epigraphus. |
| Ἐπιείκεια | Epiicia. |
| Ἐπίθημα | Epithema. |
| Ἐπικιθάρισμα | Epicithariſma. |
| Ἐπικόμβια | Epicombia. |
| Ἐπιληπτικὸς | Epilepticus. |

Ἐπι-

| | |
|---|---|
| Ἐπιληψία | Epilepſia. |
| Ἐπιμανίκιον | Epimanicion. |
| Ἐπινεφρίδιον | Epinephridion. |
| Ἐπίσημον | Epiſemum. |
| Ἐπισκοπεῖον | Epiſcopium, |
| Ἐπίσκοπος | Epiſcopus. |
| Ἐπισκύνιον | Epiſcynium. |
| Ἐπιστολή | Epiſtola. |
| Ἐπιστόμιον | Epiſtomium. |
| Ἐπιστομονάρχης | Epiſtomonarcha. |
| Ἐπιτίμιον | Epitimium. |
| Ἐπιτομή | Epitome. |
| Ἐπιτραχήλιον | Epitrachelion. |
| Ἐπίουρος | Epiurus. |
| Ἐπιφάνεια | Epiphania. |
| Ἐπόπτης | Epopta. |
| Ἐποψία | Epopſia. |
| Ἑπτάλυχνος | Heptalychnus. |
| Ἑπτάτευχον | Heptateuchum. |
| Ἐρανίστης | Eraniſta. |
| Ἐργαστήριον | Ergaſterium. |
| Ἐργοδιώκτης | Ergodioctes. |
| Ἐργοδοχεῖον | Ergodocium. |
| Ἐργολάβος | Ergolabus. |
| Ἐρημία | Heremia. |
| Ἐρημίτης | Eremita. |
| Ἔρημος | Eremus. |
| Ἐρημοδίκιον | Eremodicium. |
| Ἑρκεία | Hercia. |
| Ἑρμᾶς | Hermas. |
| Ἑρμαφρόδιτος | Hermaphroditus. |
| Ἐρωδιός | Herodius. |
| Ἐσοφόριον | Eſophorium. |
| Ἑταιριάρχης | Hetæriarcha. |
| Ἑτερόδοξος | Heterodoxus. |
| Ἑτεροούσιος | Heterouſios. |
| Εὐαγγέλιον | Evangelium. |
| Εὐαγγελισμός | Evangeliſmus. |
| Εὐκράτης | Eucrates. |
| Εὐλογία | Eulogia. |
| Εὐλογημενόπολις | Eulogimenopolis. |
| Εὐνουχίζω | Eunuchizo. |
| Εὐνοῦχος | Eunuchus. |
| Εὐσέβεια | Euſebia. |
| Εὐτραπελία | Eutrapelia. |
| Εὐφωνοτροφεῖον | Euphonotrophium. |
| Εὔχαρις, | Eucharis. |
| Εὐχαριστία | Euchariſtia. |
| Εὐχαριστικόν | Euchariſticum. |
| Εὐχῖται | Euchitæ. |
| Εὐχολόγιον | Euchologium. |
| Εὐωχία | Euochia. |
| Ἐφημερεύτης | Ephemereuta. |
| Ἐφόδιον | Ephodion. |
| Ἐχενηΐς | Echeneis. |
| Ἔχιδνα | Echidna. |

## Ζ

| | |
|---|---|
| Ζάβερνον | Zabernon. |
| Ζαβαρεῖον | Zabarium. |
| Ζαβουλος | Zabulus. |
| Ζάκορος | Zacorus. |
| Ζάκων | Zacon. |
| Ζέμα | Zema. |
| Ζητάριος | Zetarius. |
| Ζῆλος | Zelus. |
| Ζηλοτυπία | Zelotypia. |
| Ζηλότυπος | Zelotypus. |
| Ζηλῶ | Zelo. |
| Ζηλωτής | Zelotes. |
| Ζιζάνιον | Zizanium. |
| Ζυγοστάτης | Zygoſtates. |
| Ζύμα | Zyma. |
| Ζώδια | Zodia. |
| Ζώνη | Zona. |
| Ζωοφόρος | Zoophorus. |

## Η

| | |
|---|---|
| Ἡγουμεναρχεῖον | Hegumenarchium. |
| Ἡγούμενος | Hegumenus. |
| Ἡμεροβαπτισταί | Hemerobaptiſtæ. |
| Ἡμερόβιος | Hemerobius. |
| Ἡμεροδρόμος | Hemerodromus. |
| Ἡμιαρειανοί | Hemiariani. |
| Ἡμίκυκλος | Hemiciclus. |
| Ἡμιτριταῖος | Hemitritæus. |
| Ἡσυχαστής | Heſychaſta. |
| Ἠχοϊκός | Echoicus. |

## Θ

| | |
|---|---|
| Θάλαμος | Thalamus. |
| Θάλεια | Thalia. |
| Θάμνος | Thamnus. |
| Θαυματουργός | Thaumaturgus. |
| Θεανδρικός | Theandricus. |
| Θεαρχία | Thearchia. |
| Θέατρον | Theatrum. |
| Θεία | Thia. |
| Θέμα | Thema. |
| Θεοδίδακτος | Theodidactus. |
| Θεοκρατία | Theocratia. |
| Θεολογία | Theologia. |
| Θεολόγος | Theologus. |
| Θεοπασχῖται | Theopaſchitæ. |
| Θεόπολις | Theopolis. |
| Θεοπρέπεια | Theoprepia. |
| Θεοπρόπιον | Theopropium. |

| | |
|---|---|
| Θεοσέβεια | Theoſebia. |
| Θεόσοφος | Theoſophus. |
| Θεότης | Theotes. |
| Θεοτόκος | Theotocus. |
| Θεουργία | Theurgia. |
| Θεοφάνεια | Theophania. |
| Θεοφάντορ | Theophantor. |
| Θεόφοβος | Theophobus. |
| Θεοφόρος | Theophorus. |
| Θεραπεία | Therapia. |
| Θεραπευτής | Therapeuta. |
| Θέριστρον | Theriſtrum. |
| Θεωρεία | Theoria. |
| Θεωρετικός | Theoreticus. |
| Θήκη | Theca. |
| Θησαυρὸς | Theſaurus. |
| Θλίψις | Thlipſis. |
| Θνητοψυχῖται | Thnetopſychitæ. |
| Θόλος | Tholus. |
| Θρῆνος | Threnus. |
| Θρόνος | Thronus. |
| Θυΐνος | Thyinus. |
| Θυμελικὸς | Thymelicus. |
| Θυμίαμα | Thymiama. |
| Θυμιατήριον | Thymiaterium. |
| Θυμολέοντες | Thymoleontes. |
| Θύννος | Thynnus. |
| Θύρσος | Thyrſus. |
| Θυσία | Thyſia. |
| Θυσιαστήριον | Thyſiaſterium. |
| Θῶες | Thoes. |
| Θώραξ | Thoracida. |

## I

| | |
|---|---|
| Ἴα | Ia. |
| Ἰάνθινος | Ianthinus. |
| Ἴασπις | Iaſpis. |
| Ἰδιώτης | Idiota. |
| Ἱερὰ | Hiera. |
| Ἱεραρχία | Hierarchia. |
| Ἱερατεῖον | Hierateon. |
| Ἱεροθήκη | Hierotheca. |
| Ἱερομάρτυρ | Hieromartyr. |
| Ἱερομνήμων | Hieromnemon. |
| Ἱερομόναχος | Hieromonachus. |
| Ἱερουργία | Hierurgia. |
| Ἱεροφάντης | Hierophanta. |
| Ἱεροφύλαξ | Hierophylax. |
| Ἱππάγιος | Hippagius. |
| Ἶρις | Iris. |
| Ἰσότυπον | Iſotypum. |
| Ἱστορία | Hiſtoria. |
| Ἰχθυοφάγιος | Ichthyophagus. |

## K

| | |
|---|---|
| Κάβος | Cabus. |
| Καθαρὸς | Catharus. |
| Καθαρτικὸν | Catharticum. |
| Καθέδρα | Cathedra. |
| Καθημέρειον | Cathemerium. |
| Κάθισμα | Cathiſma. |
| Καθολικὸς | Catholicus. |
| Κάκκαβος | Caccabus. |
| Κακοδοξία | Cacodoxia. |
| Κακολογία | Cacologia. |
| Κάλαμος | Calamus. |
| Καλάνδαι | Calendæ. |
| Καλαφάτης | Calaphates. |
| Καλλιβλέφαρον | Calliblepharum. |
| Καλλιγράφος | Calligraphus. |
| Κάλλυντρον | Caliendrum. |
| Καλόγερος | Calogerus. |
| Κάλον | Calon. |
| Καλυβίτης | Calybita. |
| Καλύπτρα | Calyptra. |
| Καμάειον | Camaurum. |
| Καμηλαύκιον | Camelaucium. |
| Κάμηλος | Camelus. |
| Καμίσατος | Camiſatus. |
| Καμψάκης | Capſaces. |
| Κανδηλάπτης | Candelaptes. |
| Κάνθαρος | Cantharus. |
| Κανθήλιος | Canthelius. |
| Κανθὸς | Canthus. |
| Κανονάρχης | Canonarcha. |
| Κανονικὸς | Canonicus. |
| Κανστρίσιος | Canſtriſius. |
| Κανὼν | Canon. |
| Καρακάλλιον | Caracalla. |
| Καραγὸς | Caragus. |
| Καρδιακὸς | Cardiacus. |
| Καρηνὸν | Carenum. |
| Καρκίνωμα | Carcinoma. |
| Καρσαμάτιος | Carſamatius. |
| Κάρφια | Carphia. |
| Καταβάρβαρα | Catabarbara. |
| Καταβολὴ | Catabole. |
| Καταβολικὸς | Catabolicus. |
| Κατάβολον | Catabulum. |
| Κατάθεμα | Catathema. |
| Κατακλειστὸς | Cataclistus. |
| Κατακλύζα | Cataclyza. |
| Κατάλογος | Catalogus. |
| Κατάμιθος | Catamithus. |
| Κατηχισμὸς | Catechiſmus. |
| Κατηχιστὴς | Catechiſta. |
| Κατηχουμενεῖον | Catechumenium. |
| Κατηχούμενος | Catechumenus. |

Κα-

| | |
|---|---|
| Κατόρθωμα | Catorthoma. |
| Κατωμος | Catomis. |
| Καῦκα | Caucus. |
| Καῦμα | Cauma. |
| Καῦσις | Cauſis. |
| Καῦσον | Cauſon. |
| Καυςικὸς | Cauſticus. |
| Καυτηριάζω | Cauterizo. |
| Καυτήριον | Cauterium. |
| Κειμήλια | Cimelia. |
| Κειμήλιον | Cemelium. |
| Κέλευσμα | Celeuſma. |
| Κελλιώτης | Celliota. |
| Κενοδοξία | Cenodoxia. |
| Κερατταύλης | Cerataula. |
| Κεραυνοβόλος | Ceraunobolus. |
| Κέρκιτα | Cercita. |
| Κήρωμα | Ceroma. |
| Κηροςτάτι | Ceroſtata. |
| Κιβώριον | Ciborium. |
| Κιθάρα | Cithara. |
| Κινύρα | Cinyra. |
| Κιονίτης | Cionita. |
| Κιρκέλλια | Circelli. |
| Κλάσμα | Claſma. |
| Κλῆμα | Clema. |
| Κληρικὸς | Clericus. |
| Κλῆρος | Clerus. |
| Κλιμακτηρικὸς | Climactericus. Climacterius. |
| Κλυδόμενος | Clydomenus. |
| Κνίσσα | Cniſſa. |
| Κόγχη | Concha. |
| Κοιμητήριον | Cœmeterium. |
| Κοινισκία | Cœniſcia. |
| Κοινόβιον | Cœnobium. |
| Κοινομυῖα | Cœnomya. |
| Κολλυρὶς | Collyrida. |
| Κολλυριδιανοὶ | Collyridiani. |
| Κολλύριον | Collyrium. |
| Κολόβιον | Colobium. |
| Κόλυβα | Colyba. |
| Κολυμβὴ | Colympha. |
| Κόνδυλος | Condylus. |
| Κοντάκιον | Contacium. |
| Κοντοπαίκτης | Contopæctes. |
| Κοντὸς | Contus. |
| Κοπρώνυμος | Copronymus. |
| Κορακῖνος | Coracinus. |
| Κῶρος | Corus. |
| Κορυφαῖος | Coryphæus. |
| Κοσκινομαντεία | Coſcinomantia. |
| Κοσμητὴς | Coſmeta. |
| Κοσμοκράτωρ | Coſmocrator. |
| Κοσμοπλάςης | Coſmoplaſtes. |
| Κοῦρμι | Curmi. |
| Κουροτροφεῖον | Curotrophium. |

| | |
|---|---|
| Κούφη | Cupha. |
| Κουφία | Cuphia. |
| Κόφινος | Cophinus. |
| Κράββατος | Crabatus. |
| Κρεάγρα | Creagra. |
| Κριοβόλιον | Criobolium. |
| Κροκύφαντος | Crucyphantus. |
| Κρόταλον | Crotalum. |
| Κρύπτη | Crypta. |
| Κρωβύλος | Crobylus. |
| Κυάνεος | Cyaneus. |
| Κυκεὼν | Cyceon. |
| Κυκλὰς | Cyclas. |
| Κύμβαλον | Cymbalum. |
| Κυνοκέφαλος | Cynocephalus. |
| Κυπριάρχης | Cypriarches. |
| Κύπρος | Cyprus. |
| Κυριακὴ | Cyriaca. |
| Κυφωνισμὸς | Cyphoniſmus. |
| Κώδων | Codon. |
| Κωδωνοφόρος | Codonophorus. |
| Κωκυτὸς | Cocytus. |
| Κῶλον | Colon. |
| Κώνειον | Conium. |

## Λ

| | |
|---|---|
| Λαβαρὸν | Labarum. |
| Λαβύρινθος | Labyrinthus. |
| Λάγανον | Laganum. |
| Λάγνος | Langus. |
| Λαϊκὸς | Laicus. |
| Λάϊος | Laius. |
| Λακωνισμὸς | Laconiſmus. |
| Λαμία | Lamia. |
| Λαμπήνη | Lampena. |
| Λάρναξ | Larnax. |
| Λάρος | Larus. |
| Λατρεία | Latria. |
| Λαῦρα | Laura. |
| Λαυσιακὴ | Lauſiaca. |
| Λαψάνη | Lapſana. |
| Λεβιτονάριον | Lebitonarium. |
| Λειτουργία | Liturgia. |
| Λείψανον | Lipſana. |
| Λείω | Lio. |
| Λευκοθέα | Leuchothea. |
| Λήθη | Lethe. |
| Λίβανος | Olibanum. |
| Λιθονάριος | Lithonarius. |
| Λιθόςρωτος | Lithoſtrotos. |
| Λιμενάρχης | Limenarcha. |
| Λιμνιώτης | Limniota. |
| Λινοςήμων | Linoſtima. |
| Λιτανία | Litania. |
| Λογαριαςὴς | Logariaſtes. |

| | |
|---|---|
| Λόγιον | Logium. |
| Λογογράφος | Logographus. |
| Λογοθέτης | Logotheta. |
| Λόγχη | Lunchus. |
| Λοξίας | Loxias. |
| Λορδόω | Lordico. |
| Λȣτὴρ | Luter. |
| Λύτης | Lyta. |
| Λύτρον | Lytrum. |
| Λωτοφάγος | Lotophagus. |

## M

| | |
|---|---|
| Μαγὰς | Magas. |
| Μάγγανον | Manganum. |
| Μαγεία | Magia. |
| Μάγος | Magus. |
| Μάζα | Maſſa. |
| Μαθηματικὸς | Mathematicus. |
| Μαινίδιον | Mænidium. |
| Μαϊȣμᾶς | Majuma. |
| Μακαρισμὸς | Macariſmus. |
| Μακραίνα | Macræna. |
| Μακρολογία | Macrologia. |
| Μάλαγμα | Malagma. |
| Μαλλὸς | Mallones. |
| Μαλλωτὴ | Mallota. |
| Μαμμότρεπτος | Mammotreptus. |
| Μάνα | Mana. |
| Μάνδρα | Mandra. |
| Μανδραγέροντες | Mandragerontes. |
| Μανδραγόρα | Mandragora. |
| Μανδύη | Mandye. |
| Μανία | Mania. |
| Μανȣ́θια | Manuthia. |
| Μαργαρίτης | Margarita. |
| Μάρτυρ | Martyr. |
| Μαρτύρειον | Martyrium. |
| Μαρτυρολογίον | Martyrologium. |
| Μαςιγοφόρος | Maſtigophorus. |
| Μαυσώλειον | Mauſoleum. |
| Μαφόρειον | Maphorium. |
| Μέγα | Mega. |
| Μελάγειον | Melagrium. |
| Μελῳδία | Melodia. |
| Μεσαύλιον | Meſaulium. |
| Μεσότροπος | Meſotropus. |
| Μέταλλον | Metallum. |
| Μετάνοια | Metanea. |
| Μέταξα | Metaxa. |
| Μετεμψύχωσις | Metempſichoſis. |
| Μετενσωμάτωσις | Metenſomatoſis. |
| Μετρητὴ | Metreta. |
| Μετροκωμία | Metrocomia. |
| Μηλονάγειον | Melagrium. |
| Μηλωτὴ | Melote. |
| Μηναῖον | Menæum. |
| Μηνολόγιον | Menologium. |
| Μήτηρ | Mater. |
| Μητρονικὸν | Matroneum. |
| Μητροπολίτης | Metropolita. |
| Μῖγμα | Migma. |
| Μισοπώγων | Miſopogon. |
| Μίτρα | Mitra. |
| Μιχηλάτος | Michelatus. |
| Μνᾶ | Mna. |
| Μογιλάλος | Mogilalus. |
| Μοιχεία | Mœchia. |
| Μοιχὸς | Mœchus. |
| Μοιχοσύνοδος | Mœchoſynodus. |
| Μονάζοντες | Monazontes. |
| Μονὰς | Monas. |
| Μοναςήριον | Monaſterium. |
| Μοναςικὴ | Monaſtica. |
| Μοναχεῖον | Monachium. |
| Μοναχὸς | Monachus. |
| Μονογαμία | Monogamia. |
| Μονόγαμος | Monogamus. |
| Μονογράμμα | Monogramma. |
| Μονοθελήτης | Monothelita. |
| Μονοκράτωρ | Monocrator. |
| Μονομαχία | Monomachia. |
| Μονοφυσῖται | Monophyſitæ. |
| Μυγάλη | Mygale. |
| Μῦξον | Myxum. |
| Μυοπάρων | Myoparo. |
| Μυρμήκιον | Myrmecium. |
| Μυροβλύτης | Myroblyta. |
| Μυροφόρος | Myrophorus. |
| Μύρων | Myrum. |
| Μυςαγωγία | Myſtagogia. |
| Μυςαγωγὸς | Myſtagogus. |
| Μύςαρχος | Myſtarchus. |
| Μύςης | Myſta. |
| Μυςικὸς | Myſticus. |
| Μυςήριον | Myſterium. |

## N

| | |
|---|---|
| Ναβλίζω | Nablizo. |
| Νάκος | Nacus. |
| Νᾶμα | Nama. |
| Νάρθηξ | Narthex. |
| Ναυπηγὸς | Naupegus. |
| Ναυτολόγος | Nautologus. |
| Νεάπολις | Neapolis. |
| Νεκρόθυτον | Necrothytum. |
| Νεκρολόγιον | Necrologium. |
| Νεκρόφορος | Necrophorus. |
| Νέμος | Nemus. |
| Νεομηνία | Neomenia. |
| Νεοφύλαξ | Neophylax. |

Νεό-

| | |
|---|---|
| Νεόφυτος | Neophytus. |
| Νεῦμα | Neuma. |
| Νεύμω | Neumo. |
| Νεωκόρος | Necorus. |
| Νήτη | Nete. |
| Νηφάλιος | Nephalius. |
| Νόθος | Nothus. |
| Νοθοτροφεῖον | Nothotrophium. |
| Νομικὸς | Nomicus. |
| Νόμισμα | Numiſma. |
| Νομοθέτης | Nomotheta. |
| Νομοκάνων | Nomocanon. |
| Νομοφύλαξ | Nomophylax. |
| Νοσοκομεῖον | Noſocomium. |
| Νυκταγὲς | Nyctages. |
| Νυκταστρατηγὸς | Nyctaſtrategus. |
| Νυκτικόραξ | Nycticorax. |
| Νύμφη | Nympha. |
| Νυμφαῖον | Nymphæum. |
| Νυμφεῖον | Nymphium. |
| Νύσσα | Nyſſa. |

## Ξ

| | |
|---|---|
| Ξεναγωγὸς | Xenagogus. |
| Ξεναγὸς | Xenagus. |
| Ξένιον | Xenium. |
| Ξενοδοχάρεια | Xenodocharia. |
| Ξενοδοχάριος | Xenodocharius. |
| Ξενοδοχεῖον | Xenodochium. |
| Ξενοδόχος | Xenodochus. |
| Ξενοπάροχος | Xenoparochus. |
| Ξενοτροφεῖον | Xenotrophium. |
| Ξηροφαγία | Xerophagia. |
| Ξυλοφορεία | Xylophoria. |
| Ξυστάρχος | Xyſtarchus. |

## O

| | |
|---|---|
| Ὀβελισκὸς | Obeliſcus. |
| Ὀβελὸς | Obelus. |
| Ὄβρυζον | Obryzum. |
| Ὁδηγήτρια | Hodegitria. |
| Ὁδοιπορικὸν | Hodeporium. |
| Ὀθόνη | Othone. |
| Οἰκέται | OEcetæ. |
| Οἰκονομία | OEconomia. |
| Οἰκονόμος | OEconomus. |
| Οἰκουμενικὸς | OEcumenicus. |
| Οἰνάνθη | OEnanthe. |
| Οἰνοφόρον | OEnophorum. |
| Οἰνοχόος | OEnochus. |
| Οἰνωπὸν | OEnopum. |
| Ὀκταπλᾶ | Octapla. |
| Ὀκτώγαμος | Octogamus. |
| Ὁλόγραφος | Holographus. |
| Ὁλοκαύστον | Holocauſtum. |
| Ὀλολυγμὸς | Ololygmus. |
| Ὁλοπόρφυρος | Holoporphyrus. |
| Ὁλόχρυσον | Holochryſum. |
| Ὁμιλία | Homilia. |
| Ὁμοιοτέλευτον | Homœoteleuton. |
| Ὁμοιούσιος | Homiuſius. |
| Ὁμολόγιον | Homologium. |
| Ὁμόλογος | Homologus. |
| Ὁμολογῶ | Homologo. |
| Ὁμόνοια | Homonœa. |
| Ὁμοούσιος<br>Ὁμούσιος | Homouſios. |
| Ὁμοϋπόστατα | Homoypoſtata. |
| Ὀνειροκριτικὸς | Onirocriticus. |
| Ὀνειροπομπὸς | Oniropompus. |
| Ὀνήσιμος | Oneſimus. |
| Ὀνοκρόταλος | Onocrotalus. |
| Ὀνονυχίτης | Ononychites. |
| Ὄνυξ | Onyx. |
| Ὀξύκρατον | Oxicratum. |
| Ὀξύπτερος | Oxypterus. |
| Ὀξύρυγχος | Oxyrynchus. |
| Ὀπικὸς | Opicus. |
| Ὀπισθόγραφος | Opiſthographus. |
| Ὀπισθότονος | Opiſthotonus. |
| Ὁπλοθήκη | Hoplotheca. |
| Ὅραμα | Horama. |
| Ὄργανον | Organum. |
| Ὀρθογραφία | Ortographia. |
| Ὀρθοδοξία | Orthodoxia. |
| Ὀρθόδοξος | Orthodoxus. |
| Ὀρτυγομήτρα | Ortygometra. |
| Ὀρφανοτροφεῖον | Orphanotrophium. |
| Ὅσιος | Hoſius. |
| Ὀταλγικὸς | Otalgicus. |
| Ὀφθαλμὸς | Ophtalmus. |
| Ὀφιομάχος | Ophiomachus. |
| Ὀφῖται | Ophitæ. |

## Π

| | |
|---|---|
| Παγανὸς | Paganus. |
| Πάγαρχος | Pagarchus. |
| Πάγκαρπος | Pancarpum. |
| Παγκράτιος | Pancratius. |
| Πάγχρηστον | Panchreſtum. |
| Παιὰν | Pæan. |
| Παιδαγωγέω | Pedagogo. |
| Παιὼν | Pæon. |
| Παλάθη | Palatha. |
| Παλαιστὴ | Palæſte. |
| Παλαίστρα | Palæſtra. |
| Παλλακὶς | Pellex. |
| Παμμυῖα | Pammyia. |

| | |
|---|---|
| Παναγία | Panagia. |
| Παναίρετος | Panæretus. |
| Πανάκλειστος | Panacliſtus. |
| Παναρμόνιον | Panarmonium. |
| Πανδέκται | Pandectæ. |
| Πανδοχεῖον | Pandochium. |
| Πανδοχὶς | Pandoxis. |
| Πανδώρα | Pandora. |
| Πάνθεον | Pantheon. |
| Πανήγυρις | Panegyris. |
| Πάνορμον | Panormum. |
| Πανσέληνος | Panſelemus. |
| Παντοκράτωρ | Pantocrator. |
| Παντολογία | Pantologia. |
| Πανώτιος | Panotius. |
| Παξαμὰς<br>Παξαμάδιον. | Paxamatium. |
| Πάππα<br>Πάππας | Papa. |
| Παπαλήθρα | Papalethra. |
| Παππίας | Pappias. |
| Πάπυρος | Papyrus. |
| Παραβολὴ | Parabola. |
| Παράβολος | Parabolus. |
| Παράγραμμα | Paragramma. |
| Παράγραφος | Paragraphus. |
| Παράδειγμα | Paradigma. |
| Παράδεισος | Paradiſus. |
| Παράκλητος | Paracletus. |
| Παρακοιμώμενος | Paracœmomenus. |
| Παραλειπομένων | Paralipomenon. |
| Παραλογία | Paralogia. |
| Παραλυτικὸς | Paralyticus. |
| Παραμονάριος | Paramonarius. |
| Παράνυμφος | Paranymphus. |
| Παρασκευὴ | Paraſceve. |
| Παραστάτης | Paraſtata. |
| Παρασυναγωγὴ | Paraſynagoga. |
| Παράτιτλα | Paratitla. |
| Παράφερνα | Parapherna. |
| Παραφωνιστὴς | Paraphoniſta. |
| Παραχαράγμα | Paracharagmum. |
| Παραχαράκτης | Paracharacta. |
| Παραχειμάδιον | Parachimadion. |
| Παραχειμασία | Parachimaſia. |
| Παρόψις | Paropſis. |
| Πάρεδρος | Paredrus. |
| Πάρεργον | Parergum. |
| Παροικία | Parœcia.<br>Parochia. |
| Πάροχος | Parochus. |
| Παροινία | Parœnia. |
| Παρόψις | Paropſis. |
| Παστοφόριον | Paſtophorium. |
| Πατὴρ | Pater. |
| Πατριάρχης | Patriarcha. |
| Πατριαρχεῖον | Patriarchium. |
| Πειρατήριον | Piraterium. |
| Πειράτης | Pirata. |
| Πέλτη | Pelta. |
| Πόμπω | Pompo. |
| Πενθέκτη | Penthecte. |
| Πεντάγλωττος | Pentaglottus. |
| Πεντάτευχον | Pentateuchum. |
| Πεντηκοστάριον | Pentecoſtarium. |
| Πεντηκοστὴ | Pentecoſte. |
| Πεντέκτης | Pentectes. |
| Πεντεπίτροπος | Pentepitropus. |
| Περίαπτα | Periapta. |
| Περὶ ἀρχῶν | Periarchon. |
| Περιβόλιον | Perivolium. |
| Περίβολος | Peribolus. |
| Περίζωμα | Perizoma. |
| Περιοδευτὴς | Periodeutes. |
| Περισκελὶς | Periſcelis. |
| Περισσοχορηγία | Periſſochoregia. |
| Περιστέφανον | Periſtephanon. |
| Περίψημα | Peripſema. |
| Πέταλον | Petalum. |
| Πεταλοῦργος | Petalurgus. |
| Πεταμινάριος | Petaminarius. |
| Πέτασμα | Petaſma. |
| Πέτρα | Petra. |
| Πετρόβολος | Petrobolus. |
| Πικρὶς | Picris. |
| Πινακοθήκη | Pinacotheca. |
| Πιστικὸς | Piſticus. |
| Πλάκωμα | Placoma. |
| Πλανήτης | Planeta. |
| Πλάσμα | Plaſma. |
| Πλάστης | Plaſtes. |
| Πλαστικὴ | Plaſtica. |
| Πλάτανος | Platanus. |
| Πλατώνια | Platonia. |
| Πλεκτὴ | Plecta. |
| Πλήρωμα | Pleroma. |
| Πνευματικὸς | Pneumaticus. |
| Πνευματόμαχος | Pneumatomachus. |
| Ποδήρης | Poderis. |
| Ποινὴ | Pœna. |
| Ποιητὴς | Poeta. |
| Πολυάνδριον | Polyandrium. |
| Πολυγαμία | Polygamia. |
| Πολύγαμος | Polygamus. |
| Πολυθεΐα | Polytheia. |
| Πολυκανδήλον | Polycandelum. |
| Πολυμιτάριος | Polymitarius. |
| Πολύμιτος | Polymitus. |
| Πολύπτυχον | Polyptychum. |
| Πολυσταύριον | Polyſtaurium. |
| Πολυχρόνιον | Polychronion. |
| Πορφύρα | Porphyra. |
| Πορφυρογέννητος | Porphyrogenitus. |
| Πραγματικὸς | Pragmaticus. |

Πρά-

| | |
|---|---|
| Πράξεων | Praxeon. |
| Πράσινος | Praſinus. |
| Πρεσβύτερος | Presbyter. |
| Πρεσβυτήριον | Presbyterium. |
| Πρῖνος | Prinus. |
| Προάστειον | Proaſtium. |
| Προβατική | Probatica. |
| Προβολή | Probola. |
| Πρόγραμμα | Programma. |
| Πρόδρομος | Prodromus. |
| Πρόεδρος | Proedrus. |
| Πρόθεσις | Protheſis. |
| Πρόλογος | Prologus. |
| Προξενήτης | Proxeneta. |
| Προπώλης | Propola. |
| Προπωλεῖον | Propolium. |
| Προρήτης | Proreta. |
| Προσευχή | Proſeucha. |
| Προσήλυτος | Proſelytus. |
| Πρόσταγμα | Proſtagma. |
| Προσφορά | Proſphora. |
| Προφήτης | Propheta. |
| Πρόχειρον | Procherium. |
| Πρωτέκδικος | Protecdicus. |
| Πρωτοδιάκονος | Protodiaconus. |
| Πρωτόκολλον | Protocollum. |
| Πρωτοκύνηγος | Protocynegus. |
| Πρωτομάρτυρ | Protomartyr. |
| Πρωτομύστης | Protomyſtes. |
| Πρωτόπαπας | Protopapas. |
| Πρωτοπασχῖται | Protopaſchitæ. |
| Πρωτόπλαστος | Protoplaſtus. |
| Πρωτοσέβαστος | Protoſebaſtus. |
| Πρωτοστάτης | Protoſtates. |
| Πρωτοσύγκελλος | Protoſyncellus. |
| Πρωτοψάλτης | Protopſaltes. |
| Πτωχεῖον | Ptochium. |
| Πτωχοτροφεῖον | Ptochotrophium. |
| Πτωχότροφος | Ptochotrophus. |
| Πύγαργος | Pygargus. |
| Πύθων | Python. |
| Πυθώνισσα | Pythoniſſa. |
| Πυθωνικὸς | Pythonicus. |
| Πυκτάκιον | Pyctacium. |
| Πύλαι | Porta. |
| Πυξίς | Pyxis. |
| Πυρὰ | Pyra. |
| Πυραμὶς | Pyramis. |
| Πυργίβασις | Pyrgybaſis. |
| Πύργος | Pyrgus. |
| Πυρομαντεία | Pyromantia. |

## P

| | |
|---|---|
| Ῥαβδομαντεία | Rhabdomantia. |
| Ῥαγὰς | Rhagas. |
| Ῥαμνὸς | Rhamnus. |
| Ῥαφανέλαιον | Raphanelæum. |
| Ῥέδιον | Rheda. |
| Ῥεῦμα | Rheuma. |
| Ῥευματίζομαι | Rheumatizo. |
| Ῥητορικὴ | Rhetorica. |
| Ῥήτωρ | Rhetor. |
| Ῥινότμητος | Rhinotmitus. |
| Ῥίψασπις | Rhipſaſpis. |
| Ῥοδινός | Rhodinus. |
| Ῥομβοθῖται | Rhombothitæ. |
| Ῥομφαῖα | Rhomphæa. |
| Ῥυθμὸς | Rhythmus. |

## Σ

| | |
|---|---|
| Σαβανὸν | Sabanum. |
| Σαγήνη | Sagena. |
| Σάγμα | Sagma. |
| Σαγμάριος | Sagmarius. |
| Σακέλλαριος | Sacellarius. |
| Σακέλλιον | Saccellum. |
| Σάκκας | Saccas. |
| Σάκκος | Saccus. |
| Σακκοφόρος | Saccophorus. |
| Σάλγαμα | Salgama. |
| Σάλπιγξ | Salpinx. |
| Σαλπικτὴς | Salpicta. |
| Σαμάρδακος | Samardacus. |
| Σαμάρεια | Samaria. |
| Σανδάλιον | Sandalium. |
| Σάφειρα | Saphira. |
| Σαρκοφάγον | Sarcophagum. |
| Σατράπης | Satrapa. |
| Σεβάστη | Sebaſte. |
| Σεβαστικὸς | Sebaſticus. |
| Σεβαστοκράτωρ | Sebaſtocrator. |
| Σειρομάστης | Siromaſtes. |
| Σεῖστρον | Siſtrum. |
| Σεληνίτης | Selenites. |
| Σεμνεῖον | Semnium. |
| Σηρανθασμὸς | Seranthaſmus. |
| Σημαντήριον | Semanterium. |
| Σήψ | Seps. |
| Σίβυλλα | Sibylla. |
| Σιβύνη | Sibyna. |
| Σῖγμα | Sigma. |
| Σινδὼν | Sindon. |
| Σινώπις | Sinopis. |
| Σιτάρκια | Sitarcium. |
| Σιταρχία | Sitarchia. |
| Σιτικὸς | Siticus. |
| Σιτώνης | Sitones. |
| Σιτωνικὸν | Sitonicum. |
| Σίφων | Siphon. |
| Σκάμμα | Scamma. |

| | |
|---|---|
| Σκάνδαλον | Scandalum. |
| Σκάφη | Scapha. |
| Σκαφισμὸς | Scaphiſmus. |
| Σκευοφύλαξ | Scenophylax. |
| Σκηνὴ | Scena. |
| Σκνίφες | Ciniphes. |
| Σκηνολογία | Scenologia. |
| Σκηνοπηγία | Scenopegia. |
| Σκορπιακὸν | Scorpiacum. |
| Σκόρπιος | Scorpius. |
| Σκότωμα | Scotoma. |
| Σκοτωματικὸς | Scotomaticus. |
| Σμῆγμα | Smigma. |
| Σολέα | Solca. |
| Σοφὸς | Sophus. |
| Σπάθα | Spatha. |
| Σπαθάριος | Sphatharius. |
| Σπαθιμήλη | Spathimela. |
| Σπάλαξ | Spalagus. |
| Σπάνιος | Spanicus. |
| Σπανοπώγων | Spanopogon. |
| Σπάρτη | Sparta. |
| Σπατάλιον | Spatalium. |
| Σπατιστὴρ | Spatiſter. |
| Σπουδαστὴς | Spudaſtes. |
| Στάδιον | Stadium. |
| Στακτὴ | Stacte. |
| Στατὴρ | Stater. |
| Στατῆρα | Statera. |
| Σταυρολάτρης | Staurolatra. |
| Σταυροπάτης | Stauropata. |
| Σταυροπήγιον | Stauropegium. |
| Σταυροφύλαξ | Staurophylax. |
| Στέγα | Stega. |
| Στεφανίτης | Stephanita. |
| Στεφάνωμα | Stephanoma. |
| Στίγμα | Stigma. |
| Στιχάριον | Sticharium. |
| Στολὴ | Stola. |
| Στόμα | Stoma. |
| Στροφὴ | Stropha. |
| Στρόφιον | Strophium. |
| Στρῶμα | Stroma. |
| Στυλίτης | Stylita. |
| Σύγγραφον | Syngraphum, |
| Συγκελλίτης | Syncellita. |
| Σύγκελλος | Syncellus. |
| Συγκληρὸς | Synclerus. |
| Συγκλητικὸς | Syncleticus. |
| Συγκόπτω | Syncopo. |
| Σύγκρισις | Syncriſis. |
| Σύγχρονος | Synchronus. |
| Συκόμορος | Sycomorus. |
| Συκοφάντης | Sycophanta. |
| Συλλαβὴ | Syllaba. |
| Σύλληψις | Syllepſis. |
| Σύμβολον | Symbolum. |
| Συμμαχία | Symmachia. |
| Συμμύστης | Symmyſta. |
| Συμπαίκτης | Sympæctes. |
| Σύμπονος | Symponus. |
| Συμποσίαρχος | Sympoſiarcha. |
| Συμφωνιακὸς | Symphoniacus. |
| Σύμφωνον | Symphonum. |
| Σύμψαλμα | Sympſalma. |
| Συναγωγὴ | Synagoga. |
| Συναπτὴ | Synapta. |
| Σύνδικος | Syndicus. |
| Συνέδριον | Synderium. |
| Σύνεδρος | Synedrus. |
| Σύνθεσις | Syntheſis. |
| Συνθήκη | Syntheca. |
| Σύνθημα | Synthema. |
| Συνοδεύω | Synodo. |
| Συνοδικὸς | Synodicus. |
| Συνοδύτης | Synodites. |
| Σύνοδος | Synodus. |
| Συνουσιαστὴς | Synuſiaſta. |
| Συντήρησις | Syndereſis. |
| Σύντροφος | Syntrophus. |
| Συνωνητὸν | Synonetum. |
| Συνωρὶς | Synoris. |
| Συροφοινίσσα | Syrophœniſſa. |
| Συρτικὸς | Syrticus. |
| Συστατικὸς | Syſtaticus. |
| Σφαιριστήριον | Sphæriſterium. |
| Σφαιριστὴς | Sphæriſta. |
| Σφενδῶν | Sphendon. |
| Σφίγξ | Sphinx. |
| Σχετικὸς | Scheticus. |
| Σχῆμα | Schema. |
| Σχίζα | Schiza. |
| Σχῖνος | Schinus. |
| Σχίσμα | Schiſma. |
| Σχισματικὸς | Schiſmaticus. |
| Σχολὴ | Schola. |
| Σχολαστικὸς | Scholaſticus. |
| Σχόλιον | Scholion. |
| Σῶμα | Soma. |
| Σωσάνιον | Soſania. |
| Σωτὴρ | Soter. |

## T

| | |
|---|---|
| Τάλαντον | Talentum. |
| Ταξίαρχος | Taxiarchus. |
| Τάριχος | Tarichus. |
| Ταριχοπώλης | Tarichopola. |
| Ταριχοπωλεῖον | Tarichopolium. |
| Τάφος | Taphus. |
| Τέγνον | Tegnon. |
| Τελείωσις | Telioſis. |
| Τελετάρχης | Teletarcha. |
| Τελετὴ | Teleta. |

| | |
|---|---|
| Τελώνιον | Telonium. |
| Τεσσαρεσκαιδεκατῖται | Teſſareſcædecatitæ. |
| Τεσσαρακοςός | Teſſaracoſtus. |
| Τετραγράμματον | Tetragrammaton. |
| Τετραδῖται | Tetraditæ. |
| Τετραετηρὶς | Tetraeteris. |
| Τετραευαγγέλιον | Tetraevangelium. |
| Τετραπλᾶ | Tetrapla. |
| Τετράπολις | Tetrapolis. |
| Τετράρχης | Tetrarcha. |
| Τετρὰς | Tetras. |
| Τετράςυλον | Tetraſtyglon. |
| Τιάρα | Tiara. |
| Τόμος | Tomus. |
| Τόνος | Tonus. |
| Τοπαρχία | Toparchia. |
| Τοπογραφία | Topographia. |
| Τοποτηρητὴς | Topoteretes. |
| Τραγέλαφος | Tragelaphus. |
| Τραγήματα | Tragemata. |
| Τραγωδία | Tragœdia. |
| Τραγῳδὸς | Tragœdus. |
| Τραπεζίτης | Trapezita. |
| Τραπητὸν | Trapetum. |
| Τρίβακος | Trebax. |
| Τρίγαμος | Trigamus. |
| Τριετηρὶς | Trieteris. |
| Τριήρης | Trieris. |
| Τριθεῖται | Tritheitæ. |
| Τρικλίνιον | Triclinium. |
| Τρίλωρις | Triloris. |
| Τρίμμα | Trima. |
| Τριπάσσαλον | Tripaſſalon. |
| Τρισάγιον | Triſagium. |
| Τρισμέγιςος | Triſmegiſtus. |
| Τριςάτης | Triſtata. |
| Τρίςεγος | Triſtegus. |
| Τρισώματος | Triſomatus. |
| Τρίχες | Tricæ. |
| Τρίχινας | Trichinas. |
| Τριώδιον | Triodium. |
| Τριώνυμος | Trionymus. |
| Τροπαιοφόρος | Tropæophorus. |
| Τροπολογία | Tropologia. |
| Τρόπος | Tropus. |
| Τρῦλλος | Trullus. |
| Τρυτάνη | Trutina. |
| Τυμπανιςεία | Tympaniſtaria. |
| Τύμπανον | Tympanum. |
| Τυπικὸς | Typicus. |
| Τυπογραφία | Typographia. |
| Τυπογράφος | Typographus. |
| Τυποθέτης | Typotheta. |
| Τύπος | Typus. |
| Τυφλοκομεῖον | Typhlocomium. |
| Τῦφος | Typhus. |
| Τυφὼν | Typhon. |

## Υ

| | |
|---|---|
| Ὑάδες | Hyades. |
| Ὑάκινθος | Hyacinthus. |
| Ὕδρα | Hydra. |
| Ὕδραυλος | Hydraulum. |
| Ὑδρία | Hydria. |
| Ὑδρομαντεία | Hydromantia. |
| Ὑδρομύςης | Hydromyſta. |
| Ὑδροπαραςάται | Hydroparaſtatæ. |
| Ὑδροσκόπιον | Hydroſcopium. |
| Ὑδρόφοβος | Hydrophobus. |
| Ὑδροφύλαξ | Hydrophylax. |
| Ὑμνέω | Hymnizo. |
| Ὑμνολογία | Hymnologia. |
| Ὕμνος | Hymnus. |
| Ὑπαντὴ | Hypante. |
| Ὑπαπαντὴ | Hypapante. |
| Ὑπασπιςὴς | Hypaſpiſtes. |
| Ὑπάτη | Hypate. |
| Ὕπατος | Hypatus. |
| Ὑπερασπιςὴς | Hyperaſpiſtes. |
| Ὑπερβερεταῖος | Hyperberitæus. |
| Ὑπερδουλεία | Hyperdulia. |
| Ὑπέρθεσμος | Hypertheſmus. |
| Ὑπέρπυρον | Hyperpyron. |
| Ὑπόβολον | Hypobolon. |
| Ὑποβρύχιον | Hypobrychion. |
| Ὑπόγειον | Hypogeum. |
| Ὑποδιάκονος | Hypodiaconus. |
| Ὑποθήκη | Hypotheca. |
| Ὑπόκαυςον | Hypocauſtum. |
| Ὑπόκρισις | Hypocriſis. |
| Ὑποκριτὴς | Hypocrita. |
| Ὑπομιμνήσκον | Hypomimniſcon. |
| Ὑπομνηματογράφος | Hypomnematograhus. |
| Ὑπομνηςικὸν | Hypomneſticum. |
| Ὑπόςασις | Hypoſtaſis. |
| Ὑςέρα | Hyſtera. |
| Ὕψωμα | Hypſoma. |
| Ὕωπα | Hyopa. |

## Φ

| | |
|---|---|
| Φαγέδαινα | Phagedæna. |
| Φαγολοίδορος | Phagolidorus. |
| Φανέρωσις | Phaneroſis. |
| Φαντασία | Phantaſia. |
| Φάντασμα | Phantaſma. |
| Φάρος | Pharus. |
| Φελόνιον | Phelonium. |
| Φερώνυμος | Pheronymus. |
| Φεῦ | Pheu. |
| Φιάλη | Phiala. |

Φυ-

| | |
|---|---|
| Φυλαργυρία | Philargyria. |
| Φιλάργυρος | Phylargyrus. |
| Φιλαυτία | Philautia. |
| Φιλοκομπικός | Philocompicus. |
| Φιλόπομπος | Philopompus. |
| Φιλοσοφία | Philoſophia. |
| Φιλοσόφος | Philoſophus. |
| Φιλοχρηςία | Philochriſtia. |
| Φολιδωτὸς | Pholidotus. |
| Φρατεία | Phratria. |
| Φροντηςίερον | Phrontiſterium. |
| Φρύγιον | Phrygium. |
| Φυλακτήειον | Phylacterium. |
| Φυσικὴ | Phyſica. |
| Φυσιολογία | Phiſiologia. |

## X

| | |
|---|---|
| Χαιρετισμος | Chæretiſmus. |
| Χαλκέδικος | Chalcedicus. |
| Χαλκέντερος | Chalcenterus. |
| Χαλκηδὼν | Chalcedon. |
| Χαλκὸς | Chalcus. |
| Χαμαιλέων | Chamæleon. |
| Χαμευνίαι | Chameuniæ. |
| Χάος | Chaos. |
| Χάραγμα | Charagma. |
| Χαράδιος | Charadrius. |
| Χαρακτὴρ | Character. |
| Χάρτον | Charta. |
| Χαρτοφυλάκιον | Chartophylacium. |
| Χαρτοφύλαξ | Chartophylax. |
| Χαρτοπράτης | Chartoprata, |
| Χάσμα | Chaſma. |
| Χειροθήκη | Chirotheca, |
| Χειροτονία | Chirotonia. |
| Χειρουργία | Chirurgia, |
| Χέλυδρος | Chelydrus. |
| Χιλιάςαι | Chiliaſtæ. |
| Χλαμὺς | Chlamys. |
| Χοϊκὸς | Choicus. |
| Χοιρόγρυλλος | Chœrogryllus. |
| Χοραγὸς | Choragus. |
| Χορεία | Chorea. |
| Χορὸς | Chorus. |
| Χείσμα | Chriſma. |
| Χειςιανοκατήγορος | Chriſtianocategorus. |
| Χειςιανὸς | Chriſtianus. |
| Χειςολόγος | Chriſtologus. |
| Χειςολύται | Chriſtolytæ. |
| Χειςὸς | Chriſtus. |
| Χειςοτόκος | Chriſtotocos. |
| Χειστοφοεία | Chriſtophoria. |
| Χρυσάργυρος | Chriſargyrum. |
| Χρυσολόγος | Chriſologus. |
| Χρυσόπρασος | Chryſopraſus. |
| Χρυσόρας | Chryſoras. |
| Χρυσόστομος | Chryſoſtomus. |
| Χυδαῖος | Chydæus. |
| Χυτρόποδος | Chytropodes. |
| Χῶμα | Choma. |

## Ψ

| | |
|---|---|
| Ψαλμογράφος | Pſalmographus. |
| Ψαλμὸς | Pſalmus. |
| Ψαλμωδία | Pſalmodia. |
| Ψαλτήειον | Pſalterium. |
| Ψάλτης | Pſaltes. |
| Ψευδῆ | Pſeudo. |
| Ψευδεπίγραφος | Pſeudepigraphus. |
| Ψευδομάρτυρ | Pſeudomartyr. |
| Ψευδομόναχος | Pſeudomonachus. |
| Ψιάθιον | Pſiathium. |
| Ψιμμύθιον | Pſimmythium. |
| Ψυχαγωγία | Pſychagogia. |
| Ψυχὴ | Pſyche. |
| Ψυχικὸς | Pſychicus. |
| Ψυχομαχία | Pſychomachia. |

## Ω

| | |
|---|---|
| Ὠμοφαγία | Omophagia. |
| Ὠμοφόειον | Omophorium. |
| Ὠράειον | Orarium. |
| Ὠειγένης | Origenes. |
| Ὠείων | Orion. |
| Ὠροσκόπος | Horoſcopus. |

F I N I S.

# APPARENTES
# SACRÆ SCRIPTURÆ
# CONTRADICTIONES

A

DOMINICO MACRO MELITENSI

Equite Aurato, Com. Palatino, Proton. Apoſtolico,
Cathedr. Eccleſiæ Viterbien. Canonico Theol.
ac Sacræ Congregationis Indicis Conſultore

CONCILIATÆ,

Atque ex ejuſdem ſchedis hac noviſſima editione maxime ampliatæ.

*Opus Concionatoribus, & Eccleſiaſticis utiliſſimum.*

# BENEVOLO LECTORI.

APparentes Sacrorum Voluminum Antilogias, ſeu repugnantias, ex eruditiſſimis præſertim P. Jacobi Tirini Commentariis, qui diſerte, & ex Sanctorum Patrum placitis univerſos tam veteris, quam novi Teſtamenti Codices expoſuit, & ex aliis præterea ſcriptoribus privato ſtudio; propriæque conſulens utilitati adnotare curaveram. Conſtitutus enim Romæ fuit conventus doctiſſimorum virorum a Sanctiſſimo Pontifice URBANO VIII. qui Biblia recognoſceret Arabica, ut ea poſtmodum ad Orientalium Chriſtianorum inſtitutionem imprimerentur. Tanto quippe ſtudio propagandæ religionis Summus ille Orbis terrarum Antiſtes incenſus erat. Nam Arabica lingua non ſolum Africæ populis eſt communior; verum etiam Perſis, Turcis, Tartaris, ac Mahometanæ ſuperſtitionis ſectatoribus univerſis Sacra. Fructuoſiſſimus igitur, ac ſaluberrimus hic exiſtimatus eſt labor: ſolertia præſertim, ac ſingulari prudentia Em. Car. Pallottæ, qui maxima aſſiduitate, ac incenſo ſtudio noſtræ Congreg. præerat. Ego igitur inter hujus cœtus Patres adlectus animadvertebam in ſingulis fere congreſſibus difficultates ſane permagnas ex Sacræ Scripturæ locis in ſpeciem repugnantibus emergere, qui addubitare plurimum, & hærere nos cogerent. Perneceſſarium igitur hunc ego laborem ſuſcepi, & quantum mihi per facultatem licuit exantlavi, ut hoc fructu privatim ipſe perfruerer. Sed parendum cœtus Sodalibus, & Collegis fuit, qui me ad eum publicandum, & cum aliis communicandum, nondum plane maturum, ac perfectum impulerunt. Quamquam multa equidem ſtudio, ac de induſtria prætermiſi. Permultos enim locos intactos volui, quia eos conciliare ſupervacaneum, & optimis ingeniis injurium videbatur. Nonnulla tamen paradoxa, quæ prima facie abſurda, & veritati contraria videbantur, acceſſerunt. Fruere itaque lector amico labore, meque Deo, cœlitibuſque commendatum plurimum velis, ac Vale.

CON-

# CONTRADICTIONES APPARENTES.

## EX LIBRO GENESIS.

CAP. 1. v. 27. [ Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuum: ad imaginem Dei creavit illum, maſculum & fœminam creavit eos. ] Cum uterque tam vir, quam mulier fuerint creati ad imaginem Dei, cur igitur Apoſtolus ſcribit ad Corinthios, epiſt. 1. cap. 11. v. 7. [ Vir quidem non debet velare caput ſuum, quoniam imago, & gloria Dei eſt; mulier autem gloria viri eſt. ] Quibus verbis videtur innui, mulierem non eſſe imaginem Dei. Solvit hanc quæſtionem S. Thom. 1. part. quæſt. 93. art. 4. ad 1. ubi ait, tam in viro, quam in muliere inveniri imaginem divinam ſecundum id, quod importat ratio imaginis principaliter, ideſt, quoad naturam intellectualem. In viro autem invenitur aliquid aliud, quod importat ratio imaginis ſecundario, quia vir eſt principium & finis mulieris, ſicut Deus eſt principium totius creaturæ; & de hac ſecunda imagine loquitur S. Paulus. Aliter ſolvit eandem difficultatem Abraham Ecchellenſis vir profundæ eruditionis in Hiſtoria Arabum cap. 14. nam mulier non eſt imago Dei immediata, quia condita fuit ad imaginem viri ſui.

Ibid. v. 28. [ Creſcite, & multiplicamini. ] Hoc contradicit textui novi Teſtamenti Matth. 19. [ Non expedit nubere. ] Aliiſque conſiliis novæ legis multis in locis commemoratis, quæ irrident Hebræorum Rabbini, ac reprehendunt Chriſtianum cœlibatum. Reſp. Iſtud non fuiſſe præceptum, ſed tantum ſimplicem benedictionem, de hac controverſia diſputat fuſe Bellarm. tom. 4. de gratia, & colligitur manifeſte ex verbis antecedentibus: [ Benedixit illis Deus. ] Et confirmatur ex eo, quod eadem verba dixerit Deus piſcibus, ac avibus, in quibus non poteſt eſſe præceptum. Hac igitur benedictione communicavit Deus virtutem illis procreandi ſibi ſimile. De Chriſtianorum cœlibatu prophetavit Iſaias: [ Quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui cuſtodierint ſabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius a filiis, & filiabus; nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit, cap. 56. ] utique loquitur cum illis, qui ſe caſtraverunt propter regnum cœlorum.

Cap. 4. v. 26. [ Quem vocavit Enos, iſte cœpit invocare nomen Domini. ] Quomodo cœpit iſte invocare Deum, ſi prius Cain, & Abel obtulerant Deo ſacrificia, invocantes quidem nomen ejus, ut habetur ſupra, v. 3. R. Cain, & Abel cognoverunt Deum, illique munera obtulerunt; ſed non invocarunt eum precibus; ita R. Salomon, quem ſequitur R. Iſaac Abravanel. Melius tamen conciliantur hæc loca, ſi dicamus Adam, Cain, & Abel cognoviſſe quidem Deum, ſed Ennos cœpit tanquam ſapiens docere alios Dei notitiam. Unde lectio hebræa habet: [ Tunc cœptum eſt invocari nomen Domini: ] ideſt, publice, ut explicat R. Manaſſes Ben Iſrael in ſuo Conciliatore.

Cap. 5. v. 26. [ Mathuſala poſtquam genuit Lamech, vixit ſeptingentis octoginta duobus annis. ] Quod ſi verum eſſet, ſequeretur Mathuſala vixiſſe uſque ad finem diluvii, nempe anno a creatione mundi 1656. & tamen nulla fit mentio ipſum ingreſſum fuiſſe arcam. Pro ſolutione hujus difficultatis ſupponendum eſt, falſam fuiſſe ſententiam aliquorum, qui cenſuerunt hos annos, quorum ſæpe meminit Scriptura, non fuiſſe integros: ſi enim hoc pro libitu dicere licitum eſſet in prima mundi ætate, certe idem in ſequentibus ætatibus aſſerere licebit, atque ita incertæ eſſent omnes Chronologiæ. Reſpondeo igitur: verum quidem eſt a nato Lamech uſque ad diluvium præciſe numerandos eſſe annos 782. tot quoque fuiſſe uſque ad obitum Mathuſala. Cum ergo conſtet ipſum non ingreſſum eſſe arcam, dicendum eſt ultimum ætatis ſuæ annum non fuiſſe completum, ſed inchoatum. Ajunt enim Hebræi, & præcipue R. Salomon, Mathuſala ſeptem diebus ante initium diluvii e vita exceſſiſſe, quod colligunt Rabbini ex illis verbis Gen. 7. v. 10. [ Cumque tranſiſſent ſeptem dies. ] Hoc enim ſpatium conceſſit Deus ad celebrandas exequias, & luctum ſuper Mathuſala. Ita fatetur R. Nehenias in Rabot. cap. 32. ſe didiciſſe a R. Juda. Non vixit ergo Mathuſala poſt diluvium, quia tam ex Vulgata, quam ex Joſepho colligitur manifeſte, quo anno accidit diluvium, Mathuſalem diem obiiſſe: nam, ſi anno 187. vitæ ſuæ genuit Lamech, ut habent etiam LXX. relinquitur ſpatium vitæ Mathuſalem annorum 782. ex quibus ſi demas annos 182. Lamech ante genitum Noe, & ipſius vitæ Noe 600. quando ingreſſus eſt in arcam, efficientur anni 782. quos vixit Mathuſalem poſt ortum Lamech. Quin etiam ſi Hieronymum ſequi volumus in eo, in quo cum LXX. convenit, ante diluvium anno ſexto mortuum Mathuſalem confiteri cogemur. Nam ubi Vulgata editio habet: [ Vixit autem Lamech 183. annis. ] LXX. habent 188. quibus ſi addantur anni 600. vitæ Noe ante diluvium, tota ſumma erit 788. annorum. Poſt ortum autem Lamech ſuperſtes fuit Mathuſalem annis 782. Ergo ſexennio ante diluvium vita exceſſerat.

Cap. 6. v. 3. [ Eruntque dies illius (*ſcilicet hominis*) centum viginti annorum. ] Hic textus non concordat cum eo, quod narratur cap. 11. Geneſ. infra, ubi Sacra Scriptura aliquos commemorat, qui poſt diluvium hunc annorum numerum exceſſerunt. Reſpondeo, Deus non ſtatuit ſingulis hominibus hunc annorum numerum, ut volunt Joſeph. Lactant. & Procop. apud Salianum, quia de facto multi, ut diximus, diutius ſupervixerunt: ſed toti generi humano

hoc annorum tempus præſcripſit ad agendam pœnitentiam ante adventum diluvii, & ſic tanquam inducias hoc ſpatium indulſit.

Cap. 7. v. 11. [ Anno ſexcenteſimo vitæ Noe, menſe ſecundo, ſeptimodecimo die menſis rupti ſunt omnes fontes abyſſi &c. ] Cœpit igitur diluvium menſe ſecundo delapſis imbribus per dies quadraginta, quibus ſi adjicias centum quinquaginta dies, quibus duraverunt aquæ ſuper terram, omnes conficient dies centum nonaginta, nimirum, ſex menſes. Quomodo igitur cap. 8. v. 4. contrarium aſſeritur his verbis. [ Requievitque arca menſe ſeptimo vigeſimo primo die menſis ſuper montes Armeniæ: ] nam, ſi bene computantur menſes, deberet eſſe octavus. Reſpondet R. Elihezer menſem ſeptimum non eſſe computandum ab anni principio;ſed a die, quo ceſſaverunt pluviæ. Sed melius R. Gerundenſis ait illos quadraginta dies contineri in aliis centum quinquaginta, qui conficiunt menſes quinque;& ſic verum erit,quod arca requieverit menſe ſeptimo,numerãdo ab ãni principio.

Cap. 15. v. 16. [ Generatione autem quarta revertentur huc. ] Iſti promiſſioni divinæ factæ Abrahamo contradicit veritas hiſtoriæ, quia quinta generatione reverſum eſt ſemen Abraham in terram promiſſionis. Reſp. generationes in hoc capite numerandas eſſe a tempore, quo Iſrael fuit in captivitate; nam Judas fuit primus, deinde Phares, tertio Heſron, quarto Caleb, qui ingreſſus eſt terram promiſſionis, ita R. Salomon, & R. Iſaac Abravanel.

Cap. 22. v. 5. [ Dixitque ad pueros ſuos, expectate hic cum Aſino, ego, & puer illuc uſque properantes, poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos. ] Hic textus contradicit verbis ſupra allatis verſ. 2. ubi clare dicitur Iſaac immolandum, quomodo igitur ambo erant reverſuri? Reſpondeo ex mente S. Pauli ad Hebr. 11. Abraham ſibi perſuadebat Iſaac a mortuis revocandum eſſe a Deo, vel certe non permiſſurum Deum Iſaac immolari. [ Arbitrans, quia & a mortuis ſuſcitare potens eſt Deus. ] Sciebat enim non poſſe decipi ab eo, qui promiſerat ex Iſaac naſciturũ Meſſiam, unde certus erat ſe reverſurum cum filio ad ſervos.

Cap. 25. v. 6. [ Filiis autem concubinarum largitus eſt munera, & ſeparavit eos ab Iſaac filio ſuo. ] Concubinarum nomine intelliguntur Cetura, & Agar, quæ tamen aliis in locis vocantur uxores, ita vocatur Cetura hoc eodem capite, v. 1. & Agar, cap. 16. v. 13. infra, ſi ergo erant uxores, cur appellantur concubinæ? Reſpondeo, veræ, ac legitimæ uxores erant, quia tamen ignobiliores, ac ſervæ, vocantur concubinæ, quaſi concubantes, quarum filii non habebant jus ad paternam hæreditatem, ſed primaria uxor erat Domina, ejuſque filiis integra debebatur hæreditas, cæteris vero dona pro Patris arbitrio dabantur. FR. V. *Concubina* in Hierol.

Cap. 32. v. 24. [ Et ecce vir luctabatur cum eo uſque mane. ] Hic tamen vir vocatur Angelus. Oſee c. 12. imo infra, v. 28. Dei nomen ſibi uſurpat, dicens: [ Quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines prævalebis? ] Reſpondeo, vere fuit Angelus; dicitur nihilominus Jacob fortis contra Deum, eo quod Angelus ille repræſentabat perſonam Dei. Vocatur autem vir, quia eam formam viſibilem aſſumpſerat.

Ibidem v. 30. [ Vidi Deum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea. ] Sunt verba Jacob, quibus manifeſte contradicunt alii textus; nam Moyſi dixit Deus Exod. 33. v. 20. [ Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, & vivet. ] Et in Evangelio Joan. 1. verſ. 18. [ Deum nemo vidit unquam. ] Theologi paſſim agunt de præſenti difficultate, an ſcilicet viator poſſit videre divinam eſſentiam: ſed omiſſis Theologorum quæſtionibus, reſpondeo cum S. Eucherio, Jacob non vidiſſe eſſentiam Dei; ſed ſpeciem aliquam viſibilis creaturæ, quæ humanis poterat apparere conſpectibus, ſubjecta Divinæ poteſtati. ac Deum ipſum repræſentans; imo Rabbini intelligunt prædicta verba de Angelo luctante, qui vocatur *Eloim* in text. Hebr.

Cap. 34. v. 30. [ Jacob dixit ad Simeonem, & Levi: Turbaſtis me, & odioſum feciſtis me. ] Quibus verbis Jacob reprehendit hos duos filios injuſtæ vindictæ contra ſororis raptores, in qua vindicta graviter deliquerunt multiplici ex capite, primo imprudentiæ; inſcio enim Patre hoc patrarunt. Secundo injuſtitiæ, moventes bellum auctoritate privata non conſulto Patrefamilias, apud quem erat jus vindictæ. Tertio proditionis; ulciſcuntur enim injuriam jam condonatam. Quarto ſacrilegii; nam doloſe abutuntur circumciſione Quinto crudelitatis, quia graviter læſos, & afflictos ex recenti vulnere occiderunt. Sexto oppreſſionis innocentum; non enim ſolum raptorem, ſed omnes maſculos jugularunt. Ideo Jacob moriens maledixit his filiis.Gen.49.v.5. [Simeon, & Levi fratres vaſa iniquitatis bellantia] His non obſtantibus in Judith 9. v. 2. commendatur hæc actio his verbis: [Deus Patris mei Simeon,qui dediſti illi gladium in defenſionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione ſua, & denudaverunt femur virginis in confuſionem, & dediſti mulieres illorum in prædam, & filias illorum in captivitatem, & omnem prædam in diviſionem ſervis tuis qui zelaverunt zelum tuum. ] Reſpondeo, Deus in hoc caſu ſe geſſit ſicut cum Nabuchodonoſore, cui præceperat Tyri expugnationem; item dat opes,ac vires Tyrannis ad puniendos rebelles, qui juſtam vindictam promeriti fuerant, licet ille actus, quo utuntur Tyranni ad exequendam divinam voluntatem, diſpliceat ipſi Deo. Sicut in præſenti caſu. Volebat Deus ulciſci probroſum raptum Dinæ, uſus eſt zelo Simeonis, & Levi, qui zelo pudicitiæ ad ultionem movebantur, ex quo capite digni erant præmio, & laude. At quia zelus iſte fuit imprudens, injuſtus, crudelis, ac virtutum limites excedens, graviſſime peccarunt, & ſecundum hanc conſiderationem non ſervierunt divinæ volun-

punitati. Simili etiam modo obſtetrices Ægyptiæ, quæ mendacio tutatæ ſunt puerorum Hebræorum vitam, benedictionem meruerunt a Deo non propter mendacium, ſed propter pium affectum, & beneficium Hebræis præſtitum. Nam poteſt in una eademque actione aliquid eſſe boni, & præmio digni, & aliquid mali, quod oderit, ac puniat Deus.

Cap. 35. v. 10. [ Non vocaberis ultra Jacob, ſed Iſrael erit nomen tuum,]& tamen eodem capite vocatur Jacob; nam v.26.[Hi ſunt Filii Jacob. ] Reſp. Verba Angeli intelligenda eſſe hoc modo, nimirum, Præcipuum nomen in poſterum erit Iſrael; non tamen auferetur penitus nomen Jacob, ſed erit acceſſorium.Ita Rabbini communiter.

Cap. 37. v.10. [ Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te ſuper terram? ] Quomodo hoc dicere poterat Jacob, ſi Rachel Mater Joſephi jam obierat, ut dicitur, cap. 35. v. 19. ſupra? Reſpondeo, non loquitur de Rachele jam mortua; ſed de ejus ancilla nomine Bela, quæ nutrix fuerat Joſephi,ac in matris locum ſucceſſerat; ita Lyran. & Toſtat.ſæpe enim in ſacris litteris reperies tales mulieres vocari matres, ut erudite notavit R.Manaſſes Ben. Iſrael, lib. 1. de Reſurrect. cap. 1. Vel hoc dixit prudens Pater, ut oſtenderet eſſe impoſſibilem, & ſic mederetur fratrum livori: ita R. Salomon.

Cap.40.v.19. [Auferet Pharao caput tuum. ] Hoc videtur contradicere verbis ſequentibus: [ Suſpendet te in Cruce. ] Et de facto non fuit illi præciſum caput. Reſpondeo, eſt locutio hebraica, in qua ſæpe ſumitur caput pro ipſo homine: unde ſignificat: Pharao auferet te de numero viventium.

Cap. 41. v. 16. [Abſque me Deus reſpondebit proſpera Pharaoni. ] Sunt verba Joſephi, qui tamen ipſemet poſtea prolixe reſpondit Pharaoni explicans ei ſomnium. Reſpondeo, eſt Hebraiſmus *Abſque me*, ideſt, non ego ex mea ſapientia; ſed Deus per me tanquam per inſtrumentum reſpondebit, & ſomnium explicabit. Confirmatur ex Textu Græco: Ἄνευ τῶν Θεοῦ οὐκ *ἀποκριθήσεται τὸ σωτήριον Φαραώ*. Nimirum: [ Abſque Deo non reſpondebitur ſalutare Pharaoni.

Cap. 46. v.6. [ Venitque in Ægyptum cum omni ſemine ſuo, filii ejus, & nepotes, filiæ, & cuncta ſimul progenies. ] Hic fit mentio filiarum Jacob, qui tamen præter unam Dinam nullas habuit filias, ut habetur infra ver. 15. Reſpondeo ex Rabinorum traditionibus in Jalcut. In unoquoque partu, quo editus eſt aliquis ex duodecim Patriarchis, ſimul nata eſt & filia, quæ omnes poſtea fratribus nupſerunt, ne Patriarchæ miſcerentur Gentibus; ita ut filii Liæ duxerint gemellas aliorum fratrum, & alii rurſus gemellas harum. Unius autem Dinæ fit mentio, quia in hoc partu non ſunt nati gemini. Neque mirari convenit, quod reliquas ſorores Scriptura reticeat; nam etiam omittit filias Adami, quæ Caino, & Abel nupſerunt: ita R. Jehuda Bar-Iſaj, qui confirmat ſuam ſententiam ex Scriptura hujus capitis, v. 26. [ Cunctæ animæ, quæ ingreſſæ ſunt cum Jacob in Ægyptum, & egreſſæ ſunt de femore illius, abſque uxoribus filiorum ejus. ] Ergo uxores filiorum ex eodem femore provenerunt, alioquin ſuperflua viderentur hæc ultima verba.

Ibidem v. 26. [ Cunctæ animæ, quæ ingreſſæ ſunt cum Jacob in Ægyptum,& egreſſæ ſunt de femore illius, abſque uxoribus filiorum ejus, ſexaginta ſex. ] Cui textui repugnat verſus ſequens 27. ubi ſeptuaginta numerantur. Inſuper Act. 7. v. 14. S. Stephanus numerat ſeptuaginta quinque: [Et omnem cognationem ſuam in animabus ſeptuaginta quinque. ] Reſpondeo in primo computo non comprehenduntur Jacob & Joſeph, ac ejus duo filii, Ephraim & Manaſſes, qui ſi addantur, conficiunt numerum ſeptuagenarium. R. Levi refert ſe accepiſſe a R. Samuel, matrem Moyſis numerari in iſto computo, quia concepta quidem fuit in terra Chanaam, ſed nata in Ægypto, quod colligit ex cap. 18. Num. In actis vero Apoſtolorum S. Stephanus numeravit etiam quinque nepotes Joſephi, nimirum Machir filium Manaſſes, & Galaad filium Machir, item Suthala, & Thaan filios Ephraim,& Edom filium Suthala: qui omnes in Ægypto nati erant, ut patet ex Num. cap. 26. & ex 1. Paral 7. vel S.Stephanus addidit Jacob cum quatuor uxoribus, quas non numeravit textus Geneſis.

Cap. 48. v.22. [ Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio,& arcu meo.] Contradicunt duo alii textus; nam Geneſ. 33. v. 19. & Joſue ult. v. 333. aſſeritur manifeſte hunc agrum emptum fuiſſe a Jacob pretio centum agnorum. Reſpondeo: Jacob vere emerat hunc agrum, at dein metu compulſus ob ſtragem Sichimis illatam a duobus filiis ſuis agro exceſſerat,quem invaſerunt Amorrhæi,quos poſtea Jacob rediens vi & armis expulit, ita Per. & Cor. a Lapide.

Cap. 49. v. 7. [Dividam eos in Jacob, & diſpergam eos in Iſrael ] Iſta eſt maledictio data Simeoni, & Levi; at quomodo diſperſi ſunt, ſi proprias ſedes obtinuit cum aliis fratribus Simeon, ut patet ex c. 19. Joſue v. 1. ubi dicitur: [ Et egreſſa eſt ſors ſecunda filiorum Simeon per cognationes ſuas;fuitque hæreditas.]Ergo filii Simeon non fuerunt diſperſi, ſicut filii Levi,quibus non fuit conſignata certa terræ pars. Reſpondeo, ſolutio pendet ex verbis ejuſdem cap. 19. v. 9. [ In poſſeſſione, & funiculo filiorum Juda, quia major erat: & idcirco filii Simeon poſſederunt in medio hæreditatis eorum: ] Judaicæ enim Tribui, quæ prima erat, plus ſpatii contigerat errore Geometricorum, qui error correctus fuit juſſu Principum: tunc filii Simeon prima poſſeſſione privati, & inter poſſeſſionem filiorum Juda excepti, in alterius Tribus terminis habitarunt:Ita Abulen.Inſuper cum poſtea creviſſet Tribus Simeonis novas ſedes, & poſſeſſiones ſibi quæſivit, ut habetur Par. 4. Denique Scribæ, ac Legiſperiti erant ex iſta Tribu oriundi, qui per omnes Tribus diſ-

perſi ſunt, ut populum in lege inſtruerent, ita Cornel. a Lapide, & R. Salomon.

## EX LIBRO EXODI.

CAP. 7. v. 17. [ Ecce percutiam virga, quæ in manu mea eſt, aquam fluminis, & vertetur in ſanguinem. ] Et tamen v. 19. ejuſdem capitis Aron percuſſit aquas, & non Moyſes. [ Dic ad Aron, tolle virgam tuam, & extende manum tuam ſuper aquas. [Reſpondeo, Moyſi præceptum fuit, ut Nilum percuteret; Aroni vero, ut reliquos amnes, & rivos percuteret: ita Iſaac Abravanel, qui ex ipſis verbis Scripturæ ſatis congrue colligit hanc conciliationem.

Cap. 9. v. 6. [ Mortuaque ſunt omnia animantia Ægyptiorum. ] Hoc non videtur concordare cum eo, quod narratur eodem capite, v. 9. [ Erunt enim in hominibus, & jumentis ulcera ] & v. 19. invenitur alia contradictio: [ Congrega jumenta tua ] ſi omne animal mortuum fuerat, quomodo ſuper jumenta immiſit Deus ulcera, & poſtea grandines? Reſpondeo, animalia ſolum in agris mortua ſunt in priori plaga, ita R. Salomon, & R. Iſaac Abravanel, qui probant hanc expoſitionem ex verbis ejuſdem capitis v. 3. quibus denunciatur Pharaoni plaga. [ Ecce manus mea erit ſuper agros tuos. ] Dicere etiam licebit externos mercatores armenta aſportaſſe in Ægyptum, ac vendidiſſe.

Cap. 12. v. 2. [ Menſis iſte vobis principium menſium primus erit in menſibus anni. ] Iſte Menſis erat Niſan, qui Martio correſpondet; contra vero legimus, c. 23. v. 16. [ Solemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro. ] Iſte vero menſis erat Thiſrin, qui noſtro Septembri correſpondet. Dubium igitur oritur, quomodo nunc aſſignatur Martius, nunc September pro anni capite? Reſp. Menſis Niſan erat principium anni ſacri, ſecundum quem Neomeniæ feſta, ac reliqua omnia Sacra totius anni componi debebant, ac ſecundum ſupputationem Regum Iſrael. September vero erat principium anni civilis apud Hebræos etiam ante Dei præceptum, & juxta calculum hujus anni civilis omnia negotia politica, & contractus dirigebantur. Imo annus Sabbaticus, & Jubilæi etiamſi ſacri eſſent, quia tamen multos contractus civiles venditionis, locationis, mutui, & alios ſimiles continebant, a Menſe Septembri inchoabantur, ut aſſerunt Joſephus, Philo, & alii Rabbini: & ſane ſi a vere inchoarentur iſti anni, cum abſtinendum tunc eſſet ab omni ſatione, & meſſe, duobus annis continuis ſua meſſe caruiſſent Hebræi; nam inchoato anno Sabbatico a Martio meſſis in agro relinquenda eſſet; proximo quoque autumno abſtinendum erat a ſatione, atque ita ſequenti quoque anno nulla fuiſſet meſſis. At incipiendo ab autumno una tantum meſſis peribat, numquam duæ, niſi annus Sabbaticus anno Jubilæi immediate jungeretur. Tunc autem Deus conſulebat populo inuſitata anni præcedentis fertilitate.

Cap. 12. v. 40. [ Habitatio autem filiorum Iſarel, qua manſerunt in Ægypto, fuit quadrigentorum triginta annorum. ] Certum tamen eſt filios Iſrael non manſiſſe tanto tempore in Ægypto. Nec poteſt ſumi tempus hoc a peregrinatione Abrahami in Ægypto, & Cananitide. Obſtat enim Text. Gen. 15. ubi Deus promittit Abrahamo poſteros ejus peregrinos fores annos 400. Reſpondeo igitur ab illa prædicatione uſque ab ablactatum Iſaac, fluxiſſe annos triginta, & inde ad egreſſum filiorum Iſrael ab Ægypto annos 400. qui ſimul conficiunt annos 430. Confirmatur teſtimonio S.Pauli ad Gal. 3. v. 17. ubi ait Legem poſt tertium menſem ab egreſſu filiorum Iſrael datam a Deo, fuiſſe promulgatam annis 430. poſt promiſſionem Abrahæ factam.

Cap. 12. v. 42. [ Nox iſta eſt obſervabilis Domini, quando eduxit eos de terra Ægypti. ] Eodem vero capite, v. 51. [ Et eadem die eduxit Dominus filios Iſrael de terra Ægypti. ] Et Deut. 16. v. 6. [ Immolabis Phaſe veſpere ad Solis occaſum, quando egreſſus es ex Ægypto. ] Ad concordandas has diverſas ſcripturas, ſupponendum eſt, in ſacris paginis verba non ſumi in actu perfecto, ſed in fieri, vel actu continuato, vel ſolum inchoato. Unde quando dicuntur Iſraelitæ egreſſi veſpere, loquitur textus de principio egreſſionis, cum immolarunt, ac comederunt agnum, ſuaque convaſarunt; noctu vero cæſis Ægyptiorum primogenitis acceperunt a Pharaone veniam, imo mandatum exeundi, & itineri ſe accinxerunt. Mane denique re ipſa egreſſi ſunt.

Cap. 13. v. 6. [ Septem diebus veſceris azymis. ] Hoc præceptum alibi repetit Dominus, cui tamen obſtat c. 16. Deut. v. 8. [ Sex diebus comedes azyma, ] Sed facilis eſt conciliatio horum textuum; nam hic in Deuteronomio præſcribitur Iſraelitis celebratio Paſchæ Hieroſolymis tantum facienda, & non alibi. Secundo vero die unuſquiſque poterat reverti in domum ſuam. Non igitur in his ſex diebus comprehenditur dies azymorum; ſed ſex ſequentes poſt diſceſſum, ut clare colligitur ex verbis capitis, & notavit R. Iſaac Abravanellus.

Cap. 14. v. 20. [ Stetit inter caſtra Ægyptiorum, & caſtra Iſrael; & erat nubes tenebroſa. ] Statim vero additur: [ Et illuminans noctem. ] Quæ propoſitiones ſunt omnino oppoſitæ. Reſpondeo, Nubes hæc poſita inter Hebræos, & Ægyptios inſequentes, ex ea parte, quæ reſpiciebat Ægyptios, erat denſior, atque ideo tenebroſa, impediens acceſſum ad Hebræos, verſus quos erat lucida radios emittens uſque ad primam Hebræorum aciem; ita Toſt. & Perer.

Cap. 16. v. 31. [ Guſtuſque ejus quaſi ſimilæ cum melle. ] Loquitur ſacer textus de mannæ ſapore, cui contradicit cap. 11. Num. v. 8. [ Et facies ex eo tortulas ſaporis panis oleati. ] Aliqui reſpondent, ſaporem man-

mannæ fuiſſe immutatum fractione molæ, & coctione, ut clare patet ex verbis ipſius textus; ita ſenſere quamplurimi Rabbini. Poſſum etiam addere id, quod legitur in libro Midras, nempe, Viri juſti comedebant manna quale cœlitus demiſſum fuerat; alii vero gulæ dediti vertebant manna in placentas, quæ non continebant mellis dulcedinem, ſed olei ſaporem.

Cap. 20. v. 5. [ Viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem. ] Contrarium aſſeritur ab Ezechiele, cap. 18. v. 20. [ Filius non portabit iniquitatem patris ] Reſpondeo, primus locus intelligendus eſt conditionate, nimirum, ſi filii imitentur peccata Patrum, ita Hieron. in Ezech. 18. Aug. in quæſt. veteris, ac novi teſtamenti, cap. 14. Greg. 15. Mor. cap. 22. Chryſ. in Pſalm. 48. Theod. quæſt. 40. in Exod. S. Thom. 1. 2. quæſt. 87. art. 8. Eandem expoſitionem ſequuntur multi Rabbini, quorum aliqui addunt, quod in hoc capite Propheta prohibet in humano judicio punitionem filiorum ob parentum delicta; at Deus, qui novit abſcondita cordis, aliquando caſtigat filium æmulum paternæ pravitatis; ita R. David Kimchi.

Cap. 25. v. 15. [ Qui ſemper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ab eis ] loquitur textus de vectibus, qui ſemper erant annulis affixi, nec unquam amovebantur; & tamen contrarium aſſeritur, cap. 4. Num. v. 6. [ Extendentque deſuper pallium totum hyacinthinum, & inducent vectes. ] Igitur Levitæ quando ſublevabant arcam apponebant de novo vectes. Reſpondeo, Levitæ inducebant vectes, ideſt, aptabant illos pro libitu, ita tamen, ut non eximerent eos ab annulis, ut explicat R. Moyſes Gerundenſis, cui aſſentitur R. Iſaac Abravanellus. Alii vero aſſerunt fuiſſe quatuor vectes in arca, quorum duo ſemper inſerti manebant annulis, duo vero ſupponebantur a Levitis, quando arca tollenda erat. Alii denique Rabbini ajunt vectes ſublatos ad aptandum pallium, & cooperiendam totam arcam; quod non erat prohibitum.

Cap. 33. v. 11. [ Miniſter ejus Joſue filius Nun puer non recedebat de tabernaculo: ] Et tamen ut colligitur ex cap. 17. Exod. v. 9. Joſue jam tunc agebat annum 53. eratque magiſter militiæ, quomodo ergo erat puer? Reſpondeo, puer ſignificat juvenem: juventutem enim ad 45. annum producit Varro, & ad 46. Servius Tullius, præcipue tunc temporis, quando hominis vita productior erat. Vel puer ſignificat cælibem, quia, ut probat Serarius, Joſue numquam matrimonii vinculis fuit irretitus.

Cap. 34. v. 15. [ Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum: ] Dein v. 16. [ Nec uxorem de filiabus eorum recipies ] Huic legi contradicit alia Deut. 21. v. 11. ubi permittitur ducere ſibi uxorem de mulieribus in bello captis. Reſpondeo, iſta prohibitio intelligitur, quamdiu uxor permanſerit in ſua infidelitate, cum ſit periculum avertendi cor Viri ad Deos alienos: ſecus autem ſi ad Judaicam religionem tranſierit; ſic Salmon duxit meretricem Rahab, ſic Booz Rut Mo-habitidem, & alia exempla. Contra vero reprehenditur Salomon, eo quod mulieres infideles duxerit ſibi uxores. Nec obſtat, ſi Sampſon Philiſtæam infidelem acceperit, & Eſther cum Aſſuero matrimonium contraxerit. Nam id peculiari Dei diſpenſatione factum eſt, qui etiam periculum prævaricationis avertebat, & magnum inde bonum eliciebat.

Cap. 37. v. 1. [ Fecit arcam habentem duos ſemicubitos in longitudine. ] Quibus verbis opponitur alius text. Exod. 25. v. 10. ] Arcam compingite, cujus longitudo habeat duos, & ſemis cubitos. ] Reſpondeo, facilis eſt ſolutio; nam in primo text. ſubintelligitur particula *&*, dicendum enim eſt: [ Duos, & ſemis cubitos. ] Ita etiam legit Arab. text. dicens: [ Duos cubitos cum dimidio.

Cap. 37. v. 14. [ Contra coronam. ] Exodi vero 25. v. 26. [ Subter coronam. ] Reſpondeo idem eſſe hoc in loco *contra*, ac *ſubter*; nam verbum *Leomod* ſignificat apte, ut non excedat.

## EX LEVITICO.

CAP. 16. v. 29. [ Menſe ſeptimo decima die menſis affligetis animas veſtras. ] Huic præcepto contradicit aliud in cap. 23. v. 32. [ Affligetis animas veſtras die nono menſis. ] Reſpondeo, hic textus loquitur de principio jejunii, quod incipiebat a Veſperis diei noni, & protrahebatur uſque ad Veſperas diei decimi, ut additur ibi: ] A Veſpera uſque ad Veſperam.

Cap. 17. v. 3. [ Si occiderit bovem, aut ovem, ſive capram in caſtris, vel extra caſtra, & non obtulerit ad oſtium tabernaculi oblationem Domino, ſanguinis reus erit: ] Loquitur textus de occiſione ſacra, nempe de ſacrificio, quæ non poterat fieri, niſi in atrio; & tamen contra hoc Dei præceptum Samuel ſacrificavit in Maſpha, 1. Reg. 7. v. 9. Elias in monte Carmeli, 3. Reg. 18. v. 33. Reſpondeo, ceſſantibus cauſis prohibitionis, ut ait S. Aug. qu. 56. in Lev. ceſſat ipſa prohibitio. Cauſæ autem hæ erant. Prima, ne laicus aliquis ſacrificandi munus ſibi arrogaret. Secunda, ne Idololatriæ pateret via ſacrificando in excelſis more Gentium.

Cap. 22. v. 25. [ De manu alienigenæ non offeretis panes Deo veſtro, & quidquid aliud dare voluerit. ] Contra hoc Dei præceptum Rex Darius 1. Eſd. 6. & Seleucus 2. Mach. 3. dicuntur miniſtraſſe ſumptus ad ſacrificia neceſſarios. Reſpondeo præceptum hoc prohibet oblationem immediatam, nam licebat accipere pecunias a Gentilibus ad emendas victimas etiam pro ipſis Gentilibus offerendas in templo.

## EX LIBRO NUMERORUM.

CAP. 3. v. 25. [ Habebunt excubias in tabernaculo fœderis. ] Loquitur de Levitis; & tamen Exod. 4. & alibi ſolis Sacerdotibus aſſignatum eſt munus cuſtodiendi tabernaculum, illudque ingrediendi. Reſpondeo

deo, *in tabernaculo*, idem eſt, ac ſi dicat *ſuper tabernaculum*, ſcilicet ſuper inſtrumenta ſacra, quæ cuſtodiebantur a Levitis, tum quando ſtabat tabernaculum, tum etiam cum deportabatur.

Cap. 3. v. 39. [Omnes Levitæ, quos numeraverunt Moyſes, & Aaron, juxta præceptum Domini per familias ſuas in genere maſculino, a menſe uno, & ſupra fuerunt viginti duo millia.] Hoc ſtare non poteſt cum calculo ſuperius connumerato, qui numerat viginti duos mille, & trecentos. Reſpondeo, illos trecentos inter Levitas ibi non numerari, eo quod totidem eſſent inter ipſos primogeniti poſt egreſſum ex Ægypto procreati, qui aliunde erant Deo dicati, nec venire poterant in aliorum Levitarum numerum. Nam Levitæ pro primogenitis aliarum Tribuum commutandi, ac in eorum locum ſubſtituendi Deoque appropriandi erant. Ita Comeſt. Abul. Lyran. Dion. Carthuſ. & Cajet.

Cap 11. v. 14. [Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum.] Quomodo juſte queri poteſt Moyſes ſe ſolum ſuſtinere populi gubernacula, ſi ex ſoceri conſilio elegerat tot millenarios, centenarios, quinquagenarios, ac decanos judices, ut dictum eſt Exod. 18. Reſpondeo, iſti ſolum adjuvabant Moyſen in civili adminiſtratione, & forenſibus negotiis.

Cap. 12. v. 1. [Propter uxorem ejus Æthiopiſſam.] Loquitur textus de uxore Moyſis, quæ tamen Exod. 2. v. 16. dicitur fuiſſe Madianitis ex Arabia. Reſpondeo, duplex eſt Æthiopia. Una Occidentalis ultra Ægyptum in Africa, quæ etiam Abaſia dicitur. Altera eſt Orientalis, quæ dicitur Arabia, & complectitur Madianitas, alioſque populos ad Arabicum ſinum vergentes verſus Auſtrum. Ita Lyr. Abul. Vatab. Herodot. Plin. S. Aug. Theod. Rab. Rup. Oleaſt. Corn. unde non eſt audiendus Joſephus, qui lib. 2. Antiq. c. 10. ait Moyſen in Ægypto commorantem geſſiſſe bellum contra Æthiopes, eoſque ſubjugaſſe, accepiſſeque ſibi in uxorem filiam Regis Æthiopum. Vel textus loquitur ironice; nam Sephora erat pulcherrima inter omnes mulieres, ut tradunt Rabbini. FR. Vide quæ dixi in Hierolexico dict. *Sephora*.

Cap. 20. v. 29. [Illo mortuo in montis ſupercilio,] nempe montis Hor. Idem confirmatur, c. 33. v. 3. & Deut. c. 32. v. 50. Contrarium aſſerit Moyſes Deut. c. 10. v. 6. [Filii Iſrael moverunt caſtra ex Beroth filiorum Ican in Moſera, ubi Aron mortuus, & ſepultus eſt.] Non poſſumus ſolvere hanc difficultatem, niſi admittamus Rabbinorum traditiones, qui aſſerunt Aaron vere mortuum in Hor; ſed filii Iſrael ob amiſſum patronum tam amantem populi decreverant redire in Ægyptum, & ſic jam reverſi fuerant in Moſera, ubi planxerunt Aronis mortem, qui dicitur ibi mortuus, quia ibi divulgata fuit ejus mors planctu, ac populi ululatu, ita ſcribit R. Bachie, ex traditione a R. Tanchuma, quem ajunt fuiſſe Platonis magiſtrum: deinde tribus Levi ſancto zelo arma contra Iſraelitas arripuit, & coegit, ut priori itineri inſiſterent: nam populus deſperare cœperat de ingreſſu in terram ſanctam.

Cap. 22. v. 22. [Et iratus eſt Deus.] Nimirum contra Balaam: & idem confirmatur verſ. ſeq. 32. dicens illi Angelus: [Quia perverſa eſt via tua, mihique contraria.] Quæ omnia non concordant cum iis, quæ habentur hoc eodem cap. v. 20. ubi Deus veniam eundi Balaamo concedit: *Surge, & vade cum eis*. Ergo non eſt dignus reprehenſione Balaam. Reſpondeo, Deus conceſſerat veniam, cum hac tamen conditione, ut nihil faceret, niſi quod ei præcepturus eſſet: At vero Balaam in itinere avaritia victus, animo ſtatuebat, ſi aliquo modo maledicere poſſet Hebræis, quod erat omnino contra Dei præceptum, ac voluntatem.

Cap. 25. v. 12. [Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipſi, quam ſemini ejus pactum Sacerdotii ſempiternum.] Quomodo ſtat iſta Dei promiſſio facta Phinees, ſi 1. Reg. 2. poſt ejus pronepotem translatus fuit Pontificatus ad Heli, qui erat de familia Ithmari, ut ait Joſephus, lib. 5. Antiq. cap. ult. & lib. 8. cap. 1. Reſpondeo, fœdus hoc conditionatum fuiſſe, nempe, ſi ejus poſteri in fide, ac Dei cultu conſtantes perſeveraſſent. Fœdera namque mutuam obligationem utrique parti inducunt; ita Dionyſ. Carth. Unde reſipiſcentibus poſteris Phinees tempore Davidis, & Salomonis, Pontificatus ipſis reſtitutus fuit, quem retinuerunt ſemper ſaltem uſque ad Herodis tempora, quando non amplius jure ſucceſſionis, ſed pretio, vel gratia Principum hic honor obtinebatur. Itaque fuit illi pactum Sacerdotii ſempiternum uſque ad finem Synagogæ, licet per tempus breve interruptum, & ſic Cajet. ait promiſſionem hanc fuiſſe juris, non facti.

Cap. 27. verſ. 12. [Aſcende in montem iſtum Abarim, & contemplare inde terram.] Alio vero in textu nempe Deut. 34. verſ. 1. [Aſcendit Moyſes ſuper Montem Nebo.] Reſpondeo, continuatio plurium montium vocabatur Abarim, quod hebraice ſignificat tranſitum, cujus una pars, ſeu jugum ad quod Moyſes aſcenderat, appellabatur Nebo. Ideo mons vocabatur Phaſga, quod ſignificat ſpeculam, ſeu montis ſupercilium. Mons igitur vocabatur Nebo, ſed alia nomina non ſunt propria; nam dicebatur Abarim, quia inde patebat tranſitus ad diverſa loca, vocabatur Phaſga ob loci eminentiam.

Cap. 32. v. 21. [Omnis vir bellator armatus Jordanem tranſeat.] Legimus tamen Joſue 4. v. 13. ſolum quadraginta millia tranſiſſe. Reſpondeo. *Omnis vir bellator*, ſcilicet a me, vel a Joſue deſignandus; nam aliqui ultra Jordanem remanſerunt ad cuſtodiendas Urbes.

## EX DEUTERONOMIO.

CAP. 2. v. 29. [Sicut fecerunt filii Eſau, qui habitant in Seir, & Moabitæ, qui morantur in Ar.] Sunt verba

ba legatorum Iſrael ad Sehon-regem, a quo petierant tranſitum, & victum pecunia comparandum, quemadmodum fecerant filii Eſau, & Moabitæ; & tamen iſtæ nationes negarunt tranſitum, & victum: ita Num. 20. v. 18. & Deut. 23. v. 3. Reſpondeo, iſta ultima verba intelligenda non ſunt de tranſitu, ſed de victu, quem vendiderunt Iſraelitis: ita conciliat hæc loca R. Salomon. Alii vero Rabbini referunt iſta verba *Sicut fecerunt* ad ſequentem periodum, nec eſſe prolata a legatis; ſed Sacra Scriptura narrat exitum rei, ſcilicet [ Sicut fecerunt filii Eſau &c. Noluitque Sehon rex Heſebon dare nobis tranſitum.

Cap. 4. v. 48. [ Uſque ad montem Sion, qui eſt Hermon. ] At mons Hermon eſt trans Jordanem, mons vero Sion Hieroſolymæ. Reſpondeo, mons Hermon vocabatur Sidoniorum lingua Sarion, ut habetur c. præc. num. 9. [ Uſque ad montem Hermon, quem Sidonii Sarion vocant, & Amorrhæi Sanir. ] Totus vero montium tractus dicebatur Galaad, cujus extrema pars trans Jordanem vocabatur Hermon, vel Sarion, vel Sanir, aut Sion; ſed ſcribitur per *Scin* ad differentiam alterius Sion, ſuper quem eſt arx David, hæc enim ſcribitur per Tſade. FR. Vide *Sanir* in Hier.

Cap. 5. v. 3. [ Non cum patribus noſtris iniit pactum, ſed nobiſcum. ] Sed hoc non concordat cum eo, quod traditur Gen. 15. v. 18. [ In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abraham. ] Reſpondeo, illud fœdus non fuit tale, quale hic initum fuit; ibi enim ſolam Abrahamo promiſit terram Chananæorum; hic vero omnes Abrahæ poſteros in populum ſuum peculiaribus legibus, ac cæremoniis ſibi adſtrictos acceptat Deus, & illi viciſſim acceptant eum in Deum, ejuſque legibus ſeſe adſtringunt; unde hebræa lectio habet: [ Non cum patribus pepigit pactum iſtud.

Cap. 12. v. 17. [ Primogenita armentorum, & pecorum &c. coram Domino Deo tuo comedes ea ] Cui præcepto contradicere videtur aliud Deut. 15. verſ. 19. [ De primogenitis, quæ naſcuntur in armentis, & in ovibus tuis, quidquid eſt ſexus maſculini, ſacrificabis Domino ] quæ Sacerdotibus integra cedebant. Reſpondeo. Primogenita, quæ comedi coram Domino, & non in urbibus jubet Deus, non erant maſculini ſexus, & ſine macula; ſed vel ſexus fœminini, vel maculata vitio aliquo corporis.

Cap. 15. v. 4. [ Et omnino indigens, vel mendicus non erit inter vos. ] Ex alia vero parte habemus hic verſ. 11. [ Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ. ] Inſuper Matth. 26. v. 11. [ Pauperes ſemper habebitis vobiſcum. ] Reſpondeo ex verſione ſeptuaginta Interpretum manifeſte colligitur hoc fuiſſe præceptum, quo Deus pauperibus ſubveniendum eſſe demonſtrat. Τῷ δὲ ἀδελφῷ σου ἄφεσιν ποιήσεις, ὅτι οὐκ ἔςαι ἐν σοὶ ἐνδεής. [ Fratri autem tuo remiſſionem facies, quia non erit in te indigens. ] Quod præceptum ſingulis quidem impoſitum eſt. Aliud eſt præcipere aliquid ſingulis, aliud vero conſequi finem ipſius præcepti, quod non eſt in poteſtate ſingulorum, ſic etiam alibi prohibentur meretrices ex filiabus Iſrael, quis tamen negabit defuiſſe unquam de facto meretrices? Aliter conciliat hos textus Vatab. ait enim inter Hebræos fuiſſe quidem privatos pauperes, non tamen publicos mendicos, quod obſervatur in aliquibus civitatibus bene ordinatis.

Cap. 23. v. 1. [ Non intrabit Eunuchus &c. Eccleſiam Domini ] Contra hoc eſt locus Iſai. 56. v. 5. [ Eunuchis qui tenuerint fœdus meum, dabo in domo mea locum. ] Inſuper Actor. 8. v. 27. [ Ecce vir Æthiops eunuchus venerat adorare Jeruſalem. ] Reſpondeo, per Eccleſiam hic non intelligitur templum, nec religio Judaica, quia ad hæc patebat liber aditus cuivis alienigenæ, dummodo eſſet circumciſus; loquitur igitur textus de jure civium, quo ſpeciali gratia exteri donabantur; fiebantque capaces munerum, ac dignitatum publicarum: idem dicendum eſt de nato ex ſcorto, cum hac tamen exceptione ſumenda eſt iſta lex, ſi nimirum, tam præclara eſſent merita, poterat aliquis populo adcenſeri, ut conceſſum fuit Rahab meretrici, ita Joſ. 6. & Achior Ammonitæ, Judith. 4. & aliis, qui jura civium adepti ſunt.

Cap. 33. v. 12. [ Et Beniamin ait: Amantiſſimus Domini habitabit confidenter in eo, quaſi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet. ] Hæc Moſis benedictio non videtur adimpleta, nam Templum, & ipſa Jeruſalem erant in Tribu Juda. Ita Joſ. 15. v. 18. Item Pſalm. 77. [ Elegit tribus Juda, montem Sion. ] Reſpondeo, licet pars Jeroſolymæ ſuperior auſtralis, ubi erat mons Sion, pertineret ad Tribum Judæ, pars tamen inferior, & ſeptentrionalis cum intermedio monte Moria, in quo templum extructum fuerat, pertinebat ad tribum Benjamin, ita Lyran. in Gen. 28. & quando dicitur Deus habitaſſe in Sion, eſt figura Synecdoche, quatenus Sion ſumitur pro tota urbe Jeroſolyma.

## EX JOSUE.

CAP. 1. v. 11. [ Poſt diem tertium tranſibitis Jordanem: ] Quomodo hoc ſubſiſtit cum c. ſeq. ubi Text. loquitur de exploratoribus miſſis, qui triduo latitarunt in montibus, & poſt illorum reditum adhuc Hebræi manſerunt tres dies apud Jordanem, ut colligitur ex cap. 3. Reſpondeo; Hæc narrantur per hyſteron proteron anticipative, nam miſſio exploratorum præponi debet huic præcepto Joſue per caſtra divulgato; unde iſti tres dies, de quibus hic fit mentio, ſunt iidem cum illis tribus diebus, qui habentur, cap. 3. ubi loquitur Textus de manſione populi poſt reditum exploratorum: ita Abul. & alii.

Cap. 15. v. 17. [ Cepitque eam Othoniel filius Cenez frater Caleb junior. ] Contra vero, Num. 32. v. 12. ait Textus: [ Præter Caleb filium Sophone Cenezæum. ] Ergo Caleb non erat frater Othonielis, ſed Cenez. Reſpondeo, Othoniel non dicitur abſolute frater Caleb, ſed cum additamento, nempe, frater

ju-

junior, ſeu minor, nempe, nepos ex fratre. Ita Oleaſt. & Eugub.

Cap. 21. v. 36. [Civitates refugii Boſor in ſolitudine, Miſor, & Jaſer, & Jethſon, & Mephaat, civitates quatuor.] Quomodo ſunt quatuor, ſi numerat quinque? Reſpondeo, Miſor, & Jaſer eſſe unam, eandemque Civitatem. Unde in textu Hebræo non legitur Miſor.

## EX LIBRO JUDICUM.

CAP. 9. v. 18. [Interfeciſtis filios ejus ſeptuaginta viros.] Et tamen ex hoc toto capite, & ex præcedenti v. 3. manifeſte colligitur, occiſos fuiſſe tantum ſexaginta octo. Nam Abimelech unus ex fratrum numero fuit interfector. Jonathas vero natu minimus fugit, & mortem evaſit. Reſpondeo. Scriptura ſæpe ponit numerum plenum, ac rotundum, neglecto minore, vel majore, etiam ſi aliquantulum creſcat, vel decreſcat; v. g. Num. cap. 11. Vocantur ſeptuaginta ſeniores, cum re vera fuerint ſeptuaginta duo; ita hic econtra adduntur duo, qui non fuerunt interfecti, licet & ipſi de fratrum numero eſſent.

Cap. 10. v. 1. [Poſt Abimelech ſurrexit dux in Iſrael Thola filius Phua, patrui Abimelech, vir de Iſachar.] Ex quibus conſtat Tholam fuiſſe nepotem Gedeonis, Gedeon enim erat frater Phua; ſed quomodo concordat textus cum alio Jud. 6. v. 15. ubi dicitur Gedeon fuiſſe de tribu Manaſſis, non vero Iſacharis? Reſpondeo. Gedeon, & Phua licet fratres eſſent uterini, nihilominus ex patribus diverſarum tribuum nati ſunt, ita S. Auguſt. qu. 47. Poterant enim fœminæ nubere viro alterius tribus, quando ea occaſione non transferebatur hæreditas in alteram tribum.

Cap. 10. verſ. 4. [Habens triginta filios ſedentes ſuper triginta pullos aſinarum, & principes triginta civitatum, quæ ex nomine ejus ſunt appellatæ Havot Jair, ideſt oppida Jair.] Cui opponitur alius textus Num. 23. v. 41. ubi aſſeritur has civitates appellatas fuiſſe ab alio Jair filio Manaſſis longe antiquiore. Reſpondeo. Senior ille Jair dederat nomen iſtis villis; poſterior vero Jair muris illas cinxit, ac in oppida erexit, idemque nomen comprobavit, & roboravit.

Cap. 18. v. 1. [Tribus Dan quærebat poſſeſſionem ſibi, ut habitaret in ea. Uſque ad illum enim diem inter cæteras tribus ſortem non acceperat.] Quomodo hoc ſtare poteſt cum eo, quod dicitur, cap. 19. lib. Joſue, ubi deſcribitur ſors ſeptima filiis Dan? Reſpondeo, illa ſors non erat ſatis ampla, cum fuerit occupata ab Amorrhæis magna ex parte.

Cap. 21. v. 4. [Extruxerunt altare, obtuleruntque ibi holocauſta.] Altare jam extructum fuerat a Moyſe, Exod. 38. inſuper non licebat aras erigere, nec victimas offerre extra tabernaculum fœderis, ideoque improbatur novi altaris erectio Joſue 22. Reſpondeo, hoc altare in ipſo tabernaculo extructum fuit, quod licitum erat, ut docet Abul. Poterant enim plura altaria in loco tabernaculi erigi, ſi victimarum numerus ita exegiſſet, ut fecit Salomon, 3. Reg. 8. extra tabernaculum vero numquam licitum erat, niſi ex ſpeciali Dei diſpenſatione.

## EX LIBRO I. REGUM.

CAP. 1. v. 1. [Elcana filius Jeroham, filii Eliu, filii Tohu, filii Suph, Ephratæus.] Et tamen ex 1. Par. 6. verſ. 33. Elcana dicitur fuiſſe ex tribu Levi. Reſpondeo, vere fuit Levita, natus tamen in Ramatha Civitate Levitica, quæ ſita erat in tribu Ephraim. Unde domicilio erat Ephratæus, genere tamen Levitico: ſic etiam in Actis Apoſtolorum Judæi ratione domicilii appellantur Cretenſes, Arabes &c.

Ibid. v. 11. [Dederiſque ſervæ tuæ ſexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus.] Quomodo Mater Samuelis promittit filium Domino, ſi omnes Levitæ erant Domino dicati, ut habetur Num. 3. v. 45. Reſpondeo, Levitæ dicabantur Domino a trigeſimo ætatis ſuæ anno uſque ad quinquageſimum: ita Num. 4. v. 2. Anna vero ſempiterno Dei obſequio filium devovet Nazarenum futurum.

Cap. 3. v. 7. [Porro Samuel necdum ſciebat Dominum.] Hæc verba quomodo verificantur, ſi c. præc. dictum eſt.] Samuel proficiebat, & placebat tam Domino, quam hominibus?] Reſpondeo, hic Textus loquitur de peculiari ſcientia, & cognitione, qua Prophetæ ſenſibiliter, ac per revelationem Dominum audiunt.

Cap. 8. v. 6. [Diſplicuit ſermo in oculis Samuelis, eo quod dixiſſent: Da nobis regem.] Imo etiam Domino diſplicuit, qui id Samueli indicavit: [Non enim te abjecerunt, ſed me.] Et tamen Deut. 17. v. 14. permittitur Iſraeli conſtituere ſibi Regem. [Cumque ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & poſſederis eam &c. conſtituam ſuper te Regem.] Reſpondeo, non peccarunt Iſraelitæ petentes ſibi Regem, qui populum ex divino nutu, & legibus a Deo præſcriptis regeret, ſed peccarunt, eo quod petierunt ſibi Regem, qui peregrinis legibus, ac inſtitutis eos gubernaret, ſicut barbaræ, & gentiles nationes. Hoc enim exprobrat ipſis Dominus, & ſic hoc eodem c. explicatur jus regium non quidem juſtum, ut notat S. Thom. lib. 3. de regim. Princip. c. 11. & 1. 2. q. 105. art. 1. & 2. Agitur ergo de jure injuſto, ac prohibito, ita S. Greg. Cajet. Abul. Vatab. Secundo, quia petierunt Regem ad judicandum, quod munus erat judicum, & non Regis, ad quem ſolum pertinebat bella dirigere. Tertio, quia hæc petitio querelis manifeſtata fuit; nam tædio Samuelis populus regem optaverat. Quampluriмæ aliæ rationes aſſignantur ab Expoſitoribus tam Latinis, quam Hebræis.

Ibidem, v. 18. [Et clamabitis in die illa a facie regis

giſ veſtri, quem elegiſtis vobis, & non exaudiet vos Dominus.] Cui contradicit Textus alius, nimirum c.9.v.16. infra, [ Quia reſpexi populum meum: venit enim clamor eorum ad me.] Reſpondeo, negat Deus ſe auditurum populi clamorem, nimirum, quando clamabunt a facie Regis nimis duri, quem petierunt: non tamen negat ſe auditurum eorum clamores in aliis afflictionibus.

Cap. 11. v. 1. [ Et factum eſt quaſi poſt menſem, ] ſcilicet a Saulis electione; [ Aſcendit Naas Ammonites, & pugnare cœpit adverſus Jabes Galaad.] Et tamen Naas ante Saulis electionem adverſus Iſraelitas venerat, ut colligitur ex cap. ſeq. v. 12. [ Videntes autem, quod Naas Rex filiorum Ammon veniſſet adverſum vos, dixiſtis mihi: Nequaquam, ſed Rex imperabit nobis.] Quæ verba fuerunt a populo prolata Samueli ante electionem Saulis. Reſpondeo, verum eſt Naas expeditionem ſuſcepiſſe adverſus Iſraelitas ante Saulis electionem, ſed videntur Iſraelitæ cum illo talibus qualibus conditionibus tranſegiſſe. Nunc vero arrepta hac nova occaſione bellum redintegrat tyrannus.

Cap. 13. v. 1. [ Filius unius anni erat Saul, cum regnare cœpiſſet. Duobus autem annis regnavit ſuper Iſrael.] Dicitur filium unius anni ob animi candorem, quem initio regni oſtenderat. Sed contra ultimas particulas maximam offerunt difficultatem verba relata Actor. 13. v. 20. [ Exinde poſtularunt regem, & dedit illis Deus Saul filium Cis virum de tribu Benjamin annis quadraginta.] Reſpondeo, iſti quadraginta anni reſpiciunt tam Samuelis, quam Saulis regimen. Utriuſque enim tempora conjunxit ibi Sanctus Paulus; unde Saul regnare cœpit anno trigeſimo octavo præfecturæ Samuelis: & ſic duos tantum annos tribuunt aliqui Regno Saulis. Ita Hebræi, Gerard. Mercat. Arias Montan. lib. de ſæculis, Adricom. anno mundi 2850. Sanct. in 1. Reg. 13. At Salianus ann. 2964. aſſerit Saulem plures annos regnaſſe, ſed duos tantum inoffenſo pede præcurriſſe, in quibus vere puerilem repræſentavit candorem, & ſecundum computum hujus Auctoris Saul regnare cœpit ann. 23. præfecturæ Samuelis.

Ibid. v. 13. [ Quod ſi non feciſſes, jam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſrael in ſempiternum.] Et tamen Regnum Iſraeliticum promiſſum fuerat tribui Judæ. Gen. 49. [ Non auferetur ſceptrum de Juda.] Quomodo ergo domui Saulis præparaſſet Dominus regnum in ſempiternum, qui erat ex tribu Benjamin? Reſpondeo, promiſſio iſta facta Sauli, eſt conditionata; illa vero tribui Judæ, eſt abſoluta: & quia per ſcientiam conditionatam viderat Deus Saulem defluxurum a conditione, poterat prædecernere per ſcientiam abſolutam ſceptrum trãsferendum in tribum Judaicam. Ita Scholaſtici. *In ſempiternum*, juxta conſuetum Scripturæ morem, ſignificat longum tempus; imo ſæpe a Rabbinis hæc vox ſumitur pro tempore Jubilæi, ideſt, quinquaginta annorũ.

Cap. 14. v. 3. [ Achias filius Achitob.] Et tamen cap. 22. legimus: [ Achimelech filium Achitob.] Reſpondeo, ſacerdos iſte duplici vocabatur nomine, ſicut & alii multi binonii, qui paſſim in ſacra Scriptura occurrunt.

Ibidem, v. 35. [ Ædificavit autem Saul Altare Domino; tuncque primum cœpit ædificare Altare Domino.] Hoc manifeſte contradicit Gen. 8. v. 20. ubi dicitur Noe ædificaſſe Altare Deo, & aliis quamplurimis locis Sacræ Scripturæ. Quomodo ergo Saul primus cœpit ædificare Altare? Reſpondeo, Saul ædificavit Altare inter reges primus, vel ſecundum veterum Hebræorum expoſitionem Saul primus manum operi admovit, deinde cæteri ſequuti ſunt Regis exemplum.

Cap. 17. v. 35. [ Et non vidit Samuel ultra Saul uſque in diem mortis ſuæ.] Hoc repugnat cum verbis cap. 19. v. 24. hujus libri, ubi dicitur Samuelem prophetaſſe coram Saule tota die. Reſpondeo. [ Non vidit Samuel ultra Saul, ] ideſt non eum inviſit officii, aut amicitiæ gratia, quomodo antea ſolebat, ita Vatab. & alii: vidit tamen eum prophetans, & alienus a ſenſibus, quod non eſt inviſere, de quo hic eſt ſermo.

Cap. 21. v. 1 [ Venit autem David in Nobe ad Achimelech ſacerdotem.] Hic ſacerdos Mar. 2. v 26. vocatur Abajathar. Reſpondeo: tunc quando hæc acciderunt, aderat etiam Achimelechi Filius nomine Abjathar, qui jugulato patre factus eſt princeps ſacerdotum, & hic propter magiſtratum diu obtentum notior erat, ita Beda, Salian. Marian. & Eman. Sà. Niſi malis dicere cum Janſen. Tolet. Salmer. & Sanc. tam patrem, quam filium binomios fuiſſe, quod confirmatur ex 1. Par. 15. & 18. ubi regnante Davide dicuntur fuiſſe Sacerdotes modo Sadoc, & Abjathar, modo Sadoch, & Achimelech.

Cap. 28. v. 13. [ Deos vidit aſcendentes de terra,] ſunt verba Phythoniſſæ videntis Samuelem, & deinde v. 14. ait: Vir ſenex aſcendit, ] loquitur vero de eodem: cur igitur vocat Samuelem modo Deos, modo ſenem? Reſpondeo: Phraſis Hebræa ſæpe utitur plurali pro ſingulari ad deſignandum perſonæ dignitatem, ſic Exod. 32. de unico vitulo dicitur: [ Hi ſunt Dii tui, ] & manifeſte colligitur hæc explicatio ex Saulis reſponſione, qui bene intellexit Phytoniſſam de uno locutam fuiſſe, ideoque interrogat: [ Qualis eſt forma ejus: ] tunc ipſa relicto numero plurali ſubjungit: [ Vir ſenex.] FR. V. in Hierol. *Dii*.

Ibid. v. 19. [ Cras autem tu, & filii tui mecum eritis.] Quomodo hoc verum eſſe poterat; nam Saul damnatus fuit, ut colligitur ex 1. Par. 10. v. 13. [ Mortuus eſt ergo Saul propter iniquitates ſuas, eo quod prævaricatus ſit mandatum Domini.] Samuel e contra erat in loco ſalutis. Reſpondeo, illa verba ſolum denotant, Saulem e vivis exceſſurum, & aggregandum numero reliquorum defunctorum; & licet aliqui, inter quos Lyra. dubitent de Saulis damnatione,

nil-

nihilominus omnes fere Sancti Patres id affirmant; ita Hier. Ambr. Aug. & recentiores Doctores.

Cap. 29. v. 3. [ Num ignorantis David, qui fuit ſervus Saul regis Iſrael, & eſt apud me multis diebus, vel annis? ] Sūnt verba Regis Achis, apud quem tamen David quatuor tantum menſibus manſit, ut colligitur ex cap. 27. hujus libri. Reſpondeo. Rex Achis mentitus fuit, ut magis exploratam redderet Davidis fidem, ita Sanct. At Salianus ait, Regem nequaquam mentitum, ſed ſub disjunctione locutum fuiſſe. Vel denique poſſunt hæc verba intelligi de tempore, quando David in prima fuga venerat de Achis, & ſimulata ſtultitia diſceſſerat.

Cap. 13. v. 6. [ Mortuus eſt ergo Saul, & tres filii ejus, & armiger illius, & univerſi viri ejus in die illa pariter. ] Hoc videtur falſum: nam infra 2. Reg. 1. v. 4. dicit textus: [ Fugit populus ex prælio, & multi corruentes e populo mortui ſunt. ] Ergo multi, non tamen univerſi cæſi ſunt. Reſpondeo. Verum eſt non omnes corruiſſe, nam multi evaſerunt. At Textus hic loquitur de viris Saulis familiaribus, nimirum, de aulicis, ac de militibus regiam perſonam cuſtodientibus, qui omnes corruerunt.

## EX LIBRO I. REGUM.

CAP. 2. v. 10. [Duobus annis regnavit: ] loquitur ſcriptura de Jesboſeth, qui tamen, ut verſu ſeq. colligitur, regnavit ſeptem annis cum dimidio. Reſpond. illi duo anni intelliguntur de eo tempore, antequam bella inter ipſum, & David exorirentur; nam poſtea adhuc quinque annis cum dimidio regnavit, ut docent Genneb. Abul. Serar. Tor. & Salian. unde Textus loquitur de annis pacificis; nam reliqui quinque cum dimidio fuerunt turbati.

Cap. 4. v. 2. [ Duo autem viri principes latronum erant filio Saul. ] Cur iſti duo vocantur latrones, ſi legitimum regem comitabantur? Reſpondeo, milites appellatos fuiſſe antiquitus latrones, teſte Varrone, quaſi laterones, eo quod latera Principis ſtiparent; & Virg. 12. Æneid. Plaut. in mil. glor. Act. 1. ſcen. 1. in fine, nomine latronum milites intelligunt. Confirmatur ex verſione ſeptuaginta: Ἡγέμενοι συςρεμμάτων. Nimirum *Ductores Turmarum*. Similia habet Chaldæus.

Cap. 6. v. 10. [ Sed divertit eam in domum Obededom Gethæi. ] Iſte Obededom fuit Levita, quomodo ergo erat ex Geth Philiſtæorum civitate? Reſpondeo, vocatur Gethæus a loco habitationis, quia ejus pater, ut vult Vatab. & Serar. vel ipſemet exulavit in Geth cum Davide, & Abjatharo Pontifice, ita Abul. & Salian.

Ibid. v. 20. [ Nudatus eſt quaſi ſi nudetur unus de ſcurris. ] Verſu vero 14. dicitur: [ Porro David erat accinctus Ephod lineo, ſeu ſtola byſſina, ut habetur 1. Par. 15. ergo non erat nudus. Reſpondeo. David nudatus eſt veſte extima, & regali paludamento, & indutus eſt Ephod lineo ad modum Levitarum.

Cap. 8. v. 18. [ Filii autem David ſacerdotes erant, ] quod non concordat cum cap. 18. lib. 1. Par. ubi dicitur: [ Filii David primi ad manum regis. ] Obſtat etiam, quod ex Tribu Juda non poterant eligi ſacerdotes. Reſpondeo, nomen ſacerdotis aliquando uſurpatur pro Principe, qui apud Regem ſit adeo familiaris, ſicut Sacerdos apud Deum; unde familiares, & primi in aula dicuntur per Catachreſim Sacerdotes, & ſic Græca lectio vertit. Αὐλάρχαι, ideſt, *Aulæ principes* Sic etiam Deut. cap. 19. v. 22. Primogeniti familiarum vocantur ſacerdotes, & tamen tunc temporis nondum erant conſecrati filii Aaron.

Cap. 10. v. 18. [ Et occidit David de Syris ſeptingentos currus, & quadraginta millia equitum. ] Contra vero 1. Par. 19. v. 18. [ Interfecit David de Syris ſeptem millia curruum, & quadraginta millia peditum. ] Reſpondeo, textus loquitur metonymice, quando numerat ſeptem millia curruum; accipit enim rem continentem pro contenta; nam ex illis quadraginta millibus equitum, quos numerat liber Regum, multi curribus invecti pugnabant. Denique pedites recenſiti in lib. Paralip. ſupplentur, eo quod deerant in lib. Reg. itaque in hoc bello cæſi ſunt octoginta millia armatorum, præter nobiliores illos, qui ſeptingentis curribus vehebantur. Ex utroque enim Textu colligendus eſt cæſorum numerus, ut ait Marian. & alii.

Cap. 13. v. 13. [ Quin potius loquere ad regem, & non negabit me tibi, ] ſunt verba Thamar ad fratrem Amnon. Sed hoc erat contra Dei legem; nam Levit. 18. v. 9. prohibetur connubium fratris cum ſorore, licet ſint ex diverſa matre. [ Turpitudinem ſororis tuæ ex patre, ſive ex matre, quæ domi, vel foris genita eſt, non revelabis. ] Reſpondeo. Thamar nata fuerat ex matre gentili, nimirum, ex filia regis Geſſur, ubi hujuſmodi connubium licitum erat, unde legis divinæ ignara putabat id etiam Hebræis licitum eſſe, ita Abul. & Cajet. Vel dici poteſt, puellam quæſiviſſe hujuſmodi effugium, ut nuptiarum promiſſione eludere, vel ſaltem retardare potuiſſet fratris inſaniam, ita Sanct.

Cap. 15. v. 7. [ Poſt quadraginta annos dixit Abſalom ad regem David. ] Si David regnavit ſolum quadraginta annos, quomodo hæc propoſitio vera eſſe poteſt? Reſpondeo igitur omiſſa opinionum varietate, & dico hos annos ſumpſiſſe principium a prima Davidis unctione, quæ incidit in annum nonum ante Saulis mortem, unde hæc rebellio facta fuit anno 31. regni Davidis, ita Salian. Qui vero exiſtimant, Saulem regnaſſe tres tantum annos, ajunt hos annos ſumere principium ab ipſa Saulis electione, utpote æra vulgari, & ſecundum hoc Auctores rebellio facta fuit anno 37. regni Davidis, quibus ſi addas tres Saulis, erunt quadraginta.

Cap. 18. v. 6. [ Factum eſt prælium in ſaltu Ephraim. ] Certum eſt autem hujuſmodi prælium commiſſum fuiſ-

fuiſſe trans Jordanem, ut colligitur ex cap. ſup. v. 24. & cap. ſeq. v. 15. ubi dicitur David poſt hoc prælium trajeciſſe Jordanem, cur igitur locus iſte vocatur ſaltus Ephraim, cum tribus Ephraim tota conſederit cis Jordanem? Reſpondeo, ſaltus hic dictus eſt Ephraim ab inſigni clade, quam Ephraimitæ rebelles hic acceperant, ut narratur Jud. 12. ita Abul. & Sanct.

Ibid. v. 18. [ Dixerat enim, *nempe*, *Abſalom*, non habeo filium.] Contradicit cap. 14. hujus libri, v. 27. [ Nati ſunt Abſalom filii tres, & filia una.] Reſpondeo, vel jam tunc mortui erant, ut plerique aſſerunt; vel certe titulum hunc erexerat, cum nullum adhuc filium haberet, ita Sanct.

Cap. 19. v. 20. [ Idcirco hodie primus veni de omni domo Joſeph. ] Sunt verba Semei deſcendentis in occurſum David, veniamque ab eo petentis; at Semei, ut habetur ſupra cap. 16. erat de cognatione Saul, ergo de domo Benjamin. Reſp. Tota domus Iſrael in Scripturis ſæpe vocatur domus Joſeph. Sic Pſal. 77. [ Qui regis Iſrael intende, qui deducis velut ovem Joſeph. ] Similia habentur Pſalm. 76. & 80. & Zach. 10. Ratio hujus eſt, quia in Ægypto celebrius erat nomen Joſeph, quam Iſraelis: Joſeph enim fratribus ſuis loco patris fuit. Denique Joſeph acquiſierat primogeniti dignitatem, ut habetur 1. Paral. 5. [ Ruben fuit primogenitus, ſed cum violaſſet thorum patris ſui, data ſunt primogenita ejus Joſepho.

Cap. 21. v. 2. [ Porro Gabanoitæ &c. erant reliquiæ Amorrhæorum. Contra vero Joſue 11. v. 18. dicuntur fuiſſe ex genere Hevæorum. Reſpondeo. Amorrhæi, utpote omnium populorum terræ promiſſionis potentiſſimi, nomen reliquis nationibus communicarunt, unde omnes Palæſtini vocabantur Amorrhæi, ita Geneſ. 15. [ Nondum impletæ ſunt iniquitates Amorrhæorum, ] & Amos 2. [ Ego autem exterminavi Amorrhæum.

Ibid. v. 8. [ Et quinque filios Michol filiæ Saul, quos genuerat Hadrieli. ] Maxima inſurgit difficultas in hoc Textu; nam in primis Michol fuit ſterilis, 2. Reg. 6. v. 23. [ Michol non eſt natus filius. ] Secundo Michol numquam juncta fuit Hadrieli; ſed ejus ſoror Merob. Reſpondeo. Cajet. & alii dicunt locum iſtum corruptum fuiſſe, & pro Michol legendum eſſe Merob. Alii vero dicunt, hos quinque filios, Merob jam defunctæ adoptatos fuiſſe ab illius ſorore Michol, quæ liberis carebat; vocantur autem filii Michol, quia ab ipſa tamquam veri filii tractabantur, ita S. Hieron. in tradition.

Ibid. v. 19. [ Tertium quoque fuit bellum in Gob contra Philiſthæos, in quo percuſſit Adeodatus filius Saltus polymitarius Bethlehemites Goliath Gethæum. ] Conſtat tamen Goliath occiſum fuiſſe a David, ita 1. Reg. 17. Reſpondeo, iſtum fuiſſe fratrem alterius Goliath, ut manifeſte colligitur ex 1. Paral. 20. v. 5. [ Percuſſit Adeodatus filius Saltus Bethlehemites fratrem Goliath Gethæi ] & iuſe oſtendit Salian. qui ait Adeodatum ab hebræo converſum fuiſſe nomen Elcana, qui inter fortiſſimos Davidis numeratur.

Cap. 23. v. 11. [ Erat quippe ibi ager lente plenus. ] Diverſa habentur 1. Paralip. 1. v. 13. ubi de hac eadem pugna fit mentio his verbis: [ Erat ager regionis illius plenus hordeo. ] Reſpondeo. Vel erat utroque ſemine plenus; nam una pars hordeo erat ſata, altera vero lentem continebat. Vel in aream comportata fuerat meſſis utriuſque, in Cajet. Hugo, Vatab. Unde in agrum illum aſportati fuerant manipuli tam hordei, quam lentis, ita fatetur accepiſſe a ſuis majoribus Rabbi David hujus loci commentator.

Cap. 24. v. 9. [ Et inventa ſunt in Iſrael octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium, & de Suda quingenta millia pugnatorum. ] Hic numerus non concordat cum eo, qui aſſignatur 1. Par. 21. ubi ſic legitur: [ Inventus eſt omnis numerus Iſrael mille millia, & centum millia virorum educentium gladium: de Juda autem quadrigenta ſeptuaginta millia bellatorum. ] Reſpondeo, Joab invitus hoc regis imperium exequebatur; unde nec tribum Levi, nec Benjamin numeraverat; imo territus plaga e cœlo immiſſa, deſtitit a populi numeratione; ipſe etiam David juſſerat ſuperſederi, interea tamen pergebant adhuc alii Principes, qui in remotioribus tribubus cenſui præerant; unde antequam illis innotuiſſet regis inhibitio, collegerant alia trecenta millia virorum ex Iſrael. Contra vero tribus Juda, ideo minor ab ipſis aſſignatur, quia aliquid detraxerant; Joab autem, utpote ex ea tribu, potius eam auxerat. Itaque cenſus, quem meminit liber Regum, fuit a Joab exhibitus, qui negligentior fuit in numerandis aliis tribubus. Cenſus vero relatus in libro Paral. collectus fuit a cæteris Ducibus, qui etiam in hac populi numeratione adjuvabant ipſum Joab. Ita Cajet. & Sanct.

## EX LIBRO III. REGUM.

CAP. 3. v. 12. [ Dedit tibi cor ſapiens, & intelligens in tantum, ut nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit. ] Hæc Dei promiſſio habet aliquam difficultatem; nam Salomon non fuit ſapientior Adamo, & multis Prophetis, qui ante ipſum fuerunt; imo nec ſapientior Chriſto Domino, ejuſque Matre, ac Apoſtolis qui poſt Salomonem extiterunt. Reſpondeo. Aliqui putant ſolum fieri comparationem cum Regibus Iſrael, quorum ſapientiſſimus fuit Salomon. Aliqui dicunt, hic ſermonem eſſe de hominibus vulgari modo procreatis, ac de ſapientia naturali, quæ infuſa fuit Salomoni, non vero de ſupernaturali, ita Juſtin. Mart. q. 25. ad Orthodox. Clem. Alex. lib. 1. ſtrom. Aug. lib. 8. de Civit. Dei cap. 48. Philo in vita Moyſ. l. 1. Perer. in cap. 1. Exod. q. 7.

Cap. 4. v. 4. [ Sadoc autem, & Abjathar Sacerdotes. ] Quo-

Quomodo erant Sacerdotes, ſi c. 2. hujus libri dicuntur ejecti a Salomone in exilium? Reſpondeo. Hic non recenſentur Miniſtri a ſolo Salomone conſtituti; ſed etiam interſeruntur aliqui a Davide deſignati, licet fuerint poſtea ejecti.

Cap. 5. v. 4. [Nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitum, & non eſt ſatan, neque occurſus malus.] Sunt verba Salomonis dicta ad Regem Tyri, quæ tamen videntur contraria cap. 11. v. 25. hujus libri, ubi loquens Textus de Adad ait: [Eratque adverſarius Iſraeli cunctis diebus Salomonis. Reſpondeo. Iſte Adad rebellis ſurrexit tunc, quando ipſe etiam Salomon a Deo deficiens in Idololatriam prolapſus eſt: ita Cajet. Dionyſ. Carth. Lyran. Abul. & Sanct. unde in tanti ſceleris pœnam id accidit.

Cap. 7. v. 13. [Tulit Hiram de Tyro filium mulieris viduæ de tribu Nephtali.] Hic tamen, 2. Paral. 2. dicitur natus ex matre, quæ erat de filiabus Dan. Inſuper vocatur Pater Regis Tyri, & cap. 4. vocatur etiam Pater Salomonis. Reſpondeo, natus hic erat ex matre de tribu Dan, at ex Patre de tribu Nephthali. Appellatur autem Tyrius ob diuturnam habitationem, & artis ſuæ exercitium in illa Civitate. Ita S. Hieron. & Marian. Dicitur denique Pater Salomonis, & Regis Tyri, quia ob ejus eximium magiſterium vocitabatur ab eis Pater.

Ibid. v. 15. [Finxit duas columnas æreas, decem, & octo cubitorum altitudinis columnam unam.] Diverſa menſura aſſignatur 2. Paral. 3. ver. 15. [Duas columnas, quæ triginta, & quinque cubitos habebant.] Reſpondeo, juxta Vilal. Cajet. & Abul. in hoc numero majori comprehenduntur baſes, capitella, & lilia, & ſic creſcit altitudo.

Ibid. v. 26. [Duo millia batos capiebat.] At lib. 2. Paral. c. 4. ait Textus: [Capiebat tria millia metretas.] Quæ menſura cum ſit eadem cum bato ſequitur contradictio in Textibus. Reſpondeo, bati vulgares erant tertia parte minores batis ſacris, de quibus hic loquitur Textus, & ſic per conſequens erant etiam majores metretis, ita Marian. Vel dicamus cum Eman. Sà, licet caperet tria millia; nihilominus duo tantum millia infundi ſolitum fuiſſe. Nam uſque ad orificium capiebat tria millia metretas. Sed Rabbini clarius concordant hos ſenſus: dicunt enim, quod capiebat duo millia liquidorum, ut colligunt ex paraphraſi chaldæa; ſiccorum vero capiebat tria millia, quia horum menſura ſit conferta, ac ad culmen coagitata, ut docet experientia.

Cap. 9. v. 11. [Tunc dedit Salomon Hiram viginti oppida in terra Galileæ.] Hæc conceſſio videtur contra Dei præceptum. Lev. 25. [Terra non vendetur in perpetuum, quia mea eſt.] Reſpondeo, Salomon non conceſſit Regi Tyrio has Civitates quo ad dominium; ſed ſolum quo ad uſum, nempe, ut fructus illarum tamdiu perciperet, uſque quo recuperaſſet impenſas ab ipſo factas.

Cap. 11. v. 13. [Tribum unam dabo filio tuo propter David ſervum meum.] Et tamen, cap. ſeq. legimus, tribum etiam Benjamin adhæſiſſe Roboamo filio Salomonis. Inſuper certum eſt ex 2. Paral. 11. Sacerdotes, ac Levitas univerſos tranſiiſſe ad Judam. Reſpondeo. Tribus Benjamin utpote implexa, & vicina tribui Judæ, ei adhæſit; ſed quia adeo numero acciſa erat, ut ad ſexcenta virorum capita delapſa ſit, comparatione reliquarum tribuum vix nomen tribus retinuerat; imo in tribum Juda tranſierat, & ſub ejus nomine perpetuo comprehenſa erat, ſicut & alii multi reliquarum tribuum, qui vel ante captivitatem Aſſyriacam, vel poſt Babylonicam ſe tribui Judæ conjuxerant, relicto propriarum tribuum nomine, omnes dein appellati ſunt Judæi. Colligitur hoc ex cap. ſeq. verſ. 17. [Super filios autem Iſrael quicumque habitabant in Civitatibus Juda regnavit Roboam.

Cap. 15. v. 2. [Maacha filia Abſalon.] Conſtat tamen filiam unicam Abſalonis appellatam fuiſſe Thamar. Unde S. Hieronym. putat hic eſſe ſermonem de Davidis filio, ſed de alio, cui nomen Abeſſalom. Reſpondeo tamen, hoc cognomen videtur fuiſſe commune filiabus primogenitis in regno Geſſur; unde etiam mater Abſalonis vocabatur Maacha. 2. Reg. 3. verſ. 3.

Ibid. v. 5. [Eo quod feciſſet David rectum in oculis Domini, & non declinaſſet ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ ſuæ, excepto ſermone Uriæ.] Ter peccaſſe Davidem conſtat ex Sacra Scriptura. Primo, quando neci deſtinavit univerſam Nabalis familiam. Secundo, quando ſæviit promiſcue in Ammonitas. Tertio, quando numeravit populum, ut ipſemet fatetur. Cur igitur aſſerit Sacer Textus, excepto ſermone Uriæ, nunquam Davidem declinaſſe a præceptis divinis? Reſpondeo, Deus hic loquitur, ac judicat humano more, quo non exiſtimantur peccata ea, quæ honeſto aliquo prætextu, vel virtutis apparentis velamine conteguntur. Nam ira in Nabal, & in Ammonitas velatur tegmine vindictæ juſtæ, ac numeratio populi prætextu religioſi tributi pro Templo; hæc itaque peccata Deus non vult vulgare, contentus, ut judicio privato ipſius peccatoris cognoſcantur. Adulterium vero, & homicidium enormia quidem peccata ab omnibus judicabantur. Unde ſecundum populi exiſtimationem, hoc unicum contra Uriam ſcelus graviſſimum erat.

Cap. 16. v. 7. [Ob hanc cauſam occidit eum. Hoc eſt Jehu filium Hanani Prophetam.] Quomodo igitur Jehu poſt quadraginta annos occurrit Regi Joſaphat, ut habetur 2. Paral. 19. v. 1. [Reverſus eſt autem Joſaphat rex Juda in domum ſuam pacifice in Jeruſalem, cui occurrit Jehu filius Hanani Videns.] Reſpondeo, fuiſſe diverſos omnino, licet nomina parentum, & filiorum ſint eadem, ita Sanct. Sed in textu Hebræo nulla ſurgit difficultas, nam illud *Occidit eum* refertur ad Jeroboam, & non ad Jehu: deſunt enim

enim alia verba *Hoc eſt Jehu*, qui adhuc vivebat tempore Joſaphat Regis.

Cap. 21. v. 24. Si mortuus fuerit Acab in Civitate, comedent eum canes; ſi autem in agro, comedent eum volucres cœli.] Contrarium aſſeritur, cap. ſeq. v. 37. nimirum, ejus corpus ſepultum fuiſſe in Samaria; canes vero ſolum linxiſſe ejus ſanguinem. Reſpondeo. Deus remiſit aliquid de ſeveritate judicii propter ſubſecutam pœnitentiam. Unde in fine hujus capitis ait Dominus ad Eliam: [Nonne vidiſti humiliatum Achab coram me; Quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus ejus; ſed in diebus filii ſui.] Qui occiſus fuit, ac canibus projectus: ita 4. Reg. 9. v. 24.

Cap. 22. v. 15. [Aſcende, & vade proſpere, & tradet eam Dominus in manus regis.] Hæc Prophetia Micheæ non ſolum fuit falſa; ſed inſuper ipſe Rex in illo prælio fuit occiſus. Reſpondeo. Micheas ironice loquebatur, quod optime percepit Rex, vel ex geſtu, vel ex modo loquendi. Unde adjurat poſtea Prophetam, ut ſepoſita fictione, vera aperte loquatur, his verbis: [Dixit autem rex ad eum: iterum, atque iterum adjuro te, ut non loquaris mihi, niſi quod verum eſt,] quod præſtitit deinde Propheta, v. 17. nuncians ei necem.

Ibid. v. 34. [Vir autem quidam tetendit arcum in incertum ſagittam dirigens, & caſu percuſſit regem Iſrael inter pulmonem, & ſtomachum.] Aliter loquitur Textus 2. Par. cap. 18. v. 33. [Inter cervicem, & ſcapulas.] Reſpondeo, primus Textus loquitur de vulnere facto in ingreſſu ſagittæ; ſecundus vero Textus loquitur de egreſſu ejuſdem ſagittæ. Telum enim ex inferiori loco miſſum, ac per armorum commiſſuras ingreſſum, ſurſum verſus inter cervicem, & ſcapulas prorupit. Textus hebraicus concordat; nam in utroque loco legit *Inter ligaturas, & thoracem*, quare Vulgata in libris Regum aſſerit vulnus fuiſſe in ſtomacho, ubi ſolet ligari armatura. In Paralipomenon vero in ſcapulis habet, ubi etiam ſolent eſſe armorum ligaturæ.

## EX LIBRO IV. REGUM.

CAP. 8. v. 10. [Dixitque ei Eliſæus: Vade, dic ei, ſanaberis.] Statim vero ſubjungit: [Porro oſtendit mihi Dominus, quia morte morietur.] Hæc contraria ſunt omnino. Reſpondeo, vel ironice loquitur in primo Textu, vel certe ad mentem interrogantis reſpondet; quærebat enim, an morbus eſſet lethalis, cui Propheta vera reſpondit; nam rex convaluit ex illa infirmitate, qua minime extinctus fuit; ſed violenta ſuffocatione ab externa cauſa, ut patet ex verſ. 15. ita Cajet. & Sanc. Sunt ergo duo reſponſa, quæ ad diverſas cauſas referuntur.

Ibid. v. 26. [Viginti duorum annorum erat Ochozias, cum regnare cœpiſſet.] Contra vero 2. Paral. 22. v. 2. [Quadraginta duorum annorum erat Ochozias, cum regnare cœpiſſet.] Pro ſolutione hujus difficultatis neceſſario agnoſcendum eſt mendum in Libris Paral. ut ait Cajet. & Torniel. quod provenire potuit ex notis hebraicis vitiatis, nam pro Caf, & Beth, ideſt 22. poſuerunt Mem, & Beth, ideſt 42. ut notavit Mariana in hunc locum; unde noſter Textus Arabicus manuſcriptus, quo utimur, legit etiam in lib. Paral. *Viginti duorum*. Niſi enim hanc admittas reſponſionem, cogeris concedere filium biennio ſeniorem patre ſuo; nam Joram pater Ochoziæ mortuus eſt quadragenarius, ut habetur 2. Paral. 21. v. 20. & 4. Reg. 8. v. 17.

Cap. 13. v. 19. [Si percuſſiſſes quinquies, aut ſexies, ſive ſepties, percuſſiſſes Syriam uſque ad conſumptionem.] Et tamen idem Propheta paulo ante dixerat: [Percutieſque Syriam in Aphec, donec conſumas eam.] Reſpondeo. Propheta locutus eſt conditionate, nimirum, ſi rex feciſſet, quod Deus prærequirebat tanquam ſignum, nempe, ſeptenam percuſſionem, quam conditionem rex neglexit; ita Abul. Cajet. Suar. Vaſq. & Arrub. qui hoc exemplo probant Deum multa prænoſcere ſcientia conditionata, quæ nunquam futura ſunt; licet eſſent quidem futura, ſi poneretur conditio.

Cap. 15. v. 7. [Sepelieruntque eum cum majoribus ſuis in civitate David,] libro vero 2. Paral. cap. 26. [Sepelierunt eum in agro regalium ſepulcrorum, eo quod eſſet leproſus.] Reſpondeo Azarias Rex ſepultus quidem fuit prope regum ſepulcra; ſed non in communi ſepulcro, eo quod eſſet leproſus, quaſi mortuorum oſſa horrerent lepram etiam in regio corpore.

Cap. 18. v. 2. [Viginti novem annis regnavit.] Loquitur Textus de Rege Ezechia; qui tamen viginti ſeptem annis ſolum regnavit, ut manifeſte conſtat. Tantum enim temporis fluxit a morte patris ejus uſque ad obitum ipſius Ezechiæ. Reſpondeo. Textus commemorat duos etiam annos, quibus ſimul cum patre regnaverat.

Cap. 25. v. 7. [Vinxitque eum catenis, & adduxit in Babylonem.] Loquitur Textus de captivitate Regis Sedeciæ, de quo prædixerat Ezechiel Propheta, cap. 12. v. 13. [Adducam eum in Babylonem terram Chaldæorum, & ipſam non videbit.] Quomodo igitur adductus in Caldæorum regionem, ipſam tamen non vidit? Reſpondeo, vere Sedecias Babylonem, ac Chaldæam non vidit; nam oculis orbatus eo ductus fuit, unde Prophetæ vaticinium adimpletum fuit.

## EX LIBRO I. PARALIPOMENON.

CAP. 2. v. 15. [Septimum David.] Numerat ſcriptura filios Iſai, quos aſſerit fuiſſe ſeptem; & tamen 1. Reg. 16. v. 10. numerantur octo [Adduxit itaque Iſai ſeptem filios ſuos coram Samuele, & ait Samuel ad Iſai: Non elegit Dominus ex iſtis.] Inter iſtos non

fuit

fuit David, ergo erant octo. Reſpondeo, Iſai præter iſtos ſeptem filios, habuit alium adoptivum, nempe Jonadab filium Samma, ideſt, nepotem ex tertio filio; ita Magiſter Hiſt. Scholaſt. & Rupert. Alii tamen dicunt, ſcripturam hic non ponere numerum completum, præſertim cum nihil faciat ad hiſtoriam.

Cap. 3. v. 5. [ Porro in Hieruſalem nati ſunt ei filii Simmaa, & Sobab, & Nathan, & Salomon quatuor de Berſabee. ] Quomodo igitur Salomon Prov. 4. aſſerit ſe fuiſſe unigenitum coram matre ſua? Reſpondent aliqui, Salomonem fuiſſe vere unigenitum ex Davide; nam alii tres filii geniti fuerunt ex Uria priori marito, quos tamen David ſibi adoptaverat. Sed hæc reſponſio non ſubſiſtit: nam Nathan, ex quo S. Lucas deducit Chriſti genealogiam, vere fuit filius naturalis David. Inſuper filius natus ex adulterio impedit, ne Salomon adhuc dicatur unigenitus matris ſuæ. Reſpondeo igitur cum Saliano, & aliis ab ipſo citatis. Omnes iſti numerati in Textu vere fuerunt filii naturales David. Salomon vero vocatur unigenitus, quia tanquam unigenitus longe fuit dilectiſſimus, ac in matris gremio verſatus: unde Septuaginta tranſtulerunt? *Unice dilectus*.

Cap. 21. v. 12. [ Aut tribus annis famem. ] Contra vero 2. Reg. 24. v. 13. [ Aut ſeptem annis veniet tibi fames. ] Reſpondeo, aliqui agnoſcunt mendum in Libro Regum, quod irrepſit ex ſimilitudine vocum hebraicarum, quibus ternarius, & ſeptenarius ſignificantur. Certe Septuaginta etiam in lib. 2. Regum ponunt tres annos: eundem annorum numerum habet Textus Arabicus manuſcript. noſtræ Congregationis. Probatur etiam ratione; nam in aliis flagellis per ternarium numerum procedit Scriptura, ſcilicet tres dies, tres menſes: veriſimile eſt id etiam accidiſſe quoque in annis. Sanctius excuſat hunc errorem dicens, Prophetam initio propoſuiſſe famem ſeptem annis; ſed horreſcente Davide, mitioremque pœnam petente, ad triennii ſpatium coarctatam. Nec omittendum exiſtimo Rabbinorum conciliationem, qui dicunt ſeptem annorum famem minari, quia jam præceſſerant tres anni, & alios tres futuros minatur Propheta, quibus addendus alter annus neceſſarius ad terræ culturam, qui omnes conficiunt annos ſeptem: ita R. David Kimchi.

Ibid. v. 13. [ Melius eſt, ut incidam in manus Domini. ] Contrarium optabat ſancta mulier Suſanna Dan. 13. [ Melius eſt mihi incidere in manus veſtras. ] Idemque comprobatur Eccleſ. 2. Reſpondeo, David loquitur de pœna temporali, & corporali. Suſanna vero, & Eccleſiaſt. loquuntur de pœna æterna, & malo ſpirituali, nimirum, & de morte animæ.

Ibid. v. 25. [ Dedit ergo David Ornan pro loco ſiclos auri juſtiſſimi ponderis ſexcentos. ] Aſt 2. Reg. ultim. v. 24. aliud pretii genus aſſignatur: ibi enim dicitur. [ Emit David aream, & boves argenti ſiclis quinquaginta. ] Reſpondeo, pro parva area ad altare condendum neceſſaria, & pro bobus dedit quinquaginta ſiclos argenteos; at vero pro reliqua area, quam templo deſtinaverat vaſtam, & amplam, addidit poſtmodum ſexcentos aureos ſiclos. Aliter tamen conciliant hos textus Rabbini; ajunt enim totum populum contribuiſſe, & ſic unaquæque tribus obtulit quinquaginta ſiclos, qui omnes conficiunt ſexcentos. Ad id vero, quod dicitur fuiſſe aureos, & alibi argenteos, facilis eſt reſponſio; nam fuerunt ſicli argentei, ſed ad pondus ſiclorum aureorum; continebant enim idem pondus, ut exprimunt verba; nam non aſſeritur fuiſſe aureos ſiclos; ſed *Auri juſtiſſimi ponderis*, & ſic illud *Auri* non refertur ad ſiclos, ſed ad pondus.

## EX LIBRO II. PARALIPOMENON.

CAP. 1. v. 13. [ Venit ergo Salomon ab excelſo Gabaon in Jeruſalem coram tabernaculo fœderis. ] Et tamen hoc eodem cap. v. 3. manifeſte aſſeritur tabernaculum fuiſſe in Gabaon. Reſp. certum eſt tabernaculum fuiſſe non in Jeruſalem, ſed in Gabaon, de hoc enim dubitare non poſſumus, ſed legendus eſt Textus juxta hebraicam verſionem, *De coram tabernaculo*. Confirmatur lectione Septuaginta interpretum, qui legunt, *A facie tabernaculi*.

Cap. 2. v. 2. [ Præpoſitoſque eorum tria millia ſexcentos. [ Alius diverſus numerus Præpoſitorum aſſignatur 3. Reg. 5. ubi numerantur tria millia trecenti. Reſpondeo, in libro Regum prætermiſſos fuiſſe Præpoſitos ſuperiores, qui Præpoſitis inferioribus præerant; & hi trecenti erant, ac in iſto lib. Paralip. ſupplentur.

Cap. 8. v. 2. [ Civitates, quas dederat Hiram Salomoni. ] Contrarium dictum eſt ſupra 3. Reg. 9. Salomonem dediſſe Hiramo viginti civitates. Reſpondeo, illud *dederat*, idem eſt, ac reddiderat. Nam ibi diximus illas Civitates ad tempus datas fuiſſe Hiramo.

Cap. 14. v. 2. [ Aſa, &c. ſubvertit altaria peregrini cultus, & excelſa. ] Atqui 3. Regum 15. dicitur: [ Non abſtulit excelſa.] Quomodo hæc inter ſe conveniunt? Reſp. Duplicis generis erant apud Judæos excelſa, nimirum, altaria, & templa in locis altioribus. Quædam prophanis idolis erant erecta, hæc omnia ſubvertit Aſa; alia Deo vero erant dicata, quod etiam illicitum erat; nam Jeroſolymis tantum pro cultu divino templum ſtatutum erat; hæc non evertit. Unde licet prophana templa purgaverit; non tamen funditus evertit: quod cauſæ fuit, ut poſtmodum Idolorum cultui reſtituita fuerint ab aliis ſucceſſoribus.

Cap. 15. v. 17. [ Cor Aſa erat perfectum cunctis diebus ejus. ] Quod videtur falſum; nam reprehenditur a Propheta infra cap. 16. quem in carcerem miſit; inſuper multos occidit injuſte; denique in infirmitate Dominum non quæſivit. Reſpondeo: Textus hic ſolum loquitur de perfectione quo ad externum cultum unius Dei: nam licet in aliis peccaverit, Idola tamen non coluit.

Ibid.

Ibid. v. 19. [Bellum vero non fuit uſque ad trigeſimum quintum annum regni Aſa.] Hoc contradicit ſupranarratis, cap. 14. ubi dicitur Zara cæſus ab Aſa; ergo fuit bellum. Reſpondeo, hic computus annorum non ſumitur ab initio regni Aſa; ſed ab initio regni Judaici, nimirum, a morte Salomonis, quando ſejunctum fuit ab Iſraelitico. Ita Hebræi, Torniel. Salian. Ann. 3095. Sanct. 3. reg. 15. Marian. cap. 16. v. 1. Nam hoc etiam modo intelligendus eſt Textus ſequentis capitis, ubi dicitur Baaſa Rex Iſrael aſcendiſſe in Judam anno 36. regni Aſæ: nam tunc erat annus 16. ipſius regni, ut patet ex 3. Reg. 16. ubi dicitur Baaſa e vivis exceſſiſſe ann. 26. regni Aſæ, quomodo igitur potuiſſet an. 36. poſt mortem, nimirum decertare? Computus ergo annorum ſumendus eſt ab initio regni Judaici: nam ex mutatione regnorum ſæpe nova ſurgit æra.

Cap. 21. v. 12. [Allatæ ſunt autem ei litteræ ab Elia Propheta.] Qui tamen jam a novennio ex hominibus abreptus fuerat: quomodo igitur litteras, in quibus contra Joram plaga continebatur, ſcribere potuit? Reſpondeo has litteras miſſas fuiſſe per Angelum, vel hominem quempiam e Paradiſo terreſtri: ita Hebræi, Lyran. Beil. & alii. Vel ſcriptæ fuerunt ab ipſo Elia adhuc vivente, & futurorum præſcio, ut poſtea ſtatuto tempore darentur Joramo.

Cap. 34. v. 28. [Inſereris in ſepulcrum tuum in pace.] Atque Joſias in prælio occiſus fuit ſagitta; ergo hæc prophetia non fuit adimpleta. Reſpondeo. Propheta non loquitur de privata, ſed de publica regni pace, ac proſperitate, quæ tunc maxime vigebat, quando Joſias extra ſui regni fines profectus fuerat cum exercitu obviam Ægyptiorum Regi.

Cap. 36. v. 9. [Octo annorum erat Joachim cum regnare cœpiſſet.] Qui tamen 4. Reg. 24. dicitur decem & octo annorum fuiſſe. Reſpondeo, regnaverat una cum patre decem annos; defuncto vero patre ſolus regnare cœpit agens annum decimum octavum, & ſecundum hanc explanationem regnavit tribus menſibus, ac decem diebus.

## EX LIBRO TOBIÆ.

CAP. 4. v. 11. [Quoniam eleemoſyna ab omni peccato, & a morte liberat.] Quomodo hoc ſtare poteſt cum eo, quod dixit Divus Paulus 1. Corinth. cap. 13. [Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt?] Reſpondeo eleemoſyna diſpoſitive liberat a peccato; impetrat enim gratiam majorem, qua peccator provehatur ad conſequendam charitatem. Ita S. Thom. Alber. Scot. Gab. Dur. Cajet. & alii. Poteſt etiam eleemoſyna id præſtare formaliter, ſi cætera adſint, nempe, Fides, Spes, Charitas, Pœnitentia. Vide S. Aug. de verb. Dom. in Luc. ſer. 30. FR. v. in Hierol. *Eleemoſyna*.

Cap. 5. v. 18. [Ego ſum Azarias Ananiæ magni filius.] *Hierolexicon Macri*.

Hæc ſunt verba Angeli ad Tobiam, quæ proferri non poſſunt ſine mendacii nota, unde Vvitacherus, lib. 1. contra Edmundum Campianum aſſerit Angelum mentitum fuiſſe, ſed hoc abſit. Reſpondeo igitur. Angelus præferens ſimilitudinem Azariæ poterat quidem dicere ſe eſſe Azariam, ſicut Gen. 31. Angelus præferens Dei ſimilitudinem, ajebat: [Ego ſum Deus,] ut concedit Calvinus magiſter ſupradicti Vvitacheri. Secundo, ſi reſpicimus nominis ſignificationem, vera dicebat Angelus; nam Azarias ſignificat auxilium Dei, quod vere præſtare venerat Tobiæ; erat autem filius Ananiæ, quod nomen ſignificat gratiam, vel donum Dei. Angelus enim erat gratiæ filius. Unde notat S. Gregor. hom. 33. in Evang. Angelos ex ſe nulla habere nomina; ſed ea ſortiri ratione miniſterii, quo aliquando funguntur.

Cap. 6. v. 8. [Cordis ejus particulam ſi ſuper carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum.] Verſu vero 19. non cordis, ſed jecoris mentionem facit. [Ipſa autem nocte incenſo jecore piſcis fugabitur dæmonium.] Reſpondeo utraque pars tā cordis, quam jecoris habebat talem virtutem fugandi dæmonium, non quidem naturalem, nec ſupernaturalem, ut aqua benedicta; ſed ſolum id præſtabat, ut ſignum quoddam. Ad poſitionem enim illius combuſtionis vi Angelica fugabatur dæmonium, ut clare patet ex cap. 8.] Tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & relegavit illud in deſerto.

Cap. 9. v. 3. [Vadas ad Gabelum in Rages civitatem Medorum.] Quomodo Tobias junior mittebat Angelum in Rages, in qua ipſi jam erant, ut colligitur ex cap. 3. ibi namque manebat ſponſa? Reſpondeo. Rages eſt nomen commune tam civitati, quam regioni, ſicut Neapolis in Italia ſignificat tam regnum, quam civitatem. Tobias igitur, & Angelus erant in regione Rages in civitate, quæ vocabatur Ecbatanis; Gabelus autem habitabat in ipſa civitate Rages, ad quam mittebatur Angelus.

## EX LIBRO JUDITH.

CAP. 8. v. 1. [Judith vidua filia Merari] Sequitur textus narrando ejus genealogiam, quam deducit ad Simeonem filium Ruben. Sed ſurgit difficultas: nam Simeon non fuit filius, ſed frater Ruben, ita Geneſ. 29. Reſpondeo, pro *Ruben* legendum eſſe Iſrael, ut vertit Græcus Τἒ Iσραὴλ. Idem habet Arabicus noſtræ Congregationis; ita etiam ſentiunt S. Fulg. Epiſc. lib. 2. c. 14. Bellar. lib. 1. de verbo Dei, cap. 12. arg. 12. Errorem hic agnoſcunt Serar. & Mar. nam Judith fuit ex Tribu Simeon.

## EX LIBRO ESTHER.

CAP. 3. v. 1. [Aman de ſtirpe Agag.] Hic fuit Amalecitarum Rex captus a Saule 1. Reg. 15. ita Joſeph. Ruper. Cajet. Lyran. At quomodo infra,

cap. 16. ver. 10. Aman dicitur Macedo? [Aman filius Amadathi, & animo, & gente Macedo.] Reſpondeo. Majores ejus fortaſſe ex ſtrage Amaletitarum profugi in Macedoniam ſeceſſerunt poſtea vero parentes Amanis iterum ante hæc tempora in Perſidem demigrarunt. Sed probabilior eſt eum natum ex Patre Macedone, & matre Perſa ex antiqua Amalecitarum origine, ita Salian.

Cap. 6. v. 3. [Nihil omnino mercedis accepit.] Sermo eſt de Mardochæo; contrarium habemus cap. 12. v. 5. [Præcepitque ei Rex, ut in aula palatii moraretur, datis ei pro delatione muneribus.] Ergo aliquid præmii acceperat Mardochæus. Reſpondeo. Munera quidem leviora ei data fuerant, quæ tamen meritis non reſpondebant; ideoque non erant merces, & per conſequens, nec premium, vel honor, de quibus Rex interrogabat.

## EX LIBRO JOB.

CAP. 19. v. 17. [Et orabam filios uteri mei.] Sed quomodo poterat filios orare, quando omnes perierant, ut ex cap. 1. Reſpondeo. Græcus legit Υἱὲς παλλακίδων μȣ, ideſt, *filios concubinarum mearum*, ſeu ſecundarum uxorum. Symmachus legit, Υἱὲς παίδων μȣ, ideſt, *filios puerorum meorum*, ſcilicet nepotes.

## EX PSALMIS.

PSALM. 17. v. 27. [Cum perverſo perverteris.] Loquitur Pſalmiſta cum Deo, de quo dicitur Malach. 3. [Ego Dominus, & non mutor.] Reſpondeo, ſenſus eſt, quod Deus cum perverſo perverſe, ideſt, ſevere agit: ita Hier. Theod. favet Arabica verſio quæ ſic legit: *Cum perverſo perverſus eris*.

Pſalm. 31. v. 3. ] Quoniam tacui, inveteraverunt omnia oſſa mea, dum clamarem tota die.] Contradicit ſibi; quomodo enim tacet, ſi clamat tota die? Reſpondeo, tacuit David a confeſſione peccati, nimirum novem menſibus; hæſerat namque in peccatis a die patrati adulterii uſque ad partum uxoris; clamabat tamen, ideſt, rugiebat, ut vertunt Chald. Aquil. & Hier. præ dolore morbi in ſcelerum pœnam immiſſi. ita Aug. Hier. & alii: ideo addit: [Inveteraverunt omnia oſſa mea,] ideſt, omne robur meum elanguit.

Pſalm. 25. v. 8. [Homines, & jumenta ſalvabis Domine.] Numquid jumenta erunt in Cœlo? Reſpondeo. Pſalmiſta loquitur de ſalute corporali, ſcilicet, de eſca, ſanitate, prole &c. ita Aug. & alii. Arabica verſio legit: [Hominum, & jumentorum tu es Salvator Domine.] Allegorice nomine jumentorum intelliguntur peccatores, ita Hier. & Didym.

Pſalm. 36. v. 25. [Non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem.] Hoc prima fronte videtur falſum; legimus enim multos juſtos fame laboraſſe, ut fuit Lazarus mendicus, filii Jacob. Gen. 42. Abraham. Gen. 12. multique Sancti Martyres. Reſpondeo. Tunc Deus pro pane corporali dabat ſpiritualem, nempe, copiam ſolatii, & ſic in ipſa inopia non derelinquuntur a Deo. Eodem modo etiam Sancti Martyres nunquam derelicti fuerunt a Deo; nam quando tyrannus inedia eos tormentabat, tunc amplum patientiæ fructum, ac martyrii coronam referebant, juxta illud pſalmi 34. v. 11. [Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.] Aliqui tamen exponunt verba Davidis in ſenſu litterali, quia juſti, licet fame laborarunt; illis tamen non defuit Deus in neceſſariis: contra vero impii famem patiuntur, ut canes. Idem dicendum eſt de alio textu Prov. 10. [Non affliget Dominus fame animam juſti.] Poſſumus etiam dicere Davidem loqui de ſe ipſo dicens. *Non vidi*; unde ſi aliquando id accidit, fuit aliquod rarius.

Pſalm. 40. v. 1.] Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem] cui veritati, ac optimo conſilio videtur contradicere præceptum divinum Exod. 23. v. 3. [Pauperis quoque non miſereberis in judicio.] Facilis eſt ſolutio: nam vetat Deus judicem declinare a juſtitia ex miſericordia ergo pauperem: unde lectio hebræa eſt clarior: [Pauperem ne honorato in lite ejus;] ac ſi dicat, pauper litigioſus non meretur honorem, nec miſericordiam. Tales ſunt piſcatores beneficiorum eccleſiaſticorum, qui falſis documentis ſuſcipiunt lites injuſtas, & cum ſint pauperes ingenio, ac virtutibus, piſcari in tenebris ſatagunt nocturnis. Iſtorum non ſolet miſereri ſacra Rota Romana; imo contra ipſos tanquam contra fures ſententias proferre deberet, ut a tam vili negotiatione deſiſtant: nam bonus Eccleſiaſticus non aſcendit aliunde, ſed per oſtium intrat in Chriſti ovile, ideſt, meritis, ac Paſtoris ſui legitima approbatione.

Pſalm. 43. v. 19. [Declinaſti ſemitas noſtras a via tua.] Hinc colligunt hæretici Deum eſſe cauſam peccati, quod tamen falſum eſt, ut admonet Eccl. 15. 12. [Non dicas, ille me implanavit.] Reſpondeo, ante prædicta verba repetendam eſſe particulam negativam ſuperius poſitam nimirum, *Non declinaſti*. Ita Hebr. Hier. Chryſ. Geneb. Janſ. Quod ſi velis affirmative legere ſine particula negativa, ut vertit Chal. tunc ſic exponendum eſt: Declinaſti ſemitas noſtras, ideſt, actiones, & negotia noſtra, *A via tua*, ſcilicet, a ſolito modo agendi nobiſcum; non enim protexiſti nos, ſed potius permiſiſti omnia nobis infœliciter ſuccedere.

Pſalm. 115. v. 2. [Omnibus homo mendax.] Hæc verba contradicunt manifeſte textui Apocal. 14. v. 5. [Et in ore eorum non eſt inventum mendacium.] Loquitur S. Joannes de centum quadraginta quatuor millibus Virginum. Hinc deducit Lutherus omnia opera hominis eſſe peccata, quia ſi homo non poteſt verum dicere, quod facilius eſt, ergo nec bonum facere. Reſpondeo ſenſus hujus loci non eſt hominem actu eſſe mendacem, ac ſemper mentiri; ſed pronum, ac proclivem natura ſua ad mentiendum, & fallendum: quod non eſt peccatum; ſed vitium naturæ corruptæ peccato

to originali: ita S. Baſ. Hier. & Aug. Docet Chryſoſt. omnes homines eſſe mendaces reſpectu Dei, qui eſt ſumma veritas, & immutabilis. Creaturæ autem ſunt mendaces, ideſt, vanæ, & mutabiles.

## EX PROVERBIIS.

CAP. 26. v. 4. [ Ne reſpondeas ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis. ] Statim vero ſibi contradicit verſu ſequenti: [ Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur. ] Quomodo hæc poſſunt ſervari, ſi ſunt contraria? Reſpondeo. Senſus eſt. Ne reſpondeas ſtulto verbis, quia oleum, & operam perdes; ſed verberibus corripiendo, ejuſque petulantem linguam coercendo; quod clare demonſtrat ipſe Sapiens verſu ſuperiori dicens: [ Flagellum equo, & camus aſino, & virga in dorſo imprudentium. ] Melius tamen explicari, & concordari poſſunt hi duo Textus. Primus vetat reſponſionem juxta ſtultitiam, nimirum, ne reſpondeas ſtulte, ſicut ipſe ſtultus, ne efficiaris ei ſimilis. Secundus Textus jubet reſpondere juxta ſtultitiam, nimirum, ut meretur ejus ſtultitia: unde Græcus vertit: *πρὸς τὴν ἐκείνου ἀφροσύνην; καὶ, κατὰ τὴν ἀφροσύνην αὐτοῦ.*

## EX ECCLESIASTE.

CAP. 1. v. 4. ] Terra in æternum ſtat ] Contra vero Iſai. 25. ] Agitatione agitabitur terra ſicut ebrius, & auferetur. ] Reſpondeo, terra auferetur, non quo ad ſubſtantiam, ſed quo ad incolas, & ædificia, ut ait S. Hier.

Cap. 7. v. 17. [ Noli eſſe juſtus multum. ] Hæc Salomonis ſententia, non ſolum continet difficultates non paucas, ſed adverſatur conſiliis Evangelicis: [ Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam. Mat. c. 5. v. 6. ] ac aliis quamplurimis locis Sacr. Scripturæ. Reſpondeo. Non debet eſſe homo juſtus multum, ideſt, in externa facie, quia verus juſtus non imitatur phariſaicam jactantiam; ſed cœlat virtutes: ita Aug. Lyran. Cajet. Alii vero intelligunt hæc verba de juſtitia vindicativa; ita, ut non debeat judex, vel ſuperior eſſe nimis juſtus, nimirum rigoroſus; ſed errantem ovem humeris levare: ita S. Ambr. Deniqu. R. Aben Ezra intelligit prædicta verba de nimia, ac ſuperflua corporis afflictatione; quando, nimirum, indiſcrete jejuniis, vigiliis, ac mortificationibus maceramus corpus, ſicut agricola, qui nimia anxietate vexat campum, ut fructus copioſos colligat; erit namque inutilis labor. Unde Plinius: [ Bene colere neceſſarium eſt, optime damnoſum. lib. 18. hiſtor. nar. cap. 6.

## EX LIBRO SAPIENTIÆ.

CAP. 7. v. 2. ] Decem menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine ex ſemine. ] Contra vero mater Machabæorum, 2. Mach. 7. dixit: [ Novem menſibus te in utero portavi, ] & hoc tempus videtur commune omnibus hominibus. Reſpondeo. Perfectiſſimus naſcendi terminus ſunt novem menſes ſolares completi, ſeu decem lunares inchoati, quorum hic meminit Salamon. Mater autem Machabæorum loquebatur de menſibus ſolaribus.

## EX ECCLESIASTICO.

CAP. 1. v. 16. [ Initium ſapientiæ timor Domini, & cum fidelibus in vulva increatus eſt. ] Quomodo hoc ſtare poteſt cum eo, quod ait S. Paul. Epheſ. 2. Omnes nos naſci filios iræ? Reſpondeo. Hanc eſſe hyperbolem; loquitur enim de iis, qui a tenera ætate Deum timere incipiunt; niſi velis intelligere de natura, & indole optima, & ad pietatem proclivi, quæ timor Domini vocari poteſt. Hoc tamen ad litteram impletum eſt in Beat. Virg. immaculata conceptione; inſuper de S. Joannis, & Jeremiæ in utero ſanctificatione. Aliqui intelligunt hunc locum de prædeſtinatis, quibus in inſtanti creationis deſtinatur gloria.

Cap. 3. v. 16. [ Nam pro peccato matris reſtituetur tibi bonum. ] Quomodo ex peccato oritur bonum, dicente Apoſtolo ad Rom. 6. [ Stipendia peccati mors? ] Reſpondeo, peccatum matris, de quo hic eſt ſermo, nihil aliud ſignificat, quam injuriam a moleſta matre illatam, quam ſi filius patienter tolerat, reſtituetur ei bonum.

Cap. 7. v. 15. [ Non iteres verbum in oratione tua ] & tamen Chriſtus Dominus Matth. 26. [ Tertio oravit, eumdem ſermonem dicens. ] Reſpondeo, hic prohibetur inutilis verborum reiteratio, quam etiam Chriſtus prohibuit. Matth. 6. Poſſumus etiam dicere, reprehendi garrulitatem in ſermone familiari. Emmanuel Sà aſſerit his verbis inculcari attentionem in oratione, ut non ſit opus repetere verba ſemel prolata.

Cap. 13. v. 11. [ Noli eſſe humilis in ſapientia tua. ] Hoc manifeſte repugnat Chriſti conſiliis multis in locis. Reſpondeo, Sapiens loquitur hic de animi abjectione, quæ maculam infert viro ſapienti; non autem de virtute humilitatis, quam Chriſtus commendat. Vel melius. Sapiens non debet abduci a vero, & recto, ſpecie humilitatis, & ſubjectionis; ſed potius libertatem ſpiritus pro veritate retinere debet.

Cap. 8. v. 1. [ Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul. ] Hoc repugnat Gen. cap. 1. ubi ſex diebus dicitur Deus creaſſe univerſa. Reſpondeo; illud *Simul*, græce legitur *κοινῇ*, ideſt, *Communiter*, ſeu *Pariter*, nimirum, nulla re prorſus excepta. Vel cum Rabano per *Omnia* intellige omnium rerum materiam, quæ primo die ſimul producta fuit; unde ex hoc loco male colligitur uno die Deum creaſſe omnia.

Cap. 40. v. 29. [ Fili in tempore vitæ tuæ ne indigeas, melius eſt enim mori, quam indigere ] Contrarium docuit Chriſtus Dominus, qui Matth. 19. ait: ] Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. ] Et alibi: [ Beati pauperes ſpiritu. ] Re-

ſpondeo, certum eſt hic non reprehendi Religioſorum virorum voluntariam mendicitatem, quæ ex humilitatis, & virtutum amore libenter ſuſcipitur, nec impedit ſapientiam, eſtque laudabilis; ſed illa reprehenditur, quæ ex otio, & inertia provenit, & ſapientiæ acquiſitioni multum obeſt.

Cap. 49. v. 5. [Præter David, & Ezechiam, & Joſiam omnes peccatum commiſerunt.] Quomodo excipitur David, qui graviſſime peccaverat? 2. Reg. 11. Item ipſe Ezechias nec a peccato fuit immunis. 4. Reg. 20. Reſpondeo. Textus hic loquitur de peccato Idololatriæ, ut ex ſequentibus clare colligitur; vel ſermo eſt de arctiori cum Idololatris amicitia, cujus criminis Joſaphat alioquin prius rex reprehenditur, 2. Par. 18.

## EX ISAIA.

CAP. 16. v. 1. [Emitte agnum Domine dominatorem terræ de Petra deſerti.] Hæc verba a S. Hier. multiſque aliis intelliguntur de Chriſto Domino, qui tamen de Nazareth, & Bethlehem venit: non vero de Petra originem duxit. Reſpondeo, Chriſtus Dominus originem trahit ex Ruth Moabitide avia Davidis, quæ nata eſt in urbe Petra, quam Urbem ait Strabo, lib. 16. ſic vocatam a rupibus; eam auxit magnopere Rex Balduinus: & Suldanus eam totius Ægypti, ac Arabiæ gazophylacium conſtituit, ut teſtatur Adrichomius. Rabbini fruſtra conantur hæc verba torquere a Chriſto Domino ad Ezechiam regem, ideoque legunt: [Mitte agnum dominatori terræ] eo quod Moabitæ conſtituiſſent pendere annuum tributum centum millium agnorum regi Iſrael.

Cap. 23. v. 16. [Et erit poſt ſeptuaginta annos, viſitabit Dominus Tyrum, & reducet eam.] Contra vero de eadem urbe prædixit Ezec. 26. v. 14. [Non ædificaberis ultra.] Reſpondeo, illud *Ultra*, ſignificat in longum tempus; unde Hebræa legit *Od*, ideſt, *Amplius*, quod communiter ſignificat tempus Jubilæi, nimirum, ſpatium quinquaginta annorum. S. Hier. ait Tyrum ædificatam, ac reſtitutam in priſtinam civitatem, non tamen in regnum; nam deinceps ſubfuit Chaldæis, Græcis, ac Romanis. Scholiaſtes ait cives omnes fuiſſe deletos, ac proinde urbs alia diverſa extructa fuit. Idem dicendum eſt de alio Textu ejuſdem Prophetæ Ezechielis, eodem ipſo citato capite: ]Requiſita non reperieris ultra in ſempiternum.

Cap. 45. v. 1. [Hæc dicit Dominus chriſto meo Cyro:] ſequitur Scriptura promittens ei victorias, ac regna ſubditaſque nationes; poſt multa vero, verſ. 4. quæritur Deus his verbis, [Et non cognoviſti me.] Aliter ſcribitur, lib. 1. Eſdr. cap. 1. verſ, 2. [Hæc dicit Cyrus res Perſarum: Omnia Regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli: ] Ergo cognovit verum Deum. Reſpondeo, licet cognoverit Deum, non tamen cognovit eum unicum, & ſolum, nam ſimul etiam idola colebat uſque ad mortem, ita S. Hier. & alii. Vel dicas ſecundum Lyran. *Non cognoviſti me*, hoc, nimirum, tempore, quando te deſcribebam, quia nondum natus eras.

## EX JEREMIA.

CAP. 7. v. 22. [Quia non ſum locutus cum patribus veſtris, & præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocauſtomatum, & victimarum.] Hoc videtur manifeſte falſum; nam primis Levitici capitibus de nulla re agitur, præterquam de ſacrificiis, & victimis. Reſpondeo, de talibus ſacrificiis impio, ac impuro animo oblatis, quaſi per illa placandus ſit Deus, certe nunquam locutus eſt; nam abſque mandatorum obſervatione non poſſunt illi placere ſacrificia; unde notavit S. Hier. Deum prius dediſſe populo decalogum, ac nunquã in Exodo locutum fuiſſe de ſacrificiis; poſtea vero in Levitico præſcripſit ſacrificia, ne populus Idolis gentium more ſacrificaret.

Cap. 27. v. 7. [Et ſervient ei omnes gentes, & filio ejus, & filio filii ejus.] Loquitur Propheta de Nabuchodonoſore, cui tamen ſucceſſit ſolum ejus filius Balthaſſar, ergo quinam ſunt hi tres reges commemorati? Reſpondeo, hic eſt ſermo de Nabuchodonoſore ſeniore, qui etiam vocabatur Nabol Aſſar, & hic erat Pater Nabuchodonoſoris junioris, qui dictus fuit Magnus. Colligitur hæc reſponſio ex eodem Propheta, qui initio ejuſdem capitis dicit ſe locutum fuiſſe hæc in principio regni Joachim filii Joſiæ regis Judæ; atqui in principio regni Joachim regnabat Nabol Aſſar, & quidem ſolus: nam anno quarto Regni Joachim ſocium, ac regni collegam accepit filium, ut habetur ſupra, cap. 25. Aliter enumerant hos tres reges S. Hieron. Ruper. Lyran. S. Tho. Vat. dicunt enim, primum fuiſſe Nabuchodonoſor, ſecundum Evilmerodach, tertium denique Balthaſſarem. At juxta auctores primæ ſententiæ idem eſt Evilmerodach, & Balthaſſar.

Cap. 29. v. 22. [Sedeciam, & Acab, quos frixit rex Babylonis in igne.] Iſti duo ex Hebræorum ſententia, item Rabani, Hugonis, S. Tho. Lyran. & Saliani ſunt illi ſenes, qui Suſannæ pudicitiam tentarunt. At ſenes illi, ut legitur in Dan. 13. alio ſupplicio, nimirum, lapidibus occiſi ſunt. Reſpondeo, fuerunt quidem primo lapidibus obruti, dein igne frixi. Daniel autem ſolum mentionem facit de pœna talionis a legibus ſtatuta. Hanc tamen opinionem reprobant ut falſam Mald. Perer. Sanch. & alii.

Cap. 30. v. 8. [Et non dominabuntur ei amplius alieni,] & tamen conſtat Perſarum reges dominatos fuiſſe Judæis poſt reductam captivitatem, 2. Eſd. 9. Reſpondeo Hæc verba ad litteram non poſſunt intelligi de liberatione per Cyrum facta; ſed de ea, quam dedit Dominus Jeſus Chriſtus ſuis; ita S. Hier. Theod. & alii: unde miſcet Propheta typum cum antitypo, & advolat a Cyro ad Chriſtum, de quo litteraliter, & non allegorice hæc intelliguntur; ita Corn. a Lapide.

Cap. 30. v. 36. [Non erit ex rege Joachim, qui ſedeat ſuper ſolum David.] Et tamen contraria legimus 4. Reg.

Reg. 24. [Dormivit Joachim cum patribus ſuis, & regnavit Joachim filius ejus pro eo.] Reſpondeo. Tentavit quidem filius ſolium aſcendere regium, in quibus tribus circiter menſibus ſedit, non tamen pacifice, nam abductus dein fuit in Babylonem cum tota ejus aula, ideoque æſtimatur, ac ſi non regnaſſet. ita Theo. Poſteri autem ejus non fuerunt reges, ſed duces, & quidem tributarii Perſarum regibus. Machabæi vero alioqui fuerunt reges, ſed ex tribu levitica, non autem ex ſtirpe Joachim originem ducebant.

Cap. 41. v. 6. [Et munera, & thus habebant in manu, ut offerrent in domo Domini.] Quomodo poterant offerre in domo Domini, ſi templum jam ſuccenſum fuerat, ut eſt in 4. Reg. ult. Reſpondeo, Domus Domini vocatur locus ille, quem Deus elegerat, ut in eo Templum erigeretur, ac iterum reſtauraretur, ut ajunt a Caſtro, & Sanchez, & Cornel. a Lap. Colligitur ex Baruch. 1. v. 10. ubi dicuntur Judæi miſiſſe pecunias ex Babylone pro victimis Deo offerendis. Maldonat. tamen putat iſtos octoginta non veniſſe in Jeruſalem, ſed in Maſphath, ubi Judæorum reliquiæ collectæ erant ſub Godolia, ibique altare aliquod ejus juſſu excitatum fuiſſe. FR. V. Maſphath. in dict. *Synagoga*.

Cap. 47. v. 4. [Depopulatus eſt enim Dominus Palæſtinos, reliquias inſulæ Cappadociæ.] Quomodo Cappadocia vocatur inſula, cum ſit Provincia in Græcia: inſuper quomodo ex ea originem ducant Palæſtini? Reſpondeo: Cappadocia, de qua hic loquitur Propheta, eſt inſula prope Tyrum ſecundum Torniel. quæ deinde dicta eſt nova Tyrus: huic opinioni favet hebræa verſio, quæ legit *Caphtor*; nam *Caph*, eſt manus, *Tor* ideſt Tyrus, quaſi dicat manus, ſeu latus Tyri. Sed Theod. & a Caſtro vertunt non Cappadociā, ſed Cyprum. Multi denique ſumunt hanc vocem pro vera Cappadocia, quæ licet ſit in continenti, quia tamen extenditur longo littore in pontum Euxinum, vocatur inſula. Cappadoces autem occuparunt Palæſtinam, expulſis Heveis, ut patet Deuteron. 2 v. 23. Ita Rab. Noſter Arabicus legit; *Reliquias ſucciſorum Cappadocum*, nullamque facit mentionem inſulæ.

Cap. 50. v. 39. [Non habitabitur ultra uſque in ſempiternum.] Loquitur Propheta de Babylone, quam tamen ex Dan. 6. 9. & 10. conſtat iterum reſtauratam fuiſſe. Reſpondeo. Hæc Prophetia non ſimul, ſed ſenſim, & ſucceſſive impleta fuit. Primo per Cyrum adempta fuit illi Monarchia. Secundo a Dario mœnibus ſpoliata teſte Herodoto l. 3. & Juſtino, lib. 1. Tertio a Sereuco, & Nicanore civibus, & opibus exhauſta; inſuper teſte Plinio, lib. 6. cap. 26. Parthi omnia tranſtulerunt inde. Denique ſub Adriano Imperatore teſte Pauſania, lib. 8. nihil relictum præter muros. Unde S. Hieron. in cap. 13. Iſai. ait tempore Theodoſii venationes tantum regias fuiſſe Babylone, ejuſque murorum ambitu beſtias contineri.

Cap. 51. v. 27. [Mons peſtifer.] Loquitur de Babylone quæ tamen in planitia ſita eſt. Poſtea, v. 36. [Deſertum faciam mare ejus.] Et tamen nullum ibi eſt mare. Denique, ver. 41. vocatur *Seſach*. Reſpondeo, ad primam difficultatem. Vocatur Babylon mons ob faſtum imperii, ita Theod. & Lyran. vel ob murorum altitudinem, ut cenſent Vatab. & Mald. qui muri ad ducentos cubitos attollebantur, ut aſſerunt Herod. Plin. Diod. Sicul. & Oroſ. Ad ſecundum, dico nomine maris intelligendum eſſe fluvium Euphratem turgidum maris inſtar, ut ait Lyran. Alii vero ut Theod. & Vatab. nomine maris intelligunt hominum, ac opum abundantiam. Ad tertium denique dico vocari *Seſach*, ideſt Byſſi ſaccum, ut ait S. Hieron. ob byſſi, ac purpuræ abundantiam; niſi malis cum Athenæo, lib. 14. & aliis dicere, *Seſach* lingua Babylonica ſignificare diem feſtum celebrantem. Nam eo die, quo feſtū Deo ſuo Belo celebrabat, cecidit civitas iſta, ex Dan. 5. Nec prætereunda eſt verſio noſtri Textus Arabici, quorum unus legit ***Ariſcha***, alius ***Civitas glorioſa***. Hæc ſecunda verſio multum facit ad rem.

## EX EZECHIELE.

CAP. 20. verſ. 25. [Ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivent.] Quomodo hoc verificari poteſt de divinis præceptis, de quibus habemus hoc eodem cap. v. 11. [Et dedi eis præcepta mea, & judicia mea oſtendi eis, quæ faciens homo vivet in eis.] Reſpondeo, Deus permiſit dari populo præcepta peſſima, difficillima, ac moleſtiſſima de ritu colendi idola, nimirum Gentium præcepta: ita Hebræi, & ex iis Pradus, & hoc in pœnam, eo quod ſpreverant præcepta divina. Ita S. Hieron. & Mal. Vel *Præcepta non bona*, nimirum non tam perfecta, ut in Evangelio: ita exponunt S. Ambr. & Cyrill.

Cap. 30. v. 14. [Faciam judicia in Alexandria.] Atqui Alexandria tunc non erat, quæ vix ducentos, & triginta poſt annos extructa fuit. Reſpondeo. Hæc Civitas per prolepſim, ideſt anticipationem vocatur Alexandria. Nam Hebraice dicebatur *No*, quæ teſte Nahum, cap. 3. v. 8. amplitudine non cedebat Ninive, complectebaturque ſuo ambitu viginti leucas, ut ait Diod. Sicul. lib. 3. cap. 7. Græcus Textus legit Διόσπολιν, id eſt, Jovis urbem. Hanc igitur ſubvertit Nabuchodonoſor, quam poſtea inſtauravit Alexander, vocavitque ſuo nomine Alexandriam.

Cap. 32. v. 27. [Qui deſcenderunt ad infernum cum armis ſuis, & poſuerunt gladios ſuos ſub capitibus ſuis.] Certum tamen eſt ex Pſalm. 48. cum homine mortuo nihil deſcendere. Reſpondeo. Propheta his verbis denotat iſtos fortes morituros inglorios, & ita cum armis, & abſque ulla pompa eorum corpora inſepulta canibus diſcerpenda.

Cap. 39. v. 28. [Et non dereliquerim quemquam ex eis ibi.] At multa Judæorum millia poſt reductionem factam per Zorobabelem, & Cyrum, vel Machabæos, apud externas nationes remanſerunt. Reſpondeo. Hęc prophetia non poteſt verificari niſi de ultima redu-

ctione præſtanda poſt mortem Antichriſti, quod colligitur ex verbis ſequentibus hujus capitis: ] Non abſcondam ultra faciem meam ab eis, ] nam de facto abſcondit faciem ab eis a tempore Titi uſque in hodiernum diem: ergo loquitur de ultima liberatione.

## EX DANIELE.

CAP. 2. v. 1. [ In anno ſecundo Regni Nabuchodonoſor vidit ſomnium. ] Certum tamen eſt plures poſt annos ſomnium vidiſſe. Reſpondeo. Initium regni nunc intelligitur, ex quo primum regnare cœpit in Chaldæa; ſed ex quo monarcha factus eſt, ſubjugata Aſia, & magna ex parte Ægypto devaſtata, qui annus ſecundus Monarchiæ fuit trigeſimus ſeptimus Regni, ita Cornel. a Lap. & alii.

Cap. 4. v. 34. [ Nunc igitur ego Nabuchodonoſor laudo, & magnifico, & glorifico regem cœli. ] Hæc eſt epiſtola regis, in qua Dei magnalia enumerat, & tamen v. 5. vocat Belum Deum ſuum, igitur non glorificavit Deum cœli. Reſpondeo, quando vocat Belum Deum ſuum, loquitur de tempore præterito, quo Danieli puero nomen a Belo deſumptum dederat. Unde veriſimile eſt ipſum in pœnitentia, ac animi ſubmiſſione uſque ad mortem perſeveraſſe, ac proinde æternam ſalutem conſecutum fuiſſe, ut docent Doroth. in ſynopſi, Epiph. in vita Daniel. Auguſt. epiſt. 122. Theod. Lyran. Carth. Per. & alii.

Cap. 9. v. 1. [ Anno primo Darii filii Aſſueri. ] At Aſſuerus fuit longe poſterior Dario, quomodo igitur fuit illius pater. Reſpondeo. Darius erat filius Aſtyagis Medorum regis, nomen autem Aſſueri erat commune regibus Medorum, ſicut nomen Artaxerſis erat commune Perſarum regibus. Hinc Cambyſes maritus Eſther, & alii reges vocantur modo Aſſueri modo vero Artaxerſes, prout a Medis, vel a Perſis, quibus utriſque præerant, compellari contigebat.

Cap. 13. v. 45. [ Suſcitavit Dominum Spiritum Sanctum pueruni junioris, cujus nomen Daniel. ] Si Daniel erat puer, cur verſu 50. infra dicunt ei ſenes: [ Quia tibi Deus dedit honorem ſenectutis. ] Reſpondeo. Daniel vere erat juvenis, dicitur autem puer reſpectu iſtorum ſenum: agebat enim tunc ānum vigeſimum quartum. Nam hæc hiſtoria contigit ſub annum quartum a tranſmigratione in Babylonem, ut ait Corn. a Lap. Additur denique ipſi datum fuiſſe a Deo ſenectutis honorem, nimirum, dignitatem judicandi, quæ ſenibus proprie convenit.

## EX AMOS.

CAP. 5. v. 25. [ Nunquid hoſtias, & ſacrificium obtuliſtis mihi in deſerto quadraginta annis? ] Quomodo reprehenditur populus, ſi Exod. 24. & Levit. 8. 14. & 15. legimus multa obtuliſſe ſacrificia? Reſpondeo. Vere poſt dedicationem tabernaculi in Monte Sinai Iſraelitæ victimas non obtulerunt, eo quod non eſſent certi de ſtatione, nec ad unum diem. Debebant enim ſemper eſſe parati ad iter; nam ſtatim, ac movebatur ab Angelo columna nubis, caſtra etiam movebantur. Unde triginta octo annis, & undecim fere menſibus a ſacrificiis abſtinuerunt ſeſe. Dicunt tamen fluxiſſe quadraginta anni more Scriptoribus etiam Sacris uſitato, quo numeros, quibus parum deeſt, vel ſupereſt, integros, & rotundos conſignant. Ita Lyran. Vatab. Corn. a Lap.

Cap. 7. v. 14. [ Non ſum Propheta. ] Quomodo poterat ſine mendacii nota hoc aſſerere Amos, cui dicitur a Deo v. 15. ejuſdem capitis: ] Vade, Propheta ad populum. ] Reſpondeo, Amos dicit ſe non eſſe Prophetam ex profeſſione, vel a prima ætate, cum ejus muneris fuerit armenta paſcere. Unde Septuaginta legunt: *Non eram Propheta*.

## EX MICHÆA.

CAP. 5. v. 2. [ Tu Bethlehem Ephrata. ] Matthæus vero citans iſtum locum ait cap. 2. 6. [ Tu Bethlehem terra Juda. ] Reſpondeo, duplex erat Bethlehem, una in tribu Zabulon, altera in tribu Juda, de qua loquitur Propheta, & ad diſtinctionem prioris addidit ei cognomen *Ephrata*, quæ fuit ſecunda uxor Caleb, a qua tota illa fertilis regio nomen acceperat. Eadem eſt ergo Bethlehem Ephrata, & Bethlehem Juda.

## EX NAHUM.

CAP. 1. v. 12. [ Afflixi te, & non affligam te ultra. ] Certum tamen eſt poſt iſtam promiſſionem Deum pluries in populum ſuum varias immiſiſſe afflictiones. Reſpondeo, ſenſus illius promiſſionis eſt: *Non affligam te*, ſcilicet, niſi novis ſceleribus ad id me de novo coegeris. Vel *Non affligam te ultra*, nimirum, per Aſſyrios. Ita Corn. a Lapide.

## EX ZACHARIA.

CAP. 1. v. 8. [ Et ipſe ſtabat inter myrteta. ] Sermo eſt de Angelo, de quo ver. ſeq. ait: [ Angelus, qui loquebatur in me. ] Quomodo igitur loquebatur interius, ſi erat inter myrteta? Reſpondeo. Iſte modus loquendi eſt hebraiſmus; idem enim eſt, ac ſi diceret: *Loquebatur mecum*, vel *ad me*, ut vertit Chald. & cenſent Theod. & Vatabl. Alii vero, inter quos Hieron. Remig. Alb. Hugo, & Lyr. putant fuiſſe diverſos Angelos. Nam qui loquebatur interius per inſpirationes, ac mentali voce erat Angelus Cuſtos ipſius Prophetæ; alius vero inter myrteta erat Archangelus Michael.

Cap. 2. v. 4. [ Abſque muro habitabitur Jeruſalem præ multitudine hominum. ] Conſtat tamen 2. Eſd. c. 2. Nehemiam inſtauraſſe muros ejuſdem Civitatis, quæ nunquam illis caruit. Reſpondeo, ſenſus eſt tantam

ho-

hominum frequentiam eo confluxuram, ut murorum ambitus eos capere non poſſit; & ſic oſtendit ſuburbia conſtruenda eſſe, ac villas vicinas erigendas, quod contigiſſe ſuo tempore teſtatur Joſeph lib. 7. bel. Jud. cap. 6. Unde illud *Abſque muro*, vertunt aliqui *Extra muros*, ſicut illud Joſue 17. 5. [ Ceciderunt funiculi Manaſſe decem abſque terra Galaad, ] ideſt, extra terram Galaad.

Cap. 12. v. 2. [ Sed & Juda erit in obſidione contra Jeruſalem. ] Quomodo Judas obſidebat Jeruſalem, quæ erat Metropolis, ac caput totius Judeæ? Reſpondeo. Judæi transfuga Jaſon, Menelaus, & alii adjuvarunt Antiochum in oppugnanda Jeroſolyma, ut videre eſt in Hiſtoria Machabæorum, & confirmatur teſtimonio Joſephi, lib. 12. antiq. cap. 6.

## EX LIBRO I. MACHAB.

CAP. 1. verſ. 1. [ Alexander Philippi Macedo, qui primus regnavit in Græcia. ] At regnum Græcorum conſtat longe antiquius fuiſſe ex Dan. 11. v. 2. Reſpondeo. Alexander primus regnavit in Græcia, intelligitur nimirum in tota Græcia, ut exponit Serar. Vel dicas: Primum regnavit in Græcia, deinde in aliis regnis, quæ armis accepit. Nam in Textu Græco non dicitur *Primo*, ſed *πρότερος*, ideſt, *prior*.

Ibid. [ Egreſſus de terra Cethim. ] Nomine Cethim intelligitur Italia. Ita Num. 24. v. 2. ſic legit noſtra Vulgata: [ Venient in triremibus de Italia. ] Sed Alexander non venit ex Italia, ſed ex Græcia. Reſpondeo, juxta S. Hier. Hebræi omnes populos mari mediterraneo a ſe disjunctos vocabant Cethim, ſeu inſulanos, eo quod navibus ad eos accederent. Idem ſentit Joſeph, lib. 1. antiquit. c. 6. & 11. Theod. in c. 27. Ezechielis: ſicut nunc de facto Itali vocant Germanos, Gallos, Belgas, Anglos, cæteroſque trans alpes habitantes uno nomine Ultramontanos. Unde hic per Cethim intelligitur Macedonia.

Cap. 4. v. 6. [Qui tegumenta, & gladios non habebant.] Sermo eſt de Judæis; qui loricis, & gladiis dicuntur caruiſſe; & tamen v. 15. legimus ipſos occidiſſe gladio tria millia virorum. Reſpondeo. Judæi non habebant loricas, & gladios, ſubintelligitur, *ſicut volebant*, ut in Textu Græco additur *πλὴν καλύμματα ϗ μαχαίρας οὐκ εἶχον καθὼς ἠβούλοντο*. Imo in pluribus codicibus latinis, ſeu manuſcriptis, ſeu editis hoc invenitur expreſſum. Senſus igitur eſt: Judæi quo ad arma non erant pro voto ſuo ſatis inſtructi, certe hoſtibus nulla ex parte æquandi.

Ibid. v. 52. [ Centeſimi quadrageſimi octavi anni. ] Sermo eſt de reſtauratione templi facta triennio poſt ejus profanationem. Nam anno 145. Græcorum, profanatum fuit templum. Cur igitur 2. Machab. c. 10. dicitur poſt biennium reſtauratum fuiſſe Templum? Idem narratur poſt mortem Antiochi, quæ accidit anno 149. Reſpondeo, ad primam difficultatem. Biennium, de quo ibi fit mentio, non ſumitur ab initio profanationis Templi: ſed ab initio Principatus Judæ, ut clare patet. Ad ſecundam difficultatem dico. Reſtauratio Templi narratur poſt mortem Antiochi; ſed tamen ante ejus obitum accidit, qui modus uſitatus eſt ſæpe in ſacris litteris.

Cap. 7. v. 9. [ Sed & Alcimum impium conſtituit in Sacerdotem. ] At iſte Alcimus erat jam Sacerdos ante adventum Demetrii Regis, ut habetur 2. Machab. 14. Reſpondeo, etiamſi antea conſtitutus fuiſſet Summus Sacerdos ab Antiocho poſt cædem Menelai: quia tamen acta Antiochi, utpote tyranni, annullata fuerant iterum a Demetrio legitimo Rege, a quo hæc dignitas conferri debebat.

Cap. 8. v. 16. [ Committunt, (*ſcilicet Romani*,) uni homini magiſtratum ſuum per ſingulos annos dominari univerſæ terræ. ] Certum tamen eſt, duos conſules quotannis creari ſolitos eſſe: cur igitur dicitur hic uni tantum totius imperii committi gubernationem? Reſpondeo. Verum eſt duos creari conſules; ſed ambo non imperabant uno, eodemque in loco. Unus enim in Urbe, alter vero in exercitu. Vel ſi erant in eodem loco ſimul tunc alternis diebus imperabant, & uni ſoli faſces præferebantur, teſte Livio, qui ait, cum ad Cannas pugnatum fuit, ſortem Imperii ea die penes Varronem fuiſſe: idem confirmat Halicarn. & Sigonius.

Cap. 11. v. 34. [ Statuimus ergo illis omnes fines Judææ, & tres Civitates, Lydan, & Ramathan. ] Cur duas tantum enumerat civitates, ſi erant tres? Reſpondeo, legendum eſſe tres præfecturas, ſeu Satrapias, ut legit Joſephus; dein duas civitates ſeparatim nominatas aſſignat pro Templi ſacrificiis. Senſus igitur eſt, præter illas duas præfecturas aſſignaſſe etiam duas alias Civitates pro ſacrificiis. Vide Textum Græcum.

Cap. 14. v. 25. [ Cum autem audiſſet populus Romanus ſermones iſtos. ] Narrat dein beneficia maxima in Simonem collata, quæ beneficia certum eſt non a Romanis, ſed a Judæis fuiſſe collata. Reſpondeo, verum id eſſe, ideoque in Textu Græco non legitur *Populus Romanus*, ſed *ὡς δὲ ἤκουσεν ὁ δῆμος τῶν λόγων τούτων*, ideſt, [ Cum audiſſet populus ſermonem iſtum. ] Patet autem clare ex ipſo Textu ibi ſermonem eſſe de populo Judaico, qui auditis iis, quæ Simon fecerat apud Romanos pro populo, gratias ei agunt. Igitur de populo Judaico intelligenda ſunt quæ ſequuntur.

Cap. 16. v. 3. [ Eſtote loco meo, & fratres mei, & egreſſi pugnate pro gente noſtra. ] Loquitur Simon cum duobus filiis ſuis; ſed cur eos vocat fratres? Reſpondeo ex Textu Græco aliter legendum eſt Ἀντ' ἐμοῦ, ϗ τοῦ ἀδελφοῦ μου: nimirum [ Loco meo, & fratris mei.

## EX LIBRO II. MACHAB.

CAP. 1. verſ. 9. [ Et nunc frequentate dies ſcenopegiæ menſis Casleu. ] Dies ſcenopegiæ celebrandi erant menſe ſeptimo Tiſri, ut præcipitur Exod. 23. & 24. ac Levit. 23. non autem menſe nono Casleu. Reſpondeo. Iſti dies feſti, qui hic indicuntur, non ſunt illi ſeptimi menſis; ſed dies Encæniorum, quando a Juda Machabæo repurgatum fuit Templum, quam dedicationem feſtive peregerunt dies octo integros ad modum feſtivitatis tabernaculorum.

Ibid. v. 14. [ Etenim cum ea habitaturus venit ad locum Antiochus. ] Sermo eſt de conjugali habitatione cum Dea Naneam, ut colligitur ex vocabulo græco *συνοικήσων*, ideſt *cohabitaturus*, & ex dotis mentione, quæ ibi exprimitur. Dubium igitur eſt, quomodo vivus cum mortua, mortalis cum immortali conjungendus eſſet? Reſpondeo, ſolitos fuiſſe veteres Reges cum Deabus matrimonia inire, ut Heliogabali Urania docet, ſeu Venus apud Xiphilinum; & noſtris temporibus nota omnibus eſt ſolemnis deſponſatio, quam cum Thetide quotannis faciunt Veneti in die Aſcenſionis Domini. Habemus inſuper exemplum deſponſationis Antonii cum Minerva, teſte Seneca in Suaſor. Sic etiam hic Antiochus, ut honeſto prætextu templum expoliaret, theſauros dotis nomine ſurripere ſtuduit; at templi Sacerdotes cautiores fuere, ut ipſe exitus comprobavit.


Cap. 3. v. 4. [ Simon de tribu Benjamin præpoſitus Templi. ] Quomodo poterat eſſe Templi præpoſitus, ſi erat de tribu Benjamin, non autem de tribu Levitica? Reſpondeo, iſte Simon erat præpoſitus in rebus profanis, non autem ſacris. Forſan enim præerat theſauris, vel militari cuſtodiæ: ſic etiam ejus frater Menelaus injuſte ſummum Pontificatum affectaverat.

Cap. 5. v. 27. [ Judas autem Machabæus, qui decimus fuerat. ] Et tamen cap. 14. dicitur Judas præfuiſſe omnibus Aſſidæis, cur igitur dicitur decimus? Reſpondeo, erat decimus, nimirum, unus ex decem viris Aſſidæorum, inter quos poſtea etiam generalis dux fuit.

Cap. 8. v. 22. [ Conſtituit itaque fratres ſuos duces utrique ordini Simonem, & Joſephum. ] Nullus tamen ex fratribus Judæ vocabatur Joſephus. Reſpondeo, Joſephus idem erat, ac Joannes; ita Serarius explicat.

## EX EVANGEL. S. MATTHÆI.

CAP. 1. Statim in ipſo exordio occurrit difficultas illa celebris, cur Matthæus Chriſti genealogiam a David uſque ad Joſeph deducat per Salomonem, Lucas vero per Nathan: ergo alii parentes tribuuntur Joſepho a S. Luca, alii a S. Matthæo. Hunc locum olim objecit Julianus Auguſtus. S. Hieronymus vero enodavit dicens; a S. Luca recenſeri parentes Joſeph ſecundum legem, a S. Matthæo autem ſecundum naturam. Nam Deus præceperat, quod ſi frater abſque liberis e vita diſceſſiſſet, alius frater ejus uxorem acciperet ad ſuſcitandum fratris ſemen. Hanc difficultatem nuper Chriſtianis objecit Ahmed Perſa in ſuo libro inſcripto, Politor ſpeculi, contra quem Apologiam erudite, ut aſſolet, ſcripſit P. Philippus Guadagnola, Clericus Regularis Minor linguæ Arabicæ profeſſor egregius, ac in noſtra Congregatione meus collega, qui cap. 7. ſect. 1. notat S. Matthæum uti verbo *Genuit* ad ſignificandam naturalem generationem, Lucam vero non uti tali verbo, ſed dicere: [ Joſeph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, &c. ] Arabicus legit Joſeph filii Heli, filii Mathat, &c. ] Ad majorem hujus difficultatis elucidationem Chriſti genealogiam ex Scripturis, & Sanctis Patribus præſertim Damaſceno deprompram in ſequenti arbore deſcribi curavimus.




Ibidem v. 5. [ Salmon autem genuit Boox de Rahab. ] Quomodo potuit Salmon generare filios ex Rahab meretrice Jericuntina, ſi ipſe non eſt ingreſſus terram promiſſionis: nullus enim ex iis, qui ab Ægypto diſceſſerunt, in terram promiſſionis pedem in-

tu-

tulit præter Joſue, & Caleb. Hæc objectio eſt ejuſdem Ahmedis. Reſpondeo, licet Salmon fuerit ex iis viris, qui ex Ægypto diſceſſerat, nihilominus non fuit comprehenſus Dei maledicto. Nam nondum attigerat vigeſimum annum. Colligitur ex cap. 14. v. 29. Num. [ In ſolitudine hac jacebunt cadavera veſtra. Omnes, qui numerati eſtis a viginti annis, & ſupra, & murmuraſtis contra me.

Ibid. v. 8. [ Joram genuit Oziam. ] Qui tamen fuit abnepos, non vero filius Joram. Nam 4. Reg. 8. Joram genuit Ochoziam. Hic genuit Joas, ut ex cap. 12. Joas genuit Amaſiam: ita cap. 14. Hic denique genuit Oziam, ſeu Azariam. Cur ergo S. Evangeliſta reliquit illos tres intermedios? Reſpondeo, quia noluit excedere teſſeradecadem perſonarum. Ita S. Hieron. Cur vero hos potius prætermiſit, quam alios, ratio in promptu eſt, quia hi tres geniti erant ex Athalia filia impiiſſimi Achabi, & Jezabelis, quorum ſtirpem delendam prædixerat Deus, 3. Reg. 21. v. 21. [ Et interficiam de Achab mingentem ad parietem. ] Unde S. Evang. ſaltem uſque ad quartam generationem illorum memoriam abolitam noluit. Poſteritas enim intelligitur uſque ad quartam generationem. Ita Hilar. S. Thomas, Janſ. Barrad. & Abul.

Ibid. v. 11. [ Joſias autem genuit Jechoniam, & fratres ejus in tranſmigratione Babylonis. ] At 4. Reg. 23. dicitur Joſias genuiſſe Joachim, & capite 24. Joachim genuiſſe Jechoniam, ſeu Joachim. Secunda etiam inſurgit difficultas, quod hæc generatio accidit multis annis ante tranſmigrationem. Reſpondeo ad primam difficultatem, quam velut inextricabilem objiciebat Porphyrius Chriſtianis, & dico, ſcriptorum vitio, & incuria contigiſſe, ut nomen Joachim ſemel tantum exprimeretur propter nominis ſimilitudinem; unde ſupplenda eſt una generatio, ut nonnulli codices Græci, & Latini habent; alioquin non eſſet completa decimaquarta generatio. Duo igitur fuerunt Reges pater, & filius nomen Joachim, & cognomina Jechoniæ. Prior Joachim eſt filius Joſiæ, in quo deſinit ſecunda teſſeradecas. Poſterior fuit nepos Joſiæ, & filius Joachim, a quo incipit tertia. Ad ſecundam difficultatem reſpondeo, illud *In traſmigratione*, idem eſſe ac ſub tempus tranſmigrationis, quæ cœpit anno tertio Regni Joachim.

Cap. 8. v. 5. [ Acceſſit ad eum Centurio. ] At S. Lucas, cap. 7. v. 3. ait: [ Miſit ad eum ſeniores. ] v. 6. [ Miſit amicos. ] Reſpondeo. Primo acceſſit per ſeniores, dein per amicos, denique per ſe ipſum, cum Chriſtus vicinior eſſet: ita Chryſoſt. Theoph. Euthym.

Ibidem, v. 28. [ Occurrerunt ei duo, dæmonia habentes. ] At S. Lucas, cap. 8. v. 27. & S. Marcus, c. 5. v. 2. unum tantum recenſent. Reſpondeo. Unius tantum meminerunt, quia famoſior, & truculentior erat, in quo integra legio hoſpitabatur, ita Auguſt. lib. 2. de conſenſu Evang. cap. 24. & alii.

Cap. 10. v. 10. [ Neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam. ] Marcus vero, cap. 6. ait Chriſtum permiſiſſe Apoſtolis virgam tantum, & ſandalia, imo ipſemet Chriſtus habuit plures tunicas, ita Joan. 19. Reſpondeo. Chriſtus prohibuit duas tunicas, nimirum, veſtimenta mutatoria, ut nunc unum, nunc alterum induant, ut ait S. Thom. alioquin frigoris, aut neceſſitatis cauſa pluribus tunicis indui minime vetat. Inſuper calceamenta, non vero ſandalia prohibuit, nam calceamenta ſuperne etiam pedes tegunt, ita S. Hieron. Aug. Toſt. Tolet. Janſ. & Maldon. Denique prohibuit virgam defenſoriam, quæ hebraice dicitur *Matte*, & per conſequens omnia genera armorum; concedit tamen baculum viatorium hebraice *Miſcian*, ut expreſſit S. Marcus.

Cap. 16. v. 20. [ Præcepit, ut nemini dicerent, quia ipſe eſt Chriſtus. ] Et tamen ipſe Chriſtus præcepit eiſdem Apoſtolis prædicare regnum Dei. Reſpondeo. Chriſtus prohibuit ſolum eo tempore, & loco, quia Apoſtoli nondum erant idonei ad perſuadendum id omnibus, ut ait Chryſoſt. Theoph. & Euthym.

Cap. 17. v. 1. [ Poſt dies ſex. ] Sermo eſt de tempore transfigurationis Chriſti Domini. At S. Lucas, c. 9. ait: [ Factum eſt autem poſt hæc verba fere dies octo. ] Reſpondeo. Poſt evolutos ſex dies plenos transfiguratus eſt Chriſtus, quod accidit ſexta Auguſti, die Dominico. S. Lucas vero numerat omnes dies etiam imperfectos; nam octava die poſt illa verba transfiguratus eſt, ideo addit illud *fere*, ita Chryſoſt. Euth. Theoph. & Aug.

Ibidem, v. 11. [ Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia; ] ſtatim vero ſubjungit contrarium dicens: [ Dico autem vobis, quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum. ] Reſpondeo, in primo loco Chriſtus loquitur de Elia, qui venturus eſt ante extremum judicium una cum Henoch, & reſtituet omnes reliquos Judæos, ideſt, convertet: nam Arabicus legit: [ Docebit vos omnia. ] Deinde tranſit Chriſtus ab Elia litterali, & vero ad myſticum Eliam non nomine, ſed re, nimirum, ad Joannem Baptiſtam, qui ante Chriſti adventum præcurſor fuerat.

Cap. 19. v. 9. [ Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: ] ex hoc aliqui colligunt præcipue Græci licitum eſſe ob fornicationem uxorem dimittere, & aliam ducere. Contrarium aſſeritur apud Luc. cap. 16. Omnis, qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur: idem apud Mar. cap. 10. qui abſolute dicunt non licere uxorem dimittere, ac aliam ducere. Reſpondeo igitur, duas quæſtiones Phariſæi propoſuerant Chriſto Domino. Prima utrum liceret uxorem dimittere. Secunda an liceret aliam ducere. Chriſtus vero reſpondit licitum eſſe uxorem dimittere ob fornicationem tantum, & ſeparari conjuges quo ad thorum; nam qui innocentem dimittit, mœchus etiam reputatur, quamvis aliam non duxerit, quia violat jus matrimonii, & uxoris. Concluſio igitur eſt. Qui dimit-

dimittit uxorem ob fornicationem, non mœchatur; ſi vero aliam duxerit, certe mœchatur. Ut ſi quis dicat: Qui jejunium violat ſine diſpenſatione, & ſe inebriat, peccat: ergo qui violat jejunium cum diſpenſatione, ſe inebriando non peccat, falſa eſt ſequela, ita Corn. a Lap. & eſt ſenſus Theoph. & Aug. Unde propoſitio ſonat. Quicumque dimiſerit uxorem ſuam abſque fornicationis cauſa, mœchatur. Quicunque etiam aliam duxerit, mœchatur.

Cap. 27. v. 9. [ Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Jeremiam Prophetam. ] Loquitur Evangeliſta de agri emptione pro ſepultura peregrinorum ex Chriſti pretio. Maxima tamen eſt difficultas apud Scriptores ſuper hæc verba; nam hæc prophetia nullo pacto invenitur apud Jeremiam, ſed potius apud Zachariam, cap. 11. v. 12. [ Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. ] Reſpondeo. Hunc errorem ex incuria librariorum irrepſiſſe teſtantur Hieron. Ruper. Lyran. Janſ. Franciſc. Lucas. Baron. Mald. Suar. imo nonnulli codices habent nomen Zachariæ, ut ait S. Auguſt. quorum unum egomet legi arabice ſcriptum, & eo utebamur in noſtra Congregatione apud Eminentiſs. Cardinalem Pallottam, apud quem alius etiam extabat chaldaice ſcriptus, qui nullius Prophetæ nomen continebat, ſed ſolum dicebat: [ Quod dictum eſt per Prophetam, ] & hæc mihi videtur veriſimilior explicatio: nam S. Matthæus non ſolet exprimere nomina Prophetarum in ſuo Evangelio. Sed hic prætereundum non eſt, quod mihi nuper oſtendit D. Abraham Ecchelenſis Maron. in Romano Sapientiæ Archigymnaſio Chald. ac Arabicæ linguæ publicus profeſſor, & meus in præcognoſcendis Arabicis Bibliis diligentiſſimus collega. Apud hunc virum inter complures libros arabicos manuſcriptos quidam ſingularis exiſtit inſcriptus, Liber margaritarum pretioſarum, eſtque de operibus Domini. Auctor hujus libri ait, odio, ac malitia Judæorum iſtam Prophetiam eraſam fuiſſe: unde cap. 7. loquens de Chriſti paſſione, Jeremiæ verba citat, quæ ex Arabico in latinum converſa talia ſunt.

*Sectio ex Prophetia Jeremiæ Prophetæ.*

*Tum dixit Jeremias ad Pheſciur: Jam diu cum patribus veſtris eſtis contrarii veritati; filii autem veſtri, qui venient poſt vos, perpetrabunt peccatum magis enorme, quam vos, quoniam appretiabunt illum, qui non habet pretium, & pati facient, qui ſanat morbos, & dimittit peccata; & accipient triginta argenteos pretium illius, quem emerunt filii Iſrael, &c.*

## EX EVANGEL. S. MARCI.

CAP. 1. verſ. 2. [ Sicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta: Ecce ego mitto Angelum meum. ] Iſta verba inveniuntur apud Malachiam, cap. 3. cur ergo citatur Iſaia? Reſpondeo. Verum eſt, iſta verba eſſe Malachiæ, ac S. Evangeliſta non citat Iſaiam pro eis, ſed pro ſequentibus, nimirum [ Vox clamantis in deſerto, ] unde juxta veterum Eccleſiaſticorum ſententiam Marcus ex duobus teſtimoniis Prophetarum unum efficit ſub nomine Eſaiæ, ita Hieron. qui addit ſecundum ſolutionem, nimirum, vitio ſcriptorum Eſaiæ nomen irrepſiſſe. Græcus legit, ὡς γέγραπται ἐν τοῖς Προφήταις. [Sicut ſcriptum eſt in Prophetis; ] nullius nomen exprimendo.

Cap. 15. v. 25. [ Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum. ] S. Joannes vero ait, cap. 19. [ Erat hora quaſi ſexta, ] & nec erat adhuc damnatus. Reſpondeo, erat hora tertia finiens, ac deſinens in ſextam; nam idem Marcus, v. 33. affirmat Chriſtum Dominum crucifixum hora ſexta, quando tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, ita communiter Interpretes, vel dicemus Marcum locutum eſſe de damnatione ad crucem, quando juxta Auguſtinum linguis Judæorum clamantium, crucifige, crucifige, Chriſtus cruci affixus eſt. Hieronymus putat ſcriptorem deceptum ſimilitudine characterum numeralium, quibus Græci Codices utuntur, pro ς quod ſenarium indicat, appoſuiſſe Γ gamma, quod ternarii ſignum eſt.

Cap. 16. v. 8. [ Et nemini quidquam dixerunt. ] Et tamen certum eſt has mulieres nunciaſſe Chriſti reſurrectionem omnibus diſcipulis. Reſpondeo. Nemini quidem per viam dixerunt præ timore, ut ait Euthym.

## EX EVANGEL. S. LUCÆ.

CAP. 3. verſ. 2. [ Principibus Sacerdotum Anna, & Caipha. ] Conſtat tamen ex Joan. 18. ſolum Caipham fuiſſe tunc temporis Pontificem. Reſpondeo. Non erant ſimul Pontifices; nam ſolus Caiphas eo munere fungebatur: ſed ambo erant principes inter ſacerdotales familias. Annas enim fuerat immediate ante Caipham Pontifex per ſeptennium, & ſummæ auctoritatis erat apud omnes. Sed adhuc remaneret difficultas, quomodo vivente Pontifice Anna, creatus fuerit Caiphas. Sciendum igitur eſt, apud Hebræos ſolitum fuiſſe ſeptem dies ante Kepur, ideſt, diem expiationis ſeparare Pontificem, illumque inſtruere cæremoniis, quibus ingredi debebat Sancta Sanctorum; ſed quia aliquando contingebat Pontificem eo tempore pollui, ac reddi immundum, ideo eligebant alium Pontificem, quem vocabant Pontificem anni, ne prætermitteretur illa ſolemnitas; qui aſſiſtebat in eadem functione, & ſi ipſe offerebat illud ſacrificium propter aliquam immunditiam Pontificis, remanebat toto eo anno in gradu pontificali. Colligitur hoc ex textu evangelico, in quo Caiphas appellatur Pontifex, ſed cum additamento, nempe *anni illius*; ita Jo. 11. v. 49. & 18. v. 13. Annas igitur erat verus Pontifex, ut clariſſime patet ex Actis Apoſtolorum, cap. 4. v. 6. [ Annas Princeps Sacerdotum, Caiphas, & Joannes &c. ] ubi ſermo eſt de

de concilio congregato contra Apoſtolos, quod certe accidit poſt Chriſti reſurrectionem; ergo Annas reſtitutus in priſtinam dignitatem; remanebat tamen Caiphas in ſecundo loco, in tertio autem ſacerdos caput hebdomadæ; nam hi duo ſemper comitabantur ſummum ſacerdotem in functionibus ſacris, unus quidem a dextris, nempe, Pontifex anni, alius a ſiniſtris, ſcilicet, caput hebdomadæ. Colligitur tota hæc doctrina ex Hebræorum cæremoniali, ut mihi teſtatus eſt Joannes Baptiſta Jonas in Romano Sapientiæ Archigymnaſio hebraicæ linguæ profeſſor, olim inter Rabbinos Archiſynagogus celeberrimus.

Ibid. v. 36. [ Qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad. ] S. Evangeliſta enumerat Chriſti genealogiam ſurſum aſcendendo, ita ut Arphaxad ſit pater Cainan, & hic pater Sale. At Gen. 10. v. 24. dicitur: [ Arphaxad genuit Sale, ] nulla facta mentione de Cainan. Hanc objectionem Chriſtianis proponit Ahmed Perſa probans Evangeliorum diſſonantiam: Reſpondeo. Mos uſitatus eſt apud ſacram ſcripturam appellare etiam progenitores parentes mediatos, quia non eſt ipſius intentum ſingulorum genealogiam numerare. Animadvertendum inſuper eſt, Textum Arabicum, & Græcum numerare etiam in Geneſi Cainan; igitur mirum non eſt, ſi S. Lucas, qui græce ſcripſit, non prætermittat generationem Cainan, ſecutus Textum Græcum.

Cap. 18. v. 1. [ Oportet ſemper orare, & non deficere. ] Durum videtur hoc præceptum. Legimus enim apud Matth. 26. Chriſtum Dominum poſt orationem conceſſiſſe ſæpius Apoſtolis requiem. Reſpondeo. Senſus eſt nos debere perſeveranter orare, & non deficere metu, vel tentatione, aut tædio. Itaque illud *ſemper* non ſignificat temporis continuationem, ut volebant hæretici Euchitæ; ſed conſtantiam, & perſeverantiam, ut explicat Salmeron, tom. 7. tract. 31. Eodem modo explicandus eſt alter textus Eccl. 18. [ Non impediaris orare ſemper. ] Item alter ſimiliter Pauli ad Theſſalon. cap. 5. [ Sine intermiſſione orate: ] ſicut etiam communiter dicere ſolemus: Iſte juvenis ſemper ſtudet, ideſt ſedule, & frequenter.

Ibid. v. 35. [ Cum appropinquaret Jericho, cæcus quidam ſedebat ſecus viam. ] Marcus vero, c. 10. v. 46. ait: [ Proficiſcente eo de Jericho. ] Idem affirmat Matth. cap. 20. qui inſuper addit duos fuiſſe cæcos. Reſpondeo igitur ad ſecundam difficultatem. S. Marcus, & S. Lucas unum tantum nominant cæcum principaliorem, & magis notum apud cives illos, quem S. Marcus vocat Bartimæum, eratque mendicus. Duos tamen re vera illuminatos fuiſſe cæcos a Chriſto aſſerit S. Auguſt. lib. 2. de Conſ. Evang. cap. 65. Ad primam difficultatem, nimirum, de diverſitate hiſtoriæ Lucæ ab aliorum duorum narratione S. Auguſt. exiſtimat diverſum eſſe cæcum, de quo agit S. Lucas, nam hic in ingreſſu Chriſti ad urbem illuminatus eſt: quam ſententiam amplectitur etiam Janſenius. Verum cum omnes circumſtantiæ, quas narrat S. Lucas, conſentiant cum iis, quas habent S. Matt. & S. Mar. dicendum eſt omnino unum, eundemque fuiſſe cæcum, qui prius ingrediente Chriſto Domino petierit ab illo illuminari, verum cum ob turbæ multitudinem non audiretur, & ipſemet Chriſtus diſſimularet, ut ejus fidem acueret, ſtetit poſtridie ad portam urbis, ibique Chriſto egrediente rurſus viſum poſtulans gratiam impetravit, ita ſentiunt S. Ambr. in Luc. c. 18. Dion. Carth. Mald. Fran. Lucas, & alii.

## EX EVANGEL. S. JOANNIS.

CAP. 1. verſ. 28. [ In Bethania trans Jordanem. ] At cap. 11. ait Bethaniam fuiſſe juxta Jeroſolymam cis Jordanem. Reſpondeo, iſta Bethania, de qua hic agitur, non eſt illa Marthæ, & Mariæ, ſed alia trans Jordanem ſita; unde aliqua exemplaria græca legunt βηθαβαρᾶ, ideſt, Bithabara, quod vocabulum hebraicum ſignificat domum tranſitus; imo communiter græca lectio eſt Bithabara, Inſuper hæc Bethania ſcribitur per Aleph, & ſignificat domum navis; altera ſcribitur per Ain, & ſignificat domum humilitatis.

Ibid. v. 31. [ Ego neſciebam eum. ] Quomodo ſine mendacii nota poterat hoc dicere Joannes, qui præ gaudio in utero exultaverat ad aſpectum Chriſti Domini? Reſpondeo, Joannes non noverat Chriſtum de facie, ſeu naturali modo; ſed divinitus: quam notionem noluit manifeſtare, ne videretur cognationi, familiaritati, vel affectui aliquid indulgere.

Cap. 2. v. 20. [ Quadraginta, ſex annis ædificatum eſt templum hoc. ] Quod non poteſt verificari de Salomone, qui in ædificatione templi ſeptem annos cum dimidio impendit. 3. Reg. 6. Neque de reſtauratione facta per Zorobabelem, qui neque tam plures impendit annos, licet Chryſ. Beda, Theoph. Euth. Eucher. Janſ. Tolet. Mald. exiſtiment hic loqui de hac ſecunda reſtauratione facta per Zorobabelem anno primo Cyri regis uſque ad annum ſextum Darii, quod ſpatium putant fuiſſe 46. annorum: ſed hic computus errorem continet. Nam Templum inſtaurari cœpit anno primo Monarchiæ Cyri; unde quindecim anni ſolum fluxere, ut probat Cornel. a Lap. in hunc locum; de qua ergo ædificatione loquitur Textus? Reſpondeo. Loquitur de ultima reſtauratione facta ab Herode Aſcalonita, qui ut nomen Meſſiæ ſibi vindicaret, templum conſtruere cœpit anno Juliani 27. quod complevit anno 15. Tiberii, nimirum Juliani 73. unde quadraginta, & ſex annis ædificatum fuit, & completum anno primo prædicationis Chriſti. De hac templi reſtauratione agunt Joſephus, lib. 15. antiq. c. 14. & lib. 20. c. 8. Sigonius in notis ad Suppl. Conſtan. Phrygio in Chron. Ger. Merca. & Func. in Chron.

Cap. 3. v. 22. [ Et illic demorabatur cum eis, & baptizabat. ] At c. 4. v. 2. contrarium ait: [ Quamquam Jeſus non baptizaret; ſed diſcipuli ejus. ] Reſpondeo.

deo. Chriſtus baptizabat non tam per ſe, quam per diſcipulos ſuos, quos tamen ipſe prius baptizavit, ut oſtenderet baptiſmum ſuum etiam ab aliis conferendum; at Joannis baptiſmus ab ipſo conferebatur.

Cap. 4. v. 13. [ Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum. ] Quod videtur contradicere Textui Eccl. 24. v. 29. [ Qui biberint me, adhuc ſitient. ] Reſpondeo. Sitient non ex defectu, quaſi aqua careant, qualis ſitis invenitur in aqua mundana, non vero in illa, quam promittit Chriſtus; ſed ſitient ex deſiderio magis augendi aquam, quam habent, ſicut quo magis guſtamus rem delicatam, eo magis augeri nobis optamus.

Cap. 5. v. 31. [ Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium meum non eſt verum. ] Paulo poſt, cap. 8. v. 14. contrarium omnino aſſerit Chriſtus dicens: [ Et ſi ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, verum eſt teſtimonium meum. ] Reſpondeo. In primo Textu ſenſus eſt, ſi ſolus ego perhiberem teſtimonium de me, utique non eſſet verum, ideſt, dignum fide, veſtro quidem judicio; loquitur enim Chriſtus ex conceſſione magis, ac communi Judæorum ſenſu. In ſecundo vero ſenſu dicit teſtimonium ipſius verum eſſe, quia ſolus non erat, ſed cum eo Pater, qui illum miſerat, ita Cyrill. Chryſoſt. Leont. Theophil. Euth. & alii.

Ibid. v. 34. [ Ego autem non ab homine teſtimonium accipio, ] & tamen Joannes teſtimonium perhibuit de Chriſto: item Moyſes, & Prophetæ. Reſpondeo. Chriſtus Dominus teſtimonium hominis non accipit, ideſt, non requirit, nec indiget hominis teſtimonio. Non tamen illud rejicit etiam in controverſiis fidei, ut ſomniarunt hæretici; ſed ſolum aſſerit ſui cauſa non indigere tali teſtimonio, cum ſit Deus. Noſtri vero cauſa, quoties tale teſtimonium neceſſarium fuerit, illud probat, & admittit. Imo, ut Deus, non ſolum non indiget hominum teſtimonio, ſed omnes Prophetæ, & ipſe Joannes ab eo auctoritatem acceperunt. Ita Cyrill. Theoph. Leont. Mald. Janſ. & alii.

Cap. 7. v. 16. [ Mea doctrina non eſt mea: ] Si mea quomodo non mea? Reſpondeo, *mea doctrina*, ideſt, quam vobis trado, non eſt excogitata ex me, ut puro homine; ſed a Patre meo cœleſti illam accepi, imo ut Deus illam mihi communicavit, ita Chryſoſt. Leont. Euthym.

Cap. 8. v. 15. [ Ego non judico quemquam. [ Cap. vero 5. dixerat [ Pater omne judicium dedit filio. ] Reſpondeo. Chriſtus non judicat ſecundum carnem, ideſt, ſenſus externos, de quo judicio ibi loquitur. Vel poſſumus dicere Chriſtus non judicat quemquam, ideſt, non condemnat; non enim venit perdere, ſed ſalvare.

Ibid. v. 19. [ Neque me ſcitis: ] ſupra vero, c. 7. v. 28. dixerat: [ Et me ſcitis. ] Quomodo hæc inter ſe conveniunt? Reſpondeo. [ Neque me ſcitis: ] quoad divinitatem, & reddit rationem: [ Si me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis. ] Græcus magis ad rem noſtram legit, ᾔδειτε ἄν, ſcilicet, [ Sciretis utique. ] Nam correlativorum eadem eſt ſcientia. Ita Theoph. & Janſen.

Cap. 9. v. 29. [ Hunc autem neſcimus unde ſit ] Et tamen eadem turba dixerat ſupra, c. 7. v. 27. [ Hunc ſcimus unde ſit. ] Reſpondeo. Neſciunt unde ſit, nimirum, a quo, vel cujus auctoritate miſſus ſit; alioquin de patria, & parentibus ſatis ſibi conſtare ſupra, cap. 7. aſſeruerant.

Cap. 10. v. 22. [ Facta ſunt encænia, & hyems erat. ] At dedicatio Templi facta per Salomonem fuit in æquinoctio autumnali, 3. Reg. 8. Secunda etiam facta per Zorobabel fuit in vere paulo ante Paſcha, 1. Eſd. 6. igitur quomodo encænia celebrantur hyberno tempore? Reſpondeo, de nulla iſtarum dedicationum loquitur Textus; ſed ſolum de illa facta a Juda Machabæo, qui prophanatum ab Antiocho Templum, & Altare, triennio poſt expurgavit, iterumque dedicavit menſe Casleu, ideſt, Decembri, juſſitque quotannis idem feſtum celebrari per octiduum, 1. Machab. 4. Ita Cornel. a Lapid. in hunc locum.

Cap. 12. v. 44. [ Qui credit in me, non credit in me. ] Hæc videntur manifeſte contradictoria. Reſpondeo, ſenſus eſt, qui credit in Chriſtum, ſicut oportet credere, non ſolum credit in eum, ſed etiam in illum, qui eum miſit, ut ſubjungit, tanquam unigenitum, & conſubſtantialem filium: favet Textus Arabicus: [ Qui credit in me, non credit in me ſolum; ſed & in eum, qui miſit me.

Cap. 13. v. 27. [ Quod facis, fac citius. ] Sunt verba Chriſti Domini ad Judam proditorem; Deus tamen nemini mandat impie agere, ut dicitur Eccl. 15. Reſpondeo. Chriſtus non præcipit, nec ſuadet Judæ, ſed poteſtatem concedit exequendi ſcelus, nimirum, non contradicit, nec impedit, licet facillime poſſet. Non præcipit, ait Auguſt. ſed prædicit. Sunt etiam verba exprobrantis, ſecundum Chryſoſt.

Ibid. v. 34. [ Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem: ] Cur vocatur novum, ſi fuit ab initio mundi; imo eſt lex naturalis? Reſpondeo, eſt novum, quia non ſolum proximos, ſed etiam inimicos diligere mandat; ideo addidit, *Sicut dilexi vos*. Et inter vos etiam Judam. Novum igitur mandatum, quia novo modo eſt expoſitum, & in praxim redactum, ita Chryſoſt. hom. 71. Auguſt. tract. 65.

Cap. 18. v. 20. [ In occulto locutus ſum nihil. ] Contrarium aſſeritur Matth. 10. [ Quod dico vobis in tenebris, & in aure. ] Ergo locutus fuerat in occulto. Reſpondeo. Chriſtus nihil locutus fuerat in occulto, nimirum nihil dixerat, quod in publicum proferri vetuerit; imo potius juſſit prædicari ſuper tecta.

Ibid. v. 31. [ Nobis non licet occidere quemquam. ] Et tamen occiderunt S. Sephanum; inſuper præcipitarunt S. Jacobum. Reſpondeo. Romani ademerant illis jus inferendæ necis, relicta ſolum poteſtate cognoſcendi, & judicandi crimina ad legem pertinentia,

tia, ita Chryſoſt. Stephanum vero tumultuario, & ſubito furore occiderunt, quod facinus diſſimularunt Romani; imo Joſephus, lib. 20. Antiq. cap. 8. alias 16. aſſerit Annanum Pontificatu privatum fuiſſe, eo quod Jacobum juſſiſſet occidi. Vel non licebat forſitan eis occidere in feſto Paſchæ propter tanti feſti celebritatem, ut explicant Auguſt. Cyrill. Suar.

Cap. 19. v. 14. [ Erat autem Paraſceve Paſchæ. ] Imo erat ipſum feſtum Paſchæ. Nam die antecedente ad Veſperam comederant Agnum Paſchalem. Matth. 26. Reſpondeo, erat Paraſceve, ideſt, dies præparationis rerum neceſſariarum ad ſequens ſabbatum. Unde S. Mar. c. 15. vocat illum diem voce græca *προσάββατον*, ideſt *Anteſabbatum*: additur vox illa *Paſcha*, quia dies hic paraſceves incidebat in primum diem azymorum, ſeu paſchalium, ut probat Baron. ſed prætereundum hic non eſt ex Rabbinorum traditionibus numquam celebrari a Judæis Paſcha in diebus lunæ, mercurii, vel veneris, ut dixi in Hierolex. dict. *Pentecoſtes*. Igitur eo anno, quo paſſus eſt Jeſus, celebrabant Paſcha in die ſabbati, & per conſequens comederunt agnum ad Veſperam diei veneris, quod comprobatur illis Evangeliſtæ verbis: [Et ipſi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha. Jo. 18. v. 28.] At Chriſtus Dominus relictis Rabbinorum traditionibus comedit agnum feria V. quando incidebat decimaquarta dies Lunæ primi menſis; igitur ſecundum Judæos feria ſexta erat Paraſceve Paſchæ eo anno. Confirmatur hæc opinio ex Hebræorum Thalmud, in quo aſſeritur Chriſtum Jeſum paſſum ante diem Paſchæ.

Ibid. v. 29. [ Spongiam hyſopo circumponentes. ] Aliter Mar. 15. [Calamo circumponentes] Item Matth. 27. [ Spongiam arundini. ] Reſpondeo. Spongiam quidem arundini, ſed ramuſculis hyſopi quaſi funiculis circumpoſuerunt, ne ſpongia dilaberetur, & ut acetum virtute hyſopi condiretur. Ita Aug. & alii antiquiores. Multi vero putant calamum fuiſſe ex hyſopo. Calamus enim ſignificat ſurculum cujuſvis herbæ, imo Dodonæus, lib. 4. de ſtirpibus, cap. 19. ait, hyſopum erigere caules altiores, duros, & lignoſos. Hanc ſententiam tenent Euthym. Chryſ. Lyran. S. Thom. Titel. Dion. Carth. Barrad.

## EX ACTIS APOSTOLORUM.

CAP. 1. v. 18. [ Et hic quidem poſſedit agrum de mercede iniquitatis. ] Loquitur de Juda proditore, qui ſuſpenſus crepuit medius; quomodo igitur poſſedit agrum emptum poſt ejus mortem? Reſpondeo, eſt figura catachreſis, qua quod meo ære emptum eſt, meum eſſe cenſetur, & etiam mortuus dicor illud poſſidere per ſucceſſores meos. Vel poſſedit pretium agri, nimirum, pecuniam.

Cap. 2. v. 1. [ Cum complerentur dies Pentecoſtes. ] Eſt traditio eccleſiaſtica, diem Pentecoſtes incidiſſe in diem dominicum, ita Eccleſia univerſalis, & Sancti Patres unanimiter tenent. At computus dierum quinquaginta non concordat. Reſpondeo, ex legis præſcript. Lev. 23. dies Pentecoſtes numerandi erant a ſequenti die poſt Paſcha azymorum, in qua ſolemnitate manipulus ſpicarum Deo offerendus erat; eo vero anno ſequens dies erat ſabbatum, quo die vetitum erat mittere falcem in meſſem; eo ergo anno manipulus oblatus fuit die dominico, quo die Chriſtus reſurrexerat; & ſic ab hac die uſque ad Pentecoſtes feſtum numerantur dies quinquaginta. Sed jam ſuperius probavi, Paſcha azymorum celebratum fuiſſe die Sabbati eo anno a Judæis.

Ibid. v. 38. [ Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti] Utrum hæc Baptiſmi forma ſit valida, dicente Chriſto Matth. ult. [ Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. ] Reſpondeo, ſenſus illorum verborum *In nomine Jeſu Chriſti*, idem eſt, ac in fide Jeſu Chriſti, ſeu in virtute. Addebant autem in forma Baptiſmi alias duas perſonas Sanctiſſimæ Trinitatis neceſſario exprimendas. Unde ante Baptiſmum inſtruebantur fideles de myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis, ut docent Suar. Coninck, & alii Scholaſtici. Crediderim tamen, primis illis temporibus in forma baptiſmi ad conciliandam majorem reverentiam exprimi ſolere nomen Jeſu Chriſti hoc modo: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii ejus Jeſu Chriſti, & Spiritus Sancti.

Cap. 7. v. 2. [ Apparuit patri noſtro Abrahæ, cum eſſet in Meſopotamia. ] Conſtat contrarium Gen. 11. v. 31. ubi Abraham dicitur eductus de Ur Chaldæorum. Reſpondeo, hic Meſopotamiæ nomine intelligitur omnis regio trans Euphratem, prout opponitur terræ Chanaam, cujus limites extenduntur uſque ad Euphratem. In Meſopotamia ergo includitur Chaldæa.

Ibid. v. 5. [ Et non dedit illi hæreditatem in ea, nec paſſum pedis. ] Sermo eſt de terra Chanaam, in qua legitur Abraham poſſediſſe ſpeluncam duplicem. Gen. 23. v. 9. Reſpondeo. Illam ſpeluncam non dedit illi Deus: ſed emit pretio argenti. Ita Aug. q. 56. in Gen. Nec poterat vocari hæreditas locus in ſepulturam deſtinatus, & non in culturam, ait Gloſſa.

Ibid. v. 16. [ Et tranſlati ſunt in Sichem, & poſiti ſunt in ſepulcro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor, filii Sichem. ] Hæc narratio S. Sephani contradicit veritati; imo quamplurimas involvit difficultates. Primo Abraham emit ab Ephron filio Seor. Gen. 23. v. 16. Secundo, locus vocabatur Hebron, in quo ſepulti ſunt omnes Patriarchæ excepto Joſeph, ut habetur Joſue, c. ult. Nec poteſt verificari de emptione Jacob a filiis Hermor, Gen. 33. v. 19. nam Jacob non emit ſepulcrum, ſed agrum ad conſtruendum altare. Tertio quia Hemor non fuit filius, ſed pater Sichem. Quarto denique quia non emit Jacob pretio argenti, ſed centum agnis. Fateor

hanc

hanc eſſe maximam, ac unicam difficultatem indiſſolubilem in novo teſtamento, cui varias expoſitiones tradunt Interpretes, ſed nulla ſatisfacit plene. Unde inter tot ſolutiones facilior mihi videtur illa, quam aſſignant S. Greg. lib. 7. epiſt. 55. Lyran. & alii. Loquitur igitur S. Stephanus de emptione ab Abrahamo facta. Dicendum itaque Seor fuiſſe binomium juxta morem Hebræorum, vocatumque eſſe etiam Hemor, qui multos habuit filios, quorum primogenitus vocabatur Ephron, hic nomine cœterorum fratrum vendidit. Hemor autem fuit filius alterius Sichem antiquioris. Confirmatur, quia non ſolum Abraham, Iſaac, & Jacob; ſed alii etiam Patriarchæ ſepulti ſunt in Hebron, licet prius translati fuiſſent in Sichem, ut notavit Joſephus, lib. 2. antiq. cap. 4. Nec contradicit Hieronym. in Epitaph. Paulæ, dum ait, duodecim Patriarcharum ſepulchra adhuc ſua ætate oſtendi ſolita in Sichem, quæ hodie vocatur Neapolis. Loquitur enim de tumulis aſſervatis religioſe a poſteris: non autem de cadaveribus translatis.

Cap. 8. v. 7. [Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, ſtabant ſtupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes.] Huic narrationi contradicit ipſemet Apoſtolus Paulus, qui infra aſſerit ſocios non audiviſſe vocem Chriſti: ita enim ait, cap. 22. v. 9. [Qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt.] Reſpondeo. Socii audierunt vocem Pauli, non autem Chriſti; ideo ſubjungit: [Vocem autem non audierunt ejus, qui loquebatur mecum] ita S. Aug. in Pſalm. 57. Lyr. Hug. Chryſoſt. Var. Facilior eſt ſolutio S. Eucherii, qui docet ſocios audiviſſe vocem, ſcilicet, ſonum inconditum; non tamen expreſſam verborum ſignificationem, & ſic non intellexerunt, nec audierunt verba auriculata; ſed ſonum vocis. Denique non audierunt, ſcilicet, non obedierunt, ſicut Paulus.

Cap. 12. v. 17. [Nunciate Jacobo, & fratribus hæc.] Quomodo poterant nunciare Jacobo jam mortuo, ut patet ex eodem cap. v. 2. [Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio.] Reſpondeo Petrus mandat nunciare hæc Jacobo Alphæi Jeroſolymorum Epiſcopo, non autem Jacobo Zebedæi jam vita functo.

Cap. 25. v. 13. [Agrippa Rex, & Berenice deſcenderunt Cæſaream] Atqui Agrippa jampridem conſumptus erat vermibus, & percuſſus ab Angelo expiraverat, ut vidimus ſupra, cap. 12. Reſpondeo, hic, de quo loquitur Textus, eſt Agrippa junior filius Agrippæ ſenioris, frater Druſillæ, nec erat Rex Judeæ, ſed Chalcidis, & Trachonitidis.

Cap. 27. v. 12. [Devenientes Phœnicem, hyemare portum Cretæ.] Sed Phœnicia eſt Provincia Syriæ. Item eodem cap. v. 13. [Et cum ſuſtuliſſent de Aſſon legebant Cretam.] Sed Aſſon eſt Civitas Macedoniæ, ita Actor. 20. Reſpondeo ad primum, Phœnix eſt urbs, & portus Cretæ inſulæ, & diſtinguitur ab alia, quæ eſt regio. Ad ſecundum, eodem modo reſpondeo, Aſſon namque eſt portus ejuſdem inſulæ, ita Baron.

Ibid. v. 33. [Quartadecima die hodie expectantes jejuni permanetis nihil accipientes.] Quomodo hoc fieri poterat naturaliter? nam homo alioquin ſanus ultra ſeptem dies naturaliter abſque cibo vivere non poteſt, ut docet Hippocrates, & alii medici? Reſpondeo, illud, *Nihil accipientes*, intelligitur per modum juſtæ refectionis, ita Hugo, Corn. a Lap. & plerique alii, qui volunt vectores carptim ſubinde quædam delibaſſe ad vitam ſuſtentandam. Chryſoſt. tamen hoc tribuit miraculo, cui aliqui conſentiunt.

Cap. 28. v. 1. [Barbari vero præſtabant non modicam humanitatem nobis.] Contradicit ſibimet iſte textus: nam quomodo vocantur barbari Melitenſes, ſi humaniter ſe geſſerunt erga Apoſtolum, ac cæteros naufragos? Reſpondeo. Quod viris doctis, ac linguarum peritis nulla conſurgit difficultas ex ſupracitatis verbis: nam Barbarus non ſignificat inhumanum, ut vulgo nunc ſonat, ſed agreſtem, & ruſticum, eſt enim vox Syriaca *Bar - Bar*, ideſt, filius deſerti, vel habitator deſerti, & quia tales homines ſolent eſſe inurbani, ideo hæc vox tractu temporis denotare cœpit inhumanos. Confirmatur hæc expoſitio ex textu æthiopico, qui legit *Agreſtes*, ut mihi oſtendit Romæ Abbas Gregorius Sacerdos Æthiops, de noſtra fide Catholica optime meritus, ac linguæ Æthiopum literalis peritiſſimus. Igitur homines ruſtici, ac per agros vagantes primi ſeſe obtulerunt Paulo, ac ſociis a mari in littus ejectis, eoſque humaniter exceperunt; deinde fama vulgata acceſſerunt cives, ac ipſe Publius Princeps Inſulæ, ut narrat Textus.

## EX EPISTOLA S. PAULI AD ROM.

CAP. 1. v. 3. [Qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem. [Contrarium videtur docere Apoſtolus 2. Cor. cap. 5. v. 16. [Et ſi cognovimus ſecundum carnem Chriſtum; ſed nunc jam non novimus. [Ex hac apparenti contradictione colligit Fauſtus epiſtolas Pauli vitiatas. Reſpondeo, neutrum ab altero diſſonare: nam in epiſtola ad Corinthios loquitur de immortalitate poſt reſurrectionem futuram, in qua negat carnem fore corruptibilem, ſicut de facto Chriſtus nunc non habet carnem paſſibilem, & corruptibilem; ergo nomine carnis intelligit corruptionem.

Ibid. v. 17. [Juſtus ex fide vivit.] Contra vero Jacobi 2. dicitur: [Ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantum.] Reſpondeo. *Juſtus ex fide vivit*, ſcilicet, non ex cæremoniis legalibus, ut Judæi, nec ex ſolis virtutibus moralibus, ut Gentiles, ſed ex fide, non quidem ſola, quæ mortua eſt, ſed etiam conjuncta cum bonis operibus, cæteriſque virtutibus: implicat enim animam vivere per aliquid mortuum. Vel ſenſus eſt. *Juſtus ex fide vivit*, quia, ſcilicet, fides eſt radix vitæ ſpiritualis; non tamen excluduntur aliæ virtutes, ſicut cum dicimus, homo ex corde vivit, nimirum, cor eſt initium vitæ, non ideo excluduntur aliæ partes, cerebrum, jecur &c. per quas partes homo

homo vivit, ita Corn. a Lap. Auguſtinus in præf. Pſal. 31. Paulum, & Jacobum conciliat, quia Paulus docuit Abraham juſtificatum fuiſſe ex fide, tamquam ex radice, & fundamento; Jacobus vero aſſeruit eundem juſtificatum ex operibus, tamquam ex fructu.

Cap. 2. 13. [ Factores legis juſtificabuntur. ] Contrarius eſt textus infra, c. 3. [ Ex operibus legis non juſtificatur omnis caro. ] Reſpondeo. Factores legis juſtificantur, quia gratis accepta juſtificatione proficiunt in operibus legis, & merentur; quæ tamen merita proveniunt tamquam ex radice ab illa prima juſtificatione, & ſic juſtificantur non accuſati tamquam legis traſgreſſores coram Deo. Primam vero juſtificationẽ, qua remittuntur peccata, non merentur ex operibus juſtitiæ, & legis ſed a Chriſto gratis hæc nobis datur.

Cap. 4. v. 20. [ In repromiſſione etiam Dei non hæſitavit diffidentia. ] Loquitur de Abraham, qui tamen videtur dubitaſſe; nam Gen. 17. dicitur: [ Riſit Abraham dicens in corde ſuo: Putaſne centenario naſcetur filius? ] Reſpondeo. Iſta verba Abrahami non ex incrudelitate, ſed ex admiratione proveniebant.

Cap. 14. v. 23. [ Omne autem, quod non eſt ex fide, peccatum eſt. ] Si hoc eſſet verum, ſequeretur Melitenſes, v. g. peccaſſe, humaniter ſe gerentes erga S. Paulum ejuſque ſocios, nam actio illa non erat ex fide. Reſpondeo. Apoſtolus hic non agit de fide chriſtiana, ſeu ſupernaturali; ſed de fide naturali, quæ nil aliud eſt, quam dictamen rationis, & conſcientiæ, quo quis ſibi videtur recte agere, ita Chryſ. Oecum. Amb. & Theoph. Colligitur ex voce græca *πίςις*, qua fides ſolet appellari, & idem eſt, ac perſuaſio. Igitur quicumque non agit ſecundum rationis dictamen, peccat. Sunt aliæ explicationes, ſed non ad mentem Apoſtoli.

## EX PRIMA AD CORINTHIOS.

CAP. 10. v. 8. ] Ceciderunt una die viginti tria millia. ] Loquitur Apoſtolus de fornicariis cum filiabus Moab, ſecundum Chryſ. Anſ. & Cajet. & tamen de his dicitur Num. 25. [ Occiſi ſunt viginti quatuor millia. ] Reſpondeo. Numerus iſte minor a S. Paulo commemoratus comprehenditur in illo majore. Poteſt etiam dici S. Paulum locutum fuiſſe de vituli cultoribus, & idololatris, ut vult Corn. a Lap. & ſic numerus concordat.

## EX SECUNDA AD CORINTHIOS.

CAP. 1. v. 8. [ Quoniam ſupra modum gravati ſumus ſupra virtutem. ] Et tamen idem Paulus 1. Cor. 10. dixerat: [ Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis. ] Reſpondeo. Illud *ſupra virtutem* ſignificat ſupra vires naturæ, & corporis; & non ſupra animi, & gratiæ vires; nam invicto animo tribulationem hanc D. Paulus pertulit.

Cap. 2. v. 5. [ Si quis autem contriſtavit, non me contriſtavit. ] Cur ergo tantam animi anguſtiam oſtenderat ſupra, v. 4. Reſpondeo. *Non me contriſtavit*, ſcilicet, non me ſolum, ſed ex parte; nam multos alios contriſtavit mecum; imo totam Eccleſiam, cujus ego membrum ſum, & pars.

Cap. 5. v. 21. [ Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit. ] Loquitur de Chriſto, qui tamen ſecundum Eſaiam, c. 53. [Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus. ] Reſpondeo, Paulum nomine peccati intellexiſſe oblationem pro peccatis, in quo ſenſu dixit Oſeas, c. 4. *Comedent peccata populi* ideſt oblationes, quæ pro peccatis offeruntur. Vide Aug. de verb. Apoſt. ſer. 6.

## AD GALATAS.

CAP. 2. v. 7. [ Creditum eſt mihi Evangelium præputii; ſicut & Petro circumciſionis. ] Atqui Petrus prædicavit Gentibus, & Paulus Judæis, ut conſtat ex Act. Apoſt. Reſpondeo. Apoſtoli partiti ſunt inter ſe non auctoritatem, ſed operas; nam, eo quod Paulus Judæis exoſus eſſet, Gentibus prædicavit. Petrus vero Judæis charus ipſis prædicabat præcipue. Cæterum poterant ambo prædicare tam Gentibus, quam Judæis, & de facto prædicarunt.

Cap. 4. v. 25. [ Sina enim mons eſt in Arabia, qui conjunctus eſt ei, quæ nunc eſt Jeruſalem. ] Mons Sina longo intervallo, imo toto cœlo diſtat a civitate Jeruſalem, quomodo eſt igitur illi conjunctus? Reſpondeo, eſt conjunctus, ideſt, affinis, ſeu potius ſimilis; græca enim lectio vertit *συςοιχεῖ*, ideſt habet affinitatem, ſeu ſimilitudinem. Mons namque Sina ſimilis eſt in conditione cum Jeruſalem; ſicut enim ibi tradita fuit lex mere cæremonialis, carnalis, & ſervilis; ita etiam in Jeruſalem. Inſuper utrobique generantur filii non liberi, ſed ſervi, ita Theoph. Vatab. & Corn. a Lap. qui multis rationibus proſequitur in hac ſimilitudinis probatione.

## AD PHILIPPENSES.

CAP. 2. v. 7. [In ſimilitudinem hominum factus. ] Ergo non fuit vere homo, cum tamen clare aſſerat S. Jo. c. 1. [ Verbum caro factum eſt. ] Reſpondeo, factus eſt in ſimilitudinem hominum non accidentaliter, ut ſomniabat Fauſtus, ſed ſubſtantialiter, ſicut omnes homines dicuntur ſimiles in ſpecie, ſeu natura humana, ita S. Aug. S. Thom. & alii.

## AD COLOSSENSES.

CAP. 1. v. 15. [ Primogenitus omnis creaturæ. ] Ergo Chriſtus, ut filius Dei eſt creatura, ut volebant Ariani. Reſpondeo: Primogenitus, ideſt, genitus ab æterno ante omnes creaturas, ita Amb. Theod. Theph. non enim dicitur, *πρωτόκτοςος*, ideſt, primo creatus, ſed *πρωτότοκος*, ideſt, primogenitus.

Ibid. v. 24. [ Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti. ] Quid namque deeſſe poteſt Chriſti paſſionibus, cum ipſemet dicat Luc. 23. [ Ea, quæ ſunt de me, finem habent? ] Et Joan. 17. [ Opus conſumavi. ] Et clarius David, Pſalm. 129. [ Copioſa apud eum redem.

demptio.] Reſpondeo, licet paſſio Chriſti fuerit copioſiſſima, & ſufficiens ſatis ſuperque toti mundo; nihilominus, ut illius valor ſingulis Chriſti membris actu applicaretur, multa adhuc facienda, & ſufferenda ſuperſunt, ut demonſtrat S. Thom. Nam oportuit Apoſtolos peregrinari, docere, multoſque pati labores, ut Gentibus Chriſti paſſio applicaretur, ita Chryſ. Amb. Theod. Oecum. Anſ. & Aug.

EX PRIMA AD TIMOTHEUM.

CAP. 2. v. 12. [Docere autem mulieri non permitto.] Alio vero in loco ad Titum, c. 2. ait: [Anus bene docentes.] Reſpondeo. Prohibet mulieres docere publice in Eccleſia, privatim vero permittit, ut puellas doceant; imo ſuadet.

AD HEBRÆOS.

CAP. 1. v. 1. [Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis.] Adverſatur hæc propoſitio ei, quam pronunciavit David Pſalm. 61. [Semel loquutus eſt Deus.] Reſpondet S. Aug. Hominibus ſæpe loquutum fuiſſe Deum, multiſque modis manifeſtans Chriſti adventum per Prophetas; apud ſe vero Deus ſemel loquutus eſt, quia unicum Verbum genuit ab æterno.

Cap. 7. Hic locus, ubi S. Paulus pronunciat legem infirmam & inutilem fuiſſe, videtur pugnare cum eo, quod ſcribit ad Philippenſes, c. 3. [Secundum juſtitiam, quæ in lege eſt, ſine reprehenſione converſatus ſum.] Si in lege eſt juſtitia, quomodo erit infirma, & inutilis? Reſpondeo. Juſtitia in lege reperitur, qua cum quis operatur quæ in lege ſcripta ſunt, acceptus eſt hominibus, & legis pœnam derivat. Chriſti autem juſtitia eſt, qua homo fide per dilectionem operante juſtificatur, & Deo gratus redditur. Hanc autem juſtitiam non eſt conſequutus Paulus in lege, neque a lege, ſed ex fide in Chriſtum.

Cap. 9. v. 7. [In ſecundo autem ſemel in anno ſolus Pontifex.] Loquitur Apoſtolus de ſecundo tabernaculo, in quod ſolus ſummus ſacerdos intrabat. Huic adverſatur locus Exodi 30. in quo Deus juſſit, ut Aaron bis in die adoleret incenſum mane, & ad veſperam. Reſpondet Theophylactus: Aaron ſemel in anno intrabat cum ſanguine; bis vero in die cum incenſo. Paulus enim non aſſerit ſimpliciter, quod ſemel introibat; ſed ſemel cũ ſanguine, ideſt cum imolatione victimæ.

Ibid. v. 27. [Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori] Contrarium docuit ad Theſſ. 4. [Deinde nos, qui vivimus, qui reſidui ſumus, ſimul rapiemur cum illis obviam Chriſto in aera.] Reſpondeo. Eorum, qui reſidui erunt in noviſſimo die, quorum nomine loquitur Paulus, mors erit tam momentanea, ut ſoporem ſe paſſuros exiſtiment, ac propterea ſeſe tamquam vivos obviam Domino dabunt, non percipientes tam ſubditam, & brevem mortem.

EX PRIMA S. JOANNIS.

CAP. 4. v. 18. [Timor non eſt in charitate; ſed perfecta charitas foras mittit timorem.] Iſta concluſio contradicit multis locis Sacræ Scripturæ, præſertim Pſalm. 2. v. 11. [Servite Domino in timore.] Reſp. Sancti, ac perfecti viri, qui vere Deum diligunt ſuper omnia, timent valde eſſe ſine Deo, & hujuſmodi timor eſt ſanctus, ac permanet in Sanctis. Alius timor eſt de amiſſione vitæ, vel bonorum, hunc excludit perfecta charitas, ita Euch.

EX APOCALYPSI.

CAP. 2. v. 18. [Et Angelo Thyatiræ Eccleſiæ ſcribe] Sed in Thyatira, quæ ſita eſt ad ſiniſtram partem Cayci fluminis in Myſia, nulla tempore Joannis fuit Eccleſia Chriſtianorum. Quo argumento aliqui hæretici negarunt, Apocalypſim fuiſſe a Joanne ſcriptam. Reſp. juxta Epiphanii doctrinam Joannem ſpiritu prophetico ſcripſiſſe ad futuram ibi Eccleſiam, quæ decepta a Phrygaſtarum pſeudoprophetiſſis Priſcilla, Maximilla, & Quintilla, erratura erat, quas ſub nomine Jezabelis deſignavit.

Cap. 5. v. 5. [Vicit Leo de tribu Juda.] Et poſtea ſtatim verſ. ſeq. vocatur agnus. Reſp. Vere Chriſtus apparuit Joanni in ſpecie agni, non autem Leonis. Vocatur tamen Leo per metaphoram ob ejus eximiam fortitudinem, majeſtatem, ac dignitatem regiam, & quia ortus erat ex tribu Juda, cujus inſigne erat Leo.

Ibid. v. 12. [Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere divinitatem.] Si ab æterno erat Deus, quomodo ergo accipere poterat divinitatem? Reſp. Senſus eſt, ut omnes creaturæ agnoſcant Chriſti divinitatem, quam cognitionem tranferant a falſis Idolis ad Chriſtum, cui vere competit. Unde accipere divinitatem idem eſt, ac cognoſci ab omnibus, ut Deus, ita S. Thom. Lyran. Perer. Suar. & alii.

Cap. 11. v. 2. [Civitatem Sanctam conculcabunt menſibus quadraginta duobus; nimirum, tribus annis cum dimidio durabit Antichriſti monarchia, quod etiam confirmatur ex c. 7. Dan. Sed verſ. ſeq. dicitur Elias cum ſocio prædicaturus diebus mille ducentis ſexaginta, qui minime conficiunt annos tres cum dimidio. Reſp. menſes illos eſſe lunares, qui conſtant diebus triginta, & ſic numerus hic dierum conficiet menſes quadraginta duos. Vel ſi contendis illos menſes eſſe ſolares, tunc dicendum erit Antichriſtum ſuperſtitem futurum adhuc dies decem, & octo poſt mortem duorum Prophetarum, & per conſequens regnabit annos tres cum dimidio.

Cap. 20. v. 11. [Fugit terra, & cœlum, & locus non eſt inventus eis.] Quomodo fugit, ſi Eccl. 1. dicitur: [Terra autem in æternum ſtat?] Reſpondeo, non fugit terra, nec cœlum; ſed tantum facies priſtina terræ, & cœli, eo quod ſtatum mutabunt, ac pulchriorem formam acquirent. Unde ſtatus, & locus priſtinus non eſt inventus; ſed alius longe pulchrior. Ita Amb. Beda, Aretas, Viegas, & Corn. a Lap.

FINIS.

Graduate